10
4-G
15

6
9 0
8

C. J
S. K
O. 5.
N. 13 – 14

10.–4.G.15.

Digitized by Google

6 A n°vu

~~B~~
~~1~~ C
~~2~~ IV
15

Digitized by Google

Digitized by Google

FR. FRANCISCI QVARESMII

EX ORDINE MINORVM

ELVCIDATIO

TERRÆ SANCTÆ,

HISTORICA,

THEOLOGICA,

MORALIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Nova
Typis
Ioannis
Blaeu

Digitized by Google

D. O. M.

CHRISTO IESV

CRVCIFIXO

OMNIVM CREATORI

AC REPARATORI

AVCTOR SVPPLEX

DICAT CONSECRATQ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

OPVS hoc Terræ ſanctæ, quod te, bone IESV, inſpirante cœpi, & te cooperante pro tua bona voluntate ad finem vſque perduxi, alicui dicandum erat, cuius patrocinio fulciretur, vel etiam euulgaretur. Sed quidnam in cælo vel in terra ex creatis, rei mobili & obſcuræ, ſtabilitatem & claritatem præſtare poterat; cùm omnia mobilia ſint, & ad occaſum tendentia? Et ſi de illis dicitur: [a] *Qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem*; &, [b] *Inter ſanctos nemo immutabilis.* quid de iſtis dicemus [c] *qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, & conſumentur velut à tinea?* Vtique quod ſapientiſſimi & Spiritu ſancto afflati dixerunt: [d] *Vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus.* &, [e] *Vniuerſa vanitas, omnis homo viuens*, etſi magnus & præpotens habeatur. [f] *Obſcuratum eſt* enim *aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum.* Quare iure merito nos hortatur Spiritus ſanctus, ne confidamus [g] *in principibus, & in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus:* quoniam [h] *maledictus homo, qui*

[a] Iob 4, 18.
[b] Iob 15, 15.
[c] Iob 4, 19.
[d] Eccle. 1, 14.
[e] Pſal. 38, 6.
[f] Thren. 4, 1.
[g] Pſalm. 145, 3.
[h] Ier. 17, 5.

qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius. Omne enim humanum vel creatum auxilium, eſt velut confractus baculus arundineus, qui [a] ſuſtinere non poteſt; & [a] *cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam.*

[a] Iſa. 36, 6.

Cui ergo hoc Opus dicabitur, vel innitetur? CHRISTO IESV CRVCIFIXO. Nec enim, mi IESV, aliud mihi eſt in cælo, vel in terra, niſi tu [b] *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Tu es enim [c] *turris fortiſſima.* Tu qui firmas cælos, & fundas [d] *terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* Tu facies Patris, imago bonitatis, [e] *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portans* & coërcens *omnia verbo virtutis* tuæ: [f] *Admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis:* Deus & homo, Verbum Patris, Virginis filius, veruſque Emmanuel, [g] A & Ω, *principium & finis:* [h] *ex quo, & per quem, & in quo ſunt omnia*, quæ [i] cælorum terræque ambitu continentur. Tu es [k] *lux mundi* tenebras neſciens, & qui poſt te ambulat, eum [l] *tenebræ non comprehendent*; ſed eximio fulgore illuſtrabitur, quia es [m] *lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, cuius [n] *nomen à ſolis ortu uſque ad occaſum magnum eſt in Gentibus*, tibique [o] *flectitur omne genu*, omniaque ad te recurrunt, vt velut in proprio centro quieſcant. Tenes tu quidem menſuram arundineam; quia & fragilem humanitatem, Diuinæ immobilitati per hypoſtaticam vnionem copulatam, immobilem reddis; & quæcumque, etſi inſtabilia, & [p] *tamquam puluis ante faciem venti* mobilia, tibi ſi hæreant, per gratiam firmantur, & ſtabiliuntur, vt à nemine concuti, vel de loco moueri poſſint. Quare ſi operi huic ſtabilitatem, vel lucem exopto, cùm tu lux indeficiens, & immobile firmamentum ſis, per te firmabitur, & euulgabitur; teque habito non commouebor, nec [q] *timebo quid faciat mihi homo*, & [r] *millia populi circumdantis me.* Ideò non puto [s] *me ſcire niſi* te Dominum meum *Ieſum Chriſtum.*

[b] Pſal. 72, 26
[c] Prouer. 18, 10.
[d] Pſalm. 103, 5.
[e] Hebr. 1, 3.
[f] Iſa. 9, 6.
[g] Apoc. 1, 8.
[h] Rom. 11, 35.
[i] Eſther. 13, 10.
[k] Ioan. 8, 12.
[l] Ioan. 12, 35.
[m] Ioan. 1, 9.
[n] Malach. 1, 11.
[o] Philip. 2, 10.
[p] Pſalm. 34, 5.
[q] Pſalm. 117, 6.
[r] Pſalm. 3, 7.
[s] 1. Cor. 2, 2.

Sed & alia excitant ad idem: diuinum beneplacitum, amor, animi gratitudo, operis ipſius conditio, & denique vtilitas: tot quippe de cauſis opera alicui dicantur; & ſi extrà te, non ſemper, vel profectò non perfectè, optatum ſortiuntur intentum.

Diui-

Digitized by Google

Diuinum, inquam, impellebat beneplacitum. Vt quid enim Æternus Pater, qui [a] *omnia fortiter ſuauiterq; diſponit,* te innocentem Filium ſuum miſit in mundum, vt in ara Crucis totius mundi offenſas tolleres, hominemque à morte redimeres? Nónne ſatius fuiſſet, vt qui deliquerat, patiendo ſatisfaceret, vel mereretur Angelus? quodque tu creaueras, & ſuâ culpâ corruerat, Angeli beneficio ſubleuaretur? Non, inquam; [b] *nemo* potuit *neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram* ſalutis noſtræ *aperire librum,* vel videre eum, non legatus, non Angelus; ſed tu, per quem omnia fecit Pater, es [c] *Agnus occiſus ab origine mundi, & dignus* [d] inuentus *accipere librum, & aperire ſignacula eius:* tu ipſe [e] ſaluaſti nos, & feciſti [f] *nos Deo noſtro regnum,* [g] *operatus ſalutem in medio terræ.* Et, vt cum Ioanne Damaſceno loquar, tantus, Domine, in me tuus amor fuit, vt non per Angelum, aut aliam creaturam, ſalutis meæ negotium obieris; verùm vt primum fictionem, ſic etiam inſtaurationem ipſemet efficiendam duxeris. Et opportunè quidem ad commodum noſtrum, ne nimis depreſſi, & in pluribus diſtracti eſſemus. Infelix filius, quem qui genuit pater, alteri educandum relinquit; etenim genitori & nutritori deuinctus nimiùm eſſet: illi, quia genuit; iſti, quia educauit: ſed felix, cuius idem eſt genitor & educator, quia ſoli totum debet obſequium. Ita non æquè felices nos, ſi à Deo geniti per creationem, à pura creatura de morte & laqueo inferni erepti fuiſſemus: tunc enim obſequium & ſanè omnibus numeris abſolutum, Creatori iure creationis, & creaturæ iure redemptionis exhibendum erat. Et indecens indecorumque fuiſſet, homines verum abſolutumque Creatorem habentes Dominum, puri hominis reparatoris fieri cultores, vt ſapienter dixit Athanaſius. Et quomodo id etiam exequi perfectè poterat imperfectus homo, cuius cor anguſtum, & creationis beneficio totum Deo debitum? ſiquidem ante operatam redemptionem dictum ei à Domino: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* &c. Vt igitur conſoletur homo, & ſuum non diuidat amorem, idem ſit ſponſus & ſponſa Verbum Patris, Pater & nutrix, Creator & Redemptor: omnia habea-

[a] Sap. 8, 1.
[b] Apoc. 5, 7.
[c] Apoc. 13, 8
[d] Apoc. 5, 5.
[e] Iſaiæ 63, 9.
[f] Apoc. 1, 6.
[g] Pſalm. 73, 12.
Orat. 3.
Aduerſus Arianos orat. 3.
Deut. 6, 5.

fuerunt Terram ſanctam, te præcipiente, ad perpetuam tanti beneficij memoriam, duodecim lapides in titulum erexerunt. Et ego ſimiliter, qui, poſtquam ab innumeris incommodis & maris terræque periculis erutus fui, eamdem Terram, ſed poſtquam fuit tuâ corporeâ præſentiâ & ſanguine illuſtrata & conſecrata, iterùm atque iterùm ingreſſus fui, & inhabitaui; Opus hoc, te inſpirante & cooperante concinnatum, tibi in titulum, & perpetuum tanti in me collati beneficij monumentum, erigendum putaui.

Sed Opus ipſum; ipſius, & Auctoris conditio, teipſum, bone IESV, expoſtulabat. Opus, inquam, quoniam eſt de Terra ſancta tua, de ſanctiſſimis illis locis, quæ tuis heroïcis actibus elegiſti, & illuſtri de mundo & dæmone victoria condecoraſti, vbi inferni contriuiſti portas æreas, & vectes ferreos confregiſti, cælumque aperuiſti. Operis, & offerentis Auctoris conditio: etſi enim opus, quod tractat de tuis ſanctiſſimis locis, digniſſimum pariterque venerandum ſit; tamen, quia rudi & impolito ſtylo, nec ea qua oportuit ſolertia, grauitate & dignitate, à ſimplice, paupere vilique perſona conſcriptum, fragile eſt & contemptibile: offerendum ideò erat alicui, qui & miſeriæ fragilitatique compateretur, & operiret ac ſubleuaret defectus. Et quis hæc præſtare poteſt, præter te, Deus meus? Tu enim etſi ab æterno Verbum, & vnà cum Patre Deus, Pontifex magnus, qui penetraſti cælos, & excelſior cælis factus, per quem omnia facta ſunt; nihilominùs communicaſti etiam carni & ſanguini, vt miſericors fieres, & tentari voluiſti [a] per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, vt meis poſſes compati infirmitatibus; [b] *ſimul in vnum, diues & pauper:* vt ſubuenias, diues; vt compatiaris, pauper. Et nullus profectò qui ad te ex corde acceſſit, etſi impius & peccator, confuſus receſſit. Et ego, licet vilis & miſerrimus peccator, cùm te in Caluariæ monte pro me crucifixum contemplor, & factam [c] conſummationem, & abbreuiationem, quam ſe in medio orbis terræ facturum Dominus exercituum promiſerat; video cum D. Bernardo, hominem mitem, humilem corde,

[a] Heb. 4, 15.
[b] Pſalm. 48, 3.
[c] Iſa. 10, 23.
In Cantic.

corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni ſanctitate conſpicuum: denique ipſum Deum omnipotentem, qui ſuomet exemplo ſanet, & roboret adiutorio. Quare ſi nunc non eſt exhauſta & [a] abbreuiata manus tua, ſed adhuc [b] plena hyacinthis, & ad [c] ſubueniendum porrecta: ſi quondam vt pauper & mitis, pauperibus, infirmis & peccatoribus compatiebaris, &, vt diues in omnibus, te inuocantibus opem ſuppeditabas; paſcendo, ſanando, peccata remittendo, & ipſum denique cælum largiendo; quare non ego ſperabo, te compaſſurum mihi, innumeriſque defectibus meis, qui in opus tuum culpâ meâ irrepſerunt, & opem & ſubſidium allaturum?

[a] Iſa. 59, 1. [b] Cant. 5, 14. [c] Eccli. 4, 36.

Quia [d] ſemel cœpi, loquar adhuc ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis. Ad hæc denique, Domine mi, impulit me vtilitas, & ſecurus ex tali oblatione prouentus: ſcio enim [e] ad locum, vnde exierunt, flumina reuerti, vt iterùm fluant, & quæ tibi de tuo offeruntur munera, centuplicato fœnore ad nos reuerti: quemadmodum ipſe in ſeruis tuis fidelibus oſtendiſti, quos [f] ſupra multa bona conſtituiſti, & in gaudium tuum admiſiſti, quòd accepta à te talenta fideliter tibi reſtituerunt. Verè enim dixit Ieremias: [g] *Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas: & non timebit, cùm venerit æſtus. Et erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum, nec aliquando deſinet facere fructum.*

[d] Gen. 18, 27. [e] Eccle. 1, 7. [f] Matth. 25, 21. [g] Ierem. 17, 7.

Fructus verò expectatus eſt, vt ſemper tuis valeam inhærere veſtigiis, te [h] ſequar quocumque ieris, nec [i] dimittas me donec benedicas mihi, & deſideria de tua inſpiratione concepta, nulla poſſint tentatione mutari, & propter te confirmetur itineris finis: quique cæleſtis Ieruſalem arrham dediſti, quando ad terreſtrem admiſiſti, tandem aliquando & ipſam ſortem concedas.

[h] Apoc. 14, 4. [i] Gen. 32, 26.

Tibi itaque, CHRISTE IESV Crucifixe, ſit hoc Opus dicatum; & qui olim [k] pauperculam viduam mittentem æra minuta duo in gazophylacium laudaſti, munera pueri tui Abel benignus accepiſti, ac boni latronis contritum

[k] Luc. 21, 2.

tritum cor, & laudabilem petitionem non repulisti, sed eidem gratum præbuisti assensum, & quem in passione socium, in resurrectione voluisti habere consortem; in præsentia ne me pauperculum à facie tua proiicias, sed, conuersis misericordiæ tuæ oculis, benignus susci pe me, susci pe munusculum hoc, quod tuæ offero Maiestati in aula sacratissimi huius Caluariæ montis, in throno viuificæ Crucis, vbi tu Æterno Patri pro me acceptum sacrificium obtulisti. Susci pe tu Librum istum de manu mea, vt alij susci piant de manu tua; vt in eius lectione, & in eodem contentis mysteriis insistentes, vitæ æternæ præmia consequantur.

SIMVLACRI TERRÆ SANCTÆ ELVCIDATIO.

ECCE, *pie Lector, exemplar præsentis status Terræ promissionis, en simulacrum Terræ sanctæ, quæ hisce nostris calamitosis temporibus possidetur; meliùs dicam, à fidelibus & filiis derelicta, ab infidelibus, à spuriis, ab hostibus capta, tyrannicè opprimitur, & turpiter profanatur: ipsum non sine lacrymis inspice; & eius explicationem, non sine cordis tristitia & commiseratione, animiq; mœrore, contemplare. Heu crudele spectaculum!* [a] Visio dura, *& manifesta*, nuntiata est mihi; [a] Isa. 21, 3. 4.
an meliùs, & magis propriè dicam, eamdem corporis & mentis oculis attentè aspicio? Quare potiori ratione addere possum, quæ olim dixit Euangelicus Vates, meretricis & infidelis Babylonis vastationem à lõnge prospiciens: Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit mę sicut angustia parturientis: corrui cùm audirem, conturbatus sum cùm viderem: emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me: *Judæa* dilecta mea facta est mihi in miraculum. *Et quis non fleat, doloreq; non afficiatur, videns dilectam fidelium matrem, Dei sponsam, & electissimam coniugem, ciuitatem regiam, inclytam regionem, non ædificiis modò materialibus vastatam, & ad solum vsque æquatam; sed & naturalibus, & ipsis spiritualibus cœlestibusq; beneficiis, ipso sponso, & pænè filiis, spoliatam & nudatam,* [b] *positam* secundùm diem natiuitatis suæ? *Confortatus enim* [b] Osee 2, 3. [c] Ier. 1, 18.
à Domino Jeremias, factus [c] in ciuitatem munitam, *quæ ab hostibus capi non timet,* & in columnam ferream, & in murum æreum, *quæ frangi vel prosterni non possunt,* super omnem terram, Regibus Iuda, Principibus eius, & populo terræ, *à quorum impugnationibus nec animo frangendus, nec superandus erat; cùm tamen Ieroſolymæ, totiusq; Terræ sanctæ, miserandum statum contemplaretur, se à lacrymis cohibere non potuit: adeoq; lacrymabile spectaculum id arbitratus est, vt ipsum deflere, non vi-*

Terræ sanctæ tanta calamitas, vt compassionem in omnibus excitet.

tium;

Digitized by Google

tium; sed abstinere à lacrymis, magnum pietatis defectum crediderit: quod valde horrescens, eidemq; commiserans, ad Deum conuersus, indeficientem ac perennem [a] *lacrymarum fontem postulabat, vt numquam à tanta miseria & calamitate deflenda cessaret, omnesq; ad hoc spectaculum contemplandum, & vt illi compaterentur, hortabatur. Sed hunc, & plerosq; huic similes sanctos viros, qui tamen in hoc argumento, quod nunc manibus nostris versamus, contemplando, compassi & lacrymati sunt, omittamus: Christus Deus & homo, aterni Patris fortitudo, illud à longè atque ante illius complementum prospiciens, magnam vim lacrymarum profudit, vocesq; lamentabiles emisit, vt* [b] *S. Lucas testatur.*

[a] Ier. 9, 1. Thren. 1, 2.

[b] Luc. 19, 41.

Vt autem magis intelligas, quanta sit lugendi & compatiendi in huius Terræ sanctæ simulacri inspectione & contemplatione occasio, ipsiusq; intellectum plenè perspicias, & eius commiseratione motus, gratiâ & opibus, totisq; viribus in illius subsidium incumbas, &, si hæc tibi desunt, pro eodem, ad Deum conuersus, saltem humiles & lacrymosas cordis preces effundas; priùs oculos in illius floridum priorem sub Dauide & Salomone statum conijce, ac deinde miserandum hunc posteriorem sub tyrannide Turcarum contemplare. Quemadmodum enim olim contigit senioribus Iudæis in Salomonici templi sub Zorobabele readificatione, post eorum è Babylonica captiuitate reditum, vt testatur [c] *Esdras, & tradit Iosephus (etenim ad memoriam reuocantes, prioris templi diuitias, magnificentiam, & alia quæ id toto orbe terrarum commendabile reddebant, & suis iam oculis posterioris paupertatem & defectum videntes, & considerantes; maximos gemitus & lacrymas profundebant, & pro viribus illius readificationi insistebant:) ita & modò accidet, priùs priorem floridum Iudææ statum, & posteriùs miserandum, in quo nunc iacet, posteriorem considerantibus.*

[c] 1. Esdr. 3, 12. Ioseph. 11. Antiquit.

Typus Iudææ denictæ apud Romanos.

Capta & depopulata Iudæa per Titum Romanorum Imp. ac triumpho de Iudæis acto, delineata fuit, in primis muliere à capite ad pedes vsque vestibus amicta, sedente humi ad tropheum Romani Imperatoris; item muliere similiter amicta, sed mœsta, sedente sub palma, quæ erat Iudææ prouinciæ hieroglyphicum, cum hac inscriptione: IVDÆA CAPTA. S. C. *vt Vespasiani Imperatoris quædam numismata præ se ferunt, quorum expressas formas exhibet præter alios* [d] *Cardinalis Baronius; easdemq; hîc appono.*

[d] Tom. 1. an. Christi 73.

Mœstâ

Typus Iudæa deuicta apud Romanos.

Mœsta mulier & vestita, Iudæam, vt credo, repræsentauit; quoniam Romani, cùm humani ac ciuiles essent, aliqua humanitate erga eam vsi fuerunt, nonnullamq; rationem illius decoris habuerunt.

Verùm Ieroſolyma & Iudæa noſtra, nunc à Mahometanis vaſtata & euerſa, quòd iſti ferrei ſint, feri, pietate omni deſtituti, ac barbari homines, peiusq; quàm Romani illam habuerint, lugubriori iam imagine fuit exprimenda, vt ipſi expreſſimus ac delineauimus. Exhibemus enim mulierem, non veſtitam veſtibus, vel aliquo tegumento opertam, ſed vndequaque à vertice ad pedes vſque denudatam, POSITAM SECVNDVM DIEM NATIVITATIS SVÆ, *vt in inſcriptione habetur; non hilarem, ſed gementem ac mœrentem; non quieſcentem ſub palma, vel, vt olim,* [a] *ſub ligno frondoſo deliciis ac voluptatibus indulgentem, ſed ſuper illuſtrium ædificiorum ruinas, ſuper aceruos lapidum, ac fundamenta ciuitatum iacentem, doloribus & anguſtiis vndequaque vallatam, omni humano auxilio deſtitutam; hinc ſuſpiriis & lacrymis, ſublatis in cælum oculis ſubſidium ab eo implorantem, qui eſt adiutor in tribulationibus quæ eam nimis inuenerunt. Sed propoſiti præſentis ſtatus Terræ ſanctæ ſimulacri explicationem aggrediamur, vt, cum Dei auxilio, ad eius gloriam, quod intendimus, aſſequamur.*

[a] Ier. 2, 20.

In propoſita imagine ſingularem magiſtrum habui illum, quem ipſe Dominus docuit, & cui verba ſua in ore ipſius dedit, Ieremiam Prophe-

Mulieris nudæ explicatio.

Prophetam in ſuis Lamentationibus (quem vt videas, pro maiori huius argumenti intellectu, omnino rogo) in quibus licet deſcribat & deſleat miſerandum Iudææ ſtatum, Ieroſolymam, quondam toto orbe celebrem, & vrbem regiam, à Babyloniis captam & euerſam, Hebræorum cades, captiuitatem, &c. eadem tamen ſimili, & potiori etiam fortaſſe, ratione aptare non incommodè poteris eidem Iudææ & Ieruſalem, prout nunc eſt à Turcis, in Babyloniis (vt credo) præfiguratis, vaſtata, diruta, duraq; tyrannide, & quidem diutiùs occupata.

Vis mulierem, eamq; nobilem, & pluribus olim bonis prædiuitem,
[a] Thren. 1,1. *orbatam viro ſuo?* Quomodo, *inquit,* [a] ſedet ſola ciuitas, plena populo? facta eſt quaſi vidua domina Gentium. *Vis eamdem ſedentem ſuper aceruum lapidum, & ruinas ciuitatis?*
[b] Ibid. v.4. *id explicuit, tum ibi, dicens:* [b] Omnes portæ eius deſtructæ. &
[c] Thren. 2.8. *iterùm:* [c] Luxit antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt.
[d] Ier. 14, 2. *tum alibi in Reuelationibus:* [d] Luxit Iudæa, & portæ eius corruerunt, & obſcuratæ ſunt in terra. & *Michæas ſequentibus*
[e] Mich. 3,12. *verbis clariùs expreſsit:* [e] Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem quaſi aceruus lapidum erit. *Et ante hos prædixit Pro-*
[f] Pſ. 78,1. *pheta Regius, dicens:* [f] Poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam. *quod Græca lectio ex Euthymio clarè tranſtulit,* in aceruum lapidum. *Si verò mulierem plorantem, & ab omnibus derelictam videre deſideras; reſpice genas eius madidas, atque à lacrymarum imbribus excauatas, & nullum qui eam reſpiciat,*
[g] Thren. 1, 2. *vt aduertit dolens Ieremias;* [g] Plorans, *inquiens,* plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius: non eſt qui conſoletur eam, ex omnibus charis eius: omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei inimici. *Si horres nudam & omni decore ſpoliatam mulierem videre, & oculos auertis, ne videas vanitatem; talem tamen eſſe, crede eidem Ieremiæ, qui*
[h] Ibid. v.6. *non mentitur, dum dicit:* [h] Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius, &c. *& conſonæ inſcriptioni, quam ei addidimus ex*
[i] Oſe. 2,3 *alio Vate, ſimili illuminato ſpiritu:* [i] Secundùm diem natiui-
[k] Matth. 18,16. tatis ſuæ. *Stat enim* [k] *in ore duorum vel trium teſtium omne verbum, ex ſententia Saluatoris. Et ſi tertium his duobus addere volueris, aderit Propheta Ezechiel, inferiùs adducendus. Sed quid alius Vates dicat, videamus. Oſeas de his agens, rem ſequentibus*
[l] Oſe. 2,1. *verbis explicatam reliquit:* [l] Dicite fratribus veſtris: Populus meus; & ſorori veſtræ, Miſericordiam conſecuta. Iudicate

dicate matrem veſtram, iudicate: quoniam ipſa non vxor mea, & ego non vir eius. Auferat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua de medio vberum ſuorum, ne fortè expoliem eam nudam, & ſtatuam eam ſecundùm diem natiuitatis ſuæ, &c. *Et fuit comminatio impleta, quia viri ſui vocem non audiuit.*

Sed minùs intolerabile, ſi Iudæa noſtra, ad inſtar innocentis infantulæ, ad natiuitatis ſuæ ſtatum reſtituta fuiſſet, bonis à ſponſo ſuo acceptis ſpoliata: imò eſſet tolerabile malum: etenim ex diſsimili deſertione multò plura mala, eaq; ferè intolerabilia, illi acciderunt. Attende, quæſo. In Iudæa quadruplicem contemplor ſtatum, quemadmodum in muliere adultera à viro ſuo derelicta. Priorem, quem in eius natiuitate à genitoribus accepit, in quo nulla moralia bona inueniuntur; ſolis naturalibus contentą, pluribus inuoluta imperfectionibus & fœditatibus: Secundum, quem grandis effecta, recepit adhuc à parentibus, à ſponſo & marito; & in iſto pluribus ditatur muneribus: Tertius eius ſtatus eſt in culpa, quando proprio coniuge ſpreto alienis amatoribus adhæſit; & in iſto malis omnibus iacet obnoxia: in Quarto denique ſtatu omnibus priuatur bonis receptis, ſecundùm leges adulterarum; & à marito derelicta innumeris ſubiacet pœnis, poſita ſecundùm diem natiuitatis. *Hoc, ſub mulieris metaphora, totum de Synagoga & Iudæa expreſſum inuenies in Cantico Canticorum Salomonis, ſecundùm quorumdam Doctorum interpretationem. Si ſpectes illius priorem ſtatum, dicitur de ea:* [a] Soror noſtra parua, & vbera non habet. *De ſecundo ſubiungitur:* Quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt? Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea: ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis. Ego murus, & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens, &c. *Vis illius tertium ſtatum, & in culpa videre? contemplare illam aures ſuas ſponſi ſui amoroſis precibus claudentem, dum eam deprecabatur, vt* [b] *ſui compatiens, introducat in cubiculum ſuum;* quoniam caput *ipſius erat* plenum rore, & cincinni *eius* guttis noctium. *at negligens, dixit:* [c] Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? *Sed & quartum ſub pœna ſtatum audi: Abiit ab ea dilectus; & quæſitus, non eſt inuentus; ſed inuenta ipſa à* cuſtodibus qui circumeunt ciuitatem, percuſſa

Iudæa quadruplex ſtatus.

Conſidera quæ in lib. Deuteroſeon, de libello repudij: quæ refert Guadalup. in c 2. Oſee.

[a] Cant 8, 8. vſque 10.

[b] Cant 5, 1. 2. 3.

[c] verſ. 6.

percussa & vulnerata fuit; tulerunt ei pallium suum custodes murorum. *Quid dici clarius ad id, quod tractamus, explicandum poterat, etsi metaphoricis verbis?*

[a] Ezech. 16. per totum.

Sed eadem manifestis verbis enarrata inuenies apud [a] *Ezechielem Prophetam: qui quoniam clarè loquitur, & eum facile quilibet potest consulere, hinc breuitati studens, eius verba non subijciam, loca singulariter nostro instituto deseruientia indicare contentus. Sed priùs hoc te admonitum velim, quòd, vbi Vates de Iudææ bonis naturalibus, & etiam fortuitis, vt dicunt, loquitur, id etiam de spiritualibus intelligas, atque ex illorum carentia, horum similiter defectum aduertas. Quemadmodum & Moyses, quando vidit* [b] Psalm. 104. 37. *Israëlem cum diuitiis, quas ex Aegypto asportauerat, &* [b] *cum argento & auro, & quòd non erat in tribubus illius infirmus; fidem, aliaq; spiritualia bona in illo agnouit, quæ eum Deo copulabant: at contrà, quando populum hunc magna ex parte solitis inauribus aureis, aliisq; diuitiis priuatum vidit; euidenter eum coniecit à Deo defeciſſe, ad conflationem vituli concurriſſe, reumq; mortis effectum. tanta est enim culpæ malignitas, vt spoliet fortuitis, nudet gratuitis, & in ipsis naturalibus bonis vulneret. Accedamus nunc ad sanctum Vatem, qui loco suprà indicato, in Dei nomine quadruplicem hunc Ierosolymæ & Iudææ statum nobis describit: de priori agit à 3. vers. vsque ad 6. Sed considera secundum illi omni ex parte oppositum, decentem, decorum & honestum, quem Dei simplici beneficio accepit. de quo agit à vers. 6. vsque ad 15. Sed, heu! humana ingratitudò. Contemplare tertium huius, non dicam amplius dominæ, sed ancillæ; non sponsæ, sed fornicariæ & meretricis statum: in quo impiissimas Sodomitarum & aliorum infidelium nationes culpa & impietate superat: quem vt valdè execrandum pluribus etiam exaggerat Dominus: & primò, à versu 15. vsque ad 27. (& in illius impudicitiæ signum subactis mammis delineatam exhibuimus) & amplius inferius, à vers. 28. vsque ad 35. & à vers. 44. vsque ad 52. & in aliis. Verùm, sicut non sine palea granum, nec sine spinis rosæ nascuntur: ita non inuenitur sine pœna culpa. Quare postquam Iudææ tertium statum in culpa descripsit, subiunxit quartò debitam pœnam; & primò quidem à versu 27. vsque ad 28. ac rursus de iisdem panè agit mixtim à versu 52. vsque ad 63. vltimumq; versum illius capitis.*

Igitur, vt proposito nostro satisfaciamus, cùm audis Iudæam propter scelera & immunditias fornicationis suæ, & quia derelicta

fuit

fuit à ſponſo ſuo, ſtatuendam nudam ſecundùm diem natiuitatis ſuæ; de quo ſtatu loquimur, an potiùs loquitur Deus per Prophetam? Certè cùm neque de ſecundo vel tertio, neceſſarium eſt, vt de primo vel de quarto loquatur; & non de primo: quia etſi in illo ſtatu ſit nuditas, at non eſt pœna, quia nec culpa; igitur ſi illi nuditas pro pœna adſcribitur, erit illa quarti ſtatus nuditas, quæ culpam ſupponit: quæ ideò nuditati natiuitatis comparatur; quia vt illa nullam corporis partem opertam ſine pœna relinquit, ita iſta omnes turpitudines & nuditates cum magno dolore ac pœna omnibus palàm facit.

Nuditas infantulæ recenter natæ non eſt ei pœna, quia culpâ caret: at nubilis effectæ, tum propter culpam, tum propter fomitem, eâdem plurimùm cruciaretur: præſertim quòd tunc temporis ornatæ veſtes ei debeantur, non ad tegendum modò, ſed etiam ad ornandum. Exemplum ſit nobis totius generis humani prima parens: hæc ante culpam erat velut paruula recenter nata, omnibus operimentis ſpoliata; at non erubeſcebat, neque de nuditate cruciabatur, quia ſine culpa, ſine fomite, & in ſtatu innocentiæ erat: ſed iſto iam deperdito, culpæ factæ obnoxia, propter inobedientiam & diuini præcepti tranſgreſſionem, de illa erubuit, & ne [a] *ſeipſam videret, abſcondit. Ita dicendum, Iudæa & Ieruſalem noſtræ, ſi velut ſimplex fuiſſet infantula, tot bonis ſine culpa carere ac nudam eſſe, fuiſſet tolerabile; at non, cùm iam omnibus regiis veſtimentis apta erat & nubilis. Imò iiſdem, velut Regina, & cæleſtis ſponſi coniux, ornata; Dauide dicente:* [b] Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. *Et profectò Iudæa & Ieruſalem domina Gentium fuit, in nationibus dominabatur, &* [c] *in Gentibus tenebat imperium, vt ſacra Regum hiſtoria paſſim teſtatur.* [d] Vrbs clamoris plena, *vt dixit Iſaias, propter multitudinem inhabitantium:* vrbs frequens, ciuitas exultans: *electa à Deo in locum ſacrificij, vbi templum, Sacerdotes, aliíq; altaris miniſtri, & frequens* [e] *ad eam ex omnibus terrarum partibus concurſus.* [f] Vrbs perfecti decoris, & gaudium vniuerſæ terræ, *vt dixit Ieremias. Vnde quòd poſteà his omnibus ſpoliata ſit, viro ſuo orbata, & vilis effecta, plurimùm illam angit & cruciat.*

[a] Gen. 3, 7. 8.
[b] Pſal. 44. 10.
[c] 2. Reg. 8.
[d] 2. Reg. 10. 4. Reg. 9. Iſa. 22, 2.
[e] 2. Paral. 7, 8.
[f] Thren. 2, 15.

Potuiſſet etiam deſcribi vt captiua mulier, in compedibus & manicis ferreis, vt Iſaias eamdem vinculis conſtrictam repræſentauit; ſed ſine his ſatius fuit illam delineare. Primò, quòd ipſum

Iſa. 52, 2.

ſatis indicatur, dum cum Ieremia eam viduam facimus: vidua enim Almana *in Hebræo dicitur, id eſt, ligata, ſilens, & ſerua; quòd vidua manus ligatas atque os clauſum habere videatur, vt ſe in iudicio tueri, illatasq; iniurias propulſare non poſsit, ſed omnium calumniis ſit expoſita, dataq; velut in prædam, ob tutoris & mariti ſui defectum. Deinde, quia eſt in exteri domini poteſtate ac regno. Diuerſimodè ſiquidem mancipia tractantur, pro locorum in quibus reperiuntur diuerſitate: qui enim in terra patria, & naturalium dominorum ditionibus captiui ſunt, in catenis & compedibus detinentur, ne ad ſuos confugiant, & captiuitatem ſe expediant; vt cùm Chriſtiani à Turcis detenti, per Chriſtianorum tranſeunt regiones. ſecùs autem fit, cùm in terris exterorum captiui detinentur: tunc enim liberè & quolibet incedere permittuntur, quia nullum eſt de fuga & liberationis conatu periculum. Pari modo, quia Ieroſolyma apud exterum dominum (*Hereditas *enim* noſtra verſa eſt ad alienos, *ait Propheta*) *id eſt Mahometanos, captiua manet, & hi illius redemptionem & liberationem non timent, quod in maius eiuſdem tormentum cedit; hinc libera eſſe permittitur, & ſine compedibus ac vinculis deſcripta eſt.*

Thren. 5, 2.

Tantò autem maiore dolore iam affligitur & conſumitur, quantò felicior fuit. Vt enim dixit Boëtius: Nulla eſt maior infelicitas, quàm fuiſſe felicem. Hinc Michæas: Quia infirmata eſt in bonum, quæ habitat in amaritudinibus: *hoc eſt, vt ex Hebræo alij legunt:* Quia doluit propter bonum *amiſſum. Quia videlicet, quæ in gemitu & calamitate verſabatur, magis dolebat ob gaudium quod quondam habuerat, quàm ob dolorem quem tunc habebat. Quare, vt pater Abraham pœnas miſero illi diuiti in cruciatibus infernalibus conſtituto magis adaugeret, reduxit ei in memoriam felicitatem, quam olim in hoc mundo habuerat, dicens:* Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua, *&c. Simile quid accidiſſe Iudææ, vel Ieruſalem, docuit Ieremias illis verbis:* Recordata eſt Ieruſalem dierum afflictionis ſuæ, & præuaricationis omnium deſiderabilium ſuorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cùm caderet populus eius in manu hoſtili, & non eſſet auxiliator. *Voluit quippe Dominus, vt in afflictionibus, delectationum & deſiderabilium ſuorum recordaretur, vt hac recordatione acerbior fieret illius calamitas.*

Mich. 1, 12.

Luc. 16, 25.

Thren. 1, 7.

Sed ad præſentem illius calamitatem, in alijs præcedentibus præfigura-

figuratam aliquantulùm adhuc attendendum. Ecce, quàm verè vidua & desolata sit domina Gentium, ex quo recessit à viro suo: omnes magnifici eius ablati sunt, Principes, Sacerdotes, omnes viri dignitate, fortitudine, sapientia & generis claritate præstantes, secundum hoc Isaiæ vaticinium: [a] Ecce, *inquit*, dominator Dominus auferet à Ieruſalem & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ: fortem, & virum bellatorem, iudicem, & Prophetam, & ariolum, & ſenem: Principem ſuper quinquaginta, & honorabilem vultu, & conſiliarium, & ſapientem de architectis, & prudentem eloquij myſtici. Et dabo pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis, &c. *Lege vltimum cap. Ierem. & 4. Reg. 25. & alia ſacræ Scripturæ loca. Vrbs delet a est & derelicta, alta mœnia ſolo æquata, templum Salomonicum euerſum, & profanis impiorum pedibus conculcatum; aliud Reſurrectionis Dominicæ plurimùm demolitum, & cetera ferè templa, vel diruta vel profanata: adeò vt non ſit, qui veniat ad ſolemnitatem, ſed qui venientes impediat. Adeò olim* [b] *pulchra erat in calceamentis, vt omnes illam admirarentur; at mutata ab illa, diſcalceata est, &* [c] ſordes eius in pedibus eius *apparent.* [d] *Iobi calamitatem meritò plurimùm celebrat diuina Scriptura, quoniam bonis omnibus ſpoliatus fuit, armentis, ouibus, camelis, & filiis ipſis; & adeò in corpore vulneratus, vt ſub dio ſedens in ſterquilinio teſtâ ſaniem raderet: at internum habebat conſolatorem Dominum, & compatientes amicos; & à calamitate illa breuî liberatus, duplicatam proſperitatem & gloriam est conſecutus. Sed Iudæa noſtra, vt præmiſſum est, iiſdem, & multò pluribus fuit ſpoliata bonis, maiori oppreſſa amaritudine, quæ non breui, ſed longiſſimo tempore durat, & quando finem ſit habitura, ignoratur; &, quod grauius est,* [e] non habet conſolatorem, *vt dixit Propheta: non est qui compatiatur, & opem tribuat.* Facta eſt Ieruſalem quaſi polluta menſtruis, *inquit Propheta, & plurimi ſanguinis effuſione: & quia ad eam, vt contaminatam, nemo accedit; ac denique quia tam amici quàm inimici vilem, abiectam, pollutam & execrandam reputant.* [f] Omnes, *qui glorificauerant eam*, ſpreuerunt illam, & facti ſunt ei inimici. *In die proſperitatis & honoris, amicos habebat; at pauper & vilis effecta, ab omnibus deſpecta est, &, vt verbis vtar Iob,* [g] præterierunt *eam* ſicut torrens, qui raptim tranſit in conual-

[a] Iſa. 3, 1. vſque 4.
[b] Cant. 7, 1.
[c] Thren. 1, 9.
[d] Iob 1. & 2. per totum.
[e] Thren. 1, 2, 9, 17.
[f] Ibid. v. 2, 8
[g] Iob 6, 15.

conuallibus. *Et* [a] niſi Dominus exercituum reliquiſſet *in ea* ſemen, quaſi Sodoma *deſtructa funditus eſſet*, & Gomorrhæ ſimilis, *vt dixit Iſaias. Sed quoniam* [b] ſemen ſanctum *eſt* quod *manet* in ea, *vt docet idem Propheta; Franciſcanos dico Fratres, & paucos alios Catholicos; conſeruatur, ne penitus pereat. Nam ob paucos iuſtos integras vrbes conſeruat Dominus. Ecce, gloria Domini, Angelorum lætitia, pauor hoſtium, gaudium vniuerſæ terræ; facta opprobrium mundo, Angelis & hominibus. ô ſors, ô ſtatus ſanguineis lacrymis deplorandus!*

[a] Iſa. 1,9.

[b] Iſa. 6,13

Hiſtoria vxoris Leuitæ explicatur.

Sed ex ſequentibus amplius idipſum intelliges. Reſpice ad dextrum latus illius mulieris, & ibi delineatam hiſtoriam in memoriam reuoca, quam ſacra refert Scriptura [c] *in lib. Iudicum. Fuit vir quidam Leuites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit vxorem de Bethlehem Iuda: quæ cùm reliquiſſet eum, & reuerſa eſſet in domum patris ſui, ſecutus eſt eam vir ſuus, volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere. Cui cùm acquieſceret; quadam die adueſperaſcente, ex Bethlehem venerunt in Gabaa: quos ſenex quidam hoſpitio recepit. Et epulantibus illis, venerunt impiiſſimi & immundiſſimi loci illius homines, & vi arreptâ Leuitæ vxore, taliter eâ tota nocte abuſi fuere, vt, recedentibus tenebris, ad virum cùm reuerteretur, ante oſtium domus corruerit. Manè facto, aperto oſtio, vt vir cæptum proſequeretur cum coniuge iter, eam mortuam inuenit: quam aſino imponens, vt domum peruenit, illam gladio in fruſta & partes duodecim diuiſit; & partem vnam ad quamlibet ex duodecim tribubus Iſraël miſit, vt de tanto facinore vindictam ſumerent; ſicut & ſumpſerunt, vt* [d] *eodem lib. legitur, & ferè tota Beniaminia tribus eſt extincta.*

[c] Iudic. 19. per totum.

[d] Iudic. 20.

Sed hîc vnum aduerte priùs, quàm hiſtoriam propoſito noſtro applicemus. Mulier illa erat infida marito ſuo, vxor concubina, & meretrix, vt Hebraica & Chaldaica lectio demonſtrat; quæ, vbi Noſtra legit, vxorem; *illa,* concubinam; & *Septuaginta* meretricem *nominant: & vbi Vulgata habet,* quæ reliquit eum; *legit Hebr.* quæ fornicata eſt ſuper eum, *id eſt apud eum. Quare iuſto Dei iudicio turpiſſimo mortis genere interiit, & in quo deliquit, in eo & punita fuit, ſicut per Sapientem pronuntiatum fuit:* [e] Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.

[e] Sap. 11, 17.

Simili quidem pœnâ affectam video temporibus iſtis Iudæam & Ieruſalem, & ſimili ſupplicio vindicatam. Illa quidem deſponſata Deo, vt in Oſea loquitur Dominus; & frequenter in ſacris Litte-

Oſeæ 2, 19.20.

ris

ris coniugis & ſponſa Dei titulis inſignitur regio iſta: verùm ſtatus ſui immemor, ſpreto legitimo coniuge, abiit poſt amatores ſuos, fornicata cum illis, vt frequenter in Prophetis legimus. Sed enim amantiſſimus ſponſus, illius amore vulneratus, eius inſipientiæ compatiens, illam inſequitur, dulciſſimis verbis demulcet, & blanditiis hortatur, vt ad ipſum reuertatur; quoniam intaminatæ virginis loco eam habebit, vt pluribus apud Ieremiam explicatum habes: [a] Tu fornicata es cum amatoribus multis, *dicit illi Dominus*, tamen reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te. Ergo ſaltem amodò voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es. *Et alibi:* [b] Reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te. *Annuit aliquando: quia nonnulli Iudæorum ſubinde receperunt Chriſtum, & vt* [c] *Prophetam & Regem habebant: verùm in eius ſequela non continuauit, ſed apertè, ſpreto naturali Rege Chriſto, præ* [d] *extero Cæſare, illum morte dignum iudicauit. Quare meritò, illius exigentibus demeritis, polluta, proſtituta, & in immunditiis ipſis defecit, & velut in partes duodecim eſt diſtributa: nam Iudæi, velut illius partes,* [e] *in vniuerſum orbem, per omnes pænè Chriſtianorum plagas, velut meretricis fruſta diuiſi ſunt & diſperſi, vt, quod alias per Prophetas prædictum, nunc impletum cernamus. Idq; eo potiſſimùm fine, vt intelligerent fideles, & in primis Chriſtiani Principes, arma ſe taperè debere, vt non dicam de vna tribu, ſed de tota gente Mahumetica, quæ miſerandam Iudææ ſponſæ Dei deſolationem operata eſt, vindictam ſumant, & eam penitus de medio tollant, vt de Beniamitica tribus alia fecerunt, propter mortem vxori illius Leuitæ turpiter illatam.*

[a] Ier. 3, 1. 4.
[b] Cant. 6, 12.
[c] Ioan. 6, 14. 15.
[d] Ioan. 19, 12.
[e] Deut. 28. Pſal. 51.

Sed prô dolor! inſcriptio illa verè addita eſt illi hiſtoriæ: [f] Non eſt qui recogitet; *quam tantò veriorem credimus, quantò conceptioribus verbis eam teſtatam reliquit Euangelicus Vates Iſaias,* Et non eſt qui recogitet in corde ſuo ſuper contritione dilectæ à Deo ſponſæ.

[f] Iſa. 57, 1

Sed quid accidit? Quod in alia hiſtoria, cuius meminit S. Lucas, [g] *quam afflicta mulier à ſiniſtro latere habet, præfiguratur. Vides ibi ex vna parte diuitem illum, & Abrahæ filium fidei profeſſione, byſſo & purpurâ veſtitum, ad menſam cum helluonibus, detractoribus & meretricibus quotidie epulantem, & deliciis incumbentem: ex altera verò mendicum illum Lazarum vlceribus plenum, fame tabeſcentem, cupientem ſaturari, non quidem de lautiſſimis cibis, &*

Epulonis hiſtoria declaratur.
[g] Luc. 16, 19. 20.

exqui-

exquisitißimis vinis, regiæ illius mensæ, sed de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, quas canes ipsi conculcabant: verùm, ô crudelitas! nemo illi dabat. *Ita Iudæa nostra, velut alter Lazarus, pauper, famelica, vulneribus & afflictionibus plena, saturari cupit, non de opulentißimis reditibus, non de magnis diuitiis Christianorum Principum; sed de micis quæ cadunt de illorum regiis & lautißimis mensis, de his quæ ex purpura, byßo, superbis ædificiis, & mensis omni ciborum genere refertis supersunt & superabundant, & quibus impinguantur, non egentes. Sed, heu! quis cogitaret?* & [a] quis credet auditui nostro, *bone Deus? quia in iis adeò profusi sunt, & intenti naniis, & suis propriis commodis vacantes, vt non cogitent: itáque verè sit illa inscriptio apposita, ex sacro Textu:* [b] Et nemo illi dabat.

[a] Isa. 53. 1.

[b] Luc. 16. 21.

Et vtinam Ieroßolymæ nostræ, ac totius Terræ sanctæ status deterioris non esset conditionis quàm huius mendici, vt de facto deterior comprobatur. Ille namque accessum habuit ad diuitis domum, iacebat ad illius fores, vlceribus & inopiâ suam manifestabat calamitatem; quod Iudææ non datur: etenim ne illius miseriarum aspectu contristentur Principes, & clamoribus moueantur ad compatiendum, & subueniendum, ad illorum aulas accessus & clamor ipsi interdicitur; & aditu prohibentur qui pro illius salute, honore Dei, & ipsorummet Principum commodo auxilium implorarent, vt prohiberi experientiâ edocemur: atque magnum satisq; censetur, si eleëmosynis, ne penitus deficiat, sustentetur, etsi (redemptione neglectâ) piâ sustentatione illius pœna diutiùs prorogetur. Nostræ ergo accidit Ieroßolymæ, vt leprâ pestilentiáve laborantibus, quibus à longè modicum porrigitur subsidium, ne deficiant: sed dum nullus ad curandum ob infectionis timorem accedit, pio illo subßdio fit languentium pœna productior: ita Ieroßolymæ pœna producitur, dum ob mundanos timores illius redemptio & salus contemnitur, & eleëmosynis ad illam quidem necessariò (ne illius scintilla penitus extinguatur) transmittendis alitur.

Quòd si pauperculo homuncioni credere quis renuat, non abnuat saltem assensum præbere his, quæ propriis oculis quotidie cernimus. An non iam Iudæa, velut mulier infamis, omni decore & ornamento spoliata, prostrata & desolata iacet? vbi virgines, vbi frequentia Sacerdotum, vbi Christiani Præsules? an non virgines, non dico squalidæ, sed extinctæ? non sine rubore & lacrymis scribo (Deum testem inuoco) sacri Sanctimonialium conuentus, nónne

nónne in ſpurciſſima meretricum lupanaria ſunt conuerſi? & ſacræ virginum Eccleſiæ, olim virginum Virgini, & ſanctiſſimæ Dei Matri dicatæ, nónne in Turcarum impuras Meſquitas ſunt tranſmutatæ? ibi non frequentia, ſed defectus Sacerdotum: & ferè, maximo fidelium numero conſiderato, ſedet ſola, & non eſt qui veniat ad ſolemnitatem. & hoc ex defectu Zeli honoris diuini in Chriſtianis Principibus: quia occupatur tyrannicè à Turca Chriſtiani nominis hoſte; dum illi ſuis commodis noxiiſq; diſſidiis occupantur. Et in hoc totius negotij ſumma conſiſtit..

Hæc non dixi, vt aliquam inconſiderationis impietatíſve notam fidelibus, & in primis Chriſtianis Principibus, inuram, quos ſupplex, vt Dei in terris vicem ſupplentes, veneror & adoro: ſed quia fieri non poteſt, vt, quæ vidi & audiui, non loquar; accenſus præſertim Zelo religionis, & amore quo Iudæam proſequor matrem, & Chriſtianos Principes patres; dum illius video nuditatem, vellem eam proprio pallio versâ facie operire, vt olim [a] *Sem & Iapheth parentis Noë verenda operuerunt, pallio in humeris ſuis impoſito,* & incedentes retrorſum, & *faciebus auerſis,* patris virilia non viderunt, *vt loquitur Scriptura. Et dum horum, dicámne inconſiderationem, neſcio (mihi quæſo ignoſcant) attendo, vereor ne illis immineat ſeuera Dei vindicta: quam vt declinent, obſecro, pio operi & neceſſariæ ſubuentioni ſe accingant; quam ſi negligant, proculdubio, vel in præſenti, vel in futura vita caſtigabuntur.*

[a] Gen. 9. 23.

Nec illa admittetur excuſatio: Fuit Iudæa & Ieruſalem Deo ſuo velut mulier rebellis, adultera & meretrix; quare meritò tot ſuſtinet pœnas, & in ipſis manet, nec de eius ſubuentione curandum: quia ſi Deus contemnit, quis auxiliabitur? Sed væ, & iterùm væ, dico tibi; [b] *ſi ſpernes,* & ipſe ſperneris. *Vt adultera & meretrix derelinquenda & ſpernenda eſt; & quia talis fuit, memoratas pœnas ſuſtinet: ſed, quia ſponſa Dei, & eius diuinis muneribus ſacrata, & mater noſtra eſt, illius honori pro viribus conſulendum. Coniux illa Leuitæ iuſtè mortem, quam memorauimus, luit, & in fruſta eſt diuiſa, quoniam adultera abiit poſt alios viros: tamen quia Leuitæ vxor, & actio illa Gabaonitarum turpiſſima fuit, hinc ad illius iuſtam punitionem & vindictam concurrit Dominus, ferè totâ illâ tribu, ex qua impiiſſimi illi homines proceſſerunt, exterminatâ. Ita nunc Iudæa iuſtas ſuorum ſcelerum pœnas exſoluit; nihilominùs quia Deo deſponſata fuit, pro illius vindicta auxiliabitur Dominus Chriſtianis Principibus, ſi arma pro delenda Mahometica ſecta ca-*

[b] Iſa. 33, 1

* * *

pere

pere ſtatuerint, quæ Iudæam noſtram Dei ſponſam, vilem & abiectam facit. Regum & Principum vxores, quoquo modo ab ipſis deſerantur, etſi aliquæ, exiſtentibus demeritis, grauiter à maritis puniantur; omnes tamen ab exteris æſtimantur & honorantur, quia Regum fuêre coniuges; & oppoſitum facere, nefas cenſetur. Fuit Dauidi Regi (vt exempla noſtris temporibus viſa omittamus) vxor quædam Sunamitis, nomine Abiſag, quæ nonniſi per ipſius mortem ab eo fuit diuiſa: hanc cùm Adonias [a] *filius Dauidis, eius pulchritudine illectus, ſibi in vxorem à Salomone poſtulaſſet; adeò hanc illius petitionem moleſtè tulit Salomon, & tam enorme facinus arbitratus eſt, eam quæ fuerat vxor Regis alteri copulari, vt iuſſerit Adoniam Dauidis filium & fratrem ſuum occidi, vt dicitur 3. Reg. Et impia illa Iezabel interfectrix Prophetarum, & quæ multum ſanguinis innoxij fudit, fuit omnibus afficienda ſuppliciis; & mortua, nullo honore digna, proïcienda vt ſtercus ſuper faciem terræ: verùm quia vxor Regis Achab, & Regis filia, Iehu illam ſepeliri iuſſit. Et Dauid vir ſanctiſſimus, & ſecundùm cor Dei, iuſſit illum occidi, qui nuntiauerat ei, ſe Saulem hoſtem eius infenſiſſimum, virum à Deo reprobatum, interfeciſſe, quia chriſtus & vnctus Domini erat. Honeſtum igitur & iuſtum iudicabit quis, pro derelicta haberi terram illam, quam* IESVS CHRISTVS *Dei & hominis Filius proprio fuſo ſanguine deliniuit & conſecrauit? Non ſanè, quia Chriſti eſt ſponſa, eius redempta & conſecrata ſanguine; ſed in æternum ea honoranda & veneranda, vt ipſemet offenſus Deus eam diligit. Eleganti oratione explicuit hæc Vrbanus II. habitâ in Claromontano Concilio, vt videre eſt apud* [d] *Guilelmum Tyrium; & nos Libro* II. * *referemus.*

Quare hinc inde vides ſanctos Patres, & illorum filios, quibus poſſeſſio illius Terræ promiſſa & tradita fuit: Abraham & fideles alios ex vna, & ex altera parte Seraphicum Patrem noſtrum ſanctum Franciſcum, & Fratres eius, eleuatis manibus, & verſis ad Deum vultibus, pro illius ſalute humiles preces fundentes. De illius enim poſſeſſione Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini eius, *id eſt S. Franciſco, vt dicitur ad* [e] *Galat. 3. filiis verò eorum conceſſa & tradita, id eſt fidelibus Chriſtianis, & ſingulariter Franciſcanis Fratribus, vt, Deo fauente, alibi explicabitur. Ideò pro illius recuperatione gementes, genibus flexis dicunt:* [f] Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hereditatem tuam in opprobrium, &c. [g] Memor eſto opprobrij ſeruorum tuorum.

[a] 3. Reg. 2, 17.

[b] 4. Reg. 9, 33.

[c] 2. Reg. 1, 15.

[d] Lib. 4. Bel. ſacri c. 15.

*In Conſtit. Pontific.

[e] Galat. 3, 16.

[f] Ioël. 2, 17.

[g] Pſal. 88, 51.

rum. &, [a] Vide Domine, quoniam tribulor. [b] Exurge Domine, iudica cauſam tuam. *& ſimiles preces. vtq; de ingratis filiis, qui non operiunt nuditatem matris ſuæ, & de hoſtibus qui eam conculcant, ſumat vindictam. Quibus non ſurdas, ſed attentas aures exhibet Dominus, ſeq; iudicaturum promittit.* Ego iudicabo, *reſpondet omnipotens Dominus, in ſolio Maieſtatis ſuæ reſidens.*

[a] Thren. 1,20.
[b] Eccleſia in quadam Añia Fer. v. in Cœna Domini.

Audeo dicere, quæcumqae in prototypo & ſimulacro Terræ ſanctæ delineata cernuntur, petere à Deo, vel de Iudææ hoſtibus vindictam; vel de illius ſalutem & nuditatem ſpernentibus, punitionem. Deum excipio, in ſummitate ſimulacri exiſtentem, culpæ vltorem: cetera pœnam & culpam, & merita Sanctorum indicant, propter quæ viſcera miſericordiæ Dei noſtri excitantur, vt viſitet Oriens ex alto, vt ſubleuet à pœna, & de culpa ſumat vindictam. Talis eſt horum conditio. & pro explicatione vnicum profero exemplum è ſacra Geneſi depromptum. Videns Deus miſerandam vniuerſæ terræ per aquas diluuij ſtragem, & holocauſta meritaq; S. Noë, ſtatuit non amplius aquas diluuij ſuper terram mittere, & iterùm fecundam & habitatam reddidit. Sic enim poſt diluuij deſcriptionem, & finem egreſſumq; Noë cum animalibus de Arca, refert Moyſes: [c] Ædificauit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare. Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis, & ait ad eum: Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines. Senſus enim & cogitatio humani cordis, in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua: non igitur percutiam omnem animam viuentem ſicut feci. *At & eiuſdem mundi culpam Deum excitaſſe ad vindictam de illo ſumendam, habes eodem loco cap. 6. hiſce verbis:* [d] Videns Deus quòd cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, Delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ.

[c] Gen. 8, 20 21.
[d] Gen. 6, 5.

Eadem nunc conſidera in noſtro Terræ ſanctæ ſimulacro: pœnam in nuda muliere; culpam in Gabaonitis, & diuite, hinc inde deſcriptis: merita Sanctorum habes in ſupplicantibus maximis illis Patriarchis, Abraham, Franciſco, & horum filijs ſuperiùs deſcriptis. Clamat dolentis mulieris [e] cor ad Dominum ſuper muros filiæ Sion: *deducit* quaſi torrentem lacrymas, per diem & noctem: non dant requiem *ei*, neque tacet pupilla oculi *eius*; & [f] Sion mater noſtra omni triſtitia contriſta-

[e] Thren. 2,18.
[f] 4. Eſdr. 10,7.

tur, & humilitate humiliata eſt, & luget validiſſimè. *Quare ſi Dominus, antequam illam ſibi deſponſaret, tranſiens per eam, & videns deſolatam & nudam, iacentem in ſanguine ſuo, eius miſertus eſt; non eidem compatietur, poſtquam iam ſibi eam in vxorem annulo fidei copulauit? Et ſi verum eſt quod ſcriptum reliquit Eccleſiaſticus:* [a] Lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducentem eas. A maxilla enim aſcendunt vſque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis. *erítne credibile, dolentes lacrymas illius, quæ vxor eius fuit, quibus loco panis veſcitur die ac nocte, non aſcenſuras in conſpectum eius?* [b] *Orationem & lacrymam vnam Ezechiæ Regis Iuda audiuit & vidit Dominus, & à morte illum liberauit, ſed & addidit diebus ipſius quindecim annos, & de manu Regis Aſſyriorum liberauit eum; & propter eumdem, ciuitatem Ieruſalem protexit, vt dicitur 4. Reg. & non exaudiet multorum orationes? non videbit fontes lacrymarum dilectæ ſuæ, & eam à malo non liberabit? Abſit hoc ſuſpicari de miſericordiarum parente, & dilectiſſimo ſponſo. Sed deſcendet Dominus, quoniam clamor peccatorum aſcendit ad aures eius, luxus, feritas & crudelitas; & iudicium faciet ſine miſericordia iis qui non faciunt miſericordiam. Deſcendet, inquam, Dominus in maieſtate cum Angelis ſuis in Iudicis habitu, & librum ſeptem ſigillis ſignatum, qui abſconditum myſterium continet, & tranſgreſſionem plurium, ad quæ fidèles, præſertim Principes, tenentur, aperiet, & iudicabit ſecundùm ea quæ in libro inuenta erunt. Acceptoq; tempore, ſi iuſtitias, an non iniuſtitias iudicabit? Si verbum Domini manet in æternum, & ipſe ore proprio teſtatur,* [c] Ego iudicabo; *iudicabit ſanè,* [d] & reddet vltionem hoſtibus *ſuis,* & retribuet his qui oderunt *eam.*

[a] Eccli. 35, 18.

[b] 4. Reg 20, 5. 6.

[c] Ier. 51, 36.

[d] Deut. 32, 41.

Et Chriſtus ad D. Birgittam, Chriſtianorum Principum ſocordiâ, & modico feruoris ſpiritu reprehenſo, quòd eius Paſſionis myſteria non contemplentur, & miſericordiæ oculis loca ſancta non reſpiciant; rigidum de ipſis iudicium ſumpturum ſe, ſequentibus verbis conteſtatur: Hæc enim quæ vidiſti nunc, & alia quæ ego ſuſtinui, Principes mundi non attendunt, nec etiam loca conſiderant, in quibus ego natus ſum & paſſus: quia ipſi ſimiles ſunt homini habenti locum deſignatum pro beſtiis & feris indomitis, in quem dimittens canes venaticos, delectatur in aſpiciendo curſum canum & ferarum. Sic perſimiles Principes terræ, & Prælati Eccleſiarum, & omnes

In Reuelat. lib. 7. cap. 16.

omnes ſtatus mundi, auidiùs & libentiùs aſpiciunt delectamenta terrena, quàm mortem & paſſionem meam, & vulnera mea. Ideò mittam eis adhuc per te verba mea: qui niſi mutauerint corda ſua, & ea conuerterint ad me; condemnabuntur cum illis qui partiti ſunt veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Et tandem, In die illa, *vt dixit per quemdam Vatem*, ſuſcitabit tabernaculum Dauid quod cecidit: & reædificabit aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant inſtaurabit, & reædificabit illud, ſicut in diebus antiquis. *Myſterium tamen eſt abſconditum, & liber iudiciorum Dei ſigillis ſeptem obſignatus. Vtinam illius, qui periit, decor, ſplendor, dignitas reuiuiſcat: &, quemadmodum herba nonnulla pedibus conculcatæ, quæ ſuam amiſerunt pulchritudinem & viriditatem, adueniente cæleſti rore eriguntur, & priori formæ reſtituuntur; ita Iudæa & Ieruſalem ab ignominia qua nunc confunditur, liberetur, veniat ſuper eam ros cæleſtis auxilij, Dominus protegat eam, vt ædificetur templum nomini eius, & habitemus in laude ipſius. Et ego cum aliis ex ſemine illius, cui de Terra hac ſancta dicta ſunt repromiſſiones, toto cordis affectu, ad Deum conuerſus, dicam, quæ olim Nehemias pro templi Salomonici & ſanctæ ciuitatis Ieruſalem inſtauratione dixit:* Quæſo, Domine Deus cæli fortis, magne atque terribilis, qui cuſtodis pactum & miſericordiam cum his qui te diligunt, & cuſtodiunt mandata tua: fiant aures tuæ auſcultantes, & oculi tui aperti, vt audias orationem ſerui tui, quam ego oro coram te hodie, nocte & die, pro filiis Iſraël ſeruis tuis: & confiteor pro peccatis filiorum Iſraël, quibus peccauerunt tibi: ego & domus patris mei peccauimus; vanitate ſeducti ſumus, & non cuſtodiuimus mandatum tuum, & cæremonias, & iudicia, quæ præcepiſti Moyſi famulo tuo. Memento verbi, quod mandaſti Moyſi ſeruo tuo, dicens: Cùm tranſgreſſi fueritis, ego diſpergam vos in populos: & ſi reuertamini ad me, & cuſtodiatis præcepta mea, & faciatis ea; etiamſi abducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos, & reducam in locum, quem elegi, vt habitaret nomen meum ibi. Et ipſi ſerui tui, & populus tuus: quos redemiſti in fortitudine tua magna, & in manu tua valida. Obſecro Domine, ſit auris tua attendens ad orationem ſerui tui,

Amos 9, 11.

2. Eſd. 1, 5.

& ad orationem ſeruorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum: *& diſperge eos, & confunde eos, qui aduerſantur tibi, blaſphemant nomen ſanctum tuum, & captiuam tenent matrem noſtram: quam de anguſtiis & ignominiis libera, miſericordiarum parens.*

Vos, ô fideles, demum alloquor, & in primis Chriſtianos Præſules, & inclytos Principes, & in vniuerſum omnes filios Abraha &
*Galat.4, 22. 29. *Ieruſalem, *ſecundùm repromiſſionem & ſpiritualem legem, & inclamo vobis: Miſeremini ſaltem vos matris veſtræ, ne confundatis faciem eius, operite nuditatem & ignominiam eius, vt vos æternam confuſionem, nuditatem maledictionemq; fugiatis; operiantur peccata veſtra, & non ſit confuſio nuditati veſtræ, ſed in præſenti & futuro ſæculo benedictionibus repleamini: quod proculdubio fiet, ſi illud præſtabitis. Vt enim Noë benedixit Sem & Iapheth filios ſuos, quoniam operuerunt nuditatem eius; Cham autem tertium filium maledixit, quoniam ſpreuit nudum, & illius pudenda aliis impudenter & inuerecundè monſtrauit: ita maledicet Dominus contemptores noſtræ huius matris. Optimè verò quadrant his ea quæ contra Niniuen per Nahum Prophetam dicit Dominus*
Nahum 3,5.6. *exercituum:* Et reuelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, & proijciam ſuper te abominationes, & contumeliis te afficiam, & ponam te in exemplum. *Replebit autem benedictionibus eos, qui eius honori quomodocumque poſſunt, conſulunt. De quorum numero nos eſſe faciat pro ſua miſericordia* IESVS CHRISTVS, *Dei & hominis Filius, qui Terram ſanctam propriâ præſentiâ honorare, & pretioſo Sanguine ſuo ſanctificare dignatus eſt.*

PRÆFA-

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

PERDIFFICILEM, sed vtilem aggressus sum prouinciam, pie ac studiosè Lector, tractare de Locis sanctis Terræ promissionis, quæ in nostra hac misera temporum conditione à variis gentibus visitari consueuerunt. Perdifficilem prouinciam, dixi: quia, cùm dicat Sapiens in suo Ecclesiaste, *Cuncta res difficiles, non potest eas homo explicare sermone*; difficillima certè erunt, quæ de sanctis Palæstinæ locis circumferuntur; tum quòd multa ex sacra Scriptura accepta, in eorum explicatione assumuntur, tum propter multiplicem locorum sanctorum mutationem (adeò enim ea mutata nouimus, vt nec pristinæ formæ vestigium, non dico pulchritudinem & candorem, seruare videantur; imò plurium nec reliquiæ, imò ne memoria quidem remansit in mentibus hominum) tum denique propter dissentientes sententias Auctorum qui de ipsis scripserunt. Nec mirum, omnes inter se minimè conuenire: etenim scripserunt alij, vt viderunt; alij, vt audierunt: & illi aliquando non diligenter aduerterunt, sed tamquam cursores præterierunt; quare à se ipsis visa, diligenter & fideliter scriptis consignare non potuerunt. Alij, qui maiori diligentiâ adnotata scripserunt, sæpè inter se dissentiunt, propter locorum ex temporum mutabilitate varietatem. Isti verò, qui videlicet in Terra sancta non fuerunt, falsa, vana & dubia ediderunt, vera & solida prætereuntes: & plerumque istarum partium de Locis sanctis traditiones, nonnumquam varias, non conferentes cum sacra Scriptura, ratione, & dictis Scriptorum veterum, qui accuratiùs, & in statu perfectiori scrutati sunt loca sancta, & veteres de ipsis traditiones, quàm viderint vel audierint recentiores; ac consequenter veraciùs ponderosiusque scripserunt, quàm isti, qui subinde, vera & solida prætermittentes characteribus aureis conscribenda, eorum loco dubia, non firma, & sæpiùs apertè falsa, rationi & ipsi sacræ Scripturæ contraria, & à mentibus hominum penitus eliminanda obtruserunt, vti in aliquorum locorum explicatione suo loco apparebit. Quare in tanta varietate & perplexitate, non leue & facile opus assumit, sed graue ac difficile, qui verè ac firmiter de Locis sanctis & eorum traditionibus loqui intendit, vel saltem quæ communiter enuntiantur ab ea inhabitantibus, probabili ratione (sufficienti auctoritate deficiente) elucidare, vt nos, Dei freti auxilio, præstare intendimus.

Eccle. 1, 8

Verùm etsi tractatio ista difficilis sit, valdè tamen vtilis & fructuosa erit. Etenim ita videtur naturâ comparatum, vt quò aliqua difficiliora sunt, eò vtiliora, pulchriora iucundioraque deprehendantur. An non Philosophicæ ac

Theologicæ diſciplinæ, liberalibus artibus longè difficiliores ſunt? Iſtæ enim illis ſupponuntur; atque, non vt illæ, à rudioribus, & parum exercitatis eleuatisque ingeniis apprehenduntur: ſed quantum illæ iſtas excellentiâ, dignitate, iucunditate & vtilitate ſuperent, tamquam rem omnibus compertam ſupponimus. Ita & hiſtoria de Locis ſanctis, quæ plurium ſupponit cognitionem, difficilis quidem eſt; at vtilitatem & iucunditatem magnam coniunctam habet: quia ſanctorum locorum cognitio plurimùm conducit, tum ad alia, tum ad ſacræ Scripturæ intelligentiam, omnibus quidem, ſed præſertim Eccleſiaſticis viris perneceſſariam. Cùm enim hiſtoriæ veritas fundamentum ſit & fidei & intelligentiæ ſpiritalis, rerum autem geſtarum hiſtoria abſque locorum cognitione cæca ſit; eorum verò cognitio multum lucis, tum hiſtoricæ veritati, tum ſpirituali eius interpretationi præbeat; vt auctor eſt S. Hieronymus, & * D. Gregorius dixit, *ad hoc, vt quis diuina myſteria percipere & veraciter oſtendere valeat, opus eſſe, vt priùs hiſtoriæ radicem figat, & pòſt, fructus ſpiritus per ſigna & allegorias proferat*: & cùm hæc ſine ſanctorum locorum cognitione haberi perfectè non poſſit; ideò hanc ad ſanctorum Bibliorum potiſſimùm, & contradictionum emergentium aliarumq; difficultatum intelligentiam, perneceſſariam dicimus. Quare verè & elegantèr dixit S. Hieronymus: *Quomodo Græcorum hiſtorias magis intelligunt, qui Athenas viderint; & tertium Virgilij librum, qui à Troade per Leucaten & Acroceraunia ad Siciliam, & inde ad oſtia Tiberis nauigauerint: ita ſanctam Scripturam lucidiùs intuebitur, qui Iudæam oculis contemplatus ſit, & antiquarum vrbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognouerit.* Ita S. Doctor.

Epiſt. 129. ad Dardan. Tom. 3.

*Hom. 2. in Ezech.

Ad Dominionem & Rogatianum Epiſt. 108. Tomo 3.

An non etiam viſio, & exacta locorum ſanctorum cognitio, ad memoriam reuocat quæ in eiſdem geſta fuêre? An non ad vtiliſſimas iucundiſſimaſq; meditationes argumentum præbet, quibus fidelis anima cæleſti ſpiritus pinguedine impinguatur, dilecto ſuo IESV vnitur, & in eius amorem accenditur & inflammatur? De beata inſignique illa Deo dilecta Paula Romana, ſcribit in illius Epitaphio S. Hieronymus, ipſam ægram & fatiſcentem, tanto tamen ardore ſingula Paſſionis Dominicæ veſtigia, Apoſtolorum, Martyrum, & veteris Teſtamenti Patrum, tum ipſius B. Virginis percurriſſe, in eorum contemplatione tanto gaudio perfuſam, tanta ſuauitate delinitam, vt illa quaſi coràm oculis cernere & complecti videretur: etenim quotieſcumq; antrum ſiue ſpeluncam Dominicæ Natiuitatis intrabat, *Me audiente* (inquit S. Doctor) *iurabat, cernere ſe oculis fidei, infantem pannis inuolutum, vagientem in præſepi Dominum, Magos adorantes, ſtellam fulgentem deſuper, Matrem Virginem, Nutritium ſedulum, paſtores nocte venientes, vt viderent Verbum quod factum erat; & iam tunc Euangeliſtæ Ioannis principium dedicarent: In principio erat Verbum, & Verbum caro factum eſt. Paruulos interfectos, Herodem ſæuientem, Ioſeph & Mariam fugientes in Ægyptum*, &c. Et illuſtriſſima hæc Matrona de ſe & Euſtochio virgine, eius ſecundùm carnem & ſpiritum filia, in ea Epiſtola, quam harum nomine ad Marcellam ſcripſit idem S. Hieronymus, quæ ſibi in ſanctorum locorum viſitatione occurrebant referans, dixit: *Quotieſcumque Sepulchrum ingredimur, toties iacere in ſindone cernimus Saluatorem; & paululùm ibidem commorantes, rurſum videmus Angelum ſedere ad pedes eius, & ad caput ſudarium*

Lege etiam eiuſdem Prolog. Gal. ad Paulin.

Hier. in Epitaph. Paulæ ad Euſtoch.

Epiſt. 17. Tom. 1.

darium coniuolutum: Quod idem, cum Dei auxilio, illis eueniet, qui vel illa loca ſacratiſſima diligenter pieque viſitabunt, vel minori cum labore ea ſibi ante oculos ſubijcient, vt deſcripta & elucidata ſunt à fide dignis, qui viderunt, & diligenti indagine conſiderarunt. Ex hac conſideratione mens contemplationi aſſueta, vberrimos, ex Chriſti & Sanctorum meritis, fructus colliget, & mundo mortua, at viuens Chriſto, accendetur in amorem & acquiſitionem illius Terræ viuentium, quæ Beatorum habitatio eſt & hereditas, quam noſtra promiſſionis Terra præfigurat.

Ad hæc, Deo Reparatori noſtro rem faciemus acceptiſſimam, nec ingrati animi vitio notabimur, gratiam fideiuſſoris noſtri obliuiſcendo, qui dedit pro nobis animam ſuam: ſed grati & memores inuenti, ſemper ad beneficia continuò recipienda diſpoſiti erimus. Dum Ioſue cum ſibi commiſſo po- Ioſ.4,20.
pulo terram promiſſionis ingrederetur, duodecim poni iuſſit lapides in medio Iordanis alueo, quem ſiccis pedibus pertranſiuit. Cumque amnem iam pertranſiſſet, & cum populo repromiſſam Patribus terram ingreſſus eſſet, alios duodecim è fluuio acceptos, iuſſu Domini collocari mandauit in Galgalis, vbi primò caſtrametati ſunt filij Iſraël. Et ad quid? vt eſſent memoriale his, & poſteris ipſorum, quòd ſiccaſſet Dominus Iordanem ad tranſitum populi, quemadmodum Rubri maris aquas anteà ſiccauerat: vt tam ipſi, Exod.14.
quàm vniuerſi terrarum populi, mirabilia hæc audientes, fortiſſimam Do- 24.
mini manum addiſcerent, eum omni tempore timerent, acceptorumque ab eo beneficiorum memores exiſterent, vt Ioſue 4. dicitur. Quos lapides vſque ad tempora D. Hieronymi perduraſſe, & à S. Paula in Galgalis viſos, in huius Epitaphio idem Sanctus teſtatur. Ita Deus optimus maximus, poſt tot temporum reuolutiones, ad hæc vſque tempora voluit loca ſancta & ſacratos illos lapides conſeruari, qui perenne eſſent memoriale beneficiorum à Filio ipſius in nos collatorum: & quomodo, non vt quondam Hebræos ex Ægypti captiuitate erutos per mare Rubrum, & Iordanis fluuium, mirabiliter in materialem terram Chanaan introduxit; per rubrum pretioſiſſimi Sanguinis ſui mare, liberatos à dæmonis tyrannide, à peccato & morte, incolumes perduxit in terram promiſſionis Catholicæ Eccleſiæ, vt ad alteram viuentium & Beatorum glorioſos tandem admittat: vt cognitâ illius potentiâ & bonitate, eum timentes, faceremus eius voluntatem. Quare locorum Terræ ſanctæ cognitio admodum vtilis & perneceſſaria eſt, non tantùm ſacræ Scripturæ ſtudioſis, ſed vniuerſim omnibus fidelibus ad perfectionem contendentibus.

In primis verò noſtra hæc ſanctorum Locorum Elucidatio vtilis erit iis, qui ad Terram ſanctam proficiſcuntur, & in eadem commorantur: etenim, abſque aliorum librorum copia facili negotio in ea inuenient, quæ ad Locorum ſanctorum & eorumdem traditionum intelligentiam poſſunt deſiderari; & rationem poſcentibus reddere poterunt eorum, quæ de ipſis enuntiantur: etenim plurium laborem in hoc ipſe Opus congeſsi, præter propriam in adnotandis & explicandis his, quæ explicatione aliqua ac notatu vel confutatione digna videbantur, diligentiam.

Tracto autem de Locis ſanctis in genere, & in ſpecie; in vniuerſali, & in

particulari: non tamen de ſingulis, quorum in ſacris Litteris, vel apud Ioſephum Hebræum, & alios fit mentio: fuit enim mens mea, de illis dumtaxat agere, quæ oculis ipſe luſtraui & contemplatus fui, & quæ ab aliis communiter in noſtra hac miſera temporum conditione viſitari conſueuerunt: quæ autem accuratè, & vt quidem voluiſſem, non vidi, libenter prætermiſiſſem. Vt tamen opus euadat abſolutius, nec illorum deſideretur cognitio ab illa viſitantibus; etiam de ipſis agam, etſi non tam diffusè, ac de illis quæ ipſe perambulaui, & oculis hiſce perſpexi: agam, inquam, de iis, prout à fide dignis, qui ea diligenter conſiderarunt, accepi, & apud probatos Auctores inueni: vt enim verbis vtar D. Hieronymi, *numquam aut legere, aut doctos viros, quæ neſciebam, interrogare ceſſaui, aut meipſum magiſtrum habui*; in his præſertim, quæ in lucem eduntur. Et ferè eorum dumtaxat quæ tracto, memoria iam extat; quæ pænè omnia coràm vidi. De ſingulis autem Terræ ſanctæ locis tractarunt alij; & inter eos quidem quos videre contigit, ſatis accuratè Adrichomius in ſuo Terræ ſanctæ Theatro.

Ad Paulin.

Diſtinxi totum Opus, ob maiorem claritatem, & legentium commoditatem, in Tomos duos, & octo particulares Libros: quorum tres priores, primo, poſteriores quinque altero Tomo continentur. In primo primi Tomi libro ago de Terra ſancta in communi, in eoque multa ſcitu digna explico. In ſecundo, præmiſſis Summorum Pontificum litteris, orationibus, ac conſtitutionibus in gratiam Terræ ſanctæ editis, ſermonem facio de priuilegiis Terræ ſanctæ, & eiuſdem ſacris militaribus Ordinibus, deque expeditione pro illius recuperatione à fidelibus aſſumenda. In tertio diſſero de vtili ac meritoria ſanctorum locorum peregrinatione, à quibus, & quomodo aſſumenda ſit: de aſſenſu exhibendo iis quæ de ſanctis locis aſſeruntur, ac de eorumdem veneratione ac ſubuentione. In aliis verò quinque ſecundi Tomi libris, ſeorſim ſermonem inſtituo de ſingulis Terræ ſanctæ locis, & de nonnullis Ægypti, quæ noſtra hac tempeſtate à peregrinis viſitari conſueuerunt.

Argumentum totius Operis.

Et quoniam clarè, diſtinctè, &, quantum Deus dederit, veraciter ſcribere mihi propoſitum eſt; hinc difficultates varias pertracto: ex harum enim ſolutione veritas magis effulget. Sicuti enim aurum tantò magis rutilat, quantò tunſionibus & igne magis probatur: ita veritas, ſolutis argumentis contra eam adduci conſuetis, magis apparet. Nec mireris, ſi rem hiſtoricam interdum per quæſtiones diſputo ac trado: quia id magis neceſſitate impulſus, quàm voluntate motus, facio. Conſtat enim, dubia difficiliora, & magis obſcura, nonniſi opinionibus variis, & argumentis hinc inde adductis, dilucidari. Et ſanè innumeræ mihi, & non contemnendæ, non à communibus modò, ſed & à doctiſſimis viris propoſitæ fuerunt difficultates; quibus, vt muneri aſſumpto ſatisfacerem, pro poſſe fuit ſatisfaciendum: itaque & aliis videbor conſuluiſſe. Quare non mirum, ſi aliquando Hiſtorici, aliquando Theologi perſonam agam.

Et quia non ſum neſcius, duo inter homines eſſe, quæ magnam ad perſuadendum vim habent, rationem, & auctoritatem (ratio quippe lumine proprio, auctoritas nititur alieno: quod tantum abeſt, vt aliquid firmitatis ad fidem detrahat, vt potiùs multum addat: nam ſi iis, quæ à nobis ipſis

cognita

Digitized by Google

cognita ſunt, ideò aſſentimur, quia ingenio noſtro confidimus; multò magis illorum ingeniis nos confidere oportet, quos iudicio ac ſapientia præſtitiſſe nouimus, & nobis longè ſuperiores eſſe confitemur: quod tam in practicis quàm in ſpeculatiuis ſcientiis locum habet:) vtrumque certè nos in huius mixti argumenti pertractatione vſurpare par eſt.

Doctorum verò non ſolùm veterum, ſed etiam recentiorum, ſententias, quas videre potui, in medium adducam, cùm eorum qui loca ſancta ipſi viderunt, tum eorum qui non viderunt, vt, iuxta ſententiam Saluatoris, è theſauris Doctorum noua & vetera proferam. Inter eos, qui loca ſancta videMatth. 13, 52. In Reg. Iur. in 6. runt, quibuſque maior fides adhibenda eſt (plus enim creditur vni teſti oculato, quàm auritis decem, vt habetur in Iure) vtor in primis auctoritate ſanctiſſimi Patris, & Eccleſiæ Doctoris, Hieronymi, qui vt in omnibus, ita in his præſertim eſt verſatiſſimus, ob longam in partibus iſtis manſionem: ſiquidem quadraginta & eo ampliùs annis in Palæſtina commoratus eſt, eamque diligenti ſtudio conſiderauit, & ex omni parte cognouit; eo in primis tempore, quo loca ſancta in eodem ferè erant ſtatu, quo erant tempore Chriſti Domini, vel ſaltem non adeò deſtructa, vti poſterioribus temporibus, ac præſertim noſtris: & ſacram Scripturam, quæ de ipſis loquitur, & ad eorum cognitionem in primis eſt neceſſaria, inter ceteros optimè calluit. Quare ab vniuerſali Eccleſia, in ea explicanda, pro Doctore maximo agnitus eſt: ideoque paſsim illius libentiſsimè ſequor ſententiam; quam & aliis præfero, niſi prægnantiſsima ratio refragetur. Poſt eum magnæ auctoritatis cenſetur Brocardus Monachus in ſacris Litteris optimè verſatus, quique per decennium Terram ſanctam perluſtrauit, & quæ vidit, diligenter litteris conſignauit. Non omitto, quæ ſuo in libello de Perenni cultu Terræ ſanctæ ſcripſit Reuerendiſ. P. F. Bonifacius à Raguſio, vir doctrina & auctoritate celebris: fuit enim vir inſignis, & ex Fratribus de Obſeruantia in Concilio Tridentino Theologus, Apoſtolicus Prædicator, poſt Stagni Epiſcopus; quique non ſolùm Seraphici Ordinis auctoritate, ſed Summi Pontificis (quod ſingulare eſt) per nouem ipſos annos Guardianatus officio in ſancta ciuitate Ieruſalem magna cum laude functus eſt, locaque ſanctiſſima veneratus: nec pleroſque alios prætereo.

Ex Auctoribus verò qui non viderunt, nonnumquam Venerabilem Bedam & Adamnanum ipſum, pluries Chriſtianum Adrichomium conſului: qui ſuum Terræ ſanctæ Theatrum magna & peruigili diligentia, adhibitis potioribus Auctoribus qui de locis ſanctis ſcripſerunt, & eos qui viderunt accuratè conſulens, triginta annorum ſtudio concinnauit. Et quoniam veritas, ſi horum verbis vel ſimilibus explicatur, plus habet roboris & auctoritatis, quàm ſi noſtris explicetur; ideò libenter non ſolùm ipſa ſacræ Scripturæ, ſed etiam Doctorum propria verba in ſententia explicanda adſcribo: non enim commodiùs puriuſque, quàm ſacræ Scripturæ ſacrorumque Doctorum verbis, res ſacræ explicari poſſunt. Aliquando tamen, & quidem ſæpiùs, in ſententia, ne plus æquo eſſem longior, ſolum adduco Adrichomium, omiſſis Auctoribus quos ipſe citat, quia eos, ob inopiam, in fonte videre non potui. Et hoc, & melius, & laudabilius: vti & mel, quod ex alienis (ex floribus, inquam, quos floridis in viridariis & hortis inue-

Digitized by Google

inueniunt) apes conficiunt, præſtat telæ araneæ, quam illa ex propriis viſceribus contexit.

Affero præterea veterem traditionem, plurimi faciendam. Traditiones enim Eccleſiaſticas, quæ fidei præſertim non officiunt, ita obſeruandas docet D. Hieronymus, vt à maioribus traditæ ſunt. Traditionem ergo ſemper ſequor, explico, & defendo, niſi ratio vel vrgens auctoritas obſiſtat. Quæ fuit in cauſa, vt liber prolixior quàm volebam euaſerit. quod tamen nemini videri debet moleſtum : de iſto enim dicere poſſum, quod in fine libri de Doctrina Chriſtiana dixit S. Auguſtinus : *Longior euaſit liber hic quàm volebam, quamque putaueram: ſed legenti, vel audienti, cui gratus eſt, longus non eſt; cui autem longus eſt, per partes eum legat, qui habere vult cognitum.* Præſertim cùm veritatem amantibus, ſimpliciq; rerum narratione contentis, ſatisfactum hîc ſit; quia in quorumlibet locorum præſertim ſanctorum explicatione, primò de plano explico ea quæ initio capitum proponuntur : quibus deinde ſubiicio rationes & auctoritates, difficultatumq; ſolutiones: quibus materia quæ tractatur (ni fallor) pro ingenioli mei tenuitate non mediocriter explicata & elucidata relinquitur.

Ep. 28. ad Luciniũ Tom. 1.

Sed quid me ad prouinciam hanc, pluribus implicitam difficultatibus, meisque imparem viribus, ſuſcipiendam mouit? præſertim cùm plures tam Religioſi, quàm ſæculares, de hac ipſa materia ſcripſerint, & ex Ordine noſtro (ex quo probati doctique Fratres ad ſanctorum locorum gubernationem aſſumuntur) non pauci maiore & prudentia & ſapientia, & elegantiori ſtylo, id quod à me magna cum ſimplicitate, rudi ac ſimplici ſermone pertractatum eſt, pro dignitate tractare potuiſſent. An rudi hoc & impolito opere nomen meum celebrare intendi? Nequaquam: quia per hoc ipſum obſcuraretur potiùs. Plures quidem ſcripſiſſe de locis ſanctis, ſcio & dico; ſed an eo ordine & methodo quo ego, proceſſerint, neſcio. Nec mirandum, in hoc argumento me ſingularem methodum ſeruaſſe: quoniam quot capita, tot ſunt ſententiæ, & Spiritus vbi vult ſpirat; vni quidem ſic, alij autem aliter, prout tempus & occaſio poſtulat. Sic & ſacra Scriptura, & fidei dogmata, non ſemper vno eodemque modo explicata fuere, ſed vario : priùs plano, reſoluto & oratorio; poſteà, variis emergentibus difficultatibus & erroribus, per quæſtiones & ſcholaſticè diſcuſſa fuerunt. Nec poſteriorum eſt labor contemnendus, laudandus potiùs : vtilis eſt enim, & tempori accommodatus. Ita, etſi priores, qui de locis ſanctis ſcripſerunt, non dubitando, & ſcholaſticè (vt nos facimus) tractarint, quia occaſionem, vt nos, non habuerunt; ſi nec idem hiſce temporibus præſtiterint alij (quod equidem ſciam) ideò fuit, vel quòd illis in mentem non venit, quod mihi pauperculo Deus inſpirare dignatus eſt, vel quia aliis negotiis impediti fuere, vel denique quia animum aliis applicuerunt. Certum eſt enim, non eſſe omnium eamdem inclinationem, nec omnes ſimiliter ad idem à Deo inſpirari. Cùm itaque mihi hunc ſcribendi modum in Deus ſuggeſſerit, huic animum & vires applicui. In quo etſi ſimplicibus verbis procedo, non ideò culpandus ſum : nam quæ tracto, adeò pulchra & pretioſa ſunt, &, ni fallor, vera, vt non egeant externis fucis & adſciticiis ornamentis, qualem requirunt alia non item vera, & à ſuſpicione aliena; &, ſicuti aliis puellis ad thalamum Aſſueri Regis introducendis neceſſarius

ſarius erat muliebris cultus, quem Eſther egregia pulchritudine à natura dotata, ad eumdem Regem introducenda, non quæſiuit; quia *erat formoſa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa, & amabilis*; quam & ideò *adamauit Rex plus quàm omnes mulieres, habuitque gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius*: ita veritas pulchritudine à Deo acceptâ contenta, alios fucos & ornamenta non ambit, ſola ſe prodit omnibus amabilis & ſuauis. vnde Seneca: *Quæ veritati operam dat oratio, incompoſita debet eſſe & ſimplex.* Dat quiſque quod habet; nos ex agello noſtro tenues florum manipulos damus; dabunt ditiores integra viridaria. *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei*, inquit Apoſtolorum Princeps. Et ſi magni æſtimantur, & fidem inueniunt illi qui de locis ſanctis ſcripſerunt, nec tamen ea viderunt; vel ſi viderint, curſim, obiter & non accuratè, vel ab aliis vtcumque relata, retulerunt; egóne reprehenſionem verear, fidemque non meręar, ſi, quæ diligenter oculis meis non ſemel, ſed pluries aliquot per annos obſeruaui, quibus in Terra ſancta manſi, & ex aliis in his partibus verſatiſſimis accepi, litteris conſignabo? Verum enim eſt quod dicit S. Hieronymus: *Multò plus intelligitur quod oculis videtur, quàm quod aure percipitur.*

Eſther 2, 15. & 17.

Epiſt. 40.

1. Pet. 4, 10.

Ad Fabiolam de Veſt. Sacerd.

His accedit, quòd, cùm Mediolano diſcederem, vt ſanctam Ieroſolymorum peregrinationem aſſumerem, reuerentiæ gratiâ adierim Reuerendiſs. Georgium Odeſcalcum Vigleuani Epiſcopum, tunc Mediolani exiſtentem, qui me coràm ſeriò adhortatus fuit, vt Opuſculum quoddam de Locis ſanctis conficerem, in quo loca ſancta geographicè delinearem, & illorum hiſtoriam referrem, adnotando ea quæ in ipſis patrata eſſe ſacra docet Scriptura, ſimulque ad legentium pietatem magis excitandam, ſpirituales aliquas conſiderationes addendo. Mecum ergo cogitans, quomodo huic tanto Præſuli ex parte ſatisfacerem, cùm artis delineatoriæ imperitus loca ſancta & ipſorum ruinas geographicè delineare non poſſem; exiſtimaui, meliùs me ei morem geſturum, ſi loca ſancta ſtudioſiùs enuclearem, & ab aliis prætermiſſa adderem. Tabulas itaque pro maiori parte prætermiſi, quòd alij accuratè illas exhibuerint, quæ fortè ad illius Antiſtitis manus non venerunt, & inter alios, quos viderim, Chriſtianus Adrichomius, Fr. Bernardinus Amicus Minorita, & Ioannes Zeullardus Eques ſancti Sepulchri. Curaui tamen nouas aliquot inſeri, & veteres nonnullas corrigi; maximè eas, quas, ſecunda vice ex obedientia Superiorum in Terram ſanctam miſſus, aliqua correctione & additione opus habere deprehendi: itaque non pauca tunc à me ſunt emendata, & alia de nouo addita; etſi pauciora quàm voluiſſem, quòd aliis negotiis diſtinerer.

Ad hæc, cùm ad Terram ſanctam poſt multa pericula (à quibus ſingulari Dei gratiâ erutus fui) iam peruenisſem, multaque ibi inueſtigaſſem, & inueſtigata cum aliis contuliſſem; comperi plura ſcitu digniſſima vel ab aliis prætermiſſa, vel non (vt par erat) pertractata; vel quòd ea peregrini ſatis non expenderint & examinarint, vel quòd præ temporis defectu ea conſiderare non potuerint: quare pro ſolidis atque obſeruatione dignis, nonniſi fabellas, falſa miracula, & futilia ediderunt. A quibus ipſe prorſus abſtineo, nonniſi

quæ

quæ notatu digna deprehendi, referens: non enim mendaciis illuſtrari loca ſancta debent, nec ad ſui commendationem falſis fabellis indigent. Si quæ autem huiuſmodi aliquando adduco, non alio ea fine adducta noris, quàm vt reiiciam, & ita veritatem ſtabiliam. Quare inquirendæ & explicandæ veritatis ſtudium potiſſimùm propoſitum mihi fuit; harum partium traditiones cum Scriptura ſacra conferre, eaſdemque, vbi de illis loquìtur, comprobare, atque ratione, vel probabili ſaltem congruentiâ, præſertim ſi ſufficiens auctoritas deſit, explicare: etenim ſingula quæ non proſunt, ſimul collecta iuuant. Contuli quoq; omnia ferè cum viris doctis in hiſtoria locorum Terræ ſanctæ maximè verſatis; quod pluribus aliis, qui de eiſdem locis ſcripſerunt, minimè conceſſum fuit. Idque propter curioſos, non ſolùm hæreticos ad has partes venientes, ſed etiam Catholicos, qui ſimplici traditione non contenti, maiorem eorum, quæ de locis ſanctis communiter aſſeruntur, requirunt euidentiam: ne ſcilicet illi ſupercilium erigant, &, vt aſſolent, omnes traditiones contemnant, quaſi nec ratione nec auctoritate nitantur; propter Catholicos autem illa loca adeuntes, placuit rationes, auctoritates, dubiorum ſolutiones addere. Denique vt ex parte prodeſſem Chriſti fidelibus, & ad maiorem Dei gloriam, aliis relictis occupationibus, pro ſolatio ſanctos libros haberem, loca ſancta, & quæ in ipſis patrata fuerunt, animo verſarem, ac fidelibus quanti facienda ſint loca ſancta, perſuaderem, eoſq; ad laudabilem ac meritoriam peregrinationem, quam alij difficultatibus propoſitis diſſuaſerunt, aſſumendam animarem.

Addidiſſem (vt cœperam) ſpirituales conſiderationes, illius Præſulis conſilium ſecutus; verùm temporis librorumque inopiâ, & aliis præpeditus, & quia opus nimiùm excreuiſſet, & quòd eas apud alios, qui vitam Saluatoris & alias meditationes conſcripſerunt, facilè ſit inuenire, ſtudio illas omiſi: quas tamen, Deo fauente, & vitâ comite, temporis nactus opportunitatem, in aliud Opus referam. Quare hoc in Opere, in peculiarium locorum ſanctorum Elucidatione, ab his ferè ſemper abſtineo; plura tamen moralia, vt occaſio argumentumque aſſumptum expoſtulat, pertracto.

Vt autem, quæ præ manibus habemus, abſoluamus, ſancti Spiritus afflatus implorandus eſt, à quo omne velle & perficere pendet, & qui primò nobis inſpirauit; vt, quod incepit, perficiat. Quemadmodum enim qui magno feruntur pelago pauidi nautæ (vt in ſimili inquit Rupertus Abbas) placidam ſibi auram imprecati, fixa cælo ſidera reſpiciunt; &, terrâ amiſsâ, tenent cælum, ſedenteſque ad clauum ſideribus currunt, erratica verò ſidera ſequi fugiunt: idem nobis, qui Opus hoc aggreſſi ſumus, & eorum quæ de locis ſanctis dicuntur, explicationem velut profundam abyſſum ingreſsi, eſt faciendum. Ideò placidus ille Spiritus nobis implorandus eſt, de quo Pſalmiſta ait: *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam.* Et qui corda diſcipulorum in die Pentecoſtes inflammauit, noſtra pariter accendat, labia inflammet, & mentem purificet, vt ſancta ſanctè ac feruidè tractare poſsimus, ad gloriam illius, à quo omne bonum deſcendit: debilium quoque conſortatrix, ſanctiſsima Virgo MARIA Deipara, Filium ſuum IESVM deprecetur, vt procedentem ab ipſo Paraclitum mittere dignetur, qui nobis ſuggerat omnia, & doceat omnem veritatem.

Lib. 3. in Ioan.

Pſal. 142. 10.

APPRO-

APPROBATIONES.

HOC *præclarum & vndequaque insigne Opus, quod Elucidatio Historica, Theologica ac Moralis Terræ sanctæ prænotatur, in duos Tomos diuisum, à doctissimo & pissimo Patre nostro Francisco Quaresmio Laudensi, Prouinciæ Mediolanensis Theologo, & Patre benè merito editum; mihi verò à Superioribus nostris commissum, sedula, qua potui, diligentia euolui, & in eo nihil fidei Catholicæ aduersum, aut sanctæ Matris Ecclesiæ diffinitionibus contrarium, optimisve moribus dissonum deprehendi: sed potiùs doctrinam sanam, piam, certam, & dictis sanctorum Patrum, sacrorumque Conciliorum, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ conformem. Quapropter non solùm eiusdem Terræ sanctæ lustrandæ & inuisendæ curiosis, verùm etiam de sanctissimis iisdem locis profundiùs scrutandis & cognoscendis benè meritis Opus hoc censeo fore perutile, ac tandem omnibus sacræ Scripturæ studiosis gratissimum, dignissimumque vt typis publicetur. Datum Venetiis die prima Februarij, anno sanctissimi Iubilei millesimo sexcentesimo vigesimoquinto, in Monasterio sancti Francisci à Vinea.*

Ego Fr. Augustinus à Plebe Sacci, Ordinis Minorum de Obseruantia D. Francisci Lector Theologus, ac Prouinciæ D. Antonij Pater, sanctique Officij Consultor, de mandato Superiorum, vbi suprà, manu propria.

EGo *Fr. Sauinus Custos, Lector Generalis Prouinciæ Ragusinæ, ex Superiorum commissione vidi ac perlegi Librum, cui inscriptio, Elucidatio Historica, Theologica ac Moralis Terræ sanctæ, Auctore R. P. Fr. Francisco Quaresmio: in quo nihil irreligiosum inueni; sed potiùs summam pietatem cum varia eruditione coniunctam animaduerti. Datum Venetiis die prima Februarij* 1624.

Fr. Sauinus qui suprà, manu propria.

CVm *ego Fr. Franciscus à Portiuncula Ordinis Minorum de Obseruantia, Lusitanus, Prouinciæ Algarbiorum, Theologus Illustrissimi & Reuerendissimi D. Cardinalis de Monte alto, per biennium ferè pro genio & innata curiositate, curiosè nimis Syriam Damasci, Samariam, Galilæam, & Palæstinam cum adiacentibus viderim, & perlustrarim; incredibile dictu est, quo animi affectu, & cordis voluptate, examinauerim ea omnia quæ à R. P. Fr. Francisco Quaresmio Prouinciæ Mediolanensis Patre, ac olim in sacro Monte Sion Præfecto meritissimo, in hoc ipsius Opere, cui titulus est, Elucidatio Historica, Theologica & Moralis Terræ sanctæ (sanè Terræ sanctæ Theatrum) asseruntur. In quo, vltra eruditionem & pietatem, quæstionum varietatem, ita verè, imò verissimè, omnia ac modestè dicuntur, vt nihil in hac materia, ad sanctorum locorum exactam cognitionem, tam in generali quàm in particulari, desiderari possit. Et cùm ab ineunte ætate in similium rerum lectione versatissimus sim, & posteà ea omnia propriis oculis viderim, & scrupulosè obseruauerim; credo quòd ea quæ à dicto R. Patre dicuntur, longo interuallo superent & excellant omnia quæ de locis sanctis scripta & obseruata sunt: præcipuè in veritate rerum, quæ anima historiæ est; in qua ne lato quidem vngue discrepat ab iis quæ vidi & examinaui. In quorum fidem hæc scripsi Laudæ 2. Iunij, anno Domini* 1622.

Fr. Franciscus à Portiuncula, qui suprà.

Opus

OPus de locis Terræ ſanctæ præſtantiſſimi Theologi P. Fr. Franciſci Quareſmij, Prouinciæ Mediolan. Patris, inoffenſo decurri pede, pariſque laudis præconio digniſſimum iudicaui. In quo, præter doctrinæ ſanctitatem, ac pietatem Auctori propriam, tam eruditè, accuratè, nec minùs ad Prædicatorum, quàm ad Theologorum vſum accommodatè, omnia diſcutiuntur ac determinantur, vt nihil amplius in hoc argumento deſiderari poſſe videatur. Quapropter cùm Opus hoc non ſolùm ſapientiam & doctrinam, ſed etiam ſpiritualem meditationem, contemplationem & ſanctitatem redoleat, dignum iudico vt typis excuſum per manus circumferatur. Venetiis in Conuentu noſtro S. Franciſci à Vinea, die prima Februarij 1625.

Fr. Franciſcus à Portiuncula, qui ſuprà.

FR. Benignus à Genua, totius Ordinis Fratrum Minorum ſancti Patris noſtri Franciſci Miniſter Generalis. Opus, quod Elucidatio Hiſtorica, Theologica ac Moralis Terræ ſanctæ inſcribitur, à Patre Fr. Franciſco Quareſmio, eiuſdem Ordinis, & Prouinciæ noſtræ Mediolanenſis Theologo compoſitum, à Theologis, quibus commiſſum eſt, viſum & approbatum, vt typis mandari poſſit, his noſtris (ſeruatis ſeruandis) licentiam concedimus. Romæ die 15. menſis Februarij 1625.

Fr. Benignus à Genua, Miniſter Generalis.

TErræ ſanctæ Hiſtoricam, Theologicam & Moralem Elucidationem à Reu. Patre Fr. Franciſco Quareſmio Laudenſi, Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ Theologo, olim eiuſdem Terræ ſanctæ Præſule ac Commiſſario Apoſtolico, quàm diligentiſſimè elaboratam, publico Chriſtiani orbis bono typis diuulgandam cenſeo.

Gaſpar Eſtrix S. Theolog. Licent. Canonicus
& Plebanus, ac librorum Cenſor Antuerpiæ.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. *Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis* Hiſtoricam, Theologicam & Moralem Terræ ſanctæ Elucidationem, Auctore Fr. Franciſco Quareſmio Laudenſi, Ordinis Minorum Theologo, olim Terræ ſanctæ Præſule ac Commiſſario Apoſtolico, *præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſam in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & alia graui pœna mulctabitur; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ* XXIV. *Martij* M. DC. XXXIII.

Signat.

Steenhuyſe.

HISTO-

CHOROGRAPHIA TERRÆ SANCTÆ SEV

TERRÆ PROMISSIONIS NOVA DESCRIPTIO.

Digitized by Google

ſignificant verba, quæ ad cor eius locutus
Pſal.44,11. fuit: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui: & concupiſcet Rex decorem tuum.*
Gen.12,2. *Egredere* cum Abraham *de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrabo tibi*, Terram
Cæleſtis Pater animam fidelem hortatur ad proficiſcendũ in Terram ſanctam. ſanctam & electam, regionem vberem ac opimam atque omnibus refertam bonis, antiquis Patribus & amicis meis ſæpiùs repromiſſam, vt promiſſis benedictionibus tu quoque repleari. Verùm ſola ne egrediaris: tenella enim infantula & inermis es, & in via ac termino multæ ſe offerunt tolerandæ ac ſuperandæ difficultates & aduerſitates, quas ſola diluere, & virili fortitudine tolerare haud poteris: plures ſunt latrunculi hoſtium viſibilium & inuiſibilium, qui ſolos viatores, viam ſalutis proſequi ſatagentes, deprædari, vulnerare, atque interimere contendunt; quare & te ſolam incedentem ſpoliabunt, vulnerabunt, occidentque:
Eccle.4,9. *Melius eſt duos eſſe ſimul, quàm vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: ſi vnus ceciderit, ab altero fulcietur. væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſublenantem ſe.* Hinc bonus ille ac prudens ſenex Tobias non fuit paſſus dilectum filium ſuum longo, incognito & periculoſo itineri ſe accingere, abſque fideli expertoque viro ſui itineris comite. Verumtamen non quolibet eris contenta duce, ſed vt adoleſcenti Tobiæ dixit ſenex
Tob.1,4. pater, *Inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum*, ſitque tibi perpetuus comes.
Chriſto ducente eundum in Terram ſanctam. Et hic alius non erit, quàm dilectus Filius meus, virtute vir, adhuc incluſus in vtero matris, fidelis in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, cui annulo fi-
Ier. 31,22. Pſ.144,13 Baruch 3, 31.& 37. dei deſponſata es, & aureo charitatis amictu plurimùm dilecta: ei enim adhærere, in eoque confidere, bonum eſt; ipſoque excepto, non eſt qui poſſit ſcire vias meas. Recole, ſtrenuum illum Iſraëlitici populi pijſſimum pariterque ſapientiſſimum Ducem noluiſſe, abſque Filio meo aut Angelo comite, ex Arabiæ deſerto vlteriùs ad Terram ſanctam
Exod.33,1. progredi. Hinc Dilecto dicebat: *Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto.* Et qui ex Hebræis abſque Arca fœderis, quæ
Num.14, 41. Dei Filium repræſentabat, voluerunt vlteriùs ad Terram repromiſſam progredi, grauiter percuſſi, & in fugam turpiter conuerſi ab hoſtibus fuerunt. Tu pariter ne ſimilem patiaris iacturam, abſque Sponſo tuo IESV ad excolendam Terram ſanctam corporalibus vel ſpiritualibus greſſibus ne accedas, neque ſpiritualia opera aggrediaris, ne ab hoſtibus percuſſa, gratię veſte nudata, atque bonis ſpiritualibus ſpoliata, magno cum dedecore & damno retrocedere cogaris.

Humilis & pia Sponſa ſuæ conſcia imbecillitatis, quòd ex ſe necdum heroica opera moliri poſſit (inter quæ hoc vnum ſingulare, proficiſci ad Terram ſanctam) ſed nec communia exercitia, quòd non ſit ſufficiens aliquid ex ſe cogitare, ſed omnis ſuf- 2.Cor.3,5.
ficientia ex Sponſo ſuo ſit, prompta aures cordis Patris cæleſtis vocibus aperiens, vt voti compos fiat, ad ſuum conuerſa Dilectum, ſic affatur: *Veni Dilecte mi, egrediamur in agrũ, commoremur in villis, manè ſurgamus ad vineas: videamus ſi florvit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica, ibi dabo tibi vbera mea.* Can.7,11. & 12.

Ac ſi clariùs dixiſſet: O æterni Patris Verbum, & incarnata Sapientia! ô vnica ſpes & refugium meum, & in tribulationibus adiutor! ô mi vnice Dilecte, vt Patri tuo & Deo meo obtemperem, & meæ ſalutis rationem habeam, mihi ſummopere in votis eſt corruptum hoc ſæculum, & fuliginoſam Ægyptum relinquere, delicias ac nænias ciuitatis deſerere, atque noxijs populorum tumultibus valedicere, ſolitudinem petere, ad electamq; Terram ſanctam tuam ire: ſed ſola ire non poſſum, quia meæ non ſufficiunt vires, tuæ mihi neceſſariæ. quare vt tu mecum ſis, obnixè precor, vt ſimul exſultemus & lætemur, atque optatis ſpiritualibus amplexibus perfrui poſſimus. Vnà ingrediamur agrum Terræ ſanctæ, commoremur in villis; in conſideratione inquam & contemplatione ciuitatum, aliorumque locorum eius & myſteriorum in eiſdem operatorum verſemur, & in Eccleſia deniq; ſanctiſſimi Sepulchri tui, velut in electiſſimis ac florentiſſimis vineis perpetuò commoremur. In his namque mens cæleſtium Sacramentorum fulgore illuminabitur, & dulcedine diuinorum chariſmatum affectus implebitur.

Et ille, cuius tanta eſt gratia & benigni- Iſa.65,1.
tas, qui non quæſitus nec dilectus, ſed contemptus & ſæpiùs grauiſſimis ſceleribus laceſſitus adeſt, vt ingrato ſceleſtiſſimoque adfuit Iſraëlitico populo de Ægypto ad Terram repromiſſionis proficiſcenti, promptiùs iuſtorum & diligentium orationem exaudit, ſtatimque ad illorum clamorem reſpondet, Prou.15, 29.
opem tribuens, & exhibens præſentiam. *Propè eſt* enim *Dominus inuocantibus eum in veritate*, vt Regius Propheta dixit, & Euan- Iſa.30,19. Pſal.144, 18.
gelicus: *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet: Ecce adſum.* Adeſt itaque Iſa.58,9.
Dilectæ precanti, videturque illi in hunc modum reſpondere: Iam *veni in hortum meum ſoror mea ſponſa*; in Terram inquam Cant.5,1.
ſanctam, in eius villas & vineas, quæ in delicijs adeò mihi ſunt, vt in illis tamquam in horto voluptatis delicier, ac ſacroſanctis voluptati-

luptatibus indulgeam, ibi totus ero obſequijs tuis impenſus, ne à quoquam offendaris, ſed commodè eius poſſis ſpiritualibus intiſtere officijs.

Sed videamus quàm appoſitè *agri* nomine tota Terræ promiſſionis latitudo, *villarum* verò eiuſdem ciuitates & caſtella, & *vinearum* deniq; appellatione Eccleſia ſanctiſſimi Sepulchri IESV CHRISTI Domini noſtri intelligantur; in quarum explicatione & conſideratione in Opere iſto, & ſingulariter in eius ſecundo Tomo, occupabimur.

Agri appellatione tota Terra ſancta intelligitur.

Agri appellatione rationabiliter tota repromiſſionis Terra intelligitur, Primò, quoniam ſicut ager latiùs patet quàm villæ & vineæ in eodem ſitæ ac plantatæ, ita tota repromiſſionis Terra latior eſt ciuitatibus aliiſve locis in eadem exiſtentibus. Et ſi hac ratione Saluator noſter agri nomine mundum intellexit, dicens, *Ager eſt mundus*; quare & nos eâdem non poſſimus totam Terram ſanctam intelligere? Quàm latè autem pateat Terra promiſſionis, inferiùs, de illius conditione agentes, explicabimus. In præſentia dicere ſufficiat, ita latè patere, vt caſtella, villas, ciuitates cum ſuis ſuburbijs, atque prouincias contineat: vnde in Scriptura *latiſſima & ſpatioſa* nuncupatur illa dumtaxat pars quæ eſt circa Iordanem: quantò ergo latior & ſpatioſior erit tota ſimul ſumpta? Secundò ager appellatur, propter vbertatem & pulchritudinẽ ſuam: ad quam ſortè reſpiciens Dominus, dixit: *Et pulchritudo agri mecum eſt.* & paſſim ideò in Scriptura dicitur fluere lac & mel; de qua plura nos inferiùs: nunc dicam tantùm, illius pulchritudinem & fecunditatem mirabiliter exprimi illis cæleſtis Sponſi verbis: *Ego flos campi, & lilium conuallium*: quòd in Nazareth conceptus & educatus fuerit Chriſtus. Nazareth enim, etſi parua & modica ſit ciuitas Terræ promiſſæ & prouinciæ Galilææ, *flos* tamen exponitur, quia florem & lilium ſpecioſiſſimum Chriſtum Dominum protulit. Vnde S. Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam nomine Paulæ & Euſtochij ait: *Ibimus ad Nazareth, & iuxta interpretationem nominis, florem videbimus Galilææ.* ex quo flore fructus prodijt in Bethlehem, quæ *domus panis* exponitur, teſte eodem Hieronymo, felicisſimo illo tempore, quo fecundiſſima illa vteri virginalis terra MARIA ſuum & Patris æterni vnigenitũ Filium peperit. Quantò ergo magis tota Terra ſancta, quę Nazareth, Bethlehem, & alia egregia continet loca, pulchra fecundaq; erit, ac ideò ager verè dicetur? Et quamuis hoc myſticè, arguit tamen naturalem aliquam opulentiam & amœnitatem, qua illæ ciuitates non caruerũt, & multò minùs tota Terra ſancta.

Mat. 13, 38.

Cap. XXIV. & XXX. huius Libri.

Ioſ. 13, 1.

Pſal 49, 11.

Cap. XXVI. XXVII. XXVIII. & XXIX. Cant. 2, 1.

Nominis Nazareth interpretatio.

Epiſt. 17.

An ad hunc agrum Terræ promiſſionis reſpexit Saluator noſter, cùm in quadam parabola dixit: *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro*? Vt enim Dominus, in quo ſunt omnes theſauri, in cælo lucem habitans inacceſſibilem, veſtitus lumine ſicut veſtimento, inuiſibilis, & abſconditus eſt obtutibus noſtris: ita Chriſtus verus Deus & verus homo, etſi in hac promiſſionis Terra palàm fuerit quærentibus eum, dictus tamen fuit à Propheta *Deus abſconditus.* & profectò pluribus huius regionis fuit abſconditus.

Mat. 13, 44. Coloſſ. 2, 3. 1. Tim. 6, 16. Pſal. 103, 2 Iſa. 45, 15.

Commoremur in villis. Per villas nedum villas propriè, ſed caſtella & ciuitates ipſas Terræ promiſſionis diximus eſſe intelligendas: inprimis, quoniam Scriptura occaſionem dedit, dum ſimili nomine, id eſt caſtelli, appellauit illuſtriſſimam & regiam ciuitatem Bethlehem, totius Regni Iudæ ſeminarium, dicens: *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda.* & tamen caſtellum nuncupatur illis verbis: *Nónne Scriptura dicit, quia de ſemine Dauid, & de Bethlehem caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus*? Quid? Ieruſalem Regalis & inclyta ciuitas, totius Palæſtinæ metropolis, ac toto orbe celeberrima, caſtellum à Domino appellata eſt, ſecundùm ſententiam Lyrani, Abulenſis, & aliorum, illis verbis ad diſcipulos ſuos: *Ite in caſtellum quod contra vos eſt.* Sed firmiſſimas ac munitiſſimas ciuitates, vicos & villas appellari in S. Scriptura, patet Numer. 32, 36. Deuteron. 3, 5. Ioſue 13, 20. & D. Hieronymo: & communis phraſis eſt etiam quarumdam nationum, Regias ciuitates villas appellare, vt Lutetiam Pariſiorum, Madritum, &c.

Ciuitates & caſtella Terra ſanctæ, villarũ nomine intelliguntur, & ratio adducitur.

Mat. 2, 6.

Ioan. 7, 42.

Mat. 21, 2.

De Locis Hebraicis, litt. A.

Secundò villæ dicuntur propter habitatores ſuos: villæ enim illæ habitationes nuncupantur, in quibus habitant homines inurbani & inciuiles, qui vulgò appellantur *villani*: ita & hîc; quoniã plurimi habitatores Terræ promiſſionis futuri erant homines duræ ceruicis, & incircumcilis cordibus, inhumani, rudes, & villani, præſertim in aduentu Meſſiæ, contra ſuos Prophetas, & ipſum. Quod Iudæis mõſtrauit Chriſtus in inſigni illa vineę parabola apud S. Matthęum: & clariùs alibi, dicens: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis.* & S. Stephanus in Actis Apoſtolorum. An non *in propria venit* Dei Filius, *& ſui eum non receperunt*? Bethlehemitæ, apud quos natus eſt, non dederunt ei locum in ciuitate, nec in diuerſorio, ſed extra ciuitatem in ſpecu peperit illũ V. MARIA, *& reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio.* Sed quàm villani, imò quàm crudeles ipſius Chriſti

Mat. 21, 33. Mat. 23, 34. Actor. 7. Ioan. 1, 11.

Inhumanitas habitatorũ Terræ ſanctæ.

Luc. 2, 7.

conciues Nazaræi ſe illi præbuerunt, dum
Mar.3,21. vel ſtultum vel in furorem verſum credebant, & ex monte præcipitare volebant?
Luc,4.29. Quot calumnias à Scribis & Phariſæis, à Principibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus, & ab vniuerſa denique Iudæorum gente ſuſtinuit?
Galat.3,13. Ipſa crucis mors ignominioſa teſtatur. Quare ſi non ex muris, ſed ex habitatoribus ſunt locis nomina imponenda, vt ciuitas illa dicatur, vbi eſt ciuium vnitas; illa villa dicetur, vbi homines inurbani & villani morantur: & cùm tales plerique fuerint habitatores ciuitatum Terræ promiſſionis, meritò villæ nuncupabuntur.

Tertiò fuit prædictio quædam prophetica, qua indicabatur, aliquando ciuitates illas in villas conuertendas, ob malitiam habitantium in ipſis. Quod clariùs poſteà expreſſit Michæas, dicens: *Et terra erit in*
Mich.7,13. *deſolationẽ propter habitatores ſuos.* Et Chriſtus Dominus poſt recenſita Iudæorum
Mat 23, 38. facinora, dixit illis: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Quod nunc proprijs oculis, non ſine magna commiſeratione, cernimus adimpletum; conſiderantes, quales olim fuerint ciuitates Terræ promiſſionis, Regiæ, & frequentatæ; at nunc pauperes &
Thren.1,4. deſertæ, deſolatæ, lugentes, quia non eſt qui veniat ad ſolemnitatem: æſtimandæ tamen propter diuina myſteria quæ ob oculos ponunt, & quia eas ſuâ præſentiâ pluris fecit Saluator noſter.

Quartò denique villæ appellantur ciuitates & caſtella Terræ ſanctæ, quoniam plures in ipſis habitant infideles, qui ad inſtar beſtiarum viuunt, ſimiles bobus, comedentes fœnum: qui vtinam abſcindantur, quia fideles conturbant!

Sanctum Domini Sepulchrum in vineis deſignatur, & meritò.

Videamus ſi floruit vinea, &c. Vineæ nomine diximus ſignificatam eſſe Eccleſiam ſanctiſſimi Sepulchri Saluatoris noſtri, in cuius conſideratione ſingulariter commorandum eſt fideli animæ, vt vberes ac ſuaues ſalutis colligat fructus. Et meritò quidem: etenim in ſacro Eloquio non ſemel vineæ appellatione Eccleſiam ſignificatam
Cant.2,15. & 8,11. nouimus, vt: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit.* & iterùm: *Vinea fuit pacifico.* item:
Iſa.5,7. *Vinea Domini exercituum, domus Iſraël eſt.*
Mat 21,33. &: *Homo quidam erat paterfamilias, qui plantauit vineam.* hîc enim, & alibi, vineæ nomine plures ſanctorum Patrum ſanctam Eccleſiam intelligunt. Ita in allatis verbis per vineam, ad cuius conſiderationem inuitamur, exiſtimamus intelligendam Eccleſiam ſanctiſſimi Sepulchri Saluatoris noſtri in ſancta Ieruſalem plantatam, vbi plures vniuntur fideles, velut nouellæ plantatio-
Ioan.15,4. nes, & palmites, viti Chriſto, vt fructus affe-

rant, inhærentes. Et per excellentiam *vinea* dicitur, quoniam omnes alias Eccleſias ſanctitatis dignitate ſuperat. Et ſanè à nulla alia, etſi illuſtriſſima, ſuperatur; in ea namque Chriſtus vitis & botrus ſuauiſſimus extitit,
Iſa.63,3. qui preſſus & calcatus ſuper Caluariæ montem in torculari crucis, ſanguinem vuæ pro-
Deut.32, 14. tulit meraciſſimum, quo omnes recreari & inebriari poſſunt. Hîc terra aquâ irrigatur, & Sanguine ex aperto Chriſti latere manante fecundatur, largiens ſponſæ Eccleſiæ Sacramenta, quibus ditatur, & condecoratur. Hîc floruit vinea in Chriſti paſſionibus, fructus parturijt Deo, Chriſto eius, Angelis & hominibus acceptiſſimos, quando Chriſti paſſionibus conſummatis, & ijs quæ de ipſo
Ioan.19, 30.& 35. ſcripta erant, tradidit ſpiritum, & ex latere ſanguinem & aquam fudit. Hîc floruerunt mala punica, quoniam omnia amoris & dilectionis indicia monſtrata fuêre.

Igitur vt breuiter omnia perſtringamus, vocem Spiritus ſancti, vocem cæleſtis Patris audiat fidelis anima, ad proficiſcendum in repromiſſam regionem ſuadentis: Chriſtum inuitet, vt cum ipſo egreſſa de mundi tumultibus, corporeis & ſpiritualibus greſſibus, vel ſi illis ingredi non datur, iſtis ſaltem, hoc eſt conſideratione & affectu, in Terram promiſſionis ingrediatur; & ad eam admiſſa, peragrando eius ciuitates & loca, Chriſti miranda opera meditetur & contempletur, ac tandem toto mentis affectu ſanctam Reſurrectionis Domini Eccleſiam, in qua mortuus eſt & reſurrexit, ingreſſa, magis ac magis paſſionis & Reſurrectionis Chriſti myſteria contẽpletur, vt in hac mortali & corruptibili vita aquâ gratiæ & ſpiritualis cõſolationis refrigerata, inaltera æterna ac incorruptibili, vino gloriæ per Chriſti merita ſatietur ac inebrietur.

CAPVT II.

De nominibus Terræ promiſſionis, & eorum ſignificatione.

Terra ſanctà pluribus appellata eſt nominibus.

EAm Aſiæ regionem, & maximam Syriæ partem, quam Coſmographi *Paleſtinam*, Iudæi verò *Terram promiſſionis* vocitarunt, pluribus nominibus appellari, tam in ſacris Biblijs, quàm apud Ioſephum & alios ſacros ac profanos Scriptores, omnes nôrunt; quoniam à pluribus diuerſisq; habitatoribus fuit occupata, & in ea diuerſa fuere patrata myſteria. Appellata eſt in primis *Terra Chanaan*, ſecundò *Paleſtina* ſiue *Terra Philiſthym* ſiue *Paleſtinorum*, tertiò *Terra Iſraël*, quartò *Iudæa*, quintò *Terra promiſſionis*, ſextò *Requies Domini*, ſeptimò *Terra* abſolutè, vel *omnis terra*, & denique octauò *Terra ſancta*.

Primò *Terra Chanaan* dicta eſt à Chanaan filio

Primò dicitur Terra ſancta Terra Chanaan.

filio Cham, filij magni Noë Patriarchæ, quę denominatio antiquiſſima omnium eſt, & ceteris prior, quia paulò poſt diluuium originem habuit. Cùm enim poſt diluuium tota terra cognita diuiſa fuiſſet à nepotibus Noë, ab eorum nominibus regiones inter ipſos diuiſæ traxerunt originem: & cùm hæc regio Terræ promiſſionis contigiſſet Chanaan filio Cham, *Terra Cham* & *Chananæa* dicta eſt. Filij verò Chanaan, Sidon, Hethæus, Iebuſæus, Amorræus, Gergeſæus, Heuæus, Aracæus, Sinæus, Aradius, Samaræus, & Amathæus. Hi inter ſe hanc regionem partiti fuêre, facti eius coloni, & horum quilibet nomen proprium impoſuit parti illius regionis quam occupauit, vt eodem capite Geneſis habetur: ſicut à communi omnium parente tota illius regionis latitudo, *Terra Chanaan* appellata eſt; & frequenter tali nomine, ſicut & ciuitates eius, nominibus filiorum Chanaan inuenimus in pluribus ſacræ Scripturæ locis nominatas, Gen. 13, 14. & alibi. quæ quoniam omnibus obuia eſſe poſſunt, ne tempus conteram, omitto recenſere.

Ioſeph. l. 1. Antiq. c. 12.

Gen. 10, 15.

Non me latet, aliquos dicere, Chanaan filium Cham ſibi hanc regionem vſurpaſſe, quoniam illam dedit Noë filio ſuo Sem: ſed quod dixi, alios ſecutus, verius credo, quod poſteà expendemus Cap. VII. huius Libri. Sed quidquid etiam ſit, parum refert ad rationem huius nominis indicandam.

Notandum adhuc, non tantùm à Chanaan filio Cham dici Chananæam, ſed etiam ab euentu; quia in hac regione, & vrbibus eius, mercaturas exercuerunt olim, vt & in præſentia exercent habitatores eius. Vnde cùm Chanaan, ſecundùm nominis etymologiam, *mercatorem*, vel *mercaturam* ſignificet, & poſſeſſas Chanaan in littore mercaturam exercuerit, ſecundùm ſuarum vrbium conditionem (etenim ciuitates maritimæ mercaturis valdè ſunt idoneæ) & Sidon primogenitus Chanaan condiderit vrbem in littore maris, cui proprium indidit nomen *Sidon*, quod vſque in hodiernum diem retinet (dicitur enim *Sidonia*, ſiue corrupto nomine *Saida*: hic portus eſt maris, & multæ huc aduehuntur merces, & hinc aliæ in alias partes tranſportantur; cui aliæ ciuitates huius regionis perſimiles ſunt, vt cuilibet earum ſitum & conditionem conſideranti patere poteſt) ideò Terra ſancta etiam hac ratione *Terra Chanaan* meruit appellari. Quare optimè notauit Lyranus in cap. 17. Ezechiel. *Chanaan* nomen ſumi poſſe dupliciter: primò, vt eſt nomen proprium; ſecundò, vt eſt nomen commune: vtramque enim ſignificationem admittit in Hebræo. In priori ſignificatione ſignificat Chanaan filium Cham, & etiã regionem ipſam Chanaan, & ſic frequentiùs accipitur in Sacris & profanis litteris: in poſteriori verò, mercatorem vel mercaturam, vt apud Ezechielem, cùm dicitur, quòd Nabuchodonoſor tulit quæque pretioſa quæ erant in templo, cum Rege & Principibus ciuitatis, quos ſub varijs metaphoris intelligit, & tranſportauit in terram Chanaan. Hic Chanaan nomine non intelligit abſque dubio Propheta Promiſſionis terram, quia ex ea abſtulit; ſed Babylonem, ad quam tranſtulit Chanaan dictam, propter multas diuitias quibus abundabat, propter quas multi in ea habitabant mercatores. Vnde & additur, *in vrbe negotiatorum*. In eadem ſignificatione accipitur in Prouerbijs: *Cingulum tradidit Chananæo*, id eſt mercatori. & apud Zachariam: *Non erit mercator vltrà in Ieruſalem*, &c. Septuaginta verterunt, *Non erit Chananæus in Ieruſalem*, &c. reſpexerunt enim ad mores Chananæorum, qui mercatores erãt. Et in Oſea: *Chanaan in manu eius ſtatera doloſa*. Dico nunc, Terram promiſſionis dici terrã Chanaan, à Chanaan, vt eſt nomen proprium viri filij Cham; etſi etiam propter commune ſimiliter appellari poſſit, quia in ea mercaturæ exercebantur olim, & ex parte exercentur nunc.

Chanaan nominis etymologia.

Ezech. 17. 3.

Prou. 31. 24.

Zachar 14, 21.

Oſe. 12, 7.

Secundò Terra ſancta dicitur Paleſtina.

Secundò *Paleſtina*, ſiue *Terra Philiſthijm*, poſt præcedentem denominationem dicta eſt, à Meſraim qui & ipſe fuit filius Cham, non verò à Chanaan qui terram iſtam occupauit. Hi cùm numero & potentia creuiſſent, occupata ea regione, illi ſuum nomen dederunt, appellantes Terram Philiſthijm præcipuè eam partem, quæ eſt in littore maris infra Tyrum verſus meridiem. Et enumerantur quinq; principes vrbes Philiſthijm in libro Ioſue, Azotus, Accaron, Aſcalon, Geth, Gaza. Cùm igitur Chananæi, qui loca propinquiora Iordani tenebant, pænè funditus deleti fuiſſent, nomen quoque eorum paulatim interijt, alio ab alijs habitantibus impoſito permanente: quod & multùm perdurauit, licet fuerint per Iudæos plurimùm debilitati atque expulſi; & denominatio illa frequentior eſt tam in Sacris quàm in profanis litteris.

Gen. 10, 6.

1. Paral. 1, 8.

Ioſ. 13, 3.

Philiſthijm quare diutius quàm Chananæi nomen à diuina Terra ſancta.

Ratio verò in primis eſſe poteſt, quoniam longiùs protulerunt fines in eam regionẽm, quę poſteà fuit attributa tribubus Iuda, Beniamin, Simeon, Manaſſe, Iſſachar: ex quibus licet pulſi, & magna ex parte deleti; tamen quoniã in littore infra Tyrum vrbes munitas & magnas retinuerunt, ac aliàs magis aliàs minùs latè dominati, ideò nomen ab illis inditum, non deperditum, ſed conſeruatum fuit. Ac deinde, quia habebànt in littore vrbes munitiſſimas, & magnas, Palæſtinæ no-

Digitized by Google

men Græcis notum fuit (teſte Abrahamo Ortelio) propter nauigationes, ſicut Herodotus in Polymnia inquit, Phœnicas & Syros, tenentes Palæſtinam, trecentas naues Xerxi miſiſſe; ac poſteà addit, nominari Palæſtinam regionem ab extremis oris Ægypti vſque ad Phœnicas. Quare effectum eſt, vt nomen illud conſeruaretur, & Græci poſteà, & Ptolemæus, nomine *Palæſtinæ* complexi ſint non ſolùm eam partem quam occuparunt Philiſthijm in littore maris, ſed etiam Iudæam, Samariam, & Galilæam; quamuis hoc totũ ſpatium Philiſthijm non tenuerint. Et hoc contigit, quia ſæpè regionibus tribuuntur nomina à parte aliqua, quæ vicinas antecellit potentiâ. Quare cùm regio Palæſtinorum fuerit valde potens & munitiſſima, & ceteris notior, hinc ſub illius nomine comprehenſæ ſunt illæ quatuor prouinciæ, Idumæa, Iudæa, Samaria & Galilæa. Tempore Abraham ſedes Regis Abimelech, qui vocatur Rex Palæſtinorum, fuit in Geraris. Fuit autem vrbs Gerara ſita in regione, quam poſteà occupauit tribus Iuda, non procul ab Hebron; & quidem ſita fuit inter Hebron & Gazam. Ex dictis conſtat, quomodo Chanaan plures continuerit gentes quàm Palæſtina, & illius appellatio iſtâ ſit antiquior, etſi hæc illâ frequentior; & quomodo Palæſtinæ appellatione intelligatur etiam totius terræ Chanaan latitudo. Gen.26,1.

Nominis Philiſthijm ſignificatio

Quoad Grammaticâ nominis *Philiſthijm* expoſitionem, dicitur ſignificare *conſperſores* ſeu *conſperſiones*, vt conſpergitur aliquid puluere, ſeu *concuſſiones*; fortaſſe quia hæc gens in littore habitauit, vbi crebri ſunt terræmotus, & tota oppida arenis & puluere obruuntur, ſicut Aſcalon & Azotus ab igne nomina habent. Hæc Ortelius.

Terra Iſraël tertiò dicitur Terra ſancta.

Appellata fuit tertiò hæc regio *Terra Iſraël*, ſicut & habitatores *Iſraël* & *Iſraëlitæ* appellati ſunt, etiam poſt diuiſionem Regni ſub Roboamo & Ieroboamo. Hæc denominatio manifeſtiſſima eſt legenti tam vetus quàm nouum Teſtamentum, etſi frequentiùs in veteri illa inueniatur, quoniam in eo frequentiùs de ea ſe offert differendi occaſio. Vt Iudicum 19,30. *Numquam res talis facta eſt in Iſraël*; id eſt, in terra Iſraël. Pſalmo 75,2. *In Iſraël magnum nomen eius.* (& frequentiſſimè inuenitur hoc nomen ſignificans Terram promiſſionis, & Iudæos habitatores) & Iſaiæ 1, 1. *Viſio Iſaiæ filij Amos, quam vidit ſuper Iudam & Ieruſalem:* cùm tamen in ipſo prophetiæ exordio ad Iſraëlem prophetiam ſuam dirigere videatur, inquiens infrà verſu 3. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui; Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Vbi Hieronymus, *Pro Iuda*, inquit, *in quo ſignificantur duæ tribus, Septuaginta & Theodotio poſuere, Iudæam, quæ totam terram duodecim tribuum oſtendit.* Hæc ille. Idem Iſaias 5, 7. Quare etſi frequentiùs poſt Regni diuiſionem, *Iſraël* nomen de decem tribubus dicatur, non ſemel tamen de tota Hebræorum natione & regione dicitur. Ad idem in nouo Teſtamento aperta eſt auctoritas apud Matthæum, vbi Angelus dixit Ioſepho ſponſo Virginis, & patri IESV in Ægypto commoranti: *Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Iſraël.* Vbi per *terram Iſraël* nõ intellexit Angelus eam præcisè partem, quæ poſt diuiſionẽ tribuum, & ſeparationem decem à Regno Dauid, vocata eſt Regnum Iſraël; ſed Terræ ſanctæ latitudinem, vt poteſt videri ex ſequentibus verbis. Nam iuiſſet in Ieruſalem S. Ioſeph, quæ tamen non erat ciuitas Regni Iſraël, ſed Iuda, niſi timuiſſet Archelaum, qui regnabat pro Herode patre ſuo defuncto, qui quærebat animam pueri; & ſanè hoc modo obediſſet Angelico præcepto. Alibi etiam id ipſum inuenire licet. Mat.2, 20.

Tali verò nomine appellata eſt à filijs Iacob, qui à patre ſuo Iacob, ſiue alio nomine Iſraël, *Iſraëlita*, quoniam eam poſſederunt, dicti ſunt. Etenim poſtquam Iacob cũ Deo luctatus fuiſſet, diuinitus mutato nomine, *Iſraël* appellatus eſt, quod *fortis Domini*, ſiue *prænalens Deo* exponitur, ſecundùm Hieronymum. Ab Iſraël verò filij eius & nepotes, & in vniuerſum quotquot ab eo deſcenderunt, communi vocabulo dicti ſunt *Iſraëlita*. Qui ingreſſi terram Chanaan iuſſu Dei, eam *Iſraël* vocarunt, vt habetur in libris Iudicum, Regum, & alibi. Quare quemadmodum à Chanaan filio Cham, terra, quæ ab eo deſcendentibus habitata fuit, *Chanaan*, & habitatores *Chananæi* appellati fuêre; & ſicut filij Chanaan à ſuis nominibus appellarunt ciuitates, quas ſinguli poſſeſſione obtinuerunt: ita filij Iſraël, põſt eamdem terram inter eos ſecundùm capita duodecim tribuum diſtributam iuſſu Dei per Ioſue, eiſdem nomina ſua & familiarum ſuarum accommodarunt, vt in pluribus locis veteris Teſtamenti videre eſt. Atque hoc modo nomen *Chanaan*, quo regio illa appellabatur, quod retinuit vſquequò eam pro maiori parte poſſederunt Philiſthijm, inde parum, multò magis obſcuratum fuit in ingreſſu filiorum Iſraël in terram illam, quam pro bonâ parte, diuino aſſiſtente auxilio, exigentibus habitatorum illius demeritis, ſuo ſubiugarunt imperio, habitatores trucidarunt, & terræ illi *Iſraël* nomen impoſuerunt. Ex his conſtat, quomodo *Iſraël* nomen Gen.32, 28. D. Hieron. in Quæſt. Hebraic. Iudic. 18, 29. 1.Reg.4,1. 2.Reg.15, 6.

men posterius sit nominibus Chanaan, & Palæstinæ, siue Terræ Philisthijm. Et de Palæstina patet ampliùs, cùm de altero clarissimum sit: nam Regis Palæstinorum sit mentio Genes. 26, 1. quando Iacob nec vxorem duxerat, nec ei mutatum nomen, & multò minùs ad illius possessionem venerant Israëlitæ.

Verùm Palestinæ nomen ex ingressu filiorum Israël non fuit ita abolitum, sicut Chanaan, tum ratione superiùs assignata (multo enim tempore Philisthijm terram illam possederunt, etsi non omnem, bonam tamen ac meliorem partem; solùm enim Dauidis vel Salomonis tempore tota terra Chanaan venit in possessionem Regis Israël, quemadmodum inferiùs Libri huius Capit. xxv. explicabimus; tum etiam, quoniam multùm vitatum erat, maximè apud Græcos, propter mercaturas, sicut dictum est: tum, quia sicut apud Israëlitas erat inuisum nomen aliarum nationum, quas & odio prosequebantur; ita Israëlis nomẽ non bene audiebatur à Gentibus. quare cùm Gentibus occurrebat de regione ista sermonem facere, relicto nomine Israël, priori nomine terram Philisthijm nominabant; atque hoc pacto *Philisthijm* nomen conseruatum fuit: tum denique dicere possumus, id demerito Iudæorum factum fuisse, quorum Regnum propter eorum discordias in duas partes fuit diuisum, absque nominum multiplicatione, vocando videlicet vnam partem vno, alteram alio nomine, placuit communi nomine Palæstinam ambas partes nominare.

Terra Iuda quare dicatur Terra sancta.

Quartò, *Terra Iuda* appellata est. Non me latet, Iudææ nomine significari frequenter Regnum duarum tribuum Iuda & Beniamin, quæ adhæserunt domui Dauid (sicut nomine *Israël* significatur Regnum decem tribuum quæ adhæserunt Ieroboam; sicque dicitur Roboam regnasse super Iudam, Ieroboam verò super Israël: quæ duo nomina, & eorum significatio, maximè obseruanda est in lectione Prophetarum;) & quomodo aliquando hæc etiam nomina confundantur (Iuda enim aliquando Israël nuncupatur, vt Ieremiæ 2, 4. & aliquando sumitur pro parte quæ tribui Iudæ data est, vt in illo Danielis, *Erat autem Habacuc Propheta in Iudæa.* & illo Ioannis, *Post hæc venit Iesus*; ex Ierusalem scilicet, quæ est in sorte Beniamin, vt patet Iosue 18, 28. *& discipuli eius in Iudæam terram*, id est in terram sortis Iudæ; & alias frequenter:) verùm certissimum est etiam, quòd *Iudæa* dicatur adhuc de tota Terra promissionis, vt Psalm. 75, 2. *Notus in Iudæa Deus.* Certum namq; est, hic Iudæam non de vna parte, sed de tota Terra promissionis loqui: nam non solùm in vna parte, id est in Prouincia Iudææ, sed etiam Samariæ & Galilææ habitatores, Iudæi erant, & de populo Dei. Id etiam in Testamento nouo inuenitur: loquens enim Euangelista de transitu IESV à Galilæa in locum trans Iordanem, dicit: *Venit in fines Iudææ trans Iordanem.* vbi per Iudæam non intellexit partem illam, quæ contigit tribui Iudæ vel Beniamin: nam ea pars Terræ promissionis, quæ his duabus tribubus contigit, erat citra Iordanem. Et quãdo de illo transitu loquitur Euangelista, erat tunc IESVS in Galilæa, quæ est citra Iordanem; erat enim in Capharnaum, vt colligi potest ex eodem Matthæo; Capharnaum verò erat ciuitas Galilææ citra mare & Iordanem, vt videre quilibet potest in Geographica descriptione Terræ promissionis. Et ex Capharnaum discessit, quando iuit trans Iordanem. Cùm ergo regio trans Iordanem non pertinuerit ad commemoratas tribus Iuda & Beniamin, sequitur, hìc per fines Iudææ trans Iordanem, Euangelistam intelligere fines Terræ promissionis ex parte Iordanis; & (ni fallor) ex parte meridionali Terræ promissionis in parte illa quæ contigit tribui Ruben, quæ ex illa parte confinium est Terræ promissionis. Et hoc maximè verum videtur, si transitus ille, cuius meminit Matthæus, est ille de quo loquitur Ioannes, vt in eum locum arbitratur Caietanus; qui est in loco in quo Ioannes Baptista baptizabat. Et Plinius in hac significatione videtur accepisse Iudæam, dum citeriorem & vlteriorem velut amne diuisam nominat. Ptolemæus, Strabo, Tacitus, totum illum tractum, quem incoluerunt omnes tribus filiorum Israël, Iudæam vocitarunt.

Mat. 19, 1.

Mat. 17, 24.

Mat. 19, 1.

Ioan. 10, 40.

Plin. lib. 5. cap. 14. Ptolom. l. 5. c. 13. Strabo lib. 16. ante medium. Tacitus lib. 22. init.

Quo tempore Israëlitæ cœperint appellari Iudæi.

Sed quo tempore præcipuè Israëlitæ cœperunt vocari *Iudæi*, & terra Israël, vel Palæstina, *Iudæa*? Duplex est sententia: altera, quæ affirmat, Israëlitas cœptos vocari *Iudæos*, & consequenter eorum terram *Iudæam*, postquam decem tribus diuisæ sunt à duabus tẽpore Roboam filij Salomonis. Ita D. Hieronymus in cap. 5. Isaiæ super illa verba: *Vinea Domini exercituum domus Israël est.* vbi docet, hoc differre Israël & Iudam, quòd omnis populus priùs appellabatur *Israël*; ac posteà, regnante Dauid super tribum Iudam, & Roboam filio Salomonis super duas tribus Iudam & Beniamin, ij qui erant in Samaria, hoc est decem tribus, vocabantur *Israël*; ij verò quibus imperabant Reges de genere Dauid, appellabantur *Iuda*. Idem docet Galatinus lib. 9. Arcanorum, cap. 7.

Dan. 14, 32. Ioan. 3, 22.

Altera dicit, cœptos fuisse vocari Iudæos, quo die cœperunt egredi è captiuitate. Cùm enim post septuaginta annos captiuitatis Babylonicæ, in qua fuit & tribus Iuda cum

semine Regio, tunc quidem omnes vocabantur *Hebræi & Israëlitæ*. (ita docet Iosephus lib. 11. Antiquit. cap. 5.) at postquam fuerunt per Cyrum Persarum Regem libertate donati, tunc, qui Hebræi & Israëlitæ dicebantur, cœperunt vocari *Iudæi*, & Palæstina siue terra Israël, *Iudæa*. Et huius nomenclaturæ ratio est, quoniam Zorobabel duxit Israëlitas ex Babylonia in Terram promissionis, vt in libris Esdræ videre est: & ipse ex tribu Iuda, & stirpe Dauid oriundus erat, vt patet 3. Esdræ. 5, 8. Et similiter de alijs, qui gubernarunt Israëlitas vsque ad seniorem Herodem, qui fuit Idumæus, arbitrandum est; & docet Cyrillus, & ipsemet Hieronymus, licet in Isaiam aliter dixerit. Sicque patet, quomodo *Iuda* nomẽ secundum hanc sententiam inditum sit huic regioni, & habitatores dicti sint *Iudæi* à Regia tribu Iuda, ceterarum præcipua; cuius Dux & Princeps, inter ceteros Iudaici populi, fuit generosissimus Iudas, qui fuit quartus magni Iacobi Patriarchæ filius; à quo præter ceteros ex eo progenitos illustrissimos viros, fuerunt Zorobabel, & alij qui in Terra promissionis Regni gubernacula tenuerunt post reditum filiorum Israël à Babylonica captiuitate.

1. Esd 2,2. 2. Esd. 12,1.

Cyril lib. 8. Contra Iulianum. Hieron. in Sophon c. 1. & Ezech. cap. 21.

Si liceret in hac difficultate proprium aperire sensum, dicerem, priori sententiâ posteriorem esse probabiliorem, si *Iudæi* nomen dicitur tantum de duabus tribubus Iuda & Beniamin, sed in vniuersum de vniuerso genere Iudæorum, de quo nomen *Hebræus* vel *Israel* enuntiatur, vt vere enuntiatur. Et ratio in promptu est: quia quando facta est diuisio Israëlitici populi sub Roboam, solæ duæ tribus illi adhæserunt, cuius Regnum *Iuda* appellabatur, vt alterum *Israël*, vt Capite sequenti dicemus. Igitur cum posterioribus temporibus Iudæ nomen dictum fuerit nedum de duabus tribubus, sed etiam de alijs decem; consequens est vt dicamus, posterius tale nomen accepisse post reditum à Babylonica captiuitate, à Ducibus illis tribus Iudæ, quòd nomen hoc celebrius esset, & obscurare potuit iam casu alterum, quod reliquiæ aliarum decem habitantes in Samaria & Galilæa tenebant: & potuit de facili hoc nomen illis accommodari, cùm eiusdem generis essent omnes, id est Israëlitici.

Insurgit tamen contra dicta difficultas: non enim videtur probabile, tunc Iudæos cognoscere potuisse cuiusnam stirpis vel etiam tribus quilibet esset; etenim cùm fuerint in captiuitate & inter barbaras illas Chananæorum gentes commixti, ex quibus duxerunt vxores, non est credendum illos tunc obseruasse, quæ alias in libertate positi in Terra promissionis obseruare tenebantur; ac ideò cognoscere non potuisse, quinam essent ex hac vel illa familia vel tribu, & consequenter an Zorobabel, & qui post ipsum populum Iudaicum gubernarunt, fuerint ex tribu Iuda & stirpe Dauid, &c.

Quomodo Iudæi in captiuitate familiarũ suarum nomina vtcunque potuerint.

Sed hæc difficultas facile diluetur, dicendo, Iudæos fuisse sollicitos de conseruandis nominibus tribuum & familiarum, vt scirent cum quibus ordinariè contraherent matrimonium, & scripto originem eorum conseruasse: præsertim cùm apud ipsos numquam defuerint viri timentes Deum, Sacerdotes, & Prophetæ, qui huiusce rei solliciti esse debuerunt. Optimè enim nouerunt, quòd si nescissent indicare domum & originem patrum suorum, ab officijs communibus, quæ à peculiaribus familijs & tribubus exerceri debebant, fuissent excluſi, vt 2. Esdræ 7, 61. legitur, vbi de quibusdam qui ascenderunt de captiuitate, qui nescierunt indicare domum patrum suorum, dicitur: *Hi sunt autem qui ascenderunt de Thelmela, Thelharsa, Cherub, Addon, & Emmer; & non potuerunt indicare domum patrum suorum, & semen suum, vtrùm ex Israël essent. Filij Dalaia, filij Tobia, filij Necoda sexcenti quadraginta duo. Et de Sacerdotibus filij Habia, filij Accos, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis vxorem: & vocatus est nomine eorum. Hi quæsierunt scripturam suam in censu, & non inuenerunt; & eiecti sunt de Sacerdotio.* Vnde etsi in aliquibus fuerit incuria conseruandi cuius familiæ vel tribus essent, non tamen in omnibus; præsertim cùm non tam diu perdurauerit captiuitas Babylonica (quia tantùm septuaginta annis) quin potuerit tribuum & familiarum distinctio conseruari, Iudæ præsertim & Leui, ex quibus Messiæ mater & ipse Messias oriundi erant, Deo ita disponente. Vnde licet propter idololatriam decem tribus perpetuæ captiuitatis supplicio affectæ fuerint, à Salmanasar Rege Assyriorum translatæ in Assyriam vltra montes Caspios, numquam exindè ad solum patrium reuersæ; tribus tamen Iuda in Babyloniam relegata per Regem Babylonis, 4. Reg. 24, 15. 2. Paral. 36, 10. 3. Esd. 1, 10. septuaginta annorũ decurso spatio, captiuitatis igne à sordibus simulacrorum purgata, in patrium solum à Deo reuocata fuit Cyro Rege Persarũ Monarchiam tenente, 1. Esd. 2, 1. & 7, 7. vt ab ea gente, & in ea regione Messias ederetur, quæ inania simulacra detestans, Deum verum summa veraque Religione coleret. In Osea vocari iubet Dominus filiam Oseæ *Loruchan*, id est, *Absque misericordia; quia*, inquit, *non addam vltrà misereri domui Israël, sed obliuione obliuiscar eorum. Et domui Iuda miserebor, & saluabo*

4. Reg. 17. & 18. Ioseph. lib. 11. Antiq. cap. 5.

Ose. 1, 6.

ſaluabo eos in Domino Deo ſuo. Ac ſi dixiſſet: Decem tribus perpetua captiuitate mulctabo, at domum & tribum Iuda tuebor, propter Dominum Deum Meſſiam, & matrem eius Mariam. Et Rupertus ait: *Mederi domui Iuda & domui Dauid oportuit, cuſtodiri & defendi bonam radicem iſtius ſtirpis, vnde naſciturus erat Chriſtus.* Et de tribu Leuitica & Sacerdotali inquit Ioſephus, vſque ad ſua tempora ſucceſſiones Sacerdotum ab Aaron, cùm non Ieroſolymis tantùm, ſed vbique gentium Iudæi eſſent, ſcriptis ſemper eorum nominibus in publicis tabulis, eſſe legitimè conſeruatas, nec aliquando labefactatas, vel aliqua ratione mutatas. Et quod de Sacerdotũ ſucceſſione dicitur, certe idem de aliarum tribuum & familiarum memoria dicendum videtur. Etenim ſtatim ac à Babylonica captiuitate reuerſi ſunt filij Iſraël, & venerunt in Ieruſalem, dicitur quomodo omnes profecti ſunt in vrbes ſuas, & quòd quælibet familiæ ſecundùm ſuas facultates dederint pro templi ædificatione. Et frequenter in libris Eſdræ, huiuſcemodi diſtinctionem conſeruatam fuiſſe indicatur, dum vel aſſignantur partes ædificandæ ciuitatis ſecundum tribus, vel dum de miniſterijs eorum, vel etiam de tranſgredientibus legem Dei agitur. Quòd ſi apud illos non fuiſſet tribuum diſtinctionis conſeruata memoria in captiuitate, nec poſtea earumdem aſſignari potuiſſet.

Rupertus lib. 5. de Victoria verbi Dei, c. 18.

Ioſeph. lib. 20. Antiq. c. 8. & contra Apionem lib. 1.

1. Eſd. 2. 6.

Quare vt ad id, vnde parum digreſſi ſumus, reuertamur, dicimus, Iſraëlitas & Hebræos dictos fuiſſe *Iudæos* à tribu Iuda, quæ fuit præcipua, cuius poſt Babylonicam captiuitatem Dux & moderator illius populi fuit Zorobabel, & ab ipſis habitantibus Palæſtina *Iudæa* appellata eſt.

Iuda nominis ſignificatio.

Iudæ nominis interpretatio *laudatio* eſt, vel *confeſſio*: vnde Iudæi *confitentes* dicuntur. Et verè in Iudæa Iudæi laudabant & confitebantur Deum; apud ipſos enim ſacerdotium, ſacrificium, templum, diuina lex, & Dei cultus viguit.

Quintò, Terra promiſſionis appellatur Terra ſancta. Adrich in Præfation.

Quintò, *Terra promiſſionis* dicitur. Videtur aliquibus hoc nomen non eſſe huius regionis proprium, ſicut nec alterum, ſcilicet *Terra ſancta*, ſed eſſe myſterij & prophetiæ, quoniam iſta nomina non ita expreſſa videntur in Sacris litteris: veriſſimè tamen ſemper & *Terra promiſſionis* & *ſancta* dicta fuit.

Verùm etſi hæc nomina vel explicitè vel frequenter non inueniantur in Sacris litteris; & ſint impoſita ad ſignificanda myſteria; habere tamen rationem verorum nominum crediderim, cùm aliquid ſignificent, imò ſint impoſita ad ſignificandam regionem hanc de qua loquimur; & nomen illud eſt, quod quid res eſt indicat: ſed quando dicimus Terram promiſſionis, vel ſanctam, indicamus hanc regionem verè ſanctam eſſe, & Patribus antiquis promiſſam. Nec Scriptura ſancta horum nominum eſt oblita: etenim etſi priùs Terra promiſſionis explicitè non inueniatur in ipſa, implicitè tamen frequenter inuenitur, quoties, videlicet de eius promiſſione, facta Abrahæ & alijs, ſermo eſt. Nam non alia ratione dicitur *Terra promiſſionis*, niſi quia fuit antiquis Patribus repromiſſa. De poſteriori & altero nomine poſtea dicam.

Sextò, Requies Domini.

Sextò, *Requies Domini* aliquando appellata inuenitur, vt Pſal. 94, 11. vbi dicit Dominus per Prophetam: *Si introibunt in requiem meam*, id eſt, in Terram promiſſionis, vel promiſſam, vt communiter Doctores interpretãtur, quòd æternæ quietis typus eſſet, & ad quam, vt à labore ad requiem, Iſraëlitæ ex Ægypto venerunt. Cui appellationi & altera cõpulari poteſt, quæ habetur in Ezechiele, *Terra viuentium*, quia in ea colitur verus Deus & viuus (*Notus in Iudæa Deus*, &c.) qui largitur vitam & immortalitatem. Quare & proprium Dei epitheton eſt, viuum dici. Pſal. 41, 3. *Ad Deum fortem viuum.* 1. Tim. 1, 17. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili*, &c. & iterum: *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Et viuos gratiâ facit cultores ſuos, vitamque æternam ſperantes. Dicitur etiam [a] *hereditas* & [b] *poſſeſſio* Dei à Regio Vate.

Ezech. 26. 20. Pſal. 75, 2. Hebr. 10, 31. [a] Pſal. 77, 71. [b] Pſal. 134, 4.

Septimò, dicitur Terra abſolutè.

Septimò, *Terra* abſolutè, vel cum additione *omnis*, ſignificat hanc Terram promiſſionis, & ex Sacris litteris ſuppetunt exempla. Pſal. 73, 12. *Deus autem Rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Ierem. 1, 14. *Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ.* Iſaiæ 24, 4. *Luxit & defluxit terra.* & Ezech. 7, 2. *Venit finis ſuper quatuor plagas terræ.* & denique Matth. 27, 45. *Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.* In his omnibus locis, *Terra*, vel *vniuerſa terræ* nomine, Iudæam ſiue Palæſtinam intelligunt plures Interpretes.

Octauò, Terra ſancta.

Octauò denique dicitur *Terra ſancta*, quod nomen licet origine alijs videatur poſterius, excellentiâ tamen & dignitate præſtantius eſt. Nam non dicta eſt *Terra ſancta*, niſi poſtquam in ea viguit cultus Dei, & à Chriſto ſuâ præſentiâ & Sanguine conſecrata & ſanctificata fuit. Denominationis huius fit mentio in libro Tobiæ, vbi S. Tobias Ieruſalem in Terra ſancta ædificatam, Spiritu ſancto afflatus propheticè alloquens, dixit: *Et terram tuam in ſanctificationem habebunt.* Tob. 13, 14. Vatablus: *Terram tuã habebunt conſecratam.* Arabs: *Et reputabunt regionem tuam ſanctificatam*

Digitized by Google

catam. & clariùs adhuc in libro Sapientiæ, vbi dicit Sapiens: *Illos enim habitatores terræ sanctæ tuæ.* & loquitur ad litteram de Iudæa secundùm Lyranum, vt ex sequentibus verbis manifeste apparet. Terra sancta; quoniam ibi tempore Legis veteris viguit Dei cultus, ibi immortali Deo accepta offerebantur sacrificia, quando in alijs partibus idolis immolabantur victimæ, & opera manuum hominum honorabantur. Cælestia & diuina Sacramenta, alijs hominibus abscondita, fuerunt huius terræ habitatoribus reserata, Dauide dicente: *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* & iterùm, *Notus in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius.* Quia insignes protulit Sanctos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Leuitas, aliosq; complures sanctitate ac doctrina conspicuos, ac Deo acceptissimos viros ac mulieres. Quia apta Sanctorum habitationi, propter suam asperitatem, quæ quantò delicijs sæculi caret, tantò abundat delicijs spiritus. Quia figuræ & symbola veteris Legis in ea impleta fuère tempore gratiæ: siquidem in ea Verbum caro factum est, & ex Virgine MARIA CHRISTVS, Dei & Virginis Filius, natus visibilis apparuit, & factus homo, cum hominibus conuersatus est: in ea miracula fecit, verbum vitæ proposuit, & nomen Patris sui hominibus manifestauit: in ea pro hominum salute Sanguinem & spiritum dedit Patri suo in holocaustum: in ea resurrexit, ad cælos ascendit, & super credentes Spiritum sanctum misit. In ea diuisi sunt Apostoli per vniuersum mundum ad prædicandum Euangelium omni creaturæ. Ad quam denique veniet in nubibus cæli cum potestate magna & maiestate Filius hominis, ad iudicandum omnes gentes, vt vnicuique reddat secundùm quòd gessit, siue bonum siue malum: vbi electis reprobis in ignem æternum, electos ducet in terram sanctam, terram viuentium. Ad quæ respiciens Vrbanus II. Pont. Max. in quodam Sermone habito in Concilio Claramontensi, de his agens dixit: *Quam terram meritò sanctam diximus, in qua non est etiam passus pedis, quem non illustrauerit & sanctificauerit vel corpus vel vmbra Saluatoris, vel gloriosa præsentia sancta Dei Genitricis, vel amplectendus Apostolorum commeatus, vel Martyrum ebibendus sanguis effusus,* &c. Propter hæc ergo regio ista est & appellatur *Terra sancta.* Et hæc de nominibus Terræ sanctæ, & eorum significatione, dicta sufficiant.

Sap. 12, 3.

Quare dicta Terra sancta.

Psal. 147, 9.

Psal. 75, 2.

CAPVT III.

Diuisio Terræ sanctæ in communi.

CVm rerum particularium, & minùs communium, numquam possit perfecta haberi cognitio, nisi priùs innotescant nobis vniuersalia & magis communia, sub quibus illa continentur, vt docent Philosophi; ideò cùm proposuerimus tractare de quibusdam peculiaribus locis Terræ sanctæ, vt dilucidè & ordinatè procedamus, operæ pretium erit, priùs de ipsa Terra sancta in genere aliqualem præmittere notitiam, in cuius ambitu loca peculiaria continentur. Ad hoc verò consequendum, præter nostrum studium operâ & labore eorum vtemur, qui scriptis diligentissimè consignarunt quæ eam perlustrando adnotarunt, vel quæ studio & relatione didicerunt (hi fuerunt Iosephus Iudæus, D. Hieronymus, Brocardus, Adrichomius, & alij) præsertim cùm totam hanc regionem non percurrerim, omniaq; ad amussim, vt voluissem, non viderim. Et quamuis totam percurrissem, adhuc doctore indiguissem qui indicaret loca, vbinam sit Nazareth, quænam sit Bethlehem, &c. Vt enim verè & sapienter dixit D. Augustinus, *Ea quæ remota sunt à sensibus nostris, quoniam nostro testimonio scire non possumus, de his alios testes inquirimus, eisq; credimus, à quorum sensibus remota esse vel fuisse non credimus.*

Lib. 11. de Ciuit. Dei, cap. 2.

Antequam verò ad alia tractanda de Terra promissionis accedamus, eius diuisionem, & primò communiorem, præmittemus in præsenti Capite; peculiarem deinde in sequentibus prosequemur. Sed priùs quàm ad illam accedamus, duo præmittenda sunt. Alterum, nos dupliciter loqui posse de Terra promissionis: vno modo, prout à Deo Abrahæ & semini eius promissa fuit, quæ à flumine Ægypti vsque ad fluuium magnum Euphratem se extendit, de qua Gen. 15, 7. alio modo, de ea sola parte quæ liberè possessa & habitata fuit à filijs Israël tempore Iudicum, vel Regum Israël; cuius termini sunt Dan & Bersabee, vt dicitur 2. Reg. 3, 10. & alibi frequenter, & de hac nos infrà Capite XXIV. huius Libri. Alterum notandum, terram Patribus repromissam posse multipliciter diuidi. Primò, vt iussu Dei diuisa fuit à Moyse ab & inuictissimo Duce Iosue: & sic mansit vsque ad Salomonem. Secundò, vt diuisa fuit post obitum Salomonis, vsque ad captiuitatem Babylonicam. Tertiò, vt à reditu captiuitatis Babylonicæ, quòad venit sub Imperium Romanorum, fuit distributa. Quartò, quomodo fuerit sub Romanis. Et Quintò denique, quomodo nunc partita maneat.

Terra promissa duplex consideratio.

Terræ promissionis multiplex diuisio.

Num 34, 3. Iosue 15. per tot.

Ad

Prima diuiſio.

Ad propoſitam diuiſionem accedamus nunc. Si loquamur de Terra promiſſionis & diuiſione primo modo, dicimus, illam diuiſam eſſe in duas partes: in eam quæ eſt vltra Iordanem, & in eam quæ eſt citra Iordanem; quarum quælibet continet ciuitates, caſtella, vicos & villas: & hæc tota in duodecim partes diſtributa fuit à Ioſue, ſecundùm nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël, vt patet in Ioſue à capite 15. vſque ad 20. quam terram non tunc quidem totam poſſederunt, ſed tempore Salomonis tota tributaria facta eſt, vt dicemus infrà Cap. xxi. Et de iſta diuiſione in duodecim partes loquemur inferiùs Cap. xxv. nunc ſat ſit dicere in communi, ſic fuiſſe partitam. Illa pars quæ eſt vltra Iordanem, aſſignata eſt duabus tribubus Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe, ab ipſo Moyſe adhuc viuente, antequam tranſirent Iordanem, vt habetur Numer. 32, 1. 19. 22. & 32. & Ioſue 1, 13. quæ poſteà illis conceſſa fuit à Ioſue, eo tamen pacto, vt venirent cum alijs tribubus ad acquirendam alteram partem quæ eſt citra Iordanem, alijs tribubus diſtribuendam, Ioſue 1, 15. Et hanc poſſederunt aliæ nouem tribus, Iuda, Simeon, Dan, Beniamin, Ephraim, Iſſachar, Zabulon, Nephthalim, Aſer, cum dimidia tribu Manaſſe. In illa eſt Regnum Baſan, Regio Trachonitis, Regnum Amorrhæorum, & Regio Tranſamnana: in iſta eſt Galilæa, Samaria, & Iudæa, & adhuc Regio Palæſtinorum, ſiue Idumæa. Illa ad Orientem & Meridiem poſita eſt, habens pro termino montes, & deſertum Arabiæ; iſta reſpectu illius ad Septemtrionem & Occidentem ſita eſt. Et hæc pars citra Iordanem, quoniam præcipua eſt, aliquando, imò frequenter, nomine *Palæſtina* vel *Terra ſancta*, & *promiſſionis* intelligitur, ſicut cùm dicimus Palæſtinam diuidi in Idumæam, Iudæam, Samariam, & Galilæam.

Secunda diuiſio.

Si verò diuidatur ſecundo modo, prout fuit diuiſa poſt mortem Salomonis, regnante filio eius Roboam, dicimus, eam diuidi conſueuiſſe in duo Regna, in *Regnum Iuda*, & in *Regnum Iſraël*; quorum nominum & Regnorum diſtinctionem frequenter obſeruant Prophetæ in ſuis vaticinijs. Regnum Iuda eam partem Terræ promiſſionis continebat, quæ contigit tribui Iuda & Beniamin, vnde & hæc pars *Regnum duarum tribuum* dicta eſt, at frequentius *Regnum Iuda*, à tribu Iuda quæ præcipua erat, ſed rariùs *Regnum Beniamin*. Eius Reges ſimiliter dicebantur, à præcipua tribu, *Reges Iuda*; & *Reges* etiam *Ieruſalem*, à Regia ciuitate Ieruſalem, illius Regni metropoli. Regnum verò Iſraël continebat totam illam regionem, quæ alijs decem tribubus ſorte obuenit: & Reges eius, retento nomine communi & antiquiori, *Reges Iſraël* dicebantur. Dicebantur etiam nonnumquam *Reges Samariæ*, quoniam Samaria, quæ nunc *Sebaſte* dicitur, propter ſuam fortitudinem & delicias, fuit Regalis ciuitas Regum Iſraël, ſicut Ieruſalem Regum Iuda. Vel à Samaria prouincia, in qua Sebaſte ſita eſt: Samaria enim eſt nomen commune prouinciæ, & præcipuæ ciuitatis illius, 3. Regum 16, 24. Sed primum verius credo, quòd à ciuitate: quia ſi à prouincia ſumebant appellationem, quare non denominabantur à Galilæa, quæ ad eos pertinebat, digniorq; & latior prouincia eſt Samariâ? Ideò quemadmodum Salomon, etſi totius Terræ promiſſionis Rex eſſet, à ſua metropoli Ieruſalem dictus eſt Rex Ieruſalem; ita à præcipua ciuitate Regni decem tribuum Samaria, Reges eius Reges Samariæ appellati fuere.

Cauſa diuiſionis Regni Iudæorum.

Diuiſio horum Regnorum, quæ priùs ſub Dauide & Salomone vnicum erant, facta eſt ſub Roboam Salomonis filio, qui ei in Regno, ſed non in ſapientia & prudentia, ſucceſſit. Eius diuiſionis cauſa legitur libro tertio Regum, quòd cùm Roboam Salomonis filius pro patre regnare cœpiſſet, noluiſſetque petitioni populi Iſraëlitici acquieſcere, vt mitiùs ageret cum eo quàm egiſſet pater ſuus, nec tot oneribus eum grauaret, ſicut fuerat à Salomone grauatus; nec eum placidis & mollibus verbis ſecundùm ſeniorum conſilium dimiſiſſet, ſed duris ſermonibus repuliſſet ſecundùm iuniorum placitum: tunc in furorem actus, & ira percitus populus, in duas partes diuiſus eſt, in eam quæ duas tribus continebat, Iudam & Beniamin, quibus adde Leuiticam, quæ non rebellarunt, ſed legitimo Regi Roboam adhæſerunt; & in illam quæ reliquas decem tribus continebat, quæ, naturali ac legitimo Rege relicto, Ieroboam, olim Salomonis ſeruum, Regé ſibi præficientes, ſecutæ ſunt. Sicque factum eſt, vt florentiſſimo & à Deo dilecto Regno in duas partes diſtributo, ignauia & aſperitate Roboam (at iuſto Dei permittentis iudicio, propter Salomonis peccatum, vt per Prophetam Ahiam, pallio in duodecim partes diuiſo, indicauit Ieroboamo) Reges qui à duabus tribubus deſcendebant, iſdemque præerant, mutato nomine dicerentur *Reges Iuda*, & non *Iſraël*, quoniam Iſraëlis minor pars eis parebat: qui verò decem alijs tribubus Reges præficiebantur, cùm maior pars Iſraëlis illis ſubiecta eſſet, priori retento nomine, *Reges Iſraël* appellati fuerint, & eorum Regnum *Regnum Iſraël*. Dictum etiam aliquando

3 Reg. 11, 18. & 20.

3. Reg. 11, 30. 31.

quando fuit *Regnum Ephraim*, vt Ezech. 37, 16. vel *Ioseph*. Regnum Ephraim, quoniam Ieroboam, qui primò post illius Regni diuisionem imperauit Israëli, descendit ab Ephraim filio Ioseph. Psalmo 77, 67. *Et repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribum Iuda.* quæ verba, secundum Glossam ex D. Hieronymo in Ezech. 37. intelliguntur de Regno Ieroboam, qui descendit à Ioseph per Ephraim filium eius. A locis verò appellatum *Regnum Samariæ, Iezraël, Bethel, & Bethauen.*

Tertia diuisio.

Si tertiò consideretur Terra promissionis, vt fuit diuisa post reditum duarum tribuum à Babylonica captiuitate, vsque quò fuit à Romanis possessa, dicimus eam fuisse in quatuor prouincias distributam, *Idumæam, Galilæam, Samariam, & Iudæam.* Quæ prouinciæ licet aliquando fuerint diuersis dominis subiectæ post Israëlitarum & Iudæorum captiuitatem, vtpote Galilæa & Samaria, siue Regnum decem tribuum, subiecta fuerit Assyrijs, à quibus & capta fuit; & Iudæa, siue Regnum Iuda, Chaldæis, eadem ratione; cùm tamen duo illa Assyriorum & Chaldæorum Imperia sibi inuicem bellum intulissent, victi fuerunt Assyrij, eorum Imperium extinctum, & tota eorum terra Chaldæis subiecta fuit, & res gestæ Chaldæorum laudibus Assyriorum obscuritatem attulerunt. Hinc factum est, quòd Assyrij & Mesopotamij in *Babylonia* nomen (vt ait Iulius Solinus) transierint. Vnde tempore reditus Regni Iudæ ex Babylonica captiuitate, tota Palæstina Chaldæis subiecta erat, vt patet ex libro quarto Regum, & Ieremia Propheta: quæ in duo Regna diuisa fuit, vt priùs, *Iuda* & *Israël*: & hoc in duas prouincias, Samariam & Galilæam; alterum, id est Iuda, in Iudæam & Idumæam, ab alijs religione & moribus differentes, vt dicemus.

4 Reg. 18, 9. 10 33. 4 Reg. 25, 8. 9. 10.

4. Reg. 25, 24. Ierem 39, 9 & 52, 15.

Quarta diuisio.

Quartò, si consideremus hanc regionem vt fuit sub Imperio Romanorum distributa, dicimus, pluries eam fuisse diuisam. Primò ab A. Gabinio Româ in Syriam misso, post deiectum Alexandrum Aristobuli filium, qui post fuum e Roma reditum, collecta magna militum manu, multis incursionibus Iudæam depopulauit, admodumque vastauit: distinxitque Iudæam, id est Palæstinam, in quinque partes; voluitque vt vna pars Ierosolymis iura peteret, altera in Gora seu Gadera, tertia in Amathunte, quarta in Iericho, & postrema in Sephoris Galilææ oppido, vt patet apud Iosephum.

Ioseph. lib. 14 Antiq. cap 10. & 1. de Bello cap. 6.

Quinta diuisio.

Secundò, tota hæc Regio, continens Regna, prouincias, & ciuitates, post miserandum sed iustum interitum Herodis Iudæorum Regis, Innocentiumque puerorum interfectoris, diuisa fuit non semel; sed non amplius in Regna, sed in Tetrarchias. Sed quid significat *Tetrarchia?* Ne per incognita procedamus, quidam dicunt esse quartam partem alicuius regionis, & illius Præsidem *Tetrarcham* appellari. Alij dicunt, potiùs vsum vocabuli, quàm significationem attendendam esse, negantes cum Plinio, Tetrarchiam esse Regni vel prouinciæ alicuius quartam partem, sed esse Principis cuiusq; dominium, etiamsi vnica tantùm fuerit ciuitas: quippe qui dicat, prouinciam in Palæstina *Decapolim* dictam, cuius sit mentio in Euangelio, cùm decem habuerit ciuitates; earumdem fuisse Tetrarchias singulas Regnorum instar, & in Regna solere distribui. Itaque mortuo Herode, *Rex* vel *Regnum* non amplius nominatum est apud Hebræos, quod maximè desiderauerunt ipsi, ab Augusto Imperatore post mortem Herodis, vt docet Iosephus, sed obtinere non potuerunt: etenim diuisit ille primò Palæstinam in tres partes, quæ non Regna sed Tetrarchias appellari voluit. Rem gestam, & intentã diuisionem Palæstinæ, sic accipe ex Iosepho. *Dimisso his auditis* (quæ scilicet à Iudæis contra Herodem & Archelaum, & in horum defensionem à Nicolao Damasceno responsa erant) *Senatu, Augustus paucos post dies Archelaum, non Regem declarat, sed dimidia parte ditionis, qua Herodis fuerat, ei concessa. Tetrarcham constituit, Regni [illegible]que pollicitus, cùm primùm se tali honore dignum redderet. Alterum dimidium partitus est inter alios duos filios Herodis, Philippum & Antipam. Huic Transamnana regio cessit, cum Galilæa, & ducenta talenta annua: Bathanea verò cum Trachonitide, & Auranitis, cum parte quadam Zenodori, vt vocant, domus, obtigit Philippo, & centum talenta annui reditus. Archelao verò Iudæa, & Idumæa, præterq; has Samaria, cuius auctoritate Cæsaris tributorum quarta pars remissa est, eò quòd ceteris tumultuantibus soli quietè manserant in officio. In Archelai ditione comprehendebantur vrbes, Stratonis turris, Sebaste, Ioppe, & Ierosolyma: nam Gazam, Gadaram, & Hippenem, Græcanici instituti vrbes, Cæsar ob id separatas à Regni terminis, Syriæ contribuit. Sexcenta autem talenta quotannis redibant ad Archelaum.* Hæc Iosephus de partitione Regni Iudæorum facta ab Augusto priùs, quo tempore heredum Herodis causa Romæ acta est in Senatu.

Tetrarchia quid.

Plin. Hist. nat. lib. 5. cap. 18.

Matt. 4, 15. Marc. 5, 20. & 7, 31.

Ioseph. lib. 17. Antiq. cap. 12.

Ioseph. lib. 17. Antiq. cap. 13.

Adrich. 33. num. 33.

Sexta diuisio.

Tertiò, fuit eadem regio sub Tiberio Imp. in quatuor Tetrarchias diuisa, vt legimus apud Iosephum. Sed breuiùs & certiùs apud Lucam Euangelistã, dum dicit: *Anno quin-*

Ioseph. lib. 17. Antiq. cap. 10. Luc. 3, 1.

to

to decimo Imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilæa Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ Tetrarcha.

Septima diuiſio.

Denique nunc eadem regio ſub Turcarum tyrannidem redacta, non ſimiliter diuiſa, ſed in varias ciuitates & oppida, quibus diſtincti Gubernatores præpoſiti fuère, qui *Baſci*, vel *Sanzacchi*, & *Emiri* vel *Emini* dicuntur.

Ex quibus omnibus conſtat, quando hæc regio diuerſimodè ſecundùm temporum viciſſitudines diuiſa fuerit, & quomodo, Deo iuſtè permittente, quæ fuit florentiſſimum Regnum tempore Dauidis & Salomonis, poſteà propter peccata inhabitantium fuerit depopulata, in Tetrarchias diuiſa, ad Iudæorum ſuperbiam minuendam, vt dicit Gloſſa Bedæ in cap. 3. Lucæ; ac denique aliter, vt in præſenti dolentes cernimus.

Verùm quoniam fideles, propter myſteria quæ facta leguntur in ea, vt in prouincias diſtincta eſt in Sacris litteris, quæ ſpecialem faciunt mentionem *Idumææ, Iudææ, Samariæ* & *Galilææ*, eam venerantes, ſimilem in ea diſtinctionem agnoſcunt; nos eamdem ſequentes, aliqua ſeorſim dicemus de ſingulis his prouincijs. Et hæc ſatis nunc de communi Terræ ſanctæ diuiſione, alia ſeruantes inferiùs ſuo loco in medium proponenda Capite xx. dum de particulari diuiſione eiuſdem agemus.

CAPVT IV.

De Idumæa, prouincia Terræ ſanctæ.

Terra ſancta in quatuor prouincias diuiditur.

COmmunis, facilis, receptaque eſt illa Terræ ſanctæ diuiſio in quatuor prouincias, *Idumæam, Iudæam, Samariam*, & *Galilæam*: quam & nos ſequentes, de vnaquaque prouincia ſeorſim agemus: de Idumæa Capite præſenti, de alijs prouincijs in ſequentibus noſter erit ſermo.

Tria verò hîc notabimus, quæ propoſito noſtro, & ad nonnullorum locorum ſacræ Scripturæ intelligentiam proderunt: primum, quòd quatuor memoratæ prouinciæ ſint ab inuicem diſtinctæ; ſecundum, de quibus locis *Idumææ* nomenclatura enuntietur; tertium denique, quid ſit Idumæa prouincia, & quantum ſe extendat.

Idumæa diſtinctio à Iudæa, Samaria, & Galilæa, & ſingularum ab inuicem.

Quantum ad primum, Coſmographi, & ſingulariter qui ex profeſſo de Terra ſancta & eius locis ſcripſerunt, diſtinctionem ex Sacris etiã litteris petitam, inter Idumæam, Iudæam, Samariam, & Galilæam agnouerunt. In primis diſtinctionem inter Galilæam & Iudæam, ex D. Luca, qui loquens de aſcenſu Ioſephi ex Nazareth in Bethlehem, ait: *Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa* Luc. 3,4. *de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem*, &c. & ex Matthæo, qui agens de eiuſdem Virginis ſponſi reditu ex Ægypto in Nazareth, inquit: *Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire: & admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ. Et veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth*, &c. & in Actis apertiſſimè, *Eccleſia quidem*, inquit Lucas, *per totam Iudæam, & Galilæam & Samariam habebat pacem*, &c. Diſtinctionem deinde inter Iudæam, Samariam, & Galilæam, prodidit Ioannes Euangeliſta. Dum enim loquitur de quadam Chriſti profectione ex Iudæa in Galilæam, dicit: *Reliquit Iudæam, & abijt iterùm in Galilæam. Oportebat autem eum tranſire per Samariam.* Ecce trium prouinciarum Palæſtinæ manifeſta diſtinctio.

Matt. 2, 22. Act. 9, 31. Ioan. 4, 3.

Sed & alterius, id eſt Idumææ, à memoratis diſtinctum ſitum Euangeliſta Marcus explicuit, dum ſermonem faciens de multis, qui ex varijs partibus Chriſtum ſequebantur, de Idumæa, tamquam de loco ab alijs diſſito, ſic locutus eſt: *Et multa turba à Galilæa & Iudæa ſecuta eſt eum, & ab Ieroſolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem.* Trans-Iordanis regio ab Hermolao eadem dicta eſt, quam Plinius lib. 5. cap. 14. & Ioſephus lib. 3. cap. 3. circa med. frequenter *Peræam* vocant. Illo verò appellatur nomine, quòd trans ſiue vltra Iordanẽ ſit: quemadmodum terra quæ trans Euphratem eſt, Straboni (lib. 16. ante med.) dicitur *Perea*; & Trans-Tigritani dicuntur, qui trans Tigrim fluuium ſunt; & Trans-Danubij, qui vltra Danubium habitant. Qua ratione loco citato Plinius vocat Iudæam *citeriorem* & *vlteriorem*, velut amne diuiſam. Patet itaque diſtinctio inter Idumæam, Iudæam, Samariam, & Galilæam Terræ ſanctæ prouincias, quod priori loco explicandum propoſuimus.

Marc. 3, 8.

Trans-Iordana regio qua, & vnde dicta.

Quantum ad ſecundum, quibus locis *Idumæa* nomen conueniat; dico, ciuitati, campeſtribus, deſerto, & regioni conuenire, vt videre eſt apud Adrichomium in ſuo Terræ ſanctæ Theatro. De Idumæa ciuitate agit in *Pharan* num. 35. *Duma*, inquit, *quæ & Idume, & Idumæa, vna ex vndecim Iudææ Toparchijs, Idumææ metropolis; vnde etiam per antonomaſiam pro Idumæa ſumitur.*

Idumæa nomen de quibus dicatur.

Iſa. 21, 11. & ibi Hieron. & in Trad. Hebra. in Gen. Ioſeph lib. 3. Bell. c. 2.

De deſerto & campeſtribus ibidem agit num. 51. *Deſertum Idumææ*, 4. *Reg.* 3, 8. *Pſal.* 62, 1. Fit & mentio *campeſtrium Idumææ* apud VVilhelmum Tyrium lib. 20. Belli ſacri, cap. 29.

De regione, in *Manaſſe* num. 43. & pluribus in *Iuda* num 106. hîc enim de eius multiplici nomine, conditione, partibus, &

Digitized by Google

extensione agit, quod fuit tertio loco propositum. Sic verò ait: *Edom Hebraicè, quam Græca septuaginta Interpretum & Latina translatio Idumæam votant, e litterâ in i mutatâ, dicitur etiã Aedon, Seir, Duma, Gobolitis, & Hebraicè Adomith & Adoma: quod cùm significet Rubens, fuisseq́, proprium nomẽ Esau, pòst in regionem ipsius ditionis est derivatum, quod Græci in mollius deflexerunt, Idumæam dicendo. Regio est undequaque munita fastigijs montium, & in scissuris petrarum sita. Nomen, vt iam diximus, accepit ab Esau, qui cum suis posteris hanc inhabitauit; quapropter nonnumquam & Regio Esau nuncupatur: vnde & vna ex vndecim Iudææ Toparchijs, ordine octaua. Ponit autem duplicem Idumæam Iosephus, superiorem & inferiorem. Superiorem elegit tribus Iuda, quæ in longum extenditur vsque ad Ierosolymam, latitudine verò vsque ad paludem Sodomæ* (lacum Asphaltitem dicit) *constituta est. In hac sorte erant ciuitates Ascalon & Gaza, quam alio nomine appellabant Palæstinam. Altera verò Idumæa, quam inferiorem diximus, cessit Simeonis tribui, & hæc est circa Aegyptum, & Arabiæ montem*, &c. Hæc Adrichomius.

D. Hieron. de Locis Hebraic.

Idumæa qualis regio.

Duplex est Idumæa: altera superior, quæ & Palæstina dicta;

altera inferior, & vbi ea sita sit.

Si quid ex Scriptura & probatis Auctoribus de Idumæa loqui voluero, dicam, illius partes circumquaque ambire Terram sanctam, & ex Esau progenitos illam habitasse in plaga Orientali, Occidentali, Meridionali, & Septemtrionali Terræ sanctæ, eiusque latitudinem longitudinémve sic esse describendam: Idumæa regio est Terræ sanctæ prouincia, eam claudens ex omnibus ferè eius partibus: hæc enim à principio siue emersu lacus Sirbonis in Occidentem extenditur, vbi sunt vrbes Maresa, Rinocorura, Raphæa, Anthedon, Ascalon, Azotus, Gaza; quæ etiam nonnumquam Iudææ tribuitur, vel quia Iudææ Australis terminus, vel quia à Iudæis aliquando occupata. Qua ratione & Plinius lib. 5. cap. 13. confundit Idumæam cum Palæstina; quoniam passim ea loca tam Philisthæi quàm Idumæi tenebant. Extrema Iudææ ad Occidentem, & proxima Cassio monti, Idumæi incolebant origine Nabathæi, ex filijs Esau; quos in Arabia fuisse, & ad Mare rubrum attigisse, legimus 3. Reg. cap. 9, 26. Cingit & ex parte Australi in confinio Ægypti, vbi sunt montes Seir; ex parte verò Septemtrionali montes Galaad, regio Galaaditis (nam in ea habitabat Esau, cui ex Mesopotamia ad Terram Chanaan redeunti obuiauit Iacob, vt patet in Genesi) & terra Hus, vbi regnabat Iob, antequam Idumæi ad oppositam Australem plagam concederent. Et ad Aquilonarem Idumææ partem respiciens Ieremias, illam alloquens sub nomine filiæ Edom, ait: *Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus.* At terra Hus est in Aquilonari plaga Terræ promissionis. Inquit verò in hunc locum S. Hieronymus, Esau, qui & Edom est vocatus, fratrem Iacob, plures filios habuisse, & inter illos Core, qui quidem Core fuit instaurator Damasci & Trachonitidis regionis. Quare ex filio Esau qui in terra Hus habitauit, vult terram illam Aquilonarem respectu Terræ promissionis, appellari Idumæam, etsi hoc nomen præcipue de Idumææ Australi parte dicatur. Sed quòd etiam ad Orientem eiusdem Terræ se extenderit, indicauit Salmeron, qui Tom. 1. Prolegom. 41. adductam ex Threnis auctoritatem expendens, dicit, Idumæos non tantùm habitasse montem Seir Australem Terræ promissæ, sed etiam totum ferè latus Terræ sanctæ Orientale, quod post Moabitas & Ammonitas habitatum fuit à filijs Edom in montibus, vsque ad terram Damasci. Ad quem diuersum & oppositum situm aliqui respicientes, duplicem statuerunt Idumæam, Australem, & Aquilonarem siue Occidentalem.

Situs & confinia regionis Idumææ.

Thren. 4, 21.

Terra Hus, in qua S. Iob inuenitur, vbi sita.

Aduertendum tamen, ad dictorum veritatem non esse necessarium, vt ex omni parte & in modum coronæ terminet & circumdet hæc habitatio filiorum Edom totam promissionis Terram; sed sufficere vt participet ex illis, & pars aliqua verè Orientalis dicatur & Aquilonaris, quia flectit ad Aquilonem. Quemadmodum Chaldæa regiõ, quæ toti Palæstinæ ad Orientem videtur sita, *Aquilonis* nomine sæpè nuncupatur, quòd ad eius Aquilonarem plagam inclinet, vt tum alibi, tum apud Ieremiam legimus, *Ab Aquilone pandetur omne malum*, id est à Chaldæa Orientali eius plaga ad Aquilonem vergente. Lege Villalpandum Tom. 3. in Ezech. in Apparatu vrbis, par. 1. lib. 1. cap. 4. versus finem.

Ierem. 1, 14.

Sciendum, Australem Idumæam priùs habitatam fuisse ab Horrhæis; sed auctos filios Esau numero & viribus, qui priùs habitabant in Galaaditide & Idumæa Aquilonari, venisse ad habitandum in Australi, Horrhæis inde expulsis. Et quamuis non sit facile illius expulsionis determinatum assignare tempus, hoc tamen ex Deuteronomio manifestum, habitasse ibi cùm Israëlitæ in Ægypto degerent, & antequam ad Terram repromissam peruenirent.

Deut 2, 12. & 22.

Idumæa qua parte Mari magno & Iudææ adiacet, eximiè fertilis est; qua in Arabiam se extendit, sterilescit, & præsertim in Seir montibus, abundatque palmetis. Vnde Poëta:

Idumæa fertilis est regio.

Virgil in Georgic. 3. in initio.

Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas.

Et

Et alter:

Lucan. l. 3. *Gazaq́, & arbuſto palmarum diues Idume.*

ijſdemq́ cũ Iudæa legibus regebatur. De Idumæis ſcribit Strabo, fuiſſe Iudæis coniunctos, eiſdemque legibus communicaſſe: quæ cauſa fuit, vt nonnumquam loca quæ ad Idumæam pertinent, Iudææ tribuerentur. Et hæc de Idumæa ſatis.

CAPVT V.

De Iudæa, altera Terræ ſanctæ prouincia.

VNiuerſa Terra Chanaan nonnumquam *Iudæa* appellatur, vt ſuprà Cap. 11. notauimus: nos hic de ea non loquimur in tali accepta ſignificatione, ſed prout eſt præcipua eius pars & prouincia, quæ in hunc modum deſcribi poteſt: Iudæa regio eſt vna ex quatuor prouincijs Terræ promiſſionis, in eius Auſtrali parte citra Iordanem ſita, media inter noſtrum Mare mediterraneum & Mortuum; ad hoc enim vſque & ad Cades Barne ſe extendit. Certis limitibus ab Occidente & Auſtro Idumææ iungitur, à Septemtrione Samariæ & Galilææ copulatur; ab Ortu verò Iordani & Mari orientali, id eſt Galilææ, iungitur. Plures continet ciuitates, Ieruſalem, Bethlehem, Iericho, Hebron, & in vniuerſum omnes ciuitates, oppida, montes & colles, quæ tribubus Beniamin & Iuda obtigerunt: hiſce enim duabus tribubus data eſt in ſortem terra Iuda, vt videre eſt in libro Ioſue, & nos inferiùs amplius explicabimus; ſicut alijs tribus aliarum prouinciarum loca tributa fuêre. Metropolis Iudææ Ieruſalem, omnium illius ciuitatum clariſſima, poſt diuiſionem Iudaici populi in duas & decem tribus: ſed ante diuiſionem erat totius Terræ promiſſionis Regia. Iudæa omnibus terris altior dicitur, vt adnotant Interpretes in ea verba Domini apud Iſaiam, *Super altitudinem Terræ*, id eſt Iudææ, quæ ſublimior eſt omnibus terris. Inde Syria vocatur *Aram*, id eſt *ſublimis*.

Iudæa regionis ſitus, & quæ ei contermina.

Ioſ. 18, 21. 28.

Infrà Cap. xx. huius Libri.

Iudæa altior eſt omnibus alijs regionibus.

Iſa. 38, 14.

Inter Iudææ habitatores, ante aduentum Filij Dei in mundum (etſi plures ex ipſis idola coluerint) ſemper fuerunt veri Dei cultores, & in Iudæa ſemper viguit verus Dei cultus, vt in vtroque Teſtamento videre eſt; ideò dixit Chriſtus Samaritanæ mulieri, *Salus ex Iudæis eſt*: at poſt illius aduentum, & ex hoc mundo diſceſſum, quoniam pro maiori parte illum recipere noluerunt, receſſit ab eis lumen veritatis, ambulantéque in tenebris & vmbra mortis; & quem quærunt, non inueniunt, palpantes vt cæci in meridie. Quare de Iudæis loquens S. Paulus in poſteriore quam ſcripſit ad Corinthios Epiſtola, verè dixit: *Vſque in hodiernum diem, id ipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non reuelatum (quoniam in Chriſto euacuatur) ſed vſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. Cùm autem conuerſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.*

Olim veri Dei cultrix:

Ioan. 4, 22.

poſt Chriſti Aſcenſionem erroribus dedita.

2. Cor. 3, 14.

Geſta in Iudæa, & alia ad illius pleniorem cognitionem pertinentia, tum alibi, tum præcipuè vbi de illius peculiaribus locis diſſeremus, explicabuntur.

CAPVT VI.

De Samaria, tertia Palæſtinæ prouincia.

PRiuſquam de Samaria, tertia Terræ ſanctæ prouincia, ſermonem inſtituamus, notandum eſt, *Samariæ* nomen multiplicem habere ſignificationem. Aliquando enim ſignificat ipſam Samariam Terræ ſanctæ prouinciam, ab alijs prouincijs eiuſdem regionis diſtinctam: aliquando eius metropolitanam ciuitatem, quæ alio nomine *Sebaſte* nominatur, de qua inferiùs Libro VII. aliquando nomen *Samariæ*, maximè in nouo Teſtamento, inquit Ianſenius, totam ſi- Ianſen. c. lam regionẽ ſignificat, quæ à tribu Ephraim & dimidia tribu Manaſſe olim habitabatur. Nos hîc loquemur de Samaria ſecundùm priorem ſignificationem.

Vox Samaria varia ſignificat.

23. Conc. Euang.

Samaria itaque iſto modo accepta, tertia pars eſt Regni Iſraël, tertia item ex quatuor Palæſtinæ prouincijs, inter Iudæam & Galilæam media: Iudæa enim Auſtralem, Galilæa Septemtrionalem partem Terræ promiſſionis tenet, & inter vtramque Samaria. Et hoc ex Lucæ & Ioannis Euangelijs colligitur: ex illo, dum dicit, noluiſſe Samaritas IESVM cum ſuis admittere, eò quòd iteret Ieroſolymam; ex hoc, dum loquens de receſſu Chriſti ex Iudæa in Galilæam, inquit, *Oportebat autem eum tranſire per Samariam*, indicans fuiſſe inter vtramque mediam. De iſta prouincia dicitur apud eumdem Ioannem: *Venit ergo* IESVS *in ciuitatem Samariæ*, &c. &, *Venit mulier de Samaria*, &c. Hæc regio pulcherrimo & vberrimo loco ſita erat, vt docet D. Hieronymus ſuper Michæam, cap. 1. atque ideò dictum fuit ab eodem Propheta: *Tranſite vobis habitatio pulchra.* Anguſtior eſt Galilæa & Iudæa, nec cum his magnitudine conferenda: incipit enim à vico Ginæa confinium Iudææ, & definit in Acrabathenam Toparchiam, inter quos terminos paruum ſpatium intercedit. Et ſanè anguſta eſt, & citò tranſitur, vt videre eſt in deſcriptione Terræ ſanctæ, & experientia docet: latior tamen & amplior dicenda erit, ſi cum Brocardo dicamus, continere totam regionem Philiſthinorum, ſumens originem à Petra inciſa, quæ & *Caſtrum peregrinorum* dicitur, vſque ad Gazam Philiſthijm vrbem, tendens

Samaria prouincia deſcribitur.

Luc. 9, 53.

Ioan. 4, 4.

Ioan. 4, 5. ſeq. 7.

Mich. 1, 11.

dens contra meridiem. Verùm hoc pacto ſumpta Samaria, includit vel māiorem partem Terræ promiſſionis, vel ad minus regionem Palæſtinorum, & Idumææ partem. In conditione Iudææ eſt ſimilis, ciuitates continens & caſtella, montuoſa, oleis & alijs arboribus abundans; ſed, ni fallor, aquis illa abundantior.

Samaria nomē vnde.

Samariæ nomen, pro quo Hebraicè *Schomeron*, primùm dicebatur de monte ſito in ſorte Ephraim, qui nomen illud acceperat à ſuo quondam poſſeſſore, cui nomen *Somer*: à quo cùm montem hunc emiſiſſet Amri Rex Iſraël, vt ſcribitur 3. Reg. 16, 24. ædificauit in eo ciuitatem eiuſdem nominis, qua deinceps Reges Iſraëlitarum pro Regia vſi ſunt, cùm priùs Regia eorum eſſet Sichem à Ieroboam ædificata. Vnde eſt illud Iſaiæ: *Caput Ephraim Samaria.* In Prophetis, inquit D. Hieronymus, ſicut nomine Ephraim & nomine Ioſeph decem tribus nonnumquam ſignificantur, ita & nomine Samariæ. Appellatur etiam hæc prouincia *Samaritis* & *Samarienſis* regio. Plura in eius cognitionem dicentur, cùm de nonnullis eius locis diſſeremus inferiùs Lib. VII. Lege Ioſephum lib. 3. de Bello, cap. 2. Adrichomium in dimidia tribu Manaſſe citra Iordanem, num. 53.

Iſa. 7, 9.

Samaritani quales fuerint; veri Dei cultores, an idololatræ.

Sed quinam erant Samaritani huius prouinciæ incolæ? fideles, an infideles? Certum eſt, huius regionis habitatores, poſtquam filij Iſraël venerunt in Terram promiſſionis, eamque ceperunt & occuparunt, vſque ad diuiſionem Regni Iudæorum in duas & decem tribus, ſub Roboam Rege Iuda & Ieroboam Rege Iſraël, fuiſſe fideles veri Dei cultores: habitabant enim in ea tribus Ephraim, & dimidia Manaſſe. Verùm, facta, vt Sacræ litteræ docent, Regni diuiſione, etiam Religionis diuiſio ſecuta eſt: etenim timens Ieroboam, ne decem tribus, quæ in Samaria & Galilæa ſortes habebant, à ſe recederent, aut ſe interfecto ſequerentur Roboam, ſi illis facultatem conceſſiſſet redeundi in Ieruſalem ad immolandum Domino; duos vitulos aureos fabricauit, adorandosque, alterum in Dan, alterum in Bethel, propoſuit. Cui abſurdiſſimæ impietati ſtultus populus acquieſcens, vero Deo relicto, & templo Ieroſolymitano in quo colendus erat, adhæſit operi manuum hominum, & vitulos, qui opem ferre & in neceſſitatibus protegere non poſſunt, vero auxiliatori Deo prætulit, & adorauit. Quare de tam abſurda idololatria queritur apud Oſeam Dominus, dicens: *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ.* In qua mentis cæcitate cùm Ieroboam, ſucceſſores Reges, & Iſraëliticus peruerſus populus, Dei benignitatem & patientiam, quæ eos ad pœnitentiam adducebat, contemnentes, ducentos quadraginta duos annos tranſegiſſent, ſub Oſee vltimo Rege Iſraël, Salmanaſar Aſſyriorum Rex captiuos Iſraëlitas in Aſſyriam tranſtulit, & in regiones illas vacuas proprijs habitatoribus, ex alijs regionibus colonos deſtinauit. In hos Dominus immiſit leones: quorum ſæuitiam vt effugerent, Dominum colere ſtatuerunt. Quomodo verò colendus eſſet, didicerunt à Sacerdote Iſraëlita; verùm non ſoli Deo, ſed & commentitijs vaniſque dijs ſacrificia offerebant, vt dicitur 4. Reg. 17, 29. Hi ſunt Samaritani, de quibus fit mentio in Euangelio: *Cuthæi* à Ioſepho dicti, à regione Cutha, ex qua aliqui venerunt in Samariam, & à Samaria *Samaritani* ſunt appellati. Non ergo à ſignificatione nominis *Samar* Hebraicè, quod Latinè *cuſtodire* ſignificat, Samaritani dicti ſunt, quod Hebræi miſſi fuerint ab Aſſyriorum Rege ad cuſtodiendam terram Iſraël poſt Iſraëliticam captiuitatem, vt tradunt Hebræi, referente Origene in Ioannem: iam enim dudum nomen illud acceperat à ciuitate Samaria, vt indicatum fuit. Præterea etiam eadem ratione Galilæa eſſet appellanda Samaria, & Galilæi Samaritani, quoniam & ad cuſtodiendam Galilæam, partem alteram terræ Iſraël, miſſi fuerunt Hebræi, 4. Reg. 17. At id ineptum eſt; quare à Samaria ciuitate appellatur Samaria prouincia, & ab iſta incolæ eius Samaritani. Hi multo quidem tempore ſimul cum vero Deo etiam idola coluerunt; ſed poſterioribus temporibus, vt adnotauit Theophylactus, à cultu idolorum abſtinuerunt. Abulenſis ſic inquit: *Aliquando Samaritani venerunt ad colendum verum Deum. & ſic erat tempore Chriſti: nam tunc erat ſolùm diuerſitas inter Iudæos & Samaritanos, in quo loco adorandum erat, ſed non erat diuerſitas an deberet Deus adorari, an idola.* Ait quoque Theophylactus, Samaritanos ex libris ſacris quinque tantùm libros Moyſi recepiſſe. Idem docet Origenes, & Abulenſis omnium aſſertionem eſſe affirmat. Lege D. Epiphanium Hæreſi IX. Hoc ita eſſe, deprehenditur ex antiquiſſimis Bibliis manuſcriptis characteribus Samaritanis, aliquantulùm à veris Hebraicis immutatis, in quibus tantùm quinque Moyſis libri continentur; vt quędam illorum exemplaria in Palæſtina, cùm ibi eſſem, inuenta, & poſteà ad alias partes, præcipuè Chriſtianorum, delata demonſtrant.

3. Reg. 16, 17. & 26. vſque ad fin.

Oſe. 10, 5.

Theophyl. in Ioan. Abulenſ. in 4 Reg. 17.

Origen. l. 1. contra Celſum.

Inter Samaritanos & Iudæos diſſidium fuiſſe, conſtat ex veteri & nouo Teſtamento. *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis,* dixit Samaritana illa mulier Chriſto Domino.

Samaritani à Iudæis odio habentur.

Ioan. 4, 9.

no. Samaritani vt hæretici à Iudæis habebantur: negabant Spiritum ſanctum, quin & ipſum impugnabant. Non eſt dubitandum, in Samaria aliquos ex varijs tribubus Iudæos relictos fuiſſe à Salmanaſar Rege Aſſyriorum, & poſt reditum Iudæorum ex captiuitate Babylonica ex ipſis aliquos inter eos habitaſſe. Lege quarti libri Regum c. 17. & 18. & Ioſephum l. 9. Antiquit. cap. 14.

Per Samariá tranſijt aliquando Chriſtus, vt patet ex Euangelio, & nos ſuo loco dicemus. In Samariam miſſus fuit Philippus vnus ex Diaconis, & Chriſti diſcipulis, ad Chriſti Euangelium prædicandum. In Samariam ſe tranſtulerunt Petrus & Ioannes, vt Samaritanorum ſaluti conſulerent. Lege Baronium Tom. 1. ſub anno Chriſti xxxv. num. VII. & VIII.

Actor. 8, 5.

CAPVT VII.

De Galilæa, quarta prouincia Terræ promiſſionis.

ANtequàm totius Galilææ, quæ eſt quarta & poſtrema Terræ ſanctæ prouincia, deſcriptionem adducamus, neceſſarium eſſe arbitror, ipſius diuiſionem, & ſingularum partium explicationem in medium proponere; quoniam ex horum cognitione innoteſcet, quid de Galilæa in ſe dicendum veniat, præſertim cùm in aſſignandis terminis partium ipſius, Auctores non conueniant. Tota itaque Prouincia Galilææ diuiditur à Ioſepho, & communiter à Doctoribus, in duas partes, in Galilæam ſuperiorem & inferiorem: ſed quid vtraque ſit, ſunt variæ ſententiæ Auctorum.

Ioſeph. l. 3. de Bello, cap. 2. *Galilæa duplex, ſuperior & inferior, & quid vtraq; ſit.*

Quidam dicunt, vtramque Galilæam non ſe extendere vltra Iordanem; alij verò ſic, reſpectu Galilææ ſuperioris, alio nomine *Galilæa gentium* appellatæ. Sed prioris ſententiæ ſectatores ſunt adhuc in duplici differentia: quidam enim ſuperiorem vnius tribus Nephthalim partem dicunt; ſicut inferiorem, partem eſſe tribus Zabulon. Ita D. Hieronymus in lib. de Locis Hebraicis, *Galilæa*, inquit, *duæ ſunt, ex quibus vna Galilæa gentium vocatur, vicina Tyriorum finibus, vbi & Salomon viginti ciuitates donauit Hiram Regi Tyri, 3. Reg. 9, 11. in ſorte tribus Nephthalim. Altera Galilæa dicitur circa Tiberiadem, & ſtagnum Genezareth, in tribu Zabulon*, &c. Gloſſa item ordinaria Galilæam ſuperiorem in tribu Nephthalim, inferiorem in tribu Zabulon eſſe ſcribit.

Alij verò tam tribum Zabulon, quàm Nephthalim, continere dicunt Galilæam ſuperiorem. Euthymius in Matth. inquit: *Galilæa gentium data eſt in ſortem duabus tribubus Zabulon & Nephthalim; partem tamen eius inhabitabant gentes alienigenæ. Vocat autem Galilæam gentium eam partem quam gentes incolebant*, &c. Ianſenius etiam inquit, Galilæam ſuperiorem, vicinam Tyrijs, vtramque tribum, Zabulon & Nephthalim, complecti; & alij idem. Et Galilæam inferiorem illam partem eſſe dicunt, quæ lacui & Tiberiadi vſque regionis finem meridianum imminet, montem Carmelum complectens. Probantque hanc ſententiam ex D. Matthæo, dicente ex teſtimonio Iſaiæ cap. 9, 1. *Receſſit* IESVS *in Galilæam, & relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim, vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam: Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium.* Idem videtur indicare Ioſephus.

Euthymius in 4. cap. Matth.

Mat. 4, 13.

Ioſeph. lib. 5. Antiq. cap. 3.

Adrichomiùs in ſuo Theatro Terræ ſanctæ, de tribu Nephthalim ſcribens, n. 50. probabiliùs affirmat, Galilæam ſuperiorem ſitam fuiſſe in tribu Nephthalim & in tribu Aſer, inferiorem in tribu Zabulon & Iſſachar: additque, ſuperiorem tam in latitudine quàm in longitudine diei & ſemis continere iter; inferioris verò longitudinem viginti milliaria, latitudinem verò quatuordecim complecti.

Alij verò arbitrantur, vltra Iordanem protrahi Galilæam gentium. Callixtus, *Ea*, inquit, *Galilææ pars, quæ trans Iordanem eſt, & ea quæ eſt magis ad Septemtrionem iuxta Libanum vſque ad Syriacum mare, Galilæa gentium dicta eſt, & ſuperior*, &c. Galarza quoque, Ianſenius & Abulenſis, Galilææ partem trans Iordanem ſitam eſſe volunt. Et Adrichomius loco ſuperiùs citato, *Ab Oriente*, ait, *vltra fluenta Iordanis longè lateq; ſe extendit Galilæa.* Ioſephus etiam loco ſuperiùs commemorato idipſum hiſce verbis indicare videtur, de parte tribus Nephthalim verba faciens. *Partes*, ait, *ad Orientem conuerſas vſque ad Damaſcum ciuitatem, & Galilæam ſuperiorem Nephthalitæ ſumpſerunt vſque ad montem Libanum, fontesq; Iordanis.* At Damaſcus, mons Libani, & Iordanis fontes vltra ipſum Iordanem ſunt. Et lib. 3. de Bello, cap. 2. ait, Galilæam ab Oriente diſcerni Hippene & Gadari, ſed & Gaulanitide definiri. At hæc loca trans Iordanem ſunt, in dimidia tribu Manaſſe, vt in illius Geographica delineatione videre eſt apud Adrichomium, num. 49. 54. 59. Cui ſententiæ ſuffragari videtur Iſaias ſecundùm Septuaginta, & Matth. ex Iſaia, *Trans Iordanem, Galilæa gentium.* quaſi dicat, Galilæa gentium quæ eſt trans Iordanem.

Barad. Tomo 2. lib. 3. cap. 11. Ianſen. in Concord. Euangel. cap. 25. Abulenſ. in Mat. c. 19. quæſt. 5.

Iſa. 9, 1. Mat. 4, 12.

Ego libenter poſteriorem hanc ſequor ſenten-

ſententiam, cùm multos graues ac vetuſtos patronos habeat, eiſque ſacra Scriptura fauere videatur. Quæ ſi vera eſt, poterit in hunc modum deſcribi tota Galilæa: Galilæa eſt Palæſtinæ prouincia, ſita inter montem Libanum & Samariam, cuius Septemtrionalis tractus Tyro Tyrijſque finibus terminatur. A Meridie Samaritis & Scythopolis, Iordanisque fluuius, ſuis ea terminis claudunt: à Solis occaſu ciuitatis Ptolemaidis territorio & monte Carmelo diſterminatur (vnde ab Hiſtoricis plerumque Phœniciæ annumeratur) ab Oriente verò vltra fluenta Iordanis longè lateque ſe extendens, Gaulanitidem, Hippenem, & Gadarim complectitur. Ita in Adrichomio in Deſcriptione tribus Nephthalim, num. 50. & patere poteſt ex dictis in poſteriori ſententia.

Galilæa deſcriptio.

CAPVT VIII.

Duæ difficultates contra dicta Capite præcedenti proponuntur, & diluuntur.

SEd contra hanc poſteriorem ſententiam duæ ſeſe offerunt obiectiones diluendæ, quibus probatur, Galilæam non ſe extendere vltra Iordanem. Altera eſt: Galilæa eſt illa pars Terræ promiſſionis, quæ fuit aſſignata tribubus Nephthalim, Zabulon, & Aſer, vt ex dictis conſtat; at hæc pars Terræ promiſſionis eſt citra Iordanem; nam ea quæ ſupra Iordanem eſt, aſſignata fuit tribui Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſe, à Moyſe ante mortem eius, & pòſt à Ioſue, qui ei ſucceſſit, eiſdem conceſſa & diſtributa; ſicut altera pars Terræ promiſſionis alijs tribubus tradita fuit, vt dictum eſt ſuperiùs, & ampliùs in ſequentibus dicemus.

Altera obiectio eſt, quia Luc. 8, 26. dicitur de Chriſti diſcipulis: *Et nauigauerunt ad regionẽ Geraſenorum, quæ eſt contra Galilæam.* Geraſenorum autem regio eſt vltra Iordanem, intra terminos poſitos in deſcriptione Galilææ, & Iordani proxima. Igitur eſt in Galilæa. Sed ſi in ea eſt, quomodo dicit eſſe contra Galilæam? an idem poteſt ſibi ipſi eſſe contrarium?

Geraſenorũ regio vbi ſita.

Priori difficultati reſpondebit fortaſſe quiſpiam, verè ſe protendere Galilæam vltra Iordanem; nec eſſe inconueniens, dicere, in ea habuiſſe aliquam partem tribum Nephthalim, vel aliam ab illis duabus & dimidia; verùm quia maior illarum portio fuit citra Iordanem, ideò de iſta tantùm poſſeſſione mentionem factam eſſe, quæ vt præcipua, Galilææ appellationem dedit. Et hoc fortè voluerunt dicere alij Auctores, maiorem partem pro tota ipſa Galilæa accipientes: quod non rarò fieri nouimus, cùm in Sacris tum in profanis litteris.

Sed non placet iſta reſponſio: nam cùm diligenter deſcripta & diſtributa fuerit tota Terra promiſſionis tribubus filiorum Iſraël; & meminerit Scriptura ſacra partis vltra Iordanem diſtributæ tribui Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſe; ſi in ea parte alia tribus partem habuiſſet, ſanè non tacuiſſet ſacra Scriptura: at dicit oppoſitum, vt patet eam conſideranti. Nec tam ſpatioſa & lata eſt Terra promiſſionis, vt obiter in deſcriptione aliqua pars prætermitti debuerit, præſertim cùm tot fuerint quibus diſtribuenda fuit. Prætereà, in deſcriptione Terræ ſanctæ Adrichomij, vltra Iordanem tantùm ponuntur tribus Ruben, Gad, & dimidia tribus Manaſſe, ſicut citra aliæ nouem cum altera dimidia deſcribuntur. Et ſanè ita diſtributa fuit.

Alioquin ego dicerem, diuiſionem Terræ ſanctæ in tres illas prouincias, non eſſe diuiſionem ſolius Terræ promiſſionis quæ eſt citra Iordanem, vt videtur ſupponi in oppoſitione, ſed etiam alterius partem, quæ vltra eſt, complecti, & Galilæam citra Iordanem continere tribus Nephthalim, Zabulon, & Aſer, & vltra Iordanem dimidiam Manaſſe. Quod etſi explicitè non dixerint citati Auctores, dixerunt tamen in ſententia, & circumlocutiuè; & in eius deſcriptione nos ſimiliter diximus, vt conſtat ex dictis, & ampliùs ex dicendis manifeſtabitur. Etenim diuiſio hæc facta eſt, poſtquam Iſraëlitæ & Iudæi in captiuitatem ducti fuerunt, & iſti ex illa reducti, vt ſuperiùs diximus Cap. 111. & in ea non fuit reſpectus ab infidelibus illis à quibus diuiſa fuit, ad partes ſub Ioſue ſingulis tribubus diſtributas, cùm omnes illis fuerint ſubiectæ. Ideò nec mirum, ſi Ioſephus dixerit, Ephraim habuiſſe partem vltra Iordanem vſque Damaſcum: nam loquitur fortè de illis paucis qui remanſerunt, vel redierunt ex captiuitate, quibus ea pars contigit, & non prout primò eis tradita fuit.

Si dicatur, Iſaiam & Euangeliſtam aliter indicare, dum loquentes de Galilæa gentium, ratione cuius ſe extendit Galilæa vltra Iordanem, ſolùm tribus Zabulon & Nephthalim meminerunt, hiſce verbis: *Receſſit* IESVS *in Galilæam, & relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum in finibus Zabulon & Nephthalim, vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam: Terra Zabulon & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem Galilæa gentium.* vbi vides, Prophetam ſolùm loqui de tribu Zabulon & Nephthalim, & locis quę ſunt citra Iordanem, dum loquitur de Galilæa gentium; igitur non ſe vltra Iordanem protrahet ad aliam tribum: & loquitur de regione illa

Mat. 4, 12. 13. Iſa. 9, 1.

prout

prout fuit ſub Ioſue diuiſa; nam Iſaiæ tempore nondum fuit ab infidelibus illis capta illius poſſeſſio, & conſequenter nec facta diuiſio.

Reſpondeo dupliciter, Primò, admittendo, Prophetam tantùm loqui de tribu Zabulon & Nephthalim, & de locis citra Iordanem, non tamen voluiſſe ea quæ ſupra Iordanem ſunt excludere, ſed voluiſſe in his intelligere, vt minùs principale in magis principali. Et hoc ei ſatis erat, præſertim quia loquebatur de felicitate illarum tribuum & locorum, ob præſentiam & prædicationem Chriſti quæ ibi incepit, & miracula præcipuè ibidem facta; verùm non excluſit regionem ſupra Iordanem, cùm & ad illam ſe diffuderit fama miraculorum Chriſti; ſed non meminit, quia minùs principalis erat.

Secundò dico, in prædicta auctoritate fieri expreſsè mentionē de locis vltra Iordanem, dum in ea dicitur, *via maris trans Iordanem.* Sed quid *via maris trans Iordanem?* Varię ſunt opiniones. D. Hieronymus, Caietanus, Ianſenius, Brocardus, & alij arbitrantur, vocari viam illam quæ mari Galilææ adiacebat, in qua erant vrbes prope mare, Capharnaum, Bethſaida, Tiberias. Sed quare dicitur trans Iordanem, ſi eſt citra Iordanem? D. Hieronymus in Iſa. 9. & Brocardus reſpondent, quia vltra Iordanem ducit. Caietanus verò in Matth. 4. & Ianſenius dicunt, dici viam maris trans Iordanem, non reſpectu Iudæorum & qui erant citra Iordanem, ſed reſpectu Aſſyriorum, & eorum qui erant in Oriente, & ſupra Iordanem.

Via maris trans Iordanem quæ ſit.

At non videtur hæc interpretatio probanda: cur enim quis prophetiam illam torqueret ad Aſſyrios & Orientales, reſpectu eorum qui ſunt citra Iordanem & ad Occidentem, cùm Iſaias non de illis, ſed de felicitate tribuum, præſertim quæ erant citra Iordanem, Zabulon & Nephthalim, loqui intenderit? Et ſanè cùm Prophetam in Iudæa ſcripſiſſe credendum ſit, reſpectu huius, non Aſſyriorum, locutum fuiſſe probabile eſt.

Abulenſis de via ſupra Iordanem intelligit, qua venitur ex Aſſyria ad mare Oceanum. *Eſt*, ait, de hac via loquens, *via per quam venitur de Syria, & de Meſopotamia, & de alijs Orientis partibus ad mare mediterraneum, quod erat in Occidentali parte Iudæa. Et iſta via tranſit per littus maris Galilææ, & protenditur verſus Occidentem vſque ad mare mediterraneum, per ciuitates terræ Iudæorum, tranſitq; per terram Galilææ apud ciuitatem Capharnaum, & tota iſta terra vocatur via maris, quia per eam tranſit via maris. Primo modo dicitur via maris, ſcilicet mediterranei, quia in eo terminatur. Nam omnes illi populi Orientales veniunt portantes merces ad mare mediterraneum, & via per quam tranſeunt, vocatur via maris, id eſt, tendēs ad mare mediterraneum. Et iſta via tranſit per illam partem Galilææ, in qua Chriſtus cœpit prædicare; & ob hoc terra ipſa vocatur via maris. Secundo modo dicitur via maris, quia tranſit iuxta mare Galilææ. Meliùs tamen vocatur via maris mediterranei, quia tendebat ad illud.* Hæc Abulenſis. Eadem eſt Lyrani, Vatabli, & Carthuſiani ſententia. Adrichomius etiam in tribu Nephthalim, num. 100. ait: *Via maris, cuius in prophetia Iſaiæ, libro Tobiæ, & Euangelio Matthæi fit mentio, inde nomen habet, quòd ex Syria in Occidentem ad mare magnum ſiue mediterraneum ducat, publica quædam via eſt, quæ initium in Syria ſumens, per mōtana Trachonitidis regionis, & ciuitates Cedar & Corozaim, atque Iordanem fluuium, tandemq; vrbem Capharnaum tranſit; illincq; per littus maris Galilææ procedens, iuxta ciuitates Bethſaidam, Nephthalim, Sephet, & Naaſſon præterit, & per Galilæam Gentium, ac vallem Aſer, quæ nunc S. Georgij appellatur, Ptolemaiden decurrens, merces ſuas in vniuerſum Occidentem diſtrahendas ad mare magnum exonerat.* Huius viæ, vt vult Brocardus 1. Parte Itinerarij Terræ ſanctæ cap. 4. §. 5. fit mentio Tob. 1, 1. illis verbis: *Tobias ex tribu & ciuitate Nephthali, quæ eſt in ſuperioribus Galilææ ſupra Naaſſon, poſt viam quæ ducit ad Occidentem*, &c.

Abulenſis in Matt. 4.

Potiorem tamen huius nominis rationem crediderim, quam adducunt D. Hieronymus, Brocardus, & alij, quòd via maris dicatur à mari Galilææ cui adiacet, quàm à mediterraneo, cùm à proximiori loco congruentius ſit rem denominare, quàm à remotiori; & tantò magis, ſi eſt locus proximior regioni quæ trans Iordanem eſt: & quòd dicatur trans Iordanem, reſpectu eorum qui in Iudæa erant.

A mari Galilææ nomen accepit.

Igitur vt ad argumenti ſolutionem reuertamur, ſecundùm horum Auctorum ſententiam dicendum eſt, Prophetam & Euangeliſtam Galilææ gentium nomine, non modò ſortem Zabulon & Nephthalim, quæ eſt citra Iordanem, ſed etiam regionem alteram quæ eſt vltra Iordanem, & eam fortaſſe quæ data fuit dimidiæ tribui Manaſſe, intellexiſſe. Et ſanè clara videtur ſententia Prophetæ & Euangeliſtæ, quòd Galilæa ſe protenderet etiam vltra Iordanem.

Poſteriori difficultati reſpondetur, Galilææ nomine D. Lucam intellexiſſe illam partem quæ citra Iordanem eſt, cui, cùm principalior ſit eius pars, meritò totius no-

men adſcripſit; ita vt ſit ſenſus verborum Euangeliſtæ, *Nauiganerunt ad regionem Geraſenorum quæ eſt contra Galilæam*, &c. id eſt, quæ reſpicit præcipuum Galilææ, quod eis Iordanem eſt.

CAPVT IX.

De nomine Galilææ & eius ſignificatione, huiuſq; prouinciæ & Galilæorum conditione.

PLacet aliquid de Galilææ nomine & ſignificatione, deq; eiuſdem prouinciæ, & incolarum natura dicere. Nonnulli Linguæ ſanctæ periti dicunt, Galilæam à verbo *Galal* deriuari, quod *reuoluere* ſignificat, vt *Galilæa*, *reuolutionem* innuat. Alij dicunt, Hebraicè apud Iſaiam dici *Galil*, in plurali verò *Geliloth*, Ioſ. 13, 2. quod nomen ſignificat *terminum*, *finem* & *confinium*; & ex hoc, quia confinium & terminus gentium erat, *Galilæam gentium* volunt appellari. Sed de hoc ſtatim. Brocardus alijs nominibus nominari etiam notauit, dicens: *Galilæa, quæ & campus Eſdrelon dicitur, etiam Maggedo nuncupatur*, &c. At hæc non ſunt ei propria, vel communia, ſed ſic ab vna præcipua parte dicitur. Lege Adrichomium in Deſcriptione tribus Iſſachar, num. 18.

Galilæa vnde dicta.

Totam etiam Galilæam, ſuperiorem & inferiorem, *Galilæam gentium* à Propheta appellari, quidam arbitrantur, & non tantùm ſuperiorem. Ratio eſt, quoniam de tota Galilæa loquebatur, & non tantùm de ſuperiori. Et ſanè ita eſt: nam loquens Matthæus de diſceſſu Chriſti ex Nazareth ciuitate tribus Zabulon, & Galilææ inferioris, & profectu in Capharnaum ciuitatem Galilææ ſuperioris, & tribus Nephthalim, dicit: *Receſſit in Galilæam*, id eſt ſuperiorem, erat enim tunc in inferiori, *& relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephthali, vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam: Terra Zabulon, & terra Nephthali, via maris trans Iordanem, Galilæa Gentium, populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam; & ſedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Exinde cœpit* IESVS *prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Et infrà: *Et circuibat* IESVS *totam Galilæam*, &c. In quibus verbis oſtenditur, per Chriſtum felicitatem totius Galilææ, ſuperioris & inferioris, adimpletam fuiſſe, ſecundùm Prophetæ vaticinium. Superioris quidem, dum dicit, *Venit, & habitauit in Capharnaum*, vbi prædicauit & docuit: inferioris, dum loquitur de priori eius manſione, *in ciuitate Nazareth*: vtriuſque, dum dicit, *Terra Zabulon*, &c. etenim *Zabulon* ad inferiorem, *Nephthalim* verò, & *viam maris trans Iordanem*, ad ſuperiorem Galilæam pertinere, iam diximus. At hanc totam regionem appellauit Propheta *Galilæam gentium*: igitur iſto nomine tota Galilæa intelligitur. Et patet ampliùs: nam loquens ſtatim Euangeliſta de Galilæa, de qua Propheta priùs, dicit: *Et circuibat* IESVS *totam Galilæam.*

Iſa. 9, 1.

An tota Galilæa, an verò tantùm ſuperior, dicta ſit Galilæa gentium.

Mat. 4, 13.

℣. 23.

Mat. 4, 23.

Sed quare *Galilæa gentium* dicitur? An quia Tyrijs Ethnicis vicina erat, & à gentibus cincta, & terminus & confinium gentium? An quia, vt ait Strabo lib. 16. in ea cum Iudæis Gentiles admixti erant? An quia ſub poteſtatem gentium redacta & occupata fuit, vt patet 3. Reg. 9. & 4. Reg. 17. vnde reliquis Iudæis cœpit eſſe inuiſa, vt etiam conuitij loco Galilæos infectarentur? An potiùs, quia more gentium viuebat, & idola colebat? An denique, quia in ea Salomon Regi Hiram gentili dedit viginti ciuitates? Has quidem rationes ex varijs Auctoribus collegi: ſed poſterior hæc non placet; etenim Hiram, cùm ei ciuitates illæ vel oppida non placuiſſent, noluit recipere, vt apparet 3. Regum 9, 12. 2. Paralip. 8, 2. & ex Gloſſa ordinaria ibi.

Galilæa gentium quare dicta.

Lyran. in c. 9. Iſa. Adrichom.

De Galilææ conditione, & habitantium natura, Ioſephus lib. 3. de Bello, cap. 2. in hunc modum ſcribit: *Duæ ſunt Galilææ, quæ ſuperior & inferior appellantur; easq; Phœnice & Syria cingunt. Diſcernit verò ab Occidente Ptolemais, territorij ſui finibus, & quondam Galilæorum, nunc autem Tyriorum, mons Carmelus. A meridie autem Samaritis & Scythopolis vſque ad flumen Iordanem. Ab Oriente verò Hippene & Gadaris, & Gaulanitis definit. Septemtrionalis eius tractus Tyro, itemq; Tyriorum finibus terminatur. Inferioris quidem Galilææ longitudo à Tiberiade vſque ad Zabulon vrbem, cui vicina eſt, in locis maritimis Ptolemaidi protenditur. Latitudo autem patet à vico Xaloth, qui in magno campo ſitus eſt, vſque Berſaben, vnde etiam ſuperioris Galilææ latitudo incipit, vſque ad Baca vicum, qui terram dirimit Tyriorum; longitudo verò eius à Thella vico Iordani proximo, vſque ad Meroth extenditur. Sed cùm tanta ſint vtraque magnitudine, tantiſq; gentibus alienigenis cincta, ſemper tamen omnibus belli periculis reſtiterunt: nam & pugnaces ſunt ab infantia Galilæi, & omni tempore plurimi; neque aut formido vmquam viros, aut eorum penuria regiones occupauit. Quoniam totæ optimæ & fertiles ſunt, omniumq; generum arboribus conſitæ; vt etiam minimè ſtudioſos agriculturæ, vbertate ſua prouocent. Denique excultæ ſunt ab incolis totæ, nec pars*

Galilæorũ natura.

vlla

vlla eſt earum otioſa. Quin & ciuitates ibi crebræ, & vbique multitudo vicorum, propter fertilitatem populoſa; vt qui ſit minimus, ſupra quinque millia ad decem millia colonorum habeat, &c. Et in libro quem de Vita ſua idem Auctor ſcripſit, vicos & oppida Galilææ his verbis numerat: *Quadringenti quatuor in Galilæa ſunt, vici partim, partim oppida*, &c. Ex quibus Ioſephi verbis (quæ vera arbitramur, ſecundùm ea quę nō ſemel ibi obſeruauimus, ſuo præſertim tempore) habemus, quàm ferax, populoſa, bellicoſaq; fuerit Galilæa; & quænam ſuperior quæve inferior dicenda ſit. Scio aliqua examinari poſſe circa vtriuſque Galilææ diſtinctionem & aſſignationem, ſed dicta pro inſtituto ſufficiant, ne plus æquo longiores ſimus: ſentiat quilibet de vtraque quod melius iudicauerit.

Et hæc de memoratis quatuor prouincijs Terræ promiſſionis, Idumæa, Iudæa, Samaria, & Galilæa, ſatis: frequentior mentio fit de tribus poſterioribus in nouo Teſtamento, rarò de Idumæa, cuius partes frequenter alijs annumerantur, quare & aliqui tres dumtaxat Terræ ſanctæ prouincias, Iudæam, Samariam, & Galilæam, enumerant, nosque ſingulariter de harum trium locis, in alijs ſecundi Tomi libris verba faciemus.

CAPVT X.

Quinam fuerint illi, quibus primò Terra promiſſionis diſtributa fuit, quique primò iuſtè ac legitimè eam poſſederint.

IN propoſita difficultate vnum ab omnibus, tamquam certum & de fide conceditur, ſicut poſt diluuium tota habitabilis terra diſtributa fuit inter filios Noë, Sem, Cham, & Iapheth, ita vni ex ipſis contigiſſe vnam illius partem Terram promiſſionis: hoc quippe cōceptis verbis teſtatur S. Moyſes Gen. 10, 1. & ſtatim videbimus. Alterum dubium eſt, cui videlicet determinatè Terra ſancta tradita fuerit, & quinam ex progenitis ab eiſdem primò iuſtè & legitimè eam poſſederint. In cuius difficultatis deciſione duas grauiſſimorum Doctorum inuenio diſſentientes ſententias, quas nos cum ſuis fundamentis adducemus priùs; ac deinde argumentis prioris reſpondebimus, vt poſteriorem faciliùs ſequi poſſimus.

Prior igitur ſententia eſt Hebræorum, quam plures ex Catholicis veteſtioribus & recentioribus Doctoribus ſecuti ſunt, Terram promiſſionis traditam primò fuiſſe Sem primogenito Noë, ipſumque & filios eius fuiſſe illius legitimos dominos. Dicunt enim, Noë, diuino ductum ſpiritu, inter tres filios ſuos Sem, Cham, & Iapheth diuiſiſſe orbem tunc cognitum, Terramq; ſanctam Sem primogenito eius obtigiſſe. Et diuiſionem explicat S. Epiphanius, huius opinionis ſectator, prope finem ſui Anchoratus, vt ſequitur: *Cùm Noë ſemper filios ſuos pios efficere conatus eſſet, ne in eadem mala inciderent, quæ hi qui diluuio perierant; & non ſolùm per doctrinam ipſis propoſuiſſet pietatem, ſed etiam per inſiurandum ab vnoquoque ipſorum beneuolentiam erga fratrem exegiſſet: demum veluti heres mundi à Deo conſtitutus, diuiſit tribus filijs ſuis vniuerſum mundum ſub ſortem miſſum, & vnamquamque partem iuxta ſortem ſingulis diſtribuit. Et ipſi quidem Sem primogenito, cecidit ſors à Perſide & Bactris Orientem verſus vſque ad Indiam; ab Occaſu verò vſque ad regionem Rhinocururorum, quæ Aegyptum inter & Palæſtinam media eſt.* Et paulò pòſt idem clariùs aſſerit, enumerans Palæſtinos & Hebræos in ſortem ipſius Sem. & quibuſdam interpoſitis replicat conceptis verbis, Palæſtinam cum tota ipſius vicinia cecidiſſe in partem dicti Sem. Ad huius opinionis confirmationem facit illa Syriorum traditio (de qua inferiùs) Noë ſimul cum mundi regionibus diuiſiſſe oſſa Adami filijs ſuis; ac caluariam tradidiſſe Semo, cum ea regione quam Iudæam dicimus. Libro v. Cap. iv. Peregr. 11

Sed ampliùs probant hanc opinionem illius ſectatores ex libro Geneſis, & Epiſtolâ ad Hebræos, vbi fit mentio Melchiſedech Regis Salem; opinantes Melchiſedech fuiſſe ipſum Sem, Salem verò fuiſſe ipſam vrbem, quæ poſteà *Ieruſalem* appellata eſt, metropolis huius regionis. Ac deinde Moyſes idipſum indicare videtur Gen. 12, 6. vbi poſtquam locutus fuiſſet de aduentu Abrahæ in locum Sichem, & Conuallem illuſtrem, adiecit, *Chananæus autem tunc erat in terra*; indicare volens, iniuſtè à Chananæis vſurparam terram Chanaan, quoniam ad Abraham pertinebat, cùm ex Sem eſſet oriundus. Gen. 14, 18. Heb. 7, 1.

Sequuntur hanc ſententiam plures Auctores, veteres ac recentiores, [a] Auguſtinus, [b] Caſſianus, Lyranus in cap. 12. Geneſ. Villalpandus & Torniellus locis inferiùs adducendis: & in eamdem videtur inclinare D. Hieronymus Epiſt. 129. ad Dardanum, & Clemens Romanus lib. 7. Recognit. circa princip. citatus à Salmerone Tom. 1. Prolegom. 41. art. 2. in deſcriptione Syriæ, cui etiam adhæret; & Ioannes Baptiſta Villalpandus denique in Ezechielem Tom. 3. part. 1. Apparat. vrb. lib. 1. c. 14. hanc opinionem ſequentibus rationibus probat.

[a] Lib. 6. Quæſt. q. 10. in Ioſue: & lib. 44. q. 4. ſuper Num. cap. 20 & Serm. 105. de Temp. Tom. 10. [b] Collat. 5. cap. 24.

In

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

In primis, ſuppoſito, Sem fuiſſe primogenitum Noë, & Melchiſedecum, qui diuino illuſtratus ſpiritu cognouit in ea regione iacienda fore prima fundamenta Salomonici vmbratici templi, ac tandem veri ac æterni templi ædificationem, ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto IESV, conſtruendam ac perficiendam. Igitur pijſſimus cùm eſſet, eam regionem ſibi elegiſſe credendus eſt; & cùm verè in ea regnauerit, ne dicamus inuadere voluiſſe alienæ ſortis funiculos, aſſignauit eam pater Noë, diuino ductus ſpiritu: talis enim hereditas non erat pijſſimo primogenito deneganda, qui ab iniuria petulantis fratris patrem vindicauit. Et tantò ampliùs id credendum eſt, quòd iam adductus Epiphanius doceat; cui, cùm eruditiſſimus pariterque pijſſimus fuerit, & natione Hebræus, credendum eſt magis cùm agit de rebus gentis ſuæ, quàm alicui neoterico leui coniectura ducto, &c.

Præterea addit: Si hoc non dicamus, quomodo intelligemus impleta fuiſſe verba illa, ſemel atque iterùm repetita à Noë in benedictione Sem, & tertiò in maledictione Chanaan: *Seruus ſeruorum erit fratribus ſuis?* Et iterùm, *Benedictus Dominus Deus Sem; ſit Chanaan ſeruus eius?* Meo, inquit, iudicio Semi: repetitio enim eiuſdem, corroboratio eſt & firmitas prophetiæ, offenſiúe & infenſi animi indicium. Quomodo inquam hæc, aut quando vera erunt; ſi mox poſt diluuium in remotiſſimas Indiæ regiones ſeceſſit cum filijs Sem? Quando exhibita eſt Semo hæc ſeruitus? Nam quando filijs Iſraël ex Ægypto redeuntibus conceſſum eſt Chananæorum terras inuadere; iam non ampliùs ſeruitutis locus fuit, quoniam ſerui dicuntur quaſi ſeruati ab interitu belli: at Deus præcepit filijs Iſraël, vt delerent omnes habitatores Chanaan, & vniuerſa eius demolirentur, 1. Reg. 15, 13. Deut. 7, 16. 22. Quare dicendum eſt, illis ſeruiſſe dum in ea regnabat Melchiſedech, &c. Hactenus ex Villalpando. Et hæc ſunt quæ pro priori iſta ſententia colligere potui.

Gen. 9, 25.

Altera & poſterior ſententia, præcedenti contraria, quam probabiliorem arbitramur & amplectimur, aſſerit, Terram promiſſionis datam fuiſſe Chanaan nepoti Noë, filio Cham, & ex eo deſcendentibus, ab eisque iuſtè ac legitimè fuiſſe poſſeſſam, & numquam à filijs Sem. Hanc ſententiam inter alios ex recentioribus ſequitur Benedictus Pererius in Geneſ. 12, 6. & alteram ſententiam & traditionem dicit ſe numquam ſatis concoquere potuiſſe. Hæc ſententia non leui coniectura, ſed, ni fallor, ſatis firmis nititur rationibus & fundamẽtis, quæ hîc ſubijcimus.

In primis, quia Gen. 10. à v. 15. vſque ad 20. videtur ſatis aperte innui, terram illam, quæ poſteà *Iudæa* dicta eſt, numquam à Sem vel filijs eius fuiſſe poſſeſſam; ſed filijs Chanaan filij Cham obtigiſſe, ab ipſisque ex paterno nomine *terram Chanaan*, & *Chananæam* appellatam, quemadmodum ſuprà Cap. 11. diximus.

P. Auguſtinus Torniellus Tomo 1. ſuorum Annalium, anno Mundi 1909. num. 3. cum alijs prioris ſententiæ, reſpondet, id non officere ſuæ ſententiæ. *Fieri poteſt*, inquit, *vt Noë (licet hoc in ſacro Eloquio expreſſum non ſit) reuerà priùs orbem terræ filijs ſuis diuiſerit, prout Deo placitum eſſe diuinitus intellexerat; ſiue (vt ait S. Epiphanius) dátis ſortibus, vt per eas, præmiſſa oratione, diuinam indagarent voluntatem. (quod Apoſtoli poſteà fecerunt, Act. 1, 23.) Sed illi, partim negligentia, ac tentatione diabolica procraſtinantes, partim aſtutis nimiumq́; doloſis Nemrod ſuaſionibus decepti, qui cunctos ſimul retinere, & cunctis imperare affectabat, noluerint ad prouincias ſingulis deſtinatas properare, donec à Deo tandem, mediante linguarum confuſione, ab inuicem diſcedere compulſi ſunt. Et hoc videtur quoquomodò inſinuari Gen. 11, 4. illis verbis: Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum; & celebremus nomen noſtrum, antequam diuidamur in vniuerſas terras. Quid eſt enim, Antequam diuidamur in vniuerſas terras? niſi eos quidem paratos eſſe ad regiones ſibi à Noë aſſignatas proficiſci, ſed priùs (callido, vt diximus, Nemrod ſuadente) mirandum illud ædificium exſtruere voluiſſe, vt ipſorum nomina celebrarent. Ad illud autem de regione quæ poſtmodum Iudæa nuncupata eſt, reſpondet Epiphanius loco proximè adducto, quòd ea primò cecidit in ſortem Sem, ſed auarus Chanaan filius Cham, poſteà illam inuaſit & abripuit; cumq́; poſteros eius longanimis Deus multo tempore expectaſſet ad pœnitentiam, nec ipſi vmquam voluerint legitimam filijs Sem hereditatem reſtituere; poſt multas tandem generationes, iuſtus Dominus Chananæos exterminauit, & terram ab ipſis iniuſtè poſſeſſam, iuſtè demum filijs Sem tradendam curauit. Quamquam non imus inficias, Chananæorum exterminium etiam propter graueſſima ipſorum alia peccata euenisſe.* Hæc citatus Auctor; & locum illum Gen. 10, 18. vbi dicit Moyſes, poſt hæc diſſeminatos fuiſſe Chananæorum populos à Sidone vſque ad Geraram, &c. interpretatur, *non quaſi velit inferre, illam regionem primò Chananæis obtigiſſe, ſed potiùs poſt multa tempora ab ipſis fuiſſe vſurpatam, atque etiam eiuſdem Moyſis temporibus inhabitatam, vt planè indicare videtur illa dictio, Poſt hæc.* Hæc Torniellus

Torniellis reſponſio.

pro

pro reſponſione ad adductum fundamentum pro poſteriori ſententia.

Hæc quidem ſubtiliter excogitata, ſed mihi ſatisfacere non videntur: ea ſiquidem quæ priùs aſſeruntur, non habentur in Scriptura; & nõ minori facilitate, quàm aſſeruntur, negari poſſunt, præſertim firmiore Prophetico ſermone refragante. Etenim Gen. 11, 8. videtur adſcribere Moyſes terrarum diuiſionem non ipſi Noë, ſed Deo, qui per confuſionem linguarum coëgit ex Noë progenitos ab inuicem diſcedere, & nouas ſedes quærere. Et cùm clarè loquatur, quare illum aliter interpretantur, ne contrarium habeant? Et cur poſteros Sem negligentiæ, aſtutiæ verò & calliditatis Nemrod ſubaccuſant, cùm id non conſtet? Nam ſi terra poſt diluuium diſtributa fuit inter poſteros Noë, quomodocumque acciderit, ſiue à Deo, ſiue per Noë Dei ductum ſpiritu, ſiue ſortibus, nobis non officit: quod enim quæritur, eſt, quibúſnam obtigerit terra Chanaan, num filijs Cham, an Sem. Et ſiue his, ſiue illis fuerit tributa, non videtur negandum, quin illi non iuerint ad aſſignatas partes occupandas, cùm oppoſitum haud conſtet, ne alienas viderentur vſurpare velle; & præcipuè deſcendentes ex Sem, ſi nouerunt terræ ſibi hereditate conceſſæ ſanctitatem, ſecundùm Villalpandi conſiderationem.

Ad hæc, Geneſ. 10, 18. manifeſtè habemus, Terram promiſſionis obtigiſſe poſteris Cham, & non poſteris Sem. Et confirmatur, quoniam eodem capite verſu 30. agitur de terra tributa poſteris Sem & Iapheth; ergo tribui debuit & poſteris Cham: quoniam Scriptura dicit, tribus filijs Noë, & ex illis deſcendentibus fuiſſe orbem diſtributum. Et ſi contrarium ſentientes, aliam partem à Terra promiſſionis, quàm poſteris Cham aſſignat Scriptura, aſſignare audent vel poſſunt, aſſignent.

Torniſilli opinio refutata.

Nec in poſterius tempus (hac ipſa ratione) aſſignare debemus diſtributionem ſiue poſſeſſionem terræ Chanaan, vt dixit Torniellus, dum locum Geneſ. 11, 4. explicat: quoniam Scriptura ſub eodem contextu loquitur de diuiſione terræ, & poſſeſſione terræ Chanaan à poſteris Cham, abſque aliqua interpoſitione. Denique ſi poſteriùs facta fuiſſet huius terræ vſurpatio, quomodo tempore Abraham Rex Salem, id eſt, Ieruſalem, qui (vt Auctores prioris ſententiæ volunt) erat Sem, regnabat in ea? Nónne tunc in ea habitabat Chananæus? Igitur vel Sem non regnabat, vel anteà ab initio deſcendentes ex Chanaan terram hanc obtinuerunt.

Secundò principaliter, aſſignatio Terræ promiſſionis Hebræis facta, fuit gratuita dõnatio, & munus meræ liberalitatis diuinæ, vt in pluribus ſacræ Scripturæ locis habemus: & ideò volunt grauiſſimi Auctores, ea ratione appellatam fuiſſe Terram promiſſionis, quia ex mera Dei liberalitate populo ex Abraham deſcendenti promiſſa fuit. At ſi pertinuiſſet ad poſteros Sem, dum illis fuit tradita, non fuiſſet dicenda talis, ſed reſtitutio rei debitæ legitimis dominis.

Terra ſancta communiter dicta Terra promiſſionis.

Tertiò, ſi filij Chanaan iniuſtè & vi ſibi vſurpaſſent terram Chanaan datam filijs Sem, meritò hoc ſolo nomine ex ea illos Dominus eieciſſet: ſed non hanc cauſam illorum eiectionis Dominus adducit, ſed aliam, ipſorum nimirum peccata, vt videre eſt Leuitici 18, 3. & alibi. Et Geneſ. 15, 18. adducens Deus rationem, cur poſſeſſio illius terrę nõ ante quadringentos annos danda eſſet ſemini Abrahæ, ait: ***Nondum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum.*** Et ita notauit Abulenſ. in Geneſ. cap. 12, 26. Sed ſi per vim Chananæi abſtuliſſent terram illam, completæ fuiſſent iniquitates, quæ ſufficerent vt inde priùs expellerentur, & terra legitimis dominis traderetur. Ad hoc faciunt quæ Capite ſequenti dicentur.

Denique, ſi terra Chanaan iure ad Hebræos pertinebat, quomodo dixit Deus ad Abraham: ***Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrabo tibi***, &c. id eſt, terram Chanaan? Quomodo, ad hanc veniendo, egrediebatur de terra ſua, &c. ſi hæc terra fuit tradita filijs & poſteris Sem, de quorum numero ipſe Abraham erat? Vt ergo dicamus Abraham voci Domini obediuiſſe, dicendum eſt, Meſopotamiam fuiſſe naturale eius ſolum, & patrum ipſius terram; & Chanaan alienam, & naturalem hereditatem deſcendentium ex Chanaan filio Cham. Et ita intentum. Gen. 12, 1.

Ex dictis improbata manet opinio dicentium, primos Terræ ſanctæ incolas fuiſſe vel Ægyptios, vel Arabes, qui patriam ſuam exonerantes, illuc ſe effuderint; vel Cretenſes, qui cum Saturno arma Iouis fugiente, à patrio ſolo ablegati, nouas quæſierint regiones; vel populum aliquem ignobilem elephantia aut natiua ſcabie ſanioſum, ne inueterata lues in fortes & benè valentes Reipubl. partes contagione ſerperet, illuc ire compulſum: ſed ex Cham progenitos, poſt vniuerſalem aquarum eluuionem primò eam occupaſſe regionem.

Primi Terræ ſanctæ incolæ non fuerunt Ægyptij, aut Arabes, aut Cretenſes.

Ad ea nunc reſpondentes quæ pro priori ſententia adducebantur, dicimus, ea nudæ & ſoli inniti ſuſpicioni & opinioni, quòd ſcilicet Melchiſedech, qui tempore Abrahæ regnabat in Salem, fuerit Sem filius Noë.

Melchiſedech non fuit Sem.

Hoc

Hoc quidem tenent Hebræi, ſed alterius ſententiæ Auctores cum alijs negant. Et Melchiſech non fuiſſe Sem, pluribus probat Pererius in Geneſ. cap. 14. diſput. 3. & 1. de Melchiſedech. Et ſi Melchiſedech tunc in illa regione regnabat, quomodo poſſunt ea verba Geneſis. 12, 6. *Chananæus autem tunc erat in terra*, exponi, vi & tyrannide occupans eam terram, cùm eam pacificè poſſideret Sem?

Sed hoc benè facit pro altera ſententia: Pererius quippe, poſt Abulenſem, duplicem cauſam aſſignat, quare Moyſes, poſtquam locutus fuiſſet de aduentu Abrahæ in locum Sichem, & Conuallem illuſtrem, illa ſubiecerit verba. Altera eſt, vt oſtenderet quæ gens habitaret in illis locis in quibus erat Conuallis illuſtris, ad quam penetraſſe dixerat Abraham, cùm ex Meſopotamia primùm in Chananææ regionem veniret. Altera eſt, quia voluit illis verbis ſignificare Moyſes, licet Deus promiſerit Abrahæ poſſeſſionem terræ Chanaan, dum tamen ille vixit, nihil eius terræ poſſediſſe, ſed tamquam aduenam & peregrinum in ea verſatum fuiſſe. Et ita conſtat ex Geneſi 11, 12. 20. & cap. 21. D. Paulo ad Hebr. 11, 8. & ex D. Stephano Act. 7, 4.

Ad auctoritatem Epiphanij & aliorum, Hieronymo excepto, dicendum, eos vel illam traditionem fuiſſe ſecutos; vel vt Doctores ſuam propoſuiſſe ſententiam; à qua recedere, valida præſertim exiſtente ratione, non inconuenit, ſed licet, vt Auguſtinus Anconitanus de Poteſtat. Pontific. cap. 9. & 67. pluribus oſtendit. Fuiſſe verò in propoſito, iam vidimus.

Quantum ad D. Hieronymum, dico, in illa cum Epiſtola hanc non pertractare quæſtionem, ſed loqui ex ſententia Dardani, vt ex initio illius Epiſtolæ facilè licet videre, quæ ſic habet: *Queris, Dardane Chriſtianorum nobiliſſime, & nobilium Chriſtianiſſime, quæ ſit Terra promiſſionis, quam Iudæi redeuntes ex Aegypto poſſederunt, cum à maioribus eorum iam fuerit antè poſſeſſa, ac proinde non ſit promiſſa, ſed reddita. his enim verbis vteris in calce epiſtolæ tuæ.* Hæc ibi; vbi vides, ipſum ex ſententia Dardani fuiſſe locutum.

Ad ea quæ diximus ex Villalpando, quantum ad id quod obijciebat de Melchiſedech, quòd fuerit Sem, iam reſponſum eſt; quare ad alia deflectimus. Supponit ille in ſuo diſcurſu vnum quod probandum erat, nimirum Sem fuiſſe primogenitum Noë; nam hoc negant Hebræi, dicentes Cham fuiſſe alijs filijs ætate maiorem. quin ijdem arbitrantur, omnium minimum fuiſſe Sem: & D. Ambroſius docet, Cham dici minorem non ætate, ſed moribus & ſenſu. Chryſoſtomus ad pœnam refert quòd minor dicatur: arbitratur enim, ob patrati ſceleris immanitatem contra patri debitam reuerentiam, alijs fratribus fuiſſe poſtpoſitum. Simile eſt quod accidit Iacob comparatione Eſau qui maior erat natu, & Ruben comparatione Iudæ. Et Abulenſis hanc ſequens ſententiam in cap. 5. Gen. q. 12. & cap. 11, q. 15. probat in hunc modum: Noë genuit primogenitum ſuum anno quingenteſimo vitæ ſuæ, & centum annos complebat quando venit diluuium, & ſecundus nonaginta nouem. Geneſ. 5. & 6. Sem autem compleuit centum annos duobus annis poſt diluuium, vt patet Geneſ. 11. Quare hunc ordinem arbitratur aſſignandum qui Geneſ. 10. indicatur, vt primus fuerit Iapheth, ſecundus Cham, tertius Sem. Etſi etiam arbitretur Cham primogenitum. Nec obſtat, ſi dicatur Sem ceteris præferri Gen. 5, 6. & 10. quoniam etiam hoc poſteriori loco ceteris poſtponitur, quare ex illo ordine non eſt ſumendum ad hoc efficax argumentum. Præponitur verò Sem ceteris aliquando, etſi non fuerit primogenitus, ait Abulenſis loco priùs citato, propter dignitatem Saluatoris, & omnium Patriarcharum, totiusque populi ſancti, qui ab eo deſcenderunt, vt patet Gen. 10. & 11. Etſi aliquando in Scriptura minores maioribus præponuntur, vt patet Gen. 28. cùm Iacob in ſpiritu benediceret nepotibus ſuis Manaſſe & Ephraim, ad petitionem Ioſeph, poſuit manum dexteram ſuper Ephraim qui minor erat Manaſſe. Poſtponitur etiam, etſi dignitate maior, quia S. Moyſes intendit in ſua narratione proſequi lineam Sem & populi Dei: quare breuiter tacta priorum fratrum generatione, agit de altera Sem, vt deinde eam continuet, inquit idem Abulenſis.

Abulenſis Gen. 5. q. 13. & c 10. quæſt. 9.

Supponit etiam Villalpandus quoddam dubium, factam ſcilicet fuiſſe orbis diſtributionem poſt Chami in patrem ſuum irreuerentiæ ſcelus: ſed hoc non vſquequaque certum eſt; quin factam anteà fuiſſe, colligi poſſe videtur ex Geneſ. 9, 19. vbi ante illius peccati enarrationem, dicitur à tribus filijs Noë diſſeminatum eſſe omne genus hominum ſuper vniuerſam terram. Quòd ſi verum hoc eſſet, & alterum quod dixit Villalpandus, Noë primogenito dediſſe terram promiſſionis, & Cham, ſecundùm Hebræos & alios, fuiſſe alijs fratribus natu maiorem, conficeretur argumentum Villalpandi contra ipſum, & pro noſtra ſententia. Nec videbatur ratio ei hanc regionem denegandi, quia Cham fuit à Deo benedictus, perinde ac Sem & Iapheth. Et quamuis illa diſtributio orbis explicetur inferiùs, non obſtat: Genes. 10.

An Sem fuerit primogenitus Noë.

obstat: quia, ex huius Capitis initio, videntur priùs acta recapitulari. Si etiam dicatur peractam fuisse orbis diuisionem post commissum scelus, non officit dicere, hanc partem obtigisse Chamo, etsi malus fuerit; siue nouerit Noë, siue ignorauerit, in terra illa operandam fore nostram salutem. Qui enim venit propter peccatores, non abhorruisset terram à peccatoribus habitatam: & eum, qui non venit vocare iustos, sed peccatores, peccatores accedere conueniebat. Et numquid verum est, quando in mundum venit Filius Dei, & in ista Palæstinæ prouincia factus est homo, totã eam in maligno positam fuisse, & ab impijs, sicut & modò, occupatam? Et protectò aliæ non deessent congruentiæ ad asserendum, terram illam fuisse dandam Cham, & ab eo descendentibus, etsi sceleribus forent coinquinandi.

Incertum etiam est, quòd Semo fuerit reuelatum, in regione ista iacienda esse prima Templi fundamenta, &c. ac ideò, illius exigente pietate, illam sibi elegisse. Præterea probandum fuisset, in illius potestate fuisse illam sibi eligere. Itaque cùm ista, si non falsa, saltem dubia sint, non potest ex ipsis solidum argumentum confici.

Ad aliud, Quomodo impletum dicamus illud quod Noë dixit vel in Semi benedictione, vel in Chanaan maledictione, si à Sem progeniti non fuerunt primi illius terræ domini, quibus Chananæi seruire possent; respondendum arbitror multipliciter. Primò, tunc impletum fuisse, & Chananæos Hebræis ex Sem per Abraham descendentibus deseruisse, quando isti ex Ægypto in Terram repromissionis venerunt. Nec officit admittere, aliquos ex Sem descendentes ad Orientales Indias abijsse, quia non omnes: non Abraham, nec ab eo progeniti; & istis seruierunt Chananæi.

Nec, vt Semi benedictionem Chanaánve maledictionem completam adstruamus, cogimur asserere, statim Semo, vel proximè ab eo progenitis, fuisse à Chanaan & proximè descendentibus exhibitã seruitutem; sed sufficit quòd aliquando à posteris eius fuerit exhibita, etsi post multa tẽpora. Quemadmodum etiam promissiones Abrahæ de danda ei terra Chanaan, impletas fuisse dicimus in filijs eius, quando illis post quadringentos annos terra illa tradita fuit. Et quòd Hebræis Terram promissionis ingressis seruierint Chananæi, colligitur ex eo, quòd semper aliqui ex istis superfuerint, qui variè illis deseruire potuerint, sicut de facto seruierunt, Dauidis præsertim & Salomonis tempore.

Secundò dici potest (quamuis sensu spirituali) Chananæos deseruisse Iudæis, non obediendo, sed persequendo. Vtramque responsionem ex simili ad aliam difficultatem responsione confirmo.

Dixit Dominus Rebeccæ de populis ex Esau & Iacob, quos in vtero gestabat, progignendis: *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusq; populum superabit, & maior seruiet minori.* Gen. 25. 23.

Inquirunt Doctores sacri, quomodo verum sit, Esau maiorem natu Iacob, seruisse ipsi Iacob, cùm potiùs oppositum legamus in Scriptura. *Quomodo Esau fratri suo Iacob inseruierit.*

Inter alias responsiones quatuor inuenio, quæ proposito nostro deseruiunt, litteralem vnam, reliquas allegoricas. Prima & litteralis est, Esau subiectum fuisse ipsi Iacob, eidemque inseruisse, quia Idumæus populus ex Esau progenitus seruiuit Iacob, id est, populo Iudaico ex Iacob descendenti: quod tempore Dauidis singulariter impletum, sequentibus Scripturæ verbis indicatur: *Posuit Dauid in Idumæa custodes, statuitq; præsidiũ, & facta est vniuersa Idumæa seruiens Dauid.* 2. Reg 8. 14.

Secunda & allegorica responsio est Diui Augustini Serm. 78. de Tempore, quòd Esau seruierit Iacob persequendo, non obediendo. *Quomodo persecutores*, inquit, *Martyribus, quomodo limæ vel mallei auro, quomodo molæ seruiunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia. Quomodo in fornace aurificis palea seruit auro, vbi sine dubio palea consumitur, aurum probatur*, &c. Ita dicendum in proposito, Chanaan & Chananæos seruisse Sem & ab eo progenitis, in posteris, non se sponte subijciendo & obediendo, sed persequendo & resistendo.

Tertia responsio intelligenda est de seruitute peccati, de qua dicitur Ioan. 8, 34. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Et quia ex Chanaan descendentes mali erant, ideò seruituri dicuntur. Ita S. Chrysostomus Homil. 29. in Genes. dum de Nembrod sic lóquitur: *Hic iterùm patruum suum imitatus, & abusus naturæ priuilegijs, alium seruitutis modum adinuenit, & Princeps atque Rex fieri attentauit. Licet ista magis videatur esse libertas, seruitus grauissima est.* Fauet Sophonias cap. 1, 11. dum de Chananæis agens ait: *Conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt omnes inuoluti argento.* Et ponderanda sunt verba, quæ non diuites eos prædicant, sed inuolutos circumdatosque argento, quasi mancipia, similes illis de quibus dixit Dauid: *Nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis*, Psal. 75, 6. vbi vides, eos qui possident diuitias, nõ earum dominos, sed seruos, appellari *viros diuitiarum.* *Mali, seruũ sunt.*

Quarta & postrema responsio sit, seruitutem & dominium accipiendum esse respectu alterius, & non respectu præsentis vitæ, quando impij velut serui & mancipia

retrudentur in teterrimum inferni carcerem, à iuſtis iudicandi in extremo Dei iudicio: quemadmodum Pſalm. 48,15. dicitur: *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. Et dominabuntur eorum iuſti in matutino.* Idèo D. Paulus dixit: *Spiritualis iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur.* Si Iudex ergo ſubditos habet, & exinde dominus. Hoc modo deſcendentes ex Eſau, quia mali, ſeruire debebant ex Iacob genitis, id eſt bonis, & iſti illorum domini ſunt in altera vita. Et ſingulariter iſto ſeruitutis genere mali ex Chanaan progeniti, ex Sem deſcendentibus ſeruire debebant; quia Apoſtoli Iudæi ex iſtorum numero, teſtimonio Saluatoris, cùm ipſe in ſede maieſtatis ſuæ ad iudicandum venerit, ſedebunt ſuper ſedes duodecim, duodecimque tribus Iſraël & omnes malos iudicabunt.

Iuſti, vt domini, malos iudicabunt.

1. Cor. 2, 15.

Mat. 19, 28.

Patet itaque ex dictis, quid propoſitæ difficultati reſpondendũ ſit: Terram ſcilicet repromiſſionis nõ Sem, & ab eo deſcendentibus, primò obtigiſſe, ſed Cham; & ex eo progenitos Chananæos, in orbis partitione eiuſdem primos dominos extitiſſe.

CAPVT XI.

Rationes aliquæ, quare Deus optimus maximus voluerit Chananæos ex Terra promiſſionis expelli, ſi eam legitimè poſſederunt.

QVamuis ex dictis Capite ſuperiori reſponderi poſſit propoſitæ difficultati, tamen ex eiſdem fuſiùs explicatis, & ex alijs clariùs etiam apparebit, meritiſſimò Chananæos expulſos fuiſſe ex terra & hereditate ſua, eamq; traditam fuiſſe Iudæis: & rationes quinque occurrunt, quas hîc ſubijciemus.

Prima ratio eſt illorum, qui dicunt, ideò, illis inde eiectis, terram datam fuiſſe Iudæis, quia iniuſtè illam occupauerant, iure enim debitam fuiſſe Hebræis ex Sem deſcendentibus; ſicut & aliàs Ægyptij multis pretioſis ſpoliati fuerunt, traditis Hebræis quæ illis ratione debebantur. Dominus enim iudex iuſtus eſt, & cauſas innocentium ſuſcipit, eosque ab opprimentibus liberat, & de hoſtibus eorum vindictam ſumit. Quare per Iſaiam comminatur Dominus contra Sennacherib, qui ſuo Aſſyriorum exercitu Iudæos maximè infeſtabat. *Væ*, inquit, *qui prædaris, nónne & ipſe prædaberis? & qui ſpernis, nónne & ipſe ſpernêris? Cùm conſummaueris deprædationem, deprædaberis: cùm fatigatus deſieris contemnere, contemnêris.* Quod ad vnguem ei contigiſſe, nouimus ex 4. Regum 18, 13. & 19, 35. Cùm enim cepiſſet ille omnes ciuitates Iuda munitas, & accepiſſet ab Ezechia Rege Iuda omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini & in theſauris Regijs, confregiſſetque Ezechias valuas templi Domini & laminas auri quas ipſemet affixerat, & dediſſet Regi Aſſyriorum; ecce iuſtum Dei nõ multò pòſt effulſit iudicium, & prædatus fuit, qui alios prædabatur. Cùm enim poſt hæc ad Ieruſalem obſidendam perrexiſſet, noctu venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia: ipſeque Sennacherib, poſtquam cum ignominia inde receſſiſſet, poſteà in Niniue, idolum Neſroch adorans, interfectus fuit à duobus filijs ſuis Adramelech & Saraſar, ſpolijsq; illius ditati fuere filij Iſraël. Sicque patet, illum qui Dominum & populum eius contemnebat, fuiſſe iuſtè à Deo cum exercitu ſuo punitum, & diuitias iniuſtè à Rege & Iudæis extortas, iuſtè eiſdem reſtitutas fuiſſe. Similiter in propoſito arbitrantur reſpondendum. Vera ſanè, & ad componendos mores vtilis doctrina; verùm, vt iam diximus Capite præcedenti, difficultati non ſatisfacit, quare ſit

Iſa. 33, 1.

Secunda ratio vel reſponſio. Chananæi ex terra Chanaan expulſi à Domino fuerunt, ipſaq; terra Iudæis tradita fuit propter Chananæorum peccata. Ita habetur Gen. 15, 16. vbi aſſignans Dominus cauſam quare illam non ſtatim ac promiſit, tradiderit Abrahæ, *Necdum*, inquit, *completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus.* Super quæ verba ſic ſcribit Lyranus: *Iſtud interponitur pro cauſa dilationis implendæ promiſſionis, factæ Abrahæ de terra illa, quia iniquitates populi, qui habitabat terram illam actu, adhuc non tantum increuerant, quòd deberet inde expelli: Deus enim expectat in talibus menſuram ſui iudicij.* Hæc Lyranus. Amorrhæi autem, ſicut & alij habitatores terræ Chanaan, communi nomine, à primo ſuo capite Chanaan, *Chananæi* appellati ſunt. Quare ſi iniuſtè illam poſſederunt, & Iudæis eripuerunt, non erat expectandum tempus quo eorum iniquitates complerentur; iniuſta enim alicuius rei poſſeſſio, ſufficiens cauſa eſt vt poſſeſſor ſtatim eâ priuetur. Confirmatur ampliùs. Idololatræ erant, ideò in pœnam ſuæ idololatriæ meruerunt vt Dominus de ipſis vindictam ſumeret. *Cùm eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem gladium, perrexitq; ad eum locum, & ait: Noſter es, an aduerſariorum? Qui reſpondit, Nequaquam, ſed ſum Princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Super quæ verba inquit idem Lyranus, quòd eſſet Angelus in forma humana, paratus ad prælium; diciſque Principem exercitus Domini, id eſt populi Iudaici, quia

Ioſ. 5, 13.

Digitized by Google

quia à Domino mittebatur, ad faciendam vindictam de iniquitatibus habitatorum terræ Chanaan. Vnde ſicut poſteà Iudæi propter peccata electi ſunt de Ieruſalem & de Terra promiſſionis, ita habitatores terræ Chanaan propter peccata electi ſunt è naturali ſua poſſeſſione.

Tertia ratio. Aliqua pars Terræ promiſſionis contigit eiſdem Iudæis iure belli, cùm Iacob contra Amorrhæos pugnauit; vt ex Iudæis obſeruat Lyranus in ea verba Patriarchæ Iacob ad Ioſeph filium ſuum: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Et Iephte dux Iſraëlitici populi dixit, terram iſtam eſſe Iſraëlitis debitam iure belli; eò quòd Deo fauente victoriam de hoſtibus obtinuerint, eorumque terra illis ad habitandum tradita fuerit à Domino, vt in libro Iudicum legitur. Quare non mirum, ſi illam à Chananæis abſtulit.

Gen. 48, 22.

Iudic. 11, 21.

Quarta ratio eſſe potuit optima Dei diſpoſitio, qua omnia ſuauiter diſponit. Cùm enim ex ſemine Abrahæ carnem ſumere decreuiſſet, locumque, in quo conciperetur, naſceretur, atque noſtram ſalutem operaretur, terram illam elegiſſet, conueniebat ſemen Abrahæ illam inhabitare terram, vt qui eum reciperent inueniret; hac enim via maximè diſponebantur. Etenim cùm fides maximè ad Chriſtum recipiendum neceſſaria ſit, conueniebat vt patri credentium, & ab eo deſcendentibus daretur regio illa, qui etiam alios ad Chriſtum recipiendum docerent. An non Rex ingreſſurus aliquam ciuitatem, præmittit in eam priùs domeſticos & amicos ſuos? Ita ingreſſurus Chriſtus promiſſionis Terram, in eam priùs mittere voluit filios Abrahæ, fideles & domeſticos ſuos. Si enim, cùm in propria venit, ſui eum non receperunt; quomodo receptus fuiſſet, ſi ad alienos diuertiſſet? Hanc rationem metaphoricis quibuſdam verbis indicaſſe videtur Iſaias, dicens: *Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.* quam poſteà retulerunt Euangeliſtæ.

Ioan. 1, 11.

Iſa. 40, 3. Matth. 3, 3. Marc. 1, 3. Luc. 3, 4. Ioan. 1, 23.

Quinta denique ratio ſit. In Terra iſta promiſſionis præfigurabatur terra illa viuentium, omnium plena bonorum, de qua dixit Dauid: *Credo videre bona Domini in terra viuentium*, quemadmodum docet B. Hieronymus. Sed hæc non exteris, & qui ſolùm creatione ſunt filij Dei, elargienda eſt; ſed domeſticis, & per gratiam filijs Dei, qui eius heredes & domeſtici vocantur. Quare & hæc Terra promiſſionis pro arrha illis danda fuerat, qui & filij Dei eſſent, & electos præfigurarent, quales Hebræi erant.

Pſal. 26, 13.

CAPVT XII.

Promiſſiones factæ inſigniſſimis aliquibus viris à Deo, quòd ſemini Abrahæ daturus eſſet Terram promiſſionis.

EA fuit ſemper Dei optimi maximi conſuetudo, vt ea quæ in terra pro gloria ſua vel hominum vtilitate operaturus erat, priùs reuelaret aliquibus dilectis ſuis (vt per quemdam Prophetam ipſe manifeſtauit) vt hoc pacto ad gratias eius recipiendas, vel flagella imminentia noſtris peccatis debita euitanda, & bonitatem & gloriam ſuam celebrandam, magis diſpoſiti inueniremur. Quod pluribus poſſemus oſtendere, ſed vnum & alterum ſufficiat teſtimonium ſupplicij & gratiæ. Cùm voluit mundum, totum ſceleribus & impudicitijs contaminatum & corruptum, aquis diluuij delere, priùs magno viro iuſto Noë reuelauit: & cùm infames illas ciuitates Sodomæ, Gomorrhæ, &c. propter ſimiles turpitudines igne & ſulphure è cælo emiſſo conflagrare voluit, priùs indicauit Abrahæ & Lot amicis ſuis, vt in Geneſi legimus: & in eadem inueni-mus, quòd priuſquam daret optatam prolem Abrahæ & Saræ, ex qua ipſemet Deus in temporis plenitudine carnem ſumere debebat, per Angelos certiores illos reddiderit. Et ſuum in mundum aduentum millies ſanctiſſimis ſuis Patriarchis & Prophetis reuelauit. Ita & hoc ſingulare beneficium de danda Terra ſancta Iudæis in poſſeſſionem, varijs ſanctis viris, pluribus promiſſionibus nouimus fuiſſe indicatum. Sunt verò quæ ſequuntur.

Amos 3, 7.

Gen. 6, 13.

Geneſ. 18, 17. & 19, 13.

Gen. 18, 10.

In primis pluries terra Chanaan Abrahæ promiſſa fuit. Primò, poſtquam ex Domini præcepto, proprio ſolo relicto, in hanc terram venit. & tunc dixit ei: *Semini tuo dabo terram hanc.* Secundò, quando hiſce eum verbis allocutus eſt: *Leua oculos tuos in directum, & vide à loco in quo nunc es ad aquilonem & meridiem, ad occidentem & orientem. Omnem terram quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum. Faciamq; ſemen tuum ſicut puluerem terræ: ſi quis poteſt hominum numerare puluerem terræ, ſemen quoque tuum numerare poterit. Surge ergo, & perambula terram in longitudine & in latitudine ſua, quia tibi daturus ſum eam.* Tertiò denique conſolatorijs illis verbis: *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*, &c.

Promiſſio terræ Chanaan Abrahæ factæ.

Gen. 12, 7.

Gen. 13, 14.

Gen. 15, 1.

Secundò Iſaac Abrahæ filio promiſſa fuit eadem terra ab eodem Domino, vt legitur Gen. 26, 3.

Iacob.

Iſaac.

Tertiò, poſteà Iacobo, Iſaaci filio, Ge-

nesis 28, 13. & huius promissionis meminit ipsemet Iacob morti proximus, Gen. 48, 4.

Moyſi, &c. & Moyses Deut. 19, 8. 34, 4. & alibi.

Denique easdem repromissiones acceperunt frequenter Moyses, Iosue, & filij Israël, vt sæpè legimus in Sacris litteris. Quare verò facienda reuelet Deus priusquam perficiat, fortasse alibi expendemus; quæ hîc diximus, sufficiant.

CAPVT XIII.

Quomodo voluerit Deus impleri promissiones Abrahæ & semini eius factas de danda illi Terra promissionis.

INter alia quæ Regius Propheta de Domino nostro vaticinatus fuit, mirabile ac proposito nostro deseruiens est id quod de

Psal. 144, 13. eius fidelitate dixit: *Fidelis Deus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Et sanè adeò in verbis & promissis suis

Deus in promissis suis fidelis. fidelis est, vt tollat omnes difficultates, quæ illorum complementum impedire possent; omniaque media adhibeat, quibus intentum assequantur finem. ideò Dominus ipse dixit: : [a] *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* [b] *Verbum* enim

[a] Mat. 24, 35. Marc. 13, 31. Luc. 21, 33. [b] Isa. 40, 8. *Domini manet in æternum.* Quod (alijs omissis) solo exemplo, argumento quod pertractamus idoneo, comprobare licet. Promisit Dominus Abrahæ, Isaac & Iacob, se daturum terram Chanaan eorum posteris occupandam: at multa erant quæ promissionum executionem impedire poterant, legitima in primis possessio illius terræ

Gen. 12, 7. 26, 3. 28, 13. per Chananæos, qua priuandi non erant, quoad eorum iniquitates completæ essent; propter illorum enim peccata solummodò illius terræ possessionem ab ipsis ad Iudæos transferre decreuerat: sed tempore quo promissiones illæ factæ fuerunt, nondum com-

Israëlita grauiter in Ægypto oppressi: pletæ erant, vt dici[illegible] Gen. 15, 16. Deinde graui tribulationũ iugo premebantur Iudæi à Pharaone & Ægyptijs, ne adaucti multiplicatique, Ægypto relicta, proficiscerentur ad terram illorum Patribus repromissam: tribus namque ijsque grauissimis afflictionibus eam ob causam vexati fuere à Rege nouo Ægypti, qui nec Ioseph nec fratres eius nouerat, de quibus in Exodi libro agitur. Prima fuit, quòd videns Rex ille mirabilem

cultura laterum, Iudæorum fecunditatem, vt illam retunderet & impediret, insolito labore eos vexare cœperit; sumptaque occasione muniendi confinia regni, & de consilio populi sui ædificandi, mœnibusque circumdandi vrbes quasdam in terra Gessen, præceperit Hebræis, vt lateres ipsi conficerent, Ægyptiosque operibus præfecerit, quibus mandauerat, vt sine vlla eos miseratione ad labores compellerent vrgerentque: qui, tum vt Regis iussa implerent, tum etiam quia & ipsi, felicitati Iudæorum inuidentes, eosdem oderant, tyrannicè admodum eos tractabant & affligebant, illudentes eis, atque ad amaritudinem perducentes vitam eorum per opera dura luti & lateris, & per omnem famulatum quo in terræ operibus premebantur. Et hæc afflictio tantò grauior, quantò diuturnior fuit: perdurauit enim vsque ad exitum eorum de Ægypto, spatio annorum centum & sex, secundùm quosdam, & multò ampliùs secundùm alios.

Tomiellus anno mundi 2438. num. 2.

Huic tribulationi successit altera: videns enim impius & inhumanus ille Rex, He-

infantium extinctione, bræos, non obstante graui illa afflictione, nihilominùs multò ampliùs multiplicari & crescere, vt tantum bonum Iudæorum impediret, vocatis ad se obstetricibus in terra Gessen commorantibus præcepit, vt quando obstetricarent Hebræas, masculos interficerent, feminas tantùm reseruarent. Quæ tamen sanctum Dei timorem humano Regis timori præferentes, Hebræorum infantes perdere noluerunt.

eorúdemq; in fluuio submersio-ne. Nec hîc stitit impius Rex; sed, tertia adhibita persecutione, vniuersum penitus Iudæorum genus perdere decreuit. Præcepit itaque ipsismet Hebræis, vt statim ac nati essent eorum masculi, in flumen eos proijcerent, proposità pœnà, vt (quemadmodum docet Iosephus lib. 2. Antiquit. cap. 5.) si quis clàm fœtus seruare ausus fuerit, tota illius familia tolleretur. Hac verò de causa eam tulit legem, vt idem Auctor ibidem addit, quòd quidam Vates Ægyptius, qui Sacrarum litterarum peritiam profitebatur, ei prædixisset, breui de Hebræis nasciturum quemdam, qui res Ægyptiorum grauiter esset afflicturus, Hebræorum verò admodum promoturus, si modò peruenire ad adultam ætatem; Moysen intelligere volens. Sed & hoc illius consilium eluſum fuit, quoniam *non est consilium contra Dominum.* Etenim natus Moyses, & secundùm commune & impium edictum in fluuium proiectus, Deo disponente seruatus fuit, à propria matre educatus & ablactatus, ab ipsa Regis filia in filium adoptatus, & vt eius filium decebat in Regia domo educatus, disciplinisque Ægyptiorum instructus, ad perfectam vsque venit ætatem. Qui cùm certissimè intellexisset, tum ex parentibus, tum ex circumcisionis signo in propria carne deprehenso, tum ex nominis significatione (*Moyses* enim idem significat quod *attractus* scilicet ab aquis) se non Ægyptiorum & filiæ Pharaonis esse filium, sed Hebræum,

Ægyptij de Moyse vaticinium.

Prou. 21, 30.

Moyses diuino nutu seruatur.

in scientijs instruitur.

braeum, & ex Hebræis parentibus genitum,
cùm impleretur ei quadraginta annorum tempus (vt legitur in Apoſtolorum Actis) *aſcendit in cor eius, vt viſitaret fratres ſuos filios Iſraël*: & relicta Pharaonis aula, profectus ad fratres ſuos Hebræos, palàm *negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo ſuo, quàm temporalis peccati habere incunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti, aſpiciebat enim in remuneratorem*, vt de eo loquitur Apoſtolus. Qui cum die quadam vidiſſet quemdam Hebræum *iniuriam patientem, vindicauit illum, & fecit vltionem ei, qui iniuriam ſuſtinebat, percuſſo Aegyptio*, quem in ſabulo abſcondit. Nec in hoc culpandus eſt, ſed magis laudandus: diuino enim ſpiritu actum hoc feciſſe, tamquã poteſtatis ſibi à Deo traditæ conſcium, pro Hebræorum defenſione, ac liberatione ab iniurijs Ægyptiorum, ſatis aperte colligunt Doctores ex Actuum capite ſeptimo, vbi legimus: *Exiſtimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis; at illi non intellexerunt.* Quod cùm ad aures Pharaonis deueniſſet, & ideò ad necem quæreretur, clam relicta Ægypto, fugit in terram Madian.

Act. 7, 23. Hebr. 11, 24. Ægyptium, in Iſraëlitas iniurium, occidit. Exod. 2, 15.

Manſit verò in regione illa quadraginta annis, & Sephoram Raguelis filiam duxit in conjugem, ex qua duos ſuſcepit liberos; habitauitque apud ſocerum ſuum, vitam exercens paſtoralem, quoad iuſſu Domini rediit in Ægyptum ad liberandos filios Iſraël de manibus Ægyptiorum, & introducendos in terram Patribus repromiſſam.

Expleto quadrageſimo anno manſionis Moyſis in terra Madian, & octogeſimo vitæ eius, volens Dominus per eum liberare populum ſuum, cùm quadam die ille minaſſet gregem ad interiora deſerti in ea parte montis Sinai quæ etiam dicitur Horeb, apparuit ei de medio ardentis rubi, qui tamen in flammis illæſus & incombuſtus permanebat. Quem, cùm vocatus acceſſiſſet, conſtituit ducem populi ſui, deditque ei auctoritatem ſuper Pharaonem, & faciendi ſigna & prodigia in Ægypto, pro liberatione filiorum Iſraël. Tot verò ibi mirabilia operatus fuit, vt tandem exiuerit populus de Ægypto, & impletum fuerit verbum Domini, & promiſſio primis illis Patriarchis, Moyſi & populo Dei facta, vt latè videre eſt in libro Exodi.

A Deo inbetur populum ſuum ex Ægypto educere.

A cap. 3 vſque ad 13.

CAPVT XIV.

De modo mirabili quo Dominus populum Iſraël eduxit de Aegypto, vt introduceret in Terram Patribus repromiſſam.

Dei poteſtas ex contrario operandi modo monſtratur.

QVàm magnus & mirabilis ſit Deus optimus maximus, dignoſcitur in operibus eius, cùm cõtrarijs mediis cupitum conſequatur intentum, vt eleganter adnotauit D. Ioannes Chryſoſtomus Homil. 4. in c. 1. Epiſtolæ 1. ad Corinthios, in ea verba, *Quoniam Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt*, &c. hoc enim pacto diſcitur, ipſum nulla re extra ſe indigere, ſed ipſum ſibi ad ſua exequenda opera ſufficientiſſimum eſſe. Hac ratione Elias oſtẽdit, Deum Iſraël eſſe verum Deum, & non Baal, cùm abſque igne, & multâ proiectâ aquâ ſuper ſacrificia, accenſus eſt ignis magnus, qui holocauſtum & ligna & lapides abſumpſit, puluerem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu, lambens. Eliſeus ſale, quo alioquin aqua efficitur amarior, ipſam dulcem reddidit: & Chriſtus Dominus ſe Deum verum oſtendit (vt pleraq; alia eiuſmodi omittamus) cùm cæcum à natiuitate illuminauit, luto ſuper oculos eius poſito, quod ad viſum eripiendum videbatur opportunius. Simili modo eduxit Deus filios Iſraël ex Ægypto de manu Pharaonis, vt intelligerent, non proprijs ſe viribus, ſed ſola Dei virtute fuiſſe liberatos. Sunt verò quinque præcipua, quæ difficilem reddere videntur illam populi liberationem, quin & impedire, quibus tamen effecta eſt illuſtrior & mirabilior.

3 Reg. 18. 38. 4. Reg. 2, 21. Ioan. 9, 6. Exod. 15, 3. 4. 6. 7.

Ea quæ populi dimiſſionem impedire ex ſe poterant, cum tamen promouerunt.

Primò eligitur Moyſes qui Dei legatione fungatur: at legatus eloquens eſſe debet, & qui benè audiat apud quem legatio facienda eſt; Moyſes verò nec eloquens erat, quod ipſe aduertens, renuebat huiuſcemodi prouinciam, Domino dicens: *Obſecro Domine, nõ ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impediti oris, & tardioris linguæ ſum.* Nec benè audiebat apud Pharaonem, & Ægyptios, quoniam vnum ex iſtis occidit, & Pharao quærebat occidere eum: quare, relicta pridem Ægypto, fugerat in terram Madian. Verùm difficultas hæc à Deo tollitur: nam datur ei in auxilium Aaron frater eius, Leuites, & eloquens, qui Pharaoni loqueretur ea verba quę ipſe à Domino acciperet. Et altera ſimiliter difficultas ablata fuit, quia mortui erant omnes qui quærebant animam eius, vt dicitur eodem capite: quin & timendus erat à Pharaone, quoniam à Deo ei præfectus fuit. dixit enim ei Dominus: *Ecce conſtitui te*

Exod. 4, 10. Exod. 4, 12. 30. Exod. 2, 15. Exod. 4, 14. Exod. 4, 19. Exod. 7, 1.

Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.

Secundò, Facta legatione Dei ad Pharaonem, vt dimitteret populum Israël, vt sacrificaret ei in deserto, contempsit Pharao, & plus solito oppressit laboribus filios Israël, vt dicitur Exodi 5, 8. Et quam liberationis spem concipere ipsi poterant, videntes tunc plus solito se affligi? Multam sanè: etenim in afflictionibus non derelinquebat eos Deus, sed consolabatur. Dicitur enim: *Quantoq; Ægyptij opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur & crescebant.* Cumque tandem inde discesserunt, diuites & incolumes inuenti sunt, quemadmodũ dicitur: *Et eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.*

Exod.1,12.

Psal.104, 37.

Tertiò, Hebræi nimis flagellis & laboribus oppressi, conqueruntur apud Moysen & Aaron, dicentes: *Videat Dominus & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, & præbuistis ei gladium vt occideret nos.* Quos etsi Moyses & Aaron consolarentur, ab eis tamen non audiebantur, vt ibidem dicitur. Verùm nimiam hanc afflictionem ad illustriorem direxit Deus liberationem: dum enim in tribulatione positi ad Dominum clamarent, exaudiri meruerunt, vt eodem capite Exodi habetur; & multa mirabilia pro eorum liberatione, Pharaonem & Ægyptios affligendo, Deus operatus est, vt non tantùm facultatem proficiscendi eis concesserint, verùm & abire coëgerint.

Exod.5, 21.

Exod.6,9. Exod.6,10.

Quartò, Indurat Dominus cor Pharaonis, quando iam ille populum dimittere proposuerat, vt in libro Exodi frequenter dicitur. An non melius erat ipsum emollire? Verùm ex hoc innuebatur, quòd non liberarentur Iudæi benignitate & voluntate Pharaonis, sed quòd eos Dominus in multis mirabilibus liberare voluerit, vt Deo, non Pharaoni gratias redderent, & liberati non cogitarent de reuersione in Ægyptum, sub iugum tam immanis & diri Tyranni.

Quintò denique, Egressos de Ægypto non duxit Dominus per viam terræ Philisthijm quæ vicina est. Quare? ob eorum sanè commodum; *reputans* (inquit sacer Textus) *ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Aegyptum. Sed circumduxit per viam deserti, quæ est iuxta Mare rubrum.* Lege Pererium Disp.1.in cap.13.Exod. Ditauit eos insuper opibus Ægyptiorum, quas suo iussu mutuò ab eis acceperant, atque alioquin pro operibus præstitis debebantur, vt dicitur Exodi 11, 12. 12, 35. quæ sanè eisdem in suo itinere & profectione admodum fuere commodæ atque vtiles.

Exod.13, 17.

Hæc & alia rectè considerata, ostendunt, quàm mirabilis ac suauis sit Deus in operibus suis.

CAPVT XV.

De mansionibus, in quibus filij Israël, egressi de Ægypto, moram fecerunt, vt per desertum in Terram promissionis proficiscerentur.

ANtequam de mansionibus filiorum Israël, in quibus manserunt, vel in Ægypto profecturi ad desertum, vel in deserto antequam terram Patribus suis repromissam ingrederentur, agamus, duo adnotare placuit: alterum, quid mansionis nomine in præsentia intelligere debeamus; alterum, quot mansiones numerentur ab exitu filiorum Israël de Ægypto vsque ad eorum ingressum in terram Chanaan.

Quantum ad primum, dico, mansionis nomine posse nos Primò intelligere quamlibet quietem temporariam & breuem, quæ frequenter fieri contingebat bis vel semel saltem in die, ad parandum vel sumendum cibum, & ab itinere quiescendum, in qua quiete & mansione non figebant Hebræi tabernacula, sed sub dio manebant. Secundò mansionis nomine intelligere possumus quietem diuturniorem, qua fixis tentorijs alicubi morabantur Hebræi: & hoc posteriori modo accipitur mansio in proposito, & in Scriptura sacra, dum de mansionibus filiorum Israël fit mentio. mansiones enim priori modo sumptas non ponit in numero; quod inde patet, quia in libro Exodi legitur, Hebræos, egressos de Mari rubro, tribus diebus ambulasse per desertum Sur, quoad peruenerunt in locum appellatum *Mara*, vbi etiam mansionem fecerunt, & ita in toto isto itinere vnica tantùm numeratur mansio; quod etiam cap. 33,8. Numerorum legitur. At non est dubitandum, quin illo trium dierum itinere quieuerint ad se somno & cibo reficiendos, & alia necessaria facienda. Et sanè quadraginta annorum curriculo peregrinationis eorum in deserto, plus quàm quadraginta duabus vicibus quieuisse credendum est, cùm tamen quadraginta duæ dumtaxat mansiones in Numerorum libro numerentur.

Mansionis nomen dupliciter accipitur.

Exod.15, 22.

Num.33,2 3.ad 50.

Ex hoc iam ad alterum notandum respondetur. Omisso ergo numero mansionum secundùm priorem significationem (qui nec ponitur in Scriptura, vt dixi, nec facilè vel vtiliter indagari potest) loquendo de mansionibus secundùm posteriorem acceptionem, dico, vel nos loqui de ipsis ponendo in numero terminum à quo & ad quem, id

Digitized by Google

id eſt locum vnde primò diſceſſerunt Iſraëlitæ, qui proprie manſionis nomine non videtur appellandus; quoniam manſio videtur importare terminum & moram alicuius motus, qui reſpectu illius non eſt, niſi dicatur in propoſito fuiſſe quidem non ratione totius populi Iſraëlitici, ſed ratione illorum qui ex diuerſis partibus conuenerunt ad locum vnde omnes primò diſceſſerunt, id eſt profecturi in deſertum Rameſſe: vel ſecluſo termino à quo & ad quem. Secundùm poſteriorem conſiderationem erunt quadraginta duæ, at ſecundùm priorem erunt quadraginta quatuor. Nos ſecundùm illam priorem eas enumerabimus, vt & numerantur in libro Numerorum, & à D. Hieronymo in Epiſtola ad Fabiolam, & ab alijs communiter.

Num. 33. D. Hieron. Epiſt. 127. ad Fabiolã de 42 manſionibus.

Iſtæ moræ & manſiones diſtinguebantur ex diuerſa quiete columnæ nubis, breui, vel diuturna. Si breuis erat, quieſcebat tantùm populus ad cibum ſomnumque capiendum; ſin diuturna, multò amplius quieſcebat, & mora manſioque diuturnior erat, in qua figebat tabernacula, & caſtra metabatur, & hæc inter manſiones numerabatur.

Qua ratione ex ſignis columnæ Iudæi vel manſionem vel profectionem collegerint.

Sed quomodo ex columnæ quiete certò internoſcere poterant Hebræi, breuiter quieſcendum; aut aliquamdiu, fixis tentorijs, poſitisque caſtris, manendum eſſe? Reſpondet huic difficultati Benedictus Pererius in decimum tertium cap. Exod. diſp. 7. num. 33. id fuiſſe eis hac ratione notum. Quando columna circa meridiem quieſcebat, tunc Hebræi etiam quieſcebant ad cibum ſumendum: ſi autem poſt meridiem, id habebant pro ſigno, ſibi eſſe aliquamdiu ibi manendum; & tunc figebant tentoria, & mutabant caſtra. Similiter veſperi quieſcebat columna, vt nocturnam Hebræis daret quietem; vnde tunc non figebant tentoria, neque caſtra metabantur: ſi autem manè quieſcebat, indicium erat, Hebræis eſſe fixis tentorijs eo in loco manendum. Hæc probabiliter dicta ſunt: verùm cùm Scriptura huiuſmodi ſignum reticuerit, certò, qualiter contigerit, determinari poſſe non credo. Hoc certum habemus ex Scriptura, extructo iam tabernaculo fœderis, quando nubes illud deſerebat, profectos fuiſſe filios Iſraël per turmas ſuas; ſi pendebat deſuper, manſiſſe in eodem loco.

Exod. 40. 34. Num. 9. 17.

Ad propoſitum igitur accedentes dicimus, poſtquam Hebræi ex præcepto Domini agnum comediſſent, & primum paſcha celebraſſent, primogenitis Ægyptiorum interfectis, non multò poſt mediam noctem, peruulgata feſtinatò Hebræis vbique Regis licentia, qui anteà præmoniti fuerant per Moyſen (is enim, vt in Exodo habetur, prædicebat populo ſucceſſiuè omnia quæ ventura erant, vt ſtatuto tempore ad exitum prompti paratique inuenirentur; & docet Ioſephus lib. 2. Antiquit. cap. 5. prope finem) Hebræi omnes qui ſe in Rameſſe receperant, in modum cuiuſdam magni exercitus per Moyſen diſpoſiti, ex Ægypto proficiſcebantur cum alimentis ſuis neceſſarijs. Hinc habemus, primam manſionem filiorum Iſraël exeuntium de Ægypto, fuiſſe in Rameſſe, vbi omnes alibi diſperſi conuenere, & exinde diſceſſerunt.

Manſio prima.

Notandum, Rameſſe olim fuiſſe nomen regionis, ſeu agri, in optimo terræ Geſſen loco exiſtentis, vbi Pharao in gratiam Ioſephi habitare fecerat filios Iſrael, vt dicitur in Geneſi: qui poſt multa deinde tempora coacti ſunt quaſdam ædificare vrbes Pharaoni; quarum vna in dicto loco extructa, ab eadē regione denominata eſt Rameſſes: & ex hac turmatim creditur filios Iſraël diſceſſiſſe. Arbitror verò, non quidem omnes in Rameſſe, ſed & in vicinis locis, vnde diſceſſuri erant, conueniſſe: tot enim erant, vt commodè eos vrbem iſtam capere potuiſſe haud arbitrer. Numerus enim Hebræorum qui exierunt de Ægypto, ad ſexcenta ferè millia peditum excreuit, abſque paruulis ac mulieribus, & præter innumerabile vulgus promiſcuum, puta Ægyptiorum omnis ætatis, & ſexus, & conditionis, qui ex longa cum ipſis conſuetudine ad Iudaiſmum conuerſi, ipſos Hebræos, quocumque eos Dominus duceret, ſequi maluerunt, quàm cum idololatris in patria remanere. Vnde non improbabiliter quidam arbitrati ſunt, totam ſummam eorum qui exierunt, ad ter decies centena millia hominum accedere potuiſſe, quos ſanè ea vrbs ſola capere non ſuffeciſſet.

Rameſſe qualis locus. Exod. 12. 37. Num. 33. 3. Gen. 47. 27.

Ægyptij multi cum Iſraëlitis egreſſi. Exod. 12. 37.

Inde profecti, diuino protegente auxilio: *Dominus* enim *præcedebat eos ad oſtendendã viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux eſſet itineris vtroque tempore*, vt dicitur in Exodo. An vero primò apparuerit hæc columna in principio egreſſionis ex Rameſſe, vt quidam arbitrati ſunt, an potiùs in tertia manſione, id eſt egreſſu ex Socoth, vt ex adducto loco Exodi probat D. Hieronymus, incertum arbitror.

Exod. 13. 21.

Quando columna primò Iſraelitas præceſſerit.

Ex Rameſſe egreſſi, tendunt tabernacula in Socoth in finibus Ægypti, vt dicitur Exodi 12, 37. & Numer. 33, 5. Et hìc fuit ſecunda manſio eorum profectionis, & locus vbi primò fixerunt tabernacula: vnde & *Socoth* dictus eſt Hebraicè, quod Latinè *tabernacula* ſignificat.

Manſio ſecunda.

De Socoth profecti, caſtrametati ſunt in Ethan, in extremis finibus ſolitudinis.

Manſio tertia.

Exodi 13, 20. Numer. 33, 6. Et hîc tertia fuit manſio.

Manſio quarta. De Ethan egreſſi, quartam manſionem fecerunt in Phihahiroth, quæ eſt inter Magdalum & Mare rubrum contra Beelſephon. Et ecce, dum hîc caſtra metati fuiſſent, Pharao armatus cum omni exercitu ſuo, præcedentium veſtigia inſecutus, tandem quadam die eis ſuperuenit iuxta mare: qui cùm eſſent in anguſtijs conſtituti (etenim ex vna parte mons præruptis rupibus, & omnino inuius, ad littus vſque excurrebat; ex alia verò, ipſum mare: inſuper Pharao omnes vias intidens, quibus effugium Hebræis eſſe poſſet, eoſdem inter montem ac mare concluſerat) multùm inde trepidare, & contra Moyſen murmurare cœperunt. Verùm ab eodem conſolati, diuinaque eos protegente gratia, mare iuſſu Dei per Moyſen virgâ percuſſum, potentiaque cæleſti diuiſum, Iſraëlitis tranſitum tutum præbuit, Pharaonem verò inſequentem cum exercitu eius inuoluit atque ſubmerſit. Exod. 14, 9. Numer. 33, 8. Mare igitur incolumes egreſſi, Domino gratias reddiderunt tum viri tum mulieres.

Exod. 14, 2. Num 33, 7.

Iſraëlitæ Mare rubrũ tranſeunt, & Pharao ſubmergitur.

Exod. 15, 1. 20.

Manſio quinta. Ex Phihahiroth & Mari rubro *egreſſi ſunt in deſertum Sur, ambulauerunt́q; tribus diebus per ſolitudinem, & non inueniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd eſſent amaræ.* Hic ob aquæ amaritiem iterùm murmurauerunt Iudæi contra Moyſen; ſed ille, ligno à Deo ſibi oſtenſo, & in aquas immiſſo, eas edulcauit, ibique præcepta atque iudicia conſtituit. Exod. 15, 23. Hîc fuit prima manſio filiorum Iſraël poſt tranſitum Mare rubrum, & quinta in ordine ex quo à Rameſſe diſceſſerant.

Manſio ſexta. Ex Marad profecti venerunt in Elim, *vbi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ, & caſtra metati ſunt iuxta aquas.* Exod. 15, 27. Numer. 33, 9. Et hîc fuit ſexta manſio.

Manſio ſeptima. Elim relicto, redierunt ad Mare rubrum, & ibi ſeptimò fixerunt tabernacula. Numerorum 33, 10.

Manſio octaua. Ex Elim egreſſi, caſtra metati ſunt in deſerto Sin, quod eſt inter Elim & Sinai. Exodi 16, 1. Numer. 33, 11. & hîc fuit octaua eorum manſio. Hîc filij Iſraël tertiò murmurauerunt contra Moyſen & Aaron, propter famem: quia deficiente farina quam ſecum ex Ægypto aſportauerant, vnde ſuæ ſuſtentationi conſulerent, ignorabant. At exaudiuit Dominus Moyſis orationem, & pluit veſperi coturnices, & poſtera luce manna, quæ deinceps in deſerto per annos quadraginta quotidie, præterquam ſabbatis, manè ſimul cum rore decidit. Exod. 16, 2.

Sin qualis locus. Omnis ab Elim vſque ad deſertum Sinai eremus, Sin vocatur, in qua quinque enumerantur manſiones.

Manſio nona. Ex præcedenti loco, id eſt Elim, venerũt in Daphca. Num 33, 12. & fuit ibi nona eorum manſio.

Manſio decima. De Daphca venerunt in Alus. Numerorum 33, 13. Eſtque hæc decima illorum manſio.

Manſio vndecima. De Alus fixerunt vndecimò tabernacula in Raphidim, prope Horeb. Exod. 17, 1. Numer. 33, 14 Hic cùm aquæ ad bibendum populo deeſſent, quarta vice iurgatus eſt contra Moyſen: qui clamans ad Dominum pro aqua, exauditus eſt, & percuſſa petra dedit populo aquas largiſſimas. Exodi 17, 1. Numer. 20, 2. Et hæc fuit prima eductio aquæ de petra, altera enim facta eſt poſteà in Cades, manſione trigeſimatertia. Hoc ipſo in loco Amalecitę oppugnauerunt caſtra Iſraël; ſed Moyſe in monte manibus eleuatis orante, deuicti fuêre. Exod. 17, 8. Hoc fuit primum bellum filiorum Iſraël poſtquam de Ægypto egreſſi ſunt, ad terram Chanaan pergentes. Huc venit Iethro ſacerdos Madian, cognatus Moyſi, ei offerens vxorem Sephoram, quam remiſerat, cum duobus filijs ſuis, & cum eo lætatus eſt propter mirabilia à Deo in gratiam populi ſui patrata. Dedit etiam Moyſi conſilium, vt eligeret viros, qui minora populi iudicia, & leuiores cauſas iudicarent, maiores verò ſolùm, & quæ ad Deum pertinerent, ad ſe deferri faceret: quod vt optimum erat conſilium, ita à Moyſe adimpletum fuit. Exodi 18, 1.

Amalecita ab Hebræis bello ſuperantur.

Moyſes de conſilio ſoceri ſui Cõcilium pro minoribus cauſis diudicandis inſtituit.

Manſio duodecima. Ex Raphidim venerunt Iſraëlitæ in deſertum Sinai, è cuius montis regione caſtra metati ſunt menſe tertio egreſſionis ſuæ de terra Ægypti; & hîc fuit duodecima illorum manſio. Exod. 19, 1. Numer. 33, 15. Hic aſcendit Moyſes in montem Sinai ad Dominum, à quo plura præcepta pro populo ſuo accepit, modum item tabernaculi conſtruendi, & alia quæ ab Exodi cap. 19. vſque ad 40. leguntur, & in Leuitici Numerorumque libris.

Quibus peractis, mouit Moyſes caſtra, arcâ Domini, quæ iam conſtructa erat, præcedente, & columnâ ſolito more iter oſtendente, vt dicitur Num. 10, 33. Trium verò dierum itinere defatigati filij Iſraël, dolentes pro labore, murmurauerunt contra Dominum. Quod cùm audiſſet Dominus, iratus eſt, & accenſo igne in extrema caſtrorum parte, eam attriuit: ſed exoratus à populo Moyſes, pro eo orauit Dominum, & ignis ille extinctus eſt. Et hic vltionis locus appellatus eſt *Incenſio*. Num. 11, 1.

Manſio decimatertia. Figentes ergo tabernacula, quieuerunt ibi,

ibi, manſione decimatertia à ſuo ex Ægypto egreſſu, prima verò poſt diſceſſum à monte Sinai. Et hîc diutiùs cõmorati fuerunt, prout ex diuturna manſione nubis cognouerant ſibi eſſe manendum. Porrò in hac eadẽ manſione Hebræi faſtidientes manna, & carnes concupiſcentes, murmurauerunt cõtra Dominum: qui apparens Moyſi tantum onus deprecanti, & vt aliquantulùm alleuiaretur oranti, iuſſit illum deligere ſeptuaginta ſenes valdè probatos de Iſraël, & congregare eos ad tabernaculum fœderis, vt eis impartiretur ſpiritum eius, quò ei eſſent coadiutores. Miſit item ſuper caſtra maximam coturnicum copiam, pluens ſicut puluerem carnes: cumque iam Iſraëlitæ eſſent ſaturati vſque ad nauſeam, ira Dei ſuper ipſos venit, & occidit eos. Num. 11, 33. & 33, 16. Pſal. 77, 27. Quare aliud nomen huic loco inditũ fuit, nimirum *Sepulchra concupiſcentiæ*, eò quòd ibi ſepeliſſent populum qui deſideraſſet, vt dicitur Num. 11, 34. & 33, 16.

Coturnicibus paſcuntur filij Iſrael.

Egreſſi de Sepulchris concupiſcentiæ, venerunt in Haſeroth, ibique manſerunt. Num. 11, 35. & 33, 17. illaque fuit decimaquarta illorum manſio. In hac Aaron & Maria ſoror eius murmurauerunt contra Moyſen, propter vxorem eius Æthiopiſſam. Dominus ergo contra eos indignatus, grauiter illos increpauit, & Mariam leprâ percuſſit: quæ diebus ſeptem, vtputa immunda, extra caſtra ſeparata fuit, donec à Domino, Moyſe pro ipſa intercedente, ſanaretur, vniuerſo interim populo tamdiu illam expectante. Num. 12.

Manſio decimaquarta.

Maria Moyſis ſoror leprâ percutitur.

Mariâ ſorore Moyſi ſanitati reſtitutâ, de Haſeroth receſſerunt filij Iſraël, & venerunt in Rethma, locum deſerti Pharan ferè extremum. Num. 13, 1. & 33, 18. Et hîc fuit manſio ipſorum decimaquinta. Non longè ab hac manſione erat Cadesbarne, vt colligi poteſt ex Num. 13, 26. Deut. 1, 19. & Ioſue 14, 7. quare Rethma & Cadesbarne vel vnus & idem locus erant, vel ſaltem contigua, & pro vno computantur, cùm miſſio exploratorum à Moyſe ad Terram promiſſionis, adducto Numerorum loco dicatur facta ex Pharan, locis verò Deuteronomij & Ioſue de Cadesbarne. Ita ſentire videtur D. Hieronymus in Epiſt. ad Fabiolam, de 42. manſionibus, manſione 15. Quæ in hac manſione contigerunt, ſunt præcipua quæ ſequuntur. Hinc iuſſu Domini miſit Moyſes duodecim exploratores, vnum ex qualibet tribu, ad conſiderandam terram Chanaan: qui iuſſis obtemperantes, fructus, fertilitatis illius ſignum, detulerunt. Verùm decem ex illis adeò populum perterruerunt, propoſitis difficultatibus quæ in acquirenda illa ſuperandæ eſſent, vt porrò proficiſci, & labores pro ea occupanda ſubire omnino detrectauerit; nec quidquam profuerit reliquorum duorum, Caleb & Ioſue, virilis exhortatio, qua perſuadebant, diuino auxilio fieri poſſe vt eam ſibi ſubiugarent, quò minùs in apertam ſeditionem abierit, & contra Dominum murmurauerit. Numer. 13. Sed debitas diffidentiæ & ingratitudinis ſuæ pœnas dederunt: nam exploratores illi decẽ ſubitanea & violenta morte interierunt, Num. 14, 36. & ex tot millibus qui ex Ægypto exierant, duo dumtaxat, Caleb & Ioſue, Terram Patribus eorum repromiſſam ingreſſi fuêre; ceteri quadraginta annorum tempore per vaſtum & horridum illud deſertum circumducti, paullatim interierunt. Viſa verò exploratorum morte, facti ſerò pœnitentes filij Iſraël, niſi ſunt vlteriùs progredi ad terram Chanaan poſſidendam, Moyſe etiam contradicente. Sed cùm verticem proximi montis ſine Moyſe & Arca aſcendiſſent, ab Amalecitis & Chananæis ibidem habitantibus grauiter percuſſi, & in fugam coniecti fuerunt, qui & eos vſque Horma inſecuti fuerunt. Num. 14, 44. Et fuit hoc ſecundum bellum motum contra filios Iſraël poſtquam de Ægypto egreſſi iam fuiſſent. Quæ præterea capitibus aliquot conſequenter in Numerorum libro recenſentur, dum nimirum cap. 15. enumerantur quædam præcepta à Domino Iudæis tradita, & refertur pœna cuiuſdam qui ligna colligendo Sabbatum violauerat; dum cap. 16. deſcribitur coniuratio Core & aliorum contra Moyſen & Aaron, eorumdemque grauiſſima punitio; dum cap. 17. annotatur diuina Aaronis, per virgam miraculosè florentem, ad cultum Dei obeundum electio; & dum duobus ſequentibus capitibus 18. & 19. eiuſdem libri enarrantur præcepta quæ Moyſes dedit populo; probabile quidem eſt, contigiſſe in Rethma ſiue Cadesbarne, & decimaquinta manſione, at nõ omnino certum: dicere enim, quædam in alijs ſequentibus manſionibus contigiſſe, nõ eſſet contra Scripturam ſanctam.

Manſio decimaquinta.

Exploratores ad Terram promiſſionis à Moyſe mittuntur.

Profecti de Rethma ſiue Cadesbarne, vbi decimamquintam fecerant manſionem, reuerſi ſunt in ſolitudinem quæ ducebat ad Mare rubrum, Deut. 1, 19. & 2, 14. quemadmodum eis præceperat Dominus Numer. 14, 25. & circuierunt montem Seir longo tempore, hoc eſt triginta octo ferè & ampliùs annorum interuallo, ſiue vſquedum venerunt ad montem Hor; tunc enim, relictis Idumæorum finibus, direxerunt iter ad deſertum Moab. Ex Cadesbarne verò digreſſi, primò caſtra metati ſunt in Remmomphares. Num. 33, 19. Et hæc fuit decimaſexta manſio.

Manſio decimaſexta.

Inde

Manſio decimaſeptima. Inde egreſſi, veniunt in Lebna, ibiq́ue decimamſeptimam manſionem fecerunt. Num. 33, 20.

Manſio decimaoctaua De Lebna egreſſi, caſtra metati ſunt in Reſſa: ibi fuit decimaoctaua manſio. Numer. 33, 21.

Manſio decimanona. Egreſſi de Reſſa, decimamnonam manſionem fecerunt in Ceelatha. Num. 33,22.

Manſio vigeſima. Ex Ceelatha profecti, caſtra metati ſunt in monte Sepher amœno & pulchro. Numer. 33, 23. Et fuit manſio vigeſima.

Manſio vigeſimaprima. Egreſſi de monte Sepher, venerunt in Harada. Num. 33, 24. Ibiq́ue fuit manſio vigeſimaprima.

Manſio vigeſimaſecunda. De Harada proficiſcentes, caſtra metati ſunt in Maceloth. Numer. 33, 25. Et fuit manſio vigeſimaſecunda.

Manſio vigeſimatertia. De Maceloth profecti, venerunt in Thahath. Num. 33, 26. Manſioq́ue ea fuit vigeſimatertia.

Manſio vigeſimaquarta. De Thahath caſtra metati ſunt in Thare. Numer. 33, 27. Manſio hæc eſt vigeſimaquarta.

Manſio vigeſimaquinta. E Thare profecti, caſtra metati ſunt in Methca. Num. 33, 28. Manſio ea fuit vigeſimaquinta.

Manſio vigeſimaſexta. Et de Methca, caſtra metati ſunt in Heſmona. Num. 33, 29. Quæ manſio fuit vigeſimaſexta.

Manſio vigeſimaſeptima. De Heſmona venerunt in Moſeroth. Num. 33, 30. Manſioq́ue ea eſt vigeſimaſeptima.

Manſio vigeſimaoctaua. De Moſeroth caſtra metati ſunt in Beneiaacan. Num. 33, 31. vbi facta fuit manſio vigeſimaoctaua.

Manſio vigeſimanona. Ex Beneiaacan profecti, venerunt in montem Gadgad, vbi aquarum torrentes ſunt. Num. 33, 32. & Deut. 10, 7. Manſio hæc fuit ordine vigeſimanona.

Manſio trigeſima. De Gadgad profecti, caſtra metati ſunt in Ietebatha. Num. 33, 31. vbi fuit manſio trigeſima. Hîc erant torrentes aquarum. Num. 33, 32. Deut. 10, 7.

Manſio trigeſimaprima. De Ietebatha venerunt in Hebrona. Numer. 33, 33. manſionem ibi fecerunt trigeſimamprimam.

Manſio trigeſimaſecunda. De Hebrona egreſſi, caſtra metati ſunt in Aſiongaber. Num. 33, 34. quæ fuit manſio trigeſimaſecunda, & vltima ſolitudinis Pharan. Fuit verò Aſiongaber ciuitas & portus Iudæorum in littore Maris rubri, inquit Adrichomius in ſuo Theatro, in deſcriptione deſerti Pharan, num. 15.

Aſiongaber qualis locus.

Ex Aſiongaber egreſſi, venerunt in deſertum Sin, hęc eſt Cades. Num. 20, 1. & 33, 35. & Deut. 2, 1. qui locus alio nomine dictus eſt *Beroth filiorum Iacan*, vt patet Deut. 10, 6. Notandum, Cades, de quo hîc, non eſſe locum illum de quo egimus ſuperiùs in manſione decimaquinta, vt bene mihi probare videtur P. Auguſtinus Torniellus in ſuis Annalibus ſacris Tom. 1. anno mundi 2545. num. 61. quod & aduertit ad annum 2583. num. 1. Hîc fuit Iſraëlitarum manſio trigeſimatertia. In hac manſione, quæ ſequuntur accidiſſe nouimus. Primò ibi mortua eſt Maria ſoror Moyſi, & ſepulta in eodem loco, Num. 20, 1. Deinde, populus aquâ indigens conuerſus eſt in ſeditionem, conqueſtus contra Moyſen & Aaron. Qui, dimiſſa multitudine, tabernaculum ingreſſi, Deum pro aqua orarunt; vbi apparens eis gloria Domini, mandauit Moyſi, vt aſſumptâ virgâ ſuâ, congregaret populum: cumq́ue petram bis virgâ percuſſiſſet, ſtatim ex ea egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, bibitq́ue populus, & iumenta, ad ſatietatem. Et hæc fuit ſecunda aquæ de petra eductio: prima enim facta fuit in manſione vndecima in Raphidim, vt ibidem dictum eſt. Quoniam verò hîc diffidere viſi ſunt Moyſes & Aaron de prouidentia & miſeratione diuina, quam tamen aliàs in ſimili experti non ſemel fuerunt, in pœnam ſuæ hæſitationis prædixit illis Dominus, eos non introducturos populum in Terram eis promiſſam; & exinde locus ille dictus eſt, *Aquæ contradictionis*. Num. 20, 2. Tertiò, ex hoc ipſo loco Moyſes, malens recto itinere, quàm tot ambagibus, properare cum populo ſuo ad terram Chanaan, nuntios miſit ad Regem Edom, poſtulans vt liberum præberet tranſitum per regionem ſuam: qui eum non modò non conceſſit, ſed magno inſuper exercitu contra Iſraël perrexit. Moyſes ergo, ne cum populo ſuo contra illum pugnaret à Domino prohibitus, aliò iter vertit. Num. 20, 20. & Iudicum 11, 17.

Manſio trigeſimatertia. *Maria ſoror Moyſis moritur.* *Petra virgâ Moyſis percuſſa aquam rudit.* *Rex Edom Iſraëlitis tranſitum per ſuam regionem negat.*

Itaque ex Cades venit populus ad excelſum montem Hor, qui eſt in finibus terræ Edom. Num. 20, 22. & 33, 37. In hoc monte Aaron, cùm eſſet annorum centum viginti trium, iubente Domino mortuus eſt, & ſepultus, anno quadrageſimo egreſſionis filiorum Iſraël de Ægypto, & pro eo à Moyſe ſacerdos electus & conſecratus fuit Eleazar filius eius. Num. 20, 26. & 33, 38. Deuter. 10, 6. & 32, 10.

Manſio trigeſimaquarta. *Aaron moritur, & Eleazar ei ſuccedit.*

Occurrit hîc difficultas. Deuteron. 10, 6. dicitur, Aaron mortuum eſſe in Moſera, non ergo in Hor. Reſpõdent aliqui, Moſera & Moſeroth eumdem locum eſſe, vbi facta fuit manſio vigeſimaſeptima, & in eadem dicunt eum mortuum fuiſſe. At toto cælo hallucinantur, nec difficultati reſpondent: nam in monte Hor è vita deceſſiſſe, apertis verbis legitur Num. 20, 24. Et non in Moſeroth mortuum eſſe, ex eo etiam conuincitur, quoniam poſt diſceſſum ex Moſeroth, iterùm Aaronis geſtorum meminit Scriptura,

ptura, vt iam vidimus in præcedenti mansione; & ad locum illum Numerorum non respondet.

Adrichomius in descriptione deserti Pharan, num. 50. agens de monte Hor, inquit: *Neque repugnat quòd Deut. 10. Aaron in Moseroth dicatur mortuus: neque enim Moseroth longè distat ab Hor monte.* Itaque secundùm Adrichomium ideò dicitur mortuus in monte Hor, quia in loco ei proximo. Sedenim citatus Numerorum locus, rectè consideratus, ei refragari videtur: dicit enim expressè, in monte Hor Aaronem è vita discessisse. Melius itaque videtur respondendum esse cum Abulense quæst. 3. in dictum caput decimum Deuteronomij, Mosera, vbi mortuus dicitur Aaron, esse peculiarem locum montis Hor. Quare cum dicitur Num. 20, 27. in monte Hor mortuum esse Aaron, indicatur locus communis mortis eius; proprius verò, id est Mosera, in Deuteronomio.

Dum hic morarentur filij Israël, audierat Arad Rex Chananæus, qui non procul à monte Hor habitabat ad Meridiem, venisse Israëlem, velléq; transire per fines suos, eumque in finé misisse exploratores ad recognoscendam viam: consertim igitur, coacto exercitu, venit obuiam ei per exploratorum viam, & impetu in eum facto, partáque victoria, duxit ex eo prædas. At Israël reassumptis viribus, fusisque ad Dominum precibus & votis, exauditus est, & retulit ex eo victoriam. Num. 21, 1. Et hoc fuit tertium bellum motum contra filios Israël ante ingressum Terræ promissionis.

Arad Chananæus Israëlitas prælio superat, & superatur.

De monte Hor profecti venerunt in Salmona, Num. 33, 41. Hic locus alio nomine dictus est *Gadgad*, vt colligitur Deuteron. 10, 7. eratque valdè remotus ab altero eiusdem nominis, in quo iam dudum fecerant mansionem vigesimam nonam. Hic fuit mansio trigesimaquinta.

Mansio trigesimaquinta.

Ex Salmona egressi, castra metati sunt in Phunon. Num. 33, 42. ibique fecerunt mansionem trigesimam sextam. Hic cùm tædere cœpisset Israelitas molesti itineris longique laboris, contra Dominum & Moysen locuti sunt, nauseantes super manna. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas, & neces plurimorum; venit populus ad Moysen: qui peccatum confitenti erexit Dei iussu serpentem æneum, in quem quicumque percussi respiciebant, sanabantur. Numerorum 21, 4.

Mansio trigesimasexta.

Serpens æneus à Moyse erigitur.

De Phunon profecti venerunt in Oboth. Num. 21, 10. & 33, 43. vbi mansio illorum fuit trigesima septima.

Mansio trigesimaseptima.

Ex Oboth egressi, castra metati sunt in Ieabarim, in solitudine quæ respicit Moab, contra Orientalem plagam, & in finibus eius. Num. 21, 11. & 33, 44. Mansio ibi fuit trigesimaoctaua.

Mansio trigesimaoctaua.

Egressi de Ieabarim, transeuntes torrentem Zareth, castra metati sunt in Dibongad. Num. 21, 12. & 33, 45. Hic mansionem constituerunt trigesimamnonam.

Mansio trigesimanona.

De Dibongad profecti sunt in Helmondeblathaim. Num. 33, 46. vbi mansio fuit quadragesima. Hic, cùm loco proximo puteus inuentus esset, gratiæ Deo redditæ sunt, & præcepta Dei per Moysen populo in memoriam reuocata. Num. 21, 16.

Mansio quadragesima.

Ex Helmondeblathaim venerunt in Abarim contra montem Nebo, vbi fuit mansio quadragesima prima. Num. 33, 47.

Mansio quadragesima prima.

Ex Abarim egressi, transitum à Sehon Amorrhæorum Rege per ditionem eius petierunt: quem denegans, bellumque eis inferens, ab illis superatus est, & regionem eius ipsi insederunt. Hoc fuit quartum bellum, quod gestum est in deserto contra filios Israël. Numer. 21, 23. Mittit quoque hinc Moyses exploratores, qui inspicerent ciuitatem Iazer: cuius ceperunt viculos, & possederunt habitatores. Inde transierunt per viam Basan, vbi eis occurrit Og Rex Basan cum omni populo suo, pugnaturus contra eos: sed & hunc cum omni eius populo internecione deleuerunt; fuitque hoc quintum bellum quod contra eos gestum est in deserto. Num. 21, 32.

Sehon Amorrhæorum Rex ab Israëlitis vincitur.

Og Rex Basan ab Israëlitis bello superatur.

Itinere porrò continuato, peruenerunt ex Abarim ad campestria Moab supra Iordanem contra Iericho, quæ regio Moabitarum erat. Num. 33, 48. Et hic fuit quadragesima secunda & vltima mansio filiorum Israël, postquam ex Ægypto egressi, per desertum vagantes, tandem ad Terram promissionis venerunt, quam hinc oculis suis conspexerunt. Hic Moyses iterùm populo in memoriam reuocat præcepta Domini, iussuque Domini ascendit in montem Nebo, ibique moritur, Iosue filio Nun in eius locum substituto. Deut. 34, 1. Hoc in loco plura gesta fuerunt, quæ nimirum de Balaam scribuntur in libro Numerorum capite vigesimo secundo & sequentibus, & in Deuteronomio, & in libro Iosue, quorum quædam posteà attingemus.

Mansio quadragesima secunda & vltima.

Hæc pro instituto de exitu filiorum Israël de Ægypto, & de quadragintaduabus eorum mansionibus, donec ad confinia terræ Chanaan peruenerunt, compendiosè dicta sufficiant.

CAPVT

CAPVT XVI.

De tempore quo filij Iſraël manſerunt in deſerto.

ANtequam de diſceſſu filiorum Iſraël à planitie Moabitarum, de miſſione exploratorum à Ioſue ad conſiderandam vrbem Iericho & eius vicina, deque tranſitu Iordanis, & ingreſſu in Terram Patribus repromiſſam agamus, non iniucundum arbitror futurum Lectori, ſi quæſtionem illam diſcutiendam proponam, qua quæritur, quanto tempore, & quot annis filij Iſraël à ſuo de Ægypto exitu, vſque ad ingreſſum in terram Chanaan, in deſerto manſerint. In cuius quæſtionis ſolutione duplicem inuenio Doctorum ſententiam: altera eſt illorum, qui quadraginta dumtaxat annis in deſerto fuiſſe docent; altera verò, qui quadragintaduobus circiter in eodem extitiſſe indicant. Prioris ſententiæ ſectatores aſſertionem ſuam huiuſcemodi rationibus & auctoritatibus probant.

Primò, Moyſes erat centum viginti annorum quando mortuus eſt, vt traditur Deuteronomij cap. vltimo, & ipſemet paulò ante obitum ſuum conteſtatus fuerat coram vniuerſo populo, eodem lib. cap. 31, 2. igitur quadraginta dumtaxat annis manſerunt filij Iſraël in deſerto. Conſecutio probatur: nam Moyſes octoginta erat annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti ſunt ad Pharaonem, vt dimitteret populum, quemadmodum conceptis verbis dicitur Exodi 7, 7. & vterque eodem anno mortuus eſt, Num. 33, 38. igitur non ampliùs quadraginta annis manſerunt in deſerto: etenim ſtatim atque finitus fuit luctus ob mortem Moyſis, duce Ioſue ingreſſus eſt populus Terram promiſſionis, vt conſtat ex initio libri Ioſue.

Secundò, Scriptura hoc ipſum frequenter indicare videtur. Exodi 16, 35. dicitur, filios Iſraël comediſſe manna quadraginta annis, donec attingerent fines Chananæ. & idem alijs quoque verbis refertur Iudith 5, 15. item Num. 32, 13. legimus, Dominum circumduxiſſe Iſraëlitas per deſertum annis quadraginta: & idipſum repetitur Deuteron. 8, 2. & 29, 5. & Amos 2, 10. Inſuper habemus Deut. 2, 7. quòd Iſraël tranſiuerit ſolitudinem magnam per annos quadraginta. Item 2. Eſdræ 9, 21. legimus: *Quadraginta annis pauiſti eos in deſerto, nihilq; eis defuit.* In Pſalmo quoque 94, 10. *Quadraginta annis*, inquit Dominus, *offenſus fui generationi illi.* Quod & repetit Apoſtolus ad Hebr. 3, 10. Vix enim de Ægypto exierant, quando ad Mare rubrum murmurare cœperunt contra Dominum: & idem deinceps qualibet occaſione faciebant. Vnde etiam Actorum 13, 18. benè dicebat Apoſtolus, quòd Deus per quadraginta annorum tempus mores eorum ſuſtinuerit in deſerto. Et denique cap. 7, 36. aſſerebat S. Stephanus, quòd Deus fecerit prodigia in deſerto annis quadraginta. Ex quibus locis omnibus (inquiunt Ribera, Torniellus, & alij huius ſententiæ ſectatores) luce meridiana clariùs apparet, Iſraëlitas quadraginta tantùm annis moratos eſſe in deſerto à ſuo egreſſu de Ægypto.

Ribera in c. 5 Amos, n. 60 & ſeq. Torniel. Tom. 1. ad an. 2583. num. 36.

Hæc ſententia abſque dubio admodum probabilis & defenſibilis eſt: altera tamen, quæ quadraginta duorum circiter annorum curriculo, filios Iſraël, à ſuo de Ægypto exitu, vſque ad ingreſſum terræ Chanaan, in deſerto manſiſſe aſſerit, mihi probabilior & ſequenda videtur, eaque ſequentibus fulcitur argumentis. Inprimis Numer. 14, 33. anno ſecundo ab exitu Iſraëlitarum de Ægypto, in pœnam diffidentiæ & incredulitatis eorum, Deus hanc hiſce verbis comminatus eis eſt pœnam: *Filij veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta, & portabunt fornicationem veſtram* & poſt pauca, idem confirmans, *Et quadraginta annis*, inquit, *recipietis iniquitates veſtras.* Quia igitur patet ex adducto capite Numerorum, & induci facilè poſſet ex pluribus alijs Scripturæ locis, in quibus eſt ſermo de exitu Iſraëlitarum de Ægypto, & eorumdem manſionibus in deſerto, ante dictam comminationem eos manſiſſe circa duos annos, & poſteà quadraginta annis hæſiſſe in pœnitentia, ſecundùm Domini ſententiam; conſequens eſt, vt dicamus, filios Iſraël manſiſſe in vniuerſum in deſerto annis circiter quadraginta duobus.

Quadraginta aduobus circiter annis in deſerto fuerunt Iudæi

Reſpondebit fortè aliquis Primò huic rationi cum Lyrano in cap. 14. Num. Deum voluiſſe oſtendere miſericordiam ſuam in illis quadraginta annis, duos præcedentes in illis computando, qui non ad pœnitentiam dati fuerunt, adeoque triginta octo annis fuiſſe in deſerto poſt diffidentiæ & inobedientiæ peccatum, quibus ſi addantur duo priores, numerus quadrageſimus cõpleatur.

Secundò reſponderet quis ex ijs quæ habet Ribera loco citato, locum illum Numerorum, *Filij veſtri*, &c. non eſſe in rigore accipiendum, ſed more vulgato & Scripturæ, quia fermè quadraginta pœnitentiæ anni eſſe debebant: ſolet enim Scriptura (vt docet Auguſtinus quæſt. 47. in Exod.) tempora ita nuncupare, vt quod de ſumma perfectionis numeri paululùm excreſcit, aut infra eſt, non computetur: id eſt, ſolet plenum numerum ponere, etiamſi modicum deſit

Ribera in c. 5. Amos, num. 64.

vel

vel ſuperſit. vt Iudic. 9, 5. *Et occidit fratres ſuos filios Ierobaal, ſeptuaginta viros, ſuper lapidem vnum*; & tamen huic numero deſunt Ioatham natu minimus, & ipſe Abimelech qui occidebat, vt ib: videmus. Fuerunt igitur tantùm ſexaginta octo occiſi; in vniuerſum enim filios Gedeonis fuiſſe ſeptuaginta, legimus cap. 8, 30. Idem lib. 15. de Ciuitate, cap. 24. cum illud Geneſis 6, 3. exponeret, *Erunt dies eorum centum viginti annorum: Intelligendum eſt*, inquit, *Deum dixiſſe, cùm circa finem quingentorum annorum eſſet Noë, id eſt, quadringentos octoginta vitæ annos ageret, quos more ſuo Scriptura quingentos vocat, nomine totius maximam partem plerumque ſignificans*, &c. Ita ergo dicti ſunt quadraginta anni, cùm eſſent octo & triginta cum paucis menſibus.

Tom. 1. ad an. 1583 num. 36.

Tertiò, Torniellus a præcedenti reſponſione non videtur diſcrepare; ſic enim ait loco memorato: *Non valet hoc argumentum; quia reuerà poſt illam Domini ſententiam contra filios Iſraël latam, ipſi non annos quadraginta errauerunt per illas ſolitudines; ſed tantummodò annos triginta octo & menſes circiter ſeptem, vt ex temporum ſerie hactenus notata colligi poteſt, & clariùs videre eſt in tabulis: Scriptura autem ſacra loco Num. citato, vſurpans numerum perfectum pro imperfecto, appellauit eos quadraginta, quemadmodum à nobis ſub anno mundi 2545. n. 66. probatum eſt. Quòd ſi quis adhuc replicet: Cur non potiùs hæc expoſitio applicanda eſt ceteris Scripturæ locis ſuprà allegatis, accipiendo illos quadraginta annos pro quadraginta duobus, ſicuti communiter dicimus Septuaginta Interpretes, licet fuerint ſeptuaginta duo? Ad hoc reſpondemus, quòd regula vſurpandi numerum perfectum pro imperfecto, nullatenus poteſt dictis Scripturæ locis adaptari, propter argumentum ſuperiùs deductum ab ætate Moyſi & Aaronis, quando locuti ſunt ad Pharaonem, & quando vterque vitâ functus eſt: quod quidem argumentum euidenter probat, Hebræos non plus quadraginta annis in deſerto morari potuiſſe.* Hæc ibi Torniellus.

Ceterùm non videntur iſtæ reſponſiones dirimere argumentum. Non prima ex Lyrano: dicimus enim, pótuiſſe quidem Deum, ad oſtendendas diuitias bonitatis & miſericordiæ ſuæ, in quadraginta illis annis pœnitentiæ, duos præcedentes non pœnitentiæ computare; at id feciſſe non conſtat, ſed potiùs oppoſitum, propter Scripturæ ſacræ euidens teſtimonium, vt in hoc iuſtitiam ſuam & verborum ſuorum veritatem oſtenderet. Et quòd numerus quadragenarius pœnitentiæ ſit in ſua propria ſignificatione accipiendus, & non imperfecta pro trigeſimo octauo, liquet ex ipſius Domini verbis Num. 14, 33. *Filij veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta, & portabunt fornicationem veſtram, donec conſumantur cadauera Patrum in deſerto, iuxta numerum quadraginta dierum, quibus conſideraſtis terram: annus pro die imputabitur. Et quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras, & ſcietis vltionem meam: quomam ſicut locutus ſum, ita faciam omni multitudini huic peſſimæ quæ conſurrexit aduerſum me, in ſolitudine hac deficiet, & morietur.* In quibus verbis illa conſidera, *iuxta numerum quadraginta dierum, quibus conſideraſtis terram: annus pro die imputabitur.* At dies vere & perfectè, quibus terra explorata eſt, communiter creduntur fuiſſe quadraginta: igitur eodẽ modo accipiendi erunt quadraginta anni pœnitentiæ a reditu exploratorum vſque ad ingreſſum in Terram ſanctam; quibus, additis alijs duobus præcedentibus, numerum quadrageſimum ſecundum implent manſionis filiorum Iſraël in ſolitudine. Et quòd non miſericordiam, ſed iuſtitiam in eo voluerit Deus oſtendere, illa indicant verba, *Et ſcietis vltionem meam*, &c. Aliunde verò ſuam miſericordiam manifeſtauit, quòd eos non continuò exterminauerit, vt illorum requirebant demerita; ſed per quadraginta annos, etſi pluries cum peccatis varijs ad iracundiam prouocauerint, tamen ſemper eos pauerit pane cæleſti, & paterna cura protexerit dando illis ſpatium pœnitẽtiæ. Et duos illos priores annos non fuiſſe cum poſterioribus quadraginta computandos, ſic perſuadetur; quia illi non fuerunt anni vltionis, vt iſti, ſed gratiæ & benedictionis: non in pœnitentia in illis manſerunt, ſed vt à pœna & afflictione Ægyptiaca liberati, pluribus donarentur beneficijs à Deo benedicto, vt vere donati fuêre. Etenim mare ſiccis pedibus mirabiliter tranſierunt, Ægyptijs eos perſequentibus demerſis, quorum diuitijs ditati erant. Eo tempore legem acceperunt, & alia mirabilia viderunt, quod non pœ[illegible] ſed magni ſolatij illis fuit. Quare ſicut qui manet in domo Regia vt à Rege beneficia recipiat, & verè recipit; ſi poſteà ei Regem offendenti, in pœnam delicti eadem Regia domus ad decem annos pro carcere aſſignetur, in horum numero non computabitur præcedens tempus quando cum gratia & beneficijs manſit: ita in propoſito dicendum, duos illos priores annos gratiæ, quibus manſerunt filij Iſraël in deſerto, non eſſe cum poſterioribus quadraginta pœnæ connumerandos.

Dei iuſtitia & miſericordia.

Quòd ſi dicatur cum Torniello, Hebræos anteà Deum offendiſſe, cùm vixdum de Ægypto egreſſi fuiſſent, ad Mare nimi-

rum rubrum murmurando contra Dominum, quod & deinceps ex qualibet occasione faciebant. Respondeo ex Ribera vbi suprà, Deum ob priora ista peccata non arcuisse eos ab ingressu Terræ Chanaan, nec dictam pœnam comminatum fuisse; numquam enim huiuscemodi vltio indicta legitur propter priora illa peccata, sed propter posteriora, hæsitationem inquam & incredulitatem eorum, de qua Num. 14. & alibi frequenter.

Ribera in c. 5. Amos, num. 63.

Ex his etiam constat, quid respondendum sit ad ea quæ ex Ribera & Torniello adduximus, locum scilicet Numerorum esse propriè intelligendum vt verba ipsa sonant, & non numerum perfectum pro imperfecto, quod de computatione ait Torniellus: dico, alios aliter ac ipsum computare posse pro posteriori sententia. Et ad id quod contrà objicit, & soluit, quid dicendum sit, inferiùs patebit.

Secundò, tempus illud quo manserunt in deserto filij Israël, excessisse numerum quadraginta annorum, sic persuadetur. Numerorum cap. 33, 37. repetitur mors Aaron in monte Hor, quæ secuta est anno quadragesimo egressionis eorum ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis, cùm esset annorum centum viginti trium: at post illius mortem, & mortem Moysis de qua Deut. 34, 5. multa facta narrantur, quæ non modicum tempus requirunt, quæ leguntur in libro Numerorum cap. 21. vsque ad finem eius libri, & quæ in Deuteronomio recensentur; igitur si hoc tempus computetur cum illo quod transijt à morte Moysis vsque ad ingressum populi in Terram promissam, & copuletur cum quadraginta annis quibus mansit Aaron cum Israël in deserto, numerum quadragesimum excedet, & quadragesimum secundum attinget.

Auctoritate etiam hoc ipsum confirmatur. Iosue 5, 6. vbi nostra Vulgata habet, populum per longissimos viæ circuitus per quadraginta annos itineris vagatum fuisse in solitudine, Septuaginta legunt quadraginta duos; & hunc locum sic refert D. Augustinus quæst. 6. in Iosue.

Respondet huic auctoritati Torniellus loco citato, non esse eam lectionem recipiendam, tum quòd rationi ex alijs Scripturæ locis adductæ manifestè repugnet, tum quòd etiam lectioni Hebraicæ, Latinæ vulgatæ, & Paraphrasi Chaldaicæ aduersetur, vt videre est in Biblijs Regijs; quin etiam ipsimet eorumdem Septuaginta Interpretum lectioni, quæ in eisdem Biblijs Regijs habetur: omnes enim citatos Codices in eodem Iosue loco, pro annis quadraginta duobus, habere quadraginta. cui lectioni concordant alij plures Scripturæ loci superiùs pro prima opinione adducti. Et notat, quòd alias aduerterit, textum Septuaginta Interpretum, vbicumque in numeris à Vulgato differt, censendum esse corruptum.

Sed enim responderi posset, vtramque lectionem tolerari posse; nec propterea, quòd illa prior Septuaginta, quam refert Augustinus, ab alijs differat, ideò respuenda est: nam & eam sequitur Augustinus, & dicere possumus, completum numerum explicuisse Septuaginta in illa versione priùs adducta; sed in alijs loqui per Synecdochen, ponendo partem pro toto, numerum perfectum, id est quadraginta, pro imperfecto, id est quadraginta duobus. Quòd si quis contendat, nullo modo recipiendam esse lectionem illam priùs adductam ex Septuaginta, dic, non officere illam aliam, quoniam non loquitur de toto tempore quo manserunt filij Israël in solitudine, sed de tempore pœnitentiæ, quod concedimus fuisse quadraginta annorum, vt patet consideranti verba textus, quæ sic habent: *Omnis populus qui egressus est de Aegypto generis masculini, vniuersi bellatores viri mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus, qui omnes circumcisi erant. Populus autem qui natus est in deserto, per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis incircumcisus fuit: donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, & quibus antè iurauerat, vt ostenderet eis terram lacte & melle manantem.* In quibus posterioribus verbis indicari videtur, agi de tempore quo fuerunt in deserto, postquam non audierunt vocem Domini. Iosue 5, 4.

Quòd si hæc auctoritas obscura videtur, quæ sequuntur, ad idem confirmandum clariora sunt: numerandos videlicet esse annos quadraginta post reditum exploratorum, incredulitatem populi, & diuinam comminationem, obseruarunt D. Basilius & Theodoretus in ea verba Psalmi 94, 10. *Quadraginta annis offensus fui generationi illi, & dixi: Semper hi errant corde.* etenim priùs non fuit illi generationi offensus, vt illam ei comminaretur pœnam, vt iam diximus. *Et quibus iurauí in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Tunc enim iratus est Deus, & iurauit se vindictam de illis sumpturum, cùm illi, relatione exploratorum territi, de redeundo in Ægyptum cogitarent, & de diuinis promissis diffiderent.

Dices fortasse, hoc verum esse; sed numero illo perfecto quadragesimo, imperfectum intelligendum esse secundùm Scripturæ consuetudinem. At hoc suprà reiecimus; & numerum perfectum accipiendum esse, monstrat lectio Hebraica & Græca, quam adducit in hunc locum Genebrardus

(præter

(præter alia) Hebraica ſic habet: *Quadraginta annis iuſtis impreſſionem feci, imminui hominibus illius ætatis.* Græca verò: *Quadraginta annis totis, quibus verſati ſunt in deſertis Arabiæ*, &c. *Iuſtis* inquit, & *totis*, quia non numerus perfectus pro imperfecto poſitus, ſed perfectus pro perfecto.

Denique confirmatur iſta ratio alia principali ratione. Amos cap. 5, 25. dicit Dominus Iudæis: *Numquid hoſtias & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis, domus Iſraël?* id eſt ſponte, & abſque metu interfectionis, & hoc intelligitur de tempore tranſacto ab adoratione vituli, vt in eum locum notat Ribera ex D. Stephano Actorum 7, 42. & D. Hieronymo. Et ſimili modo alia verba Num. 14, 33. *Filij veſtri erunt vagi*, &c. Si igitur à tempore illo elapſi ſunt quadraginta anni, quibus Deo accepta ſacrificia non obtulerunt, ampliùs quadraginta annis fuerunt in deſerto, id eſt quadraginta duobus. Si enim non repugnat, poſſe intelligi de quadraginta annis pœnitentiæ *iuſtis & totis*, quare de ijs nõ intelligeremus? Accedit Origenes, qui Homil. 8. in Numeros ait: *Populus ille prior, pro quadraginta annis cruciatur in deſerto, nec Terram ſanctam introire permittitur?*

Tempus Iſraëlis in deſerto, in gratia ac pœna diſtinguitur.

Breuiter itaque hac poſita diſtinctione, poſterior explicatur ſententia. Tempus quo fuerunt filij Iſraël in deſerto, in duas diuiditur partes: in eam quæ fuit gratiæ, duorum circiter annorum ab exitu Iſraël de Ægypto, vſque ad diuinam comminationem pro populi incredulitate; & in eam, quæ ab iſta fuit vſque ad tranſitum Iordanis, & introitum Terræ Chanaan, & hanc credimus fuiſſe quadraginta annorum; quibus ſi prior duorum annorum gratiæ iungatur, reſultabit ſumma quadraginta duorum annorum in vniuerſum.

Reſponſio ad argumenta alterius ſententiæ.

Ad argumentum & fundamentum principale prioris opinionis in hunc modum reſpondendum arbitror, Exodi cap. 7, 7. aſſignari quidem tempus vitæ Moyſis & Aaronis, quando locuti ſunt ad Pharaonẽ, illius octogeſimum, iſtius octogeſimum tertium annum, non quòd completi eſſent, ſed quòd ille ageret annum octogeſimum, iſte octogeſimum tertium. Cùm verò dicitur Deuteron. vltimo, 7. Moyſen fuiſſe centum viginti annorum quando mortuus eſt, & Numer. 33, 39. Aaron fuiſſe centum viginti trium, intelligendum eſt completè, & inſuper quòd Moyſes centeſimum vigeſimum primum, & Aaron centeſimum vigeſimum quartum ageret; ſicut & B. Virgo dicitur quatuordecim annos habuiſſe quando concepit Chriſtum, & hic trigintatres quando mortuus eſt. Verùm & B. Virgo decimum quintum egiſſe dicitur, vt ex Euodio docuit Nicephorus; & Chriſtus, cùm crucifigeretur, annos natus trigintatres, quia tunc trigeſimum quartum agebat, vt Baronius Tom. 1. Annalium anno Chriſti XXXIV. ex D. Ignatio, & Hieronymo de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 16. docet: qui modus in ſupputandis annis frequenter ſeruatur. Quæ ſi vera ſunt, accipiendo partem primi anni, quo egreſſus eſt populus de Ægypto, & poſtremum, etſi non integrum, intentum habebimus, nimirum filios Iſraël in vniuerſum quadraginta aduobus circiter annis in deſerto manſiſſe. Nec ſic dicere, eſt vim Scripturæ inferre; quia alia ſunt quæ mouent ad ſic interpretandum & tenendum, vt vidimus. Et ad obiectionem ex Torniello, patet quid ſit dicendum.

Nicep. lib. 2. Hiſt. cap. 3.

Ad illas verò auctoritates, quibus aſſeritur, filios Iſraël manſiſſe in deſerto annis quadraginta, reſponſio patèt ex dictis. Primò enim dicere poſſumus, intelligendas eſſe de tempore pœnitentiæ & diuinæ vltionis, & non de altero: voluit autem Deus illud peculiariter litteris conſignari, tum in commendationem diuinæ vindictæ, quæ nullum malum impunitum relinquit; tum ad oſtenſionem diuinæ miſericordiæ, quæ eos tot peccatis irretitos non dereliquit, ſed diuinis fouit beneficijs, quadraginta annis eos ſuſtinens ac protegens. Deinde, ſi contendat quis, de toto tempore eſſe intelligendas, dic verum eſſe, ſed per Synecdochen, partem pro toto intelligendo, quadraginta ſcilicet pro quadraginta duobus, breuitatis causâ. Nec hoc eſt alienum à more loquendi ſacrorum & profanorum Scriptorum. Apud S. Lucam cap. 10, 1. vbi ſermo eſt de ſeptuaginta duobus diſcipulis, dicitur, *Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta*, & tamen alibi ſeptuaginta duos legimus, vt apud Tatianum in Euangelica Harmonia, Ammonium in Concordia Euangel. Epiphanium in Panario lib. 2. cap. vlt. & alios: ſed ſeptuaginta, breuitatis gratiâ, nominantur. Hieronymus Epiſt. 127. de Quadraginta duabus manſionibus ad Fabiolam, manſione ſexta, ſic ſcribit: *Nec dubium, quin de duodecim Apoſtolis ſermo ſit, de quorum fontibus derivatæ aquæ, totius mundi ſiccitatem rigant. Iuxta has aquas ſeptuaginta crenerunt palmæ, quos & ipſos ſecundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Euangeliſta teſtante, duodecim fuiſſe Apoſtolos, & ſeptuaginta diſcipulos minoris gradus.*

Diuina iuſtitia & miſericordia manifeſtatur.

Verùm idem ipſe Hieronymus in Canon. Euang. Luc. 10. cap. ſeptuaginta duos nominat, quia ſecundùm veritatem tot eſſe ſciebat, etſi aliquando ſeptuaginta tantùm dicantur. Item Interpretes, qui ex Hebraico

vetus Teſtamentum in Græcum verterunt, abſque dubitatione ſeptuaginta duo fuerunt, ſex ex ſingulis tribubus; & tamen vſus obtinuit, vt, breuitatis gratiâ, cùm citantur, nominentur ſeptuaginta. Item olim apud Romanos Collegium centum virorum dicebatur, cùm tamen reuerà conſtaret fuiſſe centum & quinque Iudices qui lites iudicarent: nam tres eligebantur ex ſingulis tribubus, quæ erant triginta quinque. Ita in propoſito, licet filij Iſraël annos circiter duos & quadraginta fuerint in deſerto, tamen per Synecdochen, & breuitatis gratiâ, quadraginta nuncupantur. Et hanc admitti poſſe interpretationem, ex iam dictis conſtat. Atque ideò de præſenti difficultate, licet eam pro vtraque parte defendi poſſe non dubitem, ſententiam poſteriorem, vt probabiliorem, libenter ſecutus ſum.

CAPVT XVII.

De modo quo filij Iſraël Terram Patribus repromiſſam ſibi acquiſierunt.

EA ſemper fuit Dei conſuetudo, illud in rebus gubernandis & adminiſtrandis conſilium, vt ea, quæ pro ſua benignitate largiri diſpoſuit, non niſi per media ad ea ordinata largiatur, vt experientiâ comperimus, & Scriptura ſacra docet. Et in hoc conſiſtere diuinam prouidentiam, docet D. Thomas. Ea conſuetudine vſus eſt etiam cum filijs Iſraël, quando Terram illorum Patribus repromiſſam, ipſis in poſſeſſionem tradere voluit, eiectis ex ea Chananæis.

D. Thom. 1. p. q. 22. art. 2.

Poſſederunt filij Iſraël terram ſuis Patribus repromiſſam, diuino auxilio, alijſque à Deo ſtatutis mediis, etſi nõ ijſdem quamlibet eius partem comparauerint, ſed alijs & alijs. Notandum itaque eſt illud (vt propoſitæ difficultati reſpondeamus) quod ab omnibus conceditur, bello ſcilicet & virtute hoſtes expugnari, eorum ſpolia prædæ dari, vrbes obtineri, ſolo æquari, vel etiam, hoſtibus inde fugatis & interfectis, ad habitandum eligi. Sed belli genus duplex reperitur, alterum quod armis & fortitudine, alterum verò quod patientiâ geritur: & vtriuſq; belli tum in ſacris tum in profanis litteris ſuppetunt exempla. Prioris quidem, quod fortitudine & ſanguinis effuſione geritur, quodque ordinarium videtur, extant exempla innumera. Primum enim Aſſyriorum Regnum, ſecundum Perſarum & Medorum, tertium Græcorum, quartum Romanorum, & omnia alia denique Regna, Gallorum, Hiſpanorum, Germanorum, vi armorum ac potentia Reges illorum potiti ſuêre, vt Hiſtoriæ tradunt vniuerſæ, & ſacræ præſertim Litteræ. Poſterioris verò, quo victoria comparatur non armorum vi, & inimicorum cæde, ſed virtute, patientia, & animi fortitudine, cuius frequentiùs fit in diuinis Litteris mentio, plura ſimiliter extant exempla; & iſto ſingulariter bellandi modo ipſi Romani ſuum dilatarunt imperium, vt videre eſt 1. Machab. 8, 3. vbi dicitur quòd *poſſederant omnem locum conſilio ſuo & patientia*, &c. Mutius Scæuola, ex ordine Equeſtri, Tito Liuio referente, animi ſui fortitudine Romam ab hoſtium obſidione liberauit: ingreſſus namque hoſtilia Regis Porſenæ caſtra vt eum occideret, cùm erraſſet, in alterum, quem Regem credebat, impetu facto, dexteram ſuam coram Rege igni impoſuit, eamque in eo conſtanter tamdiu tenuit, donec in cineres redigeretur. Quo facto, Rex perterritus à ciuitate diſceſſit ijs conditionibus quibus voluerunt Romani. Patientiâ & iniuriarum ſufferentiâ mitiſſimus Dauid Saülem deuicit, & regnum eius obtinuit. Chriſtus Dominus humilitate & patientiâ, ac paſſionum tolerantiâ, ſibi totum mundum ſubiugauit. Pſalmo enim 96. vbi Vulgata habet, *Dominus regnauit, decorem indutus eſt*; Auguſtinus, & plerique ex antiquis qui locum hunc citant, addunt, *à ligno*, & ita habet Eccleſia in Hymno de Cruce. & idem S. Auguſtinus ad hoc ipſum reſpiciens, dixit: *Dominus domuit orbem non ferro, ſed ligno.* Quem imitati ſancti Apoſtoli, alijq; Apoſtolici viri, tamquam agni inter lupos miſſi, de lupis victoriam reportarunt, lupos in agnos conuertendo. Ad hoc belli genus contra animæ noſtræ hoſtes, pluribus verbis nos hortatur Apoſtolus ad Epheſios ſcribens. *De cetero*, inquit, *fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt poßitis ſtare aduerſus inſidias diaboli: quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Principes & Poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Propter quod accipite armaturã Dei, vt poßitis reſiſtere in die malo*, &c. Et alibi de hoc eodem bellandi genere egit.

alterum virtute & patientiâ geritur.

Romani animi fortitudine imperium dilatarunt.

Patientiâ Dauid Saülem vincit, & Chriſtus mundum.

D. Augu. in Pſal. 34. ad 1. verſ.

Mat. 10. 16.

Epheſ. 6. 10.

Et hoc alteri bellandi generi præfertur, vt pluribus probari poſſet, quæ, paucis contenti, breuitatis gratiâ omittimus. Salomon in Prouerbijs cap. 16, 32. inquit: *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.* Ariſtoteles lib 3. Ethicorum dicit, ex eo maximè fortes dici, quòd triſtia pro virtute tolerare norint. Quod eius magiſter Plato antè docuerat, ſummam fortitudinem eſſe dicens, mortem non timere, non verò hoſtes vincere & occidere. Quam ſententiam tutatus eſt Zeno Stoicorum

Duplex belli genus:

alterum armis & ſanguinis effuſione;

corum Princeps, & communi vulgatoque illo Axiomate ſtabilitur:

Nobile vincendi genus eſt patientia. —

& Poëta quidam cecinit:

Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit Mœnia. ——

Dauid glorioſior extitit Sauli parcendo, quàm gigantem occidendo. 1. Reg. 26, 11. 1. Reg. 17, 51.

Ideò iure merito graues Auctores glorioſiorem prædicant victoriam quam obtinuit Dauid parcens Sauli hoſti ſuo immaniſſimo, cùm eum poſſet occidere, quàm cùm Goliam fortiſſimum gigantẽ interfecit. Cùm enim Dauid eſſet ipſo gigante animi fortitudine, amplitudine ac magnitudine præſtantior (quoniam ipſum gigantem iugulauit) illuſtrior fuit illa victoria in qua ſeipſum vicit, & appetitum coërcere atque rationi ſubmittere potuit, quàm ea in qua peculiari certamine ſuperbum gigantem, truci vultu barbaram immanitatem præ ſe ferentem, ſuperauit. Hîc vicit gigantem, illic verò ſeipſum qui gigantem vicerat: hîc gigantis caput amputauit, illic verò diaboli caput interfecit; diaboli enim cogitatio fuit ad ſcelus perpetrandum, quam Dauid parcendo Sauli amputauit. Hæc fuit illuſtriſſima victoria, hic fuit clariſſimus triumphus ampliſſimis laudibus decorandus. Et Sapientes Græciæ in expugnatione Troiæ, cui operam dederunt Vlyſſes & Aiax, prætulerunt Vlyſſem Aiaci, quoniam ille potiùs animi, iſte verò corporis fortitudine illam ſibi comparauerat.

Ad propoſitum iam deueniens, quomodo ſcilicet, quóve bellandi genere Iſraëlitæ hoſtes ſuos debellarint, e Terra ſibi promiſſa eiecerint, ipſamque terram ſibi ſubdiderint, dico, armorum vi, & ſanguinis profuſione, diuino aſſiſtente auxilio, fuiſſe à Iudæis occupatam terram illam Chanaan, & Regnum Iſraëliticum dilatatum. Hoc ex ſacris Litteris clarè monſtratur. Ex Ægypto primò egreſſi ſunt Iſraëlitæ Deo duce, Angelo eos dirigente, caſtraque & manſiones diſponente; ipſo Mari rubro coram eis aperto, vt incolumes & ſicco pede tranſirent, Pharaone verò cũ Ægyptijs ipſos inſequente in eodem demerſo, vt ſacra Exodi tradit Hiſtoria. Deinde Amorrhæi & Amalecitæ per Moyſen deuicti atque trucidati fuere, vt habetur Exodi 17, 13. Tertiò, Ioſue quinque Reges occidit, igneque & ferro multas obtinuit ciuitates, & gladius eius carnes deuorauit, vt in libro Ioſue videre eſt: denique eodem bellandi genere poſteà Iudices ac Reges Iſraël (qui nimirum, vt D. Pauli ad Hebr. 11, 33. verbis vtar, *obturauerunt ora leonum, effugauerunt aciem gladij, caſtra verterunt exterorum*) Regnum dilataſſe, hoſteſque ſuos à ſe deuictos extirpaſſe, ſacra Iudicum & Regum teſtatur Hiſtoria.

Hebræi Terram ſanctam armis & diuino auxilio ſubiugarunt.

Exod. 14, 24.

Dices fortaſſe: Si armis & potentiâ Terram ſanctam obtinuerunt filij Iſraël, nil magni fecit illis Dominus, neque ſupra ceteros eos honorauit: nam & illi eiuſmodi bellandi genere vt plurimùm ſua ſibi compararunt & dilatarunt Regna, vt ſuperiùs de Aſſyrijs, Perſis, Medis, Græcis, Romanis, & alijs diximus.

Præter reliquas nationes Deus honoranis Iudæos. Pſal. 147, 9.

Reſpondeo, plurimùm vtique Dominum Hebræos ſuper ceteras nationes honoraſſe, (non enim *fecit taliter omni nationi*, vt dixit Propheta Regius) præcipuè in collatione terræ Chanaan. Quod vt intelligas, aduerte, hoc bellandi genus dupliciter fieri poſſe: vno modo, ſola virtute & induſtria naturali, cum communi Dei auxilio; alio modo, eadem quidem virtute & induſtria, non communi tantùm, ſed peculiari Dei auxilio adiuuante. Et idem dici poteſt de altero bellandi genere, quod virtute & patientiâ fit.

Iudæis bellantibus Deus peculiariter adfuit.

Dico ergo, populum Iſraëliticum fuiſſe mirabiliter à Deo honoratum in traditione terræ Chanaan; quoniam peculiari modo illum Deus adiuuit, cùm alijs communiter & cõmuni ſolùm influxu ſubueniat. Deum verò peculiariter in bello huiuſcemodi auxiliari, inde cognoſcitur, quia haud rarò pauci timidi atque deſpecti homines, de multis, fortibus & illuſtribus nationibus victoriâ conſecuti fuerunt. Suppetunt ad hoc exempla tam in ſacris quàm in profanis litteris. Iudæi numeroſiſſimi & fortiſſimi ſubinde à pauciſſimis hoſtibus, peculiari Dei auxilio fretis, ſuperati fuerunt, ad illorum peccata vindicanda, vt de eiſdem in Deuteronomij cap. 32, 28. dixit Moyſes: *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia; vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent! Quomodo perſequatur vnus mille, & duo fugent decem millia?* At quomodo vnus ex hoſtibus fugabat mille Iudæos, & decem hoſtes decem millia Iudæorum? num id factum eſt naturali illorum virtute & induſtria? Non ſanè, quia nec Hercules contra duos; ſed peculiari Dei auxilio adiuti id fecerunt; ideò ſubditur: *Nónne ideò, quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos?* Hoc peculiare auxilium agnouit Titus Imperator in bello quod contra Ieruſalem geſſit, & in Iudaici populi deuaſtatione, dum ipſum partim cruci ſuffixit, partim diſperſit, partim mundi ſpectaculum fecit, ac Salomonicum templum ſuccendit. Quare nec ea victoria inſolenter vſus eſt, oblataque ſibi corona aurea à prouincijs proximis noluit coronari, teſtatus ſe prorſus indignum, vt ſequentibus verbis docuit Philoſtratus lib. 6. *Interea Titus, captis Ieroſolymis, omnia circùm loca cadaueribus compleuerat.*

Ob peccata ſua, licet numeroſiſſimi, à pauciſſimis hoſtibus dauidici fuerunt Iudæi.

Titi Imp. poſt partam de Iudæis victoriam modeſtia.

nerat. Finitimæ autem gentes ob victoriam ipſum coronare voluerunt: ille verò tali honore indignum ſe eſſe reſpondit; non enim ſe talium operum auctorem, ſed Deo iracundiam contra Iudæos demonſtranti manus ſuas præbuiſſe. Hæc ille.

Sed taliter ſe geſſiſſe cum Hebræis, eisq; peculiarem opem præbuiſſe cùm eos introduxit in terram Chananæorum, facilè patebit ſacras Litteras, quæ de hoc agunt, conſideranti. In primis Hebræi, etſi plures fuerint de Ægypto egreſſi, imbecilles tamen & inermes erant, non bello, ſed vel paſcendis ouibus, vel coquendis lateribus, ædibuſque ædificandis aſſueti: ideò quando viderunt Ægyptios ſe inſequentes, multùm timuerunt; & non ipſorum virtute deuicti, & in Mare demerſi fuerunt Ægyptij, ſed à Domino, qui pugnabat pro ipſis, quemadmodum eiſdem de Ægypto egreſſuris Moyſes prædixerat; & ijdem Ægyptij, diuinam virtutem in ſemetipſis ſentientes, fruſtrà & ſerò confeſſi ſunt, dicentes: *Fugiamus Iſraëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Exod. 14, 25. Hinc plerique exploratorum, qui à Moyſe ad explorandam terram Chanaan miſſi fuerant, conſideratis illius & habitantium in ea hominum fortitudine, Iudæorumque exiguis viribus, diſſuaſerunt populo, ne ad illam poſſidendam accederet, vt dicitur Num. 13, 29. at pauciores de peculiari Dei prouidentia & ſingulari auxilio confiſi, vt ad illam poſſidendam ſe accingeret perſuadebant, vt ibidem, & cap. 14, 8. eiuſdem libri legimus.

Ægyptij non ab Hebræis, ſed à Deo deuicti fuerunt.

Quin Deus ipſe ſingularem opem non ſemel Moyſi, Ioſue, & alijs Principibus Iſraël promiſit, vt videre eſt in Exodi, Ioſue, Iudicum & Regum libris, & experientia docuit. Quando enim Dei iuſſu pugnabat Iſraël, etſi contra fortiſſimos hoſtes, & Dei præcepta cuſtodiebat, vincebat; ſin verò Deo contradicente, eiusque præceptis neglectis, vincebatur etiam à pauciſſimis hoſtibus. Atque ex his conſtat, quomodo filij Iſraël obtinuerint Terram ſuis Patribus repromiſſam, virtute nimirum & ſanguinis profuſione, at Deo ſingulari auxilio illis aſſiſtente, vt peculiari terrâ peculiari etiam modo conceſsâ, electum populum ſingularibus beneficijs ſibi magis deuinciret. Non tamen dubito, quin & aliquando altero bellandi genere, id eſt ſolâ patientiâ & animi fortitudine, eam acquiſiuerint; ſed hoc non ordinariè: hoc enim proprium eſt Chriſtianorum, quo nimirum eorum ſpirituale Regnum & comparatum eſt, & dilatatum.

Deus opem ſuam Hebræis promiſit.

CAPVT XVIII.

Quomodo filij Iſraël, duce Ioſue, ex planitie Moabitarum tandem in Terram Patribus ſuis promiſſam venerint.

IN ſignis & prodigijs eductus fuit Iſraël de Ægypto, quæ ei numquam defuerunt quoad in deſerto fuit, & ad confinia terræ Chanaan venit; in ſignis ſimiliter & prodigijs in hanc eamdem regionem introductus fuit. Res autem ita ſe habuit, vt in libro Ioſue legitur. Elapſis quadraginta pœnitentiæ annis, quibus filij Iſraël per vaſtam Arabiæ ſolitudinem vagi ambulauerant, quemadmodum iuſtè illis comminatus Deus fuerat; cùm ad planities Moabitarum peruenſſent, prope Iordanem & terram Chanaan, recordatus illorum miſericordiarum Parens, qui non continet in ira ſua miſericordias ſuas, volensque eos tandem ad Terræ, Patribus ipſorum pluries à ſe repromiſſæ, poſſeſſionem introducere, Moyſe famulo ſuo illorum duce iam defuncto, & in eius locum Ioſue ſubſtituto, vt eoſdem in Terram illam introduceret, dixit ad illum: *Surge, & tranſi Iordanem iſtum, tu & omnis populus tuus tecum, in terram quam ego dabo filijs Iſraël. Omnem locum quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam, ſicut locutus ſum Moyſi*, &c. ea tamen lege, vt obſeruaret præcepta Dei, nec declinaret ad dextram vel ad ſiniſtram, vt intelligeret omnia quæ ageret, vt ibidem ſubditur. Ioſue ergo obediens voci Dei, præcepit Principibus populi, vt tranſirent per medium caſtrorum, & imperarent populo, vt pararent ſibi cibaria, quoniam poſt diem tertium tranſiturі eſſent Iordanem, ad poſſidendam terram quam illis daturus erat Dominus. *Rubenitis quoque & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe, ait: Vxores veſtræ, & filij, & iumenta manebunt in terra, quam tradidit vobis Moyſes trans Iordanem: vos autem tranſite armati ante fratres veſtros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus veſtris, ſicut & vobis dedit*, &c. Quibus omnibus acquieuit populus, promittens in omnibus Ioſue obedientiam, ac ſi eſſet Moyſes ipſe.

Ioſue 1, 2.

Deus præcipit Iſraëli tranſitum per Iordanem in Terram promiſſam.

℣. 12.

Interim mittit Ioſue duos exploratores *de Setim in abſcondito, & dixit eis: Ite, & conſiderate terram, vrbemq; Iericho.* Qui iuſſa complentes, cùm veniſſent Iericho, ad domum Rahab meretricis diuerterunt: quæ illos benignè & humaniter ſuſcepit, & à Rege vrbis conquiſitos abſcondit & conſolata eſt, illis prædicens, Dominum daturum vrbem Iericho in manus filiorum Iſraël. Quos dimittens,

Ioſue mittit exploratores in Iericho.

Ioſue 2, 1.

mittens, ab eis poſtulauit, vt ingreſſi filij Iſraël Iericho, ſecum & cum domo patris ſui miſericordiam facerent: qui hoc ei promiſerunt, dato ſigno funiculi coccinei, quo eius domus ab ingredientibus Iudæis dignoſceretur. Indicauit etiam illis Rahab, per quam viam ad ſuos redire deberent, ne à Regis emiſſarijs comprehenderentur. Abeuntes igitur ad montes, tribus diebus in illis latuerunt, donec ad Regem reuerſi fuiſſent qui eos fuerant inſecuti: tum iter ſuum proſequentes, Iordane tranſmiſſo, ad Ioſue & vniuerſum Iſraëliticum cœtum redeuntes, narrauerunt omnia quæ ſibi euenerant, & quòd Dominus tradidiſſet omnem terram illam in manus ſuas, & quòd timore proſtrati eſſent omnes habitatores eius.

Iſraël paratus ſe ad ingreſſum terræ Chanaan.

Igitur populus, vt ſibi fuerat imperatum à Principibus (quod priùs per recapitulationem iam notatum fuit) audita relatione exploratorum, ad ingreſſum terræ Chanaan ſe præparauit. Sequenti verò à reditu exploratorum die, Ioſue ante lucem conſurgens, mouit caſtra, & venit cum populo breui itinere ad Iordanem, hoc eſt prope Iordanem, nempe in locum qui ſaltem bis mille cubitis à Iordane aberat, vt neceſſariò colligitur ex Ioſue 3, 4. Hîc triduo moratus eſt Ioſue; atque interim à Domino inſtructum fuiſſe de omnibus quæ agenda eſſent in tranſitu Iordanis, credibile eſt: quæ & breuiter commemorantur Ioſue 3, 7. Triduo illo euoluto dixit Dominus ad Ioſue: *Hodie incipiam exaltare te coram omni Iſraël.* Qui probe intelligens conſilium Domini, prædixit exiccatum iri à Domino mirabiliter Iordanem, quà populus erat eum tranſiturus; iuſſitque Sacerdotes præire populum cum Arca Domini, interſtitio cubitorum bis mille, id eſt, paſſuum mille (vt colligitur Num. 35, 5. vbi bis mille cubiti mille paſſibus æquiparantur) & ſtare in medio Iordanis cum eadem Arca, donec vniuerſus populus ipſum pertranſiſſet. Egreſſi itaque Iſraelitæ de tabernaculis, ſequebantur Arcam, à longè eam aſpicientes, prout ipſis à Ioſue præceptum fuerat. Statim autem atque Sacerdotes, qui portabant Arcam, cœperunt pedibus attingere aquas Iordanis; quæ ſuperiores erant, mirandum in modum ſteterunt, valdè intumeſcentes inſtar montis qui procul admodum videri poterat; inferiores verò ad mare ſolitudinis decurrentes, reliquerunt alueum ſiccum: quem ingreſſi Sacerdotes vſque ad medium, ibidem morati ſunt. Miſit tunc Ioſue duodecim viros, quos de ſingulis tribubus ſingulos elegerat, vt ſinguli tollerent in humeros ſuis ſingulos lapides de medio Iordanis vbi ſteterat Arca Domini, collocandos in loco vbi primò poſteà figerent tabernacula, vt eſſent monumentum poſteris ſuis, ſiccati à Deo fluminis ad tranſitum populi ſui. Alios quoque duodecim lapides poſuit Ioſue in medio Iordanis alueo, vbi ſteterant Sacerdotes cum Arca Domini. His peractis, cùm tranſiſſet omnis populus Iordanem, tranſiuit etiam Arca Domini, præcipiente Ioſue Sacerdotibus vt eam de Iordanis alueo deferrent; qui vt primùm aridam humum pedibus calcare cœperunt, cœperunt quoque Iordanis aquæ, quæ priùs mirabiliter erectæ ſtabant, deinceps per alueum ſuum defluere, ſicut anteà conſueuerant. Quæ omnia traduntur Ioſue 3. & 4.

Iordanem in gratiam Iſraëlis exſiccandum prædixit Dominus.

Iſraël ſicco pede per Iordanem ingreditur terram Chanaan.

Venerunt verò filij Iſraël, tranſmiſſo Iordane, ad Terram toties ſuis Patribus repromiſſam, & ſteterunt primò in planitie Iericho, qui locus poſteà dictus fuit *Galgala.* Terram hanc Dei auxilio ingreſſi, eamdem poſteà eodem ſibi ſubiecerunt, infidelibus habitatoribus ex ea fugatis, modo quem Capite præcedenti indicauimus, & diſtinctè videri poteſt in ſacris Biblijs, ad quæ Lectores remittimus. Hanc terram poſſidendam acceperunt filij Iſraël anno à creatione mundi circiter 2584. à promiſſione Abrahæ facta quadringenteſimo ſeptuageſimo, ſecundùm verò computum Tornielli, anno à creatione mundi 2544. vt apud eumdem Tom. 1. Annalium, ad eum annum, num. 21. videre eſt.

CAPVT XIX.

De multiplici modo quo tribus filiorum Iſraël in ſacris Litteris enumerantur.

SVperiùs Libri huius Capite tertio diuiſimus terram Chanaan generatim in prouincias, Regna, Tetrarchias, &c. polliciti aliam diuiſionem, ſecundùm quam fuit duodecim tribubus filiorum Iſraël diſtributa, poſtquam eam ingreſſi fuêre, quæ & frequentior eſt in ſacris Litteris: & huius reſpectu enumerantur ciuitates, caſtella, aliaque loca terræ huius. Et quamuis hæc eadem diuiſio, alijs eo loco recenſitis ſubnecti potuiſſet, tum propter materiæ connexionem, tum propter huius cum illis conuenientiam; eam tamen, vt hiſtoriæ ſeriem obſeruaremus, hunc in locum differre, & tum demum, quando facta fuit, de ea differere placuit. Verùm quoniam hæc diſtinctè percipi non poteſt, niſi cognoſcantur varij modi quibus in ſacris Litteris tribus filiorum Iſraël enumerantur, de eis priùs agere decreuimus, idq; hoc Capite præſenti; in ſequenti poſteà acturi de diuiſione Terræ, ſecundùm

posteriorem quem assignabimus modum easdem tribus enumerandi.

Tribus quid sit.

Ne verò per incognita procedamus, ante omnia notandum est, tribum nihil aliud esse quàm multorum ab vno capite descendentium generationem, in qua sunt multæ familiæ in domos varias distributæ. Et secundùm hanc tribus descriptionem, necessariò foret dicendum, tribus, de quibus loqui intendimus, & loquuntur sacræ Litteræ, esse tredecim, quia in tredecim status & generationes hominum, à tredecim capitibus, id est à tredecim præcipuis viris, totus Israëliticus populus, qui ex tribubus constat, diuisus fuit. Ceterùm duodenarius numerus tribuum frequentissimus est in sacris Litteris, propter duodecim filios Iacob, qui singularum tribuum caput & princeps fuit. Dicuntur verò duodecim, & duodecim recensentur, etsi tredecim sint, quoniam in pluribus enumerationibus pluries factis tot & non plures deprehenduntur; alterâ aliquando prætermissâ, alterâ in illius locum assumptâ: at prætermissa ob id rationem tribus non amittit, tum quia enumeratio non dat tribui quòd sit tribus (etenim aliquando septem enumerantur tantùm, vt in libro Iosue, & duæ cum dimidia separatim; at nec istæ, quia cum illis; nec illæ, quia non enumerantur cum istis, tribus rationem amittunt:) tum etiam, quia licet vna in altera enumeratione prætermittatur, in altera tamen posteà numeratur, vt statim ex varia illarum enumeratione manifestum fiet.

Israëlitici populi tribus fuerunt duodecim.

Quare non numquam tredecim numerentur.

Ios. 18, 2. & 9. 10.

Difficultas verò ista orta est propter tribum Ioseph, & duorum filiorum eius Ephraim & Manasses, quos in Ægypto genuerat antequam veniret ad eum pater eius Iacob. Qui licet filij Iacob non essent naturales, eos tamen sibi in filios adoptauit, voluitque habere partem inter alios filios, haud secùs quàm suos primogenitos Ruben & Simeon, quemadmodum sancti huius Patriarchæ verba, de isto ad alterum sæculum properantis, dicta ad dilectum filium suum Ioseph, præ se ferunt, quæ sic habent: ***Duo filij tui qui nati sunt tibi in terra Aegypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim & Manasses, sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi*** (id est, duas partes hereditatis accipient, sicut & alij filij mei à me ipso geniti, Ruben & Simeon.) ***Reliquos autem quos genueris post eos, tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.*** Gen. 48, 5. Quare diuisâ vnâ tribu, quæ esse debebat Ioseph, in duas partes, sub nominibus duorum filiorum eius Ephraim & Manasse, tredecim effectæ sunt.

Ephraim & Manasses Ioseph filios sibi Iacob in filios adoptauit.

Si igitur, inquies, tredecim sunt, quare tredecim non enumerantur, aliquando saltem? Abulensis quæst. 8. in cap. 24. Exod. respondet, Manasse & Ephraim non constituisse duas tribus, nisi in principio secundi anni exitus Hebræorum de Ægypto, quo tempore, inquit, Leuitica tribus assumpta à Domino ad ministerium tabernaculi, desijt esse tribus. Numer. 3, 35. Et pro sorte quam receptura erat in terra Chanaan, assignati sunt ei redditus primitiarum & decimarum. Numer. 18, 11. & 35, 2. Ex quo concludit Abulensis, semper fuisse dumtaxat duodecim tribus: quia quo tempore erat Leuitica, Ephraim & Manasses duæ tribus non erant, quia tunc solùm esse cœperunt, quando Leui separatus est à reliquo populo.

Tribus si tredecim sunt, quare semper duodecim enumerantur.

Verùm Abulensis opinio meritò ab alijs reijcitur, tum quia tribus Leuitica non desijt esse tribus, quando assumpta fuit ad ministerium tabernaculi, nam & eo tempore, & pòst, fuit collectio plurium ab vno insigni capite descendentium; tum quia nõ apparet, quomodo ex multiplicatione tribuum per filios Ioseph, Leuitica desierit esse tribus: etsi enim diuino cultui peragendo fuerit segregata, semper tamen, sicut & antè, inter alias tribus numerata inuenitur, vt statim in earum numeratione apparebit.

Aliter ergo dicendum est secundùm aliorum sententiam, tribus filiorum Israël pluries fuisse enumeratas, & secundùm diuersam considerationem, vnam vel alteram fuisse omissam, non quòd verè non fuerint tredecim, etsi omnes non semper enumeratæ inueniantur. Enumerantur verò secundùm septuplicem considerationem, & semper aliqua ex ipsis omittitur, & ordo mutatur.

Septuplex tribuum enumeratio.

Primò enumerantur secundùm benedictiones Iacob, quas impertijt filijs suis naturalibus, qui principes & parentes futuri erant duodecim generationum. Et hæc est præcipua consideratio, & in ista omittuntur Ephraim & Manasse eius adoptiui filij, & naturales Ioseph, & talem inter se ordinem habent, vt videre est Gen. 49, 3. Prima est Ruben, secunda Simeon, tertia Leui, quarta Iuda, quinta Zabulon, sexta Isachar, septima Dan, octaua Gad, nona Aser, decima Nephthalim, vndecima Ioseph, duodecima Beniamin.

Primus modus enumerandi tribus.

Secundò enumerantur secundùm filiorum eiusdem Iacob natiuitatis ordinem, in præcedenti enumeratione non seruatum; & tunc similiter Ephraim & Manasses excluduntur, & secundùm aliquos talis erit ordo: prima tribus erit Ruben, secunda Simeon, tertia Leui, quarta Iuda, quinta Dan, sexta Nephthalim, septima Gad, octaua Aser, nona

Secundus.

nona Iſſachar, decima Zabulõn, vndecima Ioſeph, duodecima Beniamin. Atque iuxta hunc ordinem deſcripti ſunt filij Iacob in duodecim lapidibus Rationalis, & in duobus lapidibus onychinis, qui erant in ſuperhumerali Sacerdotis. Exod. 28,9. 17. 21.

Tertius. Tertiò conſiderari poſſunt ſecundùm ſuam excellentiam, & tunc primo loco collocabitur Iudas, cui à patre datum eſt ius regnandi, quod Ruben primogenitus amiſerat, quia thorum patris violaſſet: ſecundo Ioſeph, ad quem reliquum primogenituræ ius delatum eſt. Præteriti autem ſunt Simeon & Leui, qui proximè poſt Ruben ſequebantur, propter cædem Sichimitarum, quam ægro animo accepit Iacob. Tertium igitur locum obtinet Ruben, & deinceps ceteri. Verùm hæc ſeries nuſquam in ſacris Litteris reperitur, quamuis illi ſit conſentanea, inquit Viegas in Apocal. cap. 7. ſect. 8.

Gen. 35, 22. & 49, 4. Gen. 34, 25.

Quartus. Quartò conſiderari poſſunt ſecundùm ordinem vexillorum qui in caſtris Hebræorum ſeruabatur, dum per deſertum gradiebantur. Erant autem caſtra in quadro poſita in quatuor vexilla diſtributa: & ſub quolibet vexillo tres tribus quaſi militabant, eo ordine qui refertur Num. 2. & 10, 12. iuxta quem non nominantur tribus ſecundùm ordinem natiuitatis, neque ſecundùm ordinem excellentiæ. Igitur ſub vexillo Iudæ, cuius inſigne erat ad Orientem *Leo*, erant tribus Iuda, & duæ aliæ tribus Iſſachar & Zabulon: ſub vexillo Ruben ad partem Meridionalem, cuius inſigne erat *Homo*, tribus Ruben, Simeon & Gad: ſub vexillo Ephraim ad Occidentem, cuius inſigne erat *Bos*, tribus Ephraim, Manaſſe, & Beniamin: denique ſub vexillo Dan ad Aquilonem, cuius inſigne erat *Serpens*, tribus Dan, Aſer, & Nephthalim. Atque hic ordo ſeruatus eſt in oblatione Principum. Num. 7, 12. & in iſta nec Leui nec Ioſeph enumerantur, ſed eorum loco ponuntur Ephraim & Manaſſe. Num. eodem cap. 2, 3. & 10, 12.

Caſtrorum diſpoſitio apud Hebræos.

Quintus. Quintò conſiderari poſſunt ſecundùm quod repræſentant prædeſtinatos, & tunc in earum enumeratione omittuntur tribus Dan & Ephraim: Dan, quia ex eo multi ſanctorum Patrum arbitrantur oriundum Antichriſtum, & eius loco ponitur Manaſſes; Ephraim verò non enumeratur, quia ex eo deſcendit Ieroboam, qui primus in decem tribus idololatriam inuexit, vt patet 3. Regum 12, 28. & eius loco numeratus eſt Ioſeph pater eius. Secundùm hanc conſiderationem eas recenſuit Ioannes in Apocalypſi 7, 5. & ita primò ponitur Iudas, ſecundò Ruben, tertiò Gad, quartò Aſer, quintò Nephthalim, ſextò Manaſſes, ſeptimò Simeon, octauò Leui, nonò Iſſachar, decimò Zabulon, vndecimò Ioſeph, duodecimò Beniamin. Et huius ordinis rationem ſecundùm nominum harum tribuum interpretationem, indicat Viegas vbi ſuprà, num. 6. Et huic adde alteram quam ipſe ponit ibi num. 1. Cùm agitur de benedictionibus & maledictiombus ſpiritualibus, omittuntur tribus Ephraim & Manaſſe, in quorum locum ſufficitur Ioſeph cum alijs naturalibus filijs Iſraël, vt apparet Deuteron. 27, 12. Exod. 28, 9. vbi ponuntur nomina tribuum in lapidibus onychinis ſuperhumeralis ſiue ephod.

Sextus. Sextò conſiderari poſſunt ſecundùm quòd terra inter eos diuiſa fuit ad iactum ſortium. Cùm enim tribus Ruben, Gad & dimidia Manaſſe maluiſſent ſibi aſſignari regiones duorum Regum Og & Sehon, quæ ſitæ erant trans Iordanem, factum eſt vt alius in illarum enumeratione ordo iniretur. Facta eſt autem illa per ſortes diſtributio duabus vicibus: de priori agitur Ioſue 15. 16. & 17. de poſteriori Ioſue 18. & 19. capitibus. Recenſentur verò hoc ordine: Primò tribus Ruben, deinde Gad cum dimidia tribu Manaſſe, trans Iordanem; cis Iordanem verò tertiò in prima ſortitione ponitur tribus Iuda, Ioſue 15, 1. quartò Ephraim, Ioſue 16, 5. quintò alia dimidia tribus Manaſſe, Ioſue 17, 1. ſextò, in ſecunda ſortitione cecidit primò ſors in Beniamin, Ioſue, 18, 11. ſeptimò Simeon collocatur, Ioſue 19, 1. octauò Zabulon, Ioſue 19, 10. nonò Iſſachar, Ioſue 19, 17. decimò Aſer, Ioſue 19, 24. vndecimò Nephthalim, Ioſue 19, 32. duodecimò Dan, Ioſue 19, 40. In iſta enumeratione omittuntur tribus Leui & Ioſeph: quoniam Leuitis, eiuſque tribus Sacerdotibus, præcepit Deus, ne acciperent hereditatem cum reliquis tribubus, eò quòd ipſe eſſet ſors & hereditas illorum, Numer. 18, 6. ideoque cedebant eis in ſortem quæ ad Deum iure pertinebant. Ioſue 13, 14. & 18, 7. In eius autem locum diuisâ tribu Ioſeph in Manaſſe & Ephraim, completur numerus duodenarius: nam Ioſeph & duo eius filij non faciunt tres, ſed duas dumtaxat tribus; diuiſum enim poſt diuiſionem non in ſe, ſed in partibus diuiſis manet. Et ſanè Ioſeph ſupra fratres ſuos non niſi vna pars data eſt, vt verba Iacob patris eius ſatis indicant, Gen. 48, 22. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Partem vnam inquit, non duas. Inſuper iam antè idem Iacob filio ſuo Ioſeph dixerat: *Duo filij tui, qui nati ſunt tibi in terra Aegypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi. Reliquos autem quos genueris*

Num. 32, 1. Deut. 3, 12. Ioſ. 12, 1.

nueris post eos, tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis. Ponderanda sunt posteriora verba, scilicet reliquos filios nominandos esse nomine fratrum suorum, filiorum eius, & non suo. Quare non suo? Quia ipse non erat aliam possessionem habiturus à possessione filiorum suorum, nec constituturus distinctam ab illis tribum. Ac denique ita esse, ex eo dignoscitur, quòd numquam in tribuum enumeratione velut distinctæ tribus enumerentur; altero enim enumerato, reticetur alter: & Iosephus lib. 3. Antiq. cap. 15. & lib. 4. cap. 13. ait, Manasse successisse Leui fratri Ioseph, vt consequenter dicendum sit, pro Ioseph numerari Ephraim, vt iam vidimus.

Septimus. Septimò denique considerari possunt duodecim tribus secundùm ordinem & situm partium terræ quam possederunt, qui ordo se offert Terram sanctam peragrantibus. Initio enim à Meridie facto, talis inter eas inuenitur ordo: primò Ruben ponitur, deinde Gad cum dimidia tribu Manasse, vltra Iordanem; citra verò sequitur tertiò Iuda, quartò Simeon, quintò Dan, sextò Beniamin, septimò Ephraim, octauò dimidia alia tribus Manasse, nonò Issachar, decimò Zabulon, vndecimò Nephthalim, duodecimò Aser: quod duobus sequentibus Capitibus clarius apparebit, dum ordinatè terram in has tribus sic dispositas distinguemus.

CAPVT XX.

Diuisio terræ Chanaan prout contigit duodecim tribubus in postrema acceptione præcedenti Capite assignata, id est, secundùm ordinem partium Terræ sanctæ: & primò de partibus quæ duabus tribubus & semis contigerunt.

IN postrema consideratione tribuum, quæ respicit ordinem partium Terræ sanctæ, quæ illis obtigit eo modo quo sunt dispositæ, omittuntur tribus Leui & Ioseph: illa quidem, quoniam, ex præcepto Domini, nihil terræ accipere debuit inter fratres suos, nisi vrbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda animalia pro sacrificijs Deo Israël offerendis, quoniam pars illorum Dominus, vt patet Iosue 13, 14. & Num. 18, 21. & suprà diximus, in cuius locum successit alter filiorum Ioseph, Ios. 14, 4. hæc verò, quoniam pro Ioseph alter filiorum eius positus est. Quare nec tribui Leuiticæ aliqua irrogata fuit iniuria, quoniam sub Dei peculiari custodia collocabatur; nec Ioseph Patriarchæ, siquidem quidquid illi debebatur, in filiorum eius cessit possessionem. ideò de tribu Ioseph nihil agendum. De vrbibus & suburbanis quæ tradita fuerunt Leuitis, inferiùs Cap. XXII. dispiciemus.

Igitur de alijs tribubus loquendo, vltra Iordanem in Orientali eius plaga acceperunt partem suam, primò tribus Ruben, deinde Dan & dimidia tribus Manasse, vt patet Num. 32, 31. & Iosue 13, 8. Res autem ita se habuit. Cùm Moyses, iussu Domini, Phineæ Eleazari Sacerdotis filio in mandatis dedisset, vt, assumptis duodecim bellatorum millibus, millenis è qualibet tribu, Madianitis bellum inferret, illoque Moysi obtemperans, eosdem feliciter debellasset, trucidasset, vrbesque & viculos illorum suburrisset & succendisset, de bello illo reuersi filij Ruben & Gad (quibus postea se adiunxit dimidia tribus Manasse) cùm aduertissent, quòd terra duorum Regum Amorrhæorũ, scilicet Sehon & Og (quam, eisdem interfectis, Israëlitæ iam occupauerant) animalibus pascendis, quibus ipsi abundabant, admodum esset commoda; Moysen adeuntes, eam sibi in possessionem dari petierunt, cedentes (si ea sibi traderetur) omni iure suo, quod sibi in terram Israëlitico populo repromissam competere posset: quam post multa tandem obtinuerunt, ea lege, vt ipsi, transito Iordane, primi ad bellum procederent, atque contra Chananæos, donec omnis illorum regio subiugaretur, depugnarent. Numer. 32, 1. Moyses itaque eisdem tribubus omnem illam terram, quæ Sehon Regis Hesebon & Og Regis Basan fuerat, distribuit, vt ibidem subditur, & aliquantò fusiùs repetitur Deuteron. 3, 12. & Iosue 13, 7. Tribui igitur Ruben sua obtigit pars in Regno Sehon, ab Aroër, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, vsque ad Iordanem, cum omnibus ciuitatibus, viculis, castris, alijsque locis quæ Iosue 13. à versu 9. vsque 24. prolixè recensentur.

Secundò, tribui Gad & dimidiæ tribui Manasse obtigit residuum possessionis in Regno Sehon vsque ad Basan, continens loca plurima, quæ itidem à versu 24. ad finem vsque capitis enumerantur. Et continuò de licentia ipsius Moysis vnusquisque in sortibus sibi assignatis fabricare cœpit caulas pecoribus suis, & stabula iumentis, & aliquas ex vrbibus Amorrhæorum, quas paulò antè destruxerant, reficere paululùm ac munire pro mulieribus & paruulis suis, vt tutò in illis permanere valerent donec de bello reuersi fuerint, ipsique interim expeditè cum fratribus Iordanẽ transire, & reliquam Chana-

Chananæorum terram eis subijcere possent. Hæc de distributione partis Terræ promissionis, facta tribubus Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manasse, ante transitum Iordanis.

Post transitum Iordanis, tota terra quæ à ripis illius vsque ad Mare magnum & mortuum se extendit, nouem tribubus, & dimidiæ alteri Manasse, à Iosue distributa fuit. Et in primis pars meridionalis Terræ promissionis, vnde filij Israël transierunt Iordanem prope mare Mortuum, ad Septemtrionem procedendo, præ ceteris latissima, obtigit tribui Iudæ, & continet ciuitates & castella, de quibus agitur Iosue 15.

Vlteriùs procedendo, quarto loco sese offert tribus Beniamin tribui Iudæ contigua, continens sanctam ciuitatem Ierusalem, præter alia loca de quibus Iosue 18, 11.

Quintò, procedendo ad Septemtrionem quidem, sed ad Orientem declinando, est ingressus in sortem Ephraim, vbi montes Ephraim, ciuitates & castella, de quibus Iosue 16, 5.

Sextò, procedendo, reperitur tribui Ephraim contigua altera dimidia tribus Manasse, continens ciuitates & castella, de quibus agitur Iosue 17, 1.

Septimò, simili modo vlteriùs procedendo inter Septemtrionem & Orientem, statim tribus Issachar occurrit, in qua sunt montes Gelboë, Hermon, & Hermonijm, & alia plura loca, quorum mentionem inuenies Iosue 19, 17.

Octauò, ex Issachar vlteriùs iter prosequendo, inuenitur tribus Zabulon, in qua est mons Thabor, præter ciuitates & castella, de quibus Iosue 19, 10.

Nonò, post Zabulon sequitur tribus Nephthalim, continens ea loca quæ pro ista tribu recensentur Iosue 19, 32.

Decimò, ex Zabulon vsque ad montem Libani inuenitur ea Terræ promissionis pars, quæ obtigit tribui Dan, cuius loca recensentur Iosue 19, 40.

Transit Iordanis medius inter tribus quæ vltra & citra ipsum enumeratæ sunt, earumque agros irrigare potest.

Vndecimò, retrocedendo ex Septemtrionali parte Chanaanitidis regionis, & ad Austrum procedendo, Aser tribus occurrit, relictis possessionibus Dan, Nephthalim, & Issachar à sinistro & Orientali latere, habens à dextro & Occidentali Mare mediterraneum: in ista, præter montem Carmelum ad Mare mediterraneum, sunt ciuitates & castella, de quibus agitur Iosue 19, 24. vbi de hac tribu. Sequitur hîc pars regionis, quæ data est tribui Dan in tribu Iuda, quoniam prior ei assignata pars non sufficiebat: habetque à latere sinistro tribum Beniamin, à dextro Mare mediterraneum.

Duodecimò, sequitur denique tribus Simeon, pars scilicet illa quæ à tribu Iuda detracta, tradita fuit Simeon, quia habitationem non habebat. contigua ea est torrenti Ægypti, continetque plura loca, de quibus Iosue 19, 1.

Hæc clariùs videri possunt in tabulis Geographicis: nos breuiter ex recentioribus probabilioribusque prædictam assignationem selegimus. Plura pro cuiusque tribus explicatione videre poteris apud Torniellum Tomo 1. Annalium, anno mundi 2591. num. 62. Duo tantùm pro maiori huius materiæ intelligentia hîc subnectere placuit.

Possessiones tribuum Israël subinde mutata fuerunt.

Alterum, eam assignationem & distributionem partium Terræ sanctæ inter tribus Israëliticas, non semper eamdem, vt à Iosue facta fuit, perseueraſſe; sed procedentibus temporibus nonnihil, vt fit in rebus humanis, fuisse variatam. Manifestum enim est, Danitas, præter sibi assignatas, mox alias sedes quæsiuisse, vt tangitur Iosue 19, 47. & late describitur Iudicum capite decimo octauo: & Simeonitas Dauidis, vel potiùs Roboami temporibus, à Iudæis expulsos (vt præcipui Hebræorũ Rabbini opinantur) alìò transmigrasse; vel regnante Ezechia, tamquã emissis coloniis, ad vberiora pascua profectos esse, vt colligitur 1. Paral. 4, 39. Scimus etiam, quòd Ierusalem, quæ in possessione Beniamitarum continebatur, postea in sortem Iudæorum transierit; quoniam Iebusæos in ea habitantes, quos priùs neque Iudæi, vt dicitur Iosue 15, 63. neque Beniamitæ, vt habetur Iudic. 1, 21. superare potuerant, demum Dauid Iudæus inde expulit. Et Siceleg, quæ parti Simeonis concesserat, mox pariter in sortem Iudæ redacta fuit, Iosue 15, 30.

Paulatim Iudæi terram Chanaan superarunt.

Alterum notandum est, non omnem statim regionem, quæ singulis tribubus assignata fuit, ab eisdem acquisitam possessamque fuisse; sed vnà cum illis varias nationes, quas delere non poterant, intermixtim habitasse, vt in libris Iosue & Iudicum manifeste legitur, & nos infrà Cap. XXXII. ostendemus. Hæc verò de duodecim tribubus filiorum Israël, & eorum habitatione in Terra sancta, dicta sufficiant.

CAPVT

CAPVT XXI.

Vbi, quando, quoties, & quomodo peracta fuerit distributio partium Terræ promissionis.

DVobus proximè antecedentibus Capitibus vidimus, Terram sanctam per partes inter duodecim tribus filiorum Israël, peculiari cuilibet peculiariter assignatâ, distributam fuisse; nunc operæ pretium visum est (quod & ex parte attigimus) absoluere difficultatem illam, qua quæritur, vbi, quando, quoties, & quomodo ea diuisio absoluta fuerit.

Terra sancta inter Israelitas diuisio tribus vicibus instituta fuit.

Pro cuius difficultatis explicatione illud in primis tamquam certissimum supponendum est, Terræ promissionis non vnica tantùm vice, nec vno eodemque loco, modò & tempore, sed tribus distinctis vicibus partitionem factam fuisse. Prima distributio facta est in campestribus Moab, quando scilicet pars illa quæ est trans Iordanem, à Moyse ipso circa vitæ eius finem anno quadragesimo ab exitu de Ægypto, absque sortibus assignata & distributa fuit duabus tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ tribui Manasse, quæ id precibus impetrauerant, idque modo superiùs Capite præcedenti explicato: quæ ipsa assignatio atque distributio posteà à Iosue stabilita & reipsa effectui mandata est ante transitum Iordanis, vt patet Iosue 1,12.

Prima.

Secunda.

Altera facta est per Iosue, eodem anno quo præcedens, post prodigiosum transitum Iordanis cum toto populo Iudæorum. Cùm enim Iosue Reges Chananæorum cis Iordanem existentes interemisset, eorumque regna sibi subiugasset; cœpit, Domino præcipiente, terram illam inter tribus Israëliticas diuidere. Visum autem ei est priùs rudiori quodam modo assignare possessionem tribui Iuda, & filijs Ioseph, nimirum tribui Ephraim, & alteri medietati tribus Manasse: Iosue 14, 4. 15, 16. & 17. hi namque dignitate, viribus, hominumque multitudine ceteras tribus antecellere videbantur, vt colligi potest Numer. 26,28. vbi singulæ recensentur. Attamen pars eis assignata non continuò ab eisdem possessa fuit, sed post aliquod demum tempus, cùm iam hostes suos debellassent. Eaque partitio per sortes facta est, vt in libro Iosue ordine enarratur.

Tertia.

Tertia denique partitio inter ceteras septem tribus, per Iosue facta est non in Galgalis, vt quidam arbitrati sunt, sed in Silo, datis nimirum sortibus, vt videre est in Iosue cap. 18. Quando verò facta sit, non constat; ideò variæ emerserunt opiniones, quas adducit Torniellus Tomo 1. Annalium, anno mundi 2590. num. 3. vbi ipse, aliorum sententijs reiectis, factam fuisse arbitratur vno circiter anno post secundam partitionem. Accidit autem in hunc modum. Cùm Iosue de Galgalis transtulisset castra Israël in Silo, hoc est in tribum suam (erat enim Silo in sorte Ephraim, & ibi primùm fixum fuit tabernaculum testimonij, quod neq; in Galgalis neque vllo alio in loco terræ Chanaan priùs erectum fixumque fuisse vsquam legimus. lege Deuteronomij caput 12.) erecto iam tabernaculo, cultuque Dei aliquo modo incepto, cupiens, priusquam moreretur (erat enim senex) perficere opus sibi à Deo demandatum, partitionem scilicet totius terræ Chanaan; congregata multitudine, increpauit ignauiam septem illarum tribuum, quæ proprias necdum acceperant aut procurauerant hereditates. Delectis itaque vno & viginti viris qui Geographiam optimè callebant, ternis ex qualibet tribu, destinauit eos ad peragrandam & inspiciendam Palæstinam, omnesq; regiones Chananæorum, quæ citra Iordanem à monte Libano vsque ad terminos Ægypti sitæ, & necdum diuisæ erant. Hi igitur cùm mensores agrorum locorumque æstimatores essent peritissimi, descripserunt omnem prouinciam cum suis vrbibus, oppidis, montibus, vallibus, ceterisque locis planis, in volumine Geographico satis amplo, quod iuxta numerum septem tribuum diuisere in septem tabulas, omissa tamen tribu Iuda in parte Australi, & filijs Ioseph in Aquilonari. Post septimum verò mensem reuersi, librum descriptionis ad Iosue detulerunt: qui, eo diligenter inspecto, vniuersam illam prouinciam septem tribubus sorte distribuit, vt videre est Iosue 18. & 19. Creditur autem, hosce descriptores in sui muneris executione aduertisse, eam terram angustiorem esse, quàm vt ex ea tot partes, quæ septem illis tribubus sufficerent, assignari possent; illam verò, quæ tribui Iuda assignata fuerat, latiorem quàm vt vni soli tribui assignanda sit: ideoque operæ pretium duxisse, de illa quoque portionem quamdam Australem describere, quæ alteri tribui sufficeret; quæ scilicet posteà obtigit tribui Simeon: alias insuper quasdam Iudæ vrbes describere, quæ alteri parti tenuiori applicarentur; quæ posteà obuenerunt tribui Dan, vt colligi potest ex Iosue 19.

CAPVT

CAPVT XXII.

An distributio Terræ sanctæ inter septem tribus facta fuerit per partes æquales vel inæquales; & de ciuitatibus refugij, alijsque tribui Leuiticæ assignatis.

PRopositam difficultatem peculiariter discutere placet, An illa partium terræ inter septem tribus per sortes facta distributio, fuerit partium æqualium, an potiùs inæqualium. Lyranus in caput decimum octauum Iosue, ex aliorum sententia respondens, dicit, partes non fuisse æquales, sed quasdam maiores, quasdam minores; sicut & tribus erant inæquales, quoniam quædam maiorem numerum familiarum & capitum continebant, aliæ minorem, vt satis constat. Illud verò probat ex eo, quod eodem Iosue capite dicitur: *Describant eam* (id est terram) *iuxta numerum vniuscuiusq; multitudinis.* & per id quod habetur Numer. 26, 54. *Pluribus maiorem partem dabis.*

Prima sententia, terra distributionem per inæquales partes fuisse.

Iosue 18, 4

Obiectio.

Statim verò obijcit id quod descriptoribus, iam iã profecturis, dixit Iosue: *Circuite terram, & describite eam, ac reuertimini ad me, vt hîc coram Domino in Silo mittam vobis sortem*; ad hoc scilicet, vt sciatur quæ tribus quam partem habere debeat. Si autem diuisio facta fuisset per partes maiores & minores, secundùm maiorem vel minorem multitudinem cuiuslibet tribus, per hoc constitisset quæ pars cuilibet tribui contingere debuisset, & missio sortium per Iosue fuisset inutilis: imò potuisset esse noxia, si pars maior obuenisset sorte tribui habenti minorem hominum multitudinem, & minor habenti maiorem.

Ibid. v. 8.

Responsio.

Respondet, hanc tutatus sententiam, sortem cuiuslibet tribus diuina dispositione cecidisse super partem terræ sibi proportionatam, secundùm pluralitatem vel paucitatem familiarum & domorũ in ea contentarum, prout dicitur Prou. 16, 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Hoc verò pacto non fuisset inutilis aut noxia, sed vtilis valdè: quia sic reprimi poterant seditiones, quæ alioquin exoriri natæ erant, si sola ordinatione humana fuisset facta diuisio. Et ad hoc facere videntur verba, quæ Moysi dixit Dominus: *Præcipe filijs Israël, & dic ad eos: Quando transieritis Iordanem, intrantes terram Chanaan, disperdite cunctos habitatores terræ illius: confringite titulos, & statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate, mundantes terram, & habitantes in ea: ego enim dedi vobis illam in possessionem, quam diuidetis vobis sorte. Pluribus dabis latiorem, & paucioribus angustiorem. Singulis vt sors ceciderit, ita tribuetur hereditas. Per tribus & familias possessio diuidetur.*

Num. 33, 51.

Verùm non arridet ista sententia, tum quia ad miraculum recurrit sine necessitate; tum quia tribus illæ, in quibus maior erat numerus familiarum, gratam non habuissent huiuscemodi sortium missionem; quoniam semper timere potuissent, ne minor pars sibi contigeret, quàm quæ ad habitandum fuisset necessaria, vnde & tumultuare potuissent: tum denique, quia talis partitio & sortium missio non videtur fuisse iusta; nam secundùm proportionem familiarum dandæ erant habitationes.

Refellitur prima sententia.

Alij dicunt, illas partes fuisse æquales, & quamlibet partem fuisse distributam per familias cuiuslibet tribus; vnam tamen familiam accepisse maiorem partem quàm aliam, prout continebat plura capita (& pro hoc sensu intelligitur quod adductum suprà est ex Num. 26, 54. *Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem*) non autem quoad inæqualitatem sortium seu partium quæ singulis tribubus assignabantur.

Secunda sententia, distributionem factam per æquales partes.

Breuiter secundùm hanc expositionem posset dici, partes illas fuisse inæquales, si illa diuisio attendatur secundùm partes eiusdem quantitatis; quia congruum fuit & iustum, vt tribubus, quæ plures continebant domos & familias quàm aliæ, maiores darentur portiones, nam & amplius in terra acquirenda laborauerant: sin verò sermo sit de diuisione facta secundùm partes proportionales, sic fuerunt æquales, nam secundùm proportionem familiarum possessiones acceperunt. Quod alij etiam breuiùs dicerent, fuisse inæquales secundùm proportionem Arithmeticam, æquales secundùm Geometricam.

Explicatur.

Ad quid ergo sortes missæ fuerunt? Dicerem, sortes missas fuisse non propter terræ quantitatem, sed propter qualitatem potiùs, ad quam magis respiciendum videtur, quia modica terra fecunda vberiores profert fructus, quàm multa sterilis: quòd enim duæ aliæ illæ & dimidia tribus possessionem sibi elegerint vltra Iordanem, causa fuit illius regionis fertilitas. Quare cùm inter tribus, quibus terra distribuenda fuit, potuerit esse contentio, & quædam Australem, aliæ Orientalem, vel aliam potuerint desiderare partem; vt præueniretur & tolleretur omnis eiusmodi contentio, sortes missæ fuerunt. Quem modum elegisse etiam ipsum Abrahamum legimus, dum, ad sedandam rixam quæ in pastores eius & pastores Lot iam orta fuerat, & fortè inter ipsosmet oriri potuisset, dixit ad Lot: *Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus.* Gen. 13, 8.

Difficultas. Solutio.

In terra fertilitas magis quàm latitudo æstimatur.

Ecce vniuersa terra coram te est: recede à me, obsecro. Si ad sinistram ibis, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam, &c. Ecce quomodo non de quantitate, sed de qualitate potiùs, quam magis æstimant homines, loquatur sanctus Patriarcha, scilicet de dextro & sinistro.

Et hoc colligi potest ex Num. 33,54. vbi Deus præcepit vt sorte terra diuidatur: loquitur enim de diuisione facienda secundùm qualitatem, cùm de altera, facienda secundùm quantitatem, posteà loquatur, dicens: *Pluribus dabitis latiorem, & paucioribus angustiorem.*

Hoc ipsum exemplo comprobatur: Beniaminia enim tribus, quæ regionem obtinuit omnium angustissimam, amœnitate tamen, soli vbertate, atq; vrbium nobilitate habuit, vt testatur Iosephus, ceteris æqualé. Quare etsi quantitate partes illæ fuerint inæquales, fructuum tamen atque prouentuum existimatione & vbertate pares fuerunt. Crediderim igitur, sortes fuisse missas, ad indicádum in qua parte hæc vel illa tribus accipere deberet hereditatem suam: datis verò sortibus, secundùm numerum familiarú, quæ erant in vnaquaque illarum tribuum, assignatum fuisse maiorem vel minorem terræ locum, vt ex eodem Numerorum loco colligitur. hocque fieri potuit secundùm iustam distribuentis distributionem. Ex quibus omnibus patet, quomodo tota Terra promissionis distributa fuerit inter duodecim tribus filiorum Israël: ad secundum Capitis membrum nunc accedimus.

Sortes datæ pro situ & fertilitate terræ.

Pijssimus sanè Deus, misericordiarum parens, patiens & præstabilis super malitia, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, optimè intelligens, fieri non posse, quin homo, dum in hac miseriarum valle commoratur, & lutea vasa portat, subinde cadat, frangatur, & aliqua peccati labe inficiatur (necesse enim est vt veniant scandala, vt ipsemet Deus proprio ore testatus est Matth. 18,7.) nolensque ipsum ideò perire, parauit ei media, quibus se protegere ac defendere posset, præsertim si non voluntate & malitiâ, sed fortuitò, fragilitate & ignorantiâ deliquisset, vt pluribus comprobare possemus: sufficiat id quod hoc loco de ciuitatibus refugij, & alijs quæ Leuitis assignatæ fuerunt, pertractare propósuimus.

Deus humanæ salutis solicitus.

Notandum itaque, post diuisam & distributam Terram promissionis inter duodecim tribus; Iosue, cùm existeret in Silo, (vbi posterior distributio facta fuit, vt Cap. præcedenti monstratum est) separasse constituisseque refugij ciuitates, quæ ijs, qui casu aliquo proximum percussissent, essent veluti asyla quædam, ad quæ tutò confugere, ibidemq; impunè morari possent, donec causa eorum esset discussa, quemadmodum Dominus Moysi Num. 33, 9. iusserat. Ob maiorem verò vniuersi populi commoditatem delectæ fuerunt tres citra Iordanem, locis opportunioribus, vna, nomine *Cedes*, in tribu Nephthalim; altera, vocabulo *Hebron*, in tribu Iuda, quæ duæ tribus pæne erant in extremitatibus terræ Chanaan positæ; tertia verò *Sichem*, in tribu Ephraim, quæ in medio ferè totius Chananææ locata erat: tres aliæ trans Iordanem, quas iamdudum constituerat Moyses Deuter. 4,43. videlicet *Bosor in solitudine, quæ sita est in terra campestri, de tribu Ruben; & Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Gad; & Golan*, siue Gaulon, *in Basan, quæ est in tribu Manasse.* ibidem, & Iosue 20. vbi etiá ponuntur quædam circumstantiæ, quibus discerni posset, quinam tali priuilegio gaudere deberent.

Diuino mandato refugij ciuitates deliguntur.

Hæ verò sex refugij ciuitates fuerunt ex illis, quæ tribui Leuiticæ datæ fuerant à tribubus illis quæ sorte vel partitione hereditatem receperant, vt videre est Iosue 21, 13. & sequentibus. Tribus namque Leui sortem partesque non habuit cum reliquis filijs Israël, quoniam illius pars Dominus, vt tum alibi, tum in Deuteronomio cap. 18. legimus: *Non habebunt Sacerdotes & Leuita, & omnes qui de eadem tribu sunt, partem & hereditatem cum reliquo Israël, quia sacrificia Domini & oblationes eius comedent, & nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum: Dominus enim ipse est hereditas eorum, sicut locutus est illis*, &c. Mandauit insuper Deus, vt reliquæ tribus tribui Leuiticæ darent ciuitates ad habitandum, cum suburbijs earum, ad alenda animalia, vt legitur Num. 35, 2. quas etiam, dum petierunt, Leuitæ obtinuerunt; adeoque eis in medio aliarum tribuum, simul computatis sex refugij ciuitatibus, assignatæ fuerunt quadraginta octo bonæ & præcipuæ ciuitates, quarum nomina habes Iosue 21. Verùm numero Leuitarum magis ac magis crescente, diuino tandem auxilio totâ terrâ Chanaan subactâ, à Iosue & alijs Primatibus Israël, aliæ præcedentibus additæ fuêre. Lege Adrichomium in descriptione huius tribus.

Num 18, 20. Iosue 13, 14. & 33. Deut. 10,9.

Præcipit Deus Leuiticæ tribui loca necessaria tribui.

In hoc verò videtur elucere diuina pietas & prouidentia, quæ ita consulit his qui cum mundo partem non habent, vt Deus fiat illorum possessio. Quia enim omnes aliæ tribus opem spiritualem à Leuitica recipere debebant, inter omnes sparsim quoque habitare eam Deus voluit: quod anteà vaticinatus fuerat Iacob, dum de Leui & Simeonis posteritate dixit: *Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël.* Gen. 49,7.

Mundana ope destitutis ipse Deus possessio est.

CAPVT

CAPVT XXIII.

Alia diuiſio totius Terræ ſanctæ ab Ezechiele in poſtrema ipſius viſionum reuelatione propoſita, etſi non executioni mandata.

TOtam terram Chanaan, à Deo Abrahæ promiſſam, & ab eius poſteris poſſeſſam, pluries fuiſſe diuiſam tum iuſſu Dei tum hominum voluntate, diſtributam item fuiſſe priùs tribubus filiorum Iſraël per Moyſen & Ioſue, & poſteà alijs etiam nationibus à Salmanaſar Rege Aſſyriorum, à Romanis & Mahumetanis, pluribus explicuimus in præcedentibus. Sed & aliquando eamdem terram iuſſu Domini ſingulis tribubus filiorum Iſraël diſtributam, etſi ad ſingularum partium poſſeſſionem ſingulæ tribus non deuenerint, nouimus ſingulariter ex Ezechiele. Et nos ex eodem indicatam diuiſionem maiòri qua poterimus breuitate & claritate hic ſubijciemus, tum quia aliena non eſt ab inſtituto noſtro, tum quia magis ex ea innoteſcet Terræ ſanctæ conditio, & Dei erga ſuos ſollicitudo & prouidentia.

Occaſio indicata diuiſionis Terræ ſanctæ.

Et vt manifeſtetur occaſio indicatæ diuiſionis faciendæ, ſciendum eſt, quòd cùm Hebræi à proprio ſolo amandati, & in Babylonicam captiuitatem abducti eſſent, eorumque langueſceret induſtria, & vires confringerentur, ac ferè deſperarent de redituad patriam, ad ſanctam ciuitatem & Templum Domini inſtaurandum; miſericordiarum Parens, & totius conſolationis Deus, volens illos ad amiſſam ſpem & libertatem reuocare, & à tanta qua detinebantur calamitate eripere, per Vatem ſuum Ezechielem, ſimul cum ipſis captiuum, illis præmonſtrauerit liberationem à Babylonica captiuitate, exemplar Templi ædificandi, reſtaurationem ciuitatis, nec non methodum ſeruandam in diſtributione totius Terræ ſanctæ inter ipſos: quæ omnia habentur in poſtrema viſione Ezechielis, quæ explicatur à cap. 40. vſque ad 48. Nos ex eo illa dumtaxat adducemus, quæ explicationi propoſitæ diuiſionis deſeruire poterunt: priuſquam verò illam aggrediamur, tria notabilia ad intentum vtilia præmittere placet.

Iudæos Babylonica deſertos captiuitate conſolatur Deus.

Diuiſio Terræ ſanctæ Ezechielis ſpeculum fuit, nec peracta.

Primum notandum ſit, quòd licet Iudæi à Babylonica captiuitate eruti, & ſub Zorobabele, Ieſu filio Ioſedech, & Nehemia ad patriam redire cum gaudio & honore permiſſi fuerint, vbi Templum ac vrbem collapſam reſtauraſſent, vt in libris Eſdræ Litteræ diuinæ teſtantur; diſtributio tamen partium Terræ ſanctæ ab Ezechiele præmonſtrata, & inter duodecim tribus facienda, executioni mandata non fuerit, vt verè docuerunt ſacri Ezechielis Interpretes: & quòd omnia ſpectra ſolùm & imagines fuerint, menti & intellectui Prophetæ oblata, quæ in poſtrema illius viſione reſerantur. Et confirmatur, tum ex eo quòd illius diuiſionis & partium aſſignationis ampliùs mentio facta non fuerit in ſacris Litteris, aliiſve Eccleſiaſticis Scriptoribus, tum quòd non omnes tribus, inter quas Terra ſancta diſtribuenda eſſe præſcribitur, ad natiuum ſolum reuocatæ fuerint: decem enim tribus (ſiue Regnum Iſraël) ex quo ſub Salmanaſar Aſſyriorum Rege ab Iſraëlitico Regno amotæ & in captiuitatem abductæ fuerant, numquam è ſeruitute erutæ, & in patriam reductæ fuiſſe leguntur, paucis exceptis qui ex Aſſyria fugerunt, vt cum experientia docent ſacræ Litteræ. 1.Eſd. 1,2. 4.Reg. 17, 23. 19,9.

Si dicatur, Ad quid ergo Dominus præmonſtrauit diuiſionem Terræ ſanctæ in duodecim tribus, quam haud perficiendam eſſe optimè nouerat? Omiſſo, quod aliqui docent, viſionem illam poſtremam Ezechielis minimè intelligendam eſſe de Synagoga & Templo, populoq; Iudaico, ſed de Catholica Eccleſia & Chriſtiano populo, in eodemque impletam fuiſſe, dicerem, Deum feciſſe quod ſuum erat, oſtendiſſeq; ſuam benefaciendi propenſionem, etiam in rebelles illas & idololatras tribus. Quòd ſi diuinum illud beneplacitum non fuit adimpletum, non Deo, ſed hominum malitiæ & ignauiæ tribuendum eſt. Quemadmodum & idem Dominus homini à principio condidit voluptatis locum, quem tamen ſciebat ſuâ culpâ non eſſe inhabitaturum: nec tamen fruſtrà. delicioſa enim & illuſtri illa paradiſi plantatione palàm fecit nimiam ſuam pro homine ſollicitudinem, & immenſam erga illum charitatem; & viciſſim hominis execrandam nimis ſocordiam & ſtoliditatem, quæ in cauſa fuit vt tanto bono priuari meruerit.

Dei ad benefaciendũ propenſio.

Longitudo & latitudo aſſignanda in Terra ſancta.

Secundum notandum ſit, quòd quamuis totum ſpatium Terræ diuidendæ quadrum ſit, vt poſteà videbimus, ideoque parum referat, aſſignare illius longitudinem & latitudinem; nihilominùs vere aſſignanda ſit, cùm verè in ea ſit longitudo & latitudo, & vtramque doceant ſacræ Litteræ; quare & nos illam ſtatuere debemus.

Ad dicti huius declarationem aduertendum eſt, diuiſionem Terræ promiſſionis poſſe dupliciter conſiderari: vno modo abſolutè, abſque aliquo reſpectu ad eos quibus diſtribuenda eſt; alio modo, in ordine ad eoſdem. Si primo conſideretur modo, prout Ezechieli præmonſtrata fuit, cùm illa quadrata ſit, videtur à parte rei non admittere longitudinem & latitudinem. Nihilo

Ex Lyrano inno c.45. in Ezech.

tamen minùs eam illi concedendam eſſe, vereque à Propheta tribui, ſentimus. Ratio eſt, quia Terra oſtenſa Prophetæ, ordinem habet ad eam quæ eſt à parte rei, & quam Iſraëlitæ verè poſſederunt; imò eadem eſt, paucis immutatis. Quare cùm in iſta longitudinis & latitudinis termini verè aſſignentur, vt vidimus in præcedentibus, & amplius videbimus in ſequentibus, eoſdem poſſumus præſcribere in illa Terra ſacro Vati oſtenſa. Secundo verò modo ſi conſideretur, clarum eſt, habere à parte rei longitudinis & latitudinis terminos. Cùm enim cuiq; tribui pars quadrata non tribuatur, vt clare videbimus; compertum relinquitur, ſecundùm hanc conſiderationem, terram Prophetæ oſtenſam habere veros longitudinis ac latitudinis terminos.

Longitudo & latitudo Terræ ſanctæ vnde accipienda.

Sed vnde ſumitur terræ huius longitudo & latitudo? Reſpondeo dupliciter. Vno modo, terræ huius in ſe ſpectatæ longitudinem accipiendam eſſe ab Aquilone in Auſtrum, latitudinem verò ab Oriente in Occidentem. Altero, ſi terra eadem conſideretur in ordine ad portiones tribuendas ijs inter quos tota diuidenda eſt, fieri e conuerſo, quia longitudo accipitur ab Oriente in Occidentem, & latitudo ab Aquilone in Auſtrum. Primi modi ratio eſt, quia Terra ſancta in ſe, & vt eam verè tenuerunt Iudæi, vel vt Abrahæ promiſſa fuit, longiùs ſe extendit ab Aquilone in Auſtrum, & minùs ab Ortu in Occaſum, ideoque in Scriptura ſacra illius longitudinis termini Aquilo & Auſter, latitudinis Oriens & Occidens, ſiue loca in his partibus conſtituta, aſſignantur, vt iam vidimus in præcedentibus, & iterùm videbimus. Ratio ſecundi modi eſt, quia quælibet pars in toto ſpatio Terræ promiſſæ aſſignata ijs quibus tribuenda erat, longiùs ſe extendit ab Oriente in Occidentem, minùs ab Aquilone in Auſtrum, vt manifeſtè in illius partitione apparebit. Et ita ſentiunt Lyranus initio cap. 45. Ezechielis, & Hector Pintus cap. 48.

Ioannes Mariana in ſuis Scholijs ſuper cap. 45. Ezech. 1. ſecundo noſtro modo refragatur. ſic enim dicit: *Porrò longitudo huius ſpatij non ab Ortu ad Occaſum ſumitur, vt quidam dicunt, ſed vt in tota prouincia à Meridie ad Septemtrionem, quod ex c. 48, 10. manifeſtum eſt. Sed parum refert, quia ſpatium eſt quadratum.* Et eodem loco vbi hæc habentur, *Hæ autem erunt primitiæ Sanctuarij Sacerdotum. Ad Aquilonem longitudinis*, &c. ita ſcribit: *Hebraicè non eſt Longitudinis, neque Septuaginta neque Chaldæus habent, ſed hoc tantùm, Ad Aquilonem viginti quinque millia; ſed benè ſuppletur. Et ex eo colligo, quod cap. 45. verſ. 1. diximus, longitudinem terræ oblatæ ſumi à Meridie ad Aquilonem.* Hæc ille.

Verùm enimuerò à priori ſententia recedendum non eſſe propter adducta à Mariana, arbitror, quia illi non officiunt: in adductis ſiquidem Prophetæ verbis non aſſignantur termini longitudinis ſecundum reſpectum vnius partis mundi ad alteram, vt Aquilonis ad Meridiem; ſed vnius ad eamdem ex vna parte, & ſimiliter ex alijs tribus. ſic enim illa habent: *Hæ autem*, &c. *Ad Aquilonem longitudinis viginti quinque millia*, hoc eſt, à parte Aquilonari, deducendo lineam ab Ortu ad Occaſum, erit ſpatium longitudinis viginti quinque millium. *Et ad mare latitudinis decem millia*, id eſt, à parte Occidentali, metiendo ab Aquilone ad Auſtrum, erit latitudo decem millium. *Sed & ad Orientem latitudinis decem millia.* hoc eſt, latitudo Orientalis lateris occiduo reſpondens, erit decem millium. Denique, *& ad Meridiem viginti quinque millia*, ſimiliter explicando. *Et erit Sanctuarium Domini in medio eius.* Ecce quomodo ſingula quatuor latera portionis Sacerdotum metitur Propheta non ex oppoſitis Orbis terminis Aquilonaribus, Meridionalibus, &c. ſed ex vno ad eumdẽ protrahendo lineam. Et conſequenter veritas ſecundi modi anteà propoſiti magis apparet, nimirum longitudinem Terræ promiſſæ in ordine ad portiones, quibus diſtribuitur, accipi ab Ortu ad Occaſum, & latitudinem ab Aquilone ad Auſtrum. Et ipſe Mariana cap. 48, 18. ad ea verba, *Decem millia in Oriente*, ait: *Hinc colligunt, longitudinem ſumi ab Ortu ad Occaſum, & fortaſſe verum eſt. Sed cùm area eſſet quadrata, verſ. 8. facilè longitudo pro latitudine ſumi poteſt, & è contrario.*

Diuiſio Terræ ſanctæ Ezechielis oſtenſa ab ea quæ facta eſt per Ioſue.

Tertium & vltimum notandum ſit, hanc Terræ poſſidendæ diuiſionem multipliciter differre ab illa quæ facta fuit tempore Ioſue, vt alias reticeam. In primis, quia in illa tota Terra diſtributa fuit in duodecim partes, iuxta numerum duodecim tribuum filiorum Iſraël; ſed in iſta excipitur Primò pars vna, quæ alijs tribuitur, præter alias partes quæ poſteà ijſdem tribubus aſſignantur. Secundò, quoniam illa ſorte facta fuit, non item iſta; nam diſtinctiſſimè modus illius diuiſionis præſcribitur. Tertiò, quia in illa fuit præceptum, vt pluribus daretur portio maior, & paucioribus minor: hæc autem diuiſio fit per portiones æquales inter duodecim tribus, poſt iam memoratam exceptam partem. Quod quomodo intelligi debeat, poſteà aliqualiter explicabitur. Quartò denique differunt, quantum ad diſtributionem ſitus; in illa enim tribus Iuda, quæ fuit bellicoſior, inquit Lyranus, accepit ſortem

tem in termino terræ verſus Auſtrum, & tribus Ephraim, quæ poſt illam fuit bellicoſior, verſus Aquilonem, vt ſic meliùs reſiſterent aduerſarijs volentibus ingredi Terram promiſſionis. In iſta autem aliter procedítur, vt ex dicendis in illius explicatione apparebit. His præmiſſis, ad intentam diuiſionem Terræ ſanctæ accedamus.

Hanc Terræ ſanctæ diuiſionem ab Ezechiele propoſitam & explicatam, vt meliùs intelligamus, illam priùs rudi modo proponemus, & ſchemate illuſtrabimus; poſteriùs eamdé magis verbis Prophetæ, & ſacrorum Doctorum interpretatione enucleabimus.

Tota Terra promiſſa in communi deſcribitur.

Igitur quantum ad prius, fingamus primò totam Terram poſſidendam velut ſpatium vnum quadratum, cuius ſingula latera reſpiciant quatuor mundi plagas, Septemtrionem, Auſtrum, Orientem & Occidentem. Deinde hoc quadratum diuidamus in tres præcipuas, ſed inæquales partes, ducendo lineas duas ab Oriente ad Occidentem, tres dictas partes conſtituentes, alteram ex parte Aquilonari, alteram ex Auſtrali, & tertiam inter has mediam. Et iſtæ tres partes diuidentur iterùm, Aquilonaris in ſeptem partes æquales, lineas deducendo ab Oriente in Occidentem, quæ erunt partes ſeptem tribuum ex duodecim. Et pro alijs quinque diuidetur eodem modo in quinque partes altera pars Auſtralis. Media præcipua pars ex tota terra ſelecta, diuiditur in quatuor partes, duas æquales, & duas inæquales. Ex his prima deputatur Templo & Sacerdotibus, ſecunda huic proxima & æqualis aſſignatur Leuitis; tertia, quæ hinc ſequitur, & in latitudine dimidio minor, deputatur ciuitati; & quarta denique adſcribitur Principatum tenenti: & hæc diuiditur in duas laterales partes æquales, quarum altera ſita eſt ad Orientem, altera ad Occidentem trium præmiſſarum partium, quæ in illus medio ſunt. Portio Principis diſtinguitur ab alijs, deductis duabus lineis ex lateribus aliarum portionum Sacerdotum, Leuitarum, & vi bis; & inter has duabus alijs deductis, tres aliæ ſecernuntur partes, vt in ſequenti ſchemate licet obſeruare.

AVSTER.

	PORTIO	GAD		
	PORTIO	ZABVLON		
	PORTIO	ISSACHAR		
	PORTIO	SIMEON		
	PORTIO	BENIAMIN		
ORIENS. PORTIO PRINCIPIS	PORTIO	VRBIS		PORTIO PRINCIPIS OCCIDENS.
	PORTIO	LEVITARVM		
	PORTIO	SACERD.		
	PORTIO	IVDA		
	PORTIO	RVBEN		
	PORTIO	EPHRAIM		
	PORTIO	MANASSES		
	PORTIO	NEPHTHALIM		
	PORTIO	ASER		
	PORTIO	DAN		

AQVILO.

Præmissa diuisio explicatur.

Ad posterius propositum nunc deuenimus, in quo peculiariter præmissa enucleanda sunt. Propheta Ezechiel pluribus agit de iam indicatis, cap. 45. 47. 48. & cap. 47. à versu 15. vsque ad 21. explicat extrema quatuor latera totius terræ possidendæ, Aquilonare, Orientale, Meridionale, & Occidentale, enumerans etiam aliquas ciuitates & loca quæ in prædictis lateribus & extremitatibus reperiuntur.

Terminus Aquilonaris terræ offensa.

Et loquendo de primo termino, scilicet Aquilonari, in isto deducitur linea in tractu Aquilonari, non, inquam, ex isto vlteriùs procedendo ad Aquilonem, sed ad latus eius, incipiendum est à Mari magno termino Occidentali per Hethalon, & procedendum per idem Aquilonare latus ad Orientem vsque ad atrium Enon terminum Damasci. Et in isto termino & tractu recensentur Hethalon & Sedada ciuitates tribus Dan. Et de Sedada mētio extat Num. 34,8. Emath est ciuitas, secundùm Hieronymum, posteà *Epiphania* dicta. Et notandum cum Lyrano, atrium Enon & Emath, quia sunt in confinio Damasci, & sub eius dominio, quasi pro eadem terminatione accipi. Ita habetur versu 15. 16. 17.

Terra Abrahæ promissa longior est quàm quæ ab Ezechiele descripta.

Ex hoc deduco, Terram Abrahæ promissam ex Aquilonari plaga multò longiùs se extendisse quàm quæ ab Ezechiele descripta est, quoniam illa vsque ad magnum fluuium Euphratem pertingebat, qui est supra Damascum ad Aquilonarem plagam, & ad decem vel duodecim dietas ab ea distat, vt Capite sequenti indicabimus.

Terminus Orientalis.

Versu 18. explicat terminum Orientalem similiter deducendum ac Aquilonarem, quod & in alijs extremis mensurandis obseruandum est respectiue. Igitur terminus Orientalis deducendus est à medio, id est, confinio Haran & Damasci per medium terræ Galaad, Israël, Iordanem, mare Tiberiadis vsque ad Mare mortuum; quod, quia est ad Orientem Ierosolymæ, mare Orientale, & terminus Orientalis Terræ promissionis appellatur.

Terminus Australis.

Terminum Australem notat versu 19. Hunc incipere inquit à Thamar, & percurrere vsque ad Cades in solitudine, (vbi populus iurgatus est propter aquæ penuriam, vnde locus *Aquæ contradictionis* nomen accepit, Numer. 20, 1. ad torrentem, id est, Ægypti, de quo 2. Paral. 7.) iuxta vrbem Rhinocoruram, vt Hieronymus ait, vsque ad Mare magnum siue Mediterraneum.

Thamar quid.

Sed quid est Thamar? Respondet hîc Mariana, esse vrbem Iericho, quoniam hæc *vrbs palmarum* vocabatur; Thamar verò *palma* est.

Hector Pintus ex D. Hieronymo dicit esse vrbem in solitudine, quæ posteà fuit *Palmira* nuncupata. Quę sentētia mihi magis probatur; quoniam Iericho collocanda est potiùs in tractu Orientali, qui definit in Iordanem & Mare mortuum, à quibus non longè abest Iericho, vt constat. Quare Iericho ciuitas non mihi videtur assignanda pro termino Australi Terrę sanctę ab Ezechiele. Is igitur erit Palmira, vrbs solitudinis supra Mare mortuum, ex qua vsque ad Mare mediterraneum, de qua 2. Paral. 8, 3. deducta linea statuitur termin⁹ Australis huius Terræ.

Palmira vbi.

Sed vbi statuenda est Palmira? Adrichomius in Manasse 2. numero 73. de hac vrbe agens, eam delineauit in tractu Aquilonari, & Orientali angulo Terræ sanctæ, & in Syria; sed in opposito situ statuendam esse in Arabiæ deserto, clarum est, si Palmira est Thamar Australis terminus Terræ sanctę ab Ezechiele descriptæ. Et sanè de ista vrbe loquitur Adrichomius, vt licet videre in illius declaratione.

Terra Ezechieli ostensa ab Abraha latior quàm Abrahæ promissa.

Hinc deduco, ex hac parte Australi terram Ezechieli ostensam latius patuisse quàm vel ea quæ à Iudæis possessa, vel à Deo Abrahæ promissa fuit; quoniam non, vt ista, se extendebat illa vltra Mare mortuum, ac solitudinem Ægypti, sed Mari mortuo claudebatur, vt iam vidimus.

Obiectio.

Contra hoc corollarium facilè quis posset argumentari, similiter se extendisse ex plaga Australi terram verè Iudæis traditam per Iosue, eamque occupasse tribum Iuda. Iosue enim 15, 1. vbi describitur portio huius tribus, & pars Australis, sequentia leguntur: *Igitur sors filiorum Iudæ per cognationes suas ista fuit. A termino Edom vsque ad desertum Sin contra Meridiem, & vsque ad extremam partem Australis plagæ. Initium eius à summitate Maris salsissimi, & à lingua eius quæ respicit Meridiem. Egreditur q́, contra Ascensum Scorpionis, & pertransit in Sina: ascenditq́, in Cadesbarne, & peruenit in Esron, ascendens ad Addar, & circuiens Carcaa, atque inde pertransiens in Asemona, & perueniens ad Torrentem Aegypti: eruntq́, termini eius Mare magnum. hic erit finis Meridianæ plagæ.* Sed *Sin*, & *Sina*, & *Cades* sunt supra Mare mortuum in Ægyptiaca solitudine & deserto: igitur Terra Iudæis sub Iosue tributa, similiter se extendebat ex plaga Australi, atque ea quæ descripta fuit ab Ezechiele.

Solutio.

Respondetur, loca memorata in Iosue alia esse à memoratis ab Ezechiele, licet ijsdem appellentur nominibus: illa extra terram possessam ab Hebræis, ista intra. Et ita oportet dicere; alioquin Moyses & alij fuissent in Terra sancta antequam in eam fuissent

Diuersa loca ijdem nominibus appellata.

ſent ingreſſi, quoniam antè in illis locis fuerunt: quod repugnat Scripturæ, docenti, Moyſen non fuiſſe Terram ſanctam ingreſſum, & Iſraëlitas nonniſi poſt illius mortem ad eamdem admiſſos fuiſſe, Iordane mirabiliter tranſmiſſo, vt patet Ioſue. 4. Et ita tradunt ſacri Interpretes. Lyranus, explicans iam priùs citata libri Ioſue verba, *Et pertranſit in Sina*, inquit: *Iſte non eſt mons Sinai, qui in pluribus locis in Scriptura vocatur Sina; quia ſors Iudæ non ibat vſque ad illum locum; ſed ſignificat deſertum Sin, de quo facta eſt mentio in principio huius ſortis. Et hoc magis patet in Hebræo, quia Sina quando accipitur pro monte Sinai, in quo data eſt lex, ſcribitur per Samech litteram in principio; prout autem accipitur pro deſerto Sin, ſcribitur per Zade.* Idem hîc Mariana in Scholijs, & Numer. 20, 1. Similiter *Cades*, cuius fit mentio in Ioſue, erit alius locus à memorato ab Ezechiele. Et fortè ad id inſinuandum *barne* appoſitum eſt in Ioſue: nam plura fuiſſe loca eo appellata nomine, tradit ex alijs Lyranus Num. 20. Et vt loca, de quibus Ezechiel, erant in magna Ægypti ſolitudine, vt docent Interpretes; ita citra illam, & in Terra ſancta vere Iudæis diſtributa, apud Ioſue memorata; & conſequenter verum adductum corollarium, &c.

Quòd ſi non placet latiùs extendere vſque in deſertum Ægypti terram ab Ezechiele deſcriptam, nec maiorem illâ facere quam vere ſub Ioſue tenuerunt Iſraëlitæ, poteſt breuiter ſic dici: Cùm Propheta ait, *Plaga autem Auſtralis meridiana à Thamar vſque ad aquas contradictionis Cades*, vult dicere, partem hanc non ſe intra deſertum vſque ad Cades & ad aquas contradictionis extendere, ſed citra ad terminum, dictum ſolitudinis locum reſpicientem, & ex oppoſito habentem.

Eccleſia Synagogâ maior.

Sed primum mihi magis placet, & myſterium portendit, Catholicam Eccleſiam Synagogâ maiorem futuram, & in Ægypto per Chriſti aduentum eximia incrementa ſuſcepturam, vt verè ſuſcepit.

Terminus Occidentalis.

Verſu porrò 20. præſcribit Propheta terminum Occidentalem hiſce verbis: *Et plaga Maris*, id eſt, occidua, *Mare magnum à confinio per directum donec venias Emath, hæc eſt plaga Maris*, ſcilicet Occidentalis. Mare noſtrũ *Occaſum* vocant ſacræ Litteræ, quoniam in tali ſitu eſt reſpectu Ieroſolymç. Vult ergo dicere, à confinio, ſiue vt eſt Hebraicè, *à termino*, ſcilicet Maris Iudaici, vſque ad Emath, non eſſe vrbem illã de qua ſuprà, quæ longè diſtat à Mediterraneo mari, ſed alteram in littore huius: hîc enim oportet eſſe, vt ſit Occidentalis terminus, ait Lyranus. Vel ſi hoc non placet, quoniam talis maritimæ vrbis mentio alibi non inuenitur, dicatur cum Mariana, vſque ad littus, quod obiectum eſt Emath, & eam è regione habet. Non improbabiliter etiam poſſet dici, Emath accipi pro regione, de qua Capite ſequenti. Et intra indicatos terminos tota clauditur apud Ezechielem Terra promiſſa Hebræis, & inter eos diſtribẽnda, vt ibi ſubdit ſacer Vates. Iam ad id quod docet cap. 45. accedamus.

Terra quomodo diſtribuenda.

Dicit itaque hîc verſu 1. *Cùm ceperitis terram diuidere ſortito.* hoc eſt, Cum, ô Iudæi, Deus vos è Babylonica captiuitate liberauerit, & ad promiſſam Terram perduxerit, diuidetis eam, non quidem caſu & fortuito, ſed menſurando partes ſingulis tribuendas, ſecundùm diuinum mandatum.

Media partis declaratio.

Pergit ibi Propheta explicare partem illam mediam ex tota latitudine ſingulariter ſelectam, cuius explicationem repetit, & in aliquibus magis explicat cap. 48. à verſu 8. vſque ad 22. Et primò primam partem ex illius quatuor notatis portionibus, id eſt, Domini, & Sacerdotalem. *Separate*, inquit cap. 45, 1. *primitias Domino*, hoc eſt, ſeligetis partem terræ pro Sacerdotibus. Et hæc pars *primitia* vel *ſancta* appellatur, tum quia Sacerdotes ſunt ſingulari cultu Domino mancipati, tum quia in ea erat Templum Domini ædificandum. Pergens explicare longitudinem & latitudinem huius portionis, ait, *Longitudine viginti quinque millia, & latitudine decem millia*, aut cubitorum, aut calamorum; non enim explicat. Calamorum potiùs, inquit hîc Mariana. S. Hieronymus, Lyranus & Pintus menſuram calamorum intelligunt. Quare idem Mariana cap. 48, 10. vbi de eadem menſura agitur, ait: *Num calami, aut cubiti? Hieronymus calamos ſupplet his locis, vbi hæc millia in contextu ponuntur in ſuis Commentarijs. Id ſequamur. tametſi ampliſſima ſpatia videntur mihi, & quæ tota promiſſionis Terra ſua latitudine vix capiat.* Credo ego, veriſſimũ eſſe dictum Marianæ, ſi menſura Templo à Salomone extructo, & ab alijs reparato, Terræque ſanctæ à Iudæis poſſeſſæ, vel Abrahæ promiſſæ, aptetur. Fortè Doctores illi conſiderauerunt in ſtructura Templi, & deſcriptione vrbis ac totius Terræ ſanctæ, amplitudinem Catholicæ Eccleſiæ, quæ maiori calamorum quàm cubitorum menſura repræſentatur; & nos eoſdem hîc ſequamur.

Sacerdotalis portio.

Menſura duplex, communis, & Sanctuarij.

Sed quid cubitus & calamus menſuræ, quibus metienda eſt Terra ſancta cum ſuis partibus? Lyranus in cap. 40. Ezechielis, & ibidem alij Interpretes, notant, menſuram duplicem eſſe, communem, & Sanctuarij, & hanc illâ maiorem, ex libris Exodi, Leuitici, Numerorum & Deuteronomij. Iam ad propoſitum. Cubitus vulgaris ſiue communis

Cubitus vulgaris quid.

munis eſt quinque palmorum longitudinis: & palmus in iſta menſuratione non accipitur ſecundùm menſurationem manus extenſæ, ſed clauſæ, pro quantitate videlicet quatuor digitorum ex tranſuerſo. Cubitus verò Sanctuarij ſex continebat palmos. Calamus autem communis continet ſex communes cubitos, & calamus Sanctuarij ſex cubitos ſacros; & de his intelligendus eſt Ezechiel. De his menſuris plura Villalpandus Tomo 2. par. 2. lib. 3. cap. 12. Pars iſta ſacerdotalis ſecundùm totam ſuam latitudinem reſpicit Aquilonem, ſecundùm latitudinem Ortum & Occaſum. In ea triplex pars aſſignatur; altera pro Templi ſtructura, pro ſuburbijs altera, & tertia pro Sacerdotum habitatione. Templi portionem explicans Propheta verſu 2. ait: ***Et erit omni ex parte ſanctificatum quingentos per quingentos, quadrifariàm per circuitum.*** id eſt, ex indicata portione Sacerdotum vna pars accipietur, quæ *ſanctior* dicitur, quoniam electa pro Templi ſtructura: & hæc pars quadrata erit per gyrum, cuius quodlibet latus quingentos habebit calamos, vt habetur Ezech. 42, 16. & hîc erit murus exterior, totum ædificium, id eſt Templum cingens.

Et quid Sanctuarij.

Calamus quid.

Proſequitur Vates: ***Et quinquaginta cubitis in ſuburbana eius per gyrum.*** In his verbis pomœrij Templi conditio exprimitur; vultque dicere Ezechiel: Erit extra Templum ſuburbium quoddam, cingens totum illud: in quo pomœrio vel ſuburbio nulla erit domus, nulla arbor; ſed erit veluti circus in Templi reuerentiam & eius aſpectum accommodatum; qui circus habebit in latitudine cubitos quinquaginta per gyrum. Pro *ſuburbano* habent Septuaginta *ſpatium*, hoc eſt, atrium vacuum.

A ſpatio quingentorum calamorum vbi Templum erat ædificandum, & extra aliud pomœrij vbi nulla erant ædificia, intra tamen locum ſanctum, ſiue Sacerdotum, erant habitacula pro iſdem Sacerdotibus. Et hoc indicat Propheta verſu 4. dicens: ***Et erit eis locus in domos, & in Sanctuarium ſanctitatis.*** vbi Lyrenſis: ***Ex quo patet, quòd excluditur ſpatium quinquaginta cubitorũ prædictorum, vbi non eſt ædificandum.*** Igitur cùm communes Sacerdotum domus non eſſent in ipſo Templo, extra ipſum & ſuburbia, intra tamen ſpatium Sacerdotibus aſſignatum, eſſe debebant. Et hæc de prima parte mediæ præcipuæ portionis totius Terræ ſanctæ ab Hebræis poſſidendæ.

Leuitarum portio.

Sequitur ad præmiſſam primam Sacerdotum partem ſecunda portio mediæ indicatæ præcipuæ partis, quæ traditur Leuitis. Hæc eiuſdem longitudinis & latitudinis eſt cum præcedenti Sacerdotum, vt indicat Ezechiel eodem cap. 45, 5. dicens: ***Viginti quinque autem millia longitudinis, & decem millia latitudinis erunt Leuitis, qui miniſtrant domui: ipſi poſſidebunt viginti gazophylacia.*** ex nonaginta videlicet quæ erant in Templo, vt aliqui dicunt.

Vrbis portio.

Sequitur hanc ſecundam partem Leuitarum tertia pro ciuitate ædificanda, de qua inquit Ezechiel verſu 6. ***Et poſſeſſionem ciuitatis dabitis quinque millia latitudinis.*** hoc eſt, Separabitis terræ portionem ciuitati condendæ, ipſiuſque miniſtris & ſeruitoribus, quæ dimidio minor erit in latitudine portione Sacerdotum & Leuitarum. Vult Deus eſſe vrbem Sacerdotalem, ac ideò, præter miniſtros, vult paucos alios in ea habitare. Quantum tamen ad longitudinem, vult duabus alijs portionibus eſſe æqualem, ideò ſubdit: ***Et longitudinis viginti quinque millia, ſecundùm ſeparationem Sanctuarij omni domui Iſraël.*** hoc eſt, è regione portionis Sacerdotum & Leuitarum. vel æqualem portionem in longitudine portioni Sanctuarij eligetis, in qua ædificabuntur pro ciuibus & alijs Iſraëlitis domicilia.

Vrbis portio quare profana.

Capite 48, 15. agens Propheta de hac ipſa vrbis portione, aſſignat in ea tres particulares partes, ciuitatem, ſuburbia, & agros, quæ omnes dicuntur profanæ, non abſolutè quòd immundæ eſſent, ſed aliarum partium Sacerdotum & Leuitarum comparatione, & quia laicorum erant, & quilibet in illis poſſet habitare; aliàs enim mundæ erant, quia ciuitas ſancta. Situm deinde & menſuram harum partium explicat, & primò ciuitatis, dicens: ***Et erit ciuitas in medio eius,*** indicatæ ſcilicet portionis, quæ media eſt inter portionem Leuitarum & portionem tribus Beniamin. Forma & menſura eius erit in quadro æquilatero. In quolibet latere erant portæ tres, & ita in vniuerſum duodecim, iuxta numerum duodecim filiorum Iſraël, quorum nomina erant in eis inſcripta verſu 31. ſicut & in ciuitate quam vidit S. Ioannes Apocal. 21, 12.

Notat benè Mariana verſu 32. Ezechielem duas tribus Ephraim & Manaſſe in vnam iungere, id eſt Ioſeph, vt Leui locus relinquatur in portarum vrbis nominibus. Quodlibet vrbis latus reſpicit vnam ex partibus mundi, continetque quatuor millia calamorum & quingentos, vt ſtatim ſubdit Ezechiel. Vnde verſu 35. dixit, ambitum ciuitatis eſſe decem & octo millium, & ex conſequenti decem & octo mille cubitorum: nam, vt anteà monuimus, quilibet calamus ſex continet cubitos. Ex hoc euidenter deducitur, quòd cùm tota illa portio, in qua erat ciuitas, haberet in latitudine quinque millia calamorum, vrbem ipſam

non

non implere totam portionem; ſupererant enim quingenti calami, nempe ducenti & quinquaginta ex vna parte ciuitatis quæ erat ad Aquilonem, & alij ducenti quinquaginta ex altera parte quæ erat ad Meridiem: quibus tot ſimili modo aſſignatis ex Ortu & Occaſu, conficiebantur ſuburbana ciuitatis, ſeu, vt Hebræi volunt, pomœrium circùm mœnia, quod neque ædificabatur neque arabatur, ſed ad ſolatium voluptatemque à ciuibus capeſſendam deſtinatum erat; & explicat Propheta verſu 17. Hinc etiam apparet, quantò ſit maius ſuburbanum ciuitatis Templi ſuburbano: nam ſuburbanum ciuitatis continebat ex qualibet parte ſeu quadro ducentos & quinquaginta calamos, Templi verò ſuburbanum quinquaginta tantùm cubitos, vt iam vidimus. Et hæc de prima & ſecunda parte portionis vrbis, vrbe inquam ipſa, & ſuburbijs.

Tertia pars eiuſdem portionis continebat agros, ex quibus victus colligebatur pro ſeruientibus & miniſtris ciuitatis. Horum ſitum & latitudinem explicat Propheta verſu 18. hiſce verbis: *Quod autem reliquum fuerit in longitudinem ſecundùm primitias Sanctuarij, decem millia in Orientem, & decem millia in Occidentem, erunt ſicut primitiæ Sanctuarij: & erunt fruges eius in panes his, qui ſeruiunt ciuitati.* Tota ciuitas cum ſuburbanis ab Aquilone ad Meridiem habebat in latitudine, vt diximus, quinque mille calamos, & totidem à parte Orientis & Occidentis. Sed cùm portio illa ciuitatis haberet in longitudine viginti quinque mille calamos, manebant viginti mille, decem mille ex Oriente, & alij decem mille ex Occidente. Hæc autem duo ſpatia deſtinata erant ijs qui ſeruiunt ciuitati. Et quoniam hæ duæ partes erant è regione terræ Leuitarum & Sacerdotum, quam appellat *primitias Sanctuarij*, ideò ait, *Quod autem reliquum*, &c.

Expedita explicatione trium partium præcipuæ illius mediæ portionis totius Terræ ſanctæ, Sacerdotum videlicet, Leuitarum, & vrbis; reliquum eſt, vt, antequam cetera proſequamur, abſoluamus eiuſdem portionis quartam & poſtremam partem, id eſt Principis. De ea ſic ait Ezechiel cap. 45. 7. *Principi quoque hinc & inde in ſeparationem Sanctuarij, & in poſſeſſionem ciuitatis, contra faciem ſeparationis Sanctuarij, & contra faciem poſſeſſionis vrbis, à latere Maris vſque ad Mare, & à latere Orientis vſque ad Orientem. Longitudinis autem iuxta vnamquamque partem à termino Occidentali vſque ad terminum Orientalem. De terra erit ei poſſeſſio in Iſrael.* En portio terræ Principi danda in duas diuiditur partes, quarum vna ſita eſt ex Orientali, altera ex Occidentali plaga aliarum portionum, Sacerdotum, Leuitarum, & vrbis; eruntque ita illæ diſpoſitæ, vt portiones aliæ ſint in illarum medio conſtitutæ. Voluit huius partis diſpoſitione indicare Dominus, debere Principes Sacerdotibus rebuſque Eccleſiaſticis fauere, ſubditoſque alios fouere & protegere, legique Dei obtemperare. Longitudo vtriuſque partis tanta erit, quanta trium proximarum partium latitudo, id eſt, viginti quinque millia. De latitudine nihil dicit, inquit Mariana, nec etiam cap. 48, 21. vbi fit mentio eiuſdem portionis. In iſto tamen loco putat hic Auctor eſſe viginti quinque millium, quantum à Meridie ad Septemtrionem patebat terra Sacerdotibus & Leuitis deſignata verſu 10.

In duas partes diuiſa, Orientalem & Occidentalem.

Principes debent Eccleſiaſticis fauere, & omnes protegere.

Hector Pintus in cap. 48. de hoc inquit: *Extenditur autem portio Principis à latere Orientali harum trium portionum vſque ad terminum Orientalem totius terræ Iſraëliticæ, & à parte Occidentali vſque ad Mare Mediterraneum.* Idem hîc Lyranus. Et hoc eſt veriſſimum: quoniam cùm tota Terra tribuenda eſſet Sacerdotibus, Leuitis, vrbi Principatum tenenti, & duodecim tribubus; iamque alibi ſit ſua portio aſſignata Sacerdotibus, Leuitis, & vrbi, vt iam vidimus, & alia aſſignanda tribubus remaneat ad plagam Aquilonarem & Auſtralem, vt poſteà videbimus; reliquum eſt, vt illa pars, quæ remanet ab Orientali parte Sacerdotum, Leuitarum, & vrbis, vſque ad terminum Orientalem totius terræ Iſraëliticæ, & à dicta parte, ſed ab Occidentali termino vſque ad Mare Mediterraneum, Principi deputetur. Tantam poſſeſſionem voluit Deus habere Principes, ne depopularentur populum, vt pluribus proſequitur idem Vates. Quod vtinam cogitarent, & in corde abſconderent Chriſtiani Principes! nam illorum negotia melius ſuccederent, & mitiùs habiti ſubditi, meliùs etiam inſeruirent.

Principes dotati à Deo, ne grauent ſubditos. Ezech. 45. à verſu 8. vſque ad finem cap.

Principis portio.

Ex portionis huius mediæ explicatione duo habemus: alterum, tres illas partes, Sacerdotum, Leuitarum, & vrbis ſimul iunctas efficere vnum quadratum, quod in longitudine habet viginti quinque millia calamorum, & totidem in latitudine. Nam decem millia Sacerdotum, & decem milia Leuitarum, cum quinque millibus ciuitatis, efficiunt viginti quinque millia. Alterum eſt, cùm hæ tres partes habeant ex vtraq; parte Orientali & Occidentali portionẽ Principis, has quatuor partes ſimul iunctas efficere vnam portionem, quæ à Meridie ad Aquilonem occupet viginti quinque millia calamorum, ſed ab Oriente ad Occidentem multò plures, nempe tot quot habet portio cuiuſcumque

Digitized by Google

cumque tribus, de qua posteà, & in schemate patet. Et hæc de media portione totius Terræ sanctæ.

Duarum aliarum terræ præcipuarum partium enucleatio.

Ad alias duas præcipuas eiusdem Terræ portiones, Aquilonarem & Australem, in duodecim Israëliticas tribus distribuendas, nunc accedamus. Capite 47, 13. diluit Propheta obiectionem, quam quis posset facere. Vndecim tantùm sunt capita tribuum, & consequenter totidem erunt tribus inter quas tota Terra tribuenda est: nam Leui, quæ duodecimam constituit, in Scriptura non computatur inter illas, cùm de distributione Terræ possidendæ agitur, præsertim in ista Ezechielis, vbi in media iam explicata portione sua sit illi pars assignata, duplex inquam illa Sacerdotum & Leuitarum.

Difficultatis solutio.

Respondet, quòd Ioseph duplicem funiculum, id est, duas portiones habeat. Nam, vt 1. Paral. 5, 1. habetur, ius primogeniti ablatum Ruben datum est Ioseph; primogeniti autem ex paterna hereditate duas portiones obtinebant. Sic filijs Ioseph, Manasse & Ephraim, duas tribus constituentibus (quia illos in filios adoptauit Iacob, Genes. 48.) duæ portiones sunt datæ, Iosue 17, 17. Quare licet Leui inter duodecim tribus, quibus distribuendæ sunt duæ indicatæ præcipuæ partes Terræ possidendæ, haud numeretur; non ideò sequitur, inter duodecim partiales partes iuxta numerum duodenarium tribuum, Terram non esse partiendam.

Duæ præmissæ partes duodecim tribubus æqualiter distribuendæ.

Sed qualiter tota illa terra partienda est, per partes æquales, an inæquales? Per æquales. *Possidebitis autem eam singuli æquè vt frater suus*, subdit Vates versu 14. id est, in æquales partes diuidetis; contrà enim quàm tempore Iosue, quando maiori tribui plus terræ datum fuit, nunc æqualitatem inuehit. Et eam æqualitatem credit Mariana non inter tribus esse, quia esset iniquum, sed inter singulos. nam Hebraicè est, *Et possidebitis eam quisque vt frater eius.*

Huic interpretationi videtur refragari Ezechiel in distributione portionum terræ: in ea siquidem non inter singulos tribuum fit distributio, esset enim illud nimis operosum, ne dicam impossibile; sed inter singulas tribus, vt videbimus. Etsi fieret modo explicato à Mariana, non differret à diuisione facta tempore Iosue; & tamen in eo hanc ab illa differre, nemo est qui neget. Nec sic dicere vel facere, iniquum est: quoniam cùm Terræ sanctæ datio fuerit gratuita, potuit à Deo ad libitum tribui, absque alicuius iniuriæ & iniustitiæ nota. Imò in eo se iustum exhibuit Deus, & non acceptorem personarum, dum æqualem partem singulis tribubus distribuit.

Præmissa distributio iusta.

Dicerem etiam, præscriptam istam diuisionem aliter fieri, ac facta fuit illa alia à Moyse & Iosue: in illa enim extra fratres filios Iacob fuerunt in partem electi duo filij Ioseph, Ephraim & Manasse, ablato à Ruben primogeniti iure; sed in ista distributio facienda erat in iam indicatas tribus, quas immutare nemini licitum fuisset. Et fortè adducta Hebraica lectio id præ se fert.

Deinde, vt in humana politia non iniquum, sed iustum censetur, patrem pluribus suis filijs æqualem relinquere hereditatem, etsi isti æquales non habeant filios, & illi nepotes; ita in diuina politia simile facere iustum erit: ac proinde non iniquè, sed optimè fecit Deus, dum in duodecim illos Patriarchas, quos velut dilectos filios sibi adoptauit, totam Terram sanctam æqualiter distribuit, qui deinde, industria & sollicitudine addita, saluti consulerent filiorum. quoniam, vt ait Apostolus, debent patres thesaurizare filijs. 2. Cor. 12, 14.

Notandum hìc etiam, partes præmissas in duodecim portiones distribuendas quantum ad longitudinẽ mensurari, ducta linea ab Oriente in Occidentem, latitudinem verò ab Aquilone in Austrum. Item, has partes excedere longitudine aliorum portiones: nam tres illæ, Sacerdotum, Leuitarum & vrbis, erant longitudinis viginti-quinque millium calamorum; & ideò, iuxta dictas tres portiones, ab Orientali plaga vsque ad Orientalem terminum terræ Israëliticæ, remanet magna portio terræ, & similiter versus Occidentem. Igitur, excepta portione Principis, quæ à termino dictarum partium Orientali & Occidentali protenditur ad Orientem & Occidentem Terræ promissæ, aliud spatium, quod remanet ab Aquilone & Austro prædictarum partium vsque ad iam suprà assignatos totius terræ terminos, distribuendum erit duodecim Israëliticis tribubus. Ex his ad intentum.

Partis Aquilonaris diuisio.

Diuisio partis præcipuæ totius Terræ sanctæ, & Aquilonaris, notatur Ezechielis capite 48, 1. Ista pars diuiditur in septem portiones, tribuendas septem tribubus ex duodecim. Prima portio accipitur in ipso extremo Aquilonari latere totius terræ diuidendæ, & assignatur tribui Dan: à finibus Aquilonis iuxta viam Hethalon, &c. notantur loca, quæ in ista portione sunt. Ad hanc reliquæ sequuntur, ordine quo hìc subijciuntur, vsque ad Iuda, quæ mediæ parti & Sacerdotum portioni copulatur. Secunda portio tribui Aser adscribitur, tertia Nephthalim, quarta Manasse, quinta Ephraim, sexta Ruben, & septima denique Iudæ.

De parte altera præcipua terræ Iudaicæ Australi,

Australis partes diuisio.

Australi, in quinque partes diuidendæ pro alijs quinque tribubus, agit facer Vates eodem capite 48, 23. & in ista assignatione non ab extremo latere incipit, vt fecerat in præcedenti, sed immediatè ad partem vrbis prosequitur vsque ad terminum Australem dictas assignare partes. Prima, vrbi proxima, tribui Ephraim, secunda Simeon, tertia Issachar, quarta Zabulon, quinta denique Gad assignatur; & in ista terminatur totius terræ possidendæ Australe latus. Et hæc satis de diuisione Terræ sanctæ à S. Ezechiele præmonstrata: qui plura scire desiderat, illius consulat Interpretes.

Hîc prætermittendas non arbitror nonnullas morales considerationes, quas præter alias suggerit adducta ab Ezechiele Terræ sanctæ distributio. Et in primis ex eo, quòd portio Sacerdotum in medio reliquarum posita sit (vt enim suprà positum schema consideranti patere potest, ab Aquilone habet septem portiones septem tribuum, & ab Austro portiones totidem, quinque videlicet pro quinque alijs tribubus, & duas alias, Leuitarum alteram, alteram vrbis; ex alijs partibus verò, Orientali & Occidua, portiones Principis, & omnium similiter tribuum, vt explicuimus) ex hoc, inquam, duo deduco: alterum, quod Ecclesiasticos Præsules, alterum, quod ceteros alios in vniuersum respicit Ecclesiasticos & sæculares subditos.

Prælatis omnibus verbo & exemplo prælucere debent.

Quod illos, Præsules nimirum Ecclesiasticos respicit, est, quòd debeant esse in medio omnium, vt in cælo Sol est in medio planetarum, & cor est in medio humani corporis, vt omnibus verbo & exemplo præluceant, opem ferant, ac circumstantes subditos vitâ & doctrinâ viuificent. Exemplum salutiferæ huius institutionis nobis reliquit Christus Dominus summus Sacerdos & Pontifex, dum in terris agens, semper medium tenere voluit. In media nocte, & in medio duorum animalium natus agnosci voluit, in medio Doctorum à suis parentibus inueniri; in medio terræ, & inter duos latrones, nostram salutem operatus fuit; & post Resurrectionem suam in medio suorum discipulorum voluit inueniri; vt omnibus bona sua secundùm iustitiam & æqualitatem, quæ in medio consistit, administraret.

Omnes ab Ecclesiastico Præsule pendere debent.

Alterum, quod vtrumque statum, tam Ecclesiasticum quàm sęcularem, attinet, est, quòd à Præsule omnes velut à capite pendere, in illum oculos conijcere, illumque circumdare debeant, omni modo possibili eum fouendo, eique opem ferendo; & vt inter ipsos sit mutuum auxilium, quemadmodum accidit in capite, corde, aliisve partibus humani corporis, quæ sibi inuicem auxiliantur, vt docet S. Apostolus. Hoc vel animalia, inter quæ natus fuit Christus; vel Doctores, inter quos apparuit; latrones, in quorum medio fuit crucifixus; vel discipuli & alij fideles, qui ante & post Resurrectionem eius circumsteterunt eum, præmonstrare voluerunt.

Ad hæc, quòd Sacerdotum & Templi portio ad Aquilonem posita sit, vt monstrauimus, & indicauit Ezechiel cap. 48, 10. duo insuper mihi suggerit: alterum, quod Dei singulariter respicit bonitatem, & bonorum Prælatorum vtilitatem; alterum, quod malorum Prælatorum respicit damnum. Illud: quoniam, cùm ab Aquilone pandatur omne malum, Ierem. 1, 14. voluit Deus contra malum opponere medens bonum, Prælatos nimirum & Sanctuarium; ex his enim prouenit salus. Ideò & Christus Prælatorum caput, cui à Patre data fuit omnis potestas in cælo & in terra, Matth. 28, 18. missus fuit vt mederetur contritis corde, Lucæ 4, 18.

Prælati mederi debent subditorum infirmitatibus.

Adde hîc, quòd cùm latera Aquilonis sint ciuitas Regis magni, Psal. 47, 3. & ex hac parte designauerit Deus locum Sacerdotum, præmonstrare voluerit, Sacerdotes, & præcipuè Summum Pontificem, maximum locum in sancta Ecclesia, per Terram sanctam præfigurata, & hîc in terris tenere; ac proinde illis vt Christo obtemperandum esse, quemadmodum posteà ipse ad suos Apostolos, sanctæ Ecclesiæ Principes, conceptis verbis dixit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Lucæ 10, 16.

Pontifex Summus primum locum in Ecclesia tenet.

Alterum est, quòd, cùm ab Aquilone pandatur omne malum, & ex hac parte Sacerdotes collocentur, hinc excogitandi ansam sumamus, à malis Sacerdotibus & Præsulibus totius mundi ruinam pendere. Et hoc infrà Capite xcv. non sine ratione explicamus.

Mali Sacerdotes, ruina populi.

Denique apud Sacerdotes Templum statuitur, quoniam in ipso assiduè morari, & ex ipso responsa, id est, ex Deo sacram doctrinam subditis suppeditandam haurire debent. Pro hoc vide Pintum in Ezechielem ad ea verba capitis 45, 3. *Et in ipso erit templum*, &c.

Ecclesiastici sint in templo assidui.

CAPVT XXIV.

De longitudine ac latitudine Terræ promissionis.

QVandoquidem in præcedentibus vidimus, quomodo terra Chanaan in possessionem Iudæorum venerit, & inter ipsos primò verè distributa fuerit, & postmodum

dum denuò iussu Domini diuisa, quamuis ea diuisio minimè executioni mandata fuerit; necessarium iudicauimus ad maiorem materiæ, quam tractamus, dilucidationem, aliqua subijcere de eiusdem terræ quantitate, qualitate, & situ. De quantitate Capite præsenti; de qualitate & situ in alijs proximè sequentibus Capitibus agemus.

Quantum igitur ad prius propositum, vt illud plenè intelligamus, tria iterùm obseruanda sunt: primum, terminos Terræ promissionis in Scriptura sacra non vno semper modo assignari; alterum, eamdem regionem vel prouinciam posse nos metiri secundùm variam illius terminationem; tertiò denique explicãdi erunt varij termini Terræ promissionis, quorum fit mentio in sacris Litteris.

Terra promissa longitudinis & latitudinis terminis diuersimodè assignati.

Quoad primum dico, longitudinis & latitudinis terminos Terræ promissionis non vno semper modo, sed pluribus assignari in sacra Scriptura: latissimi enim aliquando, & alias angustiores eius præscribuntur termini. Latissimi delineantur Gen. 15, 18. Exodi 23, 31. Iosue 1, 3. & alibi, à fluuio Ægypti vsque ad fluuium magnum Euphratem: isti sunt huius terræ latissimi termini. Angusti verò termini assignantur 3. Regum 4, 20. Amos 6, 3. & ferè Num. 34, 2. videlicet ab introitu Emath vsque ad riuum siue torrentem Ægypti; sunt enim isti angustiores: nam ab Emath (quod inter Euphratem & riuum Ægypti includitur) vsque ad Euphratem magnus est terrarum tractus. Et similibus terminis ferè, & fortè angustioribus, sub alijs nominibus Terræ sanctæ quantitas declaratur, à Dan scilicet vsque Bersabee; & hoc modo frequentissimè, vt 1. Reg. 3, 20. 2. Reg. 3, 10. 17, 11. 3. Regum 4, 25. & alibi. Nec in diuersis hisce assignationibus ideò aliqua dissonantia vel contrarietas excogitanda est, sed omnimoda vniformitas, vt ex dicendis intelliges.

Duplex Terra promissa consideratio, vt Abrahæ promissa, & vt ab Hebræis possessa.

Quoad secundum, distinctionem videlicet Terræ promissionis, prout eam ponit D. Augustinus libro Quæstionum in Iosue, quæst. 21. dico, Terram promissionis dupliciter considerari posse; Primò, vt Abrahæ fuit à Deo promissa, à fluuio Ægypti vsque Euphratem, quam sibi proprijs viribus, vel electis habitatoribus, vel tributarijs effectis, subijcere debebant filij Israël. Secundò, vt septem illas gentes Chananæorum, quas statim enumerabimus, continebat, in qua Deus, deletis de illa illis gentibus, Hebræos habitare voluit. Et hæc terra vocari solet *terra Chanaan*: nec fuit amplior quàm à Dan vsque Bersabee, vel ab introitu Emath vsque ad fluuium siue torrentem Ægypti. Hanc distinctionem elicit D. Augustinus ex illis verbis Deut. 20, 10. *Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumq; tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini est, in ore gladij, absque mulieribus & infantibus, iumentis & ceteris quæ in ciuitate sunt. Sic facies cunctis ciuitatibus quæ à te procul valdè sunt, & non sunt de his vrbibus quas in possessionem accepturus es. De his autem ciuitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere, sed interficies in ore gladij, Hethæum videlicet, & Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.* Verba Augustini hîc non subijcio, breuitatis causâ.

Cui obseruationi adde, vnius & eiusdem prouinciæ nos posse varios terminos obseruare, vel in diuersis illius partibus, communiter enim non erit vbique æqualis; vel includendo partes quæ aliquando illius fuerunt; vel etiam excludendo, quòd ab illius domino & habitatoribus fuerint deperditæ, aliáve de causa, quia tunc termini absque dubio variantur. Poterunt tamen aliquando in eodem tractu & linea assignari varij termini; & tunc non erit differentia distantiæ inter ipsos, propter terminorum conuenientiam & propinquitatem: vt si assignetur distantia inter Ierusalem & ciuitatem Tiberiadis, & inter Ierusalem & mare Galilææ, erit persimilis distantia, propter Tiberiadis & maris vicinitatem. quare nulla erit diuersitas vel contrarietas, dicere exempli gratiâ, inter Ierusalem & Tiberiadem esse spatium octoginta milliarium, & totidem inter Ierusalem & mare.

Termini regionum etiam eiusdem tractus varij esse possunt.

Quoad tertium, explicandum est quid sit *fluuius magnus Euphrates*, quid *fluuius Ægypti*, quid *introitus Emath*, quid *Dan*, quid *Bersabee*, termini Terræ promissæ. Et horum cognitio proderit non solùm proposito nostro, sed etiam pluribus alijs.

Euphrates, vt ab isto ordiamur, est fluuius à terrestri paradiso cum tribus alijs emanans, vt sacra Scriptura Gen. 2, 10. testatur; qui tamen mox à terra absorpti, post longum subterraneum decursum, tandem ex montibus Armeniæ maioris, multorum à se millium passuum interuallo, rursum emergunt, vbi Plinius, Ptolomæus, alijque gentiles Cosmographi eos primùm oriri putauerunt, vt obseruauit Adrichomius in Manasse 2. num. 93. sequentia de isto flumine scribens: *Euphrates, siue Eufrates, Hebræis Perath seu Parath dicitur, cuius nominis vis*

Euphrates vnalis fluuius.

Ex terrestri paradiso oritur.

Digitized by Google

vis apud nos fecunditatem atque fructuum abundantiam significat. Apud Ezechielem Prophetam fluuius hic Chobar, & Hebraicè Chebar vocatur, iuxta quem idem Propheta se visionem vidisse asserit. Iosephus & recentiores accolæ patrio vocabulo Phora, Fora, vel Foras modò appellant. Hic Tigride multò maior est, atque plus terræ obit. Nam ab eo loco, vbi in Armenia maiore erumpit, celer & fremens Cappadociam rectà petit. Vnde se flectens, post ducenta passuum millia Taurum montem, quamquam duodecies mille passuum molem ei obiciat, fracto nonnihil cursu perrumpit. Ita natura (inquit Plinius) dimicatio illa æquatur, hoc eunte quò vult, illo prohibente ire quà velit. Hinc saxosus & violentus Mesopotamiam præterlabens, diuersa oppida alluit, nimirum Epiphaniam & Antiochiam, quæ ad Euphratem vocantur, item Zeugma, Apamiam, Seleuciam, & Vram; Babylonem verò mediam secat. Quam procul trangressus, tandem defertur in Persicum mare, quod in sacris Litteris Mare rubrum vocatur. Hæc ex alijs Adrichomius.

Strabo l. 11.

Quare magnus dictus.

Hic fluuius *magnus* vocatur Gen. 15,18. & Iosue 1,4. vel propter multas & magnas regiones quas alluit, vel quia est vnus de quinque maximis & celeberrimis fluuijs totius terræ olim cognitæ. Sunt autem in Europa *Danubius*, in Africa *Nilus*, in India *Ganges* & *Indus*, in Asia *Euphrates*. nam licet imbi quoque fluat *Tigris*, hunc tamen multis nominibus concedere *Euphrati*, testatur Strabo lib. 16. Vel *magnus* denique appellatur, non tam ob aquarum copiam, quàm dignitatis præstantiam, quòd sit vnus de quatuor fluuijs ortis ex paradiso.

Est terminus Aquilonaris & Orientalis Terræ promissæ.

Hic fluuius est terminus terræ Abrahæ promissæ à parte eius Septemtrionali, ad Orientem tamen paululùm vergendo & declinando; quare nedum Aquilonaris, sed etiam Orientalis huius terræ terminus dici posset, propter id quod notauimus suprà in calce Capitis IV. Et hæc de Euphrate, termino Aquilonari terræ Abrahæ promissæ, satis.

Fluuius Ægypti quis.

Sed quid est *fluuius Aegypti*, alter terminus eiusdem terræ Abrahæ promissæ, præcedenti oppositus? Multa de isto fluuio à sacræ Scripturæ Interpretibus pronuntiantur; nos ex ipsis aliqua proposito nostro conducibilia adducemus, vt, quidnam sit, quibus nominibus vocetur, & quînam denique terminus sit Terræ promissionis.

Ad primum respondet D. Hieronymus in cap. 6. Amos: *Est riuus Nili de eremo veniens, atque inter Rhinocoluram & Aegyptum in Mare ingreditur mediterraneum.* Hieronymo adstipulantur Adrichomius in Simeon, num. 4. Andreas Masius super Iosue cap. 13. & ex hoc loco vers. 3. comprobatur; Franciscus Ribera super Amos 6. num. 42. & seqq. Benedictus Pererius denique, præter alios recentiores, in Genes. cap. 15, 18. disput. 9. ex Strabone, qui lib. 16. supra magnum Nili ostium, alium ponit riuum paruum apud montem Cassium, à Pelusiaco distantem stadijs trecentis.

Consona his scripserunt & testificati sunt qui loca illa peragrarunt, asserentes, à Gaza itinere dierum quinque versus Ægyptum, reperiri paruum quoddam Nili brachium, quod ibidem excipiatur, & vulgò *Carabum* appelletur: addentes, ab eo vsque ad Pelusium, quod nunc *Damiata* nuncupatur, tantum itineris intercedere, quantum horis viginti pedes conficere possit, id est iter vnius diei cum dimidio. Ego ex Ierosolymis proficiscens in Ægyptum, non transiui illac, sed per mare & Nilum iter feci: credendum tamen fide dignis, qui hæc retulerunt & scriptis consignarunt, & in primis S. Hieronymo, tum in alijs, tum in his præcipuè versatissimo.

Fluuius ille varias appellationes habet. Vocatur fluuius Ægypti, & quare:

Et hæc testimonium accipiunt ex illius descriptione, vel multiplici denominatione quæ in sacra Scriptura inuenitur. Vocatur *fluuius Aegypti*, Genes. 15, 18. *Fluuius* quidem, quia pars est Nili, qui verè fluuius est; *Aegypti* verò, quia Ægyptum claudit & alluit. Ideò appositè in hoc sensu cum alijs dixit D. Augustinus quæst. 21. in Iosue, esse quidem alium à Nilo, quia non est totus Nilus qui totam irrigat & fecundat Ægyptum, sed ramus eius, vt dictum est. Et idem clarius lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 24. in fine, vbi exponens verba illa Geneseos 15,18. *A fluuio Aegypti*, &c. ait: *Non ergo à flumine magno Aegypti, hoc est Nilo, sed à parno, quod diuidit inter Aegyptum & Palæstinam, vbi est ciuitas Rhinocolura.*

Riuus Ægypti:

Tertio Regum 8, 65. & 4. Regum 24,7. dicitur *riuus Aegypti*, quoniam à Nilo Ægypti flumine deriuatur.

Torrens Ægypti, & deserti:

Iosue 15, 47. & Isa. 27,12. appellatur *torrens Aegypti*, & Amos 6, 15. *torrens deserti*; quia non per cultam, vt alia Nili brachia, sed per desertam Ægypti plagam ad Mare fertur mediterraneum, ad modum torrentis. Etenim Nilo intumescente, iste exuberat, & magno impetu fluit; illo autem decrescente, iste ob paruitatem, & terræ quam præterfluit nimiam siccitatem, interdum arescit, & ob subita & varia aquarum incrementa, aut ex imbribus, liquefactisque niuibus, aut aliarum aquarum affluxu, impletur.

Fluuius turbidus.

Iosue 13, 3. *fluuius turbidus* appellatur, quòd turbidas ferat aquas; tales enim sunt aquæ Nili, vt patet Ieremiæ 2, 18. *Quid*

Digitized by Google

tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam? id eſt, Nili, vt communiter interpretantur Doctores.

Torrens Occidentis, & Arabiæ.

Septuaginta Interpretes loco Amos citato, pro *torrente deſerti*, tranſtulerunt, *torrentẽ Occidentis*; Theodotio autem *torrentem Arabiæ*, Aquila *torrentem qui eſt in planitie*, quia nimirum per terminos Arabiæ planos fluit. Et quamuis ſit terminus Terræ promiſſionis Meridionalis; quia tamẽ etiam verſus eiuſdem Occidentalem plagam præterfluit, tandemque in Mediterraneo mari definit, quod eſt occiduum terræ Chanaan, *torrens Occidentis* dictus eſt. Sed de hoc ſtatim.

Notant Doctores, Rhinocoluram non eſſe nomen proprium huius fluuij, quamuis Septuaginta loco Iſaiæ adducto, pro *torrente Aegypti* tranſtulerint *Rhinocoluram*, ſed quia vicinus erat vrbi ſic dictæ & cognitæ, & loco vbi in mare influit. Quare optimè poſt D. Hieronymum in Iſa. 27, 12. Adrichomius in Simeon, num. 64. de hac vrbe ſequentia notant: *Rhinocorura, quæ & Rhinocolura, vrbs Aegypti olim, poſteà Iudæorum. Sciendum eſt, vocabulum hoc apud Hebræos non haberi, ſed ſeptuaginta Interpretes pro torrente Aegypti, propter notitiam loci, Rhinocoruram tranſtulerunt. Eius vrbis ſæpè meminit Ioſephus; cuius incolæ ætate Hieronymi, lingua Chananitide, hoc eſt Syra, loquebantur. Diſtat à Gaza ſecundùm Antoninum m. p. 38. non procul à mari, apud quam fluuius aliquis in mare delabitur, qui eſt terminus regni Iſraëlitici.*

Rhinocolura vrbis deſcriptio.

Rhinocolura nominis ratio.

Quare verò hæc vrbs *Rhinocolura* dicta ſit, ea redditur ratio, quòd Rhinocolura narium exciſionem ſignificet, vt teſtatur Strabo lib. 16. & Diodorus lib. 2. Hanc quidem Rex Æthiopum, Ægypto occupata, condidit, atque à latronibus, quibus ſupplicij cauſa nares præcidi iuſſerat, habitari voluit: quare ab habitantium conditione nomen ſortita eſt, dicunt citati Auctores. Et non ſolùm ciuitas, ſed etiam regio dicebatur *Rhinocolurarum*, vt S. Epiphanius tradit in ſuo Ancorato. Quare illi audiendi non ſunt, qui dicunt hunc Ægypti fluuium eſſe torrentem *Gerara*, cuius fit mentio Gen. 26, 17. quòd vicinus eſſet vrbi ſeu regioni *Gerara*, vbi Abraham & Iſaac foderunt puteos, &c. Minùs fides eſt adhibenda dicentibus eſſe *Maiomam*: ſed hoc fortè dixerunt propter vtriuſque propinquitatem, quam in tabulis Geographicis cernere licet; & quia Berſabee, vt & fluuius Ægypti, nominantur termini Auſtrales Terræ promiſſionis.

Rhinocolura regio.

Fluuius Aegypti eſt terminus Auſtralis, & ex parte Occidentalis Terræ promiſſionis.

Iſte Ægypti fluuius (vt iam indicauimus) diſterminat Iudæam ab Ægypto, eſtque terminus Auſtralis Terræ promiſſionis declinando ad Occaſum, quod præter Scripturæ iam allatæ & ſtatim adducendæ teſtimonia, docuerunt etiam exteri Scriptores, Herodotus, Strabo, Ptolomæus, & Plinius: quorum primus lib. 2. pag. 24. ait: *Mons Caſius Aegyptum Syriamq; diſterminat.* Strabo loco proxime adducto eoſdem Iudææ fines protrahit vſque ad Caſſium montem, à quo non procul abeſt Rhinocolura, quam Plinius lib. 5. cap. 13. poſt Caſſium montem commemorat, & inter Palæſtinæ terminos poſuiſſe videtur. Et Ptolomæus Geographiæ lib. 4. cap. 5. quatuor eam tantùm leucis diſtare ait à Iudææ finibus Auſtralibus, qui erant vrbs Berſabee, vt patet 3. Regum 4, 25. & torrens Geraræ, penes quem dicta vrbs erat poſita, vt attigimus, & etiam dicemus.

Sed quid eſt *Emath*, & *introitus Emath* alter terminus Terræ promiſſionis citra Euphratem, fluuio Ægypti oppoſitus? Notandum ex D. Hieronymo in pluribus locis (nimirum in Traditionib. Hebr. in Geneſ. cap. 10. in lib. de Locis Hebr. v. *Emath*; in Iſaiæ 10, 9. & ſuper Amos cap. 6, 2. in principio, ſuper Zachar. cap. 9, 2. & in Epiſt. 129. ad Dardanum) duplicem fuiſſe Emath: aliam quæ dicebatur *Emath Rabba*, quod idem ſonat ac *Emath magna*, quæ poſteà ab Antiocho Rege huius nominis primo dicta eſt *Antiochia* ex ſuo nomine, quam Ioſephus de Bello Iudaico l. 3. cap. 1. dicit fuiſſe metropolim Syriæ, ac tertium locum obtinuiſſe ſuper omnes vrbes quæ in Romano orbe ſunt: & hæc eſt in qua primò Apoſtolorum diſcipuli vocati ſunt *Chriſtiani*, vt dicitur Actorum 11, 26. & propterea in eam primum B. Petrus, primus Chriſti Vicarius, Epiſcopatum ſeptennio tenuit. Altera eſt reſpectu prioris parua, quæ abſolutè, & ſine vlla additione, dicitur *Emath*. Vtriuſque meminit Amos cap. 6. prioris in principio, verſ. 2. poſterioris in fine capitis v. 15. quæ poſteà ab Antiocho Epiphane dicta eſt *Epiphania*. Adrichomius in Nephthalim num. 45. vtriuſque mentionem facit. Alij tertiam Emath addunt, quæ ponitur in ſorte Ephraim, de qua Ioſue 19, 35. & quartam etiam addere poſſumus, non ciuitatem, ſed turrim, cuius fit mentio 2. Eſd. 12, 38. cuiuſque meminit Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem num. 174. *Turris Meah, aliàs Emath*, inquit, *id eſt, centum cubitorum, quæ non longè à Templo diſtabat.* Eſt etiam regio eodem nomine appellata, vt dicemus.

Emath quid.

Emath duplex, magna & parua.

Triplex ad hunc Emath.

Sed quænam ex his quatuor vel quinque aſſignabitur pro termino Terræ promiſſionis? Non vtique prima, quoniam longè aberat à finibus Chananææ. Multò minùs quarta, quoniam intra ipſam, & in medio

eius

Torniellus anno mundi 1583. num. 9.

ciùs ſita eſt. Et propter ſimilem rationem alij dicunt idem de tertia.

Adrichomius hanc, quam tertio loco enumerauimus, facit terminum Aquilonarem Terræ promiſſionis; nam illam, cuius fit mentio Ioſue 13, 5. & 19, 35. ſecundam eſſe arbitratur, nec tot multiplicat Emath. Sed quid diceret ad rationem in contrarium? Arbitror reſponſurum, non obſtare: quia etſi illa ponatur in tribu Nephthalim, eſt tamen in eius confinio, & extremo Chananææ.

Dicerem, illam, cuius fit mentio Ioſue cap. 19, 35. non eſſe illam quæ ponitur terminus Chananææ, propter rationem aſſignatam: nec ſolutio ſatisfacit; Emath enim terminus Terræ promiſſionis, non erat vrbs Terræ promiſſionis, ſed Syriæ Damaſci. Ierem. 49, 23. *Ad Damaſcum confuſa eſt Emath, & Arphad, quia auditum peßimum audierunt. Emath & Arphad* ſunt duæ vrbes Syriæ Damaſco vicinæ, dicunt in hunc locum Interpretes ſacri, ſecundam Emath intelligentes (præſertim D. Hieronymus de Locis Hebraicis loco proximè citato) videlicet, vt creditur, inter Damaſcum & Chananæam; quemadmodum colligi poteſt ex nunc adducto Ieremiæ loco, & clariùs ex 2. Reg. 8, 9. & 1. Paral. 18, 9. vbi fit mentio Thoü Regis Emath, qui miſit Legatos ad Dauid, vt congratularetur ei de victoria, quam tulerat de Adarezer Rege Soba regionis Emath, vt citato capite primi libri Paralipom. verſu 3. dicitur. Ex hoc patet, Emath non vrbium modò turriſve nomen eſſe, ſed etiam regionis, agro Damaſceno proximæ.

Emath regio termini Aquilonaris terræ Chananæa.

Sacri Doctores arbitrantur, pro maiori parte, quoties in ſacrp Eloquio inuenimus, *ab introitu Emath*, accipiendum eſſe Aquilonarem terminum terræ Chanaan non pro vrbe aliqua, ſed pro regione, ex qua in agrum ſiue in ditionem Emath introire incipiebant, qui pergebant verſus Aquilonem: quæ regio (vt ait B. Hieronymus ſuper c. 6. Amos verſu 2.) poſtmodum etiam *Reblatha* dicta eſt, ex nomine fortaſſis vrbis Reblathæ in eadem regione Emath exiſtentis, vt ſatis clarè traditur 4. Reg. 25, 21. vbi de viris, quos Nabuzardan duxit ad Nabuchodonoſor in Reblatha, dicitur quòd interfecerit eos Rex Babylonis in Reblatha in terra Emath: & Ierem. 39, 5. vbi dicitur, quòd Chaldæi comprehenſum Sedeciam Regem Iuda adduxerint ad Nabuchodonoſor Regem Babylonis in Reblatha quæ eſt in terra Emath, qui ibi occidit filios Sedeciæ in oculis eius, ipſiúque Sedeciæ oculos eruit.

Sed quid eſt *Dan*, & quid *Berſabee*, alij duo termini longitudinis Terræ promiſſionis? Reſpondendum, Dan multiplex eſſe. Eſt *Dan* ciuitas, *Dan* fluuius, *Dan* viculus, & *Dan* mons. de quibus ſparſim in ſuo Theatro Adrichomius. Dan montis meminit in Ephraim num. 34. his verbis: *Dan mons ſuper viam, quæ ducit Samariâ in Sichem, altior Bethel, vt Sichem ſita ſit inter duos iſtos montes. Quo loco quidam voluerunt alterum illum vitulum aureum poſitum à Ieroboam; quod tamen aliter videtur habere Hieronymus.* Et hic Dan, cùm intra Terram promiſſionis ſit, eius non erit terminus. De alijs agit in Nephthalim, in cuius ſitu ſunt; nec multùm ab inuicem ſeparantur: de *Dan* viculo agit num. 38. de *Dan* fluuio & fonte num. 59. de ciuitate verò pluribus num. 37. & Gamal. in cap. 19. Ioſue, ſect. 5. art. 2. num. 5. 6. & benè Salmeron Tom. 1. pag. 497. 2. Et hæc Dan poſteà fuit appellata *Daneas*; ac denique ab Herodis maioris filio, in Tiberij Cæſaris honorem, nouis mirabilibusque ædificijs inſtaurata, *Cæſarea Philippi*, quo nomine Chriſti tempore nominabatur, vt ex Euangelio conſtat, Matthæi 16, 13. Marc. 8, 27. & modò adhuc ita nominatur. Iſta Dan ciuitas aſſignatur pro termino Septemtrionali Terræ promiſſionis, cùm dicitur, *A Dan vſque*, &c. 1. Regum 3, 20. 2. Reg. 3, 10. 24, 15. & 3. Regum 4, 25.

Dan multiplex.

Cæſarea Philippi qualis ciuitas.

Dan ciuitas Septemtrionalis terminus Terræ ſanctæ.

Sed quid de Berſabee dicendum eſt? dicimus eam eſſe multiplicem, ciuitatem, deſertum, puteum, & vicum, de quibus Adrichomius pluribus in locis ſui Theatri. Et de ciuitate priùs agentes, dicimus, duplicem eam eſſe quæ *Berſabee* nomine inſignitur. Altera eſt in tribu Zabulon, de qua in huius tribus explicatione Adrichomius num. 14. & hæc non eſt Chananææ terminus, quia eſt intra ipſam; eſt enim terminus ſuperioris, & initium inferioris. Altera *Berſabee* ciuitas eſt in tribu Simeon, de qua idem hîc num. 28. & de vico ſimul agit ex profeſſo. Deſerti meminit ibidem num. 29. Putei verò *Berſabee* in Vita Abraham, anno mundi 2053. Et tam deſertum, quàm vicus, & poſteriori loco memorata ciuitas, à *Berſabee* puteo illis propinquo ſumunt appellationem.

Berſabee multiplex.

Ciuitas duplex

Deſertum.

Putei.

Berſabee ciuitas tribus Simeon, cuius frequenter in Scriptura ſacra fit mentio, terminus Auſtralis eſt Terræ promiſſionis, ideò aliqua de illa hîc ſcribenda ſunt. Sciendum itaque, quòd cùm Abraham ad Abimelech Regem Geraræ, ab eo requiſitus, diuertiſſet, cum eo fœdus inierit ad quemdam puteum quem foderant ſerui Abraham, & ſerui Abimelech ipſo inſcio occuparant: qui poſteà *puteus Berſabee* di-

Ciuitas Berſabee in tribu Simeõ terminus Auſtralis Terræ Chananææ.

Digitized by Google

Berſabee nominis ratio. ctus eſt; quod interpretatur *puteus ſeptem*, ſiue *iuramenti*, quia nimirum pro eo Abraham dedit ipſi Abimelech, tamquam domino terræ illius, agnas ſeptem; & vterque hîc iurauit alteri non nociturum. Ex quo deinde factum eſt, vt non modò puteus ille, ſed etiam propinqua ciuitas, quæ & ipſa erat Palæſtinorum, & non longè aberat à Gerara, poſtmodum nuncupata ſit *Berſabee*.

Obiectionis ſolutio. Et hæc poſteà temporibus Ioſue cecidit in ſortem tribus Simeonis, vt patet Ioſue 19,2. Et quòd eodem libro c. 15, 27. recenſita ſit inter vrbes tribus Iuda, ideò factum creditur, non quia propriè ad tribum Iuda pertineret, ſed quia Simeoni data eſſet ſors in medio filiorum Iuda, vt apertè dicitur initio citati capitis 19, 2. atque etiam notatur in libro de Locis Hebraicis, v. *Berſabee*.

Fuit autem hæc ciuitas olim in confinio Auſtrali Terræ ſanctæ, vt in Tabula deſcriptionis eius videri poteſt, diſtabatque ab Hebron viginti milliaribus, vt dicitur loco citato de Locis Hebraicis. Cumque prope Berſabee habitaſſet Abraham multis annis, plantauit ibi nemus, hoc eſt multas arbores fructiferas in modum nemoris, & inuocauit ibi nomen Dei æterni: nimirum, in eo nemore non ſolùm ipſe diuinis laudibus ac ſacrificijs celebrandis, nec non diuinarum rerum meditationi vacare ſolebat; ſed etiam (vt tradunt Hebræi, & ſcriptum reliquerunt Abulenſis in Gen. 21, 33. Targo Ieroſolymitanus, & alij) ibidem peregrinos hoſpitio frequenter ſuſceptos ad Dei laudes inuitabat, ac optimis illarum arborum fructibus reficiebat, nihil aliud in pretium exigens, niſi vt ſummum cæli terræque Conditorem ac rectorem agnoſcere colereque ſtuderent, cuius nempe donum eſſet quidquid comediſſent ac bibiſſent: ſicque veram Religionem edoctos, & ad melioris vitæ inſtituta conuerſos, dimittebat. Et hæc ferè ſunt quæ traduntur Geneſ. 21, 22.

Abraha in Deum pietas.

Et breuiter colligendo habemus, quinam ſint termini terræ latiſſimæ Abrahæ promiſſæ: nimirum *Euphrates* Aquilonaris, & ex parte Orientalis; alter huic oppoſitus Auſtralis, ſcilicet *fluuius Aegypti*, id eſt Rhinocolura. *Emath* item regio, & *Dan*, id eſt Cæſaræa ciuitas, Septemtrionales termini eiuſdem, ſed anguſtioris terræ ab Hebræis poſſeſſæ; *Berſabee* ciuitas Auſtralis terminus, vt *Dan* oppoſitus Aquilonaris. & ſic tertium habemus, quod explicandum propoſuimus.

Emath & Dan termini in eodem tractu Aquilonari.

Illud etiam hîc haud prætereundum, excepto Euphrate termino diſſitiſſimo Aquilonari Terræ promiſſæ, Emath & Dan eiuſdem terræ Aquilonares terminos eſſe in eodem tractu, & non multùm ab inuicem diſtantes, ſicut ex parte oppoſita fluuius Ægypti & Berſabee termini Auſtrales parum ab inuicem diſſiti ſunt, vt clarè in Tabulis videre eſt. quare nihil vel parum refert ad explicandam longitudinem huius terræ, dicas, *ab introitu Emath vſque ad fluuium Aegypti*, vel, *à Dan vſque Berſabee*. His ſic explicatis, facile erit reſpondere ad loca Scripturæ initio Capitis adducta quæ contraria videbatur, & ad principale quæſitum.

Fluuius Ægypti & Berſabee in Auſtrali.

Locorum ſacræ Scripturæ contrariorum.

Ad loca Scripturæ dicendum, illa, in quibus præſcribuntur termini latiſſimi Euphrates & Ægypti fluuius, eſſe intelligenda de terminis terræ Abrahæ promiſſæ, ſed numquam ab eius poſteris perfectè poſſeſſæ, vt Capite ſequenti videbimus: alia verò, in quibus anguſtiores terræ deſignantur termini Dan & Emath ex Septemtrionali plaga, & ex Meridionali fluuius Ægypti & Berſabee, eſſe intelligenda de terminis terræ, prout fuit à Moyſe & poſteà ab alijs deſcripta, & tributa Iudæis, & ab eiſdem poſſeſſa.

Ad quæſtionem principalem, in qua quærebatur, quænam eſſet quantitas, longitudo videlicet & latitudo, & quinam termini Terræ ſanctæ Patribus repromiſſæ, ex dictis patet reſponſio; quam licet clariùs explicare, prout traditur in ſacris Litteris & alijs Scriptoribus.

Accuratior Terræ Chananitidis terminorũ deſcriptio.

Relictis nunc terminis latiſſimis Terræ huius promiſſæ Abrahæ, ſed non plenè ab Hebræis poſſeſſæ, Euphrate & Rhinocolurâ, ampliſſimam regionem claudentibus, vt in tabulis Geographicis videre eſt, de quibus infrà Cap. xxx. quæ ab Hebræis poſſeſſa fuit, & qui à Moyſe iubente Domino præfiniti fuerunt termini, inſpiciamus. Auſtrales deſcribuntur Num. 34, 3. & aliquantò accuratiùs Ioſue 15, 1. nimirum ductâ lineâ ab Auſtrali extremitate Maris mortui, quod & *ſalſiſſimum* appellatur, ſiue (quod in idem recidit) *ſolitudinis Sin*, quæ tangit terminos Idumææ Orientales; quæ linea per quemdam circuitum aſcendat ad quemdã locum eminentem, qui dicebatur *Aſcenſus ſcorpionis*, mox deſcendat ad alium locum nomine *Senam*, ſiue *Sina*; poſteà iterùm ſaliat ad *Cades Barne*, deſcendatque in *Eſron*, & rurſum aſcendat in villam vocabulo *Adar*, circuiens Carcaa; ac inde pertranſeat in *Aſemona* per gyrum, perueniatque ad Torrentem Ægypti vſque ad Mare mediterraneum. Hi ſunt fines Meridionales terræ Chanaan.

Auſtrales termini.

Occidentalis plaga.

Occidentalis verò eius plaga tota terminatur ab eo tractu Maris mediterranei, qui à dicto Ægypti fluuio ad montem *Libanum* excurrebat: Mediterraneum namque Scriptura vocat Mare magnum; & Libanum, montem altiſſimum, reſpectu montium terræ Chanaan, & lacuum, quos Hebræi vocant *maria*.

Pro

Aquilonaris. Pro termino Aquilonari ponitur linea ducta ab ora Maris mediterranei, ad montem Libani ei proximum, & inde in *Emath*; posteà vsque ad terminos *Sedada*, & tandem vsque ad *Zephrona* & villam *Eman*.

Orientalis. Denique confinia Orientalia describuntur, progrediendo à prædicta villa Eman ad *Sephama*, & inde descendendo in *Rebla* contra fontem Daphnim; mox ad mare *Cenereth*, quod est Galilææ, ad partem eius quæ respicit contra Orientem, continuando progressum secus littus dicti Maris vsque ad *Iordanem* ab ipso prodeuntem; deinde secus ipsum Iordanem vsq; ad Mare salsissimum, ac denique vsque ad extremitatem dicti maris Australem.

Obiectio. Sed obijciet quis, Iordanem non esse terminum Orientalem Terræ promissionis, quoniam vltra ipsum habitarunt filij Israël concedente Moyse, tribus inquam Ruben, Gad, & dimidia Manasse, vt notauimus suprà Cap. xx. *Solutio.* Respondeo cum Nicolao de Lyra in cap. 47. Ezechielis, Iordanem verè fuisse terminum Orientalem Terræ à Domino Iudæis promissæ: quòd autem vltrà habuerint possessionem, hoc fuit per accidens; quoniam habitatores illius terræ noluerunt eis concedere transitum pacificè, sed mouerunt contra eos bellum, quibus deuictis, filij Israël iure belli possederunt terram eorum.

Longitudo & latitudo Chananitidis quanta. D. Hieronymus inter *introitum Emath* & *Bersabee*, terminos longitudinis, facit interstitium milliarium Italicorum centum & sexaginta; inter terminos verò latitudinis, *Ioppen* ad Mare mediterraneum ad Occidentem, & *Bethlehem* ad Orientem, quadraginta sex, vel quinquaginta octo, si ex hac parte ponatur terminus Mare mortuum, quod circiter duodecim milliaribus Italicis à Bethlehem distat. Sic enim scribit Epistola 129. ad Dardanum: *Respondeant mihi, qui hanc terram (quæ nunc nobis Christi passione & resurrectione verè Terra promissionis effecta est) possessam putant à populo Iudæorum; postquam reuersus est ex Aegypto, quantum ille populus nunc possederit. Vtique non amplius quàm à Dan vsque Bersabee, quæ vix centum sexaginta millium in longum spatio tenditur.* Et post pauca de eius latitudine subiunxit: *Ab Ioppe vsque ad viculum nostrum Bethlehem, quadraginta sex millia sunt, cui succedit vasta solitudo*, &c.

Hecatæus Abderita, magno Alexandro æqualis, quippe cum eo nutritus, vir Philosophus, & circa actiones industrius, cum Ptolomæo Lagi commoratus (quem refert Iosephus libro priore contra Apionem, qui non obiter, sed integrum librum de ipsis Iudæis conscripsit) pulchritudinem latitudinémve huius terræ hisce verbis indicauit: *Panè decies trecenta millia iugera terrarum optimarum vberrima prouincia possidere noscuntur: Iudæa namque talis est amplitudinis.* Sic ille. Est verò iugerum spatium terræ, quantum vno die arari consueuit vno iugo boum, vt dicitur 1. Reg. 14, 14. & longitudo eius est ducentorum quadraginta pedum, latitudo centum viginti; & ex hoc iugerum dictum est Plinio lib. 18. cap. 3. Patet igitur, quænam enuntianda sint de longitudine & latitudine terminisque Terræ promissionis Iudæis tributæ, à Moyse & alijs descriptæ. Credendum verò est, Hebræis non esse descriptam totam terram Abrahæ repromissam, ab Euphrate vsque ad flumen Ægypti, quando eam ingressi fuêre, quia tot non erant numero, vt totam illam latitudinem occupare possent. Posset hoc pluribus explicari; sed tempus est vt huic Capiti finis imponatur; nam inferiùs Capite xxx. ad idem argumentum alia dicentur.

CAPVT XXV.

An promissio Dei Abrahæ facta de possidenda terra ab eius posteris à fluuio Aegypti vsque ad Euphratem, impleta vnquam fuerit: & an Hebræi vllo tempore ditionem suam & imperium protraxerint ab Aegypti fluuio vsque ad Euphratem.

DIfficilis est proposita quæstio, at scitu digna, necessariò pertractanda pro maiori cognitione argumenti quod præ manibus habemus. Eam verò difficilem reddunt tum Auctores eximij, tum rationes graues, quæ tam affirmatiuæ quàm negatiuæ parti suffragari videntur; hinc fit, vt neutra probabilitate careat. *Sententia multiplex in ista quæstione.*

Qui affirmatiuam amplectuntur sententiam, videlicet promissionem Abrahæ de possidenda terra à fluuio Ægypti, id est Rhinocolura, vsque ad Euphratem, fuisse in progenitis ab eo impletam, sunt in duplici vel triplici differentia. Caietanus & Oleaster in cap. 15. Genes. v. 18. censent, Dei promissionem de terra per Hebræos possidenda ab Euphrate vsque ad fluuium Ægypti, impletam fuisse tempore Dauidis; & probatur ex 2. Reg. 8, 1. 1. Paral. 18, 1. in his enim locis de Dauide proditum est, ipsum profectum fuisse cum exercitu, vt dilataret imperium vsque ad Euphratem, & dominaretur super flumen Euphratis, subegisseque imperio suo, sibiq; seruos fecisse Philistheos, Idumæos, Moabitas, Ammonitas, regnum *Prima sententia affert, Dei promissionem impletam Dauidis tempore.*

quoque Soba, omnemque Syriam pertinentem vsque ad Euphratem.

Secunda sententia quòd tempore Salomonis.

Alij secundò arbitrantur, diuinam promissionem impletam quidem fuisse, non tamen Dauidis, sed Salomonis tempore. Ita scribit D. Augustinus lib. Quæst. in Iosue quæst. 21. Salomonem habuisse sub imperio & ditione sua omnes gentes, omnemque terram à flumine Euphratis vsque ad terminos Ægypti. de eo namque 3. Regum 4, 21. ita scriptum est: *Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna secum, à flumine terræ Philisthiim vsque ad terminum Aegypti, offerentium sibi munera, & seruientium ei cunctis diebus vitæ eius.* Et quibusdam alijs interpositis, subiungitur: *Ipse enim obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen, quasi à Taphsa vsque ad Gazan, & cunctos Reges illarum regionum: & habebat pacem ex omni parte in circuitu.*

Tertia sententia, Salomonis tempore impleri cœptam, & aliquo modo impletam.

Augustino ex recentioribus præsertim adstipulatur Benedictus Pererius in cap. 15. Genes. disp. 10. illiusque sententiam ad veritatem propensiorem iudicat; quam & sequitur, tum propter viri auctoritatem, tum propter bonam rationem: videtur tamen ad ipsam aliquid addere. *Cùm enim*, inquit, *diuinum hoc promissum de terra vsque ad Euphratem à posteris Abrahæ possidenda, sicut illud quoque de terra Chanaan ab eisdem obtinenda, non semel à Deo datum & confirmatum fuerit; consentaneum profectò est, id fuisse aliquando, sicut illud etiam de possessione terræ Chanaan, si non in toto, certè aliqua in parte, si non ad longum tempus, certè ad breue aliquod tempus, præfinitum atque impletum. Cumq; legimus, tempore Dauidis & Salomonis imperium Iudaicum ad Euphratem vsque productum ac dilatatum esse, quis, obsecro, non agnoscit tunc diuinum illud promissum impleri cœptum esse, foreq; vt deinceps perfectè atque omnino compleretur, si quemadmodum tunc populus Hebræus pietatem erga Deum studiosè coluit, ita consequentes & posteri Reges vnà cum populo in eadem pietate colenda perseuerassent?* Quam rationem adducit etiam initio illius disputationis, & confirmat promissionibus diuinis frequenter renouatis, quarum mentio fit non solùm Genes. 15, 18. sed & Exodi 23, 31. & Iosue 1, 3. Idem sentit Torniellus Tom. 1. sacrorum Annalium, anno mundi 2583. num 30. Cosmas Gamalianus Tomo 2. in Iosue, in Epitome isagogica, sect. 16.

Pererij ratiocinatio.

Sed vt hanc opinionem & rationem Pereri discutiamus, duo, quæ ipse indicat, sunt obseruanda, quæ non satis cohærere videntur. Alterum est, quòd eius opinio nitatur auctoritate D. Augustini, & ratione de promissionibus diuinis sæpiùs repetitis, ideoque implendis; arbitreturque D. Augustinum sentire, impletas fuisse, vt eius sententia, ab eodem & à nobis superiùs allata, præ se ferre videtur. Alterum est, quòd non audeat asseuerare, fuisse impletum diuinum promissum, sed impleri cœptum fuisse tempore Dauidis & Salomonis. sic enim ait in fine illius disputationis: *Summa igitur nostræ opinionis hæc sit, arbitrari nos, diuinum illud promissum tempore Dauidis & Salomonis impleri cœptum esse, idemq; omnino fuisse implendum, nisi gentis illius improbitas atque impietas obstitisset. Quemadmodum nec Chananitidem quidem vniuersam obtinere: illi potuerunt, non solùm propter ignauiam & auaritiam, sed ob eam maximè causam, quòd à vero Dei cultu & obedientia sapiùs recesserunt.* Hæc ille.

Dubium.

Sed quare, cùm ex infallibilitate promissionum Dei argumentetur, non absolutè concludit eos verè totam occupasse, cùm id illæ contineant? Respondet, propter illorum socordiam & peccatum; igitur non absolutè & necessariò obseruandæ, sed conditionatè, ac consequenter ex ipsis efficaci ratione non potest, quod intendit, probare: &, ni ego fallor, ex illius verbis oppositа videtur probari sententia, de qua statim.

Solutio.

Oppositа sententia.

Alij sententiam præcedenti contrariam sequuntur, diuinas illas promissiones Abrahæ factas non fuisse impletas, non quidem illarum defectu, sed propter populi peccata: fuerunt enim conditionatæ, si videlicet populus Dei mandata custodisset. B. Hieronymus in Epistola 129. ad Dardanum affirmat, Hebræos ex Ægypto reuersos in Terram promissionis, possedisse eam terram tantùm à Dan vsque Bersabee; & in Scriptura vniuersa Hebræorum habitatio, quæ longissima patebat, solet claudi istus duobus terminis Dan & Bersabee, vt superiùs vidimus; vel ab introitu Emath vsque ad torrentem Ægypti, quod parum refert, vt patet Num. 34. vbi terra ab Hebræis possidenda, valdè subtiliter ac distinctè omni ex parte determinatur, & vsque ad Emath extenditur; id autem est longissimè citra Euphratem.

Dei promissiones conditionatæ.

D. Hieronymi sententiæ libentissimè subscribo, tum propter maximi Doctoris auctoritatem, tum propter statim dicenda. Eidem adhæret Andreas Masius in 1. cap. Iosue versu 4. & contra alteram D. Augustini opinionem duplici argumentatur ratione, dicens: *Augustini sententia est, reliquum illud spatium, quod vltra angustiores illos limites ad Euphratem vsque pertingit, vectigale quidem facere permissum Israëlitis fuisse, sed non sua ipsorum hereditati adiungere, veteresq; colonos eliminare. Verùm ei sen-*

Masij rationes duæ.

Prima. *ſententiæ non ſatis conſentanea videntur ipſa*
Iosue 1,3. *Dei verba, dum ait: Omnem locum quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam. A deſerto & Libano vſque ad fluuium magnum Euphratem. Et apertè pugnant illa,*
Secunda. *quibus in Deuteronomio de tribus alijs aſylis olim, ſi vſus ſit, conſtituendis agit* (Moyſes
Deut.19,8. ſcilicet) *ſic enim loquitur: Cùm autem dilatauerit Dominus Deus terminos tuos, ſicut iurauit patribus tuis, & dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus eſt (ſi tamen cuſtodieris mandata eius, & feceris quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius omni tempore) addes tibi tres alias ciuitates, & ſupradictarum trium vrbium numerum duplicabis: vt non effundatur ſanguis innoxius in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi poſſidendam, ne ſis ſanguinis reus. Ex his enim verbis duo conficiuntur: alterum, laxiores illos fines nequaquam Iſraëlitas initio poſſeſſum ire debuiſſe, aut potuiſſe etiam, ſicut anguſtiores; ſed tum demum illos ſperare fas ipſis fuiſſe, vbi diuina in Deum obſeruantia atque amore, ſe ipſi liberalitate maiore dignos præſtitiſſent. Alterum illud auctarium, ſi quidem aliquando prioribus poſſeſſionibus adiunctum iretur, non minùs atque has proprium Iſraëlitarum & hereditarium eſſe futurum, non autem vectigale: ſunt enim explicatiſſima illa verba, Quam Dominus Deus tuus dabit tibi hereditatem.* Hæc Maſius.

Ad has rationes reſpondet Pererius. Et ad primam primò, negando illius aſſumptionem. ſic enim inquit: *Ait ille, dominationem illam Dauidis vſque ad Euphratem non fuiſſe hereditariam poſſeſſionem, cùm in illis terris non habitauerint Hebræi, ſed Hebræorum modò ſecuritati deſeruiſſe. At ego non poſſum ſatis intelligere, cur illa dominatio non potuerit verè dici poſſeſſio hereditaria, cùm ita Dauid regionibus illis atque gentibus dominaretur, vt eas imperio ſuo regeret, teneret præſidio, ſibiq; ſeruire & tributa pendere cogeret. Neque officit, vt putat Maſius, quòd in eas regiones numquam Hebræi colonias emiſerint, aut inibi habitauerint ipſi; id enim ad conſtituendã hereditariam alicuius terræ vel regionis poſſeſſionem minimè neceſſarium eſt. Niſi fortè Maſius negare auſus eſſet, imperium, quod Rex Hiſpaniarum habet tum in Italia tum in ampliſſimis noui orbis regionibus, hereditariam eſſe poſſeſſionem Regni, ſiue, vt appellant vulgo, Corona Hiſpania, propterea quòd earum regionum habitatores & indigenæ non ſint Hiſpani.*

Ad ſecundam verò Maſij rationem, de ciuitatibus refugij, ita reſpondet: *Illud porrò quod ſecundo loco Maſius de aſylis oppoſuit, nihil negotij fuerit expedire: & dupliciter quidem dilui poteſt. Non enim tunc opus erat nouis aſylis, nondum enim gens Hebræa in tantum numeroſa propagatione aucta erat, vt eam commodè terra Chanaan non caperet, ſed in exteras regiones, ductis colonijs, diffundi neceſſe eſſet. Fuit præterea illud ad Euphratem vſque imperium Hebræorum perquam breue. Quòd ſi longo tempore benè ſtabilitum & corroboratum perduraſſet, tunc Hebræi de nouis aſylis inſtituendis egiſſent, nec Dei iuſſa exequi prætermiſiſſent.* Hæc Pererius ad rationes Maſij.

Sedenim, poſſet quis pro Maſio, & pro altera tuenda ſententia, ad Pererij reſpon-ſiones reſpondere: ad Primam quidem, dicendo, ipſum ſupponere quod adhuc ab eo probandum erat, Dauidem videlicet & Salomonem ita poſſediſſe regiones illas ab Emath vſque ad Euphratem, vt Rex Hiſpaniarum Italiæ & noui orbis prouincias. Etenim ſi ita poſſediſſent, præſidia ſua ibi poſuiſſent, illisque præfeciſſent ſibi confœderatos Gubernatores, quemadmodum Hiſpaniarum Rex ſuis prouincijs præficit vel Hiſpanos, vel alios non minùs ſibi confœderatos, vt verum ſe dominum oſtendat, & omnem rebellandi occaſionem aut ſuſpicionem auferat. At hæc Dauidem vel Salomonem præſtitiſſe non legimus, cùm potiorem tamen rationem haberent; quia indigenæ illi infideles erant, ac proinde timore compelli debuiſſent, ne contra illos rebellarent.

Quin (& hæc ſit altera non contemnenda ratio pro ſententia D. Hieronymi) Dauid & Salomon debuiſſent habitatores illos interficere, & de habitationibus ſuis eijcere, eò quòd infideles eſſent, ne Iſraëlitæ ſimul cum illis habitando, illis ſimiles fierent. hæc enim erat Dei voluntas. An non inter alia, quæ Moyſes Dei nomine populo ſuo obſeruanda præcepit poſt Iordanis tranſitum, atque in terram Chanaan ingreſſum, hoc fuit præcipuum, vt ante omnia omnes habitantes in ea, nimirum Chananæos, occideret, de illorum ſupellectile non eſſet ſollicitus, eorumque idola, ſtatuas & titulos deſtrueret & comminueret? *Deuorabis*, inquit Deuter. 7, 16. *omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus eſt tibi. Non parcet eis oculus tuus.* Et iterùm verſu 22. *Ipſe* (Dominus) *conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter: ne fortè multiplicentur contra te beſtiæ terræ. Dabitq; eos Dominus Deus tuus in conſpectu tuo, & interficiet illos donec penitus deleantur.* Et Num. 33, 55. huius præcepti, præter aſſignatam, hanc Dominus reddit rationem, dicens: *Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ,*

qui remanſerint, erunt vobis quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & aduerſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ: & quidquid illis cogitaueram facere, vobis faciam. Et 1. Reg. 15, 3. Saüli dictum fuit: *Demolire vniuerſa eius: non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid, ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & aſinum.* A cuius quidem præcepti executione non fuerunt liberi Dauid & Salomon, nec aliqua erat illis excuſatio, quò minùs illos interimerent, erant enim potentiſſimi, & viribus admodum pollentes, & multus conſequenter erat populus, vt ſtatim probabimus, qui regiones illas occupare potuiſſet. Et profectò ſi Dauid ſanctiſſimus, & Salomon, qui vſque ad ſenectam ſuam cum Deo ambulauit, totius illius regionis domini exſtitiſſent, non prætermiſiſſent, quin illos infideles de medio ſuſtuliſſent, eorumque ſtatuas & idola deſtruxiſſent, ne diuini præcepti contemptores viderentur, & vt ſe magis in poſſeſſione ſtabilirent; tantò magis, quòd nullo illis adſtricti beneficio eſſent, cuius intuitu cum illis miſericordiam facerent.

Confutatio.

Fateor quidem, Dauidem Dei voluntatem & præceptum, quantum in ſe fuit, executioni mandaſſe; alioquin ei non tantopere placuiſſet, nec tam ab eodem proſperatus fuiſſet in bellis contra nationes illas geſtis: ceterùm, quæ priùs diximus, omnino præſtitiſſet, ſi illarum vrbium abſolutus dominus fuiſſet, easque ad habitandum delegiſſet, conſtituendo præſidia & fideles Gubernatores. ſubditur enim immediatè ad iam adducta verba Deuter. 20, 16. *De his autem ciuitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere, ſed interficies in ore gladij, Hethæum videlicet, & Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum, & Heuæum, & Iebuſæum, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus: ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipſi operati ſunt dijs ſuis; & peccetis in Dominum Deum veſtrum.* Ecce quàm conceptis verbis præcepit Dominus ciuitates, quæ diſtribuendæ erant populo Iudaico, cæde infidelium expugnandas, ne in eorum abominationibus implicaretur: quæ ratio ſanè ponderanda eſt. Et Ioſue, quando ingreſſus eſt terram Chanaan, omnes habitatores, quos poterat, gladio perimebat. quod intelligentes Gabaonitæ, fraude ſerui effecti Iudaici populi, à morte liberati fuerunt. At tali artificio non fuiſſent vſi, ſi oblata pace, & ab illis recepta, incolumes ad cohabitandum cum illis relinquendi fuiſſent. *Ioſue 11, 8.*

Reſponſio.

Dicet fortaſſe aliquis: Deus alio in loco, nimirum Deuter. 20, 10. mitius præceptum tulit, quod tale fuit: *Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea eſt, ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumq; tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis maſculini eſt, in ore gladij, abſque mulieribus & infantibus, iumentis & ceteris quæ in ciuitate ſunt. Omnem prædam exercitui diuides, & comedes de ſpolijs hoſtium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Sic facies cunctis ciuitatibus, quæ à te procul valdè ſunt, & non ſunt de his vrbibus quæ in poſſeſſionem accepturus es.* Hæc verò præſtitit Dauid, vt videre eſt 2. Regum 8, 1. & 1. Paralip. 18, 1. Et de Moabitis dicitur, quòd alios quidem, nimirum eos qui ei reſiſtere auſi fuerant, omnino deleuerit, coæquans terræ mancipia eorum; alios verò, videlicet non reluctantes, coëgerit ſeruire Iſraëli ſub tributo. Quod indicatum creditur figurato illo loquendi modo, qui loco Regum proximè adducto ſubiungitur illis verbis: *Menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum.* Quamuis ergo omnes illos Terræ promiſſæ habitatores, etiam ab Emath vſque ad Euphratem, non deleuerit, non fecit contra præceptum Domini: nam qui ſe ſponte dedebant, ſuperſtites relinquebantur, ſeruientes Dauidi ſub tributo. *1. Reg. 8, 2.*

Obiectionis ſolutio.

Dices, Deuteronomij adducta verba manifeſtè oppoſitum indicare, offerendam nimirum eſſe pacem, &c. Reſpondeo, quando pauci numero erant Iſraëlitæ, nec tot qui ſufficerent ad incolendas ciuitates quas capiebant, ſi illarum incolæ oblatam ſibi pacem acceptaſſent, relinquendi erant ſuperſtites, & ſub tributo in ſeruitute habendi, ne ciuitates deſertæ remanerent, præſertim cùm Iudæi habituri non eſſent cum illis, adeoque nec timendum eſſet vt illorum ſcelerибus commiſcerentur: illis verò auctis, iamque idoneis factis ad ciuitates illas occupandas & inhabitandas, non debebant fideles Iudæi iugum ducere cum infidelibus, ne fortè illis cohabitantes coinquinarentur, atque abominationum illorum participes fierent; ſed omnes illos de medio tollere debebant. Igitur cùm tempore Dauidis & Salomonis multus iam eſſet Iudaicus populus, ſi totius regionis ab Emath vſque ad Euphratem abſoluti domini fuiſſent, vtiq; ex illa deturbaſſent infideles habitatores illos, terramque Iudæis incolendam tradidiſſent: quod cùm Dauid & Salomon minimè præſtiterint, non inefficax ſumitur argumentum, *Infideles quando ab Hebræis non erant occidendi.*

tum,

tum, ad probandum, totius illius regionis absolutos eos non fuisse dominos, nec perinde possedisse regionem quæ ab Emath vsque ad Euphratem excurrebat, quomodo possidebant eam, quæ ab Emath siue Dan vsque ad fluuium Ægypti & Bersabee se extendebat.

Argumentum contra primam sententiam.

Confirmatur, nec sanè leui argumento, contra primam sententiam. Volens enim Dauid suam ostentare potentiam, iussit numerari Israël & Iuda, omnesque tribus Israëliticas, à Dan vsque Bersabee. At quare non vsque ad Euphratem, si eò vsque imperium eius se extendebat? quemadmodum Augustus Cæsar, qui se totius mundi Imperatorem iactitans, vniuersum describi iussit, vt dicitur Lucæ 2, 1. Adeoque vel ob hoc displicet quod dicit Pererius, cœptum tunc fuisse impleri eo modo diuinum promissum, quia iussisset numerari viros, qui ad partes illas inhabitandas se diffudissent.

2. Reg. 24, 10. 20.

Quomodo intelligendum, Dauidem & Salomonem gentibus dominatos fuisse.

Quamobrem cum alijs arbitramur, cùm Scriptura dicit, Dauidem & Salomonem dominatos fuisse illis gentibus & populis, vel super Reges eorum exercuisse potestatem, ideò dictum fuisse, quia hi tributa & munera illis soluebant (quare non dixit absolutè, seruisse, sed seruisse sub tributo; & regionum illarum *præfecti* appellantur, postquam ad illas iuerunt Dauid & Salomon virtute & potentiâ;) & quia Dauid abstulit iugum tributi, quod vsque ad illum diem pendere consueuerant Israëlitæ Philisthæis, 2. Reg. 8, 1. & 1. Paralip. 18, 1. quandoquidem iam ab eorum insultibus & inuasionibus erant liberi. Quemadmodum etiamnum Principes aliqui, & Respublicæ nonnullæ liberæ quidem sunt, quia possunt de statu suo pro libitu disponere; reddunt interim, vt & Iudæi Philisthæis reddebant, tributum aliquod Principi cuipiam maximo vel Imperatori, qui eis, ne ab alijs offendantur vel opprimantur, sit defensor & protector: in eumdem modum dicere possumus in proposito, nationes illas seruisse Dauidi vel Salomoni, hosque Reges illis præfuisse. Et verò, quot subinde vrbes, excursionibus factis, capiunt hostes, quas postea, facta compositione, deserunt?

2. Par. 9, 26.

Hinc partà de gentibus illis victoriâ, & postquam 3. Reg. 4, 25. mentio facta esset Imperij Salomonis, & amplitudinis ditionis eius, subditur, Iuda & Israël à Dan vsque ad Bersabee quietè ac feliciter vixisse omni tempore Salomonis. Et eodem libro c. 8, 65. dicitur, dedicato Templo egisse festum omnem Israël qui Ierosolymam conuenerat, ab introitu Emath vsque ad riuum Ægypti. Quare autem non ab Euphrate vsque ad flumen Ægypti, si tantum eius imperium & hereditas protendebatur? Et fortè in sensu explicato locutus fuit D. Augustinus, cùm dixit, Salomonem habuisse in ditione sua omnia regna secum à flumine (id est Euphrate, *flumen* per excellentiam dicto) vsq; ad terram Philisthijm, & vsque ad terminum Ægypti, offerentium sibi munera, & seruientium cunctis diebus vitæ eius, & quòd cum omnibus illis pacem habuerit. Pondera verba, *offerre munera*, & *habere pacem cum illis*.

D. Augustinus in bono sensu explicatus.

3. Reg. 4, 21.

Iam ad alias confutationes, quibus Pererius secundum Masij argumentum de ciuitatibus refugij refellere conatur, respondeo. Et primò ad primam dico, numerosam eo tempore fuisse gentem Hebræam, ideoque opus habuisse ciuitatibus refugij, atque insuper potuisse occupare regionem excurrentem ab Emath vsque ad Euphratem. Et vt hoc notum fiat, Primò aduertendum est ex sacris Litteris, Iudaicum populum admodum fuisse multiplicatum, & nimiopere creuisse, vt constat ex 2. Reg. 24, 9. quando iussu Dauidis populus fuit numeratus; & 1. Paralip. 21, 5. dicitur, quòd *inuentus est omnis numerus Israël, mille millia, & centum millia virorum educentium gladium: de Iuda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum. Nam Leui & Beniamin non numerauit, eò quòd Ioab inuitus exequeretur Regis imperium.* Et totus numerus non potuit distinctè in Fastis Regijs describi, propter superuenientem mox plagam, vt expressè dicitur 1. Paralip. 27, 24. & Doctores hanc assignant causam differentiæ numeri indicati loco proximè Regum citato, ab eo qui habetur in isto Paralipomenon: Hic enim, inquiunt, ponitur tota summa, quam ex vndecim tribubus collegerat Ioab; illic verò illa dumtaxat, quæ sigillatim per singulas vrbes & oppida recensita erat in Fastis, quando pestis superuenit. His si addas alia millia quæ non numerauit Ioab, præter alios vtriusque sexus non numerari solitos, pueros nimirum, senes, & mulieres, innumeram pænè efficies multitudinem, quæ occupare potuisset illam regionem vsque ad Euphratem, & maiori cum commoditate, quàm intra angustissimos terminos Dan & Bersabee.

Ad alias Pererij dicta.

Iudaicus populus multus fuit Dauidis & Salomonis tempore.

Conciliatio locorum Scripturæ sacræ.

Confirmatur, tum quia Terra promissa, & iam possessa, propter suam angustiam magna cum diligentia ab initio possessionis descripta & distributa fuit, quando nedum in tantum gens Hebræa multiplicata erat; tum quia aliquando ex sortibus vni tribui assignatis, aliqua pars detracta fuit, vt alteri ad habitandum daretur, eò quòd sors propria illius habitationi non sufficeret: & scimus Iudæos postea dispersos fuisse in vniuersas mundi

Ob habitationem multitudinem Chananæa accuratè descripta & distributa.

mundi prouincias, quoniam eos proprium ſolum capere non poterat. Lege Villalpandum Tomo 3. lib. 2. cap. 22. & 23. Nacti ergo illam occaſionem dilatandi imperium Hebræi iam admodum multiplicati, otio minimè vacaſſent, ſed longè lateque ſuam habitationem extendiſſent, ad eam præſertim regionem, quæ, niſi fallor, longè erat melior & vberior eâ quam de facto incolebant.

Magna hominum dominandi libido.

Prætereà, quia magna eſt hominum regnandi, & abſoluti dominatus in alienas regiones exercendi libido, ſi Hebræi totam Abrahæ promiſſam Terram abſolutè poſſediſſent & inhabitaſſent, vtique refugij ciuitates in eadem aſſignaſſent, quo ipſo abſolutum ſuum imperium demonſtraſſent.

Denique, ſit ita, populus Iudaicus multus non fuerit; an ideò aſyla aſſignari non debuerunt, cùm tamen alioqui deſignata fuerint ſtatim ac populus terram Chanaan ingreſſus fuit, ne diuini præcepti tranſgreſſionis reus haberetur? & ſi non multa, aliqua tamen determinari debuerunt.

Ad alteram Pererij confutationem, dum ait, Hebræos nõ fuiſſe ſollicitos de aſſignandis aſylis, quoniam illud imperium vſque ad Euphratem fuit perquam breue; fuiſſe tamen inſtituturos, nec Dei iuſſa exequi prætermiſſuros, ſi longiori tempore perduraſſet, & regnum ſtabilitum fuiſſet; dico Primò, incognitum illis fuiſſe, duraturúmne eſſet per longũ tempus illud ipſorum imperium, an per breue; & ſperare eos debuiſſe de diuina bonitate & promiſſionibus, quòd multùm & ſemper, ſi continuè in obſeruantia mandatorum Dei perſeueraſſent. Prætereà, etſi modico tempore durare debuerit, illudque nouerint Iudæi; tamen etiam illo modico neceſſitatibus conſulendum, & præceptum Dei obſeruandum fuit.

Aliquáliter protractum Iudæorum imperium.

Dico Secundò, ſat diu eo tempore Iſraëlitarum imperium duraſſe, quia toto tempore regni Salomonis, & pro maiori parte regni Dauidis, tributa à gentibus illis ſoluebantur: Dauid enim expugnauit illas vel nono vel duodecimo anno regni ſui, vt varij variè opinantur, & vſque ad quadraginta annos regni gubernacula tenuit, 3. Reg. 2, 11. 1. Paralip. 29, 27. Salomon ſimiliter pacificè annis quadraginta regnauit, 3. Reg. 11, 42. 2. Paralip. 9, 30. adeoque circa ſeptuaginta annos horum Regum imperium durauit. Non ergo tam breue fuit, vt Dauid & Salomon, quò minùs ciuitates refugij conſtituere debuerint, ſicut à Domino imperatum fuerat, excuſari mereantur.

Hæc de præſenti difficultate (quam in vtramque partem defendi poſſe non ignoro, etſi poſteriorem ſententiam libentiùs ſequar) dicta ſufficiant: qui plura ſcire deſiderat, à me citatos Auctores adeat.

CAPVT XXVI.

De qualitate Terræ promiſſionis: quid Deus ſacriſque Scriptores de ea dixerint; quidque exploratores in ea inuenerint.

MVlta eaque illuſtria & excellentia ſunt, quæ de Terra promiſſionis aſſeruntur tam in ſacris quàm in profanis litteris, quibus dignitas, fertilitas, magnaque eius abundantia explicatur: quorum quædam nos adducemus pro noſtri inſtituti ratione, quibus eiuſdem Terræ ſanctæ explicabimus excellentiam, item vnde illa proueniat, ac denique in quo ſenſu intelligenda ſint quæ de ea in ſacris Bibliis dicuntur; quæ omnia quatuor diſtinctis Capitibus abſoluemus. In præſenti verò Capite duo videbimus: primò, quid de ea dixerit Deus, alijque ſacri Scriptores enuntiauerint; deinde, quid in ea viderint, & quid retulerint, qui eam explorarunt, quidque in ea inuenerint Iudæi quando eam occupauerunt.

Terra ſancta à Deo commendatur.

Vt à primo igitur ordiamur, Dominus Deus ipſe ſatis Terram repromiſſionis commendauit, quamuis breuiter & ſuccinctè, dum eam dixit lacte & melle manare, Exodi 3, 8. *Vt educam eum* (id eſt populum Iſraël, dixit ad Moyſen) *in terram fluentem lacte & melle.* Sed hoc poſteà explicabimus. Luculentiſſimis item verbis S. Moyſes Spiritu ſancto afflatus (nam eam ingreſſus non fuit, vt per experientiã de ea loqui potuerit) Deuteron. 8, 7. omnimodam terræ huius abundantiam hunc in modum explicuit: *Dominus enim Deus tuus* (loquitur ad Iſraël) *introducet te in terram bonam, terram riuorum aquarumq́, & fontium: in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi: terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, & malogranata, & oliueta naſcuntur: terram olei ac mellis. Vbi abſque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfruêris: cuius lapides ferrum ſunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur: vt cùm comederis, & ſatiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi*, &c. *à Moyſe.*

Fertilitas regionis in quo conſiſtit.

Conſideremus verba, quæ pulchrè intentum noſtrum explicant. In eo potiſſimùm videtur conſiſtere prouinciæ vel regionis alicuius fertilitas & abundantia, vt vel in ſe contineat abundanter omnia ad victum & veſtitum neceſſaria, vel ſi his omnibus

bus minùs abundet, affluat ſaltem quibuſdam, quæ alijs terris communicata, inde depromant ea quibus indiget, vt vel hoc pacto communi Reipublicæ bono prouideatur. Ab his iam Terræ promiſſionis fertilitas in aſſumptis verbis commendatur. Si enim ad terræ fertilitatẽ requiruntur aquæ, maximè perennes & viuæ, quæ numquam quouis euentu deficiant, hæ vtique in Terra promiſſionis eſſe perhibentur. *Introducet te Dominus*, ait Moyſes, *in terram bonam, terram riuorum, aquarumq; & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi*. vbi nomine *fontiũ* intelliguntur aquæ exiſtentes in origine; nomine *riuorum*, fluentes ab origine; & nomine *aquarum*, intelliguntur ſtagna, lacus & paludes: habent enim nomen commune. Ita in hunc locum Lyranus. Et ſanè ibi fontes ſunt, vt *ſignatus, Eliſei*, *lacus Geneſareth*, ſiue *mare Galilææ*, *fluuius Iordanis*; atque alijs inſuper alluitur & fecundatur aquis, prout non modò teſtari poſſunt qui eam peragrarunt aut inhabitarunt, ſed etiam varij & graues Scriptores affirmant.

Chananæa aquis affluit.

Ampliùs indeficientia & abundantia eius hiſce explicatur verbis: *In cuius campis*, &c. quibus & terra fecundatur herbis & fructibus varijs, quibus pecora aliáve animalia, & homines ſuſtentantur: ideò hominibus frumentum & vinum, & iumentis hordeum præbet. Locupletatur argento & auro, fortis redditur & munitur ære & ferro. quare ſubditur: *Cuius lapides ferrum ſunt*. Terra quoq; illa à mari vel fluminibus proximis abundans dicitur, quoniam per illa ad eam deuehuntur ea quibus indiget, atque iterùm aſportantur in alias regiones illa quibus ipſa abundat. Et vt omittamus vel mare Galilææ, vel flumen Iordanis quod eam pertranſit, proximum ei eſt Mare mediterraneum ſiue magnum, terminus eius Occidentalis, per quod ex varijs mundi partibus plura aduehuntur quibus fecundatur & ditatur. Hinc legimus 3. Reg. 5, 10. Salomonem per hoc mare miſiſſe Regi Hiram per ſingulos annos coros tritici viginti milia, in cibum domui eius, & viginti coros puriſſimi olei; & Hiram viciſſim Salomoni ligna cedrina, & alia quæ ad Templum Domini conſtruendum, & Regiam domum ædificandam, neceſſaria erant, quæ non inueniebantur in Terra promiſſionis quam inhabitabat.

Metallis ditatur ac munitur.

Mari proxima.

Inſuper Deuter. 15, 4. Deus ipſe Terræ huius abundantiam hiſce verbis expreſſit: *Omnino indigens & mendicus non erit inter vos*. Hic, ſecundùm probabiliorem quorumdam interpretationem, promittit Deus tantam Terræ huius abundantiam & vbertatem, vt nullus futurus ſit in ea mendicus. Qui ſenſus maximè Hebræo textui conuenire videtur; ſequitur enim immediatè, *Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus*. Neque promiſſio hæc illis verbis repugnat, *Non deerit mendicus in terra tua*, &c. nam promiſſio erat conditionata, ſi videlicet Dei præcepta obſeruaſſet. ſic enim poſt illam ſequitur: *Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris vniuerſa quæ iuſſit*. Et quoniam ſciebat Deus, conditionem illam non ſeruatum iri à Iudæis, prædicit: numquam defuturos mendicos apud ipſos, monetque vt illis benefaciant. Breuiter, eiuſmodi in ſe eſſe debebat Terra illa, vt nullus in ea Dei beneficio eſſet inops; multorum tamen malitiâ, crudelitate & iniuſtitiâ oppoſitum euenit: meruerunt enim vt Deus clauderet cælum ne plueret ſuper terram, & fertilitas in ſterilitatem, abundantia in penuriam verteretur.

Obiectionis ſolutio.

Apud Ezechielem cap. 20, 6. breui ſententia iterùm Dominus explicuit vel innuit terræ huius excellentiam, dicens: *Ego Dominus Deus veſter, in die illa leuaui manum meam pro eis, vt educerem eos de terra Aegypti, in terram quam prouideram eis, fluentem lacte & melle: quæ eſt egregia inter omnes terras*. & eodem cap. verſ. 15. conquerens de Iudæis, dicit: *Ego igitur leuaui manum meam ſuper eos in deſerto, ne inducerem eos in terram quam dedi eis, fluentem lacte & melle, præcipuam terrarum omnium, quia iudicia mea proiecerunt*, &c.

De eadem, antequam vaſtaretur à Nabuchodonoſor & Chaldæis, dixit Dominus apud Ioëlem cap. 2, 3. *Quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti*. In quem locum Gloſſa ordinaria inquit: *Sicut Paradiſus repletur omni amœnitate, ſic terra Iudæorum plena erat omnibus bonis, antequam Nabuchodonoſor illam vaſtaſſet*.

Quaſi hortus voluptatis.

Fecunditatem præterea Iudææ, quamuis pinguedine & amœnitate videatur alijs prouincijs huius regionis inferior, eximiam eſſe, præſertim propter maximarum & vberrimarum vitium & vinearum copiam, vaticinatus fuit S. Patriarcha Iacob, dum morti proximus benedixit Iudam filium ſuum, dicens: *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum*, Geneſ. 49, 11. Quem locum ita interpretatur Lyranus: *Poſtquam Iacob prædixerat, dignitatem Regiam futuram in tribu Iuda, cœpit prædicere conditionem terræ, quam in ſortem debebat accipere, quæ fuit valdè fertilis vino & lacte. Et hoc eſt quod dicitur, Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem*

Iudæa fecunditas, & vini præcipui.

Magna Terræ ſanctæ abundantia.

vitem asinam suam; per hoc designans, quòd in vno stipite vitis posset de vuis onerari vna asina vel pullus. vnde in Hebræo habetur, Et ad palmitem filium asini sui. Et idem significat quod subditur, Lauabit in vino stolam suam. ac si dicat, Tanta abundantia vini erit, quòd possent inde lauare pannos, & est locutio hyperbolica. Hæc vbi suprà Lyranus.

Nos ad idem aliter possemus interpretari benedictionem eamdem Iacob, consideratâ consuetudine quâ vineæ & vites in ijs partibus excoluntur. Cùm enim vinitores vites purgant, ferè omnes præcidunt palmites, & solum vitis truncum relinquunt, nec ligno eum vel alteri cuilibet fulcimento ligant vel adnectunt; tempore verò fructuum supponunt lapides, vel arundines, vel ligna, secundùm vuarum & racemorum multitudinem & magnitudinem. Quòd si eamdem consuetudinē antiquitus obseruarunt huius regionis ruricolæ, vt obseruasse valdè est probabile, sanè in hac sua benedictione sanctus Patriarcha mirè extulit fertilitatem regionis quæ obuenire debebat tribui Iudæ, singulariter propter vbertatem vitium, quæ tales esse debebant, vt ob magnitudinem & multitudinem botrorum, palo & forti ligno, ad quod asina & pullus ligari possent, ne ad solum vsque propenderent, sustentari deberent; è quibus tanta vini copia proueniret, vt in eo, velut in aquâ, vestes lauari possent. Qua posteriore similitudine vsus etiam fuit S. Iob, quando felicis & opulenti status sui conditionem explicare voluit, dicens cap. 29, 2. *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundùm dies quibus Deus custodiebat me?* &c. *Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei?* Alia Domini dicta inueniuntur in huius Terræ commendationem; sed hæc satis.

Vinearum Palæstinæ cultura.

Sed quid in ea viderunt, aut de ea retulerunt exploratores, & quid in ea inuenerunt aduentantes Iudæi? quod secundo loco à nobis suprà est propositum. De parte Orientali Terræ promissionis, quæ vltra Iordanem est, dixerunt filij Ruben & Gad ad Moysen & Aaron: *Terra quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israël, regionis vberrima est ad pastum animaliū*, Num. 32, 4. *Terram optimam*, & *egregiam* vocauit Moyses Deut. 4, 21. *Desiderabilem* dixit Propheta Regius Psal. 105, 24. *Pro nihilo*, inquit, *habuerunt terram desiderabilem.* Et eodem nomine Zacharias 7, 14. eam appellauit, dicens: *Et posuerunt terram desiderabilem in desertum.*

Iudæi ipsi quid de Terra sancta vbertate dixerint.

Sed quid dicendum est de illius Meridionali parte, quæ occurrit à transitu Iordanis, antequam Dominus Sodomam, Gomorrham, & alias finitimas ciuitates subuerteret? Moyses Genes. 13, 10. qualem viderit Lot, his verbis describit: *Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circà regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, sicut Paradisus Domini, & sicut Aegyptus venientibus in Segor.* Vide quàm egregia fit regionis huius pars, vt propter suas delicias, aquarum abundantiam & amœnitatem, paradiso Domini, & parti Ægypti qua venitur in Segor, quæ pulcherrima est, comparetur, vt hic dicit Lyranus.

Transeuntium regionis delitiæ & opulentia.

Exploratores à Moyse de deserto missi ad hanc terram explorandam, cùm quadraginta dierum spatio eam perlustrassent, hæc quæ viderunt retulerunt filijs Israël, vt legitur Num. 13, 22. & seqq. *Cumq; ascendissent* (scilicet exploratores) *explorauerunt terram à deserto Sin vsque Rohob intrantibus Emath. Ascenderuntq; ad meridiem, & venerunt in Hebron, vbi erant Achiman & Sisai & Tholmai filij Enac: nam Hebron septem annis ante Tanim vrbem Aegypti condita est. Pergentesq; vsque ad Torrentem botri, abscinderunt palmitem cum vna sua, quem portauerunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis & de ficis loci illius tulerunt: qui appellatus est Nehelescol, id est, Torrens botri, eo quòd botrum portassent inde filij Israël. Reuersiq; exploratores Terra post quadraginta dies, omni regione circuita, venerunt ad Moysen & Aaron & ad omnem cœtum filiorum Israël in desertum Pharan, quod est in Cades. Locutiq; eis & omni multitudini ostenderunt fructus Terræ: & narrauerunt, dicentes: Venimus in Terram, ad quam misisti nos, quæ re vera fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognosci potest: sed cultores fortissimos habet, & vrbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi.* Collige igitur, quod ipsi intendebant, ex magnitudine & pulchritudine fructuum, hominumque proceritate, Terram illam fuisse egregiam & optimam; nam non gignit vberes & optimos fructus, & gigantes, terra vilis & infecunda.

Exploratores à Moyse missi, quid de eiusdem terra fertilitate retulerint.

Iudicum cap. 18, 8. quidam ex tribu Dan profecti ad explorandam ciuitatem Lais (quæ & *Lesemdam* appellatur, Iosue 19, 47. & tempore Christi & nunc *Cæsarea Philippi*, quæ est in finibus Terræ promissionis ad partem Septemtrionalem, prope fontes *Dan* & *Ior*, ex quibus Iordanis fluuius oritur) ea explorata, hæc dixerunt fratribus suis in Saraa & Esthaol: *Surgite, & ascendamus ad eos: vidimus enim terram valdè opulentam & vberem. nolite negligere, nolite cessare: eamus, & possideamus eam, nullus erit labor. Intrabimus ad securos, in regionem latissimam, tradetq; nobis Dominus locum, in quo nullius*

Digitized by Goog

nullius rei eſt penuria eorum quæ gignuntur in terra.

Filij Simeon, vt dicitur 1. Paralip. 4,39. *profecti ſunt vt ingrederentur in Gador* (hîc habitabat populus qui remanſerat de genere Chananæorum) *vſque ad Orientem vallis, & vt quærerent paſcua gregibus ſuis. Inueneruntq; paſcuas uberes & valdè bonas, & terram latiſſimam, & quietam & fertilem, in qua antè habitauerant de ſtirpe Cham.*

Fluere lac & mel dicitur propter omnium bonorũ abundantiam.

Dicitur in ſacris Litteris, hanc Terram fluere lacte & melle, vt Exodi 3, 8. Ieremiæ 11, 5. & alibi frequentiſſimè, non ob id præcisè quòd lacte & melle abundaret, apibuſve & animalibus lactiferis; ſed quia etiam omnibus alijs, quæ ad commodum victũ neceſſaria erant, affluereret: qua loquendi phraſi vſus etiam fuit Ouidius Poeta, aureæ ætatis felicitatem 1. Metamorph. ſequentibus verſibus explicans:

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flauaq; de viridi ſtillabant ilice mella.

Et omnia dulcia, mellis nomine, vt aquas, ſaccharum, ficus, vuas, dactylos, ſignificari, docet Genebrardus ad ea verba Pſal. 80, 17. *De petra, melle ſaturauit eos.*

Hocque ita eſſe, dupliciter probatur. Primò ex dictis ſuperiùs, & præſertim ex Deuteron. 8, 8. ſigillatim verò cap. 32, 13. vbi hæc ſunt verba: *Conſtituit eum ſuper excelſam terram: vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra, oleumq; de ſaxo duriſſimo. Butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ biberet meracíſſimum.* Secundò ex dictis illorum exploratorum quos miſit Moyſes, quorum anteà meminimus. Hi enim cùm detuliſſent fructus quos aſportauerant, vuam ſcilicet, malogranata, & ficus, dixerunt: *Venimus in terram ad quam miſiſti nos, quæ re vera ſluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognoſci poteſt.* & tamen iſti fructus non erant lac, nec mel. Abundantia ergo aliarum rerum, maximè comeſtibilium, lactis & mellis nomine commendantur.

Num. 13, 28.

Lacte ac melle propriè abundabat Chanaan.

Verè tamen lacte abundabat, propter paſcua pinguia & abundantia, quibus paſcebantur oues, capræ, & vaccæ, lac abundanter præbentes: & flores non deerant quibus apiculæ mellificabant. Et hoc confirmari poteſt ex Lyrano in 1. Reg. 14. qui, expendens factum illud Ionathæ filij Saul, qui cum alijs de populo Dei perſequebatur Philiſthijm (quod 1. Reg. 14, 25. ſic narratur: *Omne terræ vulgus venit in ſaltum, in quo erat mel ſuper faciem agri. Ingreſſus eſt itaq; populus ſaltum, & apparuit fluens mel*, &c.) ita loquitur: *Apes enim mellificabant in arboribus in tanta copia, quòd mel inde manabat ad terram: & propter talem copiam Terra promiſſionis dicitur manans lacte & melle, in pluribus locis.* Et hoc ipſum priùs dixerat in cap. 32. Deuter. Et hoc eodem loco Abulenſis quæſt. 4 & ex eo quòd Matthæi 3, 4. dicatur Ioannem Baptiſtam in deſerto manducaſſe mel ſilueſtre, quod obuium & ſine labore habere poterat; quodque Samſon repererit in ore leonis mortui fauum mellis, Iudic. 14, 8. indicat illius abundantiam.

CAPVT XXVII.

Quid exteri veteres Scriptores, & nonnulli ex Eccleſiaſticis de fertilitate Terræ ſanctæ retulerint: quidque hodie in ea inueniatur, aut de eadem affirmare poſſimus.

CApite præcedenti notauimus nonnulla in commendationem Terræ ſanctæ, quæ à Deo & Sanctis eius prolata fuêre, & ab Iſraëlitis inuenta, quando vel eam explorauerunt, vel ad illam inhabitandam ingreſſi fuerunt: in præſenti, quid de eiuſdem Terræ excellentia exteri, & nonnulli Eccleſiaſtici Scriptores dixerint, & quid de ea quoad modernum ſtatum ſit enuntiandum, aperiendum eſt.

Rabſaces Iudæorum hoſtis de fertilitate Chananitidis diſſum.

In primis Rabſaces hoſtis Iudæorum enarrat, nomine Regis ſui Babylonis, Terræ huius fertilitatem, dicens Iudæis 4. Regum 18, 32. *Transferam vos in terram, quæ ſimilis eſt terræ veſtræ*, hoc eſt æquè fertilis. In quo verò ſimilis ei ſit, ſequitur: *In terram fructiferam, & fertilem vini, terram panis & vinearum, terram oliuarum, & olei ac mellis.* Quæ eadem breuius ponuntur Iſaiæ 36, 17. *Tollam vos ad terram quæ eſt vt terra veſtra, terram frumenti & vini, terram panum & vinearum.*

Hecatæi Abderitæ.

Deinde Hecatæus Abderita, de quo ſuprà in calce Capitis XXIV. de Iudæis dixit, eos poſſidere *panè decies trecenta millia iugera terrarum optimarum vberrimæ prouinciæ.*

Ariſtæus.

Ariſteas, qui ſcripſit hiſtoriam de tranſlatione Scripturæ per ſeptuaginta duos Interpretes, quin & ipſemet eos ex Iudæa in Ægyptum ad Regem Philadelphiam duxit, hæc ſcripta de fertilitate Terræ Iudæorum reliquit. *Regio eorum conſita eſt arboribus oliuarum, & ferax omnis generis frumenti, & leguminum: adhæc vineis & mellificio abundat. Palmæ verò, & aliæ frugiferæ arbores ſunt innumerabiles apud ipſos: item iumenta & pecora omnis generis multa, & paſcua uberrima. Præterea immenſa copia aromatum, & lapidum pretioſorum, & auri im-*

portatur eò per Arabes; nam regio ad cultum & negotiationem eſt idonea: & ciuitas abundat arcibus. Non deeſt ei quidquam eorum quæ mari aduehi ſolent, cùm habeat portus opportunos, qui abundè ſuppeditent res, & Aſcalonis, & Ioppes, & Gazæ, ſimiliter etiam Ptolemaidis. In horum locorum quaſi medio ſita eſt vt ipſa ciuitas, per ſe ipſam abundè habens omnia, cùm ſit irrigua vndique aquis, & ad magnam ſecuritatem munita. Nam Iordanis fluuius ille circumfluit ipſam, in ſe ab antiquo continentem non minus aruorum quàm ſex millia myriadum. Deinde ex vicinia ſexaginta myriades hominum in ipſam peruenerunt, qui ſinguli poſſeſſionem centum iugerum agri ſunt conſecuti. Fluuius autem, perinde vt Nilus, circa tempus ſolſtitij æſtiui exundans, multum terræ irrigat. Sic Ariſtæas.

Ioſephi Hebræi elogiũ Terræ promiſſionis.

His adde Ioſephum Hebræum, qui tempore Chriſti & Apoſtolorum floruit, & de Iudææ fertilitate in libro 5. Antiq. cap. 1. ita ſcripſit: *Iudæa natura talis eſt, vt videre liceat campos magnos, & frugum & fructuum feraciſſimos: qui collati ad aliam terram, admodum vberes videri poſſent. Quòd ſi ad Ierichuntinum vel Ieroſolymitanum agrum conferantur, iam non magni pretij videbuntur, cùm hi tamen agri parui ſint, & bona ex parte montani; ſed quantum ad fertilitatem attinet, nullis alijs ſecundi.* De agri autẽ Ierichuntini fecunditate lib. 5. de Bello Iudaico, cap. 4. quæ ſequuntur ſcribit: *Optimos habet paradiſos, palmarumq́, irriguarum genera tam ſapore quàm nominibus varia; quarũ pinguiſſima calcibus preſſa, plurimũ mellis emittunt, non multò deterius alio melle. Quamquam & mellis altrix eſt illa regio, & opobalſami ferax, qui omnium cariſſimus eſt fructus ibi naſcentium. Itemq́, cedrum, & myrobalanum gignit. Ergo qui diuinum eſſe illum tractum dixerit, nequaquam errauerit, quippe ibi & copioſa & optima proueniunt, quæ alibi ſunt cariſſima. Sed nec in alijs fructibus aliqua facilè toto orbe regio ei certauerit, adeò multiplicatum, quod ſatum eſt, reddit.* Huc vſque Ioſephus.

Alij poſt hos, qui de Palæſtina & locis ſanctis ſcripſerunt, plura in commendationem illius fertilitatis dixerunt: ſed quoniam ferè conueniunt, vnum vel alterum dumtaxat ex illis qui longam in partibus iſtis moram traxerunt audiamus. Brocardus, qui ante annos trecentos vixit, nempe poſtquam Iudæa imperio Saracenorum iam ſubiecta eſſet, totumque decennium in iſta regione diligentiſſime perluſtranda conſumpſit, vnus ex præcipuis Scriptoribus qui de Locis ſanctis ſcripſerunt, de illius regionis fertilitate & dignitate, in libro quem ſcripſit de Terra ſancta par. 2. cap. 7. ſequentia, oculatus ipſe teſtis, litteris conſignauit. *Non eſt credendum*, inquit, *quibuſdam contrarium nuntiantibus; neque enim eam diligenter conſiderarunt. His oculis vidi, quanta fertilitate Terra benedicta fructificat: frumentum enim, terrâ vix exculsâ, ſine ſtercore & ſimo mirabiliter creſcit & multiplicatur. Agri ſunt veluti horti, in quibus fœniculum, ſaluia, ruta, roſa, paſſim creſcunt. Ibi bombyx affluit, cannanellæ abundant, ex quibus ſaccharum extrahitur. Sunt ibi cedri, citri, limones, anarangi ſuauiſſimi, & optimi odoris; qui per anni circulum continuè ſeruantur in arboribus: ſunt & quædam poma citrina magna, ex quibus electuaria pretioſa valdè conficiuntur. Sunt & fructus, dicti poma paradiſi, penitus admirabiles. Porrò hæc creſcunt in modum botri vuæ; & eſt botrus ille interdum magnus vt cophinus ſeu ſporta: habet grana interdum centum, & nonnumquam plura, in modum vuæ: ſunt autem longa, ad quantitatem ſex digitorum; & nonnumquam ſpharica, ad quantitatem oui gallinæ; ſaporis verò delicatiſſimi, & dulcis vt eſt mel. Grana ſemen intus non habent, ſed tota eorum ſubſtantia comeſtibilis eſt. Fructus iſte vix vno anno creſcit & maturatur. Arbor citò deficit: eſt enim eius periodus trium annorum vt plurimùm; qua ineſcente, alia ex radice prodire incipit; & hac item poſteà ineſcente, procedit tertia, & ſic deinceps. Folia eius arboris longa ſunt inſtar hominis ſtaturæ: lata vſque adeò, vt duo totum hominem contegant. Vinum Terræ ſanctæ pretioſum valdè eſt & ſuaue, præcipuè circa Bethlehem; & nonnullibi eadem vitis ter in anno fert vuas, & maturat omnes ſuo tempore. Ficus, malogranata, oleum, mel, pepones, citrulli Babylonici, & omnium generum legumina, & frumentum optimum, in Terra ſancta vberrimè colliguntur. Panem adeò ſapidum & delicatum non comedi, qualem in Ieruſalem. Sues ſilueſtres, lepores, capreoli, dama, perdices, coturnices, quantum ibi abundent, panè eſt incredibile dictu. Plurimum eſt ibi leonum & vrſorum, aliarumq́, ferarum: camelorum autem incredibilis multitudo, quorum ego in vno grege paſcentium vidi tria millia, pluresq́, etiam dromedarios. Vidi vnicornes: denique illic exſtant omnia mundi bona, & verè terra illa fluit riuis lactis & mellis.* Hæc Brocardus.

Brocardi.

P. Bonifacius, qui per nouennium Pontificis ſummi auctoritate Guardianatus officio functus eſt in Ieruſalem, quique totam Palæſtinam diligentiſſimè, ac quis alius, perluſtrauit, plura ſparſim ſcripſit in libello quem de Perenni cultu Terræ ſanctæ conſcripſit, in illius fertilitatis & excellentiæ commendationem.

Bonifacij Cardinalis Vitriacus in Hiſtoria Ieroſol. & Sanctus de Terræ ſanctæ fertilitate aliqua duſſerunt.

Ioannes Baptiſta Villalpandus Tomo 2. *Villalpandi*

in

in Ezech. par. 2. lib. 5. diſp. 3. cap. 45. ex alijs plura dicit, quibus exaggerat, & eleganter explicat vbertatem Terræ promiſſionis, ſed hoc tantùm referamus. *Palæſtina*, inquit, *eſt in Aſia: Aſia verò tam opima eſt & fertilis, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat.* Quare priùs dixit, Ciceronem Aſiam præferre reliquis Romani imperij Prouincijs, & plus ex ipſa quàm ex illis prouentus & cenſus populum illum collegiſſe. *Et id ompe*, inquit, *vna Palæſtinorum regio quaſi ſuo iure ſibi vendicat.* Et poſt hæc in fine illius capitis concludit: *Dicamus igitur quod reuerà eſt, & iuxta Ciceronis præſcriptam rationem huius regionis vbertatem & opes cum reliqua Aſia conferamus, ac inueniemus, tantò Aſiam à Palæſtina tum ſoli vbertate, tum diuitijs, tum gloria, Salomonis potiſſimùm ætate, ſuperata fuiſſe, quantò Palæſtina ſoli amplitudine, locorum multitudine & varietate ab Aſia ſuperatur.* Hæc ex Villalpando.

Palæſtina alijs Aſiæ regionibus opulentior.

Vinum Chananæa optimũ, & rubrum, iuxta Villalpandum.

Et idem Villalpandus Tom. 3. lib. 3. c. 22. ex conditione vini Terræ ſanctæ, quod vt plurimùm rubrum fuiſſe probat, obiter fertilitatem huius Terræ demonſtrat. ſic verò ait: *In memoriam reuocandum eſt primùm, vina Palæſtinæ rubra vt plurimum, ita vt vinum* חמר chemer *dicatur, hoc eſt* rubrum, *atque ob nimiam rubedinem & craſſitudinem ſimul* דם dam, *hoc eſt* ſanguis, *vocetur. Cuius rei celebre extat Moyſis teſtimonium. Et ſanguinem, inquit, vua biberet meraciſſimum; hoc eſt, vinum coloris ſanguinei. Loquebatur autem de ipſa Palæſtinæ regione, vtpote à Deo populo ſuo beneficij loco promiſſa & donata; cuius feracitatem atque pinguedinem illis verbis deſcribit, quòd ſit rubri ac pinguiſſimi vini ferax. Atque huiuſmodi vinum, omnium ferè Scriptorum aſſentiente iudicio, pondere grauius eſt communi & albo, ſicut ſubſtantiâ craſſum magis & magis colore obſcurum*, &c. Hactenus ille.

Deut. 32, 14.

Hodie pro maiori parte album, optimum tamen.

Hoc tamen tempore tam Palæſtinæ ſiue Terræ ſanctæ quàm etiam Syriæ vina, pro maiori parte alba ſunt, & non niſi magna cum diligentia & difficultate modicum rubrum conficitur à Fratribus Ieroſolymæ degentibus, vel pro infirmis, vel [illegible] ad modicè ſumendum in ſolemnitatibus (ſed hoc tarò faciunt) quod quidem optimum eſt.

Vinum Libani præſtantiſſimum.

Oſee 14, 8. hæc habentur: *Memoriale eius ſicut vinum Libani.* quæ verba Lyranus & alij vere interpretantur de vino quod in Libano monte prouenichat, quod præſtantiſſimum eſt, vt qui loca ſancta adierunt, & de eiſdem ſcripſere, tradunt. Cui veritati addo, quòd licet vinum illud optimum ſit, communiter tamen album eſt, quia non eſt tanta copia vuarum rubearum, vt ex illis poſſit confici magna copia vini rubri: quamuis non me lateat, etiam fieri rubrum, etſi modicum, & communiter ex vuis albis & rubeis ſimul preſſis, quod optimum quidem eſt, vt expertus fateri poſſum. In proximis etiam & circumiacentibus locis, vt Tripoli Syriæ, Damaſci, Alepi, &c. vina communiter alba fiunt. Et etiam quæ in regno Cypri naſcuntur, potiùs alba mihi videntur dicenda, quàm rubra; etſi, quòd ſatis turbida ſint, ad rubedinem tendere videantur. Et ſanè omnia iſta vina optima ſunt, quamuis non ſint rubra. Ita me docuit experientia rerum magiſtra.

Vini Cypri conditio.

Olim quando regio iſta in meliori ſtatu erat, & ſingulari beneficio à Deo inuiſebatur, fieri poteſt quòd pro maiori parte vinum rubrum, vt melius, produxerit, ſicut nunc pro maiori parte album præbet, ex quo ferè à Deo derelicta eſt, quamuis illud aſſerere non videam neceſſarium. Sed quidquid ſit de hoc,

Vinũ quodlibet ex bonitate, rubrum ſanguiſve dici poteſt.

Ad auctoritatem Moyſis reſpondeo, illam fortaſſe non officere eis quæ à nobis dicta ſunt: vinum etenim Palæſtinę rubrum, ſanguinem potuit appellaſſe Moyſes non ob colorem, ſed ob eius bonitatem, optimum ſuccum, & quòd multum ſanguinem gignat; eiuſmodi enim vſque hodie producere, mihi certè perſuadeo. Et in tali ſignificatione videtur Eccleſia accepiſſe vinum, dum in Hymno primarum Veſperarum Epiphaniæ, in quo fit alluſio ad optimum vinum ex aqua à Domino noſtro in nuptijs illis in Cana Galilææ celebratis factum, dicit:

Nouum genus potentiæ:
Aquæ rubeſcunt hydriæ, &c.

Et tamen certum eſt, non coloris, id eſt rubedinis, factam fuiſſe mentionem, ſed bonitatis: ſic enim dixit architriclinus ad ſponſum: *Seruaſti bonum vinum vſque adhuc*, Ioan. 2, 10. Ita in propoſito dicere poſſemus, Moyſen potiùs ad bonitatem, quàm ad colorem vini reſpexiſſe, dum dixit: *Et ſanguinem vuæ*, &c. Et hæc tam à ſacris quam à non ſacris Scriptoribus de fecunditate & fertilitate Terræ ſanctæ dicta, hac ratione confirmari poſſunt.

Prædictorũ cõfirmatio.

Terra promiſſionis poſſeſſa à Iudæis, exigua & anguſta fuit, vt oſtendimus ſuperiùs Cap. XXIV. & inferiùs Cap. XXX. adhuc dicemus; & tamen fermè innumerabilem hominum multitudinem commodè alebat. In libro Ioſue capp. 10. 11. & 12. legimus, plurimos in ea fuiſſe Reges, vnum videlicet ſupra triginta, & innumerabilem populum: & Moyſes in Deuter. 7, 1. ſcribit, ſeptem ibi fuiſſe gentes, multò numeroſiores quàm

Exanguſtia Chananæa & multitudine habitatorum illius abundantia deprehenditur.

eſſet gens Hebræorum. Et poſtquam, iſtis gentibus expulſis, obtineretur & poſſideretur à Iudæis tempore Dauidis, eoque iubente recenſiti eſſent qui idonei erant ad bellum, inuenta ſunt quindecies centena millia bellatorum, vt dicitur 1. Paral. 21, 5. *Inuctus eſt omnis numerus Iſrael, mille millia, & centum millia virorum educentium gladium: de Iuda autem quadringenta ſeptuaginta millia bellatorum. Nam Leui & Beniamin non numerauit Ioab, eò quòd inuitus exequeretur Regis imperium.* Multitudo autem bellatorum in ciuitate aliqua vel prouincia cenſetur tamquam quarta pars totius communitatis, maximè apud Hebræos, qui, niſi à viginti annis & ſupra, non conſcribebantur ad militiam, omiſſis nimirum omnibus qui in minore ætate erant conſtituti, item feminis; quarum plures coniugio ſibi iungebant Iudæi, vt & qui propter ſenilem ætatem ad bellandum inualidi atque inepti erant.

Quarta pars multitudinis cenſentur bellatores in ciuitate.

Tantam porrò multitudinem hominum in regione tam anguſta commodè vitam agere potuiſſe, clariſſimum argumentum eſt maximæ fertilitatis & vbertatis eius regionis. Plures & inſignes ex ea operarij prodiere, ſicut Templum & domus Regia Salomonis, aliaque egregia ædificia, breui tempore conſtructa, demonſtrant. Similiter & auri argentique multitudo, quæ erant tempore Salomonis in Ieruſalem, de qua 3. Regum 10, 21. & multitudo frumenti & animalium, quæ inſumebatur tum in Sacrificijs, tum in victu domus Regiæ Salomonis, de qua 3. Reg. 4, 22. legitur, opulentiſſimam egregiamque fuiſſe.

Terra promiſſa poſſeſſione multis ob illius opulentiam affectarum.

Hoc ipſum demonſtrat quod dicit Ioſephus, elapſis à morte Chriſti quadraginta annis, quando nimirum Titus obſedit Ieruſalem, vndecies centena hominum millia interijſſe, & centum millia in captiuitatem abducta fuiſſe, qui omnes ibi ſuſtentabantur. Et magna eius opulentia & feracitas in cauſa fuit, vt nedum à vicinis, ſed etiam à longè diſſitis Regibus, Ægyptijs, Aſſyrijs, Babylonijs graues pateretur incurſus, omniumque ob fecunditatem ſuam inuidiam experiretur. Ex quibus omnibus liquidò conſtat, Terræ ſanctæ regionem valdè præſtantem atque eximiam omnibusque bonis opulentam & refertam fuiſſe.

Terra ſancta nostro tempore eſt vaſtata & deſolata.

Sed qualis nunc eſt? quænam eſt hodiernis temporibus huius terræ conditio? Heu! heu! heu! Quis non ſtupebit? quis non contremiſcet? quis non imbres effundet lacrymarum, ſi quæ modò de priſco eius ſtatu dicta ſunt conſideraverit, & proprijs oculis quæ moderna eius ſit facies inſpexerit? Nunc ergo, ex quo *hereditas noſtra verſa eſt ad alienos* (vt verbis Ieremiæ vtar, Threnorum 5, 2.) redacta ſub Turcarum & Saracenorum tyrannidem, omni decore, omni amœnitate ſpoliata eſt. Hortus voluptatis, & paradiſus Domini, in deſertum & ſpeluncam latronum verſus eſt. Illius ciuitates, olim opulentiſſimæ, iam vix nomen oppidi retinent; & plures ſunt, quarum nulla eſt memoria, dirutæ enim ſunt & ſolo æquatæ: arces & illuſtria palatia vel ſunt exciſa & euerſa, vel in abiectiſſima tuguria commutata, atque tota regio deuaſtata, & tantùm non in ſolitudinem redacta.

Ieroſolymis habitantiũ numerus.

In Ieruſalem, præcipua ciuitate, ſex mille homines fortè erunt ſecundùm quoſdam: at ſint decem mille; ſed quid hæc, ſi reſpicias milliones eam olim tum frequentantium, tum inhabitantium? Quàm pauci ergo, putas, erunt in alijs vrbibus, Ieroſolymæ nedum non æqualibus, verùm & multò minoribus & infrequentioribus? Verè igitur *relicta eſt domus noſtra deſerta.*

Aquarum inopia.

Nunc plures, qui olim fluebant, fontes obſtructi ſunt; non ea fructuum aliarumque rerum cernitur abundantia: nõ ibi exercentur mercatus, adeoq; nec mercium nec hominũ vllus apparet concurſus. Non Rectorum ciuitatis bonum ibi regimen, quoniam tyranni, Iudices infideles, fures, & ſocij furũ ſunt. Non eſt probitas vlla inhabitantium, quoniam, paucis exceptis Chriſti fidelibus & Catholicis, omnes vel infideles ſunt, vel ſchiſmatici & hæretici, adeoque Chriſtianæ Catholicæ religionis hoſtes acerrimi.

Rectorum & habitantium conditio.

Prædictiones miſeriarũ nunc implicitæ.

Nunc adimpletum vides, quod præteritis ſæculis vaticinati fuêre Dauid, & Iſaias, & ipſemet Saluator Chriſtus. Pſalmiſta, dum ſic ait: *Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim: Terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea,* Pſalm. 106, 33. Iſaias, dum ſic prophetat: *Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni: regionem veſtram coram vobis alieni deuorant, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili. Et delinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas quæ vaſtatur.* Cap. 1, 7. Chriſtus denique Dominus, dum Iudæis dixit: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta,* Matth. 23, 38. & iterùm protuſis lacrymis ſuper eam apud S. Lucam cap. 19, 41.

Terra prælata ſerè ſola locorũ ſanctitate gaudet.

Dicerem, nec mentirer, Terram hanc ſolam ferè gaudere ſanctitate locorum in quibus conceptus, natus & mortuus eſt Saluator noſter, quorum gratiâ à peregrinis viſitatur, & aliqui in ea fideles habitant, qui eleëmoſynis & pane lacrymarũ ſuſtentantur. Quare poſſumus dicere cum Iſaia poſt verba ſuperiùs adducta: *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus,*

&

& quasi Gomorrha similes essemus. Hoc est, si Dominus præsentiâ suâ, quâ terram hanc sanctificauit, & cui continuè assistit, velut semine eam non fecundasset, redacta esset in fauillam & cinerem, sicut olim redactæ fuerunt Sodoma & Gomorrha ob inhabitantium peccata: nec essent habitatores, nec vlla illius memoria. Sed Deo gratias agamus; deprecemurque, vt in ea, velut semen, maneant pietatis, deuotionis & bonorum operum fructus, qui & ipsi in mentibus inhabitantium fidelium, velut alia semina quibus sanctæ Ecclesiæ ager seritur, fructus producant qui maneant in vitam æternam.

CAPVT XXVIII.

Vnde fertilitas & abundantia Terræ promissionis prouenerit, ex eius natura, hominumque industria, an ex peculiari Dei beneficio.

DVobus proximè antecedentibus Capitibus singularia & eximia quædam diximus in commendationem fertilitatis & abundantiæ Terræ promissionis, modò inquirendum est, an tanta opulentia ei prouenerit ex eiusdem regionis naturali conditione, hominumque industria, an è cælo: id est, An illa fertilitas fuerit naturalis, Deo solo generali concursu ad illam concurrente, sicut ad alias concurrit regiones; an potiùs miraculosa, non solùm ab illius naturali conditione & communi Dei influxu, sed singulari etiam concursu influente.

Abundantiam & fertilitatem Terræ promissæ naturalem fuisse qua probent.

Quòd naturalis fuerit, omnia ferè in proximè superioribus Capitibus ex sacris & profanis Scriptoribus in Terræ huius commendationem adducta testimonia, si, vt sonant, accipiuntur, demonstrare videntur.

Quibus adhuc ratio alia adstipulatur. Nam terra illa antequam possideretur à filijs Israël, dicebatur fluere lacte & melle: & exploratores ad eam missi, fructuum copiam vberrimam inuenerunt, & fructibus ex illa adportatis ad filios Israël, illius fertilitatem comprobarunt. Et sanè non miraculosè, sed naturaliter illos productos fuisse statuendum est: nec enim credendum est, Deum maioribus vel æqualibus beneficijs cumulasse Chananæos & idololatras illos Terræ promissionis incolas, qui breui ob suas iniquitates de ipsa eijciendi erant, quàm cumulauit Iudæos, dilectum & electum suum populum. Verba etiam illa Moysis, ex octauo Deuteronomij capite superiùs Cap. xxvi. adducta, fauent huic parti: nam flumina, fontes, oliueta, metalla, &c. quibus excellentiam eius commendauit, naturalem ordinem non excedunt. Quin & posteà à Saracenis infesta, eamdem ex parte retinuit fecunditatem.

Quæ eam supernaturalem fuisse euincant.

Sed enim non præcisè naturalem, sed potiùs supernaturalem fuisse, ex peculiari inquam Dei beneficio magis prouenisse, ex alijs dicere cogimur: in primis verò, quoniam regio hæc magnam semper aquarum penuriam passa fuit, vt ex sacris Litteris colligimus; quam eamdem vsque modò pati, experientiâ nouimus. Ideò Scriptura refert nobis pastorum iurgia propter aquas, aliorum item earumdem desiderium & habendi sollicitudinem. Quare cisternis iuuatur, quibus cælestes recipit pluuias: quæ aliquando dissipantur, non valentes continere aquas, vt apud Ieremiam cap. 2, 13. dixit Dominus, vtpote quæ sæpè vix sufficientes, ne dicam abundantes, aquas reciperent: quæ causa fuit, atque etiamnum est, quòd multùm æstimentur, vt experti affirmamus.

Gen. 26, 14.

Terra repromissionis inaquosa.

Vnde Aristæo, quem Capite superiore adduximus, non credimus, dum Ierusalem aquis vndique irriguam facit, & Iordane circumflui adstruit: hæc enim à veritate penitus sunt aliena: eamque tum olim aquis caruisse, tum modò etiamnum carere, ex Scriptoribus probatis & priuata experientia scimus; vt taceam, quòd Iordanis fluuius triginta & ampliùs milliaribus à sancta ciuitate distet.

Guilielmi Tyrij dicta de sterilitate Ierosolymitanam soli.

Sed & Tyrius lib. 8. cap. 4. Belli sacri, miratur, Solinum dicere, Iudæam & Ierusalem aquis abundasse, & illum reijcit. *Est etiam locus,* inquit, *in quo ciuitas sita est aridus & inaquosus, riuos, fontes, ac flumina non habens penitus, cuius habitatores aquis tantùm vtuntur pluuialibus. Mensibus enim hibernis in cisternis, quas in ciuitate habent plurimas, imbres solent sibi colligere, & per totum annum ad vsus necessarios conseruare. Vnde miramur plurimùm, quòd Solinus dicit Iudæam aquis esse illustrem. ait enim in suo Polyhistore: Iudæa illustris est aquis, sed natura non eadem aquarum. Nec aliquid nobis pro solutione occurrit, nisi vt dicamus, aut eum rei veritatem non esse assecutum, aut terræ pristinam faciem postmodum immutatam,* &c.

Defectus frumenti & aliarum rerum frequenter passa Palæstina.

Deinde frumenti aliarumque rerum frequenter passam fuisse penuriam, nouimus. Quare veteres illi Patres propter famem ex illa ad alias regiones, vbi earumdem copia suppeteret, commigrabant, vt patet de Abraham Genes. 12, 10. Isaac, Genes. 26, 1. Iacob, & huius filijs, Genes. 46, 5. Elimelech, Ruth 1, 2. & alijs; qui propriam non reliquissent patriam, si in ea necessarijs ad vitæ sustentationem abundassent. Quin ex hoc capite plures aliæ regiones Terrâ sanctâ sunt commendabiliores, vt Ægyptus, Mesopotamia,

tamia, Damaſcus, Antiochia, Babylonia, Memphis Ægypti, &c. Et in noſtris Europæis partibus, nonnullæ Italiæ, Galliæ, Belgij, &c. prouinciæ, vt ex Hiſtorijs, & teſtibus fide dignis, qui has & illam videſunt, accepimus, & ex parte ipſi vidimus.

Strabonis ſententia de ſterilitate Ieroſolymæ.

Strabo libro 16. Geograph. terram Ieroſolymitanam, quam totius Iudææ optimam fuiſſe affirmat Ioſephus, facit aridam & ſterilem, ita ſcribens: *Locum Ieroſolymitanum facilè obtinuerunt Iudæi, quòd minimè inuidioſus eſſet, nec pro quo quiſquam ſtudioſiùs contenderet: eſt enim petroſus, aquis tantùm abundans: circumiacentem verò regionem ſterilem ac ſiccam habens, & intra ſexaginta ſtadia petroſam.* Sic ille.

Non placet aliquibus hæc ſententia, qui & dicunt, Strabonem vel inſcitiæ, vel odij in Iudæos ſigna dediſſe: rationi tamen vel adducto experimento non reſpondent.

Ego ſi ex his, quæ nunc videntur, & ex alijs quæ ſtatim ſubijciam, argumentum ſumere voluero, non ex inſcitia vel maleuolentia, ſed veritate compellente locutum fuiſſe dicam Strabonem. Et profectò nec campi planitiéſve, nec montes ſuam priſtinam naturam mutauerunt, vel ſitum; in quibus nihilominùs non tantam videmus abundantiam, vt ab alijs præfatum eſt. Etſi enim Ierichuntina regio, & alia quam alluit Iordanis, fertiliſſima ſit, non tamen Ieroſolymitana: nec credo Ioſepho dicenti, hanc totius Iudææ optimam fuiſſe. An melior Ierichuntinâ, Bethlehemiticâ, vel Hebronicâ? Quæ quæſo fertilitas circa Ieruſalem, cùm tota ferè circa ipſam regio petroſa & montuoſa ſit, vt ex D. Hieronymo capite ſequenti dicemus. Et D. Antoninus, cui ob inſignem ſanctitatem & doctrinam, & quia ad hanc regionem peregrinatus fuit, eamque proprijs oculis accurate intuitus fuit, omnis fides præſtanda eſt, Part. 2. Hiſtor. tit. 16. cap. 13. §. 7. de ſitu Ieruſalem ad intentum dicit: *Eſt Ieruſalem Iudææ metropolis in loco riuis, ſiluis, fontibus & paſcuis penitus carente ſita.*

D. Antonini dictum de Ieroſolymæ ſiccitate.

Ioſephi & Strabonis enuntiatio.

An non potuit Ioſephus, quoniam Iudæus erat, paſſione motus in fauorem patriæ ſuæ eſſe locutus? Vel reſpexit Ioſephus ad ea quæ Dei ſingulari beneficio vidit in Ieruſalem; Strabo verò ad naturalem loci conditionem reſpiciens, aliter ac Ioſephus locutus fuit. Dixit etiam multum Strabo, dum aſſerüit Ieruſalem aquis abundare. Sed quidquid ſit de Strabone,

D Hieronymi ſententia.

D. Hieronymus, qui totam hanc regionem diligentiſſimè perluſtrauit, &, vt ipſe loquitur in Epiſtola 129. ad Dardanum, eam intus & in cute cognouit, poſteriorem videtur ſequi ſententiam, dum hac ipſa Epiſtola (quam poſteà adducemus in parte) negat, quæ de fertilitate & felicitate terræ Chanaan in ſacra Scriptura leguntur, ſecundùm litteram occidentem accipienda eſſe, quoniam talia in ea non videntur; at viderentur, ſi ex natura eſſent.

Reſpondent alterius ſententiæ ſectatores, Hieronymum voluiſſe tantùm negare, vt ratio ab eo ſubiuncta indicat, in ea riuos mellis & lactis, quales Poëtæ fingunt, fuiſſe, non verò, fertiliſſimam & abundantiſſimam haud fuiſſe. Martinus Delrius Adag. ſacr. Tomo 1. pag. 57.

Sed non placet iſta ſolutio, nec videntur illi attingere mentem S. Doctoris, quod tripliciter oſtendo. *Reijcitur.*

Primò, quia omnis ſerius Scriptor ſimilitudines adhibet & exempla, non fictitia, præſertim in rebus Eccleſiaſticis, vt dixit Gregorius Hieromonachus in Reſponſione ad Epiſtolam Marci Epheſij, pro Concilio Florentino. Habetur Tomo 4. Concil. generali.

Secundò, quia non loquitur S. Doctor ex dictis vel fictionibus Poëtarum, & contra adducentes horum dicta (huiuſmodi enim in hoc argumento nedum apud Catholicos, ſed nec apud Hebræos, & hæreticos ipſos, aliquid valent) ſed ex dictis Scripturæ, & contra Scripturam perperàm intellectam adducentes, loquitur.

Tertiò, quia abſolutè oſtendit, fieri non poſſe, Terram promiſſionis, etſi tota velut Paradiſus Domini fecundiſſima eſſet, tot fructus producere, tótve bonis, vt dicitur, abundare poſſe, propter eius anguſtiam: termini enim longitudinis eius à Dan vſque ad Berſabee, ſunt centum ſexaginta milliaria, latitudinis verò quadraginta ſex, à Ioppen vſque Bethlehem. Iam terminus latitudinis à Bethlehem vſque ad Mare mortuum, eſt regio tota inculta & inhabitabilis; quare multò minor erit hæc regio à Iudæis inſeſſa aliquibus Italiæ vel Galliæ Prouincijs, adeoque non poteſt tot producere fructus. Et hanc eſſe Hieronymi mentem, patet ex tota illa Epiſtola diligenter conſiderata, & ex alijs eius dictis: ſed ex citata Epiſtola hæc dumtaxat verba hîc ſubſcribamus.

Reſpondeant mihi, inquit, *qui hanc terram (quæ nunc nobis Chriſti paſſione & reſurrectione, Terra repromiſſionis effecta eſt) poſſeſſam putant à populo Iudæorum, poſtquam reuerſus eſt ex Aegypto, quantum poſſederit, vtique à Dan vſque Berſabee, quæ vix centum ſexaginta millium in longum ſpatio tenditur. Neque enim Dauid & Salomon potentiſſimos Reges, exceptis ijs quos poſt victoriam in amicitiam receperunt, plus tenuiſſe Scriptura teſtatur. Et hoc dico, vt taceam quinque Paleſtinæ ciuitates, Gazam, Aſcalonem, Geth, Accaron, & Azotum; Idumæos quoque à meridiana plaga vix ſeptuaginta quinque milli-* *Terra ſancta à longitudo & latitudo ſecundùm D. Hieronymum.*

bus ab Ieroſolyma ſeparatos, Arabas, & Agarenos, quos nunc Saracenos vocant, in vicinia vrbis Ieruſalem. Pudet dicere latitudinem Terræ repromiſſionis, ne Ethnicis occaſionem blaſphemandi dediſſe videamur. Ab Ioppe vſque ad viculum noſtrum Bethlehem, quadraginta ſex millia ſunt; cui ſuccedit vaſtiſſima ſolitudo, plena ferocium barbarorum, &c. Hæc S.Hieronymus. Ad hoc ipſum facit, quod de ſolo Ieroſolymitano idem S.Doctor ſcribit lib.13. in Iſaiam, quem ſequenti Capite referemus.

Obiectionis ſolutio. Et quando oppoſitum dicit, per Iudæam intelligit non eam tantùm regionem, quam poſſederunt Iudæi, ſed etiam quam illis promiſit Deus, etſi numquam poſſeſſam, vt ipſe docet in cap. 20. Ezechielis, vbi Iudæa egregia appellatur inter omnes terras: & obſeruauit Adrichomius in Manaſſe 2.n.93. verbis D.Hieronymi in medium adductis. *Inclytam*, inquit, *eſſe terram Iudææ, & cunctis terris fertiliorem, dubitare nemo poterit, qui à Rhinocurura vſque ad Taurum montem, & Euphratem fluuium* (iſti ſunt termini Terræ promiſſæ Abrahæ, ſed non poſſeſſæ ab Hebræis, vt ſuprà vidimus Cap. xxiv. & xxv.) *cunctam conſideranit terram, & vrbium potentiam, amœnitatemq; regionum, Paleſtinam videlicet, & Phœnicem, Arabiam, Syriam, Cælen, Ciliciam & ceteras regiones.* Et ſecundùm hanc etiam conſiderationem poſſumus interpretari egregia quæ de opulentia Terræ ſanctæ enuntiantur tam à ſacris quàm profanis Scriptoribus.

Scriptura ſacra diuino adſcribit beneficio Terra promiſſa fertilitatem. Sed quid iſti reponent diuinæ Scripturæ, quæ cæleſti benedictioni & gratiæ Dei tribuit hanc fecunditatem? Poſtquam Moyſes memorato Deuteronomij capite 8. explicaſſet terræ huius fertilitatem, cap.11,10. eiuſdem libri conceptis verbis docuit eam è cælo prouenire, dicens: *Terra enim, ad quam ingredieris poſſidendam, nõ eſt ſicut terra Aegypti, de qua exiſti, vbi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: ſed montuoſa eſt & campeſtris, de cælo expectans pluuias, quam Dominus Deus tuus ſemper inuiſit, & oculi illius in ea ſunt à principio anni vſque ad finem eius.* Hoc eſt, ſecundùm vnam expoſitionem quam in hunc locum adducit Lyranus, & quam experientia comprobat, Fertilitas Terræ promiſſionis, ad quam ingrediens poſſidendam, non eſt ita fertilis ſicut terra Ægypti, quæ cum modico labore fructificat, propter aquarum Nili abundantiam eam fecundantem, ſed è cælo expectat pluuiam & fecunditatem, quam tamen Dominus Deus dabit.

Ægyptus naturaliter Chananitide fecundior.

Obiectio. Verum quia fortè quiſpiam opponere poſſet, non videri hanc interpretationem placere Lyrano (*Quia non videtur*, ait ille, *conſonare Scripturæ in pluribus locis, quæ deſcribit Terram promiſſionis, tamquam lacte & melle manantem, & abundantem omnibus bonis*) ideò aliter dicit ſecundùm Hebræos: *Non eſt ſicut terra Aegypti, hoc eſt multò eâ melior eſt, quia in terra Aegypti iacto ſemine, in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ, quia ad eam fecundandam non ſufficit pluuia de cælo deſcendens, & ros, ſed requiritur quòd cum magno labore aquæ de fluuio Nili per alueos deducantur, ſicut ſolet fieri in hortis, in quorum cultura maior labor requiritur, quàm in terra campeſtri.*

Solutio. Ceterùm poſterior hæc illorum verborum interpretatio, & prioris confutatio, non videtur admittenda, quia non eſt conformis textui Scripturæ. Moyſes enim illis verbis volebat inducere populum ad diuinæ legis obſeruantiam, ex ſpe bonorum, & timore pœnæ; eò quòd Terra, ad quam introducendus erat, non eſſet æquè naturaliter fecunda ac Ægyptus, propter aquas Nili, ſed quòd eius fecunditas à Deo proueniret, quam eſſet largiturus, ſi præcepta eius obſeruaſſet. Scire enim Dominus volebat populũ ſuum, ſemperſibi à peculiari eius prouidentia pendendum eſſe, & ſingulari quodam modo ſibi prouiſum iri. Et ob eamdem rationem dixerunt alij, Deum illi populo anguſtiſſimum terræ ſolum dediſſe; anguſtiſſimis namque terminis clauditur Terra illa promiſſionis quam Iudæi poſſederunt, vt vidimus. Vnde crediderim, propter hanc eum rationem carnes & panes, quæ alioquin è terra enaſci ſolent, de cælo dediſſe populo ſuo in Arabiæ deſertis peregrinanti, aquas verò è terra, quæ communiter pluunt de cælo; vt intelligerent Iudæi, omnia quæ habere debebant, ſingulari beneficio à Deo ſe fore conſecuturos.

Deus bona Iudæis ferè ex peculiari beneficio ſuis largitus.

Carnes & panes è cælo, & aqua è terra cur data.

Et quamuis omnia ſint in manu Dei, poſſitque ille quocumque in loco punire, vt quidam dicebat: *Si aſcendero in cælum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades,* &c. Pſal. 138,8. magis tamen timemus puniri in his quæ ab ipſo vel immediatè vel miraculosè procedunt, quàm in his quæ communi ſuâ prouidentiâ diffundit, faciens oriri ſolem ſuum ſuper bonos & malos, & pluens ſuper iuſtos & iniuſtos. Et ita eſſe in propoſito, patet attentè conſideranti quæ in toto Capite illo dicuntur.

Horti quare fluuiorũ aquis indigeant. Quòd horti verò indigeant aquis fluuiorum & riuorum, nec eis ſufficiat pluuialis, non eſt propter terræ ſterilitatem (conſtat enim, pro hortis terram eligi ceteris fecundiorem) ſed vt ſemper floreant & vireſcant, ac magis quàm alia terra fructificent. Et quòd Ægyptus naturaliter fecundior & opulentior ſit terrâ Chanaan, non ſolùm

conſtat ex dictis, ſed & ex eo, quòd dum in hac fames exiſteret, illa abundaret, indeque in terram hanc frumenta aſportarentur: ſicut & noſtris temporibus plura tum victui neceſſaria, tum luxui deſeruientia, ex Ægypto in Terram ſanctam deuehuntur, vt ego cum alijs, qui in illis partibus moram traxerunt, teſtari poſſumus, atque inſuper, Ægyptum eſſe horreum Turcarum Imperatoris, vnde alijs regionibus conſulat & proſpiciat, vulgi ſermone in illis partibus eſt tritiſſimum.

Ægyptus horreum Turcæ.

Auderem dicere, terram Chanaan quoad naturalem fecunditatem haud eſſe comparandam cum Ægypto. Nec à priori interpretatione illa quæ hoc idem aſſerit, diſcrepat Lyranus, ſed eam ſequitur apud Ezechielem in ea verba cap. 20, 6. *Ego Dominus Deus veſter: in die illa leuaui manum meam pro eis, vt educerem eos de terra Aegypti, in terram quam prouideram eis, fluentem lacte & melle: quæ eſt egregia inter omnes terras.* Inquit enim: *Audiui ab illis qui fuerunt in Iudæa & in Aegypto, quòd Aegyptus eſt fertilior & amœnior. & ſecundùm hoc iſta eminentia referenda eſt ad Chriſtum, qui erat inde naſciturus ſecundùm carnem, & ibi operaturus eſt humanam ſalutem.* Quare in ſecunda expoſitione non ex propria, ſed Hebræorum ſententia locutum fuiſſe credendum eſt, & priorem interpretationem retinendam eſſe, docet Additio ad Lyrenſem.

Sententia Lyrani.

Adductæ interpretationi & ſententiæ fauere videtur D. Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam, dicens: *Terra hæc promiſſionis eſt, quæ non rigatur vt Aegyptus deorſum, ſed deſurſum; nec facit olera languentium cibos, ſed temporaneum & ſerotinum de cælo exſpectat imbrem. Hæc terra montuoſa eſt & in ſublimi ſita: quantum à delicijs ſæculi vacat, tantò maiores habet delicias ſpiritus.*

Et omnes ferè, qui ex varijs orbis regionibus ad hanc venerunt, ſtupentes & dicentes vidi: Hæccine eſt Terra promiſſionis, tantis bonis affluens, tamque celebrata? Hæccine eſt terra fluens lac & mel? Hæccine eſt paradiſus Domini, quam ſibi elegit Dominus? Multis ſanè bonis temporalibus abundantior eſt terra noſtra, & propterea potiùs quàm hæc meretur appellari Terra promiſſionis, paradiſus Domini, & à Domino electa, &c.

Peregrinorum iudicium de Terra ſanctæ fertilitate.

Deinde illa ſecunda reſponſio vel expoſitio Lyrani non officit noſtræ ſententiæ: non enim controuertitur, An Terra promiſſionis ſecundior ſit terrâ Ægypti, ſed vnde proueniat fertilitas Terræ promiſſionis. Fieri enim poteſt, vt terra Ægypti abundantior ſit Terrâ promiſſionis ratione ſoli, id eſt ex naturali ſuâ conditione, & propter aquas Nili; promiſſionis verò Terra ex ſupernaturali beneficio illâ ſit fecundior & abundantior. Et hoc eſt quod controuertitur; cùm fieri potuerit, vt Ægyptus naturâ, Terra verò Chanaan gratiâ fecundior eſſet; prout Arabiæ deſertum abundantius erat diuina benedictione Hebræis, quàm Ægyptus ſua naturali conditione.

Ægyptus quomodo Chanaanitide fecundior, & econtrà.

Genebrardus in Pſalmum 64, 10. præmiſſa Deuteronomij verba expendens, in fauorem huius ſententiæ hæc dixit: *Quaſi non ſit naturâ ſed benedictione ferax.* Cornelius Cornelij à Lapide in Pentateuchum, ſuper ea verba Leuitici cap. 25, 10. *Quòd ſi dixeritis: Quid comedemus anno ſeptimo*, ſic inquit: *Hinc patet, fertilitatem Terræ ſanctæ ex parte non fuiſſe naturalem, ſed diuinam, atque ex dono Dei*, &c. Et confirmatur Deuteronomij cap. 11. à verſ. 13. vſque ad 18. & ex Leuitici cap. 26. à verſ. 3. vſque ad 21. Et Pſalmo 64. à verſ. 10. vſque ad 42. (vbi agitur de fertilitate futura in Terra promiſſionis poſt reditum filiorum Iſraël è captiuitate Babylonica in eam, ſecundùm Lyranum) manifeſtè indicatur, illam à ſpeciali Dei gratia prouenire, dum dicit: *Flumen Dei* (id eſt Iordanis) *repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum.* Quæ ſequuntur conſidera.

Genebrard.

Cornelius à Lapide.

Ratione etiam perſuadetur, fertilitatem Terræ promiſſionis fuiſſe præcipuè ex ſpeciali Dei priuilegio. Propheta Regius loquens in Pſalmo 106, 33. de cauſa ſterilitatis Pentapoleos, dicit eam fuiſſe malitiam inhabitantium. *Poſuit*, inquit, *flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim. Terram fructiferam in ſalſuginem*, & ſterilitatem. Quare? *A malitia inhabitantium in ea.* Peccata nimirum fuerunt cauſa ſterilitatis & ſiccitatis. Deus enim, illorum exigentibus demeritis, vel fontes fluuioſque obſtruxit, & velut ſale ſeminauit terram; vel prohibuit cælum (quod magis placet) ne plueret ſuper eam, vt euenit tempore Eliæ 3. Regum 17, 1. nam fontes & flumina, quæ ibi fuiſſe aliàs meminit Scriptura, adhuc etiam pro maiori parte inueniuntur, & nihilominùs regio ſiccitatem magnam & ſterilitatem ob pluuiarum defectum patitur. Quòd ſi pluuiæ nonnumquam ſint frequentiores, omnes in partibus iſtis dant ſigna lætitiæ, ſcientes magnæ id fertilitatis & abundantiæ argumentum eſſe. Sed & propter peccata linquendam fuiſſe, velut deſertum, terram iſtam, diximus ſub finem præcedentis Capitis.

Chanaan ob peccata incolarum facta eſt ſterilis.

Ex aquarii captu incolæ Terræ ſanctæ abundantiam eminantur.

Tunc ergo ſic argumentare (etſi non me lateat, propter peccata Deum & in ipſis naturalibus aliquando punire, ea deſtruendo; verùm de lege ea relinquit, priuatque gratui-

gratuitis, vt apud omnes eſt in confeſſo:) Naturalibus relictis, Deus ordinariè propter peccata priuat gratijs ſuis, vt patet in Angelis & hominibus, in quibus naturalia manſerunt integra, & gratuita fuerunt ablata, vt ex Damaſceno docent Theologi. Terram hanc ſua fertilitate Deus priuauit propter peccata; igitur illa gratuita erat, & ex ſpeciali beneficio Dei prouenichat, ſicut & aliquando Sanctorum meritis fecundior reddita eſt, vt ad preces Eliæ, Iacobi 5, 18.

Propter peccata Deus magis in gratuitis, quàm in naturalibus punit.

Terra promiſſionis naturâquidem, ſed magis Dei beneficio fecunda.

Dicerem itaque, Terram hanc promiſſionis ex ſe quidem & ex naturali ſua conditione, quam in prima creatione à Deo accepit, fertilem & fecundam eſſe, ſicut & alias terras; at maiorem, & illam vnde tantopere commendatur, accepiſſe ex peculiari Dei beneficio, quoniam oculi Domini ſuper illam; & ex hoc capite præſertim commendari in Scriptura. Et quamuis non vbique, id eſt, in omni ſua parte omnibus bonis abundet, hoc non obſtat, neque etiam eſt neceſſarium: ſufficit enim omnibus abundare in omnibus ſuis partibus, cùm ex hoc præcipuè commendetur prouinciæ alicuius fecunditas, vt anteà notauimus. Perinde & nos de iſta dicimus: nam Iudæa prouincia abundat vino, Samaria oleo, Galilæa frumento, oleo, vino, & omnibus bonis; eſt enim latior & feracior alijs Palæſtinæ prouincijs: fructus, pecora, & iumenta ſparſim in pluribus locis illius inueniuntur.

Reſponſio ad rationes pro naturali Terræ ſanctæ fertilitate.

Nec, vt aliter vel ſtatuamus vel aſſeramus, mouemur ex eo, quòd filij Iſraël fructus ex ea detulerint eximiæ quantitatis & pulchritudinis, magnæ fertilitatis argumenta; nec ea quæ octauo Deuteronomij capite vel alibi etiam leguntur: non enim vberes in ea fructus fuiſſe negamus, quin pulchriores inſuper colligi debuiſſe aſſentimus. Nec palmes ille, cum vua ſua delatus à duobus exploratoribus in pertica ſiue phalanga, nobis facit negotium: quoniam non erat ſimplex botrus, vt plures, noſtræ Vulgatæ textum non aduertentes, arbitrati ſunt; ſed erat palmes cum vua ſua, id eſt cum botris ſuis ex ea pendentibus. Nec video vnde cogamur affirmare, vnicum ex eo pependiſſe botrum: neque quòd duo eum vix detulerint, factum eſt ex neceſſitate, quippe, vt quidam dicunt Doctores, vnus tantùm illum portare potuiſſet; ſed vt illæſus in ſua pulchritudine, & etiam commode & ſine labore in illo itinere deferretur.

Palmes vnus ab exploratoribus delatus qualis fuerit.

Præterea, etſi ex illo palmite argumentum deſumi poſſit pro Terræ ſanctæ fertilitate & vbertate, non tamen inde licet inferre præcellentiam eius ſuper omnes alias; quandoquidem in alijs regionibus ſimiles extitiſſe fructus rerum naturalium Hiſtorici ſcriptis prodiderint. Strabo ſanè in Carmania lib. 2. & in Margiana lib. 15. ait, botros ex vitibus pendere bicubitales. Prætermitto vuas digitales, quæ acinis longis protenduntur; & alias quæ ſunt inſtar vaccarum vberis, quas Plinius propterea bumaſti nomine appellauit lib. 14. cap. 1. Sunt qui narrent, in interiore Africa vinci à botryonibus infantis pueri magnitudinem. In Syria etiam, apud Damaſcum præcipuè, vinearum botri maximi & pulcherrimi ſunt, & multùm laudati. Lege Nicolaum Serarium in cap. 8. Ioſue, quæſt. 2.

Quæ regiones ex vitibus laudatæ fuerint.

Præterea ex fecundiori ſolo, exploratores fructus illos accepiſſe creditur: etenim *Vallis Botri*, vnde vua illa deſumpta fuit, putatur fuiſſe in regione campeſtri Engaddi, quæ fuit in parte ſortis Iudæ, vitium feraciſſima, vt ſuperiùs Capite XXVI. ex vaticinio Iacob diximus; & ex illis verbis Cantic. 1, 13. *Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi*, euincunt ſacri Interpretes.

Ex fecunda valle Botri, botrus accepius.

Et quis ſcit, an non, quemadmodum dæmon (ſi grauibus Auctoribus credimus) vt deterreret Iudæos ne ingrederentur terram Chanaan, eos illuſit, oſtendendo illis homines tantæ proceritatis, quantæ illis anteà viſi non fuerant; ita Deus, non quidem illudendo, ſed verè produxerit, in gratiam Iudæorum, fructus illos vberes, vt illos animaret ad poſſeſſionem eius comparandam; quales & in poſterum Dei peculiari beneficio habituri eſſent, ſi mandata eius cuſtodiuiſſent, vt ſuprà ex Deuteronomij c. 11, 13. & Leuitici cap. 26, 3. diximus?

Inſuper, vt & rationi dubitandi initio propoſitæ reſpondeamus, haud mihi videretur incongruum, ſi diceretur, Deum peculiari prouidentia, & ſuæ pietatis oculis eam terram reſpexiſſe (vt dicitur Deuteron. 11, 12.) etiam quando à Chananæis adhuc poſſidebatur, vel vt illos temporaliter pro aliquo eorum bono opere remuneraret; vel (quod magis placet) in gratiam Iudæorum, vt videntes eam, etiam dum ab infidelibus incoleretur, omnium bonorum genere affluentem, firmiùs Dei promiſſionibus crederent, & magis ad eam occupandam accenderentur, certò credentes, ſibi etiam fecundiorem futuram, ſi in lege Domini ambulaſſent. Vel dicas, plura eſſe de hac fecunditate & abundantia hyperbolicè dicta, quemadmodum plura alibi in ſacris Litteris hyperbolicè dici nouimus, vt illud Pſalmi 106, 26. de nauigantibus, *Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos*; & illud Ioannis 21, 25. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros*; & quod de

Reſponſio ad rationem dubitandi initio propoſitam.

In Scripturæ ſacræ multa hyperbolicè dicuntur.

vtribus

vrbibus Chananæorum dicitur Deut. 1,28. *Vrbes magnæ, & ad cælum vſque munitæ*; & illæ auctoritates in quibus de Terra promiſſionis dicitur, quòd fluat lacte & melle; & cùm 3. Reg. 10,27. dicitur tantam fuiſſe argenti copiam tempore Salomonis, quanta erat lapidum abundantia: his enim verbis hyperbolicè indicatur, quanta fuerit illius temporis diuitiarum affluentia. Et omnes has locutiones hyperbolicas eſſe, docet Iſidorus Peluſiota lib. 2. Epiſt. 99.

Ex hominũ etiam induſtria Terra ſancta opulenta fuit.

Sed & aliunde inſuper, quàm ex naturali ſoli vel aëris ſalubritate, fecundabatur regio iſta. Stupendum ſanè eſt, quod de diuitijs quæ erant in Ieruſalem, tempore Dauidis & Salomonis inprimis Scriptura ſacra effatur, vt niſi Spiritum ſanctum id dixiſſe ſciremus & agnoſceremus, ad credendum difficulter adduci poſſemus. Dauid pro Templi fabrica inter alia bis mille auri milliones reliquit. Millio continet decies centena aureorum millia; aurum, quod in tota Europa vix reperiretur. Et tempore Salomonis tanta erat copia auri in Ieruſalem, quanta lapidum; argenti verò nulla habebatur ratio. Sed vnde hæ diuitiæ proueniebant? A Dei inprimis benedictione; tum & ex Ophir aduectæ, & è tributis, è bellorum ſpolijs, & aliorum muneribus collectæ fuerunt, quod tum graues Auctores aſſerunt, tum ex ſacris Litteris confirmatur.

Cornel. à Lapide in cap. 38. Exod.

Eupolemus apud Euſebium lib. 9. de Præparatione Euangelica cap. 4. ſcribit, Dauidem naues inſtruxiſſe in Melanis Arabiæ ciuitate, miſiſſeque eas in Vrphen inſulam in Rubro mari ſitam, aurique metallis abundantiſſimam; indeque in Iudæam innumerabilia pænè auri pondo eſſe delata. Credunt aliqui, Eupolemum deceptum fuiſſe, & pro Vrphen debuiſſe ſcribere Ophir, & pro Dauide Salomonem: ſed quidquid ſit, propoſito noſtro ſeruit. Perinde ergo dicerem ego de aliarum rerum abundantia; prouenille quidem eam præcipuè ex diuina benedictione, ſed & ex induſtria cultorum terræ, & quia eò plura ex alijs partibus adportabantur, prout etiam Rex Hiram, Regina Saba, & alij immenſas diuitias eò attulerunt.

Aſſerta in ſacris Litteris magis arguunt ſupernaturalem fœcunditatem.

Prætereà quæ in ſacris Biblijs aſſeruntur, ſi quoad litteram expendantur, ex diuino beneficio, non ex naturali eius terræ conditione, tantam abundantiam Iudæis obtigiſſe dicendum erit: vnde ſequenti Capite oſtendemus, non omnia quæ de hac terra dicuntur, ſecundùm ſenſum litteralem, ſed pleraque ſecundùm ſpiritualem intelligenda eſſe.

Auctores verò illi, qui tam inſignia de Terræ ſanctæ fecunditate & abundantia ſcripſerunt, ea ſcripſerunt vel per exaggerationem, vel ex affectu, vel quia prouinciam illam laudandam ſumpſerunt, vel quia ſimilia in ſacris Litteris inuenerunt, & ad id quod Dei peculiari beneficio accepit reſpexerunt, vel quia omnia in Grammaticali ſenſu accipienda eſſe crediderunt: qui verò abiectiora & humiliora de eadem litteris conſignarunt, non id fecerunt ex odio vel inſcitia, ſed quia ita ipſi viderunt, atq; Terræ naturalem conditionem conſiderauerunt.

Auctores aliqui quæ ſo exaggerauerint vel minuerint Terræ ſanctæ fœcunditatem.

CAPVT XXIX.

In quo ſenſu intelligenda ſint, quæ in ſacris Litteris de Terra promiſſionis dicuntur.

QVantumuis nihil ſit in ſacris Litteris (vt SS. Patres docent) etſi minimum, quod aliquam impoſſibilitatem, nedum difficultatem præ ſe fert, quin ſit veriſſimum, magniſque refertum myſterijs; aliquando tamen litteram, aliquando ſpiritum neceſſariò obſeruandum eſſe, vt incommoda vitentur, & contrarietates concilientur, quæ minùs aduertenti occurrere poſſent in lectione ſacræ Scripturæ, docet S. Gregorius lib. 4. Moralium cap. 1. Quare cùm multa de Terra promiſſionis in ſacris Biblijs dicantur, quæ vel contrarietatem, vel modicam probabilitatem aut veriſimilitudinem præ ſe ferunt, imò numquam viſa fuerunt, nec vmquam videbuntur; meritò dubitari poteſt, an ea intelligenda ſint ſecundùm occidentem litteram, vel, vt dicunt, hiſtoricum ſenſum, & nudum verborum ſonum, de illa nimirum materiali Palæſtinæ regione; an potiùs ſecundùm viuificantem ſpiritum, anagogicumque vel allegoricum ſenſum, de regione ſcilicet illa viuentium, in qua ad menſam Domini inuiſibili opulentiſſimoque cibo & potu Beati recreantur, vel de noſtra militante Catholica Eccleſia; an potiùs aliqua ſecundùm litteram, & aliqua ſecundùm ſpiritum ſint accipienda.

Singula in Scriptura contenta myſterijs plena ſunt, & probè conſideranda.

Ratio difficultatis.

Circa quam difficultatem tres poſſunt eſſe ſententiæ. Prior Hebræorum; qui, vt carnales ſunt, terrena ſapientes, omnia carnaliter intelligunt, & ſecundùm occidentem litteram de materiali Terra promiſſionis, nullo modo ſpiritualiter de Eccleſia militante vel triumphante.

Prima ſententia omnia ſecundùm litteram ſonum accipienda docet.

Altera ſententia in altero verſatur extremo, & eſt illorum, qui omnia quæ de Palæſtina in ſacris Litteris enuntiantur, ſpiritualiter intelligenda eſſe contendunt, moti auctoritate B. Pauli, qui de Hebræis loquens in priori ad Corinthios Epiſtola, cap. 10, 11. ait: *Omnia in figura contingebant illis.*

Secunda, omnia ſpiritualiter.

Tertia

Tertia ſententia media eſt.

Tertia & poſterior ſententia, & inter has media, aſſerit, multa quidem ſecundùm litteræ ſenſum habere veritatem, at pleraque ſecundùm ſpiritum eſſe accipienda. Et hæc videtur mens D. Hieronymi, qui in Epiſtola illa 129. quam de hac re ad Dardanum ſcribit, explicans terminos Terræ promiſſionis, comprehenſos capite 34. Numerorum, indicat ſe iniuſtè à quodam hæretico fuiſſe damnatum, quòd hiſtoricam Terræ promiſſæ veritatem ſuſtulerit, docens, ea quæ Deus in ſacris Litteris promiſit, ad nudam potiſſimùm allegoriam pertinere, hoc eſt ad illam dumtaxat viuentium terram, quæ in cælis eſt referri: quoniam tota Iudæorum regio adeò anguſta ſit ambitu, vt vix longitudinem habeat centum & ſexaginta millium paſſuum, latitudinem verò quadraginta ſex; & quòd in his etiam regiones, loca, vrbes, & oppida ſint plurima, quæ numquam à Iudæis occupata, ſed tantùm diuina pollicitatione promiſſa fuerint. His conſona ſcribit idē Doctor lib. 13. in Iſaiam, ſuper illa Iſaiæ cap. 49, 14. verba, *Et dixit Sion, Dereliquit me Dominus*, ſic inquiens: *Ex quo diſcimus, nequaquam Ieruſalem in Paleſtinæ regione quærendam, quæ totius prouinciæ deterrima eſt, & ſaxoſis montibus aſperatur, & penuriam patitur ſitis; ita vt cæleſtibus vtatur pluuijs, & varitatem fontium, ciſternarum extructione ſoletur, ſed in Dei manibus, ad quam dicitur: Feſtinauerunt ſtructores tui*, &c.

D. Hieronymus ſe à calumnia liberat, & ſuam explicat ſententiam.

Huic calumniæ in calce eius Epiſtolæ his verbis occurrit; & ſuam ſimul ſententiam explicat: *Nec hoc dico in ſuggillationem Terræ Iudææ, vt hæreticus ſycophanta mentitur, aut quò auferam hiſtoriæ veritatem, quæ fundamentum eſt intelligentiæ ſpiritualis; ſed vt decutiam ſupercilium Iudæorum, qui Synagogæ anguſtias, Eccleſiæ latitudini præferunt. Si enim occidentem tantùm ſequuntur litteram, & non ſpiritum viuificantem, oſtendant Terram repromiſſionis lacte & melle manantem.* Ex quibus verbis liquet, D. Hieronymum, etiamſi ſpiritum viuificantem ſequatur, non ob id hiſtoricum ſenſum, illius fundamentum, in hac materia negare; ac conſequenter ipſum quædam intelligere prout verba Scripturæ ſonant, etſi non omnia, ſed aliqua ſecundùm ſpiritum.

Quæ in ſacris Bibliis habentur de Terra ſancta, non omnia ad litteram accipienda.

Ego poſteriorem hanc ſententiam, quam credo veram, tribus aſſertionibus explico.

PRIMA ASSERTIO ſit: Omnia quæ in ſacris Bibliis dicuntur de fertilitate & bonitate Terræ promiſſionis, & illius præcipuis vrbibus, vt veritatem habeant, non ſunt præcisè ſecundùm litteræ ſonum intelligenda. Hæc aſſertio probatur tripliciter. Primò, quòd quæ de terrena eius fertilitate dicta ſunt, numquam in ea apparuerint, vt conſtat, & in adducta auctoritate indicauit S. Hieronymus; nec etiam poſt aduentum Meſſiæ, quando ea adimplenda eſſe Iudæi dicunt. Veniſſe verò Meſſiam, non eſt opus noſtrum probare, cùm id alij efficaciſſimis præſtiterint argumentis; quorum vim effugere non valentes Iudæi, in aliam abierunt inſaniam, dicentes, alium expectari, in cuius aduentu, omnia quæ de Terra promiſſionis dicta ſunt, ſint implenda. At hoc ſomnium & delirium Iudæorum eſt, vt probant qui contra eos ſcripſerunt: vnus enim ſolus eſt Meſſias, qui dicitur Chriſtus, etſi duplex aduentus eius, prior in quo apparuit in humilitate, poſterior in quo in maieſtate manifeſtabitur; & in iſto ea non videbuntur, quia tunc omnia igne purificabuntur, & fiet cælum nouum & terra noua; 2. Pet. 3, 12.

Montem Sinai fertiliorem eſſe Terra ſancta, quomodo intelligatur.

Secundò, loquens Dauid de excellentia montis Sinai, Pſal. 67, 17. hæc habet verba: *Mons coagulatus, mons pinguis*, ſiue, vt alij tranſtulerunt ex Hebræo, *mons caſeus*. Hiſce verbis indicare voluit Propheta, quantum huius montis fertilitas excedat fertilitatem Terræ promiſſionis, quia non ſolùm fluit lacte & melle vt illa, ſed concretum & conſtipatum habet, quoniam lac eius non tranſit neque elabitur. Verùm ne inſipiens aliquis & carnalis arbitraretur ſecundùm litteræ ſonum de lacte & caſeo materiali prædicta verba eſſe intelligenda, ſubdit, ſe ipſum explicans, *Vt quid ſuſpicamini montes coagulatos?* quaſi diceret: Iam vos, quod dixi intelligebatis de montibus è coagulo aggeſtis, ſicut veſtrarum pecudum lac coagulari ſolet; id ſanè ignorantia craſſior & denſior eſt, quàm lac coagulatum quo veſci ſoletis. Quare ſpiritualiter intelligere debetis, ipſum fertilem eſſe, quia repræſentat eum in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, & habitabit in finem. Meritò in eo repræſentatus, in quo data eſt lex, quoniam ad ipſum aſcenditur per legis obſeruantiam. Et ſanè ſpiritualiter ea intelligenda videntur: nam ad litteram, vt obſeruare potui, mons Sinai, ſi priſtinam non mutauit conditionem, pro maioti parte ſterilis eſt. Igitur & quæ de fertilitate Terræ promiſſionis aſſeruntur, ſimili modo erunt intelligenda, non verò in puro litterali ſenſu; nam non videtur maior ratio, quantum ad hoc, intelligere ſpiritualiter quæ de Sina dicuntur, & de terra Chanaan materialiter.

Placet huic auctoritati alteram addere D. Ambroſij: is enim Sermone 68. loquens de morte D. Pauli, & lacte quod vice ſanguinis ex eius capite profluxit, hæc ſcripſit, quæ noſtræ aſſertioni ſuffragantur: *De Pauli verò ceruice, cùm eam perſecutor gladio percuſſiſſet,*

Digitized by Google

cussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda quàm sanguinis; & mirum in modum sanctum Apostolũ Baptismi gratiã in ipsâ cæde extitisse splendidum potiùs quàm cruentum. Quæ quidem res in sancto Paulo stupenda non est. Quid enim mirum, si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait: Lac vobis potum dedi, non escam. Hæc est planè promissionis illa Terra, quam Deus patribus nostris promisit, dicendo, Dabo vobis terram fluentem lac & mel. Non enim de hac terra locutus est, quæ dimanantibus aquis cœnum inuoluit, lutumq; permiscet; sed de illa tum Pauli, tum similium Pauli, quæ iugiter purum suauesq; distillat. Quæ enim Pauli Epistola non melle dulcior, & lacte candidior? quæ epistolæ tamquam vbera Ecclesiarum populos enutriunt ad salutem. De ceruice ergo Pauli pro sanguine lac manauit. Hactenus S. Ambrosius.

1. Cor. 3, 2.

Operum bonorum præmium, temporale est.

Tertiò, Terra Chanaan Abrahæ & semini eius repromissa fuit à Deo in præmium fidei, obedientiæ, & obseruantiæ mandatorum Dei, vt constat ex plurimis sacræ Scripturæ locis: at verò præmium harum virtutum non sunt bona temporalia, sed spiritualia & æterna, vt omnes fatentur Theologi, alioquin enim meritum excederet præmium, quod dicendum non est; igitur per Terram promissionis, & eius fertilitatẽ, non debemus præcisè intelligere materialem illam regionem, & terrenorum fructuum copiam, sed aliquid maius quod cum merito proportionem habeat, quod erit vel gratiæ abundantia in militante Ecclesia, vel gloria consummata in triumphante. Et hoc est quod Christus pollicitus fuit discipulis, qui propter eum, ad imitationem Abrahæ, omnia reliquerant, ipsum secuti, dicens: *Amen dico vobis, quòd vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, &c centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis*, Matth. 19, 28. In qua sententia, sicut interpretatur D. Hieronymus lib. 3. in Matthæum, per *centuplum* gratiam, & alia spiritualia bona, quæ in præsenti vita dat Deus, & per *vitam æternam* gloriam quam in futuro largietur, intelligere debemus. Et cuidam Iudæorum legisperito sciscitanti, *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Luc. 10, 15. respondit Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Matth. 19, 17.

Et sane mirabile videtur, dicere, populum Iudæorum induci potuisse ad obseruantiam tot præceptorum, quæ in Lege continebantur, propter promissionem solam bonorum temporalium, cùm Christi fideles maioribus gratijs & diuinis muneribus cumulati, vix ad Christi legem, Iudæorum lege leuiorem obseruandam adduci possint, promissione temporalium æternorumque bonorum; à multis enim violatur. Et ex his iam patet assumptio argumenti.

Dicent fortasse Hebræi, se non præstare fidem Iesu filio Ioseph. At repono ego, Si Christo credere nolunt, credant vt minimùm experientiæ & rationi. Experientiæ quidem, quoniam sanctissimi Patriarchæ, alijque Deo acceptissimi, eique in omnibus obedientes viri, quibus promissio Terræ facta fuit, vel eam non possederunt, ferè semper in egestate, pro vita sustentanda, in alias oras peregrinantes; & qui ingressi fuerunt in eam, non possederunt in tanta abundantia, sicut ad litteram promitti videtur. Infidelis ergo Deus in promissionibus suis? Absit: *Fidelis Deus in omnibus verbis suis*, inquit Regius Vates, *& sanctus in omnibus operibus suis.* Psal. 144, 13.

Nec est dicendum, eos non obseruasse Dei præcepta; quoniam ei placuerunt, & vt iustos eos Deus ipse commendauit. Multò minùs dicendum est, Deum eos non remuneratum esse: hoc enim dicere, impium & sacrilegum est. Deus enim tribuit vnicuique secundùm opera sua, Mat. 16, 27. & Rom. 2, 6. imò & vltra condignum remunerat. Ratio etiam id requirit, quoniam omnis labor exigit præmiũ: at vbinam, quæso, est præmium, si Palæstinæ possessio in remunerationem Iudæis addicta, nec tamen præstita, vel cum labore & tædio habita fuit?

Sed audiant isti hanc veritatem iterùm ab æterno Patre. Hic in hunc modum Abraham dilectum suum allocutus dicitur: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*, Genes. 15, 1. Hoc est, Ego protector tuus, & ego merces tua sum, & non quæuis temporalia, quæ caduca sunt & transitoria, imò velut fumus & vmbra. Igitur in illa promissionis Terra, alia promittebatur, illa nimirum, de qua dixit Dauid: *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Ps. 26, 13. & iterùm: *Portio mea in terra viuentium*, Psal. 141, 6.

Sed quid plura? Terra ista dicebatur *Terra promissionis*, quia Abrahæ & semini eius promissa fuit, vt in æternum ab ijsdem possideretur. At quomodo impletum est verbum Domini quod manet in æternum, si per Terram promissionis solùm materialem intelligimus, cùm aliqui eam numquam ingressi fuerint, imò nec viderint, plures item in ea mortui sint, & nullus eam in æternum, imò nec longiore tempore possederit, nec possessurus sit?

Obiectio. Dicent fortasse Hebræi, promissionem adimplendam esse non in quolibet ex ipsis separatim, sed in omnibus simul, adeò vt per successiones & generationes eam perpetuò occupaturi sint. Sed dum hæc dicunt, *Solutio.* toto cælo aberrant. Et in primis, quia sicut quilibet

quilibet in ſe ipſo ſuorum criminum luit pœnam, ita & bonorum operum à Deo recipit mercedem: qui, vt Propheta loquitur Pſal. 61, 13. *reddit vnicuique iuxta opera ſua*: etſi aliquando, ob alicuius eximij viri merita, ipſa tota generatio & communitas benedictionibus repleatur. *Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur*, inquit Dominus apud Ezechielem cap. 18, 20. *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij erit ſuper eum.* Et oppoſitorum eadem eſt diſciplina. Inſuper ipſius meriti ratio hoc ipſum indicat. Vt enim inquit ſubtilis Doctor, *Meritum eſt aliquid acceptatum vel acceptandum in alio, pro quo ab acceptante eſt aliquid retribuendum illi in quo eſt, quaſi debitum illi pro illo merito, vel alteri pro quo meruit.* Hinc Abrahæ pro illo illuſtri amoris & obedientiæ opere, quo voluit filium ſuum ſacrificare, dixit Dominus Geneſ. 22, 16. *Per memetipſum iurauj: quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Dixit primò, *Benedicam tibi*, quoniam boni operis merces ipſi operanti debetur; ac deinde ſubintulit, *& multiplicabo*, &c. quia propter Abraham, ipſius poſteritas benedicenda erat. Igitur ſi Terra ſancta pro mercede meritorum danda fuit, non tantùm communitati per generationum ſucceſſiones dari debuit, ſed ſingulis de populo, qui illam ſibi bonis operibus comparauerunt.

Scotus diſt. 18 quæſt. vnica. n 4. *Meritum quid.*

Experientiâ conuincuntur Hebræi.

Deinde ipſâ experientiâ redarguuntur Hebræi: quantum enim, quæſo, temporis præterijt, quando in ea non vt domini, ſed vt ſerui, ſub Romanorum viuebant imperio? quot ſæcula præteriere, quibus de Ieruſalem & de Palæſtina eiecti, per vniuerſum orbem diſperſi ſunt? Vbi Templum, & eorum ſacrificia? vbi locus quem elegit Deus, vt eſſet nomen ſuum ibi in ſempiternum? Hæc ſanè numquâ in terreſtri illa Palæſtina inuenient. Et Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſes, quibus primò promiſſa fuit, numquam eam poſſederunt, & eorum ſemen non niſi poſt aliquot ſæcula à factis promiſſionibus ad eius poſſeſſionem fuit admiſſum, vt manifeſtiſſimè ex ſacris Litteris apparet.

Dauid Rex Ieruſalem potentiſſimus, cui nedum Hebræi ſeruiebant, ſed & finitimi populi tributa dabant, faſtidiebat tamen Ieruſalem Regni ſui metropolim, & velut de hoſpitio egredi anhelabat. *Heu mihi*, dicebat Pſ. 119, 5. *quia incolatus meus prolongatus eſt!*

Obiectio.

At dicet quis: Non videtur ſibi conſtare ſanctus Propheta: nam Pſal. 121, 2. gaudio ſe perfuſum oſtendit, dum in Ieruſalem ſe iturum intellexit. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Ieruſalem.* Quid hoc eſt? Quando regnat in Ieruſalem, egredi velut hoſpes affectat; & quando abeſt, lætatur de ingreſſu. Facili negotio difficultatem dilues, ſi dicas in priori ſententia, affectaſſe egredi de materiali illa Ieruſalem, quam ſciebat nõ eſſe eam ciuitatẽ in qua perpetuò regnaret; nam optimè nouerat nos non habere in terris permanentem ciuitatẽ, ſed futuram, ſecundùm Apoſtolum Hebr. 13, 14. eſſe inquirendam. dicebat enim: *Aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei*, Pſal. 38, 13. Sed in poſteriori ſententia loquebatur de Ieruſalem cæleſti, de domo Dei, de qua alibi dixit: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Pſal. 83, 5.

Solutio.

Dauid è terreſtri Ieruſalem egredi, & cæleſtem ingredi deſiderabat.

Et loqui ſanctum Regem in iſta ſententia de cæleſti Ieruſalem, dicendum eſt; tum vt difficultas tollatur, tum quia conditiones, ciuitati illi ab eodem aſſignatæ, neutiquam Ieruſalem terreſtri conuenire poſſunt. Harum vna eſt bonorum mutua communicatio. *Cuius*, inquit, *participatio eius in id ipſum*, Pſal. 121, 3. Hoc (vt inquit Gloſſa) de nulla mundi ciuitate dici poteſt, quia hic habent homines diuiſa bona, & deficientia; ibi verò bonum, quod fuerit ſingulorum, erit omnium. Altera conditio eſt, continua gratiarum redditio, quam non eſſe in huius mundi alijs ciuitatibus conſtat, quoniam plures nec de Deo cogitant, & omnes in varijs occupati negotijs nequeunt actu Deo ſemper gratias agere. At id in illa peragitur, vt illis verbis indicat Propheta: *Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini, teſtimonium Iſraël ad confitendum nomini Domini*, Pſal. 121, 4. Tertia conditio eſt bonorum ciuium exaltatio, vt alias præteream, iuxta illud quod dicitur: *Illic ſederunt ſedes in iudicio*, ſiue, vt ex Hebræo alij tranſtulerunt, *conſtitutæ ſunt ſedes ad iudicium*, Pſal. 121, 5. Quæ etiam conditio pro maiori parte in ciuitate terrena non obſeruatur, quia frequenter indigniores ſupra digniores collocantur. Quare meritò D. Auguſtinus, & Doctor incognitus, cum alijs, affirmant, ea quæ in Pſalmo iſto enuntiantur, eſſe de Ieruſalem cæleſti intelligenda. Ideoque non omnia quæ de Palæſtina dicuntur, ſecundùm occidentem litteram accipienda ſunt de ipſa materiali terra. Lege pro hoc eodem Iſaiam cap. 66, 10. D. Paulum in Epiſtola ad Hebræos cap. 11, 8. & Riberam in cap. 8. Zachariæ à num. 1. vſque ad 5.

Cæleſtis Ieruſalem conditiones.

Nonnulla quæ in Scriptura de Terra sancta dicuntur, secundùm litteram intelligenda sunt.

SECVNDA ASSERTIO. Aliqua, quæ de Terra promiſſionis dicuntur in ſactis Litteris, intelligenda ſunt ſecundùm litteræ ſenſum, & prout ipſa verba indicant. Probatur hæc Aſſertio tripliciter. Primò, ex his quæ adduximus ſuperiùs Capite XXIV. de Terra promiſſionis, quorum plura ad litteram eſſe intelligenda, non eſt dubitandum.

Deinde, populus ille Iudaicus pro maiori parte rudis & carnalis erat, magis ſenſui quàm ſpiritali intellectu mouendus. *Nam animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei*, vt dicit Apoſtolus 1. Cor. 2, 14. ideò ſingulariter ob carnales, & eos qui dura ceruice erant, ſenſibilibus ad eam fuerunt inducendi: ſi enim plura proprijs oculis non vidiſſent filij Iſraël, Deo haud credidiſſent, nec manus admouiſſent ad occupandam Terram, nam & illis viſis adhuc dubitabant & hæſitabant.

Humana natura ſe contemperat Deus.

Accedit Tertiò optima Dei diſpoſitio, diſponit enim omnia ſuauiter, quare exſenſibilibus ſubleuat mentem noſtrã ad ſpiritualia. *Si enim incorporeus eſſes*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus Homil. 83. in Matth. *nuda & incorporea tibi dediſſet ipſe dona: ſed quoniam anima corpori conſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet.* Ideo apud Oſeam cap. 2, 14. dicebat: *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Allicit priùs per ſenſibiles delectationes *lactis* nomine ſignificatas, deinde ablactat ducens in ſolitudinem, vbi ipſe ſpiritualibus delectationibus *ad cor* loquitur. Et Gloſſa D. Gregorij in ea verba Exod. 3, 8. *Et educam de terra illa in terram bonam*, &c. benè ad intentum dicit: *Rudi populo de præſenti vita aliquid promittendum fuit, vt poſſet in futuro robuſtiùs ſolidari. Si enim parua non acciperet, magna non crederet. Deus ergo largiendo terrena, ſuadet & cæleſtia: vt percipiens quod videbat, ſperaret quod non videbat.*

Reſponſio ad prima ſententia fundamentum.

Reſpondendum nunc eſt auctoritati Apoſtoli, qua ſecunda ſententia nitebatur, quòd ſcilicet omnia in figura contigerint Iudæis, vnde concludunt huius ſententiæ ſequaces, omnia figurata eſſe quæ de Terra promiſſionis dicta ſunt. Hoc totum conceditur, ſed non licet inde inferre, omnia figuraliter & ſpiritualiter dumtaxat intelligenda eſſe: nam & ſecundùm proprium eſſe, quod habent, intelligi poſſunt. Poteſt enim res eadem eſſe ſignum & figura alterius, & nihilominùs in ſe res aliqua: vt ſacrificium vel comeſtio Agni paſchalis, erat figura Sacrificij Miſſæ; & alia legis ſacrificia, cruentum ſacrificium crucis præfigurabant; interim tamen in ſe veræ res & vera ſacrificia erant. Ordinatio illa Aaronica fuit figuraordinationis Sacerdotis Euangelici; nihilo tamen minùs in ſe vera ordinatio fuit. Item (alijs omiſſis) populus Iudaicus fuit figura populi Chriſtiani, at verus etiam populus erat. Ita in propoſito, etſi promiſſionis Terra, & illius fertilitas fuerit figura noſtræ Eccleſiæ, & quam expectamus terræ viuentium; non propterea negandum eſt, ipſam in ſe fuiſſe veram terram, plurimis bonis abundantem. Imò vt benè figuratum ſuum repræſentet, neceſſariò ita dicendum videtur. Si enim figura debet aliquo modo cum figurato conuenire, quomodo Terra Chanaan potuit repræſentare præſentem vel futuram Eccleſiam bonis omnibus refertam, ſi omnis vbertatis omniſque boni expers ipſa fuit?

Idem poteſt eſſe in ſe res aliqua & ſignum.

In Terra Chanaan promiſſione ſpiritualia & æternorum bonorum promiſſio includebatur.

TERTIA ASSERTIO. In diuina promiſſione terræ Chanaan Abrahæ & ſucceſſoribus eius facta, includebatur promiſſio terræ viuentium in illa præfigurata. Probatur quadrupliciter. Primò ex dictis pro prima & ſecunda Aſſertione. Secundò, Gen. 15, 1. Deus dixit Abrahæ, de hac terra loquens: *Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* & in fine capitis: *Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Aegypti vſque ad fluuium magnum Euphratem.* Hæc verba ſi recte expendantur, vtrorumque bonorum promiſſionem continent, temporalium & æternorum vel ſpiritualium. Spiritualium & æternorum, in prioribus verbis: & ad horum promiſſionem reſpiciens Eccleſia, canit in Miſſa pro animabus defunctorum: *Fac eas Domine de morte tranſire ad vitam, quam olim Abrahæ promiſiſti, & ſemini eius.* Temporalium verò bonorum promiſſio indicatur in verbis Geneſ. 13, 15. *Tibi dabo, & ſemini tuo vſq; in ſempiternum.* Ita in hunc locum Lyranus, & in cap. 2. Baruch verſu 34.

Spiritualia & temporalia bona Abrahæ promiſſa.

Electi in ſtellis, reprobi in arena præſignati.

Tertiò, in eadem Geneſi c. 17, 4. & 22, 17. duplicis huius promiſſionis memoria recolitur, quando Abrahæ dixit Deus: *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli.* S. Leo Papa ſpirituales filios intelligit, qui in ſancta Eccleſia, velut ſtellæ in cælo, virtutibus emicant; in empyreo cælo denique velut radiantes ſtellæ collocandi, qui non ſolùm temporalibus, ſed multò magis ſpiritualibus bonis donandi ſunt. Per arenam verò maris terreni, intelliguntur filij, & peccatores terrenis & carnalibus dediti, quibus & temporalia concedenda ſunt, vtpote qui ſpiritualia non ſapiunt. Quæ gemina promiſſio ſimiliter obſeruari poſſet in alijs promiſſionibus factis alijs ſanctis viris, quas, ne plus æquo longiores ſimus, omittimus. Plures ſacræ Scripturæ auctoritates de hac promiſſionis Terra adfert D. Hieronymus

in

in iam citata Epiſtola ad Dardanum, quæ in ſenſu ſpirituali appoſitè interpretatur.

De neceſſariis prouidet Deus.

Quartò, Ratio hoc ipſum perſuadet. Optimi Regis prouidique Ducis eſt, prouidere de omnibus neceſſariis familiæ ſuæ, ſiue ea temporalia ſiue ſpiritualia ſint. Iudaicus populus erat Dei optimi Regis prouidique Ducis electa familia, corporeâ & ſpirituali naturâ conſtans, ac per conſequens corporalibus & ſpiritualibus rebus indigens; igitur vtriſque bonis prouidendus erat. At huiuſmodi prouiſio continetur in promiſſione illius Terræ: igitur vtramque continet, ſpiritualium, inquam, & temporalium bonorum affluentiam debuit habere Iudaicus populus, vt ſe eſſe ſub Dei protectione intelligeret, & pro iiſdem ei gratias redderet. In hac materia quàm volebam longior fui, quia haud ſat benè intellecta, ſunt ab illis, qui regionem iſtam, Scripturam ſacram, aliosque veridicos Scriptores minùs diligenter conſiderarunt: & multò plura dici poſſent; ſed dicta nunc ſufficiant.

CAPVT XXX.

De ſitu Terræ promiſſionis.

ACturo mihi de Terræ promiſſionis ſitu, duo breuiter explicanda ſunt: alterum, quem ſitum reſpectumque habeat Terra hæc ſancta ad alias mundi partes & prouincias, & in qua ex quatuor præcipuis mundi partibus, Aſia, Africa, Europa, & America, poſita ſit; alterum verò erit, conſiderare ſub quo climate cæli ſit.

Terra ſancta in Aſia & medio terræ eſt.

Quantum ad primum, dicendum, Terram ſanctam, ſiue Iudæam, ſitam eſſe in Aſia, quæ eſt præcipua totius orbis terrarum pars, & in medio terræ, ſaltem habitabilis, collocata. Ratio eſt, quia Ieroſolyma eius vmbilicus appellatur ab Ezechiele capite 38, 12. igitur neceſſariò dicendum eſt, Iudæam, in cuius meditullio eſt Ieroſolyma, eſſe in medio mundi, id eſt terræ habitabilis, prout vmbilicus eſt in medio humani corporis. Et ad hoc multi Doctores volunt Dauidem alluſiſſe illis verbis Pſalmi 73, 12. *Operatus eſt Dominus ſalutem in medio terræ*: ſed eam operatus eſt in Iudæa & Ieruſalem. Et verè *in medio terræ*, quia in medio partium præcipuarum ipſarumque confinium, ſita eſt; vt patet in Orbis Geographica deſcriptione.

Idem D. Hieronymus in ea verba Ezechielis cap. 5, 5. *Hæc dicit Dominus Deus: Iſta eſt Ieruſalem, in medio Gentium poſui eam, & in circuitu eius terras*, hiſce verbis oſtendit: *Ieruſalem in medio mundi ſitam hic idem Propheta teſtatur, vmbilicum terræ eam eſſe demonſtrans. Et Pſalmiſta natiuitatem exprimens Domini, Veritas, inquit, de terra orta eſt.* Pſal. 84. 12. *Ac deinceps paſſionem, Operatus eſt, inquit, ſalutem in medio terræ. A partibus enim Orientis cingitur plagâ quæ appellatur Aſia; à partibus Occidentis, eius quæ appellatur Europa; à Meridie & Auſtro, Libyâ & Africâ; à Septemtrione Scythis, Armenia atque Perſide, & cunctis Ponti nationibus.* Pſal. 73, 12.

Hæc Hieronymus: quibus verbis ſanctus Doctor videtur diuiſiſſe terram omnem, quæ antiquis Coſmographis nota fuit, non in tres tantùm partes, vt illi, ſed in quatuor, iuxta totidem cæli regiones; Aſiam ipſam, maximam orbis terræ partem, in duas diuidens, nempe in eam quæ ad Orientem vergit, & illam quæ ad Aquilonem: & in harum medio videtur collocare Ieruſalem, & conſequenter Terram ſanctam; cui fauent illa Ezechielis verba, *Et in circuitu eius terras*. Alia quæ hoc argumentum reſpiciunt, habes ſuprà Cap. XXIV. huius Libri, vbi de latitudine Terræ promiſſionis egimus, & varios eius terminos aſſignauimus. Lege Numerorum caput 34.

Ieroſolyma & tota Terra ſancta optimè reſpectum ad cælum habet.

Quantum ad ſecundum, ſub quo ſcilicet climate ſit Terra ſancta, & quem reſpectum habeat ad cælum, dicendum, quòd cùm antiqui Coſmographi diuiſerint terram habitabilem in ſeptem ſpatia, quæ climata vocarunt, Terra promiſſionis poſita ſit in quarto climate, ideoque dicatur medium vel vmbilicus terræ Ieruſalem. Ita docent Expoſitores ſacri in illum Ezechielis locum. Soli etiam à nonnullis comparatur, quòd vt ille inter Planetas, ita hæc inter regiones medium eumque principem locum teneat. Plura vide apud Villalpandum Tomo 3. lib. 1. cap. 4. vbi denique concludit, optimum ſitum habere Ieroſolymam, & conſequenter idem dicendum eſſe de tota Terra ſancta ipſam ambiente.

Simile.

Sed age, rem accuratiùs ex Ptolemæo explicemus, & eam conſideremus ſecundùm reſpectum quem habet ad cælum, & ex illo longitudinem & latitudinem totius Terræ ſanctæ, tam eius quæ à Iudæis poſſeſſa, quàm quæ Abrahæ & ſemini eius promiſſa fuit, deducamus, præmiſſis tamen quatuor Notabilibus, & quinque additis Propoſitionibus.

Terra ſancta latitudo cæli longitudini reſpondet, & longitudo latitudini.

Primum Notandum eſt, gradus longitudinis, qui accipiuntur ſecundùm imaginarias lineas parallelas ab Occidente in Orientem procedendo, reſpondere terminis latitudinis Terræ ſanctæ; & gradus latitudinis, qui accipiuntur ſecùndùm lineas meridianas ab Auſtro vſque ad Aquilonem, reſpondere eiuſdem Terræ longitudini: ſiquidè termini longitudinis Terræ ſanctæ ſunt Auſter & Septemtrio, latitudinis Oriens & Occidens.

Terra ſancta dupliciter menſurari poteſt.

Secundum Notandum: cùm menſuratur Terra ſancta ſecundùm reſpectũ quem habet ad cæli gradus, poteſt ea menſuratio fieri dupliciter, vel, vt Geographi, ſecundùm rectam cæli lineam imaginariam, &, vt alij dicunt, per aëra; vel, vt communiter à viatoribus, per varios viarum reflexus, & vt frequentiùs & commodiùs menſurari ſiue peragrari conſueuit.

Gradibus cæli reſpondet menſura in terra.

Tertium aduertendum eſt, quòd quemadmodum in quolibet cæli gradu ſexaginta minuta conſiderantur, ita in terra cuilibet gradui & minuto propria menſura reſpondeat. Gradui vni ſecundùm Plinium reſpondent ſtadia ſeptingenta, quæ conficiunt milliaria Italica octoginta ſeptem cum dimidio, quodlibet enim milliare Italicum octo ſtadijs conſtat; minuto verò reſpondent ſtadia vndecim cum dimidio, ſiue vnum milliare Italicum cum tribus ſtadijs & dimidio. Si verò metiamur milliaribus Belgicis, quæ ſingula conſtant tribus Italicis, adeoque ſtadijs viginti quatuor, gradui vni reſpondebunt milliaria $29\frac{1}{2}$ minuto verò medium propemodum milliare.

Terra ſancta terminis diuerſis.

Quartò ad memoriam reuocandum eſt, quod ſuſè ſuprà Cap. XXIV. explicuimus, terminos longitudinis Terræ ſanctæ ab Hebræis poſſeſſæ eſſe Dan ſiue Cæſaream Paneæ, & Ægypti riuum ſiue Berſabee; iſtam Meridionalem, Aquilonarem illam: ſed latitudinis, Ioppen ad Mare mediterraneum, & Bethlehem, ſecundùm D. Hieronymum, vel remotius Mare mortuum; hoc Orientalem, illam Occidentalem. Sed promiſſæ, at non in vniuerſum poſſeſſæ, longitudinis terminos eſſe Euphratem, hoc eſt vadum eius iuxta Tabaſcum, & riuum Ægypti, ſecundùm Ptolemæum in Tabulis; iſtum Meridionalem, illum Septemtrionalem: latitudinis verò eoſdem qui & ab Hebræis poſſeſſæ, Ioppen, & Mare mortuum. His ſic præhibatis, quinque ſtatuo Propoſitiones, quæ principale noſtrum intentum explicabunt.

Terra ſancta ab Hebræis poſſeſſa longitudo & latitudo.

PRIMA PROPOSITIO. Latitudo totius Terræ ſanctæ ab Hebræis poſſeſſæ, à Dan vſque ad Berſabee, ſiue à Cæſarea Paneæ vſq; ad riuum Ægypti, ſecundùm Coſmographos, eſt vnius gradus & minutorum 45. cui in terra ſecundùm rectam lineã reſpondent longitudinis ſtadia $1217\frac{1}{2}$ milliaria Italica 152. cum vno ſtadio & dimidio, milliaria Belgica $50\frac{1}{2}$ cum ſtadijs quinque & dimidio.

Longitudo ſecundùm Ptolemæum

SECVNDA PROPOSITIO. Ex Ptolemæo longitudo huius Terræ eſt vnius gradus & decem minutorum in cælo, cui reſpondent in terra ſtadia 815. milliaria Italica $101\frac{1}{2}$ & tria ſtadia; milliaria verò Belgica triginta tria cum tribus quartis, & quinque ſtadijs. Probatur; quoniam ex eodem Ptolemæo Ioppe, Occidentalis terminus Terrę ſanctæ, habet longitudinis gradus 65. min. 40. & Mare mortuum, alter Orientalis terminus, habet longitudinis gradus 66. min. 50. & ſic computando, longitudo Terræ ſanctæ erit gradus vnius & minutorum 10. cui in terra reſpondebunt ſtadia octingenta quindecim, vnde fient Italica milliaria vnum cum dimidio ſupra centum, cum tribus ſtadijs; triginta tria Belgica cum tribus quartis & 5. ſtadijs. Verùm nimiùm exceſſit Ptolemæus, & ei experientia refragatur; ad ſummum enim illius latitudo milliarium Italicorum 60. erit, & Belgica 20. vt in ſequenti Propoſitione dicetur. *Reijcitur.*

TERTIA PROPOSITIO. Si Terra ſancta ab Hebræis poſſeſſa menſuretur, vt fit communiter dum actu perambulatur, flexuoſiùs & longiùs, extenſio eius maior erit quàm quæ aſſignata fuit: quandoquidem longitudo eius ſit quaſi 160. Italicorum milliarium, Belgicorum $53\frac{1}{3}$ latitudo 60. Italicorum, & 20. Belgicorum. Probatur auctoritate D. Hieronymi in Epiſt. 129. ad Dardanum, ſuperiùs ad calcẽ Capitis XXIV. adducta: ſed ille latitudinem metitus eſt à Ioppe vſque ad Bethlehem. Si verò eius latitudinem protendamus vſque ad Mare ſaliſſimum, alterum & proprium latitudinis huius Terræ terminum, quod à Bethlehem diſtat duodecim vel ad ſummum quatuordecim milliaribus Italicis, tota latitudo Terræ ſanctæ, vt peragratur, & longiore tractu, erit ad ſummum milliarium Italicorum 60. Belgicorum 20. Igitur ſi flexuoſius & longius per terram iter, latitudinis Terræ ſanctæ menſura, teſte Hieronymo, non excedit milliaria Italica 60. quomodo, ſecundùm rectam lineam & per aërem metiendo, excedet 100. vt volebat Ptolemæus in præcedenti Propoſitione? Et profectò magis Hieronymo credendum eſt, qui ob continuam quadraginta annorum manſionem & peregrinationem in Terra ſancta, eam interiùs & exteriùs cognouit, vt ipſe de ſemetipſo loquitur: cuius ſententiæ libenter ſubſcribunt habitatores, incolæ & peregrini Terræ ſanctæ, quàm Ptolemæo, in menſura longitudinis, dum metiendo illam per terram flexuoſiùs, ſolùm ſeptem addidit milliaria, dicendo eius latitudinem eſſe milliarium circiter 160. quam Ptolemæus ſecundùm rectam lineam dixerat eſſe milliarium 153.

Longitudo & latitudo totius Terræ Abrahæ promiſſæ, etſi haud ab Hebræis poſſeſſa.

QVARTA PROPOSITIO. Longitudo totius Terræ ſanctæ, promiſſæ à Deo Abrahæ & ſemini eius, ſed non ſecundùm totum ſuum ambitum poſſeſſæ, eſt ſtadiorum 2928. ſiue millia-

milliarium Italicorum 366. Belgicorum 122. Probatur: quia Berſabee, ſiue riuus Ægypti, alter terminus huius Terræ, eſt in latitudine graduum 31. min. 15. & vadum Euphratis iuxta Tabaſcum, alter terminus, eſt in latitudine graduum 35. min. 6. & ita computando, erit latitudo graduum 4. min. 11. cui cùm in terra reſpondeant longitudinis ſtadia 2928. & milliaria Italica 366. Belgica 122. tanta erit longitudinis eius extenſio.

QVINTA PROPOSITIO. Eiuſdem Terræ promiſſæ latitudo eſt ſtadiorũ 5715. vel milliarium Italicorũ 714 1/2 cum vno ſtadio, Belgicorum 238 1/2 Probatur, quoniam Berſabea, eius Auſtralis terminus, habet longitudinis gradus 64. min. 50. & Euphratis vadum iuxta Tabaſcum, alter terminus Septemtrionalis eiuſdem Terræ, habet longitudinis gradus 73. atque ita iſtorum terminorum diſtantia, quantum ad longitudinem, erit graduum 8. min. 10. cui in terra reſpondet latitudo ſtadiorum 5715. & milliaria Italica 714 1/2 cum vno ſtadio, Belgica 238 1/2

Nec mireris, tantam aſſignari huius Terræ latitudinem reſpectu cæli, maioremque ipſa longitudine: quia intra ipſam alia ſpatia & regiones terræ marisque ſunt, quibus ipſum cælum reſpondet in hac commenſuratione, ita vt inter eas minima ſit ipſius promiſſæ Terræ latitudo. Et hæc de ſitu Terræ ſanctæ dicta ſufficiant.

CAPVT XXXI.

De gentibus, quæ ante & poſt aduentum filiorum Iſraël habitauerunt in Terra promiſſionis vſque ad Chriſtum.

OLim promiſſionis Terra, antequam ad habitandum Iudæis tradita eſſet, ab infidelibus idololatris habitabatur: & hi erant in multiplici differentia, vt videre eſt in pluribus locis ſacrorum Bibliorum. Geneſis liber, cap. 15, 19. in fine, decem gentes numerat, Cinæos, Cenezæos, Cedmonæos, Hethæos, Pherezæos, Raphaim, Amorrhæos, Chananæos, Gergeſæos, & Iebuſæos. In Græcis LXX. Interpretum codicibus vndecim gentes enumerantur, aliâ decem præcedentibus additâ, gente ſcilicet Heuæorum. Verùm in Vulgata editione, & Hebraico textu decem illæ tantùm recenſentur. Exodi 3, 8. & 33, 2. ſex enumerantur: Deuter. 7, 1. Ioſue 3, 10. & Actorum 13, 19. ſeptem. Non eſt tamen in his & ſimilibus ſacræ Scripturæ locis, in quibus tam variæ gentes iſtæ enumerantur, aliqua contradictio. Nam, vt docent ſacri Doctores, temporum varietate & gentes variari potuerunt; & quod in vna parte Scripturæ omiſſum fuit, id in altera ſuppletum. Fieri etiam potuit, vt tempore Abrahæ fuerint decem gentes in terra Chanaan, prout Geneſ. 15, 19. enumerantur, poſteà tamen pauciores euaſerint, alijs vel extinctis, vel ſub aliarum poteſtatem atque dominatum redactis, vt in alijs locis Scripturæ recenſentur: vel quòd ſex vel ſeptem enumerentur, quia iſtæ potentiores numeroſioresque ceteris erant, in quarum expugnatione plus erat allaborandum. Quare Act. 13, 19. dicit Lucas: *Et deſtruens gentes ſeptem*, quoniam hæ præcipuæ erant. vel *ſeptem* dicuntur, quoniam hic numerus vniuerſitatem deſignat. Sed quomodocumque id ſit, illud certiſſimum eſt, varias gentes, varijs ritibus implicatas, ante & poſt aduentum filiorum Iſraël ex Ægypto in Terram promiſſionis, ſemper in ea vſque ad Chriſtum habitaſſe; nec vmquam fuiſſe ab Hebræis penitus deletas & exterminatas, poſtquam illi eam poſſederunt.

Difficultatis ſolutio.

Gentes varia diuerſis addicta ritibus incolæ Terræ ſanctæ.

Et ſunt iſtæ gentes in duplici differentia: quædam enim ex voluntate Dei, & Iudæorum beneplacito, quædam verò Deo permittente, & contra Iudæorum voluntatem, omnes tamen iuſto Dei iudicio, habitauerunt in ea. Prioris generis habitatores in quadruplici inuenio diſcrimine. Alij in ea habitarunt, quoniam vi armorum, animi fortitudine & prudentia, diuinoque auxilio aſſiſtente, eam ſibi compararunt, & iſti fuerunt Hebræi, vt diximus ſuperiùs Cap. XVII. & patet in libris Numerorum, Deuteronomij, Ioſue, Iudicum, Regum, & Paralipomenon.

Rationes multiplici in Chanaanitide habitauerunt multi:

Iudæi vi armorum, animi fortitudine, ac Dei auxilio.

Deinde, habitauerunt alij cum Iudæis, propter impenſa ipſis beneficia, vt Rahab; & alij de domo eius, propter miſericordiam exhibitam exploratoribus Iſraël, quando explorauerunt Iericho: cuſtoditi enim fuerunt à Rahab, ne deprehenderentur ab ijs qui à Rege Iericho miſſi fuerant ad eos inquirendos, & ab ea incolumes dimiſſi, vt habetur Ioſue 2, 6. Iſti habitauerunt in medio Iſraël deleta Iericho, eodem lib. cap. 6. aſſumptâ Rahab in vxorem à Salmon, vno ex Principibus Iuda, vt legitur Matthæi cap. 1, 4.

Raab cum ſua familia, ob beneficia.

Tertiò, Alij arte & induſtria habitauerunt, callidè decipientes Iudæos ne ab ipſis interficerentur: & iſti fuerunt Gabaonitæ, vt videre eſt in lib. Ioſue cap. 9, 3.

Gabaonitæ arte & induſtriâ.

Quartò & poſtremò, pacificè cum Iudæis habitauerunt in terra Chanaan illi, qui cum Iudæis priùs contraxerunt amicitiam; & iſti fuerunt Cinæi, de quibus dicitur Iudic. 1, 16. *Filij autem Cinæi cognati Moyſi,*

Cinæi ex amicitia.

aſcenderunt de ciuitate palmarum (hæc eſt Iericho) *cum filijs Iuda in deſertum ſortis eius, quod eſt à meridie Arad, & habitauerunt cum eo.* Iſti Cinæi deſcenderunt à Iethro cognato Moyſis, quem ſatis deprecatus fuit vt ſecum moraretur, promittens illi partem omnium quæ Deus Iſraëli concederet, Num. 10, 29. Qui petitioni & obſecrationi illius annuere noluit, deſiderio redeundi in patriam ſuam Madian; ſicuti & rediit. Verùm cùm poſt quadraginta annos Madianitæ debellati fuiſſent ab Iſraëlitico populo, vt dicitur Num. 31, 1. ſeruati fuêre filij Iethro, cum illius domo & cognatione, habitauerunt́que cum ſorte Iuda, memores amicitiæ quæ fuit cum eorum patre Iethro, vt quidam probabiliter exiſtimant. Eber etiam Cinæus habitauit in tribu Nephthalim, vt dicitur Iudic. 4, 11.

Omnes prædicti in Terra ſancta meritò habitauerunt.

Conuenienter verò omnes iſti in terra Chanaan habitauerunt: Iudæi quidem ex iuſtitia, quoniam iure belli iuſtè eam ſibi comparârunt; Rahab & domus eius, propter miſericordiam, quia qui facit miſericordiam, miſericordiam conſequetur; Gabaonitæ verò, quoniam Iudæi eos in ſuam amicitiam receperunt, fidemque dederunt ſe innoxios illos paſſuros, quæ ſeruari debuit; Cinæi denique admiſſi meritò fuerunt ad conſortium filiorum Iſraël, ob veterem cum illis contractam amicitiam, & ratione gratitudinis.

In quadruplicibus Terra ſanctæ habitatoribus quatuor hominum genera deſignantur, qui vinentium terrã conſequuntur.

Sed obiter quod occurrit obſerua, his quatuor habitatorum generibus quatuor hominum genera præfigurari, qui admittuntur ad terram viuentium æternæ beatitudinis, in Terra illa materiali promiſſionis præfiguratam, de quibus S. Bernardus in ſuis breuibus moralibusque Sententijs eleganter ſcribit, dicens: *Quatuor ſunt genera hominum regnum cælorum poſſidentium: alij violenter rapiunt, alij mercantur, alij furantur, alij ad illud compelluntur*, &c.

Primi violenti & virtute præſtantes.

Primi ſunt illi, qui animi fortitudine & virtutibus heroicis allaborarunt vt ſibi eam compararent, ſcientes quòd regnum cælorum vim patiatur, & violenti rapiant illud. Tali modo ad eam admiſſus fuit, qui dicebat, *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui*, ideoque *repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*, &c. 2. Timoth. 4, 7. & quamplurimi huic ſimiles. Hi in Hebræis figurantur.

Secundi viri miſericordiæ.

Secundi ſunt viri miſericordiæ, qui diuitijs ſuis conſumptis in hoſpitalitate ceteriſq; miſericordiæ operibus, miſericordiam conſequuntur. Horum typum geſſit Rahab meretrix, exploratorum Iſraël hoſpes.

Tertij mortificationē & virtutē ſimulantes.

Tertij generis homines, qui furantur, ſunt illi, qui apud mundum mundani eſſe videntur, dies lætitiæ deforis præ ſe ferentes, at mente in cælis conuerſantes, in ieiunijs caput vngunt, & faciem lauant, iuxta conſilium Domini, ne videantur hominibus ieiunantes; non vt hypocritæ in plateis, ſed in abſcondito, ſub veſtibus Regijs & delicatis deferentes cilicium. Tales fuerunt Dauid Rex, ſanctiſſima illa Iudith, Cæcilia, Eliſabeth Hungariæ Regis filia, & alij quamplures viri ac mulieres. Hos præfiguratos video in Gabaonitis, qui prudentia & calliditate meruerant in promiſſionis Terra habitare.

Quantis tribulationibus preſſi.

Quarti denique generis homines, qui compelluntur ingredi, ſunt illi, qui infirmitate, tribulatione, & morte mouentur: primò quidem timore, poſteà amore adducuntur ad Chriſtum ſequendum, &, vt dicitur in Euangelio, compelluntur intrare: tales fuerunt filius prodigus, Magdalena, bonus latro, & pænè alij innumeri. Hi in Cinæis præfigurantur. Vt enim hi priùs à Iudæis inuitati ad conuiuendum cum illis, renuerunt, at poſteà timore mortis habitarunt inter filios Iſraël in terra Chanaan, facti illorum miſericordiæ participes, vt dicitur Iudic. 1. ita illi qui priùs virtutis amore à malo non receſſerunt, poſteà mortis formidine virtutem ſunt amplexati.

De alijs gentibus quæ habitauerunt in Terra ſancta contra Iudæorum voluntatem, dicemus Capite ſequenti.

CAPVT XXXII.

De illis qui cum Iudæis contra eorum quidem voluntatem, at Dei permiſſu, habitauerunt in terra Chanaan; & quæ rationes illius permiſſionis fuerint.

Cum fidelibus Iudæis habitarunt ſemper infideles in Chanaan.

TErra Chanaan, Abrahæ & poſteris eius promiſſa, non ſtatim tota à Iudæis occupata fuit, poſtquam ij ad eam duce Ioſue mirabiliter ingreſſi fuêre, etſi tota inter ipſos fuerit diſtributa; ſed cum ipſis, vtpote in proprijs habitationibus, plures gentes infideles habitauerunt, quas delere non potuerunt, vt ex ſacris profanisque Scriptoribus conſtat.

Iuda nequiuit infideles ex Chananitide expellere.

De Iuda legimus Iudic. 1, 19. *Nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.* De Ephraim Ioſue 16, 10. & Iudic. 1, 29. dicitur, quòd non interfecerit Chananæum qui habitabat in Gazer. De Manaſſe item Ioſue 17, 12. hæc habentur: *Nec potuerunt filij Manaſſe has ciuitates ſubuertere, ſed cœpit Chananæus habitare in terra ſua.* & Iudicum 1, 27. *Manaſſes quoque non deleuit Bethſan, & Thanac cum viculis ſuis, & habitatores Dor, & Ieblaam, & Mageddo cum viculis ſuis, cœpitq; Chananæus habitare*

cum

cum eis. Et filijs Ioſeph conquerentibus, quòd terra eis data, nimis anguſta eſſet, nec capax tantæ multitudinis quæ in ipſis erat, reſpondit Ioſue dicens: *Si populus multus es, aſcende in ſiluam, & ſuccide tibi ſpatia in terra Pherezæi & Raphaim*, Ioſue 17, 15.

Nec Beniamin. De Beniamin verò ſic dicitur Iudic. 1, 21. *Iebuſæum autem habitatorem Ieruſalem non deleuerunt filij Beniamin, habitauitq; Iebuſæus cum filijs Beniaminin Ieruſalem.*

Nec alia tribus. De alijs etiam tribubus ibidem inferiùs legimus: *Zabulon nõ deleuit habitatores Cetron, & Naalol; ſed habitauit Chananæus in medio eius, factuſq; eſt ei tributarius. Aſer quoque non deleuit habitatores Accho, & Sidonis, Ahalab, & Acharib, & Helba, & Aphec, & Rohob: habitauitq; in medio Chananæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum. Nephthali quoque non deleuit habitatores Bethſames, & Bethanat: & habitauit inter Chananæum habitatorem Terræ, fueruntq; ei Bethſamitæ & Bethanitæ tributarij. Arctauitq; Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum vt ad planiora deſcenderent.* Item Ioſue 13, 13. legimus: *Nõluerunt q; diſperdere filij Iſraël Geſſuri & Machati: & habitauerunt in medio Iſraël vſq; in præſentem diem.* Prætereà Iudic. 3, 3. recenſentur gentes relictæ à Domino in terra Chanaan; nimirum Philiſthijm, Sidonij, Chananæi, Hethæi, Amorrhæi, Pherezæi, Heuæi, & Iebuſæi, in quorum medio habitauerunt filij Iſraël. Ex quibus omnibus ſacræ Scripturæ locis manifeſtum relinquitur, Hebræos non ſolos in Terra Chanaan, ſed cum gentibus varijs infidelibusque habitaſſe, etſi inuitos.

Quatuor eò rationes cum Iudæis alias nationes habitarunt. Sed ſi curiosè quis inquirat, quare id permiſerit Dominus, cùm abſque difficultate potuerit Terram hanc ſanctam, toties hominibus ſanctis repromiſſam, eiſdem totam dare, multæ ſeſe rationes offerunt.

Prima. Prima eſt, quam dedit Angelus Iudic. 2, 3. quia nimirum Hebræi contra præceptum Domini, quod habetur Numer. 33, 51. & Deuter. 7, 1. & Iudic. 2, 20. in fine, inierunt fœdus cum Chananæis. *Quamobrem* (inquit Angelus) *nolui delere eos à facie veſtra, vt habeatis hoſtes, & dij eorum ſint vobis in ruinam.*

Secunda. Altera ratio indicatur Exodi 23, 29. illis verbis: *Non ejciam eos à facie tua anno vno* (id eſt, in prioribus annis à ſumpta Terræ poſſeſſione, vſurpato videlicet numero ſingulari pro plurali) *ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ. Paulatim expellam eos de conſpectu tuo, donec augearis, & poſſideas Terram.* & idem ferè habetur Deut. 7, 22. Ac ſi dicere voluiſſet: Terra Chanaan multò latior eſt, quàm vt à vobis tota inhabitari colique queat, cùm non tam multi ſitis, vt eam replere valeatis. Quamobrem ſi ſtatim in ingreſſu veſtro ego diſperderem omnes illas gentes quæ nunc eam incolunt, procul dubio terra illa remaneret magna ex parte deſerta; augereturque in ea multitudo ferarum, quæ vobis non parum moleſta ac noxia eſſet. Propterea gentes illas paulatim ejciam, ad incrementi veſtri proportionem; ita vt quantum vos in dies multiplicari contigerit, ac dilatari oportuerit, tantum illos ſentim à vobis exterminari permittam.

Tertia. Tertia cauſa proditur Iudicum 3, 1. *Vt erudiret in eis Iſraëlem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum: vt poſteà diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi.* Quibus verbis inſinuatur manifeſtè, Dominum reliquiſſe hoſtes Iſraëli, non vt ei malefacerent, ſed magis vt eum ad maiora bona proueherent, atque ab eo impedimenta maioris boni conſequendi amouerent: nimirum vt hac ratione occaſiones valdè ſalutares eiſdem daret, pernicioſa à filijs ſuis otia arcendi, & exercendi eos ad prælia, glorioſasque victorias de hoſtibus reportandas. Vide quanta fuerit Dei benignitas ac prouidentia erga populum illum adhuc carnalem; & diſce non minora ab eodem ſperare, in his præſertim quæ ad ſpiritum pertinent: atque cogita, non otiosè etiam poſt ſpiritualem regenerationem, & veram in Deum conuerſionem, in nobis relictum eſſe fomitem peccati, variasque tentationes, ſed fructuosè, vt earum punctionibus excitati, acriùs prouocemur ad continuam luctam aduerſus principes tenebrarum, & aduerſus carnem & ſanguinem, hoc eſt proprias concupiſcentias, quæ militant in membris noſtris; & denique ad vitia prauasque conſuetudines, quarum typum illæ gentes in populo Iſraëlitico gerebant, de cordibus noſtris, Deo benè iuuante, exterminandas.

Dei ſingularis benignitas erga Iudaicum populum.

Peccato remiſſo fomes relinquitur.

Quarta. Quarta demum cauſa eodem libri Iudicum capite, verſu 4. ſubiungitur illis verbis: *Dimiſitq; eos* (ſubaudi Chananæos) *vt in ipſis experiretur Iſraëlem, vtrùm audiret mandata Domini quæ præceperat patribus eorum per manum Moyſi, an non.* Id eſt, vt ſic apertiùs ſe proderent inter Iſraëlitas, quinam verè in diuino cultu, & Moyſaicæ legis obſeruantia eſſent ſtabiles, & qui inconſtantes & leui corde, ac facilè ex Chananæorum conſuetudine ad idola colenda defluerent. Simile eſt quod dicebat Apoſtolus 1. Corinthior. 11, 19. *Oportet & hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.*

Diuersum breuis collatio. Breuiter itaque prima cauſa, cur non deleuerit Dominus de terra Chanaan ad introitum Iſraëlis omnes gentes in ea priùs

exiſtentes, fuit quidem, vt dictum eſt, Hebræorum præuaricatio, ſed *pius Dominus*, qui (vt dicebat S. Auguſtinus Enchiridij cap. 27.) *melius iudicauit de malis benè facere, quàm mala nulla eſſe permittere*; dictæ Iſraëlitarum transgreſſionis pœnam vertit eis in bonum: vt ſcilicet terra illa non remaneret magna ex parte inculta & inhabitata, ferisque magno cum Hebræorum detrimento obnoxia; & item, vt in eis erudiret exerceretque Iſraëlem ad prælia, ab eiſdemque otia, malorum omnium incentiua, tolleret: & denique, vt per hoc manifeſti fierent, qui ex Hebræis Deo veraciter adhæterent, & qui ab eo facilè diuerti ſe ſinerent.

D. Auguſtini notanda ſententia.

CAPVT XXXIII.

Nationes variæ, fideles & infideles, quæ in ſancta ciuitate Ieruſalem, & in tota Terra ſancta poſt temporalem Filij Dei in terras aduentum habitarunt, & vſque hodie habitant.

POſt Filij Dei Domini noſtri primum in hunc mundum temporalem aduentum, & ex eodem ad æternum Patrem glorioſum receſſum, ſancta ciuitas Ieruſalem, & tota Palæſtina, pro temporum varietate & mutabilitate, habitata & infeſſa fuit à diuerſis gentibus & nationibus, fidelibus & infidelibus, quemadmodum & hodierno tempore (etſi redacta ſub Turcarum Chriſtiani nominis hoſtium tyrannidem) à ſimilibus inhabitatur & incolitur, quas nos præſenti Capite recenſebimus; & mox aliqua de ſingulis, pro noſtri inſtituti ratione, diſſeremus.

Præſentis Terræ ſanctæ habitatores fideles, & infideles qui.

Fideles in genere ſunt gemini, Occidentales & Latini, & Orientales. Illi vſq; hodie ſunt *Fratres Minores* S. Franciſci, qui *de Obſeruantia* nuncupantur, olim tamen in eadem habitabant aliorum Ordinum Monachi, & ſæculares Presbyteri, vt ex hiſtorijs manifeſtum eſt. Hi verò, id eſt, Orientales ordinariè ſunt tantùm *Maronitæ*. Ceterùm loca ſancta venerandi ergò tam ex his quàm ex illis veniunt fideles alij aliorum Ordinum & nationum, vt dicemus fuſiùs Libro III.

Infideles ſimiliter in genere ſunt duplicis ordinis, baptizati alij, alij non baptizati. Infideles baptizati ſunt ſchiſmatici atque hæretici, *Græci*, *Armeni*, *Syriani* ſiue *Iacobitæ*, *Georgiani*, *Gophti* id eſt *Aegyptij*, *Abyſſini* id eſt *Aethiopes*, *Neſtoriani*. Alij etiam aliarum ſectarum à præmiſſis enumerantur, verùm tot ſunt ſpecie, quot ſunt nationes enumeratæ.

Diſplicet aliquibus enumerare inter infideles hæreticos præmiſſos, imò & hæreticos appellare *Græcos*, *Armenos*, &c. quoniam in Baptiſmate fidem Chriſti profeſſi ſunt; & aliquem non credere alicui articulo fidei, non videtur ſufficiens ratio vt ab illo fidem ipſam negemus, dicamusque eſſe infidelem. Sed hæc non officiunt; & Primò dicimus, nos non eſſe auctores illius aſſertionis, ſed D. Thomam, qui 2.2. quæſt. 10. artic. 5. aſſignat tres ſpecies infidelitatis. Prima eſt, quæ obnititur fidei nondum ſuſceptæ, & hæc eſt Paganorum ſiue Gentilium. Altera, quæ renititur fidei Chriſtianæ ſuſceptæ, vel in figura, & ſic eſt infidelitas Iudæorum; vel in ipſa manifeſtatione veritatis, & ſic eſt infidelitas hæreticorum. Vnde generatim aſſignat tres prædictas infidelitatis ſpecies. Nec officit, illos in Baptiſmate Chriſti fidem fuiſſe profeſſos, ſi poſteà illâ abnegarunt: eo enim tantùm probatur, pertinere potentiâ ad Eccleſiam. Nec ſufficit pluribus fide præceptis aſſenſum præbere, & non omnibus: quia ſi fide credimus propter Deum reuelantem & credere præcipientem, at aliquibus tantùm & non omnibus credimus, hoc erit nõ propter Deum, ſed propter proprium ſenſum; quoniam Deus præcipit vt omnibus credamus quæ Eccleſia credenda proponit. Lege D. Thomam loco citato quæſt. 5. art. 3. *Græcos* verò, *Armenos* & alios memoratos Orientales ſchiſmaticos, non omnia credere quæ ſancta Catholica Romana Eccleſia credenda proponit, inferiùs, dum de illorum erroribus agemus, apparebit. Quare cùm iſti à ſancta Eccleſia & Romano Pontifice defecerint, & ſe innumeris erroribus implicuerint, minimè propter ſolum Baptiſmum, & aliquibus tantùm fidei articulis datum aſſenſum, fideles appellari merentur.

Infidelitatis tres ſpecies.

Fide omnia reuelata credenda.

Græci, Armeni, &c. non omnia reuelata credunt.

Infideles ſimiliter non baptizati ad duas claſſes reduci poſſunt, ad Iudæos, & Mahometanos. Sub illis continentur Samaritani, qui recipiunt dumtaxat quinque Moyſis libros, & nimis ſunt ſcrupuloſi legis obſeruatores: & hos tamquam hæreticos ceteri Iudæi abominantur. Et olim tamquam probro vertebant Chriſto, quòd Samaritanus eſſet, Ioan. 8, 48. & Samaritana illa Euangelica mulier dixit Chriſto Iudæo, poſcenti ab ea aquam: *Quomodo tu, Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? non enim coëuntur Iudæi Samaritanis.* Ioan. 4, 9. Sub Mahometanis etiam diſtinctæ Mahometiſtarum ſpecies continentur, *Mauri*, *Arabes*, *Turcæ* & *Perſiani*, inter quos multa ſunt diſſidia, non minùs ac in Eccleſia inter Catholicos & hæreticos.

Non baptizati duplicis generis.

Idololatræ propriè, qui vel plures deos, vel opera manuum Dei & hominum diuino latriæ cultu adorent, nulli ſunt in his partiparti-

Idololatræ nulli in Terra ſancta.

partibus, nec ad eas ſe conferunt, etſi plures ad eamdem ſe alij conferant infideles. Ex quo enim vnigenitus Dei Filius in terris viſibilis apparuit, & in ara crucis mortem ſubijt, penitus ex his partibus idololatriam eliminauit, & electo de mundo tenebrarum principe, ne adoraretur, vel in manu factis veneratio ei haberetur, effecit; ſed vt ab omnibus, & in primis in hac habitantibus, vel huc venientibus, vni Deo honor & gloria deferatur. Et tantum abeſt vt Mahometiſtæ (de quibus aliqui tamen id ſuſpicati ſunt) Mahometem adorent tamquam Deum, & conſequenter ſint idololatræ, vt potiùs illum vnius veri Dei ſeruum, nuntium, & prophetam prædicent: & vſque adeò idololatriam, & quod numerum vel pluralitatem in Diuinis importare videtur, execrantur, vt Chriſtianos vel eo nomine abominentur, quòd in Diuinis agnoſcant & confiteantur tres diuinas perſonas; perperàm ſibi perſuadentes, eoſdem ponere tres Deos. Cùm enim expertes ſint luminis fidei, non capiunt, quomodo in vnica & ſimpliciſſima eſſentia & Deitate tres diuinæ inueniantur perſonæ realiter diſtinctæ, vt fides Catholica docet. Et ego vidi & audiui Turcarum pueros, vt Chriſtianis ægre faciant, ſuo idiomate in vijs dicentes: *Vnus ſolus eſt Deus, & Mahomet Dei nuntius.* adeo vt quod vel vmbram pluralitatis Deorum apud ipſos innuere videtur, deteſtentur. Quin Mahomet ipſe, licet, antequam ſuam perditam ſectam inſtitueret, idolatra eſſet, non tamen poſt illius inſtitutionem: eiusque Alcorani finis eſt, prædicare, non eſſe tres aut plures Deos, ſed vnum ſine participe, id eſt Chriſto, quem nos Chriſtiani Deum illum eumdem eſſe confitemur, vt tradit Genebrardus. Conſule Cardinalem Vitriacum in Hiſtoria Ieroſolymitana, à cap. LXX. vſq; ad LXXXII. & Marinum Sanutum Torſelum Secret. fidel. Crucis lib. III. Parte VIII. à cap. 1. vſque ad 5.

Mahometani idololatriam abominantur.

CAPVT XXXIV.

De Occidentalibus & Latinis fidelibus, qui Ieroſolymis & in alijs Terræ ſanctæ locis habitant.

ACturi de memoratis nationibus, à fidelibus, qui origine & dignitate infidelibus priores ſunt, ordiamur, & ex illis à Latinis. Vt verò, quinam ſint fideles & Catholici, intelligamus; priùs quid ſit Catholica & militans Eccleſia, aperiendum eſt. Eccleſia Catholica eſt cœtus hominum, eiuſdem Chriſtianæ fidei profeſſione, & eorumdem Sacramentorum communione colligatus, ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipuè vnius Chriſti in terris Vicarij Romani Pontificis. Ita Doctores. Et hæc Eccleſia vna ſponſa Chriſti eſt, & viſibilis; &, vt inquit D. Auguſtinus in Breuiculo collationũ col. 3. eſt corpus viuum ex anima & corpore conſtans. Anima ſunt virtutes internæ, ſpes, fides, charitas, &c. corpus, externa fidei profeſſio, & Sacramentorum communio, &c. Vnde quidã ſunt & de anima & de corpore Eccleſiæ, ac proinde Chriſto capiti vniti interiùs & exteriùs, qui membra viua & perfectiſſimè de Eccleſia eſſe dici poſſunt. Et inter iſtos aliqui magis, aliqui minùs vitam participant, & aliqui etiam ſolum initium vitæ habent, & quaſi ſenſum, ſed non motum, vt qui habent ſolam fidem ſine charitate. Rurſus alij ſunt de anima, & non de corpore, vt Catechumeni, ſi fidem & charitatem habent, vt habere poſſunt. Alij denique ſunt de corpore, & non de anima, vt qui nullam habent internam virtutem, & tamen ſpe aut timore aliquo temporali profitentur fidem, & in Sacramentis communicant, ſub regimine Paſtorum; & ſunt ſicut capilli, vngues & mali humores in corpore humano, inquit Bellarminus. Et ex his patet, quinam fideles & Catholici appellandi ſint.

Eccleſia Catholica quid.

Anima & corpus Eccleſiæ quid.

Diuerſimodè ad Eccleſiam Chriſtiani pertinent.

Inter iſtos verò datur quidam ordo, vt in exercitu, cui etiam comparatur Cant. 6, 9. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*: ac proinde ſicut milites non omnes eiuſdem omnino conditionis & profeſſionis exiſtunt, etſi omnes ſub vno duce in eodemque cœtu degant; ita in S. Eccleſia quidam virgines ſunt, alij cælibes, coniugati alij: quidam ad ſola Euangelica & Eccleſiaſtica præcepta tenentur, vt ſæculares; quidam & ad conſiliorum obſeruantiam, vt Religioſi: & iſti diuerſi etiam inter ſe inueniuntur, ſecundùm diuerſitatem legum quas profitentur, & Patrum quos vt filij ſequuntur. Ad hæc quidam Latino idiomate, quidam Græco, & quidam alio ritu Deum laudant & venerantur.

In Eccleſia ordo.

Ad propoſitum accedo: nec enim expedit in his pluribus immorari. Qui plura ſcire deſiderat, conſulat Baronium Tom. 1. Annalium ſub anno Chriſti 43. à num. 11. vſque ad 18. & ſub anno 45. à 1. vſque ad 10. Bellarminum Tom. 1. Controuerſ. lib. 3. de Eccleſia militante, Alfonſum à Caſtro lib. 1. Aduerſus hæreſes, & alios ab his citatos.

Catholici Latini Ieroſolymis habitantes à trecentis viginti annis & ſuprà, ſunt Franciſcani Fratres, quorum Patriarcha & Pater eſt Seraphicus S. Franciſcus, Regula ſanctum Euangelium Domini noſtri IESV Chriſti:

Latini, Minores.

Christi qui, vt ih eius principio videre est, peculiarem Summo Pontifici & Ecclesiæ Romanæ promittunt obedientiam, ac ideò eiusdem Pontificis & Ecclesiæ in Terræ sanctæ locum tenent, pluribus illisque eximijs priuilegijs condecorati, vt sequenti Libro apparebit. Illorum Regulam confirmauit Summus Pontifex Honorius III. anno octauo sui Pontificatus, & nostræ salutis circiter millesimo ducentesimo vigesimo quarto. Plura de hisce Religiosis non dicam; tum quia, quænam sit illorum professio & status, omnibus manifestum est; tum, quia inferiùs de eisdem incidet sermo: quare ad Orientales Catholicos nostra se conuertat oratio.

CAPVT XXXV.

De Catholicis Orientalibus, & Maronitis.

Orientales Catholici qui.

ORientales Catholici illi dicuntur, qui in partibus istis fidem Catholicam profitentur, Romanoq; Pontifici, tamquam vniuersalis Ecclesiæ supremo capiti, reuerentiam & obedientiam exhibent, Deum in suis ritibus & linguis, prout vel ab Apostolis, vel Concilijs, vel sanctis Patribus acceperunt, venerantes: & isti sunt Græci, Armeni, Chaldæi, &c. Etsi, vt verum fatear (licet ex omnibus Orientalibus nationibus quosdam non dubitem esse verè Catholicos) Maronitis exceptis, nulla ex indicatis nationibus sit, quæ ex toto Romanæ Catholicæ Ecclesiæ pareat; omnes enim ex parte ab ea defecerunt & apostatarunt, innumeris erroribus & hæresibus implicitæ: quare intrà de illis agimus, dum de infidelibus erit sermo, & nunc tantum de Maronitis.

Maronitæ qui.

At qui sunt Maronitæ? Non eadem omnium est sententia. Ego præsenti Capite referam aliqua ex alijs accepta, sed non omnino à Maronitis probata; sequentibus verò tribus Capitibus referam quæ ab eisdem prolata & tradita, atque illorum auctoritate probata esse scio, & quæ ipsemet quoad ipsos obseruaui.

Maronitæ à Marone hæretico appellatos esse qui dixerint.

Maronitæ, à Marone hæretico appellati (vt dicunt Prateolus & quidam alij) priùs hæretici, & varijs erroribus impliciti, à quibus postea correcti, & resipiscentes, Catholicamque veritatem suscipientes, ad sanctæ Ecclesiæ & fidelium vnionem recepti fuerunt anno Domini 1182. Et de horum conuersione & ratione nominis plura ex Tyrio lib. 22. cap. 8. refert Cardinalis Baronius Tom. 12. Annalium Ecclesiasticorum ad eumdem annum Domini, num. 4. in hunc modum: *Interea dum regnum pace à Saladini bello, vt prædiximus, gauderet temporali, natio quædam Syrorum, in Phœnice prouincia, circa iuga Libani, iuxta vrbem Biblienſium habitans, plurimam circa sui statum passa est mutationem. Nam cùm per annos panè quingentos, cuiusdam Maronis hæresiarchæ errorem fuissent secuti, ita vt ab eo dicerentur Maronitæ, & ab Ecclesia fidelium sequestrati, seorsum Sacramenta conficerent sua; diuina inspiratione ad cor redeuntes, languore depositio, ad Patriarcham Antiochenum Haimericum, qui tertius Latinorum nunc eidem præest Ecclesiæ, accesserunt, & abiurato errore, quo diu periculosè nimis detenti fuerant, ad vnitatem Ecclesiæ Catholicæ reuersi sunt, fidem Orthodoxam suscipientes, parati Romanæ Ecclesiæ traditiones cum omni veneratione amplecti, & obseruare. Erat autè huius populi turba non modica, sed quadraginta millium dicebatur excedere quantitatem, qui per Biblienſem, Botrienſem, & Tripolitanum Episcopatus iuga Libani & montis deuexa (vt prædiximus) inhabitabant: erantq; viri fortes, & in armis strenui, nostris in maioribus negotijs, quæ cum hostibus habebant frequentissima, valdè vtiles. Vnde & de eorum conuersione ad fidei sinceritatem maxima nostris accessit lætitia. Maronis autem error, & sequacium eius est, & fuit (sicut ex sexta Synodo legitur, quæ contra eos lata esse dignoscitur, & in qua damnationis sententiam pertulerunt) quod in Domino nostro Iesu Christo vna tantùm sit & fuerit ab initio & voluntas & operatio. Cui articulo ab Orthodoxorum Ecclesia reprobato, multa alia pernitiosa nimis, postquam à cœtu fidelium segregati sunt, adiecerunt. Super quibus omnibus ducti pœnitudine (vt prædiximus) ad Ecclesiam redierunt Catholicam, vnà cum Patriarcha suo, & Episcopis nonnullis, qui eos sicut priùs in impietate præcesserant, ita ad veritatem redeuntibus pium ducatum præstiterunt.* Hactenus ille. Breuiùs in substantia eadem docet S. Antoninus 2. Parte Histor. tit. 17. cap. 9. §. 11. *D. Antonius.*

Baronius dictis à Tyrio sequentia subijcit, quæ illa mitigant vel corrigunt: *Porrò hi se à vico Syriæ Maronia Maronitas, siue à sancto Marone Abbate, ante cognitum Maronem Monothelitam, contendunt esse denominatos; ex hocq; fieri, vt nomen hoc suum, ipsorum detestantes errorem, retinere mordicus perseuerent. Post hæc autem eorum Patriarcha sub Innocentio Papa III. venit ad Lateranense Concilium, vbi plenissimè res spectantes ad fidem Catholicam, ritusq; sacros edoctus, suos eosdem sequi voluit; sicq; perstiterunt immobiles in sancta fide Catholica, licet semper agitati infidelium pressuris, vt litteræ illorum ad Leonem X. reddita, quæ extant, aperiè* *Baronius.*

apertè teſtantur. Hæc Baronius. Vide eundem in Notis Romani Martyrologij ad 21. Octobris.

Litteræ iſtæ fuerunt Petri Maronitarum Patriarchæ ex Monaſterio Camibim (alij *Canobim*) in monte Libano, anno 1515. eidem Leoni in Lateranenſi Concilio ab Acuri Ioſeph Oratore, & duobus alijs qui Eliæ nomen habebant, in Seſſione decima oblatæ (quas tam in eodem Concilio, quàm apud Sanderum libro 7. de Viſibili Monarchia videre licet) vt Petrus Maturus Societatis IESV tradit in Annotationibus D. Antonini ad ſuprà citatum locum, & ſubdit ex litteris Societatis IESV, anni Chriſti 1581. Denique cùm aliquot adhuc erroribus implicarentur, vt quòd Spiritum ſanctum à ſolo Patre procedere crederent, licere vxori nummum remittere, & quibuſdam alijs, Gregorius XIII. Ioannem Baptiſtam Ælianum, & P. Ioannem Brunum Societatis IESV, ad eos anno Chriſti 1579. & 1580. delegauit, qui eos ab ijs erroribus reductos, ad Catholicæ religionis profeſſionem, verbo ipſis præeuntibus, ritè enuntiandam induxerunt.

Relatio P. Petri Maturi.

Sed his doctiores Maronitarum refragari vidi, ſicut & aliquibus quæ aſſeruntur à P. Thoma à IESV in ſuo Opere de procuranda ſalute omnium gentium, in quo plura ſcribit de Maronitis lib. 7. parte 1. capite 22. & parte 2. cap. 5. & 6. cùm S. Maronis Abbatis memoria inueniatur, ſed nulla apud probatos Scriptores Maronis hæreſiarchæ; & in illorum antiquis codicibus præfati errores non inueniuntur, ſed omnino vera & Catholica fides: & idem etiam Baronius Tom. 7. Annal. ſub anno Domini 518. adſtruit ex quodam Concilio eo tempore Tyri celebrato, ad quod aliquas epiſtolas ſcripſerunt contra hæreticos Eutychianos aliqui Archimandritæ, inter quos in ſubſcriptionibus primum locum tenebat *Alexander Archimandrita monaſterij S. Maronis*, & omnes, qui Catholicam fidem profitebantur, *Maronitæ* appellabantur.

Reijcitur à Maronitis, & P. Thomas à Ieſu.

Et quamuis verum ſit, circa annum Domini 699. à Catholica fide eos deſciuiſſe, & (vt teſtatur Prateolus) adhæſiſſe Eutycheti, Dioſcoro & Monophyſitis hæreticis: verùm Deo fauente ad Romanæ Catholicæ Eccleſiæ vnionem redierunt, operâ Haimerici Patriarchæ Antiocheni, vt antè dictum fuit; & poſteà horum Patriarcha interfuit Concilio generali Romæ celebrato ſub Innocentio III. anno Domini 1215. à quo tempore vſq; ad præſens ſemper ſub obedientia Romanæ Eccleſiæ perſtiterunt. Et quamuis fieri non poſſit, quin ſchiſmaticis & hæreticis Orientalibus immixti, eorum ritibus & erroribus implicentur, ſemper tamen prompti ad reſipiſcendum, & obediendum Eccleſiæ inueniuntur, vt ex varijs euentibus videre eſt.

Prompti ad ſurgendum ab erroribus ſuos Maronitæ.

In 3. parte Chronici Fratrum Minorum lib. 3. cap. 38. dicitur, Maronitas reductos fuiſſe ad vnionem S. Romanæ Eccleſiæ à F. Griſone Ordinis S. Franciſci, qui etiam fuit illorum Patriarcha creatus à Summo Pontifice Innocentio VIII. anno Domini 1475. Et fortaſſe ita dicitur, quia prædictus Pater operam dedit inſtructioni & ſaluti Maronitarum.

Illos iunit F. Griſon.

Maronitæ mentionem faciunt cuiuſdam Fratris Gabrielis eiuſdem Ordinis, qui eoſdem liberauerit ab erroribus Iacobitarum, in quos inciderant fraude quorumdam Iacobitarum, qui & ſuorum ſcelerum pœnas dederunt. Multa fecit & ſcripſit Chaldaico idiomate in gratiam Maronitarum, ob quæ multùm ab eiſdem Maronitis æſtimatur. Illius vita & opera ſcriptis conſignata fuerunt, quæ in monte Libano in Conuentu Patriarchali aſſeruantur. Ita fide digni Maronitæ mihi narrauerunt.

& F. Gabriel Minorita.

CAPVT XXXVI.

Quæ Maronitæ de ſe ipſis profiteantur, producuntur.

MARONITARVM IN VRBE COLLEGIVM Lectori S.

Hac Relatio habetur in Miſſali Maronitarum recentèr Romæ impreſſo.

PRodituro in lucem Miſſali Maronitarum noſtrorum, quod noſtri patriâ linguâ Kthobo deurobo, *hoc eſt*, Libſum oblationis *appellant, cùm in eo B. Maronis, vt patroni tutoriſq; gentis noſtræ præcipui, ad quem etiam nominis ſui originem referre ſolet, crebra fiat mentio, conſentaneum viſum eſt, de illo, quis quantuſq; vir fuerit, & de florentiſſimo quondam eius nominis Monaſterio pauca præfari. Fuit igitur B. Maro patriâ Syrus, gradu & profeſſione Presbyter ac Monachus, qui, vt in eius Vita ſcribit Theodoretus, collem quemdam, qui ab Ethnicis ſuperſtitiosè colebatur, occupans, fanum, quod ibi erat, Deo conſecrauit, paruumq; in eo tabernaculum ex pellibus fixit: quo tamen rarò eſt vſus, cùm vitam ſub dio vt plurimum duceret. Conſuetus Monaſtica vitæ laboribus non contentus, alios inſuper excogitauit, tantamq; eſt à Deo conſecutus gratiam curationum, vt magnus vndiq; ad eum fieret concurſus. Nam & febres ſanabat, & dæmones fugabat, aliosq; omnis generis morbos vno curabat orationis medicamento. Nec ſolùm ægritudinibus corporis medebatur, ſed congruentem etiam animis curationem adhibebat.*

Maro quis fuerit.

hibebat. Diſcipulos virtutis ſuæ imitatores multos habuit, qui in Cypri regione poſteà floruerunt, inter quos celeberrimi, Iacobus, qui in monte Cyro vrbi proximo, ſub dio ſine vllo tecto vixit, miraculis & ſpiritu prophetico illuſtris; & Thalaſſius, qui ſub dio item vitam egit in colle, qui Targallæ vico imminebat, clarus & ipſe miraculis. Inter feminas etiam domina in materna domus hortulo Maronis diſciplinam amulari ſtuduit. Ceterùm Maro, qui animas ſimul & corpora curabat, poſtquam ita Deo viſum eſt, leui morbo tactus, exceſſit è vita. Optabat autem, vt in eodem ſepulchro cum Zebina conderetur, quem admiratus fuerat, Patremq; & Magiſtrum appellare ſolebat: ſed cùm poſt eius mortem acre inter vicinos certamen de eius corpore ortum eſſet, finitimi cuiuſdam vici incolæ, ceteris vi pulſis, ſacrum theſaurum rapuerunt, maxima ade extructa, ac celebri feſto illum honorantes.

Maronis vita & mors.

Maronis laudes.

Hæc ferè Theodoretus in Relig. Hiſtoria cap. 16. 21. 24. 30. vbi Maronem paſſim magnum, inclytum & diuinum vocat. Iacobum autem & Thalaſſium, quorum Vitas ſeorſim ſcribit, adhuc ſuperſtites, cùm ſcriberet, fuiſſe teſtatur. Extat præterea S. Ioannis Chryſoſtomi Epiſtola numero 36. ad Maronem monachum & Presbyterum ab exilio ſcripta, in qua illum laudat, eiusq; precibus ſe commendat. Ex quibus omnibus, floruiſſe B. Maronem colligimus ſub annum Chriſti quadringenteſimum.

Celebre Monaſterium.

Magni autem poſteà nominis fuiſſe Monaſterium S. Maronis, ex eo patet, quòd in Epiſtola Archimandritarum Syriæ II. ad Hormiſdam Papam ſcripta anno Chriſti quingenteſimo decimo ſeptimo, primo omnium loco ſubſcribat Alexander Archimandrita, ſeu Abbas S. Maronis: ſicut etiam in libello Monachorum tractus Apameenſis ad II. Syriæ Epiſcopos, qui inſertus eſt actioni primæ Synodi V. generalis. Et verò Monaſterium hoc B. Maronis totius Syriæ II. Monaſteriorum caput erat, vt einſdem Synodi acta declarant, vbi Paulus Diaconus (qui Synodo interfuit, & Ioannes Presbyter in Epiſtolis Monachorum illius prouinciæ ad Iuſtinianum Imperatorem: & ad Menam Patriarcham, quæ ibidem recitantur, Monachi & Ambaſiatores dicuntur Monaſterij B. Maronis primatis Monaſteriorum Syriæ II. & pro omnibus monaſterijs Syriæ eiuſdem ſubſcribunt. Quo etiam modo Paulus idem in alia Epiſtola Monachorum ad Agapetum Papam omnium Syriæ II. Monaſteriorum vices agit. Ex his porrò omnibus conſtat, B. Maronis Monachos multa illis temporibus paſſos ab Acephalis Eutychianiſtis, contra quos pro fide Catholica conſtanter decertabant: quo etiam nomine cum reliquis Syriæ II. Monachis commendantur ab Hormiſda Pontifice in Epiſtola, qua illorum litteris reſpondet, Tom. 1. Epiſtolarum decretalium, &c.

CAPVT XXXVII.

Conciliatio, pugnantium opinionum de Maronitarum origine.

SI vera ſunt quæ legi in quodam veteri fragmento & Relatione, ſcripta Chaldaico idiomate, de hiſtoria Maronis, à Curi Reſchala Maronita mihi tradita in Syria in Alepi ciuitate, & hîc Latinè tranſlata, facilè poſſunt conciliari ſuprà adductæ oppoſitæ ſententiæ. Sic verò habet Relatio:

Deo opitulante ſcribere incipimus hiſtoriam Maronis, vnde fuerit, & quinam illum ſic appellauerit.

Maron origine & patriâ Antiochenus fuit, honeſtis parentibus natus. Pater eius Agathon, & mater Noëmia appellabatur. A pueritia in Collegijs ſuæ ditionis inſtructus, multùm in litteris profecit. Poſteà, relicta patria, Conſtantinopolim profectus, ibi Græcam didicit linguam, & inde Antiochiam rediit. Quò cùm peruenisſet, contra eum inſurrexerunt diſcipuli Macarij hæretici: qui cùm ſufficienter propoſitionibus & adductis ab ipſis argumentis reſpondere non poſſet, in eorum hæreſes lapſus eſt: In Chriſto vnicam eſſe naturam, & vnicam voluntatem: Non fuiſſe in eo animam rationalem, ſed vices eius ſuppleuiſſe Diuinitatem. Fuit Maron Epiſcopus Antiochiæ conſecratus cum baculo, ſed abſque ſubditis; quoniam Papa Euagrius ſedem Macarij excommunicauit, & Maron in illa hæreſi multo tempore manſit.

Maronis parentes, patria & educatio.

Macarij hæreſi infi-citur.

Poſteà (diuina illuſtratus gratia) in ſe reuerſus, cognouit hæreſi laborare, & eſſe extra viam Domini. Et profectus Tripolim Syriæ ciuitatem, ibi offendit Nuntium Papæ Honorij. Cumq; Nuntius aduentum Maronis intellexiſſet, illum accerſiuit, vt de illius fide periculum faceret. Ad quem cùm acceſſiſet, & propoſitis appoſitè reſpondiſſet; in fide & profeſſione ſua apprimè verſatum inuentum, ſecum Romam duxit. Romam cùm peruenisſent, propter Maronem fuit ibi Concilium congregatum, in quo Maronis fide examinatâ, vera inuenta fuit. Tunc Pontifex illum Antiochiæ Patriarcham ordinauit, mitram in capite eius poſuit, in manu Paſtorale, & in digito annulum. Habitu Patriarchali indutus venit Antiochiam, ibiq; hæreſes à Macario diſſeminatas anulſit. Et illi adhæſerunt Iacobitæ ibidem exiſtentes, qui confeſſi ſunt in Chriſto duas naturas, & duas voluntates: ſancitumq; fuit, vt illum ſequentes Maronitæ appellarentur. Ex Antiochia poſteà

Ab hæreſi liberatur.

Romã vadit, vbi Antiochiæ Patriarcha ordinatur.

Antiochiã reuerſus Macarij hæreſes euell.t.

Propter hoc Iacobita nuncupant Maronem fuiſſe ſuum.

Catholicus & Patriarcha ſubditis nomen fundauit.

poſteà cum ſuis aſſeclis ad montem Libanum profectus fuit, vbi Pontificia auctoritate Crucem ſuam erexit. Et populus qui ibi inuentus fuit, illum cum ingenti gaudio celebrij, applauſu excepit. Ibi Maronitas à Iacobitis & Græcis ſeparauit, & Archiepiſcopos & Epiſcopos ordinauit.

Cùm celebre Maronis nomen vſque ad aures Regis Conſtantinopolis perlatum fuiſſet, is miſit ad eum florem Regis, quem ſoli Reges vident & habent, & petijt ab eo tres homines ſapientes & doctos, qui ſupra caput Regis faldiſtorium deferrent. Annuit Maron, & quæſitos viros Conſtantinopolim profectos Rex benenolè accepit, & honoribus ſublimauit. Vnde ex tribus illis hominibus multi Principes nationis Maronitæ prodiere. Commouit hoc animum nationis Græcæ, fortis, & aduerſe Maroni; quare contra ipſum ſcripſit ad Ieroſolymæ Patriarcham, Maronem inquam miſiſſe viros, qui in ſibi ſubditos dominarentur abſque ipſius facultate, vt contemptus Maron ejiceretur. Sed enim Patriarcha non credidit, ob iam euulgatam Maronis ſanctitatem, & cognitam Græcorum inuidiam, & Deus illæſum de illorum manibus eripuit: qui tandem ſanctus mortuus eſt, & in * Caphar Hai honorificè ſepultus.

Græci Maroni aduerſantur.

Sanctus moritur.

* Eſt villa aliquantulum à Canobeo diſtans.

Poſt Maronis obitum, primus Antiochiæ Patriarcha creatus fuit quidam Monachus Caris appellatus, qui à Romano Pontifice fuit confirmatus, & ad eum veſtem miſit. Poſt hunc Patriarcham plures alij Patriarchæ & Reges vſque ad tempus Mahometiſtarum ſucceſſerunt, magnoq; in honore erant populi Maronis. Et erat Enfrac Rex Galliæ qui bellum gerebat. Poſteà illi Reges venerunt ad montem Libanum, qui omnes cognati ſiue propinqui erant Regis Franciæ. Hæc, prædicta Relatio: quæ addit, *Tranſſumptum deficit.* ac deinde ſubditur:

Et quia dictis multi ſe opponunt, dicentes populum Maronitarum numquam habuiſſe caput, ſed à Iacobitis fuiſſe diuiſum; ſciendum, hanc hiſtoriam nos in antiquis noſtris codicibus inueniſſe de confeſſione duarum naturarum in Chriſto, in libro Seid Eben Badrich, id eſt filius Badrich, quòd Maron Patriarcha, & Patriarcha Conſtantinopolis, & Leo Papa; & poſt Maronem Curis Patriarcha Antiochiæ, & Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui erat Maronita, & factus fuit Rex Conſtantinopolis anno ſexto Mahometis. Poſt mortem Mahometis factus fuit Homar Eben Chatab, & ſuo tempore factus fuit Rex ſupra Gibel prope montem Libanum, qui erat Maronita. Et alius Maronita Caſſara nuncupatus, ſimiliter Rex factus eſt ſuper regionem Caſroan. Poſteà venit alius Rex Heraclius appellatus, & Palæſtinis auxiliabatur, & multos occiderunt. Anno quadrageſimo Heraclij factus fuit Patriarcha Conſtantinopolis Iurios dictus; Maronita; & factus fuit Rex Ieruſalem, & Caſareæ propè Ieruſalem: & poſt alius Rex nomine Elias, & hi duo erant Maronitæ. Et factus fuit Antiochiæ Patriarcha Honorius quidam appellatus, qui duas naturas confitebatur, & in hac confeſſione conuenit Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus & Honorius Papa Romæ. Et iſti omnes in iſta confeſſione perſtiterunt annis quadraginta ſeptem: quibus tranſactis, alter venit Coſrianos appellatus, Ieroſolymorum Patriarcha, qui his ſe oppoſuit, &c. Reliqua deſunt.

Ad propoſitum. Si adducta in præmiſſa Relatione vera ſunt, facile erit conciliare varia diuerſorum Auctorum de Maronitis placita. Qui dicunt Maronitas ita dici à Marone hæretico, id eſt, à Marone qui aliquando fuit hæreticus, verum dicunt: quoniam Maron, à quo Maronitæ, initio adhæſit hæreſi Macarij. Qui verò aſſerunt tales fuiſſe appellatos à Marone ſancto, verum ſimiliter dicunt; quia damnatâ hæreſi, cui aliquando deceptus adhæſit, veritate Catholica cognita & ſuſceptâ, Catholicus tandem & ſanctus euaſit.

Conciliatio diſſentientium ſententiarum de Maronitis.

Verùm melius veruſque dicemus, Maronitas non ab hæretico, ſed à Marone Catholico & ſancto, eſſe appellatos: quoniam haud dedit ille nomen alicui populo, nec diſcipulos fecit, dum fuit hæreticus (non tamen hæreſiarcha;) ſed poſteà, ſanctæ Eccleſiæ iam reconciliatus, & Catholicus Patriarcha & ſanctus effectus. In quem modum qui militant ſub S. Auguſtini inſtituto, ſanctumque hunc Patrem velut filij ſequuntur, non dicuntur à Manichæo originem trahere, & Manichæum ſequi, etſi Auguſtinus priùs quàm Religioni ſuæ nomen daret, fuerit Manichæus; ſed ab eodem iam Chriſtiano & ſancto, quando nimirum Religionem inſtituit, ac diſcipulos congregauit: quoniam ex fine denominatio & laus, quia finis coronat opus.

Melius eſt à Marone Catholico & ſancto Maronitas appellari, quàm ab eodem hæretico.

CAPVT XXXVIII.

Alia nonnulla ſubijciuntur pro maiori intelligentia hiſtoriæ nationis Maronitarum.

Iis quæ hactenus dixi, quædam alia, quæ viſu & experientiâ didici, addenda cenſui. Maronitæ, qui in partibus iſtis habitant, in duos veluti ordines reduci poſſunt, in Prælatos, & in ſubditos. Illi ſunt, Patriarcha montis Libani, & Antiochenus nuncupatus; & quilibet Petrus appellatur: item

Maronitarum gradus.

Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Parochi. Iſti, id eſt ſubditi, ſunt vel ſæculares Presbyteri, vel Monachi S. Antonij & Baſilij, vel ſimplices ſæculares. Patriarchæ & Epiſcopi non niſi cælibes creantur. Patriarcham ſemper cælibem fuiſſe oportet; ſed Epiſcopi creantur etiam qui vnam habuerint vxorem, ea tamen defuncta. Sed hoc paucis abhinc annis apud eos introductum eſt; anteà enim nullus vxoratus tali poterat dignitate inſigniri. Monachi caſtitatem perpetuò profitentur, ſæculares verò Presbyteri vxorati eſſe poſſunt, vt alij Orientales Presbyteri: poſſunt enim ante Presbyteratum vxorem virginem ducere, & cum illa etiam in Sacerdotio cohabitare: quæ ſi è vita ante virum decedat, deinceps tenentur cælibem vitam ducere. Vt enim plura alia inſtituta Orientalis Eccleſiæ conceſſa ſunt Maronitis, ita & coniugium dictis Presbyteris permiſſum eſt.

Patriarcha Maronita ſemper cælebs eſſe debuit.

Epiſcopi.

Monachi.

Presbyteri.

Vnde ad quamdam difficultatem, inter alias ſummo Pontifici propoſitam circa Sacramentum Ordinis à Patriarcha Maronitarum, quæ ſic habet, *Tertiò, neque etiam confertur apud nos Diaconatus vel Sacerdotalis dignitas, niſi his qui priùs (contra tamen vſum Eccleſiæ Romanæ) cum virgine contraxerunt; cum vidua vel corrupta, non item; quibus tamen ſecundæ nuptiæ ſunt interdictæ*, ſic fuit reſponſum:

Coniugium omnium Græcis & aliis Orientalibus Presbyteris permiſſum.

Ad tertium, Cùm Stephanus Papa (diſt. 31. can. Aliter.) tradat, Orientalium veterem eſſe traditionem, vt eorum Sacerdotes matrimonio copulati ſint, cumq; id illis numquam interdixerit Eccleſia, nec videtur interdicendum Maronitis: Lex enim cælibatus ſemper grauis viſa eſt Græcis, propterea coniugium permiſſum eſt illis. Sic enim ſcribit Clemens III. c. Quæſitum, de Pœnitent. & remiſſ. Sacerdotibus Græcis legitimè matrimonio licet vti. Et clariùs Innocentius III. c. Cùm olim, de Cleric. coniug. Orientalis Eccleſia votum continentiæ non admiſit, quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt, & in ſacris vtuntur matrimonio iam contracto. Hæc illi.

Maronitæ Sacris initiandi non ſunt ad matrimonium compellendi.

Permittendum id itaque videtur Maronitis, dummodò ad matrimonium non compellantur, qui cælibes eſſe vellent: ſed ad id potiùs pijs hortationibus inducantur. Ita refert ſuprà citatus Auctor de Procuranda ſalute omnium gentium, lib. 7. par. 2. cap. 5. §. 6.

Chaldaico idiomate diuina perſoluunt Officia.

Chaldaico idiomate Officium & Miſſam celebrant. Maximam reuerentiam & obedientiam deferunt Romano Pontifici & ſanctæ Eccleſiæ, parati ſemper illi obedire: quare etſi aliquando habuerint aliquos errores, non ideò hæretici ſunt appellandi, quia cum pertinacia non tenuerunt, ex quo vnum ſunt cum S. Eccleſia, nec ab ea recedunt, licet pauperes & ſimplices, inter Mauros & Schiſmaticos, Romanæ Eccleſiæ acerrimos hoſtes, habitent. Ideò verè Illuſtriſſimus Cardinalis Bandinus, Maronitarum Protector, in Epiſtola ad Reuerendiſſimum Petrum Ioannem eorumdem Maronitarum Patriarcham, quam præmiſit Breuiario Chaldaico ad illum directo, ſequentia dixit: *Maronitarum gentem erga Catholicam fidem & Sedem Apoſtolicam ſemper, vt decet, obſequentem, Pontifices Romani pro paſtoralis ipſorum curæ officio, opportunis proſecuti ſunt fauoribus*, &c.

Deuotio ad Apoſtolicam Sedem.

Bonos adeò arbitratur Maronitas P. Bonifacius, vt in ſuo libello de Perenni cultu Terræ ſanctæ, dicat, eos ferè ex ſola ignorantia delinquere. Fateor, pij ſunt, Deumq; valdè timent, atque indies magis perficiuntur; & prout magis expedire intelligunt, ita ſe gerunt. Ieroſolymæ paucis abhinc annis pauci & ſimplices habitant; ex his Monachi duo qui illorũ confeſſiones audiunt: magna pietate & frequentia loca ſancta viſitant, & promptè Ieroſolymorum Guardiano, Commiſſario Apoſtolico, ſe ſubmittunt, vt & in ciuitate Alepi eiuſdem ciuitatis Guardiano, Vicario Patriarchæ montis Libani: denique Maronitæ omnes, in quibuſcumque partibus verſentur, Patriarchæ ſuo exactam præſtant obedientiam. Patriarcha ipſorum Antiochenus Patriarcha appellari mauult, eò quòd tali honore in antiquis nonnullis eorum manuſcriptis inſignitus inueniatur: allegunturq; Diplomata à Paulo II. Hadriano VI. alijsque Pontificibus data. In Hadriani VI. Diplomate, die 22. Octobris anno 1522. dato ſic legitur: *Venerabili fratri Petro Patriarchæ, ſedenti ſupra ſedem Antiochenam*, &c. Videantur Vitriacus, Tyrius, Baronius.

Patriarcha Maronita Antiochenus appellari ambit.

Vitriacus lib. 1. Hiſt. Orient. cap. 77. Tyrius lib. 22. cap. 8. Baron. Tom. 12. in fine anni 1182.

CAPVT XXXIX.

Num Græci, aliíve ſchiſmatici in Terra ſancta habitantes, hæretici ſint, & hæretici appellari poſſint.

IN propoſita quæſtione duas ſibi inuicem oppoſitas inuenio ſententias: alteram, quæ Græcos, etſi ſchiſmaticos, hæreticos tamen appellandos eſſe negat; alteram, quæ affirmat. Quoad alias verò nationes, omnes mihi conuenire videntur, eas non tantùm ſchiſmaticas, ſed etiam hæreticas appellandas eſſe.

Græci non eſſe hæreticos qui dicant.

Priorem ſententiam è recentioribus ſequuntur Azorius Parte 1. Inſtit. moral. l. 8. cap. 20. quæſt. 10. & quidam alij, qui ob familiaritatem cum Græcis contractam, non potuerunt adduci ad impingendum illis

illis hæresis notam, præsertim, quòd illa eis non inuratur ab Ecclesia.

Argumenta ex gestis Græcorum.

Pro ea sententia adducitur in primis D. Bernardus, qui in Epistola ad Eugenium lib. 3. sic inquit: *Ego addo de pertinacia Græcorum, qui nobiscum sunt, & non sunt: iuncti fide, pace diuisi: quamquam & in fide ipsa claudicauerint à rectis semitis.* Ad hæc idem apertè tenet D. Thomas Opusc. 2. (inquit Thomas à Iesu lib. 6. de Procur. fid. c. 8. Auctor Operis de Propaganda fide, cui etiam videtur assentire) vbi docet S. Doctor, Patres Græcos in Catholico sensu esse exponendos. Tertiò, quia in fidei articulis, de quibus accusantur ab aliquibus vt hæretici, potiùs nomine quàm re ab Ecclesia Romana dissident, inquit Azorius. Denique, qui integrè sapiunt, & rectam viam sectantur, non sunt hæretici: sed Græci integrè sapiunt, & rectam viam sectantur, vt inquit S. Hieronymus in Prologo super Epistolas Canonicas, nō ergo sunt reputandi hæretici.

Vt hac in difficultate quid sentiam explicem, duo præstabo. Primò præmittam duo Notabilia, secundò subijciam nonnullas Propositiones.

PRIMVM NOTANDVM, est discrimen inter hæresim & schisma. Hæresis est error in fide cū pertinacia; sed schisma simplicem dicit scissuram & separationem ab Ecclesia & eius capite. *Inter hæresim & schisma hoc esse arbitror*, inquit S. Hieronymus super Epistol. ad Galatas, *quòd hæresis peruersum dogma habet, schisma verò ab Ecclesia pariter separat.* Idem docent, S. Augustinus de Sermone Domini in monte lib. 1. cap. 9. & lib. 20. contra Faustum, & refertur 24. quæst. 1. c. Vbi sana; S. Basilius Epistol. Canon. ad Amphilochium, & alij Patres. Ideoque verè dixit Hugo de S. Victore, per fidem accipi vnionem, per charitatem viuificationem. Lege Castro aduersus hæreses lib. 1. cap. 9. D. Thomam 2.2. quæst. 39. art. 1. & alios. Separantur hæc ergo ab inuicem, quia potest esse schisma absque hæresi; etsi non econtrà.

Schisma & hæresis qui differant.

Schismatis & hæresis affinitas.

Verùm si mea non me fallit opinio, hæc distinctio inuenitur potiùs in theoria quàm in praxi. Cùm enim intellectus voluntatis inclinationem & affectum, vt in pluribus, sequatur, propter maximam vtriusque potentiæ coniunctionem, ideò si voluntas sit alicui benè affecta, plerumque de eodem benè sentiet intellectus, vel certè non malè, & è conuerso. Igitur cùm schismatici malè sint affecti in Catholicam Ecclesiam & Romanum Pontificem, consequens est vt de eisdem perperàm sentiant; & quorum vitam despiciunt, doctrinam etiam contemnant.

Appositè sanè S. Thomas loco citato ad 3. scopum nostrum, post adductam D. Hieronymi auctoritatem de differentia schismatis & hæresis, inquit: *Et tamen sicut amissio charitatis, est via ad amittendam fidem, secundùm illud 1. ad Timoth. 1. A quibus quidam aberrantes, scilicet à charitate & alijs huiusmodi, conuersi sunt in vaniloquium; ita etiam schisma est via ad hæresim. Vnde Hieronymus ibidem subdit, quòd schisma à principio aliqua in parte potest intelligi diuersum ab hæresi. Ceterùm, nullum schisma est, quod non sibi aliquam hæresim confingat, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* Ad quod fortè respiciens S. Ambrosius Orat. in funere Satyri fratris (& refertur 24. q. Aduocauit) nec fidem schismaticis tribuit; quare secundùm Ambrosium etiam communiter schismaticus hæreticus erit.

Charitate deficiente periclitatur fides.

SECVNDVM NOTANDVM: Græci sunt duplices, alij sunt docti & sapientes, alij simplices & indocti, qui illorum bona fide sequuntur dogmata. Et adhuc illi vel considerantur præcisè vt ab Ecclesia separati, conseruantes quæ in sacris Oecumenicis Concilijs eis tradita fuerunt credenda; vel vt ad pristinos etiam redierunt errores. His præmissis, secundo loco sequentes subiungo Propositiones.

Græcorum diuersa conditio.

PRIMA PROPOSTIO. Græci in genere non modò schismatici, sed etiam hæretici sunt. Idem dici potest de alijs antè memoratis nationibus Orientalibus schismaticis. Probatur; quoniam plerique separati sunt ab Ecclesia Romana, & obedire Romano Pontifici renuunt, & de vtroque, etiam in rebus fidei, pertinaciter perperàm sentiunt: igitur non solùm schismatici, sed etiam plerumque hæretici sunt. Consequentia patet ex dictis in primo Notabili. Antecedens probatur, & Primò, quòd ab Ecclesia separati sint, pluries aduersus eam rebellarint, & pluribus erroribus & hæresibus sese implicuerint. Nam Cardinalis Bellarminus Tom. 1. Contr. lib. 4. de Notis Ecclesiæ cap. 8. docet, ideò apud Græcos non esse Ecclesiam, quia in tribus plenarijs Concilijs, Lateranensi sub Innocentio III. Lugdunensi sub Gregorio X. & Florentino sub Eugenio IV. conuicti sunt legitimè de schismate & hæresi, ac præcipuè de hæresi circa processionē Spiritus sancti à Filio, quam esse manifestā hæresim, Lutherani & Caluinistę etiam confitentur. Idem Bellarminus lib. 3. de Summo Pontifice c. 1. addit, erroris conuictos ad fidem Latinorū redijsse, ac deinde ad vomitum suum semper esse reuersos, &c.

Græci hæretici sunt.

Apud Græcos quare non sit Ecclesia.

D. Antoninus Parte 3. Histor. tit. 22. cap. 13. ante §. 1. inquit, quòd ex quo Constantinus Imperij sedem ab vrbe Romana Constantinopolim transtulit, duodecim

vicibus, diuersis temporibus, successiuè recesserint ab obedientia Romanæ Ecclesiæ, per diuersas hæreses & schismata, &c.

Petrus Maturus Societatis IESV in Annotationibus super hunc D. Antonini locũ aduertit, à quibusdam plures secessiones & reconciliationes Constantinopolitanæ ab Ecclesia Romana recenseri. Nam Blondus Decade 2. lib. 7. eam coniunctionem Orientalis Ecclesiæ, quæ facta est in Concilio Lugduni sub Michaële Palæologo (de qua vnione facta est mentio tit. 2. cap. 2. ante §. 1. & §. 6.) decimam tertiam fuisse asserit. Idemque tradit Trithemius in Chronico Monasterij Hirsaugiensis, & Genebrardus: quare vnionem, quæ in Concilio Florentino facta est (de qua Cap. 11.) decimam quartam fuisse necesse est. Vnde cùm posteà Græci à Romana Ecclesia recesserint, quindecim eorum secessiones, vniones verò quatuordecim fuisse necessarium est. Propter quam separationem à vera Ecclesia pœnas suorum scelerum dederunt, mille miseriis obnoxij facti, & Turcarum vilia mancipia, vt notarunt præter alios citati Auctores, & asserũit singulariter Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus in v. Oratione pro Latinis contra Græcos.

Græci iam quindecies ab Ecclesia secesserunt.

Propter illas punit.

Græci oderunt Romanum Pontificem & Catholicos.

Secundò, quàm perperàm senserint & sentiant de Summo Pontifice, & in vniuersum de omnibus Latinis, nequit oratione explicari. Thomas Bozius lib. 5. de Signis Ecclesiæ cap. 11. aduertit, Monomachi ætate ausum esse Michaelem Patriarcham, primum omnium, Papam sub annum millesimum & quinquagesimum tertium excommunicare; & in tanti facinoris pœnam Turcæ Asiam ceperunt: & alios idem fecisse, & in dies facere, est in his partibus vulgatum. Et cùm anno Domini 1619. magna esset Ierosolymis suspicio, venturos Francos ad recuperandam Terram sanctam, præsertim quòd è terris Christianorum redijsset Princeps Sidonis, vulgò *Ben Eman*, siue *Emin Ficardino* nuncupatus, optimis instructus militibus, qui se in Francos beneuolum ostenderet; tunc, inquam, tantus illos apprehendit timor, vt Ierosolymorum Patriarcha, & alij Græci Præsules Deum orarent, aliosque ad preces fundendas hortarentur, vt Deus irrita faceret Francorum & Catholicorũ vota, ne, expulsis è Terra sancta Turcis, Latinis subijci cogerentur, magis eligentes graue Turcarum iugum, qui eos facultatibus, liberis, libertate spoliant, & neq; nocte neq; die requiem eis concedunt, quàm subesse suaui Christianorũ Imperio. Francos, siue Latinos, appellant canes; & si cui eos irasci contingat, diræ imprecationis loco dicunt, *Francus*, siue *Catholicus, euadas.*

Pessima apud Græcos imprecatio.

Nec hîc est silentio inuoluendum ineptissimum quoddam scelus, quod non multis ab hinc annis contra Fratres Ierosolymis habitantes machinati fuerunt, quando non tanta egestate, vt modò, opprimebantur Græci. Triginta viri Græci inter se conuenerunt, vt Fratres apud Turcarum Imperatorem accusarent, quòd viam subterraneam in rupe exciderint, quę inciperet à Bethleem, & pertingeret vsque ad Ioppen, per quam reciperent arma Christianorum, eosdem aliquando excepturi, vt sanctam ciuitatem Turcæ imperio subtraherent. Abierunt Constantinopolim, odiumque suum coram Turca proposuerunt, qui ad inquirendum Ierosolymam nonnullos misit. Nihil quidem illi inuenerunt; sed non absque nummis, quos à Fratribus extorserant, recesserunt.

Irrationabilis calumnia.

Considera, quomodo inter perfidos Iudęos, quando sancta ciuitas erat plena populo, non potuerunt inueniri duo conuenientia testimonia contra IESVM CHRISTVM; & in eadem pænè vacua habitatoribus, in paucis Græcis inuenti fuerunt triginta falsi testes, & impijssimi insultissimique accusatores, ad Christi seruos, cum damno locorum sanctorum, in odium & discrimen perducendum. Ita senex Catholicus, qui tunc degebat Ierosolymis, mihi retulit. Vide Lib. 11. Cap. vltimo huius Operis.

Hebræos malitia vincunt.

Nec vsque adeò mirandum esset, si tantùm in terris Turcarum aliorúmve infidelium in Catholicos essent furiæ, sed tales se exhibere etiam in terris Catholicorum Principum, quis ferat? Verè enim dixit Bozius vbi suprà, Græcos aliquos adeò ab Ecclesia Catholica esse alienos, *vt quamuis pareant subsintq; Catholicis, tamen impias opiniones abnegare nullo modo velint. Cyprus, Creta, Zacynthus, Cephalena insulæ, sunt adeò tenaces hæresum Græcanicarum, vt vitam potiùs hominibus illis eripias, quàm conceptam sententiam deponant. Cumq; superioribus annis Archiepiscopus Cypri Philippus Mohenicus, vir magnæ doctrinæ & integritatis, vellet hæreses ex insula illa extirpare, opposuere se illi Græci, adeò vt necesse habuerit ipse Venetus Patricius illinc emigrare. Testatur hoc ipse Epistolâ, quam præfixit Operi suo de Philosophicis rebus: paulo post insula à Turcis est occupata. Marcus Antonius Caucus Archiepiscopus Corcyra testatur idem in Epistola, quam præposuit Gennady libris.* Hæc Bozius.

Vide Gretserum Tomo 1. de sancta Cruce lib. 2. vbi ex plumbis ostendit quantum fuerint Catholici Latinis infensi in sacris expeditionibus Græci.

Mihi etiam quærenti à D. Benedicto Bragadeno Corcyræ Archiepiscopo, num sui Græci obedientiam ei exhiberent, respondit ille, reuerentiam magis quàm obedientiam sibi ab eis præstari. Et supradicta omnia,

omnia ex hiſtorijs, in quibus legimus, ſemper Græcos ægrè tuliſſe Latinos, eiſdemque fuiſſe infenſiſſimos, continuâ experientiâ comprobantur, & ex dicendis infrà magis etiam apparebunt. Atque ex his apparet, quomodo Græci communiter non modò ſint ſchiſmatici, ſed etiam hæretici.

Græci propoſita ab Eccleſia credentes, etſi ab ea diuiſi, hæretici non ſunt.

SECVNDA PROPOSITIO. Præſules & Doctores Græci (ſi qui tamen ſunt) qui, poſtquam ſe à ſancta Catholica Eccleſia ſeparauerunt, præſcripta ſibi in ſacris Concilijs firmiter credunt; etſi ſchiſmatici ſint, non tamen hæretici. Patet iſta Propoſitio ex differentia quæ eſt inter hæreſim & ſchiſma, quam ſuprà in primo Notabili propoſuimus.

Græci aliqui ſimplices nec hæretici, nec ſchiſmatici ſunt.

TERTIA PROPOSITIO. Inter Græcos, aliosque ſchiſmaticos & hæreticos, eſſe poſſunt aliqui ſimplices, nec hæretici nec ſchiſmatici, qui in aliquibus ad fidem ſpectantibus laborant ignorantia inuincibili: quia vel materia fidei eſt de ſubtilioribus rebus, & non de illis quas ipſi ratione ſui ſtatus explicitè ſcire tenentur, quales ſunt articuli fidei; vel ipſi ſeducti ab aliquo viro docto, quem ipſi pium & Catholicum credunt, vel à parentibus, Parochis, Epiſcopis, aut alijs ſimilibus inſtructi, decepti fuerunt; dummodò cum pertinacia ſuæ ſententiæ non adhæreant. Huiuſmodi, inquam, in foro interiori excuſantur. Probatur; quoniam quæ ſcire explicitè tenentur & poſſunt, credunt, & alia implicitè in fide & cognitione veræ Eccleſiæ. Nec illis officit infidelitas maiorum, quos verè fideles & Catholicos credunt. Hanc docet D. Thomas 2.2.q.2. art. 6. hiſce verbis: *Dicendum, quòd minores non habent fidem implicitam in fide maiorum, niſi quatenus maiores adhærent doctrinæ diuinæ. vnde & Apoſtolus dicit 1. ad Corint. 4. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Vnde humana cognitio non fit regula fidei, ſed veritas diuina; à qua ſi aliqui maiorum deficiant, non præiudicat fidei ſimplicium, qui eos rectam fidem habere credunt, niſi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhæreant, contra vniuerſalis Eccleſiæ fidem, quæ non poteſt deficere, Domino dicente, Luc. 22. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.* Hæc D. Thomas. Lege & D. Auguſtinum lib. 4. Contra Donatiſtas cap. 16. & Epiſt. 162. & adducitur in Decreto, cap. Dixit Apoſtolus. 24. quæſt. 3. & idem alij tradunt. Optimè enim Dominus apud Ezechielem dixit: *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij erit ſuper eum.* Quòd ſi contingat illos in peccatum mortale incidere, contritione & pœnitentiæ Sacramento à ſuis Præſulibus ſuſcepto delere poſſunt. Etenim conſtans opinio eſt apud grauiſſimos Doctores Catholicos, à ſchiſmaticis, qui nominatim excommunicati non ſunt, poſſe ſubditos Sacramenta recipere.

Maiorum infidelitas maiores non inuoluit.

Ezech. 18, 20.

A ſchiſmaticis Præſulibus nominatim non excommunicatis poſſunt ſubditi Sacramenta recipere.

Pro his faciunt quæ Chriſtus dixit ad S. Birgittam, & in eius Reuelationibus leguntur. Cùm ſancta hæc mulier religionis causâ Ieroſolymam peteret, & in Cypro moraretur, ſic audiuit Chriſtum loquentem: *Græci, qui ſciunt quod omnes Chriſtianos tenere oportet, vnam tantùm fidem Chriſtianam Catholicam, & vni tantummodò ſubeſſe Eccleſiæ, ſcilicet Romanæ; vnumq́, ſolum Vicarium generalem meum in mundo, videlicet Romanum Summum Pontificem, ſupra ſe ſpiritualem habere Paſtorem: & tamen nolunt ſe eidem Eccleſiæ Romanæ & Vicario meo ſpiritualiter ſubijcere, & humiliter ſubiugare, propter eorum pertinacem ſuperbiam, & propter cupiditatem, vel carnis petulantiam, ſiue propter aliquid aliud quod ad mundum pertinet, indigni ſunt poſt mortem veniam à me & miſericordiam obtinere. Alij verò Græci, qui deſideranter vellent, ſed ſcire non poſſunt fidem Catholicam Romanam, & tamen ſi ſcirent, & poſſent, eam deuotè reciperent, & Romanæ Eccleſiæ humiliter ſe ſubiugarent, & nihilominùs ſecundùm ipſorum conſcientiam, in ſtatu & fide ſuæ quæ ſunt, abſtinent à peccando, & piè viuunt, iſtis talibus poſt ipſorum mortem in ſupplicijs miſericordia mea debetur, quando ipſi ad iudicium meum vocati fuerint. Sciant etiam Græci, quòd eorum imperium & regna ſiue dominia numquam ſtabunt ſecura, neq; in pace tranquilla, ſed inimicis ſuis ſemper ſubiecti erunt, à quibus ſuſtinebunt grauiſſima damna, & miſerias diuturnas, donec ipſi cum vera humilitate & charitate Eccleſiæ & fidei Romanæ ſeſe ſubiecerint.* Hactenus Chriſtus ad Birgittam de Græcis, quod noſtro ſeruit inſtituto.

Notanda Chriſti de Græcis ad S. Birgittam reuelatio.

QVARTA PROPOSITIO. Græci qui, poſtquam ſe à S. Eccleſia Catholica ſeparauerunt, ad priſtinos in ſacris Concilijs damnatos errores & hæreſes redierunt, nedum ſchiſmatici, ſed etiam hæretici ſunt, & tales appellari poſſunt. Iſta Propoſitio patet ex diffinitione hæreſis & ſchiſmatis. An verò tales ſint Græci harum partium incolæ, & alij illorum conſuetudinem experti, affirmari poteſt, & ex dicendis Capite ſequenti ex parte apparebit.

Relapſi hæretici.

Si dicatur, Eccleſiam non eos hæreticos nominare; Reſpondetur dupliciter. Primò, ex hoc tantùm concludi, non ita publicè eſſe appellatos, ſed non ideò tales non eſſe. Declarati verò necdum fuerunt, vel qui patientia & benignitate, vt optima mater, illos

Obiectionis ſolutio.

adhuc expectat Romana Eccleſia, vel quia contra ipſos Concilium congregatum non fuit poſt ipſorum à S. Eccleſia ſeparationem.

Secundò dico cum Auguſtino Triumpho de Poteſtat. Eccleſiaſtic. quæſt. 25. art. 5. qui ſentit & ipſe, Græcos pertinaciter adhærentes ſuis erroribus, verè hæreticos eſſe & dici poſſe, talesque Eccleſiam eos reputare; ſed ideò ſolùm ſchiſmaticos nominari, quia à ſchiſmate eorum peccatum inchoatum eſt.

Hæretici quare ſchiſmatici dicti.

Atque ex his mihi conciliari poſſe videntur quæ oppoſitæ illæ ſententiæ. Nam ea quæ negat Græcos hæreticos eſſe, loquitur de illis de quibus in ſecunda & tertia Propoſitione; quæ verò affirmat, intelligenda eſt de illis Græcis, de quibus actum eſt in prima & quarta Propoſitione.

Oppoſitarũ opinionum conciliatio.

Et hinc iam patet, quid ad argumenta initio Capitis adducta dicendum ſit: quibus nihilominùs ſequentia peculiariter annecto. Ad primum ergo dicendum, B. Bernardum, aliosque Doctores, ſi expreſsè non loquantur, interpretandos eſſe de Græcis non perſeuerantibus cum pertinaciâ in ijs quæ ſacra & vniuerſalis damnauit Eccleſia.

Reſponſio ad argumenta pro altera ſententia.

Ad ſecundum, verè explicandos SS. Patres, & in bonum ſenſum exponendos, nec damnandos, præſertim ſi præceſſerint Concilia in quibus damnati fuerunt aliqui errores Græcorum; quibus etſi ipſi aliquando adhæſerint ante determinationem Eccleſiæ, non ideò cenſendi ſunt hæretici, quoniam ſemper parati fuerunt Eccleſiæ credere & obtemperare.

SS. Patres in bono ſenſu explicandi.

Ad tertium dico, plures ex Græcis diſſentire in dogmatibus fidei, non tantùm nomine, ſed etiam re, prout in ſequentibus apparebit.

Ad vltimum dicit Auguſtinus Triumphus, Græcos integrè ſapere, & fidem rectam ſectari quantum ad numerum librorum contentorum in ſacro Canone, non autem quantum ad numerum articulorum poſitorum in Symbolo, nec quantum ad ritum Sacramentorum, & aliorum quæ communiter obſeruantur in Eccleſia. Et hoc ex dicendis manifeſtabitur.

CAPVT XL.

De particularibus erroribus & hæreſibus, quarum vel inuentores vel patroni extiterunt Græci: & de his primò, qui Deum ipſum reſpiciunt.

PLures ſunt errores & hæreſes, quas Græcia peperit & nutriuit, & quibus tamquam noxia peſte totum infecit Orientem; ita vt nulla ſit natio, quæ ex tam ſacrilega & peſtilente matre ac nutrice lac putridum & venenum mortiferum non ſuxerit: vnde appoſitè Luitprandus Cremonenſis Epiſcopus, Legatus Pontificis Ioannis XIII. ad Nicephorum Phocam Græcum Imperatorem dixit: *Hæreſes omnes à vobis* Græcis *emanarunt, penes vos viguerunt: à nobis*, id eſt Occidentalibus, *hîc ſunt iugulatæ, hîc ſunt occiſæ*, &c. Ita refert Baronius Tom. 10. ſub anno Chriſti 968. num. 24. Quare meritò acturi de erroribus Orientalium nationum Terræ ſanctæ, primas damus Græcis.

Hæreſes omnes ex Græcis orta, per Occidentales ſunt iugulatæ.

Antequam verò horum & aliorum Orientalium errores hæreſeſq; referam, vnum maximè notandum hîc primùm aduerto. Poſtquam Græci, Armeni, & alij Orientales à ſancta Catholica receſſerunt Eccleſia, aliqui illorum ad omnes priùs in ſacris Concilijs damnatos errores redierunt; alij ad quoſdam, non ad omnes; ac denique alij damnatis addiderunt alios: hinc varij ſunt Scriptores in recenſendis iſtorum erroribus. Et quidam nonnullis illorum eos tribuunt errores, quos, me cum ipſis agente, penitus negarunt, profeſſi, ſe numquam talia vel ſomniaſſe. Quare ad præcipuos in Concilijs damnatos reſpiciendum eſt; & ita nos faciemus, alios etiam nonnullos addentes, prout eiſdem eos infectos eſſe, experientia & Doctores aliqui docuerunt. Et quoniam non eſt animus controuerſias ſcribere, non immorabimur illorum confutationi: ſat ſit, ſcire eos errores eſſe confutatos à Catholica Eccleſia. Et qui illorum plenam deſiderat confutationem, adeat Bellarmini Controuerſias, Alfonſum à Caſtro aduerſus Hæreſes, & alios. Plura de erroribus Orientalium collegit & reſoluit R. P. Thomas à IESV in ſuo Opere de propaganda ſalute omnium gentium.

Vnde diſcrepantia Scriptorum circa hæreſes Græcorũ prouenerit.

Errores igitur Græcorum ad quatuor capita reduci poſſunt: vnum, quod Deum; alterum, quod eius Vicarium Summum Romanum Pontificem, & ſanctam eius Eccleſiam; tertium, quod in hoc ſæculo commorantes; quartum denique, quod eos, qui ad alterum ſæculum tranſierunt, reſpicit. Et de illis quidem quæ Deum reſpiciunt, in præſenti agemus Capite, ac deinceps de alijs.

Errores Græcorum ad quatuor claſſes reſeruntur.

In erroribus qui Deum, & ad intra, vt Theologi loquuntur, reſpiciunt, vnum manifeſtiſſimum inuenio, qui affirmat, Dei Filium vnà cum Patre neutiquam producere Spiritum ſanctum, ſed ſolum Patrem ad illius productionem concurrere: damnatque Romanam Eccleſiam, quòd in Symbolo Nicæno, vbi agitur de proceſſione Spiritus ſancti à Patre, & Filium poſuerit, dicens:

Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere Græci negant.

Qui

Qui à Patre Filioq; procedit. Non aduerterunt Græci, ea verba non eſſe contraria menti ſanctorum Patrum, ſed illam explicantia. Propter hunc errorem præcipue ſe à S. Eccleſia elongarunt. Hunc errorem poſteà ſecuti ſunt Armeni, Rutheni, Moſchi; & plerique Orientales, in his progenies Græcorum, eumdem tutantur: nec illum damnare volunt, quamuis illius auctor Theodoretus, operâ S. Leonis Papæ illum abiurauerit in Concilio Chalcedonenſi, Eccleſiæ reconciliatus, & in ſuam ſedem, è qua pulſus fuerat, reſtitutus, vt videre eſt in eodem Concilio Act. 8.

Nec probare vmquam poterant Græci, particulam illam *à Filio* eſſe verè additionem interdictam. Additio enim propriè, quæ ſub graui comminatione prohibetur ne ſacris Scripturis vel fidei articulis apponatur, illa eſt, quæ aliquid illis addit expreſsè vel implicitè in eiſdem haud contentum; non autem quod verè alicubi continetur, & pro maiori explicatione alicui ſententiæ ſacræ non ſimiliter claræ adiungitur, vt magis eluceſcat, quemadmodum faciunt paſſim Doctores ſacri in Scripturæ ſacræ vel aliarum rerum fidei declaratione. Hunc modum explicandi adhibuit Eccleſia, dum in Symbolo, in Articulo de proceſſione Spiritus ſancti à Patre, addidit *& à Filio*: hoc enim tantum abeſt quòd repugnet Scripturæ, vt in eadem clarè contineatur, vt apud D. Ioannem cap. 15, 26. & 16, 14. 15. vbi Dei Filius de Spiritu ſancto dixit: *Quem ego mittam vobis à Patre*, & ipſe *de meo accipiet*.

Qua additio illicita.

Apoc. 22, 18.

Interdictæ additionem Symbolo apposuerunt Graci.

Nos benè dicimus, Græcos verè additionem interdictam apponere: quia cùm in Concilijs, vel Scripturis ſacris minimè inueniri poſſit, Filium vnà cum Patre non producere Spiritum ſanctum, ſed verè producere, & nihilominùs ipſi abſque auctoritate volunt Symbolum ita eſſe intelligendum: *Qui à Patre procedit tantùm, & non à Filio.* ideò non mirandum, ſi varijs plectantur plagis. Vide Coriolanum in Summa Conciliorum, in Decreto Concilij Florentini.

Azorij & aliorum reſponſio.

Azorius, & alij qui tenent Græcos non eſſe hæreticos (de quibus Capite præcedenti) reſpondent, in hoc & in alijs, in quibus vt hæretici accuſantur, nomine potiùs quàm re ab Eccleſia Romana diſſidere: & Patres Græcos, qui contrarium dicere videntur, in Catholico ſenſu eſſe exponendos, vt docet S. Thomas Opuſcul. 2. Et ita in propoſito, cùm inficiantur Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere, vt dicitur in Bulla vnionis Eugenij IV. non negare eos, Spiritum ſanctum ab vtroque procedere, ſed noluiſſe Filium exprimere, ne viderentur ponere duo principia ſpirantia, cùm reuerà vnicum ſit in Patre & Filio, quo ab æternò producitur Spiritus ſanctus; ad quod vnum principium indicandum, dixerunt à ſolo Patre procedere.

Sed contrà, ſi ita eſſet, non poſuiſſent particulam excluſiuam, nec reprehendiſſent Latinos, ponentes in Symbolo particulam explicatiuâ *à Filio*. Nec ob ſolam nominum differentiam congregata fuiſſent contra ipſos Concilia, præſertim cùm in Florentino Concilio, vbi de hoc ſingulariter actũ fuit, modus loquendi Græcorum Patrum non ſit damnatus, ſed explicatus atque probatus; cùm videlicet dicunt, *ex Patre per Filium procedere Spiritum ſanctum, ad hanc intelligentiam* tendere, *vt per hoc ſignificetur, Filium quoque eſſe ſecundùm Græcos quidem cauſam, ſecundùm Latinos verò principium ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti, ſicut & Pater*, &c. Et in profeſſione fidei id ſingulariter cum quibuſdam alijs, de quibus in Concilijs damnati fuerant, profitentur. Nec tantum Doctores & Patres laboraſſent in iſto euellendo errore, ſi ſola fuiſſet contentio de nomine, cùm illorum mos ſit, ad res ipſas reſpicere.

Reijcitur.

Denique accedit, quòd propter hoc grauiter puniti fuerint à Deo, igitur verus error eſt. Ita tradunt tum alij, tum Bellarminus, Græcos ſingulariter, propter ſuam in errore de proceſſione Spiritus ſancti pertinaciam, Imperium penitus amiſiſſe, & in miſeram ſeruitutem redactos fuiſſe, quoniam in ipſis Ferijs Spiritus ſancti Conſtantinopolis à Turcis capta, Imperator occiſus, & imperium omnino extinctum fuit. Nam, vt probat Gerardus Mercator in ſua Chronologia, anno 1452. die 28. Maij, indixit Mahometes exercitui ſuo vltimam oppugnationem, & ſequenti die Conſtantinopolim cepit. Illo autem anno fuit Pentecoſte die 28. Maij, vt planum eſt ex Aureo numero & littera Dominicali A. Itaque multi comparant Eccleſiam Græcam Regno Samariæ, quod ſeparauit ſe à vero templo, & tandem in captiuitatem perpetuam adductum fuit.

Græci à Deo puniti propter errorem circa proceſſionẽ Spiritus ſancti à Filio.

Lib. 2. de Chriſto, cap. 30.

Eccleſia Græca Regno Samariæ ſimilis.

Scripſit contra hunc errorem Bellarminus lib. 2. de Chriſto, à cap. 21. vſque 30. & oppoſitam veritatem probat euidentibus ſacræ Scripturæ, & Conciliorum, tam apud Latinos quàm apud Græcos celebratorum teſtimonijs, additis quindecim Patribus Latinis, & totidem Græcis, cum rationibus ex ſacris Theologis acceptis, ſolutiſque contrarijs rationibus: item Caſtro tit. Deus, Hæreſi 12. & alij.

An alijs circa Chriſtum Dei Filium erroribus teneantur, non inueni, nec in Conci-

lijs, nec in Doctoribus: ſed verè eos & alijs teneri, non eſſet à verò alienum arbitrari, ex quo à magiſtra veritatis Catholica Romana Eccleſia receſſerunt, illis præſertim quibus alij Orientales ſunt inuoluti. Et inter alios ſuſpicor, quòd ex ipſis quidam opinentur, Dei Filium non eſſe eiuſdem naturæ cum Patre, ſed ipſo minorem; & ſanctiſſimam Virginem Mariam non eſſe verè Dei Matrem, vt Neſtorius impiè docuit contra Catholicam fidem, quam ſemper tenuit & docuit S. Eccleſia Latina & Græca; Chriſtum, inquam, non eſſe in natura diuina Patri ſuo conſubſtantialem, atq; filium Mariæ.

Graci de Neſtorij hæreſi ſuſpecti.

Ad hoc opinandum me mouet, quod accidit mihi in Aleppo Syriæ præcipua ciuitate. Adiui aliquando Epiſcopum Græcorum, virum inter ipſos doctum & celebrem, atque in Arabica lingua eruditiſſimum, vt cum eo de nonnullis ritibus Græcorum diſſererem. Et in primis, quare Græci non ſimiliter ac Latini efformentſignum ſanctæ Crucis, muniendo primò frontem, dicendo, *In nomine Patris*, & deſcendendo ad pectus, addendo *& Filij*, ac deinde extendendo manum ad ſiniſtrum humerum, inde ad dextrum, dicendo, *& Spiritus ſancti*: ſed primò à fronte ad pectus, à pectore ad dextrum, & inde in ſiniſtro humero crucem terminarent. An ideò ita efformarent crucem, quòd humerum, qui Latinis ſiniſter, Græci dextrum eſſe velint, & conſequenter dextram nobiliorem partem primò ſigno muniant.

Efformanda Crucis ratio apud Latinos.

Græci enim, vt Iacobus Boſius adnotauit, omnem locum in Eccleſijs, choris, & in omni corona atque conſeſſu, qui in ingreſſu vel acceſſu ſitus eſt, dextrum volunt; Latini verò qui in egreſſu. Et quia in hominis occurſu primò occurrit è regione occurrentis ſiniſter humerus, hunc tamquam dextrum nobilioremque tenentem locum, primo ſigno in formanda Cruce ſignant Græci. An potiùs contra ritum Latinorum ita Crucem formarent, tenendo verè humerum dextrum pro dextro, vt Latini, vt contrarium errorem contra Catholicam veritatem de proceſſione Spiritus ſancti à Patre & Filio, quam tuentur Latini, externo etiam ritu proteſtarentur Græci. Arbitrantur namque, ſiniſtra parte & humero notari Spiritum ſanctum, vt pectore Filium qui è ſinu Patris in vterum Virginis deſcendit; itaque non protrahunt dextram à pectore ad ſiniſtrum humerum, ne videantur ſignificare, quòd vt Filius à Patre, ita Spiritus ſanctus à Filio procedat. iſta enim ratio communiter circumfertur. Quare ab iſto Græco Epiſcopo deſiderabam ſcire, an Græci efformarent ſignum Crucis indicato modo propter præmiſſas, an propter alias rationes, & quænam illæ eſſent.

De Triumphante Cruce l. 6. cap. 12.

In Eccleſijs Graci dextram Meridionalem partem, Latini Aquilonarem eſſe volunt.

Vide Gretſerum de S Cruce Tom. 3. 4. p. Horti S. Crucis cap 33. vbi aliqua ex Luca Tudenſi Epiſcopo ad hoc argumentum.

Crucis efformanda ratio apud Græcos.

Bonus ille Epiſcopus ferè initio ſermonis diuertit, & oſtendit mihi libellum doctrinæ Chriſtianæ Illuſtriſſimi Cardinalis Bellarmini, Latino & Arabico idiomate & characteribus exaratum, quem dono acceperat à Vener. P. Thoma à Nouaria, cui ſtudebat vt Latinam linguam addiſceret. Dixit mihi, quid ſibi vellent verba illa Latina Salutationis Angelicæ, *Sancta Maria mater Dei*, quibus ex altera parte reſpondebant Arabica, *Elcadiſſe Mariam, omm Allah.* Reſpondi illi per interpretem, ſignificare, S. Virginem Mariam eſſe veram & naturalem matrem Filij Dei, qui eſt eiuſdem Deitatis & naturæ cum æterno Patre, qui Arabico ſermone appellatur *Allah*, vt oppoſita Arabica verba indicabant, *Elcadiſſe Mariam, omm Allah.* Tunc dixit, non benè eſſe ſcriptum Arabicè, *Omm Allah*, eò quòd *Allah* Deum magnum ſignificaret, qualis non erat Filius Mariæ, ſed pro *Allah* ſcribendum eſſe *Elelah*, quod non magnum Deum ſignificat. Ecce quomodo Græcus non infimæ notæ, ſed præcipuus inter Græcos habitus, & Epiſcopus, ſequatur Neſtorij errorem: & quantum ad illa quæ propoſueram, nihil dixerit.

Græcus Epiſcopus in errore Neſtorij de Chriſti Diuinitate deprehenſus.

Et vt hoc probè intelligas, aduerte, in Arabico ſermone eſſe nomen, quod de ſolo vero Deo magno enuntiatur, ipſiuſque proprium eſt, & hoc eſt *Allah*: alterum nomen, quod enuntiatur non ſolùm de Deo, ſed etiam de dijs per participationem (quales ſunt iudices & viri iuſti) & de idolis & dijs gentium, & hoc eſt *Elelah*. Ita me docuit Reuerendiſſimus D. Ioannes Eſronita, Maronita Theologus, & in Arabico ſermone optimè inſtructus, Tripoli Syriæ ciuitate Epiſcopus, ex alumnis Collegij Maronitarum Romæ aſſumptus.

Allah, & Elelah Arabicorum nominum ſignificatio.

Dum igitur ille Græcus dixit, pro *Mater Dei* non eſſe ſcribendum *Omm Allah*, ſed *Omm Elelah*, manifeſtè ſe credere indicauit, Chriſtum non eſſe verum & naturalem Dei Filium æterno Patri conſubſtantialem, ſed ipſo inferiorem, & tantùm per participationem Deum; ac proinde cum Neſtorio, Mariam ſemper Virginem non *Theotocon*, id eſt Matrem Dei, ſed *Chriſtotocon*, id eſt, Matrem Chriſti (Chriſti nomine purum hominem intelligens) appellandam eſſe.

Tunc, Deo inſpirante, reſpondi, optimam eſſe illam verſionẽ *Omm Allah*, quoniam in Scriptura diuina, vbi agitur de Meſſia filio Virginis, etiam in Arabico textu *Allah* appellatur. Et cùm ad manus haberet vetus Teſtamentum Arabicè conſcriptum, rogaui vt inſpiceret caput nonum Iſaiæ, vbi agitur de ſanctiſ-

Epiſcopi Græci confuſio.

ſanctiſſima Virgine Deipara, & Meſſia Filio, eiuſque nominibus, ibique ſe, quod dicerem, eſſe reperturum. Annuit ille, inuenitque quòd vbi noſtra lectio habet, *Et vocabitur nomen eius Deus*, Arabica legat, *vocabitur Allah*. Et ita obmutuit, nec, ipſemet corripiendus, iuſtè corripuit doctiſſimi Bellarmini verſionem, vt ipſe putabat; & ſuum peſſimum patefecit errorem, Chriſtum non eſſe Patri æqualem & conſubſtantialem, ſed ipſo minorem; ac proinde Mariam ſemper Virginem non eſſe naturalem Dei matrem. Non auſim tamen affirmare, illum huic errori pertinaciter adhæſiſſe, vel Græcos alios eodem inuolutos eſſe. Scio nihilominùs, Guidonem Carmelitam & Innocentium III. tradidiſſe, Græcos tenere, in Chriſto haud eſſe duplicem naturam, diuinam & humanam; & ideò in Miſſæ ſacrificio aquam vino non miſcere, ne duplicem naturam in vino & aqua figuratam confiteri videantur. Verùm hoc falſum eſſe arbitratur Bellarminus Tom. 2. lib. 4. de Euchariſtia, cap. 10. quòd in aliquo veterum vel recentiorum Scriptorum Græcorum haud inueniatur. An recenter introductus, vt alij? vel ſi non communis omnium Græcorum, ſit aliquorum particularis?

CAPVT XLI.

De erroribus Græcorum in Summum Romanum Pontificem & ſanctam Dei Eccleſiam.

SEcundò iniurij ſunt Græci in ſanctam Eccleſiam, & eius ſupremum caput Romanum Pontificem, idque in pluribus. Primò negant primatum Summi Pontificis: nolunt enim illum eſſe maiorem ceteris Patriarchis & Epiſcopis. Eumdem ſecuti ſunt Armeni, & eſt communis error hæreticorum. De quo Caſtro tit. Papa, Hæreſi 1. ſic ait: *Primò enim ille ſerpens antiquus hunc errorem perſuaſit Græcis, qui ab Eccleſiæ vnitate ſeparati ſunt propter errores Neſtorij, Dioſcori, Eutychetis: quorum Neſtorius in Epheſina Synodo, Dioſcorus verò & Eutyches in Chalcedonenſi damnati ſunt. Eadem ratione Armeni ab Eccleſiæ vnitate ſe ſubtraxerunt, quòd videlicet Concilij Chalcedonenſis decreta recipere contempſerunt*, &c.

Qui ab hæreſi Græcos defendunt, reſpondent, Græcos non diffiteri omnino, Romanum Pontificem Petri ſucceſſorem in Eccleſia primatum à Chriſto Domino accepiſſe; ſed nihilominùs dicere, totam Eccleſiam in Generali Synodo coactam, maiorem poteſtatem habere in rebus fidei, & ceteris quæ ad generalem Eccleſiæ ſtatum pertinent, definiendis. Quæ fuit etiam ſententia Gerſonis & Pariſientium Theologorum, cùm necdum ab Eccleſia, tamquam hæretica, generali decreto damnata eſſet.

Sed enim, quis non videt, hanc reſponſionem eſſe eluſionem? Quòd credant id quòd dicitur in reſponſione, non quærimus: ſed quòd alterum teneant, adeò manifeſtum eſt, vt probatione non indigeat: alioquin enim non fuiſſent in Concilio Florentino redarguti, nec tot contra hunc errorem egiſſent, Caſtro loco citato, Bellarminus Tomo 1. & alij. Et vtinam tantam Romano Pontifici auctoritatem concederent quantam ſuis Patriarchis, & de illo, vt de iſtis, æquè benè ſentirent!

Secundò errant circa Eccleſiæ Sacramenta, & Primò circa primum, id eſt Baptiſmum. Dicunt enim, Eccleſiam Latinam in illius forma deficere, quæ eſt, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. addentes, veram formam, & obſeruandam, eſſe eam qua ipſi vtuntur, *Baptizetur ſeruus Chriſti N. in nomine Patris*, &c. Nec ideò ipſi errare dicuntur quòd hac forma vtantur, quæ eadem in ſubſtantia eſt cum illa Latinorum; ſed quia affirmant, Latinorum formâ non conferri verum Baptiſma, quod eſt contra Concilium Florentinum, quod declarauit, vtràque formâ verum conferri Baptiſma. Vnde ſi contingat baptizatos à Latinis ad illos tranſire, tamquam non baptizatos, ob defectum formæ, rebaptizant, vt, præter priuatam experientiam, adnotatum vidi in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 4. vbi agens Pontifex de ſuperbia Græcorum contra Latinos, ſequentia quæ pro nobis faciunt, addit: *Baptizatos à Latinis, & ipſi Græci rebaptizare auſu temerario præſumebant, & adhuc (ſicut accepimus) quidam agere hoc non verentur.* Nec, de hoc errore admoniti, in poſterum à tam enormi ſacrilegio abſtinuerunt, vt patet ex quadam reſponſione Theodori Balſamonis Antiocheni Patriarchæ, & habetur loco citato Concilij, in reſponſione Gregorij Hieromonachi ad Epiſtolam Marci Epheſij pro Concilio Florentino; vbi & plura alia.

Quæ cùm ita ſe habeant, conſequenter etiam, apud Latinos veram eſſe Eccleſiam negant, quia Baptiſmus eſt ianua, per quam ad illam intramus. Eodem errore ſunt inuoluti etiam Armeni: quare Latinos ad ſe tranſeuntes, vt Græci, rebaptizant, vt ex Guidone Carmelita tradit Caſtro tit. Baptiſmus, Hæreſi 5. Et contra hunc errorem ſcripſerunt Caſtro loco citato Hæreſi 2. Bellarminus Tom. 2. lib. 1. de Sacramento Baptiſmi cap. 3. & alij.

Confutatio

Baptiſmũ Latinæ Eccleſiæ damnant Græci.

Habetur Tom. 4. Concil. general.

Latinos rebaptizant Græci.

Primatus Summi Pontificis negatur à Græcis.

Defenſio.

Veram Eccleſiam apud Latinos eſſe negant.

Iero-

Confirmationis Sacramentum reiterabile esse, falsò credunt aliqui Græci.

Ierosolymis vidi errare Græcos circa Confirmationis Sacramentum, vtpote quod reiterabile arbitrantur: Sabbato enim sancto, quando infantulos Fonti baptismali immergunt, adultiores verò confirmant, non illi tantùm qui necdum sunt confirmati, sed quotquot ad Patriarcham accedunt, quamuis aliàs confirmati, denùò confirmantur. Sitne communis hic error inter Græcos, affirmare non audeo. Sed hoc Sacramentum esse irreiterabile, docet Ecclesia.

Extremæ Vnctionis Sacramentum non prodesse ad corporis salutem dicunt.

Conculcant etiam Græci Extremæ Vnctionis Sacramentum, asserentes, non prodesse infirmis ad salutem corporis, contra communem Ecclesiæ & Patrum sententiam, qui ex his Epistolæ Catholicæ Iacobi (cap. 5, 14.) verbis de hoc Sacramento intellectis, *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei*; ex his inquam verbis deducunt, hoc Sacramentum animæ, & corpori in ordine ad animam, salutem conferre. Ita Castro ex eodem Guidone, tit. Vnctionis extremæ Sacramentum.

Eucharistiam in azymo confici perpetùm negãt.

Suggillant insuper Romanam Ecclesiam Græci, quòd erret in Sacramento Eucharistiæ, ob materiæ defectum: eò quòd eius Sacerdotes in azymo consecrent, cùm in fermentato sit consecrandum, vt ipsi dicunt. Quare Latinos omnes hac ratione *Azymitas* vocant; eosdem item anathematizant (vt testatur B. Anselmus in quadam Epistola de Fermentato & azymo) &, teste Guidone Carmelita, non permittunt Latinos Sacerdotes in suis altaribus Missas celebrare. Quòd si, ipsis nescientibus aut inuitis, celebrari contigerit, lauant altaria, quoniam credunt ea esse polluta ex falso (vt asserunt) Sacrificio per Sacerdotem Latinum in azymo confecto.

Latinorum Sacrificijs altaria sua pollui credunt.

Hæc ita esse, multipliciter apparet: in primis ex Concilio Lateranensi citato, vbi Pontifex ait: *Postquam Græcorum Ecclesia cum quibusdam complicibus ac fautoribus suis ab obedientia Sedis Apostolicæ se subtraxit, in tantum Græci cœperunt abominari Latinos, quòd inter alia quæ in derogationem eorum impiè committebant; si quando Sacerdotes Latini super eorum altaribus celebrassent, non priùs ipsi sacrificare volebant in illis, quàm ea per hoc inquinata lauissent.*

Græcibus celebrant in Latinorum altaribus.

Deinde id ipsum me docuit experientia: Ierosolymis enim in locis sanctissimis Sepulchri Domini, vel eius sanctissimæ Matris, & Bethleem in loco Natiuitatis Domini, aliisve locis sanctis curæ Latinorum creditis, in quibus omnes alij celebrare desiderant, &, obtentâ licentiâ, celebrant aliquando, Græci numquam celebrant, eò quòd in illis Latini celebrarint; nec ipsi vlla ratione vel prætextu Latinos in sanctis locis suæ curæ commissis, Sacrum facere permittunt, timentes eorumdem Sacrificio pollui.

Idò nec vbi S. Catharinæ corpus ab Angelis collocatum fuit, celebrant.

Audi quid aliquando acciderit. Cùm in monte Sinai, in loco vbi corpus beatæ Catharinæ virginis & martyris ab Angelis mirabiliter collocatum fuisse perhibetur (quam illius loci patronam Græci agnoscunt) angustum sacellum ædificauerint, vt ibi aliquando Missam celebrarent; & pietatis ergò ad illam accessissent aliqui mercatores Veneti cum R. P. F. Iulio à Ferraria, Ordinis S. Augustini Prouinciæ Lombardiæ, tunc Cairi habitante, isque suæ & mercatorum deuotioni in eo sacello (delatis omnibus ad Sacrum celebrandum necessarijs) Missam celebrasset; & hoc Græcis Monachis innotuisset, non amplius ibi vllam Missam celebrarint. Ideoque cùm & ego ad sacrum illum montem Sinai peregrinationem suscepissem, dum idem Pater Cairi moraretur, cum alijs Franciscanis Fratribus ibi Missam celebraui, non item Sacerdotes Græci peregrini, vel qui ibi habitabant & nos comitabantur. Ibidem intellexi, statuisse Græcos sacellum illud destruere, & aliud in eodem loco ædificare, in quo possent ipsi Missam celebrare.

Denique, cùm opibus & gratia Catholicorum maximè in partibus istis indigeant, nec possint eorum deuotiones & Sacrificia impedire, ne subsidijs fidelium eos priuari, & peregrinationes minui contingat; ne tamen illi in eorum sacellis & altaribus celebrent, supra montem Moysi, & in Conuentu interius vbi Monachi habitant, & peregrini excipiuntur, locum à suo templo separatum designarunt, in quo Sacerdotes Latini celebrare possint; de quo infrà Libro VIII. Peregrinatione v. Cap. VI.

Quid? Nec Illustrissimus Alexandriæ & Cairi pro Rege Christianissimo Consul, cuius fauore & subsidio Græci illi plurimùm indigent, nec alij mercatores Galli & Veneti, gratiâ vel precibus obtinere potuerunt, vt Sacerdos ex nostris intra eorum Ecclesiam S. Saluatoris, vbi sanctæ Catharinæ martyris Reliquiæ requiescunt, posset Sacrum facere. Ecce quàm male de nobis Catholicis, & de nostris Sacrificijs, schismatici & hæretici Græci sentiant.

Eodem errore inuolutos esse Armenos & Ruthenos, ait Castro tit. Eucharistia, Hæresi 2. Sed de hoc, Capite sequenti. Confutat illum errorem Bellarminus Tom. 2. lib. 4. cap. 10. addens ibi cap. 13. Græcos asse-

Damnant etiam formam conſecrationis Latinorum.

aſſerere, Latinos non conſecrare etiam ob defectum formæ; eò quòd, illorum ſenſu, ſine iſta forma, *Fiat hic panis Corpus Chriſti, & hoc vinum Corpus Chriſti*, Euchariſtia ritè confici non poſſit.

Rejiciuntur

Sed perperàm eos ſentire, ex eo oſtendit, quòd non vna, ſed duplici diſtincta ratione conficiendum ſit Euchariſtiæ Sacramentum, quemadmodum Latini conficiunt, & ſuo exemplo docuit nos Chriſtus, vt manifeſtè apparet in Euangelio, Matth. 26, 26. Luc. 22, 19. & D. Paulo 1. Corinth. 11, 24.

Errant adhuc circa idem Sacramentum ijdem Græci & Armeni, inquit Caſtro eodem tit. Hæreſi 7. ex Guidone Carmelita, dum aſſerunt, in calice vino aquam non eſſe admiſcendam, contra vſum & traditionem Eccleſiæ, determinationes Conciliorum, & Chriſti exemplum, vt ibi probat.

Nihilominùs Cardinalis Bellarminus loco iam iam citato docet, Græcos vino aquam admiſcere. Et ita obſeruaui, idemque ab ijſdem Græcis intellexi. Quare per Græcos arbitratur Bellarminus intelligendos eſſe Orientales aliquos, vt Armenos, qui aquâ abſtinent in Miſſæ Sacrificio, vt ab illorum Epiſcopis & Magiſtris accepi, & proprijs oculis vidi.

Euchariſtiam in Cœna Domini conſeſſam maioris eſſe virtutis dicunt.

Idem Caſtro ibidem Hæreſi 9. tradit, Græcos docere, hoc præſtantiſſimum Sacramentum in die Cœnæ Domini Feria quinta Maioris hebdomadę confectum, eſſe maioris virtutis quàm alio quolibet die conſecratum. Ideò conſequenter dicendi ſunt negare efficaciam huius diuiniſſimi Sacramenti, cùm virtutem magis tempori quàm Sacramento adſcribant.

Ego aliquando in Græcorum Eccleſijs vidi panis micas memorata die conſecratas, in pyxide lignea ad diſtribuendum aſſeruatas. Rogatus Parochus rationem peculiaris aſſeruationis illarum, reſpondit, Se non credere, maiorem ineſſe Euchariſtico pani Feriæ quintæ cœnæ Domini, quàm alteri alio die conſecrato; ſed Græcorum conſuetudinem eſſe, conſeruare illius diei Euchariſtiam, & eadem ſuos communicare infirmos, quia tali die fuit à Chriſto Domino inſtituta. Probabiliter nihilominùs credi poteſt quod dixit Alfonſus à Caſtro: alioquin enim cum periculo corruptionis ſpecierum panis Sacramentum illud non aſſeruarent. Et dolendum, Orientales abſque reuerentia tam venerandum ac diuinum aſſeruare Sacramentum.

Neceſſariò communicandum ſub vtraq; ſpecie docet.

Denique idem Caſtro eodem tit. Hæreſi vltima dicit, Græcos fuiſſe huius hæreſis inuentores, Neceſſariò communicandum eſſe ſub vtraque ſpecie, ſcilicet panis & vini, ita vt qui ſub vna ſpecie tantùm communicat, etiamſi laicus ſit, peccet: quoniam (inquiunt) contra præceptum Domini agit, qui præcepit ſub vtraque ſpecie communicare.

Refelluntur

Ergo diuiſus eſt Chriſtus, & integer ſub vtraque ſpecie non perſeuerat, & qui accipit Chriſtum ſub vna ſpecie, non tantam virtutem accipiet, quàm ſi acciperet ſub vtraque ſpecie? Sed contrarium docet Catholica veritas. Nec Chriſtus oppoſitum docuit: ſed præceptum duarum ſpecierum datum eſt tantùm Sacerdotibus dum celebrant, ad diſtinctè repræſentandum Sacrificium Crucis.

Pro huius erroris confutatione, quem Bohemi & Lutherani cum alijs amplexati ſunt, citatos conſule Auctores, & alios. Bellarminus tamen loco citato cap. 24. ait, Græcos non credere, ſub vnica ſpecie communicare hæreſim eſſe, quòd de hoc numquam redarguerint Latinos.

Communicant non ſolùm adultos, ſed etiam infantes vſu rationis expertes. Sed hæc eſt ferè conſuetudo Orientalium, qui nec ob id à Catholica Eccleſia damnati ſunt. Vide Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 4. & can. 4.

Græci aliqui docent formam conſecrationis non conſtare in præciſis Domini verbis.

Ad hæc aliqui Græci, præſertim Nicolaus Cabaſilla, & Marcus Epheſinus, putauerunt, formam Euchariſtię conſiſtere tum in illis Chriſti verbis, *Hoc eſt Corpus meum*, tum maximè in quadam oratione, quam illi poſt Chriſti prolata verba illi adhibent: *Rogamus te ſancte Pater, vt mittas Spiritum tuum ſuper nos, & ſuper hæc appoſita munera, & fac panem iſtum pretioſum corpus Filij tui, & quod eſt in calice iſto, pretioſum Sanguinem Chriſti tui.* Ratio illorum eſt, quia hæc Oratio habetur in Liturgijs SS. Iacobi, Baſilij, & Chryſoſtomi: at fruſtrà ibi haberetur, ſi per illam non fieret conſecratio. Item Gabriel Suiro, Philadelphiæ Archiepiſcopus, qui iam apud Græcos, ob creditam illius ſanctitatem & doctrinam, plurimum æſtimabatur, docuit, Euchariſtiam confici præmiſſis Baſilij verbis. Ita intellexi, dum eſſem Corcyræ, à quodam pio ac docto Patre Ordinis Minorum Conuentualium, natione Græco, & in Græcanicis ritibus & dogmatibus optimè inſtructo: ſimulque, quòd ille multos habuerit ſectatores.

Refellitur hac hæreſi.

Sedenim toto cælo aberrant prædicti Græci. Nam ſolis verbis Chriſti continetur forma conſecrationis, vt docuit S. Ambroſius, cui Græci ipſi multum tribuunt, & Concilium Florentinum, cui ijdem interfuerunt & conſenſerunt; & non alia Oratione ſuperaddita. Vnde licet Sacerdos recitatiuè illa proferat verba in perſona propria, ſignificatiuè tamen ea profert in perſona Chriſti. Et ratio eſt, Primò, quia forma Euchariſtiæ debet

debet esse à Christo instituta, qualis non est indicata Oratio, vel alia superaddita. Secundò, quia illa Christi verba, *Hoc est Corpus meum*, debent esse vera simul atque prolata sunt: ergo facta prolatione illorum, iam adest Corpus Christi; ergo superaddita Oratio supponit Christum esse præsentem: ergo vi illius Orationis non fit præsens, & consequenter non pertinet ad formam consecrationis. Tertiò, sequeretur ex illa positione, non fuisse in Dei Ecclesia Eucharistiæ Sacramentum, nisi post illam compositam Orationem. Et quis dedit illi Orationi talem virtutem? Si dicant, Christum; hoc Græci illi deberent ostendere. Denique oppositum probatur ex duplici Græcorum praxi & consuetudine. Prima est, quòd statim post illa Christi verba, *Hoc est*, &c. respondeat populus clara voce, *Amen*, id est, *verum est*, vt explicat Ambrosius lib. de Jis qui ministerijs initiantur, cap. 9. Secunda est, quòd statim post prolata Christi verba proponatur populo Eucharistia adoranda, sicut etiam apud nos fit.

Respon. ad rationem Græcorum.

Ad rationem illorum tres responsiones adfert Bellarminus lib. 4. de Eucharistia cap. 14. ex quibus hîc tertia sufficiat, per illam Orationem non peti à Deo absolutè & simpliciter, vt panis fiat Corpus Christi, sed cum hac determinatione, vt nobis fiat Corpus Christi, id est, vt ex eo percipiamus nutritionem spiritualem. Adde, illam Orationem non haberi in omnibus Liturgijs, vt in Liturgia Ambrosij & Iustini; nec omnia quæ in Liturgijs ponuntur, pertinere ad formam consecrationis, sed tantùm Christi verba ab eo ad illam ordinata.

Abstinentur Pœnitentiæ Sacramento.

An errent circa Pœnitentiæ Sacramentum, controvertitur: quidam enim aiunt, eos asserere, peccata soli Deo esse confitenda, & non Sacerdoti, & consequenter negare Pœnitentiæ Sacramentum, quia non conficitur nisi accedente forma (quæ est absolutio) ad materiam, quæ sunt peccata contrita, & confessa Sacerdoti legitimo. Alij oppositum docent, & verè, vt ostendit Bellarminus Tom. 2. de Pœnitentia l. 3. c. 5. Illud credo verissimum, abuti Græcos isto Sacramento. Etenim, vt pluries à confessis & confessoribus accepi, Simoniaci illud ad lucrum exercent, quia pro absolutione pecuniarias imponunt pœnitentias, causa non existente. Ac insuper, quia graues alias & publicas imponunt pœnitentias, fit, vt alij facultatú, alij honoris iacturam timentes, ne pecunias soluant, vel ne publicâ pœnitentiâ detegant occulta peccata, ab isto abstineant Sacramento, & aliqui solùm in fine vitæ, id est mortis articulo cõfiteantur. Et si accidat, Sacerdotem incidere in fornicationem, non nisi in fine vitæ confitebitur, ne deponatur iuxta Apostolorum canonem 5.

Indissolubile dissoluũt matrimonium.

Matrimonium, quod non potest dissolui nisi morte alterius coniugis, facili negotio, vtroque viuente, soluunt: & pluries vidi Græcos legitimas vxores dimisisse, illarum loco alijs inductis; & facillimè ad id licentiam obtinent à suis Parochis. Sed hoc potest potiùs esse effrenatæ libidinis & auaritiæ peccatum, quàm hæresis.

CAPVT XLII.

De erroribus Græcorum circa homines in mortali vita degentes.

TErtiò, Græci in homines viuentes sunt iniurij. Cùm enim Christus lege sua suaui nos liberauerit à graui onere legis veteris, Græci iterùm volunt fideles quibusdam grauibus legis Moysaicæ obseruantijs subijcere, cogendo eos Iudaizare. Quamuis enim lex Euangelica omnem esum ciborum admittat, nisi lege Ecclesiastica statis diebus aliud cautum sit, & scandalum absit; ipsi nihilominùs damnant eos qui comedunt de suffocatis, aut alias carnes in lege veteri prohibitas. Ita illis impingit Guido Carmelita, referente Castro, titul. Cibus, Hæresi 1. Quantum ad illud de suffocato, vidi obseruari; non item de alijs cibis.

Suffocatum comedi posse negant Græci.

Reijciuntur

Cui pernicioso errori refragantur veteris & noui Testamenti testimonia, quæ Castro adducit. Nec obstat, quòd Act. 15, 20. præceptum sit abstinere ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato: id enim cautum fuit ad euitandum scandalum, quod pro tunc accidere poterat, si Ethnici, qui nouiter ad Christi fidem conuertebantur, de illis comedissent; & Iudæi, qui huiusceemodi cibos horrebant, & in fide adhuc infirmi erant, ab ea auerti potuissent: benè tamen, iam stabilitâ Ecclesiâ, fuit præceptum illud relaxatum.

Ieiunare in Sabbato, Sancto excepto.

Ad hæc, Bellarmino referente Tomo 3. de Bonis operibus in particulari, lib. 2. c. 18. Græci netas esse arbitrantur die sabbati ieiunare, excepto sabbato Paschali, propter Dominicam sepulturam: sed hac ratione &

Nefas die Sabbati ieiunare asserunt.

in alijs sabbatis ieiunare licet & abstinere à carnibus, vt recepta consuetudo Ecclesiæ Occidentalis obseruat. Lege Bellarminum loco citato.

Insuper docent, simplicem fornicationem, toties in Scriptura à Patribus & Ecclesia prohibitam tamquam ex natura sua malam, & bono publico noxiam, non esse peccatum. Ita illis impingit Guido apud Castro tit. Coitus, Hæresi 1.

Secundas nuptias damnant.

Item primas nuptias admittunt, secundas damnant:

damnant: Castro tit. Nuptiæ, Hæresi 2. ex eodem Guidone. Sed repugnant exempla Sanctorum, & Ecclesiæ consuetudo. Hæresi item 4. ait, eos docere, nuptiarum fœdus & vinculum dissolui pro coniugum arbitrio. quasi Christus non dixerit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, Mat. 19, 6. & disiunctis tribuunt facultatem se alijs copulandi: cùm 1. Corinth. 7, 10. 11. 39. & Deuter. 24, 4. dicat Dominus, mulierem repudiatam, si alteri nupserit, fieri pollutam & abominabilem coram Deo.

& dissolui posse autumant.

Pessimum alterum errorem in hac materia quæ proximum & viuentes respicit, impingit illis Guido Carmelita, eos nimirum asserere contra Domini mandatum, *Diligite inimicos vestros*, &c. Matth. 5, 44. licitum esse decipere inimicum; nec esse peccatum aliquod, si quis suo inimico damnum inferat, etiamsi ad hoc faciendum periurijs aut quouis mendacio iuuetur. Sed Castro tit. Inimicus, non approbat in illis tantum errorem. *Et certè vix credere possum*, inquit, *illos tam dementes esse, vt hæc sentiant; quoniam illa sunt naturali legi apertissimè contraria, ita vt illam eorum sententiam gentilis quisque Philosophus damnet, nedum Christianus homo*, &c.

Licere inimicos decipere docent.

Ego verò haud inconueniens arbitrarer, si de cæcis & perditis illis schismaticis hoc & similia opinemur, cùm ex dictis viderimus, & amplius ex dicendis visuri simus, illos etiam alios haud absimiles errores fuisse secutos. An non lex naturalis præcipit, *Ne feceris alicui, quod tibi oderis fieri?* & rursum, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, Matthæi 19, 19. Et rarus est, qui non oderit re sua spoliari. Et quisquis iure optare potest, vt quod sibi furto sublatum est, restituatur; idem & alteri, quæ vi ei ademit, vice versa reddere tenebitur. Et tamen docuerunt Græci, eodem Guidone teste, non esse necessariam rei furto sublatæ restitutionem, vt quis vitam possit assequi æternam. Et addit, quòd Græcorum Sacerdotes, pro furtis, vsura, rapina manifesta, non iniungant vt satisfaciant, aut reddant; sed oleo simplici inungunt raptorem, quem astringunt, vt aliquam pecuniæ portionem ipsis distribuat, vt absolutionem illi impendant: quam pecuniam à fure aut raptore recipientes, ipsum raptorem absoluunt. Et Castro refellit quidem hunc errorem tit. Restitutio, nec tamen à Græcis remouet; quare non esset inconueniens, si & illud quod suprà relatum, ab eisdem non remoueamus.

Rei ablatæ non esse restitutionem necessariam dicunt.

Denique quantum ad hoc caput, vsuram, naturali & diuino Iure prohibitam, licitam esse dicunt; nec esse peccatum, dare aliquid ad vsuram. Quòd si aliquando id permissum fuit populo Iudaico respectu alienorum, fuit ob nimiam illius auaritiam; sicut & alias permissus est illi libellus repudij, ad duritiam cordis eorum. Sed ex quo vsura & repudium permittuntur, conuincitur mala esse, quia nonnisi mala permittuntur. Castro tit. Vsura.

Et dare ad vsuram licitum esse.

CAPVT XLIII.

De erroribus Græcorum, quantum ad illos qui ex hoc sæculo transierunt.

QVartò tandem, iniurij sunt Græci in illos, qui ex hoc sæculo abierunt in Dei gratia, siue illi cum aliquo pœnæ temporalis debito, siue immunes & liberi prorsus euolauerint. In illos sunt iniurij, quia negant Purgatorium, & cum illis Armeni, vt docet Guido Carmelita apud Castro tit. Purgatorium, & Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 2. & ideò excludunt illos in æternum ab ingressu cælestis Ierusalem, quò nil culpâ coinquinatum vel pœnâ dignum intrabit. Ablato enim Purgatorio, oportet eum, qui ex hac vita decedit alicui temporali pœnæ obnoxius, perpetuò in ipsa pœna, & consequenter extra Regnum cælorum permanere.

Purgatorium negant Græci.

Ex hac hæresi in plures alias eos ruere necesse est; sed vnam dumtaxat refero, quam expresè fatentur, vt tradit Castro titul. Suffragia defunctorum, nimirum, non prodesse suffragia quæ à viuis in Dei Ecclesia pro defunctis exhibentur. Eamdem hæresim secuti sunt Armeni, & alij Orientales.

Defunctis nil prodesse suffragia asserunt.

Qui ab hæresi ista Græcos vindicare conantur, dicunt, illos non prorsus dè medio tollere Purgatorium ignem, vt ipsi clare fatentur sess. vltima Concilij Florentini, quin illos affirmare se perpetuò purgatorium agnouisse, cùm verè Sacrificia & preces offerant Deo pro mortuis, non certè pro ijs qui beati, neque pro ijs qui ad inferos sunt damnati, id enim planè esse absurdissimum & impium; ergo pro ijs, qui cum fide & pietate hinc discesserunt, sed nondum plene pœnas peccatis debitas persoluerunt: solùm verò inficiari, pœnam eos ignis corporei sustinere, quod ipsis opinari esset integrum, eò quòd id non sit de Fide, neque vsquedum determinatum ab Ecclesia, vt docet Bellarminus lib. 2. de Purgatorio, cap. 10.

Verùm hæc non videntur posse Græcis suffragari: nam & ipse Bellarminus lib. 1. cap. 2. ait, quamquam ipsi Græci in Concilio Ferrariensi sess. 1. affirmassent se non negare Purgatorium, sed ignem tantùm corporeum, teque existimare, Purgatorium esse locum tenebricosum, & laborum ple-

num; credibile tamen esse, Græcos de hac hæresi saltem suspectos fuisse. Nam B. Thomas in Opusculo contra Græcos refellit etiam hunc errorem, & probat Purgatorium esse: & in Concilio Florentino sessione vltima damnatus est idem error, cùm tamen in eo Concilio solùm damnati sint errores Græcorum, aut certè de quibus Græci suspecti erant. Quare cùm iam à statutis illius Concilij desciuerint, eumdem errorem denuò eos assumpsisse nō est dubitandum: alioquin enim, quando Catholicæ Ecclesiæ reconciliantur, illum non abiurarent; quem tamen verè abiurant, vt videre est in abiurationis forma illis à Summo Pontifice præscripta. Neque verò illos pro defunctis orare, atque eleëmosynas facere, mirandum est: nam hoc faciunt vel ex antiqua & laudabili consuetudine, vel vt hoc pacto se in operibus pietatis & misericordiæ exerceant, mortuique viuis prosint. Et propterea multi meritò mirantur, dum hinc considerant, ex hisce Græcorum ritibus Purgatorium necessariò colligi posse; inde verò, eos adfirmare id nolle, & tamen quid ad obiecta verè respondeant, nihil habere. Agunt contra hunc errorem citati Auctores, & alij.

Sanctos ab omni culpa & pœna liberos admitti post hanc vitā ad Dei visionem negant.

Iniurij denique sunt illis qui absque macula & reatu aliquo hinc decedunt, dum illos ante vniuersalis iudicij diem ad claram sui visionem à Deo admitti, aut malos & reprobos ad inferos damnari, & consequenter hos pro sceleribus suis puniri, illos verò ob pietatem suam & probitatem præmiari negant, contra expressam sacræ Scripturæ & Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem. Eamdem porrò hæresim amplexati sunt Armeni, vt patet ex Concilio Florentino sess. 1. B. Thomà in Opusculo 6. cap. 9. quam producunt & reijciunt, Bellarminus Tomo 1. lib. 1. de Sanctis, cap. 1. & seqq. & Castro tit. Beatitudo, Hæresi 6. De erroribus Græcorum, eorumdemque confutatione, & alijs ad Græcos spectantibus, plura vide apud Auctorem Operis de Procuranda salute omnium gentium, lib. 6.

Causa schismatis & hæresum Græcorum.

Sed quando, & quanam occasione in tot errores statumque adeò miserandum inciderunt Græci? Guido Carmelita in libro suo de Hæresibus ait, quòd anno salutis 455. ab Ecclesia sint separati, eò quòd decreta Concilij Chalcedonensis contra Nestorij hæresim recipere noluerint. Cardinalis Baronius Tom. 8. Annal. sub annum Christi 692. num. 53. ait id accidisse ex quo illorum Sacerdotes proiecerunt Ecclesiasticum cælibatum. Vnde appositè illis aptari potest D. Pauli elogium: *Qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est*, 1. Cor. 7, 33. Credere par est, tum ob geminam iam indicatam rationem, tum ob innatam sibi superbiam, tum alias ob causas à Romana eos apostatasse Ecclesia, & in tot errores lapsos fuisse. Vtinam hæc omnia intelligerent, & nouissima prouiderent!

CAPVT XLIV.

De Armenis, eorum conditione, & aduersus Ecclesiam Catholicam schismate.

QVinam sint fuerintve Armeni, & quomodo se ab vnitate Catholicæ Ecclesiæ separauerint, explicat Castro Aduersus hæreses, titul. Adam & Eua, Hæresi 3. *Hi Armeni*, inquit, *Asiam incolunt in ea parte quæ est inter Taurum & Caucasum montes sita. Horum patria Armenia dicta, à Cappadocia vsque ad Caspium mare protenditur. Hi Armeni cùm primùm Catholicam fidem fuissent edocti, tandem veram fidei regulam dimittentes, in multos errores prolapsi sunt. Proprium habent Primatem, quem Catholicum appellant. Huic velut Summo Pontifici obediunt. Romanum siquidem Antistitem contemnunt, dicuntq; eum non esse ceteris superiorem. Quo autem tempore, aut quam ob causam ab Ecclesia defecerint, mihi hucusque non est notum. Hoc certum est, tempore Philastri Brixiensis Episcopi, atque tempore B. Augustini, eos ab Ecclesia nondum fuisse separatos, quoniam vterque istorum hæresum auctores recensens, nullam de Armenis fecere mentionem. Quod autem ego ex pluribus conijcere possum, est, Armenos fuisse ab Ecclesia separatos propter decreta Concilij Chalcedonensis sub Leone I. & Martiano Imperatore celebrati* (circa annum nostræ salutis 453.) *quoniam in eo Concilio damnati sunt Eutyches Abbas Constantinopolitanus, & Dioscorus Alexandrinus Episcopus illius imitator. Armeni autem his hæreticis fauentes, decreta Concilij Chalcedonensis recipere contempserunt.* Hæc ille cum alijs; qui & addunt, eos Iacobum Syrum, à quo Iacobitæ, ducem in suis erroribus habuisse: & nouimus, Armenos & Iacobitas in multis conuenire.

Armeni primò Catholici, deinde hæretici.

Ob horum schisma multa Concilia congregata fuerunt, & præcipuè Florentinum sub Eugenio IV. in quo, Deo fauente, vnio illorum cum Ecclesia Romana secuta est, damnatisque erroribus, receperunt ipsi Catholicam veritatē: quare anno salutis 1439. die 22. mensis Nouembris, gaudentes reuersi sunt in patriam vnà cum Ioanne Palæologo eorum Imperatore: verùm post aliquot annos à Catholica Ecclesia se denuò subtrahentes, ad priores errores redierunt.

Reconciliati Ecclesiæ in Concilio Florentino, sed postea ab eadem recesserunt.

In

In Armenia, quantum verè ſcire potui, pauci ſunt Armeni Catholici, quos Dominicani Fratres, Auguſtiniani, Carmelitæ Diſcalceati, & alij nonnulli, in Catholica religione erudiunt: in Ægypto, Paleſtina, vel Syria, communiter nulli Catholici Armeni reperiuntur. Sunt homines fortes, & proceræ ſtaturæ, ſimplices, ſobrij & abſtinentes; & vt ſuos venerantur Epiſcopos & Monachos, ita non deſpiciunt noſtros, etſi ab eis vera ſanctitas & doctrina receſſerit. De illorum erroribus ſtatim agemus, omiſſis illis in quibus eos conuenire cum Græcis in præcedentibus vidimus.

CAPVT XLV.

De aliquibus Armenorum erroribus.

SAnctus Nicon Armenus Monachus, doctrina & vitæ ſanctitate conſpicuus, ſequentia de hæreſibus, erroribus, & ritibus Armenorum ſcriptis conſignauit, quæ refert Cardinalis Baronius Tomo 10. Annalium ſub anno Chriſti 863. à n. 52. vſque ad 57. vt ſequitur:

Vide in Bibliothec. Margar. Tom. 3.

Armeni Deum trinum paſſibilem faciunt.

Dicunt, Diuinam naturam eſſe patibilem, & in Aphartodocitarum hæreſim inducti, Trinitatem pati dicunt. Hoc autem etſi non audent apertè dicere, ijs tamen quæ faciunt hoc declarant. Tres enim cruces coniungentes, & vni ligno tamquam iugo affigentes, nominant hoc, ſancta Trinitas. Adjciunt autem ſancto atque adeò ſanctiſſimo Hymno illud, Qui crucifixus eſt pro nobis, Petri Fullonis rabiem ſequentes. Et nobis quidem aſſerunt, ſe de Filio hoc adijcere: ipſi autem, Deum eſſe patibilem, apertè ſentiunt. Exiſtimant quoque, Spiritum eſſe Patre & Filio minorem: vnde & paulò antè dictarum crucium mediam minorem ſtatuunt, in Spiritus typum hanc eſſe reuelantes. Iidem & duarum Chriſti naturarum vnione, confuſionem decernunt. In pane quoque myſtico vtuntur azymis, & in ſanctum Calicem aquam non immittunt.

Spiritum ſanctum Patre ac Filio minorē credunt.

In Chriſto naturas confundant

In azymo conficiunt, Iudaizantes.

Porrò alia ratione, addit Baronius, *quàm Latini, azymo iſti pane in ſacrificio vtebantur, nempe quod Iudaizarent, vt ex alijs inferiùs dicendis apparebit.* Et hoc ſi verum eſt, longè à veritate erit quod Capite xxxix. retulimus ex Caſtro, Armenos in fermentato conficere, vt Græci conficiunt. Et Bellarminus accuratiſſimus Scriptor, agens de erroribus hæreticorum circa materiam Euchariſtiæ, minimè dixit in eo verſari Armenos. Et ego, qui frequentiſſimè vidi eorum placentulas quibus celebrant, azymas eſſe euidenter deprehendi: & verè in azymo conficere, ipſi Armeni non ſemel mihi confeſſi ſunt.

Pergit S. Nicon: *Et quinto menſis Ianuarij veſpere feſtum Euangeliſmi celebrant, tum aliam quoque huius feſti conſequentiam facientes, tum etiam conueniens Euangelium legentes: manè autem Chriſti Natalem celebrant, & in diuino Sacrificio, ſancta Theophania. An autem eo Euangeliſmi die, venerabiliſimum Saluatoris noſtri Natalem fuiſſe exiſtimantes hoc feſtum celebrent, incertum; manifeſtum autem eſt, quòd non ſicut nos, carnem Domini in Dei Matris vtero formatam eſſe exiſtimant. Quomodo enim fieri poſſet, vt infans vno die perfectus completusq; naſceretur? & innumerabiles abſurditates ex eo deducuntur. Sin autem exiſtimant poſt duodecim menſes, anno in eumdem reuerſo, editum eſſe partum: non tam magis humanam natiuitatem, quàm ab equis & aſinis ſimilem introducunt: hæc enim animalia poſt annum pariunt. In feſto autem Sanctorum Theophaniorum non oratione, non Euangelio, non Hymno, non aliarum Scripturarum lectione vtuntur; ſed Crucem tantùm in aquam immergentes, hoc ſibi ſufficere exiſtimant. Circumciſionem autem octo diebus poſt Theophaniam celebrantes, falluntur, neſcientes quòd priùs circumciſus, deinde baptizatus eſt.*

Negant Verbum ſtatim caro factum poſt Virginis verba: Ecce ancilla Domini, &c.

Ad ſententiam hanc Armenorum de tempore Natalis Domini reſpexit Chryſoſtomus Tom. 2. in quædam loca Lucæ Homilia 2. de Natiuitate Domini. ibi enim propoſita veritate, ſubiungit: *Alij putant, quòd in Epiphanijs naſcitur: non damnamus aliorum opinionem, noſtram ſequamur doctrinam. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundat. Et forſitan reuelabit vnicuique Dominus. Et illi, qui tunc dicunt naſci Saluatorem, & nos qui hodie dicimus naſci, vnum Dominum colimus, vnum infantulum ſuſcipimus. Sed videamus quid magis rationabilius: ratio noſtra non reprehendit alios, ſed nos probat. Non ſunt noſtra quæ loquimur, maiorum ſententia eſt, vniuerſus mundus contra huius prouinciæ opinionem loquitur*, &c.

Errant circa tempus aliquarum feſtiuitatum.

Rom. 14.5

Verùm hæc Armenorum opinio de tempore Natalis Domini, & aliarum feſtiuitatum, damnata fuit in Concilio Florentino in fine decreti Eugenij IV. quod incipit, *Exultate Deo adiutori noſtro*, in quo ſequentia leguntur: *Octauò, cùm inter alia ſit etiam cum ipſis Armenis diſputatum, quibus diebus feſtiuitates Annuntiationis B. Mariæ Virginis, Natiuitatis B. Ioannis Baptiſtæ, & conſequenter Natiuitatis & Circumciſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac Præſentationis eiusdem in templo, ſeu Purificationis B. Virginis Mariæ celebrari debeant, ſatisq; dilucidè veritas patefacta fuerit, tam ſanctorū Patrum teſtimonijs, quàm conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, & omnium aliarum vniuerſaliter apud Latinos & Græcos.*

Habetur Tomo 4. Concil. gen. Lege Baronium Tomo 1. in Appar. num. 120.

Græcos. Ne igitur in tantis celebritatibus dispar sit Christianorum, vnde perturbandæ charitatis occasio possit oriri, decernimus tamquam veritati & rationi consentaneum, & iuxta totius reliqui orbis obseruantiam, vt ipsi etiam Armeni, festum Annuntiationis B. Mariæ die 25. Martij, Natiuitatis B. Ioannis Baptistæ 24. Iunij, Natiuitatis verò secundùm carnem Saluatoris nostri 25. Decembris, Circumcisionis eiusdem primo Ianuarij, Epiphaniæ sexto eiusdem Ianuarij, Præsentationis Domini in templo, seu Purificationis Dei Genitricis, secunda Februarij debeant solemniter celebrare, &c. Quibus, & alijs, consenserunt Armeni; sed postea ad vomitum reuersi sunt. Sed verba sancti Niconis referre prosequamur:

Absque facultate ab exteris Episcopis Ordines suscipiunt.

Deinde cùm Magnus Gregorius, qui fuit magnæ Armeniæ Episcopus, cauisset, Armeniæ Episcopum à nullo esse alio ordinandum, quàm ab illius temporis Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopo, vbi ipse quoque ordinatus est, & horrendæ execrationes, & anathema in eos sit intentatum, qui aliter faciunt: hæc quidem illis transgrediuntur, à Syriæ autem Amerano vniuersalis eorum Episcopus ordinatur. Si autem negant Magnum Gregorium hæc constituisse, ostendant nobis eius ad filios constitutiones, & os eis obturabitur. Sin autem adhuc dubitauerint, dicant, si possint, cùm in eos sententiam anathematis protulimus, quid ab eis factum nouimus. Quando enim vniuersalis eorum Episcopus non ordinatur ex Canonibus, quomodo qui ab eo ordinantur, fide digni habebuntur?

Quomodo intelligendum, ordinatum ab extero vel hæretico Episcopo non esse ordinatum.

Placet hîc aduertere, S. Niconem in hisce verbis nolle dicere, ordinatum ab extero, & etiam schismatico hæreticóve Episcopo, non esse vere ordinatum: est enim vere ordinatus, si facit quod intendere facit Ecclesia, quia post schisma & hæresim adhuc in huiusmodi remanet potestas Ordinis Sacramentalis, licet non iurisdictionis: & illa sufficit ad verè ordinandum, vide Magistrum Sentent. in 4. d. 25. D. Thomam 2. 2. q. 39. art. 3. & 3. par. q. 64. art. 9. & in Supplem. q. 35. art. 2. & alios. Sed tantùm vult inferre, illos perperàm facere: quia quilibet à proprio Episcopo ordinari debet, & ab ordinario ministro Sacramenta suscipienda sunt. Quòd si etiam dicere vellet, non tenere illam ordinationem, sic est interpretandus, si non faciant iuxta intentionem & Canones Ecclesiæ. Nam non leuis est dubitandi occasio, non taliter eos administrare Sacramenta; quia sunt sanctæ Ecclesiæ acerrimi hostes. Et ita faciebant Paulianistæ & Cataphrygæ, qui sine inuocatione trium personarum dispensabant Baptismi Sacramentum: à quibus baptizati sunt rebaptizandi, vt explicat Canon 19. Concilij Nicæni, & Canon 98. Sextæ Synodi. Et ad hanc rationem respicientes sancti Apostoli, in suis Canonibus statuerunt: *Qui ab hæreticis baptizati aut ordinati sunt, hi nec fideles nec Clerici esse possunt*: vt dicitur in Can. 67. Et S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos extremo, sic ait: *Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos suscipit, exceptis Pauli Samosateni discipulis.* Loquitur Synodus de Baptismo hæreticorum omnium, sed paucos excipit, quia vera forma Ecclesiæ non vtebantur. Prosequitur Nicon:

Porrò autem à sacris quoque Euangelijs abstulerunt vocem, quæ dicit: Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis in terram descendentis: hoc esse imbecillitatis existimantes, non diuinæ Maiestatis: sed etiam historiam quæ nos docet, quòd mulier ad Iesum tamquam adultera adducta est, cùm is autem dixisset; Qui non peccauit, lapidem in eam proiiciat, recesserunt omnes, nec à Christo condemnata est; reijciunt, hanc auditionem multis esse pernicioſam dicentes. Luc. 22, 44. *Sacram Scripturam mutilant.* Ioan. 8, 3.

Comedunt autem & in sabbatis, & in Dominicis sanctæ Quadragesimæ, ova, caseum & butyrum, & in primis eorum vniuersalis Episcopus. & est apud eos Canon, qui dicit: Si quis butyrum, caseum, & ouum, vino & oleo non aquinalere existimet, sit anathema. Septimana quoque τῆς τυροφάγου carne vescuntur, ieiunantes septimanâ, quæ est ante κρέων, intensis ieiunijs, præter panem & aquam nihil aliud gustantes. Vocant autem hanc septimanam Artziburtzia: nesciunt tamen quid sibi velit vis huius nominis. Sed nonnulli quidem dicunt fuisse hoc cuiusdam Sergij ieiunium, nonnulli verò Niniuitarum, aliqui verò Adami, quando ex Paradiso deliciarum eiectus est. Et hinc sine ratione ieiunare conuincuntur. *In cibis delinquunt.*

Quidam autem dicunt, & videtur verum esse quod ab eis dicitur, fuisse quemdam apud eos Episcopum, qui vtebatur catulo, cui erat cognomen Artziburtzes (id autem præcursor, seu præcessor Latinè interpretatur) præcedebat enim Episcopum in vrbem vel vicum ingressurum: quo mortuo, septẽ dierum ieiunium ab Episcopo constitutum est in memoriam luctus, qui fuit propter canem. Sacrum autem celebrantes, non solùm capiti tegmen non detrahunt, sed etiam capiti cucullum adjiciunt, licet diuinus Paulus apertè exclamet, detectos esse debere in oratione. 1. Cor. 11, 7

Venerabiles autem imagines non adorant, sed quod magis est, eorum vniuersalis Episcopus, cum reliquis, eos qui adorant, anathemate percutit. Nec Crucem adorant, nisi clauum in eam immiserint, & ipsam etiam baptizauerint: postquam autem clauo fixa, & baptizata *In Sanctorum imaginibus erratum.*

Crux

Crux fuerit, & alterum duorum lignorum diuiſum & relictum fuerit, vel tranſuerſum, id ſolum quod relictum eſt adorant. Sed & omnia ferè, quæ ſunt abolita legalia, adhuc peragunt. Agnum enim Magno Dominico ſacrificant, & limina inunguntˌ & eius oſſa comburentes, ſeruant cinerem cum ſanguine in ſignum expiationis: & velum ante altare ſtatuunt, & tintinnabula ipſi & altari appendunt. Quin etiam pro mortuis, ouium & boum ſacrificia peragunt; nec defunctum aliter ſeruandum exiſtimant, niſi tertijs & nonis, & quadrageſimis eius diebus eiuſmodi ſacrificia peracta fuerint. Antequam autem huiuſmodi ſacrificia peragantur, ſal benedicentes, dant beſtijs in nutrimentum, & ſuper earum etiam capita dicunt quaſdam orationes, & eas mactant. Nominant autem hæc ſacrificia, Natalitia. Si qui autem aliquid horum negant, eum, qui hoc facit, anathematizant. Hucuſque S. Nicon de moribus & erroribus Armenorum.

Circa poſteriùs dicta à S. Nicone, placet adnotare quæ frequenter vidi in Eccleſijs Armenorum. Quantum ad imagines, illas, vt nos, habent, adhibentq; eas in altarium & Eccleſiarum ornamentum, imò eas deferunt in Proceſſionibus. An verò illis vtantur ad ſola myſteria repræſentanda, an etiam vt veneration habeantur, me latet; nihilominùs & hoc libenter crederem. Velum ante altare habent; ſed nec ipſi, nec altari vidi appenſa tintinnabula: thuriferario tamen, ſicut & aliæ Orientales nationes, eadem appendent. De illorum ieiunio poſteà.

CAPVT XLVI.

Alij Armenorum errores, qui Deum & creaturas reſpiciunt.

ALios Armenorum errores refert Alfonſus de Caſtro aduerſus Hæreſes ex Guidone Carmelita; quos paucis hic referentes, ad duo capita reducemus: quorum alterum eſt, quod Deum & Creatorem; alterum, quod creaturam reſpicit ſpiritualem & corporalem. De iſto priùs.

Armeni Deum mendacem faciunt.

Dicunt in primis, Deum, qui eſt per eſſentiam veritas, qui nec fallere nec falli poteſt, eſſe mendacem. Ita illis impingit Guido Carmelita. Verùm propter magnam eius abſurditatem, & manifeſtè refragantem Scripturam diuinam, quæ frequenter Deum veracem & ipſam veritatem appellat, non poteſt Caſtro tit. Deus, Hæreſi 3. adduci, vt id de illis aſſeueret; refellit tamen.

Sed non videtur abſurdum, ſi quis ita ſentiat de cæcis & perditis illis hominibus, cùm & plures alios ſectentur errores, à diuina Scriptura & naturali ratione damnatos. Quidquid ſit de hoc, cetera proſequamur.

Confundit in Chriſto Diuinitatem & humanitatem.

Secundò apertè negant, duas naturas, diuinam & humanam, in Chriſto ſimul inconfusè & hypoſtaticè vnitas eſſe: quare ne illam vnionem confiteri & ſignificare videantur, in Miſſæ ſacroſancto Sacrificio, vino aquam non admiſcent, vt teſtatur Nicephorus lib. 18. Hiſtor. cap. 53. & notauimus ſuprà Cap. XLI.

Negant Corpus Chriſti in Euchariſtia.

Tertiò tenent, Corpus Chriſti non eſſe verè & realiter ſub ſpeciebus Sacramentalibus panis & vini, cuius oppoſitum ſemper docuit Eccleſia Catholica. Ita illis impingit Guido Carmelita; ſed non probatur Caſtro tit. Euchariſtia, Hæreſi 4. quia talem hæreſim illis veteres non adſcribunt. An ab recentioribus hęreticis, cum quibus aliquando commiſcentur & conuerſantur, eam didicerunt?

Chriſtum Sabbato reſurrexiſſe dicunt.

Quartò dicunt, Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe die ſabbati hora ſexta poſt Paraſceuen, cùm tamen eum tertia die reſurrexiſſe omnes Scripturæ teſtentur, iuxta id quod Dominus promiſerat Luc. 18, 33. Matth. 20, 19. Ac ideò Caſtro tit. Reſurrectio, non capit id illos ſenſiſſe.

Aliqua peccata irremiſſibilia docent.

Quintò denique, quantum ad hoc caput, in eo grauiſſimè Deum offendunt & eius miſericordiam, dum affirmant aliqua peccata eſſe irremiſſibilia. Eſt enim Deus benignus & miſericors, & præſtabilis ſuper malitia, ſemper ignoſcere paratus, quoties de quibuſcumque commiſſis peccator ingemuerit; & reliquit miniſtros Sacerdotes, vt quoſcumque ſoluant à quibuſcumque peccatis: quare neque ex parte Dei, neque ex parte miniſtrorum eius, aliqua peccata ſunt irremiſſibilia. Ita Caſtro tit. Peccatum, Hæreſi 6.

Sentiunt primos parentes in ſtatu innocentiæ haud fuiſſe coituros, neq; ſexuum differentiam.

Quantum ad alterum caput, quod creaturam reſpicit, Primò circa corpoream errant, dum dicunt, Adam & Euam, ſi in ſtatu innocentiæ permanſiſſent, numquam coituros, nec humanam ſpeciem per commixtionem propagandam fuiſſe. Contra id quod illis dixit Dominus, *Creſcite & multiplicamini, & replete terram*, Gen. 1, 28. & hoc ante peccatum; igitur in ſtatu innocentiæ extitiſſet etiã ſexuum differentia, quemadmodum poſteà clarè dixit Chriſtus, *Qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit illos*, Matth. 19, 4. quod, ſecundò errantès, ijdem negant.

Nuptias damnant, & nihilominùs eas contrahunt. Ioan. 2, 2.

Tertiò damnant nuptias, quas Dominus ab initio inſtituit, & Chriſtus poſteà ſua præſentia confirmauit. Caſtro titul. Adam & Eua, Hæreſi 3. ipſi tamen illas celebrant.

Quartò, quantum ad creaturam ſpiritualem, dicunt, Euchariſtiæ Sacramentum

Eucharistiam gratiam non conferre dicunt:

nullam animæ virtutem afferre, etsi Dominus dixerit, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, Ioan. 6, 59. Concedunt tamen prodesse corpori. Castro tit. Eucharistia, Hæresi 3. & tit. Baptismus, Hæresi 4.

Matrimonium non esse Sacramentum:

Quintò, negant in nuptijs esse Sacramentum, in eisque gratiam conferri. Castro tit. Nuptiæ, Hæresi 3. quibus refragatur Paulus, dum ait: *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia*, Ephes. 5, 32. hoc est, quòd homo relinquat patrem & matrem, & adhæreat vxori, hoc est magnum Sacramentum, quia est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia. Et Concilium Florentinum, & vltimò Tridentinum sess. 24. c. 1. definiuit, Matrimonium esse proprie nouæ legis Sacramentum, ac ideò in eo conferri gratiam sicut in alijs Sacramentis.

Baptismum non delere peccatum:

Sextò, dicunt quidem, Baptismum esse necessarium ad vitam æternam consequendam, sed per ipsum auferri peccatum originale prorsus negant, quoniam illud de medio tollunt. Paruulos verò qui sine Baptismo decedunt, negant, cum Pelagio, habere quamdam vitam æternam, sed extra Regnum esse asserunt: & ire quidem illos ad paradisum terrestrem, qui filij fuerint fidelium, si verò fuerint filij infidelium, dicunt illos descendere in infernum cum parentibus suis. Idem Castro tit. Peccatum, Hæresi 1. & tit. Baptismus, Hæresi 8.

Baptismum & Eucharistiam simul conferenda:

Septimò dicunt, non posse alicui Baptismum conferri, nisi eidem Eucharistiæ Sacramentum conferatur. Et Chrisma adeò necessarium esse ad verum Baptismum perficiendum, vt nisi baptizatus Chrismate vngatur, non sit Baptismus. Idem eodem tit. Hæresi 6.

Sacramenta non conferre gratiam:

Octauò, denegant Sacramentis omnem gratiam. Ita notauit Bellarminus Tomo 2. lib. 1. de Sacramentis in genere, cap. 1. His contraria semper docuit Catholica Ecclesia.

Pœnam inferni esse finitam:

Nonò, pœnam inferni non esse perpetuam dicunt, licet audiuerint à Christo dicturum se reprobis, *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, Matth. 25, 41. Castro tit. Infernus, Hæresi 2.

Ante Christum omnes fuisse damnatos:

Decimò, omnes homines ante passionem Christi fuisse damnatos propter peccatum primorum parentum. Idem tit. Peccatum, Hæresi 2.

Vndecimò, peccatum non esse à libero arbitrio, sed à dæmone. Eodem titulo Hæresi 3.

In resurrectione omnes masculini sexus futuros tradunt.

Duodecimò dicunt, omnes homines in sexu virili esse resurrecturos, nullumque futurum femineum sexum post resurrectionem. Castro tit. Resurrectio, Hæresi 1.

Pro his, & alijs erroribus & ritibus Armenorum, tum citati Auctores, tum Legatio illa, quæ habetur Tom. 4. Bibliothec. veterum Patrum, vbi Theorianus in colloquio habito cum Catholico Armenorum, horum errores refert & refellit, tum Auctor Operis de Propaganda salute omnium gentium, lib. 7. p. 1. cap. 17. 18. 19. & 20. legi possunt.

CAPVT XLVII.

De Iacobitis siue Syrianis, & eorum erroribus.

PAuca dicam de alijs nationibus, tum quòd valdè miserabiles sint, tum quòd moribus ferè & erroribus conueniant cum ijs quæ hactenus recensuimus: & de Iacobitis quidem siue Syrianis, primo loco. Iacobitæ sic appellati sunt à quodam Iacobo Syro Antiocheno, qui sectator & imitator fuit Eutychetis, Dioscori, Nestorij, Petri Gnaphæi, & Seueri, natalibus obscurus, ideoque *Zanzalus* appellatus. Hic anno salutis 452. hæresiarcham sese prodidit, quia sacrosancti & Generalis Concilij Chalcedonensis IV. sub Leone I. Papa & Martiano Romanorum Imperatore celebrati, decreta recipere noluit, prout etiam noluerunt Armeni. Is post multas partim excogitatas partim renouatas hæreses, miserè in Ægypto, vbi sua disseminauit venena, decrepitus moritur, & in inferno sepelitur, anno salutis 535. ætatis verò suæ 105. sub Agapito Papa, & Iustiniano Romanorum Imperatore. De isto & Iacobitis eius sectatoribus aliqua scripsit Nicephorus lib. 18. cap. 45. Historiæ Eccles. Sed de istis hæc accipe ex Brocardo monacho, qui agens de nationibus Orientalibus, dixit: *Sunt præterea in hac terra Syriani, qui quidem Christiani sunt, verùm Latinis nullam seruant fidem, miserè & pauperrimè viuunt, anaritia studentes: nemini eleëmosynam largiuntur.* (sed huic experientia refragatur, vidi enim eos eleëmosynas & quidem abundantes facere.) *Ditissimus inter eos non delicatiùs vivit, quàm pauperior. Inter Saracenos habitant, & vt plurimum officijs eorum mancipantur. In habitu à Saracenis ferè nihil differunt, nisi quòd per cingulum laneum ab eis aliquid discriminis habent.* *Iacobita à quo dicti.*

De Iacobitis & eorum erroribus plura Auctor Operis de Propaganda salute omnium gentium, lib. 7. p. 1. c. 14. 15. 16. & 23. Verùm me cum illis aliquando agente, & errores ab isto Scriptore memoratos eis obijciente, haud omnes admittebant. Dicitur eos negare auricularem confessionem Sacerdoti:

doti: sed hoc credo esse, quia rarò illam faciunt, nec frequentant. Alioquin enim, vt ipsi dicunt, sua confitentur peccata. Ab eisdem etiam accepi, ipsos credere, die Dominica omnes qui in pœnis detinentur, etiam in inferno, ab illis quiescere. In Missæ sacrificio panem adhibent fermentatum, sale & oleo mistum: quinque siquidem volunt inueniri in materia consecrationis Corporis Domini, primò farinam triticeam, deinde aquam, tertiò fermentum, quartò sal, quintò oleum. In calicem simul vinum & aquam infundunt.

Modus quo se signant Iacobitæ, illiusq; varie.

Quando Iacobitæ se signo Crucis signant, partim conueniunt, partim differunt à Latinis. Conueniunt, quia illud faciunt, protrahentes manum à fronte ad vmbilicum, deinde ascendunt ad sinistrum humerum, & in dextro terminant. Sed differunt in verbis, dicunt enim: *Verbum Patris descendit in vterum Mariæ Virginis, & à læua ad dexteram nos transtulit.* Adhæc non tribus digitis vel tota manu, vt nos, se signant, sed vnico eoque indice digito, duplicem hæresim indicantes. Prima est, in Christo vnicam esse naturam, voluntatem & operationem. Secunda, vt in vnico digito tres articuli sunt, ita dicunt, non solum Filium, sed & Patrem & Spiritum sanctum in vterum Virginis descendisse, & ex ea carnem sumpsisse.

CAPVT XLVIII.

De Georgianis siue Iberis, & eorum erroribus.

Georgiani qui, & quare sic dicti.

GEorgiani sunt ij, quos Iberos appellant Cosmographi, barbari sunt & bellicosi, habitantque in interiori Armeniæ parte Septemtrionem & Euxinum versus. Georgiani appellantur à D. Georgio, secundùm quosdam, quia iste Armenos Iberosque ad Christi fidem perduxit. Eum vt præcipuum patronum colunt, & in suis prælijs contra paganos velut signiferum & propugnatorem magno honore venerantur, insigne illius contra hostes deferentes. Ruffinus tamen & Sozomenus lib. 2. cap. 6. & 7. & pòst Nicephorus lib. 8. cap. 34. dicunt, miraculosè ad Christum eos fuisse adductos, exemplo, sanctitate & persuasione cuiusdam captiuæ mulieris, circa annum Domini 315. sub Siluestro Papa & Constantino Imperatore. In omnibus ferè cum Græcis conueniunt, & Græci etiam dicuntur: ideoque non mirum, si perinde atque illi à Catholica Ecclesia & fide separati sint. Ierosolymis olim admodum prævalebant, hinc plura sibi sancta loca inuste vsurparunt, sed ad pauperiem redacti, alijs ea Græcis concesserunt. Extra Ierosolymam habitant in Conuentu & Ecclesia sanctæ Crucis. Plura de his videre potes in Opere de Propaganda salute omnium gentium, lib. 7. par. 1. cap. 21. ibique citatis Auctoribus.

CAPVT XLIX.

De Cophtis siue Ægyptijs, & eorum erroribus.

Cophti qui.

COphti, qui & *Aegyptij* & *Christiani præcinctura* vulgò appellantur, & præcipue in Ægypto habitant, Alexandrino subditi Patriarchæ, viri sunt maximæ abstinentiæ. Olim circumcidebantur omnes, ac ideò *Cophti*, id est, *circumcisi* appellati sunt, & hunc vsque in diem adhuc *circumcisi* dicuntur, etsi non omnes, vt ipsi asserunt. Quasi Apostolus non dixerit, *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet*, Galat. 5, 6. & Moysaica lex euacuata non sit per Euangelij publicationem.

In Hymno Trisagio addunt illa verba, *qui crucifixus est pro nobis*, in hunc modum dicentes: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, qui crucifixus est pro nobis, miserere nobis.* Et hunc Hymnum *Trisagium* Græci appellant, quòd in eo Deus ter *sanctus* nominetur.

Trinitatem passam fuisse indicant.

Verùm non licere pòst trinam illam nominationem addere illa verba, sub graui pœna interdicitur in Concilio Constantinopolitano VI. vbi sancti Patres dicunt: *Quoniam nouimus, in quibusdam locis in Trisagio acclamari pòst illud, Sanctus, immortalis, qui crucifixus pro nobis, miserere nobis; nos, cum antiquis Patribus statuentes, anathematizamus eos, qui deinceps talem susceperint vocem in Ecclesia, vel alias ter sancto Hymno apponentes. Si transgressor fuerit Sacerdos, deponatur: si laicus, excommunicetur.* Sed alij etiam eodem inuoluuntur errore. De natione Cophta, & illius erroribus, lege in Opere de Propaganda salute, lib. 7. par. 1. cap. 5. 6. & 23.

CAPVT L.

De Abyssinis siue Aethiopibus, & eorum erroribus.

Abyssini Baptismo circumcisionem & vestium addunt.

AByssini, populi sunt in Æthiopia habitantes, vnde & *Aethiopes* appellantur, nigri aspectuque viles & contemptibiles: qui non contenti Baptismo & circumcisione, igne etiá initiantur, eò quòd Christus non solùm fuerit baptizatus & circumcisus, sed etiam in die Pentecostes in linguis igneis Spiritum sanctum super Apostolos miserit,

illeque ſimiliter in primitiua Eccleſia ſuper credentes ea in forma deſcenderit. Iſti ſubduntur Presbytero Ioanni.

De iſtis ſub alijs nominibus ſic locutus fuit Brocardus: *Nubiani & Tabiani dicunt, ſe, ſiue maiores ſuos, fidem ſuſcepiſſe à ſancto Matthæo, ab eoq; baptizatos, & Baptiſmi modum ab eo recepiſſe, quem hodie inuiolabiliter ſeruare contendunt, innitentes huic auctoritati: Ipſe baptizabit in Spiritu ſancto & igne. Nam cùm baptizantur, cum calido ferro crucem inurunt facici, aut alteri corporis parti. Et hi deuotiores inter omnes Orientales habentur.*

Multùm pœnitentes ſunt.

Pauci ex iſtis habitant Ieroſolymis; & quantum viſu & auditu obſeruare potui, admodum ſunt continentes, paruoque contenti cibo, vocales laudes frequentant, ita vt in ſanctiſſimo Sepulchro Domini vnus aliquando bonam noctis partem in Pſalmis Æthiopica lingua decantandis inſumpſerit, & nocte etiam abſque culpa pollutus, nec ſactatiſſimi Sepulchri Sacellum ingredi auſus fuerit, & à ſuis lampadibus accendendis abſtinuerit, quas alius incendebat, ne eo honore priuarentur loca ſancta. Iſti accendunt ſanctum (ſiue meliùs, profanum) ignem in ſero Sabbati ſancti; hocque eſſe ſuum priuilegium, à Turca ſibi conceſſum, aſſerunt, quoniam ex illorum regione venit & creſcit Nilus, quo tota Ægyptus irrigatur & fecundatur, & ne illorum Princeps detineat aquas. Inſuper qui ex ipſis Ieroſolymis habitant, aut eò veniunt, à Turcico tributo immunes ſunt. De Abyſſinis, & eorum erroribus, præter alios, lege quæ notauit Auctor Operis de Propaganda ſalute, lib. 7. p. 1. à cap. 7. vſque ad 13.

CAPVT LI.

De Neſtorianis ſiue Chaldæis, & eorum erroribus.

Neſtoriani qui, & quare ita dicti.

NEſtoriani populi illi appellantur, qui errores Neſtorij amplexi fuerunt: quorum aliqui cùm illos deteſtati fuiſſent, & abiuraſſent, Romanæ Eccleſiæ reconciliati, relicto abominabili & execrando Neſtorij nomine, à Chaldæa regione & lingua *Chaldæi* appellantur.

Neſtorius quis fuerit.

Fuit Neſtorius ex Germanicia vrbe Syriæ ortus, qui litteris à pueritia deditus, multum in eis profecit, & Antiochiæ ſtuduit; & ad annos diſcretionis cùm peruenisſet, factus fuit Monachus S. Baſilij, & poſteà Sacerdos ordinatus. Et cùm eo tempore Eccleſia Conſtantinopolitana paſtorem non haberet, Clerus ac populus, cognoſcens prudentiam, facundiam, doctrinam ac ſanctitatem Neſtorij, eum in Epiſcopum elegit: & ordinatus anno ſalutis 428. quarto Idus Aprilis, orationem in Eccleſia habuit coram Imperatore Theodoſio Iuniore, eum aduerſus hæreticos commouens, & ſic dicens (vti refert Caſſianus lib. 7. de Incarnatione) *Mihi, ô Imperator, terram hæreticis purgatam tribue, & ego tibi cælum retribuam.* Quare apud Cæleſtinum I. Papam multi Orientales Epiſcopi, & præcipuè Cyrillus Alexandrinus, vitam eius, mores, & doctrinam ſummis laudibus extulerunt. Nec diu tamen durauit: nam infelix ſubitò ex paſtore lupus factus eſt; & Chriſti gregem dilacerare cœpit, multarum hæreſum inuentor & reſtaurator effectus. Qui ſæpiùs admonitus vt ab illis abſtineret, eoſque deteſtaretur, ſeque ad meliorem frugem reciperet, ille tamen in ſuis erroribus obſtinatè perſeuerans, iuſſu Cæleſtini Papæ in Concilio Alexandriæ celebrato, & poſteà in altero Epheſino condemnatus fuit, & de ſua ſede pulſus exul abijt, & ob ſæpè mutata exilij loca multas infirmitates ſuſtinuit, demum ad extremas Thebaidis oras, lingua tota vermibus exeſa, & toto computreſcente corpore, miſerrimè in infernum deſcendit anno ſalutis 437. ſub Sixto III. huius nominis Papa, & Theodoſio Iuniore Romanorum Imperatore.

Infelix vita & mor. Neſtorij.

Inter alias hæreſes quas impius iſte diſſeminauit, illa peculiaris memoratur inodium Chriſti & eius ſanctiſſimæ Matris, B. Virginem Mariam purum hominem peperiſſe, qui non ſolùm naturam, ſed etiam perſonam humanam habebat; ac proinde ſanctam Virginem non eſſe Dei, ſed Chriſti genitricem: & natiuitatem, paſſionem, reſurrectionem, & aſcenſionem ſoli homini tribuendam, docuit. Addidit poſteà, Dei Filium vnitum fuiſſe filio hominis multis modis, non ſubſtantialiter & hypoſtaticè, ſed accidentaliter, vt per habitationem, per voluntatem & amorem, per operationem, & per participationem. Et hanc fuiſſe Pauli Samoſateni hæreſim, cuius Neſtorius nepos fuit, vt Suidas teſtatur, quidam opinantur. Hæc hæreſis multùm infecit Orientem, non ſolùm tempore Neſtorij, ſed multò ampliùs poſt illius mortem per Petrum Gnaphæum & alios illius ſectatores; ita vt ſectam fecerit quæ adhuc durat, licet non ſemel plures ex ea Romanæ Eccleſiæ fuerint reconciliati.

Mariam Virginem puri hominis matrem impiè docebat.

Contra hunc Neſtorij errorem ſcribunt Bellarminus Tomo 1. lib. 3. de Incarnatione Chriſti, cap. 5. 6. & 7. Caſtro tit. Chriſtus, Hæreſi 3. Theologi in 3. Sentent. & ad 3. Par. S. Thomæ. Vide plura in Opere de Propaganda ſalute omnium gentium, lib. 7.

lib. 7. p. 1. c. 1. 2. 3. 30. & 31. & in libro Petri Strozzæ, cuius titulus *De dogmatibus Chaldæorum*. Multùm pro illorum conuersione laborauit & passus est P. F. Thomas à Nouaria ex commissione Summi Pontificis Pauli V. sed etsi quidam perstiterint in obedientia S. Romanæ Ecclesiæ, multi nihilominùs ad propria conuersi, ad damnatos errores, & superstitiosos ritus reuertuntur.

De ritibus & dogmatibus Chaldæorum plura hîc possem subijcere, cùm circa tres annos illorum reductioni ac saluti spirituali in ciuitate Alepi & in Mesopotamia insudauerim, ac ideò, quantum licuit, studuerim, vt illi mihi cogniti essent; sed modò supersedeo, quoniam integrum Tractatum de eisdem conscripsi, qui pro illorum reductione ad sanctæ Ecclesiæ vnionem, Deo opem præbente, non parum conducet.

CAPVT LII.

De abstinentia & ieiunio Orientalium nationum.

Videatur S. Anastasius Sinaita quæst. 64.

COmmendata fuit semper Ecclesia Orientalis, & prælata Occidentali, in externa corporis maceratione, seueriori abstinentia, & obseruantia ieiunij: quare non iniucundum futurum arbitror, si aliqua de abstinentia & ieiunio Orientalium nationum disseruero. Duo itaque nunc præstabo: alterum erit, videre quale fuerit ieiunium antiquitus in Orientali Ecclesia obseruatum; alterum, qualenam sit illud quod hodie obseruat, quantaque sit illorum Orientalium abstinentia.

Ieiunium dupliciter accipitur, Primò, pro parsimonia cibi:

Pro primi intelligentia, duo aduerto, Primum, ieiunium, inter alias eius acceptiones, posse accipi dupliciter: vno modo, pro quadam cibi parsimonia & moderatione, quo modo accepisse videtur Isidorus, dum dixit, ieiunium esse parsimoniam victus, abstinentiamque ciborum, quam & ipsi Philosophi sola naturali ratione probarant, atque etiam eorum aliqui obseruarunt: de qua S. Hieronymus lib. 2. Aduersus Iouinianum.

Secundò, pro ieiunio Ecclesiastico.

Alio modo sumitur propriè pro ieiunio Ecclesiastico, & diffinitur, *abstinentia cibi secundùm Ecclesiæ regulam assumpta*. Regula autem assignatur triplex, quarum prima est, vt ieiunans semel tantùm in die cibum sumat; altera, vt vna illa refectio sit cœna, non prandium; tertia, vt habeat ciborum delectum, præsertim abstinendo à carnibus. Ita docent Theologi in 4. dist. 15. D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 6. 7. & 8. Bellarminus Tom. 3. lib. 2. De bonis operibus in particulari, & qui Summas casuum conscientiæ cõscripserunt.

Ieiunium Ecclesiasticum, Quadragesimale & non Quadragesimale.

Secundum Notandùm est, ieiunium in secunda acceptione sumptum, in genere duplex esse, Quadragesimale, & non Quadragesimale, vt Quatuor Temporum & Vigiliarum; & illud isto magis celebre, & cum maiori seueritate obseruandum, tum quoad tempus comedendi, tum quoad delectum ciborum. Quantum ad tempus quidem, quia in Quadragesima post vesperas cibus sumitur; sed extra, hora nona. De illo sic S. Basilius Orat. 1. de Ieiunio: *Expectas vesperas vt cibum capias*, &c. De isto S. Epiphanius in fine librorum Aduersus hæreses, *Quarta*, inquit, *& pro Sabbato ieiunium statutum est vsque ad horam nonam*. Lege de hoc plura apud Bellarminum loco citato, cap. 2. Quam consuetudinem obseruandam esse indicauit Romana Ecclesia, dum in solo tempore Quadragesimæ post decantatas Vesperas docet cibum sumere.

Similiter etiam quoad ciborum delectum: de ieiunio enim Quadragesimæ, loco vltimo adducto, inquit S. Thomas: *Inter alia ieiunia, solemnius est Quadragesimale ieiunium, tum quia obseruatur ad imitationem Christi, tum etiam quia per ipsum disponimur ad redemptionis nostræ mysteria deuotè celebranda. Et ideò in quolibet ieiunio interdicitur esus carnium. In ieiunio autem Quadragesimali interdicuntur vniuersaliter etiam ona & lacticinia. Circa quorum abstinentiam in alijs ieiunijs diuersæ consuetudines existunt apud diuersos, quas quisque obseruare debet, secundùm morem eorum inter quos conuersatur. Vnde Hieronymus dicit, de ieiunijs loquens: Vnaquæque prouincia abundet in suo sensu; & præcepta maiorum, leges Apostolicas arbitretur.*

Art. 4. ad 3.

D. Hieron. in Epist. ad Lucinũ tom. 1.

Ieiunij duplici modo accepti antiqui Orientales obseruantissimi.

His præmissis dico, antiquos illos Ecclesiæ Orientalis fideles abstinentissimos fuisse, & secundùm vtramque ieiunij acceptionem ieiunasse plurimum. Et vt omittamus, ad huius probationem, exemplum D. Ioannis Baptistæ, cuius vita fuit perpetuum ieiunium, & continua abstinentia, in qua non solùm à lautitijs se abstinebat, sed etiam ab omni cibo & potu quo ordinariè vescuntur homines, locustis & melle siluestri contentus, vt dicitur Matth. 3. & hausto aquæ frigidæ, vt docet Ecclesia; S. Petrus Apostolorum Princeps pænè semper ieiunans, nihil aliud sumebat in cibum, nisi lupinos minuto asse veneuntes, vt scribit Gregorius Nazianzenus in Oratione De pauperum amore. Sanctus Matthæus Apostolus oleribus, baccis; & seminibus, non autem carnibus vescebatur, teste Clemente Alexandrino lib. 2. Pædagogi cap. 1. Sanctus Iacobus etiam Apostolus à carnibus & vino abstinebat, vt Eusebius scribit lib. 2. Hist. c. 22.

S. Ioannis Baptistæ abstinentia:

S. Petri

S. Matthæi

S. Iacobi:

Et

S. Timoth. Et S. Timotheus ordinariè à vino abſtinebat, vt ex illis Apoſtoli verbis 1. Tim. 5, 23. dijudicari poteſt: *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.*

Alexandrinorum Marci diſcipulorum, & aliorum ieunia.

Primi illi Chriſtiani, qui apud Alexandriam à S. Marco erudiebantur, ad veſperam tantùm cibum ſumere, & à carnibus & vino abſtinere ſolebant, vt ex Philone referunt Euſebius lib. 2. Hiſtor. cap. 17. S. Epiphanius Hæreſi 29. quæ eſt Nazaræorum, & S. Hieronymus in lib. de Viris illuſtribus, in Philone. Idem Philo de Vita theorica ſupplicum ſcribit, viros illos adeò amaſſe ieiunium, vt aliqui triduum, aliqui ſextiduum ſine cibo tranſmitterent. Item de Chriſtianis ſcribit Lucianus in Philopon. ſic ſolitos eſſe ſeruare ieiunium, vt decem ſoles ſine cibo tranſigerent. & S. Gregorius Nazianzenus ad Hellen. de habitantibus Ponticam ſolitudinem Monachis ſcribit, complures à cibo abſtinere conſueuiſſe totos viginti dies, totidemque noctes.

Alios item Auguſtinus Epiſt. 86. ad Caſul. ſe nouiſſe tradit, qui vltra hebdomadam perpetuum ſeruaſſent ieiunium: imò & ad ipſum quadragenarium numerum peruenifſe quemdam, à fratribus fide dignis ſe accepiſſe. S. Epiphanius in Compendiaria doctrina, quæ habetur in fine librorum Aduerſus hæreſes, teſtatur, multos fuiſſe, qui ſponte abſtinerent à carnibus per totum annum; ſed in hebdomada quæ ſanctum Paſcha præcedit, totam Eccleſiam perſeuerare ſolitam in eſu ſiccorum, & quoſdam nonniſi poſt Solis occaſum ieiunium ſoluiſſe, alios biduum aut triduum, aut integram hebdomadam ſine cibo traduxiſſe. Similia referunt S. Hieronymus in Epiſtol. ad Marcellam de Laudibus Aſellæ, & S. Auguſtinus lib. 1. De moribus Eccleſiæ, cap. 33. S. Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium De cuſtodia virginitatis ſcribit, apud multos Anachoretas continua per totum annum fuiſſe ieiunia, & à vino & carnibus abſtinentiam. S. Baſilius Orat. 2. de Ieiunio ſcribit, pueros quoque, & viatores, & omnes omnino homines edictum ieiunij ſuſcipere. Nec ſolùm à carnibus, & ijs quæ ex lacte conficiuntur, ſed etiam à vino & piſcibus in Quadrageſima Orientales Eccleſiæ ieiunare ſolebant, vt ex eodem Baſilio in Orationibus de Ieiunio, ex Chryſoſtomo in primis Homilijs in Geneſim, ex Catecheſibus Cyrilli, & Epiſtolis Paſchalibus Theophili, poteſt intelligi. Denique maximam fuiſſe illorum Orientalium abſtinentiam, hiſtoriæ Antonij, Hilarionis, & aliorum ſanctorum Patrum & Eremitarum oſtendunt.

Quadrageſimam verò non omnes vniformiter, quantum ad numerum dierum, obſeruabant: illud tamen manifeſtum, omnes vel quadraginta vel ferè quadraginta, vt triginta ſex, ieiunari ſolitos. Vide Bellarminum loco citato cap. 15. & Cardinalem Baronium Tomo 1. Annal. ſub anno Chriſti 52.

Præſentis tempeſtatis Orientales conueniunt, & differunt in ſuis abſtinentijs.

Pro ſecundi explicatione dico, hiſce temporibus Orientales iſtas nationes, tam Catholicas quàm ſchiſmaticas, tam Eccleſiaſticos Regulares, vel ſæculares, quàm ſimplices laicos & ſæculares, in ieiunijs & abſtinentijs in aliquibus conuenire, & in aliquibus differre.

Omnes ieiunant Feria quarta & ſexta.

Conueniunt omnes in abſtinentia à carnibus, ouis & lacticinijs, Feria quarta & ſexta: ſemper enim à dictis cibis abſtinent ijs diebus, paucis quibuſdam exceptis, vt notabimus. Et meritò; quia antiquitatem ſequi profitentur, & nullum eſt ieiunium poſt Quadrageſimale, cuius maior inueniatur mentio apud veteres, quàm Feriæ quartæ & ſextæ, vt notauit Bellarminus loco citato cap. 17. Meminit huius ieiunij Canon Apoſtolorum 68. Ignatius in Epiſtola ad Philippenſes, Tertullianus in libro de Ieiunio, Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat. vltra medium, Origenes Homil. 10. in Leuit. Epiphanius in Compendiaria doctrina, Hieronymus in cap. 4. ad Galat. Auguſtinus in Epiſt. 86. ad Caſulanum, Palladius in Hiſtoria Lauſiaca cap. 52. & alij paſſim, & comprobat Leo IV. Pont. Max. vt videre eſt apud Gratianum de Conſecrat. diſt. 3. cap. De eſu carnium.

Ratio inſtitutionis ieiunij Feria quarta & ſexta.

Cauſa huius inſtitutionis & obſeruantiæ eſt, quia illis hebdomadæ diebus ſingulariter fit mentio Dominicæ paſſionis, quandoquidem Feria quarta Dominus proditus ac venditus fuit, ſexta crucifixus & mortuus. Ita Clemens lib. 5. Apoſtol. conſtit. cap. 16. & S. Auguſtinus Epiſt. 86. & oſtendit Gratianus citata diſt. ex Innocentio Papa, dicens: *Ieiunia ſanè legitima in quarta & ſexta Feria non ſunt ſoluenda, niſi grandis aliqua neceſſitas fuerit; quia quarta Feria Iudas traditionem Domini cogitauit, ſexta Feria crucifixus eſt Saluator. Videbitur ergo, qui in his diebus ſine neceſſitate ſoluerit ſtatuta ieiunia, vel cum tradente tradere Saluatorem, vel cum crucifigentibus crucifigere,* &c. Pro Feria quarta aliam ex Aſcenſione Dominirationem dat Epiphanius, quia illucęſcente ea Dominus fuerit aſſumptus: *Quod* (ait Bellarminus) *non ſatis conuenit cum traditione Aſcenſionis Domini.*

Dicunt Orientales, ideò ſe Feria quarta ieiunare, quia tunc claui, quibus cruci Dominus noſter fuit affixus, elaborati fuerunt, & diſcipuli ex tali nuntio triſtitia affecti: ſed

quam

quam probabilitatem habeat hæc ratio, tu conſidera.

Addit autem Epiphanius, per hoc ieiunium impleri quod Dominus ait Mat. 9, 15. *Venient autem dies cùm auferetur ab ijs ſponſus, & tunc ieiunabunt.* Nam etiamſi hoc dictum impleatur per Quadrageſimale ieiunium, ſecundùm Tertullianum in libro de Ieiunio, non eſt tamen abſurdum, ſi per ieiunium quoque Feriæ quartæ & ſextæ impleri dicatur, cùm tam ieiunium Quadrageſimæ, quàm Feriæ quartæ & ſextæ, ad paſſionem Domini, per quam ablatus fuit à nobis ſponſus, ſine dubio referatur.

In natiuitate Domini non ieiunandū, niſi ſit ſpeciale mandatum.

Addit adhuc Epiphanius, ſi feſtum Natalis Domini in Feriam quartam aut ſextam inciderit, neque eſſe ieiunandum, neque à carnibus abſtinendum, niſi fortè ratione voti aliquis ad ieiunium aut abſtinentiam obligetur. Et ita obſeruatur ab his Orientalibus, & etiam nonnullis alijs quartis & ſextis Ferijs per annum, vt poſtea videbimus.

Sabbatis & Dominicis diebus non ieiunant, præter Sabbatum ſanctum.

Diebus Dominicis & Sabbatis (Sabbato ſancto excepto) numquam ieiunant, nec quando faciunt ſuas Quadrageſimas; in ijs enim abſtinent quidē à carnibus, ouis, & aliqui à piſcibus, ſed bis comedunt in die. Alio autem tempore etiam carnes comedunt, niſi aliquâ Regulâ & voto ſit illis interdictum.

Monachi regulariter carnes non comedunt, nec aliqui eius veſcuntur.

Monachi omnes Orientales regulariter ſecundùm ſua ſtatuta numquam carnes comedunt, pauci aliqui nec oua & lacticinia, vt apud Græcos illi qui *Megaleſchimi* appellantur, qui illis dumtaxat cibis, quibus in Quadrageſima veſci licet, toto anni tempore contenti ſunt: ſed hi pauci ſunt, vt ab ipſis intellexi.

Patriarcha & Epiſcopi à carnibus abſtinent, non item ſæculares Presbyteri.

Patriarchæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi omnes ferè à carnibus abſtinent, ſunt enim monachi: Presbyteri verò ſæculares carnibus & alijs, vt alij ſimplices ſæculares, veſcuntur.

Plures faciunt Quadrageſimas, extra quas vix ieiunant, in quorum obſeruantia partim conueniunt, partim differunt, nec ad illarum obſeruantiam æqualiter obligantur. Maiorem Quadrageſimam omnes, vt par eſt, maiori obſeruantia, & quantum ad tempus comedendi, & quantum ad delectum ciborum, cuſtodiunt; vt ſtatim apparebit dum de ſingulis agemus, prout à quibuſuis nationibus cuſtoditur. Et primò videamus, quas Quadrageſimas obſeruent Maronitæ, & deinde quas aliæ nationes.

CAPVT LIII.

De abſtinentijs & Quadrageſimis quas antiquitus obſeruabant Maronitæ.

DVm ergo loquimur de abſtinentijs: & Quadrageſimis Maronitarum, placet tractare primùs de illis quas antiquitus obſeruabant, vſque videlicet ad annum Domini 1600. circiter; & poſteriùs de illis quas deinceps aſſumpſerunt, ex quo, quantum fieri poteſt, ſuo ritu retento, ſtudent ſe conſuetudini & ordinationibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ conformare.

Antiquitùs itaque Maronitas obſeruaſſe Quadrageſimas, ab eorumdem ſenioribus accepi; quas & aliqui vſque in præſentem diem ex deuotione cuſtodiunt. Prima, & maior, ante Paſcha; ſecunda, ſanctorum Apoſtolorum; tertia, Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis; quarta, Exaltationis ſanctæ Crucis; quinta, Natiuitatis Domini noſtri; ſexta, Niniues, vel Ionæ.

Quadrageſima prima ante Paſcha, & eius ritus.

Primam & maiorem ante Paſcha ſic obſeruabant. Primò, ea hebdomada quæ Quadrageſimam illam præcedit, id eſt Sexageſimæ, à carnibus abſtinebant, reliquis cibis & vino veſcentes, vſque ad Feriam ſecundam Quinquageſimæ. Secundò, à Feria ſecunda Quinquageſimæ vſque ad Paſcha Reſurrectionis, in hunc modum ieiunabant. Non carnes, non oua lacticiniaue, nec piſces manducabant, nec vinum bibebant; & hoc poſterius de vino cauendo adeò ſtrictè obſeruabant, vt ſatius eis fuerit, poculum lactis, quàm quidpiam vini bibiſſe: ſimplicioribus cibis & aqua contenti erant, & ſemel tantùm de die, nimirum poſt veſperas, cibum ſumebant. Die Dominica Palmarum, in Feſto Quadraginta Martyrum Armeniæ, & in Feſto Incarnationis Dominicæ vinum bibebant, piſces tamen non comedebant: in reliquis ieiunium non cuſtodiebant. Feriâ quintâ Hebdomadæ ſanctæ hoc idem, ſed cum vino, obſeruabant.

A Paſcha vſque ad Pentecoſten nullum cōmuniter apud Maronitas ieiunium.

A Paſcha vſque ad Aſcenſionem Domini, imò vſque ad Pentecoſten, ſemper carnes comedebant, & vinum bibebant, etiam Feria quarta & ſexta, ea ratione, quòd tum adhuc in mundo eſſet Saluator noſter, propter verba illa quæ ipſe Dominus dixit ad diſcipulos Ioannis, quando ab eo quæſierunt, quare eius diſcipuli non ieiunarent, vt ipſi & Phariſæi: *Numquid*, dixit, *poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt*, Matth. 9, 15. Aliqui ieiunabant hebdomadâ ante Pentecoſten.

Notandum, ſpatio interlabente inter Paſcha Reſurrectionis & Pentecoſten, non eſſe ieiunandum, ob illius temporis vniuerſalem lætitiam, niſi fortè aliqua rationabili exiſtente cauſa, vt ex communi Patrum conſenſu tradit Bellarminus vbi ſuprà c. 23. Ad hæc, adducta illa Saluatoris verba de ablatione ſponſi, intelligenda eſſe de paſſione

sione Domini, per quam ablatus fuit à nobis ipse Christus, communis erat sensus Christianorum, ac ideò in illius memoriam dicebant se obseruare Quadragesimam, vt anteà diximus ex Tertulliano. An autem aptari possint vel debeant ad tempus Ascensionis Domini, de quo lætandum maximè erat, tum propter eius gaudium, tum propter nostrum commodum, quòd exaltatus ad dexteram Patris, eum interpellet pro nobis, & mittat nobis Spiritum sanctum, non video. Ego non illuc aptarem, ne Montanistis fauere videret, qui, vt scribit S. Hieronymus in Commentario ad cap. 9. Matthęi, illa intelligebant de Ascensione Domini, & illorum occasione instituerunt vnam Quadragesimam ieiuniorum post Ascensionem Domini, quòd in ea ablatus esset sponsus. Sed sancta Ecclesia à Spiritu sancto melius edocta refragatur, ablationem sponsi, passionem eius & mortem interpretans, quæ & ideò illius vice maiorem instituit Quadragesimam. Ieiunare tamen post Ascensionem, non quidem illo Montanistarum intuitu, sed ob deuotionem, & vt magis dispositi simus ad recipiendum Spiritum sanctum in Pentecoste, & ad eius solemnitatem sanctius celebrandam, laudabile est, & cum fructu multi eo tempore ieiunant. Et eadem ratione antiquitus Maronitas ieiunasse credendum est.

Secunda Quadragesima, Apostolorum.

Secunda Quadragesima erat sanctorum Apostolorum, incipiebatque Feria secunda post Dominicam Trinitatis, & durabat vsque ad festum Apostolorum Petri & Pauli, siue multi, siue pauci dies intra illud spatium intercurrerent. In ea à carnibus, ouis & lacticinijs abstinebant, pisces tamen & alia comedebant, & vinum bibebant; ante meridiem non comedebant, sed bis in die cibum sumebant.

Tertia, Assumptionis B. Mariæ.

Tertia erat Assumptionis B. Mariæ Virginis. In ista ieiunabant diebus quatuordecim ante festum Assumptionis eiusdem, vt in præcedenti Apostolorum Quadragesima. Vigiliam Transfigurationis Domini, vt in maiori Quadragesima, ieiunabant; in Festo ipso carnes comedebant, etsi in diem Mercurij vel Veneris incidisset.

Quarta, S. Crucis.

Quarta erat S. Crucis. Erat ista vnius hebdomadæ, vel trium dierum. Quàtum ad tempus comedendi, & ciborum delectum, similis erat Quadragesimæ Apostolorum: sed non omnes illam obseruabant, nec præcepta erat, etsi vt plurimùm obseruaretur.

Quinta, Natiuitatis Domini.

Quinta Quadragesima erat Natiuitatis Domini nostri IESV CHRISTI. In ea ieiunabant quadraginta diebus ante festũ eiusdem Natiuitatis, vt in illa Apostolorum. In Vigilia Natiuitatis ieiunabant vt in Quadragesima Paschæ, & similiter in Epiphania Domini.

Sexta, Ionæ.

Sexta & vltima Ionæ siue Niniues appellabatur. Ista erat trium dierum in hebdomada ante Septuagesimam, quæ exactissimè, vt maior Quadragesima, custodiebatur, imò amplius; quia plerique, & pueri & puellæ, in triduo illo nihil cibi sumebant, nisi quòd tertia dumtaxat die ob nimiam gutturis siccitatem in illorum ora instillaretur modicum aquæ dulcis, vel quid simile.

Accepi etiam ab eisdem senioribus Maronitis, antiquitus confirmandos exacto ieiunio ieiunare consueuisse diebus septem antequam sacro Chrismate in fronte ab Episcopo inungerentur & cõfirmarentur: & plerosque in illis nihil cibi sumere cõsueuisse, adeò vt tempore Chrismatis sustinere se præ debilitate non possent, & aliorum ope & fulcimento indigerent. Modò ab illis tale ieiunium non obseruatur, sed vt Latini Confirmationis Sacramentum ieiuni recipiunt, secundùm Canones Conciliorum apud Gratianum de Consecrat. dist. 5. can. Vt ieiuni.

Et hæc quidem sunt ieiunia Quadragesimarum, & abstinentiæ, quas & antiquitus & non multis ab hinc annis obseruabant Maronitæ. Videamus modò qualia nostris temporibus ipsis sint vsitata.

CAPVT LIV.

De Quadragesimis, ieiunijs & abstinentijs Maronitarum huius temporis.

MAronitæ à viginti & ampliùs annis, ex quo, suscepto Calendario Gregoriano, studuerunt se, quantum fieri potest, conformare sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aliquibus exceptis, omnes ferè veterem abstinendi modum relaxarunt: etsi non diffitear, quamuis ieiunia reformauerint secundùm Ecclesiæ Romanæ statuta & ordinationes, nonnullos & à veteri consuetudine haud recedere.

Patriarcha Maronitarum, & omnes Monachi à carnibus abstinent.

Maronitarum Patriarcha, & omnes eorum Monachi, toto anni tempore à carnibus abstinent, sed oua & lacticinia comedunt, excepto Quadragesimali tempore, & vinum bibunt. Archiepiscopi & Episcopi possunt carnes comedere, vt alij sæculares Presbyteri & laici, & ferè comedunt qui Romæ educati huc venerunt, & consecrati fuere Episcopi: à quibus tamen, vt plurimùm, qui his in partibus instructi sunt, abstinent. Et vtrique maiorem Quadragesimam, & alias, de quibus statim, secundùm consuetudinem Orientalium custodiunt.

Iisdem vescuntur Episcopi ac sæculares Presbyteri.

Quatuor obseruant Quadragesimas.

Quatuor ieiunant Quadragesimas, Primam & maiorem ante Pascha; secundam, Apostolorum; tertiam, Assumptionis beatæ Mariæ

Mariæ Virginis; quartum, Natiuitatis Domini. Feria quarta & ſexta à carnibus, ouis & lacticinijs ordinariè, ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ Orientalis abſtinent.

Prima, Paſcha. Primam maiorem Quadrageſimam incipiunt omnes, tam Eccleſiaſtici quàm laici, Feria ſecunda poſt Dominicam Quinquageſimæ, & continuant ieiunium vſque ad Paſcha. Semel in die comedunt omnes poſt veſperas, circa vigeſimam ſecundam vel vigeſimam tertiam horam, vt antiquitus. Carnibus & lacticinijs exceptis, oleum, piſces, & vinum cum benedictione ſumunt. A Paſcha vſque ad Pentecoſten numquam ieiunant, præterquam in Vigilia eiuſdem Pentecoſtes, & ſemper carnes comedunt, etiam diebus Mercurij & Veneris, & pro ipſis facit quod legitur diſt. 76. cap. Scire. & ſequenti.

Secunda, Apoſtolorum. Secunda Quadrageſima Apoſtolorum ſic obſeruatur. Quindecim diebus ante feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli, à decimo tertio videlicet vſque ad vigeſimam nonam Iunij excluſiuè, à carnibus, ouis & lacticinijs abſtinent, piſces & alios cibos bis in die ſumunt: Sacerdotes non niſi poſt meridiem prandent, vel circà; alij ſecundùm ſuam voluntatem.

Tertia, Aſſumptionis. Tertia Aſſumptionis B. Mariæ eſt quatuordecim dierum, à prima Auguſti vſque ad decimamquintam & feſtum Aſſumptionis. Obſeruatur vt præcedens Apoſtolorum, excepto quòd die quinta Auguſti ieiunent, vt in maiori Quadrageſima pro Transfiguratione Domini, & in ipſo feſto, quocumque die occurrerit, non ieiunent, ſed carnes comedant, vt antiquitus.

Quarta, Natiuitatis. Quarta & vltima Natiuitatis Domini diuerſimodè obſeruatur. Monachi ieiunant diebus quinquaginta ante feſtum Natiuitatis, vt in maiori: alij verò viginti, à die quarta Decembris vſque ad vigeſimamquintam, & ipſum feſtum, vt in Quadrageſima Apoſtolorum: in ipſa tamen Vigilia Natiuitatis ieiunant verè vt in maiori Quadrageſima; quod etiam obſeruant in Vigilia Epiphaniæ Domini.

Recentiores Maronitæ antiqua veſtra reformarunt ieiunia. Dixi, eos reformaſſe ieiunia ſua ad noſtras leges: antiquitus enim Maronitæ, vt ferè aliæ omnes Orientales nationes, poſt ſemel ſumptum cibum ſiue hora nona ſiue veſpertina, deinceps quoties eſſe offerebat occaſio comedendi, comedebant vſque ad mediam noctem: ex quo apparet, non perfectè ieiunaſſe ieiunio Eccleſiaſtico, quod in vnica comeſtione conſiſtit. Sed hoc reformatum credo ſecundùm Summi Pontificis præſcriptum. Et id ita eſſe, conſtat ex vna interrogationum illarum, quas Suæ Sanctitati Patriarcha Maronitarum propoſuit, vt refertur in Opere de Propaganda ſalute omnium gentium, lib. 7. par. 2. cap. 5. §. 8. vbi id quærit Patriarcha: *Num modus noſter ieiunandi eſt validus, qui ſic inſtituitur, vt toto die in ieiunio tranſacto, veſperi tamen interruptam cœnam in dormiendi vſque tempus protrahamus? Reſponſio, Conandum eſt vt ieiunium non multis interruptis comeſtionibus fiat, ſed vnica tantùm; id enim Eccleſiaſtico ieiunio neceſſarium eſſe, aſſerit D. Thomas 2. 2. quæſt. 147. art. 6. & Theologi reliqui in 4. diſt. 55.*

CAPVT LV.

De abſtinentijs, ieiunijs & Quadrageſimis Græcorum.

Patriarchæ, Epiſcopi & Monachi Græci ſemper abſtinent à carnibus. PAtriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Monachi Græcorum numquam carnes comedunt, benè oua & lacticinia, extra ieiunij & Quadrageſimæ tempus. Extra idem Quadrageſimæ tempus Sacerdotes vel ſæculares carnibus veſcuntur, exceptis ſanguine & ſuffocato, propter Canonem 1. Ieroſolymitani Concilij, quod habetur Act. 15. vt notauimus ſuprà Cap. XLII. Quatuor à Græcis omnibus obſeruantur Quadrageſimæ: prima maior, ante Paſcha; ſecunda, Apoſtolorum; tertia, Aſſumptionis B. Virginis Mariæ; quarta, Natiuitatis Domini.

Græcorum quatuor ſunt Quadrageſimæ.

Prima, Paſcha. Primam ante Paſcha ita obſeruant: à Feria ſecunda Sexageſimæ vſque ad Dominicam Quinquageſimæ, à carnibus abſtinent; ouis tamen & lacticinijs veſcuntur, vinumq; bibunt. A ſecunda verò Feria Quinquageſimę vſque ad Paſcha ieiunant in hunc modum: abſtinent non ſolùm à carnibus & lacticinijs, ſed etiam à piſcibus, quia ſanguinem & carnem habere dicunt, eorumque loco ouis piſcium, ſquillis, limacibus, cancris veſcuntur: comedunt item oleum, & alia huiuſcemodi, vinumque bibunt. Semel de die, idque ſerò, cibum ſumunt, vnica, vt intellexi, comeſtione contenti. Diebus quibus bis comedunt, ſolitis ieiunij veſcuntur cibis; in Dominica verò Palmarum, & Feſto Annuntiationis B. Mariæ Virginis, etiam piſces comedunt. Ex conſuetudine Epiſcopi & Monachi vinum non bibunt, exceptis Sabbati & Dominicæ diebus; ſed à paucis id obſeruari, ab eiſdem accepi. In Octaua Paſchæ ſemper carnes comedunt vſque ad Dominicam in Albis, deinceps vſque ad Pentecoſten non ieiunant, ſed Ferijs quartis & ſextis à carnibus & ouis abſtinent.

Secunda, Apoſtolorum. Secunda Apoſtolorum, incipit à prima die poſt Dominicam primam Pentecoſtes, & durat vſque ad Feſtum ſanctorum Apo-

ſtolorum Petri & Pauli. Vinum bibunt, vt etiam in alijs; piſceſque, & bis in die, comedunt.

Tertia, Aſſumptionis B. Mariæ. Tertia Aſſumptionis continuatur à prima die Auguſti vſque ad decimamquintam, quæ eſt Aſſumptionis. In iſta bis quidem de die comedunt, non tamen piſces, præterquam in feſto Dominicæ Transfigurationis, ſexta menſis eiuſdem die.

Quarta, Natiuitatis Domini. Quarta Natiuitatis Domini Quadrageſima obſeruatur ſpatio quadraginta dierum ante ipſum feſtum, ieiunaturque vt illa Apoſtolorum, ſed in Vigilia Natiuitatis cuſtoditur ieiunium vt in maiori Quadrageſima. A die Natiuitatis incluſiue vſque ad feſtum Epiphaniæ, ſemper carnes comedunt, etiam Ferijs quartis & ſextis.

Quadrageſimam illam Niniues, quam aliæ Orientis nationes ieiunant, Græci abominabilem ſuperſtitionē eſſe credunt; ideoque in eius deteſtationem totâ iſtâ hebdomadâ, qua à reliquis obſeruatur, ipſi carnes comedunt, etiam Feria quinta & ſexta.

CAPVT LVI.

De ieiunijs, Quadrageſimis, & abſtinentijs Iacobitarum.

Iacobitarum Quadrageſima quinque. QVatuòr Maronitarum vel Græcorum Quadrageſimis quintam addiderunt Iacobitæ ſiue Syriani, Quadrageſimam ſcilicet Niniues. Eas obſeruant vt ſequitur.

Prima, Paſcha. Primam ante Paſcha obſeruant vt Græci. A Paſchate verò vſq; ad Pentecoſten numquam ieiunant, & ſingulis diebus carnes comedunt; vt quot dies fuerunt in pœnitentia ante Paſcha, totidem in lætitia poſteà perfruantur.

Secunda, Apoſtolorum. Secunda Apoſtolorum, incipit prima die poſt feſtum Pentecoſtes, & durat vſque ad feſtum ſanctorum Petri & Pauli. In iſta bis de die & piſces comedunt.

Tertia, Aſſumptionis B. Mariæ. Tertia Aſſumptionis B. Mariæ Virginis ſimiliter obſeruatur vt præcedens Apoſtolorum, quatuordecim videlicet diebus ante feſtum Aſſumptionis. In feſto Transfigurationis carnes comedunt.

Quarta, Natiuitatis Domini. Quarta Natiuitatis eſt viginti quinque dierum ante illius feſtum, & tum bis in die & piſces comedunt.

Quinta, Niniues. Quinta Niniues, vel Ionæ, eſt trium dierum. Obſeruant eam vt maiorem, ſicut anteà diximus de Maronitis. In hebdomada ante Septuageſimam Feria ſecunda, tertia & quarta eam celebrant in memoriam pœnitentiæ Niniuitarum, creduntque, omnes qui eam obſeruant, liberandos eſſe ab omnibus malis (vt olim liberati fuerunt Niniuitæ ab imminente ſibi ruina) & ſuorum criminum plenariam indulgentiam conſecuturos: & ideò rigidiſſimi ſunt in illius obſeruantia. Cauſam inſtitutionis hanc fuiſſe intellexi à Neſtorianis, ſeu potius Chaldæis. Cùm in horum regione plurimum graſſaretur peſtis, nec finem reciperet, & iam innumeros deuoraſſet, quidam vir pius omnibus dictum conſuluit ieiunium; quo abſoluto, peſtis ceſſauit: & ab eo tempore, & deinceps ſemper, cuſtodierunt illud ieiunium, arbitranturque multum valere vt euitentur mala, & plurima acquirantur bona.

Ad Paſchæ, Aſſumptionis, Natiuitatis Domini, ac Niniues Quadrageſimas ſe teneri ex præcepto, docent.

Iidem porrò Iacobitæ, poſt Solis occubitum, Mercurij, Veneris, aliſque ieiuniorum diebus, quamprimùm ſtellam aliquam ſplendere conſpiciunt, quaſi dies ille etiam quantum ad ieiunium ſit terminatus, carnes comedunt, & ita toto anni tempore, Quadrageſimali excepto, lacticinia & carnes comedunt. His refragatur antiquitus recepta conſuetudo, & Eccleſiæ ſtatutum, quod dies ieiunij vel abſtinentiæ à carnibus definit à media nocte diei, in quo ieiunatur, vſque ad mediam noctem ſequentis diei; & ita obſeruandum eſſe, declarauit Leo IV. vt refertur à Gratiano de Conſecrat. diſt. 3. hiſce verbis: *De eſu carnium apud nos vetuſtiſſima & non improbata traditio ſemper eſt tenenda, vt à cœna termino, quæ fit in principio noctis quartæ Feriæ, quæ luceſcit in quarta Feria vſque ad diluculum quintæ Feriæ, & ſimiliter à cœna noctis ſextæ Feriæ, quæ luceſcit in ſexta Feria, non imperitè ieiunatio vſque ad Sabbati lucem, quantum de diei parte aliquis ieiunare maluerit, vel debuerit, protendatur.* Hactenus S. Pontifex Leo.

Poſt Solis receſſum carnes comedunt. Quadrageſima excepta.

Et in Sexta Generali Synodo Conſtantinopolitana Can. 89. vbi de die paſſionis Domini eſt ſermo, ita dicitur: *Qui dies ſalutaris paſſionis in ieiunio, & oratione, & compunctione cordis peragunt, oportet circa horam mediæ noctis magni Sabbati ieiunos eſſe: cùm Euangeliſta Matthæus & Lucas, ille per dictionem, Veſpere autem Sabbati, hic verò per Profundum diluculum, tarditatem noctis nobis deſcribant.* Quare illorum abuſus corrigendus eſſet.

CAPVT LVII.

De Chaldæorum ſiue Neſtorianorum abſtinentijs & Quadrageſimis.

Neſtorianorū Quadrageſima quinque. CHaldæi, aliàs *Neſtoriani*, totidem & eaſdem, ac Iacobitæ, Quadrageſimas cuſtodiunt. Primam & maiorem ante Paſcha incipiunt Dominica Quinquageſimæ, ſiue, vt ipſi loquuntur, Sabbato ipſius poſt captum

Prima, Paſcha.

captum ſomnum, quacumque hora capiatur, ſiue poſt Veſperas, ſiue poſt cœptam noctem. In ea numquam piſces comedunt, nec communiter vinum bibunt, non quidem lege, ſed conſuetudine ac præcepto ſuorum Præſulum: de alijs in ea ſemel ſerò comedunt. Hanc ſeueriſſimè omnes obſeruant, & plures ex ipſis per omnem hebdomadam, Dominica dumtaxat & Feria quarta cibum capiunt, & ita quatuordecim tantùm vicibus in Quadrageſima comedunt. A Paſcha vſque ad Pentecoſten nullum eſt apud ipſos ieiunium, tamen Feria quarta & ſexta à carnibus abſtinent, ouis & lacticinijs contenti.

Secunda, Apoſtolorum.

Secunda Quadrageſima eſt SS. Apoſtolorum. Hanc incipiunt Feria ſecunda poſt primam Dominicam Pentecoſtes, & ieiunium per dies quinquaginta protrahunt, vſque ad feſtum SS. Apoſtolorũ Petri & Pauli. Quòd ſi tot dies non intercedant inter dictam Dominicam & Apoſtolorum feſtum, transferunt feſtum vſque ad diem quinquageſimum. In iſta Quadrageſima Sabbato ac Dominicis non ieiunant, ſicut nec alio tempore; carnes comedunt, & vinum bibunt. Alijs diebus aliqui ex ipſis ſimiliter ac maiorem Quadrageſimam cuſtodiunt. Alij abſtinent tantùm à carnibus & lacticinijs, ſed alijs cibis pro libito veſcuntur.

Tertia, Aſſumptionis B. Mariæ.

Tertia Quadrageſima eſt Aſſumptionis B. Mariæ Virginis. Hanc incipiunt die prima Auguſti, & terminant die decimaquinta in eiuſdem Virginis Aſſumptione. In iſta nec carnes nec lacticinia comedunt, die feſto Transfigurationis Domini excepto, in quo liberum eſt ipſis iſta comedere, in reliquo illam vt maiorem obſeruant.

Quarta, Natiuitatis Domini.

Quarta eſt Natiuitatis Domini, eſtque vigintiquinque dierum ante ipſum feſtum, quam obſeruant vt præcedentem.

Quinta, Niniues.

De quinta Niniues & Ionæ iam diximus Capite præcedenti.

Et in iſtis Quadrageſimis nimiùm rigidi ſunt: nam non ſolùm viri & mulieres perfectæ ætatis & benè valentes eas obſeruant, ſed faciunt eaſdem obſeruari à pueris & infirmis, & Niniues præſertim.

Aliqui ex Chaldæis credunt, ſe poſſe inculpatè poſt Solis occaſum Feriæ quartæ & ſextæ carnes comedere, & comedunt; ſed non licere, anteà oſtendimus.

CAPVT LVIII.

De abſtinentijs, ieiunijs & Quadrageſimis Armenorum.

MVltas Quadrageſimas, & plures quàm aliæ Orientales nationes, cuſtodiunt Armeni: quas antequam referam, & illarum rationes, prout inuenire potui, proponam, tria aduerto. Primum, præter ea in quibus Armeni conueniunt cum alijs Orientalibus circa ieiunium à carnibus, lacticinijs & etiam piſcibus quarta & ſexta Feria, Patriarchas, Epiſcopos, & Presbyteros ſæculares, excepto ieiunij tempore, comedere, vt laici, lacticinia & carnes. Monachi aliqui ex eiſdem ordinariè comedunt, alij non: iſti tamen in die ſancto Paſchæ pauxillum carnis ob ſolemnitatem ſumunt.

Armeni Epiſcopi & Monachi carnibus veſcuntur.

Secundum Notandum eſt, Armenos octo cuſtodire ieiunia, quæ communiter Quadrageſimas appellant, quòd in ipſis Quadrageſimalibus veſcantur cibis. Primum dicitur Adæ & Ionæ; ſecundum, eſt ſolemne & Paſchatis; tertium, Pentecoſtes; quartum, Eliæ Prophetæ; quintum, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis; ſextum, Exaltationis S. Crucis; ſeptimum, Inuentionis particulæ S. Crucis; octauum denique, Iacobi, melius Epiphaniæ. Et in aliquibus iſtorum aliqua peculiaria includuntur ieiunia, vt videbimus.

Armenorũ octo Quadrageſimæ.

Tertium Notandum ſit, Armenos in memoratis ieiunijs partim conuenire, & partim differre. Conueniunt, quia in omnibus abſtinent ab ouis, lacticinijs, piſcibus, carnibus, vino & oleo. Differunt, quia in primo & ſecundo, ſemel tantùm de die & ſerò comedunt; & Sabbato & Dominica, licet bis comedant, non tamen lacticinia vel vinum ſumunt: ſed in alijs bis comedunt, & Sabbato & Dominica ex omnibus comedunt, & vinum bibunt, vt explicabimus.

Et quantum ad primum Adæ ſiue Ionæ ieiunium, illud eſt quinque dierum, duabus hebdomadis ante ſolemne Quadrageſimale ieiunium, hoc eſt hebdomada ante Septuageſimam, vocaturque Armenico idiomate *Aradziamut*, quaſi primum ieiunium, & hoc facere dicunt primò in memoriam ieiunij Adæ: arbitrantur enim, primum omnium parentem, eiectum è terreſtri paradiſo, Dei iuſſu quinque dierum ſpatio ieiunaſſe: ſecundò, quia idem ieiunarunt ſancti Patres, & inſignes illi Patriarchæ, Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, & alij, vſque ad conuerſionem Niniuitarum per Ionam Prophetam; & in iſto includunt etiam ieiunium Niniuitarum, quod in illius memoriam cuſtodiunt, & ideò etiam ieiunium Ionæ & Niniuitarum appellant.

Prima Quadrageſima, Adæ ſiue Ionæ.

Addunt, S. Gregorium magnæ Armeniæ Epiſcopum illud ſemper cuſtodiſſe, & vt cuſtodiretur mandaſſe, & ideò aliqui illius ieiunium appellant; vt alij, S. Georgij, quòd in fine illius, id eſt Sabbato, celebrent feſtum huius ſancti Martyris, etſi illius ieiunium non ſit: & die Veneris faciunt feſtum

S. Gregorij Epiſcopi magnæ Armeniæ fit commemoratio in Rom. Martyrol. die 30. Septemb. & ibidem in Notis Baronij, & in Annal. Eccleſ. Tom. 3. ſub anno Chriſti 312.

S. Ionæ Prophetæ. Accuratè satis omnes, etiam paruuli, hoc custodiunt ieiunium, ad minus vt magnum Quadragesimale, semel tantùm vespere comedendo cibos Quadragesimales absque vino; sed plures illis quinque diebus semel tantùm cibum sumunt.

Secunda, Paschæ. Secundum ieiunium est solemne Quadragesimale, omnibus Christianis in Ecclesia Dei commune, Pascha Domini immediatè præcedens. Hoc antiquitus erat apud eos decem hebdomadarum ante Pascha. Illud statim post præcedens Ionæ incipiebant, in quo diebus Sabbati & Dominica comedebant. Sed posteà iussu cuiusdam Episcopi Ierosolymitani, *Euriach Airabeth* nuncupati, quem ipsi vt Sanctum venerantur, incipiunt hoc ieiunium duabus elapsis hebdomadibus à præcedenti Adæ, hoc est, Feria secunda post Dominicam Quinquagesimæ. In fine istius, hoc est in Sabbato sancto, lacticinia comedunt, sed non carnes, & vinum bibunt serò, quando suspicari possunt, Ierosolymis in sanctissimo Domini Sepulchro ignem sanctum esse accensum. Hoc ieiunium Armenica lingua dicitur *Isnach*, id est Quinquagesima: & inter tria hic appellata, hoc primum locum tenet.

A Pascha vsque ad Ascensionem nullum apud Armenos ieunij. A Pascha vsque ad Ascensionem Domini non ieiunant, & diebus singulis carnibus vescuntur, arbitrantes tunc impleri quod Christus dixit discipulis Ioannis & Pharisæorum, ab eo scisscitantibus, *Quare discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant? Numquid*, respondit Christus, *possunt filij nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, ieiunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt ieiunare. Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus: & tunc ieiunabunt in illis diebus*, Marci 2, 18. Eamdem rationem reddunt alij Orientales de non ieiunando isto tempore, & notauimus superiùs Cap. LIII.

Tertia, Pentecostes. Tertium ieiunium, id est Pentecostes, est nouem dierum, hoc est ab Ascensione Domini & corporea ablatione sponsi, vsque ad Pentecosten: sed non omnes hoc custodiunt, plerique enim protrahunt dies lætitiæ à Pascha vsque ad Pentecosten, semper vescentes carnibus, lacticinijs, & vino.

Quarta, Elia. Quartum ieiunium, id est Eliæ, & *Isnach secundum* ab Armenis nuncupatum, incipit Feria secunda post Pentecosten, & protrahitur vsque ad quinquaginta dies, siue septem hebdomadas. In isto ieiunio comedunt bis in die Armeni, in Sabbatis & Dominicis lacticinijs & carnibus vescuntur, & vinum bibunt. Et hoc quidem ieiunium integrum, modo explicato, à Monachis & aliquibus alijs Ecclesiasticis & sæcularibus custoditur; sed non item ab omnibus laicis, sed in parte, vt sequitur. Primam hebdomadam verè ieiunant, & dicunt esse ieiunium Eliæ Prophetæ. Duabus verò sequentibus hebdomadibus carnibus vescuntur, quartam in numero ieiunant, & dicunt esse ieiuni ú S. Gregorij, quia in ista hebdomada incidit huius sancti Antistitis natalitia dies, & in ea singulis diebus huius Sancti commemorationẽ faciunt; quoniam circa tempus huius Episcopi, eiusdemq; operâ, Armeni Christi fidem susceperunt. Sequentibus duabus hebdomadibus vescuntur carnibus, & sequentem & extremam ex memoratis septem, ieiunant pro festo Transfigurationis Domini; & in tempore isto fit festum sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & ita in præmisso ieiunio etiam pro sanctis Apostolis ieiunant. Sabbato & Vigilia Transfigurationis ieiunant hoc modo: serò comedunt quidem lacticinia, vinum bibunt, sed à carnibus abstinent. Et ita in memoratis septem hebdomadibus, triplex est ieiunium vnius hebdomadæ pro quolibet ieiunio, ab ommbus obseruatum.

Operâ sancti Gregorij Episcopi Christianos se euasisse Armeni dicunt.

Quinta, Assumptionis B. Mariæ. Post præmissum tempus & ieiunium, excurrit tempus quatuor vel quinque hebdomadarum vsque ad Assumptionem B. Mariæ Virginis, & hebdomadam vnam ante festum ieiunant, & Sabbato festum præcedente à carne abstinent, sed non à lactitinijs & vino; ijs enim vescuntur serò. Et hoc est quintum ieiunium.

Sexta, Exaltationis S. Crucis. Post festum Assumptionis S. Mariæ Virginis indifferenter succedunt quatuor vel quinque hebdomadæ, & ex istis vnam ieiunant pro festo Exaltationis S. Crucis, & in ea etiam Sabbato ieiunant. Et hoc est sextum ieiunium.

Septima, Inuentionis particulæ S. Crucis. Post festum Exaltationis S. Crucis hebdomada vna nullum faciunt ieiunium, sed benè in sequenti, in cuius Sabbato non ieiunant. Et hoc erit illorum septimum ieiunium, quod obseruant in memoriam Inuentionis particulæ S. Crucis.

Ad cuius ieiunij, & præfatæ historiæ intellectum, sciendum est, Petroniam, vxorem Claudij Cæsaris, à D. Petro ad Christum conuersam, Ierosolymam adijsse adhuc viuente S. Iacobo Domini fratre, ab eoque particulam sanctæ Crucis obtinuisse, quam secum Romam asportauit. Quæ sanctæ Crucis particula post mortem Petroniæ successu temporis ad manus cuiusdam sanctæ virginis, Ripsimis dictæ, deuenit. Mortuo Claudio, eius loco Diocletianus Imperator creatus, sanctam virginem Ripsimem sibi desponsari contendit, quæ eius nuptias contemnens, fugit Româ cum sexaginta nouem virginibus. Hæc primò appulit Alexandriam

B. Ripsimis & triginta trium virginum meminit Euthymius in Panoplia p. 2. tit. 20. & Roman. Martyrol. 29. Septēb. & ibi Baronius in Nota.

driam Ægypti, inde per varia loca Etheſiam, quæ & *Orpha* dicitur, venit: ex Etheſia Vanum protecta, ibi in cuiuſdam montis *VVarach* dicti ſummitate memoratam S. Crucis particulam collocauit. Inde progreſſa in Remanum ſeu *Theaſabath*. Eo tempore in partibus illis Armeni adhuc Chriſti fidem non ſuſceperant cum ſuo Rege Derdatio. Hic ſanctam virginem Ripſimem ſibi in vxorem accipere intendebat. Recuſante illa, occiditur cum ſuis ſociabus. Poſteà Dei permiſſu ille Rex, vt quondam Nabuchodonoſor, in feram commutatus, in ſuem inquam verſus eſt, eiúque adhærentes omnes phrenetici atque extra ſe facti videbantur. Conſilio & perſuaſione ſororis Regis Derdatij, quæ in viſione habuit S. Gregorium Armenum ex quodam profundo lacu ſerpentibus pleno extractum, in quem duodecim ante annos coniectus fuerat vt pateretur, ab ipſo ſancto Gregorio ſpatio dierum ſexaginta, quibus prædicabat & orationibus vacabat, à tali caſu Regem liberauit; & ad fidem Chriſti cum ſua familia, & illa Armenorum regione, conuertit.

Daniel. 4.

Circa idem ferè tempus cuidam Epiſcopo in memorato *VVarach* monte apparuit illa particula S. Crucis in magno ſplendore deſcendens ex illo monte, & declinans in quoddam monaſterium, vbi ab Epiſcopo & Clero in altari fuit inuenta. Et idcircò in memoriam inuentionis huius particulæ S. Crucis, ex deuotione ieiunant quinque dies, impoſueruntque ei nomen *VVaracha chaoz*.

Et quia, cùm huius S. Crucis inuentionis memoriam celebrant, quod fit die Dominico, Sabbato præcedenti celebrant Feſtum S. Georgij, ſimplices ad dictam S. Crucis inuentionem non reſpicientes, appellant communiter illud ieiunium S. Georgij, ſed propriè appellandum ſancti Signi, id eſt Crucis.

Demum poſt ſeptimum hoc inuentionis particulæ S. Crucis ieiunium incidit, iuxta anni curſum non vniformem, tempus ſeptem vel octo hebdomadarum, in quo non ieiunant Armeni; ſed illo tranſacto, faciunt ieiunium ſeptem hebdomadarum, quod eſt tertium *Iſuach*, & octauum ieiunium in ordine. Hoc verò ieiunium quidā integrè obſeruant, illud protrahentes vſq; ad Natalem ſiue Epiphaniam Domini, Sabbato & Dominica veſcentes carnibus, & vinum bibentes; quidam non, ſed eo modo quo anteà diximus de quarto. Qui non integrè obſeruant, primò primam hebdomadam ieiunant, & duas ſequentes intermittunt, veſcentes carnibus. In quarta ſequenti ieiunant, & huius ieiunium appellatur à ſimplicibus & idiotis ieiunium S. Iacobi, non quidem Apoſtoli, ſed illius impoſtoris & hæreſiarchæ, qui Syrianis & Iacobitis nomen & peſtilentem dedit doctrinam, & Armenis in ſuis opinionibus dux fuit, qui & ideò illum vt Sanctum habent. Dicunt itaq; Armeni, hunc Iacobum flagraſſe deſiderio videndi locum depoſitionis arcæ Noë, quem eſſe in Armenia, ſacra Geneſis teſtatur, enixumque fuiſſe vt ad ſummitatem montis, quem ipſi *Maßis* appellant, & vbi arca illa requieuit, peruenire, ſed non valuiſſe. Ieiunaſſe igitur, & ieiunio obtinuiſſe à Deo particulam tabulæ arcæ Noë ex diluuio ſuperſtitis, quæ in duas partes diuiſa, in *Merdin* altera, altera in *Reman* delata, adhuc aſſeruatur.

S. Iacobi vel Epiphania.

Poſt hoc Iacobi ieiunium ſequentibus duabus hebdomadibus carnes comedunt: in ſequenti & ſeptima ieiunant vſque ad feſtum Epiphaniæ, quod in fine illius accidit; & in fine, id eſt Sabbato, carnes quidem non comedunt, ſed lacticinijs & vino in ſero veſcuntur. Poſt feſtum Epiphaniæ octo continuis diebus ſemper comedunt carnes: poſt quos vſque ad primum Ionæ, ieiunium aliud non faciunt, ſed carnes comedunt, Feria quarta & ſexta exceptis. Summa totius ieiunij Armenorum eſt ter ſeptem hebdomadarum. Et antiquis quidem temporibus perfectiùs obſeruabatur modo explicato, à multis etiam remiſsè cuſtoditur.

Hæc accepi à Reuerendiſſimo Ioanne Etheliæ Epiſcopo Armeno, in ciuitate Alepi pro Armenis *Vertabeto*, id eſt, Doctore & concionatore, & ab alijs Armenis; communia enim omnibus videntur.

CAPVT LIX.

Difficultates aliquæ circa ieiunia & Quadrageſimas Orientalium.

PRIMA DIFFICVLTAS eſt de ieiunio Feriæ quartæ & ſextæ, ſitne hoc ieiunium lege ſancitum, an potiùs in arbitrio fidelium poſitum. Reſpondeo, Ieiunium poteſt accipi dupliciter: vno modo pro abſtinentia à carnibus, alio modo pro abſtinentia à prandio, quomodo ieiunium nominare ſolet D. Auguſtinus Epiſt. 86. & Orientales vtrumque modum abſtinentiæ aſſignatum, paſſim ieiunium vocant.

Ieiunium dupliciter ſumitur.

Hac præmiſſa diſtinctione, dico duo. Primum, Ieiunium quartæ & ſextæ Feriæ eſt lege præceptum, ſecundùm priorem ieiunij acceptionem tantùm. Hoc apertè colligitur ex canone 68. Apoſtolorum, Epiphanio Hæreſi 75. & in Compendiaria doctrina.

Feria quarta & ſexta ieiunium quomodo præceptum.

Secundum dictum ſit: Orientales non

tenentur ad ieiunium ſecundùm eius poſteriorem acceptionem, prout requirit vnicam comeſtionem.

Probatur multipliciter. In primis ex Tertulliano, qui in libro de Ieiunio refert, Catholicos dicere, ieiunium Feriæ quartæ & ſextæ paſſiuè currere, non ſub lege præcepti; id eſt, permitti, non imperari: & ipſe hoc ieiuniũ à carnibus ſemi-ieiunium appellat.

Secundò S. Auguſtinus loco citato ſcribit, Romæ frequenter ieiunari Feria quarta, ſexta, & Sabbato. Si frequenter, ergo non ex lege & ſemper. Idem Iſidorus de Feria ſexta dicit lib. 1. de Officijs diuinis, cap. 42.

Tertiò, ſi per totum annum fideles omnes Feria quarta & ſexta ieiunarent ex lege, non fuiſſet neceſſarium præcipere ieiunium Quatuor Temporum, quod Feria quarta, ſexta & Sabbato occurrit.

Quartò, pœnitentibus apud veteres iniungi ſolebat, vt Feria quarta & ſexta per totum annum ieiunarent, vt cognoſci poteſt ex Brocardo lib. 6. & 9. Decretorum: non igitur fideles ceteri dictis Ferijs ad ieiunium cogebantur.

Denique Orientalis Eccleſia inculpatè obſeruat dictos dies, ieiunio priori modo ſumpto. Et ità reſpondet Bellarminus Tomo 2. de Bonis operibus in particulari, lib. 2. cap. 17. & colligitur ex c. De eſu carnium. de Conſecrat. diſt. 3. Gloſſa loco citato ad c. Ieiunia, dupliciter reſpondet. Primò, Feria quarta & ſexta non eſſe ſoluenda ieiunia (intelligo ſecundùm poſteriorem ácceptionem ieiunij) ab illis qui voto vel pœnitentia ſunt adſtricti. Secundò, in primitiua Eccleſia fuiſſe neceſſitatis, hodie verò conſilij.

SECVNDA DIFFICVLTAS, num Orientales teneantur ad omnium ſuarum Quadrageſimarum abſtinentiarúmve obſeruantiam ſub præcepto. Reſpondeo, ad maioris Quadrageſimæ ieiunium ex præcepto teneri, quia ſæpiſſimè præceptum in vniuerſali Eccleſia & receptum inuenitur: ad alia verò ieiunia minimè, quia non lege præcepta, ſed ex deuotione ſuſcepta noſcuntur. Si dicatur, Iam conſuetudo, quæ facit legem, inoleuit apud eos illa obſeruandi; Dico, conſuetudine introductum obſeruandi ex deuotione, ſemper libertate ſeruata ieiunandi vel non ieiunandi. Et loquor de his qui aliàs ad ieiunium non tenentur.

Orientales ad Paſcha Quadrageſimam tenentur ſub mortali, nõ item ad alia ieiunia.

Si iterùm dicatur, Quemadmodum Occidentales ad ieiunia Quatuor Temporum & Vigiliarum Sanctorum ex lege tenentur, in quibus, vt apparet, cum Orientalibus diſpenſatum eſt (nam & communionem habentes cum Romana Eccleſia, illa non obſeruant, nec tamen culpantur) ita videtur, quòd Eccleſia Orientales ad ſua ieiunia adſtringere voluerit: Reſpondeo, hoc non apparere, ideò nec aſſeuerandum; quia pœnalia reſtringenda ſunt. Et fortè ſancta mater Eccleſia non addidit præceptum, videns promptam ſuorum ieiuniorum ſiue abſtinentiarum impletionem, ne videretur addere calcar (vt dicitur) equo currenti.

TERTIA DIFFICVLTAS eſt, cur in Latina Eccleſia non ſeruetur lex, quæ Feria quarta abſtinentiam à carnibus imperat. Reſpondet Cardinalis Bellarminus loco citato: *In Occidentali Eccleſia magna ex parte mutatum fuit ieiunium Feriæ quartæ in ieiunium Sabbati. Scribit enim Ambroſius, ſiue quicumque eſt auctor, qui certè antiquiſſimus eſt, in Comment. ad cap. 14. ad Romanos, alios Feria quarta, alios die Sabbati à carnibus abſtinere. Innocentius quoque Pontifex eius nominis Primus in Epiſtola 1. ſæpè repetit Feria ſexta & Sabbato ieiunandum, Feriæ autem quartæ non meminit. Quod idem faciunt Auctores Latini poſteriores. Scribit quidem S. Auguſtinus in Epiſtola 86. Romæ ſæpè ieiunari Feria quarta & ſexta, & Sabbato, ſed nec dicit id ſemper fieri, nec loquitur de portionali, ſed de integro perfectoq; ieiunio.* Hæc ille.

Ratio ieiunij Sabbati.

Obſeruatur autem ieiunium & abſtinentia carnium in Occidentali Eccleſia, ob Domini noſtri ſepulturam, & ſanctiſſimæ Virginis Marię & Apoſtolorum mœrorem, qua ratione aliæ nationes, & in primis Græci, ieiunant Sabbato Paſchali. Et in his obſeruanda eſt cuiuſque Eccleſiæ conſuetudo. De hoc lege Bellarminum vbi ſuprà cap. 18.

QVARTA DIFFICVLTAS eſt, num ieiunium & abſtinentia Orientalium huius temporis maior, ſtrictiór, ac laudabilior ſit abſtinentiâ Occidentalium. Reſpondendum duabus Propoſitionibus. PRIMA PROPOSITIO, Si ieiunium & abſtinentia accipiantur pro ſimplici abſtinentia à carnibus, ouis, lacticinijs, & ipſo vino, ac etiam pro tardiori hora comedendi, & protrahendi tardiùs ieiunium, modo indicato in præcedentibus, & ſingulariter in aliquibus ieiunijs aliquorum ex Orientalibus, vt maioris Quadrageſimæ, & Ionæ, abſque dubio ſeueriorem dicimus eſſe abſtinentiam Orientalium. Hæc ex dictis manifeſta eſt.

SEGVNDA PROPOSITIO. Si ieiunium accipiatur pro ieiunio Eccleſiaſtico, quod conſiſtit in abſtinentia à carnibus, & in vnica comeſtione, quæ ſit cœna, vel fiat circa meridiem, dico perfectius & laudabilius eſſe Occidentalium ieiunium. Hanc probo quadrupliciter.

Orientales & Occidentales mutuò ſe in ſuis ieiunijs excedunt.

Primò quidem, quantum ad modum ieiunij: quia Occidentales vna ſunt comeſtione contenti, modo dicto; ſed Orientales pro

maiori

maiori parte fracto ieiunio, ſiue poſt nonam, ſiue poſt Veſperas, quoad vadant accubitum, ſemper parati ſunt cibum ſumere, quoties ſeſe offert occaſio.

Secundò, quantum ad numerum ieiuniorum ex præcepto: Occidentales enim non tantùm ad maioris Quadrageſimæ obſeruantiam tenentur, vt Orientales; ſed etiam ad ieiunia alia, Quatuor Temporum videlicet, & Vigiliarum aliquorum Sanctorum, aliarumq; Feſtiuitatum. De quibus conſule Bellarminum loco citato à c. 19. vſq; ad 22.

Tertiò, quia eſt conformius menti ſanctæ Eccleſiæ, & fini ieiunij, qui non eſt deſtruere, ſed mortificare corpus.

Quartò eſt auctoritas D. Hieronymi, & refertur de Conſecrat. diſt. 5. Sanctus hic Doctor videtur præferre quotidianum ieiunium illi, in quo aliquando tota hebdomada vel duobus diebus cibus non ſumitur. *Non dico hebdomadas*, inquit, *non dico ieiunia duplicata: ſed ſaltem ſingulos dies abſque ciborum luxuria tranſigamus.* & cap. ſequenti: *Sint tibi quotidiana ieiunia, & refectio ſatietatem fugiens; nihil enim prodeſt tibi, biduo vel triduo tranſmiſſo vacuum portare ventrem, ſi poſt pariter obſtruatur.* Idem: *Sint tibi ieiunia pura, continua, moderataq;, id eſt, quotidie eſurire, & quotidie prandere. Apoſtolus inquit: Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vtere vino propter infirmitates tuas: curat enim vulnera delinquentis, curatosq; ſanctificat ieiunium.* Arbitror in prædictis ſententijs S. Hieronymum reſpexiſſe ad morem præſentem ieiunandi Orientalium, & ſingulariter ad ieiunium Ionæ, in quo plures viri, mulieres, ſenes & infantes, triduo & ampliùs ab omni cibo & potu abſtinent: poſt quod vidi ego aliquos, qui nec pedibus ſe ſuſtentare poterant, & mortuorum potiùs quàm viuorum imaginem referebant.

Quotidiana & diſcreta ieiunia digniora diuturnæ ciborum abſtinentiæ.

1. Tim 4. 2.

Et ad ea quæ huic Propoſitioni refragari videntur, reſpondetur, quòd, ſi apud Orientales omnes ferè Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & in vniuerſum Monachi à carnibus abſtinent, & aliqui etiam ab ouis & lacticinijs, ſolis cibis, quibus in Quadrageſima veſci licet, contenti; etiam plures Monachi reperiantur inter Occidentales, qui vel carnes vel oua non comedunt: imò omnes ferè plura ieiunia obſeruant, etſi non tam rigidi in aliquibus ſint, vt Orientales, ſed magis diſcreti, copulantes cum corporis maceratione ad omnia vtilem pietatem, vt ſatis manifeſtum arbitror.

Quòd plures ex Orientalibus in Quadrageſimali ieiunio à vino abſtineant, non mirandum, tum quia robuſtioris naturæ ſunt, nec illis nocumentum adfert aqua, vt pluribus Occidentalibus; tum quia regiones habitant calidiores, & cibi ordinariè perfectioris nutrimenti; alioquin tamè optimum merumque vinum abundanter bibere, & aquam ex vino inſtillatá, quam Itali *aquam vitæ* appellant, & non parcè, haud eſt ab eorum conſuetudine alienum.

Orientalium etiam ieiunia omnino ſtabilia non ſunt, ſed variantur pro arbitratu Epiſcoporum: & quidam ex illis, vt Græci, & S. Romanæ Eccleſiæ obtemperantes, facilè, vt par eſt, diſpenſant cum infirmis, & non valentibus ieiunare; ſed alij adeò rigidi ſunt, & pietatis expertes, vt in extremis laborantes, paruulos & prægnantes ſinant è viuis decedere, quàm carnis edulio, vel ex iſta confecto iuſculo ſubuenire, vt ipſimet fatentur, & nos fieri vidimus.

Orientalium nonnullorum in ieiunijs imprudentia.

Nec hora ſumendi cibum tempore ieiunij apud Occidentales in Quadrageſimali ieiunio poſt Veſperas & meridiem, & in alijs circa meridiem, incongrua eſt, ſed valdè accommoda ad corpus mortificandum, vitia comprimenda, mentemque ad Deum eleuandam, finem ieiunij & abſtinentiæ. Etenim qui ieiunant, carnem ſuam quodammodò crucifigunt, & Chriſto patienti compatiuntur; Chriſtus autem vſque ad meridiem & horam nonam in paſſione perdurans, illa demum hora à doloribus & laboribus requieuit.

Tempus comedendi Occidentalium ieiunio congruum.

Ad hæc, hoc pacto, ſicut ex vnica comeſtione, non deſtruitur ſed domatur natura, dum tardiùs ſolito cibus ſumitur, hora videlicet non tantùm nona, ſed etiam ſexta & circa meridiem. Nam, vt aduertit Bellarminus c. 2. quando veteres diffinierunt horam nonam pro ſolutione ieiunij, tempus ordinarium cibum ſumendi ſolebat eſſe meridies; & probat tum ex profanis tum ex ſacris Scriptoribus. Quare ſatis eſſe putauerunt ad carnis afflictionem & caſtigationem, ſi ad ſpatium trium horarum, id eſt, ab hora ſexta vſque ad nonam refectio differretur. Noſtro verò tempore magna pars hominum non hora ſexta, ſed tertia prandere ſolet; ex quo ſequitur, vt ſi tempore ieiunij cibum ſumant hora ſexta & circa meridiem, tribus horis ſeriùs ad reficiendum corpus accedant, quàm ordinariè ſoleant, ac per hoc ab antiqua conſuetudine non recedant, natutamque hoc pacto caſtigent. Et cùm ieiunium Eccleſiaſticum conſuetudine & lege Eccleſiæ ſtatutum ſit, potuit iuſtè per eamdem Eccleſiam, & rationabilem conſuetudinem, mutari: etſi nullus diffiteatur, perfectius ieiunium eſſe, quo tardiùs cibus ſumitur.

Et ex dictis, ni ego fallor, colligitur, ieiunium Occidentalium eſſe perfectius & laudabilius ieiunio Orientalium.

CAPVT LX.

De Iudæis Ieroſolymæ & in alijs Palæſtinæ locis habitantibus.

EGimus hactenus de infidelibus baptizatis, ſchiſmaticis, & hæreticis in ſancta ciuitate Ieruſalem & alijs Palæſtinæ locis habitantibus; reliquum eſt, vt pro complemento huius materiæ aliqua ſubijciamus de infidelibus non baptizatis, Iudæis videlicet & Saracenis in eiſdem locis moram trahentibus. Pauca tamen dicemus, quoniam aliàs de iſtis mentio facta eſt, & inferiùs opportuno loco iterùm incidet ſermo. Et de Iudæis priùs, de quibus duo attingemus: alterum, quinam fuerint, & ſint; alterum, quibus nominibus fuerint appellati.

Iudæi qui ſint.

Quantum ad primum, Iudæi populi ſunt ex Sem filio Noë, per Heber & Abraham ſanctum Patriarcham deſcendentes, vt omnes rectè ſentientes, de ipſis agentes, docent; & deducitur ex ſacro Eloquio. Ioannis 8, 33. legimus de hoc Iudæos fuiſſe gloriatos, dum ſic aiunt: *Semen Abrahæ ſumus.* & verſ. 39. *Pater noſter Abraham eſt.* Et quamuis Chriſtus illis viſus ſit aduerſari, dum ſic eos compellat verſ. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria eius vultis facere*; non tamen negauit eos eſſe progenie & generatione Abrahæ filios, ſed imitatione, vt alijs verbis idem Dominus ſignificaut verſ. 39. *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*, &c. & inferiùs de naturali filiatione loquens, *Abraham*, inquit verſ. 56. *pater veſter exultauit vt videret diem meum*, &c.

Iudaicus populus olim à Deo electus.

Erat Iudaicus populus olim peculiaris & ſelecta Dei hereditas, quam ſibi peculiariter elegit, vt in mundum veniens Verbum Patris, ex ea carnem ſumeret, in eoque firmaret & dilataret ſolium ſuum. In ea voluit priùs per figuras & prophetias, per Patriarchas & Prophetas cognoſci, adeò vt Dauid verè dixerit: *Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius*, Pſal. 75, 2. Quare & ſignaculum circumciſionis eis dedit. Vt enim magnus quiſque Rex argentea aureaque, & pretioſa vaſa obſignat ſigno, & olitor ſacculos in quibus ſemina recondit; vt opportuno tempore, quo eis vti debet, probè internoſcere queat: ita Iſraëliticus populus recepit ſignaculum circumciſionis, velut vas electum Dei, & ſacculus, ex cuius ſemine abſq; ſemine carnem ſumeret Dei Filius, in quo benedicendæ eſſent omnes tribus terræ. Ideò ſanctus Paulus Rom. 4, 11. *Et ſignum accepit*, Abraham, *circumciſionis*, &c. Et manſit in eo fides & Dei cognitio, quoad venit deſideratus cunctis gentibus, & optatus Meſſias.

Poſt Chriſti aduentum infidelis habendus eſt.

Verùm poſtquam Iudæi præſentem & manifeſtatum Chriſtum habuerunt, eique non crediderunt, ſed adhuc venturum exſpectant, receſſit ab eis vera fides Deique cognitio, & conſequenter deſijt omnis pietas veraque religio, cuius fundamentum fides eſt. Vnde eò impietatis deuenerunt, vt electæ vineæ heredem Filium Dei Meſſiam à ſe expulerint, & extra ciuitatem crucifixerint. In cuius ſceleris pœnam ablatum eſt ab eis regnum Dei, & datum alteri populo, qui ipſis quidem eſt abominabilis, Deo verò placens & electus; & ipſi non ampliùs ſunt Dei populus & hereditas, non eius domeſtici & electorum conciues, ſed ſpurij, exteri, abominabiles & infideles, ignominia & dedecore vbique notati.

Iudæi variis nominibus appellati.

Sed quibus appellantur nominibus Iudæi, vt ad ſecundo loco propoſitum quæſitum deueniamus? Reſpondeo breuiter; Omiſſis nominibus illis, quibus vel honoris vel conuitij cauſa nominati inueniuntur, de ſolis proprijs & naturalibus loquendo, tribus præcipuè appellantur; *Hebræi* videlicet, *Iſraëlitæ*, & *Iudæi*. Non hìc referam opiniones varias circa rationes & ſignificationes horum nominum; ſed quod verius & communius cenſetur, aperte proponam. Plura de his ſcire qui deſiderat, videat quæ collegit P. Blaſius Viegas in cap. 2. Apoc. comment. 2. ſect. 4. & alios qui ex profeſſo de Iudæis agunt.

Primò, Hebræi.

In primis *Hebræi* appellantur à communi parente *Heber* filio Sale, cuius mentio fit Geneſis 10. & 11. Hoc probat diuus Auguſtinus ex illis verbis Geneſis 10, 21. *De Sem quoque nati ſunt, patre omnium filiorum Heber:* his verbis ſignificatur, maximam & ampliſſimam fuiſſe poſteritatem Heber, in qua & Iudæorum gens recenſetur. Præter D. Auguſtinum idem ſentiunt D. Hieronymus in Tradit. Hebra. in Gen. Ioſephus lib. 1. Antiquit. cap. 14. & plerique alij; videturque communis ſententia.

Si quis obijciat, Si ab *Heber* Iudæi appellantur *Hebræi*, alij plures populi eodem recenſerentur nomine, quia plures alij ex Heber deſcenderunt, vt proximè citato capite Geneſis refertur: ſed hoc eſt falſum, quia, vt priùs dicebamus, tantùm deſcendentes per Abraham Hebræi dicuntur. Reſpondetur, quòd facta iam confuſione linguarum tempore Heber, cùm illius lingua Hebraica in ſola familia Abraham, ex Heber deſcendente, pura & integra permanſiſſet, ex iſto porrò deſcendentes, à communi parente Heber, & eius linguâ, *Hebræi* dicti ſunt; non autem alij, quia eam linguæ puritatem non conſeruarunt, cùm quemlibet, quis ſit, loquela manifeſtũ faciat.

Secundò

Secundò, Iſraëlitæ. Secundò appellati ſunt *Iſraëlitæ*, à Iacob Patriarcha Abrahæ nepote, à quo omnes Iudæi per duodecim eius filios traxerunt originem. Non dicuntur verò *Iacobitæ*, ſed *Iſraëlitæ*, quoniam poſtquam luctatus fuiſſet Iacob cum Angelo, ab eodem mutatum eſt nomen eius, & appellatum eſt *Iſraël*. ita enim dixit ei Angelus: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël*, &c. Geneſ. 32, 28.

Tertiò, Iudæi. Tertiò denique *Iudæi* dicuntur, vtique à Iuda filio Iacob, & tribu eius inter ceteras & præ alijs filijs præcipua, & regia. Qualiter verò hæc nomenclatura illis indita fuerit, opiniones variant, alijs aſſerentibus, quòd poſt decem tribuum à duabus diuiſionem, ſub Rege Roboam filio Salomonis; alijs verò, multò pòſt eâ obtinuiſſe, videlicet quando duce Nehemia ex Babylone in patriam liberi redierunt Iudæi, quoniam Nehemias erat ex Iuda oriundus. Hac itaque occaſione & beneficio Iſraëlitæ, nomine mutato, Iudæi appellari cœperunt. De hoc ſuprà Cap. 11. Et hæc de Iudæis ſufficiant.

CAPVT LXI.

De Mahometanis, & eorumdem erroribus ac ritibus.

SVnt & alij, præter Iudæos, infideles non baptizati, qui in Ieruſalem & tota Terra ſancta habitant, nimirum Mahometani. De iſtis plura ſcripſerunt, præter alios, Damaſcenus de Hæreſibus, ad finem, Eulogius lib. 2. Memorab. Euthymius in Panoplia, Vincentius Beluacenſis in Speculo hiſtor. lib. 24. D. Antoninus Part. 2. Hiſt. tit. 13. c. 5. §. 1. 2. & 3. Auctor Fortalitij fidei, & alij recentiores: ex quibus nos pauca delibabimus, quibus & alia, prout vidimus, addemus; plura reſeruantes, quæ inferiùs proferemus, vbi de ortu, progreſſu & ſepulchro Mahometis, Mahometanorum omnium Pſeudoprophetæ, acturi ſumus.

Mahometes auctor ſectæ Saracenorum. Circa annum igitur Domini 600. vel circiter, vt explicabitur inferiùs Cap. LXXV I. Heraclio imperante, exortum eſt horribile monſtrum, quod multas prouincias vel ab idololatria, vel à vero Dei cultu, ad impiam ſui imitationem breui & faciliter pertraxit, Mahometes inquam.

Nec vſque adeò mirandum eſt, breui multos eum progreſſus feciſſe: quoniam carnalem planè legem ſuis ſectatoribus præſcripſit, ad quam nimirum animalis homo pronus eſt ab adoleſcentia ſua. Et quamuis, cùm turpiſſima & irrationabilis ſit, abſque difficultate abſurditas & falſitas eius redargui & profligari poſſit, non tamen id conceditur: quoniam in eadem lege cautum eſt, ne diſputatione, ſed gladio illa protegatur. Hoc enim erat Mahometis ſymbolum, quod quotidie Saraceni in ſuis Moſcheis ſiue fanis alta voce inclamant: *Non eſt Deus niſi vnus, & Mahomet Apoſtolus eius.* Quicumque hoc recipere & profiteri nolebant, necabantur ab eo; qui verò recipiebant, reſeruabantur, ideoque dicti ſunt *Moſlemani*, id eſt, *ſeruati & liberati à morte* (à radice *ſcalam*, quæ Hebraice & Arabicè ſignificat *eſſe ſaluum, incolumem, proſperum*, vt periti horum idiomatum docent) ſed hi peiori, id eſt ſpirituali morte occidebantur. *Mahometani cur Moſlemani dicti.*

Igitur cùm animales homines nolint intelligere vt benè agant, verbisque moueantur homines, ſtimulis verò & verberibus beſtiæ; Mahometani item, vt homines, reduci nequeant verbis & rationibus, & non ſuppetant, vel ſaltem non adhibeantur vires ad illorum feritatem & beſtialitatem domandam, non modò non agnoſcunt ſuas abſurditates, & à via mala reſipiſcunt, ſed in dies magis in ea indurantur. *Mahometanorum conuerſio quare difficilis.*

Legem ſuam Mahometes à Deo ſibi traditam iactitabat, atque etiam perſuadebat, ideoq; illi abſque contradictione obtemperandum eſſe ſtatuebat. Ad hoc verò perſuadendum huiuſmodi vſus eſt commento. Congregato populo qui ſibi adhęſerat, dum ad illum verba faceret, columba alba, quæ in vicino erat, ſuper humerum eius aduolans, ex eius aure, iuxta morem ſolitum, grana ibi repoſita accipiebat. Ad hoc verò faciendum vel edocta fuerat columba, vel ſic fieri, operâ diaboli apparebat; vt inſanus vulgus crederet, legem, quam ille pſeudopropheta annuntiabat, à ſuggerente Spiritu ſancto proficiſci. Ne quis verò his ſe opponeret, aut ea reprehenderet, ſub pœnâ capitis interdixit. Legem etiam hanc turpiſſimam verſibus rhythmicis condidit, vt imperitæ multitudini eſſet ſuauitate cantus plauſibilior. Multa ea turpia continet; & in ea non erubuit deceptor gloriari, à Deo ſibi datum, quinquaginta viros, in coitu potentiſſimos, libidinis fortitudine coæquare. *Mahometes quomodo populos deceperit.*

Alij tamen dicunt, ſuæ eum legis magiſtrum habuiſſe Monachum quemdam nomine Sergium, hæreſi Neſtorij infectum: qui eam ob cauſam Monaſterio electus, Arabiam adierit, & Mahometi adhæſerit: quem Mahometes clanculum ſecum retinens, quæcumque ab eo promulganda accipiebat, ab Angelo Gabriele ſibi tradita fuiſſe mentiebatur. Et quia Neſtorianorum errores ſunt Mahometanis communes, ideò dicunt reliquæ Orientis nationes, Neſtorianos magis ab illis diligi.

Non

Non improbabiliter alij dicunt, fuiſſe Mahometis magiſtrum Archidiaconum quemdam Iacobitam, in partibus Antiochiæ habitantem: Iacobitæ enim prædicant circumciſionem, Chriſtum ex Spiritu ſancto conceptum, & Virgine natum, ſanctum & iuſtum, ſed Deum negant; quæ omnia confitetur & prædicat Mahometes: mortem verò Chriſti negant, alterumque eius loco fuiſſe crucifixum, & ipſum in cælum aſcendiſſe.

Mahometes quid de Chriſto ſenſerit.

Addam hîc quod in partibus iſtis audiui. Sergium dicunt fuiſſe Monachum montis Sinai; idque Monachi eius loci fatentur, & inſuper addunt, cùm aliquando Mahometes camelos ageret cum mercatorum ſodalitio, ſupra illum, licet ceteris inferior eſſet, magnam apparuiſſe aquilam extenſis alis, dictumque tunc illi fuiſſe ab vno ex Monachis illis, magnum eum futurum eſſe, ab eoque petiſſe, vt ſublimatus, & ad principatum euectus, locum Sinai eximeret à tributis. Riſiſſe Mahometem, ſed annuiſſe petitioni: cumque ſuper hoc ſyngrapha eius depoſceretur, quòd ſcribere ignoraret, manu in atramento intincta, veluti chirographi effigiem chartæ impreſſiſſe: quam accipientes Sinaitas Monachos, eius beneficio à vectigalibus Turcarum Imperatori ſoluendis liberos euaſiſſe; atque hodierno tempore chirographum illud Conſtantinopoli penes Turcarum Imperatorem aſſeruari.

Aſſerüit etiam Mahometes, ſe à Deo miſſum vt legem mitiorem promulgaret; quæ haud difficulter obſeruatâ, omnes illius ſectatores promptiùs ſaluarentur, cùm Hebræorum & Chriſtianorum leges (quia eſſent rigidiſſimæ) à paucis obſeruatæ, pluribus damnationis cauſa exiſterent.

Mahometes primò idololatra.

Hic Mahometes, antequam turpem legem hanc conderet, erat idololatra, & cum Arabibus pro dea Venerem colebat. *Hinc eſt* (inquit D. Antoninus) *quòd Saraceni in magna veneratione habent diem Veneris, ſicut Iudæi Sabbatum, & Chriſtiani diem Dominicum. Dicitur etiam, in domo Mahometis in Mecha, Saracenos nudos, lumbis dumtaxat coopertis, proijcere lapides ad honorem Veneris: quem ritum acceperunt ab Indis idololatriæ deditis, qui Venerem pro dea colentes, & nudi eius templum circumeuntes, proijciebant lapides.*

Mores Mahometanorum.

Quia Mahometes, & eius aſſeclæ, magiſtrum habuerunt Orientalẽ Monachum, vt dictum eſt, ideò more Monachorum Orientalium multas faciunt genuflexiones; & quaſi Monachalem, longum videlicet & ſimplicem, induunt habitum.

Iudæorum amplectuntur circumciſionem, non quòd in eorum Alcorano præcipiatur, aut quòd Mahometes fuerit circumciſus (id namque de eo non legitur, & aliqui ex ipſis non circumciduntur) ſed ad exemplum Abrahæ & Iſmaëlis, à quo per Agar ancillam Abrahæ traxerunt originem, vnde & *Agareni* dicendi eſſent; ſed à nobiliore & domina, Sara videlicet eiuſdem Abrahæ vxore, *Saraceni* appellari maluerunt.

Saraceni quare dicti.

Etiam more Hebræorum lotiones multiplicant, præſertim cùm volunt orare, exiſtimantes, exteriori lauacro interiores maculas abſtergi. Lauant manus, brachia, os, collum, pedes, & ipſos calceos, & quod turpe eſt dicere, etiam ipſa verenda, etiam ſi occurrerit dumtaxat aliquid naturæ neceſſarium exequi, dicentes, oraturos cum omni etiam corporis puritate ad Deum accedere debere.

Munditias Saracenorũ in orationibus.

Quando cum vxoribus fuerunt, & ad meſquitas oraturi accedere debent, die Veneris præſertim, ad balnea priùs vadunt, ſe totos lauantes: non quòd contraxiſſe ſe peccatum credant, ſed corporis infectionem & immunditiem; quam eo lauacro abſtergendam ducunt, antequam ad orandum accedant.

Orationes ſuas faciunt verſa facie ad meridiem, idque non ſolùm in priuatis locis habitantes, ſed etiam in itinere eas non prætermittunt.

Et quemadmodum veri legum promulgatores vera & vtilia ediderunt miracula in illarum confirmationem, vt patet in Moyſe & Chriſto Domino, ita etiam Mahomet edidit miracula, inquiunt Saraceni; ſed falſa & vana, iuxta legem ab eodem promulgatam. Nouem verò præcipua Mahometis miracula Saraceni enarrant.

Mahometis falſa miracula.

Primum, quòd ſine dolore prodierit ex vtero matris, circumciſus & hilaris. Secundum, quòd in natali eius Lucifer arreptus ab Angelis immerſus ſit in profundum mare. Tertium, quòd venti, aues & nubes de eius educatione decertarint. Quartum, quòd aſina voce humana eum vocarit *Sigillum Prophetarum.* Quintum, quòd nubes atra ſemper, etiam cælo ſereno, eius capiti incubuerit. Sextum, quòd Lunam bipertitò diuiſam coniunxerit & compegerit. hinc Turcæ venerantur Lunam, eamque ſuper turres & meſquitas collocant, & vt propria Gentilitia ſtemmata, in vexillis & caſtris præferunt. Septimum, quòd Angelus ſit ei locutus. Octauum, quòd arbor fici ab eo euocata, ei humiliter ſe inclinarit. Nonum, quòd bos & agnus ei, quaſi maximo inter nuntios Dei, locuti ſint. Quocirca aſſerunt, Mahometis nomen fuiſſe ante mundi creationem in conſpectu Dei;

Dei; & quòd Deus, niſi hoc fuiſſet, nequaquam mundum condidiſſet.

Mahometanorum natura. De Maurorum conditione ac moribus pauca hic ſubijciam. Certum eſt, eos, cùm deſtituti ſint vera fide, omnium ſolidarum virtutum fundamento, virtutibus etiam denudatos eſſe, ac conſequenter diuerſis vitijs commaculatos, ſuperbia, auaritia, luxuria, inuidia, &c. Hoc edoctus experientiâ aſſero, & ex Archipropheta Ioanne confirmo. *Cùm Agnus aperuiſſet ſigillum quartum*, ait Ioannes, *audiui vocem quarti animalis dicentis: Veni, & vide. Et ecce equus pallidus: & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors, & infernus ſequebatur eum, & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & beſtijs terræ*, Apoc. 6,7.

Equo pallido præmonſtratam fuiſſe Ioanni Mahometicam ſectam, & Maurorum Turcarumque, qui illam ſequuntur, conditionem, tradunt boni Auctores, quos inferiùs Cap. LXXVIII. adducemus & ſequemur.

Beſtiæ comparantur Mahometani, quia legem irrationabilem ac beſtialem ſequuntur, & non cuicumque, ſed equo; primò, ad indicandam illorum ſuperbiam & feritatem: equus enim ſuperbum ac ferum animal eſt, ad bellum idoneum. Hinc vides Turcas non grauitate, ſed ſuperbia & extento collo incedentes, nihili facere Chriſtianos, ſed eos perſequi. Dicunt enim, Chriſtianorum eſſe Turcis inſeruire tamquam dominis, atque ideò dedignantur laborare; & ſi laborant, vix neceſſitate cogente id faciunt, ſunt enim deſidioſiſſimi. *Superbi.*

Carnales. Secundò, equus eſt ſymbolum luxuriæ, ideoque carnales homines, equi appellantur à Propheta: *Equi amatores & emiſſarij facti ſunt: vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat*, Ieremiæ 5,8. & Regius Vates: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*, Pſalm. 31, 9. Libidini item admodum addicti ſunt Mahometani: vnde non contenti vna vxore, plures ducunt, & impuriſſimis ſe polluunt impudicitijs.

Superbia luxuria, & cupiditas pallorem inducunt. Quæ ipſa etiam ampliùs in pallore exprimuntur: hic enim color inducitur ex triſtitia, quæ exticcat oſſa; quæ nimirum procedit ex ſuperbia, vt cùm quis non honoratur aliſve præfertur, & dum quod intendit non aſſequitur, vt in Aman & alijs ei ſimilibus obſeruare licet. Libido etiam ſpiritus & ſanguinem exhaurit, itaque pallidos & luridos facit.

Ouidius. *Palleat omnis amans, color hic eſt aptus amanti*, dixit quidam Poëta: & Amon, qui turpi amore deperibat Thamar, attenuatus eſt macie, vt ſacra tradit Scriptura. Pallorem quoque cauſat rerum temporalium ſollicitudo & cupiditas; atque ideò auari, ob curas & anxietates congerendi & conſeruandi opes, palleſcunt. Hinc Diogenes rogatus *Cupidi.* cur aurum palleret, argute reſpondit: *Quia multos habet ſibi inhiantes & inſidiantes*, vt teſtis eſt Laërtius lib. 6. Et ſanè vt plurimum vultu pallidi ſunt Turcæ, deforis ſuam oſtentantes peruerſam conditionem. Et ex ſola auaritia illis ſatis innata (omnia enim pro auro ab ipſis obtinentur) alia omnia facinora eiſdem ineſſe, colligi poteſt, Auguſtino dicente: *Cùm auaritia alicui dominatur, ſubiectus malis omnibus demonſtratur.* Vnde meritò à B. Paulo *radix omnium malorum cupiditas* nuncupatur. Lege Chryſoſtomum in hunc Pauli locum, appoſitè ad intentum noſtrum loquentem. *Auguſt. de Lib. arbitr.* *1. Tim. 6. 10.*

Seſſor huius equi pallidi, eſt ei ſimilis pallida mors, primò, quia Mahometani ſunt ſpirituali morte peccati extincti: ſecundò, quia violentia & cædibus legem ſuam tuentur, & ad illam alios compellunt; tertiò, quia multos trucidauerunt, & varijs mortis generibus ſuſtulerunt Chriſtianos; ſuntque in cauſa, quòd plures tum corporali tum ſpirituali occumbant morte, quod magis ſequentia explicant verba: *Mahometani perdi-ti, ſunt aliis perditionis cauſa.*

Et infernus ſequebatur eum. Primò Anti- *Antichriſti præcurſores.* chriſtus, qui erit infernalis homo, & ſcelerum abyſſus, & quaſi infernus, cuius Mahometes cum ſuis aſſeclis fuit præcipuus præcurſor, quem & exortu ſuo ſequitur, & impietate ſuperabit, vt ex inferiùs dicendis conſtabit. Deinde infernus ſequitur Mahometem, opem illi ferendo, quia videtur totus in illius auxilium ſolutus. Tertiò, quia plures pertraxit, & vſque pertrahit ad infernum, quàm vmquam pertraxerint alij impij; & idcò additum eſt, quòd *data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ*, &c.

Nolo tamen hîc ſilentio præterire, quòd *Quæ bona in Mauris.* licet ſuâ culpâ ſint Turcæ tot impliciti ſceleribus, multi tamen ex illis ſint, qui virtute illius luminis quo omnes homines à Deo donati ſunt, commiſerentur & compatiuntur miſerorum calamitatibus, eiſdem ſubueniunt, deteſtanturque eos qui pauperes perſequuntur; qui non torquent exteros, nec addunt afflictionem afflicto; qui ſenes venerantur, itinerantes hoſpitio gratis excipiunt, cuiuſuis illi ſint conditionis, victum ex contributione illis exhibentes. Et ego non ſemel apud eos in comitatu diuerti. Quando comedunt, ex oblatis gratis offerunt occurrentibus: & eos qui accedunt vt cum illis diſcumbant, à menſa non expellunt. Fateor, non poſſe communem præſcribi regulam, ſicut nec in Chriſtianis, quorum non omnium nec vbique eadem eſt viuendi ratio: tamen vt retuli accidere, ſæpiùs ſum expertus cum alijs.

Quem-

Religiosi & seculares.

Quemadmodum inter Christianos & alias nationes sunt laici & Religioti, laica & spiritualis potestas; ita & apud illos eadem sunt suo modo. Horum Primates & iudices iudicant causas ad se spectantes, sæculares vel spirituales. Primus apud illos in temporalibus est Turcarum Imperator, quem *Magnum Soltanum*, id est Dominum, appellant; huic ceteri omnes subduntur, quorum alij & post ipsum primi *Visiris*, quasi Vice-Reges nuncupantur, & credo esse quatuor vel circa, per quos ferè omnia Imperij tractátur negotia. Alij appellantur *Bascia* & *Sangiachi*, iuxta conditionẽ locorum quibus præsunt: & isti habent suos subsstitutos, milites, &c.

Potestas temporalis & spiritualis.

Spiritualis potestatis administri appellantur *Mophti*, qui sunt velut Patriarchæ apud Christianos, magnam habentes auctoritatem: alij *Cadij* vocantur, qui minorem, & nostris assimilantur Episcopis. Inter istos vnus est omnium primus, quem, vt nos Summum Pontificem, illi venerantur & æstimant, & *Calipham* siue *Magnum Mophti* nuncupant. Et vt alij *Mophti* & *Cadij* in diuersis habitant locis, ita *Calipha* residet in Constantinopolitana Imperiali ciuitate. Ad hos perferuntur causæ religionis & legis, & singulariter ad *Calipham*.

Gradus diuersi religiosorum.

Habent vlterius Mahometani diuersi generis Religiosos. Aliqui ex illis, nostris respondent sæcularibus Presbyteris; quos simpliciter sanctos, vulgò *Santoni* appellant: qui & vxores ducere possunt, vt sæculares Sacerdotes Orientales, quas penes se in suis domibus vnà cum filijs alunt. Alios *Peruisios* nominant, qui ad instar Religiosorum in congregationibus & monasterijs viuunt, vxores non ducunt, & habitu ab alijs sunt discreti, sicut & inter Catholicos diuersi sunt instituti Religioti.

Sunt etiam inter Saracenos nonnulli qui dæmonem velut Numen quoddam colunt: pauci tamen ij sunt, & vix cogniti.

Ex illis habent quosdam velut parochos, qui quando cum alijs in mesquitis orant, alios à tergo orantes habent; quemadmodum cùm nos Missam celebramus, sæculares retrò illam audiunt: & absoluta oratione, sermonem ad illos habent.

Nolo hìc præterire discrimen quod interesse cognoui inter Turcarum & Persarum parochos. Illi, cuiusuis tandem conditionis & status sint, boni vel mali, eliguntur; sed isti nonnisi habito testimonio puritatis & innocentiæ ab infantia vsque ad electionis tempus. Ex illis quidam assumuntur, qui forti pectore & voce sunt, vt in turribus mesquitarum clament alta voce, populum ad orationem inuitantes, quia vsum campanarum non habent: id quod faciunt septem vicibus intra diem noctemque, in aurora nimirum, in meridie, post vesperas, in occasu Solis, post primam noctis horam, media nocte, & ante crepusculum & auroram: die verò Veneris, alijsque solemnitatibus, ijsdem temporibus, meridie præsertim & in nocte, pluries vociferantur, multasque lampades in turribus accendunt. De nocte etiam quidam ciuitatem obambulat, & ad Deum laudandum alta voce hortatur: in præcipuis tamen locis coronis siue calculis precatorijs, vt nos, vtuntur, absque globulorum distinctione, & ad singulos globulos dicunt, *Staferlah*, hoc est, *Deus me custodiat*: & illi plurimi sunt.

Lege in Clementin. de Iudæis & Saracenis cap. vnico, & ibi Glossam.

Credunt Saraceni, Mahometis in veteri & nouo Testamento, fieri sub alijs nominibus mentionem: in veteri, nomine *Mas-mas*: in nouo, sub *Paracliti* appellatione: dicuntque ipsum esse Parachitum, de quo Ioannis cap. 14, 16. & 15, 26.

Cibi Mahometanorum.

Omnes carnes, præter porcinas, sanguinem suffocatum, & à lupo tactum, comedere liberum est illis, ex Alcorano cap. 12. A vino etiam abstinere deberent, ex eodem Alcorano cap. 3. Alium delectum ciborum nusquam, nec in suis ieiunijs, habent.

Ieiunia.

Sunt illis iniuncta ieiunia, vt ibidem cap. 2. habetur, & experientiâ nouimus. Illa in hunc modum obseruant. Toto die à cibo & potu abstinent, nec cibum sumunt nisi stellam exortam viderint. Imitati in hoc superstitiosam consuetudinem Iudæorum, qui, quoniam in veteri Testamento, cùm de ieiunijs agitur, horæ vespertinæ fit mentio (vt Iudicum 20, 26. *Ieiunauerunt die illo vsque ad vesperam.* quod idem habetur 1. Reg. 1. & 2. & alibi) non audent cibum capere nisi stellam exortam conspexerint, vt obseruarunt Tertullianus in lib. contra Psychicos extremo, & S. Hieronymus lib. 2. in Iouinianum. Mahometanorum autem ieiunium vnicum est, & vnius mensis siue Lunæ, & mobile, quod *Romadan* appellant. In hunc autem modum illud obseruant: de die ab omnibus prorsus abstinent, etiam ab vxorum vsu (quibus tamen post Solis occasum, vsque ad sequentis diei crepusculum, profusè vtuntur) meliores cibos reseruantes, quibus tunc vescuntur, noctemque in diem vertunt. Et quamuis sint huius ieiunij obseruantissimi, ab eo tamen si infirmi, in militia & itinere fuerint, excusantur, illudque in alios dies transferunt, vt ab ipsis intellexi, & obseruari vidi; & adhuc obseruantiores ex ipsis bis tantùm comedere, in principio & in fine noctis. Alios etiam ex deuotione ieiunare solitos sex dies, festo illorum transacto, & per annum Lunæ, Iouis, & Sabbati diebus.

Iudæorum ieiunium.

Quatuor

Mahometani plures possunt habere vxores.

Quatuor possunt ducere vxores, quas vsque tertiò repudiare & iterùm assumere possunt. Emptitias & captiuas habent quot possunt alere. Turcarum Imperator nullam propriam habet vxorem, sed quotquot habet, sunt mulieres captiuæ, quas cubicularias appellat, & solæ ex ipsis genitæ filiæ, Reginæ appellantur. Licitum est Mahometanis vxores de propria cognatione accipere, vt fortius sit inter ipsos amicitiæ vinculum. In adulteros & formicarios pœnæ sunt statutæ. Paradisum è rebus corporeis & voluptuosis constituunt. Resurrectionem, Purgatorium, Infernum, & alia confitentur. Sunt etiam inter Mahometanos factiones & dissensiones, magis minúsve, Pseudo-prophetæ item legem peruertentes, &c.

De aliquibus post hanc vitam Mahometanorum iudicium.

Accepi ego à doctissimo Turcarum Doctore, quosdam inter ipsos magis cordatos sentire, beatitudinem in diuina consistere dilectione, & infernum in odio Dei, qui à veritate certè non aberrarunt. Ad hæc, in resurrectione vniuersali omnes resurrecturos in ætate plenitudinis Christi, hoc est triginta trium annorum. Conditionem insuper resurgentium aiunt futuram huiusmodi: magnitudinem sortientur Adami, venustatem & elegantiam Iosephi, Iacobi Patriarchæ filij, faciemque habebunt similem faciei Mahometis, quam fuisse pulcherrimam asseuerant. De hisce atque pluribus alijs Mahometanorũ erroribus ac superstitionibus, qui maiorem desiderat cognitionem, consulere poterit eos, qui ex professo de illis integros Tractatus scripserunt.

CAPVT LXII.

Mandatum Mahometis ad suos Moslemanos siue Mahometanos, in gratiam Christianorum omnium, tam in suis Regnis habitantium, quàm per eadem transeuntium.

TVrcarum & Mahometanorum Principes & Imperatores Christianis tum sæcularibus, tum præsertim Religiosis in eorum prouincijs & Regnis habitãtibus, vel ad ea se conferentibus, varias concessisse gratias & innumera eaque egregia priuilegia, plusquam certum & compertum est, idq; ipsum innumera quæ in archiuis eorumdem Christianorum Constantinopoli, Cairi, Ierosolymæ & alibi asseruantur diplomata, atque ipsorum Christianorum cuiusque status & nationis in Imperio Mahometanorum habitantium, vel per ipsum transeuntium multitudo palàm facit. Quæ vtinam omnia probè custodirentur! tunc enim non minùs securè, liberè, ac commodè in ipsorum Regnis viueretur, quàm in alijs Christianorum Principum. Illa verò priuilegia & indulta omnia hîc transscribere, longum & inutile esset: sed non iniucundum futurum arbitror hîc subijcere vnicum, illudque amplissimum Mahometanorum Principis & antesignani Mahometis, cuius autographum Turcarum Imperator in Regia ciuitate Constantinopolitana asseruat, eiusque exemplar inde transsumptum, Arabicâ linguâ scriptum, & auctoritate publica variè comprobatum, mihi Ierosolymis exhibuit D. Gregorius Armenorum in sancta ciuitate Episcopus, quod per Arabicæ & Latinæ linguæ peritos in Latinam translatum hîc subiungo:

SCriptum Mahometi Apostoli Dei, omnibus hominibus per modum annuntiationis & admonitionis, secundùm promissionem Dei in veritate ipsius, vt sit scriptum Dei, confirmatio fidei Christianæ in ortu Terræ & eius Occasu, apud ciuilem & barbarum eius, apud propinquum & remotum eius, & apud sapientes & insipientes eius. Liber quem in gratiam illorum fecit, in testamentum, placitum, & scriptum manifestum, quòd sit commendatio ab ipso, ex qua pateat ipsius iustitia & conscientia custodita. Qui autem fuerit inter Turcas Mahometanam legem profitens, & aspernans quod in hac continetur à tanto Opifice factum, & abominatus fuerit testamentum in ea contentum, & idem transgressus fuerit cum infidelibus, & non obseruauerit quod præcepi, erit aspernans testamentum Dei, & promissionem illius respuens, & conscientiam propriam odio habens, siue Rex sit, siue alter ex fidelibus & Moslemanis. Commutani donationem testamentorum pro anima mea, & promissiones quas de me petunt, & de omnibus hominibus gentis mea, qui sunt ex Moslemanis, vt illis dem testamentum Dei, & eius promissionem, & conscientiam Prophetarum, & Apostolorum, Electorum & Sanctorum eius ex fidelibus & Moslemanis, inter primos & vltimos: & mea conscientia & promissio maior est, quàm alterius missi Prophetæ vel Regis propinqui, in veritate obedientia, & dispensatione promissorum. Et satisfactio in testamento Dei est, vt custodiam Primates eorum in oculis meis per equites & seruos meos, electos & sequaces meos ex fidelibus in omni parte, & partibus inimici, absentes sint seu propinqui, pacem vel bellum gerant, & vt tutos faciam, protegamq; eos, & Ecclesias eorum, & Templa eorum, & Oratoria eorum, & loca Monachorum, & tabernacula errantium, vbicumque fuerint, etsi fuerint vel in monte, vel in valle, vel in spelunca, vel in habitationibus, vel in planitie, vel in absconditis,

vel in arena, vel in ædificijs: & vt defendam fidem & Regnum eorum, vbicunque fuerint, etsi fuerint terrestres vel maritimi, in Ortu vel in Occasu, sicut defendo animam meam & annulum meum, & gentem fidei meæ ex fidelibus & Moslemanis, vt sint tamquam fratres in fide mea ex omni periculo, & odibili, & his similibus: & vt sim post illos adiuuans eosdem ab omnibus inimicis, qui me conentur & eos debellare, per animam meam, sequaces & electos meos, & gentem fidei meæ. Et ego ero potestatem habens super illos, & propterea oportet vt regam, & defendam eos ex omni odibili, & vt nihil accidat illis nisi priùs acciderit amicis meis, qui in publicandis meis mandatis sunt solliciti: &, vt dimoueam ab illis mala quæ patitur gens testamenti propter euentus soluendi pecunias & vectigalia, concedendo illis quæ placent animabus illorum, tribuendo quæ sunt bona, & non quæ sunt mala. Nec dimoueatur Episcopus ab Episcopatu, nec Christianus à sua fide Christiana, nec Monachus à sua Religione, neque vagus à sua vagatione, neque Anachoreta à suo clausulo, nec deuastetur domus ex domibus Ecclesiarum ipsorum, nec ingrediatur quidquam, nec ex illis ingrediatur quidquam templa & domicilia Moslemanorum. Qui autem hoc fecerit, erit aspernans testamentum Dei, & transgrediens Apostolum Dei, & decipiens conscientiam Dei. Neque grauentur Monachi, neque Episcopi, nec quispiam alter, qui non debeat quidquam emere, nisi sit gratum illorum animabus; neque petatur vectigal à mercatoribus magnis in extractione margaritarum, & in fodinis lapidum pretiosorum, & auri & argenti, & qui sint diuitiarum magnarum. Erit autem conueniens, si quis acceperit à Christianis duodecim drachmas pro singulis capitibus, si tamen fuerint habitatores & incolæ loci, & non transeuntes, & non habitantes regionem. Et quos nesciuerint ex quo loco sint, non tenentur ad solutionem pecuniarum, vel ad vectigalia, nisi fuerit hereditans vtramque terram. Qui debebit soluere tributum Regi, in veritate dabit illi, sicut dabunt pares eius, & non plus; & non debebit dare, nisi secundùm potentiam & vires suas. Et qui possederit agros, & habitationes, & fructus terræ, non debebit quidquam violenter; neque transgrediantur hi limites ab illis qui vectigalibus præsunt. Neq; debebit egredi cum Moslemanis aduersus illorum inimicos in occursum belli & conflictus; qui Christiani non debent cogi ad pugnam; ex hoc enim quòd Christiani sunt, liberi sunt. Et sint Moslemani protegentes & defendentes eos; neque abhorrebunt ab auxilio alicuius Moslemani in conflictu quo sunt occursuri inimicis suis cum copia equorum & armorum. Et si venient sponte vt illis auxilientur, debent illis fauere, & cognoscere, & illos protegere. Nec trahatur quispiam ex Christianis ad Turcas vi, nec cum aliquo disputetur nisi in bonis: & conseruentur illis alæ misericordiæ, & remoueatur ab illis periculum, & odibile, vbi fuerint, & si fuerint. Et si coactus fuerit aliquis ex Christianis soluere pecuniam, vel aliud simile, Moslemanorum erit tribuere illi victoriam, & remouere ab ea talem solutionem, & impensam, reconciliando inter illum & alios, vel satisfactione satisfaciet pro illo; neque confundent eum, neque derelinquent, nec parui facient; quoniam do illis testamentũ Dei, vt illis concedatur quod nostris conceditur, & debeant quod nostri debent, & concedatur Moslemanis quod ipsis conceditur, & debeant Moslemani quod ipsi debent, per testamentum quod accipio super effusionẽ sanguinis. Et debebit hoc testamentum esse in existimatione & honore, & ex hoc debent remouere ab illis omne abominabile, & omne quod illis aliquo modo accidit, vt sint socij Moslemanorum in ijs quæ possident, & quæ ipsis eueniunt. Neque permittatur violenta coniugatio, nec retromittantur, nec aspernentur eos domestici, vt matrimonium contrahant cum Moslemanis, neque in hac re obsistant desponsationem petentibus, neque prohibeatur coniugium ..... non fiet nisi ipsis volentibus, & secundùm desideria eorum. Si illum amauerint, & desiderauerint, & quando placebit Christianæ, Moslemani est vt det illi quod cupierit in fide quam profitetur, vt perficiat quod præcipiunt Præsules eius, & obseruare doctrinam ipsius fidei, nec prohibeat illã ab huiusmodi operibus, nec odio prosequatur illam, vt eamdem dimittat, nec illi obsit vt fidem propriam abneget. Quod si fecerit, & illam coegerit abnegare, iam transgressus est testamentum Dei, & aspernatus est promissionem Apostoli Dei, & hic est apud Deum inter mendaces. Et si indiguerint pro resarciendis ipsorum Ecclesiis, vel eremitorijs, vel alterius pertinentis ad fidem illorum, vel auxilio à Moslemanis vel ope pro restauratione alicuius, debent illis opem ferre, & auxiliari, & id non erit fides, sed auxilium ipsis super negotia fidei ipsorum. His enim concessa est illis à me conscientia Dei & Apostoli eius. Neque quis ab illis abhorrebit, nec sit inter illos & Moslemanos inimicitia, vt cogant illos, vt sint nuntij, vel speculatores, vel ductores in rebus quæ ad bellum pertinent. Qui autem quid simile cum aliquo fecerit, erit tyrannus, & resistens Apostolo, & transgressor illius præcepti. Hoc est pactum quod pepigit Mahometus Apostolus Dei genti fidei Christianæ, & pepigit cum illis secundùm fidem illorum præcepta, quæ obseruare debent propter propriam conscientiam. Satisfactio autem horum erit, si nemo eorum fuerit proditor alicuius qui

sit

Digitized by Google

ſit ex prælio, vel alicuius Moſlemani in ſecretis vel publicis: neque recipiatur in domibus eorum Moſlemani inimicus, neque derelinquantur domicilia eorum, nec quidquam ex domibus cultus eorum, & ædificijs eorum, à Chriſtianis; neque auxilientur hominibus bellicoſis contra Moſlemanos in viribus, vel in armis, vel in equis, vel in hominibus, nec deponant apud illos diuitias eorum, nec ſcribant ad illos, nec contrahant cum illis amicitiam, niſi fuerint in domo pura in qua protegant ſe ipſos, defendentes proprium ſanguinem, & cultum religionis ipſorum. Nec prohibeant aliquem ex Moſlemanis ab hoſpitio trium dierum & noctium pro animalibus ſuis, & iumentis ſuis, vbi fuerint, & vbi voluerint, pro quo hoſpitio & cibo ſatisfacient, ne illis detrimentum vel odibile afferant: & ſi indiguerit abſconſione aliquis Moſlemanorum in domicilijs eorum, vel ædificijs eorum, recipiant eos, & requieſcere faciant à labore, & tuſtum facient, ſi abſconditos tegant & ſileant, vt non inueniat eos inimicus, & ſi fecerint quod erit conueniens ipſis. Et ſi quis eorum aſpernatus fuerit aliquod ex his fœderibus, & tranſgreſſus ea fuerit cum alijs, immunis erit conſcientiæ Dei, & conſcientiæ Apoſtoli Dei erga ipſos in illis teſtamentis & promiſſionibus; quæ feci pro Præſulibus & monachis, qui ſunt litteris imbuti. Et hoc eſt firmum teſtamentum Apoſtoli Dei Moſlemanis, vt credant & perficiant illud, ſi fuerint, & vbi fuerint: & ſuper Apoſtolum Dei eſt ſatisfactio eius, quod ſtatuit; & Moſlemanorum eſt ijs acquieſcere, & eadem venerari. Et numquam interierit mandatum hoc vſque ad diem reſurrectionis, & iudicium mundi. Et teſtimonium perhibuerunt de hoc libro, quem ſcripſit Mahometus Apoſtolus Dei inter Chriſtianos, cum quibus pepigit, & dedit hoc teſtamentum, Abubacr Eſſaddik, Oomar Ben-Elchetab, Ootman Ben-Aaffan, Aali Ben-Abizaleb, Mauuiet Ben-zeſian, Abueldarda, Abu Adren, Abu Harire, Aabdalla Ben-maſuud, Aabdalla Ben-Aabbas, Hhamze Ben-Aabelmatlab, Fadil Ebnel Aabbas, Elzarim Ebnel Vuam, Talhha ebn Aabdalla, Saad ebn Maad, Saad Ben-Eebade, Tabet Ben-Kiſzaid Ben-Tabet, Aabdalla Benzaid, Hharſuſe ebn-Zaid, Zaid ebn Arkam, Aſamet Ben-zaid, Sahal Ben-baida, Ootman Ben-Matuun, Daaud Ben-Giaber, Abu Aalie, Aabdalla Ben-Hamur Elaas, Abu Hhadiſe Ben-Ir, Ebn Rabiaa, Oomar Ben-Iamin, Haſcem Ben-Aaſie, Hhaſan Ben-Tabet, Caab Ben-Maleq, Caab Ben-Caab, Giaafar Ben-Abitaleb. Complacentia Dei ſuper illos, & ſcripſit cum illo Benabi Sefian ex amicis Apoſtoli Dei, die Luna quatuor menſibus completis, anni quarti Hagirati in ciuitate Medina. Et ſufficit Deus teſtis eorum quæ ſunt in hoc libro. Et laus Deo Domino ſæculorum. Et orauit Deus ſuper Dominum noſtrum Mahometum, & Deus electorum & purorum.

CAPVT LXIII.

De varijs mutationibus, quibus ſubiecta fuit Palæſtinæ prouincia, ab anno poſt Chriſtum natum ſeptuageſimo ſecundo, vſque ad milleſimum ſexenteſimum, & eius præſertim metropolis Ieruſalem, deque illius Latinis Catholicis Regibus & Patriarchis.

VArias ſemper hanc Palæſtinæ prouinciam, ſiue Terram promiſſionis, mutationes ſuſtinuiſſe, luce ipſa meridiana clariùs apparet tum in ſacris tum in profanis Scriptoribus, & ex parte etiam conſtat ex ijs quæ in præcedentibus à nobis dicta ſunt: at miſſas facientes eas, quibus obnoxia fuit ante aduentum Saluatoris noſtri, itemque perſecutiones, quibus primò puſillus Chriſtianorum grex, & poſteà Apoſtolicus poſt Chriſti mortem & aſcenſionem vſque ad Ieroſolymæ per Titum deſtructionem impetitus fuit; eas ſolummodò attingemus, quas ab eius ſacratiſſimo ortu anno ſeptuageſimo ſecundo, vel ſeptuageſimo tertio, vſque ad huius ſæculi annum 1626. & in primis ſancta & metropolis Ieruſalem, ſuſtinuit.

Titus pro Ieroſolyma expugnanda ſeparat.

Cùm totus ferè mundus in pace compoſitus eſſet ſub Veſpaſiano Imp. multaque ciuilia bella, quæ Romanum Imperium afflictabant, eſſent diſſoluta, Iudæi verò ſoli in deteriora prolaberentur; Imperator ille, Imperij ſui anno primo, & Chriſti ſeptuageſimo ſecundo, vt docet Cardinalis Baronius Tom. 1. ſuorum Annalium, Alexandriâ Romam nauigaturus, Titum filium in Iudæam reuerti iubet (teſte Ioſepho de Bello Iudaico lib. 5. cap. 14.) vt quod reliquum eſſet belli Iudaici abſolueret. Hic Cæſaream primùm veniens, omnem, qui ad expugnandam ciuitatem neceſſarius eſſet, apparatum comparat. Inſtabat iam dies Paſchatis, cuius occaſione ingens peregrinorum numerus de more Ieroſolymam ad diem feſtum conuenit: quia fortè Iudæi Veſpaſianum & Titum armâ ſua ad bella ciuilia reprimenda diuertiſſe, de Ieroſolyma verò minùs eſſe ſollicitos, ad ſtabiliendum potiùs Imperium omne ſuum ſtudium ac operam collaturos, ac proinde hoc ſaltem anno ab Ieroſolymiorum obſidione & oppugnatione temperaturos arbitrabantur. At hæc eos fefellit opinio: collectis enim vndique legionibus, quas Ioſephus lib. 6. Belli cap. 1. recenſet, exer-

cituque pluribus copijs aucto, Titus decima quarta die menſis Aprilis (quod idem Auctor teſtatur eodem lib. 6. & 18.) ad Ieroſolymam caſtra ſua poſuit in monte Oliueti, qui ἐλαιὼν Græce dictus eſt (ex eodem Ioſepho de Bello Iudaico lib. 6. cap. 2.) eodem ipſo nimirum in loco, vbi Dominus olim ciuitatem reſpiciens (quod aliàs dicemus) ſuper eam fleuit, Luc. 19. vt qui diuinis oculis coràm inſpectabat duriſſimam illam cladem, quam his perditiſſimis temporibus à Romanis paſſuri eſſent Iudæi, omnium hominum infeliciſſimi. Qui autem intra ciuitatem erant, quamuis alioquin priuata ſtudia eos in diuerſa traherent, cùm tamen in Romanos progrediendum eſſet, omni ſemoto odio, paribus animis magnaque audacia id aliquamdiu præſtitere, adeò vt ſæpè Titum cum ſuis in diſcrimen adduxerint. Interim tamen, nonnullorum factionibus, domeſticum rurſus inter eos bellum gliſcebat, dum ſcilicet ipſo Azymorum die à Ioanne quodam (quod ſcribit Ioſephus lib. 6. de Bello Iudaico cap. 4.) immiſſis clanculùm militibus armatis in templum, quotquot ibi reperti ſunt Zelotæ, ad vnum omnes interfecti ſunt, vt ex tribus factionibus duæ tantummodò remanſerint, Ioannis altera, altera verò Simonis. In templo itaque Dei ita cædi meruerunt, qui veluti templi honorem æmulantes, tot cædes ibidem perpetrauerant.

Vbi Chriſtus prædixit Ieroſolyma excidium, ibi caſtra poſuit Titus. Ioſiè Lib. IV. Cap. VII. Peregrin. VIII.

Fœdatur ſanguine templum.

Poſtquam igitur integro iam anno Titus Ieroſolymam obſediſſet, anno demum Chriſti ſeptuageſimo tertio eam cepit & ſubuertit, occiſis in ea multis hominum millibus, multisque millibus in captiuitatem abductis, factaque eſt gens Iudæa totius mundi ludibrium & ſpectaculum. Exactam huius belli hiſtoriam tum Ioſephus, gentis illius primarius & inſignis Hiſtoricus, tum & alij, qui de famoſiſſima illa Ieroſolymitanæ ciuitatis obſidione & vaſtatione ſcripſerunt, luculentiſſimè tradiderunt.

Poſt annuã obſidionem capta eſt Ieroſolyma.

Non hîc ad memoriam reuocare grauabor ſingularem Dei erga electos ſuos prouidentiam. Nam vt tunc intra muros Ieroſolymitanos concluſit Iudæos, futuros eſcam ignis & gladij, non modò qui eo tempore in Iudæa habitabant, ſed & qui ad Paſchæ ſolemnitatem ex varijs mundi partibus Ieroſolymam venerant: ita Chriſti fideles, tunc Ieroſolymis habitantes, ante vrbis excidium inde eduxit, & incolumes aliò tranſtulit, prout etiam olim iuſtum Noë de diluuio, fidelem Abraham de Vr Chaldęorum, & ſanctum Lot de excidio Sodomorum liberauit. Ita Athanaſius & Euſebius Cæſarienſis tradiderunt: Athanaſius in libello de Paſſione imaginis Domini noſtri Iesv Chriſti, qualiter crucifixa eſt in Syria in vrbe Beritho, cap. 4. dum dicit: *Sed biennium, antequam Titus & Veſpaſianus eamdem ſubuerterent vrbem* (id eſt Ieruſalem) *admoniti ſunt à Spiritu ſancto fideles atque diſcipuli Chriſti, vt relicta vrbe ad regnum ſe transferrent Agrippæ Regis, quia ipſe tunc Agrippa Romanis fœderatus erat. Qui egreſſi ab vrbe, omnia quæ ad cultum noſtræ Religionis vel fidei pertinere videbantur, ſecum auferentes, in has regiones tranſtulerunt ſe.*

Dei erga electos prouidentia.

Euſebius lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 3. in hunc modum ſcribit: *Eccleſia verò, quæ in Ieroſolymis fuerat congregata, reſponſo à Deo accepto emigrare iubetur, & tranſire ad oppidum quoddam Pellam nomine, trans Iordanem, quò, ablatis ex vrbe ſanctis ac iuſtis viris, vindicta cæleſti fieret locus, tam de vrbe ſacrilega, quàm de populo impio, per excidium patriæ euerſionemq; ſumenda.* Ex quibus elucet, Deum mirabiliter Sanctos ſuos ſub alis protectionis ſuæ cuſtodire.

Quòd ſi quis contendere velit, aliquos Chriſti fideles ibi relictos fuiſſe, qui Catholico ibidem cultu Chriſtum venerarentur, tranſituros deinde per ignem & aquam miſerabilis illius obſidionis in refrigerium æternæ beatitudinis, libenter gratisque concederem; cùm ſciam, Deum per tribulationes introducere Sanctos ſuos in Regnum ſuum. Reliqui verò qui inde aufugerunt Chriſtiani, Ieroſolymitana vrbe iam deſtructa, & Romanorum exercitu inde digreſſo, Ieroſolymam redierunt, Dei (vt creditur) iuſſu. Euſebius namque Cæſarienſis lib. 3. Eccleſ. Hiſtor. cap. 25. refert teſtimonium Hegeſippi, qui ſanctos viros veniſſe Ieroſolymam hunc in modum ſcribit: *Veniunt igitur & hi, & præſunt omni Eccleſiæ, & permanſerunt vſque ad tempora Traiani Cæſaris, vſquequò conſobrinus Domini Simeon martyrio eſſet affectus.* vbi de reditu in Ieruſalem manifeſte loquitur. Et in vrbe quidem Ieroſolymitana poſt eius excidium, & deinceps, Chriſtianos habitaſſe, tum Eccleſiaſticarum hiſtoriarum monumenta, tum inter cetera egregium miraculum atteſtatur, quod ad fidelium ſolatium, & fidei noſtræ nitorem, & ſermonum Chriſti veracitatem conteſtandam, operatus eſt Dominus, quando Iudæi, Apoſtatæ Iuliani Imperatoris auxilio freti, templum Ieroſolymitanum reſtaurare contenderunt, quod alibi opportuniori loco adducemus.

Soluta obſidione, qui diſceſſerant Chriſtiani Ieroſolymã redierũt.

Lib. IV. Cap. XIV. Peregrinat. III.

Hunc ergo in modum vrbe per Titum capta, anno poſt Chriſtum natum, vt diximus, ſeptuageſimo tertio, Iudæorumque regno extincto penitus, & ſub Romanorum iugum redacto, ſub eorumdem imperio vſque ad Choſroæ Regis Perſarum tempora perdu-

perdurauit, videlicet ad annum vſque Domini 614. vel, ſecundùm alios, 609. circiter. Interim Ælius Adrianus Imperator, anno Chriſti 136. Ieroſolymam reſtaurauit, & de ſuo nomine *Aeliam* vocauit, Iudæisq; vt eam inhabitarent conceſſit. Poſteà tẽpore Conſtantini Magni Imperatoris & Helenæ eius matris, circa annum Domini 326. reddita Eccleſiæ pace, Chriſtianorum dominio ceſſit, multis in ea, & vniuerſa Palæſtina, iuſſu Conſtantini & Helenæ matris, conſtructis Eccleſijs, & idolorum fanis deletis, vt alàs dicetur.

Ieroſolyma occupatur à Choſroë.

Porrò anno Domini 614. vel 609. circiter, Choſroë Perſarum Rege Romanum Imperium inuadente, Ieroſolyma ab eodem occupatur, relictis tamen in ea Chriſtianis. Eam verò biennio tantùm Choſroës poſſedit: nam Heraclius Imp. accepto diuinitus ſigno, illam vnà cum Dominica Cruce recuperat, ſanctamque Chriſti Crucem proprijs humeris ad Caluariæ montem reportat: quo tempore ingens illud miraculum patratum fuit, quod in S. Crucis exaltationis hiſtoria legitur.

Recuperatur ab Heraclio.

Recuperata igitur à Romanis ſancta Ciuitas, in eorum poteſtate perſeuerat vſque ad annum Chriſti 636. vel 639. ſecundùm diuerſos. Tuncque Henrico IV. imperante, Saraceni in Ægypto rerum potiti, magna vi Ieroſolyma expugnata, Terram ſanctam occupant: vbi etſi pauci quidam Chriſtiani permanſerint, & alij nonnulli pietatis ergò eò conceſſerint, reliqui tamen pro maiori parte è Terræ ſanctæ finibus eliminati fuerunt. Quot verò calamitatibus preſſi fuerint, nouit Dominus, pro cuius amore eas libenter patiebantur, quas ex parte recenſuit Tyrius de Bello ſacro.

A Saracenis inuaditur.

In tanta tamen rerum mutabilitate, & fidelium perſecutione, ſemper intactum remanſit Ieroſolymis Chriſti Domini ſepulchrum; idque factum credo non tantùm ſpe lucri, quod infidelibus ex pia fidelium viſitatione, vt quibuſdam placer, prouenieba, ſed multò magis diuinâ prouidentiâ. Cùm enim aliquando infideles illud penitus demoliri conarentur, diuinitus prohibiti fuerunt, vt alàs dicetur. Et hoc ideò factum arbitror, vt inter ipſos Chriſti nominis hoſtes illius glória eluſceſceret, & ex parte impleretur id quod de illo prædixerat Iſaias cap. 11, 10. *Et erit ſepulchrum eius glorioſum.* Et ſic annis 463. in poteſtate infidelium permanſit, quamuis alij pauciores numerent.

Domini ſepulchrum ſemper ſeruatum.

Lib. v. Cap. v. Peregrin. 1.

Anno autem Domini 1096. circiter, Petrus Eremita, diuino ſpiritu excitatus, diuinaque manu adiutus, plurima molitus, tandem Vrbanum II. monet, vt in Gallia prò recuperanda Ieroſolymitana vrbe Concilium generale indicat, Principesque Catholicos ad Chriſtianæ ditionis recuperationem cohortetur. Eum ergo in finem creati fuerunt Milites cruciferi ex omnibus Europæ Prouincijs, qui ſub Godefrido Bullonio, & alijs Ducibus, profectione verſus Terram ſanctam ſuſcepta, cum trecentis millibus peditum, & centum millibus equitum Niceam primùm & Antiochiam expugnarunt; deinde Syriam ingreſſi, oppida eius aliqua occuparunt, moxque Ieruſalem, & totam Terram ſanctam recuperarunt, prout etiam Capite ſequenti dicemus.

Terra ſancta à Chriſtianis recuperatur.

Godefridus verò ex tot illuſtriſſimis Principibus vnanimi omnium conſenſu, militum humeris delatus, Ieroſolymorum Rex proclamatur; auream tamen Regni coronam, cùm ſibi id optimus Princeps religioni duceret, accipere noluit, dicens, non debere in ea vrbe hominem auream geſtare coronam, in qua pro hominum ſalute humani generis auctor geſtaſſet ſpineam. Quam ob cauſam quidam illum in Catalogo Regum Ieroſolymorum Latinorum non connumerant, inquit D. Antoninus Part. 2. Hiſtor. tit. 16. cap. 13. §. 8. de Bello ſacro, ſed addit ipſe, & vere: *Mihi autem non ſolùm Rex, ſed Regum optimus, lumen & ſpeculum videtur aliorum. Non enim conſecrationis munus ſpreuiſſe credendus eſt, ſed pompam ſæculi perituram humiliter declinaſſe, vt coronam immarceſcibilem alibi conſequeretur.* Creatus Rex, vnico tantùm anno imperauit, ac moriens regni ſummam Balduino fratri conceſſit.

Latini Reges Ieruſalem.

I. Godefridus Bullon.

Balduinus I. ſecundùs Ieroſolymorum Rex, Regni habenas capeſſijt anno milleſimo centeſimo, regnauit autem octodecim annis. Sub iſto Rege Templariorũ Equitum Ordo originem habuit, vt tradit Tyrius. Eidem Balduino ſucceſſit alter Balduinus.

II. Balduinus I.

Balduinus II. tertius Ieroſolymorum Rex creatur anno milleſimo centeſimo decimo octauo, regnatque annis tredecim, moritur verò anno ætatis ſuæ 23. Huic ſuccedit Fulco Andegauenſis.

III. Balduinus II.

Fulco Andegauenſis, quartus Ieroſolymorum Rex, regnandi initium facit anno milleſimo centeſimo trigeſimo primo: regnat annis vndecim, cui Balduinus filius ſuccedit.

IV. Fulco Andegau.

Balduinus III. quintus Ieroſolymorum Rex, Regni gubernacula ſuſcepit anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſecundo, glorioſeque imperauit annis quindecim, Regnique fines ampliauit. Quo mortuo, Almericus frater eius ſuccedit.

V. Balduinus III.

Almericus ſextus Ieroſolymorum Rex creatur anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſeptimo, regnat annis duobus ſupra

VI. Almericus.

viginti, moriturque anno 1179. Cui ſuccedit Balduinus eius nominis Quartus, filius Balduini III.

VII. Balduinus IV. Balduinus IV. ſeptimus Ieroſolymorum Rex creatus eſt anno 1179. regnauitque annis quinque. Verùm quia lepra infectus erat, caſtiſſimus vixit, ac ſine filijs mortuus eſt. Hic cùm duas haberet ſorores, Sibyllam & Iſabellam, Iſabellam tradidit Horfrido Gallico, Sibyllam autem natu maiorem Guilielmo Longaſpathæ Marchioni Montferratenſi, quæ ex ipſo genuit Balduinum V. Mortuo Guilielmo Longaſpatha, Sibylla ſecundas nuptias contrahit cum Guidone Luſignano Principe. Moritur Balduinus Leproſus, & Balduinum V. nepotem ex ſorore Sibylla & Guilielmo Longaſpatha natu minimum, ad quem Regni ſumma ſpectabat, commendat Raymundo Principi Tripolitano. Raymundus igitur, vtpote Balduini V. tutor, ipſius nomine Ieroſolymitani Regni habenas tenet anno 1184. At paulò pòſt moritur Balduinus V. cuius morte Ieroſolymitanum Regnum hereditario iure ſpectabat ad Guidonem Luſignanum, qui ſecundas nuptias cum Sibylla contraxerat. Ille igitur regnum capit anno 1184. at Raymundus tutor Balduini, eius mortem celat; imò adhuc ipſum eſſe ſuperſtitem, vt Regno potiatur, fingit, ac bellum contra Guidonem molitur: quæ fuit vltima cauſa excidij Ieroſolymitani Regni, quemadmodum ad finem Capitis aperietur.

VIII. Balduinus V.

IX. Guido Luſignan.

Iiſdem temporibus, quibus inclyta ciuitas Ieroſolymorum à præfatis Latinis & Catholicis Regibus in temporalibus gubernata fuit, à Latinis etiam & Catholicis Patriarchis recta & cuſtodita fuit in ſpiritualibus ſancta Ieroſolymitana Eccleſia, donec noſtrorum culpâ, illa à Chriſtianis ablata, & Saracenis tradita fuit. Et vt iſtorum ſeriem antè retulimus, ita in præſentia horum catalogum, electionem, & eorumdem exitum breuiter ſubijciemus, prout tradit VVillelmus Tyrius de Bello ſacro, & Cardinalis Baronius Tomo 12. ſuorum Annalium. Veri ac legitimi Patriarchæ, poſt captam Ieroſolymam ſub auſpicijs Godefridi Bullonij vſque ad illius amiſſionem ſub Guidone Luſignano, fuerunt nouem, quot & Reges.

Nouem Patriarchæ ſucceſſiuè Eccleſiam Ieroſolymitanam gubernarunt vſque ad illius amiſſionem.

Igitur, omiſſo impio Arnulpho, qui impiè thronum Ieroſolymitanum, poſt captam ſanctam ciuitatem, ſibi vſurpauit, qua etiam dignitate iuſtè exutus fuit, vt ait Tyrius lib. 9. cap. 4. primus Ieroſolymitanæ Eccleſiæ legitimè electus Patriarcha fuit Daibertus Piſanus Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus. Hic poſt celebratum ſolemné Natalis Domini diem anno 1099. ab eiuſdem Domini Natiuitate, habito generali conuentu Principum, & eorum qui aderant Epiſcoporum, electus fuit in Patriarcham Ieroſolymitanum, pulſo nefario homine, qui thronum illius inuaſerat, Arnulpho, qui ſtabat à parte Principis Northmannorum: cùm interea ad Thronum Antiochenum Patriarcha electus eſſet Bernardus. Ab hiſce religiosè admodum Chriſtiani Principes recipere voluerunt ſinguli ſuorum Principatuum inueſtituras, Godefridus nimirum Regni Ieroſolymorum à ſuo Patriarcha, Boamundus Principatus Antiochiæ ab Antiocheno Patriarcha. Quo facto, ab ijſdem conſtitutæ ſunt dotes ijſdem Eccleſijs, quales anteceſſores Patriarchæ habuiſſe ſcirentur. Hæc & alia id generis pluribus Tyrius lib. 8. cap. 11. lib. 9. cap. 1. & 18. 19.

Primus Patriarcha, Daibertus.

Non ita multò pòſt quàm Godefridus in Regem & Daibertus in Patriarcham electi eſſent, anno videlicet Domini 1100. 15. Kalend. Auguſti, moritur fortis, pius ac ſtrenuus vir Godefridus, in cuius locum omnium Principum conſenſu ſuffectus fuit illius frater Balduinus, à quo, peſſimi Arnulphi inſtigatione, multa eſt paſſus Daibertus Patriarcha, illo ſibi vſurpante iura Ieroſolymorum Eccleſiæ: & ob contentiones inter hos exortas, Patriarcha Boamundum Principem Antiochiæ interpellauit, vt protector eſſet & conſeruator iurium Ieroſolymitanæ Eccleſiæ, vt pluribus docet Tyrius lib. 10. cap. 4. Baronius anno Chriſti 1100. num. 34. & ſequentibus. Vnde anno 1104. recedens Ieroſolymâ idem Daibertus, Antiochiam ad eius Principem Boamundum ſe contulit, qui ſimul in Italiam nauigarunt. Conuenit Daibertus ſummum Pontificem Paſchalem II. ad quem detulit quæcumque dolo Arnulphi ſuſtinuiſſet à Balduino, iura Ieroſolymitanæ Eccleſiæ imminuta deplorans: eumdem quoque Regem accuſauit, quòd diuortium ſponte ſua, abſque cauſæ cognitione iudicioque Eccleſiæ, cum legitima vxore feciſſet.

Ebremanus Patriarcha intruditur legitimo viuente.

Abſente verò Daiberto Ieroſolymorum Patriarcha, à Balduino in Patriarcham ſuffectus fuit Ebremanus: qui cùm ante diſcuſſam Daiberti cauſam, & abſque legitima auctoritate fuerit in eam Sedem intruſus, non meretur inter veros Ieroſolymitanos Patriarchas recenſeri.

Auditis à Paſchali Papa quæ à Daiberto Patriarcha proponebantur, ſecum eum detinuit, Ieroſolymam interim ſcribens, & inde ad ſe venire mandans, ſi quis aduerſus eum accuſationem aliquam intentare vellet; ſicque res dilata fuit in ſequentem annum, videlicet 1105. quo iudicio Sedis

Apoſto-

Apoſtolicæ innocens comprobatus Daibertus, in Sedem propriam remittitur. Româ itaque relictâ, vt Ieroſolymam ad ſuam ſe conferret Sedem, cùm veniſſet in Siciliam, apud Meſſanam moram faciens neceſſariam, tranſitum expectans, graui correptus ægritudine, 16. Kalend. Iulij viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt. Sedit autem in pace annis quatuor, in exilio verò tribus. Tyrius lib. 12. cap. 26. & lib. 11. cap. 1. Baronius anno Chriſti 1107. num. 15.

Ebremanus reditum Daiberti intelligens, & quòd auctoritate & ſententia Romani Pontificis ſede Ieroſolymitana priuandus eſſet, ignorans tamen Daiberti obitum, ad Romanâ Sedem transfretauit, cauſam ſuam acturus, & pro ſua innocentia allegaturus, quòd inuitus & renitens in illa Sede per Balduinum Regem poſitus fuiſſet: nihil tamen impetrare aliud potuit, quàm vt cum eo mitteretur Legatus, qui de cauſa eius Ieroſolymis pleniùs poſſet cognoſcere. Et à Paſchali Pontifice ad id muneris deſignatus fuit venerandus & probus ſenex Gibelinus Arelatenſis Archiepiſcopus. Qui cùm Ieroſolymam peruenisſet, collectoque Regni Epiſcoporum Concilio cauſa diſcuſſa fuiſſet, Ebremanus intruſus Patriarcha deponitur. Quia verò Legatus Apoſtolicus multam Ebremani religionem & ſimplicitatem conſiderabat, tunc vacantem Cæſarienſem Eccleſiam eidem commiſit.

Ebremanus deponitur.

II. Gibelinus.

Actum poſteà fuit quadam die de electione Ieroſolymitani Patriarchæ, & vnanimi omnium conſenſu electus fuit prudens Gibelinus Apoſtolicæ Sedis Legatus. Et hic fuit ſecundus legitimus Ieroſolymorum Patriarchâ. VVillelmus Tyrius lib. 11. cap. 4. Qui poſtquam Ieroſolymitanæ Eccleſiæ annis quinque gubernacula tenuiſſet, obdormiuit in Domino.

III. Arnulphus.

Mortuo Gibelino, eligitur Patriarcha Ieroſolymæ Arnulphus eius Eccleſiæ Archidiaconus, cuius deteſtabiles mores & opera nequiſſima proſequitur VVillelmus Tyrius lib. 11. cap. 15. 18. 19. Ita planè cum iſtiuſmodi eligerentur Epiſcopi, Numen Chriſtianis infenſum redditur. Dum impius iſte Patriarcham ageret, ſceleſtiſſimum facinus commiſit Balduinus: viuente enim adhuc prima coniuge, duxit aliam vxorem, Comitiſſam ſcilicet Siciliæ, quæ vxor fuerat Rogerij Comitis. Cùm ſic Numen diuinum offenderetur, res Chriſtianorum paulatim cœperunt in deterius labi. Tyrius lib. 11. cap. 21. Verùm cùm graui morbo correptus fuiſſet, conuerſus ad Dominum, ante ſuum ex hac vita diſceſſum ſuum confeſſus delictum, ſuperinductâ vxorem dimiſit, & pœnitentiam egit. Tyrius lib. 11. cap. 29. Cumque præmiſſum ſcelus aliæque aduerſus Arnulphum Patriarcham Ieroſolymitanum accuſationes Romam ad Paſchalem Papam delatæ eſſent, & ipſe Pontifex Legatum eam ob cauſam in Orientem miſiſſet, illic Concilio celebrato, idem Arnulphus omnium conſenſu deponitur. Qui ad Sedem Apoſtolicam prouocauit, à qua in priſtinam Sedem reſtitutus, remeauit ad propria: vbi eâdem viuendi licentiâ Sedem illam adminiſtrauit, qua priùs meruerat depoſitionem. Tyrius lib. 11. c. 26. Et poſtquam ſex annis Ieroſolymitanam occupaſſet Sedem, è viuis ſublatus fuit.

Succeſſit in locum Arnulphi Guarimundus natione Francus, diœceſis Ambianenſis, virtutibus pollens. Qui poſtquam decem annis laudabiliter Ieroſolymitanam Eccleſiam gubernaſſet, è viuis ſublatus eſt Sidone. Tyrius lib. 12. cap. 6.

IV. Guarimundus.

Mortuo Guarimundo ſubſtitutus fuit in Ieroſolymitanum Patriarcham Stephanus Abbas ſancti Ioannis Carnotenſis, affinis Balduini Regis, ſicut nobilitate, ita & moribus præſtans. *Qui* (vt ait Tyrius lib. 13. cap. 23.) *cùm orationis gratia, & orationis intuitu Ieroſolymam veniſſet; ibiq; tranſitum expectans moram faceret, contigit, quòd poſt exequias domini Guarimundi Patriarchæ, dum Clerus & populus de ſubſtituendo Paſtore tractarent, communi omnium voto electus eſt. Sollicitus fuit in conſeruanda ſuæ Eccleſiæ immunitate, vnde inter ipſum & Regem graues exortæ ſunt inimicitiæ, quarum tamen mors immatura Patriarchæ finem dicitur feciſſe; nam non completo biennio in fata conceſſit.* Opinantur nonnulli, veneno eum interijſſe, quod tamen abſolutè aſſerere non audet Tyrius. Quod ſuſpicionis occaſionem dedit, fuit, quòd cùm ægrotaret, & Rex ad eum viſitandum eſſet ingreſſus, & ab eodem de eius ſtatu quæſiſſet, ita reſponderit: *Sic eſt nobis in præſenti, domine Rex, ſicut vultis.*

V. Stephanus.

Stephano defuncto, in eius locum ſuffectus fuit VVillelmus Belga, Mechlinia oriundus, anno Domini 1131. vt citato loco tradit Tyrius cap. 26. qui & fuit aliquando ab Innocentio II. Rom. Pontifice, quòd rectè officio ſuo non fungeretur, redargutus. Tyrius lib. 14. cap. 11. Baronius anno Chriſti 1138. num. 16. Hic poſtquam abſoluiſſet quindecim annos in Sede, ex hac vita deceſſit, anno videlicet Domini 1146.

VI. VVillelmus.

Mortuo VVillelmo, ſuffectus fuit Fulcherius Tyri Archiepiſcopus, Aquitanicus, vir religioſus ac timens Deum, modicè litteratus, ſed conſtans & amator diſciplinæ, qui apud ſuos Abbas extiterat Canonicorum regularium in Monaſterio, cui *Cella* nomen.

VII. Fulcherius.

Profectus fuit aliquando Romam cum alijs Episcopis ob exortas controuersias de decimis cum Templarijs, & cùm ad propria reuersus fuisset, & tredecim annis sedisset, Ierosolymis è vita decessit.

VIII. Amalricus. Mortuo Fulcherio subrogatus fuit Amalricus. Tyrius lib. 19. cap. 1. Hunc nonum ordine Patriarcham ex Latinis facit Baronius anno Christi 1159. num. 54. quod verum est, si numeretur inter ipsos Ebremanus intrusus Patriarcha, de quo suprà, sed isto prætermisso, octauus erit. Amalricus hic anno Domini 1180. suæ sedis vigesimo secundo, ex hac vita discessit.

IX. Heraclius. Amalrico è viuis sublato, successit in Ierosolymitanam sedem Heraclius Cæsariensis Archiepiscopus. Ita successio Latinorum Patriarcharum, non autem Græcorum (inquit Baronius anno Christi 1180. num. 35.) qui suum schismaticum Patriarcham habebant, quem ipsi venerabantur. Erat autem hoc tempore Græcorum Patriarcha Ierosolymitanus Athanasius quidam: de cuius legatione Romam ad Rom. Pontificem Lucium III. & in Angliam ad Henricum Anglorum Regem pro celeri subsidio sanctæ ciuitatis, quomodoque ad hunc detulerit vexillum Regium, claues Sepulchri Domini, Turris Dauid, & ciuitatis Ierusalem, narrat ex Annalibus Anglorum Cardinalis Baronius anno Domini. 1185. num. 6. & seqq. Sub Guidone Lusignano, nono Ierosolymorum Rege, & sub Heraclio nono Patriarcha, postremi sanctæ ciuitatis gubernatore, deperdita ea fuit, nec ampliùs recuperata. Malum sanè omen præcessit in Regibus & Patriarchis, quòd nec illi nec isti perfectum denarium numerum attigerint.

Ierosolyma à Saracenis occupatur. Quomodo verò deperdita fuerit à nostris Ierosolyma, & à Mahometanis occupata, breuiter hîc subijcio. Cùm Raymundus, tutor Balduini V. de quo suprà, Ierosolymitanum Regnum iniustè affectaret, nec vires ei suppeterent ad pellendum Guidonem Lusignanum legitimum Regni successorem, Saladinum Turcam Ægypti Regem in auxilium sibi adsciuit. Adest Saladinus viribus potens, atque anno 1187. Guidonem Regno pellit, ipsumque Raymundum ad deditionem Ierosolymitani Regni compellit, ijs pactis & conditionibus, vt omnibus ex vrbe Ierosolymitana egredi, & ea, quæ humeris asportare possent, secum ferre liceret. Egreditur itaque misera Christianorum caterua, Heraclium Patriarcham & Clerum longo agmine secuta cum lacrymis, lugubre spectaculum præbens. Pars autem Antiochiam, pars Tyrum, pars Alexandriam petit, plurimi verò inde in Siciliam traiecerunt. Eo igitur anno 1187. amissa Ierusalem, numquam à Christianis, licet multa sæpè molientibus, recuperari potuit. Quare cùm anno 1199. capta fuerit à nostris Ierosolyma & Terra sancta, & in ea habitauerint Reges & Patriarchæ Catholici vsque ad annum 1187. colligitur fuisse à Christianis possessam annis 87. vel, vt alij malunt, 80. sicque nostrorum culpâ amissa, occupata fuit ab Ægypti Regibus. Sub quorum Imperio cùm iam annis 330. fuisset, anno Domini 1517. à Selimo Turcarum Imperatore capta fuit, & vsque hodie sub eius successorum ditione remanet hereditas nostra. Et hæc quidem omnia, quæ explicata sunt, sic accidisse, testatur Guilielmus Tyrius lib. 9. Historiarum, Raphaël Volaterranus lib. 2. Geographiæ cap. de Cælesyria & Palæstina, Eusebius in Chronicis, Matthias Palmerius in Additione ad Chronicon Eusebij, atque Auctor Supplementi Chronicorum, Epitome bellorum sacrorum apud Canisium lib. 6. Antiquæ lectionis, & denique singulariter Illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum scriptor Cardinalis Baronius.

CAPVT LXIV.

De Regni Ierosolymitani ac totius Terræ sanctæ præcellentia.

QVamuis ex aliquibus à nobis anteà explicatis, & inferiùs explicandis, non obscurè apparere possit, quanta sit nobilitas, claritas, dignitas ac præcellentia Regni Ierosolymitani, ac totius Terræ sanctæ supra cetera huius mundi Regna; nihilominùs placuit, ad maiorem eiusdem excellentiæ illustrationem, hîc peculiaria quædam scribere, ne peculiari subiecto proprius ac peculiaris locus negetur; præsertim quòd anteà de Ecclesiasticis ac sæcularibus Principibus, qui sanctæ ciuitatis regimen tenuerunt, sermonem instituerimus, & Libro 11. de Ecclesiastica dignitate Ierosolymitanæ Ecclesiæ aliqua dicturi simus: Et potest quidem ex multis nostrum hoc Regnum commendari, sed in genere ex duplici capite, ex naturalibus, & spiritualibus. Et nos quidem ex hoc, sequendo senioris Tobiæ vestigia, Ierosolymæ dignissimum Regnum commendabimus.

Ierosolymæ laus ex Tobia. Venerandus ille senex Deique probatus in tentatione amicus Tobias, Spiritu sancto afflatus, fausta quædam dixit de Regia nostra ciuitate, vnde eiusdem Regni Regisque tota felicitas procedit, quæ suæ historiæ capite 13. leguntur: & inter alia quæ sequuntur. *Ierusalem ciuitas Dei*, vers. 11. *Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum sæculo-*

ſæculorum, &c. verſ. 12. *Luce ſplendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te*, verſu 13. *Nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes, adorabunt in te Dominum, & terram tuam in ſanctificationem habebunt*, verſu 14. *Portæ Ieruſalem ex ſapphiro & ſmaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum eius*, verſu 21. *Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius ſternentur, & per vicos eius alleluia cantabitur*, verſ. 22. *Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, & ſit regnum eius in ſæcula ſæculorum ſuper eam. Amen*, verſu 23. Hæc de Ieruſalem propheticè Tobias.

Ieruſalem triplex, prima terrena, ſecunda cæleſtis, tertia mixta.

Ad quorum enucleationem ſciendum, ſacros Doctores triplicem Ieruſalem ſtatuere, vnam omnino terrenam, quæ eſt vrbs illa de qua noſter eſt ſermo, & quæ eſt figura reliquarum: alteram omnino cæleſtem ponunt, quæ eſt Beatorum patria, & triumphans Eccleſia: tertiam quaſi mixtam, ſpiritualem, quæ eſt Eccleſia militans, in terris ſcilicet commorans.

Difficultas nunc exoritur, de qua Ieruſalem ea quæ præmiſimus dixerit Tobias, an de vna dumtaxat, an de omnibus. Et quòd non ſeorſim de terreſtri, ſeu cæleſti, vel militante tantùm ſint intelligenda, ſed de omnibus ſimul, cum Carthuſiano tenet in hunc locum Serarius. Ratio illius eſt, quia non putat ſatis in terrenam congruere, quæ verſiculo 13. dicuntur: *Omnes fines terræ adorabunt te.* & quæ verſu 19. *Liberauit Ieruſalem ciuitatem ſuam à cunctis tribulationibus.* Nec in cæleſtem illa, quæ de ipſius excidio & reædificatione verſ. 11. & 12. non enim iſta huiuſcemodi obnoxia eſt.

Serar. q. 1. in Tob. 13.

Locus Tobiæ de terreſtri explendus eſt.

Ego nihilominùs arbitror, ea omnia ſingulariter intelligenda eſſe de noſtra terrena Ieroſolyma, ad quam reſpiciebat ſanctus ſenex, & quòd aliquando reſtauranda, & ab eius poſteris inhabitanda eſſet, gaudio replebatur, Deoque optimo maximo gratias agebat. Etſi non inficier, ad cæleſtem, triumphantem, & ſpiritualem militantem Ieruſalem diuino ſpiritu reſpexiſſe; quia, vt inquit S. Paulus, *omnia in figura contingebant illis*, 1. Cor. 10, 11. Si tamen figura figurato reſpondere debet, priùs aliquo modo quæ de figurato enuntiantur, de ipſa figura verificari debent. Et verè iam dicta de noſtra terreſtri ac materiali Ieroſolyma, iam impleta vel adimplenda eſſe, non erit laborioſum oſtendere: quo oſtenſo, appârebit, quanta ſit illius Regni & Regis excellentia. Sed ipſa ſancti ſenis verba explicabimus.

Celebrat S. Propheta nobilis Ieroſolymæ ac Regiæ vrbis dignitatem & præcellentiam in genere & in ſpecie, in communi & in particulari. In genere quidem, dum verſ. 11. illam ciuitatem Dei appellat; *Ieruſalem*, inquit, *ciuitas Dei*. Illud apud omnes compertum, phraſim eſſe ſacræ Scripturæ, vt quæque egregia & perfecta, Dei eſſe dicantur, ſicut alibi adnotaui: vt Pſal. 32, 7. *Iuſtitia tua ſicut montes Dei*; id eſt, ſicut montes maximi: ſubdit namque, *Iudicia tua abyſſus multa.* & Pſal. 79, 11. *Operuit montes vmbra, & arbuſta eius cedros Dei*; id eſt, cedros altiſſimas. Et de hac ipſa ciuitate idem Propheta tum alibi, tum Pſal. 86, 3. *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Volens itaque Tobias priùs breuî indicare excellentiam noſtræ Ieroſolymæ, illam Dei ciuitatem nuncupat. Et cùm tam egregia ſit, poteſt ſecundò dici ciuitas Dei, quoniam à Deo maximo ſibi peculiariter electa in locum ſedis, ſacrificij, maieſtatis & gloriæ ſuæ, ipſo dicente: *A die, qua eduxi populum meum de terra Aegypti, non elegi ciuitatem de cunctis tribubus Iſraël*, &c. *ſed elegi Ieruſalem, vt ſit nomen meum in ea*, 2. Paral. 6, 5.

Ieruſalem Dei ciuitas dicta ob eius excellentiam.

Alio etiam nomine, eodem ipſo in Capite indicat S. Patriarcha dignitatem Ieruſalem, *Confitere*, inquiens, *Domino in bonis tuis*, &c. quibus verbis, ad reddendas Deo gratias pro acceptis beneficijs, hortatur, quæcumque illa ſint, naturalia vel ſpiritualia; *non enim fecit taliter omni nationi.* Et ſi quæ à maximo & ſummè amante Rege dilectæ donantur, magna ea eſſe credere par eſt; quàm eximia credemus fuiſſe, quæ Rex Regum Dominus noſter largitus eſt habitationi ſuæ, quam ſupra cetera loca dilexit, alio Vate dicente: *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*, Pſal. 86, 2? Tam profectò egregia & digna, vt maiora excogitari nequeant. Hinc Salomon neſciens qua ratione meliùs pulcherrimæ ſponſæ exaggeraret gratiam, ac cæleſtem illius pulchritudinem, illam Ieroſolymæ comparauit, quaſi vltrà procedi haud poſſit. *Pulchra es*, inquit, *amica mea, ſuauis & decora ſicut Ieruſalem*, Cant. 6, 3.

Procedit S. Vates ad peculiares laudes ſanctæ ciuitatis, dicens: *Luce ſplendida fulgebis*, verſ. 13. Hîc, opinor, commendatur illius nobilitas, ex genere vel virtute proueniens. Fuit in more poſitum famoſiſſimis nationibus, varijs ſymbolis nobilitatem repræſentare; præcipuè tamen ſub lucis metaphora illam deſcripſere: vnde ortum habuit, quòd nobiles, clariſſimi & illuſtriſſimi; ignobiles verò & plebeij, obſcuri nuncupentur. Hebræi ſtellas pro ſymbolo erexerunt, quia illorum parenti Abrahæ dixit Dominus: *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli*, Geneſ. 22, 17. Græci coruſcantibus Solis radijs nobilitatis ſplendorem repræſentabant.

Lux Nobilitatis ſymbolum.

ſentabant. Ægyptij exornabant pyramides ſepulchrorum fulgentibus Solis radijs, eo ſymbolo indicantes, deficientibus Nobilibus in Republica, deficere eiuſdem ſplendorem, vel etiam Nobiles poſt mortem, generis, & multò magis virtutis ſplendore adhuc viuentibus prælucere. Igitur cùm Tobias non ſtellis, neque Solis radijs, comparet Ieroſolymam, ſed ipſi luci; & non cuicumque, ſed lucidæ; mihi præcellentem illius nobilitatem ampliùs oſtendiſſe videtur.

Ieruſalem nobilis ex fundatoribus ac reparatoribus:

Nobilis profectò; & in primis, ſi illius primum fundatorem conſidero Deum optimum maximum, qui licet ſit omnium creator, nihilominùs ſe peculiarem noſtræ ciuitatis prædicat conditorem. Et ad hoc indicandum, Regius Vates illuſtriſſimo illum appellat nomine, dum de eo tamquam de auctore loquitur, dicens: *Et ipſe fundauit eam Altiſſimus*, Pſal. 86, 5. Si de hominibus Dei altiſſimi miniſtris loquamur, qui illius fundationi, augmento, ac reparationi inſtiterunt, fuerunt, ſi qui alij, clariſſimi ac illuſtriſſimi genere & virtute, vt Melchiſedech, Dauid, Salomon, vt alios poſteriores, qui eidem operi ſecundùm exigentiam inſtiterunt, reticeam, prout dicetur Libro IV. Quàm antiquus & inſignis vir Melchiſedech (qui ſine patre, matre ac genealogia deſcribitur, Rex ſimul & Sacerdos, qui benedixit Abrahæ, & ab eodem decimas accepit) Filio Dei aſſimilatus, & eiuſdem typus: lege D. Paulum ad Hebr. 7, 1. Quid de Dauide & filio eius Salomone dicam? Ille vir ſecundùm cor Dei, faciens omnes voluntates eius, & ſupra ſenes doctiſſimus, ex cuius ſanguine ſanguinem ſumere ipſe Dei Filius voluit, & eiuſdem filius appellari. Quàm ſapiens & potens Salomon, quando ſingulariter operi inſeruiuit! Hoc dumtaxat auſculta, quod aliquando dixit ad illum Dominus: *Ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Sed & hæc, quæ non poſtulaſti, dedi tibi: diuitias ſcilicet & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis tui in Regibus cunctis retrò diebus*, 3. Reg. 3, 12. Ideò Dauid de ea: *Fundamenta eius in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*, Pſal. 86, 1. & iterùm: *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ*, Pſal. 47, 3. Et Salomon omnium Regum Iſraëlitarum potentiſſimus, de quo dicitur: *Salomon autem erat in ditione ſua habens omnia regna ſecum, à flumine terræ vſque ad terram Philiſthiim vſque ad terminum Aegypti: offerentium ſibi munera, & ſeruientium ei cunctis diebus vitæ eius*, 3 Reg. 4, 21. & paucis interpoſitis ſubditur: *Ipſe enim obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, à Taphſa vſque ad Gazam, & cunctos Reges illarum regionum: & habebat pacem ex omni parte in circuitu*, verſu 24. & tamen ſingulariter ad ſuæ gloriæ amplitudinem hoc dicit, quòd in Ieruſalem regnauerit: *Ego Eccleſiaſtes fui Rex Iſraël in Ieruſalem*, Eccleſ. 1, 12.

Secundò, Ieroſolyma ex naturali ſuo ſitu, loci eminentia, cæli ſoliſque felicitate, vniuerſas mundi vrbes ſuperabat, vt quæ in totius orbis & Iudææ meditullio, centro & vmbilico ſita, eminens tamquam Regia inter omnes accolas, velut caput in corpore, ſuper omnes terras egregia, ſplendidisque ædificijs ſicut Sol præ ceteris lucens, tantisque gloriæ illuſtrata ſplendoribus, vt ſingulari priuilegio eam ſibi pro Regia elegerit Dominus. Sed de his alibi. *Ex ſitu:*

Tertiò, Lucida & nobilis eſt propter habitatores ſuos, & eos qui ex ea originem traxerunt, Iſaiam, Zachariam, Aggæum, Malachiam, Eſdram, Zorobabelem, &c. ſed ſingulariter propter B. Mariam Virginem, quæ eſt pulchra vt Luna, & vt Sol electa; & propter Chriſtum lucem, quam illa genuit: etenim S. Deiparam Ieroſolymis conceptam & natam fuiſſe, alibi dicemus. Et Chriſtus Dominus licet Bethleemi in lucē editus ſit, nihilominùs in regione Ephratæa, vbi Ieruſalem ædificata eſt, Bethleemo adeò proxima, vt Bethleemi exorta lux, lux Ieruſalem non immeritò dici poſſit; præſertim quod Ieruſalem ſapientiæ luce, miraculorum ac redemptionis humanæ ſplendore illuſtrauerit: ideò Euangelicus Vates Chriſtum mundi lucem, ſingulariter lucem ſanctæ ciuitatis appellauit, dum illam hiſce verbis alloquitur: *Surge, illuminare Ieruſalem; quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt*, Iſaiæ 60, 1. *Ex habitatoribus.* *Lib. IV.*

Proſequitur Tobias eodem verſu 13. & ſequenti explicare ſanctæ ciuitatis dignitatem ex multiplici populorum deuoto ad eam concurſu, dicens: *Et omnes fines terræ adorabunt te. Nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt in te Dominum, & terram tuam in ſanctificationē habebunt.* Sed quid *terræ* appellatione intellexit S. Tobias? num Terram Iſraëliticam, an vniuerſum orbem? Fortaſſe ſuſpicabitur quis, quòd Terram Iſraëliticam dumtaxat intelligat, propter regulam illam, quòd quando in Scriptura ſacra dicitur, *Omnis terra*, ſeu, *Omnes fines terræ*, & huiuſmodi, non ſignificetur abſolutè quidquid vbique terrarum eſt, ſed accommodatè ad id de quo eſt ſermo. Ita docuit S. Hieronymus ad illud Iſaiæ cap. 13. *Et diſperdam omnem terram. Non*, inquit, *totum orbem, ſed omnem terram Babylonis & Chaldæorum. Idioma eſt enim*

enim ſcripturæ, vt omnem terram illius ſignificet prouinciæ de qua ſermo eſt. Act. cap. 2, 5. *Erant autem in Ieruſalem habitantes Iudæi viri religioſi ex omni natione quæ ſub cælo eſt.* ab omni inquam natione in qua erãt Iudæi. 1. Eſdræ cap. 1, 2. ait Cyrus: *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus*, nempe Aſſyriorum & Chaldæorum, vbi ipſe regnabat. Secundùm hunc intelligendi modum, aliqui arbitrantur fuiſſe locutum Tobiam de Terra promiſſionis, quia videlicet liberè decem tribus conuenire debebant Ieroſolymam poſt illarum à captiuitate reditum, vt ibi adorarent, quod anteà liberè non faciebant.

Celebris Ieroſolyma ex frequentia omnium populorum concurſu.

Hoc quidem verum; ſed ampliùs ad quaſcumque gentes reſpexiſſe Tobiam, non Iudæorum modò, ſed etiam Gentium, arbitramur: quoniam Dominus, qui regnaturus erat in ea, non tantùm Rex & lumen Iudæorum eſt, ſed etiam Gentium. *Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël*, dixit de eo S. Simeon Luc. 2, 32. Igitur ſicut exoriente Sole, qui ſuo fulgore omnem illuminat mundum, non vna dumtaxat gens illius perfruitur beneficio, ſed omnes ambulant in lumine eius; (*Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam*, Pſalmo 103, 22.) ita exorta diuina hac Ieroſolymis luce, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminante, omnes etiam mundi homines ad illam confugiunt. Et hoc clarè indicat paulò antè citatus Iſaias, dum inquit, *Surge, illuminare*, &c. Quod apparuit tum primò, quando hæc lux mundo apparuit: nam non ſolùm ad eam ambulauerunt ex Terra Iſraël paſtores, ſed ex longinquis alijs partibus Gentiles in Magis repræſentati, quando ij venerunt Ieroſolymam, quærentes & dicentes: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum*, Matth. 2, 2. Et de omnium gentium Ieroſolymam concurſu, vt in ea Dominum orarent, pluribus opportuniori loco dicemus.

Sancta à fidelibus & infidelibus habita.

Et quòd Ieroſolymitanum ſolum ſanctum habendum eſſet, & ciuitas ſancta à Iudæis vel Chriſtianis, non mirum, quia qui in ſacris Litteris eruditi ſunt, nouerunt ſanctam eſſe, ſanctiſſimisq; myſterijs conſecratam: ſed quòd talem habeant & prædicent exteri & inimici diuinorũ myſteriorum ignari, maioribusque tenebris, quàm vera luce circumfuſi, adeò vt videatur impletum quod Propheta dixit, Ieruſalem eſſe gaudium vniuerſæ terræ; hoc non modicam adfert admirationem.

Quantum olim noſtram Ieroſolymam & Terram ſanctam æſtimauerint Perſæ, Chaldæi, Aſſyrij & Ægyptij, efficax eſt argumentum, quòd totis viribus illius poſſeſſionem ſibi vendicare admiſi fuerint. Vnde vaſtiſſimis ac opulentiſſimis regionibus ſuis relictis, nec ſumptibus, nec laboribus periculiſve parcentes, hanc anguſtiorem appetebant, ſuis latiſſimis eam præferentes, quemadmodum modicum aurum multæ terræ præfertur.

Eam ipſam ob rationem modò eamdem pluris æſtimat Turca: & inter tot obſcuras denſasque errorum tenebras, quibus excæcatur, hæc nihilominùs modica lux illum irradiauit, quòd regionem hanc à Deo electam, & ciuitatem ſanctam, imò ipſam ſanctitatem eſſe agnoſcat & deprædicet: omnes ſiquidem Turcę & Mauri Ieroſolymam *Cods*, quod in illorum idiomate ſanctitatem ſignificat, communiter appellant. Et quàm prompto animo non pauci, ijque ex Turcis præcipui, relicta frequentiſſima opulentiſſima Imperialiq; ciuitate Conſtantinopolitana, nulla itineris incommoda detrectantes, longæ ac periculoſæ peregrinationi ſe accingunt, vt habenas ſanctæ noſtræ ciuitatis capeſſant? Expertus loquor. Opportuna occaſione quæſiui aliquando à quodam Ieroſolymorum Gubernatore, qui velis & remis, vt aiunt, non Turcarum modò, ſed & Chriſtianorum fauoribus adiutus, eodem in munere continuare ſtudebat, quæſiui, inquam, quare tam libenter Ieroſolymis habitaret. Reſpondit ille ad intentum. Et quis tam mentis inops, qui libenter non eligat in iſta tam egregia ac ſancta habitare vrbe, vbi tot Patriarchæ, Prophetæ, Reges, alijque præſtantes & eximij viri floruerunt, ad quam ex omnibus mundi partibus pietatis ergò veniunt non ſolùm vegeti viri, ſed & ſenio confecti, & debiles ac infirmæ mulieres, itineris longitudinem, aliaque incommoda parui pendentes? Quamuis non me lateat, alium eum ob finem in ſancta ciuitate habitare, eidemque præeſſe ſtuduiſſe; non tamen abs re ita dicebat, quòniam minimè ignorabat, illam pluris ob ſuam ſanctitatem fieri; qua licet ipſe eſſet omnino deſtitutus, arbitratus tamen fuit, illà in medium illatâ, verè latentem cupiditatem atque regnandi libidinem, velut honeſto pallio, operiri poſſe. Omnes vniuerſim Turcæ Ieroſolymam vnum ex præcipuis ſanctuarijs ſuis habent, & pietatis intuitu eò peregrinantur, & ſicut prædixit Tobias, *Terram eius in ſanctificationem habent.*

Ieroſolyma Turcarum ſanctuarium.

Nomen etiam Ieruſalem quod ſemper retinuit ac retinet noſtra ciuitas, poſt tot illius clades & mutationes, eius præcellentiam non obſcurè demonſtrat. Varijs appellata fuit nominibus à ſacris & profanis

Celebris eſt ex ſolo nomine.

Scripto-

Digitized by Google

Nomina Ieruſalem varia.

Scriptoribus: *Salem* videlicet, *Iebus*, *Solyma*, *Ieroſolyma*, & *Ieroſolymæ* numero plurali, *Ciuitas Dauid*, *Mons Sion*, *Ciuitas ſancta*, *Ciuitas Dei*, &c. eamque tandem, Ælius Adrianus Imperator, qui deſtructam reſtaurauit, à nomine ſuo Æliam appellari voluit: verùm iſto nomine ferè abolito, aliisque pro maiori parte obliuioni traditis, communiter *Ieruſalem* appellata fuit, & appellatur.

Nominis Ieruſalem ſignificatio.

Sed quid *Ieruſalem* ſignificat? Viſionem pacis, ſiue viſionem pacificantem, reſpondent Linguæ ſanctæ periti. quaſi nomine ipſo indicetur, quidquid beatitudinis in hac mortali vita haberi poteſt, in ea inueniri, qua gaudent illam amantes, ſed multò magis inhabitantes ſimul & poſſidentes. Inquit enim S. Auguſtinus lib. 9. de Ciuitate Dei, cap. 10. *Tunc dicimur eſſe beati, quando pacem habemus, quantacumque haberi poteſt in hac vita.* Et Chriſtus Dominus beatos pacificos appellat Matth. 5,9.

Sed ad intentum Tobias noſter: *Beati omnes qui diligunt te* (ô Ieruſalem) *& qui gaudent ſuper pace tua.* Felices ergo ac beati inquilini Ieroſolymitani. Et ſi pax eſt rebus optimis anteponenda, vt habet vulgatum Auguſtini dictum, quare noſtra ciuitas non erit omnibus mundi locis anteponenda, & Regnum eius ceteris alijs præferendum?

Ieruſalem celebris ex ſuis Regibus.

Conditio Regum ſanctæ ciuitatis arguit noſtri huius Regni dignitatem. Sunt Reges in duplici differentia: inuncti alij, alij non item; & illi iſtis præferuntur. Reges Ieroſolymitani primi ordinis ſunt, & ex Domini mandato inungebantur, vt patet in ſacris Litteris: & ita à Sacerdotibus & Prophetis vncti fuerunt in Reges, Saul, Dauid, Salomon, &c. Et ex hoc capite habemus, Ieroſolymitanos Reges, quoniam ſunt ſacro oleo inuncti, præcellere alios non ſimiliter inunctos, nec eis præſtantiores eſſe eos qui non ſunt vncti: ſed quòd tam non vnctos, quàm vnctos omnes, dignitate ſuperent, habent aliunde, ex Regia ſcilicet dignitate, mirabilibusque in eadem patratis. Galli & Hiſpani, licet alioquin inter ſe diſſentiant quoad dominium & titulum Regni Ieroſolymitani, omnes tamen vnanimiter in eo conueniunt, Regi Ieroſolymitano primum inter temporales deberi locum & ſedem ab Eccleſia in eius pompis ſolemnibus & locis publicis, quoniam ſunt Ieroſolymæ totiusque Terræ ſanctæ Reges, vbi Rex Regum Chriſtus Dominus conceptus & natus eſt, gloria & honore coronatus apparuit, conſuetudinem & colloquium cum hominibus habuit, fidem & Euangelium prædicauit, Apoſtolos elegit, ex quorum doctrina & miſſione ceteræ nationes, vt ex fonte perenni, aquas fidei & ſalutaris doctrinæ hauſerunt; vbi noſtram ſalutem operatus eſt, ac vbi deniq; tamquam ſupremus Rex & Dominus, cui ab æterno Patre omnis poteſtas tradita eſt in cælo & in terra, in conſummatione ſæculi vniuerſum orbem iudicabit. Et ita tradit Doctor Franciſcus VValdeſius ex pluribus Auctoribus cùm Gallis tum Hiſpanis, cap. 17. ſui libri, cui titulus eſt, *De dignitate Regum Regnorumq; Hiſpaniæ, & honoratiori loco eis ſeu eorum Legatis à Conciliis ac Romana Sede iure debito.* Et quia ibi tenet, Hiſpaniarum Regem eſſe etiam Regem Ieruſalem, ex hoc titulo contendit, ab Eccleſia ei deberi primam ſedem ſupra alios Reges. Igitur habemus ex dictis, Ieroſolymorum Reges dignitate alios omnes ſuperare.

Ieruſalem celebris ex ſtemmatibus.

Pergit Tobias, & ait: *Portæ Ieruſalem ex ſapphiro & ſmaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioſo omnis circuitus muri eius.* Quibus verbis idem Tobias expreſsè explicauit ſanctæ ciuitatis dignitatem ex nobili ac pretioſa illius ſtructura, adeoque ſat euidenter illuſtriſſimi eius Regni conditionem ex eiuſdem clariſſimis ſtemmatibus innuiſſe videtur. Regni cuiuſuis nobilitas & claritas ex ſtemmatibus cognoſcitur, quæ illi comparauerunt Heroës & Principes egregijs ſuis facinoribus, vt ſatis compertum eſt. Et Ieroſolymitani Regni ſtemmata ſunt omnium Regnorum nobiliſſima, quippe quæ virtute ſua illi acquiſiuit Rex ac Reparator noſter CHRISTVS IESVS, quinque inquam aureæ Cruces in argenteo campo rutilantes, & multò magis quàm ſtellæ, Sol, aliáve in cælo ſidera fulgeant, & aliorũ illuſtriſſima quæque trophæa. De Cruce ſiquidem exclamat S. Eccleſia. *O Crux ſplendidior cunctis aſtris, mundo celebris, hominibus multùm amabilis, ſanctior vniuerſis,* &c. *in qua Redemptor noſter mortis vincula rumpens, callidum aſpidem ſuperauit, in qua vita mundi pependit, in qua Chriſtus triumphauit, & mors mortem ſuperauit, & in qua adſunt prodigia diuina in virga Moyſi primitus figurata.* Et hæc omnia ex beneficio Saluatoris: aliàs enim erat lignum maledictum, & maledictus ille qui in eo pendebat: vt primus ille Chriſtianus & diſcipulus Chriſti Andreas magno cordis affectu verè dixerit: *O bona Crux, quæ decorem de membris Domini ſuſcepiſti, in corpore Chriſti dedicata, & ex membris eius tamquam margaritis ornata,* &c. Hinc Saluator illius memoriam perpetuò, etiam poſt ſuam Reſurrectionem glorioſam, in ſuo immortali corpore conſeruare voluit, pretioſiſſima illa quinque Vulnera, quæ in Cruce de hoſtibus triumphans ſuſcepit, retinens, quæ in quinque aureis noſtris Crucibus repræſentantur. Et ad inſtar ſummi

Ieroſolymitana ſtemmata quinque Crucis aurea.

Crucis ſplendor quantus.

Eccleſia in feſto ſancti Andreæ.

mi Ducis, glorioſi vexilli ſignum non ſolùm vbique attollitur à fidelibus, vt prædixerat Iſaias cap. 11, 12. Sed præterea ad oſtentandam virtutem ac poteſtatem Saluatoris, eadem apparebit in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit, vt ipſe Chriſtus Dominus indicauit illis verbis: *Tunc parebit ſignum Filij hominis in cælo*, Matth. 24, 30. Signi namque appellatione intellexiſſe eum Crucis ſignum, veteres Patres vnanimi conſenſu docent. Ita Origenes, Chryſoſtomus, Hieronymus, Hilarius, Theophylactus, Euthymius, Beda in cap. 24. Matthæi, item Cyrillus Catecheſi 15. Auguſtinus Sermone 130. de Tempore: quibus ſuffragatur Eccleſia in feſto Inuentionis S. Crucis, dum ait: *Hoc ſignum Crucis erit in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit.* Sibylla etiam lib. 6. in fine:

Crux in iudicio finalis apparebit.

O lignum felix, in quo Deus ipſe pependit!
Nec te terra capit, ſed cæli tecta videbis,
Cùm renouata Dei facies ignita micabit.

Et Thomas VValdenſis Tomo 3. titul. 20. cap. 158. non omnino improbabiliter dicit, inquit Bellarminus l. 2. de Imaginibus, c. 28. ipſam veram crucem ligneam, quæ nunc diuiſa eſt in multas particulas, tunc reformandam, & colligendam, & apparituram in cælo: nam id videntur aſſerere Sibylla, & Chryſoſtomus in Sermone de Cruce & latrone; nec alij Patres contradicunt.

Nec obſtat illud Eccleſiæ, *Hoc ſignum Crucis erit in cælo*: nam etiam vera Crux dici poteſt ſignum Crucis, id eſt, inſtrumentum habens figuram Crucis. Sed ſi hoc non admittatur, ſaltem imago Crucis lucida in cælo apparebit ex aëre vel igne condenſato, vt Abulenſis, Ianſſenius, & alij docent.

Quare, vt quod aſſumpſimus concludamus, etſi alij Nobiles & Reges glorientur in ſuis gentilitijs ſtemmatibus, ſtellis, Luna, Soléve exornatis; noſtri Ieroſolymitani Principes in ſola Cruce aliorum omnium ſtemmatum nobiliſſima gloriabuntur, ex qua omnis vera Chriſtianorum gloria proceſſit, & illorum quilibet cum Apoſtolo dicit: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*, Galat. 6, 14.

Hanc præcellentem ſtemmatum Regni Ieroſolymitani excellentiam inſinuauit ſuprà adductis verbis Tobias, ſic inquiens: *Portæ Ieruſalem ex ſapphiro & ſmaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum eius, & lapide candido*, &c. hæc enim effatus eſt de noſtra Ieroſolyma, vt oſtenderet, maximam eius futuram claritatem, & populorum ob eam lætitiam. Et ad duo ſingulariter mihi videtur reſpexiſſe: primò ad excellentiam materialis ſtructuræ, ſecundò ad illuſtrem eiuſdem conditionem. Vt primum explicem, ſtructura ſanctæ ciuitatis adeò egregia & magnifica exurgere debebat, vt meritò dixerit ſanctus ſenex, ædificandam eam eſſe ex lapidibus pretioſis, candidis ac mundis. Et hæc quidem ex parte apparuerunt in illius reædificatione ſub Zorobabele poſt Hebræorum reditum ex Babylonica captiuitate, vt in Eſdræ cap. 1, 2. & Ioſepho lib. 6. de Bello Iudaico, cap. 6. videre eſt: amplius verò, quando poſt multas quas ſuſtinuit clades, ſub Magno Conſtantino reædificata, aucta, & nobilibus ædificijs decorata, quemadmodum Euſebius in illius Vita l. 3. c. 24. de his loquens hiſce verbis explicuit: *Opus memorabile apud Palæſtinorum gentem diuinus hic Imperator efficere aggreſſus eſt. Et quodnam, quæſo? Sanctiſſimum illũ ſalutaris Chriſti reſurrectionis locum Ieroſolymis exiſtimauit ita à ſe illuſtrari debere, vt omnibus eximius & veneratione dignus videretur.* Et inferiùs c. 32. *Rerum nulla interpoſita mora, proſperè ſucceſſit euentus, atque ad illud ſalutare Chriſti monumentum noua Ieruſalem ædificata eſt*, &c. *Quæ fortaſſe recens eſt illa & noua Ieruſalem Prophetarum oraculis prædicata, de qua vaticinationes pluribus verbis explicatæ, plurima Spiritus ſancti inſtinctu canere videntur.* Hæc Euſebius. Et poſt Conſtantinum vſque ad noſtrum ſæculum, licet innumeris cladibus fuerit obnoxia ſancta ciuitas, vt ſuperiùs memorauimus, nihilominùs vltimò reædificata, ſub Selimo Solimano Turcarum Imperatore, ex ſectis dolatis albisq; lapidibus, non iniucunda & inelegans ſurrexit, ita vt in Palæſtina nulla alia ciuitas hanc nedum excedat, ſed nec ei æquiparari meritò poſſit. Verùm hæc implenda magis opinamur poſt Antichriſti aduentum & interitum, quando è manibus infidelium per Chriſtianos eripietur, ab ijſdemque poſſidebitur, mundabitur, & reſtaurabitur, & denique cum gaudio & exultatione cordis non ſolùm in templis, ſed in ipſis etiam vicis *Alleluia* cantabitur.

Nobilitas Ieruſalem ex mater & ſtructura.

Eamdem inſuper illuſtrem claramque Ieroſolymæ ex illius ſtemmatibus conditionem, arbitror à Tobia ſignificatam eſſe ſub electorum lapidum ſymbolo, & ſingulariter ſapphiri & ſmaragdi, qui ſunt lapides ſcintillantes admodum, quibus portæ & muri Ieroſolymæ conſtruendi & exornandi erant. Ad cuius intellectum pauca hîc ex multis adnotanda ſunt, quæ de ſapphiro & ſmaragdo tradunt rerum naturalium inueſtigatores, & ſacri præterea Interpretes, tum alibi, tum in Apocalypſeos cap. 21, 19. quæ ad argumentum, quod tractamus, accommodata, illud manifeſtum reddent.

Sapphiri conditio.

In primis ſapphirus cæruleus eſt, ait Plinius

nius, & alij passim. Secundò aureis punctis quasi stellis interlucet & scintillat, inquit idem Plinius, & Isidorus; vnde ab Euphrasto *auro distinctus* dicitur. Tertiò cæli speciem præ se fert, ait ex Plinio S. Hieronymus; vnde & Exodi 24, 10. visio Dei, qua apparuit Moysi & Senioribus, fuit *quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum cùm serenum est*; indeque à gemmarijs sapphirus vocatur *gemma sacra*. Quartò denique de veterum sapphiro ait Pierius Hieroglyph. 41. *Sapphirus, apud veteres magna semper in veneratione fuit: siquidem per eum imperium & summum Sacerdotium significari, manifestum est.* Hinc veteres Ægyptiorum summi Iudices, qui erant Pontifices, è collo gestabant sapphirum, cui insculpta erat Veritas, teste Æliano lib. 14. cap. 34. & Dominus Deus voluit, vt insereretur in superhumerali summi Sacerdotis, Exo. 28, 18. Et Rueus, *Supremam*, inquit, *olim sapphirum apud homines auctoritatem habuisse, & apud Dinos gratiã, ipsa perhibet antiquitas.* vt tunc illis iucundum & gratum fuerit sacrificium, quando offerebatur in sapphiro, id est, in patina sapphirina, vel certe quando Sacerdos in annulo gestabat sapphirum. Et Abulensis in eumdem Exodi locum, *Apud Gentilium deos*, inquit, *in magna fuit sapphirus reuerentia, quòd sine eo responsa non dabantur.* Et in cap. 28, 18. ait, olim sapphirum *gemmam gemmarum* appellari solitum. Et hæc de sapphiro ad intentum satis.

Smaragdi natura.

De smaragdo hoc tantùm dicam, eum esse gemmam maximè viridem; adeoque apud veteres fulgentem, vt Athenæus lib. 3. cap. 8. asserat, illam meliùs posse dici Maragdum, quòd ex splendore, vt ille docet, nomen adepta sit. Et Plinius lib. 7. cap. 5. docet, smaragdos nimiùm esse semper radiantes, nullìusque coloris aspectum illis iucundiorem, eò quòd nihil omnium, illis comparatum, viridius micet, eiusque coloris sit lassatam oculorum reficere aciem, quo etiam oculi numquam exsatiari possunt, vt in herbis apparet virentibus. Smaragdus porrò vnus erat ex lapidibus pretiosis, quos collocari iussit Dominus in Rationali siue superhumerali summi Sacerdotis, in quo scriptus erat *Iudas*, Patriarcharum & tribuum Israëliticarum fortissimus, qui viride semper ac perenne habuit sceptrum & Regnum pænè vsque ad Christum, iuxta prophetiam Iacobi Genes. 49, 10.

Crucis signati Paradisi ciues.

Iam proposito nostro singula accommodamus. Si cæruleus est sapphirus, vt dictum est in prima eius proprietate; & si sereni cæli speciem præ se fert, vt in tertia; & insignia Regni nostri verè cælestia sunt, & quæ cum ipso cælo cognationem habeant; ideò non solùm Crux Saluatoris erit in cælo cùm ille ad iudicandum venerit, sed quotquot eâdem insigniti sunt, intra cælestem Ierusalem admittuntur. Imò qui eò introducendi sunt, iubentur à Domino signari: quod indicatum Ioanni, quando tot signatos vidit in cælesti curia, qui albis amicti stolis, palmas in manibus suis gestabant. Dixit enim illi vnus ex senioribus illis cælestis patriæ incolis: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni*, Apoc. 7, 14. Et qui porrò sunt ij? Vtique, qui crucem portauerunt cum Christo iuxta illius mandatum & exemplum. Nam & conuersus latro, qui voluntariè crucem sustinuit, meruit à Domino audire, *Hodie mecum eris in paradiso*, Luc. 23, 43.

Deinde, si aureis stellis fulget sapphirus, & aureis crucibus, omnibus stellis fulgentioribus, coruscant in argento nostra stemmata; & si præterea sapphirus fuit apud veteres in magna veneratione habitus, vtpote symbolum Imperij & summi Sacerdotij; quis non videt, Crucem semper plurimi fuisse habitam, quippe quam ab æterno elegit sibi Dei Filius, Agnus occisus ab origine mundi, in ligno vitæ Paradisi, in serpente æneo, & innumeris alijs symbolis antiquitus præfiguratam. Qua insuper tamquam pretiosissimo ornamento, omnes Christiani Principes, Ecclesiastici ac sæculares, sua exornant insignia, quia illi subiacent cui ab æterno Patre data est omnis potestas in cælo & in terra, & à quo ipsi omnem dignitatem & potestatem acceperunt. Quemadmodum etiam sanctæ R. E. Cardinales in proprijs insignibus nobiliori collocant loco stemmata illorum summorum Pontificum, à quibus Cardinalitia dignitate condecorati fuerunt. Cruce porrò sanctificamur, eiusque beneficio nos nostraque Deus accepta. Hinc in omnibus Sacramentis, in quibus homines sanctificantur, signum Crucis adhibetur, vt docet Dionysius cap. 4. 5. & 6. de Eccles. Hierarch. S. Augustinus Tract. 118. in Ioannem, circa finem, sic inquit: *Quid est, quod omnes nouerunt, signum Christi, nisi Crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ qua regenerantur, siue oleo quo Chrismate inunguntur, siue Sacrificio quo aluntur; nihil eorum ritè perficitur.* Et lib. 1. Confess. cap. 11. *Signabar iam signo Crucis, & condiebar sale Christi.*

Crux aliorum stemmatum ornamentum.

Cruce sanctificamur.

Et sanè Christus in cruce, velut in altari sapphirino, se acceptum sacrificium obtulit Patri, mundumque ei reconciliauit, Apostolo dicente, Colloss. 1, 20. *Pacificans per sanguinem Crucis eius*, id est, per sanguinem

nem quem in accepto altari Patri ſuo obtulit. Et ideò ab omnibus in veneratione & honore habetur.

Crux ſpes noſtra.

Denique, quia de ſmaragdo diximus, eum eſſe viridem ac fulgurantem, vbi ſpei & fortitudinis ſymbolum agnoſcimus, quis non videt Crucẽ eſſe ſpem & fortitudinem noſtram? *O Crux aue, ſpes vnica*, vociferatur Eccleſia. Per eam firmatum eſt & exaltatum Chriſti de tribu Iuda Regnum, Paulo de eo dicente: *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*, &c. Eaque muniti fideles, de immaniſſimis hoſtibus ſuis triumphant, & mirabilia efficiunt, & meritò; quia ſancta Crux vexillum eſt, quo hoſtes noſtri deuicti fuerunt; ideò illius aſpectum exhorreſcunt, *quia damones*, vt de illa loquens Origenes Homil. 8. in diuerſos, ait, *cùm viderint contremiſcunt: nam qui aurea Capitolia non timent, Crucem timent.* Et Athanaſius libro de Incarnat. Verbi ſic inquit: *Signo Crucis omnia magica compeſcuntur*, &c. Quare appoſitè Paulinus Natali 8. S. Felicis:

Nos Crucis inuicta ſignũ & confeſſio munit,
Armatiq; Deo, mentem, non quærimus arma
Corporis. Et quamquam membris videamur inermes,
Arma tamen gerimus, quibus & ſub pace ſerena
Contra incorporeos animis decernimus hoſtes.

Et ſancto iſto munitus ſigno S. Martinus de ſe dicebat: *Ego ſigno Crucis, non clypeo protectus aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus.*

Et Conſtantinus, vt refert Euſebius lib. 1. de Vita Conſtantini, Romæ, deuicto Maxentio, in loco celeberrimo erexit Crucem cũ his verbis: *Hoc ſalutare ſignum.* & rurſum in manu dextra ſtatuæ ſuæ Crucem apponi iuſſit cum his verbis: *Hoc vno veræ fortitudinis ſigno, vrbem veſtram liberaui*, &c. Idem poſteà Imperatores alij in ſuis numiſmatibus, Cruce ſupra orbem poſita, indicarunt. Sub Crucis vmbra defatigatus & triſtis
3. Reg. 19. Elias quieſcens recreatus, confortatus ac roboratus eſt, & quilibet illius vmbra protectus, & eadem tamquam fulcro ſuffultus, poteſt verè dicere noſtro Ieroſolymitano Regi, *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*, Pſalm. 22, 4. Innumera alia hîc poſſent áptari in Ieroſolymitanorum inſignium commendationem, ex his quæ ſancti Patres ac Doctores Eccleſiaſtici tradiderunt in laudem ſanctæ Crucis: ſed dicta ſufficiant in præſentia; nam aliàs eiuſdem argumenti incidet ſermo.

Vnicum hîc dumtaxat placet obſeruare, Tobiam dictos lapides pretioſos, ſapphirum & ſmaragdum, non dicere collocandos fore in fundamentis vel in interioribus partibus noſtræ Ieroſolymæ, ſed exteriùs in portis, & circa muros diſponendos eſſe, vbi ſtemmata & inſignia figuntur, vt pro ſtemmatibus deſeruire, & eorumdem ſymbolum eſſe indicaret, quibus præcellentia Ieroſolymitani Regni omnibus innoteſceret.

Lucidi lapides in ſummitate vrbis poſiti, quia ibi ſtemmata collocantur.

Pergit Tobias, inquiens: *Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, & ſit Regnum eius in ſæcula ſæculorum ſuper eam, Amen.* Quibus verbis, vt opinor, Deo optimo maximo gratias agit, quòd tot eximijs bonis extulerit Ieruſalem eiusque regiam dignitatem; atque ad illius omnimodę perfectionis complementum, perennem ac perpetuam felicitatem, quam obtinuit, & poſſidebit, deprecatur. Pro cuius argumenti clariori intellectu præmitto, duplicem cuiuſque rei perfectionem nos conſiderare poſſe, intenſiuam & eſſentialem alteram, alteram extenſiuam & accidentariam, illamque conſequentem. Intrinſeca rei perfectio conſiſtit ex his, quibus in ſuo eſſe res conſtituitur, alijs quibuſcumque ſublatis, & ſine quibus conſiſtere nequit. Sit exemplum in naturali ac ſupernaturali hominis perfectione. Naturalis hominis perfectio conſiſtit in eo, quòd ſit animal rationis compos. Vnitâ enim per informationem animâ rationali humano corpori, alijs quibuſcumque ſemotis, ſtatim coaleſcit homo intenſiuè perfectus; & ablata anima vel corpore, ſuum deperdit eſſe, alijs etiam quibuſcumque ſuperadditis, ideò homo mortuus verè homo non eſt.

Duplex cuiuſlibet rei perfectio, intenſiua, & extenſiua.

Perfectio hominis naturalis.

Supernaturalis hominis intenſiua perfectio conſiſtit in beatitudine, quæ illius finis eſt, ſiue id fiat in actuali operatione intellectus, vel voluntatis, vel vtriuſque circa Deum, ſecundùm diuerſas Theologorum ſententias. Hoc veriſſimum, illâ poſitâ, quibuſcumque alijs ſublatis, hominem intenſiuè ac eſſentialiter beatificari; ſicut illâ ſemotâ, quibuſcumque alijs poſitis, numquam verè beatificabitur homo. Hinc Philippus dixit ad IESVM: *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*, Ioan. 14, 8. Auguſtinus: *Solo illo illuſtrari perfruiq; ſufficiet.* & iterùm: *Summa merces eſt, vt ipſo perfruamur.* & Regius Vates: *Tunc ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua*, Pſal. 16, 15. & quidam alius pius pariter ac doctus: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi ſoli ſeruire.*

Supernaturalis.

Lib. 1. de Trinit. cap. 13. & 1. de Doctrina Chriſt. c. 6.

Kempis de Imitatione Chriſti L. 1. cap. 1.

Perfectio extenſiua eſt, quæ intenſiuam ſequitur & præſupponit, & ſine qua, illa verè exiſtere in ſuo eſſe poteſt. Sit huius exemplum ſimiliter in homine: extenſiua eius perfectio naturalis eſt, quòd incolumis, ve-

getus in longam protrahat in hoc sæculo vitam, sit doctus, prudens, &c. hæc enim illi accidunt, & insequuntur illius perfectum esse: nec enim minùs est homo essentialiter iuuenis quàm senex, indoctus quàm doctus.

Perpetuitas beatitudinis; perfectio.

Extensiua supernaturalis hominis eiusdem perfectio constitit in alijs extra actum visionis & fruitionis circa Deum, vt in illius perpetuitate, vel creaturarum cognitione, &c. Et sanè quantum ad perpetuitatem (nam circa alia non est hic immorandum) non pertinere ad essentiam beatitudinis, docent multi grauissimi Doctores. [a] Ratio est, quia intrinsecam beatitudinem insequitur. Et confirmatur ex Aristotele dicente, [b] nihil esse perfectius ex eo quòd diuturnius, æquè enim intensiuè perfecta est albedo vnius diei, sicut vnius anni, quia duratio extra illius essentiam est. Sed non similiter quis dici potest absolutè & extensiuè Beatus absque beatitudinis perpetuitate, quia absque ista appetitus Beati non perfectè satiaretur, quo Beatus appetit non tantùm Dei cognitionem & fruitionem ad tempus, sed in perpetuum. Et cùm appetitus debeat in beatitudine satiari, illius vltimo fine; &, secundùm Augustinum, ***beatus est qui habet omnia quæ vult, & nihil malis vult***: & non tantùm vnitiue & ex parte obiecti, hoc enim pacto omnia habet in Deo, sed etiam distributiuè & extensiuè, quatenus exoptat illa semper esse. Et de hac absoluta beatitudine, nedum intensiua, sed etiam extensiua, quia est status omnium bonorum aggregatione perfectus, sunt intelligendæ Scripturæ & Patres, cùm æternitatem ad beatitudinem requirit, vel in ea futuram esse dicunt. De ista dixit Christus: ***Ibunt iusti in vitam æternam***, Matth. 25, 46. & iterùm: ***Erunt sicut Angeli Dei***, Matth. 22, 30. &: ***In sæcula sæculorum laudabunt te***, Psalm. 83, 5. S. Augustinus tum alibi, tum 13. de Trinitat. c. 13. ait: ***Beata vita esse non potest nisi sit immortalis***. Et alijs omissis idem diffinitum est in Sexta Synodo, Epist. Sophronij, quæ est in Act. 11. & approbata Act. 13. & in Concilio Lateranensi, ex cap. Firmiter, De summa Trinitate.

[a] Scot. in 4. dist. 49. q. 6. & hic Duran. Palud. q. 1. Gabr. q. 2. art 3. dub 7. Ocham. 4. q. vlt. art 4. dub. 6.

[b] 1. Ethic. cap 6. text. com. 52.

D. August. lib. 13. de Trinit. c. 5. in fine.

Et hæc perpetuitas meliorem suauioremque reddit beatitudinem, quia melius est semper esse quàm non esse. Vnde licet Princeps vel Prælatus sit eiusdem dignitatis, si temporarius tantùm sit, quantæ si sit perpetuus; haud tamen dubium, quin, esse perpetuum, illi gratius & acceptius sit. Et in Scriptura sacra legimus, vitæ diminutionem in pœnam, & longam eiusdem protractionem in præmium propositam esse.

Exod. 20, 12. Mat. 15, 4.

Ad propositum nunc propiùs accedimus. Quamuis nostra Ierusalem ex plerisque alijs intensiuè perfectam ostenderimus, tamen adhuc perfectiorem & spectabiliorem etiam extensiuè prædicit cum suo Regno S. Tobias, dum ait, in sæcula sæculorum duraturam.

Ierusalem ex diuturnitate celebris.

Sed quomodo hoc verum? Nónne ***Princeps prouinciarum*** sæpissimè ***facta est sub tributo***, hereditas nostra versa est ad alienos, & in præsentia non modò mentis, sed & corporis oculis videmus eam detineri à Turcis, Christi & eius sanctissimi nominis hostibus, eiectisque inde Christianis legitimis dominis, ab istis tyrannicè possideri, & impuro Mahometico cultu pollui? Quomodo ergo Regnum illius in sæcula permanet? veriùs captiuitas eius perseuerat.

Thren. 1, 1.

Dubium.

Responsio triplex. Prima.

Respondent aliqui, propter hoc Tobiam non ad temporale regnum respexisse, sed ad spirituale cælestium gratiarum, non solùm ob redemptionem humani generis in ipsa patratam, sed etiam ob sepulchrum Christi, quod Ierosolymam super omnes ciuitates in æternum reddidit gloriosam.

Regnum Ierosolymitanum quomodo duraturum in sæcula.

Hæc quidem optimè, quibus nihilominùs addo, ideò dici Regnum Ierosolymitanum duraturum in sæcula, Primò, quia Ierosolymis semper habitauerunt in nomine Christi sui fideles, vel vt domini palàm imperium tenentes, vt alibi diximus, vel saltem vt inquilini, & locum tenentes illius qui vere Rex Israel est constitutus ab æterno Patre, & similiter in posterum in eadem perseueraturos ex euentibus, & ex his quæ dicemus inferiùs, non immeritò credere possumus.

Secunda.

Secundò dicitur Regnum Ierosolymitanum duraturum in sæcula, quia licet aliquando fuerit, & sit modò illius possessio interrupta, & à veris dominis per tyrannos ablata; nihilominùs, quia tandem ab eisdem auferetur, & legitimis Principibus tradetur, à quibus non auferetur ampliùs, ideò duraturum prædicitur in sæcula, & hoc satis. Dixit Saluator noster Samaritanæ mulieri: ***Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum***, Ioan. 4, 13. Loquitur hic Christus sub aquæ metaphora de diuina gratia, qua iusti in iustificatione potantur & inebriantur, vt communis habet sacrorum Doctorum interpretatio.

Obiectio.

Sed Dominico asserto experientia refragari videtur: nam in eo vel est allusio ad sitim temporalem, vel spiritualem; & vtrâque æstuant & laborant iustificati. Et quantum ad temporalem, esuriunt & sitiunt, & restaurari continuò debent, non minùs ac non iustificati. semper enim verum quod dixit Ecclesiastes: ***Non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur***, Eccle. 1, 8. Si de spirituali sit sermo, eâdem magis exæstuant iusti,

iusti, nec satiari possunt in hac mortali vita, ideò ab ea exui etiam per mortem desiderant, vt illam expleant. *Qui edunt me, adhuc esuriunt; & qui bibunt me, adhuc sitiunt,* ait Dominus Eccli. 24, 29. Et ad eum conuersus Regius Vates dicebat: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum,* &c. Psal. 41, 2. & 3: *Educ de custodia animam meam,* &c. Psal. 141, 8. Paulus hac ratione desiderium habebat dissolui & esse cum Christo, Philippens. 1, 23. vt & plerique alij iusti gratiæ aqua potati & inebriati; quomodo ergo verum, quòd qui biberit ex ea, nõ sitiet in æternum?

Solutio. Pluribus alijs omissis, dico ad intentum, ideò dici, eum qui aquam diuinæ gratiæ biberit, non passurum sitim in æternum; quia licet aliquando in præsenti vita patiatur temporalium ac spiritualium sitim, eadem tamen in altera penitus extinguetur: qua ex altera parte cruciabuntur illi, qui aquam gratiæ degustare noluerunt, vt omnium nomine indicauit ille Euangelicus Epulo, Lucæ 16, 24. qui cùm esset in gehennalibus incendijs, petijt ab Abraham vt ad eum mitteret Lazarum, qui intincto in aquam digito refrigeraret linguam eius; & non obtinuit. Audi Rupertum verba illa Saluatoris explicantem. *Aqua*, inquit, *quam Iesus dat, corporis & animi sitim æternam funditus extinguit, vt apud inferos nõ sitiat ardens, aut ardeat sitiens; sed Agno duce peragat ad vitæ fontes aquarum, & æternæ beatitudinis hausta cunctam corporis & animæ purgans inopiam, non deficiat omni bono in æternum,* &c. Simile in modum alij interpretantur; & est illud quod priùs dixerat Dauid: *Tunc satiabor cùm apparuerit gloria tua,* Psal. 16, 15.

In cap. 4. Ioan.

S. Augustinus, & alij.

Angelus Gabriel de Filio Dei dixit ad Mariam Virginem: *Dabit ei Dominus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis,* Luc. 1, 32. Ista prædictio, siue de temporali siue de spirituali Christi Regno intelligatur, semper habet difficultatem. Si namque de temporali, clarum est, illud nõ elegisse Dominũ, cùm non habuerit vbi caput suum in hoc mundo reclinaret; & *cùm cognouissent,* quòd illi quos miraculosè in deserto satiauerat, *venturi essent vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterùm in montem ipse solus,* Ioan. 6, 15. Et Pilato dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo,* Ioan. 18, 36. Et sanè non Regis, sed serui formam accepit: non vt Rex, sed vt seruus semper vixit, eo ipso dicente, & factis comprobante: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis,* Matth. 20, 28. Luc. 22, 27. Si de spirituali sede & Regno intelligatur, adhuc difficultatem habet: quoniam nec in omnibus sedet Christus per fidem & gratiam, nec enim in reprobis & infidelibus; & à fidelibus & electis nonnumquam ipsorum culpâ recedit. Et quot scissuræ ac diuisiones factæ sunt in sanctæ nostræ Ecclesiæ ac militantis Ierusalem Regno? Sanè tot, vt à paucis verè Rex cognoscatur Christus, hæreticorum ac schismaticorum, & illorum qui penitus à Christo defecerunt, magno numero considerato. Quomodo ergo dedit Filio suo sedem Dauid & Regnum æternum?

Regnum Christi quomodo æternum. Secundùm præcedentem responsionem credo dici posse, ideò dici verè Christum in æternum temporaliter & spiritualiter regnaturum, quia tandem per suos ministros regnabit temporaliter in sancta ciuitate, & spiritualiter ipsemet, quando, extincto Antichristo, Ierosolymâ ab infidelibus redemptâ, Christiano & pristino statui restituetur; & fiet vnum ouile & vnus pastor, vt dicetur inferiùs. Et hac ratione verè dixit Tobias, Regnum Ierosolymitanum duraturum in sæcula.

Tertia responsio. Tertiò denique dico, Regnum Ierosolymitanum prædici perpetuum, quia semper fuerunt & erunt Christiani Principes, Christi in terris vices gerentes, qui illius semper tenebunt dominium, etsi non semper possessionem. Ad huius rationis intellectum obseruo, multum inter se distare, ac ab inuicem separari posse, rei possessionem, & eiusdem possessionem ad dominium. vnde tritum est illud Iurisconsultorum axioma, *Possessioni cum proprietate nihil est commune.* Hoc in naturalibus & spiritualibus licet animaduertere. In naturalibus: locator domus possessionem eius habet; econtrà in mutuo, in quo penes patronum manet dominium, non possessio. Idem in spiritualibus obseruari potest. Deus habet dominium & proprietatem omnium prædestinatorum, vt non obscurè indicauit Saluator noster, dum de illis loquens sub ouium metaphora, dixit: *Non rapiet eas quisquam de manu mea,* Ioannis 10, 28. & illorum quilibet cum capite prædestinatorum dicere potest: *Dominus possedit me in initio viarum suarum,* Sap. 8, 4. Ceterùm quando illorum aliquis incidit in peccatum mortale, diabolus tunc eius possessionem habet, licet Deus iure prædestinationis dominium & proprietatem. Econtrà verò diabolus dominium & proprietatem habet omnium reproborum, sed si quem eorum (vt sæpè contingit) peccatorum pœniteat, & Dei gratiam acquirat, tunc Deus habet possessionem illius, licet diabolus dominium.

Ierosolyma semper à Christianis habitata.

Prædestinatorum Deus est Dominus & proprietarius.

His præmiſſis, dico, Chriſti Ieroſolymitanum Regnum dici perpetuum, quia illi ſemper præfuit Chriſtus, & præerit per ſuos miniſtros quoad poſſeſſionē & dominium, vt tempore piorum & zelotarum honoris Dei Principum, Magni Conſtantini, Godefridi Bullonij, &c. & poſt vltimò recuperatam per Chriſtianos Ieroſolymam, quoad dominium & proprietatem, licet non quoad poſſeſſionem: ſicut accidit à tempore quo fuit deperdita à Chriſtianis Ieroſolyma, & ab infidelibus occupata, vſque ad præſens, vbi poſſeſſionem eius amiſerunt Chriſtiani, & ſibi compararunt Turcę. quia, vt habetur in Iure, idem non poteſt à duobus dominis ſub perfecto dominio poſſideri. Igitur cùm Ieroſolyma cum tota Palæſtina perfecto dominio à Mahometanis poſſideatur, non habent illius poſſeſſionē Chriſtiani Principes; habent tamen proprietatem & dominium, quia bello alióve iuſto titulo illam Mahometani ſibi non compararunt, ſed dolo & vi legitimis inde dominis Chriſtianis eiectis. Quare licet in præſentia infideles poſſeſſionem Ieroſolymitani Regni teneant, & tamquam domini præſint, & prouentus inde recipiant, non tamen veri domini & Reges illius ſunt appellandi, quia tales ſunt Chriſtiani, ſed raptores ſunt ac tyranni. Atque ex his apparet, quomodo verè dictum ſit Ieroſolymitanum Regnum duraturum in ſæcula, in commendationem illius omnimodæ præcellentiæ.

L. Si vt certo §. Si duobus vehiculum. & ibi Gloſſa & DD ff. Commodati.

DVBIVM.

Sed ad quoſnam Principes Chriſtianos poſſeſſio ac dominium Regni Ieroſolymitani deuenit, & quinam iuſtè Reges Ieroſolymitani appellantur?

In propoſito dubio ſatis controuerſo, multiſque difficultatibus implicito, nulla ponere, aliqua tantùm proponere intendo. Primum ſit, in hac materia alterum eſſe certum, alterum dubium. Certum, quòd poſtquam Chriſtiani Principes huius Regni poſſeſſionem amiſerunt, dominium & titulus Regni non ad vnam gentem vnumque ſolum Principem, ſed ad plures ſucceſſiuè tranſierit; ad Angliæ nimirum & Cypri Reges, ad Ducem Sabaudiæ, ad Imperatorem Fredericum II. ad Siciliæ tandem & Neapolis Reges. Dubium, in quo tandem Catholico Principe, Chriſtianaque natione hucuſque permanſerit; quia certum, non ad omnes ſimul Principes tranſiſſe: quia, vt habet commune axioma, *Regnum non capit duos*; & vt anteà ex Iure relatum, idem non poteſt à duobus dominis perfectè poſſideri, & dominij titulo teneri.

Poſt deperditam Ieroſolymam, illius dominium ad plures Chriſtianos Principes tranſiit.

Secundum ſit: Galli aſſeuerant, apud ipſos tandem reſediſſe dominiam Ieroſolymitani Regni, & illius titulum manſiſſe in ſuis Chriſtianiſſimis Regibus, & Reges Galliarum, tamquam illius legitimos dominos, verè ac iuſtè appellari Ieruſalem & totius Terræ ſanctæ Reges, ſequentibus fermè rationibus permoti.

Regnum Ieroſolymitanum ad Chriſtianiſſimum pertinere, contendunt Galli.

Prima. Dominium titulusque Ieroſolymitani Regni Chriſtianiſſimis Regibus debetur ratione iuſti belli & conceſſione, quia ſub Duce Gallo iuſto bello ſancta ciuitas & tota Terra ſancta occupata, eidemque Dux Gallus, communi aliorum Principum ac populi conſenſu, in Regem præfectus fuit, & temporis ſucceſſione illius regimen tenuerunt Principes Galli: igitur & in præſentia eiuſdem dominium & titulus ad eoſdem Gallos pertinet; non enim abſque cauſa illo priuari debuerunt. Antecedens probatur & explicatur. Circa annum Domini 1096. vt refert Vincentius poſt Sigebertum, dolentibus Occidentis populis, loca ſancta à gentilibus profanari, & Turcas iam Chriſtianorum terminos magna ex parte inuaſiſſe, vrgente Philippo I. Rege Galliæ, ſuadente verò Petro Eremita Gallo, ab Vrbano II. Pontifice Maximo, congregato eum in finem Concilio Claramonte Galliæ vrbe, decretum fuit, ab Europæis pro recuperanda Ieroſolyma & tota Terra ſancta expeditionem inſtitui debere, quò Chriſtiani ab infami atq; infelici ſeruitute liberarentur, ciuitas ſancta à Catholicis inhabitaretur, & ſacra per Saluatorem ipſum ſanctificata loca debitè honorarentur. Quare innumeri, quaſi vna inſpiratione moti, multisque ſignis ſibi præoſtenſis, alij ab alijs incitati, Duces, Comites, Potentes, alijque omnis generis, conditionis & ſtatus homines, ex diuerſis mundi partibus, Hiſpania, Prouincia, Aquitania, Britannia, Scotia, Anglia, Normannia, Francia, Lotharingia, Burgundia, Germania, Longobardia, Apulia, & ex alijs Regnis, virtute & ſigno Crucis ſignati & armati, conuenerunt, & militiæ ſacræ, de hoſtibus Chriſtiani nominis vltionem ſumpturi, ſua nomina dederunt. In quo Catholico-Chriſtiano exercitu eminebant Godefridus Bullonius Gallus, oriundus Bononiâ, Galliæ & Lotharingiæ Princeps, & fratres eius Euſtachius & Balduinus, Anſelmus de Ribbomonte, Balduinus Comes Montenſis, Robertus Comes Flandrenſis, Stephanus Comes Bleſenſis, Hugo Magnus frater Philippi Regis Francorum, Robertus Comes Normannorum, Raymundus Comes S. Ægidij, Boëmundus Dux Apuliæ, & Tancredus nepos eius, cum pluribus alijs; inter quos numeratur etiam Alphonſus VI. Rex Caſtellæ: à quibus poſt multa incommoda

Tyrius l. 1. c. 17 Belli ſacri, Blondus Decad. 2. lib. 4. cum alijs.

Digitized by Google

moda & pericula, Dei ſolius adiutorio, ſancta ciuitas & Paleſtinę prouincia capta & debellata, pulſiſque ex ea infidelibus, vnanimi conſenſu in illius Regni Regem Godefridus Bullonius electus & creatus fuit; adeoque Regnum Ieroſolymitanum cum ſuo titulo primò Godefrido Gallo tributum fuit.

Godefrido in Regno ſucceſſit eius frater Balduinus I. Huic Balduinus II. Godefridi ſanguine propinquus, ſucceſſit electione, dum abeſſet Euſtathius Comes Bononienſis Godefridi frater: qui ignorans adhuc & inſcius an Rex quiſpiam electus eſſet, decreuerat expeditionem vltra marinam ſuſcipere pro ſucceſſione ſibi debita; ſed poſtquam de Balduini conſanguinei ſui electione comperiſſet, magis expedire bono publico & quieti vniuerſali viſum ei fuit, ab incepto deſiſtere, vt Ieroſolymitanum Regnum conſeruaretur atque conſtabiliretur, & ne eiuſdem vires ciuilibus bellis atterentur. Balduino II. ſucceſſit Fulco Comes Andegauenſis. Fulconi ſucceſſit eius filius Balduinus III. Huic Balduino ſucceſſit eius filius Almericus. Almerico ſucceſſit Balduinus IV. Balduino IV, ſucceſſit Balduinus V. Huic ſucceſſit Guido Luſignanus, ſub quo deperdita & à Saladino Mahometano capta eſt Ieroſolyma: ad quam recuperandam poſteà profecti ſunt Duces Bauariæ & Auſtriæ, & Rex Hungariæ Andreas, vt vdtum patris ſui, qui eam expoditionem alioqui ſuſcipere decreuerat, adimpleret, cuius

Cap. Licet. de Voto. fit mentio in Decretalibus. Eo tempore omnium conſenſu Regni Ieroſolymitani dominium cum titulo conceſſum eſt Ioanni Brennæ Duci Viennæ in Gallia, qui & in vrbe Tyro coronam ſuſcepit, eò quòd eſſet de ſtirpe Godefridi Bullonij. Et ſic patet, quomodo ad Gallos tranſierit, & penes eoſdem permanſerit dominium titulusque Ieroſolymitani Regni. Sed & Sereniſſimi Lotharingiæ Principes hac ratione ſingulariter ad idem Regnum ius habere videntur, quia ex progenie Godefridi Lotharingiæ Ducis & primi Regis Ieruſalem (cuius ſacra ſtemmata, quinque videlicet aureas Cruces in campo argenteo, in gentilitijs ſuis inſignijs deſcripta habent) originem ſuam deriuant.

Si obijciatur, dominium quidem & titulum manſiſſe apud Gallos vſque ad Ioannem Brennam, ipſum tamen illud abdicaſſe, atque conceſſiſſe Frederico II. Imperatori Siciliæ Regi, ideoque non illis ampliùs conuenire, ſed ijs qui Frederico Imp. in Regno Siciliæ ſuccedunt; reſpondent Galli, poſteà ſibi illud per Summos Pontifices iuſtis de cauſis reſtitutum fuiſſe: etenim Alexandrum IV. Vrbanum IV. & Clementem IV. (ex Platina in eorum Vitis) inueſtituram Regni Neapolitani & Ieroſolymitani conceſſiſſe Carolo Duci Andegauenſi fratri S. Ludouici Regis Galliæ, quod poſteà ab eo auferri abſque cauſa non potuerit, ſecundùm Regulam Iuris: *Id quod noſtrum eſt, ſine cauſa noſtra à nobis auferri non poteſt.*

Confirmatur, & eſt ſecunda ratio principalis. Dominium titulusque Ieroſolymitani Regni à Summis Pontificibus dicto Carolo hac etiam ratione dari debuit, quòd tum ſub ditione Turcarum eſſet, vt notant Bartol. L. Id quod apud hoſtes, 8. ff. De legatis & fideic. Carolus Graſalus lib. 1. Regalium Franciæ, Iure 1. Cauſa autem ex hiſtorijs ea videtur, quòd anno 1276. Maria filia Principis Antiochiæ, ius ſibi competens ad Regnum Ieroſolymitanum reſignauerit in Carolum Andegauenſem, quando nimirum coronam ſuſcepit, & ad Syriam miſit Roggierum à Sancto Seuerino, qui miniſtros nomine Caroli elegit, & fidelitatis iuramentum à vaſallis recepit auxilio Albertini Mureſini Veneti, in Acrenſi vrbe: quo iure etiam Pandolphus Collenucius in Compendio Neapolitani Regni lib. 5. cap. 1. affirmat, Regno Neapolitano ius Regni Ieroſolymitani competere.

Tertia ratio. Ioanna ſecunda Apuliæ Regina, poſteà adoptauit Ludouicum Andegauenſem, vt docet D. Antoninus, ac ideò Regibus Gallis ius ad Neapolitanum Regnum vnà cum Ieroſolymitano competit. Et hæc pro ſententia Gallorum. Parte 3. tit. 22. c. 7. §. 6.

Tertium in propoſito dubio ſit, Hiſpanos ſimiliter aſſeuerare, ad ipſos ſuosque Reges Catholicos ius Ieroſolymitani Regni ſpectare, ac Reges Hiſpaniarum verè ſimul & Ieruſalem nuncupari: quod probant ſequentibus rationibus. *Regem Ieruſalem eſſe Regem Catholicum, dicunt Hiſpani.*

Primò, quia Reges Hiſpaniarum ſunt Siciliæ ac Neapolitani Reges, quibus annexum eſt Ieroſolymitanũ. Hoc quidem attigimus, ſed paucis nunc eſt explicandum. Deperditâ à Chriſtianis Damiatâ, Ioannes Brenna natione Gallus, pius Rex Ieruſalem, ab Innocentio Papa electus, vt habet Tyrij Continuator, ex illius amiſſione dolens, compoſito vt poterat ciuitatum ſtatu quas tenebat in Syria, cum ſatis modico comitatu transfretauit ad partes Occidentales, à Romana Eccleſia & Principibus Chriſtianis petiturus auxilium. Veniens itaque Romam, ab Honorio Papa gratioſè receptus eſt, & vt poſſet habere adiutorium quod poſtulabat, ad preces eius & aliorum, ſibi reconciliauit Pontifex infenſum Imperatorem Fredericum II. & Regem Siciliæ, terra mariſque potentem, & in bello fortitudine & dexteritate pollentem, vt eſſet illi in adiutorium in expeditione ſancti belli. Vtque Continuator Belli ſacri lib. 3. cap. 1. D Anton. 3. Part. tit. 19. cap. 3. §. 3. & 5. & c. 4. §. 1.

vinculum fortius & arctius esset, de beneplacito Regis Ierosolymitani dedit Friderico in vxorem vnicam illius filiam, Iolantem siue Violantem nomine, cùm iam prima vxor eiusdem Frederici defuncta esset: perductaque filia Brennæ ad vrbem, magna cum solemnitate celebratæ sunt nuptiæ; & Ioannes Brenna omne ius, quod in Ierosolymitanum Regnum & Syriam habebat, in generum transtulit, vt vnitum maneret Regnis Neapolitano & Siciliæ: quod factum est Regis ad vitam, permanente ei titulo auctoritate Honorij Papæ; facta insuper à Frederico sponsione, intra biennium se Ierosolymam ad eam expugnandam profecturum. Suscepit hic ex noua coniuge filium nomine Iordanem, qui tamen citò cum matre vitam cum morte commutauit.

His peractis, eodem anno Ioannes de Brenna ad Compostellanam Ecclesiam in Hispaniam profectus est, visitaturus limina S. Iacobi Apostoli, & in Regnis Castellæ secundò nuptit Berenguelæ, filiæ Alfonsi X. Regis Legionensis. Hoc itaque pacto facta est vnio vtriusque Siciliæ vltra & citra Pharum, Ierosolymitanique Regni; & Rex Ierosolymitanus Fredericus est appellatus, vt litteris Apostolicis, & testimonio Gregorij Pontificis scribit Sigonius; & alij Historici in eo conueniunt, duabus Sicilijs Trinarchijs, vbi sunt Regna Siciliæ & Neapolitanum, vnitum fuisse Regnum Ierosolymitanum eo iure. Et ipse Fredericus Ierosolymæ possessionem & coronam Regni Ierosolymitani suscepit, vt scribit S. Antoninus: qui tamen eumdem reprehendit, quòd votum expeditionis non impleuerit. Blondus tamen asserit, quòd inceperit bellum; & Pandolphus Collenucius, quòd anno 1227. apparatum instituerit, licet non perfecerit; & quòd anno 1228. expeditionem fecerit, anno verò 1229. Ierosolymam recuperauerit, pactione cum Saladino ad decennium facta, coronamque Regni susceperit, idem citatus Sigonius, & alibi S. Antoninus affirmant. Hic tamen notam ei imponit, quòd secundam expeditionem absque Pontificis consultatione fecerit, pacemque cum Soldano, non vt decebat, conciliauerit, cùm sanctum Domini sepulchrum penes infideles manserit.

Sigon. de Regno Italiæ lib. 17. anno 1223. Tom. 3.

D Anton. 3. Par. Hist. tit. 19. c. 3. §. 5. Blondus lib. 7. Decad. 2. anno 1216. Collenucius lib. 4. cap. 6.

Sigon. citatus, anno 1222. & 1225. & 1229. Anton. 3. p. Hist. tit. 19. cap. 4. §. 1.

Daniel Mallonius in sacram Sindonem, ex Auctoribus aliquibus, in calce Capitis præcedentis citatis, paulò aliter explicat successionem Ierosolymitani in Neapolitanos Reges: sed vel modo ab eo indicato, vel altero à nobis anteà explicato deuenerit, parum refert, cùm vterque in conclusione conueniat, dominium titulumque Ierosolymitani Regni in Siciliæ & Neapolis Regibus hærere. Iam sic pro suis Catholicis Regibus argumentantur Hispani:

Dominium & titulus Ierosolymitani Regni debetur Regibus Siciliæ & Neapolis, in quibus tandem post varias mutationes permansit: Catholici Hispaniarum Reges sunt Reges Siciliæ & Neapolis; igitur eisdem debetur dominium & titulus Ierosolymitani Regni, & in eisdem permanet. Maior patet ex præcedenti Notabili, & consecutio est manifesta. Similiter & minor est euidens: sunt enim Hispaniarum Reges in pacifica possessione Regnorum Siciliæ & Neapolis, & ab eis sumunt denominationem. Et eam pluribus explicat Doctor Iacobus VValdesius loco anteà citato, qui & alia pro assumpto argumento adducit.

Sed sit secunda ratio pro Catholicis Regibus. Sunt isti in pacifica possessione eius tituli & iuris, igitur & illis debetur, quia ex Regulis Iuris, *Tutior pars est possidentis*. Antecedens probatur, quoniam Summi Pontifices, quoties Regibus Hispaniæ, vt Carolo V. Imperatori, Philippo II. Philippo III. Catholicis Regibus, litteras mittunt Apostolicas, tam ipsi, quàm Rotæ vel Cancellariæ Apostolicæ Iudices, semper Reges Hispaniæ vocant Reges Ierusalem, & passim communiterque eo ij appellantur nomine, etiam ab alijs.

Tertia ratio. Manfredus, qui anno 1208. regnauit in Regnis Neapolis & Siciliæ (vt aduertit Petrus Mexia in manuscripta Historia Caroli V. lib. 1. cap. 3.) vnicam gnatam Constantiam habuit, quæ nuptit Petro Regi Aragoniæ: quem quidem Regnis suis exuit Carolus Andegauensis Dux, verùm ius ad illa semper mansit penes Constantiam, ex qua Alfonsus Rex Neapolitanus, & Ferdinandus Catholicus Rex Aragoniæ, originem duxerunt; eoque iure Petrus Rex Aragoniæ Siciliam obtinuit, atque ita consequenter ei annexum Ierosolymitanum Regnum.

Sit quarta denique ratio. Licet Caroli Andegauensis esset iusta successio, nihilominus Ioanna secunda Regina Neapolis Alfonsum adoptauit ratione iuris ei competentis, Eugenio IV. approbante. Et quamuis illa postea adoptauerit Ludouicum Andegauensem, ea adoptio tamen nulla fuit, cùm prima reuocari non posset: fuit etiam conditionalis, si nimirum illa decederet sine liberis, & ipse absque heredibus, tunc succederet Renatus frater eius: & cùm ille sine prole discesserit ante Ioannam secundam, expirauit conditio, nec impleta fuit, quia adoptatus ante adoptantem decessit, sicque adoptanti non potuit succedere; & consequenter ius, quod ex hac adoptione contendunt

dunt habere Reges Galliæ, nullum eſt. Regi item Alphonſo filius ſpurius Ferdinandus non potuit ſuccedere, ſed Ioannes Rex Aragonum frater legitimus, qui pater Ferdinandi Catholici extitit. Has rationes pro Catholicis Regibus adducit præfatus VValdeſius Hiſpanus Scriptor, & ſimul ad rationes pro Chriſtianiſſimo adductas reſpondet: ſed num reſponſiones plenè ſatisfaciant, & quorum rationes, Gallorum an Hiſpanorum, magis concludant, aliorum eſto iudicium; nec enim conuenit me illarum eſſe iudicem.

Regnum Ieruſalem poſſidet Turcarum Imperator.

Quartum ſit: Inter duos litigantes tertius gaudet. Dum enim inter ſe altercantur Chriſtiani Principes, non de carne aſſa, ſed de fumo; non de re, ſed de nomine; mutuoq; ſe in vanis conſumunt, Turca lætus illorum ridet diſcordiam & vanitatem, & ſecurus non ſolùm Ieroſolymam & totam Palæſtinam, ſed etiam pleraſque alias illorum regiones occupat, ex illis fructus colligit, &, nemine contradicente, Rex & Imperator magnus appellatur; nihili faciens, quòd alij abſque poſſeſſione domini appellari velint, certus, poſſidentis meliorem partem eſſe.

Diſcordia Chriſtianorum profectus infidelium.

Hoc factum luculenter explicatur ingenioſo quodam Alciati Emblemate, cuius inſcriptio: *Ex damno alterius, alterius vtilitas.* Deſcribit Alciatus leænam & aprum ſæuiſſimè ſe mordentes ac dilaniantes, & vulturem in arbore ſpectantem, ſibiq́ue ex illorum concertatione cibum parantem, cum ſequentibus verſibus:

Alciatus Emblem. 125.

Dum ſæuis ruerent in mutua vulnera telis,
Vngue leæna ferox, dente timendus aper;
Accurrit vultur ſpectatũ, & prandia captat.
Gloria victoris, præda futura ſua eſt.

Et dilucidator bene ad intentum aptat, dicens: *Hoc traductum eſt ex Gabriæ apologis. Suſceptum autem id videtur in Principes Chriſtianos inter ſe rixantes & acerrimè concertantes, cùm Solimannus Turca quaſi ſpectatorem agens, ſuam non parum ditionem auxit, & in Germaniam irrupit, magna totius Reipublicæ Chriſtianæ calamitate.* Et vtinam tunc finem illorum rixæ habuiſſent, & incrementum non accepiſſent, cum maximo illorum damno & dedecore, & Turcæ commodo, qui inde tyrannidis ſuę augmentum captat.

Hæc propoſui, non vt iudicium ferrem in propoſita difficultate, neq; enim meum id eſt; nec vt explicarem diſſenſiones & iurgia Chriſtianorum Principum cum iniuria Creatoris: ſunt enim adeò manifeſta & magna, vt mea alteriuſve Scriptoris præconiſve relatione haud indigeant; cùm ea cæci ipſi videant, ſurdi audiant, muti loquantur, etſi pauperes non euangelizentur: ſed ideò ea in medium attuli, vt inde non inefficax argumentum eruerem ad exaggerandam dignitatem ac præcellentiam noſtri Ieroſolymitani Regni. Cùm enim videam, potentiſſimos quoſque Chriſtianorum Reges, ac totius pæne orbis Monarchas, vaſtiſſimarum & opulentiſſimarum regionum dominos, vtpote ex quibus aurum, argentum, lapides pretioſos, & alia innumera colligunt bona, tanti nihilominùs facere Ieroſolymam, eiusq́ue montoſam, campeſtrem ac inaquoſam regionem, atque præ multis alijs anguſtiſſimam, adeò vt ſine ea pauperes & bonis omnibus indigentes ſe arbitrentur; & cùm ſit illis adempta poſſeſſio, ex illius titulari ſaltem dominio ſolatium aliquod affectent; ex hoc, inquam, noſtri Ieroſolymitani Regni præcellentia ſupra cetera mundi Regna non ineuidenter dignoſcitur.

Sed ô quantò melius ac laudabilius eſſet, ſi de illius redemptione & reali poſſeſſione concors eſſet æmulatio & ſollicitudo! tunc vtique cum laude & honore præcellentiſſimi illius Regni ſe Reges profiterentur. Alexander Magnus indignum ſuo nomine iudicauit quemdam militem, quia cum nomine non ſimul poſſidebat virtutes, nec egregia eius facta imitabatur; vnde illi dixit: *Aut nomen depone, aut mores muta.* Chriſtus IESVS ſemper Rex & Dominus fuit ab inſtanti ſuæ Incarnationis vſque ad ſuam in cælos Aſcenſionem, & vltra (*Ieſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula*, inquit Paulus Hebræor. 13, 8.) & tamen non niſi poſt mortem morte ſua deuictam, eiectum de hoc mundo dæmonem, & de hoſtibus victoriam comparatam, nomen eius honorabile, & quod eſſet ſuper omne nomen, veneratione ab omnibus habitum eſt, vt idem docet Paulus Philippenſ. 2, 9. nec ipſe niſi poſt mortem & reſurrectionem ſuam dixit, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, Matth. 28, 18. & non niſi poſt eamdem *Dominus Ieſus* appellatus eſt ab Euangeliſta, Marc. 16, 19. Ita noſtri Chriſtiani Principes, vt vere meritoq́ue Domini Regesq́ue Ieruſalem totiusq́ue Terræ ſanctæ appellari poſſint, ſtudeant pro facultatibus, vt eiuſdem realem poſſeſſionem aſſequantur.

Chriſtus poſt victoriam primùm Dominus appellatus.

Proſphonema ad Chriſtianos Principes.

Interim liceat mihi eximios hoſce Reges, aliosq́ue Catholicos Principes & Duces in Domino alloqui: *Neque enim Principum eſt* (vt cum Ambroſio loquar) *libertatem dicendi negare; neque in Sacerdote aliquid tam periculoſum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod ſentiat non liberè pronuntiare.* Igitur flexis genibus, & ad horum

S. Ambroſ. Epiſt. 29. lib. 5.

rum pedes prouolutus, omni qua decet humilitate ac reuerentia precor, vt veram sectentur pacem & concordiam: sit omnium eorum commune studium & concors æmulatio, non de nudo dominio & titulo Ierosolymitani Regni, sed de vera eiusdem redemptione ac possessione. Imitentur pium prudentemque Ioannem de Brenna Constantinopolitanum Imperatorem ac Ierosolymæ Regem, ex quo alij Reges dominium & titulum Ierosolymitani Regni ad se deriuant, qui se vltrò propter Deum illustrissimo dominio titulóque Regis Ierusalem abdicauit, eumque Frederico detulit, vt sibi pro illius à barbarorum oppressione ac tyrannide recuperatione esset auxilio, quò tandem Christiano cultui & splendori restitueretur. Hunc, dico, imitentur Christiani Principes: omnia posthabeant, vt hoc vnum Christo & sibi recuperent Regnum, quò Deus glorificetur, ipsi & Christiani omnes à dedecore liberentur, sancta Ciuitas totaque Terra sancta ab immunditijs ac profano cultu expurgetur, & sancto Catholicoque ritui restituatur, vt post terrestrem Ierusalem eiusque regionem comparatam, cælesti & viuentium terra, quæ omnes capit Reges, perfruantur. *Conuertimini itaque, & facite iustitiam coram Deo*, vt Tobiæ verbis cap. 13, 8. sermonem meum claudam, *credentes quòd faciet vobiscum misericordiam suam. Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, & sit Regnum eius in sæcula sæculorum super eam. Amen.*

CAPVT LXV.

De S. Patris nostri Francisci ad Aegypti & Syriæ partes peregrinatione, & eiusdem ad loca sancta pietate.

ANtequam sermonem faciamus, quò nostrum tendit institutum, de aduentu Fratrum Minorum ad has infidelium partes, & quomodo Sanctorum locorum custodia illis Apostolica auctoritate demandata fuerit, operæ pretium esse iudicauimus, si priùs ageremus de peregrinatione inclyti Patris & Patriarchæ nostri Francisci; an, inquam, ille vmquam peruenerit in Ægyptum, Palæstinam, & vsque ad sanctam Ierusalem ciuitatem; ac deinde, si eò venit, quos aduentus illius fructus pepererit. Et quidem alterum præsenti, alterum sequenti Capite explicabimus, ac deinceps id quod præcipuè intendimus subijciemus: æquum enim est vt filijs suis tantus Pater præferatur.

S. Franciscus zelo salutis animarum & amoris Dei ad infidelium terras pergit.

Quandoquidem diuinitus edoctus fuerat Seraphicus Pater & Minoritani Ordinis Apostolicus Fundator Franciscus, se suumque pusillum gregem fuisse à Deo segregatum, non tantum pro sua ipsius propria, sed & pro totius mundi communi salute, vt nimirum fidelibus & infidelibus, vbique terrarum constitutis, verbo & exemplo prodesset, viam veritatis aperiret, ac per eam omnes ad suum principium & finem, Deum optimum maximum, perduceret; destinauit ipse pluries plures ex Fratribus suis non solùm ad Occidentales, sed & ad Orientales aliasque orbis plagas, nec tantùm ad fideles, sed etiam ad infideles. Ipsemet verò non ob solum eum finem, sed vt etiam Fratribus suis, cùm à Deo se illorum Ducem & vexilliferum constitutum esse agnosceret, præluceret exemplo, vt Euangelij insuper prædicatione è rebellibus idololatris & infidelibus Christo faceret obsequentes filios, fideles verò & obsecundantes filios perfectiores redderet, vt peccatores item omnes in latam perditionis viam præcipites ruentes, ad angustam salutis semitam reuocaret, ad Christum Redemptorem eos perduceret, fieretque tam in præsenti hac mortali quàm in futura altera immortali vita vnum ouile & vnus pastor; & amplius, vt eximiam erga Deum demonstraret dilectionem, eique aliquam vicem redderet, dum pro eo pauperem, fragilem, tenuem exiguique hominis vitam tortoribus & morti exponeret, qui suam infinitam & diuinam pro vili homine à diaboli tyrannide redimendo dedisset; non vna, sed tribus vicibus ad infidelium partes profectus est, vt tum ex alijs quà domesticis quà exteris Scriptoribus, tum singulariter ex D. Bonauentura in illius Vita didicimus.

Tribus vicibus instituit profectionem ad infideles Franciscus.

Non habebat (inquit Seraphicus Doctor) *aliud Christi pauper, nisi duo minuta, corpus scilicet & animam, quod posset liberali charitate largiri. Sed hæc per amorem Christi sic offerebat continuè, vt quasi omni tempore per rigorem ieiunij corpus, & per ardorem desiderij spiritum immolaret: exteriùs in atrio sacrificans holocaustum, & in templo interiùs concremans thymiama. Sic autem eum charitatis excessiua deuotio sursum in diuina ferebat, vt eiusdem affectuosa benignitas ad naturæ consortes & gratiæ dilataret. Quem enim creaturis ceteris germanum pietas cordis effecerat, mirum non est, si Creatoris insignitis imagine, & Sanguine redemptis Auctoris, germanioremChristi charitas faciebat. Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foueret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil præferendum esse dicebat: eo maximè probans, quòd Vnigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere. Hinc sibi in oratione luctamen, in prædicatione discursus, & in exemplis dandis*

D. Bonau. in Legenda S. Francisci cap. 9.

Duo Francisci minuta, anima & corpus.

Franciscus in exemplis datus.

dandis exceſſus. Vnde quoties auſteritas nimia reprehenderetur in ipſo, reſpondebat, ſe datum aliis in exemplum. Licet enim innocens eius caro, quæ iam ſe ſponte ſubdebat ſpiritui, nullo egeret flagello propter offenſas; tamen exempli cauſa renouabat illi pœnas & onera, cuſtodiens propter alios vias duras. Dicebat enim: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem in meipſo non habeam, & proximis virtutum exempla non monſtrem, parum proſum aliis, mihi nihil. Feruenti quoque charitatis incendio glorioſum ſanctorum Martyrum æmulabatur triumphum, in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Deſiderabat propterea & ipſe, illa perfecta charitate ſuccenſus, quæ foras mittit timorem; per martyrij flammam hoſtiam Domino ſe offerre viuentem: vt & vicem Chriſto pro nobis morienti rependeret, & ad diuinum amorem ceteros prouocaret.

1. Cor. 13. 1.

Prima Francisci profectio.

Et de prima vice, qua ex Italia in Syriam profectus fuit, quod contigit anno Domini 1212. à fundatione Minoritani Ordinis quinto, ſubdit præcedentibus Seraphicus Doctor: *Sexto namque conuerſionis ſuæ anno, deſiderio martyrij flagrans, ad prædicandam fidem Chriſtianam, & pœnitentiam Saracenis & aliis infidelibus, ad partes Syriæ transfretare diſpoſuit. Cumq; nauem quamdam, vt illuc tenderet, conſcendiſſet, ventis contrarijs flantibus, compulſus eſt in Sclauoniæ partibus applicare. Cùm igitur moram aliquamdiu contraxiſſet ibidem, nec inuenire poſſet nauem tunc temporis transfretantem, fraudatum à ſuo deſiderio ſe ſentiens, nautas quoſdam Anconam tendentes, vt amore Dei eum ſecum ducerent, exoranit. Verùm illis propter expenſarum defectum pertinaciter recuſantibus, vir Dei plurimum de Domini bonitate confiſus, nauem cum ſocio latenter conſcendit. Adfuit quidam, à Deo, vt creditur, pro paupere ſuo miſſus, qui ſecum ferens neceſſaria victus, quemdam timentē Deum de naui ad ſe vocatum ſic allocutus eſt: Hæc pro pauperibus Fratribus in naui latitantibus conſerua fideliter, ac neceſſitatis tempore amicabiliter ſubminiſtra. Sicq; factum eſt, vt nautis, propter vim ventorum, per dies plurimos nuſquam applicare valentibus, omnia conſumerentur ipſorum cibaria, & ſola pauperi Franciſco collata deſuper eleëmoſyna ſupereſſet. Quæ cùm eſſet permodica, tantum diuina virtute ſuſcepit augmentum, vt diebus plurimis in mari, propter tempeſtatem continuam, contrahentibus moram vſque ad portum Anconæ, omnium neceſſitatibus plenariè ſubueniret. Videntes itaque nautæ per ſeruum Dei multa ſe mortis euaſiſſe diſcrimina, tamquam qui maris horrenda pericula ſenſerant, & miranda opera Domini viderant in profundo; gratias egerunt omnipotenti Deo, qui ſemper in ſuis amicis & ſeruis mirabilem & amabilem ſe oſtendit. Cùm autem relicto mari terram perambulare cœpiſſet, iactato in eam ſalutis ſemine, reportabat manipulos fructuoſos.* Hucuſque S. Bonauentura. Multi verò, ſæculi mundiq; pompis ſpretis, Deo poſt contemptorem mundi Franciſcum adhæſerunt, vt ex eodem Bonauentura cap. 4. aliqui deducunt.

Franciſci eleemoſyna ipſe & nauta mirabiliter ſuſtentatur.

Pſal. 106. 24.

Anno iam elapſo, etſi exhauſtis pænè corporis viribus infirmitate & inaudita pœnitentia, ſecundam aggreſſus fuit ad infideles peregrinationem. Martyrij enim fructus adeò cor eius allexerat, vt pretioſam pro Chriſto mortem ſuper omnia virtutum merita peroptaret. Verſus Marochium igitur iter inſtituit, vt Miramolino & genti eius Euangelium prædicaret, ſi quo modo ad concupitam palmā valeret attingere. Tanto namque deſiderio ferebatur, vt quamuis eſſet imbecillis corpore, peregrinationis ſuæ præcurreret comitem; & ad exequendum propoſitum feſtinus, & tamquam ſpiritu ebrius, aduolaret. Sed cùm iam vſque in Hiſpaniam perrexiſſet, diuina diſpoſitione, quæ ipſum reſeruabat ad alia, grauiſſima ei ſuperuenit infirmitas, qua præpeditus, quod cupiebat adimplere nequiuit. Sentiens igitur Vir Dei, quòd neceſſaria eſſet adhuc proli, quam genuerat, ipſius in carne vita, quamuis mortem ſibi lucrum putaret eſſe, redijt ad paſcendum oues ſuæ ſollicitudini commendatas, ait priùs notato loco Seraphicus Bonauentura. *Secunda.*

Lege VVadingum Tomo 1. Annalium Minorum anno Chriſti 1214.

Porrò anno Chriſti 1219. & ſuæ conuerſionis tertiodecimo, in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, charitatis ardore ſpiritū ipſius ad martyrium perurgēte, pro fide Chriſti apud infideles dilatanda Syriam verſus iter capeſſijt. Delato verò in Occidente Ordinis regimine Fr. Eliæ Tuſciæ Miniſtro, duodecim ſibi aſſumpſit comites, e quibus hi ſignantur ex nomine, Fr. Petrus Catanij, Fr. Barbarus, Fr. Sabbatinus conciues, & ex diſcipulis primis Fr. Leonardus de Aſſiſio, & Fr. Illuminatus Reatinus, cum quibus ad Anconitanum portum peruenit. Vbi dum vir ſanctus vnam ex nauibus ſubſidiarijs, quæ plures tunc cum auxiliaribus copijs Damiatam verſus mittebantur, vellet conſcendere, nemo non ex Fratribus ſe offerebat, imò & intrudebat, in ſocium, vt Viri ſancti ſocietate, & optato potiretur martyrio. Nolens vir prudens, & pius omnium pater, quempiam illorum contriſtare, ſi reijceretur, nec ſcandalizare in acceptione perſonarum; ſi hos præ illis aſſumeret, dixit: *Filij dilectiſſimi, neminem veſtrùm à me velim ſeiunctum, omnes velim huius comites itineris, ſed importunam & oneroſam meam iudicaſſet nauar-* *Tertia.*

nauarcha petitionem, si omnes rogarem admitti. Quare ne quisquam se queratur dimissum, & alterius inuideat electioni, non tam meam esse volo, quàm Dei; & protinus aduocato puerulo, qui fortè aderat in nauali, inquit: Per os infantium & paruulorum sæpè Dominus suam indicauit voluntatem; nec dubito, eamdem modò per hunc puerulum significaturum. Interrogemus eum, & credamus Deum per eum locuturum. Interrogato itaque puero, an diuina esset voluntatis, vt omnes, qui adstabant Fratres, transfretarent; ex tempore constanter respondit, non esse. Vlteriùs quærenti, quinam deberent ex omnibus assumi; indicauit voce & digito vndecim, ad singulos, vt diuinitus ei suggerebatur, accedens. Quibus visis & auditis, admiratione repleti, omnes tam qui transfretaturi erant, quàm qui remansuri, sua sorte contenti, genuflexi, & à sancto Viro benedicti, sibi inuicem valedicentes, in osculo charitatis recesserunt.

Franciscus soluit Anconâ. Marian. c. 4. & 17.

Anconâ itaque illis soluentibus, breui tempore nauis applicuit Cyprum, insulam mediterranei maris notissimam. Cypro tandem venerunt Aconem, ad cuius australem partem optimus Syriæ portus est. Hic distribuit socijs Orientis regiones, binosque misit ad illas partes in quibus plus ceteris opus erat, vt fides aut firmaretur aut restitueretur: decurrensque ipse aliquot diebus per vicina oppida Syriæ, non sine fructu prædicauit. Porrò iterùm se mari committens cum fratre Illuminato, inde peruenit ad exercitum Christianorum, qui Damiatam Ægypti vrbem nobilem ad Nilum fluuium obsidebat. Paucis ab eius aduentu diebus Christiani ad pugnam se parabant, manusque cum Saracenis conferre volebant. Hoc audito, ipso belli ineundi die Vir sanctus vehementer ingemuit, dixitque socio suo: Si belli fuerit attentatus congressus, ostendit mihi Dominus, non prosperè cessurum Christianis. Verùm si hoc dixero, fatuus reputabor; si tacuero, conscientia me redarguit. Quid igitur tibi videtur? Respondit socius eius, dicens: Frater, pro minimo tibi sit vt ab hominibus iudiceris, quia non iam modò incipis fatuus reputari exonera conscientiam tuam, & Deum magis time quàm homines. Quo audito, exiliens Christi præco, salutaribus monitis Christianos aggreditur, propter bellum denuntiat casum. Fit veritas in fabulam, indurauerunt Duces cor suum, & noluerunt reuerti. Igitur committitur prælium, totaque in fugam conuertitur militia Christiana, finem belli opprobrium referens, non triumphum. Adeò ingens fuit illa Christianorum strages, ait Bonauentura, vt ad sex vsque millia cæsorum & captiuorum ascenderet numerus. *In quo*, inquit, *euidenter innotuit, quòd spernenda non erat sapientia pauperis, cum anima viri iusti enuntiet aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum*, Eccli. 37, 18.

Peruenit Cyprum & Aconem, & perrò

ad exercitum Christianorum.

Eo pugnam dissuadente, Christianorū pugnat exercitus, & superatur.

Dolens Christi seruus hinc tantam Christianorum cladem, inde verò miseram Saracenorum in fide cæcitatem, charitatisque ardore spiritum ipsius ad martyrium perurgente, firmiter statuit, non obstante implacabili inter vtrumque hominum genus dissidio, pericula cuncta contemnere, & Soldani se exhibere conspectui. Et quamuis castra hinc inde ita disposita fuissent, vt via mutui transitus sine mortis discrimine non pateret, præsertim verò, quòd à Soldano crudele admodum edictum promulgatum esset, vt quicumque Christiani cuiuspiam caput afferret, Byzantium aureum pro mercede reciperet; intrepidus tamen Christi miles Franciscus, sperans breui optatum se animi sui votum consecuturum, iter arripere decreuit, mortis horrore non solùm non deterritus, sed insuper eius desiderio prouocatus. Oratione igitur præmissa confortatus à Domino, confidenter illud Propheticum decantabat: *Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*, Psal. 22, 4. assumptoque socio Fratre Illuminato, viro vtique luminis & virtutis, cùm iter cepisset, obuias habuit ouiculas duas: quibus visis exhilaratus Vir sanctus, dixit socio: Confide Frater in Domino, nam in nobis Euangelicum illud impletur, *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum*, Matth. 10, 16. Cùm autem paulò progressi fuissent vlteriùs, obuios habuerunt satellites Saracenos, qui tamquam lupi celerius accurrētes, seruos Dei ferociter comprehensos, atrociterque & contemptim raptatos, conuitijs affectos, verberibus contusos, vinculis & compedibus adstrictos, nullo denique iniuriarum genere non cumulatos, ad Soldanum, diuina sic disponente prouidentia, prout Vir Dei iam diu concupierat, perduxerunt. Cùm igitur Princeps ille perquisisset, à quibus, ad quid, & qualiter missi essent, & quomodo aduenissent; intrepido animo respondit Christi seruus Franciscus, non ab vllo homine, sed à solo Deo altissimo se fuisse transmissum, vt ei, & populo eius, viam salutis ostenderet, & Euangelium veritatis annuntiaret.

Ad Soldanum profi-ciscitur, & vinctus ei sistitur.

Feruidè prædicat.

Tanta verò mentis constantia, tanta animi virtute, tantoque spiritus feruore eidem Soldano Deum trinum & vnum, Saluatoremque omnium IESVM Christum prædicauit, vt in ipso veraciter pateret completum esse Euangelicum illud: *Ego dabo vobis*

vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri, Luc. 22, 15. Nam & Soldanus admirandum in viro Dei feruorem ſpiritus conſpiciens & virtutem, libenter ipſum audiebat, & ad ſecum commorandum inſtantiùs inuitabat. Chriſti verò ſeruus, ſuperno illuſtratus oraculo, Si vis, inquit, conuerti tu cum populo tuo ad Chriſtum, ob illius amorem libenter vobiſcum commorabor. Quòd ſi hæſitas propter fidem Chriſti legem Mahometis dimittere, iube ignem accendi permaximum, & ego cum ſacerdotibus tuis ignem ingrediar; vt vel ſic cognoſcas quæ fides certior & ſanctior non immeritò tenenda ſit. Ad quem Soldanus: Haud crediderim aliquem ex ſacerdotibus meis pro fide ſua defendenda igni ſe committere, vel aliquod tormenti genus ſubire velle. Viderat enim ſtatim quemdam ex illis, virum auctoritate & ſenio grauem, eo audito, inde ſe ſubduxiſſe. Ad quem Vir ſanctus: Si mihi vis promittere pro te & populo tuo, quòd ad Chriſti cultum, ſi ignem illæſus exiero, veniatis, ignem ſolus introibo, & ſi combuſtus fuero, imputetur peccatis meis; ſi autem diuina me protexerit virtus, Chriſtum Dei virtutem & ſapientiam, verum Deum & Dominum Saluatorem omnium cognoſcatis. Soldanus autem conditionem hanc acceptare ſe non audere reſpondit, quia ſeditionem populi formidabat. Obtulit tamé ei multa munera pretioſa, quæ Vir Dei, non mundanarum rerum, ſed ſalutis animarum auidus, ſpreuit quaſi lutum. Soldanus autem videns, Virum hunc ſanctum tam perfectum eſſe rerum mundanarum contemptorem, admiratione permotus, maiorem erga ipſum deuotionem concepit. Et quamuis ad fidem Chriſtianam tranſire nollet, vel forſan non auderet; deuotè tamen rogauit famulum Chriſti vt illa ſuſciperet, pro ſalute ipſius Chriſtianis pauperibus vel Eccleſijs eroganda. Ipſe verò, quia pondus fugiebat pecuniæ, & in animo Soldani veræ pietatis aliquam radicem non videbat, nullatenus acquieuit. Videns etiam ſe nil proficere in conuerſione gentis illius, nec ſuum aſſequi poſſe propoſitum, ad partes fidelium diuina reuelatione præmonitus remeauit. Hactenus ex D. Bonauentura: quæ & breuiùs retulit oculatus teſtis Cardinalis Vitriacus in Occid. hiſtor. cap. 32.

Contemnit oblata munera.

Addit Hugolinus cap. 33. Soldanum mira exhibuiſſe amoris indicia, & ſignaculum vel ſymbolum addidiſſe quo à nemine ſuorum læderetur, liberamque inſuper dediſſe illi & ſodalibus eius licentiam in ſuis dominijs prædicandi: ratione cuius, vt teſtatur citatus Vitriacus, Saraceni omnes tamdiu de Chriſti fide & Euangelica doctrina prædicantes Fratres Minores libenter audiebant, quamdiu Mahometo, tamquam mendaci & perfido, prædicatione ſua manifeſtè non contradicebat. Atque tunc accidiſſe credit Marianus, quod S. Bonauentura narrat de Fratrum zelo circa Euangelicam paupertatem obſeruandam, videlicet quòd quidam Saracenus pietate commotus pecuniam eis obtulerit pro neceſſario victu: illis autem recuſantibus accipere, admiratus ſit homo, maximè cùm inopes eos eſſe conſpexiſſet: intelligens verò quòd pauperes facti amore Dei, pecuniam poſſidere nolebant, tanta eis ſit affectione coniunctus, vt ad miniſtrandũ omnia eis neceſſaria, quamdiu facultatũ ſibi aliquid ſupereſſet, ſe vltrò obtulerit. O inæſtimabilis pretioſitas paupertatis, cuius miranda virtute mens fera & barbara in tantam miſerationis eſt immutata dulcedinem! Multa quidem in Ægypto S. Franciſcus eſt operatus prodigia, & ſanctitatis indicia oſtendit, vt Capite ſequenti oſtendemus, dolens verò non fuiſſe meſſem vberiorẽ, nec potuiſſe ſe pleno manipulos in Domini horreum congregare, adijt Palæſtinæ regionem, Syriamque & Galilæam peragrauit. Ita Legenda antiqua Thomæ Celani, & vetuſta Ordinis Chronica.

Paupertatis virtus

Soldanus fauet ſancto Franciſco & ſocijs eius.

Dubium, eiusque ſolutio.

SEd ad quæ præcipuè loca peruenit ſanctus Franciſcus? quæ oppida, quas vrbes in his regionibus perluſtrauit & illuſtrauit Euangelicus hic Concionator? Dico probabiliter, in Ægypto fuiſſe Damiatæ, in magna Cairo, Alexandriæ, &c. ibique inuiſiſſe deuota loca, peculiari memoria conſecrata. In Syria inuiſit ſanctas ciuitates Ieruſalem & Bethleem, in Samaria Sichar & puteum Samaritanæ: in Galilæa Nazareth, montem Thabor, Canam Galilææ, mare Tiberiadis; in Cæleſyria Antiochiam, & denique alia loca quæ deuotione & concurſu populorum eſſent celebria.

Loca lustrata à Francisco.

Ieruſalem, Bethleem, Sichar, Nazareth, &c.

Quòd ſic ſentiam, mouet me Seraphici Patris erga Deum pietas, & feruentiſſimus animarum ſalutis zelus. Et quantum quidem ad pietatem; ſi pluries, deuotione ductus, in Italia inuiſit Romæ limina SS. Apoſtolorum, ſi ſummo affectu ferebatur verſus ædiculam S. Mariæ Angelorum apud Aſſiſium, ibique die noctuque orabat, eò quòd apud illam Chriſtum, ſanctiſſimam eius Matrem, & SS. Angelorum infinitam multitudinem viderat: ſi etiam inuiſit ſpecum & corpus S. Benedicti Abbatis, vt notatur Tom. 1. Annal. Minor. ad annum Chriſti 1222. n. 5. ſi etiam in Apulia ſactum antrum S. Michaëlis Archangeli in monte

Frequens in locorum ſanctorum viſitatione.

Digitized by Google

Gargano, ibid. num. 16. ſi Compoſtellam Hiſpaniæ profectus fuit, vt ibi corpus S. Iacobi Apoſtoli veneraretur, ibidem anno Chriſti 1214. num. 8. ſi denique ad alia Occidentis ſanctuaria magno cum labore peregrinatus fuit Vir ſanctus; cur, quin ſanctuaria Orientis longè illis Occidentis præcellentiora, vtpote in quibus Chriſtus Dei Filius corporaliter cum Deipara, Apoſtolis, & alijs Sanctis habitauit, & vbi tot noſtræ ſalutis myſteria conſummata fuere, inuiſiſſe illum minimè credamus? An paſſioni Chriſti deuotiſſimus, inuiſere ſanctiſſimum Caluariæ montem, & alia Dominicæ paſſionis monumenta contempſerit? An in ſanctiſſimam Virginem, eiuſque infantulum magnum IESVM pijſſimus, non inuiſerit Nazareth, vbi ſacratiſſimo illo fetu fecundata; aut Bethleem, vbi illum enixa fuit?

Dices, ideò eum inuiſere potuiſſe Occidentis ſanctuaria, quia abſque difficultate illa adire, & ſine timore illa venerari conceditur; ſecùs verò de locis ſacris Orientis fuiſſe. Reſpondeo, nec illa inuiſere ei interdictum erat, ſed potiùs liberaliter permiſſum; quippe qui Regio Soldani diplomate atque edicto munitus erat, vt poſſet liberè per omnes illius prouincias tranſire & prædicare, vt vidimus: nec timor vllus vmquam ab hoc cor eius deterruit, vt quem charitas iam foras miſerat. Imò verò ſi ipſam itinerandi rationem conſideremus, dicendum videtur, facilius ei fuiſſe inuiſere Ægypti vel Palæſtinæ, quàm alia Italiæ vel Hiſpaniæ ſacra loca, vt quæ commodiùs & minore cum moleſtia, è locis illis in quibus ſæpiùs degebat, accedere potuerit. Addo, B. Ægidium, ſancti Patris ſocium, relicta Italia, mariſque tranſmiſſo, veniſſe Ieroſolymam, vt adoraret vbi ſteterant pedes Domini; & ipſe pijſſimus Pater, cùm iam alia occaſione, longiore abſoluto itinere ad has peruenijſſet partes, & proximus eſſet Ieroſolymis, Nazareth, & alijs ſanctis locis, illa non inuiſerit?

D. Hieron. in Vita Hilarionis.

B. Hilarion (vt auctor eſt D. Hieronymus) cùm habitaret in Palæſtina, eſſetque locis ſanctis proximus, hanc vnam ob cauſam illa inuiſit, ne ea contemnere videretur; eadem nos ratione, etiamſi aliæ non ſuppeterent, dicimus ſancta Palæſtinæ loca viſitaſſe & adoraſſe S. Franciſcum. Audi Piſanum lib. 2. Conformit. Fructu 7. qui, vbi de eius peregrinatione loquitur, hæc habet: *Sæcularis exiſtens, ob reuerentiam Apoſtolorum Romam iuit. Factus autem Frater, viſitauit pluries limina Apoſtolorum Petri & Pauli, S. Iacobum de Gallicia, S. Angelum de monte Gargano, & Domini ſepulchrum.*

Dices iterùm: Non viſitauit loca illa, quia defuit ei tempus. Hoc verò nõ obſtat, quia vnius anni ſpatio in his partibus fuit commoratus, vt aduertit Auctor Annalium Minorum ſub anno Chriſti 1220. num. 1. & ſanè multo eum ibi tempore manſiſſe dicendum eſt, conſideratis illis quæ de ipſo narrantur, de quibus nos Capite ſequenti.

Optima Dei diſpoſitio id requirere videbatur. Abrahæ, cui frequentiores poſteà promiſſiones factæ fuerant de Terra Chanaan ab eius poſteris poſſidenda, dixit Dominus: *Leua oculos tuos, & vide à loco in quo nunc es, ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem. Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo & ſemini tuo vſque in ſempiternum. Faciamq; ſemen tuum ſicut puluerem terræ: ſi quis poteſt hominum numerare puluerem terræ, ſemen quoque tuum numerare poterit. Surge, & perambula terram in longitudine, & in latitudine ſua: quia tibi daturus ſum eam*, Geneſ. 13, 14. Ad quid, quæſo, voluit Deus ſeruum ſuum aſpicere & perambulare terram à ſuis poſteris poſteà obtinendam, niſi vt ipſe intelligeret, ipſum accipere illius pro poſteris ſuis poſſeſſionem? quod fit, vt tradunt Doctores, vel aſpectu, & multò magis pedis illatione, ſecundùm illud eiuſdem Domini de Caleb: *Ipſe enim videbit eam, & ipſi dabo Terram quam calcauit & filijs eius*, Deut. 1, 36. & *: Omnis locus, quam calcauerit pes veſter, veſter erit*, Deuteron. 11, 24. & Ioſue 1, 3. Eodem modo debuit Patriarcha pauperum S. Franciſcus eamdem terram inſpicere & perambulare, quæ propter eius merita danda erat illius filijs iam multiplicatis, vt ei à Domino initio ſuæ conuerſionis prænonſtratum fuerat, quemadmodum infrà explicabimus Capite LXXII. Quantum porrò ad eamdem pietatem Viri ſancti, ſi cuiuſque generis & conditionis viri, Epiſcopi, Martyres, & alij Sapientes, & qui ad culmen perfectionis pertingere cupiebant, ab Aſcenſu Domini vſque ad tempora D. Hieronymi venerunt in Terram ſanctam ſacroſancta veneraturi loca, *putantes ſe minus religionis, minus habere ſcientiæ*, vt inquit S. Hieronymus, *nec ſummam (vt dicitur) manum accepiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, in quibus primum Euangelium de patibulo coruſcauerat*; & vſque in præſentem diem omnes ferè pij ad iſta loca anhelant; & ſi non poſſint corporeis ea inuiſere, ſaltem ſpiritualibus oculis perluſtrant; vtique Seraphicus hic Pater, dum eſſet in his partibus (cui nimirum nihil magis cordi erat, quàm ad culmen perfectionis pertingere, ſeque Deo quoad fieri poteſt in mortali hac vita coniungere) locorum ſanctorum viſitationem ac venerationem, ad diuinam vnionem maximè vtilem, in primis curauit.

Franciſcus Palæſtinæ locorum pro ſuis poſſeſſionem accepit.

Antonius Gomez in L. 45. Tauri. num. 55. Leſius de Iuſtitia & Iure lib. 2. cap. 3. dubit. 11.

S. Hieron. Epiſt. ad Marcellam

Zelus

Zelus item ſalutis animarum, qui in Sancto feruebat, & munus prædicandi ad quod fuit electus, idem planè perſuadent. Quemadmodum ergo verus Eccleſiaſtes, qui plenæ meſſis manipulos in horreum Domini congregare ſtudet, non in cryptis aut angulis, ſed in magnis & frequentioribus ciuitatibus Euangelij ſemen diſſeminare ſatagit; exemplo vtique Saluatoris qui palàm loquebatur, ambulans per ciuitates & caſtella, Matth. 4. eamque ob cauſam Capharnaum ſibi ad habitandum delegit, quam & propterea Matthæus ciuitatem Saluatoris appellat: (quare verò frequentiùs ibidem verſatus fuerit, quàm in alijs Galilææ ciuitatibus, hæc aſſignari ſolet ratio, ait Cardinalis Baronius, quòd frequentior illic eſſet concurſus hominum, cùm non modò hi qui Tranſamnanam habitabant regionem, ſed & alij è remotis locis mercimoniorum cauſa eò confluerent, adeoque ex prædicatione & miraculis ſuis vberiores poterat colligere fructus) ita & perfectus ille Chriſti imitator Franciſcus, cùm ad has peregrinatus ſit partes vt eiuſdem Euangelium prædicaret, quò ampliores fructus meteret, ire debuit ad præcipuas & frequentiores ciuitates, quales tum erant Ptolemais, Damiata, Cairus, Alexandria, Ieruſalem, Damaſcus, &c. has enim omnes intra anni vnius ſpatium commodè luſtrare potuit. Sunt etiam iſtæ peregrinis commodiores, & tutiores, & ferè ad has publici pergunt commeatus, quibuſcum iter fecit S. Franciſcus dum ibi moraretur. Eodem enim, quo hodie, commeatu olim viatores fuiſſe deductos, conſiderata regionum conditione, ab omni mihi dubitatione alienum videtur. Quòd ſi commeatus non fuerunt in prædictis primatijs ciuitatibus, vbinam fuerint, qui à nobis diſſentit, edidiſſerat.

Baronius anno Chriſti 1220.

Nec vſque adeò eſt mirandum, quòd Seraphicus Bonauentura, vel quicumque alius Hiſtoricus ex illis qui non multò poſt ſanctiſſimi Patris tempora ſcripſerunt, ſingula loca, ad quæ Vir ille ſanctus peregrinatus fuit, diſtinctè non expreſſerit; hoc enim factum eſt vel licentiâ hiſtoricâ, vel quia in iſta peregrinatione intenderunt illius præcipuum finem explicare, deſiderium nimirum moriendi pro Chriſto: ac proinde Ægypti & Damiatæ mentionem fecerunt; vbi & multa paſſus fuit S. Franciſcus, dum Chriſti Euangelium ibi annuntiauit, vt facilè martyrium aſſecutus fuiſſet, niſi aliter à Deo diſpoſitum fuiſſet: vel quoniam in illis portentoſum aliquid tunc non fuit operatus, ex cuius relatione, locorum illorum mentio fieret; vel denique, quia veluti rem ex ſe manifeſtam habuerunt, pijſſimum Patrem inuiſiſſe ſanctiſſima Orientis loca, à quibus non procul aberat. Sed quod veteres Hiſtorici reticuerunt, recentiores palàm expreſſerunt. Et quamuis ſingula ſinguli non explicent, ſe nihilominùs mutuò adiuuantes, omnia ad ſententiam noſtram neceſſaria enarrant.

Quonam ordine loca ſacra luſtrauerit Franciſcus.

Ex dictis itaque ſuppoſito, S. Franciſcum inuiſiſſe Palæſtinæ & Ægypti loca pietate vel concurſu populorum celebriora, dubium exoritur, an primò inuiſerit loca Palæſtinæ & Iudææ, vt Ieruſalem & Bethleem, an verò illa Ægypti, & in reditu demum iſta Iudææ. Quòd inuiſerit Ieruſalem in reditu à Soldano ex Ægypto, ac deinde Galilæam & Syriam, præter alios videtur indicare Illuſtriſſimus Heros Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus, in eleganti & locuplete de S. Franciſco Poëmate, in quo dum præcipua Franciſci geſta deſcribit, quod innuimus ita perſtringit:

— Niliacis ſcrutatus ſedibus hoſpes
Indigus, vnde imo captiuos carceris antro
Eriperet, quos pertulerat furor impius olim,
Cum Saladino Italum robur dum prælia miſcet,
Pellæo repetens Solymos, Syriamq; rebellem,
Atq; ita per denſos pietas accenſa maniplos,
Per cuneos & per conſerta vmbonibus arma,
Quæſiuit Latiã redimi ſine munere pubem.

Ita refert Annalium Minorum Auctor Tomo 1. anno Chriſti 1219. num. 65.

Ordo peregrinationis Franciſci.

Mihi valdè probabile videtur, ſi dicatur cum alijs, S. Franciſcum, cùm ex Ancona Venetias contrario vento nauigaſſet, inde Cyprum appuliſſe, ex Cypro Aconem, ex Acone Ioppen nauigaſſe, inde aſcendiſſe Ieruſalem, viſitando priùs Ramam, Lyddam, Emmaum; inſpectaque ſancta Ciuitate, inuiſiſſe Bethleem; ex Bethleem in Ægyptum verſus Cairum & Damiatam, & in diſceſſu ex Ægypto peregrinatum fuiſſe in Syriam. Congrua ratio ita perſuadere videtur, nempe vt redderet Deo gratias, quòd poſt multa pericula maris & tribulationes incolumem cum ſuo ſodalitio eò vſq; perduxerit, quò ſtudioſus Chriſti diſcipulus Magiſtrum ſuum imitaretur; vt ſicut ille paſſurus extra Ieruſalem, priùs Ieruſalem iuit Deo Patri agonem ſuum commendaturus; etiam Franciſcus, qui pro Chriſto pati ſperabat extra Ieruſalem, priùs in ſanctam profectus fuerit Ciuitatẽ Deo ſe commendaturus, vt virili fortitudine coram tyranno Chriſti Euangelium prædicaret, & pro eius nomine martyrium ſuſtineret, ac denique vt ſacratiſſima loca veneraretur, ad quæ Virum pijſſimum toto ſpiritu anhelaſſe quis dubitabit? Quare ſicut quondam magno illi Patriarchę Iacob contigit, vt intelligens

quòd viueret Ioseph filius suus, & in Ægypto dominaretur, reuixerit spiritus eius, ipseque dixerit, *Sufficit mihi: vadam & videbo illum antequam moriar*, Genes. 45, 28. ita Franciscus, cùm Aconem vel Ioppen diuertisset, intelligens se proximum esse locis illis, in quibus Dei Filius natus & passus fuerat, vt humanum genus à cruciatibus æternis liberaret, reuixit, refocillatusque est spiritus eius, ex longa & afflictionibus plena peregrinatione pænè extinctus: cùm, inquam, eò peruenisset, magno perfusus gaudio, dixit: Sufficit mihi venisse ad loca sancta, illa videbo, in quibus Dominus meus vixit & reuixit; deosculabor vestigia illius, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti; adorabo in loco vbi steterunt pedes eius, antequam morte mea aliquam vicem rependam morti Redemptoris mei. Et ita contigisse, cecinit Hieronymus Manipetus Minorita in suo Heroico Poëmate in Vitam B. Franciſci, summo Pontifici Clementi VII. dicato, & ab eodem approbato; cuius carmina, etsi pluscula sint, pro nostro tamen proposito subijcere non erit inutile nec iniucundum Lectori, quia cum pietate assumptum argumentum non ineleganter explicant. Sic itaque ait:

Hieronym. Manipet. Seraphica 14. & de itinere ex Christianitate ad has partes, Seraphica 13.

Deuectus pelago Franciscus, vt antè relatũ est,
Rhodum Cyprumq; transit. *Postremùm post terga Rhodo Cyproq; relictis,*
Sacra Palæstinæ deuenit littora terræ.
Ioppen appellit. *Hinc vt littoreæ portum est ingressus Ioppes,*
E naui subitò descendit nobilis Heros,
Cetera quem sequitur sociorum copia: & vnà
Ioppes descriptio. *Intrantes vrbem, mirantur mœnia, quondam*
Inclyta, versa solo, & paucis habitata colonis.
Vrbs magna hæc mundi cataclysmo antiquior, olim
Regia, quæ Cephei vinclis insignis habetur
Andromedæ, monstro expositæ pro crimine matris,
Conuersa ad Christum est reliquis prior vrbibus: in qua
Mortua vitales iterùm susceperat auras,
Imperio Petri, redeunte corpore Dorcas.
Hinc opportuna paulùm statione moratus
Franciscus, Solymas gressus direxit ad arces.
Ramam, & Tum Ramam in primis offendit, & inde propinquæ
Lyddam pergit: *Vt Lyddæ campos cœpit transire patentes,*
Clanigeri rursum Diui memorabile factum
Obuersatũ animo est: quippe instaurauerat illic
Aeneam, laxos resolutum corporis artus.
ad templũ S. Georgij: *Post hæc Georgi ventum est ad limina magni,*
Qui tulit effuso victricem sanguine palmam;
Et meritò est illi dictum sub honore sacellum,
Parta triumphalis fuerant vbi sceptra coronæ.
Hoc simul egressi fano, venère sequenti
Emmaum: *Luce Emaum, cuius vestigia turribus extant*
Grandia semirutis, vbi Christus euntibus vnà
Discipulis comitem occultum se iunxit, ibiq;
Acceptus, fracto mysteria pane retexit.
Hæc vbi sollicitis liquerunt oppida votis,
Cleophæ & Samuelis sepulchrũ: *Antiquum Cleophæ primò videre sepulchrum:*
Inde tuum, Samuel; demum sublimia postquam
Ierusalem: *Mœnia viderunt Solymorũ, protinus omnium*
Diriguere animi præ maiestate locorum,
In quibus est ortus, versatus, & vltima passus
Supplicia, ac niueo concisa rupe sepulchro
Conditus, æternũ Dominus surrexit in æuum.
Hîc gemitus & longa trahunt suspiria Fratres,
Immò dum propiùs Christi vestigia adorant,
Iudæis passim quæ quondam impresserat oris,
Oscula dant terris: nec pectora plangere cessant,
Luminibus largè manantibus vbere fletu.
Sacra Sinoëi subeunt mox tecta sacelli:
Templum Salomonis: *Ingressiq; vrbem, spectant mirabile templum;*
Nempe tui, Salomon, monumentum insigne decoris:
Quò stata sacrorum plebes Hebræa superno
Ex omni regione Patri deferre solebat:
Quoq; loco toties cœlestia iura retexit,
Et docuit turbas, signa ac miracula prompsit
Innumera, indutum mortali corpore Verbum.
Sed quòd mentitum Mahometis numen ibidem
Ignarus coleret populus, dolere fideles
Templum Dominicæ Resurrectionis: *Christicolæ: deinceps sacrarum ad cetera rerum*
Conuersi, sancti simul intrauere Sepulcri
Eximias illas ædes, quod nobile magnæ
Quondam Helenes opus, assiduis confluxibus orbis
Terrarum colitur, candenti marmore & auro,
Amplum adeò, vt lato spatiosi limite campi
Plurima Syriaci capiat mysteria fati.
Calvariæ montem: *Eminet hîc tumulus calvarum, vbi triste Christus*
Vinifica tormenta crucis, mortemq; subire
Non renuit, nostræ tectus velamine carnis.
Post hunc, Arctoo Boreas quà spirat ab axe
Inferiùs loca sacra patent: vbi stipite diro
Depositus, Mariæ lacrymis madefactus acerbis,
Petram vnctionis: *Vnctus odorato Dominus fuit vnguine, posthac*
A fido implicitus Nicodemo sindone munda.
Christi sepulchrum: *Hîc propè funereum sacrati corporis antrum,*
Quò, iuxta Vatis prænuntia fata Gethæi,
Donec ter spatium magni percurreret orbis,
Et vicibus ternis Phœbus lustraret Olympum,
Obscura Christus terra sub mole quieuit.
Haud multò procul hinc vergens Titanus ad ortum
ad locum inuentionis S. Crucis: *Sacra loci statio est, vbi Crux inuenta fuisse*
Traditur, effosso subtracta è rudere montis:
Cumq; illa claui, cuspisq; & spineus orbis,
Quo penetrante sacer fluxit de vertice Sanguis:
Sacellum Adæ: *Indicium q; loci cunctis monstratur ibidem,*
Fertur vbi antiquum quondam caput esse parentis
Inuentum primi. Lacrymis hæc omnia fusis
Agnouere viri, figentes dulcia pressis
Oscula liminibus, Domini calcata fuere

Quæ

Quæ ſacris quondam plantis, aut ſanguine tincta.

Alia Hieroſolyma ſanctuaria.

Cetera viſendi ſtudio miracula paſſim
Per vicos iuere ſimul, veniamq; precati,
Indultam æternæ pietatis ab omnibus aris
Sumpſere, impreſſaſq; animo terſere lituras.

Animarum zelo & martyrij deſiderio paratus iter in Ægyptū Franciſcus.

Iamq; peragratis ſancta ſtationibus vrbis
Franciſcus, zelo fidei ſuccenſus, & æri
Martyrij deſiderio, pia pectora Fratrum
Alliciens blandis alia ad ſpectacula verbis,
Auſtralem ſubitò greſſus direxit ad orbem,
Aegyptiq; oram: quò ſcilicet impia cæci
Dogmata Mahometis Sultani ante ora ſuperbi
Argueret: nec non prauis erroribus actam
Cæleſtum imbueret virtutū lumine Memphim:
Aut ſi fortè animam cælo dependere charam
Poſſet, & optata pro Chriſto occumbere morte.
Idem omnes ſimul ardor habet. Paremus ouantes
Imperio, Pater alme, tuo, dixere, parati,
Et necis & vitæ ſocij diſcrimen in omne.
Sic igitur Solymis ſub prima crepuſcula lucis
Digreſſi, veniunt celeres duce Pneumate ſancto,

Bethlem viſitat cunabula Saluatoris.

Ad Domini natale ſolum, ſacrumq; ſubintrant
Obſcura ſub rupe latens præſepe verendi
Numinis, & Chriſti pueri incunabula adorant.

Gazam tranſit.

Inde recedentes, Gazam petiere, ſuperbi
Robore Samſonis celebrē, qui limina quondam
Aenea, portarumq; fores confregit, & ambas
Grandibus impoſitas humeris, portauit ad alti
Vſque ſupercilium montis, qui reſpicit Ebron.
Hæc miranda viri dum ſecum geſta potentis,
Et recolunt illi memores, & paſſibus inſtant

Peruenit in Ægyptum, captus à Mahometanis, opprobrijs cum ſuis ſocijs ſaturatur, & coram Soldano ſiſtitur.

Ire viam intentis, adeunt Aegyptia regna.
Maurorum hīc plures, armato milite, cæcis
E latebris, veluti rabidorum turba leonum,
Proſiliunt, Fratresq; aggreſſi funibus arctant,
Verberęq; afflictos ſtatuunt ante ora Tyranni, &c.

Hactenus Manipetus.

Et fortaſſe idem ſenſit Mirandulanus: ſed & ampliùs de Sancto dixit, bis nimirum eum Ieroſolymam inuiſiſſe, ſemel in aditu ad has Syriæ partes, & iterùm in reditu ab Ægypto: ille enim verſus, *Pellæo repetens Solymos*, &c. id mihi præ ſe ferre videtur. Si enim in diſceſſu à Soldano Ægypti repetijt Solymos, igitur antè petijt. Et hoc quidem mihi probabile. Sed quidquid de hoc ſit, ad Franciſcum in Syria relictū reuertamur.

Rediens ex Ægypto iterùm Ieroſolymam viſitat Franciſcus.

Antiochiā peruenit. Sanutus lib. 3. p. 5. cap. 4. & p. 14. cap. 2. In Montana Nigra à Monachis S. Benedicti proceſſionaliter excipitur.

Multis tandem prouincijs emenſis, Vir ſanctus Antiochiam Cœleſyriæ nobiliſſimam metropolim peruenit per Montanam Nigram (quæ *Non-integra* dicitur, & ad Septemtrionalem ciuitatis partem ſita eſt) vbi nobile erat Monaſterium Ordinis (vt Marſus & alij aſſerunt) S. Benedicti: cuius loci Monachi hominem Dei ad ſe venientem ſacro ritu proceſſionaliter exceperunt, quippe qui ab Abbate ſuo, homine prophetiæ gratiâ inſtructo, & paulò antè defuncto, præmoniti fuerant, non diu à ſua morte aduenturum eſſe hominem Deo charum & ſanctum, magnæ familiæ Patriarcham, in veſte quidem lacera & perſona deſpicabili, omni tamen reuerentia & honore dignum. Hoc in loco Vir ſanctus dies aliquot adeò ſanctè tranſegit, vt omnium illorum Monachorum animos & affectus pellexerit, vt non ſolùm ſanctiſſimos eius mores admirati, ſed & poſteà Minoritarum inſtitutum fuerint amplexati, vt Capite ſequenti enarraturi ſumus.

Rediturus in Italiam iterùm Soldanum adit.

Poſtquam verò Vir Dei in regionibus iſtis annum iam integrum tranſegiſſet, & iam eſſet reuerſurus in Italiam, vt rebus Ordinis ſui conſuleret, ad quod fuerat euocatus; inſalutato Soldano Malachadino (quem ita quidem nominandum nonnulli volunt, ſed Marianus *Vorilicium* vocat) cuius ſalus ei quàm maximè cordi erat, diſcedere noluit, vtpote qui iam antè eum honorificè ſuſcepiſſet, vt habet Nauclerus, quiq; multam ei conuerſionis ſuæ ſpem dediſſet. Reuerſus itaque in Ægyptum, ad Cairum, vt credo, vrbē regiam, & altera vice ibi concionatus, cùm nihil præter fucata verba, & vanā ſpem impetraſſet, (differre enim conuerſionem ſe cogi aiebat Soldanus, tum propter feruentia bella, tum propter maximum Saracenorum in Chriſtianos odium, à quibus Regni ſtatus in diſcrimen vocari poſſet) ſtatuit Deum omnino obſecrare & obteſtari, vt hanc animam ſaluam faceret, pro cuius conuerſione tantum ipſe emenſus erat iter; & per plures dies non deſtitit ab oratione, donec exaudiretur, eiq; præmonſtrarentur omnia, quæ circa Principis illius conuerſionem & Baptiſmum futura erant; de quo Capite ſequenti. Quæ dum Vir ſanctus Soldano referret, fideiq; noſtræ normam ei exponeret, maiorem ille quàm anteà erga Virum Dei amorem concepit, rogauitq; vt diutiùs ſecum maneret: ille verò cælitus præmonitus vt in Occidentem reuerteretur, petitioni Principis acquieſcere noluit. Itaque ei vale dicto, præterea difficilem eſſe Saracenorum conuerſionem, neque ſe obtinere potuiſſe quod totis viribus concupiuerat martyrium animaduertens, nauem conſcendit ad fidelium regiones nauigaturus; relicto Euangelij & bonorum operum ſemine, ex quo non ſolùm trigeſimus, ſed ſexageſimus & centeſimus fructus tempore ſuo colligendus erat.

Atq; ex hiſce patet, quomodo ad has partes peregrinatus fuerit S. Franciſcus, & quæ peculiaria inuiſerit loca. Sed iam tempus eſt, vt de aduentus illius fructibus loquamur.

CAPVT LXVI.

Quos fructus pepererit S. Franciſcus ſuo ad has infidelium partes aduentu.

VEnit quidem B. Franciſcus ad has oras, vt ſanctorum Palæſtinæ locorum veneratione, Euangelij in Ægypto & Syria prædicatione, proprijque ſanguinis effuſione, mundo teſtimonium redderet eximiæ ſuæ dilectionis erga Chriſtum; ſed non obtinuit, Deo ita de ipſo diſponente, vt adhuc alios multos lucrifaceret, perfectior ipſemet euaderet, & quod breui martyrio non potuerat obtinere ab hoſte Chriſti, diuturniore paſſione obtineret à diligente Chriſto; à quo & illuſtrem coronam & palmam martyribus præparatam conſecutum fuiſſe conſtabit: quemadmodum & Chriſtus Dominus, qui vt pateretur in hunc mundum venit, ſtatim quidem atque in lucem editus eſt, præ nimia charitate de medio tolli acerba morte voluiſſet, vt frigus & paſſiones aliæ quas in ortu ſuſtinuit, lacrymæ ac ſanguis quæ fudit in circumciſione, teſtata fuerunt; verùm ad maiorem Dei gloriam & communem omnium vtilitatem illam declinauit. Quęſitus enim ab Herode ad mortem, fugit in Ægyptum, & nec ibi ab infidelibus & idololatris illis occidi voluit, vt promiſſos Eccleſiæ compararet fructus, ſuique Regni fines augeret: debebat inſuper gratia, ſapientia & ætate coram Deo & hominibus proficere, vt inueniretur ſuo tempore ſacrificium & holocauſtum, Deo, Angelis & hominibus acceptiſſimum & proficuum, in ara Crucis immolandum. Adde, non permiſiſſe Dominum tam feruidum ſui amatorem ab hoſte torqueri & occidi: quin voluiſſe ipſum, cuius cor amoris ſpiculo vulneratum fuerat à dilecto, vulnerare dilectum in volis, plantis, latere, voluiſſeque ipſum inter ceteros ſuæ paſſionis participem facere, non ad modicum quidem temporis ſpatium, ſed continuo duorum annorum curriculo, vſque dum omnibus conſtaret, vulneratum eum fuiſſe charitate, & amore languiſſe; vt hoc pacto ab hoſtium furentium manibus liberaretur, & à dilectis Chriſti, quæ plenæ ſunt hyacinthis, reciperet coronam auream lapidibus pretioſis intextam. Voluit Saluator Franciſcum ſuum aſſimilari dilectiſſimæ Matri ſuæ, cuius cor, vt Simeon prædixerat, doloris gladius pertranſiuit; & Ioanni dilecto diſcipulo, qui calicem bibit paſſionis, vt præmonuerat Chriſtus, idque tum primùm quando Chriſtus patiebatur: Chriſti namque paſſio fuit gladius ille doloris cor MARIÆ pertranſiens, & calix martyrij quem Ioannes bibit; quando vterque nimirum iuxta Crucem ſtabat: vnde iſtis & Franciſco fuit Chriſtus humilians & ſubleuans, percutiens & ſanans, faciens martyrem, & tribuens coronam. Et quamuis Franciſcus in his partibus ſanguinem, vt deſiderabat, non fuderit; non ideò inutilis & vanus fuit illius aduentus, ſed admodum vtilis & proficuus.

Dei diſpoſitio, ne ab infidelibus occideretur Franciſcus.

Virgini Mariæ, & Ioanni aſſimilatur.

Perſimilis mihi videtur S. Franciſci ad has infidelium partes aduentus, aduentui Chriſti in Ægyptum. Saluator in Ægyptum ſecedendo vitam ſeruauit, fidem veri & vnius Dei illuc intulit: commotis verò & contritis idolis, ſoli veroque Deo gloria exhibita, & habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt; vt ex illo Prophetæ vaticinio, *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulacra Aegypti à facie eius, & cor Aegypti tabeſcet in medio eius*, Iſaiæ 19, 1. deducunt Doctores ſacri, & nos alibi explicabimus.

Chriſti in Aegyptum & Franciſci ad has partes profectio comparatur.

Lib. VIII. Cap. II. Peregr. II.

Nec Ægyptus modò Domini aduentu & præſentiâ fuit illuſtrata, ſed & ipſa ſolitudo per quam tranſiuit, vt ijdem tradunt Patres: quæ tunc quodammodò ſemen benedictionis ſuſcipiens, poſteà ſuo tempore (quod idem ait Propheta, *Exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium, germinans germinabit*, Iſaiæ 35, 1.) tot ſanctorum Monachorum, illic quaquauerſum incolentium, produxit ſacra germina. Itidem S. Franciſco ad has partes venienti vita ad maiora & ampliora reſeruata fuit, Deo gloria & honor acceſſit, peccatoribus prouenit culparum remiſſio, infidelibus illuxit fides, iuſtis iuſtitia apparuit, Eccleſiæ denique eius ſodalitio multiplicis fructus accreuit augmentum. Singula explicemus.

Seruata fuit vita S. Franciſco ad maiora, vt diximus, nimirum vt præcellentiorem glorię coronam obtineret: nec ſolùm vnam, ſed plures, prout & plures, dum viueret, hoſtes gloriosè ſubegit. Auream igitur coronam meruit longa peregrinatione, periculis & afflictionibus plena; exercitatione item aliorum ſanctorum operum, aureolas Doctoribus, Virginibus, & Martyribus debitas, quia ſingulari quodam modo de mundo, carne ac dæmone triumphauit. De mundo quidem, dum ab Ægypti Sultano oblatas diuitias contempſit, & Euangelica ſua prædicatione plures mundanos ac infideles in iſtis partibus ad eius contemptum & Chriſti ſequelam pertraxit. De carne, quia cùm virgo eſſet, vt ex pluribus docet P. Lucas VVadingus, de impudico ſcorto triumphum egit: de dæmone, quia vitam ſuam morti expoſuit, vt illum de infidelium & peccatorum cordibus fugaret.

Ad maiorem gloriam ſeruatus fuit à morte S. Franciſcus, eſſentialem & accidentalem.

In Apparatu ad Annales Minorum §. 4. n. 9. & ſeqq.

Nec

Nec obeſt, mortem ei à perſecutoribus non eſſe illatam; nam & multa ab illis paſſus fuit, vt vidimus Capite præcedenti, & illam magno affectu pro Chriſto concupiuit: at affectum magis quàm effectum reſpicit Deus, apud quem voluntas pro facto reputatur. Et quidnam aliud quærit Dominus? Illius vox eſt illa: *Præbe fili mi cor tuum mihi*, Prou. 23, 26. & inde opera iſta metitur, vt eleganter dixit ſuper Cantica ſanctus Bernardus: *Apud homines cor ex verbis, apud Deum verba ex corde penſantur.* Non ergo fraudatus fuit corona martyrij. Quare huius Sancti alumni, ad ſui Patris glorioſas coronas reſpicientes, in choris diſtributi (vt olim mulieres Hebrææ obuiàm factæ Dauidi, illius de hoſtibus celebrantes triumphum) eidem glorioſas decantant laudes, inter alia dicentes:

Carnem mundumq́, conterens,
Hoſtes malignos proterens,
Auream victor meruit,
Aureolam dum docuit.

Et magnus ille tanti Patris filius, Seraphicus Bonauentura, in illius Vita cap. 9. conſiderans Sancti pro Chriſto ardens moriendi deſiderium, & quomodo non fuerit illud impletum, piè ac verè dixit: *Sic itaque Dei ordinante clementia, & ſancti Viri promerente virtute, miſericorditer & mirabiliter factum eſt, quòd Chriſti amicus mortem pro ipſo viribus totis exquireret, & tamen nullatenus inueniret: vt & merito non careret optati martyrij, & inſigniendus ſeruaretur in poſterum priuilegio ſingulari. Sic vtique factum eſt, vt ignis ille diuinus, adhuc perfectiùs ipſius æſtuaret in corde, vt pòſt* * *potentiùs euaporaret in carne. O verè beatum Virum! cuius caro etſi tyrannico ferro non caditur, occiſi tamen agni ſimilitudine non priuatur! O, inquam, verè ac plenè beatum! cuius animam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrij non amiſit.* Et hæc quæ hactenus indicauimus, ex iam ſubijciendis ampliùs apparebunt.

* aliàs, *potentiùs*

Ob Franciſcum Soldanus in Chriſtianos fuit beneficus.

Sanctus Pater prædicatione ſua tantum in infidelis Soldani animum valuit, vt antè ferocem & inhumanum mox benignum & manſuetiſſimũ tum in ſe tum alios in Chriſtianos reddiderit. Teſtes huius manſuetudinis & benignitatis ſunt Eccleſia ipſa in Officio D. Franciſci, vbi dicit, Franciſcum à Rege Soldano liberaliſſimè tractatum; Cardinalis item Vitriacus Soldano notus, Abbas Stadenſis ei coæuus, & Matthæus Paris fermè ſynchronus. Vitriacus, *Tantæ benignitatis*, inquit, *erat in Chriſtianos, vt poſt treugam cum Saracenis ſolui iuberet Chriſti cultores, quos vinculatos inuenit in munitionibus quas expugnauit, & in optione eorum poſuit, vtrùm in patriam ſuam redire vellent, an acceptis ab eo ſolidis ſub ipſo militare potiùs eligerent. Idem Chriſtianos in tantum familiares habuit, vt cuſtodes ſui corporis conſtitueret eoſdem, licet pater ipſius à Laſcaro Græco fuiſſet interfectus.* Similia habet S. Antoninus. Sic porrò Albertus ex Abbate Stadenſi Minorita: *Soldanus Crucem Domini vltrò reddidit: Chriſtianos, ſaluis rebus & corporibus, Aegyptum exire permiſit: omnes captiuos reddi iuſſit, ita vt tunc temporis captiuorum triginta millia laxarentur. Præcepit etiam alimenta diuitibus pro pretio vendi, vel gratis infirmis & pauperibus exhiberi.* Rem ampliùs expreſſit Paris. *Eodem*, inquit, *tempore* (videlicet circa annum 1238.) *Soldanus potentiſſimus, qui moriturus liberaliter legauit redditus opulentiſſimos, & pecuniam multam, infirmis in domo hoſpitalis Chriſtianis pauperibus commorantibus, & vinctos ſclauos liberos multos, & alia multa opera charitatis fecerat, animam ad multorum dolorem exhalauit. Erat autem, licet paganus, veridicus, munificus, parcens (in quantum permiſit legis ſuæ ſeueritas, & vicinorum ſuſpicio) Chriſtianis.*

Antonin. tit. 19. c. 3. §. 4.

Vitriac. l. 3. Hiſt. Ieroſ. ad annum 1219. Bonauent. cap. 4. Leg.

Neque ſolùm hanc erga alios manſuetudinem in eo produxit Franciſcus, verùm & magnum ſuæ ſalutis, agnoſcendæque veritatis deſiderium, quod à ſe recedenti Franciſco expreſſit, rogans eum vt Deum oraret, quatenus veram fidem ſibi dignaretur oſtendere, vt tradit Vitriacus cum alijs: & in Epiſtola ad Religioſos & amicos Lotharingiæ, in qua refert obſidionem Damiatæ, de Franciſco ait: *Cùm veniſſet ad exercitum noſtrum, zelo fidei accenſus, ad exercitum hoſtium noſtrorum ire non timuit: & cùm multis diebus, Saracenis verbum Domini prædicaſſet, & cùm parum profeciſſet, tunc Soldanus Rex Aegypti ab eo in ſecreto petijt, vt pro ſe Domino ſupplicaret, quatenus religioni, quæ magis Deo placeret, diuinitus inſpiratus adhæreret.* De facto autem adhæſiſſe, teſtantur Hugolinus, Marcus, & alij, atque aliquibus pòſt annis Virum ſanctum duobus ex ſuis ſectatoribus in Syriæ partibus apparuiſſe, præcepiſſeque vt ad Soldanum, morbo languentem, de fide Chriſtiana, & aqua Baptiſmatis ſuſcipienda, ſollicitum quantocyùs accederent, & in ſacra doctrina ſufficienter inſtructũ, ſacro de more baptizarent: hos verò, mandata diligenter exequentes, meritis ſanctiſſimi Patriarchæ ſanctæ Eccleſiæ hominem aggregaſſe, & ad animæ ſalutem cunctis adfuiſſe obſequijs. Porrò Baptiſmate ablutum, præter plures ex noſtris, indicat Antoninus, cuius eadem fermè ſententia cum Vitriaco citato in Hiſtoria Ieroſolymitana, dicente: *Mortuus eſt Soldanus*

Vitriac. in Occid. cap. 32.

Hugolinus cap. 34. Marcus l. 1. cap. 58. Specul. ſancti Franciſ. 1. p. c. 74. Piſanus Conform. 29.

Soldanus à Minoritis baptizatus

Antonin. tit. 19. c. 3. §. 3. Vitriac. ad an. 1219.

Iconij, qui creditur baptizatus fuisse. Quod quia nesciuit Imper. Fredericus II. (quippe non in omnium oculis hæc Sacramenta peracta, ob satellitum metum, & Saracenorum his rebus auersum animum) eius mortem lugubriter planxit, quia sperauit, eum, vt ait Paris, sicut ipse promiserat, Baptismi Sacramentum susceperum, & Christianitatem per eum magnum aliquando suscipere posse felicitatis incrementum. Vehementer, inquam, ob eius mortem doluit Fredericus, vel quòd secretò ab eo susceptum Baptismum tunc ignorauerit; vel si id sciuit, quòd non priùs susceperit, aut iam susceptò non superuixerit, vt meliori statu res essent Christianæ, fidemque, quam ipse susceperat, & veriorem ipsa electione probauerat, in Ægypto, & alijs regionibus, iuxta fidem datam, propagari curaret.

Non hunc dumtaxat, verùm & alios in ea regione Christianæ Religioni aggregauit Franciscus, hinc inde discurrens, animas aliquas vndique Christo lucrifaciens, & sibi sodales conquirens. Illi præ ceteris notiores, quos nominatim refert Vitriacus è sua familia & comitatu tunc apud Damiatam ad pauperem hanc Christi militiam transuolasse. Ita scribit in fine Epistolæ ad Religiosos & familiares Lotharingos: *Dominus Rainerus, Prior sancti Michaëlis, tradidit se Religioni Minorum Fratrum, quæ Religio valdè multiplicatur per vniuersum mundum; expresiè imitatur formam primitiuæ Ecclesiæ, & per omnia vitam Apostolorum. Magister verò illorum Fratrum, Frater Franciscus nominatur, qui adeò amabilis est, vt ab omnibus hominibus veneretur. Eidem Religioni se tradidit Colnius Anglicus Clericus noster, & alij duo de socijs, scilicet Michaël & Matthæus, cui curam Ecclesiæ sanctæ commiseram; Cantorem, & Heinricium, & alios vix retineo.*

Vitriacus in Epistol.

Vitriaci domestici fiunt Minores.

Plures fiunt Minoritæ.

At ægrè ferens immanis tyrannus satanas has aliasque sibi in illa regione eripi prædas, raptorem aggressus est in quodam diuersorio Ægypti, impudicâ sed pulchrâ nimis feminâ vsus ad tentandum Virum Dei, eiusque castimoniam & puritatem labefactandam. Cui immutata facie, & mira in periculoso congressu securitate, Vir sanctus dixit, se concubiturum, at in eo lecto quem ille sibi vellet eligere. Placet mulierculæ pactum; sed ad omnem tollendam moram, instabat. Parat se ad cubitum Franciscus, exuta paupere lacerna, & baculo confricatis sparsisque in pauimento carbonibus è proximo foco extractis, eisdem illæsus incubuit. *En*, inquit tentatrici, *lectus splendidus floribus, tanto opere dignus: hic ille quem ego eligo, vt eos ignes euadam. Si adhuc tibi molesti, nulla potiori aqua, quàm igne hoc extinguentur.* Expauit ad factum mulier, & corde compuncta, coràm genuflexa petijt sui erraticonij, qui creditur baptizatus fuisse. Quod quia nesciuit Imper. Fredericus II. (quippe non in omnium oculis hæc Sacramenta peracta, ob satellitum metum, & Saracenorum his rebus auersum animum) eius mortem lugubriter planxit, quia sperauit, eum, vt ait Paris, sicut ipse promiserat, Baptismi Sacramentum susceperum, & Christianitatem per eum magnum aliquando suscipere posse felicitatis incrementum. Vehementer, inquam, ob eius mortem doluit Fredericus, vel quòd secretò ab eo susceptum Baptismum tunc ignorauerit; vel si id sciuit, quòd non priùs susceperit, aut iam susceptò non superuixerit, vt meliori statu res essent Christianæ, fidemque, quam ipse susceperat, & veriorem ipsa electione probauerat, in Ægypto, & alijs regionibus, iuxta fidem datam, propagari curaret.

Non hunc dumtaxat, verùm & alios in ea regione Christianæ Religioni aggregauit Franciscus, hinc inde discurrens, animas aliquas vndique Christo lucrifaciens, & sibi sodales conquirens. Illi præ ceteris notiores, quos nominatim refert Vitriacus è sua familia & comitatu tunc apud Damiatam ad pauperem hanc Christi militiam transuolasse. Ita scribit in fine Epistolæ ad Religiosos & familiares Lotharingos: *Dominus Rainerus, Prior sancti Michaëlis, tradidit se Religioni Minorum Fratrum, quæ Religio valdè multiplicatur per vniuersum mundum; expresiè imitatur formam primitiuæ Ecclesiæ, & per omnia vitam Apostolorum. Magister verò illorum Fratrum, Frater Franciscus nominatur, qui adeò amabilis est, vt ab omnibus hominibus veneretur. Eidem Religioni se tradidit Colnius Anglicus Clericus noster, & alij duo de socijs, scilicet Michaël & Matthæus, cui curam Ecclesiæ sanctæ commiseram; Cantorem, & Heinricium, & alios vix retineo.*

Dæmon per mulierem Francisco insidias parat.

Speculum Vitæ Francisci c. 74. Hugolinus cap. 33. Marcus l. 1. c. 57.

Villor de muliere Franciscus.

His similibusque prodigijs & sanctitatis indicijs toto illo anno Franciscus illam orbis partem non tam lustrauit quàm illustrauit: inde verò profectus in Syriam, cùm veniisset ad Montanam Nigram ad Conuentum S. Benedicti, vt notauimus Capite præcedenti, illius loci Monachi omnes mores & habitum commutarunt, renuntiantesque amplis suis possessionibus Antiocheno Patriarchæ, Franciscani facti sunt. Ita Legenda antiqua, Pisanus, & Marcus, Annales Minor. anno Christi 1219. & sequenti ita statim subiungitur: *Non solùm supra nominatum Montana Nigræ Monasterium, verùm & alia acquisiuit Franciscus cum suis, qui paucos post annos adeò excreuerunt, accedentibus etiam quorumdam Monachorum Orientalium Cœnobijs, vt citissimè integram Minorum constituerint Prouinciam, quæ vsque ad Syriæ & Palæstinæ direptionem à Saracenis non sine laude florebat.* Vsque hodie à Syris & huius regionis senioribus conseruatur memoria nonnullorum Conuentuum Minorum, illorumque ostenduntur ruinæ.

Monachi Benedictini Minores efficiuntur.

Dilatatur Minorum institutum in Syria.

Legenda antiq. Marian. c. 57.

Ad hæc, licet, regione ista tota occupata à Mahometanis, Prouincia Syriæ ampliùs non sit, nihilominùs meritis S. Patris crediderim relictam esse custodiam Terræ sanctæ, quæ se extendit vsque ad Syriam, in qua sunt multa loca in quibus habitant Minores, Deo & plebi inseruientes. In Iudæa in sancta ciuitate Ierusalem sunt duo loca, sanctissimum Domini nostri IESV Christi sepulchrum, & Conuentus S. Saluatoris: in his habitant Guardianus & Custos Terræ sanctæ cum triginta Fratribus, & vltra. In Bethleem ciuitate Dauid est Monasterium ad Præsepe Domini, vbi decem vel circiter commorantur Minores. In Galilæa in sancta ciuitate Nazareth ad locum Annuntiationis B. Mariæ Virginis, & Incarnationis Dominicæ, est Conuentus octo Fratrum. Apud Ptolemaidam siue Aconem est hospitium duorum Fratrum. Aliud est apud Sidonem, vbi tres morantur. Damasci in Syria duo: Alepi, vbi insigne mercimonium & emporium, duodecim sunt Fratres,

Custodia Terræ sanctæ & eius loca.

Digitized by Google

tres, qui & ordinariè conciones ad fideles habent; hicque magna cum laude & honore floret Eccleſiaſticus cultus: Scandaronæ, ſiue Alexandretæ, vbi portus maris, duo: Salaminę in Cypro eſt trium Fratrum Conuentus: in Ægypto, in magna Cairo, Roſeti, & Alexandriæ, ſex ſunt Fratres. Scio quandoque plures, quandoq; pauciores eſſe, graſſante nimirum epidimiæ morbo, vel ſimili, quo non pauci è vita abripiuntur. Alijs etiam in locis olim morabantur, quæ non recenſeo, quia modò ea non incolunt.

Non dubito, prædicationem & exempla S. Patris Franciſci fuiſſe velut ſemen bonum & electum, quod cecidit in terram bonam & ſanctam, cæleſti rore Spiritus ſancti irrigatam, & Solis iuſtitiæ radijs calefactam, quod protulit multiplicem fructum in tempore ſuo, trigeſimum, ſexageſimum, & centeſimum. Plantati radices miſerunt, folia, flores, & fructus in Terra iſta repromiſſionis, tres Ordines D. Franciſci, Fratrum Minorum, Pauperum dominarum ſiue Clariſſarum, & Tertius de Pœnitentia, qui capit vtrumque ſexum. Floruerunt, inquam, & fructus dederunt Deo & hominibus pœnitentiæ, vitæ integritatis, doctrinæ, caſtitatis, virginitatis & martyrij: & non deerunt in poſterum, etſi non omnium, nec plurium inter multos fuerit conſeruata memoria. Et rationes huius rei veras adducit Illuſtriſsimus & Reuerendiſſimus ſanctæ memoriæ P. F. Franciſcus Gonzaga, olim Seraphici Ordinis Miniſter Generalis, & poſteà Mantuæ Epiſcopus, Parte 1. Hiſtorię Franciſcanæ Religionis, loquens de Cuſtodia & locis Terræ ſanctæ, in hunc modum: *Plurima haud dubiè de locis Terræ ſanctæ, in qua Deus optimus maximus pro ſua tantùm infinita miſericordia atque miſeratione, nullis penitus noſtris meritis id exigentibus, humanam ſalutem operari dignatus eſt, in medium afferre poſſemus, ſi Fratribus noſtris ea petentibus frequentior cum Turris conſuetudo eſſet, ſiq; longiorem in illis moram traherent. Sed ea eſt etiam, ab his difficultatibus, Fratrũ incuria, atque ſupina negligentia, quibus rerum notabilium pratermiſſio religio eſt, vt deficientibus nobis tum ſeniorum fideli indubiaq; traditione, tum quoque monumentis, ea ſilentio praterire cogamur quæ notatu digniſſimæ ſunt.* Verùm quæ indicauimus ita eſſe, tum ex dictis, tum ex dicendis aliàs, velut ex vngue leo dignoſcentur. Quare hìc tantùm indicabimus, quomodo meritis S. P. Franciſci in iſtis partibus plantati fuerint, vt in alijs locis Chriſtianitatis, tres Ordines prædicti, à S. Franciſco inſtituti, & qualiter in eiſdem multùm floruerint & fructificauerint ſanctitate, doctrina, boniſque operibus.

Tres Ordines S. Franciſci in Syria fundati.

Primum Minorum Ordinem plantatum fuiſſe in his partibus, floruiſſe, ac in præſentia florere, ex dictis, & dicendis, & experientia manifeſtiſſimum apparet. Et cùm huic Ordini non ſolùm cuſtodia locorum ſanctorum & animarum regimen à Chriſtianis Principibus commiſſa fuerint, in quibus laudabiliter ſe geſſerunt ſpatio trecentorum annorum & amplius, conuenit dicere, in illo fuiſſe doctos Præſules, eruditos Concionatores, & probos Rectores, qui in perſecutionibus infidelium parati eſſent pro ſanctorum locorum conſeruatione, & pro concreditarum ouium ſalute animas ponere. Et viri aliqui, qui vel pro Chriſto paſſi ſunt, vel aliquid memoria dignum operati fuere, teſtantur, quorum in ſecundo Operis huius Tomo fit mentio. *Primus Minorum.*

Qui pro Chriſto mortem obierunt, recenſentur Libro IV. Peregrinat. I. Cap. VI. & Peregrin. II. Cap. V. & Lib. VII. Peregrin. III. Cap. VIII. & Peregrin. VI. Capite III. Peregrinat. VIII. Capit. VI. VII. & XVIII. & Lib. VIII. Peregrin. I. Cap. IV. & IX. & Peregrin. II. Cap. IV. De alijs Dei ſeruis eiuſdem Ordinis, Lib. IV. Peregrinat. II. Cap. VIII. IX. X. & XI. & Lib. VIII. Peregrin. II. Cap. V.

Plantatus etiam fuit & floruit ſecundus Ordo D. Franciſci Sanctimonialium Clariſſarum, &, vt ego arbitror, habuit loca in præcipuis ciuitatibus Syriæ & Ægypti; etſi non poſſim hoc probare, niſi ex glorioſo martyrio illarum virginum, quæ ſibi nares præciderunt Acone, vt intactæ ſponſo Chriſto ſeruarentur ab immundis Saracenis, de quibus Lib. VII. Peregrinat. VIII. Cap. VI. *Secundus Pauperum dominarũ.*

Tertius denique Ordo de Pœnitentia D. Franciſci, plantatus fuit & floruit in iſtis partibus: nam & propter ipſum conceſſum fuit Guardiano ſacri montis Sion priuilegium à Summis Pontificibus, recipiendi quoſcumque idoneos ad ipſum, & illis præficiendi Miniſtrum, vt videbimus Lib. II. Et habuerunt locum in ſacro monte Sion, vt innuemus infrà Cap. LXVIII. qui & non niſi ante paucos annos deſtructus fuit. Iſtum Ordinem alioquin illuſtrem, illuſtriorem reddidit quædam Hiſpana mulier fuſo ſanguine pro Chriſti nomine. Huius glorioſum martyrium deſcriptum inuenies Lib. IV. Peregrin. II. Cap. VI. Atque ex his liquidò apparet, quàm fructuoſus fuerit S. Franciſci ad has partes aduentus. *Tertius de Pœnitẽtia.*

Dubium, eiuſdemque ſolutio.

HActenus dictis videtur refragari ſancta Eccleſia, quæ in Officio D. Franciſci loquens de Sancto moras trahente in Ægypto apud Soldanum, dicit: *Cùm nihil proficeret,*

ceret, redyt in Italiam. Igitur in partibus istis non fructificauit Franciscus.

Suarez Tomo 4. de Relig. lib. 2. de Vanet. Religion. cap. 7.

P. Franciscus Suarez eadem verba, siue factum Francisci considerans, credit, verè nihil profeciſſe inter infideles: & vlteriùs procedens, colligit, Minorum Religionem non esse ordinatam ad infidelium conuersionem. Comparans enim Prædicatorum Religionem cum Religione Minorum, docet illam hanc excedere ex fine, quòd sit ad infidelium conuersionem & hæresum confutationem ordinata: hanc verò Minorum illam excedere in seueriori paupertatis professione. Sic enim ait: *Religio Prædicatorum & Minorum habent se sicut excedens & excessum in alijs duabus conditionibus. Religio enim Prædicatorum ex parte finis excedit, quia principaliùs & magis ex se videtur prædicationem intendere; item in hoc, quòd præcipuè videtur contra hæreticos & ad fidei defensionem instituta: Religio verò S. Francisci magis ad commouendum Christianum populum ad pœnitentiam agendam, & ad mundi contemptum. Quæ differentia in ipsis etiam fundatoribus cernitur: nam prædicatio S. Dominici maximè fuit contra hæreticos, & inde sumpsit occasionẽ fundandi Religionem suam: prædicatio verò S. Francisci simpliciter fuit ad curandos & purgandos Catholicos. Et licet ex feruore spiritus voluerit etiam & procurauerit inter infideles prædicare, tamen ex diuina reuelatione statim ad suos redyt, quia reuerà illa erat propria eius vocatio, & à Deo intenta. Vnde etiam circa litterarum studium diuersos habuerunt spiritus illi sancti Patriarchæ. Nam Dominicus litterarum studium præcipuè suis alumnis commendauit. Franciscus verò in capite 10. suæ Regulæ præmonuit, vt qui litteras nescirent, illas non discant. Vterque autem prudenter agebat, eligens medium suo fini accommodatum*, &c. Hæc Suarez.

Ad infidelium conuersionem non esse Ordinem Minorum institutum, dixit Suarez.

Duo Suarez argumenta.

In præmissis verbis duo continentur argumenta, quibus probat Suarez, Minorum Religionem non esse ad infidelium conuersionem ordinatam. Alterum est, quòd sanctus Franciscus profectus ad infideles vt illos ad Christi fidem conuerteret, re infecta ad fideles reuersus sit. Alterum, quòd idem Sanctus sectatoribus suis litteras nescientibus earumdem studium interdixerit; quarum tamen cognitio ad errorum reprobationem, & infidelium conuersionem, perneceſſaria est.

Sed his non obstantibus, quæ diximus vera sunt, Seraphicum scilicet Patrem non parum profeciſſe in infidelium istis partibus Ægypto & Syria, non tantùm cum fidelibus, sed etiam cum Ægypti Soldano & alijs infidelibus; & ad obiecta respondere non erit difficile.

Responsio.

Et primò ad sententiam illam ex Officio S. Francisci desumptam dico, eam esse in bono & vero sensu explicandam, idque multipliciter. Primò cum Seraphico Bonauentura, qui de eisdem agens, dicit: *Videns se non proficere in conuersione gentis illius, ad partes fidelium remeauit.* Non profecit tunc in Mahometano illo populo, sed benè in Soldano Babyloniæ, & alijs, vt iam vidimus. Secundò, cum Auctore Conformitatum, quòd non absolutè fructum non fecerit, sed quem facere desiderabat. Et hoc veriſſimum, quia voluiſſet mortem sustinere pro Christo, & totam illam gentem eidem lucrifacere; quod tamen non obtinuit. Profuit tamen sanctæ Ecclesiæ suo Sodalitio, dum eidem Fratres aggregauit, & Conuentus accepit, vt iam vidimus. Tertiò denique tunc non profecit in Ægypto quantum voluiſſet; profecit tamen postea. Verbum Dei semen dicitur à Domino: quoniam quemadmodum semen non statim ac terræ mandatum est germinat, & in aristas succreſcit, & fructum reddit, sed tempore suo; ita verbum Dei instar boni seminis in corda hominum velut in bona secundaque terra receptum, non statim profert fructum, sed in longanimitate, patientia, & tempore suo, vt Saluator dixit. Sanctus item Apostolus Iacobus: *Patientes estote, fratres, vsque ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, & serotinum*, capite 5, 7. Ita dicendum de semine verbi Dei, quod in Ægypto & Syria seminauit sua illa peregrinatione verbo & opere Franciscus, licet tunc non multum fructificauerit, multiplicauit postea tempore suo, deditque multiplicem fructum, trigesimum, sexagesimum, & centesimum, vt euentus comprobarunt.

S. Bonau. in Legend. S. Francisci cap 9.

Conformit. S. Francisci lib 1. Fructu 10.

Luc. 8, 11.

Et antequam ad Suarez argumenta respondeam, aduerto, ex illius positione, oppositum illius quod ipse intendit, colligi posse, atque Seraphicam Religionem singulariter pro infidelium conuersione institutam fuisse sic ratiocinando. Minorum Religio paupertate & diuitiarum contemptu non solùm Prædicatorum, sed etiam ceteras Religiones excedit, vt tali paupertate & mortificatione malè viuentes Christianos abducat à mundo ad Deum; igitur & ad infidelium conuersionẽ apprime idonea erit, & ad talem finem singulariter instituta. Antecedens veriſſimum est, & ipsius Suarez: consequentia videtur manifesta, quia plus mouent exempla quàm verba; & in primis infideles, qui non credunt Euangelio dicenti, *Quæcumque dixerint vobis, seruate & facite*: quia dicta naturalem superant rationem.

tionem. Quare non facilè amplectentur mortificationem, neque relinquent omnia propter Christum, amputabuntque diuitiarum cupiditatem, omnium malorum radicem, nisi viderint Prædicatores priùs facto præcedere, doctrinamque operibus comprobare.

Confirmatur; quia nullus melior modus est adducendi infideles ad fidem, quàm ille quem præscripsit Christus suis discipulis: at hic fuit per omnimodum diuitiarum contemptum, vt pluries legimus in Euangelio. Et sanè ex historijs nouimus, non solùm Franciscum ac Fratres eius, sed alios quoq; diuitiarum contemptu & mortificatione multum inter infideles profeciſſe.

Hoc probè intelligens insignis ille Antistes ac S. Ecclesiæ Cardinalis Iacobus de Vitriaco, piè vereque hæc dixit in Seraphici Ordinis commendationem: *Tribus Eremitarum, Monachorum, Canonicorum Religionibus, vt regulariter viuentium quadratura fundamenti in soliditate sua firma subsisteret, addidit Dominus in diebus istis quartam Religionis institutionem, Ordinis decorem & Regulæ sanctitatem. Si tamen Ecclesiæ primitiuæ statum & ordinem diligenter attendamus, non tam nouam addidit Regulam, quàm veterem renouauit, reliquit iacentem, & panè mortuam suscitauit Religionem*, &c. *vt contra Antichristi periculosa tempora, nouos athletas præpararet.* Hæc ille. Si igitur contra Antichristum & sectatores eius præparauit Deus Fratres Minores, cùm illi futuri sint non solùm moribus corrupti, sed fide destituti, quia omnino Christo contrarij; quare non asseuerabimus, Minorum Ordinem non solùm pro peccatorum fidelium conuersione, sed etiam infidelium impugnatione ac reductione institutum fuisse? De hoc aliqua addam infrà Cap. LXXII. Et ex his manifestè apparet, ex discursu P. Suarez tantùm colligi, Patrum Prædicatorum Religionem præcipuè institutam esse, vt scientiâ infideles conuertat; sed Minorum, vt eosdem adducat ad fidem mundialium rerum contemptu; & ita non concludi quod ille intendit.

Historia Occident. cap. 23.

Elogium Seraphicæ Religionis Cardinalis Vitriaci.

Iam ad eius argumenta, quibus probat Minorum Ordinem haud institutum esse pro infidelium reductione, respondeamus. Omissis quę dici possent circa illam comparationem sacrorum Ordinum Prædicatorum & Minorum (quia illud argumentum tractare nunc nostrum non est) in hæreticorum confutatione & reductione dentur primæ sanctissimo Prædicatorum Patriarchæ, videamus quid concludat illius boni Patris ratiocinatio.

Suarez positio refellitur.

Quantum ad primum discursum, falsa est illa consequentia; Primò, quia illius Antecedens est manifestè falsum, vt constat ex præcedenti solutione, & Capite. Secundò, quia etsi Antecedens illud esset verum, non necessariò illa infertur consequentia, tum quia à particulari ad vniuersale non tenet consequentia, tum quia finis proximus Concionatoris est prædicare pro salute animarum, tuncque impletur, quando actu in illum finem prædicat; finis remotus est ipsa conuersio animarum, quæ est opus solius Dei. Dixit Christus discipulis suis Luc. 5, 4. *Laxate retia vestra in capturam.* Non dixit *capite*, quia hoc Christi erat. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus*, inquit S. Paulus 1. Corinth. 3, 7. Et si valeret illa consequentia, sequeretur contra Suarez, quòd neque Prædicatorum Religio, neque Societatis IESV, imò neque Apostolorum & ipsius Christi professio & prædicatio fuerit assumpta pro infidelium, imò neque pro peccatorum fidelium conuersione; quia omnes isti in suis prædicationibus pluries nullos ab infidelitate ad fidem, vel à via mala ad bonam & saniorem frugem conuerterunt, vt manifestum est.

Dicet quis, Satis esse aliquando aliquem conuertisse, vt asseratur illorum finem esse infidelium vel peccatorum conuersionem. Si hoc admittitur pro illis, quare non similis admittetur consequentia pro Minoribus? Minorum Pater, & eiusdem filij, non tantùm peccatores ab iniustitia ad iustitiam, sed etiam infideles ab infidelitate ad fidem aliquando conuerterunt; igitur S. Franciscus ordinatus fuit, & eiusdem Religio instituta non solùm pro fidelium salute, sed etiam pro infidelium conuersione. Antecedens patet ex præcedenti Capite. Et quamuis ex Historijs Minorum manifestissimum sit, non erit inutile, ex eisdem aliqua in medium proferre ad illius Antecedentis maiorem confirmationem.

Sed priùs consideremus, quidnam roboris habeat secundus Suarez discursus. Et quantum opinor, non plus habet firmitatis quàm præcedens: arbitratur enim Suarez, S. Franciscum interdixisse vel dissuasisse in vniuersum omnibus Minoribus omne litterarum studium. Sed non est ita, alioquin conficeretur, Religionem Minorum nec esse ordinatam ad commouendum Christianum populum ad pœnitentiam agendam prædicatione, quod est contra Suarez, & contra ipsam veritatem. Consequentia est manifesta: nam litterariũ studium cuicumque Prædicatori & incumbenti saluti animarum necessarium est. Imò illud suppositum & mandauit S. Pater, dum voluit esse prædicato-

Litterariũ studium prædicatoribus necessarium.

dicatores, qui fidelibus & infidelibus ſalutem annuntiarent, vt patet ex illius Regulæ cap. 9. & ſingulariter pro prædicando infidelibus, cap. 12. & inferiùs oſtendemus Capite LXXII. Et ſanè Nicolaus III. Extrau. Exijt qui ſeminat. art. 2. ex cap. 9. Regulæ, ex prædicationis onere Fratribus Minoribus impoſito, litteratum ſtudium hiſce verbis colligit: *Conſtans eſt, quòd hæc ſupponunt ſcientiam, ſcientia requirit ſtudium, exercitium verò ſtudij conuenienter haberi non poteſt ſine vſu librorum.* vbi rectè infertur, quòd qui examen eloquiorum præcipit, præcipere ſtudium cenſeatur, ſine quo nec examinata eloquia eſſe poſſunt. Et Hugo de Dina ad illa à Suarez citata Regulæ verba ſic inquit: *Alioquin ſua contrarius Regulæ fuiſſet, qui exiſtens in Ordine, cùm paucas litteras ſciret, non ſolùm orando, ſed etiam legendo profecit, & alios Fratres ſtudere in Litteris diuinis voluit.* Hæc ille.

Quomodo intelligatur, Franciſcum ſtudium interdixiſſe.

Quid igitur voluit S. Pater in illis verbis monitorijs, *Et non curent neſcientes litteras, litteras diſcere?* Reſpondetur, in illis ſingulariter admoneri laicos: quorum vocatio cùm ſtudium non requirat, ab eis ſtudendi tentationem procul arcere voluit S. Pater, etiam ne à debito illis officio diſtraherentur. *Non enim* (inquit citatus Hugo) *ſanctæ Regulæ conditor litteratis, ſed laicis & illitteratis ſtudium vetat, vt vnuſquiſque, ſecundùm* Epheſ. 4, 1. *Apoſtolum, in qua vocatione vocatus eſt, in eadem permaneat.* Idem S. Bonauentura & alij. Et in Conſtitutionibus Prædicatorum & Societatis, idem mandatur illorum Conuerſis.

Quatenus verò eadem verba continent admonitionem omnibus Fratribus communem, dico, interdici non ſtudium abſolutè, ſed vanum & inutile, & quod impedit orationem, & aufert ſpiritum deuotionis, item ſtudium ambitioſum, quia *ſcientia inflat*, 1. Corinth. 8, 1. ſi ei non incumbatur debito modo. Ita S. Bonauentura in illa verba, *In quo verbo*, inquit, *curioſitatem cohibet, non tamen inhibet quin ipſi teneantur litteras diſcere, ſi eis fuerit imperatum.* Et Hugo de Dina, *Sanctus*, inquit, *hoc loco ſenes elementarios in Ordine non commendat; multis enim litterarum ſtudium, ſtudij orationis, deuotionis, & charitatis ad Fratres negligentiam parit. Religio ad virtutes potiùs quàm ad apices vocat. Si bonus ſtudens vis eſſe, bonitatem & diſciplinam ſcientiæ antepone ſtude.*

Spiritus deuotionis litteris præferendus.

Quin & ipſe ſanctus Patriarcha idem in Regula indicauit, & verbo atque exemplo comprobauit. Indicauit in Regula, dum poſt illa verba, *Et non curent neſcientes*, &c. ſtatim addidit: *Sed ſuper omnia deſiderare debent habere ſpiritum Domini, & ſanctam eius operationem*, &c. Quare etſi vanum ſtudium ſpiritui Domini contrarium diſſuaſerit, non tamen diſſuaſit id quod eidem conforme eſt. Exemplo oſtendit, quando quæſitus à Fratribus, vtrùm ſibi placeret, quòd litterati iam recepti ad Ordinem intenderent ſtudio ſacræ Scripturæ, reſpondit: *Mihi quidè placet, dum tamen exemplo Chriſti, qui magis oraſſe legitur quàm legiſſe, orationis ſtudium non omittant. Nec tantùm ſtudeant vt ſciant qualiter debeant loqui, ſed vt audita faciant, & cùm fecerint, alys facienda proponant*, &c. Ita refert S. Bonauentura. S. Bonau. in Legend. Min. ſancti Franciſci cap. 11.

Inſuper ipſe B. Pater S. Antonium Patauinum ſacræ Theologiæ Lectorem inſtituit, omnes Theologos honorauit, & vt ab alijs honorarentur, mandauit in Teſtamento. Et profectò non mihi perſuadeo, aliud conſilium habuiſſe reſpectu ſuorum alumnorum ſanctos Patres Dominicum & Ignatium, etſi illorum inſtituti finis ſit ſtudium litterarum pro fidelium & infidelium conuerſione. *S. Antonium Patauinum Theologiæ Lectorem à S. Franciſco inſtitutum.*

Reliquum nunc eſt, vt quod anteà polliciti fuimus, obſeruemus, oſtendendo, Minoritas legitima auctoritate profectos fuiſſe ad euangelizandum non modò fidelibus, ſed etiam infidelibus, & in eiſdem ſalutis fructus Deo peperiſſe, ac proinde illorum Ordinem à Deo inſtitutum fuiſſe pro omnium ſalute, fidelium ac infidelium. Et in primis infidelis fuit Babyloniæ Soldanus cum ipſi ſubiectis Saracenis, ad quos prædicaturus Chriſti fidem multis cum periculis profectus fuit Franciſcus cum duodecim ſocijs, anno à ſua conuerſione vndecimo. Et infideles fuerunt Rex Miramolinus cum ſuis Mahometanis, ad quos eodem anno miſit feruidus ſalutis animarum zelator quinque ſui Sodalitij Fratres, Berardum, Petrum, Accurſium, Adiutum, atque Othonem, qui & ab infideli Rege pro Chriſtiana fide prædicanda glorioſo martyrio coronati fuerunt. *Minorum Ordinem pro infidelium conuerſione inſtitutum, ex euentu & multiplici fructu oſtenditur.* *Minores prædicant infidelibus.* *Mahometanis.*

Infideles fuerunt Mahometani illis ciuitatis Cepta, ad quorum conuerſionem procurandam Fr. Elias Ordinis Generalis Miniſter, & S. Franciſci Vicarius, anno ſalutis ducenteſimo primo ſupra milleſimum miſit F. Danielem miniſtrum Calabriæ cum ſex alijs Fratribus, videlicet Angelo, Samuele, Donulo, Leone, Hugolino, atque Nicolao, vbi & martyrij lauream inſigniter adepti fuere: quorum, & præcedentium martyrium, multis illuſtratum miraculis, ſancta celebrat Eccleſia. P. Sedulius Comment. ad Vitam S. Franciſci Gonzaga Part. 4. Thomas Bozius lib. 12. de Signis Eccleſiæ cap. 21.

Infideles fuerunt Saraceni & Georgiani, qui (vt ſcribit Paulus Iouius) hodie ſunt Hyberi in Aſia habitantes, ad quorum ſa- *Georgiani.*

lutem

lutem procurandam ſtatim poſt mortem S. Franciſci ſub Gregorio IX. miſſi fuerunt Minores, quibus & dixit Pontifex, vt ſe in agro Dominico à ſentibus expurgando operarios ſtrenuos exhiberent.

Tartaris. Infideles fuerunt Tartari illi, ad quos ſub Innocentio IV. fuerunt miſſi Minores, ad quorum prædicationem cùm multi Euangelium ſuſcepiſſent, paulò pòſt plures operarij eò deſtinati fuere, & ab Vrbano V. creatus fuit Archiepiſcopus Cambalienſis in dominio Tartarorum, Ioannes de Monte, Ordinis Minorum. Octo item alij Fratres eiuſdem Ordinis conſecrati ſunt in Epiſcopos, & ſunt miſſi in Orientales partes.

Armenis. Infideles erant populi illi in Armenia, ad quos ſub Ioanne XXII. miſſi fuerunt Minoritæ, inter quos præcipuus Gonzalus Sauratus, qui poſteà ab Eugenio IV. miſſus fuit in Orientales partes ad Petrum Ibannem, ſuisque prædicationibus multos traxit ad fidem Chriſti, multa conſtruxit Cœnobia in Candia, in Çapha, Conſtantinopoli & Ieruſalem. Peragrauit totam Syriam, Græciam, Ægyptum, ac tandem deduxit Armenos ad obedientiam Eccleſiæ tempore eiuſdem Eugenij IV. in Concilio Florentino.

Bulgaris. Infideles fuerunt Bulgari illi, & labe hæreſeos infecti, qui circiter annum Domini milleſimum trecenteſimum ſexageſimum ſextum operâ Fratrum Minorum conuerſi ſunt, & in ouile Chriſti deducti, vt S. Antoninus ſcribit. Erant etiam infideles quædam Prouinciæ Bulgariæ affines, quas eo ipſo tempore Rex Hungariæ ſubegit, & ad eaſdem octo Franciſcanos deſtinauit, qui quinquaginta diebus ducenta hominum millia Chriſto lucrifecerunt.

Hieronym. Plat. lib. 2. de Bono ſtat. Relig. cap. 30. Infideles fuerunt noui orbis incolæ, qui ad Chriſtum quidem conuerſi fuerunt variorum Religioſorum diligentia, ſed potiſſimùm Fratrum Minorum. Certè ipſi omnium primi prouinciam hanc aggreſſi, alij ſecuti.

Minoretanus Orbis, & Orientalis & Occidentalis India primi prædicatores. Orientalis India Emmanuelis Luſitaniæ Regis auſpicijs à Vaſco Gama detecta, nónne per Minoritas Euangelij luce primò fuit illuminata, etſi falsò aliter ab alijs dicatur. In his Indijs primi omnium Apoſtoli fuerunt Fratres Minores. Imò, teſte Gonzaga, *quidquid in India Orientali per quadraginta continuos annos laboris fuit, ſiue in infirmis curandis, ſiue in infidelibus conuertendis, ſiue in Catechumenis inſtruendis, ſiue in conuerſis in officio continendis, ſiue in Sacramentis adminiſtrandis, ſiue etiam in alijs operibus charitatis exercendis, id totum ex Franciſcanorum humeris pependit.* Et D. Aubertus Miræus Decanus Antuerpienſis lib. 5. Notitiæ Epiſcoporum, §. *India Orientalis*, inquit: *Primi Præcones Euangelij in India Orientali & Occidentali fuerunt Sodales Franciſcani: qui & primi ferè ijs in locis Epiſcopi fuere.*

Poſſent hîc alia addi ex recentioribus euentibus, ſed id præſtent alij, quibus prouincia huiuſcemodi referandi impoſita eſt: nobis ex multis pauca iſta ſufficiat adnotaſſe, vt appareat, S. P. Franciſcum cum ſuo Sodalitio inter infideles fructificaſſe, & miſſum fuiſſe à Deo non tantùm pro fidelium, ſed etiam pro infidelium conuerſione, & omnium ſalute verbo & exemplo procuranda.

Hîc tamen vnum non præteribo pro huius argumenti coronide. Cùm anno Domini 1626. magnis periculis obnoxia viderentur loca ſancta, & ſupra modum affligerentur Fratres, tam qui ad Terram ſanctam veniebant, quàm qui in eadem habitabant: illi ferè omnes per iniuſtos tyrannos in portu & termino itineris ſpoliati fuerunt omni ſubſidio è Chriſtiano orbe pro locorum ſanctorum conſeruatione allato; hi, nimirum qui Ieroſolymis habitabant, opprimebantur à Gubernatore ciuitatis, ſæuo tyranno, & in ſummet dominum rebelli, immodicis exactionibus & angarijs. Guardianus igitur & Fratres peiora, quæ locis ſanctis iſte comminabatur, timentes, cenſuerunt de omnibus certiores reddendos eſſe Chriſtianos Principes, vt tot periculis imminentibus illi occurrerent, eorumque neceſſitatibus ſubuenirent; & ita factum fuit. Ex Fratribus, qui pro illo negotio mittebantur, vnus fuit P. Fr. Bernardinus à Blanzato, Prouinciæ Mediolani, quem Mediolano adduxi Ieroſolymam. Hic miſſus fuit Romam ad Summum Pontificem Vrbanum VIII. & Sacram Congregationem de Propaganda fide, vt referret ſtatum Terræ ſanctæ; qui & diligenter retulit. Illa occaſione dixit ei quidam ex Eminentiſſimis & Reuerendiſſimis illis Sacræ Congregationis Dominis, dictam Sacram Congregationem multùm indigere pro ſuo inſtituto operâ noſtrorum Fratrum, nec ſine ipſis poſſe aſſumpto muneri pro dignitate ſatisfacere, prout ſine alijs. Et rationem adducebat: Quia Fratres Minores communiter ſunt infidelibus grati, qui & malum de ipſis non ſuſpicantur, vt proditionem vel quid ſimile, quippe qui à multo tempore ipſorum fidelitatem & ſinceritatem experti fuerunt. Vnde & non rarò aliorum Ordinum alumni Minorum induunt habitum, vt pericula euitent infidelium. Et velut lapillus ille parDaniel. 2. uus apud Danielem factus eſt mons magnus, occupans omnem terram; ita Minoritarum Religio initijs modica, minima ex

Notabilis ſententia Illuſtriſſimi ac prudentiſſimi viri de vtilitate Minoritani Ordinis pro infidelium conuerſione.

Fundatore,& ex ſuis Minoritis minor, adeò tamen, Patre luminum cooperante, creuit, vt totum terrarum orbem impleuerit. Adeò aucta, vt cunctis poſteà multitudine præſtiterit & ſacerdotio, & doctrina & ſanctitate præcellentium Religioſorum, nec non Monaſteriorum ac Prouinciarum numero longiſſimo interuallo omnes alios Ordines ſuperarit. Et cùm hæc non caſu, ſed optimo cum conſilio prudentiſſimus Dominus facta crediderit ab illo qui omnia in numero, pondere & menſura diſponit, iudicauit conſequenter Seraphicam Religionem à Deo opt. max. ſingulariter ordinatam eſſe pro infidelium conuerſione, & ſine ipſa illam pro dignitate & magno cum prouentu abſolui non poſſe; quia ad hanc admodum conducit gratia, & bona conuertendorum æſtimatio, locorum & idoneorum miniſtrorum multitudo, ne horum defectu pereat meſſis, & fame tabeſcant eſurientes panem doctrinæ, quòd non ſit qui frangat eis. Ita non ſemel retulit dictus fide dignus Religioſus.

CAPVT LXVII.

Quomodo Minorum Ordo, cùm de Communitate, tum de Familia & Obſeruantia, admiſſus fuerit ad habitandum in partibus Syriæ, eidemque locorum ſanctorum regimen demandatum fuerit.

PRO intellectu propoſiti argumenti tria præſtabo. Primò, quatuor præmittam Notabilia: ſecundò, duas proponam & refellam opiniones; ac denique tertiam veram ſubijciam, quam quinque explicabo Propoſitionibus.

Semper in Terra ſancta fuerunt Fideles.

Quantum ad primam, ſit primum Notandum: In Terra ſancta poſt humani generis procuratam ſalutem ſemper fuerunt fideles & Catholici, non modò quando ea erat ab eiſdem poſſeſſa, ſed etiam quando amiſſa infidelium tyrannidi ſubiecta fuit. Semper enim Deus opt. max. voluit in Terra ſancta ſua (quæ eſt funiculus hereditatis ſuæ, eique præ ceteris charior, vt Scripturam ſacram teſtari obſeruauit Gregorius X.) etiam in medio prauæ ac peruerſæ nationis ſupereſſe fideles ſibi miniſtros, non ſolùm vt ſua ibi illi enarrarent mirabilia, & eſſent lucernæ ardentes in caliginoſo loco, vt ad eam accedentes, diuino fulgore illuſtrarentur, ipſumque pio ac Catholico cultu venerarentur; ſed & vt magis ac magis eius eluceret potẽtia & virtus, dum inter lupos commorantes agni, nihilominùs ab illorum ſæuitia minime ſuperarentur, ab illorúmve morſibus morderentur aut diſcerperentur, ſed eoſdem potiùs vincerent & expugnarent, fideles inquam infideles, non gladio, non haſta, non tormentis bellicis; ſed bonis operibus, Dei gratia, paſſionum tolerantia ac patientia (nobili vincendi genere) deuictos ad Chriſtum adducerent. Ita Eccleſiaſticæ hiſtoriæ & ſacri Annales teſtantur, nosque alibi indicamus.

In Terra ſancta plures olim Religioſorũ Ordines.

Secundum Notandum eſt, in Terra ſancta plures olim ac diuerſos Religioſorum Ordines habitaſſe, vt S. Benedicti, S. Auguſtini, &c. vt præteream Orientales Monachos SS. Baſilij & Antonij, ſed non ſemper eoſdem, ſed modò iſtos, modò illos gratum Deo famulatum exhibuiſſe. Hiſce verò poſterioribus ſæculis, hoc eſt ab anno ſalutis noſtræ 1304. vſq; ad præſentem 1635. è Religioſis Latinis (quod ſciam) ad illic habitandum, & loca ſacra cuſtodiendum, ſoli Fratres Minores, tum illi qui de Communitate, tum illi qui de Familia & Obſeruantia nuncupati ſunt, admiſſi fuerunt ab ijs penes quos facultas fuit, vt in diſcurſu videbimus.

Pater ex Vimaco in hiſtoria Ieroſolymitana & Marino Sanuto.

Tertium Notandum eſt, quòd dum loquimur de Fratribus Minoribus admiſſis ad habitandum in partibus Syriæ & Terræ ſanctæ, de eis loquamur, prout nouimus eos in illis habitaſſe ſimpliciter, etſi de peculiaribus locis peculiari auctoritate Apoſtolica traditis non conſtet; vel prout Bullis Apoſtolicis, quarum extat memoria, aliqua ſancta loca ſuſceperunt.

Ordo Minorum primus à ſancto Francisco inſtitutus.

Pro quarto Notando nonnulla explicanda occurrunt, quæ ad ortum, progreſſum ac mutationem Ordinis Minorum ſpectant. Sciendum itaque, quòd inter Ordines à S. P. N. Franciſco inſtitutos, primus nuncupatus fuerit Ordo Fratrum Minorum, abſque alio addito, vt in eius Regula, Apoſtolicis diplomatibus, Chronicis, ac eiuſdem Ordinis monumentis paſſim videre eſt, & in Officio eiuſdem S. Patris, in quadam Antiphona conceptis hiſce verbis explicatur: *Tres Ordines hic ordinat, primumq; Fratrum nominat Minorum*, &c. Et hic Ordo cœpit circa annum Dom. 1224. & illud nomen omnino inuariatum per aliquod tempus retinuit, nimirum ad annum circiter vſque Domini 1250. tunc enim mutato ex parte priſtino viuendi inſtituto, non nihil & nomen eius fuit immutatum.

Sacrum Minorum Ordinem, in altiſſima fundatum paupertate, cuius & ſymbolum eſt, multi à principio ac deinceps magno cum ſpiritus feruore ſuſceperunt, ſtudioſiſſimè Euangelicam paupertatem zelantes; & ſpiritus ac feruor ille in puſillo grege in ſuis exordijs integer ſeruatus & auctus fuit: verùm ille idem feruor non parum

rum tepuit & diminutus fuit; & multiplicata gente, non magnificata ſed diminuta fuit ſpiritualis lætitia. Et huius diminutionis ac mutationis cauſa duplex præcipua aſſignari poteſt. Altera eſt ipſius naturæ humanæ conditio & infirmitas, vt ſucceſſu temporis etiam ſolidiſſima infirmentur, feruidiſſima quæque tepeſcant, & mundanum puluerem etiam puriſſima & ſanctiſſima contrahant. vnde multi inueniuntur, qui, vt ait Apoſtolus, cùm ſpiritu cœperint, carne conſummantur, Galat. 3, 3. Altera cauſa eſt eiuſdem Ordinis ingens multiplicatio. Cùm enim Minoritana Religio, in ſuo exordio quidem modica, nimium tamen, Patre luminum, qui eam fundauit, operante, breui temporis ſpatio incrementum ceperit: & quidem cùm paruula adhuc, paucis etiam contenta, ſecundùm mentem Seraphici Patris recollecta, & in altiſſima paupertate vixerit, eiuſque obſeruantiſſimi profeſſores abſque annuis redditibus aliáve proprietate, exiguas domos & paupercula habitauerint monaſteria; ſed grandis effecta, quando videlicet ſpatio viginti annorum per totum pænè orbem propagata fuit, aliqui iſtius Religionis Patres, non habentes ſanè S. Franciſci ſpiritum, exiſtimantes ſtatum primitiuum Recollectorum non eſſe ſatis commodum ad cultum diuinum, & literarum exercitia, quibus potuiſſent Eccleſiæ & animarum ſaluti inſeruire, neque exiguitatem monaſteriorum tantorum Fratrum habitationi, neque arctiſſimam paupertatem ſuſtentationi ſufficere; à ſummis Pontificibus diſpenſationem impetrauerunt, vt diuitias in communi & in clauſtro viuentes poſſidere poſſent: hinc in aliquibus locis, contra ſanctam paupertatem ampla ædificia magnificasque domos ædificare cum annuis redditibus procurarunt, priſtino paupere ſtatu immutato.

Duæ cauſæ relaxationis Minoritanæ Ordinis.

Semper Obſeruantes in Ordine Minorum, & Regulæ puritas.

Nihilominùs in ea mutatione, in Ordinis [illegible]munitate ſemper conſeruata fuit à fundatore Chriſto diſciplina regularis, & paupertas Euangelica, quia numquam defuerunt eiuſdem ſtudioſi Fratres, ſecundùm illius promiſſionem. Promiſerat ſiquidem aliquando Chriſtus Dominus famulo ſuo Franciſco, Ordinem eius vſque ad finem mundi duraturum: qui & (ne perſonarum tum multitudine tum virtute deficeret) addiderat, quòd illis non naſcentibus faceret alios naſci, qui de lapidibus potens eſt ſuſcitare filios Abrahæ. Igitur boni ac ſancti Ordinis Fratres, ſancti Patris ſpiritum habentes, & in primis maiores Superiores communiter non tantùm diſpenſationem & relaxantia priuilegia non admiſerunt, ſed ſe illis oppoſuerunt, vt quæ eſſent ſurreptitiè impetrata, & diſſolutionis Ordinis Euangelici cauſa. Id optimè aduertens Clemens V. in ſua Decretali, *Exiui de Paradiſo*, vbi recenſuit abuſus illos de redditibus, pecunia, poſſeſſionibus, &c. de quibus Ordo accuſabatur, ſubiungit: *Tamen communitas Fratrum, & ſpecialiter Rectores ipſius Ordinis aſſerebant, quòd prædicta ſeu plura ex ipſis in Ordine non fiebant: quòd & ſi qui reperiuntur rei in talibus, rigidè puniuntur, nec non contra talia, ne fiant, ſunt facta pluries ab antiquo ſtatuta in Ordine multùm ſtricta.* Ex quibus clarè apparet, Ordinem huiuſcemodi relaxationibus non conſenſiſſe, imò contradixiſſe, ac conſequenter in eo ſemper conſeruatam Regulæ puritatem ſecundùm mentem ſancti Patris, & Chriſti beneplacitum, quod fuit, vt *obſeruaretur ad litteram, ad litteram, ad litteram, ſine gloſſa, ſine gloſſa, ſine gloſſa.*

Nec, quantum ad hoc, illi obſtitit tepidorum relaxatio; ſicut Iudæorum, qui non crediderunt, incredulitas fidem Dei non euacuauit, vt argumentatur S. Paulus ad Romanos 3, 3. nec aliquorum malitia Chriſtianorum puritatem ac ſanctitatem Catholicæ Eccleſiæ tollit.

Accidentaria diuiſio Ordinis.

Ex prædicta mutatione primò aliqua diuiſio in Ordine introducta fuit, non quidem quantùm ad eſſentiam, quia omnes Fratres eamdem profeſſionem emittebant ſine priuilegijs, & emiſerunt vſque ad Leonem X. Pontificem maximum, & vnico Miniſtro Generali ſubdebantur; ſed quantum ad nonnulla quæ rigorem Regulæ reſpiciunt: æmulatores enim Euangelicæ paupertatis elegerunt pauperes Eccleſias & domos ab annuis redditibus immunes, tamquam aſſumpto ſtatui magis conformes, & illorum maiores aliqui Præfecti appellabantur Vicarij Prouinciales, qui eamdem auctoritatem habebant, quam alij Miniſtri Prouinciales; & poſteà illis magis multiplicatis, habuerunt etiam Vicarios Generales. Alij verò qui recollectionem recuſarunt, reliquerunt magnas Eccleſias & eximios Conuentus, & deinceps alios erexerunt, & ſubdebantur Miniſtris Prouincialibus & Generalibus. Verùm tam Prouinciales quàm Generales Vicarij deriuatam poteſtatem habebant à Miniſtro Generali, eique in omnibus tamquam vnico vero totius Ordinis capiti perfectiſſimè ſubdebantur. Quæ ratio cum adducta anteà de vnica omnium profeſſione, prohibuit eſſentialem Ordinis diuiſionem, & veram vnitatem eſſentialem conſeruauit.

Ex iſta contrarietate & diuerſitate in Ordine argumentum deduco illius ſanctæ ac

essentialis vnitatis. Ex quo enim perfecti imperfectis restiterunt, & Obseruantes laxis communicare noluerunt, relinquentes illorum tabernacula, colligitur, veram Regulæ obseruantiâ semper in Ordinis communitate perduraſſe; & à perfectis non ab imperfectis nomen & ratio petenda est; quemadmodum & homo viuens, licet manu vel pede laboret, vel etiam aliam partem aridam habeat, nihilominùs ab anima intellectiua & ab alijs præcipuis partibus sanis verus homo nuncupatur. Ita dicendum de Seraphico Ordine, licet in eo fuerint infirma membra, tepidi inquam Religiosi, quia nihilominùs fuerunt & sana, Spiritus sancti vitali gratiâ repleta, boni videlicet Fratres, ex istis, non ab illis, ratio & vera Ordinis vnitas accipienda est. Si enim Paulus Roman. 5, 15, 20. ait: *Non sicut delictum, ita & donum; sed vbi abundauit delictum, superabundauit gratia.* & hæc operiens multitudinem peccatorum, illâ præditum, pulchrum ac decorum demonstrat.

Sancta Ecclesia nigra est propter imperfectos, & tamen propter inhabitantem gratiam Spiritus sancti in iustis, formosa & tota pulchra nuncupatur. Idem dicendum de Seraphica Religione, in qua licet essent non pauci tepidi, quorum ratione deformis credi potuit; tamen ex feruentibus & iustis, qui semper in ea floruerunt, pulchra & verè Euangelica dicitur.

Mutatio nominis in Ordine Iesuita.

Ex præmissa viuendi mutatione, seueriori videlicet ac laxiori Regulæ Obseruantia, aliqua etiam in Ordine nominis mutatio facta est. Nam primi Regulæ Obseruantiam æmulantes, *Minores*, cum addito *Reformati* vel *Obseruantes* dicti sunt, alij verò *Minores de Communitate*, vel etiam *Conuentuales*: sed ista nomina à principio non fuerunt omnino propria & distinctiua, vt mox explicabitur.

Conuentualis nomen tripliciter accipitur. Primò, generaliter.

Quare hîc aduerte, *Conuentualis* nomen tripliciter accipi posse: Primò, vt est nomen commune omnibus qui Ecclesias collegiales siue conuentuales habent, siue qui Collegiorum ac Congregationum priuilegijs gaudent: quomodo nomine Conuentualium insignitæ sunt Ecclesiæ Fratrum Minorum, apud quas Conuentus erant, per Innocentium IV. in Bulla, quæ incipit, Cùm tamquam veri, &c. Data Nonis Aprilis, Pontificatus anno octauo, vbi Fratres Minores sic alloquitur Pontifex: *Cùm tamquam veri & fideles Christi Ministri, elegeritis vobis in domo Domini mansiones, dignum esse credimus, vt habitacula vestra inter alias honorabiles Congregationes fidelium statuantur. Hinc est igitur, quòd vestris supplicationibus inclinati, præsentium auctoritate decernimus, vt Ecclesiæ vestræ omnes, vbi Conuentus existunt, Conuentuales vocentur.* Hæc ibi. Refert hanc Bullam Rodericus in Bullario, in Bullis Innocentij IV. Bulla 14. *Conuentualis* nomen in hac significatione acceptum, verè enuntiatur de omnibus Minoribus, *Reformatis*, *de Communitate*, *Capuccinis*, &c. qui Conuentus formatos & Ecclesias habent; & tantùm excludit eos, qui extra huiusmodi Conuentus in locis solitarijs siue eremitorijs habitant, pro eo tempore quo in prædictis locis morantur: eo enim ipso quòd ad Conuentus formatos, vbi sunt Ecclesiæ, reuertuntur, Conuentuales iterùm iuxta hoc commune nomen & priuilegium nuncupari possunt.

Secundò.

Secundò *Conuentualis* nomen sumitur pro nomine distinctiuo proprio siue appropriato alicui membro Ordinis, vt ab altero distingueretur. Et hoc modo nomen *Conuentualis* primò appropriatum est Fratribus viuentibus sub Ministris Prouincialibus, vt distinguerentur contra Fratres de Familia, siue de Obseruantia sub Vicarijs Prouincialibus, siue etiam sub Vicarijs Generalibus viuentes.

Tertiò.

Tertiò *Conuentualis* nomen sumitur pro vt enuntiatur de Fratribus Minoribus, qui bona & redditus in communi possident, & alijs priuilegijs, Regulæ rigorem relaxantibus gaudent, ac sub eiusmodi priuilegijs explicitè professionem emittunt. Quales sunt illi, qui per Leonem X. sub Magistris Generalibus & Prouincialibus in corpus particulare separati sunt. Quo iterùm nomine distinctiuo & appropriato distinguuntur à Fratribus *Regularis Obseruantiæ* & *Capuccinis*.

Hac *Conuentualis* nominis triplici significatione præmissa, dico tria pro explicatione mutationis nominis in Ordine ex ratione viuendi mutata exortæ. At relicta prima significatione nominis *Conuentualis*, quæ omnibus Minoribus est commu[illegible]que cùm distinctiua non sit, ad intentum non inseruit, vt constat. PRIMVM ASSERTVM sit: A tempore S. Francisci vsque ad Concilium Constantiense in Ordine Minorum mutatio nominis facta non est, quantum ad nomen *Conuentualis*, prout in secunda significatione accipitur, sed quantum ad esse *reformatos*, & *de Communitate*. Probatur: quoniam à dicto S. Francisci tempore vsque ad Concilium Constantiense nullus Frater in Ordine vocatus fuit Conuentualis nomine appropriato, sed æmulantes reformationem, Reformati, alij de Communitate. Hoc patet legenti omnes Bullas Pontificias & Ordinis Statuta ac Memorialia

vsque

Digitized by Google

vſque ad illud tempus. Vnde & in Memoriali Ordinis, vbi referuntur Reformationes & Reformatorum origines toto illo tempore factæ, non Reformati non vocantur *Fratres Conuentuales*, ſed *Fratres de Communitate*, vt Clemens V. in Clementina antè citatus. Simili nomine vocantur in Decreto Concilij Conſtantienſis; vbi ordinatur, quòd Fratres Obſeruantiæ per mundum euntes, declinent, ſi voluerint, *ad loca & Conuentus Communitatis Ordinis*. Et ratio huius mutationis iam eſt indicata, quia Reformati, vt pauci, viuebant in pauperibus domibus, alij communiter in formatis Conuentibus.

SECVNDVM ASSERTVM: *Conuentualis* nomen, vt diſtinguit Fratres ſub Miniſtris viuentes ab Obſeruantibus de Familia ſub Vicariis, eſt introductum & illis appropriatum à tempore Concilij Conſtantienſis ſub Martino V. anno Domini 1428. & potiſſimùm ab Eugenio IV. & demum à ſequentibus Pontificibus vſurpatum. Hoc patet legenti Bullas Eugenianas, Pianas, Paulinas, &c. tangentes huiuſmodi diſtinctionem in Firmamento trium Ordinum. Ratio quare tunc temporis illud nomen appropriatum & diſtinctiuum inditum ſit, talis aſſignatur: quia iam Obſeruantia de Familia in magnam Ordinis partem ſe extenderat, ita vt adæquatum membrum faceret, & reſpectu totius videbatur Communitatem æquare. Nam fuit ſubitò tantum Obſeruantiæ Regularis accrementũ, vt tempore Iulij II. quo celebratum eſt ſextum Capitulum Generaliſſimum, numerarentur ex Fratribus de Familia quadraginta quinque Prouinciæ, ac mille ducenti & quadraginta Conuentus, in quibus trigeſies mille & octingenti Fratres morabantur. Fuit igitur neceſſarium, vt relicto nomine Communitatis, Fratres ſub Miniſtris viuentes, alio nomine ab Obſeruantibus de Familia diſcernerentur. Vocati ſunt igitur illi à Pontificibus *Conuentuales* appropriato nomine, aliàs communi omnibus, ad ſignificandum alterum Ordinis membrum, quod ſub Miniſtris militabat.

TERTIVM ASSERTVM ſit: *Conuentualis* nomen in tertia ſignificatione acceptum, in Ordine Minorum introductum eſt à tempore Leonis X. Pontificis maximi, anno Domini 1517. & non anteà. Probatur: quia vſque ad illud tempus vnica fuit profeſſionis forma communis Fratribus de Communitate ſiue Conuentualibus, ſecũdùm ſecundam ſignificationem Conuentualis, & Obſeruantibus, obſeruandi videlicet Regulam Minorum abſque relaxantibus priuilegiis, ſed ſecundùm ſuam puritatem, & ad litteram ſecundùm mentem S. Franciſci in hunc modum: *Ego Frater N. voueo & promitto Deo, B. Mariæ Virgini, & B. Franciſco, ac omnibus Sanctis, & tibi Pater, toto tempore vitæ meæ ſeruare Regulã Fratrum Minorum per Dominum Honorium Papam confirmatam, viuendo in Obedientia, ſine proprio, & in Caſtitate.* Sed à dicto tempore vt Obſeruantes eamdem profeſſionis formam inuariatam ſecuti ſunt, ita alij ſunt eamdem profeſſi, ſed cum limitatione, illam inquam cuſtodiendi cum priuilegiis relaxantibus; vt quòd bona immobilia in communi habere poſſint. Et ita, cõmuni illo nomine *Conuentualis* ſecundæ ſignificationis retento, appropriato, atque ad tertiam ſignificationem redacto, altera abolita ſignificatione, de illis in tertia enuntiatur; vt alij ſuam retinuerunt nomenclaturam inuariatam, *Fratres Minores de Obſeruantia*, cum ipſius Regulæ Obſeruantia. Qualiter autem id acciderit, pro aſſumpto argumento explicare proderit.

Sciendum itaque, quòd cùm Ordo ſancti Franciſci iam multis annis ob diſcordias fluctuaſſet, iis qui ſecundùm carnem nati erant, relaxatis nimirum Fratribus, perſequentibus eos qui ſecundùm ſpiritum ſancti P. Franciſci Regulam ad litteram obſeruare nitebantur; quibus diſcordiis, celebratis iam ſex Capitulis Generaliſſimis ad effectum vnionis reſtituendæ, finis imponi non potuerat: Leo X. diuino inſtinctu rem aggreſſus *ad inſtantiam Imperatoris Maximiliani, & Regum Francorum, Hiſpaniarum, Portugalliæ, Daciæ, Norwegiæ, ac Sclauorum ſiue Dalmatarum, Gothorumq;, item Archiepiſcoporum: ac Vicarijs, Ducibus, Principibus, Ducibiis, & Romani Imperij Electoribus, Comitibus, viris grauibus, locum tenentibus Prouinciarum, Præſidibus, Ciuitatibus, Communitatibus, Magiſtratibus, Vniuerſitatibus panè totius orbis id efflagitantibus*, Capitulum ſeptimum Generaliſſimum Romæ in Conuentu de Ara Cæli indixit ad annum 1517. in quo cùm in prima Seſſione propoſita eſſet vnio vniuerſalis totius Ordinis, ei quidem conſenſerunt omnes Patres Obſeruantiam Regularem zelantes, ſub conditione, quòd Conuentuales relaxati prætenſis priuilegiis contra puritatem Regulæ, & omni rerum proprietati, ac quibuſuis annuis redditibus renuntiarent, & Regularis Obſeruantia nihil detrimenti pateretur. Cui conditioni cùm Patres, relaxationem Regulæ ſequentes, ſubſcribere noluiſſent, Summus Pontifex, ne res infecta iterùm in fumos & diſcordias abiret, Spiritu ſancto ſibi aſſiſtente, ſequentia ſtatuit.

Digitized by Google

Primò omnes Fratres Regulæ obſeruantiam zelantes, de quacumque tandem congregatione eſſent, *ſiue de Obſeruantia Familiæ, ſiue de Obſeruantia ſub Miniſtris, ſiue de Congregatione Clarenorum F. Amadæi, aut de S. Euangelio ſiue de Capucio*, veros filios & heredes ſpiritus S. Patris Franciſci agnoſcens, priùs quaſi diſperſos in vnum corpus adunauit, eisque nomen dedit vt vocarentur vel ſimpliciter *Fratres Minores ſancti Franciſci*, vel coniunctiuè *Fratres Minores S. Franciſci Regularis Obſeruantiæ*.

Deinde, eis ſic adunatis dedit electionem Generalis totius Ordinis ſecundum Regulam veri & legitimi ſucceſſoris S. Franciſci, mandans vt ille *à ſolis & ex ſolis Reformatis, ſiue Regulam ad litteram obſeruantibus, eligeretur*; eſſetque vere Reformatus, & pro Reformato à Congregatione Reformatorum haberetur: *Ne*, inquit, *caput ſuis membris difforme appareat*.

Tertiò, Ne electionem aliquo defectu laborare contingeret, omnes Vicarios veros Miniſtros eſſe declarauit; & Diſcretos Obſeruantiæ veros Cuſtodes. Et ex Prouinciis necdum totaliter reformatis, in quibus Miniſtri Reformati non erant, curauit ex Conuentibus reformatis duos Fratres Reformatos nominari, qui Prouincialis & Cuſtodis vota haberent. Similiter Fratribus Congregationis Amadæi & Clarenorum, ac de S. Euangelio permiſit, vt, præter vota ſuorum Vicariorum, haberent iterùm duas voces pro ſingulis Prouinciis in quibus habebant Conuentus: definiuitque Apoſtolica auctoritate, electionem Generalis Miniſtri ſic factam, eſſe *Canonicam ſecundùm Regulam Fratrum Minorum ac formam à ſancto Franciſco in Regula traditam*.

Quartò, his ſic conſtitutis, curauit ad Electionem procedi, in qua Canonicè electus eſt F. Chriſtophorus de Forliuio, qui confirmatus eſt totius Ordinis ſancti Franciſci Miniſter Generalis, & Franciſci ſecundùm Regulam ſucceſſor. In cuius rei confirmationem illi Sigillum antiquum totius Ordinis à Summo Pontifice conſignatum eſt, & omnes Prouinciales præſentes & futuri nomine *Miniſtri* ſecundùm Regulam inſigniti, eisque omnibus antiquæ Minoriticæ Reipublicæ omnia munia concredita, cum præcedentia ad omnes qui ſub ſancti Franciſci nomine deinceps militarent.

Denique, excluſis à corpore & electione Capitis totius Ordinis, quòd renuerent obſeruare Regulam ſecundùm ſuam puritatem, illorum volens ſaluti conſulere, conceſſit vera priuilegia, ſecundùm quæ viuentes, etſi non ſecundùm puritatem Regulæ, viuerent tuti in conſcientia, & quòd deinceps vocarentur non quidem Fratres Minores S. Franciſci ſimpliciter, ſed cum additione, *Fratres Conuentuales ſancti Franciſci*. Et hæc clarè habentur in Bullis Leonis X. & aliis Seraphici Ordinis Scriptoribus.

Et breuiter quod intendimus colligendo, Fratres primi Ordinis ſancti Franciſci, primò appellati ſunt abſolutè *Fratres Minores*, ab anno videlicet Domini 1224. quæ appellatio inuariata remanſit vſque ad annum 1428. & Concilium Conſtantienſe, quando alij *de Communitate*, & alij *Obſeruantes* vel *Reformati* dicti ſunt. Ab iſto tempore vſque ad Leonem X. & annum ſalutis noſtræ 1517. alij *de Familia & Obſeruantia*, & alij *Conuentuales*, prout *Conuentualis* nomen in ſecunda ſignificatione accipitur, appellati ſunt. Et ita ab iſto anno 1517. vſque ad præſentem 1633. alij, veteri nomine & ſignificatione retenta, appellati ſunt *Fratres Minores de Obſeruantia*; alij, retento quidem nomine, *Minores Conuentuales* ſunt nuncupati, ſed non in ſecunda ſignificatione nominis *Conuentualis*, vt ante, ſed in tertia, propter mutatam profeſſionem & ſtatum. Et hæc pro quarto aſſerto, & de ſecundo principali priùs propoſito, quod prolixiùs quàm voluimus proſecuti fuimus, ſed neceſſitate ducti, tum vt nunc aſſumptum argumentum clariùs ac ponderoſiùs explicetur, tum propter aliqua alia alibi tractanda; & ad propoſitam difficultatem, quomodo quóve tempore Minorum Ordo ad locorum Terræ ſanctæ regimen deſtinatus fuerit, accedamus.

Duas inueni ſententias (vt me expediam ab eo quod ſecundo loco tractandum propoſui) quibus propoſitæ reſpondetur difficultati, quæ ſi vt ſonant accipiantur, omnino falſæ ſunt & reiiciendæ; non item ſi in bono ſenſu explicentur.

Prima reſponſio ad difficultatem.

Prima ſententia refertur in Chronicis antiquis Ordinis S. Franciſci, quæ tractant de viginti quatuor Miniſtris Generalibus, in quibus dicitur, Fratrem Roggierum Guarinum Prouinciæ Aquitaniæ, qui fuit vnus ex Fratribus miſſis ad terras infidelium, ad prædicandum illis Chriſti Euangelium, & Catholicam fidem dilatandam, a P. F. Ghirardo Miniſtro Generali anno Domini 1332. in illis inquam Chronicis dicitur, dictum Fratrem Roggierum profectum fuiſſe ad Terram ſanctam, & à Sultano obtinuiſſe ſanctiſſimum locum Montis Sion, vbi Dominus noſter IESVS Chriſtus fecit Paſcha cum diſcipulis ſuis, & vbi ſuper eos

Digitized by Google

eos in linguis igneis descendit Spiritus sanctus; ibiq; illum Patrem ædificasse locum pro Fratribus, qui ibi vsque in præsentem diem commorantur, vel per multos annos commorati fuere: nunc enim ibi non habitant, sed intra muros Ierusalem, vt posteà dicetur.

Secunda. Secunda sententia est, quam tradit Andreas Fauinus Parisiensis, Aduocatus in Curia Parlamenti, in suo Opere Gallicè conscripto, cuius titulus est, *Le Theatre d'honneur, & de Cauallerie*. Hic enim Tom. 2. lib. 9. ait, Regem Philippum de Vallois, huius nominis sextum, & vltimum, * anno Domini 1336. quo hic clauum regni tenebat, obtinuisse à Sultano Babyloniæ Cariatey, vt Fratres Minores, aliis Ordinibus prælati, ad habitandum in ciuitate Ierusalem admitterentur, atque illorum custodiæ traderetur sanctum Domini nostri IESV Christi sepulchrum, &c. Bullam tamen aliquam vel authenticam scripturam non adducit.

**Genebrar. ad annum 1336. ex Manstero scribit, dicto anno custodiam Sepulchri Christi Ierosolymis acto Franciscanis à Sultano Ægypti fuisse commissam.*

Tertia. Tertia sententia dicit, Rupertum & Sanciam Siciliæ Reges obtinuisse loca sancta à Babyloniæ Sultano pro Minoritis, & traditionem Clementem V. confirmasse.

Refelluntur. Sed nulla ex memoratis opinionibus est veritati consentanea. Non prima; quoniam vt dicitur in Chronic. Minorum Parte 2. l. 8. c. 26. antequam Frater Roggierus proficisceretur ad Terram sanctam, in ea in Monte Sion habitabant Minores, & ita ante annum 1332. & hoc in quarta sententia apparebit. Hac ipsa ratione, & à fortiori refellitur secunda sententia. Si enim per Philippum VI. Christianissimum Galliarum Regem introducti fuissent Minoritæ ad Terram sanctam, locorumque sanctorum custodiam, tunc ad illa dumtaxat accessissent anno Domini 1336. sed hoc est falsum, vt apparet ex dictis, & dicendis.

Tertia etiam sententia haud probatur, quia antequam Rupertus & Sancia Reges instituti fuissent, & ante Clementis V. qui eos renuntiauit anno Domini 1309. sexto Idus Septembris, iam Minores in sanctis locis habitabant, & anno Domini 1342. à Clemente VI. confirmationem obtinuerunt: & hæc ex dicendis in quarta sententia magis apparebunt.

In bono sensu interpretantur. Possent tamen istæ opiniones aliquo modo bonum sensum admittere. Prima quidem, si diceretur, ideò asseri in Chronicis antiquis, Fratrem Roggierum obtinuisse locum Montis Sion, &c. quoniam obtinuit facultatem à Sultano illum restaurandi, vel etiam augendi, ad commodiorem Fratrum habitationem; quòd, secluſa speciali Sultani licentia, est sub graui pœna interdictum: & illa plerumque non impetratur nisi magnis laboribus & expensis.

Secunda similiter sententia sano intellectu explicari potest, si dicatur, præfatum Regem Philippum obtinuisse loca sancta Minoritis; quia cùm pius esset, & de Seraphico Ordine optimè meritus, aliquid à Sultano Babyloniæ impetrasse in gratiam eorumdem Fratrum tunc in Terra sancta habitantium. Quia enim Fratres in partibus istis continuis oppressionibus ab infidelibus grauantur, solent, vt sibi consulant, recurrere ad Christianos Principes, peculiares suos patronos; qui illorum miseriæ inopiæq; compatientes, illorum supplicationibus gratum exhibent assensum, & ab infideli Rege desiderata haud rarò impetrant, vt sapiùs expertus testari possum. Potuit ergo pius ille Rex singularem aliquam gratiam pro Fratribus impetrasse; vt, quòd tutò & sine molestia in sanctis locis habitare possent, vel quid simile (quemadmodum alij præstiterunt Reges) etsi verè ad habitandum in illis eos non introduxerit.

Tertia sententia fortasse dicit confirmationem locorum Terræ sanctæ factam per Clementem V. Minoritis; quia fuit ille de Seraphico Ordine & locis sanctis optimè meritus, & in horum gratiam multa concessit priuilegia; & quia si non Bullâ, saltem operibus illorum habitationem confirmauit; vel fuit ferendus error, qui facilè potuit irrepere, vt pro Clemente VI. positus sit V.

Ceterùm sit quarta sententia vera & amplectenda, quam quinque explico Propositionibus.

Ante annum 1257. Minores habitarunt in Terra sancta.

PRIMA PROPOSITIO: Ordo Minorum ante suam diuisionem, vel in nomine mutationem, admissus fuit ad habitandum in partibus istis Syriæ, Terræ sanctæ, & ipsa sancta ciuitate Ierusalem, ante annum à salutifero Christi Domini ortu 1257. etsi de tempore determinato mihi non constet ex speciali Apostolico diplomate.

Probatur dupliciter: Primò, ex dictis superiùs Capitibus LXIII. & LXIV. vbi egimus de aduentu S. Francisci ad has partes, quomodo in ijsdem fructificauerit, & pro Minoritis domicilia acceperit. Secundò, quia ante eumdem annum ediderunt Summi Pontifices Bullas pro Minoribus in partibus istis habitantibus, quas Libro 11. adducemus. Et primò quidem afferri potest Bulla Gregorij IX. data anno Domini 1238. directa ad Fratres Minores proficiscentes ad terras Saracenorum, & in eisdem in Dei vinea laborantes; sic enim incipit: *Gregorius Episcopus, seruus seruo-*

Digitized by Google

rum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum in terras Saracenorum & Paganorum proficiscentibus, salutem, &c. *Datum Laterani 4. Kal. Februarij, Pontificatus anno* X I. & consequenter anno Domini 1238. hic enim tunc currebat annus, vt ex huius Pontificis Vita deducitur. Alicui videri posset hanc Bullam haud multùm suffragari, quia in ea expressa Syriæ vel Terræ sanctæ nulla fit mentio. Verumtamen ad has partes diuertisse circa idem tempus, & in eisdem habitasse, probabile est credere, tum propter locorum sanctitatem, tum propter ea quæ in Seraphici Ordinis Chronicis leguntur, & à nobis proposita ad hoc spectantia.

Sed euidenter idipsum demonstrant duæ aliæ Summorum Pontificum Bullæ, scriptæ ante dictum annum Domini 1257. Altera est Innocentij IV. quæ sic habet: *Innocentius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs Fratribus de Ordine Minorum in terras Saracenorum, Paganorum, Gracorum, Bulgarorum, Caprianorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Aethiopum, Syrorum, Thebæorum, Alanorum, Catarorum, Gothorum, Zitorum, Armenorum, Indorum, Masolitorum, aliarúmque infidelium Nationum Orientis, seu quarumcumque aliarum partium, proficiscentibus salutem*, &c. *Datum Lugduni 12. Kalendas Aprilis, Pontificatus anno secundo, qui fuit Domini* 1244. Ecce quomodo Syrorum singulariter fit mentio; sed clariùs in Bulla altera, quæ est Alexandri IV. & sic habet: *Alexander Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs Ministro & Fratribus Ordinis Minorum de Prouincia Syriæ salutem*, &c. & infrà: *Vobis vniuersis, ac singulis vestrûm, verè pœnitentibus & confessis in Prouincia Terræ sanctæ, præmissis & alijs pijs operibus, quantum in vobis fuerit, vsque ad vltimum vitæ insistentibus, illam concedimus peccatorum veniam, quæ transfretantibus in eiusdem Terræ subsidium in generali Concilio est concessa. Datum Laterani 4. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.* & hic fuit Domini 1257. quoniam ille ad Pontificatum assumptus fuit anno 1254. Ecce quomodo ante annum 1257. ante Minoritani adhuc Ordinis diuisionem ac nominis mutationem, quæ necdum fuerat, ex dictis in quarto Notabili, Minoritæ habitabant in Syria & Terra sancta, ibique Prouinciam habebant, & consequenter multos Conuentus, vel Domos, quæ absque dubio nonnisi multo tempore obtineri ac possideri possunt, etsi non satis certò mihi constet. Vt verò, quantum fieri potest, clarè procedamus, tempus ordiemur ab anno quo Bullâ Pontificiâ confirmata fuerunt loca sancta pro Minoritis.

Sit itaque SECVNDA PROPOSITIO: Minoritæ ante instituti sui diuisionem, ac nominis mutationem, admissi fuerunt ad custodiam sanctorum locorum expressa Summi Pontificis concessione, fauente & impetrante Roberto pijssimo Siciliæ Rege, anno salutis nostræ millesimo trecentesimo quadragesimo secundo, eodemque statu inuariato permanserunt in eorumdem locorum custodia annis octogintasex; ab anno videlicet memorato millesimo trecentesimo quadragesimo secundo, vsque ad annum millesimum quadringentesimum vigesimum octauum, quando nonnulla in Ordine mutatio secuta est.

Ordo Minorum ante aliquam sui mutationem auctoritate expressa Pontificis habitauit in Terra sancta ab anno 1342. vsque ad annum 1428.

Ante huius Propositionis probationem aduerto, in Chron. Min. Parte 2. lib. 6. cap. 26. assignari annum millesimum trecentesimum quartum, in quo à piis Regibus Roberto & Sancia loca sancta obtenta fuerunt à Sultano Ægypti pro Minoritis, & à Clemente V. confirmata; sed hoc falsum, quia hi Reges renuntiati fuerunt solùm anno Domini millesimo trecentesimo nono: quare incertum mihi & aliis tempus determinatum impetrationis, sed confirmationis manifestum. Dicendum ergo, dictos Reges intra annum 1309. & 1342. impetrasse loca sancta, & hoc anno Clementem V I. traditionem confirmasse. Ita indicat Clementis Bulla data anno 1342. cuius partem ad intentum hîc subijcimus, integram inferiùs daturi Libro I I.

Clemens Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs, Generali & Terræ laboris Ordinis Fratrum Minorum Ministris, salutem & Apostolicam benedictionem. Gratias agimus gratiarum omnium largitori, &c. & infrà: *Nuper siquidem eorumdem Regis Roberti & Sanciæ Reginæ Siciliæ grata insinuatio Apostolatui nostro patefecit, quod ipsi non sine magnis sumptibus & Laboribus grauibus à Soldano Babyloniæ (qui Sepulchrum Domini, & alia sacra loca vltramarina, proprio ipsius Redemptoris Sanguine dedicata, non sine cunctorum graui opprobrio detinet occupata) obtinuerunt, quòd Fratres intra Ecclesiam Dominici Sepulchri possint continuè commorari, & ibidem Missarum solemnia & alia diuina Officia solemniter celebrare. Et iam certi dicti Ordinis Fratres actualiter sunt ibidem. Et quòd nihilominùs idem Soldanus Cœnaculum & Capellam, in qua Christus, beato Thoma præsente, post resurrectionem*

Robertus & vxor eius Sancia Siciliæ Reges obtinuerunt loca sancta pro Minoritis.

nem ſuam Apoſtolis ſe oſtendit, Regi & Reginæ conceſſit iiſdem. Quodq; ipſa Regina locum ædificauit in monte Sion, infra quem cœnaculum & dicta Capella ſitæ fore noſcuntur, prædictis Fratribus, iam eſt diu, vbi duodecim Fratres dicti Ordinis ſumptibus proprijs continuè tenere intendit, ad diuinum obſequium in Sepulchro, & alijs prædictis locis ſacratiſſimis impendendum; ac tres perſonas ſæculares, etiam quæ ipſis Fratribus ſeruiant, & neceſſaria adminiſtrent. Quarum præfata Regina nobis humiliter ſupplicauit, vt ad hoc, quòd eiuſdem Regis, & ſua pia in hac parte intentio impleatur, eiſdem locis ſacratiſſimis de deuotis Fratribus, & ſeruitoribus idoneis, vſque ad dictum numerum prouideri auctoritate Apoſtolica mandaremus. Nos itaque dictorum Regis & Reginæ pium & laudabile propoſitum & intentionem deuotam, pijs in Domino laudibus commendantes, ac volentes eorum votis & deſiderijs annuere in hac parte fauorabiliter, vobis, & cuilibet veſtrûm vocandi nunc, & in poſterum ad veſtram præſentiam auctoritate Apoſtolica, ad requiſitionem dictorum Regis & Reginæ, vel alicuius eorum, aut ſucceſſorum ſuorum, de conſilio ſaniorum dicti Ordinis, Fratres idoneos, & deuotos de toto dicto Ordine, vſq; ad præfatum numerum, &c. *Datum Auinioni* XI. *Kalend. Decembris, Pontificatus anno primo.* Hæc Pontifex Clemens V.

Clemens V. concedit & confirmat traditionē locorum Terræ ſanctæ Minoritis.

Quare ſecundùm hanc locorum traditionem, à Clemente V. per pijſſimos Robertum & Sanciam Siciliæ ac Ieruſalem Reges impetratam, vt ex adducta Bulla conſtat, oportet dicere, Minoritas ante Seraphici Ordinis diuiſionem & nominis variationem, admiſſos fuiſſe ad habitandum Ieroſolymis, & ad cuſtodiam ſanctorum locorum, Pontificia & Regia auctoritate anno Domini 1313. quia hic fuit primus annus Pontificatus Clementis, in quo dedit præmiſſam Bullam Minoritis pro ſanctis locis ſuſcipiendis. Quæ conceſſio fuit poſteà per alios plures Summos Pontifices confirmata, vt inferiùs videbimus. In qua quidem cuſtodia abſque aliqua mutatione manſerunt annis 115. ab anno videlicet Domini 1313. vſque ad 1428. quando mutatio primò facta eſt, ex dictis in quarto Notabili.

Lege in Parte 2. Chronic. Ord. Min. lib. 6. c. 26. & lib. 8. c. 25. & 49.

Mutationes accidentarias in Ordine factas, Minoritæ de Communitate cuſtodiuerunt loca ſancta ab anno 1428. vſq; ad annum 1438.

TERTIA PROPOSITIO: Facta aliqua in Seraphico Ordine mutatione quantum ad ſeueriorem & laxiorem viuendi rationem, & quantum ad nomen, quando Minores obſeruationem Regulæ zelantes *Minores Reformati* vel *de Familia* & *de Obſeruantia* nuncupati ſunt; & alij eam non item zelantes, *Minores de Communitate*, vel *Conuentuales* iuxta ſecundam nominis *Conuentualis* ſignificationem anteà poſitam, quod fuit anno Domini 1428. ex præmiſſis, manſerunt in cuſtodia locorum ſanctorum Fratres Minores, non de Familia, ſed de Communitate, annis 10. ab anno videlicet 1428. vſque ad 1438.

Prima pars Propoſitionis, quòd facta aliqua in Ordine mutatione non manſerint Minores de Familia, patet: quia, vt in ſequenti dicetur Propoſitione, Fratres de Familia & de Obſeruantia fuerunt introducti ad ſanctorum locorum regimen anno Domini 1438. igitur anteà ibi non habitabant: & ex hoc apparet veritas ſecundæ partis Propoſitionis, Minores de Communitate rexiſſe loca ſancta annis 10. non enim iſto tempore ablatum fuit regimen locorum ſanctorum à Minoritis. Cùm ergo tunc illa non cuſtodierint Fratres de Familia, præfuerunt eis alij de Communitate.

Obſeruantes cuſtodierunt loca ſancta ab anno 1438. vſq; ad 1634.

QVARTA PROPOSITIO: Fratres Minores de Familia, ſiue de Obſeruantia, tenuerunt ſanctorum locorum Palæſtinæ regimen annis 196. ab anno videlicet ſalutis noſtræ 1438. vſque ad annum præſentem 1634.

B. Ioan. à Capiſtrano accepit loca pro Obſeruantibus.

Pro huius Propoſitionis explicatione ſciendum, quòd anno Domini 1438. ſub Pontificatu Martini V. B. P. Ioannes de Capiſtrano ex commiſſione P. F. Guilielmi de Caſali, Miniſtri Generalis Ordinis S. Franciſci, cum plenaria eius auctoritate pertexit ad viſitandum reformandumque loca Terræ ſanctæ, quæ & pro Obſeruantibus, prout ſibi fuerat impoſitum, recepit, vt videre eſt in Parte 3. Chronici eiuſdem Ordinis, lib. 1. cap. 58. quæ receptio Obſeruantibus in Terra ſancta habitantibus fuit approbata Diplomatibus Pontificijs tunc temporis ac deinceps datis, quæ in archiuo ſacri montis Sion aſſeruantur, & nos Libro 11. dum de illorum priuilegijs agemus, adducturi ſumus, quæ & abſque dubio in principio Obſeruantiæ receperunt, vt quilibet è Pontificijs Bullis clarè deducere poteſt.

Loca ſancta ſemper cuſtodita fuere à profeſſoribus Regulæ Minorum ſecundùm eius puritatem.

QVINTA PROPOSITIO, quæ tamquam corollarium ex præcedentibus ſequitur, eſt: In Terra ſancta habitauerunt ſemper Minoritæ, S. Franciſci veri ac legitimi filij, qui ab eo latam Regulam ſecundùm eius puritatem profeſſi, ac Miniſtro Generali Ordinis & Seraphici Patris ſucceſſori obedientes fuerunt: ex quo Seraphico Ordini eiuſdem Terræ cuſtodia demandata fuit, numquam eamdem cuſtodierunt Patres Conuentuales, Minorum Regulam non ſecundùm puritatem, ſed ſecundùm Pontificia priuilegia illam relaxantia ſectantes.

Probatur, quia tam Minores qui ante factam

factam aliquam in Ordine mutationem introducti fuerunt ad custodiam locorum sanctorum à principio, quàm alij qui successerunt facta mutatione in Fratres de Communitate, ac de Familia & Obseruantia, vsque ad Leonem X. ac porrò vsque ad annum 1634. in ea perseuerant, semper professi fuerunt Regulam S. Francisci obseruare secundùm mentem S. Patris, absq; priuilegijs relaxantibus, vt abundè anteà explicuimus.

Prouidētia Dei circa Terram sanctam.

Ex hoc iam licet contemplari admirabilem prouidentiam quam circa Terram sanctam suam, & electam hereditatē suam habet Deus optimus maximus, vt à melioribus sui pusilli gregis, & à se fundati instituti professoribus illam inhabitari & gubernari voluerit. Et meritò quidem id fuerat obseruandum. Primò, quia domum optimam & electam conuenit ab optimis & electis habitatoribus & custodibus incoli. Deinde, quia meliora Deo sunt danda, prout eius Maiestatem decet, ne illius incurratur maledictio, qui per Malachiam cap. 1, 14. sic ait: *Maledictus dolosus, qui habens in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino*, &c. Tertiò, vt in Terra sancta Christi & Apostolorum pedibus trita, & in Ierosolymitana Ecclesia melius conseruaretur norma & exemplar Christianæ & Apostolicæ perfectionis, quæ magis elucet in professoribus Minoritanæ Regulæ puritatem, quàm in alijs eam non perinde professoribus. Quartò, vt iustæ Summorum Pontificum dispositioni obtemperaretur, qui præceperunt, vt totius Ordinis perfectiores ad Terram sanctam mitterentur, vt suo loco videbimus, ne horum culpâ sacrum Seraphicum Ordinem, magno cum dedecore, tanto thesauro iustè priuari contingeret.

Obiectio.

Sed contra hanc Propositionem posset quis argumentari, probando, Patres Conuentuales cum suis priuilegijs in Terra sancta habitasse, idque ante Obseruantes. Ratio est, quia Clemens V. qui loca sancta Minoritis dedit, ea concessit non Obseruantibus, sed ijs qui ex priuilegio Innocentij IV. Conuentuales appellati fuerunt, quia Obseruantiæ nomen in Ordinem necdum introductum fuerat. Nec valet, si dicatur, Conuentuales sic fuisse appellatos à Conuentibus formatis quos inhabitabant, quia id nominis habebant absque priuilegio ratione ipsorummet Conuentuum, prout pari ratione quilibet Religiosi in formatis Conuentibus habitantes Conuentuales dici possunt. Vt igitur priuilegium Pontificis aliquid valeat, sicut semper aliquid valere debet, debuerunt illo mediante aliquid obtinuisse contra rigorem Regulæ, quo non obstante, loca sancta illis tradita fuerint.

Solutio.

Respondeo, Si hoc argumentum aliquid concluderet, concluderet vtique non pro Conuentualibus secundùm tertiam nominis *Conuentualis* significationem, sed iuxta secundam, & pro Fratribus de Communitate. Verùm neque his suffragatur magis quàm Reformatis, & qui dicuntur de Familia: quoniam in gratiam omnium Minorum Fratrum priuilegium illud Innocentius IV. concessit.

Ad id quòd obijcitur, priuilegium debere aliquid valere; sed nō valuisse, si ob formatas domos dumtaxat dicti fuissent Conuentuales, cùm id haberent non ex priuilegio, sed ex ipsa domorum conditione; respondeo negando consequentiam. Et ad probationem dico, multum tribuisse Innocentij priuilegium, concedendo vt Minorum Ecclesiæ formatæque domus *Conuentus* appellarentur; nihil tamen contulisse contra Regulam, quamuis alias gratias statum regularem multùm decentes, quarum participes non sunt nisi Conuentuales, id est, Conuentus formatos habentes, & Apostolica auctoritate *Conuentuales* declarati.

Et pro clariori huius solutionis intellectu notandum, ante dictum Innocentij priuilegium Mendicantium domos non habuisse nomen proprium, sicut domus Monachorum, quæ propriè vocantur Monasteria, vt dicit Siluester v. *Conuentus*: vnde nec Monasteriorum Conuentuumque priuilegijs gaudebant. Vt igitur eisdem gauderent, necessarium fuit, Pontificem declarare, dictas Mendicantium formatas domos verè Conuentus esse. Quemadmodum etiam vt Ecclesiæ immunitatibus ac priuilegijs Ecclesiarum gaudeant, non sufficit illas habere Ecclesiarum formam & structuram, sed necesse est vt sint vel consecratæ, vel verè Ecclesiæ declaratæ. Hac ipsa ratione Mendicantium & aliorum Regularium habitationes cœperunt vocari Conuentus, vt constat ex Clementin. vnic. de Rebus Ecclesiæ non alienandis. Etenim in ipso corpore Iuris, c. Nimis iniqua, de Excessibus Prælat. referuntur molestiæ & grauamina quæ ab Ecclesiarum Prælatis patiebantur, inter quæ hæc numerantur, quod Eucharistiam in Ecclesia sua seruare non permittebantur, nec Fratres defunctos ibidem sepelire, nec campanam habere, &c. quasi illorum Ecclesiæ & loca essent priuata, neque auctoritate Episcopi constructa. Ecclesiæ autem Collegiatæ siue Conuentuales oppositis, alijsque multis priuilegijs ex Iure gaudebant. Et cùm idem sit, esse *Ecclesiam Collegiatam*, ac *Conuentualem*, vt constat ex

c. Nobis

c. Nobis fuit. de Iure patron. (vbi Gloſſa, *Conuentualis*, inquit, *Eccleſia dicitur, ex quo duo vel tres in Collegio ſunt.* atque in Conſtitutionibus Guhelmi Farinerij in Comitijs generalibus Aſſiſij anno Dom. 1354. edidit, quas *antiquas Ordinis* vocant, ſit capite 8. mentio locorum ſeu domiciliorum Fratrum Conuentualium, & non Conuentualium. *In locis*, dicitur ibi, *Conuentualibus infra ſeptem dies, in non Conuentualibus infra tres ad plus ſuum officium exequantur Viſitatores.* vbi ex diſtinctione apertus eſt ſenſus nominis *Conuentualis*, illudque accipi pro Collegio ſimul habitantium ſub communi ſorte viuendi, & in Clauſtro) in hoc ſenſu ſemper vſurpatum eſt vocabulum hoc in Ordine Seraphico, vt tandem frequenti vſu, & admiſſo apud omnes ſenſu, idem ſignificarit nomen *Conuentualis*, quod *Clauſtralis:* quia viuebant ſimul in collegio, conuentu, aut clauſtro. Iam ad propoſitum. Volentes igitur Summi Pontifices, tamquam pij ac communes Patres, prædictis grauaminibus & incommodis, quibus Minores premebantur, vel premi poterant, occurrere, conceſſerunt vt Eccleſiæ Fratrum, vbi Conuentus ædificabantur, *Conuentuales* appellarentur, ac proinde gauderent ijſdem gratijs & priuilegijs, quibus alia Monaſteria & Conuentuales Eccleſiæ gaudent; nec intelligendi ſunt, priuilegia Regulę Obſeruantiam relaxantia conceſſiſſe. Ita etiam notauit P. Lucas VVaddingus in Annal. Minorum Tom. 1. ad annum 1231. num. 55. & Tom. 2. ad annum 1252. num. 23.

Greg. IX. & Innoc. IV. in Bulla data Lugduni Pont. anno 7. & alia Romæ anno 10.

Obiectio alia.

Contra hanc ſolutionem poſſet quis opponere P. Franciſcum Gonzagam, olim Seraphici Ordinis Miniſtrum Generalem, & poſteà Mantuanum Epiſcopum, Parte 1. Origin. Seraphicæ Religionis, fol. 44. aſſerentem, Patres Conuentuales, & eos qui profitentur Regulam cum priuilegijs, eſſe Obſeruantibus multò antiquiores, hosque ab illis originem ducere; indeque colligere, Patres Conuentuales prædictos habitaſſe in Terra ſancta etiam ante ipſos Obſeruantes.

Solutio.

Reſpondetur dupliciter. Primò, Patres Conuentuales poſt Leonem X. ſi formaliter conſiderentur, verè non eſſe priores Obſeruantibus, nec Obſeruantes ab illis ducere originem, ſed Conuentuales eſſe poſteriores, ex dictis. Imò nec, ſi diſtingueretur Ordo Minorum in ſe inter Conuentuales & Obſeruantes, illi eſſent priores, nec ab illis penderent iſti, quia membra quæ totum diuidunt, quantum ad originem æqualia ſunt, nec vnum ab altero pender, ſed ambo à tertio ſiue diuiſo: & ita hic Conuentuales & Obſeruantes à Minorita no Ordine in ſe conſiderato penderent. Verùm Gonzaga poſteriores Conuentuales dixit eſſe priores Obſeruantibus, & Obſeruantes ab illis pendere, quoniam prioribus Conuentualibus ferè ſucceſſerunt, quantum ad maiorem partem Conuentuum. Et quamuis Conuentuales illi iuxta ſecundam acceptionem ſumpti, Obſeruantibus vel ijs qui de Familia dicuntur, verè non priores ratione dicta, tamen primi crediti ſunt, tum quia erant in maiori numero, tum quia antequam ſolemniter imponeretur nomen Obſeruantibus, quod fuit poſt illorum multiplicationem, iam alij de Communitate, vel etiam Conuentuales communi nomine dicebantur. Itaque re & nomine priores illi Conuentuales, deperditis ſecundis qui in loca priorum ſucceſſerunt; & quæ de illis prioribus quoquo modo enuntiabantur, bonus ille Pater poſterioribus Conuentualibus applicuit. Nec hoc alienum eſt à modo loquendi Hiſtoricorum.

Secundò reſpondetur, P. Gonzagam, ſicut Hiſtoricos plures Ordinis, nomen poſteriùs impoſitum vſurpaſſe pro priore, non habita ratione temporis quo impoſitum eſt, quomodo in Scriptura nomina, centum aut mille annis poſteà impoſita, in hiſtoriæ narratione centum aut mille annis antè vſurpantur, ob vocabuli claritatem & meliorem rei expreſſionem. Sic P. Gonzaga, quia ſuo tempore nomen Conuentualis in vſu erat, illud etiam vſurpauit, vt Fratres deſignaret quibus poſteà Conuentualis nomen clariùs inditum eſt. Senſus igitur eſt, quòd Conuentuales ſint antiquiores Obſeruantibus, non huius nominis diſtinctione, ſed quia Fratres de Communitate in eos deuoluti ſunt, à quibus Patres de Obſeruantia, antequam Conuentuales nuncuparentur, exierunt. Hanc ſecundam reſponſionem dat doctiſſimus P. Petrus Marchant, mihi amiciſſimus, in cap. 8. ſuæ Expoſitionis litteralis Regulæ Minorum, vbi multa accuratè ſcripſit in hoc argumentum, quibus & nos vſi ſumus, cùm amicorum omnia ſint communia.

Collectio dictorum.

Breuiter nunc omnia perſtringentes, ad propoſitam initio Capitis difficultatem reſpondeamus. Primò, ſacer Ordo Minorum ante ſui mutationem habitauit in Syria & Terra ſancta, vbi & Prouinciam habuit ante annum Domini 1313. & ab iſto anno Pontificia auctoritate ſuſcepit regimen locorum ſanctorum, in quo inuariatus permanſit annis centum quindecim, videlicet vſque ad 1428. Hoc anno facta in Ordine aliqua, ſed non eſſentiali mutatione, rexerunt Fratres de Communitate loca ſancta

annis

annis decem, à 1428. vſque ad 1438. quibus denique ſucceſſerunt Fratres de Familia & Obſeruantia, qui eiſdem locis præfuerunt annis iam centum nonaginta ſex, videlicet à 1438. vſque ad 1634. adeoque, totum tempus recolligendo, Seraphicus Ordo trecentorum viginti & vnius annorum curriculo varijs laboribus & periculis laudabiliter loca ſancta gubernauit, tot enim decurrerunt ab anno ſalutis noſtræ 1313. quando ſuſcepit regimen, vſque ad præſentem 1634. in quo & ea retinet, & vtinam ſemper cum laude, ne ſua culpa, cum ſuo damno & dedecore eis priuetur.

CAPVT LXVIII.

De ſpeciali facultate conceſſa Fratribus S. Franciſci, recipiendi peculiaria quædam loca Terræ ſanctæ; & generali, recipiendi quæcumque, non tantùm ibi, ſed etiam in alijs terris infidelium.

MVlta loca hodie in Terra ſancta inhabitant Fratres S. Franciſci, atque olim etiam inhabitarunt cum alijs, quæ ob temporum varias viciſſitudines amiſerunt. Et ex his alia tenent ſpeciali, alia generali facultate; & alia denique obtinere potuerunt & poſſunt, etſi illorum gubernationem reipſa non ſuſceperint, vel quia ab infidelibus impediti fuerunt, vel quia alias ob cauſas id minùs expedire compertum fuit.

Loca Terræ ſanctæ Minoritis data.

Loca ad quorum poſſeſſionem & inhabitationem Fratres noſtri Ordinis ſpecialem à Summis Pontificibus habuerunt facultatem, hæc ſunt: Sepulchrum Domini noſtri IESV Chriſti, Mons Sion & in eo Hoſpitale, Præſepe Domini, Sepulchrum beatiſſimæ Virginis MARIÆ in Valle Ioſaphat, & in eadem Valle locus vbi Chriſtus in horto Gethſemani orauit; ad Bethlehem locum S. Nicolai, & in Ieruſalem Monaſterium S. Saluatoris; aliud item Monaſterium apud Beryton (vulgò *Barutum*) cum facultate inſuper alterum ædificandi in monte Sinai. Pro alijs verò locis quæ habent vel habere poſſent, generalem licentiam habent, & iſta loca partim ſunt in Terra ſancta, partim extra eam, omnia tamen ſub regimine Præſulis ſacri Montis Sion, vt Nazareth, Sidon, Tripolis, Aleppo, Alexandreta in Syria, Alexandria in Ægypto, Cairus ſiue noua Babylon, & Ernica in Cypro, aliàs *le Saline*.

Sepulchrū Domini.

Sepulchrum ſacratiſſimum Domini noſtri IESV Chriſti, hoc eſt templum Reſurrectionis, in quo præter Dominicum Sepulchrum, mons ſanctiſſimus Caluariæ, & alia ſancta loca includuntur, cum domibus ad habitandum, & ſacerrimum Montem Sion, ſpeciali non ſolùm Summi Pontificis Clementis V. ſed etiam Sultani Babyloniæ conceſſione, eiſdem Fratribus competere, patet ex Bulla eiuſdem Pontificis ſuperiore Capite adducta: de Bethlehem verò, hoc eſt de Præſepe Domini, eius templo & Monaſterio, conſtat ex Bulla quadam Martini V. de qua inferiùs.

Sepulchri Deipara.

Sepulchrum ſimiliter beatiſſimæ Virginis MARIÆ cum templo eius in Valle Ioſaphat, ad Fratres noſtros pertinere, ſtatim oſtendemus. Vnde quemadmodum Dominus noſter IESVS Chriſtus voluit ſacrum Minorum Ordinem condecorare, tradendo illi tria illuſtriſſima loca, ſanctiſſimi nimirum ſui Sepulchri, Montis Sion, & Bethlehem; ita illius ſacratiſſima Mater, æmula Filij ſui, ſimilem gratiam eidem Ordini præſtare voluit, tradens ei ſuum ſacratiſſimum Sepulchrum. Locum item, in quo orans ſanguinem ſudauit, tradidit Fratribus Innocentius VI. cum facultate ibi templum & monaſterium, ſiue locum ad habitandum circa Sepulchrum beatiſſimæ Virginis MARIÆ, conſtruendi: pro qua facultate obtinenda Summo Pontifici ſupplicauit Rex quidam Aragonum, cui nomen Petrus. Verba Innocentij hæc ſunt: *Nos itaque huiuſmodi pium veſtrum propoſitum in Domino commendantes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis fundandi, conſtruendi, & de nouo recipiendi, ac perpetuò retinendi in Valle ſupradicta, pro vſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis, & cuſtodia ipſius Sepulchri, venerabilis Fratris noſtri Patriarchæ Ieroſolymitani, & cuiuſcumque alterius licentia minimè requiſita, huiusmodi locum cum capella, ſiue Oratorio, campana & campanili, cœmeterio, & domibus, & alijs neceſſarijs officinis, plenam & liberam licentiam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium elargimur. Non obſtante conſtitutione felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri,* &c. prout in Bullis pro accipiendis locis ſolent poni. Ita Innocentius VI. Bulla ipſa notatur littera B. à Collectore Priuilegiorum Terræ ſanctæ.

Chriſtus & Maria Ordini Minorum fautores.

Benè aduertit idem Collector in ſuo manuſcripto libello, Fratres ibi non habitare, nec Conuentum ibi exædificaſſe; nihilominùs ſacratiſſimi loci poſſeſſionem receperunt, regimen eius tenuerunt, & tenent etiam hodie. Anno enim Domini 1392. quidam F. Giraldus Calueti, ſacri Montis Sion Guardianus, coram Notario publico & teſtibus quampluribus exhibuit Diplomata Apoſtolica, tum dicti Innocentij, tum etiam ſucceſſoris Vrbani V. quibus con-

eodem tit. & in Concilio Tridentino seſſ. 25. de Regul. cap. 3. & denique in eorumdem Conſtitutionibus & Statutis.

Reſpondebit fortaſſe aliquis, Papam cum Fratribus diſpenſaſſe. Sed non videtur ſatisfacere ſolutio: etenim ſicut Papa non poteſt diſpenſare cum Monacho vt habeat aliquid proprium, quia hoc eſt contra ſubſtantiam Monachatus. cap. Cùm ad Monaſterium. de Statu Monachorum: ita cùm ſit contra ſubſtantiam Regulæ Fratrum Minorum, habere aliquid proprium in commune, vt in prædictis Iuribus patet, Papa ſuper hoc diſpenſare non potuit, nec vmquam inuenitur diſpenſaſſe.

Tertia. TERTIAM demique RATIONEM addunt alij in gratiam Patrum Conuentualium: Iniuſtè loca ſancta ablata fuerunt à Patribus Conuentualibus, & tradita Obſeruantibus, ac conſequenter iniuſtè ab his poſſidentur & gubernantur. Loca enim illa ſancta à Siciliæ Regibus coëmpta & acquiſita, atque à Clemente V. & alijs Pontificibus conceſſa & commiſſa fuerunt Fratribus Conuentualibus, qui & ea per 125. annos tenuerunt & gubernarunt; igitur iuſtè ab ipſis auferri & Obſeruantibus tradi non potuerunt. Alia quæ hîc addi poſſent, cum ſolutionibus habes infrà Libro II. Capitibus XXIII. & XXIV.

Ceterùm oppoſitum firmiter tenendum eſt, nimirum loca ſancta, iuſtè occupata fuiſſe à Minoribus, ſiue de Communitate & Conuentualibus, ſiue de Familia & Obſeruantibus, modo ſuperiùs explicato Capite LXVII. idque quadruplici reſpectu: primò, ratione collationis Pontificiæ; ſecundò, ratione præſcriptionis; tertiò, ratione ſententiæ Delegati Papæ; quartò denique, ratione confirmationis plurium Pontificum.

Quadruplici ratione Minoritæ tenent loca ſancta.

Primò, ratione collationis Apoſtolicæ. Ratione quidem collationis Pontificiæ, quia ſuprà vidimus, dicta loca tradita fuiſſe Fratribus S. Franciſci à Summis Pontificibus, de quorum auctoritate non eſt dubitandum. Nam poſito quòd alij etiam ius aliquod in ipſis locis ſanctis habuerint, potuit tamen Papa propter dignos reſpectus, & præcipuè propter fauorem fidei, eos priuare iure ſuo, vt cùm c. Per principalem. 9. quæſt. 3. & cap. In memoriam. diſt. 19. tum quotidie experientiâ & vſu comprobatur. Dignos autem reſpectus fuiſſe præcipuè in fauorem fidei, qui mouerent Pontifices ad largiendum loca ſancta Fratribus S. Franciſci, non eſt dubio vertendum; nam & ipſi Pontifices in Bullis in fauorem locorum ſanctorum & Fratrum factis, tum rerum euentu ſat comprobant.

Papæ verò facta non debent vocari in dubium, vt docet textus in cap. In memoriam. diſt. 19. Antonius de Butrio in c. 2. num. 60. de Tranſlat. cum alijs. Et cùm aliquid magnum & inſolitum, & quod ordinarias Iuris excedat regulas, fieri videmus à Pontifice, præſertim ſi in Eccleſiæ augmentum, & fidei propagationem aut conſeruationem dirigatur, id magis admirari quàm reprehendere aut notare debemus: quia poteſtas Sedis Apoſtolicæ, cùm in ſe maxima & ampliſſima ſit, tum tamen magis & vſque in infinitum, vt aiunt, ampliari poteſt, quoties Summus Chriſti Vicarius vniuerſalis Eccleſiæ commodiori & perfectiori ſtatui id viderit conuenire, vt tradit S. Thomas lib. 3. de Regim. Princip. c. 19.

Pontificis acta non ſunt in dubium reuocanda.

Qua de cauſa magnæ audaciæ ac temeritatis, imò & impietatis eſſe videtur, aſſerere, Pontificem non potuiſſe prædictam collationem locorum ſanctorum Fratribus Minoribus facere, vel eam fruſtrà feciſſe. Nam quemadmodum Deus & natura ex poſſibilibus faciunt quod melius eſt, vt inquit Philoſophus, nec vmquam aliquid fruſtrà efficiunt; ita quod Deo vel eius Vicario auctore fit, licitum & conuenientiſſimum eſt dicendum, vt ait Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, D. Auguſtinus l. 3. de Libero arbitrio, cap. 5. & lib. 1. contr. Aduerſarium leg. & Proph. cap. 14. quos refert & ſequitur Rutil. Benzon. de Anno Iubilei lib. 2. cap. 1. & 21.

Secundò, ratione præſcriptionis. Deinde ratione præſcriptionis loca ſancta dictis Fratribus conueniunt: poſſeſſio enim quadraginta annorum bona fide habita, ſecundùm Ius commune tribuit plenum ius poſſidenti, & excludit illum, qui fuit dominus, ab omni iure quod habebat. cap. De quarta. & cap. Ad aures. De præſcript. Etſi etiam ad præſcriptionem requirerentur ſexaginta anni, quem numerum requiri declarauit Eugenius IV. pro Ordine S. Benedicti, vt Rodericus Tom. 1. quæſt. 8. art. 1. & 3. tradit. Fratres S. Franciſci non ſolùm per quadraginta vel ſexaginta annos vſque hodie hæc loca poſſederunt pacificè, ſed per multò plures, tam Minores indiuiſi, quàm diuiſi inter Fratres de Communitate, vel de Familia, & Conuentuales & Obſeruantes, vt ſuprà vidimus Cap. LXVII. Igitur iuſtè ratione præſcriptionis poſſident loca ſancta Fratres S. Franciſci. Vnde non ſolùm propter hoc præſcripſernnt contra alios Prælatos Eccleſiaſticos & Religioſos, ſed etiam contra Romanam Eccleſiam, contra quam currit præſcriptio centum annorum. cap. Ad audiendam. De præſcriptione. Conſule Summiſtas tit. Præſcriptio, & Doctores alios.

Sed obijciet fortaſſe aliquis, ad legitimam *Obiectio.*

præſcriptionem non tantùm requiri rei continuatam poſſeſſionem tempore à Iure definito, ſed etiam alias conditiones, inter quas vna eſt, capacitas actiua in poſſidente; ſed hanc non poſſe eſſe in Fratribus Minoribus, igitur loca ſancta non poſſe illis conuenire titulo præſcriptionis. Conſequentia eſt manifeſta, & Minor probatur: quia vt quilibet particularis cuiuſuis Ordinis Religioſus profeſſus non poteſt præſcribere, vt Doctores docent, quia in eo deficit capacitas actiua (ratione enim voti paupertatis de non poſſidendo aliquid in particulari, incapax eſt dominij, nec poteſt quidquam ſuo nomine poſſidere;) ita Fratres prædicti, cùm in ſuo altiſſimæ paupertatis voto abdicent à ſe cuiuſcumque rei dominium in particulari & in communi, ſequitur, illos defectu actiuæ capacitatis nullo modò poſſe præſcribere, ac conſequenter non poſſe illis loca ſancta competere titulo præſcriptionis.

Solutio. Reſpondetur, Fratres Minores minimè præſcribere & poſſidere loca nomine proprio, ſed benè nomine Pontificis, qui in ſe recipit dominium Eccleſiarũ & domorum in quibus habitant Fratres in toto mundo, vt pluribus explicuit Summus Pontifex Clemens V. in Decretali Exijt. §. Ad hæc. ſicut & alij particulares aliorum Ordinum Monachi præſcribere poſſunt non ſuo, ſed Monaſterij & Ordinis nomine. Lege, præter Expoſitores Regulæ Minorum, Mirandam Tom. 1. Manual. Prælat. quæſt. 28. art. 5. concluſ. 2.

Si dicatur, Iam erat dominus Papa, igitur continuata habitatione Fratrum iuxta tempus à lege taxatum, non præſcripſit; Reſpondeo, ſuppoſito quòd non habuerit Papa loca ſancta pro derelictis, vt certiſſimè ſupponendum eſt, & quòd verè illorum dominus eſſe voluerit, habitatione Fratrum poſſeſſor ſimul effectus fuit. Ad hæc, prædicta habitatione acquiſiuit illa non ſimpliciter, ſed pro Fratrum hoſpitio.

Dicerem denique, quòd licet Minores præſcribere non poſſint quantum ad habendum dominium, quoniam illorum ſtatui repugnat, præſcripſerunt tamen quantum ad vſum facti; vt, inquam, licitè in ipſis ad habitandum relinquerentur, quibuſcumque etiam reclamantibus: & quòd habeant locorum ſanctorum non dominium illis illicitum, ſed vſum facti dumtaxat licitum, ſicut & aliarum rerum pauperum ſtatui conformium. Et ita eſſe, ex eo apparet, quòd in illis quidem habitent, non tamen poſſint illa à ſe alienare, vt Sepulchrum Dominicum, aliáve ſacra ad alias partes propria auctoritate transferre, vel ea deſerere, & alijs tradere.

Tertiò ratione ſententiæ Delegati Pontificis. Tertiò, debentur loca ſancta Fratribus S. Franciſci ratione ſententiæ Delegati Pontificis, quæ maximæ eſt auctoritatis: Delegatus enim Papæ gerit vicem delegantis, ideoque honorandus eſt ſicut Papa. c. Sanè. De officio Delegati, & diſtinct. 93. cap. vltimo, & 94. cap. 1. eſt enim in cauſa ſibi commiſſa maior Epiſcopo, & poteſt Epiſcopum cogere vt exequatur ſententiam ipſius Delegati, ex dicto cap. Sanè. Imò quantum ad cauſam ſibi commiſſam maior eſt quàm Legatus Papæ; itaque nullus Legatus, quantum ad illam cauſam, poteſt eum impedire, diſt. 93. dict. cap. vlt. & De offic. Deleg. cap. Paſtoralis. §. Præterea. Ac ex ſententia Delegati tradita fuerunt ea loca Fratribus S. Franciſci, confirmata deinde per Summum Pontificem; igitur iure ab illis poſſidentur. Ad Aſſumptionis huius argumenti probationem notandum eſt, ab aliquibus æmulis aliquando motam fuiſſe controuerſiam contra Fratres ſuper prædictis locis; & cauſa commiſſa fuit cuidam Reuerendiſſimo Dom. Ioanni Patriarchæ Gradenſi à Domino Martino Papa V. qui in hunc modum tulit ſententiam: *Nos Io. Patriarcha Gradenſis, nec non Commiſſarius & Delegatus, ac executor Apoſtolicus, ſedentes pro tribunali in maiori Eccleſia Cathedrali glorioſæ ciuitatis Mantuæ, quam ſpecialiter deputauimus, in hunc modum videlicet: Quia comperimus, ac nobis pleniſſimè conſtat per dicta, & atteſtationes teſtium legitimorum, ac pleniſſimam informationem fide dignorum, quòd Conuentus & habitationes Montis Sion, & Bethlehem, ac Sepulchri Domini, nec non Eccleſia beatiſſimæ Mariæ Virginis in Valle Ioſaphat, à Fratribus Minoribus Ordinis ſancti Franciſci, nedum per quinquaginta, ſed per ſexaginta annorum, & vltra, & ab inde citra, & de præſenti dicta loca & territoria tenta & poſſeſſa fuerunt, & ſunt continuè; idcircò ſententiando, & pronuntiando, dicimus & ſententiamus, prænominata loca ſæpè dictis Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci, & ad ipſos Fratres, & eorum Ordinem pleno Iure ſpectare, & pertinere.* Et plura alia præcedunt & ſequuntur iſta verba ad id ſpectantia, vt patet in Proceſſu qui aſſeruatur in archiuo priuilegiorum Montis Sion, & notatur littera H. Quam deinde ſententiam confirmauit Summus Pontifex Martinus V. hiſce verbis: *Auctoritate Apoſtolica confirmamus tenore præſentium donationem, conceſſionem, & aſſignationem locorum Montis Sion & Bethlehem, & Sepulchri Dominici in Ieruſalem, nec non beatiſſimæ Mariæ Virginis in Valle Ioſaphat, factam ipſis Fratribus per Venerabilem Fratrem noſtrum Ioannem Gradenſem*

denſem Patriarcham Ieroſolymitanum, ſicut per inſtrumentum publicum, eius ſigillo munitum pleniùs conſtat. Supplentes etiam defectus ſi qui forſan interuenerint. Hæc Bulla eſt ſignata littera G. & eſt nona in ordine.

Quartò, ratione confirmationis Papæ.

Quartò, loca ſancta Fratribus S. Franciſci debentur ratione confirmationis Papæ, quæ, vt habetur in Iure, tantæ eſt efficaciæ, vt id quod alioquin eſt irritum, validum faciat (De exceſſ. Prælat. cap. Tanta. & De conceſſ. præbend. cap. Conſtitutum.) & quod aliàs infirmum & non ſolemne, faciat firmum & ſolemne; quia ſupplet defectum ſolemnitatis omiſſæ. Addit etiam robur & vires pleniſſimas rei confirmatæ, etiamſi fortè aliquid vel iniuriâ vel imperitiâ ſequiùs inſertum ſit. De tranſact. 1. cap. 1. & c. Quia. De conceſſ. præbend. & in eiſdem locis Gloſſa. Sed plures Pontifices traditionem locorum ſanctorum Fratribus S. Franciſci, ſicut & alia priuilegia eiſdem locisque ſanctis conceſſa, pluries confirmarunt, vti infrà dicemus, & manifeſtè appareat ex Bullis Pontificijs in archiuo ſacri Conuentus Montis Sion aſſeruatis: nimirum Martinus V. Ioannes XXIII. Eugenius IV. Nicolaus V. Calliſtus III. in tribus priuilegijs, Pius II. Sixtus IV. Pius IV. Sixtus V. & denique Gregorius XIII. qui confirmauit omnia priuilegia Fratrum Minorum Regularis Obſeruantiæ illis ab alijs Summis Pontificibus conceſſa, vt videbimus inferiùs Libro 11. de priuilegijs Terræ ſanctæ, cap. xxx.

Cùm ergo ex dictis conſtet manifeſtiſſimè, traditionem & acquiſitionem locorum ſanctorum per Fratres Minores iuſtam ac legitimam fuiſſe; conſequenter etiam euincitur, longè iuſtiorem & tutiorem, eorumdem retentionem ac poſſeſſionem iudicari debere: quia faciliùs aliquid retinetur, quàm de nouo acquiratur, multaque ab initio fieri prohibentur, quæ tamen iam facta, valent ac tolerari ſolent. L. Patre furioſo. 8. ff. De ijs qui ſunt ſui. L. 1. §. Quamuis autem. ff. Poſtulati. L. Fauor. ff. De ſponſal. L. vltim. De ritu nuptiar. L. 1. C. De vſu & habit. cap. Ad Apoſtolicam. De Regularibus. cap. 2. De verborum ſignificat. cap. Tranſlert. & cap. Quemadmodum. De iureiurando. cap. Si vir. diſt. 23. cap. Nec illud, 30. quæſt. 5. cap. vnico, in fine, De voto. lib. 6. vbi in hanc ſententiam citatur illud Ouidij lib. 5. de Triſtibus, Elegia 7.

Turpiùs ejicitur quàm nõ admittitur hoſpes.

Et plerique Doctores ita docent, & confirmant aliqui exemplo paruulorum infidelium, qui licet inuitis parentibus baptizandi non ſint, ſi tamen baptizati de facto fuerint, Baptiſmus validus exiſtit, nec ipſi porrò parentibus reddendi ſunt. Ex quo principio prouenit quòd faciliùs toleretur ius quæſitum, quàm acquirendum, L. 2. §. Ex his. L. Pluribus. §. vlt. ff. De verborum obligat. L. Vt pomum. §. 1. ff. De ſeruit. Eſt enim retentionis & conſeruationis cauſa fauorabilior, quàm acquiſitionis. L. Purè. ff. De doli except. L. Militis codicillis. §. Veteranus. ff. De militari teſtam. Et ideò faciliùs conceditur retentio, quàm noua acquiſitio, ſecundùm alia Iura, & Doctores.

Reſponſio ad rationes in contrarium.

His itaque ſic ſtantibus, ſupereſt vt rationibus initio Capitis in contrarium adductis reſpondeamus. Ad Primam igitur tripliciter reſpondemus. Primò, quòd cùm alij Prælati Eccleſiaſtici infra Papam ſint procuratores tantùm & non domini beneficiorum ſuorum (cap. Fraternitatem. De donat.) Papa ſolus ſit dominus beneficiorum & Eccleſiarum, ideoque poſſit de eis diſpenſare prout placuerit. cap. Propoſuit. De conceſs. præbend. & ibi Gloſſa. Cùm igitur Papa ex certa ſcientia ſancta loca Fratribus S. Franciſci dederit, tollitur omne vitium, argumento cap. Si motu proprio. De præbend. in 6. Secundò reſpondetur, prædictos Prælatos & Religioſos habuiſſe illa loca pro derelictis, ideò ſi ius aliquod habuerunt in eis, perdidiſſe, vt habetur Inſt. De rerum diuiſ. §. fin. Si enim ea non habuiſſent pro derelictis, poſtquam intellexerunt, quòd Fratres S. Franciſci ſic ea occupaſſent & poſſiderent; vtique contradixiſſent coram Papa, quod tamen non fecerunt. Quare cùm Fratres ea poſſederint pacificè, non tantùm per quinquaginta vel ſexaginta annos, ſed ampliùs, & hactenus poſſideant, prout declarauit Io. Patriarcha Gradenſis, à Sede Apoſtolica Delegatus ſuper hac cauſa ſpecialiter deputatus, vt iam vidimus; Fratres ipſi legitimè præſcripſerunt, vt habetur in c. De quart. & per totum Titulum De præſcriptionibus. Reſpondetur Tertiò, quòd Papa maximè hoc facere potuerit in fauorem fidei, quæ priuilegianda eſt, cap. Benè quidem. diſt. 96. & c. Maiores. De Baptiſmo. Iudicauerunt enim hoc Summi Pontifices cedere in vtilitatem fidei, ſi ipſa loca ſancta perpetuò à Fratribus Minoribus cuſtodirẽtur & inhabitarentur; ideoq; licitè & ſanctè ea illis conceſſerunt; quoniam ob fauorem fidei multa licent, quę aliàs non licerent. c. Gaudeamus. De diuortijs. c. Deus. De vita & honeſt. Clericorum.

Ad ſecundam.

Ad ſecundam rationem, conceſſa Maiori, negatur Minor. Etenim prædicta Regina non dicit, ſe obligaſſe, ſed intendere alere duodecim Fratres in locis ſanctis ſumptibus proprijs. At illa intentio non inducit aliquam obligationem in Regina, & in

Fratribus proprietatem, & ius petendi ſuſtentationem, ſed ſemper proprietas penes Reginam manſit, & pro ſuo lubitu eleemoſynas illa adminiſtrabat Fratribus Terræ ſanctæ, ſicut alijs adminiſtrari ſolent. Et hoc non repugnat ſtatui Minorum: poſſunt enim iſti recipere domos à dominis temporalibus, omnia ad victum & veſtitum neceſſaria præbentibus, ita vt Fratres ea oſtiatim petere non neceſſe habeant, quia talis certitudo non eſt ciuilis interdicta, ſed moralis licita. Ita Rodericus Tom. 3. Quæſtionum Reg. quæſt. 3. art. 3. quare argumentum non concludit contra veros profeſſores Regulæ Minoritanæ.

Si obijciatur, quòd in Clementina Exiui. De verborum ſignification. prohibeatur Fratribus habere annuos redditus per longum tempus; Reſpondeo, prohiberi quidem Fratribus huiuſcemodi redditus, quia nec ipſi, nec Syndicus Apoſtolicus poteſt ex iuſtitia exigere, non eſſe tamen contra Minoritanam paupertatem, eos per modum eleemoſynæ recipere; reſpectu enim ipſorum eſt mera eleemoſyna, & ciuiliter incerta; & qui eis relinquunt huiuſcemodi redditus, relinquunt illis meliori modo quo poſſunt, & non prout repugnat Fratrum inſtituto. Et hoc non ſemel Romæ in ſacra Congregatione & Ordine declaratum fuit.

Præterea dici poteſt, etſi habere illos annuos redditus, illicitum ſit Fratribus, non tamen Eccleſijs eorum, vt tenent Bartolus apud Cordubam in c. 6. Reg. q. 11. Polit. ibidem num. 54. & 55. & alij. Sed ſi Bartoli opinio, licet probabilis, relinquatur, tamquam Minoritanæ paupertati minùs conformis; illud tutius, Regulæque & Pontificum declarationibus conformius, quod ait Fredericus apud eumdem Cordubam, & ſequitur Rodericus Tom. 2. quæſt. 126. art. 5. quòd legatum Fratribus relictum, vel ſit pro victu & veſtitu eorumdem, vel indiſtinctè pro eiſdem eorúmve neceſſitatibus relictum; & ſic non licet, niſi in parua quantitate, & ad modicum tempus, & non aliter: vel aſſignatum ſit ſolùm ad cultum diuinũ, puta ad comparandum vinum pro Sacriſtia, frumentum pro hoſtijs, oleum pro lampadibus; & tunc Fratres licitè poſſunt recipere, etiam in perpetuum, quia per tale legatum non tollitur Minorum Fratrum mendicitas, neque eſt aliquis exceſſus, aut fraus, vt patet. Concordat Petrus Ancharanus ſuper Clementinam Exiui. & Summa Angeſt. tit. Legatum 1. §. 5. & Serena conſcientia quæſt. 20.

Adde cum Corduba, non repugnare Minoribus huiuſcemodi legatum, dummodò per viam obligationis ciuilis Fratres non petant vel recipiant, neque vllum ius aut actionem ciuilem in tali legato prætendant; quia hi annui redditus ſunt Fratribus interdicti, ſecundùm omnes Regulæ expoſitores. Si ergo pro dictis, & ſimilibus, licet Fratribus annuos redditus recipere; quantò magis licebit pro cuſtodia & conſeruatione locorum ſanctorum, fidei & diuini cultus augmento & propagatione, pro hoſpitalitate, pauperum ſubſidio, &c. illos redditus, & alias eleemoſynas liberaliter oblatas, ex charitate recipere? Eſt ita profectò, præſertim cùm in illis Fratres nullum dominium, ſed tantùm vſum facti habeant; nec illorũ ſint domini, ſed ſimplices adminiſtratores, præſertim in terris iſtis infidelium, vbi, ob frequentes infidelium moleſtias, eleemoſynæ quæ ibi à fidelibus offeruntur, non ſufficiunt.

Sed his omiſſis, ego profectò neſcio, vbinam hodie ſint vel deliteſcant iſti vel ſimiles annui redditus: quæ enim mittuntur pecuniæ Ieroſolymam, eleemoſynarum in modum à Chriſtianis colliguntur, nullius ſubſidij exiſtente certitudine. Et niſi conſeruanda eſſent loca ſancta, pro victu & veſtitu Fratrum ſufficientes eſſent eleemoſynæ quæ à pijs mercatoribus, peregrinis, & alijs quibus in ſpiritualibus Fratres inſeruiunt, offeruntur, vt me docuit experientia. Et, vt alibi fusè dicetur, non minùs Regula ſancti P. Franciſci obſeruatur vel obſeruari poteſt in partibus illis, quàm in alijs Chriſtianorum tractibus.

Ad tertiã. Ad tertiam rationem contra Obſeruantes pro Patribus Conuentualibus dico, nihil eam concludere, Primò, quia ſupponit, quod falſum eſt, loca ſancta pro Conuentualibus, qui necdum nati erant, comparata fuiſſe: fuerunt enim toti Ordini Seraphico acquiſita, vt viſum eſt ſuprà cap. LXVII. Præterea, etſi pro illis, vel meliùs pro Fratribus de Communitate, coëmpta fuiſſent loca ſancta, non fuerunt tamen excluſi alij de Familia, nec etiam potuerunt excludi, quia erant eſſentialiter ijdem cum illis, vt ex antè notatis conſtat: quare nulla illorum iniuria, præſertim iuſta ratione exiſtente, iſtis tradi potuerunt. Et cùm tandem illa acceptaret B. Ioannes de Capiſtrano pro Obſeruantibus, id faciebat mandato communis Miniſtri Generalis, & conſequenter de illorum voluntate & conſenſu, quam in capite reſidere ſupponimus. Volenti verò & conſentienti non fit iniuria. De Regulis Iuris, in 6. Nec etiam fraudata eſt mens concedentium, ſed magis impleta, quippe quæ fuerit, vt meliores de toto Ordine ſanctorum locorum cuſtodiæ deputarentur: ſed meliores cenſentur Obſeruantes, quàm

quàm non Obſeruantes Regulam ſecundum ſuam puritatem.

Ratio translationis locorum.

Adhuc pro maiori argumenti huius intelligentia ſciendum eſt, quòd, ſecundùm Iura Canonica, Monaſteria & loca religioſa deſerta vel deſolata reformari debeant per perſonas religioſas illius Religionis, ſi reperiri poſſunt; ſin autem, per perſonas religioſas alterius Religionis. c. Inter quatuor. De Religio. dom. Et ſuper hoc eſt textus notabilis in c. Relatum. Ne Clerici vel Monachi. qui ita dicit: *Relatum eſt nobis, quòd Monachi de N. ſæculariter viuunt, & alios exemplo ſuo corrumpunt. Ideoq; mandamus, quatenus eos ad obſeruantiam Regulæ, appellatione remota, compellas: vel ſi tibi reſtiterint auſu temerario, eis eiectis, Fratres alterius Ordinis (ſi non poteſt præſcriptum Monaſterium in ſuo Ordine reformari) in illud inducas; vt labores impiorum iuſti edant, & illi tandem rubore perfuſi, ad ſui Ordinis obſeruantiam reuertantur.* Hæc ille textus. Huius rei omnium quidem temporum habentur exempla: at nobis ſufficiat id tantùm dixiſſe quod in partibus iſtis euenit. Cùm loca ſancta priùs ad alios Eccleſiaſticos & Religioſos pertinuerint, illiq́ue ea habuerint pro derelictis, vt iam diximus, iuſte à Clemente V. & alijs Pontificibus tradita fuêre Fratribus Minoribus, Regulam S. Franciſci ſecundùm ſuam puritatem & inſtitutoris mentem profitentibus, ſiue de Communitate, ſiue de Familia, prout in illa obſeruanda magis minúſve zelantes & obſeruantes ſe exhibuerunt: qui & in eiſdem ſemper perſeuerabunt, ſi ſemper in ſui inſtituti obſeruantia permanebunt; quòd ſi ab eo declinauerint (quod pro ſua miſericordia Chriſtus Ieſus auertat) ab ipſis ea auferentur, & dabuntur genti facienti fructus temporibus ſuis.

Confido tamen in Dei bonitate, quòd, niſi Iura peruertantur & deſtruantur (quod excogitare nefas eſt. *Nec enim ab Apoſtolica Sede illa dirimuntur, quæ contraria eſſe Patrum ſiue Canonum inſtitutis perhibentur,* vt dixit Zacharias Papa Epiſt. ad Bonifacium Epiſcopum) ſemper loca ſancta ab Euangelico & Seraphico Ordine cuſtodienda ſint: quoniam, ſicut olim, ſemper in eo fuerunt Religioſi ſuæ Regulæ obſeruantes & zelantes, vt ex hiſtorijs & experientia liquet; ita in poſterum non eſt dubitandum, ſimiles futuros eſſe qui eadem loca gubernare pro dignitate poſſint. Præſertim cum id Deus reuelauerit B. Franciſco, vt ſcribit Seraphicus Bonauentura in illius Legenda maiori cap. 8. in hunc modum: *Cùm ſemel S. Franciſcus malis turbatus eſſet exemplis, & anxio ſpiritu miſericordem Patrem precaretur pro filijs; reſponſum huiuſmodi reportauit à Domino: Cur tu pauper homuncio conturbaris? n ego te ſuper Religionem meam ſic paſtorem inſtitui, vt me principalem neſcias eſſe patronum? Hominem ſimplicem ad hoc te conſtitui, vt quæ in te fecero, non humanæ induſtriæ, ſed ſuperne gratiæ adſcribantur. Ego vocaui; ſeruabo, & paſcam: & alijs excidentibus, alios ſubrogabo. ita vt ſi nati non fuerint, faciam illos naſci: & quantiſcumque fuerit impulſibus paupercula hæc concuſſa Religio, ſalua ſemper meo munere permanebit.* Hactenus S. Bonauentura. Ad quæ fortè reſpiciens Summus Pontifex Leo X. piè & verè dixit Conſtit. 26. quæ incipit, Licet alias. §. 4. *Quodq; ipſi Fratres de Obſeruantia, & Reformati, veri & indubitati Fratres Ordinis B. Franciſci, & eius Regulæ Obſeruatores ſemper fuerint, ac diuina fauente gratia ſint futuri, ſine aliqua interruptione ac diuiſione, à tempore editæ Regulæ B. Franciſci vſq; ad præſens, ac ſub ipſius B. Franciſci militia militauerant, & etiã ad præſens militant,* &c. Ex quibus omnibus conſtat, iurè & rationabiliter Fratres S. Franciſci habitaſſe & habitare in locis ſanctis, & eadem cuſtodire; & futuris temporibus Dei benignitate cuſtodituros, ſperandum eſt.

In Minorum Ordine ſemper viguit obſeruantia, & gratiâ Dei vigebit in poſterum

CAPVT LXX.

Ratio viuendi Fratrum S. Franciſci de Obſeruantia in Terra ſancta habitantium, non eſt aliena ab eorum inſtituto & Euangelica paupertate, ſed eidem maximè conformis.

CErtiſſimum eſt, & apud omnes in confeſſo, Fratres Minores S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatos, nihil poſſidere poſſe proprij, neque in particulari, neque in communi, vt per plures Pontifices declaratum fuit, & denique in Concilio Tridentino determinatum. Verba etiam Regulæ, quam ipſi profitentur, manifeſtè id indicant, quæ ſic habent: *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed tamquam peregrini & aduenæ in hoc ſæculo in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter: nec oportet eos verecundari, quia Dominus ſe fecit pauperem in hoc mundo. Hæc eſt illa celſitudo altiſſima paupertatis, quæ vos chariſſimos Fratres meos heredes & Reges Regni cælorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimauit,* &c.

Concil. Trid. ſeſſ. 25. de Reg. cap. 3. Reg. Minor. c. 6.

Minorita poſſeſſionis verum temporalium incapaces.

Ex quibus verbis duo habemus: alterum, Fratres Minores teneri ad altiſſimam Euangelicam paupertatem; alterum, debere viuere

uere ex mendicitate, & alijs modis viuendi eiſdem licitis, videlicet ex ſponte oblatis, & honeſto labore. At Euangelica paupertas ſecundùm Sanctos in duplici eſt differentia. Quædam enim eſt, quæ cum paupertate ſpiritus nihil ſuperfluum temporale, ſed quod commodè neceſſariũ eſt, retinet. Altera, quæ perfectior, ea eſt, quæ cum paupertate ſpiritus nec ſuperfluum nec neceſſarium, tamquam proprium, ſed ſimplicem vſum facti retinet, ex Dei pendens prouidentia. Et ad hanc paupertatem Minores Fratres obligantur, vt ipſorum Regulæ expoſitores docent: quæ quidem virtus heroica eſt, qua propter Deum quis à ſe abdicat omne ius ciuile, viuens de non ſuo, ſolum vſum habens rerum quibus pro vita ſuſtentanda vtatur. Ita docet Seraphicus Bonauentura. Inquit enim, intentionem S. Franciſci fuiſſe, vt Fratres ſui tamquam ſerui vtantur rebus in aliena poſitis poteſtate. Et id ipſum omnes Regulæ expoſitores confitentur, & patet ex reſponſo Apoſtolico Gregorij IX. Nicolai III. & Clementis V. ſuper Regulam, omnem proprietatem à Fratribus tam in ſpeciali quàm in communi excludentium, ſolumque eos nudum ſeu facti vſum in vtenſilibus aut victualibus, &c. habere aſſerentium. Et ſatis clarè ipſa verba Regulæ indicant. Ideò altiſſima paupertas dicitur: nulla enim maior abdicatio rerum eſſe poteſt, quàm vbi ſolùm ſimplex vſus facti neceſſariorum, tam in communi quàm in particulari, ſine vllo iure politico relinquitur. Quare eis ſubuenitur vel eleemoſynis pro honeſto labore acquiſitis, vel ſponte oblatis, vel emendicatis. In quem modum vixiſſe etiam Chriſtum & Apoſtolos nouimus. Et latè hoc pluribus demonſtrant Regulæ Seraphicæ expoſitores.

Euangelica paupertas eſt duplex.

In cap. 6. Regulæ.

Minorita ſolum vſum facti habere poſſunt.

Similiter hoc in iſtis partibus ſeruatur: plures enim colliguntur eleemoſynæ pro verbi Dei & Sacramentorum adminiſtratione, & deforis ex longinquis partibus pro Miſſarum celebratione: aliæ ſponte offeruntur, præſertim à mercatoribus & peregrinis, qui hoſpitio recipiuntur à Fratribus; & plures è mendicato habentur, quæ procurantur vel in iſtis infidelium partibus à fidelibus, vel à fidelibus in terris fidelium, & hoc per Procuratores & Syndicos Apoſtolicos ad id ſpecialiter deputatos: quas deinde mittunt Ieroſolymam pro locorum ſanctorum conſeruatione, quarum Summus Pontifex dominus eſt, Fratres verò & ſæculares procuratores illius ſimplices diſpenſatores. Non ergo propter priùs dicta ſuſpicandum eſt, Fratres Terræ ſanctæ non viuere ſecundùm ſuæ Regulæ puritatem.

Quibus eleemoſynis ſuſtentetur Minorita Terræ ſanctæ.

Hæc dum mecum conſidero, mihi videtur Fratribus Terræ ſanctæ contingere, quod aliàs temporibus Apoſtolorum Chriſti fidelibus in eadem habitantibus. Cùm enim in toto terrarum orbe ſub Claudio Imperatore maxima graſſaretur fames, vt Propheta Agabus prædixerat Actor. 11, 28. maiori verò inopia tenerẽtur adſtricti Chriſtiani qui in Palæſtina erant (nam in ea quæ poſt necem Stephani in eos excitata eſt perſecutione, inde pulſi, ſi quæ illis reſidua erant bona, amiſerunt: de his enim meminit ſcribens Paulus ad Hebræos 10, 34. cùm ait: *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis*) pro illis Apoſtolus, cùm eſſet in Macedonia, ab Eccleſijs collectam exegit. Idem fecerunt Antiocheni, de quibus hæc ſcribit Lucas Actor. 11, 29. poſt relatam ab Agabo prænuntiatam famem: *Diſcipuli, prout quiſque habebat, propoſuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitantibus in Iudæa Fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ & Sauli.* De hiſce collectis Ieroſolymam mittendis agit Apoſtolus varijs in locis, nimirum ad Roman. 15, 25. 1. Corinth. 16, 1. & ad Hebr. 10, 25. Lege item de his Cardinalem Baronium Tom. 1. Annalium Eccleſ. ad annum Chriſti XLIV.

Veteres fideles Ieroſolymis eleemoſynis ſuſtentabantur.

In hunc modum mihi facere videntur fideles qui habitant inter fideles, vel etiam inter infideles, pro Fratribus qui in magna inopia & neceſſitate habitant Ieroſolymis, ſicut pulli coruorum benedictionem à Domino expectantes: colligunt nimirum illi eleemoſynas, & ad iſtos pro eorum ſuſtentatione, & ſanctorum locorum conſeruatione mittunt vel deferunt. Quare quemadmodũ non ſolùm non culpandi, ſed laudandi potiùs ſunt, Paulus, Antiocheni diſcipuli, & alij Chriſtiani, qui pro Ieroſolymitanis Chriſtianis eleemoſynas colligebant, neque illi qui eas recipiebant; ita nec vitio vertendum eſt Fratribus in Terra ſancta habitantibus, quòd eleemoſynas ad ſe miſſas in neceſſarios vſus conuertant: neque etiam deterrendi ſunt eas facientes vel colligentes, ſed vtrique potiùs ſummopere laudandi; illi, quoniam multùm confidunt de diuina prouidentia, & præcipuè quia habere debent vnde tribuant neceſſitatem patientibus, vt peregrinis, & infirmis, quorum cura illis ex priuilegio Pontificis demandata eſt & incumbit, vt ſuperiùs, dum de Hoſpitali montis Sion verba faceremus, diximus Capite LXVIII. hi verò, quoniam in operibus miſericordiæ & charitatis ſe exercent.

Miniſteriũ Minorum in Terra ſancta.

Pro huius materiæ intelligentia ſufficere mihi quidem videbantur, quæ dicto Capite LXVIII. & multò magis quæ Capite præcedenti diximus: verum quoniam, poſtquam

quam hæc ſcripſiſſem, de hac eadem re cum alijs mihi ſermo eſſet, qui nonnullos ſcrupulos mihi obiecerunt, eis vt reſpondeam placuit ſequens Caput Operi huic inſerere, in quo diſtinctiùs & ſolidiùs explicantur, quæ in hoc argumento à pijs & timoratis viris deſiderari poterant.

CAPVT LXXI.

Num Guardianus Fratrum Ordinis Minorum ſacri Montis Sion poſſit pecuniam recipere, & apud ſe conſeruare, & Fratrem vnum vel plures ex eadem Familia inſtituere Procuratorem vel Procuratores in ſancta ciuitate Ieruſalem, vel in alijs partibus infidelium ſpirituali ſuæ iuriſdictioni ſubiectis, qui eleemoſynas oblatas recipiant & diſpenſent eiuſdem Guardiani auctoritate, ſine peccati ſcrupulo, pro honeſta conſeruatione locorum ſanctorum: & ſi poteſt, qua ratione.

ALtiſſima paupertas, quam profitentur Minores Fratres de Obſeruantia in ſuà Regula, quæ ſtrictiſſimè ſub pœna peccati mortalis illis prohibet poſſidere quæuis temporalia bona, vel eiſdem vti modo politico & ciuili, qui proprietatem in illis oſtendere videatur, vt in declarationibus Summorum Pontificum, Doctorumque interpretationibus in eorumdem Regulam, ipſa luce meridiana clariùs apparet; hæc, inquam, altiſſima paupertas in cauſa fuit, vt à pluribus fuerit dubitatum, an prædicti Fratres olim ad locorum Terræ ſanctæ cuſtodiam deputati, pro eorum cuſtodia poſſint pecunias recipere & diſpenſare, prout expedire iudicauerint ad conſeruationem illorum locorum ſanctorum, vt dictum eſt in quæſtionis epigraphe; ſintque propter emiſſum altiſſimæ paupertatis votum capaces facultatis vel priuilegij illud relaxantis.

Argumenta in contrarium. Quòd non poſſit Guardianus ſacri Montis Sion pecuniam recipere, quodque non habeat facultatem inſtituendi Procuratorem Fratrem vnum vel plures, qui oblatam pecuniam recipiant & diſpenſent, & inſuper, quòd Summus Pontifex non poſſit eis talem facultatem impertiri, quidam probant in hunc modum. *Primum.* Primò ſic: Non poſſunt Fratres tuta conſcientia tranſgredi eſſentialia vota ſuæ Regulæ, & ea facere quæ ſtrictiſſimè & ſub graui pœna in eadem Regula prohibentur, eorumque ſtatui repugnant, vt manifeſtum eſt. At recipere, contrectare, & diſpenſare pecuniam, inhibetur Fratribus Minoribus de Obſeruantia ex eorum profeſſione, ſtatu & Regula; igitur ſtante eorum ſtatu, vbicumque ſint, non poſſunt tuta conſcientia oppoſitum facere. Minor probatur: nam in Regula Fratrum Minorum hæc præcipit quibuſcumque Fratribus S. Franciſcus, dicens: *Præcipio firmiter Fratribus vniuerſis, vt nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per ſe, vel per interpoſitam perſonam.* In his verbis, ſecundùm declarationes Nicolai III. & Clementis V. & omnium Regulæ Expoſitorum, ſolemni præcepto prohibetur cuilibet Fratrum, nedum proprietas pecuniarum, ſed etiam vſus & receptio per ſe vel per interpoſitam perſonam. Igitur nec Guardianus Montis Sion, vel ei ſubiecti Fratres, poterunt recipere pecunias, &c. Regula Minorum cap. 4.

Multò minùs poteſt Guardianus Fratrem Procuratorem inſtituere: quia facultas inſtituendi, ſiue, vt magis propriè dicam, nominandi Procuratorem pro aliquo extra Ordinem, dependet à Summo Pontifice, vt videre eſt in Bullis Pontificijs, & Statutis generalibus Ordinis Salmanticenſibus & Valliſoletanis, *vt ab exteris & ſæcularibus curis releuati, in humilitatis ſpiritu, & contemplationis ſuauitate, ſinceriùs & quietiùs poſſint Altiſſimo famulari*, dixit Martinus V. Statuta Ordin. Salmant. c. 4. & Valliſolet. 15. q. 3. §. Et non pro Fratribus.

Quòd verò nec per Pontificem poſſit eis talis facultas concedi, ſic probatur. Pontifex non poteſt diſpenſare in his quæ ſunt de eſſentia Religioſi cum Religioſo, Religioſo ipſo in ſuo ſtatu manente; ſicut fieri non poteſt, vt homo non ſit rationis compos, natura humana exiſtente, quoniam tunc eſſet homo & non homo, & ille Religioſus & non Religioſus: at votum altiſſimæ paupertatis eſt Religioſo Minoritano intrinſecum & eſſentiale; igitur nedum eius inferior Prælatus, ſed nec ſupremus, id eſt Summus Pontifex, poterit cum eo diſpenſare. Diſpenſaret autem, ſi facultatem impartiretur recipiendi & adminiſtrandi pecuniam. Maior propoſitio probatur ex Iure cap. Cùm ad monaſterium. De ſtatu Monachorum. vbi Innocentius III. definiens & determinans quæ ſtatui monachali & cuilibet Monacho neceſſaria ſint, hæc habet: *Nec æſtimet Abbas, quòd ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare; quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeò eſt annexa Regulæ Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere.* Minor probatur, quoniam receptio & diſpenſatio pecuniarum in ſe miniſterialem ſaltem auctoritatem includit, & ſæpè etiam politi- *Secundum.* *In eſſentialibus Monacho Papa diſpenſare non poteſt.*

cam

cam contrectationem habet annexam, quæ ratione Minoricæ paupertatis, quam Franciſcani Fratres vouerunt & promiſerunt, ſunt illis in Regula prohibita, vt expreſsè dixit Clemens V. *Et ignominioſum eſt*, ait Hugo, *vt qui ſua propter pericula repulit, ſtultè rurſum propter aliena ſe periculo exponat.*

Tertium. Denique, Opus quidem magnæ charitatis eſt, cuſtodire ſanctiſſimum Domini noſtri IESV Chriſti Sepulchrum, & alia Terræ ſanctæ loca; at multò maioris eſt, cuſtodire animam ſuam; pro qua Chriſtus mortuus eſt, & illa loca ſanctificauit, vt Saluator dixit apud Matthæum 16, 26. *Et quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur*, vel cuſtodiat loca ſancta, *animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Et illud magis vrget, quòd alij æquè loca ſancta cuſtodire poterant, qui nullam, vel ſaltem tantam non ſunt profeſſi paupertatem vt Minores, quales ſunt Presbyteri ſæculares, & aliarum Religionum profeſſores: quo vtique pacto, abſque diſcrimine ſalutis animarum, diuino honori & locis ſanctis conſultum eſſet.

Reſponſio ad quæſtionem. His tamen non obſtantibus, in contrarium eſt laudabilis vſus & conſuetudo proficiſcentium ad Terram ſanctam pro locorum ſanctorum cuſtodia, quam abſque vllo conſcientiæ ſcrupulo ſecuti fuere grauiſſimi, doctiſſimi, & pietate præditiſſimi Patres, arbitrati, ſe vnà cum auctoritate nedum Religionis, ſed & Apoſtolica, cuſtodiendi loca ſancta, ſimul recipere opportunam facultatem ad ea cuſtodienda, qualis eſt quam diximus, Fratres ſcilicet poſſe recipere & diſpenſare eleemoſynas oblatas in locis Guardiano ſacri Montis Sion Commiſſario Apoſtolico ſubiectis, vbi copia non eſt fidelium qui ſedulò & fideliter eaſdem nomine Sedis Apoſtolicæ conuertant in Fratrum vtilitates, & cuſtodiam locorum ſanctorum, vt in partibus fidelium faciunt vel Amici ſpirituales, vel Syndici Apoſtolici: & ſic faciendo, non peccare, quoniam à Sede Apoſtolica (quæ optimum nouit modum quo loca ſancta gubernantur) non fuerunt propterea redarguti, ſed eleemoſynis & gratijs alijs potiùs adiuti, vt in illorum cuſtodia laudabiliter perſeuerare poſſint. Et profectò ſi Fratres regimini locorum ſanctorum deputati aliud non haberent pro ſua conſcientia ſecura reddenda, hoc magnum illis deberet eſſe ſolatium, quoniam qui nouit & tacet, conſentire videtur.

Pro clariori nihilominùs intelligentia huius difficultatis, quæ multos ſimplices & timoratos Fratres vexauit, tria præſtabimus: Primò quinque notanda præmittemus, ſecundò quinque concluſiones proponemus, tertiò denique argumentis initio adductis reſpondebimus.

Minoritis non omnis denariorum contactus interdictus eſt. Quantum ad primum, aduerto Primò, Fratribus Minoribus, de Obſeruantia nuncupatis, ex eorum Regula non omnem monetæ contactum, pecuniæve receptionem eſſe interdictam, ita vt numquam illis liceat citra culpam tangere, recipere & cuſtodire pecuniam; ſed illè dumtaxat tactus, qui præ ſe fert in tangẽte & cuſtodiente dominium & proprietatem, qualis eſt politicus, prohibetur. Quare Regulæ Minoritanæ Expoſitores in 4. cap. docent, tangere, & naturaliter contrectare pecuniam, non prohiberi ex Regula, vt quando quis tangit ex curioſitate, vel humana vrbanitate, vt ſi ducatus aureus leuaretur à terra, & traderetur Magnati, è cuius manibus cecidiſſet; vel iuſta exiſtente cauſa, vt ſi ex illo calix vel patena deauranda eſſet. Item non eſt contra Regulam, nummos alienos in periculoſo itinere penes ſe deferre; quoniam hîc nullus vſus pecuniarius interuenit, ſed opus pietatis eſt, ſicut & eoſdem, violenta periculi neceſſitate cogente, cuſtodire; eo tamen pacto, quòd ad iacturam non teneantur ſi pereant.

Dixi, hæc non eſſe Fratribus ex Regula prohibita, quæ tamen alio iure, naturali videlicet vel diuino, poſſent eſſe illis interdicta; vt ſi ex his ſcandalum ſequatur, vel Fratri periculum immineat cupiditatis recipiendi, videlicet politicè; vel quia ex hiſce ad aliquod malum inclinatur, vel infamia ſequi poſſet: quare ſalubriter conſultum eſt, ab huiuſmodi etiam contactu, quantum fieri poteſt, abſtinere.

Quid ſit denarios per ſe, vel per interpoſitam perſonam recipere. Secundò ex eiuſdem Regulæ Expoſitoribus aduerto, quòd pecuniam vel nummos per ſe recipere, ſecundùm Regulam ſit, eorum vſum habere, politicum videlicet & ciuilem, vt abſque alia auctoritate conuertantur in quoſcumque vſus voluerit recipiens. Recipere verò per interpoſitam perſonam, eſt aliquem ex ſe ſubſtituere, qui pecuniam propria ipſius Fratris auctoritate in vſus quos voluerit proprios, vel alienos conuertat; & vterque recipiendi modus iure meritò eſt Fratribus interdictus, quoniam manifeſtam indicat in recipiente proprietatem.

Noto tertiò, adminiſtrationem nummorum vel pecuniæ, & quarumlibet aliarum rerum auctoritate & ad placitum domini, nullum dominium, poſſeſſionem vel proprietatem in miniſtrante inducere, ſed potiùs ſubiectionem & ſeruitutem. Subtilis Doctor explicans quid ſit proprietarius & vſuarius, id indicat, dicens: *Proprietarius tantùm dicitur ille, qui in habendo rem nullo modo dependet ab alio; vſuarius autem, qui*

* Scot. in 1. diſt. 11. q. 2. S. Bonau. in c. 4. & 6. Reg. Valent. tom 3. diſp. 10. quæſt. 4. p. 3. vers. *Hæc cùm ita ſint. Proprietarius & vſuarius quis.*

in

in vtendo re, dependet ab alio. Et hoc expresse docuit Seraphicus Bonauentura.

Duo ad verum dominium requiruntur.

Ad hæc, vt bene aduertit Valentia, ad verum dominium duo tamquam illi essentialia necessariò requiruntur. Primum, quod dominus liberam habeat facultatem vtendi rem arbitratu suo, absque alterius iniuria quæ sit contra iustitiam commutatiuam, & per hanc facultatem proprie & formaliter constituitur aliquis dominus quasi in actu primo. Secundum est, quòd res, cuius aliquis est dominus, libere is vtitur, independenter a voluntate alterius; quo ipso est rei dominus velut in actu secundo. Quæ duo si ab aliquo absint respectu alicuius rei sibi commissæ, non erit in illo dominium, nec consequenter proprietas.

Miranda Tom. 1. Manual. Prælat. q. 24. art. 1. Pelinc. in cap. 4 Reg. num. 2.

Pro huius Notabilis intellectu hic adscribendum esset discrimen, quod tam a Doctoribus Theologis, quam a Iurisperitis assignatur inter dominium, possessionem, proprietatem, vsum fructus, & vsum iuris; sed brevitati studens omitto. Lege P. Ludouicum Mirandam, Politicum, & alios. Ad intentum: Clarum est, illorum actus, quoniam politici sunt, & aliquam præ se ferunt proprietatem, esse Fratribus in altissima Euangelica paupertate viuentibus prohibitos; simplex tamen administratio, cùm talem non præ se ferat proprietatem, potent in casu conuenire Fratribus. Et sanè si proprietatem dicit administratio in ministrante, nedum Franciscani Fratres, sed omnes Religionum œconomi, vel quuis alij Religiosi, bona Conuentus & eleemosynas rectè administrantes secundùm Domini rectam intentionem, immunes a culpa non essent; quia proprietarij essent, quod dicendum non est.

Nauar. super cap. Si diuersarum. n. 12. Miranda art. 3

Confirmatur ex dictis à Nauarro, quem adducit & sequitur Miranda, citatus in probatione illius communis sententiæ Doctorum, quòd Summus Pontifex dispensare non possit cum Religiosis in hoc, quòd stante Monachatu, simul etiam habeant proprium in particulari, proprio & stricto modo sumptum, quoad dominium adinstar quod illud habent ceteri sæculares: quoniam talis paupertas vnum est ex tribus votis essentialibus, & intrinsecis Monachis, ideo auferri non potest. Et addit, quòd licet in casu Summus Pontifex quandoque dispenset, & dispensare possit cum aliquo Religioso, vt nubat licite, non tamen in vllo casu dispensare possit in hoc quòd habeat proprium stricte & rigorose sumptum, *quia*, inquit, *dari potest casus, causa & necessitas, cui commode succurri non possit, absque eo quòd Religiosus fiat vxoratus, & verus maritus alicuius mulieris, præcisè ob aliquam causam: at nullus potest dari casus, causa, & necessitas, quæ sit sufficiens ratio dispensandi cum eo in hoc, quòd supradicto modo habeat proprium, cùm cuilibet necessitati succurri, & subueniri possit, per solam bonorum temporalium administrationem, vnde ex defectu causæ*, inquit, *non potest dispensare.* Hæc ille ex Nauarro. Ex quibus habemus, quod pro nobis facit, posse Pontificem facere aliquem Religiosum bonorum temporalium administratorem; sed non posset, si administratio inferret dominium & proprietatem.

Pontifex potest dare generalem facultatem dispensandi in voto paupertatis.

Et tanto magis, sequendo oppositam sententiam, posse Pontificem æque dispensare in voto paupertatis ac castitatis, quam veriorem dicit Sanchez Tom. 2. Operis moralis lib. 8. cap. 2. num. 8. vide etiam Suarez ad idem de Religione par. 2. lib. 8. cap. 18. & Cordubam in c. 4. Reg. qq. 17. 6. *Quoad quintum.* Et hæc nullâ à dubitatione aliena esse videntur, præsertim si absit affectus & consensus acquisitionis, vt abesse supponendum est. *Quoniam*, vt in cap. 3. Reg. docet Seraphicus Doctor, *sine consensu acquisitionis non acquiritur possessio.* Facit quod ait Suarez citatus cap. 7. num. 16.

Licentia duplex, expressa & tacita.

Quartò notandum, in concessionibus & priuilegijs superioribus, vt Pontificis summi, posse nos duplicem obseruare licentiam, formalem siue expressam, & interpretatiuam, siue tacitam. Formalem & expressam licentiam illam voco, quam explicant expresse verba concessionum & priuilegiorum: tacitam vero & interpretatiuam, quam D. Thomas 2. 2. q. 32. art. 8. ad 1. appellat præsumptam, quæ non est quidem expressa in concessione, præsumitur tamen, quòd si peteretur, concederetur, & quòd illam expressisset Prælatus, si ad similem vtilem finem, ac ille cuius gratia concessit priuilegium; non enim potest omnes singulares fines præuidere. Quare tunc intentio Prælati magis spectanda est quàm verba; & verba ipsa ad intentionem concedentis sunt interpretanda, vt docent Doctores. Vt si v. g. Summus Pontifex concedat priuilegium Fratribus portandi ferrum ad terras infidelium, ne incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, pro conseruatione locorum sanctorum; expressa quidem intentio Pontificis in tali priuilegio est, vt tantùm ferrum ad partes istas deportetur, sed si contingat ligna non minus, ac ferrum, imò magis necessaria esse pro eorumdem sanctorum locorum conseruatione, tunc intentione interpretatiua vti debemus, præsertim si expressa haberi non possit ad licentiam deferendi ligna; quoniam

niam & talem conceſſiſſet, ſi de tali neceſſitate cogitaſſet: illius enim intentio eſt, vt omni meliori modo loca ſancta conſeruentur. vnde illo priuilegio, tutâ conſcientiâ, non modò ferrũ, ſed & ligna deferri poſſent ad Terram ſanctam conceſſione interpretatiua. qui enim quod plus eſt concedit, quod minus eſt non negaturum certò tenendum eſt, vt habetur in Iure.

Licet in caſu aliter viuere, ac lex præſcribat.

Notandum Quintò, licitũ eſſe, & etiam neceſſarium aliquando, modum viuendi alias lege poſitiua præceptum, ſecundum locorum & temporum varietatem variare. Vnde non perinde victitarunt homines poſtquam electi fuerunt de paradiſo, quàm dum in illo degebant; nec iiſdem ante diluuium cibis vti licebat, quibus poſt diluuium veſci conceſſum fuit, &c. Veſci carnibus in Quadrageſima lege Eccleſiaſtica prohibitum eſt; tempore tamen neceſſitatis, vt ſi quis graui morbo laboret, vel alij cibi non ſint quibus curari morbus vel vita ſuſtentari poſſit, carnibus licitè quis veſceretur, etiam humanis, quamuis ſemper prohibitis, ſi aliæ ad manum non eſſent, vt grauiſſimis Theologis placet: duabus enim legibus concurrentibus, naturali & poſitiua, ſi vtraque ſeruari non poſſit, obſeruatur naturalis præcipua, & magis obligans. His ſic ſtantibus, ſequentes ſtatuo Concluſiones, quod ſecundo loco ſuperiùs propoſitum nobis fuit.

Minorita Terræ ſanctæ non poteſt pecuniam contrectare explicita Pontificis auctoritate.

PRIMA CONCLVSIO. Guardianus ſancti Montis Sion, aliúſve Frater Minor de Obſeruantia ei ſubiectus, non poteſt per ſe, vel per aliam perſonam nummos vel pecuniam recipere, contrectare, & adminiſtrare; nec Procuratorem Fratrem vel Fratres inſtituere explicita auctoritate Pontificis.

Probatur hæc Concluſio. Si talem auctoritatem haberet Guardianus vel alius Frater, expreſſa eſſet in Regula, vel in eius declarationibus & Statutis Ordinis noſtri, vel in Bullis Pontificijs: ſed in his talis non inuenitur expreſſa facultas, ſed potiùs interdictum. Nec ſuper hoc expreſſum priuilegium legimus factum à Summis Pontificibus in Bullis factis pro Fratribus in Terra ſancta habitantibus ad ſanctorum locorum regimen deſtinatis, vt in eiſdem, & illarum declaratione (quam ponimus Libro 11. huius Operis) videre licet. Facultas etiam nominandi Procuratorem eſt pro illis qui non ſunt de Ordine, vt verè dictum fuit in primo argumento. Quare in partibus iſtis non poteſt Guardianus Procuratorem Fratrem vel Fratres inſtituere, &c.

nec propria auctoritate diſpenſare.

SECVNDA CONCLVSIO. Nec Guardianus ſancti Montis Sion, nec alius Frater de eius Familia, dominium habet nummorum vel pecuniarum oblatarum, nec habet vel habere poteſt auctoritatem in terris infidelium (ſtante caſu) eas ſecundùm beneplacitum diſpenſandi, & politicè pertractandi.

Probatur Concluſio, & primò quoad primam partem: nam talis Guardianus ex eo quòd ſit Guardianus in Terra ſancta, & Frater alius de illius Familia, non deſinit eſſe Monachus & Frater Minor, nec ab obſeruantia Regulæ S. Franciſci quam profeſſus eſt, eximitur; quare nec à voto paupertatis. Secunda pars, quòd ſtante illorum ſtatu Monachali, non habeant nec poſſint illam auctoritatem habere, &c. probatur tum ex dictis in tertio Notabili, tum ex c. Fraternitatem. De donationibus. & ex cap. Si priuatim 12. quæſt. 1. & cap. Sine exceptione. quæſt. 2. & ſæpè alibi: in his enim locis habetur, Prælatum, & à fortiori ſimplicem Monachum, non poſſe res Monaſterij in quos voluerit vſus diſpenſare; quoniam Prælatus non eſt dominus ſed procurator & adminiſtrator rerum Eccleſiaſticarum: quare non poteſt Monaſterij bona, ſiue pro eius ſeruitio deputata ab habente auctoritatem, in proprios ſiue in quos voluerit expendere vſus; ſed tenetur illa diſtribuere in illos quibus deſtinata ſunt. quod ſi non faciat, ſed in profanos, vanos, atque inutiles vſus diſpenſet, non eſt dubium quin peccet mortaliter, prout recte probat Nauarrus. Ita nec Oeconomus, & à Superiore diſpenſator inſtitutus, poteſt aliter eadem bona diſpenſare, quàm voluntas & nutus Superioris fuerit. Lege Ludouicum Miranda citatum, art. 12.

Nauar. in c. Nullam. 13. q. 2. num. 6.

Non repugnat ſtatui Minoritæ diſpenſare alterius auctoritate pecuniam.

TERTIA CONCLVSIO. Non repugnat, Guardianum ſacri Montis Sion, vel quemlibet Fratrem Minoritam, eſſe eleemoſynarum oblatarum adminiſtratorem; & poteſt Summus Pontifex illum inſtituere diſpenſatorem illarum, illiq; facultatem impartiri, vt Fratrem ſubroget, qui eas adminiſtret, prout opportunum iudicauerit, ad recte cuſtodienda loca ſancta. Hæc Concluſio ſatis probata manet ex dictis in tertio Notando, quia talis adminiſtratio nullam proprietatem vel dominium inducit in miniſtrante.

Guardianus S. Montis Sion implicita euidente auctoritate poteſt per ſe, vel per alium eleemoſynas diſpenſare.

QVARTA CONCLVSIO. Sacri Montis Sion Guardianus auctoritatem habet diſpenſandi qualcumque oblatas eleemoſynas pro locorum ſanctorum conſeruatione, & Fratrem vnum inſtituendi in locis illis infidelium quoad ſpiritualia ſibi ſubiectis, vbi ſæcularis Catholicus & fidelis non inuenitur qui Procuratoris officium ſuſcipiat, & eleemoſynas velut Procurator recipiat, cuſtodiat, & diſpenſet pro cuſtodia locorum ſanctorum,

ctorum, Fratrumque & Peregrinorum ſuſtentatione; non explicita quidem & manifeſta Pontificis auctoritate, ſed implicita & interpretatiua, ſatis tamen euidenti.

Plures partes habet iſta Concluſio, & quoad ſingulas explicatur & probatur. Altera eſt, quòd Guardianus ſacri Montis Sion habeat auctoritatem, &c. non tamen explicitam. Hæc liquet ex prima Concluſione. Altera pars eſt, quòd habeat eamdem auctoritatem conceſſione implicita & interpretatiua, ſatis tamen euidenti.

Probatur Primò tali ratione. Guardianus ſacri Montis Sion habet expreſsè multa priuilegia à Summis Pontificibus pro conſeruatione locorum ſanctorum, quæ non minùs videntur eſſe contra Regulam, quàm recipere & diſpenſare pecunias, aliáſve eleemoſynas à fidelibus oblatas; quia aliter loca ſancta pro dignitate cuſtodiri non poſſunt: igitur ſecundùm illorum intentionem implicitè conceſſa eſt illi facultas recipiendi, &c. quando aliter non poſſunt loca ſancta cuſtodiri, ſicut in præſentia de facto Ieroſolymis cuſtodiri non poſſent, defectu ſæcularium Catholicorum, & fidelium miniſtrorum, qui Procuratoris ſiue Syndici Apoſtolici munere fungantur, & amicorum ſpiritualium. Conſequentia videtur manifeſta, & apparebit magis in ſecunda ratione ad hanc Concluſionem. Antecedens probatur ex his quæ ponuntur in Bullis Pontificijs pro Guardiano Montis Sion, & Fratribus habitantibus in terris infidelium, quæ aſſeruantur in Archiuo eiuſdem ſacri Montis Sion, de quibus ſequenti Libro & in propoſito quæ ſequuntur ſufficiunt.

Primò, Martinus V. conceſſit Guardiano & Fratribus Terræ ſanctæ, poſſe licitè oblationes & eleemoſynas in eadem factas per Procuratores ſeu Commiſſarios ad vſum & ſuſtentationem ſuam recipere. Quod quidem priuilegium, vt aduertit P.F. Chriſtophorus de Variſio, Priuilegiorum Terræ ſanctæ Collector & Interpres, non tantùm intelligitur de oblationibus & eleemoſynis datis extra illorum Eccleſias (nam has alio priuilegio eiuſdē Pontificis poſſunt Fratres vbique terrarum per Syndicum Apoſtolicum recipere) ſed (vt priuilegium illud aliquid valeat, vt valere debet) intelligitur de eleemoſynis factis in illorum Eccleſijs, vt ad Præſepe Domini, ſuper ſanctiſſimum Chriſti Domini Sepulchrum, & in alijs locis: at hoc alibi eſt illis ex eorum profeſſione interdictum, quia cippos vel arculas in Fratrum Eccleſijs pro eleemoſynis colligendis habere non poſſunt Fratres, vt patet in Clementina Exiui. De verborum ſignificatione. & in Statutis Salmanticenſibus generalibus Ordinis noſtri c. 4. Et illud priuilegium fuit poſteà per alios Summos Pontifices confirmatum.

Plus tamen non eſt extendenda mensa ad eleemoſynas colligendas, nec ad Præſepe Domini, nec alibi.

Secundò, Calliſtus III. conceſſit, quòd Guardianus Montis Sion poſſit retinere in capſa eleemoſynas à Chriſti fidelibus datas, & capſæ, in qua conſeruabuntur, clauem Guardianus, vel alius Frater de ipſius licentia teneat. At hæc alibi in terris fidelium prohibita ſunt, nec hiſce priuilegijs gaudere poſſunt Fratres, vt colligitur ex adducta Clementina Exiui. & Conſtitutionibus Ordinis. ſolùm enim per Syndicum Apoſtolicum poſſunt recipi pecuniariæ eleemoſynæ ex conſtitutione Nicolai III. Martini V. & Clementis V. vel per amicos ſpirituales. Poteſt etiam Guardianus, vel alius priuatus Frater pecunias apud ſe habere, & earumdem claues ſecum portare: quia delatio clauis importat quoddam dominium, vt notatur in Clementinis, cap. Exiui.

Tertiò, Calliſtus idem conceſſit Guardiano & Fratribus, vt poſſint emere, vendere, commutare prout expedire illis videbitur. *Concedimus*, inquit, *quòd Guardianus Montis Sion, vel alius aut alij Fratres ab eo deputati, res quaſcumque neceſſarias emere, aut emi facere poſsint, & eam dictarum rerum partem, quam minimè neceſſariam eſſe intelligant, vendere & alienare valeant.* Hæc ſunt verba Calliſti: quæ quidem ea continent, quæ in alijs mundi partibus ſunt prohibita, vt liquet in citata Clementina. Et hæc priuilegia fuerunt illis conceſſa ob dēfectum amicorum ſpiritualium, qualis non eſt in alijs partibus vbi fideles habitant. Vt tamen indicaret Pontifex, per hæc priuilegia non tribui ipſis aliquod rerum oblatarum dominium, concedit ea tantùm pro rebus neceſſarijs, quare pro non neceſſarijs rebus, illis priuilegijs vti non poſſunt tuta conſcientia.

Lege Politicum in cap. 6. Reg. num. 19. & ſequētibus, & alios Regulæ Expoſitores.

Sed difficultatem faciunt verba quæ immediatè prædictis ſubiecit Pontifex, dicens: *Ita tamen quòd nullus veſtrùm pecunias in prædictis emptionibus & venditionibus manu propria contractet & tangat.* Reſpondetur, prohibitum eſſe Fratribus tangere pecuniam, propter periculum affectus, vel ſcandalum, vt etiam videtur indicare Interpres Priuilegiorum; quo ſecluſo, illam tangere non eſt interdictum: nam ex Regula tactus pecuniæ, qui nullam indicat in tangente dominium, non eſt Fratribus interdictus, vt ſuprà Notabili primo dictum fuit. Quare cùm conceſſum ſit tenere capſam, clauem, emere, &c. quæ maiora ſunt, hoc quod minus eſt, non eſt credendum eſſe denegatum; in tali enim caſu ad intentionem Pontificis

Contactus pecuniæ quare Minoritis interdictus.

tificis videtur recurrendum. Vt enim habetur in cap. Ex parte, De decimis, & capit. Paſtoralis. De donationibus, cui conceditur quod eſt plus, conceditur quod eſt minus.

Confirmatur: quia idem Calliſtus in alia Bulla concedit Guardiano ſacri Montis Sion, quòd poſſit diſpenſare cum Fratribus itinerantibus ſuper rigorem Regulæ in partibus iſtis: at rigor Regulæ eſt non ſolùm non portare calceamenta, &c. ſed ne habeant etiam pecuniam. Igitur ſi defectu amicorum ſpiritualium, & ob neceſſitatem (quia contingit, non eſſe fidelem pecuniarum delatorem, qui neceſſitatibus Fratrum conſulat in ipſorum neceſſario itinere) poteſt Guardianus diſpenſare cum iiſdem vt pecuniam deferant. Quare ſimili exiſtente ratione, eodem priuilegio vti non poterit Guardianus in ſuo ſacri Montis Sion Conuentu?

Nec ex hoc ſcandalum erit: quoniam rectè conſiderans, clarè iudicabit, aliter Fratres, Ieroſolymis præſertim, facere non poſſe, ob defectum amicorum ſpiritualium, & fidelis Procuratoris; & ideò ſuper hoc Pontifices varia illis priuilegia conceſſiſſe.

Supradictus tamen priuilegiorum Expoſitor, ad euitandum ſcandalum, ſi alia adſit via, tenet, Fratres aliquo priuilegio non poſſe tangere & contrectare pecuniam, inquit enim: *Et poſito, quòd aliqui dicere velint & affirmare, quòd liceat Fratribus portare pecunias in capſis, ſacculis, &c. quod non credo verum, vt proximè dixi. Sciant tamen hoc non reperiri in priuilegijs, niſi in caſu emptionis & venditionis, id eſt, quando aliquid emere volunt vel vendere: & ſecundùm opinionem meam, etiam tunc eis prohibetur. Vnde quando dantur eleemoſynæ pecuniariæ Fratribus in Damaſco, vel alibi, non poſſunt ſe Fratres aliquo priuilegio colorare, quòd poſſint eas portare, quia nullum priuilegium de hoc facit mentionem. Præmiſſa tamen intelligenda ſunt, ſi poteſt aliter fieri: ſi autem non poſſet aliter fieri, tunc neceſſitas non eſt ſubiecta legi. cap. Quod non eſt. De Regulis Iuris. & c. Exijt. De verborum ſignificat. in 6.* Hæc ille. Sed de ratione neceſſitatis ſequenti Concluſione dicemus.

Igitur vt hanc rationem concludamus, cùm Summi Pontifices memorata priuilegia, & plura alia (vt de eis agentes videbimus) conceſſerint expreſsè Guardiano ſacri Montis Sion, & Fratribus habitantibus in terris infidelium, ob fauorem fidei, & conſeruationem locorum ſanctorum; etiam hoc de diſpenſanda pecunia, quod minus eſt (ſecluſo ſcandalo) implicitè non denegatum ſed conceſſum eſſe credere debemus. Et ſecundùm alia Iura, cùm aliquid alicui conceditur, non ſolùm quod ad id expediendum neceſſarium eſt, conceſſum videtur, L. 2. Cum vulgatis. ff. De iuriſd. omn. iud. ſed & quod maiorem eiuſdem negotij commoditatem & facilitatem reſpicit. ex textu eleganti in cap. Præterea. 5. De offic. delegati. L. pænult. ff. De vſu fruct. legato. L. Veteres in principio. ff. De itinere actuq; priuat. cap. fin. De dolo & contumac. Per quem notat ibi Baldus, quòd qui habet mandatum ad quæcumque neceſſaria, videatur etiam habere ad ea quæ vtilia ſunt. Franciſcus de Aretio in cap. De teſtibus, col. 3. De teſtibus. vbi tenet, quòd in diſpoſitione hominis vno conceſſo, veniunt non ſolùm ea ſine quibus actus explicari non poſſet, ſed etiam ea cum quibus faciliùs & commodiùs expeditur, quem laudat & ſequitur Iaſon in dict. L. 2. De iuriſd. omn. iud. num. 11. verſ. Iſtam regulam. vbi reprobat opinionem Geminiani, aliter ſentientis contra Dom. de Rota, Deciſ. 379.

Secunda ratio principalis ad eamdem Concluſionem eſt huiuſmodi. Secundùm iam adducta Iura, cui conceditur quod eſt plus, conceditur quod eſt minus; & quando aliquid alicui committitur, omnia intelliguntur ei conceſſa ſine quibus illud expediri non poteſt. cap. Præterea. cap. Prudentia. & cap. Suſpicioſus. De offic. delegati. Et conceſſo principali, cõceditur acceſſorium. cap. Acceſſorium. De Regulis Iuris, in 6. & ſaltem ſi illud explicitè, iſtud implicitè. Accedit, quòd aliàs ob ſimiles cauſas conceſſerint Summi Pontifices expreſſam Minoribus facultatem recipiendi pecuniam. Gregorius IX. illam cum alijs gratijs conceſſit Prædicatoribus & Minoribus, in Miramolini Regno degentibus. Ita refertur Tom. 1. Annalium Minorum, anno Chriſti 1227. num. 64. ex Regeſto Pontificio, num. 246. & eodem Tomo, anno Chriſti 1243. num. 20. Innocentius IV. ſcripſit litteras ad Fratrem Robertum de Colliuil. Ordinis Minorum, quatenus quaſdam eleemoſynas, collectas in ſubſidium Terræ ſanctæ, curaret numerari ad auxilium & ſubſidium Imperij Conſtantinopolitani, per manus Nicolai Mercatoris Roſſiani. Sed alijs ſimilibus conceſſionibus omiſſis, hoc compertum, poſteriores Pontifices noſtris temporibus indulſiſſe cum aliquibus Fratribus Ordinis noſtri Commiſſarijs Terræ ſanctæ, & Miſſionarijs à ſacra Congregatione de Propaganda fide ad partes infidelium miſſis, vt ob defectum amicorum ſpiritualium & procuratorum poſſint pro ſubſidio Terræ ſanctæ, impoſito miniſterio ritè perſoluendo, & pro

ſuis

to recollect, that, when Elizabeth was
at the point of death, Cecil and Nottingham
sent a message to James, that
the queen was speechless, but that
they had reason to believe, that she
meant to name him for her successor.
Upon this, he sent the earl of Kent
to the council, to desire them to proclaim
him king; which they did accordingly.
Essex, who was then in
Ireland, was not only the first person
of the kingdom, who proclaimed him,
but he sent over the earl of Rutland
to assure him of his fidelity, and to
congratulate him upon his accession
to the throne. Rutland was received
with the utmost marks of distinction;
and, at his return, was created duke
of Rutland, and Essex was restored to
all his offices, and to the favour of his
sovereign.

But, though James was thus indebted
to Essex for the crown, he was
not long in discovering, that he was
not the man to his taste. Essex was
open, generous, and sincere; James
was cunning, mean, and deceitful.
Essex was brave, and loved military
glory; James was a coward, and
hated war. Essex was a patron of
learning, and a lover of learned men;
James was a pedant, and thought
himself the greatest scholar in his
dominions. Essex was a favourer of
the puritans, and a friend to the
church of Scotland; James was a
bigot to episcopacy, and had a mortal
antipathy to the presbyterians.
Essex was a favourer of the Dutch,
and a friend to the protestant interest
in Germany; James was for peace
with Spain, and for the match between
the prince of Wales and the infanta.
Essex was a favourer of the
Irish, and a friend to the catholics;
James was for the extirpation of popery,
and for the plantation of Ulster.
Essex was a favourer of the Scots,
and a friend to the union; James was
for the English, and against the union.
Essex was a favourer of the
Dutch, and a friend to the protestant
interest in Germany; James was for
peace with Spain, and for the match
between the prince of Wales and the
infanta.

Hactenus S. Hieronymus. Et cuilibet Apoſtolo ſecundùm hunc poſteriorem modum conſiderato, dixit Dominus: *Qui vult in iudicio tecum cõtendere, & tunicam tollere, præbe illi & pallium*, Mat. 5, 40. & Luc. 6, 29. 30. *Qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere; & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas*. Minores autem Fratres non profitentur ſequi Chriſtum vel Apoſtolos ſecundùm priorem conſiderationem; tunc enim omnes eſſent Epiſcopi & Prælati; ſed ſecundùm poſteriorem, & conſequenter non competit nec competere poteſt ius aliquod in res temporarias, diſpenſationem vel ciuilem actum circa eaſdem habere, vt docent illorum Regulæ Interpretes. Lege Politium in cap. 6. Regulæ num. 8. & ſequentibus.

Tertiò reſpondetur, pacis tempore nihil habuiſſe Apoſtolos, ſed benè tempore perſecutionis & neceſſitatis.

Confutatio Reſponſionis. Optimæ reſponſiones ſanam & Catholicam doctrinam continentes, quæ tamen noſtræ non officiunt ſententiæ, ſed occaſionem eam ampliùs explicandi præbent. Quantum ad primam & ſecundam, dico, facere pro Fratribus Franciſcanis, qui ſibimet ipſis tantùm attendunt in partibus fidelium: non militare contra deſtinatos ad cuſtodiam locorum ſanctorum; illi enim, in primis verò Guardianus, ſuccedunt quodammodò in aliquibus Chriſto & Apoſtolis in prælatione & Epiſcopatu. poſſunt enim plures actus proprios Epiſcoporum exercere, vt benedicere, & conſecrare calices, altaria, Eccleſias, minores Ordines & Confirmationis Sacramentum conferre, item & hoſpites & infirmos ſuſcipere & cuſtodire, ſingulare Epiſcoporum munus, dicente Apoſtolo 1. Timot. 3, 2. & Tit. 1, 7. *Oportet Epiſcopum hoſpitalem eſſe*. (at hæc poſteà videbimus, dum de illorum priuilegijs agemus) quam etiam ob rationem bona temporalia Epiſcopis conuenire docent Doctores, quòd aliter hoſpitales eſſe non poſſent: & Guardianus æquè ac Epiſcopus Pontificalibus vtitur paramentis. quare benè poſſunt illi Fratres eſſe multiformis gratiæ Dei diſpenſatores, bonorum videlicet ſpiritualium & temporalium. Nec hoc minuit perfectionem ſtatus illorum (ſicut nec derogabat perfectioni Chriſti & Apoſtolorum, pro occurrenti caſu aliquid ad diſpenſandum habuiſſe) ſed magis eam perficit, charitas enim quam talis reſpicit miniſtratio, opus perfectum habet: ſicut & hac ratione ſtatus Epiſcopalis præfertur cuilibet ſtatui Religioſorum, quoniam Epiſcopatus Religioſum ſtatum continet in actibus perfectionis. Et hæc tantò libentiùs aſſeueramus, quantò ea profeſſioni illorum minimè aduerſari, nec eorum ſtatum deſtruere deprehenduntur, vt oſtendimus. Auſim dicere, Fratres Terræ ſanctæ ex parte perfectionis Epiſcopos ſequi, & quæ eorum ſtatui eſſentialia ſunt, non omittere, vt manifeſtum euadet contemplanti illorum exercitia. Et multùm hoc facit in commendationem Fratrum Terræ ſanctæ.

Quantum ad tertiam reſponſionem, dico, facere pro nobis: ea enim quæ memorauimus, vrgente neceſſitate facere poſſunt Minoritæ Terræ ſanctæ, vt ſequenti Concluſione probabimus.

Dixi in tertia parte Concluſionis, poſſe Guardianum ſacri Montis Sion Fratrem vnum, velut Procuratorem, vel magis propriè diſpenſatorem eleemoſynarum inſtituere in partibus iſtis infidelium. Vnum dixi, non plures; quia omnis multitudo ad paucitatem reduci debet, quantum fieri poteſt, minorem, & vnitatem: natura enim ſuperflua reſpuit, in hoc præſertim caſu vbi agitur de contrectanda pecunia, à qua, quantum fieri poteſt, cauere debent Minores, nec abſque magna neceſſitate, aut ſine cautela eam recipere & adminiſtrare. Igitur ſi vnus diſpenſator ſufficere poteſt pro ſeruitio locorum ſanctorum, alij non ſunt inſtituendi. *Si vnus diſpenſator pecuniarij ſufficiat, non ſunt alij addendi.*

Si dicatur, quòd Calliſtus conceſſerit Guardiano, poſſe deputare ad id Fratrem, vel Fratres, &c. vt viſum eſt ſuprà; Reſpondeo dupliciter. Primò, poſſe inſtituere plures, ſi vnus non ſufficiat. Secundò, plures ſi plura ſint loca ab illis cuſtodienda, & ab inuicem diſſita, ita vt vnus non poſſit ſingulis opportunè ſatisfacere. Et ita credo Guardianum Ieruſalem poſſe inſtituere Fratrem vnum diſpenſatorem eleemoſynarum Ieroſolymis, alterum Bethlehem, &c.

Dixi denique, poſſe, &c. vbi non ſunt Catholici & fideles, qui tale munus pro dignitate exequantur. Nam ſi tales inuenirentur, ceſſaret occaſio & neceſſitas, & nullum priuilegium vel naturalis lex pro hac parte illis ſuffragaretur. Quare in Aleppi, Alexandriæ, Cairi ciuitatibus, &c. vbi ſunt fideles & nobiles mercatores, qui diligenter & fideliter Syndici Apoſtolici officio fungi poſſunt, prout & funguntur, recipientes & expendentes eleemoſynas, prout opportunum intelligunt, non poſſent Fratres tuta conſcientia eleemoſynas pecuniarias recipere & diſpenſare, quod valde notandum eſſe arbitror.

Quinta & vltima Concluſio talis ſit. Suppoſito, quod ſuprà fuit abundè probatum, iuſtè & rationabiliter regimen locorum ſanctorum conuenire Fratribus S. Franciſci:

Guar-

Maiorita ob necessitatem possunt recipere ac dispensare pecuniam.

Guardianus ſacri Montis Sion, vel alius ab eo ſubſtitutus Frater, non obſtante altiſſima quam profitentur paupertate, ſine offenſa, virtute legis naturalis, in miſera iſta temporum conditione, poſſunt Ieroſolymis recipere quaſcumque eleemoſynas, & prout magis expedire iudicauerint, diſpenſare pro ſanctorum locorum regimine & conſeruatione.

Probatur, tum ex quinto Notabili, tum quia iam alius viuendi modus non ſuppetit, ob defectum Catholicorum amicorumque ſpiritualium, cùm neceſſitas non ſit ſubiecta legi, vt iam fuit dictum; tum denique Apoſtolorum exemplo, illis enim pacis tempore ad prædicandum miſſis, ne quid tollerent in via præcepit Chriſtus, quoniam facillimè quæ victui eſſent neceſſaria pro ſpirituali ſuo opere inuenire potuerunt. Ita enim Matt. 10,9. Marc. 6, 8. Luc. 9, 10. 3. 4. legimus illis dixiſſe Dominum: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam; dignus enim eſt operarius cibo ſuo.* Neceſſitatis verò & perſecutionis tempore, quando non ſubſidia, ſed verbera illis imminebant, ſacculos, id eſt loculos, vnde vitam tranſigere poſſent, permiſit illis, dicens Luc. 22, 35. *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Et poſtea: *Sed nunc, qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram.* Quia non eadem viuendi Regula eſt tempore perſecutionis, quæ tempore pacis, vt ibi dicit Gloſſa. Sicut ergo Apoſtoli pacis tempore loculis caruerunt, tempore verò aduerſitatis & perſecutionis diſpenſatiuè loculos pro ſe ipſis habuerunt; ſic vrgentis neceſſitatis tempore, quando aliter Fratres, niſi mediante pecunia, nec mendicando nec laborando vitæ neceſſaria poſſunt inuenire, (vt ſæpè in perſecutionibus contingere ſolet) licitè eâ, ex prædictis, vti poterunt. & in hoc communis eſt Regulæ Expoſitorum conſenſus in c. 4.

Nunc ea quæ dicta ſunt inſtituto noſtro applicantes, nónne dicere poſſumus, Fratres in terris fidelium eſſe velut habitantes in tempore pacis, quoniam ex diuerſis partibus ſuppetunt illis media vitam ſuſtentandi, adeò vt pecunia aut illius contrectatione non indigeant; habitantes verò in infidelium regionibus, in medio nationis prauæ, eſſe velut agnos inter lupos, & ad inſtar illorum qui varijs agminibus circumdantur, non panem ſed verbera expectantes, quique non tantùm pro ſuo neceſſario victu eleemoſynas procurare coguntur, ſed inſuper deliciarum loco habere debent, ſi vel minimum quid accipiant. Quare ſi Fratres Terræ ſanctæ Ieroſolymis, vel in alijs locis habitantes, vbi non ſunt amici ſpirituales, recipiant & contrectent pecuniam pro rebus ſibi extremùm neceſſarijs, quamuis nulla extarent pro ipſis Pontificum priuilegia, virtute tamen legis naturæ, Regulæ S. Franciſci tranſgreſſores minime dicendi erunt. His ſic poſitis, ad tertium principale in iſta Quæſtione propoſitum, nimirum ad ſolutionem argumentorum præcipuorum accedamus. *Reſponſio ad argumenta.*

Ad primum, conceſſa Maiori, nego Minorem: & ad probationem reſpondeo, recipere & contrectare pecuniam poſſe dupliciter contingere, ciuiliter, politicè, & propria auctoritate; vel phyſicè, miniſterialiter, & alterius auctoritate. Primum, eſt ex Regula & declarationibus Pontificum & Doctorum prohibitum, ſed non ſecundum; quia hoc nullam indicat in tangente vel miniſtrante proprietatem ex tertio Notabili, nec eſt prohibitum ex Regula ratione primi; nec ſic recipere vel diſpenſare, eſt recipere per ſe vel per interpoſitam perſonam, vt liquet ex ſecundo Notabili. *Ad primũ.*

Ad illud de Procuratore dico, Guardianum ſacri Montis Sion non proprie inſtituere vel nominare Fratrem in Procuratorem, qui vere munera & officia Procuratoris ſiue Syndici Apoſtolici exequatur (quæ in Pontificijs Bullis continentur, & de quibus agunt Expoſitores) manifeſtum enim eſt, ipſum talem non habere auctoritatem; nec eâ abutitur, ſed ſimplicem illi confert miniſterialem recipiendi vel diſpenſandi, quæ offeruntur, eleemoſynas, in Fratrum neceſſitates & locorum ſanctorum conſeruationem conuertendas, ſecundùm Pontificis & donantium intentionem. Et hoc non repugnat illorum ſtatui, nec ex hoc impeditur Frater à ſpiritu contemplationis, & obſequio diuino, quandoquidem non ita ex tali officio diſtrahitur, vt ſæcularis Procurator, quin poſſit ſe opportuno tempore cum Deo reünire, & contemplationi vacare; præſertim cùm alias mundi occupationes non habeat vt ſæcularis Procurator. Sed admittamus, non ita diligenter & aſſiduè quietiúſve poſſe talem in contemplationem aſſurgere; ſed nõ propterea minorem alijs ſortietur mercedem, vt videbimus Libro III. Capp. XIII. & XIV. & ſi interueniat aliquis defectus aut tepiditas, ea tegitur à charitate, quæ operit multitudinem peccatorum, 1. Pet. 4, 8. Nec illud alienum eſt à vita Euangelica, ſed ei vel maximè conforme. Vt enim principio naſcentis Eccleſiæ, creſcente numero diſcipulorum, duodecim Apoſtoli, ne ab oratione & prædicatione Euangelij impedirentur, vel retardaren- *Expoſitores Reg. Minorum in c. 4.*

Logica, Ars ratiocinandi, Ars rationalis, Ars artium, Ars disserendi, Ars dialectica, Ars critica, Ars cogitandi, Ars inveniendi, Ars judicandi, Ars reflexionis, Ars directiva facultatis cognoscitivæ, Ars directiva facultatis intellectualis, Ars directiva facultatis superioris, Ars directiva facultatis cognoscitivæ superioris, Ars directiva facultatis cognoscitivæ superioris discursivæ, Ars directiva facultatis cognoscitivæ superioris discursivæ, Ars directiva facultatis cognoscitivæ superioris discursivæ

SECTIO VIII.

De inventione motus corporum in Ellipsi.

PROBLEMA VII.

Si corpus P revolvatur in Ellipsi: requiritur lex vis centripetæ tendentis ad umbilicum Ellipseos.

Esto Ellipseos umbilicus S. Agatur semiaxis conjugatus Dd, & compleatur parallelogrammum CDPE. Et ob datam Ellipseos figuram, ratio CD ad CE data est. Ponatur quantitas illa = *n*. Jungatur SP, & ad SP demittatur perpendicularis Qp, & ad CE demittatur perpendicularis PT. Et ob similia triangula CQp, CET, erit Qp ad CQ, hoc est, ad SP, ut PT ad CE, & propterea $Qp = \frac{SP \times PT}{n}$. Unde, per Legum Corollarium secundum, vis centripeta est reciproce ut $\frac{SP^2 \times PT^2}{n^2}$, hoc est, reciproce in ratione duplicata distantiæ SP, & directe in ratione duplicata rectæ PT. Q. E. I.

PROBLEMA VIII.

Si corpus P revolvatur in Ellipsi: requiritur tempus quo figura tota Ellipseos absolvetur.

Esto Ellipseos semiaxis major A, & semiaxis minor B, & quadratum semiaxis conjugati, hoc est, rectangulum CDE, sit = *ab*. Et, per Legum Corollarium secundum, area quam corpus P radio SP describit in tempore quam minimo, erit ut $\frac{SP \times PT}{n}$, hoc est, ut $\frac{AB}{n}$. Et propterea area tota Ellipseos ut $\frac{AB}{n}$. Sed area tota Ellipseos ut tempus quo corpus P revolvitur. Et propterea tempus quo corpus P revolvitur, est ut $\frac{AB}{n}$, hoc est, ut $\frac{A}{n}$ & $\sqrt{ab}$ conjunctim. Q. E. I.

PROBLEMA IX.

Si corpus P revolvatur in Ellipsi: requiritur lex vis centripetæ tendentis ad centrum Ellipseos.

Esto Ellipseos semiaxis major A, & semiaxis minor B, & quadratum semiaxis conjugati, hoc est, rectangulum CDE, sit = *ab*. Et, per Legum Corollarium secundum, area quam corpus P radio SP describit in tempore quam minimo, erit ut $\frac{SP \times PT}{n}$, hoc est, ut $\frac{AB}{n}$. Et propterea area tota Ellipseos ut $\frac{AB}{n}$. Sed area tota Ellipseos ut tempus quo corpus P revolvitur. Et propterea tempus quo corpus P revolvitur, est ut $\frac{AB}{n}$, hoc est, ut $\frac{A}{n}$ & $\sqrt{ab}$ conjunctim. Q. E. I.

menta deponeret, illumq; protinus, se nudato, vestiret. Nocte verò sequenti, cùm se sopori dedisset, palatium spatiosum, & magnum, cum militaribus armis Crucis signaculo insignitis, is, pro cuius amore militi egeno subuenerat, dignatiua sibi reuelatione monstrauit, nec non visa omnia sua fore, militumq; suorum si Crucis Christi vexillum constanter assumeret, sub asseuerationis certitudine repromisit. Sed tam S. Franciscus, quàm eius filij assumpserunt constanter Christi vexillum, sanctam Crucem, & hæc est illorum insigne, & character. Vnde quemadmodum militares & Religiosi Ordines e suis insignibus dignoscuntur, ita Cruce, illustrissimo vexillo, dignoscitur Seraphicus Ordo. Francisco igitur & militibus eius magnum illud palatium cum militaribus armis dandum fuerat. Sed quodnam illud erit? An regnum cæleste? de quo dicitur Psal. 83, 1. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Non inficior. Verùm vt Dominus Abrahæ & semini eius pro sanctæ legis obseruantia, præter terram viuentium, electorum habitationem, etiam terrestrem locum terræ Chanaan, quæ illius typus erat, repromisit, vt vidimus in præcedentibus; ita idem Dominus S. Francisco & Fratribus eius pro Crucis Domini vexillo ab illis portato repromisit primariò quidem cæleste palatium, secundariò verò, & velut arrham eiusdem, terrestria Terræ sanctæ loca.

Palatium Francisco ostensum & promissum, Terra sancta est.

Prophetia ex euentu cognoscitur.

Nec gratis hæc à me asserta quis dicet, si aduertat, quod præclarè scripsit Irenæus cap. 43. lib. 4. Aduersus hæreses: *Omnis Prophetia, priusquam habeat effectum, ambiguitas & anigma est hominibus, cùm autem venerit tempus eius, & euenerit quod prophetatum est, tunc prophetiæ habent liquidam & certam expositionem.* Et sanè Apostoli, postquam in morte & resurrectione Christi consummata fuerunt quæ de eo scripta fuerant, intellexerunt Scripturas eis anteà absconditas, & verba quæ non perceperunt dum cum eis viuens Dominus loqueretur. Eodem modo in nostro casu, etli, antequam Franciscani Fratres ad Terræ sanctæ regimen admitterentur, dubitari potuerit an de ea locutus fuerit in illa visione Dominus B. Francisco, non tamen postquam iam ad eam admissi sunt. An non ad instar palatij B. Francisco ostensi est Terra sancta, ne dicam ipsummet Summi Regis palatium? cuius stemmata Cruces sunt, & quocumque te verteris, siue ad Præsepe Domini, siue ad sacratissimum Caluariæ montem, vel gloriosum Christi Domini Sepulchrum, vel ad alia sancta loca, aliud quàm cruces non inuenies, quod est Christi Domini, & glorioſi eius vexilliferi Francisci & Fratrum illius signum atque vexillum.

Promissio Francisco facta quare non statim impleta.

Sed enim, quemadmodum facta Abrahæ Terræ Chanaan promissio in eius filijs impleta fuit, ita promissio illa B. Francisco facta, impleta fuit in filijs, quando vsque adeò multiplicati sunt, vt vbique locorum Deo gratum famulatum exhibere possent.

In Conformitatibus etiam S. Francisci lib. 1. Fructu 1. & Conformitate pro 2. parte dicitur, sanctitatem, & aduentum B. Francisci & eius Ordinis ad partes vltramarinas infidelium fuisse declaratam per quemdam Abbatem in partibus vltramarinis, habentem spiritum propheticum. Qui etiam mandauerit suis Monachis, quòd si quando in partibus illis Fratres B. Francisci, vel ipsum B. Franciscum viderent, cum cruce & omni reuerentia procedere deberent. Et sic fuit factum B. Francisco, cùm iam cum duodecim socijs mare transmisisset, & ad Soldanum pergeret, vt dicit Legenda antiqua. Hoc obseruari à Fratribus nostris in aduentu Præsulis sacri Montis Sion, qui gerit vices S. Francisci, quando venit ex partibus fidelium Ierosolymam, non est mirum: at similia lætitiæ & honoris signa ostendere etiam Monachos & Maronitas montis Libani, quando ad eos aliquem ex Fratribus S. Francisci diuertere contingit, consideratione dignum est.

Secunda ratio, vt Maurita infideles instruant.

Secundò voluit Deus Franciscanos Fratres inter istos infideles Palæstinæ & alios habitare, vt per eosdem ad Christi fidem conuertantur. Ea est Dei optimi maximi in rebus gubernandis prouidentia, vt omnia fortiter suauiterque opportunis medijs disponat, vt in libro Sapientiæ cap. 8, 1. proditum est. At commune & opportunum medium ad conuertendum infideles ad fidem & Religionem Christi, est fidelium apud illos habitatio & mansio; quoniam hoc pacto eorum captatur beneuolentia, docilioresque redduntur.

Hoc vtriusque Testamenti comprobatur testimonijs. In veteri quidem ex conuersatione Iudæorum cum Ægyptijs, multos ex his ad Iudaismum conuersos, & salutem consecutos fuisse legimus. Exodi 12, 27. *Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis*, id est Iudæis, quando egressi sunt isti de Ægypto: quia multi de Ægyptijs, viri & mulieres, videntes ea quæ Dominus fecerat pro Hebræis, iunxerant se eis, conuersi ad Iudaismum, & sic iuerunt cum eis, vt in hunc locum dicunt Lyranus & alij. Sanctus etiam ille senex Tobias cap. 13, 3. hanc reddidit rationem quare Iudæos inter gentes dispersit Dominus, dicens: *Confitemini Domino filij Israël, & in*

Digitized by Google

to which I cannot answer, but I am sure I never had any such thing in my thoughts. I am sure I never had any such thing in my thoughts. I am sure I never had any such thing in my thoughts.

cta verbà: *Contra ſectam Mahumeti ſpurciſſimi porci, audacter dico, nullum Ordinem ſic inſurrexiſſe. B. Franciſcus contra ipſam ter accedendo ad terras infidelium egit, atque Fratres miſit, qui ipſo B. Franciſco viuente, vt infrà dicetur Fructu 8. ſunt martyrio coronati, & vltra ſexaginta à Saracenis de Fratribus B. Franciſci ſunt martyrizati.* & alij poſteà.

Tertiò, multò anteà hæc in Iſaia capit. 26, 2. mihi indicata fuiſſe videntur illis verbis: *Aperite portas, & ingrediatur gens iuſta, cuſtodiens veritatem.* & poſt pauca: *Quia incuruabit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit. Humiliabit eam vſque ad terram, detrahet eam vſque ad puluerem. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, greſſus egenorum.* Loquitur de Ieruſalem, & alia ſublimi ciuitate conculcanda, id eſt diuino cultui ſubijcienda, per gentem iuſtam & pauperem, An non hanc dices Seraphicam, quam profeſſione talem nouimus eſſe?

Quartò denique his conſona ſunt quæ Dominus loquitur per Sophoniam c. 3, 11. ad Ieruſalem, in hunc modum: *In die illa non confundêris ſuper cunctis adinuentionibus tuis, quibus præuaricata es in me: quia tunc auferam de medio tui magniloquos ſuperbiæ tuæ, & non adycies ex altari ampliùs in monte ſancto meo. Et derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum; & ſperabunt in nomine Domini.* An non verum, huius mundi ſapientes & magniloquos de hac Terra eſſe ſublatos, & in eadem habitare populum pauperem & egenum, Minoritanum inquam Ordinem, & vt dixit Saluator noſter Matth. 11, 25. abſcondit hæc cæleſtis Pater *à ſapientibus & prudentibus*, hoc eſt, *arrogantibus falsò grandibus, & ſuperbis*; & reuelauit *ea paruulis*, id eſt, *humilibus*, vt interpretatur S. Auguſtinus Serm. 8. de Verbis Domini. Et quinam in ſancta Dei Eccleſia habitu, nomine & profeſſione magis paruuli & humiles Fratribus Minoribus, accolis ſanctæ huius habitationis?

Tertia, vt in Terra ſancta eſſet exemplar Apoſtolicæ vitæ.

Tertia ratio: Minores Fratres admiſſi fuerunt ad habitandum in ſancta ciuitate, vt ſemper eſſet in ea perfectum exemplar primitiuæ Eccleſiæ, veterumque Chriſtianorum, & ſimilitudo cæleſtis Ieruſalem. In primitiua Eccleſia non ſolùm Ieroſolymis *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna; nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia*, Actor. 4, 32. ſed ampliùs erat Apoſtolorum congregatio, quæ nihil poſſidebat in particulari, vel communi, ideò eodem Actorum capite dicitur, quòd poſt Chriſti Aſcenſionem pecunia rerum venditarum ponebatur ad pedes Apoſtolorum, & non ad manus eorum, quia ipſi præ ceteris à temporalibus elongati, non ſolùm dominium, ſed ipſum pecuniæ vſum aſpernabantur. Vnde Gloſſa ibi ait: *Deſtituendum probat, quod tangere deuitat; & calcandum docet aurum, quod ſubdit greſſibus Apoſtolorum, in quorum perſona Petrus ad litteram dixit: Ecce nos dimiſimus omnia.* Et vt modus ille viuendi in communi repræſentabat communem Religioſorum vitam, & cæleſtem patriam; (*Qui ita viuunt*, inquit Gloſſa Bedæ, *vt ſint omnia communia in Domino, Cœnobitæ vocantur. Quæ vita tantò eſt felicior, quantò ſtatum futuri ſæculi imitatur, vbi omnia communia, quia Deus omnia in omnibus. Et quia ibi ſumma pax & ſecuritas, ciuitas, in qua typus huius vitæ præceſſit, Ieruſalem, id eſt, viſio pacis dicta eſt.*) ita modus viuendi Apoſtolorum erat exemplar inſtituti Minorum, quod omne prorſus dominium ab illis amouet, vt ſint ſolo vſu facti contenti, vt Summi docuerunt Pontifices, & dixit Cardinalis Vitriacus, relatus ſuprà Cap. LXVI. & typus inſuper cæleſtis Ieruſalem, & Terræ viuentium, in qua non eſt meum & tuum, frigidum illud verbum, ſed omnes Deo vnanimiter perfruuntur. Igitur vt Ieroſolymis ſunt aliqui Religioſi in communi viuentes, ſiue ſchiſmatici ſint, vt Græci, Armeni, &c. vel Catholici, vt Maronitæ; ita debuerunt eſſe Religioſi nihil nec in communi habentes, vt Apoſtolicæ congregationis perfectum exemplar in ea eſſet, & iſti ſunt Minores Fratres. Lege Aluarum de Planctu Eccleſiæ lib. 2. c. 58.

Lege Baron. anno Chriſti 34. num. 167.

Quarta ratio, quia ipſe Deus cuſtos eſſe voluit.

Quarta denique ac poſtrema quæ occurrit ratio, ceteris non inferior, ex his quæ Dominum reſpiciunt, ſit, vt omnes intelligant, non humana, ſed diuina ſapientia à Deo ipſo gubernari loca ſancta. Nam *quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius*, dixit S. Paulus 1. Corinth. 1, 27. Quare ſicut pro ſuſtentatione totius Eccleſiæ, eiuſque auxilio, datus fuit pauper & deſpectus Franciſcus cum ſuo Ordine, vt Innocentio Papæ III. à Domino præmonſtratum fuit; & ipſe Dominus beato Franciſco dixit, ſe pauperem & humilem ad tam arduam prouinciam, quanta eſt Eccleſiæ ſuſtentatio, & Seraphici Ordinis fundatio, elegiſſe, vt ipſe auctor & conſeruator agnoſceretur, vt in eius Vita ſcribit Bonauentura, & nos ſuprà attigimus Cap. LXIX. ita vt omnes intelligerent, non in ſapientia carnali, & prudentia huius ſæculi gubernari ſci

S. Bonau. in Maiori Legen. ſancti Francisci cap. 1.

loca

loca ſancta, ſed diuina, miſſi ſunt agni inter lupos, qui cum ſerpentis prudentia columbæ ſimplicitatem copulatam haberent: miſſus eſt columbinus Ordo, puſillus grex, cui Domino complacitum fuit dare regnum ſuum, vt eius gubernator exiſteret, ſiue melius, vt per ipſum gubernator Deus agnoſceretur. At ea ſimplicitate columbina tantum valuit Seraphicus Ordo, vt ex illis deturbatus numquam ſit, etſi plures inſtructi ſapientia & potentia huius ſæculi, illum inde ejicere ſæpiùs conati fuerint: qui protectores eſſe debuerant, facti fuerint impugnatores & perſecutores. *Perdidit* enim *Deus ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobauit, & ſtultam fecit Dominus ſapientiam huius mundi*, vt dixit idem Apoſtolus 1. Corinth. 1, 25.

Hæ ſunt rationes Deum reſpicientes, quæ inter alias occurrerunt, quare voluerit Deus optimus maximus loca ſancta gubernari à Fratribus S. Franciſci, debito ſilentio venerantes quas Deus ſibi reſeruauit. Reliquas, quæ S. Franciſcum & eius ſacrum Ordinem concernunt, porrò proſequamur.

CAPVT LXXIII.

Quatuor aliæ rationes ſiue conſiderationes, quæ S. Franciſcum vel eius ſacrum Ordinem reſpiciunt, quare hic inter ceteros S. Eccleſiæ Ordines deſtinatus ſit ad cuſtodiam locorum Terræ ſanctæ.

Prima ratio conformitas ſancti Francisci cum Chriſto. Pſal. 67, 7.

RAtiones quę S. Franciſcum & ſacrũ eius Ordinem reſpiciunt, quare hic delectus ſit ad cuſtodiam locorum Terræ ſanctę inter ceteros S. Eccleſiæ Ordines, tres occurrunt.

Prima, Deus *habitare facit vnius moris in domo*, vt Prophera dixit: conuenit ſiquidem eiuſdem moris perſonas intimul habitare, cùm facile huiuſmodi in vnum congregentur. At quiſnam Sanctorum fuit Chriſto Ieſu conformior atque ſimilior, quam B. Franciſcus? Quiſnam in tota Chriſti Eccleſia Ordo ſimilior Ordini Apoſtolico, quam noſter Seraphicus? An non pauperrimus, humillimus, & totus Apoſtolicus Franciſcus ſtigmata Domini Ieſu in corpore ſuo portat, quibus inter ceteros Sanctos Chriſto ſimilior redditur? An non eius Ordo in ſumma humilitate, & altiſſima paupertate fundatus eſt, qui reijcit à ſe omnes temporalium rerum dominium in particulari & commun, promittens ſanctum Dei Euangelium obſeruare, vt ditior ſpiritualium bonorum efficeretur? Hæc quidem adeò clara ſunt, vt probatione non indigeant. Quare meritò in Chriſti & Apoſtolorum domo Apoſtolici habitant Franciſcani.

Hanc rationem priùs excogitauit Benedictus Accolitus lib. 4. de Bello à Chriſtianis contra barbaros geſto, pro Chriſti Sepulchro & Iudæa recuperandis, num. 33, vbi agit de monte Sion. ſic enim dicit: *In ipſo montis cacumine turris eſt vetuſti operis, quondam Dauid appellata, qua pro arce Barbari vtebantur: ædes etiam D. Franciſci, quo in loco multi homines, ſectam eius & mores ſecuti, caſtè integreq; vixerunt, quamuis inter medios Barbaros fidei hoſtes verſarentur. Quod annuiſſe Deum crediderim, vt, ſicut Auctor huius Religionis Chriſto ſimilior vitâ fuit, ſic à ſolis poſteris eius, poſt res perditas Chriſtianorum ibi ſacra ritè fierent, vnde ſalus hominum prodyt.* Hæc ille.

Secunda. Minoritica paupertas.

Secunda ratio. Decet Minorum Fratrum Ordinem, ob ſanctam & altiſſimam eius paupertatem, in iſtis partibus habitare, quoniam pauper vbique regnat abſque timore & metu, quocumque vadit, & ab omnibus recipitur, paucis contentus. Itaque cum paupertimus Ordo ſit noſter Seraphicus, pauciſque contentus, ſi habeat quibus nutriatur & tegatur, aliud non quærit, & ſine diſpendio & timore commode vbique ſuſtentari poteſt. Sunt etiam Fratres Franciſcani velut milites emeriti, qui vbique recipi debent, & pro anteactis meritis præmiari. Et habitus noſter inuiſus non eſt, ſed gratus, adeò vt alij fideles eo induantur, vt bene ſit illis ab ipſis infidelibus.

Tertia, vt ſecurius loca ſancta conſeruentur.

Ex ſecunda præmiſſa ratione, tertia ſequitur. Electus eſt Seraphicus Ordo ad locorum ſanctorum regimen, quoniam ob altiſſimam quam profitetur paupertatem, ac vitæ aſperitatem, videtur ad illa perpetuò cuſtodienda inter ceteros maximè idoneus. Illud compertiſſimum, vt propoſitam rationem explicem, ſæpè fideles affligi, debellari, ac de proprijs ejici ſedibus ab hoſtibus & infidelibus propter diuitias, aliarumq; rerum temporalium copiam & opulentiam, cui exteri inhiant, & quæ domeſticos poſſidentes improbos ac torpentes ob illarum abuſum reddit. Et pluribus ad hoc confirmandum prætermiſſis, vnicum vel alterum ſufficiat omni exceptione maius teſtimonium & exemplum. Iſaias Propheta cap. 2, 6. *Proieciſti populum tuum, domum Iacob, quia repleti ſunt, vt olim. Repleta eſt terra argento & auro, & non eſt finis theſaurorum eius, & repleta eſt terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius.* Et Amos cap. 5, 11. *Domos quadro lapide ædificabitis, vineas plantabitis amantiſſimas*, &c. *Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum Dominator: In omnibus plateis planctus,*

ctus, & in cunctis quæ foris sunt, dicetur, Væ, væ. Et manifestius Isaias quòd indicat ob coaceruatas multiplices diuitias, & in mundanos superfluosque vsus consumptas, Deus det hostibus victorias, dum ait cap. 3, 1. *Ecce Dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ,* &c. Et quare? quia *atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, & pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion,* &c.

Sed & propter luxum & diuitiarum copiam, quam Ierosolymitani Christiani in profanos ac sacrilegos vsus profundebant, vltimò per Saladinum & Mahumetanũ exercitum deuicti, ac de sancta ciuitate ac tota promissionis Terra expulsi sunt, ipsa ciuitate & tota regione in canum potestate relicta. Tolerabilius est Deo ab exteris, quàm à domesticis offendi. Hoc notauerat Cardinalis Vitriacus in Historia Ierosol. cap. 69. & 70. & post eum Martinus Sanutus, dictus Torsellus, lib. 3. Secretorum fidel. cruc. par. 8. cap. 6. vbi agit de illius temporis regularis ac Clericalis status de prauatione, quod totum hic subijcere, vt argumento nostro valdè consentaneum, non credo iniucundum futurum Lectori. sic verò habet: *Postquam omnis panè fidelis populus Prælatis, Clericis, & Regularibus Terræ sanctæ transmisit munera, diuitias contulit, quasi tributarius factus est: cæperunt pastores se ipsos pascere, & neglecta ouium cura, cæperunt eos tondere, non nutrire, earumq; lacte lanaq; non contenti, fugere ad luporũ accessum, facti mercenarij de Prælatis. Mercenarius, inquit Gregorius, locum pastoris tenet, & lucrum animarum non quærit. O pastor & idolum, derelinquens gregem,* ait Dominus per Zachariam. *Pastor certè, ratione prouentus & commodi; sed idolum, ratione neglecti officij, & ministerij impleti. Idolum enim nec videt nec intuetur, cùm oculos habeat; nec arcet, nec comminatur, cùm virgam teneat; nec admonet, nec affatur, cùm apparentiam habeat Principis & Prælati: adoratur tamen & colitur. Tales facti erant Pastores Terræ illius, circa spectanda, cæci, & duces cæcorum; circa praua opera arguenda, canes muti, non valentes latrare; honorari tamen volentes: quasi vaccæ pingues in monte Samariæ, de Christi patrimonio impinguati, incrassati, dilatati: de eius paupertate, diuites; ipsius humilitate superbi, & ignominiâ gloriosi, in domum Domini intrantes pompaticè: Giezi leprâ vtinam non respersi, dum cathedras vendentium columbas erigunt, quas Christus euertit, cum Iuda tam fure quàm proditore dicentes: Quid vultus mihi dare, & ego eum vobis tradam? Sæpè à Simone Petro clauem tollentes, vt Simoni Mago darent; diuitijs quoque ac deliciis abundarent, & catulos suos non de micis quæ cadunt de mensa, sed delicatis nutrirent cibarijs: turpiq; otio marcidi, & luxu multiplici defluentes, pernicioſa exempla in subditos transmittebant. Regulares quoque vt Clerici, veneno diuitiarum infecti fregerunt iugum Regulæ, ruperunt vincula statutorum, Superioribus inobedientes, & cum Clericis altercantes: & quorum officium erat plangere, nunc quærunt Sacramenta Ecclesiastica ministrare, infirmos non ex pietate, sed quæstu pecuniæ visitare, mortuos sepelire, recipiunt ad officia & sepulchra interdictos, & nominatim excommunicationis vinculo innodatos, Prælatorum sententias contemnunt, Abbates enim & Priores, & Monachi, eorumq; miserabiles Capellani, in alienam messem falcem mittere non timebant, clandestinis matrimonijs personas illegitimas aut fugitiuas illicitè copulantes. Eneruato proinde rigore Ecclesiasticæ disciplinæ, homines pestilentes, Prælatorum sententias contemnebant. Sed & ipsi etiam inter se inuicem inuidentes, inuicem detrahentes, non sine graui scandalo populi Christiani, vsque ad apertas contumelias, odia manifesta, & persecutiones publicas, & ferè vsque ad conflictus non solùm verborum, sed etiam verberum prorumpebant. Non solùm quoque Monachi, sed etiam Moniales, Superioribus suis inobedientes, excusso disciplinæ iugo, de claustris exilientes, quondam lapides Sanctuarij, nunc reperiebantur dispersæ in capite omnium platearum, publica balnea irreligiosè cum personis irreligiosis frequentantes. Et factus est sicut populus, sic sacerdos, & regularis quemadmodum secularis. Ex adipe enim deliciarum & diuitiarum prodijt iniquitas, ita vt rarus esset, qui inter sanctum discerneret & profanum, & pretiosum separaret à vili. Nónne scriptum est, Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea? &, Et modicum quoque fermenti totam massam corrumpit, quæ corruptio debuit generari ex tanta & tam diuersa multitudine hominum impiorum ad Terram sanctam concurrentium? Illuc conuenerant multi hæretici atque schismatici, multi etiam sortilegijs dediti, sacrilegijs infecti, viri sanguinum, homicidæ, superbi, iracundi, elati, contumelioſi, seditioſi, iurgia prouocantes, discordiam seminantes, desides & ignaui, crapula & ebrietate grauati, luxuria & immunditia fœtidi, insipientes, incompositi, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. In medio igitur nationũ tam praua atque peruersa dum habitat populus Domini, didicit opera eorum, & factum est illi in scandalum: quia enim, sicut & Iudæus, non repulit Iebusæum maledictum, mendacium, homicidium & furtum inundauerunt, &*

Zach. 11, 17.

Mat. 26, 15

Isa. 24, 1.

Psal. 72, 7.

Eccli. 13, 1

1. Cor. 5, 6.

Gen.6.5.7. *& ſanguis ſanguinem tetigit. Videnſq; Deus quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis humani intenta eſſet ad malum omni tempore (omnis quippe caro corruperat viam ſuam) tactus dolore cordis intrinſecus, ait: Ego delebo eos cum terra: inducenſq; diluuium gentium immundarum, eraſit de terra maleficos, & Terram illam electam & glorioſam gloria ſpolianit: Sepulchrum quoque ſuum, ac cetera loca ſacra tradidit inimicis Crucis ſuæ, dicens: Puduit minùs in peregrinis quàm caſtris ſordere meis.* Hæc Sanutus.

Itaque ſi præmiſſa vera ſunt, vt hac noſtra tempeſtate pauci illi fideles, qui Ieroſolymis & in alijs Terræ ſanctæ locis diuina prouidentia ſuperſunt, & incunabula Saluatoris, illius ſanctiſſimum Sepulchrum, & alia venerabilia ſalutis noſtræ myſterijs condecorata ſanctuaria, nomine ſanctæ & Catholicæ Eccleſiæ cuſtodiunt, in eorumdem cuſtodia perpetuò permaneant ac permittantur, ſint opere, voluntate ac profeſſione diuitiarum contemptores, abdicantes à ſe omnem faſtum & pompam mundialium rerum; ſint mites, humiles, pauperes ac nudi: illum qui mitis & humilis corde eſt, qui cùm eſſet diues, egenus & pauper pro nobis factus eſt, non habens vbi reclinet caput, quiſque amictus lumine, ſicut veſtimento, & gloria & honore circumdatus, nudus in natiuitate, in præſepio, in morte, in cruce apparere voluit, imitentur. Eiuſmodi namque idonei erunt locorum illorum miniſtri: non illos eijciet mundus, quoniam in ipſis nihil inuenitur quod quærat mundus. Quinam verò magis tales quàm Minores Fratres, qui voto Euangelicam Chriſti & Apoſtolorum altiſſimam paupertatem profitentur, frugali victu & vili tegumento contenti: qui, vt pius ille ac doctus Iacobus Vitriacus ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis eminentiſſimus, cuiſque probè notum erat Minorum inſtitutum, dixit, *adeò primitiuæ Eccleſiæ Religionem, paupertatem & humilitatem in ſe reformare diligenter procurant, puras Euangelici fontis aquas cum ſiti & ardore ſpiritus hauſtientes, quòd non ſolùm Euangelica præcepta, ſed & conſilia, vitamq; Apoſtolicam expreſſiùs imitantes, omnibus modis adimplere laborant, omnibus quæ poſſident renuntiantes, ſeipſos abnegantes, crucem ſibi tollendo nudi nudum ſequentes, relinquentes pallium cum Ioſeph, hydriam cum Samaritana.* Et cùm ſint eiuſmodi, ampliſſimas eleemoſynas, quæ ex diuerſis mundi partibus à pijs fidelibus Ieroſolymâ mittuntur vel deferuntur, dant infidelibus Turcis, vt redimant vexationem, ne expellantur à ſanctis locis, eaque

In Hiſtor. Occid. cap. 23.

ſchiſmaticis tradantur, & contemptui habeantur, pauca ſibi reſeruantes pro ſuo, peregrinorum ac aliorum pauperum ſubſidio. Probè hoc norunt Turcæ; & non ſemel quidam ſanctæ Ciuitatis Gubernator opportuna occaſione mihi dixit: *Scio veſtram viuendi rationem, paucis vos eſſe contentos, pauperibus, laceris ac reconcinnatis veſtibus indui, ideò Chriſtiani Principes hîc vos alunt, vt pretioſas quas mittunt veſtes ac copioſas pecunias detis mihi.* Et profectò experimento comprobatur quod dixi: nam ab anno Domini 1313. à quo fuerunt admiſſi Minores ad ſanctorum locorum regimen, in eodem continuè perſeuerauerunt in ſua paupertate & vilitate inter hoſtes barbaros, ſchiſmaticos & infideles, vſque ad præſentem 1634. ac deinceps cum Dei adiutorio in eodem regimine perſeuerabunt. Atque ex his liquet, quàm prudenti ac ſalutari conſilio Seraphicus Minorum Ordo ad cuſtodiam locorum ſanctorum delectus fuerit.

Quarta & poſtrema quæ occurrit ratio. Loca ſancta tradita ſunt Minoritis, quoniam illis iure quodammodò hereditario conueniunt. Facilè ratio iſta explicaretur, ſi ad Franciſcanos illa Iuris Regula trahi poſſet, *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio*, & bona Monachi eſſe Monaſterij ac Religionis cuius ille eſt Monachus; bona item filiorum ad parentes pertinere, in illiſque in hereditate ſuccedere, tum præſertim ſi emancipati non ſint, vel oppoſitum teſtati non fuerint, vel non potuerint debuerintve in morte, ſed fuerint quod iuſtum eſt teſtati. Sed ſic eſt, quòd Religioſi aliqui vtriuſque ſexus, voluntate, habitu & profeſſione fuerint Reges Ieroſolymitani ac totius Terræ ſanctæ domini, (ſiue ius illius pertineat ad Gallos, ſiue ad Hiſpanos; nam tam ex Gallis quàm ex Hiſpanis eiuſmodi fuerunt, omnes de Ordine Seraphico optimè meriti, eidemque plurimùm addicti) igitur Terra ſancta, & eiuſdem hereditas ad ipſorum parentem, Religionem Seraphicam, deuolui debuit, præſertim cùm oppoſitum non ſtatuerint, ſed efficaciter voluerint loca ſancta eidem Religioni dari, vt ſuprà Capite LXVII. viſum fuit.

Quarta ratio, eſt inſtitia congruentia.

C. Multos. cap. Cùm Olim. 2. De priuil. & cap. In præſentia. De probat.

Filij ac Religioſi ſancti Francisci aliqui Reges fuerunt.

Aſſumptio probatur. Nam Ioannes Brenna Imperator Conſtantinopolitanus, natione Gallus, & Godefridi Bullonij, primi Regis Ieruſalem, propinquus, & ipſe eiuſdem ſanctæ ciuitatis Rex, fuit Frater Minor, & cum habitu S. Franciſci è vita diſceſſit, vt Part. 1. Chronici S. Franciſci, lib. 2. cap. 75. videre eſt.

Io. de Brenna Imper. Conſt. & Rex Ieruſ. fuit Frater Minor.

Robertus Sicilia Rex cum habitu Minorum deceſſit, & eius vxor Sancia Claruſſa fuit.

Robertus Rex Siciliæ cum habitu S. Franciſci è vita abijt, & eius piiſſima coniux

Regina Sancia fuit Monialis S. Claræ, vt dicitur Parte 2. eiuſdem Chronici lib. 8. cap. 48. & 49. Et iſti pro Fratribus S. Franciſci loca ſancta emerunt, vt iam vidimus. Et de his omnibus in Conformitatibus S. Franciſci lib. 1. Fruct. & conformit. 8. pro 2. Parte, *Franciſcus ſecundatur*, ſequentia habentur, & primò de Ioanne: *Rex Ieruſalem Ioannes, & Imperator Conſtantinopolitanus fuit Frater Minor, cuius filia fuit vxor Imperatoris Frederici ſecundi. Hic cùm rogaſſet Deum, quòd ſibi oſtenderet, quomodo & qualiter mori deberet, conſideratis triumphis, & gloria, quos & quam in mundo habuerat; apparente ſibi B. Franciſco, cui erat deuotus, tribus vicibus, id eſt tribus noctibus ſucceſſiuè, cum chorda, ſoleis, habitu, & dicente, quòd voluntas Dei erat, quòd moreretur in prædicto habitu, & in prima nocte & ſecunda, non ſine lacrymis horruerit ad tantam deiectionem pertingere, tertia tamen vice, ſtatim vt de nocte apparuit, voluntatem Dei agnoſcens, accerſito Fratre Benedicto de Aretio, tunc Antiochiæ & Romaniæ Miniſtro, cum maxima deuotione factus eſt Frater Minor, & ſic finaliter diſceſſit. Et adeò in ſumma vixit humilitate, vt ad Deum multoties quaſi conquerendo diceret, quare non dederat ſibi fortitudinem, vt omnia humilitatis officia cum alijs Fratribus ipſe exercere valeret. Hic ſepultus eſt Aſiſij, etſi ſuper ſepulturam in habitu Regali ſit ſculptus.* Hæc ibi. & poſt pauca de Roberto & Sancia vxore eius: *Hic multoties, dum viueret, ſtans in Monaſterio ipſo de ſancta Clara, cum vxore ſua domina Regina Sancia, Regina ipſa induente habitum ſororum Minoriſſarum, ipſe habitum Ordinis induebat. Ad Fratres ibi morantes veniebat ſic indutus, & eis cum ſumma deuotione ſeruiebat in menſa, ſicut à Fratre audiui, qui hoc pluries vidit. In caſtro ſuo nouo & regali multoties ad Matutinum ſurgebat cum Fratribus, & habitum Ordinis indutus, cum eis diuinum perſoluebat officium. Stabant enim in ſua capella duodecim Fratres. Demum cùm eſſet infirmus per decem & octo dies ante obitum, habitum Ordinis de manu Miniſtri ſuſcipiens, fecit profeſſionem in eius manibus, & moriens vt Frater Minor ſepultus eſt in monaſterio S. Clarę, ſicut patet cunctis intuentibus.* Hactenus ibi.

S. Ludouicus Galliarum Rex fuit Tertij Ordinis S. Franciſci Tom. 2. an. 1254. num. 32.

Sanctus Ludouicus Rex Galliæ fuit admodum Seraphico Ordini addictus, & fuit Tertij Ordinis S. Franciſci, vt luculenter oſtendit P. Lucas VVaddingus in Minorum Annalibus.

Philip. III. Hiſpaniarũ Rex cum habitu Minorũ obyt.

Ac denique Philippus Hiſpaniarum Rex huius nominis III. habitum Seraphici Ordinis S. Franciſci à Reuerendiſſimo P.F. Benigno à Genua, eiuſdem Ordinis Generali Miniſtro, accepit, & in ipſo ſpiritum Deo reddidit, vt in probato Auctore legi, & ab ijs qui tum præſentes fuerunt, imò ab ipſomet Patre Generali intellexi. Ad Regem autem Hiſpaniarum pertinere ius Regni Ieroſolymitani ac totius Terræ ſanctæ, præter Hiſpanos, tenent multi alij.

Igitur cùm, quotquot ius habere vel prætendere poſſunt ad Ieroſolymitanum Regnum, ſiue Galli, ſiue Hiſpani Neapoliſque ac Siciliæ Reges, fuerint Seraphicæ Religioni addictiſſimi, & eiuſdem profeſſores, manifeſtè apparet, quàm rationabiliter loca ſancta tradita ſint Seraphicæ Religioni & eiuſdem Fratrum cuſtodiæ. Quod ſi non placet illis dominium concedere, quia omnis dominij incapaces ſunt, concede illis iuſtum regimen, & rationabilem adminiſtrationem, & ſat illis erit.

CAPVT LXXIV.

Rationes aliquæ, ex parte ipſius Dei, quare non à ſolis Catholicis, ſed & ab infidelibus, ſchiſmaticis & hæreticis, gubernari loca ſancta permittat.

IVre quidem & meritò loca ſancta cuſtodiæ Catholicorum filiorum Fratrum S. Franciſci commendata fuiſſe, duobus proximè præcedentibus Capitibus vidimus. Sed enim primo aſpectu non videtur ſapientiſſimus Deus opportunè, decenter ac ſufficienter eiſdem prouidiſſe, & minùs circa eorum cuſtodiam fuiſſe ſollicitus, quàm circa conſeruationem aliarum Eccleſiarum, quæ non tantæ æſtimationis eſſe videntur; quoniam corporali eius præſentia conſecratæ non fuerunt; quas nihilominùs non per ſolos Fratres Franciſcanos Catholicos cuſtodit, ſed & per alios fideles Monachos & Clericos, & ſuæ Regiæ Sanctuaria etiam à ſchiſmaticis & infidelibus gubernari permittit.

Si ſapiens & prouidus Rex rectè totum Regnum, in quo eius ſerui & ſubditi habitant, gubernat; quanto diligentiori cura vrbem, & domum Regiam gubernabit, in qua ipſe cum omnibus domeſticis ſuis viuit? Salomon præter alias vrbes Regni ſui ſollicitus fuit de Ieruſalem, Rex Aſſuerus de Regia ſua vrbe Suſan, Romani de Roma; alij denique Principes de præcipuis ſuis ciuitatibus ſollicitiores ſe, quàm de alijs demonſtrant: & Rex Regum, Dominus noſter ſuæ Regiæ, loci electiſſimi (de quo dixit, *Elegi & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus,*

diebus, 2. Paralipom. 7, 16. minùs ſollicitus erit?

An non meliùs cuſtodiuntur loca ſancta à ſolis Catholicis, quàm à Catholicis & hæreticis? Dubio namque procul tum interiori tum exteriori cordis & mentis munditie ab illis Deus die noctuque honoraretur, vt in partibus fideliũ fit, quod ab hæreticis numquam præſtabitur, quorum ſabbata, ſolemnitates, & orationes ſemper execratur ac deteſtatur Deus. Videmus interim, & cum dolore noſtro videmus, quædam etiam præcipua ſancta loca cuſtodiri à ſchiſmaticis & hæreticis. Quid hoc eſt, Domine Deus?

Rationes Deum veſtificantes.

Plures ob rationes id iuſte Deum permiſiſſe arbitror, quarum nonnullæ Deum ipſum, nonnullæ ipſos inhabitantes ſchiſmaticos & Catholicos reſpiciunt. Quæ Deum, in præſenti Capite; quæ hæreticos vel Catholicos, in ſequenti adducemus. Et quæ Deum quidem concernunt, quinque occurrunt.

Prima ratio. Cuſtodiuntur loca ſancta etiam à ſchiſmaticis, vt Deus omnium Deus cognoſcatur.

Prima ratio. Permittit Deus loca ſancta non ſolùm à Catholicis, ſed & à ſchiſmaticis & hæreticis cuſtodiri, à quibus partim legitimo, partim ſuperſtitioſo ritu colitur, vt omnium, tum fidelium, tum infidelium, tam bonorum quàm malorum Deus eſſe in ſua Eccleſia cognoſcatur.

Ad huius rationis intelligentiam duo adnotanda ſunt. Alterum, terreſtrem iſtam Ieruſalem, & Terram promiſſionis, ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ typum eſſe. Ad hanc verò Eccleſiã qui pertineant, duæ, ſibique, vt videtur, è diametro oppoſitæ ſunt ſententiæ. Prior eſt illorum, qui contendunt, omnes baptizatos, bonos & malos, Catholicos & hæreticos vel ſchiſmaticos, ad Eccleſiam ſanctam Catholicam verè pertinere. Poſterior verò aliorum eſt, qui ab ea excludunt hæreticos, ſchiſmaticos, & etiam excommunicatos; & ſolos eam baptizatos fideles, eique obtemperantes, ſiue iuſti ſint ſiue peccatores, includere affirmant. Et hæc ſententia communior & vera videtur.

Qui ad Eccleſiam pertineant.

Prima ſententia.

Secunda.

Ratio huius ſententiæ eſt, quia Eccleſia eſt velut ſagena, in ſe bonos & malos congregans piſces; velut aréa in qua cum grano ſimul eſt palea; eſt ſimilis decem virginibus, prudentibus & fatuis, vt dixit Dominus Matth. 13, 47. in quibus ſimilitudinibus vnio quædam dignoſcitur, quæ non eſt inter Catholicos & excommunicatos hæreticos vel ſchiſmaticos; igitur ad Eccleſiam, quæ vna eſt, non pertinebunt. An non eſt *vnum ouile*, vt dicitur Ioan. 10, 16. *vnum corpus*, Rom. 12, 4. *vna ſponſa, vna amica, vna columba*, Cantic. 6, 8. At ſchiſma, hæreſis, & excommunicatio hanc tollunt vnitatẽ, vt conſtat; quare fideles cum hæreticis, ſchiſmaticis, & excommunicatis conuerſari prohibentur Matth. 18, 17. etiam præcepto Eccleſiæ. Hæc eſt ſententia Auguſtini, quæ habetur 11. quæſt. 3. can. Omnis. *Omnis*, inquit, *Chriſtianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur, ſatanæ traditur. Quomodo? Quia ſcilicet extra Eccleſiã diabolus eſt, ſicut in Eccleſia Chriſtus.* Et S. Cyprianus ait, truſtrà ſibi blandiri eos, qui cum Epiſcopo vel Sacerdotibus Dei pacem non habent, ſe eſſe in Eccleſia; quia Eccleſia, quæ Catholica, vna eſt, ſciſſa non eſt, atque diuiſa. Idem alij apud Bellarminum.

Bellar. Tomo 1 lib. 3. de Eccleſia milit. c. 4. §. & 6.

Sed enim, vt meliùs propoſitæ difficultati ſatisfaciamus, arbitror inter has duas opiniones mediâ viâ eſſe incedendum, nimirum, aliquos pertinere ad Eccleſiam, poſſe dupliciter intelligi: primo modo, actu; ſecundo modo, potentiâ. Illi pertinent ad Eccleſiam, & ſunt in ea actu, qui characte- re baptiſmali inſigniti, Catholicam fidem profitentur, Pontifici Romano obediunt, & ſacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis communicant. Et hoc veriſſimum eſt & extra controuerſiam, magisque ex dicendis apparebit. Illi verò pertinent ad Eccleſiam potentiâ, qui per Baptiſmum facti ſunt familiæ Chriſti, cuius veſtem in eo induerunt, etſi poſteà eam abiecerint, Eccleſiæ & Pontifici non obtemperantes, vt ſunt hæretici & ſchiſmatici.

Tertia ſententia.

Aliqui pertinent ad Eccleſiam actu, alij potentiâ.

Prior huius Aſſertionis pars, quòd nimirum iſti pertineant ad Eccleſiam, probatur triplici auctoritate, Scripturæ, Conciliorum, & ſanctorum Patrum. Primò auctoritate ſacræ Scripturæ. *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, ait D. Paulus ad Galat. 3, 17. *id eſt*, vt in hunc locum commentatur D. Anſelmus, *cuiuſcumque conditionis, vel ſexus, vel ætatis baptizati eſtis in Chriſto, id eſt in Chriſti nomine, vel in Chriſto, id eſt in Chriſti Baptiſmo, quem ipſe fieri decreuit in aqua & in ſpiritu, ac in nomine Trinitatis, Chriſtum induiſtis, id eſt Chriſtum pro veſte accepiſtis*, &c. De qua veſte idem Apoſtolus ad Roman. 13, 14. dicit: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Per Baptiſmum ergo efficimur membra corporis Eccleſiæ, cuius caput eſt Chriſtus.

Deinde, Concilium Florentinum in Inſtructione Armenorum docet, homines fieri membra Chriſti, ac de corpore Eccleſiæ, cùm baptizantur.

Tertiò, Id docent ſancti Patres. Auguſtinus lib. Quæſt. Euang. in Matth. cap. 11. Tom. 4. dicit: *Poſſunt dici filij mali etiam hæretici, quia ex eodem Euangelij ſemine, & Chriſti nomine procreati, prauis opinionibus ad falſa dogmata conuertuntur.* D. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 17. docet, Eccleſiam

ſiam ſanctam eſſe matrem etiam hæreticorum. Et ad id facere videntur verba illa Cantici Canticorum cap. 1, 5. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me. Poſſumus*, inquit in hunc locum Titelmannus, *per hos filios pugnantes, hæreticos & ſcandalizatores Fratrum peruerſos intelligere, qui Eccleſiam grauiſſimè impugnant, & multos de Eccleſia perdunt. Hos enim Eccleſia vocat filios matris ſuæ ratione membrorum ſuorum, id eſt filios ſuos, & fratres illorum in Eccleſia ſunt fideles.* Idem alij dicunt. Habent characterem, quo ab alijs infidelibus non baptizatis ſecernuntur, & cum Catholicis conueniunt.

Poſterior verò Aſſertionis pars, quòd actu non pertineant ad Eccleſiam, ſed potentiâ, probatur. Et Primò quòd non actu, ex ijs quæ ſuperiùs diximus pro ſecunda ſententia: in iſto enim ſenſu intelligenda arbitror, & nomina ipſâ id indicant, *ſchiſma* enim diuiſionem ſignificat.

Secundò, quòd potentiâ pertineant, probatur auctoritate & ratione. Auctoritate Primò: Patres, dum locum illum Pauli 2. Timoth. 2, 20. *In magna domo ſunt vaſa aurea, & argentea, & lignea, & fictilia*, interpretantur, magnam domum, Eccleſiam Catholicam; vaſa lignea & fictilia, hæreticos intelligunt. Ita Cyprianus, Ambroſius, & Auguſtinus. Hoc verò non ita eſt capiendum, quaſi voluerint hæreticos eſſe in Eccleſia actu, alioquin ſibimetipſis & Scripturæ aduerſarentur; igitur potentiâ, quia ad eam pertinent; habent namque ſignum Chriſtianorum, characterem ſcilicet baptiſmalem, poſſunt in caſu Sacramenta Eccleſiæ miniſtrare, quod alijs infidelibus non baptizatis facere eſt denegatum; & facilè Eccleſiæ, à qua receſſerunt, reconciliari poſſunt. Nimirum veluti milites, qui à proprij Ducis copijs ſe ſubtraxerunt, ad eum tamen pertinere dicuntur, & ex militari ſigno dignoſcuntur, quamuis actu ſub eo non ſint; & veluti oues, quæ à proprio paſtore & ouili exerrarunt, etſi cum alijs eodem in ouili non ſint, ad illud tamen eas pertinere haud eſt dubium, & ex ſigno internoſcuntur: ſimili modo de hæreticis & ſchiſmaticis philoſophandum arbitror, qui licet per incredulitatem & inobedientiam à Chriſti exercitu & ouili Eccleſiæ receſſerint, ex ſigno tamen, id eſt charactere baptiſmali, quo ab alijs infidelibus etiam in interno ſecernuntur, & exteriore Chriſti confeſſione (licet eum factis negent) Chriſtiani cenſentur. Et D. Auguſtinus lib. de Catechizandis rudibus cap. 17. aſſignat tria genera Chriſtianorum, hæreticos occultos, malos Chriſtianos, & bonos: hæreticos verò non numeraſſet inter Chriſtianos, ſi ſaltem potentiâ ad Eccleſiam non pertinerent.

Tria genera Chriſtianorum

Secundò idem ratione probatur. Primò, quia ſi iſti ad Eccleſiam nullo modo pertinerent, in Concilijs generalibus non accerſerentur, vt cum Catholicis de rebus fidei & Eccleſiæ ſanctæ negotijs agerent: at manifeſtum eos vocari, haud perinde Iudæos, Turcas, & Gentiles, quia iſti aliquo modo, hi nullatenus ad Eccleſiam pertinent.

Secundò, quia in hæreticos, ſchiſmaticos, & excommunicatos Eccleſia animaduertit velut contra eos qui in fidem delinquunt, non verò perinde in alios non baptizatos infideles: quod non faceret, ſi ad eam non pertinerent, cùm nullius valoris ſit ſententia quæ à proprio non fertur Iudice. Quare S. Paulus Apoſtolus, cùm de huiuſmodi ageret, *Quid*, inquit, *mihi de his qui foris ſunt iudicare?* 1. Cor. 5, 12. Ex his igitur, & alijs quæ breuitatis gratia omitto, apparet, quomodo hæretici & ſchiſmatici aliquo modo ad Eccleſiam pertineant, non actu quidem, ſed potentia, & quidem propinqua.

Orientalium & Occidentalium hæreticorum differentia.

Alterum notandum, eſt diſcrimen inter hæreticos & ſchiſmaticos Orientales & Occidentales, quales ſunt Lutherani, Caluiniani, &c. Hi multò illis ſunt peiores: non enim in intellectu modò, ſed etiam in voluntate deficiunt, acti in reprobum ſenſum, ambulant poſt concupiſcentias ſuas, pœnitentiæ & mortificationi renuntiarunt, nouas & falſas adinuentiones ex profundo abyſſi excitarunt, veram ſe doctrinam & Eccleſiam inueniſſe temerè & proteruè iactantes: Orientales verò, vt Græci, Armeni, &c. non ſunt eiuſmodi, errant magis in intellectu, & magnis ſunt dediti pœnitentijs & mortificationibus. Eorum Eccleſia ſequitur pro maiori parte veterum ſanctorum Patrum traditiones, & ritus illorum, qui in ſe mali non ſunt, olimque cum illorum obſeruantia Eccleſiæ Romanæ communicabant; quos profectò non recepiſſet in ſuam communionem cum ſuis ritibus, niſi boni & liciti eſſent. Et modò ſunt Romæ & alibi harum nationum Collegia, quæ in ſuis ritibus Eccleſiæ Romanæ obtemperant. Quin non infimæ notæ viri ideò arbitrati ſunt, illos non hæreticos, ſed tantùm ſchiſmaticos eſſe, etſi verè hæretici ſint, non quia ſint ab Eccleſia & Romano Pontifice diuiſi, ſed quia plures errores in fide mordicus tuentur, vt ſuprà Cap. xxxix. & ſequentibus oſtenſum fuit. Quare legitimo externo cultu, à ſanctis Patribus aliàs & ab ipſo Deo approbato, honoratur ab illis Deus benedictus.

Hæc,

Hæc, præter experientiam, didici etiam ex D. Hieronymo in ea quam ſcripſit Epiſtola ad Marcellam, vbi loquens de illis nationibus habitantibus Ieroſolymis, vel ad eam venientibus, qui Deum ſuo modo laudabant, ſequentia ſcribit: *Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Concurrunt ad hæc loca, & diuerſarum nobis virtutum ſpecimen oſtendunt. Vox quidem diſſona, ſed vna religio: tot pænè pſallentium chori, quot gentium diuerſitates, & inter hæc, quæ vel prima in Chriſtianis virtus eſt, nihil arrogant ſibi de continentia ſupercilij. Humilitatis inter omnes contentio eſt. Quicumque nouiſſimus fuerit, hic primus putatur. In veſte nulla diſcretio, nulla admiratio. Vtcumque placuerit incedere, nec detractionis eſt, nec laudis. Ieiunia quoque neminem ſubleuant, nec defertur inediæ, nec moderata ſaturitas condemnatur. Suo Domino ſtat vnuſquiſque aut cadit. Nemo iudicat alterum, ne à Domino iudicetur. Et quod in pleriſque prouincijs familiare eſt, vt genuino dente ſe lacerent, hîc penitus non habet*, &c. Ad hæc non dixiſſet de nationibus iſtis ſanctus Doctor, ſi illorum ritus laudabiles non fuiſſent; in quibus & nunc perſeuerant, etſi ab Eccleſia Catholica ſeparatæ, & non vt olim pacificæ, ſed Catholicis infenſæ ſint. Inter ipſos etiam aliqui ſunt nõ modò ſimplices, ſed etiam docti & Prælati, qui benè de Pontifice Romano & Catholica Eccleſia ſentiunt, & libenter ad eam tranſirent, niſi reſpectibus temporalibus detinerentur.

Mat. 14, 28

Ab omnibus gentibus omnijs Dominus laudandus.

Ex his rationem adductam explico. Quia non modò Catholici, ſed etiam Orientales illi ſchiſmatici ad Eccleſiam quodam modo pertinent potentiâ videlicet, & in illorum cultu & diuinis laudibus in ſe nil diſſonum, hoc eſt à pietate alienum continetur, Deus eos permittit ſimul cum Catholicis cuſtodire loca ſancta, vt omni cultu Dominus agnoſcatur, quoniam omnia ſeruiunt ei, boni & mali eum venerantur. Vt enim ſuprà ex D. Paulo diximus: *In magna domo ſunt vaſa aurea, & argentea, & fictilia*, 2. Timoth. 2, 20. quæ omnia ad Domini famulatum inſeruiunt, in varijs miniſterijs; ita in ſancta Eccleſia, & in Terra promiſſionis, ſunt boni Catholici, ſunt Franciſcani Fratres, & Maronitæ, velut vaſa aurea & argentea Dominicæ domus; ſunt etiam mali & ſchiſmatici illi, velut vaſa lignea & fictilia. Omnes magno Patrifamilias in varijs exercitijs deſeruientes, & verum Dominum agnoſcentes.

Secunda ratio: omni linguæ laudãdus Deus.

Secunda ratio, præcedenti perſimilis, quare permittat Deus loca ſancta ſimul à fidelibus & infidelibus illis gubernari, Vt non ſolùm à pluribus nationibus laudetur & adoretur, ſed etiam vt illius encomia, ſanctæque Eccleſiæ ſponſæ eius pulchritudo, varijs linguis manifeſtetur. Illuſtrium morum Regum conſuetudo eſt, apud ſe varios cantores & cantatrices habere, qui ſecundùm diuerſarum nationum conſuetudinem, Italorum, Gallorum, &c. varijs inſtrumentis muſicis eis deſeruiant, prout habuerunt in ſuis regnis Dauid, Salomon, Nabuchodonoſor, & alij. Et quemadmodum ipſe Dominus olim in veteri Lege habuit in domo ſua, qui ei die noctuque laudes decantabant hymnis & pſalmis, in tympano & choro, in chordis & organo, in cymbalis benè ſonantibus, in pſalterio & cithara; ita & nunc in lege noua vult in domo ſua nouiſſima, cuius gloria maior eſt pluſquàm primæ, vt Propheta Aggæus capite 12, 10. dixit, ſimili modo laudari.

In eius fundatione id nouimus obſeruatum: in primis, quando Pilatus (Domino diſponente) in eminentiori loco Crucis affigi voluit cauſam mortis Chriſti (quod in magnum eius decus reſultabat) non vnâ ſed pluribus linguis deſcriptam, Hebræa, Græca & Latina, *Ieſus Nazarenus, Rex Iudæorum.*

Deinde ſancti Chriſti diſcipuli, Spiritu ſancto afflati, loquebantur varijs linguis magnalia Dei: & alij ex diuerſis nationibus & linguis in Eccleſia congregati, idem poſteà ſemper præſtiterunt, vt omnis ſpiritus omni modo Deum omnium auctorem laudaret. Quod multis antè ſæculis Dauid fuerat vaticinatus Pſalmo 44, 10. dicens: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Quæ verba de Eccleſia Catholica intelligenda eſſe, non modò Catholici doctores, ſed quidam ex Rabinis Hebræorum dixerunt, dum ea ſic tranſtulerunt: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, diſtinctis coloribus adornata.* Eccleſia Gentium, quæ vocatur Regina, è populorum linguarumque diuerſitate congregata, velut diſtinctis coloribus ornata, Domino ſeruit in iubilo & exultatione.

Rabbi Samuel.

Nec pudet Catholicos, vt olim Iudæos in Babylone, qui dicebant: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Pſalm. 136, 4. non pudet, inquam, in medio nationis prauæ, quamuis illis immiſti ſint (etſi non cum illorum erroribus communicent) debitas Deo perſoluere laudes; nec ſolùm propter dicta, & quia aliter facere non poſſunt, ſed quoniam ad id videntur à Dauide perſuaſi, qui Pſalmo 67, 26. agens de Chriſto, myſticiſque operibus eius, propter quæ ſigna lætitiæ & exultationis edere debemus, *Præuenerunt*, inquit, *Principes*

coniuncti psallentibus in medio iuuenculorum tympanistriarum. In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israël.

Ecclesia in Hymno.

In quibus verbis aliqui per Principes, Apostolos, quos *Ecclesiarum Principes* appellat Ecclesia, sunt enim primitiæ spiritus, & omnes in Dei Ecclesia præcedunt. Hi cum alijs Christi fidelibus, quorum erat cor vnum, & anima vna (vt in Actis cap. 4, 32. habetur) decantabant Domino laudes in medio iuuenculorum tympanistriarum, id est virginum Deo sacratarum: tunc enim erant in Dei Ecclesia sacræ virgines, quæ cum Apostolis, & alijs Christi fidelibus Domino laudes decantabant, singulis tamen in proprijs sibi assignatis locis consistentibus, vt indicat Baronius. Optima sanè interpretatio.

Baron. Tomo 1. anno Christi 37. num. 122. & seqq.

Verum quæ sequitur, aliena non erit ab intentione Spiritus sancti, nimirum Dauidem, quandoquidem præuiderat diuisionem, quæ posterioribus temporibus in sancta Dei Ecclesia futura erat, ne ea maius incrementum caperet, ijs verbis fuisse hortatum veros fideles, qui velut Principes in ea fortes persistere debebant, ne propter imperfectos velut iuuenculas instabiles, quas inter versari debebant, omitterent persoluere diuinas laudes; hortatur, inquam, Dauid Catholicos, vt in medio illarum nationum & Ecclesiarum benedicant Domino: vt illas præueniant, quod modò moris est in sanctissimo Domini nostri Iesu Christi Sepulchro (vbi non priùs nationes aliæ suas decantant laudes, nisi suas absoluerint Catholici; his enim vt Principibus, tantum defertur.) Portò vt Catholici in Principibus, ita illæ nationes in iuuenculis tympanizantibus intelliguntur. Vt iuuenculæ namque sunt, quia non intelligunt quæ sint spiritus Dei, vtpote quæ proprio & priuato spiritu ducantur: tympanistriæ verò sunt ad litteram omnino, quoniam non organa aliáve instrumenta musica, quæ sola arte pulsantur; sed tympana, & nescio quæ alia instrumenta, quæ absque arte & disciplina in eorum Processionibus promiscuè à quibusuis quatiuntur, adhibent.

Catholici præcedunt schismaticos in diuino Officio in Dominico Sepulchro.

Subdit denique Propheta: *In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israël.* id est, O vos Apostolici viri, qui ab Apostolis velut à salutaribus fontibus veram doctrinæ aquam potastis, benedicite Deo Domino in istis Ecclesijs & congregationibus, vt omnis spiritus suo modo laudet Dominum. Vnde etsi laudes & cantiones eorum schismaticorum, non sint in ore ipsorum speciosæ, eisque meritoriæ, cùm sint extra statum gratiæ, nec actu in Ecclesia, sed oues errantes, milites profugi, & filij rebelles; tamen per eas laudatur & glorificatur Deus. Non fuit speciosa laus diuina in ore Balaam pseudoprophetæ, & tamen per eam fuit glorificatus Deus, & singularis eius pro populo suo cura & sollicitudo manifestata, dum sic dixit Numer. 24, 5. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israël, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas,* &c. Prædixit item Dei in hunc mundum aduentum, infrà versu 17. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël: & percutiet Duces Moab, vastabitq; omnes filios Seth,* &c. Nota verò, prius eum dixisse, hæc ipsa placuisse Domino.

Tandem vt rationem hanc absoluamus, pater honoratur à filijs, & dominus à seruis: ille, honore; iste, timore. Ita apud Malachiam cap. 1, 6. Deus de Iudæis conquerens, quòd se neque vt Patrem honorarent, neque vt Dominum timerent, dixit: *Filius honorat patrem, & seruus dominum suum: si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* Pari modo nunc dicendum videtur, velle Deum in sanctissimis illis Palæstinæ locis honorari, à Catholicis quidem, vtpote filijs, honore; à schismaticis verò nationibus, vtpote seruis, timore.

Quòd si ad gloriam Regni Salomonici refertur Cant. 6, 7. sexaginta ei fuisse Reginas, octoginta concubinas, & adolescentulas absque numero, vnicam tamen præ reliquis omnibus dilectam sponsam: quare non potiori ratione Domino nostro, qui est plusquam Salomon, famulatum exhibebit Catholica Ecclesia velut vnica sponsa, & aliæ schismaticæ velut concubinæ?

Tertia ratio, veracitas Prophetarum.

Tertia ratio. Permittit Deus in Templo sacratissimi Sepulchri, & in alijs sanctis locis, habitare varias nationes, fideles & infideles, vt tam suo quàm Prophetarum suorum ore vera & infallibilia dixisse comprobetur.

Dixit quondam per Isaiam, de se loquens, cap. 2, 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi & dicent: Venite, & ascendamus ad montem Domini,* &c. Et per Prophetam Regium Psalmo 85, 9. *Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.* Et ipse Dominus ore proprio effatus est apud Euangelistam Ioannem cap. 12, 32. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Hæc quidem in eius morte proprie adimpleta fuisse nouimus, quando boni & mali ad Christum conuerti eum vere Filium Dei confessi fuere, vt constat ex Euangelio: sed & nunc tot

ibidem

ibidem nationes habitantes Chriſtum Dominum confitentur, non factis modò, ſed præſentia ipſa, & ea eſſe loca in quibus noſtram ſalutem operatus eſt Chriſtus Dominus, teſtantur.

Quarta ratio, diuina miſericordia.

Quarta ratio. Vt eluceſcat diuina eius miſericordia. Permittit igitur illos infideles habitare in locis ſanctiſſimis vbi & veri fideles habitant, vt infideles à fidelibus conuertantur tum verbo tum exemplo (& ſanè ex cohabitatione Catholicorum, multum in ritibus & cærimonijs profecerunt ſchiſmatici illi) & vt per infideles fideles exerceantur & manifeſti fiant, quod frequentiſſimè contigit & contingit, dum mendacijs & calumnijs nos de locis ſanctiſſimis, vt ea liberè ipſi poſſideant, exturbare conati fuerunt.

Hanc bipartitam rationem, quæ communis eſt reſpectu aliorum malorum cum iuſtis conuerſantium, docuit nos D. Auguſtinus, dicens: *Omnis malus aut ideò vivit vt corrigatur, aut ideò vivit vt per eum bonus exerceatur.* Cui ſauet Apoſtolus in priori Epiſtola quam ad Corinthios ſcripſit capite 11, 19. dicens: *Audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo: nam oportet & hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.*

D. Auguſt. in Pſ. 54, 2.

Quinta ratio, vt infideles ad ſalutem ſe diſponant.

Quinta & poſtrema ratio eſt, Vt infideles & iniuſti concipiant ſpem ſalutis, videntes ſe tantis gratijs præueniri; & ne deſperent, neque ſe exaltent fideles, videntes eiſdem gratijs donatos eſſe infideles, & ea quæ ordinata illis fuere ad vitam, occaſionem eis eſſe ad mortem. *Nam* (vt vtar verbis Auctoris Operis imperfecti) *quemadmodum in bonis non ſeparat peccatores à iuſtis, ſic nec in malis ſeparat iuſtos à peccatoribus. In bonis peccatores à iuſtis non ſeparat, ne ſeparati cognoſcant ſe abiectos eſſe, & deſperent in malis. Iuſtos à peccatoribus non ſeparat, ne ſeparati cognoſcant ſe electos, & glorientur, maximè cum nec malis bona proſint, ſed noceant magis; nec bonis mala noceant, ſed proſint magis. Nam malè viuentes, dum bona percipiunt, ad præiudicium ſuum percipiunt: & boni dum mala patiuntur, lucrum iuſtitiæ eis procedit.*

Chryſoſt. in Opere imperfect. Hom. 13. in Matth. cap. 5.

CAPVT LXXV.

Rationes, deſumptæ partim ex parte ſchiſmaticorum, partim verò ex parte Catholicorum, quare tam iſti quàm illi loca ſancta cuſtodiant.

AD propoſitam ſuperiùs difficultatem Capite præcedenti reſpondimus quinque conſiderationibus, ſiue rationibus, quæ Deum ipſum præcipuè reſpiciebant; in præſenti totidem alias addere viſum eſt, quarum tres Catholicos, reliquæ duæ ſchiſmaticos reſpiciunt: & ab his quæ ſchiſmaticos concernunt ordiamur.

Rationes alia quæ homines reſpiciunt.

Sit igitur prima ratio. Admittit Deus vnà cum Catholicis habitare & ſchiſmaticos in locis ſanctis, propter merita ſanctorum Patrum, ex quibus proceſſerunt ſchiſmatici illi, quorum in pluribus quidem mores, etſi non in omnibus doctrinam ſectantur illis nimirum non tam ſucceſſiſſe, quàm ab ijſdem receſſiſſe dicendi. Ea enim eſt Dei optimi maximi benignitſſima conditio, vt propter merita patrum ignoſcat delinquentibus filijs, remiſſiùs cum illis agendo quàm eorum expoſtulent demerita. Cuius teſtimonium accipe ex ſacra Hiſtoria, tertij Regum cap. 12. Adeò Salomonis, filij ſanctiſſimi Dauidis, increuerant peccata, vt vel Regno illum indignum fecerint; verumtamen non auertit Dominus faciem ſuam à Salomone, nec regno eum, donec viueret, exuit, nec illud etiam à fatuo eius filio Roboamo omnino abſtulit: ex duodecim enim populi Iudaici tribubus vnam atque alteram, Iuda nimirum & Beniamin, ei reliquit. Verumenimuerò, quare hanc erga improbos iſtos benevolentiam exercuit, cùm, tantis peccatis id meritò exigentibus, regno omnino priuari debuerint? Vtique propter Dauid patrem eorum, virum ſecundùm cor Dei. Ita teſtatus eſt Dominus Salomoni, dicens: *Quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui ſcindam illud, nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo, propter Dauid ſeruum meum, & Ieruſalem, quam elegi.* 3. Reg. 11, 11.

Prima, merita SS. Patrum.

Hanc ipſam rationem (Patriarcharum nimirum Abraham, Iſaac & Iacob, aliarumque è gente iſtâ dilectarum Deo animarum merita) permouere Deum etiam vſque hodie arbitror, quò minùs peſſimam & ingratiſſimam illam Iudæorum progeniem haud penitus diſperdat, quamuis id iuſtiſſimè ob iniuſtiſſimam Chriſto illatam necem fuerit promerita. Indicat id Apoſtolus Roman. 11, 28. Et quid mirum? cùm Deus ad miſerendum & parcendum quàm ad vlciſcendum ſit pronior. Quare ſi peccata patrum vlciſcitur in filijs in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt illum, vt dicitur Exodi 20, 5. numquid item merita patrum in eiſdem remunerabit, faciens cum illis miſericordiam in

mille & mille generationes? Ita dixerim in noſtro caſu, Deum, propter Orientalium & veterum ſanctorum Patrum merita, ſchiſmaticis iſtis exhibere gratiam & miſericordiam, non deturbando illos à locis ſanctis, etſi non in omnibus, aut tanta cum proſperitate ea incolere illos permittat, vt illi olim incoluerunt, idque propter eorum errores & peccata, vt tic cum diuina miſericordia pariter Dei iuſtitia in eiſdem eluceſcat.

Secunda, Dei iuſtitia.

Altera ratio eſt, vt illorum ſchiſmaticorum bona moralia (quæ vitâ æternâ compenſanda non ſunt, eò quòd à diuina gratia non procedant) in præſenti vita per bona temporalia remunerationem accipiant, quod fit, dum à proprijs ſedibus non eijciuntur, ſed in ijſdem habitare permittuntur. Arbitror enim eodem prorſus modo Deum agere cum ſchiſmaticis iſtis, quo olim egit cum obſtetricibus Hebræorum in Ægypto, & poſteà cum Rechabitis. Illis enim benefecit Dominus, & domos eis ædificauit, quia timentes magis Deum quàm Pharaonem Regem Ægypti, contra illius præceptum non necauerunt infantulos Hebræorum, quando obſtetricabantur eorum matres, ſed conſeruabant eos, vt dicitur Exodi cap. 1, 17. iſtis verò promiſit Deus felicitatem, quòd obediuiſſent præceptis patris ſui (quod bonum erat) etiam in his quæ Dominus non præceperat, vt videre eſt Ierem. 35, 18. Certe ſchiſmatici iſti Orientales non ita grauiter & inſolenter delinquunt vt Occidentales: Deum enim, quem fide confitentur, non adeò blaſphemant, ſed die noctuque in hymnis & Pſalmis laudant, carnem ſuam macerant ſtupendis ieiunijs, & vigilijs admirabilibus; caſtitatem inſuper colunt, atque, prout & in alijs eiuſmodi corporalibus exercitationibus, ad veterum ſuorum Patrum exempla imitanda mutuò ſe ſtrenuè prouocant: quæ tamen, cùm vera pietate careant, ideoque ad modicum vtiles ſint, vt docet Apoſtolus 1. Timoth. 4, 8. nihil eis conferunt ad vitam æternam, ſed ad bona fortè ſaltem aliqua temporalia acquirenda proſunt: è quorum numero hoc vnum eſt, quòd in Terra ſancta habitare, partemque regiminis locorum ſanctorum habere & obtinere digni habeantur.

Tertia, Catholicorum ſocordia.

Tertia ratio, quæ eſt prima ex parte Catholicorum, eſt ipſorum ſocordia, ignauia & negligentia, qui neſcio quibus nænijs, priuatis inquam commodis incommodis dediti & ſtudentes, quæ Ieſu Chriſti ſunt non quærunt. Ea ſiquidem eſt Dei in rebus omnibus gubernandis conſuetudo, vt eas per cauſas ſecundas, per media nimirum à ſe ordinata, gubernet, & ad ſuos fines dirigat, vt non ſolum Theologi, ſed & Philoſophi fatentur, alioquin inutilis eſſet illarum productio. Quare aliquid à Deo expectare & deſiderare, & non per ordinata ab eo media, eſt ipſum tentare. Cùm igitur Catholici necdum debitam operam impenderint ad eijciendum è locis ſanctiſſimis ſchiſmaticos iſtos, non mirum ſi in eiſdem habitent. Quemadmodum olim Terra Chanaan, ab infidelibus infeſſa, Iſraëlitis verò à Deo promiſſa, eiſdem actu non fuit tradita, donec ad eam occupandam ſe accinxerint, &, Deo fauente, vi armata incolas eiecerint: ita arbitror non habitaturos in locis ſanctis ſolos Catholicos, niſi manus operi admouerint, & quo poſſunt meliori modo infideles iſtos cum peſſimis ſchiſmaticis, ſedibus ſuis extruſerint.

Quarta, Catholicorum pœna.

Præter negligentiam, poſſunt pro quarta & poſtrema, ſecunda verò ex parte Catholicorum ratione, adduci ipſorum peccata. Hæc ratio adeò eſt euidens & certa, vt probatione nullatenus indigeat: plura tamen, ſi quis addubitet, quibus probetur occurrunt. Paucis rem expediemus: nam plura ad hoc quod tractamus argumentum, adducemus infernùs Capp. LXXXI. & LXXXII. Propter peccata ſane Ieroboam, & aliorum Regum Iſraël, ex Samaria plures in captiuitatem abducti fuere ex Iſraelitis, pauci verò cum admixtis infidelibus eam inhabitare permiſſi ſunt, 4. Reg. 17. An non omnes regni Iuda incolæ exciti fuerunt, præter paucos in Iudæa relictos, ne terra omnino deſerta remaneret, ceteris vel gladio & igne extinctis, vel in duram captiuitatem abreptis, 4. Reg. 25. Ierem. 39. & 40. Et quare? vtique propter peccata Iudæorum. *Dominus Deus tuus* (dixit ad Ieremiam Princeps militiæ Regis Nabuchodonoſor Nabuzardan) *locutus eſt malum hoc ſuper locum iſtum* (prædixerat enim euentum illum Ieremias) *& adduxit, & fecit Dominus ſicut locutus eſt: quia peccaſtis Domino, & non audiſtis vocem eius, & factus eſt vobis ſermo hic*, Ierem. 40, 3. quod & apud eumdem Prophetam cap. 44. explicat Dominus: non diſſimiliter mihi videtur contigiſſe poſteà, cùm Chriſtiani Ieroſolymam inhabitarent, per fideles Reges & Principes infidelium poteſtate ereptam, qui & propter diſcordiam, regnandi libidinem, & alia peccata, iuſto Dei iudicio inde pro maiori parte electi fuerunt. Et ſicut olim tempore Nabuchodonoſor in ea relictus fuit Ieremias Regi dilectus, cum quibuſdam pauperculis qui terram excolerent & inhabitarent, nè omnino deſerta & inculta remaneret: ita & nunc electis inde per Mau-

ros & Turcas Catholicis, Dei misericordiâ relictus est Franciscanus Ordo cum quibusdam pauperculis Fratribus, quos non exhorrescit Turca, sed permittit, & nonnullis fouet gratijs (sicut nec olim quidam Imperator Turcarum abominatus est D. Franciscum, sed eum benignè susceptum, pluribus est prosecutus beneficijs, vt Historiæ prodiderunt) ne omnino deserta maneret, sed in ea vigeret Catholicus cultus, & vinea Domini à pauperculis agricolis exculta, salutis fructum per singulos menses afferret.

Quinta causa, Catholicorum tribulatio.

Denique contigit aliquando, vt peculiares alios euentus omittam, Fratres nostros (vt ostensum suprà Cap. LXV I.) fuisse in carcerem coniectos, vbi plures inedia, fame, & alijs calamitatibus interierunt: eaque occasione schismatici aliqua, Turcarum auxilio adiuti, vsurparunt loca sancta, & alia insuper eisdem tradita sunt ab ipsismet Turcis qui è schismaticis illis oriundi fuerunt, quò rem gratam illis facerent, præsertim cùm Christianorum Principum auxilia deficerent.

Ex his omnibus patet, quàm rationabiliter loca sancta à nostris quidem Franciscanis Fratribus, nec ab his solùm, sed & ab alijs nationibus custodiantur.

CAPVT LXXVI.

De Iudæis, qui vnà cum alijs habitant Ierosolymis & in alijs Terræ sanctæ locis, obiectio diluitur.

IEroſolymis, & in nonnullis alijs Palæſtinæ locis, vnà cum reliquis nationibus, tam fidelibus quàm infidelibus, habitant etiam Iudæi, etſi nullius loci, etiam apud ipſos aliqua peculiari memoria conſignati, curam habeant. Et hoc non modicam parit admirationem, quòd illi, propter quos ſingulariter venerat in mundum Filius Dei, quem tamen recipere detrectarunt, nec, vt Regem decebat, imperare ſibi voluerunt, inſuper velut blaſphemum, ſeductorem, ſceleratum & facinoroſum hominem ciuitate ſua exturbatum, in fœtenti & inhoneſto Caluariæ monte cruci ſuffixerunt; quos etiã ipſe Dominus Regno ſpoliandos, malè perdendos, eiſque electis, domum & habitationem eorum deſertam relinquendam eſſe prædixerat; adhuc in ſancta ciuitate Ieruſalem, & in alijs Terræ ſanctæ locis habitare, & ad illa pietatis ergò diuertere permittantur, quaſi ipſi Dominum non occiderint, & ipſe non ſit verax in omnibus verbis ſuis; adeò vt, quod eſt mirabilius, ſceſe non occidiſſe Meſſiam & Filium Dei. Hiſce, niſi tempeſtiuè occurratur, etiam alij, qui neſciunt ea quæ ſunt ſpiritus Dei, in tranſuerſum agi poſſent, eadem ratiocinatione vſi, vt cùm apud probatos Scriptores legi, tum proprijs auribus audiui. Sic ergo quis argumentari poſſet:

Argumentum quo ſibi blandiuntur Iudæi.

Nullum in mundo poteſt maius vel patrari vel excogitari peccatum, quàm fuit Chriſtum occidiſſe: liquidem contra Deum & hominem ſanctiſſimum, cuius vtraque vita, diuina & humana, digniſſima; illa quippe omnes res mundi, iſta omnia creata dignitate & perfectione excellit. Quare ſi ex obiectis dimetiendi ſunt actus, dicendum eſt cum D. Anſelmo, nullum in mundo maius potuiſſe committi peccatum ex his quæ contra Deum committuntur, quàm fuit mors Chriſto illata; quia per eam nobiliſſima creata vita ablata fuit. Prout ergo Hebræi Chriſto abſtulerunt creatam vitam, abſtuliſſent etiam increatam, ſi potuiſſent, ita vt nulla in poſterum illius extaret memoria, dicentes: ***Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius***, Ierem. 11, 19. Si ergo diuino decreto ſtatutum eſt, vt pro menſura peccati ſit & plagarum modus, vtique grauiſſimo illi peccato grauiſſima pœna infligenda eſſet, adeoque debuiſſent penitus de terra tolli, & non permitti viuere, multò minùs in terra deſiderabili, vbi ingens illud ſacrilegium perpetrarunt.

Mors Chriſti peccatum grauiſſimum

D. Anſelm. 2. Cur Deus homo, c. 14.

Peccatum Iudæorum maximum.

Deut. 25, 3.

Confirmatur. Idololatriæ peccatum grauiſſimum eſt, à Deo prohibitum ſub pœna capitis, vt patet tum alibi, tum Deut. 17, 2. Et Iſaias cap. 2, 6. & 8. recenſens cauſas multas propter quas populus Iſraël derelictus dicitur à Deo, potiſſimam cauſam idololatriam aſſignat, dicens: ***Proiecisti enim populum tuum domum Iacob, quia repleti sunt vt olim, & augures habuerunt vt Philistiim.*** Et parum infrà: ***Et repleta est terra eius idolis, opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incuruauit se homo, & humiliatus est vir. Ne ergo dimittas eis***, &c. In deſerto multa hominum millia interempta fuere, quia vitulum adorauerant, Exod. 32. Et profectò tunc totum illum populum deleuiſſet Dominus, niſi Moyſes oratione & ieiunio obſtitiſſet. Igitur propter maius peccatum necis Chriſto illatæ multò magis fuerant de medio tollendi & penitus exterminandi Iudæi; & tantò magis hoc tempore, vbi non legitur quòd alius Moyſes ſanctitate pro illis ieiunet & oret. Et tamen non ſolùm non eſt deletus Iſraël, ſed viuit in terra hoſtili, præſtat illi Dominus in conſpectu inimicorum

Idololatria magnum peccatum.

gratiam,

gratiam, opibus locupletat, & honoribus exaltat; ita vt impleri nunc videatur, quod olim per Moyſen dixit Dominus, Leuitic. 26, 5. *Attamen cùm eſſent in terra hoſtili, non eos penitus abieci.* Hac ergo ratiocinatione inſelices & cæci Iudæi ſibi blandiuntur, dum ſe vident non penitus exterminatos, & habitare nedum alibi, ſed in ipſa Deo dilecta ciuitate Ieruſalem, & alijs Terræ promiſſionis locis; ideoque Deo ſe placere, nec Filium eius Meſſiam crucifixiſſe, ſibimet ipſis ſtultè mentiuntur. Sed miſeri & inſenſati Iudæi, ſuper oculos ſuos habent velamen ne intelligant Scripturas, nec conſiderant in ſeipſis diuinæ miſericordiæ pariter & iuſtitiæ opera exerceri; & obſtinatis ideò non auferri vitam, vt vitâ productiorem & acerbiorem experiantur pœnam, ante temporalem & æternam mortem.

Sed quàm inſulſa ſit eorum ratiocinatio, videamus. Mors Dei & hominis Chriſti Ieſu omnium grauiſſimum peccatum, grauiſſima pœna fuit multandum. At tali non fuit multatum, quia ſuperſtites, diuites, & cum honore inter ipſos hoſtes viuunt Deicidæ illi; igitur non illud commiſerunt, quia eos vt innocentes diligit Dominus. Veriſſima illa propoſitio, ſed aſſumptio nimiſquam falſa. Præfertur vita morti, ſed non quælibet, non ærumnis, laboribus & ignominijs plena: tunc enim *melior eſt dies mortis die natiuitatis, & melior eſt mors, quàm vita amara*, vt à Sapiente proditum eſt.

Eccle. 7, 2. & 30, 17. *Vitâ amarâ mors melior.*

Cùm Iſraëlitæ ab Adonibezec Chananæorum & Pherezæorum Rege victoriam retuliſſent, captum Regem non occiderunt, ſed ſeruauerunt. *Quem perſecuti comprehenderunt, cæſis ſummitatibus manuum eius & pedum*, inquit ſacra Iudicum Hiſtoria capite 1, 6. Et ad quid, quæſo, illum viuum ſeruari prodeſt? numquid fuiſſet melius, Dei populique eius hoſtem penitus extingui? *Non fuit in fauorem eius, ſed magis ad amaritudinem*, inquit Abulenſis, vt vita miſerabili magis diſcruciaretur. Erat enim illi vita non iucunda aut amabilis, ſed ærumnoſa, continua mors, & perpetua afflictio, dum inde ſemper hoſtes ſuos videret in gloria & proſperitate exultabundos, hinc extremam ſuam miſeriam & calamitatem perpenderet. Similiter quòd Philiſthijm captum Samſonem non interemerint, ſed *eruti oculis eius, vinctum catenis, & clauſum in carcere molere* facerent, vt in eadem legitur Hiſtoria, cap. 16, 21. ad maius eius tormentum feciſſe opinor, dum nimirum continuè hoſtium ſuorum triumphus & gaudium, ipſius verò deploranda & ignominioſa conditio, ad quam è ſumma felicitate deuenerat, menti eius obuerſarentur.

Quare ſapientiores quondam è Iudæis mortem ſedulò exoptabant, vt à laborioſa & miſerijs obnoxia vita liberarentur. Elias ille Propheta Domini Iezabelis perſecutionem paſſus, inconſtantis fugæ & vagi diuturniique itineris incommoda & moleſtias pertæſus, ſub iunipero arbore præ tædio & defatigatione proſtratus, petiuit animæ ſuæ vt moreretur, dicens: *Sufficit mihi, Domine; tolle animam meam*, &c. 3. Reg. 19, 4. Et afflictus Ionas dixit: *Melius eſt mihi mori, quàm viuere*, Ion. 4, 2. Iudas etiam ille Machabæus nónne ſocijs ſuis dicebat: *Melius eſt nobis mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ, & ſanctorum?* 1. Mach. 3, 54. Paucis: Dauid, Rex ille Iſraëlitici populi ditiſſimus, & à Deo dilectiſſimus, conſiderans quòd exiguum & faſtidij plenum eſſet tempus vitæ noſtræ, ex hoc mundo, velut de exilio & carcere, per mortem exire deſiderabat, vt ex illis verbis Pſalmi 119, 5. *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* & Pſalmi 141, 8. *Educ de cuſtodia animam meam*, &c. conſtat. Et profectò Deus, qui in iudicijs ſuis iuſtiſſimus eſt, non comminatus fuiſſet mortem Adæ propter peccatum eius, ſecùs verò Caino, qui fratricidio ſuo grauiùs deliquerat, vt patet ex libri Geneſis cap. 3, 19. imò neque ſe illius fore defenſorem pollicitus fuiſſet, cap. 4, 15. ſi vita calamitoſa morti præferenda eſſet.

Ad propoſitum. Quòd ſuperſint adhuc Iudæi, fateor. Sed quot interempti fuerunt? Omitto milliones occiſos, & diſperſos à Romano exercitu ſub Tito Imperatore, & ſtrages de ipſis in ſingulis ferè ætatibus ſiue ſæculis factas, dum viliſſimo pretio vænum exponebantur, nec qui viliſſimam gentem emeret inueniebatur: quare & pluries in theatris exhibiti fuerunt, vt à beſtijs dilacerarentur, facti omnium peripſema, ſpectaculum mundo, Angelis & hominibus. Tam ergo falſum eſt, in honore eos viuere, vt potiùs cum magno dedecore & periculis miſerandam vitam tranſigant. Velut Adonibezec manibus & pedibus, hoc eſt bonis Deoque gratis operibus & cogitationibus carent: & non tantùm habent velamen ſuper oculos, vt dixit S. Paulus; ſed ad inſtar Samſonis, cæci ſunt, & duces cæcorum, vt dixit Chriſtus. Huius ipſorum miſeriæ vel illud eſſe poteſt argumentum, quòd, vt inquit D. Auguſtinus, inter omnes populos à Romanis deuictos, nemo maiori opprobrio affectus fuerit quàm gens Iudæorum; quin aliæ gentes adeò Romanis adunabantur, vt etiam Romani dicerentur. *Omnes*, inquit Auguſtinus in Pſalm. 58. *Romani facti*

Iudæorum miſeria.

Digitized by Google

rant: occasionem autem erroris eam esse, quòd Hebræi sint magis obnoxij morbo hæmorrhoidum, qui est, quando capita venarum ad os ani terminatarum intumescunt, ac replentur humore crasso sanguineo, qui existit ex indigestione carnium insulsarum & malè digestibilium, quibus videlicet Hebræi præ ceteris vescuntur sæpiùs.

Quamuis non ausim me his interponere iudicem, liceat nihilominùs duo dicere: alterum, posito quòd vera sint quæ suprà narrata sunt, verba Dauidis de morbo & fluxione illa sanguinis, intelligenda de Iudæis esse, etsi alioquin naturaliter illi obnoxij esse possint. Verùm quia imprecationes vel vaticinia communiter fiunt de his quæ rarò vel numquam accidunt, vt sic euidentiùs diuina vltio cognoscatur; quo modo, si illi morbo naturaliter subiacent, in pœnam illius imprecationis, *Sanguis eius*, &c. & mortis Christi Domini, facta fuit illa comminatio, *Percussit*, &c. Alterum, si ex effectibus licet argumentari, cùm ex eorum corporibus grauis fœtor non solùm exhalet, sed eis penitus inhæreat, adeò vt ex eo *fœtentes Iudæi* dicantur, idque in notam perpetuæ infamiæ & culpæ (vnde Ammianus Marcellinus hæc scribit de Marco Imperatore: *Ille enim cùm Palæstinam pertransiret, Aegyptum petens, fœtentium Iudæorum, & tumultuantium sæpè tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse: O Marcomani! ô Quadi! ô Sarmatæ! tandem vobis alios deteriores inueni.* Et communiter eos fœtere, quotidiano experimento omnes fatentur:) si, inquam, ex huiusce modi effectu licet dijudicare, arbitror ea diuinitus illis accidisse, in pœnam quòd recesserint à Deo, & Christi sanguinem fuderint, quia naturales infirmitates adeò non fœtent. Quòd si ab his difficultatibus abstinendum est, illud certissimum est, nationem Iudæorum omnibus inuisam & exosam esse, non Christianis modò (quorum est omnium misereri, & nemini insultare) sed ipsis Ethnicis & Gentilibus, qui eorum malitiam & infamiam detestantur, & quam natura ipsa omnibus prodit, vt exhalent signa antiqui flagitij, vt posteà exemplo Cain explicabimus Capite sequenti, in tertia Ratione, ad difficultatem.

Ammian. Marc. l. 2.

Et nónne verum, Iudæos olim & nunc, miserandam suam sortem contemplatos, temploque se & ciuitate penitus esse spoliatos, vt in lacrymis saltem, quod alibi nō poterunt, solamen aliquod inuenirent, consueuisse anniuersaria die (persoluto tamen pretio, cùm aliter non liceat) ea adire loca, lacrymas ibi fundere, & miserrimè lamentari? Vnde S. Hieronymus in Sophoniam ait: *Vsque in præsentem diem perfidi coloni post interfectionem seruorum, & ad extremum Filij Dei, excepto planctu, prohibentur ingredi Ierusalem: & vt ruinam suæ eis flere liceat ciuitatis, pretio redimunt: vt qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas. Videas in die quo capta est à Romanis & diruta Ierusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & senes pannis annisq; obsitos, & in corporibus & in habitu suo iram Domini demonstrantes: congregatur turba miserorum, & patibulo Domini coruscante ac radiante δραχάνῃ eius, de Oliueti monte quoque Crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi sui populum miserum, & tamen non esse miserabilem. Adhuc fletus in genis, & liuida brachia, & sparsi crines, & miles mercedem postulat, vt illis flere plus liceat. Et dubitat aliquis, cùm hæc videat, de die tribulationis & angustiæ, de die calamitatis & miseriæ, de die tenebrarum & caliginis, de die nebulæ & turbinis, de die tubæ & clangoris? Habent enim & in luctu tubas; & iuxta Prophetiam, vox solemnitatis versa est in planctum. Vlulant super cineres sanctuarij, & super altare destructum, & super ciuitates quondam munitas, & super excelsos quondam angulos templi, de quibus quondam Iacobum fratrem Domini præcipitauerunt. Hæc de captiuitate dicta sunt Iudæorum.* Hucusque Hieronymus.

Hieron. in Sophoniæ cap. 1

Emunt lacrymas Iudæi.

Biron. Tomo 1. & 2. anno Christi 137. plura de Iudæis.

At verò qua conditione nunc habitant Ierosolymis, & in Terra sancta? vtique ab omnibus ibi despecti, contempti, vilibus addicti exercitijs, aquam pecunia bibentes, vt quondam dixit Ierem. Thren. 5, 4. & 4, 5. *Et qui vescebantur voluptuosè, interierunt in vijs: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Appositè aptari nunc possunt Iudæis, quæ olim dixit Dauid Psalmo 77. à versu 59. vsque 65. & alibi. Quid? quòd liberè ea ipsa loca, quæ possunt Christiani & alij, accedere non valeant? Certè non ad Domini Sepulchrum, non ad locum Dominicæ natiuitatis, facilis eis patet aditus: nec memini me aliquem Iudæum vidisse in aliquo memorabili loco Ierosolymis; sed potius audiui, sub graui pœna ab Helena fuisse eum illis accessum interdictum. Ideoque Turcæ, qui adhuc priscos nonnullos in illis locis ritus, & à veteribus constitutas leges obseruare studeant, & hanc ab Iudæis obseruari volunt. Et haud multis hinc annis contigit Hebræum quemdam incognitum venisse cum quibusdam mercatoribus Ierosolymam, vnaque cum eisdem accessisse ad sacrum Domini nostri Iesu Christi Sepulchrum, non quidem pietatis, sed curiositatis ergò, & quia mercatorum

Etiamnum in his locis contempti Iudæi.

Digitized by Google

rum erat interpres. Comperto à Turcis eum esse Hebræum, iam iam interimendus erat; & nisi citiùs arte & astu quodam se subduxisset, tum & pecuniarum larga oblatione, plurimorumq; interuentu Turcæ placati fuissent, talionem mortis Christo à suis progenitoribus inflictæ & ipse à Turcis sustinuisset. Quare Deo ipsi non sunt grati & accepti, nec penes alios in honore, sed apud omnes in dedecore & opprobrio sempiterno. Neque latuit hoc multos Iudæos, non modò à Iudaismo ad Christum conuersos, sed etiam non conuersos, vt patet ex vulgata illa epistola Rabbi Samuelis Iudæi ad Rabbi Isaac Iudæum, de Prophetijs veteris Testamenti (secundùm translationem eorum) quibus lex Iudaica destruitur, & Christiana religio approbatur. Habetur ea Tom. 4. Bibliothecæ veterum Patrum, & in calce Partis 2. Summæ histor. D. Antonini, & alibi.

Responsio ad Iudæorũ argumenta. D. Anton. Par. 2. Hist. tit. 16. c. 12. §. 3.

Ad id quod ex Moyse opponebant Iudæi, in terra hostili se conseruandos & honorandos fore, respondet Petrus Alfonsus ex Iudæo Christianus, apud D. Antoninum, illud Moysaicum dictum referendum esse non ad præsentem, sed præteritam captiuitatem Babylonicam, de qua educendi erant Iudæi, vt patet ex superiùs ad eam auctoritatem dictis. Et meritò quidem tum, non obstantibus illorum peccatis, conseruandi & honorandi erant, nec penitus exterminandi, quoniam ex illis Christus Dominus, prædestinatorum primogenitus, sanctissima eius mater Virgo Maria, sancti Apostoli, alijque electi oriundi erant. Et quemadmodum arbores conseruantur quamdiu ex ipsis exspectantur fructus, ita honore digni habiti sunt Iudæi, quamdiu ex ipsis exspectabantur fructus illi electissimi, Christus, beata Virgo, &c. Et profectò etiamnum pro maiori parte à Christianorum finibus elimi[illegible] & radicitus euellerentur, nisi adhuc ex ipsis alicuius prædestinati conuersio & ortus exspectaretur. Specialiter tamen sequenti Capite expendemus, quare Deus optimus maximus adhuc superstitem relinquat gentem Iudæorum, & ex ea aliquos in Terra sancta habitare permittat.

CAPVT LXXVII.

Rationes quare Deus non modò in alijs mundi tractibus, sed etiam Ierosolymis Iudæos esse permittat.

NOn quidem casu, sed maturo consilio, & diuina prorsus dispositione factum esse credendum est, quòd Iudæi (Christi acerrimi hostes, qui ex odio illum egerunt in crucem, & proinde, vt læsæ maiestatis diuinæ rei, exterminandi & penitus de terra eradendi videbantur) non solùm in rerum natura tolerentur, sed insuper non in singulis pænè mundi climatibus, sed in Palæstina, & quidem in ipsa ciuitate Ierosolymitana, vbi nefandum illud scelus patratum ab illis fuit, degere & viuere permittantur. Rationes nonnullas huius diuini consilij & ordinationis partim indagaui, partim ex sacris Scriptoribus hausi, & hìc subijcere decreui: quarum aliæ diuinam misericordiam, diuinam aliæ iustitiam eximiè manifestant. Et primò ab his quæ misericordiam, orsum faciamus.

Prima ratio, Vt in Iudæis diuina appareat misericordia.

In primis Iudæi, postquam à se exspectatum Messiam reiecerunt & cruci affixerunt, non penitus de terra sublati sunt, quod illorum quidem exigebant demerita, vt in eis diuina præluceret misericordia, & vt vbi abundauit delictum, ibi abundaret & gratia, idque dupliciter, primò, vt concedatur eis spatium ad pœnitendum; secundò, vt qui prædestinati ex illis sunt ad vitam æternam, illam consequantur. Vtrumque me docuit D. Paulus in ea quam ad Romanos scripsit Epistola. De primo, cap. 2, 4. dum dicit: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Ecce quomodo qui diues est in misericordia, proferat de thesauris suis patientiam, longanimitatem & benignitatem, vt delinquentes à peccatis resipiscant, & misericordiam consequantur. Idem manifestioribus verbis etiam Euangelicus Vates. *Propterea*, inquit, *exspectat Dominus vt misereatur vestri, & ideò exaltabitur parcens vobis*, &c. Isaiæ 30, 18. Si enim statim eos deleuisset, spes salutis omnino ablata illis fuisset, quia post mortem non est spes. Et ad hoc profuit oratio Christi in Cruce. Siquidem S. Hieronymus, versans verba illa Isaiæ 27, 9. *Idcircò super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob*, ait: *Propter hoc, id est propter Christi orationem, auferetur peccatum eius, si voluerit agere pœnitentiam, & merebitur benedictionem Dei, qui sibi maledictionem fuerat imprecatus, dicens: Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Et S. Cyprianus in Sermone de Passione tradit, propter illam Christi orationem Iudæorum supplicium per quadraginta & amplius annos dilatum esse, vt potuissent, si voluissent, pœnitentiam agere, suique peccati remissionem consequi.

Secunda ratio, est ex Iudæis electorum natiuitas.

Secundò non deleti sunt penitus Iudæi, propter eos qui ex ipsis prædestinati erunt ad vitam æternam. Hoc eadem Epistola cap. 9, 22. docet idem S. Apostolus, di-

cens: *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Quos & vocauit nos non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus*, &c. Scio, in prioribus huius ſententiæ verbis aliam ad propoſitam difficultatem indicari reſponſionem, quam poſteà adducemus; ſed quam attigimus, eleganter ſingula explicant. *Suſtinet Deus vaſa iræ, apta in interitum*, Iudæos videlicet perfidos & obſtinatos, non eos penitus perdendo, *vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ*, &c. id eſt, in electos ad vitam æternam Iudæos, ex perfidis parentibus progenitos. Et profectò niſi patienter cum illis egiſſet, quomodo ex ipſis habuiſſemus Paulos, Epiphanios, Lyranos, Burgenſes, & pleroſque alios doctrina & ſanctitate conſpicuos, de quorum prædeſtinatione & ſalute piè ſentiendum eſt? Et quomodo indies tot Catholicam fidem ſuſciperent, & in fine mundi conuerterentur, & famem ſalutis paterentur vt canes, circumeuntes ciuitatem, vt dixit Pſalmographus; vel quomodo, vt Iſaias & D. Paulus, reliquiæ Iſraël ſaluæ fierent, ſi omnes penitus fuiſſent interfecti & exterminati? Verum ergo, in relictis Iudæis prælucere diuinam miſericordiam.

Pſal. 58, 17
Iſa. 10, 22
Rom. 9, 27

Prædeſtinatio non eſt ex meritis.

Et inſuper ex hoc intelligimus, prædeſtinationem electorum non pendere ex meritis parentum, quia ex impijs pij & electi prodierunt & prodibunt; ſed ex diuino beneplacito & miſericordia, vt pluries docet Scriptura diuina. Nec filium portare iniquitatem patris, ſed animam quæ peccauerit ipſam mori.

Ezech. 18, 19.

Flagellantur Iudæi ex miſericordia.

Quòd etiam durè & dirè vbique affligantur, vt iam vidimus, diuinæ miſericordiæ adſcribendum eſt: flagellat enim Deus omnem filium quem recipit, vt ait S. Paulus Heb. 12, 6. vt videlicet tot afflictionibus, velut ſtimulis, accendantur ad Chriſti fidem ſuſcipiendam; quemadmodum olim in deſerto percuſſi & humiliati, quærebant Deum, & conuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Et hoc videtur fuiſſe quod deſiderauit Rex huius populi: nam ad Deum conuerſus dicebat Pſalm. 82, 17. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* & felicem euentum in pluribus pollicetur Dominus per Oſeam cap. 3, 3. dicens: *Dies multos exſpectabis me: non fornicaberis, & non eris viro: ſed & ego exſpectabo te, quia dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine teraphim. & poſt hæc reuertentur filij Iſraël, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid regem ſuum: & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius, in nouiſſimo dierum.* Nihil ſanè clarius dici poterat de præſenti Iudæorum ſtatu, & futura conuerſione, propter Dei longanimitatem & miſericordiam.

Pſal. 77, 24

Tertia ratio, vt Dei clucefcat iuſtitia.

Tertiò, vt Deus ſuam in Iudæis miſericordiam eius paruipendentibus & velut deſpectui habentibus, indignationem & iuſtitiam oſtenderet. Veriſſimum illud, diuinam miſericordiam & iuſtitiam æquè infinitè in Deo eſſe, etſi non ſemper & æquè miſericors & iuſtus in ſuis operibus oſtendatur. Miſerationes quidem eius ſuper omnia opera eius, verùm etiam vltionum Deum experimento ſe cognoſci facit ab illis, qui noluerunt eum agnoſcere miſericordem. Atque ita ſicut olim, ita & modò ſentiunt Iudæi, eum in finem ſuperſtites relicti. Venit ad eos in natiuitate & primo aduentu, vt regnaret in eis, & inter eos diuitias gratiæ & gloriæ ſuæ diſtribueret; ſed quem exteri deſiderabant & quærebant, ipſi à ſe repulerunt, proiecerunt, & occiderunt: quare coacti fuerunt Herodes, Pilatos, & plures alios pati tyrannos, qui variè & dire eos vexabant, quemadmodum per Ieremiam cap. 16, 11. illis fuerat comminatus Deus illis verbis: *Quia dereliquerunt me patres veſtri, & abierunt poſt deos alienos, & ſeruierunt eis, & adorauerunt eos: & me dereliquerunt, & legem meam non cuſtodierunt. Sed & vos peius operati eſtis, quàm patres veſtri: ecce enim ambulat vnuſquiſque poſt prauitatem cordis ſui mali, vt me non audiat. Et ejiciam vos de terra hac in terram, quam ignoratis vos, & patres veſtri: & ſeruietis ibi dijs alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Et non ſine lacrymis ipſemet Chriſtus prædixit Luc. 19, 44. Ieruſalem & vniuerſum Iudaicum genus innumeris obnoxium fore calamitatibus, quòd non cognouerit tempus viſitationis ſuæ, Chriſtum Saluatorem ad ſe accedentem haud recipiendo. Ideò verè S. Hieronymus: *Moderatio Dei, ac pietas ſolum noſtrum reditum quærit, ac nos cupit longa ſua bonitate ſaluari* (diu expectando videlicet) *ſed ſi non conuertimur, ſed duri corde ſumus, ſi in peccatis vſque ad mortem illicitè perduramus, aſſiduè peccanti, ſicut ſcriptum eſt, Deus non miſeretur.* Ideò poſtquam expectati ſunt Iudæi per quadraginta annos poſt paſſionem, in obſtinatione perfidiæ ſuæ permanentes, quin imò & Chriſtianos vbique perſequentes, diuinæ iuſtitiæ flagella ſuſtinere coacti ſunt. Hæc eſt ratio quam attigimus ſuprà ex D. Paulo Rom. 9, 22. quòd Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinet *in multa patientia,*

Patientia Dei addicit ad pœnitentiam.

Hieron. de Septem Ordinibus Eccleſiæ cap. 5. refertur dift. 91. Diacon. 5.

mei. Disperge illos in virtute tua, & depone eos, vt alij hæc videntes paueant, & à similibus patrandis facinoribus cohibeantur, ne similia cogantur sustinere supplicia. Si enim in gente in qua inuocatum est nomen Domini, incipit Dominus affligere; alij, quasi innocentes, immunes non erunt, vt Dominus per Ieremiam cap. 25, 29. indicauit. Et quemadmodum, quando de insigni aliquo latrone vel prædone vltimum supplicium sumitur, corporis illius variæ partes varijs in locis suspenduntur, parte etiam vnâ in eo loco, vbi scelus patrauit, relictâ: ita Iudæi, rei mortis Christi & aliorum scelerum, per vniuersum mundum sunt dispersi, pars tamen aliqua in loco patrati sceleris præcipuo, Ierosolymis nimirum & in Terra sancta, quasi suspensa fuit, vbi ignominiosè, velut putridum cadauer, ab omnibus qui eam inspiciunt, contemnitur, & in summa execratione habetur. Quare optimè Prudentius:

Prudentius in Apoth. contra Iudæos.

——— extirpata per omnes
Terrarum pœnas, plagas tua membra feruntur.
Exilijs vagus hinc illuc fluitantibus errat
Iudæus, postquam patria de sede reuulsus,
Supplicium pro cæde luit, Christíq; negati
Sanguine respersus commissa piacula soluit.
En quò priscorum virtus defluxit auorum.

Quarta ratio, Vt magis discrucientur in Terra sancta.

Quarta & peculiaris ratio. Permittit Deus Iudæos habitare in ciuitate Ierusalem, & in Terra sancta (olim florentissima, nunc deserta) non vt dominos, sed vt execrabiles hostium suorum seruos, vt magis discrucientur, grauitatemque commissi à se facinoris sentiant. Adam ille protoplastes, ob spretum diuinum mandatum, &, quò vxori suæ complaceret, & vt fieret velut Deus, ob gustatum à se prohibitum fructum, eiectus fuit de paradiso voluptatis in hanc vallem lacrymarum, & à Domino Deo collocatus, vt in Genesi 3,23. dicitur, *in regione contra paradisum*, vt ibi habitaret. quod licet in Vulgata nostra editione non legatur, habetur tamen in editione septuaginta Interpretum, vbi dicitur: *Et emisit eum Dominus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram de qua sumptus est, & eiecit Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Angelica in custodia custoditum.* Sed quorsum, Domine, primum hominem accolam facis illius regionis quæ proxima est paradiso voluptatis? nónne satius fuisset, illum & ipso paradisi intuitu priuare, ex quo illum proieceras? Non Domine, non fuit satius, sed voluisti eum ante paradisum morari, vt continuè contemplaretur locum illum amœnissimum Dei liberalitate pro sua oblectatione creatum, propriâ verò superbiâ & culpâ deperditum, & iam, quò minùs ad illum redire posset, Cherubini igneo atque versatili gladio communitum; vt hoc pacto maius intra se tormentum & animi cruciatum persentisceret. Cùm enim summum infelicitatis genus sit, recordari se fuisse felicem; perpetui insuper doloris causa est, videre, & oculis coram intueri, suam, à qua excidit, felicitatem obtigisse ei quem anteà summo odio prosequebatur, & quem modò adhuc è natura rerum sublatum vellet. Eodem plane modo cum Iudæis actum esse nouimus. Inhabitandam & incolendam eis Deus dederat pinguissimam & fertilissimam totius Asiæ regionem Palæstinam, à qua illi, si Christo aures præberent, exturbari vanè timentes, Christum Dominum occidere maluerunt, rati hoc se modo felices atque beatos futuros. Commissum est scelus; & quod antè timebant, eis contigit: eiecti nimirum sunt de tanta felicitate; & vt perpetua illius memoria illis obuersaretur, & æterno inde dolore consumerentur, permissi vel potiùs coacti sunt eamdem adhuc velut vilissima & abiectissima mancipia inhabitare, & oculis suis coràm intueri, eos iam sua felicitate potiri, quorum salutem semper oderunt. Quòd si, vt sacra Scriptura testatur 1. Esdræ 3, 12. olim reuersi è Babylonica captiuitate Iudæi, cùm viderent templum posterius non ita splendidum & sumptuosum esse atque prius, voce magna fleuerunt; quos non eiulatus præ maximo dolore emittere deberent miseri illi Iudæi qui Ierosolymis degunt, Templo & sacerdotio priuati, & non amplius in proprio, sed in alieno solo seruilem vitam pretio transigentes? Equidem nisi penitus insensati & vecordes existerent, dicere deberent, quod olim captus ab hostibus infelix Adombezec, cui manuum & pedum summitates præcisæ fuerant: *Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus*, Iudic. 1, 7. Et cum fratribus Ioseph: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcircò venit super nos ista tribulatio*, Gen. 42, 21.

Adam quare ante paradisum collocatus.

Quinta denique sit ratio, vt quemadmodum in ipsis diuina iustitia, ita in nobis diuina misericordia manifestetur. Superstites remanent Iudæi, inter Christianos & infideles in diuersis partibus habitantes, vt ipsi tamquam serui, alijs tamquam dominis seruiant; & veluti quondam Gabaonitis concessa vita est, vt perpetuò inseruirent Iudæis; ita ipsis Iudæis in Christianorum seruitute manen-

Quinta ratio, Misericordia Dei erga nos.

Iosue 9, 21

manendum eſt, propter mortem Chriſto illatam, quod Conſtantinus Imperator indicauit, quemadmodum Gloſſ. & Panormitanus explicarunt in c. Conſulit. De Iudæis.

Sed qualiter accipienda eſt hæc ſeruitus? Salmeron Tom. 10. tract. 32. arbitratur eſſe accipiendam de ſeruitute peccati, de qua Dominus, *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*; à qua non liberantur donec Chriſto inſerantur per fidem & Sacramentum. Non ſunt autem in ſeruitute ciuili, niſi quatenus gradum aliquem iuris dicendi aut dominandi habere nō poſſunt. Cum enim Iudæi habeantur infames, certè illis portæ dignitatū patere non poſſunt, &c. Hæc ex illo.

Seruitute peccati & ciuili obnoxij Iudæi.

Cetcrùm non de ſeruitute peccati tantùm intelligendum arbitror illa enim non ſolùm conuenit Iudæis, ſed & Mahumetiſtis, & in vniuerſum omnibus malis Chriſtianis & peccatoribus, à qua liberari non poſſunt niſi per Chriſtum. Dicerem itaque etiam de alia ſeruitute intelligendum eſſe. Cùm enim aliquid ſtabile poſſidere lege prohibeantur, nequeunt vitam tranſigere abſque ſeruitute, & ea quidem coacta & inuoluntaria, & vt plurimum circa vilia officia, vt vluras, conuentiones, &c. occupantur. Quare S. Paulus eos canes & malos operarios appellat Philip. 3, 2. *Videte canes, videte malos operarios.* Canes quidem; quia ſicut canes ſunt beſtiæ vilißimæ, & aſſiduè latrant, ita & ipſi apud omnes vilißimi habentur, & aduerſus Euangelij prædicationem oblatrare non ceſſant: malos verò operarios, quia vilibus addicti exercitijs, turpes quæſtus ſectantur. Accedit, quòd ipſi, velint nolint, Chriſtianis velut Pædagogi ſuppeditent ſacræ Scripturæ codices, e quibus Catholicæ fidei veritatem contra ipſos & alios infideles comprobamus: nec enim poſſunt dicere, vaticinia, & alia fidei noſtræ myſteria a nobis eſſe conficta, cùm ipſimet hoſtes noſtri ſecum illa deferant & aſſeruent. Hanc rationem diſperſionis Iudæorum tradiderunt S. Iuſtinus in Oratione exhortatoria, D. Hieronymus in cap. 16. Iſaiæ, Theodoretus Oratione 10. de Prouidentia, & eleganter D. Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 46. *Nihil eſt*, inquit, *firmius ad conuincendos quoſlibet alienos, ſi de Euangelij veritate contenderint, noſtrosq; fulciendos, ſi rectè ſapuerint, quàm vt diuina prædicta de Chriſto ea proferantur, quæ in Iudæorū ſcripta ſunt codicibus, quibus auulſis de propriis ſedibus, & propter hoc teſtimonium toto orbe diſperſis, Chriſti vſquequaque crenit Eccleſia.* Et Serm. 2. de Epiph. expendens quomodo Magi a Iudæis edocti fuerint de loco vbi Chriſtus natus eſſet, ex Prophetæ teſtimonio, vt videre eſt Matth. 2. ait: *Quid aliud hic ſignificauit diuina prouidentia, niſi apud Iudæos ſolas diuinas litteras remanſuras, quibus gentes inſtruerentur, illi excæcarentur?* Idem alij docent, & deducitur ex iam citato Dauidis teſtimonio: *Ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos in virtute tua*, &c. Pſalm. 58, 12.

Canes & malis operarijs dicti.

CAPVT LXXVII.

De ortu, progreſſu, & tempore quo floruit Mahomet: de morte item & ſepulchro eius, & frequenti Mahometanorum ad illud peregrinatione.

PLures grauesque Auctores de origine, progreſſu, Imperio, & ſecta Mahometis ſcripſerunt, è quibus, & ex grauioribus inſuper & vetuſtioribus nonnullis, nos aliqua pro noſtro argumento ſelegimus. Antiqui Annales Theophanis & Cedreni anno 21. Imperij Herachj de Mahomet & eius ſecta ſequentia ſcriptis conſignarunt, quæ, vt probabiliora, retulit etiam Cardinalis Baronius Tomo 8. Annalium, ſub anno Chriſti 630. num. 1. *Apud Homeritas* Mahomet, *ſiue in Arabia Felice, Hilli parente Iſmaëlita genitum, Camelariamq; exercuiſſe artem, pauperemq; hominem, ſuam operam mercede locaſſe tradunt, inhaſiſſeq; ſeruitio cuidam potenti viduæ, quæ nomine Tadiga dicta erat, eiusq; paſcendos ſuſcepiſſe camelos: & cùm vafer eſſet ingenio, inſinuans ſe domine gratiæ, effecit, vt eamdem coniungeret ſibi vxorem. Profectus verò in Palæſtinam, ibi verſatus cum Iudæis & Chriſtianis, ab eiſdem aliquid conatus eſt addiſcere; mentemq; vanam prurigo cùm exagitaret honoris, ex occaſione benè accepta nundinationem quamdam exercuit, ex qua nomen fuit prophetæ adeptus. Cùm enim & à damone exagitaretur, & comitiali morbo laboraret: vxorem ſuam, quæ grauem ex eo capiebat dolorem, quòd nobilis ipſa egeno homini, & vexationibus obnoxio nupſiſſet, ita demulſit, quòd diceret, ad conſpectum Angeli Gabrielis ſibi apparentis concidere. Erat amicus ei mulieri Monachus quidam, qui ob falſam fidem ibi relegatus viuebat. Huic mulier totam rem aperit, Angeli etiam nomine propalato. Is autem Monachus vti opinionem eam prorſus in animo mulieris confirmaret, verum Mahometum prophetam dicere ait: eum enim Angelum ad quemuis vatem mitti. Mulier verbis impoſtoris illius Monachi fidem habens, alijs ſuis gentilibus mulieribus fabulam enarrauit, ab ijs porrò ad viros alios ea dimanauit. Vbi verò ſemel innotuiſſe ſciſſet, & creditum ſe eſſe Prophetam; ſibi ipſi per imaginem quæ-*

Ortus & vita Mahometis.

Calliditas Mahometis

Monachus adiutor Mahometis

dam effinxit, eademq; vt diuinitus accepta curtoſo atque ſimplici populo facilè perſuaſit, ac volumen vanis figmentis plenum conſcripſit; quod è cælo ſurſum acceptum effinxit, ſuisq; tradidit ſectatoribus obſeruandum: ſicq; factum eſt, vt ita error vanè conceptus, non miraculorum virtute, ſed vi armorum magis magisq; apud poſteros atque etiam exteros inualeſceret. Quod autem ad ſeductorem Monachum ſpectat; ex fragmento hiſtorico Anaſtaſii Bibliothecarij, vbi de Monacho ſito agit, quiſnam ille fuerit, declaratur his verbis: Cùm teſtimonium ei, Mahometi ſcilicet, daret quidam pſeudo-Monachus Arianus, qui ob malam fidem Conſtantinopoli è monaſterio Calliſtrati exterminatus erat, cum turpitudine, ſub Imperio Heraclij, iſte ſceleſtus nebulo ſeduxit iſtam & reliquas mulieres huiuſmodi verbis: Venit, inquit, ille à viſione quadam Angeli, qui dicitur Gabriel, & non ferens id ſpectaculum, concidit. & paulò pòſt: Cùm diebus illis Imperator Heraclius cum victoria à Perſarum bello reuerteretur, & per Achribum tranſiturus eſſet: obuiàm ei init ille Deo exoſus Mahomet, ferens ei victoriales laudes, ſicut illum docuerat ſceleſtus ille pſeudo-Monachus; petitaq; ab eo terra, quæ pecoribus ſuis alendis ſufficeret, petitionis compos factus eſt. Hæc ibi.

Incrementum Mahometis quomodo.

Sed quomodo error acceperit augmentum, ijdem qui ſuprà Annales declarant, nimirum quòd primùm ad eum accurrerunt Iudæi, exiſtimantes ipſum eſſe quem expectarent Meſſiam; decemq; ex eis ipſum ſectabantur, quòd eum circumciſionem amplecti ſciniſſent: verùm cùm eumdem immunda comedere cognouiſſent, nempe cameli carnem, è ſententia receſſere, ſed non ceſſarunt commouere eum in Chriſtianos. Excogitauit autem ad ſectam propagandam verſutus nebulo illecebras ex voluptatibus carnalibus comparatas, feminarum multitudinem ſuis concedens in hac vita, & in futura ijſdem conſitum paradiſum, in quo ipſis omnia ad cibum & potum lautè abundeq; ſuppeterent, & ad coitum pariter adfore pulcherrimarum multitudinem feminarum; his verò potißimùm potituros fore, qui vel hoſtem occiderent, vel occiderentur ab hoſtibus: iſta ſatis aſtutè proponens, quò ſuos in bello fortes efficeret.

Ex omnibus ſectis legem ſuam concinnauit Mahometes.

Vt igitur populos omnes alliceret, ex cunctis fermè aliqua miſcuit, nempe ex Iudæis circumciſionem, Dei vnius cultum, abſtinentiam à carne ſuilla; ex Chriſtianis Chriſti nomen, ita tamen vt eum ſicuti Ariani, ſiue Neſtoriani, coleret. Rurſum verò vt omnes faces electas ad ſectam alliceret ac ſibi coniungeret, ex Manichæis etiam de Chriſto illud accepit, vt nequaquam Cruci affixum Chriſtum diceret, ſed vmbram Chriſti, Crucem penitus abominatus. De eodem Chriſto inſuper blaſphemus iſta confinxit, quæ his verbis recitat Damaſcenus. ait enim: Chriſtum autem dicit Verbum eſſe Dei & eius Filium, ſed creatum atque ſeruum, eumq; fatetur ex Maria ſine ſemine generatum. Ait enim, Verbum ac Spiritum Dei, cùm in Mariam introiſſet, genuiſſe filium, qui Dei propheta & ſeruus eſt. Iudæos autem contra legem eum in crucem agere voluiſſe; & cùm eum tenuiſſent, eius quidem vmbram egiſſe in crucem, Chriſtum autem nec in crucem actum fuiſſe, nec mortuum. Deum enim ad ſe tranſtuliſſe in cælum, quòd ei eſſet chariſſimus. Hoc etiam commemorat, Chriſtum, cùm in cælum peruenißet, à Deo interrogatum fuiſſe, an Dei Filium ſe eſſe dixiſſet. Eumq; facit hoc modo reſpondentem: In me, Domine, ſis placato animo: ſcis hanc meam orationem non fuiſſe, meq; tuam non faſtidire ſeruitutem. Homines ſunt iſti, qui contra leges hoc me dixiſſe arguerunt, falſoq; me circumuenerunt crimine, & vehementer errarunt. Tum Deum hæc vult ei reſpondiſſe: Scio hanc tuam non fuiſſe orationem. Aliaq; multa monſtri ſimilia in eo narrat Commentario, quæ ridicula ſunt. Hæc Damaſcenus, qui paucis (nec enim multis indigent) quæ ab impoſtore tanto ſunt dicta, confutat.

Superſtitiosa Mahometis.

Ad hæc præterea alias circulator adiecit ineptias, nempe ſibi vt veritatis cultori fideli, tradendas claues Paradiſi in die iudicij. Fatum inſuper aſſeriit, & ſiue ad bonum ſiue ad malum homines deſtinari. Cultum præterea aſtri, quod Cubar dicunt, nempe Luciferi, ſiue Lunæ, commiſcuiſſe tradunt, ne Gentilitiæ ſuperſtitionis ſecta exors exiſteret. Hanc autem fuiſſe de cultu Luciferi Saracenorum antiquam ſuperſtitionem, teſtatur S. Hieronymus in Hilarione. Iſta itaque & alia pudenda confarciens, ad omnium conſernationem vaſrum illud excogitauit: quòd enim ſatis intelligeret, cuncta quæ miſcuiſſet, perfacile ſoluenda atque deſtruenda fore, ſi ad exactæ diſquiſitionis reuocarentur examen: de traditis à ſe inſtitutis vetuit diſputari. Sicq; miſeros quos decipiebat coniecit in foueam, coſdemq; ne inde emergerent, excæcauit. Quid plura? de eodem impoſtore centum & tredecim fabellas ex Euodio Monacho Euthymius in ſua Panoplia recenſet, quas ſingulas tibi relinquimus conſulendas. His igitur commentis & impoſturis circulator iſte nefandus paulatim ſibi conciliauit Arabum regnum, in quo vbi exegiſſet annos nouem, defunctus eſt. De cuius ſepulchro, & peregrinatione ad illud aſſidua, Laonicus agit pluribus, vbi de ritibus, cultuq; ſuperſtitionis huius, ſcribit in hac verba.

De ſepulchro Mahometis.

Laonic. lib. 3. de Rebus Turcicis.

Defunctus eſt, inquit, in loco quodam, cui nomen eſt Mecha. Milites, regionisq; incolæ exequias duxerunt, & grauiter eum luxere.

Quot-

Quotannis in eius honorem ſacra faciunt Arabes: heroa etenim quemdam eum eſſe putant, eumdemq; virum ſanctum à Deo ordinatum, vt ipſis leges ferret; quem in dandis legibus non tyrannum, ſed virum quemdam æquitatis vel inprimis amantem iudicarunt. Et paulò poſt, dum agit de Homare eius diſcipulo & ſucceſſore: Sepulchrum quoque in honorem Mahometis adornans, ibi manebat. Sacra quoque magna quotannis in honorem eius fieri procurauit. Perſuaſit alijs plurimis, vt Mahometem adorent. Eos quoque iuſtos fieri aſſerebat, qui ipſius ſepulchrum inuiſerent. Etiam hodie non pauci ex Aſia, Lybia, Europaq; Mahometis ſepulchrum adeunt, putantes ſe hinc maximam colligere religionem, & probiores fieri. Quidam ex ipſis iſtam peregrinationem ingrediuntur, quidam argentum numerant ijs qui pro ipſis peregrinationem ſuſcipiunt. Via autem, quæ ad ſepulchrum ducit; eſt aſperrima & difficillima. Eundum enim eſt per arenam non citra camelorum alimenta portantium opem: nec etiam aqua, qua vtantur, ad manum prompta eſt ſufficiens omnino. In hunc igitur modum neceſſaria præparantes, camelos conſcendunt, vtentes ſignis, quæ viam demonſtrent, magnetis demonſtrationibus. Colligentes igitur ab Septemtrionali plaga, qua orbis parte eundum ſit, eò viam coniectantes pergunt. Vbi autem acceſſerint loca vbi aquarum ſcaturigines ſunt, aquantes inde abeunt, tranſitaq; arena, intra quadraginta dies ad Mahometis corpus perueniunt. Sepulchrum eius compertum habeo extructum eſſe ex lapidibus pretioſiſſimis, & ſublime pendere in medio templi. Hac Laonicus. Hucuſque ex Baronio.

De ſepulchro Mahometis, ſocijs eius, & peregrinatione agit Ludouicus Romanus Nauigat. lib. 1. c. 12.

Sed ad maiorem rei quam tractamus intelligentiam, *quæ de origine & obitu eiuſdem pſeudoprophetæ à ſancto Eulogio martyre, qui ſequenti ſæculo claruit, in ſuo Apologetico narrantur, ex Codice Legerenſis cœnobij accepta, quæ tamen in ijs quæ ad annorum numerum,* inquit Baronius, *pertinent, eſſe deprauata noſcuntur*, hic ipſiuſmet verbis ſubijcio. *Cùm eſſem,* inquit, *olim in Pampilonenſi oppido poſitus, & apud Legerenſe cœnobiũ commorarer; cunctaq; volumina, quæ ibi erant, gratiâ dignoſcendi incomperta reuoluerem; ſubitò in quadam parte cuiuſdam opuſculi hanc de nefando vate hiſtoriolam abſque auctoris nomine reperi. Exortus eſt namque Mahomat hæreſiarches tempore Heraclij Imperatoris, anno Imperij eius ſeptimo, currente Era* 654 *556. In hoc tempore Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in Catholico dogmate claruit, & Siſebutus Toleto regale culmen obtinuit. Eccleſia beati Euphraſij apud Iliturgi vrbem ſuper tumulum eius ædificatur. Toleto quoque beatæ Leocadiæ aula miro opere, iubente prædicto Principe, culmine alto extenditur. Obtinuitq; prædictus Mahomat nefandus propheta principatum annis decem; quibus expletis, mortuus eſt, & ſepultus in inferno. Exordia verò eius fuerunt talia. Cùm eſſet pupillus, factus eſt cuiuſdam viduæ ſubditus. Cumq; in negotijs cupidus fœneraror diſcurreret, cœpit Chriſtianorum conuenticulis aſſiduè intereſſe; & vt erat aſtutior, tenebræ filius cœpit nonnullas collationes Chriſtianorum memoriæ commendare, & inter ſuos brutos Arabes cunctis ſapientior eſſe. Libidinis verò ſuæ ſuccenſus fomite, cum patrona ſua iure barbarico in ira congreſſus eſt. Moxq; erroris ſpiritus in ſpeciem vulturis ei apparens, os aureum ſibi oſtendens, Angelum Gabrielem eſſe ſe dixit, & vt propheta appareret, impetrauit. Cumq; repletus eſſet tumore ſuperbiæ, cœpit inaudita brutis animalibus prædicare, & quaſi ratione quadam, vt ab idolorum cultu recederent, & Deum incorporeum in cælis adorarent, inſinuauit. Arma ſibi credentibus aſſumere iubet, & quaſi nouo fidei zelo, vt aduerſarios gladio trucidarent, inſtituit. Occulto quoque Deus iudicio (qui olim per Prophetam dixerat: Ecce ego ſuſci tabo ſuper vos Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua: cuius equi velociores lupis veſpertinis, & facies eorum vt ventus vrens, ad arguendos fideles, & terram in ſolitudinem redigendam) nocere eos permiſit. Primùm namque fratrem Imperatoris, qui illius terræ ditionem tenebat, interimunt, & onantes de triumpho victoriæ, glorioſi effecti, apud Damaſcum Syriæ vrbem regni principium fundauerunt. Pſalmos denique idem pſeudopropheta in ore inſenſibilium animalium compoſuit, vitulæ ſcilicet rubræ memoriam faciens. Araneæ quoque muſcipulæ ad capiendas muſcas hiſtoriam texuit. Vpupa præterea & rana cantus quoſdam compoſuit: vt fœtor vnius ex eius ore eructaret, garrulitas verò alterius in eius labijs non deſineret.* Habac. 1.

Alios quoque ad condimentum ſui erroris in honorem Ioſeph, Zachariæ, ſine etiam Genitricis Domini Mariæ ſtylo ſuo digeßit. Cumq; in tanto vaticinij ſui errore duraret, vxorem vicini ſui nomine Zeid concupiuit, & ſuæ libidini ſubiugauit. Quod ſcelus maritus eius ſentiens, exhorruit, eamq; propheta ſuo, cui contradicere non valebat, permiſit. Ille verò quaſi ex voce Dominica in lege ſua illud annotauit, dicens: Cumq; mulier illa diſplicuiſſet in oculis Zeid, & eam repudiaßet, ſociauimus eam prophetæ noſtro in coniugium: quod ceteris in exemplum, & poſteris fidelibus id agere cupientibus non ſit in peccatum. Poſt cuius tanti ſceleris factum mors animæ & corporis

illius simul appropinquauit. At ille interitum sibi imminere persentiens, quia propria virtute se resurrecturum nullo modo sciebat, per Angelum Gabrielem, qui ei in specie vulturis apparere (vt ipse aiebat) solitus erat, resuscitaturum se tertia die prædixit. Cumq; animam inferis tradidisset, solliciti de miraculo, quod eis pollicitus fuerat, ardua vigilia cadauer eius custodire insserunt. Quem cùm tertia die fœtentem vidissent, & resurgentem nullo modo cernerent; Angelos ideò non adesse dixerunt, quia præsentia suorum terrerentur. Inuento igitur salubri (vt putabant) consilio, priuatum custodia cadauer eius reliquerunt: statimq; vice Angelica ad eius fœtorem canes ingressi, latus eius deuorauerunt. Quod reperientes factum, residuum cadaueris eius humo dederunt, & ob eius vindicandam iniuriam, annis singulis canes occidere decreuerunt: vt meritò cum eo habeant illi participium, qui pro eo dignum meruerunt subire martyrium. Dignè ei quidem accidit, vt canum ventres tantus ac talis propheta repleret, qui non solùm suam, sed multorum animas inferis tradidisset. Multa quidem & alia scelera operatus est, quæ non sunt scripta in libro hoc: hoc tantùm scriptum est, vt legentes, quantus hic fuerit agnoscant. Hæc S. Eulogius.

Illustrissimus Princeps Radziuilius in sua Ierosolymitana peregrinatione, Epistola 2. pag. 39. de sepulchro Mahometis loquens, sic inquit: *Cùm essem Damasci, diligenter sum percontatus è Turcis, qui è Mecha veniebant, verúmne esset quod vulgò de sepulchro Mahometis fertur, illud è ferro compactum, vi lapidis magnetis adtractum veluti in aëre pendere. Negarunt hoc istic esse: sed sepulchri mausoleum altiùs elevatum, columnis non adeò crassis sustentari: cumq; conclaue illud angustum & obscurum sit, nec aliud lumen quàm lampadum admittat; ys, qui à longè prospectant, pensilis tumba videtur; sed qui propiùs accesserit, facilè animaduertet illam columnis impositam.* Ita ille.

At dum hoc monstrum coalescere incipit in Oriente (addit ad superiùs dicta Baronius) *armorumq; potentia, quod non posset veritate, auctoritatem sibi conciliare satagit, dormitat stertitq; bonus Heraclius, imò depositis armis, nulla de tuendis iam partis cura sollicitus, nec timore perculsus de perdendis quæ Romani essent Imperij; vigilansq; cum Monothelitis, omne consilium agitat, simulq; potentiam omnem adhibet, vt dogma stabilitat. Vafrum diabolus excogitauit inuentum, vt his tricis teneret Heraclium occupatum eo tempore, quo ipse adeò grande malum, quo maius numquam fuisset in orbem illatum, machinari cœperat in Oriente; faceretq; Ecclesiastico bello occupatum Heraclium detineri, quo tempore ipse in Christianam religionem, & in ipsum Romanum Imperium insuperabile prælium præpararet: adeò vt minimè à scopo veritatis aberret, qui dixerit, nullum Romanorum Imperatorum maiora damna, quàm Heraclium, in Christianam Rempublicam inuexisse, dum ad extinguendam facem diaboli non accurr[illegible] sed alteri incendio fomenta interim parat.*

De tempore, ortu, progressu, & interitu Mahometis sententia varia.

De tempore verò, ortu, progressu vel interitu Mahometis, nonnulla discrepantia est inter Scriptores, qui chronologiam vitæ, ac rerum gestarum, obitusque Mahometis scriptis prodiderunt. Primò Matthæus Palmerius Florentinus, satis laudatus Chronographus, circa annum Domini quingentesimum nonagesimum septimum, sic ait: *Mahometes nascitur, qui postea tamquam magnus Dei propheta Saracenis leges dedit, & nascitur in Arabia.* Et circa annum Domini sexcentesimum vigesimum tertium ait, Mahometem cœpisse profiteri se prophetam Dei, & suos sectatores vocasse Saracenos, à Sara legitima vxore Abrahæ, quasi legitimos diuinæ promissionis successores. Et in anno Domini sexcentesimo vigesimo septimo signat tempus mortis Mahometis. Et ex his apparet, Mahometē nec annum ætatis quadragesimum excessisse, & multis annis obijsse ante annum sexcentesimum sexagesimum sextum ab ortu Domini nostri: & præter Palmerium idem tradunt plures alij. *Prima.*

Maseus in Chronico Hispaniæ assignat eius obitum anno Domini sexcentesimo vigesimo octauo. *Secunda.*

Martinus Polonus tradit, ortum fuisse Mahometem pseudoprophetam Saracenorum circa annum duodecimum Imperij Heraclij, cuius Imperij exordium facit anno Domini sexcentesimo duodecimo. *Tertia.*

Genebrardus in sua Chronologia asserit, Mahometem fuisse natum anno Domini quingentesimo nonagesimo secundo, & anno sexcentesimo vigesimo primo iura & leges dare cœpisse, decennium regnasse in Arabia, mortuumque esse anno Imperij Heraclij decimo septimo. Cœpit verò regnare Heraclius circa annum Domini sexcentesimum duodecimum. *Quarta.*

Cedrenus in Compendio Historiarum scribit, eum esse mortuum anno Domini sexcentesimo trigesimo. Et in hoc eodem anno de ipso agit Baronius loco citato, & mortem eius contigisse hoc ipso anno, ex veteribus Annalibus, docet. *Quinta.*

Alij denique natum dicunt anno salutis quingentesimo octogesimo, quos ex recentioribus sequitur & adducit Maluenda de Antichristo lib. 2. cap. 5. dicens: *De tempore quo natus est Mahometes, variant Scriptores.* *Sexta.*

Nobis

Mahometes Antichriſtus non fuit.

carum Arabumque Imperatorem, non eſſe Antichriſtum illum qui proximè præceſſurus eſt aduentum Domini ad iudicium, etſi vnus, isque omnium ſceleſtiſſimus exſtiterit ex ijs, qui viam illi pararunt & parant, vt arbitratus fuit Damaſcenus (de quibus Ioannes primæ ſuæ Epiſtolæ c. 2, 18. dixit: *Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt.*) adeò vt à multis ipſe Antichriſtus verus creditus ſit. *Nec quiſquam eſt, aut fuit aliquando* (inquit Prateolus lib. 11. Elenchi hæreſum, v. Mahometes) *qui propiùs accedat ad Pauli prophetiam, atque ille hominum nequiſſimus: & niſi alius venerit, omnis prophetia in hoc Mahomete impleta exiſtimari debeat. Ipſe enim cum ſectatoribus ſuis contrarius eſt Chriſto & eius immaculatæ legi.*

Damaſc. de Hæreſ. in fine.

Aduertò Secundò, ea quæ à me adducentur, non ita eſſe propria aduentus & perſecutionis Mahometis, quin & alijs ei ſimilibus, & imitatione filijs, conuenire poſſint; quemadmodum & alia, quæ de ſceleſtiſſimis alijs enuntiantur, eidem non minùs accommodari poſſunt, cùm omnes facilè impietate ſuperauerit, vt euentus comprobarunt. Quare ad memoriam reuocanda ſunt, quæ Capite præcedenti diximus, quis fuerit Mahometes, & qua via tantoperè ſuum dilatauerit imperium, vt Terram ſanctam denique occuparit, & deſolatam reddiderit, quò ea quæ dicturi ſumus ei magis conuenire percipiamus.

Lege Perenum in ſua Diſputat. contra Annium Viterbienſem, *quòd Mahometes non ſit Antichriſtus*, quam adiecit ad ſuas Diſput. in Apocalypſ.

Mahomet in pluribus impijs præfiguratus.

In primis, cum inter omnia horribilia monſtra, quæ perniciem & ſtragē in Eccleſia Dei fecerunt, horribiliſſimū, nequiſſimum infenſiſſimumque fuerit pſeudopropheta & impoſtor Mahometes, vt patet tum ex amplitudine regionis quam Deo abſtulit, & diabolo ſubiugauit, tum ex longiſſima eius duratione, vtpote quæ milleſimum iam annum exceſſit, quod de alia ſecta non legitur; ideò arbitrari poſſumus, ipſum præfiguratum fuiſſe in Regibus illis infidelibus & Tyrannis, qui aliquando contra fideles arma tulerunt, eoſque afflixerunt, quales fuerunt vel Ægypti vel Babyloniæ Reges, & in monſtris quæ vel Danieli, vel Ioanni in Apocalypſi, vel alijs ſanctis viris monſtrata leguntur. Sed ad particularia eſt deueniendum, & à Teſtamento veteri incipiendum.

Mahomet in Balaam præfiguratus.

Iſte pſeudoprophetes Mahomet præfiguratus videtur in pſeudopropheta Balaam, de quo agitur in libro Numerorum cap. 24. Quemadmodum enim iſte, quamuis dæmonum eſſet cultor, verum interim Deum confitebatur, eoque fuco magnum malum populo Dei inferebat, ſuggerens vt Madianitæ mulieres ei proſtituerentur, à quibus idola colere didicit; quæ cauſa extitit, vt multi gladio interfecti, & ad infernum perducti fuerint: ita quoque ille Mahomet, vir quidem planè diabolicus, Deum tamen vnum, & Chriſtum ſimul Prophetam confitens, lege interim carnali promulgata, multos ſeduxit, & à vita momentanea ad mortem æternam perduxit, vt iam vidimus, & ex ijs, quæ pro opportunitate a nobis ſubijcientur, portò videri poterit.

Ieroboam typum Mahometis.

Mahometis quoque typum geſſit impius ille Ieroboam Rex Iſraël, antea ſeruus Salomonis, cuius diuina Scriptura mentionē facit. Hic, iuſto Dei iudicio permittente, aſtutia & calliditate maiorē Regni Iudæorum partem, ex duodecim nimirum tribubus decem, ad ſe pertraxit, quas à vero Dei cultu deficere fecit, Deique hereditatem & eius cultum plurimùm diminuit & depreſſit. Ita Mahomet, viliſſimum anteà mancipium, aſtutiâ ſuâ Imperium ſibi comparauit, & magna cum Dei iniuria, Eccleſiæque damno & dedecore, maiorem mundi partem ſuo ſubiecit imperio: quæ & cauſa fuit, vt ſicut per Ieroboam diminutus fuit Ieroſolymis verus Dei cultus, dum populus ad adorandum eò venire prohiberetur, aſſignato alibi ſacrilegæ adorationis loco; ita à Mahometanis occupata Ieroſolyma cum pluribus alijs partibus mundi, diminutus fuerit Deo debitus cultus, olim ibi & alijs in locis ei exhibitus, vt meritò dicere nunc poſſimus (ſed heu! madentibus oculis) cum Propheta: *Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint qui veniant ad ſolemnitatem: omnes portæ eius deſtructæ: ſacerdotes eius gementes: virgines eius ſqualidæ, & ipſa oppreſſa amaritudine,* Thren. 1, 4.

Hector Pintus in cap. 38. Ezechielis, Genebrardus lib. 1. Chronograph. pag. 147. & lib. 4. pag. 662. 663. & in Pſalmum 52, 2. & alij arbitrati ſunt, *Gog* & *Magog*, de quibus fit mentio in adducto Ezechielis loco, & alibi, eſſe Iſmaëlitas ſiue Mahometanos, Saracenos, & peculiariter Turcas ipſos, ferales Chriſtiani nominis hoſtes, & ſancti ſanguinis ſitientiſſimos, quorum Imperium anno Domini 1300. ſub Ottomanno exortum, nunc etiam ſub Ottomannis Principibus crudeliter diuexat Eccleſiam: & in eadem ſententia nonnulli cenſuerunt eſſe ſanctum martyrem Methodium.

Gog & Magog.

Mahomet & eius principatus præfigurati apud Danielem in cornu paruulo.

Apud Danielem capit. 7, 8. ſecundùm quoſdam, Mahometes & eius Imperium creditur præfiguratum in cornu illo paruulo, quod ortum fuerat de medio decem cornuum quartæ beſtiæ. Sic enim ibi dicitur: *Conſiderabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum: & tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie eius: & ecce oculi, quaſi oculi hominis erant in*

cornu istlo, & os loquens ingentia. Sic verò explicant. Mahometes dicitur *cornu parvulum*, propter obscuritatem originis, & parua eius initia. Euellit tria cornua, quia primùm ipse, pòst eius sectatores, tria viciniora regna vexauerunt & occupauerunt, Arabiæ, Syriæ, & Ægypti; nunc autem eius sectæ Principes, alumni, ac defensores, Turcas dico, tres præcipuas mundi portiones, Asiam, Africam & Europam, magna ex parte possident. Habuit oculos hominis, quia solertissimus & sagacissimus fuit ad fallendos homines. Loquebatur ingentia; quoniam audacissimè iactabat se prophetam esse maximum: simulabat familiares sermones, intimamq; consuetudinem cum Angelis se habere: dicebat, legem suam perfectiorem ac meliorem esse lege Moysis & Christi. Adduntque, Mahometanum hoc Regnum ad finem vsque mundi duraturum, & per secundum tandem Domini aduentum funditus destruendum.

Verùm hanc interpretationem duplici ratione refellit Pererius lib. 8. in Danielem. *Etenim*, inquit, *hic dicitur tunc futurum illud cornu paruulum, cùm quartum regnum, quod est Romanorum, dispertitum fuerit in decem Reges: at quo tempore fuit Mahometes, eo tempore vnus dumtaxat Imperium Romanum tenebat & administrabat. Deinde Scriptura inquit hoc loco, illud cornu paruulum insectaturum & deuexaturum populum Dei per tempus, tempora, & dimidium temporis, hoc est, per tres annos, præterquam dimidium annum: atqui luce clarius est, persecutionem Mahumeti & sectatorum eius aduersus Christianum populum, non tantùm tribus annis & dimidio durasse, quin hodieq; in Christianos exerceri & desæuire.*

Sed quidquid sit de ista interpretatione, arbitror ego, Mahometem, & eius Imperium præfiguratum fuisse in quarta illa bestia, de qua memorato capite sic ait Daniel: *Et ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis: dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: dissimilis autem erat ceteris bestijs, quas videram ante eam, & habebat cornua decem.* Non me latet, omnes ferè Interpretes per hanc quartam bestiam præfiguratum voluisse Romanorum Imperium, vt pluribus in hunc locum explicat Pererius, & nos non omnino pernegamus: sed cùm prophetia vna non tarò plures admittat litterales sensus, ideò & hanc dicimus admittere non vnum illum tantum sensum, quo explicatur de Romanorum Imperio, sed & hunc, quo in illa præfiguratum esse Mahometem, & Turcicum eius imperium, asserimus. Et verò haud minori ratione aptari potest huius quartæ bestiæ interpretatio Mahometico, quam Romano Imperio.

Aliter præfiguratus.

Visio quarta bestia apud Danielem explicatur de Mahometo & eius Imperio.

In primis, speciem & nomen huius quartæ & posterioris bestiæ reticuit Daniel, quoniam adeò portentosum, pernicioſum, atque deforme monstrum fuit Mahometes, & eius Imperium, vt vna species, vel singulare bestiæ alicuius nomen, ad eius turpitudinem & obscœnitatem significandam sufficiens haud visum fuerit Prophetæ, sed antonomasticè *bestia* dictus sit *terribilis, mirabilis, & fortis nimis.* An non terribilis fuit toti mundo Mahometes, an non mirabilis, si ad vilia eius exordia respiciamus? An non fortis nimis, cùm breui temporis curriculo mirabiliter suum dilatauerit imperium? Dentes ferreos habet magnos, comedens atque comminuens, quia plures suæ subiugauit tyrannidi, non ratione, sed ferro, armorum vi, & potentia; meritoque ei aptantur verba illa Isaac ad Esau, in cuius ditione successerunt Mahometani: *Vives in gladio*, Gen. 27, 40. Conculcat omnia pedibus, quoniam sibi subiectos tamquam vilem humum calcat: Turcarum enim Imperator suos subditos, quicumque & qualescumque illi sint, seruos & mancipia sua appellat, & vt eiusmodi illos tractat. Non opportunis aut rationabilibus medijs, vt Romani, sed bestialibus & immundis tantùm Imperium suum dilatauit, vt iam vidimus. Et regnum hoc in latitudine non cedit regno Romanorum, imò illud excedit, vt magis ex dicendis patebit. An non terribile & forte, cùm alia non timeat regna, & timeatur ab omnibus? Sed adde, per dentes ferreos (quod mirabile est, quia nullum violentum durabile) significari fortem violentamque eius tyrannidem longo tempore duraturam. An non experientia hoc docet? Et quodnam tyrannicum Imperium tamdiu durauit vt hoc, quod ad hunc vsque diem perseuerat?

Mahometicum Imperium vsque ad tempora Antichristi duraturũ, probabile est.

Et quis scit, an non (incertum dubiè, at non leui coniectura ductus, profero) regnum hoc vsque ad Antichristi tempora duraturum, & ex isto oriundus sit Antichristus? Quod dubio procul ita erit, si, vt superiùs monuimus ex D. Methodio & alijs, Gog & Magog sectam Turcicam & Mahometicam significant; quoniam illi viuent tempore Antichristi, & contra Christianos partes eius adiuuabunt.

Cornu parvulum Antichristus, secundùm veteres Patres.

Sed amplius id ex immediatè sequentibus Prophetæ verbis in hunc modum explicatur. Inquit: *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum: & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius: & ecce oculi, quasi oculi hominis*

erant

Digitized by Google

erant in cornu iſto, & os loquens ingentia. Cornu illud paruulum, ſecundùm antiquorum Patrum & Eccleſiaſticorum Scriptorum interpretationem, Antichriſtum ſignificat, quod hiſce verbis ſcriptum reliquit S. Hieronymus. *Ergo dicamus*, inquit in hunc Danielis locum, *quod omnes Scriptores Eccleſiaſtici tradiderunt, in conſummatione mundi, quando regnum deſtruendum eſt Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter ſe diuidant; & vndecimum ſurrecturum eſſe regem paruulum, qui tres reges de decem regibus ſuperaturus ſit; id eſt Aegyptiorum regem, & Africæ, & Aethiopiæ. Quibus interfectis, etiam ſeptem alij reges victori colla ſubmittent. Et ecce, ait, oculi quaſi oculi hominis erant in cornu iſto. Ne eum putemus, iuxta quorumdam opinionem, vel diabolum eſſe vel dæmonem, ſed vnum de hominibus, in quo totus ſatanas habitaturus ſit corporaliter. Et os loquens ingentia. Eſt enim homo peccati, filius perditionis, ita vt in templo Dei ſedere audeat, faciens ſe quaſi Deum.* Hactenus D. Hieronymus.

Mahometes cornu paruulum.

Verùm quod D. Hieronymus, & qui eum præceſſerunt, & alij qui poſteà ſecuti ſunt, Scriptores, de Romano imperio, nos de Mahometico & Turcico interpretamur: nec mirum, cùm illorum tempore nullum eſſet maius Imperium Romano; noſtro verò tempore nullum ſit maius, præſertim quod Chriſto aduerſetur, quàm Mahometicum, quod longè excedere Romanum, vel Indiæ ſolæ Orientales, quæ Mahometicam ſectam profitentur, oſtendunt: & facilè mihi perſuadeo, quòd ſi noſtris temporibus ſuperuiuerent Auctores iſtius primæ ſententiæ, non abſimilem à noſtra eos allaturos interpretationem, vt fecit Abbas Ioachimus, qui poſterioribus ſæculis ſpiritu prophetiæ claruit, cuius ſcripta primùm legi poſtquam hæc ſcripſiſſem, eiuſque auctoritatem adducemus Capite xc.

Antichriſtus ex Mahometiſtis oriundus.

Quòd verò Antichriſtus oriundus ſit ex Mahometanis, vel ex Turcico Imperio, vt cornu illud paruulum ex quarta illa beſtia originem traxit, inde fit probabile, quòd, iuxta ſententiam D. Hieronymi ſuper caput 12. Danielis, D. Anſelmi in Elucidario, Rabani Mauri in Tractatu de Antichriſto (quæ etiam eſt ferè communis, & ab omnibus recepta) naſciturus ſit Antichriſtus Babylone, quæ ciuitas & regio Impero Turcico eſt ſubdita. Lege Maluendam de Antichriſto lib. 2. cap. 15. & 16. Orietur ex muliere fornicaria, vt tradunt D. Ioannes Damaſcenus lib. 4. de Fide Orthod. cap. 27. & D. Anſelmus in Apoc. Ex ſpurciſſima & fallaciſſima femina, inquit B. Ephræm Syrus Tract. Conſummat. ſæculi. Et hæc ſimul collecta poterunt quidem in Mahometanis facile reperiri; non item in alijs.

Dubium.

Sed dubium inſurgit: Quomodo Antichriſtus poterit eſſe Saracenus, & ex Mahometiſtis progenitus, cùm Iudæus futurus ſit, & ex tribu Dan, vt docent ſacri Doctores vnanimi conſenſu, & ſacræ Litteræ videntur ſuffragari? quòd ſi non eſſet talis, & ritus etiam Iudaicos non obſeruaret, non reciperetur à Iudæis pro Meſſia, à quibus tamen recipietur, vt prædixit Saluator: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me; ſi alius venerit in nomine ſuo* (id eſt Antichriſtus) *illum accipietis*, Ioannis 5, 43. Et hæc videri poſſunt apud Viegam in Apocalyp. cap. 13. Comment. 2. de Antichriſto, ſect. 3. & 7. & alios eiuſdem loci interpretes, & ſingulariter apud Maluendam de Antichriſto libr. 2. capit. 10. 11. 12. 13. Non ergo ex Mahometiſtis orietur Antichriſtus.

Reſponſio.

Reſpondetur negando conſequentiam. Fieri enim poteſt vt ſit Mahometiſta, & tamen ex Iudæis progenitus; latiſſima enim Mahometica ſecta omnes, cuiuſcumque nationis & gentis ſint, ad ſe confluentes amplectitur. Et numquid plurimi Iudæi, Mahometiſtis commixti, Mahometicam amplectuntur ſuperſtitionem? in quo non admodum deprehenduntur difficiles, cùm & Mahometani circumciſionem, ablutiones, & plures alios Iudæorum ritus obſeruent, & plurimùm cum eiſdem conueniant. Et quamuis fortè non ſit Iudæus, Iudæum tamen, & ſingulariter ex tribu Iuda ſe eſſe ſimulabit, vt ſic Iudæos decipiat, quò illum pro Meſſia recipiant. Et ſi ſanctus Apoſtolus Iudæis factus eſt tamquam Iudæus, vt Iudæos lucraretur; & ijs qui ſub lege erant, quaſi ſub lege eſſet (cùm non eſſet ſub lege) vt eos qui ſub lege erant lucri faceret, &c. 1. Cor. 9, 19. quare non ſuſpicari poſſimus, Antichriſtum velut Proteum in varias ſe formas eſſe transformaturum, Hebræumq; futurum cum Hebræis, Mahometiſtam cum Mauris, &c. vt omnes deceptos ad ſe pertrahat? nam filij huius ſæculi, quorum præcipuus erit perditiſſimus ille, prudentiores ſunt filijs lucis in generatione ſua. Callidiſſimus profectò erit politicus: & quamuis nullam legem ſit obſeruaturus, ſed omnes violaturus; ſi tamen ei propoſitæ fuerint, finget in ſuis initijs ſe obſeruaturum: erit enim aſtutiſſimus hypocrita, & damnatiſſimum illud ſibi axioma propoſitum habebit: *Si ius violandum eſt, regnandi cauſa violandum eſt.* Quare non officit, dicere illum oriundum ex Mahometiſtis, quamuis cum Hebræis Iudaicum cultum, & quemlibet

Antichriſti hypocriſis.

libet alium pro ſuo arbitrio, & vt deceptionibus ſuis ſtabiliendis magis opportunum iudicauerit, ſit profeſſurus.

Duratio Mahometici Imperij diuturna.

Hoc verò, id eſt Mahometicum Imperium, duraturum eſſe vſq; ad tempora Antichriſti, probatur, Primò ex iam dictis, quoniam adeò profundas firmaſq; radices egit, & per omnes orbis partes dilatatum eſt, vt, ſeclusò miraculo, diuitiis maximè Chriſtianorum Principum viribus, difficulter extirpandum, ſed eſſe duraturum vſque ad aduentũ Antichriſti, probabiliter credi queat.

Accedit, quòd eius finis non deſcribatur, quaſi illum non ſit habiturus niſi circa aduentum Antichriſti. Hoc probatur à ſimili. Si enim licuit ſacris Doctoribus ex hoc argumentari, præſentem Iudæorum calamitatem, captiuitatem, ſiue meliùs diſperſionem, fore perpetuam, quia eius finis, prout aliarum captiuitatum grauiſſimarum, non fuit à Domino præmonſtratus.

Tres Iudæorum captiuitates, præter præſentem calamitatem.

Tres verò captiuitates ſiue perſecutiones Iudæorum memorantur in ſacris Litteris, præter præſentem poſt Chriſti aduentum & ad cælos aſcenſum, quarum etiam fines prænuntiati fuerunt: prima Ægyptiaca, ſecunda Babylonica, & tertia ſub Antiocho Epiphane. Ægyptiacam cum eius terminatione prædixit Dominus Abrahæ Geneſis 15, 13. cùm ei ſignificauit, poſteros eius peregrinaturos in Ægypto, ſeruiturosque ibi annis quadringentis; ijs autem exactis, excuſſo ſeruitutis iugo, terram Chanaan poſſeſſuros. Babylonicam prædixit idem Dominus per Ieremiam, capp. 25. & 29. & tempus durationis illius, videlicet ſeptuaginta annos. Miſerandam cladem & calamitatem qua afflicti contritiq́ue fuerunt Iudæi ſub Antiocho, & illius durationem, trium videlicet annorum cum dimidio, prædixit Daniel cap. 2. quæ omnia euenerunt vt fuerant prænuntiata. Sed præſenti calamitati, cui poſt interfectum Chriſtum miſeri ſubijciuntur Iudæi, nullus præfigitur terminus, ſed potiùs innuitur non habituram. *Et non erit eius populus, qui eum negaturus eſt* (inquit per Danielem Dominus cap. 9, 26.) *Et ciuitatem & ſanctuarium diſſipauit populus cum duce venturo: & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.* & paucis interpoſitis: *Et vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio.* Si, inquam, Doctoribus hinc licuit argumentari, præſentem Iudæorum calamitatem fore perpetuam; nos etiam opinari poſſumus, Mahometanorum perſecutionem duraturam vſque ad Antichriſti aduentum, cùm eius terminatio non ſit prænuntiata, vt conſideranti quæ dicemus apparebit.

Huic ſententiæ videtur ſuffragari Caietanus, dum explicans ea Domini Luc. 18, 8. verba, *Filius hominis cùm venerit, putas inueniet fidem in terra?* ait: *Ex hoc loco timeo diminutionem Chriſtianæ fidei, quam videmus non ſolùm inchoatam, ſed valdè extenſam, non eſſe reſtaurandam, ſed potiùs extendendam. Non ſum tamen propheta, neque filius propheta: ſed video viam valdè frequentatam ad verificationem huius textus. Magna ſiquidem mundi pars Mahometana eſt; & parua pars Chriſtianis relicta, tot hæreſibus, & ſchiſmatibus, ac prauis vſibus repleta eſt, vt exiguus verè fidelium numerus iam apparere videatur. Verè autem fideles, dico profeſſores Chriſtianæ fidei verbis & factis.* Hæc ille.

Caietani ſententia.

Non probatur aliquibus ſententia Caietani, neque eius vaticinium pertimeſcendum affirmant; quoniam in nouo orbe ampliſſimè fides propagatur, & indies paratur Sinarum cõuerſio, illuceſcente iam Euangelij Sole in Iaponijs, Philippinis, innumeriſq́ue alijs tum inſulis tum regionibus nouiter repertis: atque etiam noſtris temporibus Eccleſiarum Ægypti, & Æthiopiæ, atque Ruthenorum ad Eccleſiam Catholicam, mira Dei benignitate, facta eſt aggregatio. Quamuis negandum non ſit, hæretimplures nobis Prouincias in Septemtrione abſtuliſſe.

Thomas Maluenda lib. 8. de Antichriſto cap. 16.

Suppoſito, per diminutionem noſtræ fidei Caietanum non intelligere omnimodam Catholicæ fidei defectionem, quia numquam illa deficiet, *portæ* enim *inferi non præualebunt aduerſus eam*, vt Saluator noſter dixit Matthæi 16, 18. timeo cum Caietano, ne, ob Chriſtianorum præſertim Principum diſcordiam, fidelium in charitate tepiditatem, & conſpirationem infidelium cum luxu & libertate viuendi, refrigeſcat fides, Religio elangueat, & Eccleſia ſancta deliquium patiatur; inde verò magis firmetur Mahometica tyrannis, fœdaq́ue & abominanda illius ſecta ad tempora vſque Antichriſti protendatur. Huic ſententiæ plures ſubſcripſerunt, & inter alios eam ſequitur Cardinalis Borromæus, vir pietate & doctrina inſignis, vt ipſemet aliquoties mihi indicauit.

Nec verò ea quæ in contrarium adducta ſunt, à propoſita ſententia me retrahunt: quàm enim tepidi vt plurimum ſint qui conuertuntur, & quàm ad vomitum facilè reuertantur, nouerunt experti, & euentus ipſi meridiana luce clariùs oſtendunt; quandoquidem Græci, Armeni, & Rutheni Romanæ quidem Eccleſiæ aggregari fuere, ſed ab ea breui receſſerunt, & vſque ſeparati manent. Præterea, dum in vna parte aliqui reſurgunt, in alia plures cadunt, *facilis*

enim *descensus auerni*. Vtinam saperent & intelligerent fideles, ac nouissima prouiderent! ne, quod comminatus fuit Dominus, & iam videmus incœptum, opere compleatur; sed econtrà Dei benignitate augeatur fides, accendatur charitas, extirpentur hæreses, tollantur errores, extinguatur Mahometica tyrannis, Christi denique dilatetur Regnum, iuxta Angelicum de eo vaticinium, quòd in domo Iacob esset regnaturus in æternum, & regni eius non esset futurus finis. Sed ad institutum reuertamur.

Quantum ad illum præcisum numerum decem Regum, in quos alij omnes censuerunt dispertitum iri tempore Antichristi Romanum Imperium (cuius loco nos Turcicum dicimus) an tot nimirum determinate futuri sint, nihil nobis facit negotij, & proposito nostro non officit: nec enim cogimur intelligere, diuisionem illam faciendam esse præcise in solos decem, sed liberum est suspicari de pluribus vel pauciori-

Septenarij & denarij numeri significatio.

bus. Docet enim D. Augustinus lib. 2. de Ciuitate Dei, cap. 23. numero illo denario non tam significari certum quemdam numerum, quàm omnes qui in illo Imperio futuri sunt, vsque ad finem sæculi, post quos tandem veniet Antichristus: quoniam Scriptura sacra illo denario numero, vt & septenario, centenario, & millenario, plerumque vtitur ad exprimendam vniuersitatem, vt patet Genes. 31, 7. Iob 19, 3. Num. 14, 22. 1. Reg. 1, 8. Eccles. 7, 24. Dan. 1, 12.

Dubij solutio.

Sed dices: Si ex illis originem ducturus est Rex ille, quomodo contra illos insurget? Dico, hanc difficultatem opponi posse etiam contra alterius sententiæ sequaces, quam tamen nullo negotio diluimus, cùm

Libido regnandi crudelis.

& filij libidine regnandi in proprios parentes insurrexerint, vt historiæ docent. An non Absalom, optimi Dauidis filius, contra patrem arma mouit, effrenata regnandi libidine ductus? Sed & Euilmerodach, Imperatoris Nabuchodonosoris filius, mortui patris cadauer dilacerauit, & cæli auibus deuorandum obiecit, timens ne olim resurgeret, ipsumq; regno priuaret, vt docet Glossa in illud Isaiæ 14, 19. *Tu autem proiectus es de sepulchro tuo*, &c. Quare & sceleratissimus Antichristus, obscura radice prognatus, paruisque initijs exorsus (perinde ac Mahomet eius figura & præcursor) paulatim crescet viribus, adeò vt debellatis vicinioribus, ceteros ad sibi exhibendam obseruantiam, & obedientiam præstandam, compellat partim aperta vi, & partim tecta calliditate sua. Ad hoc possent plura alia aptari, quæ à Doctoribus dicuntur de Antichristo; quæ, ne longior sim, omitto, vt ad prophetias nostra recurrat oratio.

Prophetia de aduentu & persecutione Mahometi.

Præter figuras igitur suppetunt etiam ex Testamento veteri vaticinia, quibus sceleratissimus ille pseudopropheta, & eius in sanctam Ecclesiam & veram Ierusalem bellum & persecutio prænuntiata fuère. Inprimis Rex Dauid in Psalmo quinquagesimo nono, vt in illius interpretatione obseruauit doctus Genebrardus, ac deinde Psal. 78, 1. id prædixit, aiens: *Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam*, &c. Hæc siquidem verba meritò à multis intelliguntur de Turcis & Ma-

Valentia, Richelius, & alij.

hometistis, qui sanctam ciuitatem vastauerunt, & diuinum templum profano suo cultui destinauerunt. & singulariter quidem ea sic exposuit Vrbanus II. in quadam Concione, habita in Concilio Clara-montensi in Gallia, pro expeditione in Terram sanctam.

Credo, non ingratum fore Lectori, si hîc subijciam quæ legi in quodam libello Italicè conscripto, cuius titulus est, *L'Ottomano di Lazaro Soranzo*; vbi Auctor affert rationem siue similitudinem, experientiâ comprobatam, quare proximè adducta Prophetæ verba meritò de Turcis intelligantur. Pomorum quippe nomine figurate intelligit tobaleas plicatas, vulgò *Turbanti*, quas in capitibus deferunt Turcæ, propter similem quam cum pomis habent figuram & rotunditatem. His addit duas alias expositiones illarum tobalearum, quibus similiter confirmantur quæ superiùs diximus de amplitudine, robore & dilatatione Turcici siue Mahometici Imperij. Altera est, tobaleâ illâ, propter rotunditatem, & plurium plicarum circumuolutionē, mappam mundi, sphæramque cyclorum & epicyclorum significatam esse, quasi per vniuersum orbem se extendat Mahometicum Imperium. Altera expositio est, illam tobaleam symbolicè indicare Turcarum fortitudinem; eâ enim monentur illam deferentes, vt ad bellum proficiscentes ita strenuè certent pro suæ sectæ defensione & dilatatione, vt ne de reditu quidem ad proprias domos cogitent; sed vitam ipsam gloriosè profundere, quàm cum ignominia hostibus terga vertere proponant; quoniam tobalea illa loco sindonis sit futura, in qua eorum cadauera ad sepeliendum inuoluantur. Considera etiam quæ in hunc locum scripsit Ioannes Lorinus, & D. Hieronymus in Isaiæ cap. 1, 7. in ea verba, *Terra vestra deserta*, &c.

Apud Ieremiam cap. 51, 51. hæc leguntur: *Confusi sumus, quoniam audiuimus opprobrium: operuit ignominia facies nostras, quia*

quia venerunt alieni ſuper ſanctificationem domus Domini, &c. Antiochus Monachus Palæſtinus, vitæ ſanctitate & doctrina conſpicuus, Hom. 107. hæc verba de Choſroë Perſarum Rege, cum exercitu ſuo Syriam deuaſtante, ſpiritu vaticinio prolata fuiſſe à Propheta, arbitratus eſt. At nos de Mahomete, & Imperio quod illi ſucceſſit, non minori ratione eadem intelligere poſſumus: maiorem etenim ſtragem fecit in Eccleſia Dei, in Ieruſalem & tota Terra ſancta, quàm vmquam fecerit Choſroës. Et hæc quidem hactenus è veteri Teſtamento; quæ in nouo pro eodem argumento inuenire potui, ſequenti Capite proponam.

Habetur Tom. 2. Bibloth. Vet. Patrum.

CAPVT LXXIX.

Prædictiones & reuelationes de aduentu, & perſecutione Mahometis, ex Scriptoribus noui Teſtamenti acceptæ.

QVemadmodum res tanti momenti, qualis fuit aduentus & perſecutio Mahometis, ſanctam Dei Eccleſiam & totam Terram ſanctam deuaſtantis, in veteri Teſtamento non fuit abſcondita, ita & in nouo gratiæ fuit à Deo quibuſdam peculiaribus amicis ſuis reuelata, & inprimis diſcipulo dilecto Ioanni. Cùm enim huic multa alia minoris momenti, & minùs memorabilia, quæ ſanctæ Eccleſiæ proſperitatem vel aduerſitatem reſpiciebant, fuerint manifeſtata, & ab eodem ad communem fidelium vtilitatem in admirabili ſua Apocalypſi litteris conſignata; hoc de Mahomete & eius Imperio non fuiſſe ei abſconditum, pro certo tenendum eſt. Huius enim perſecutio longo interuallo ceteras alias Eccleſiæ perſecutiones ſæuitie & duratione antecellit, vt apparet has cum illa conferenti.

Prima reuelatio de Mahomete Ioanni Archipropheta facta.

Et bis quidem illam fuiſſe manifeſtatam, ſuſpicari poſſumus. Primò Apocalypſ. 6, 8. in apertione quarti ſigilli, hiſce verbis: *Et ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors, & infernus ſequebatur eum, & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & beſtijs terræ.* Equus pallidus, eſt populus Saracenus; ſeſſor eorum, princeps Mahometes, qui innumeris ſanè hominibus mortis tum ſpiritualis tum corporalis cauſa fuit, cuiuſque peſtilens hæreſis totum fermè orbem peruagata eſt. Ita interpretantur hunc locum Ioachimus Abbas, Seraphinus Firmianus, Cælius Pannonius, Benedictus Pererius in cap. 6. Apocalyp. diſput. 16. & 17. & Cornelius à Lapide, quos vide, quia benè explicant.

Secundò creditur aduentus Mahometis eidem Ioanni innotuiſſe in ſecunda illa beſtia, quæ aſcendebat de terra, & habebat cornua duo ſimilia Agni, & loquebatur ſicut draco, vt dicitur Apocal. 13, 11. Et ita intellexerunt eum locum Lyranus, Burgenſis, D. Antoninus 1. Parte Hiſtor. Titul. 6. c. 1. §. 9. & Annius Viterbienſis, etſi malè exiſtimet hunc ipſum deinde fuiſſe etiam Antichriſtum. Ioannes Mariana in Scholijs illius capitis ſic ſcribit: *Prior beſtia fuit Imperium Romanum, hæc ſecunda alterum Imperium erit. Ego credo Mahometicum eſſe; neque enim res tanta in hac futuri temporis hiſtoria prætermitti debuit.* Cardinalis Turrecremata cap. 1. Contra errores Mahometis, qui ex iſta etiam pulchrè eius mores vitamque deſcribit. Idem alij.

Plura in Apocalypſi de Mahometica ſecta & Mahomete explicantur à Lyrano. Conſidera etiam quæ ibi cap. 17. de meretrice magna dicuntur.

Item Lucæ cap. 21, 23. aduentus Mahometis, & deuaſtatio Terræ ſanctæ per eumdem, creduntur fuiſſe prænuntiata à Chriſto Domino. Ita Didacus Stella in ea verba commemorati capitis, *Erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic. Et cadent in ore gladij: & captiui ducentur in omnes gentes, & Ieruſalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora nationum.* Didaci verba hæc ſunt: *Secundò etiam poteſt hoc intelligi, quòd Ieruſalem & Terra ſancta à gentibus non conuerſis, vtpote Saracenis, inhabitabitur, quouſque tempora nationum impleantur, hoc eſt quouſque veniat tempus debellationis, ſeu expulſionis Saracenorum à Terra ſancta, & ipſa reddatur cultui Chriſtiano.*

Sed & poſterioribus temporibus portentoſum hoc Mahometi monſtrum, & Imperium eius, miro prodigio fuit à Domino præmonſtratum S. Theodoro cognomento Siceota, quod in eius Vita Eleuſius eius diſcipulus ſcripſit. Extat apud Laur. Surium die 22. Aprilis hiſce verbis: *Cùm in oppidis finitimis ſupplicationes fierent, & cruces, quæ geſtari ſolent, horribili miſerandoq; ſpectaculo per ſe concuterentur & commouerentur, interrogatus vir diuinus Theodorus, quid ſibi id vellet, reſpondit: Deum, ô filij, precibus placate, quoniam magnæ mundo imminent calamitates. Domitius autem Patricius vir clariſſimus promiſerat ſe auream crucem ad ſupplicationis adorationisq; vſum effecturum. Itaque miſit vir ſanctus Epiphanium Diaconum ad illum. Qui cùm aurifici aurum dediſſet, Diaconum rogauit, vt tantiſper moraretur, dum aurifex opus conficeret. Et ſanctiſſimus Patriarcha Thomas, qui poſt beatæ memoriæ Cyriacum in Pontificia regiæ ciuitatis ſede ſucceſſerat, laudata viri glorioſi pietate, dedit etiam ipſi particulam venerandi ligni ſanctæ Crucis, & particulam ſancti Sepulchri Saluatoris noſtri Dei, & veli particulam ſanctiſſi-*

Mos Græcorum in proceſſionibus plures deferre cruces cum vexillis.

ctiſſimæ Dei Genitricis, conjiciendas in vmbilicum illius crucis, quæ ex auro conflabatur. Quæſiuit autem ex ipſo Diacono, vtrùm verus fuiſſet ille crucium motus, qui in regione Galatarum factus fuiſſe dicebatur. Cumq; Diaconus id affirmaſſet, valdè timuit beatiſſimus Patriarcha, & ſollicitudine plenus, epiſtolam ſcripſit ad ſeruum Dei, rogans eum, vt quàm celerrimè ad ſe in ciuitatem regiam proficiſceretur. Annuit vir ſanctus. Et ingreſſus vrbem regiam, id eſt Conſtantinopolim, à beatiſſimo Thoma Patriarcha honorificè & magno cum gaudio ſuſceptus eſt. A quo poſt alia quæſiuit, an verus fuiſſet admirabilis ille crucium in ſupplicationibus motus. Quod cùm verum fuiſſe intellexiſſet, cæpit orare virum ſanctum, vt indicaret quid ſignum illud portenderet. Tum ſanctus recuſare, ſeq; abiectum atque humilem dicere, nec ſcire quid reſponderet ad interrogata. Proſtratus ille ad pedes eius, ſe ſurrecturum negauit, niſi in ea re ſibi morem gereret. Scio enim, inquit, tibi non ſignum hoc ſolum, ſed alia multa eſſe nota: neque enim illum ad hunc vſque diem neglexiſti. Quòd ſi neglexiſſes, tamen pateſiet tibi, ſi petieris à Deo. Cùm igitur ſe deſiderio eius ſatisfacturum promiſiſſet Chriſti ſeruus, eum ſurgere coëgit, & lacrymans, Nolebam, inquit, te affligi: neque enim expedit hæc te ſcire. Verùm quando ita vis, ſcito, ea crucium concuſſione multa nobis grauia moleſtaq; prænuntiari. Significat enim, plurimos à religione noſtra defecturos, & barbararum gentium incurſiones, & magnam ſanguinis effuſionem, & ingens exitium, & in vniuerſo orbe ſeditiones fore, & ſanctas Eccleſias deſertum iri, & diuini cultus atque Imperij interitum, & aduerſarij aduentum appropinquare. Reliquum eſt, vt tamquam gubernator Eccleſiæ, & populi paſtor, Deo totis viribus aſsiduè ſupplices, vt ignoſcat populo, & pro miſericordia ſua hæc omnia moderetur, &c.

Prodigium hoc à S. Theodoro generatim tantum Patriarchæ petenti explicatum fuit, ne timentem alio inſuper terrore concuteret: euenta verò ipſa, quæ paucos poſt annos contigerunt, quot quantaque mala portenderit, declararunt. Etenim præter immanes Chriſtianorum cædes à graſſantibus Perſis vbique in Oriente patratas, ſancta ciuitas Ieroſolyma ab eiſdem capta eſt, & ſanctiſſima Cruce ſpoliata, quæ à raptoribus in Perſidem tranſlata fuit. His acceſſit nouorum hæreticorum, poſt annos item paucos, ab inferorum portis eruptio: fuerunt hi Monothelitæ, qui vniuerſæ Eccleſiæ Orientali grauiſſima damna intulerunt. Sed, quod his omnibus funeſtius acerbiusque videri poteſt, hoc pariter ſæculo ex Neſtorianis, Arianis, Iudæisque conflatum eſt immane illud monſtrum, quod vniuerſum pænè orbem ſibi ſubegit, atque in dies magis magisque maioribus acceſſionibus armorum potentia ſæuijt, aduerſus Cruces bella gerens. Hoc enim fuiſſe videtur quod dicebat ſanctus, Aduerſarij aduentum appropinquare, nempe nefandiſſimum Mahometem, ſectæ Mahometanorum principem, quæ hoc deploratiſſimo ſæculo (vt ſuperiùs diximus) paucos poſt annos ſumpſit exordium, tanto anteà ſignificata portento. Hìc rurſum meminiſſe oportet etiam ſancti Gregorij Papæ ad Maximum Saloni- S. Gregor. lib. 8. Epiſt. 36. Ind. 3.
tanum Epiſcopum epiſtolæ, qua item eſt de his proditum vaticinium, quo tanta mala obuentura prædixit, vt beati à poſteris dicendi eſſent maiores, innumeris licet calamitatibus preſſi, quòd ea, ex hac vita ſublati, non viderint. Sed apponenda hìc ſunt eius verba propheticè dicta. *Nolite*, inquit, *de talibus omnino contriſtari: quia qui poſt nos vixerint, deteriora tempora videbunt; ita vt comparatione ſui temporis, felices nos æſtiment dies habuiſſe*, licet fame, bellis aſſiduis, & peſte fuerint ea tempora funeſtiſſima, ſed florentiſſima videri potuerunt cum poſterioribus comparata. Hæc ex Baronio Tom. 8. ſuorum Annalium, anno Chriſti 607. num. vltimo.

Item Sibylla quædam, quæ vixit tempore Regis Priami & belli Troiani, aduentum Mahometis prædixit; & prophetia illa cum eius explicatione ponitur lib. 1. Conformitatum S. Franciſci, fruct. 1. conform. 1. pro 2. Parte, hiſce verbis: *Erit autem beſtia horribilis ab Oriente veniens* [Gloſſa, *id eſt Mahometus*] *cuius rugitus vſque ad gentes Punicas* [Gloſſa, *id eſt Africanas*] *audietur: cuius capita ſeptem, ſceptraq; innumera, pedes ſexcenti ſexaginta tres* [Gloſſa, *id eſt ſexcenti ſexaginta tres anni.*] *Hic contradicens Agno vt blaſphemet teſtamentum eius, augens draconis aquas; Reges autem, & Optimates ſæculi erunt in ſudore terribili, & non diminuent pedes eius* [*id eſt annos.*] Subdit de SS. Franciſco & Dominico: *Stellæ quoque duæ* [Gloſſa, *id eſt Ordo Minorum & Prædicatorum*] *conſimiles primæ* [Gloſſa, *id eſt, Paulo Apoſtolo, cuius priùs meminit*] *ſurgent contra ipſum, & non obtinebunt, vſque dum veniat abominatio, & voluntas Altiſſimi conſummetur.* Hæc illa Sibylla. Sibylla Erythræa.

*Auctor libri cuius titulus eſt, *Fortalitium fidei*, &c. lib. 4. Conſideratione 12. adducit alias virorum & mulierum ſpiritu prophetiæ celebrium prædictiones. Sed enim arbitror, eas non omnes eſſe de Mahomete & ſectatoribus eius, ſed ſaltem aliquas, vt quam primò adducit ex ſancto Methodio

* Hic fuit F. Alfonſus de la Spina Hiſpanus, vt habetur in 3. Parte Chronic. Ordin. Minor. lib. 4. cap. 29. & deducitur ex eodem lib. 4. Conſiderat. 9. §. Centeſimum vigeſimum ſeptimum bellum.

ſuſtinuit, mortuus eſt, & ſepultus eſt, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit a mortuis, aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam. Amen.

Hæc eſt fides catholica, quam nemo niſi fideliter firmiterque credat, ſalvus eſſe non poterit.

Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat catholicam fidem: quam nisi quisque integram inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit. Fides autem catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur. Neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Alia eſt enim perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus ſancti. Sed Patris & Filii & Spiritus ſancti una eſt divinitas, æqualis gloria, coæterna majeſtas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus ſanctus. Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus. Et tamen non tres æterni, ſed unus æternus. Sicut non tres increati, nec tres immenſi, ſed unus increatus & unus immenſus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus. Et tamen non tres omnipotentes, ſed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus. Et tamen non tres dii, ſed unus eſt Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus. Et tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus. Quia ſicut ſingillatim unamquamque perſonam Deum & Dominum confiteri chriſtiana veritate compellimur: ita tres deos aut tres dominos dicere catholica religione prohibemur. Pater a nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus. Spiritus ſanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Unus ergo Pater, non tres patres: unus Filius, non tres filii: unus Spiritus ſanctus, non tres ſpiritus ſancti. Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales. Ita ut per omnia, ſicut jam ſuperius dictum eſt, & Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate veneranda ſit. Qui vult ergo ſalvus eſſe, ita de Trinitate ſentiat.

Sed necceſſe eſt multis ad æternam ſalutem, ut incarnationem quoque Domini noſtri Jeſu Chriſti fideliter credat. Eſt ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, Deus & homo eſt. Deus eſt de ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus: & homo eſt de ſubſtantia matris in ſæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens. Æqualis Patri ſecundum divinitatem: minor Patre ſecundum humanitatem. Qui licet Deus ſit & homo, non duo tamen ſed unus eſt Chriſtus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ. Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo: ita Deus & homo unus eſt Chriſtus. Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit a mortuis. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Patris, unde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum. Hæc eſt fides catholica, quam niſi quisque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

EXPLANATIO SYMBOLI APOSTOLORUM.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Et in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum, Dominum noſtrum. Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus. Deſcendit ad inferna. Tertia die reſurrexit a mortuis. Aſcendit ad cœlos. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum. Sanctam Eccleſiam catholicam. Sanctorum communionem. Remiſſionem peccatorum. Carnis reſurrectionem. Vitam æternam. Amen.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Credere in Deum, hoc eſt ſummum bonum eſſe credere, quo nihil melius, nihil ſublimius, nihil ſanctius, nihil ſuperius cogitari poteſt. Quod ſummum bonum, quia ſine Trinitate eſſe non poteſt, ſolus Deus Trinitas eſt, Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Et hæc Trinitas unus eſt Deus, creator omnium creaturarum. Ex nihilo omnia fecit, & ordinavit. Et in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum, Dominum noſtrum. Jeſus Chriſtus, Dei Filius, Deus eſt de ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus. Et homo eſt de ſubſtantia matris in ſæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens. Æqualis Patri ſecundum divinitatem: minor Patre ſecundum humanitatem. Qui licet Deus ſit & homo, non duo tamen ſed unus eſt Chriſtus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ. Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo: ita Deus & homo unus eſt Chriſtus. Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit a mortuis. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Patris, unde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum. Hæc eſt fides catholica, quam niſi quisque fideliter firmiterque credat, ſalvus eſſe non poterit.

EXPLANATIO SYMBOLI APOSTOLORUM.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Et in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum, Dominum noſtrum. Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus. Deſcendit ad inferna. Tertia die reſurrexit a mortuis. Aſcendit ad cœlos. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum. Sanctam Eccleſiam catholicam. Sanctorum communionem. Remiſſionem peccatorum. Carnis reſurrectionem. Vitam æternam. Amen.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Credere in Deum, hoc eſt ſummum bonum eſſe credere, quo nihil melius, nihil ſublimius, nihil ſanctius, nihil ſuperius cogitari poteſt. Quod ſummum bonum, quia ſine Trinitate eſſe non poteſt, ſolus Deus Trinitas eſt, Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Et hæc Trinitas unus eſt Deus, creator omnium creaturarum. Ex nihilo omnia fecit, & ordinavit. Et in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum, Dominum noſtrum. Jeſus Chriſtus, Dei Filius,

lem hanc vitam transigere possint, parcè admodum suppeditat, frugalem nimirum mensam ad vescendum, & pauperes vestes ad se operiendum, posteà tamen æternam præparauit hereditatem; inobedientibus verò, & qui mandatis eius contraueniunt, hìc abundantiùs terrena suppeditat, at posteà beatis eos gaudijs priuat. Quod in Abrahæ filijs videmus adumbratum & impletum. Maximus hic Patriarcha duos genuit filios, Ismaëlem & Isaacum: ille malus, iste bonus; & in duobus istis duæ sunt præfiguratæ imò contentæ generationes, bonorum in isto, in illo malorum, ex communi tamen parente descendentes. Quod non obscurè Dominus ipsi Abrahæ indicauit, quamuis symbolicis verbis. Postquam enim sanctus Patriarcha vniuerso mundo testimonium dederat suæ promptæ & perfectæ obedientiæ, dum filium suum Isaac, diuino iussui obsecundans, mactare, & instar sacrificij Deo offerre volebat, nisi ab Angelo prohibitus fuisset, dixit ad illum Angelus in nomine Domini: *Per memetipsum iurauì, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ*, Gen. 22, 16. Et quid, quæso, voluit Dominus significare in stellis cæli, & in arena maris quibus Abrahæ semen comparauit, cùm res illæ diuersæ plane sint, ne dicam contrariæ; illæ nimirum desursùm, ista de deorsùm; illæ in cælo, ista in terra; illæ à peregrinis impressionibus & corruptione alienæ, fixæ & stabiles, ista continuæ mutationi & fluctibus marisque vndis subiecta, numquam in eodem permanens statu; illæ denique (alijs prætermissis) expertes grauitatis, ista grauissima, semper deorsùm tendens. Quid ergo, inquam, in rebus tam diuersis voluit Dominus significare?

Bonis præparauit Deus cælestia, ac malis terrena largitur.

Boni & mali ex Abraham descendentes.

Responderem, per stellas, bonos & electos fidelesque filios, ex Abraham per Isaac generandos, tali symbolo in sacra Scriptura significatos fuisse, quemadmodum in Apocalypsi cap. 1, 16. dicitur Christus, similis Filio hominis, habuisse *in dextera sua stellas septem*, id est iustos & fideles, qui sunt in manu Domini, vt clariùs in libro Sapientiæ cap. 3, 1. proditum est, vbi sic legimus: *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Quia vt stellæ à terrenis sequestratæ, in cælo suspensæ manentes, terrestribus nihilominùs suos communicant influxus; ita iusti, quantum fieri potest, à terrenis affectu & effectu segregati, conuersantur in cælis, & terrigenis atque peccatoribus bona communicant, diuinumque implorant auxilium. Hinc loquens Dominus ad Isaac, ex quo boni erant procreandi, non arenæ, sed stellarum fecit mentionem, dicens: *Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli*, Gen. 26, 4.

Stellis boni, malis pulue re terra significantur.

Arenæ verò maris appellatione infideles & malos, ex Abraham quidem, sed per Ismaël descendentes, intellexit, quia isti terrena sapiunt, sicut mare feruens agitantur, ideoque terra ab Ieremia appellati sunt capite 22, 29. *Terra, terra, terra audi sermonem Domini.* & Saluator noster, ad eosdem respiciens, dixit Ioan. 3, 31. *Qui est de terra, terra est, & de terra loquitur.* Hanc responsionem didici ex D. Leone, qui dum considerat, sanctos illos ex Oriente Magos à stella ductos fuisse ad recèns natum Iudæorum Regem adorandum, conijcit eos fuisse electos, & de illorum numero de quibus Dominus dixit ad Abraham: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est in littore maris*, indicans duo esse filiorum genera, primum cæleste, *sicut stellas*, alterum terrestre, *vt arenam quæ est in littore maris.* Dicens ergo Euangelista, cælesti stella ductos Magos, significare voluit, sanctos hos Reges non pertinere ad filios Abrahæ terrestres, sed ad cælestes. Disertis verbis doctrinam hanc docuit Doctor Gentium in ea quam scripsit ad Galatas Epistola, cap. 4, 22. *Scriptum est*, inquit, *quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla, secundùm carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta.* Igitur duos filios habuit Abraham, de ancilla sua Agar Ismaelem, de libera verò Sara Isaacum: ab illo originem traxerunt infideles & perditi, quorum etiam extitit typus, præcipuè verò Mahometani, qui non Saraceni proprie appellari merentur, sed Agareni & Ismaëlitæ nominandi sunt: ipsimet enim Mahometani, propriæ matris ancillæ nomẽ erubescentes, nobilius à libera nomen sibi assumpserunt, & à Sara se Saracenos indigetarunt. Et vtrique prouisum voluit Deus, Isaaco & eius posteris nobiliora & cælestia promisit, Ismaëli verò cum suis ignobiliora & terrestria attribuit.

Terra sancta Saracenis data, quia illis à Deo promissa.

Ex his iam dico, Ismaëlitis & Agarenis promissam & præparatam fuisse terrenam hanc regionem, & Ierusalem, fidelibus verò & electis cælestem, & terram viuentium, in illa præfiguratam. Ac ideò non mirandum, quòd Mahometistæ & Agareni Terram hanc sanctam occupent, quia illis à Deo promissa & præparata fuit in progenitoribus

Ordinis Pars prima. Cap. I. 5

Ordinis Pars prima. Cap. I. 5

Ordinis Pars prima. Cap. I. 5

erant pedes noſtri in atrijs tuis Ieruſalem, &c. Pſal. 121, 1. Et quòd hìc de cæleſti Ieruſalem loquatur ſanctus Vates, multorum grauiumque Doctorum fert opinio, vt ſuprà notauimus Cap. xx ix. Et Abraham Deum imitatus, adhuc viuens *dedit cuncta quæ poſſederat Iſaac, filijs autem concubinarum largitus eſt munera, & ſeparauit eos à filio ſuo*, &c. Gen. 25, 5.

Sed audiamus ſanctum Apoſtolum loco citato ad Galatas, vbi hæc expreſſiſſe videtur. Loquens ſiquidem de Ieruſalem hereditate filiorum liberæ ait: *Illa autem, quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt; quæ eſt mater noſtra*, &c. Galat. 4, 26. & infrà: *Nos autem fratres, ſecundùm Iſaac promiſſionis filij ſumus. Sed quomodo tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum: ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura? Eijce ancillam, & filium eius: non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Et quemadmodum dicta de Iſaac & filijs eius partim impleta partim implenda eſſe non dubitamus, ita quæ de Iſmaël & ab eo progenitis dicta ſunt, proprijs oculis impleta eſſe & impleri continuè cernimus. An non perditum Mahometicum Iſmaëlis ſemen nimiùm multiplicatum eſt? Et vbi, quæſo, tanta proles, vt in Agarenis iſtis? An non etiam poſſident terram iſtam Abrahæ promiſſam, &, qui ſecundùm ſpiritum nati ſunt, filios iuſtos & fideles perſequuntur? Sanè haud inefficax argumentum ad confirmandum ea quæ diximus.

Quare non mirandum, quòd iſti Mahometiſtæ poſſideant Terram iſtam, quia illis à Deo promiſſa fuit; diuinæ verò promiſſiones infallibiliter impleri debent, vt diximus. Vnde vt olim eam Deus tradidit peſſimis filijs Cham, non verò iuſtis Sem & Iaphet, vt ſuprà probabiliter oſtendimus; ita poſteà eamdem dedit Agarenis. Atque optimo quidem conſilio: & præter rationes quas aliàs propoſuimus, & quas ſibi Dominus reſeruauit, etiam hanc moralem addere poſſumus, vt nimirum intelligerent filij liberæ, non debere eos ſe rebus temporarijs & terrenis, quamuis præcellentibus, ſubijcere, ſed ea ſpiritus libertate viuere, qua Chriſtus eos liberauit; nec ſe habere hìc permanentem ciuitatem, ſed futuram ſibi eſſe inquirendam, Ieruſalem cæleſtem, vt alibi idem dixit Apoſtolus.

Electi terrenis ſe immiſcere non debent.

Heb. 13, 14

Verùm vt Chananæi de locis illis expulſi ſunt, dum eorum iniquitates eſſent completæ, & filij Iſraël ad eamdem admiſſi fuerunt, quando timentes Dominum, & mandata eius cuſtodientes, ſe ad illam occupandam accinxerunt: ita quando olim Iſmaëlitarum ſiue Mahometiſtarum iniquitates completæ erunt; fideles verò ſe probabunt veros filios Abrahæ, ſed ſecundùm ſpiritum, non ſecundùm carnem; quando, inquam, ſpiritualiter viuent, & veri erunt Abrahæ filij per veram & viuam fidem, & per promptam obedientiam ad mandata Dei, ſeque ad eam ſibi comparandam ſeriò diſponent, tunc eijciet Dominus ancillam & filium eius, & ſolus heres erit filius liberæ, implebiturque quod etiam Iſaaco dixit Dominus: *Ne deſcendas in Aegyptum, ſed quieſce in terra, quam dixero tibi. Et peregrinare in ea, eroque tecum, & benedicam tibi: tibi enim & ſemini tuo dabo vniuerſas regiones has, complens iuramentum quod ſpopondi Abraham patri tuo. Et multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli: daboque poſteris tuis vniuerſas regiones has: & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*, &c. Geneſ. 26, 2. Quod fortè futurum eſt poſt Antichriſti aduentum & interitum, Mahometicæque tum ſectæ tum tyrannidis & dominationis extinctionem, quando filij ancillæ fient filij liberæ ſecundùm ſpiritum, nec erit diſtinctio Iudæi & Græci, ſed idem Dominus omnium, & quando omnes erimus vnum ouile vnius iſtius ouilis, vnus erit paſtor Chriſtus Dominus, vt pluribus infrà explicabimus.

Deus quando terram hanc fidelibus dabit.

CAPVT LXXXI.

Quàm difficile ſit indagare cauſas, quare Deus Terram ſanctam ab infidelibus poſſideri atque deuaſtari permittat.

QVæſtio perardua, explicatuque difficillima eſt, Quare Deus optimus maximus, cuius ſapientia bonitas, & omnes viæ iudicia, quique omnia ſuauiter in numero, pondere & menſura diſponit, permittat ſanctam ciuitatem Nazareth, quam conceptioni, Bethlehem, quam natiuitati, Ieruſalem, quam paſſioni prælegit, totamque Terram ſanctam, quam ſibi peculiari cultu conſecrauit, & in qua tot eſt mirabilia operatus; cur, inquam, permittat eam, eiectis ex ea fidelibus, inhabitari, meliùs dicam vaſtari ac profanari, ab hoſtibus ſuis. Numquid poteſt eos proijcere tamquam puluerem ante faciem venti? quis enim poteſt eius reſiſtere voluntati, apud quem nihil eſt impoſſibile? An verò ei diſplicet Catholico in ea cultu ab omnibus honorari, quali vbique terrarum honoratur & colitur, quòd ſuos fideles ea priuet, eorumque hereditatem ad alienos vertat? Dicet fortaſſe aliquis, Chriſtianos ſuâ incuriâ & inertiâ à Terra illa excludi, quoniam ad eam recuperandam non ſat inuigilant, turpi otio ſterten-

Sap. 11, 21

Luc. 1, 37.

ſtertentes; vel ſemet inteſtinis bellis euertentes. Sed fruſtrà hoc dicitur: Chriſtiani enim Principes non ſemel vnanimi conſenſu arma ſumpſerunt, vt ſe de Chriſti hoſtibus vindicarent, eoſq́ue ex ſanctiſſimis illis locis deturbarẽt, quò ibi vexillum ſanctæ Crucis publicè erigeretur, nec alius honoraretur & adoraretur Deus, quàm Ieſus Chriſtus Dei & hominis Filius, ex quo ſolo ſalus nobis prouenit; plerumque tamen illorum conſilia in fumum abierunt, nec plenè intentum ſuum ſunt aſſecuti; aut ſi Terram ſanctam ſui iuris fecerunt, non niſi maximo labore ac fidelium cæde factum id fuit, eamq́ue breui, magno ſuo damno & dedecore, amiſerunt, prævalente infidelium tyrannide & ſæuitia. Quid hoc eſt, bone Deus? Ergo Ieruſalem, inclyta ciuitas, perpetuò à tuis hoſtibus occupabitur? ergo theſaurus ille, cælo ipſo pretioſior, ab infidelibus numquam auferetur? Numquam
Ierem. 12,8 nobis, mi Domine Deus, hereditas noſtra, non corruptibilibus auro vel argento, ſed tuo pretioſo Sanguine comparata & ſanctificata, reſtituetur? *Vſquequò peccatores, Domine, vſquequò peccatores gloriabuntur?* Pſal. 93, 3. Domine Deus omnipotens, & excelſæ maieſtatis; etſi puluis & cinis, loquar tamen ad te, & cum ſeruo tuo Eſdra
4. Eſd. 5,23 dicam: *Dominator Domine, ex omni ſilua terræ, & omnibus arboribus eius, elegiſti vineam vnicam: & ex omni terra orbis, elegiſti tibi foueam vnam: & ex omnibus floribus orbis, elegiſti tibi lilium vnum: & ex omnibus abyſſis maris, repleſti tibi riuum vnum: & ex omnibus ædificatis ciuitatibus, ſanctificaſti tibimetipſi Sion: & ex omnibus creatis volatilibus, nominaſti tibi columbam vnam: & ex omnibus plaſmatis pecoribus, prouidiſti tibi ouem vnam: & ex omnibus multiplicatis populis, acquiſiuiſti tibi populum vnum: & ab omnibus probatam legem, donaſti huic quem deſideraſti populo. Et nunc Domine, vt quid tradidiſti vnum pluribus? Et præparaſti ſuper vnam radicem alias, & diſperdidiſti vnicum tuum in multis: & conculcauerunt eum, qui contradicebant ſponſionibus tuis, quiq́; tuis teſtamentis non credebant. Et ſi odiens odiſti populum tuum, tuis manibus debet caſtigari.*

Prædictio deſolationis Ieruſalem eſt cauſa obſcura.

At quemadmodum per Angelum repoſitum fuit Prophetæ, non poſſe eum Dei iudicium inuenire, aut in fine charitatem quam populo promiſerit; ita pro comperto habemus, non planè notam nobis eſſe propoſitæ quæſtionis ſolutionem: id enim vnum eſſe ex arcanis myſterijs, quæ in abditis theſauris ſapientiæ ſuæ recondidit Deus, & quæ ſapientibus & prudẽtibus abſcondit, at paruulis quibuſdam ad ſanctæ Eccleſiæ ſolatium reuelauit, probabile eſt credere. Et ſanè Terræ ſanctæ vaſtationem, Ieruſalem deſtructionem, ex Scripturæ ſacræ teſtimonijs habemus, ſed & cauſæ illius deſtructionis obſcuritatem.

In primis verò apparuit aliquando Deus ſeruo ſuo Iſaiæ ſedens ſuper ſolium excelſum & eleuatum, Seraphinis circumdatus, Triſagium illud ei acclamantibus, & faciem alis velantibus, cui plura diuina myſteria reuelauit, vt Trinitatis, Incarnationis, mortis Domini, & cæcitatis Iudæorum, ſed & Ieroſolymæ vaſtationem, totiusq́ue Terræ ſanctæ deſolationẽ. *Terra* (inquit Iſa. 6, 11.) *relinquetur deſerta*, hoc eſt, Terra ſancta penitus deſolabitur. Quod primò adimpletum fuit, cùm populus Iudaicus & Sedecias ducti ſunt à Chaldæis in Babylonem; deinde, quando Imperio Romanorum ſubiecta eſt; & poſteà, quando poſt Chriſti mortem ſub Tito & Veſpaſiano, ac deinde ſub Ælio Adriano Iudæi miſerè interfecti, & ab Ieruſalem eiecti fuêre; ac denique, vt ſtragem per Choſroën Perſarum Regem factam omittam, cùm ſub Mahomete Turcarum Principe, princeps prouinciarum facta eſt, non ſolum ſub tributo, ſed domina gentium earumdem mancipium & ſerua, vt & nunc, pudet dicere, manet.

Ecce myſterium. Cùm hæc deſolatio reuelatur, ſedet Dominus ſuper ſolium excelſum & eleuatum, eius facies abſconditur, & domus repletur fumo. Ad quid verò tot enumerantur circumſtantiæ in iſta reuelatione? An dicitur Dominus ſedere ſuper ſolium excelſum & eleuatum, non ſolùm vt ſuum & iudiciorum ſuorum altitudinem, ſed etiam ſui cognitionis obſcuritatem indicaret? adeò enim eleuata eſt, vt ad eam mens humana pertingere non poſſit, quemadmodum alius Propheta dixit: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* An Dei vultus, qui cognitionem ſignificat, vt docet D. Gregorius, velatur; & domus fumo, qui obſcuritatem deſignat, repletur; vt intelligeremus, faciem, id eſt diuinam reuelationem deſolationis Ieruſalem, & ſimiliũ myſteriorum, nonniſi obſcurè reuelati, & domum animæ noſtræ repleri fumo obſcuritatum & ignorantiæ?

D. Gregor. 17. Moral. cap. 18.

Deinde, eamdem Ieroſolymæ & Terræ ſanctæ per Turcas deſolationem, & cauſam deſolationis, obſcuram eſſe, indicatur 1. Regum 3, 1. Cùm enim Deus indicaſſet Samueli, quòd Domus Heli Sacerdotis & Iudicis in Iſraël delenda eſſet; populus inſuper ab hoſtibus ſuis interfici, & Arca Domini à Philiſthęis capi deberet, alia denique mala, quæ ventura erant ſuper populum Dei, ei ſignificata eſſent, dicitur quòd *ſermo Domini erat pretioſus*, id eſt rarus, &

non

non erat viſio manifeſta. Tunc etiam refertur caligaſſe oculos Heli, & Samuelem dormiſſe in templo vbi erat Arca. Quid, quæſo, raritas ſermonis Domini, quid viſio non manifeſta, quid cæcitas & ſomnus, in illa reuelatione puero Samueli facta, ſignificant? Arbitror indicatam fuiſſe, cauſam deſtructionis Ieruſalem, & poſſeſſionis ſanctiſſimi Sepulchri per Turcas in Philiſthæis præfiguratos, obſcurè cognoſci.

Ieremias etiam in ſuis Threnis, dum de iracundia Dei ſuper Ieruſalem effuſa loquitur, ſic ait: *Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion: proiecit de cælo in terram inclytam Iſrael, & non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum in die furoris ſui?* Thren. 2, 1. Quare hìc Propheta caliginis meminit, niſi ob indicatam obſcuritatem cauſæ quare affligeretur Ieroſolyma? Atque ex his apparet, rem quidem manifeſtiſſimam eſſe, hoc eſt, Terram ſanctam à Turcis eſſe vaſtatam & occupatam, cauſam verò eius vaſtitatis admodum eſſe occultam.

CAPVT LXXXII.

Probabiles rationes, quæ Deum præcipuè reſpiciunt, quare Terra ſancta ab infidelibus poſſideri, & ab eis deuaſtari permittatur.

QVamuis ex nobis ipſis minimè poſſimus veras rationes indagare aut excogitare, quare Deus permittat ſancta Palæſtinæ loca ab infidelibus occupari, & ab iſdem in tantam deſolationem redigi (*Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?* Roman. 11, 34.) tamen ipſius auxilio poſſumus per ea quæ ſeruis ſuis reuelauit, nonnullas probabiles coniecturas adducere. Vt enim S. Ambroſius Serm. 2. in Pſalm. 118. in ea verba, *In labijs meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui*, annotauit, aliud eſt, pronuntiare iudicia Dei, aliud, iudicia oris Dei. Illa quidem inenarrabilia ſunt, quoniam ea ſibi ſeruauit; at non item iſta, quoniam per Prophetas, qui os Domini dicuntur, frequenter locutus eſt, & ea nuntiauit nobis. Ex his iam ad difficultatem, reſpondebimus, rationesque deſumemus ex duplici capite, hinc Creatoris, inde creaturæ.

Et primò quidem quinque, quæ ſingulariter Deum Creatorem reſpiciunt, rationes inuenio, quarum prima ſit, Deum ideò permittere Terram ſanctam iacere deſolatam velut ſpeluncam latronum infidelium, vt oſtendat, ipſum ſibi ſufficientiſſimum eſſe, & bonorum noſtrorum non indigere. Ex omnibus ſanè mundi regionibus elegit ſibi Deus terram hanc, quæ facta ei fuit vinea electa (vt verbis Iſaiæ vtar) in cornu filio olei, quam & ſepiuit, & lapides elegit ex ea, & plantauit illam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea. Hæc & alia beneficia contemplatus Regius Vates, dixit: *Non fecit Deus taliter omni nationi.* At ne cui in mentem veniret, Deum huiuſcemodi indigere, & hinc aliquid illius amplitudini & immenſitati accedere, cùm ſibi ſufficientiſſimus ſit, & nulla re extra ſe indigeat, voluit Terram ſanctam deſolatam manere. Quod dicimus, ex D. Cyrillo lib. 1. Theſ. cap. 6. confirmari poteſt ex ſimili. *Superflua Deo*, dixit, *eſt productio creaturarum, quantum ad Dei perfectionem pertinet: hoc enim erat Deus, antequam nos creati eſſemus, quod nunc etiam eſt: nihil ei attulimus, à nihilo ad eſſe producti; & ſi ad nihilum redigeremur, nihil ei detraheremus.* Et D. Dionyſius Areopagita cap. 5. de Diuinis nominibus inquit, Deum nulla re extra ſe indigere, omnem intra ſe ſufficientiam & perfectionem habere, creataſque omnia eſſe perfectiùs in Deo quàm in ſeipſis, ſicut argentum eſt perfectius in auro quàm in ſe, & nummus inferior in ſuperiori. Quod etiam D. Auguſtinus Sermon. 4. de Verbis Domini, & S. Anſelmus in Proſologio cap. 17. docent. Si ergo facta deſtruit, ſignum eſt, illis eum minimè indigere. Contingit aliquando, ſapientem artificem pulcherrimum vas omni qua potuit arte & induſtria elaboraſſe, in quo mirificè oblectatur; ſed id ipſum poſteà confringere atque comminuere, vt palàm faciat, etſi gratis ſibi in illo complacitum fuerit, non ita tamen, vt eius ſolatium ab eo pendeat. Ad eumdem modum Deus, ſupremus omnium artifex, mihi feciſſe videtur de rebus à ſe conditis & honeſtatis, & præſertim de ſibi dilecta Terra promiſſionis. Condidit cælum & terram, & omnia quæ cæli & terræ ambitu continentur: in cælo tot Angelorum myriades, Solem, Lunam, & ſtellas; in terra vel ſublunari mundo, elementa, corpora ſimplicia & mixta, animata & inanimata, homines & iumenta, & vt vno verbo omnia dicam, incorpoream & corpoream naturam, illam in cælo locauit, huic in terra habitationem dedit. Et ecce, vt oſtenderet ſe nulla creata re indigere, Angelos præuaricatores de cælo eiecit in profundum laci, donis ſupernaturalibus ſpoliauit, & beatas illas ſedes vacuas remanere permiſit. Nónne etiam aliquando Sol obſcuratus eſt, & cetera aſtra retraxerunt ſplendorem ſuum? Et aliquando implebitur, quod Chriſtus prædixit: *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum,*

Iſa. 5, 1.

Deus nulla re extra ſe indiget.

Simile.

Prima ratio deſolationis Ieruſalem, quia Deus ea non indiget.

&

& ſtellæ cadent de cælo, Matth. 24, 29. In terra, creatum hominem, gratuitis ſpoliatum, & naturalibus admodum diminutum, mortiſque obnoxium, eiecit tandem de terreſtri paradiſo. Aliquando inſignes ſuccendit vrbes: & in diebus Noë totum ferè hunc inferiorem mundum aquis diluuij deleuit, vt his ſe non indigere oſtenderet. Perinde & nunc dicerem, Deum permittere Terram ſanctã, tot muneribus & delicijs ab ſe decoratam, vacuam & deſolatam eſſe, ne quis putaret, eius ex ea pendere ſolatium.

At ne ſuſpiceris, Deum abſque cauſa hæc facere, quaſi in creaturarum deſtructione & hominum interitu voluptatem capiat, cùm ipſe diligat omnia quæ ſunt, & nihil odio habeat eorum quæ fecit, nec lætetur in morte iuſtorum, niſi aliqua eiuſmodi punitionis cauſa in creaturis exiſtat (non enim Deus eſt vltor, niſi priùs aliquis ſit peccator, vt inquit D. Auguſtinus) en accipe ſecundam rationem, quę non modò Deum, ſed & homines reſpicit; Dei iuſtitiam, & hominum peccata. Olim quidem iuſtitia Dei deſæuijt in Angelos & homines, propter eorum peccata, vt omnis Scriptura teſtatur: nunc verò eiuſdem elucet diuina iuſtitia, dum permittit Terram ſanctam, noſtris id exigentibus peccatis, & quia debitos fructus non reddimus, deſertam, vacuam & incultam manere. Rationem hanc indicauit Dominus ipſemet Iſaiæ cap. 5, 2. Poſtquam enim recenſuiſſet ſingularia & eximia beneficia Terræ huic & Synagogæ à ſe collata, ſubdidit: *Exſpectauit vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Nunc ergo habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, iudicate inter me & vineam meam. Quid eſt quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei? an quòd expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas? Et nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Et ponam eam deſertam: non putabitur, & non fodietur: & aſcendent vepres & ſpinæ: & nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem.* Præcipuæ verò huius deſolationis cauſæ fuerunt luxuria & auaritia, ex quibus, velut ex perennibus fontibus, innumera alia defluxerunt peccata; quare & de eiuſmodi vitijs notanter Primates Ieruſalẽ redarguit idem Propheta. De luxuria quidem, dum dicit: *Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei noſtri populus Gomorrhæ*, &c. Iſai. 1, 10. de auaritia verò, dum inferiùs verſu 23. ait: *Principes tui infideles, ſocij furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones*, &c.

Secunda ratio, vt iuſtitia Dei monſtretur in punitione peccatorum.

Luxuria & auaritia pernicies.

Hoc non obſcurè adumbratum arbitror in primo Regum libro, vbi Samueli ſic loquitur Dominus cap. 3, 11. *Ecce ego facio verbum in Iſraël: quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius. In die illa ſuſcitabo aduerſum Heli omnia quæ locutus ſum ſuper domum eius: incipiam, & complebo. Prædixi enim ei quòd iudicaturus eſſem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eò quòd nouerat indignè agere filios ſuos, & non corripuerit eos*, nimirum vt conueniebat, non placidè & benignè vt pater, ſed rigidè vt iudex. Iniquitas verò filiorum Heli duplex notatur in Scriptura, auaritia & luxuria, ex quibus aliæ, vt infidelitas, impuritas in offerendis ſacrificijs, Dei contemptus, &c. velut ex ſcaturigine promanabant. De priori, ſcilicet auaritia, dicitur 1. Regum 2, 12. quòd infideles eſſent in ſacrificijs offerendis, nec obſeruarent quę lex Sacerdotibus mandat; de poſteriori, nimirum luxuria, ibidem verſu 22. legitur, quòd dormirent cum mulieribus quæ obſeruabant ad oſtium tabernaculi: vnde fiebat, vt homines à pietate & deuotione retraherentur, & ipſi immundi immunda offerrent ſacrificia. quare meritò ibidem dicitur: *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* Sed quid permiſit Dominus fieri propter horum peccata? *Pugnauerunt Philiſthym, & cæſus eſt Iſraël, & fugit vnuſquiſque in tabernaculum ſuum: & facta eſt plaga magna nimis, & ceciderunt de Iſraël triginta millia peditum. Et arca Dei capta eſt: duo quoque filij Heli mortui ſunt, Ophni & Phinees.* Heli, audito quòd Arca Dei capta eſſet, *cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus mortuus eſt.* Super nurum quoque eius, vxorem Phinees, prægnantem, irruerunt dolores; in quibus, cum memorata audiſſet, ſimul cum emiſſo fetu animam exhalauit. quæ & rectè dixit: *Tranſlata eſt gloria ab Iſraël, eò quòd capta eſſet Arca Dei*, 1. Regum 4, 10. & 18. & 22. Propter peccata item deſtructurum ſe templum, comminatus olim fuit Deus Salomoni, ſic inquiens 3. Reg. 10, 6. *Si auerſione auerſi fueritis vos & filij veſtri, non ſequentes me, nec cuſtodientes mandata mea, & cærimonias meas, quas propoſui vobis, ſed abieritis & coluerit is deos alienos, & adoraueritis eos: auferam Iſraël de ſuperficie terræ quam dedi eis: & templum, quod ſanctificaui nomini meo, proyciam à conſpectu meo, eritq; Iſraël in prouerbium, & in fabulam cunctis populis. Et domus hæc erit in exemplum: omnis qui tranſierit per eam, ſtupebit, & ſibilabit, & dicet: Quare fecit Dominus ſic terræ huic, & domui huic? Et reſpondebunt: Quia dereliquerunt Dominum Deum ſuum, qui eduxit patres eorum de Terra Ægypti, & ſecuti ſunt deos alienos, & adora-*

adorauerunt eos, & coluerunt eos; idcirco induxit Dominus ſuper eos omne malum hoc. Atque eaſdem minas ſæpiùs per Prophetas repetijt. Vide Iſa. 66, 1. Ier. 7, 3, 17. & 26, 6, 12 Amos 9, 1. Michææ 3, 12. Zachar. 11, 2.

Cupiditas & luxuria Chriſtianorum cauſa amiſſionis Terræ ſanctæ.

Ad propoſitum iam venio. Si hiſtorias, aut quæ conſtanti traditione accepimus, conſuluerimus, & quid Chriſtiani, dum loca iſta ſacra poſſiderent, ibi patrauerint, probè & exactè perpendere voluerimus, res nobis euadet manifeſtior. Prævalebat in eis nimia quædam, & nullo auro exſatianda cupiditas, & immodica, canina, & nullo impudicitiæ genere ſiſtenda libido.

Cupiditas & auaritia inde patent, quia excoriabantur ab eis peregrini Ieroſolymã deuotionis cauſa proficiſcentes, & nimijs vectigalibus perſoluendis vltra modũ grauabantur: quę & peregrinos deglubendi conſuetudo adhuc Turcis vſitatur; & ſi fortè conqueramur propter nimias expenſas pro ingreſſu in ſanctam ciuitatem Ieruſalem, & ſanctiſſimum Saluatoris noſtri Sepulchrum, licitè & iuſtè ſe facere reſpondent, quòd illam conſuetudinem à Chriſtianis acceperint, & ſic eos olim exegiſſe in ſcriptis eorumdem inuenerint. Mirum ergo, quantum ſanctorum locorum veneratio ob eam cauſam imminuta fuerit. Quid Templarij fecerint, orbi vniuerſo notum eſt, ideoque iuſto Dei iudicio poſteà exterminati ſunt.

Sed hoc vnum & horribile accipe ex Marino Sanuto exemplum, quo tantò magis indicatur Chriſtianorum malorum illius temporis impietas, quantò ipſi, extensâ licet aduerſus eos manu Domini, ſe infidelibus erga ſuos auariores & crudeliores exhibuerunt. Captis enim iam Ieroſolymis per Saladinum, *multis redemptis iuxta conditum, vſque ad ſecuritatis loca conductus tutus exhibitus eſt. Interim verò Ieroſolymitanorum militum, qui in prælio fuerant, redemptæ coniuges atque filiæ, ciuitatem Ieruſalem exeuntes, ad Saladini vſque præſentiam accedentes, ediderunt lugubrem eiulatum. Inquiſitâ cauſâ, reſpondent, ſuos ſe amiſiſſe viros, ſibi quoque poſſeſſiones ſublatas: petebant proinde ad aliquod miſericorditer reſtaurari. Ille pietate commotus, eis qui ſupereſſent captiuos reddi, puellisq; de theſauris ſuis ampla munera dari iuſſit, ſecundùm quod vniuſcuiuſque conditio exigebat, eaſq; iuxta principatus ſui magnificentiam blandè conſolatus eſt. At poſtquam Tripolim peruenerunt, euadentes Saracenorum pericula, in manus Chriſtianorum magis crudelium inciderunt. Comes enim Tripolitanus, cum ſatellitibus ſuis, filijs Belial, cùm debuiſſent confratribus ſuis exulibus compati, quidquid illis infideles dimiſerant, abſtulerunt, ſolo nomine Chriſtiani. Accidit autem propter huius crudelitatis exceſſum, vt cùm mulier quædam parunulum geſtaret in humeris, & ſacrilegi illi auferrent quæ pro ſe & filio nutriendo reliquerant Saraceni (nulli enim parcebant ſexui, vel ætati, aut conditioni, quin omnia ſcrutarentur) ſupra modum animo perturbata, & ſpiritu triſtitiæ & deſperationis abſorpta, in marinas iecit filium ex ſe natum.* Ita Sanutus.

De impuritate quid dicam? Eiuſmodi enim turpitudines audiui à Chriſtianis in ſanctioribus locis fuiſſe commiſſas, quas ne immundi quidem Turcæ, vel ipſi dæmones, Chriſti acerrimi hoſtes, commiſiſſent, & cogitare de ijs animus exhorreſcit, & pudet particulariter referre; ſat ſit innuiſſe. Quare non ſine ratione ſuſpicari poſſumus, quòd quemadmodum Deus quondam tradidit Hiſpanias infidelibus (à quibus Eccleſiæ innumera grauiaque ſuſtinuerunt incommoda) ob illorum grauiſſima peccata, & præcipuè impuriſſimã libidinem, ideoq; VVandalis potiſſimùm, infirmiſſimis illis quidem & ignauiſſimis, ſed pudicis, ſubiecit (quod præ oculis habens Saluianus Maſſilienſis Epiſcopus, defleuit, vt annotauit Eccleſiaſticorum Annalium Auctor ſub anno Chriſti 410.) ita propter flagitia Chriſtianorum, & ſingulariter propter eſtrenem eorum libidinem, permiſerit idem Deus Palæſtinam ab infidelibus deuaſtari, & (proh pudor!) loca ſancta ab ipſis Mahometanis profanari ac poſſideri, quaſi ij in ſceleribus & impuritate Chriſtianis longè ſint inferiores. Conſidera inferiùs notata Libri 11. Cap. LXXVIII.

Semper frequentè malis Ieroſolyma.

Maria Ægyptiaca.

Et hæc peccatorum peſtis non aliquando, ſed ferè ſemper inualit & occupauit, vel qui Ieroſolymis habitabant, vel qui eò ſe conferebant. De Maria illa Ægyptiaca Hiſtorici, qui eius Vitam conſcripſerunt, Sophronius, Nicephorus Calliſtus, & alij, prodiderunt, ipſam aliquando patrium ſolum reliquiſſe, & Ieroſolymam cum alijs ſe tranſtuliſſe, vt liberiùs ibi libidini ſuæ vacaret, quaſi Terra ſancta impietate impuram Ægyptum ſuperaſſet: quamuis illa ſingulari Dei beneficio, ex peccatrice pœnitens, ex immunda, munda & Deo accepta reddita fuerit. Floruit verò hæc pœnitens circa annum Domini 525.

Heraclius ſit hæreſiarcha.

Item circa annum Domini 629. quando in Dei Eccleſia publica quædam patrantur peccata, hæreſeſque vigerent, Heraclius ob partam de Perſis victoriam inſolescens, ſe hæreſibus implicuit Monothelitarum: & tunc cum eius damno & dedecore dilatauit Mahomet Imperium ſuum, quod breui tempore vſque ad Ieroſolymam & totam Terram ſanctam ſe extendit.

Tradit

[illegible] [illegible] [illegible] [

Isaac, 12 years old, when he was offered up, and Ishmael 13 years old, when he was circumcised. Gen. xxi. 5. xvii. 25.

Ver. 2. *Thy son, thine only son Isaac, whom thou lovest.*] Abraham had two sons, Ishmael and Isaac, and he loved both of them; but Isaac was the only son of Sarah, and the son of promise, and therefore he loved him with a peculiar affection. Gen. xxi. 2, 3. xvii. 19.

Get thee into the land of Moriah.] Moriah was a mountain in the land of Canaan, on which Solomon afterwards built the temple. 2 Chron. iii. 1.

Upon one of the mountains which I will tell thee of.] Abraham knew not which of the mountains in the land of Moriah God would direct him to, but he was willing to go to any of them.

Ver. 3. *Rose up early in the morning.*] Abraham was very diligent in the service of God, and very ready to obey his commands.

Saddled his ass.] Abraham had asses, and camels, and horses. Gen. xii. 16. xxiv. 35.

Two of his young men.] Abraham had a great many servants. Gen. xiv. 14. xxvi. 14.

Clave the wood for the burnt-offering.] Abraham was willing to do every thing himself that was necessary to be done in order to the sacrifice.

Arose, and went unto the place of which God had told him.] Abraham was very ready to obey God, though he knew not the way, nor the place to which he was to go. Heb. xi. 8.

Ver. 4. *Then on the third day.*] Abraham was three days in going to the place where he was to offer up his son.

Lifted up his eyes, and saw the place afar off.] Abraham saw the place at a great distance, and he had time enough to consider what he was about to do.

Ver. 5. *Abide ye here with the ass.*] Abraham left his servants behind him, that they might not be witnesses of what he was about to do.

I and the lad will go yonder and worship.] Abraham was willing to worship God in any place, and he was willing to worship him in the most solemn manner.

And come again to you.] Abraham believed that God would raise Isaac from the dead, and therefore he was willing to offer him up. Heb. xi. 19.

Ver. 6. *Laid it upon Isaac his son.*] Isaac was a young man, and able to carry the wood.

He took the fire in his hand, and a knife.] Abraham was willing to do every thing himself that was necessary to be done in order to the sacrifice.

And they went both of them together.] Abraham and Isaac were very willing to go together to the place where they were to offer up the sacrifice.

Ver. 7. *But where is the lamb for a burnt-offering?*] Isaac knew that a lamb was usually offered in sacrifice, and he was surprised that there was no lamb provided.

Ver. 8. *My son, God will provide himself a lamb for a burnt-offering.*] Abraham knew that God would provide a lamb for the sacrifice, but he knew not that God would provide a lamb for the sacrifice instead of his son.

So they went both of them together.] Abraham and Isaac were very willing to go together to the place where they were to offer up the sacrifice.

Ver. 9. *They came to the place which God had told him of.*] Abraham was very ready to obey God, though he knew not the way, nor the place to which he was to go. Heb. xi. 8.

Built an altar there.] Abraham was willing to do every thing himself that was necessary to be done in order to the sacrifice.

Laid the wood in order.] Abraham was very diligent in the service of God, and very ready to obey his commands.

Bound Isaac his son.] Abraham was willing to do every thing himself that was necessary to be done in order to the sacrifice.

Laid him on the altar upon the wood.] Isaac was willing to be offered up, and he was able to lay himself upon the altar.

Ver. 10. *Stretched forth his hand, and took the knife to slay his son.*] Abraham was willing to offer up his son, and he believed that God would raise him from the dead. Heb. xi. 19.

Ver. 11. *The angel of the Lord called unto him out of heaven.*] The angel of the Lord was the Son of God, who appeared in the form of a man, and who is called Jehovah. Gen. xvi. 7. xviii. 1, 2, 13. xxii. 12, 15, 16.

Abraham, Abraham.] The repetition of the name denotes the affection of the speaker.

Here am I.] Abraham was very ready to obey God, though he knew not the way, nor the place to which he was to go. Heb. xi. 8.

Ver. 12. *Lay not thine hand upon the lad.*] Abraham was willing to offer up his son, and he believed that God would raise him from the dead. Heb. xi. 19.

Now I know that thou fearest God.] Abraham was very diligent in the service of God, and very ready to obey his commands.

Seeing thou hast not withheld thy son, thine only son from me.] Abraham was willing to offer up his son, and he believed that God would raise him from the dead. Heb. xi. 19.

Ver. 13. *Behind him a ram caught in a thicket by his horns.*] Abraham saw the ram behind him, and he had time enough to consider what he was about to do.

Offered him up for a burnt-offering.] Abraham was willing to do every thing himself that was necessary to be done in order to the sacrifice.

In the stead of his son.] Abraham was willing to offer up his son, and he believed that God would raise him from the dead. Heb. xi. 19.

Ver. 14. *Abraham called the name of that place Jehovah-jireh.*] Abraham knew that God would provide a lamb for the sacrifice, but he knew not that God would provide a lamb for the sacrifice instead of his son.

As it is said to this day, In the mount of the Lord it shall be seen.] Abraham knew that God would provide a lamb for the sacrifice, but he knew not that God would provide a lamb for the sacrifice instead of his son.

Ver. 15. *The angel of the Lord called unto Abraham out of heaven the second time.*] The angel of the Lord was the Son of God, who appeared in the form of a man, and who is called Jehovah. Gen. xvi. 7. xviii. 1, 2, 13. xxii. 12, 15, 16.

Ver. 16. *By myself have I sworn, saith the Lord.*] God swore by himself, because he could swear by no greater. Heb. vi. 13.

Because thou hast done this thing, and hast not withheld thy son, thine only son.] Abraham was willing to offer up his son, and he believed that God would raise him from the dead. Heb. xi. 19.

Ver. 17. *That in blessing I will bless thee.*] God blessed Abraham with all spiritual blessings in Christ. Eph. i. 3.

And in multiplying I will multiply thy seed as the stars of the heaven, and as the sand which is upon the sea shore.] Abraham had a great many children, and a great many grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great great grandchildren, and a great many great great great grandchildren, and a great many great great great great grandchildren, and a great many great great great great great grandchildren, and a great many great great great great great great grandchildren, and a great many great great great great great great great grandchildren, and a great many great great great great great great great great grandchildren, and a great many great great great great great great great great great grandchildren, and a great many great great great great great great great great great great grandchildren, and a great many great great great great great great great great great great great grandchildren, and a great many great great great great great great great great great great great great grandchildren, and a great many great great great great great great great great great great great great great grandchildren, and a great many great great great great great great great great great great great great great great grandchildren, and a great many great great great great great great great great great great great great great great great grandchildren, and a great many great great great great great great great great great great great great great great great great grandchildren, and a great many great great great great great great great great great great great great great great great great great grandchildren, and a great many great great great great great great great great great great great great great great great great great great grandchildren, and a great many great great great great great great great great great great great great great great great great great great great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great grandchildren, and a great many great

5

igne ſuccenſis) *nónne ſunt & nunc multi, qui eadem committunt quæ illi, attamen non puniuntur? Etiam: ſed hoc potiſſimùm maiorem pœnam conciliat his qui talia perpetrant. Quando enim non caſtigamur, ex his quæ illis acciderunt, & non eſt nobis lucro longanimitas Dei, cogita quomodo illum inextinguibilem ignem vehementiùs nobiſmet ipſis ſuccendimus, & acerbum vermem paramus.*

A prioribus pœnis, magna eſt pœna.

Sed & tertiam, quam attigimus, reſponſionem & rationem accipe. Permittit Deus minùs malos per magis malos affligi & puniri, (vt olim populum Iſraëliticum puniuit per Syriam, & captiuam duci ab Ethnicis puellam Iſraëliticam; ſic etiam per Eglon, Iabin, Amon, & alios Gentiles puniuit Iſraëlem, & nunc Chriſtianos per Turcas & alios infideles,) vt diuinam aduerſus ſe vltionem magis experiantur: tolerabilior enim pœna eſt, à minùs malis affligi. Et quidem ſi Iudæi & Chriſtiani à minus malis afflicti fuiſſent, & ſi Ieruſalem & Terra ſancta à minùs malis occupata fuiſſet, tolerabilius id illis eſſet; at eam poſſideri à peſſimis & perditiſſimis hominibus, hoc eſt quod eos plurimùm angit & cruciat. Et hoc eſt de quo querebatur Nehemias 4. Eſdræ 3, 31. Et Chriſtus Dominus, vt magis affligeret Phariſæos, dixit illis: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur Genti*, &c. Matth. 21, 43. *Genti* dixit, id eſt Gentilibus, qui Deum non nouerunt, & nomen eius non inuocauerunt, & de quibus illi peſſimè ſentiebant; & non dixit Scribis, vel alijs Iudæis, tali enim vaticinio grauiùs torquebantur.

Minùs mali per magis mali affliguntur, vt iſti magis puniantur.

Adde etiam, propter infidelium ſiue peſſimorum hominum maius ſupplicium, permittit malos bonis vel minùs malis præualere, id innuente Dauide, dum ait: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum*, &c. Pſalmo 68, 23. Iſti enim, etſi miniſtri Dei ſint, quoniam tamen peruerſa intentione affligunt, à Deo punientur: qui enim prædatur, prædabitur, vt dicitur Iſaiæ 33, 1. menſa quippe illa, eſt mali complacentia, quam ſibi ante oculos ponunt peccatores, vt electiſſimas epulas, ex qua menſa exit illorum vltimum exterminium. Hinc legimus 1. Reg. 5. Philiſthæos perſecutores Iudæorum, poſt partam de ipſis victoriam, & captam Arcam Domini, tuiſſe inſanabili plaga percuſſos. Nabuchodonoſor Rex Babylonis, volente Deo, vaſtauit Ieruſalem, & ſacra vaſa templi Babylonem aſportauit; ſed in feram tandem commutatus fuit, Dan. 4. Filius eius Baltaſſar, qui ei in regno ſucceſſit, eadem vaſa ſancta profanauit, bibens ex ipſis cum ſcortis, concubinis & meretricibus ſuis, ſed poſteà regno vitaq; priuatus fuit, vt apud eumdem Prophetam videre eſt. Quid dicam de Aſſur, ſiue blaſphemo Sennacherib, deſtructore ciuitatum Iuda? Nónne in templo Neſroch, cùm ſuum idolum adoraret, à proprijs filijs interfectus fuit? 4. Reg. 19, 37. Quid dicam de ſceleſtiſſimo & nequiſſimo illo Antiocho, qui cognomine quidem fuit *Illuſtris*, re tamen vera obſcuriſſimus & turpiſſimus? Hic infami iam morti proximus, recordatus quanta mala feciſſet in Ieruſalem, à Deo veniam poſtulabat, quam tamen non ſolùm non impetrauit, ſed quæ meritis eius merces erat cógrua, ſcatentibus ex putrido illius corpore vermibus, & fœtore inde exhalante teterrimo, miſerrime interijt, vt hiſtoria Machabæorum cap. 9, 13. teſtatur. Similia etiam alijs contigerunt.

Deus magis à Chriſtianis quàm à Turcis offenditur.

Quartò iam loco reſpondemus, Deum grauiùs à Chriſtianis quàm à Turcis alijsq; infidelibus offendi, ac ideò hos exaltari, illos verò deprimi. Si mentior, ignoſcat mihi Deus: & vtinam mentirer! pudibundus enim quæ vera ſunt profero: nec ſanè ea mente profero, quòd nomen Chriſtianum (quod ſummè veneror & exoſculor) fuggillare velim; abſit à me homine Chriſtiano, & longe abſit: facio tamen, ſolo zelo ductus veritatis & religionis, quam humi depreſſam & percalcatam video; & in deteſtationem & execrationem ſcelerum quæ inter Chriſtianos vigent. nec enim poſſumus, quæ vidimus, audiuimus, & experti ſumus, non proloqui. Numerum peccatorum tam à fidelibus quàm ab infidelibus patratorum ſolus nouit Dominus, nec inde offenſæ grauitatem metiri eſt animus, etſi credam, etiam in numero peccata fidelium excedere infidelium ſcelera: omnia enim quæ in infidelibus obſeruantur, inuenies etiam in fidelibus; at non perinde quæ in fidelibus, in infidelibus deprehendes. An æquè periuri, blaſphemi, de diuina prouidentia hæſitantes, vel eam etiam negantes (vt alia præteream) ſunt infideles, quàm ipſi fideles? Venerantur illi, & pluris faciunt Religioſos Catholicos, qui frequenter à noſtris vilipenduntur. Niſi ipſemet in me & in alijs id ſæpiùs & abunde expertus fuiſſem tum in aditu tum in reditu à Terra ſancta, ne quidem alijs referentibus credidiſſem, neque etiam apud alios referrem: imò meritò, niſi referrem, vapularem.

De peccatorū quantitate.

Si dicas, Magnum peccatum eſt infidelitas, & Chriſtum verum Deum & hominem non confiteri, &c. Non abnuo; at certiſſimum etiam, multò maius peccatum eſſe, ipſum fide cognoſcere & ore confiteri, operibus verò negare, vt faciunt mali Chriſtiani.

Ex

Ieremias Propheta, ad Baruch filium Neriæ, cum scripsisset sermones hos in libro ex ore Ieremiæ anno quarto Ioakim filii Iosiæ regis Iuda, dicens:

2 Hæc dicit Dominus Deus Israel ad te, Baruch:

3 Dixisti: Væ mihi quia addidit Dominus dolorem dolori meo! laboravi in gemitu meo, et requiem non inveni.

4 Hæc dices ei: Hæc dicit Dominus: Ecce quæ ædificavi destruo, et quæ plantavi evello, et universam terram hanc.

5 Et tu quæris tibi grandia? noli quærere: quia ecce ego adducam malum super omnem carnem, dicit Dominus: et dabo animam tuam tibi in spolium in omnibus locis ad quæ perrexeris.

CAPUT XLVI.

1 Sermo Domini qui factus est ad Ieremiam Prophetam contra gentes.

2 Contra Ægyptum, contra exercitum Pharaonis Nechao regis Ægypti, qui erat juxta flumen Euphraten in Carchamis, quem percussit Nabuchodonosor rex Babylonis in anno quarto Ioakim filii Iosiæ regis Iuda.

3 Præparate scutum et clypeum, et prodite ad bellum.

4 Jungite equos, et ascendite equites: state in galeis, polite lanceas, induite loricas.

5 Quare ego vidi? pavidi terrentur, et retrorsum vertuntur: fortes eorum cæduntur, et fugiunt velociter, nec respiciunt: pavor undique, dicit Dominus.

6 Non fugiat velox, nec salvetur fortis: ad aquilonem juxta flumen Euphraten corruerunt, et ceciderunt.

7 Quis est iste qui quasi fluvius ascendit, et sicut flumina commovebuntur fluctus ejus?

8 Ægyptus quasi fluvius ascendit, et sicut flumina commovebuntur fluctus ejus: et dixit: Ascendam, operiam terram, perdam civitatem, et habitatores ejus.

9 Ascendite equos, et insilite quadrigis: et egrediantur fortes Æthiopia et Libyes tenentes scutum, et Lydi arripientes et tendentes arcum.

10 Dies enim illa Domini Dei exercituum, dies ultionis, ut ultionem sumat de inimicis suis: devorabit gladius, et saturabitur, et inebriabitur sanguine eorum: victima enim Domino Deo exercituum in terra aquilonis juxta flumen Euphraten.

11 Ascende in Galaad, et tolle resinam, virgo filia Ægypti: frustra multiplicasti medicamina, sanitas non erit tibi.

12 Audierunt gentes ignominiam tuam, et ululatus tuus repletus est terra: fortis enim super fortem infirmatus est, et ambo simul ceciderunt.

13 Sermo quem locutus est Dominus ad Ieremiam Prophetam, quomodo venturus esset Nabuchodonosor rex Babylonis, ut percuteret terram Ægypti.

14 Annuntiate in Ægypto, et auditum facite in Magdalo, et auditum facite in Memphis et in Taphnis: dicite: Sta, et præpara tibi, quia devorabit gladius in circuitu tuo.

15 Quare fugit Apis fortis tuus? non stetit, quia Dominus subvertit eum.

16 Multiplicavit ruentes, et corruit unus super proximum suum, et dixerunt: Surge, et revertamur ad populum nostrum, et ad terram nativitatis nostræ a facie gladii columbæ.

17 Vocate nomen Pharaonis regis Ægypti: Tumultum adduxit tempus.

18 Vivo ego, dicit rex, Dominus exercituum nomen ejus: quia sicut Thabor in montibus, et sicut Carmelus in mari veniet.

19 Vasa transmigrationis fac tibi habitatrix filia Ægypti: quia Memphis in solitudinem erit, et deserta absque habitatore.

20 Vitula speciosa Ægyptus, stimulus ab aquilone venit.

21 Etiam mercenarii ejus in medio ejus quasi vituli saginati: quia et ipsi conversi sunt, et recesserunt pariter, non steterunt: quia dies perditionis venit super eos, tempus visitationis eorum.

22 Vox ejus quasi æris sonantis gradientis: quia in robore ibunt, et cum securibus quasi cædentes ligna venient.

23 Succident saltum ejus, dicit Dominus, quia non est investigabile: quia multiplicati sunt super locustas, et non est eis numerus.

24 Confusa est filia Ægypti, data est in manu populi aquilonis.

25 Dixit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego visitabo super populum Alexandriæ, et super Pharaonem, et super Ægyptum, et super deos ejus, et super reges ejus, et super Pharaonem, et super confidentes in eo.

26 Et dabo eos in manu quærentium animas eorum, et in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manu servorum ejus: et post hæc habitabitur sicut in diebus antiquis, dicit Dominus.

27 Tu autem noli timere, serve meus Iacob, et ne paveas Israel: quia ecce ego salvum faciam te de longe, et semen tuum de terra captivitatis eorum: et revertetur Iacob, et requiescet, et dormiet, et non erit qui exterreat eum.

28 Tu autem noli timere, serve meus Iacob, dicit Dominus: quia tecum ego sum: quia consummationem faciam in cunctis gentibus, ad quas ejeci te illuc: te autem non consummabo, sed castigabo te in judicio, et innocentem non putabo te.

CAPUT XLVII.

1 Sermo Domini qui factus est ad Ieremiam Prophetam contra Philisthiim, antequam percuteret Pharao Gazam.

2 Hæc dicit Dominus: Ecce aquæ ascendunt ab aquilone, et erunt quasi torrens inundans, et operient terram et plenitudinem ejus, urbem et habitatores ejus: et clamabunt homines, et ululabit omnis habitator terræ.

3 A sonitu fragoris pedum fortium ejus, a commotione quadrigarum ejus, a fragore rotarum ejus non respexerunt patres ad filios remissis manibus,

4 propter diem qui venturus est ut vastet omnes Philisthiim, et disperdat de Tyro et Sidone omnem reliquum auxiliatorem: vastavit enim Dominus Philisthiim reliquias insulæ Cappadocum.

5 Venit calvitium super Gazam, conticuit Ascalon, et reliquiæ vallis eorum: usquequo scindis tibi?

6 O gladius Domini, usquequo non quiescis? ingredere in vaginam tuam, refrigescere et sile.

7 Quomodo quiescere potest, cum Dominus præceperit ei adversus Ascalonem et adversus maritimum littus? ibi constituit eum.

runt iniuria, non ea, ſicut decens & iuſtum fuit, vſi: quamobrem inexcuſabiles ſunt, maximisq; digni ſupplicijs. Denique Luc. 12,47. apertiſſime Chriſtus hiſce verbis id ipſum docuit, inquiens: *Ille autem ſeruus, qui cognouit voluntatem domini ſui, & non præparauit, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis,* &c. Cùm hæc igitur ita ſe habeant, dicendum eſt, plus offendi Deum à fidelibus, quàm ab infidelibus. Et ideò mauult Deus prævalere Turcas in Chriſtianos, & in locis ſanctis dominari, & ab ijſdem, quibus non eſt cognitus, offendi, quàm à fidelibus, qui eum probè nouerunt, & verbis confitentur, etſi factis negent, ſimilibus & fortè grauioribus iniurijs affici.

Dubium. Verùm fortè quis curioſiùs inueſtigabit, ſi quæ diximus ita ſe habeant, quare multi Chriſtiani Principes tam proſpero alibi à Deo rerum ſucceſſu donentur, & quare Deus eos non prorſus omni regno & dominio priuet, illud concedens dignos Chriſtiano Principe fructus proferenti, vel ſaltem non tot mala facienti; & quare ſanctam fidem ſuam ad meliores illos non transferat. *Solutio.* Dicerem Primò, non omnes Principes Chriſtianos malos eſſe, ſed plures pios ac deuotos: qui ſi aliquando delinquunt, ſtatim conuerſi ad Deum, de commiſſis pœnitentiam agunt, & Deus illis viciſſim ignoſcit, & benedictionem ſuam eis impertit. Malos verò proſpera fortuna vti permittit, vel vt beneficijs allecti, boni euadant, vel etiam ob bonum ſubditorum illorum. Deinde, propter iram inimicorum differt punitionem, ne fortè ſuperbiant hoſtes noſtri, & dicant, *Vbi eſt Deus eorum?* Et quemadmodum in alijs operibus, in quibus Deus ſuam exercet iuſtitiam, miſericordiæ non obliuiſcitur, ita in Principum caſtigatione, miſericordiæ recordatur. Vt enim dixit Iob, non vſque ad conſumptionem extendit manum ſuam. Accedit, quòd aliqua nihilominùs bona opera faciant Principes illi, quæ non æterna, ſed temporali mercede remuneranda Deus iudicat. Tertiò dicendum, quòd valde timendum ſit, ne id quod factum necdum eſt, aliquando fiat, cuius rei varia exempla oculis noſtris obuerſantur. Vbi eſt, quæſo, Eccleſia illa Orientalis, quæ tantopere in ſanctitate, ſapientia & potentia florebat? nónne propter Orientalium enormia peccata Chriſtus ſe & fidem ſuam ab eis ſubtraxit, varijs verò ipſos Orientales erroribus iactari, & durißimo Turcarum & Mahometanorum ſeruitutis iugo premi & affligi permiſit? Numquid Hungari maiori ex parte idem experiuntur? Numquid Angli, Scoti, Hiberni, Dani, alij? Quid, quòd bona Belgicarum Prouinciarum pars à Domino propter peccata deſerta, hæreſi verò & vſurpato quorumdam dominatui ſubiecta videatur?

Iuſti diuinam auertunt indignationem. Quartò dici poteſt, nondum eſſe completas iniquitates Amorrhæorum. Quintò denique, iuſti & ſancti, qui ſunt in Dei Eccleſia, auertunt ab ea diuinam indignationem: & vt quondam Moyſes Dei manus continebat, ne furor eius in populum ſuum iraſceretur; ita nunc plures eſſe dubitandum non eſt, qui precibus & bonis operibus iratum Deum placent. Quòd ſi Eliæ temporibus, quando Propheta ſolum ſe fuiſſe relictum putabat, reliquos verò veri Dei cultores vel interfectos, vel ad Baalis cultum defeciſſe arbitrabatur, reſponſum accepit à Domino, derelictos ſibi fuiſſe ſeptem millia virorum, quorum genua non eſſent incuruata ante Baal; quanto magis de hoc tempore gratiæ idem, imò melius cogitandum nobis eſt, reliquiſſe videlicet ſibi Deum vtriuſque ſexus ſanctos & deuotos homines in quolibet ſtatu, qui genua ſua ante idola auaritiæ, ſuperbiæ & luxuriæ non curuauerunt, ſed puros ſe & immaculatos in Dei obſequio conſeruant? An non perpetim in ſancta Dei Eccleſia florent Beati & Sancti? Et hi ſunt qui ab ea diuinam indignationem auertunt, ſepemque inter Deum & Eccleſiam ponunt, ne eam omnino diſſipet. 3. Reg. 19. 18.

Doctrina hæc eſt S. Ioannis Chryſoſtomi Homil. 42. in Geneſim, vbi ad hoc propoſitum hæc ſcribit: *Quia propter gratiam Dei ſunt & nunc multi virtute præditi, qui placare poſſunt Dominum, ſicut tunc Patriarcha* (id eſt Abraham, quando pro Sodomorum ſalute Deum exorauit) *tametſi nos, cùm nos ipſos attendimus, & noſtram videmus deſidiam, putamus miram virtutis raritatem: attamen propter illorum virtutem, longanimitatem Deus in alios ſeruat. Et vt ſcias quòd talium fiducia nobis longanimitatem Dei conciliet, audi ex hac ipſa hiſtoria. Dicit enim Patriarchæ: Quòd ſi decem iuſtos inuenero, non perdam ciuitatem. Et quid dico decem iuſtos? nullus inuentus illic ab iniquitate alienus, niſi ſolus Lot iuſtus, & eius duæ filiæ. Vxor enim propter illos fortè pœnam ciuitatis effugit, poſteà tamen pœnam dedit propter ſuam malitiam. Nunc autem propter ineffabilem Dei miſericordiam, quia pietas incrementum ſumpſit, multi etiam in medijs ciuitatibus ignorati, poſſunt placare Deum, & alij in montibus & ſpeluncis. Aliorumq; virtus multorum tegere valet malitiam. Multa enim Domini bonitas eſt, & ſæpè ſolet etiam propter paucos, multis dare ſalutem. Et quid dico*

Quinta, vt noſter Zelus appareat.

vt noſtræ fidei & pietatis Deus experimentum capiat, nimirum an propter ipſum loca illa ſancta, quamuis in poteſtate noſtrorum hoſtium conſtituta, inuiſere velimus, nullis non vitæ & fortunarum periculis ſpretis: quemadmodum immenſus erga Dauidem affectus in tribus illis fortiſſimis militibus enituit, qui vitam propriam parui pendentes, perruperunt caſtra hoſtium, vt optatam Dauidi aquam ex ciſterna Bethlehem deferrent, vt dicitur 2. Reg. 23, 26. & 1. Paral. 11, 18.

CAPVT LXXXV.

Rationes aliæ quæ ſanctam Eccleſiam & ipſos fideles reſpiciunt, quare Deus optimus maximus loca ſancta ab infidelibus poſſideri committat.

Duodecim rationes.

RAtiones, quæ ex parte creaturarum ad eamdem difficultatem diluendam adferri poſſunt, ſunt multiplices: quædam enim deſumuntur ex parte hominum, tum bonorum, tum malorum; quædam ex parte ipſorummet dæmonum. De illis hoc in Capite agemus.

Prima, eſt totalis Synagogæ deſolatio, & Eccleſiæ firmitas.

Prima igitur & potior ex parte hominum ratio eſt, vt oſtendatur Synagogæ finalis deſolatio, & ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ perpetuum ſtabilimentum. Si enim Iudæi templum illud Salomonicum adhuc extare viderent, & ciuitatem Ieruſalem in priſtina & ſibi olim promiſſa felicitate conſpicerent, poſſent ſibi perſuadere, ſuam etiamnum Synagogam extare, & in poſterum ſumpturam augmentum: verùm hoc rerum ſtatu conſiderato, omni ſpe illi priuantur, noſtra verò Eccleſia Catholica, quæ in materiali illo templo & ciuitate Ieruſalem præfigurabatur, magis ſtabilitur. Hanc rationem latiùs expendemus infrà Libro v. Arbor quamdiu fertilis eſt, in pomario alitur; at ſi ſterilis & effeta facta fuerit, nec vllos ampliùs fructus ferat, exſcinditur, & ad ignem ſtruendum adhibetur: ſimiliter donec in vinea fuerint vuæ, & fructus in cucumeratio, tugurium in illis conſeruatur; tranſacta verò iam vindemia, & fructibus collectis deſtruitur. Ita quamdiu Synagoga velut fructuoſa arbor, & vinea electa, fructus protulit Chriſtum Dominum, ſanctam eius Genitricem, Apoſtolos, aliosque Sanctos, conſeruata fuit; his verò iam in lucem editis, ipſaque Synagogâ ſterili factâ & infructuosâ, quid reliquum eſt, niſi vt excidatur & penitus diſſipetur? Hoc hiſce verbis indicauit Domini Præcurſor: *Iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*, Matth. 3, 10. Luc. 3, 9. Et Dominus per Iſaiam: *Et derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario*, Iſaiæ 1, 8.

Lege Salmeron. Tomo 1.

Secunda, ne ſolis locis ſanctis glorientur fideles.

Secunda ratio. Etſi ea loca ſanctiſſima ſint, tamen inde expulit Chriſtianos Deus, ne in illis ſoli glorientur, vt olim gloriabantur de Salomonico templo Iudæi, dicentes: *Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt*, Ierem. 7, 4. haud curantes templum non manufactum, quod eſt anima noſtra, in quo præcipuè Deus habitare deſiderat. Solliciti ergo ſimus circa ſpiritualis templi, animæ noſtræ, munditiem, ne qui reſpuit habitare in illo manufacto, etiam abhorreat à ſpirituali.

Tertia, ad maius infidelium nocumentum.

Tertia ratio. Ob piorum & electorum commodum atque vtilitatem permittit Deus loca ſancta ab immundis Mahometanis poſſideri & deuaſtari. Si enim *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ſecundùm axioma Doctoris gentium Roman. 8, 28. quare & hæc ingens calamitas non cedet illis in bonum? At quomodo? Quia nimirum ex malitia & perſecutione illorum infidelium occaſionem ſumunt ſe in bonis actibus exercendi. Dum enim ſuperbit impius, incenditur pauper in Dei & proximi amorem, & velut aurum in igne tribulationis probatur. Quos enim, amabò, virtutum, patientiæ, humilitatis, deuotionis & charitatis actus ex hoc non proferunt iuſti? Alij enim perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, & æquanimiter ſufferunt; & ibi patientia ſanctorum eſt, in qua poſſident animas ſuas. Alij piè rem Deo commendant, vt nimirum eos & loca ſancta de manibus infidelium eripere dignetur. Humiliant ſe alij, dicentes: Meritò, Domine, hæc patimur, quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus. Accenſi alij charitate, pro ſalute infidelium, & Chriſtiani nominis exaltatione Deum deprecantur. Alij odio incenduntur aduerſus Mahometicam ſectam, quæ tam pretioſum noſtrum theſaurum poſſidet, ad fidem verò Catholicam profitendam magis magiſque roborantur.

Quarta, vt Chriſti paſſionibus compatiamur.

Quarta ratio, Vt Chriſti paſſionibus magis compatiamur. Si enim Chriſtus Ieroſolymis noſtri causâ tot opprobria & contumelias, imò mortem ipſam perpeſſus eſt, vt ſuum erga nos oſtenderet amorem, quare vices non rependemus illi? Hinc primus ille ordine & pietate Ieroſolymorum Rex Godefridus de Bullion numquam voluit Ieroſolymis auream regni, quæ optimo Principi debebatur, geſtare coronam, indecens eſſe affirmans auream geſtare, vbi pro hominum ſalute, humani generis Auctor

ſpineam

Quæ ſi ſunt, ſi ſunt, ſi ſunt,

[illegible] [illegible] [illegible] [

Herrn Albertus Gesandten, und Herrn Johann Wilhelm Graf von Nassau-Siegen, Herrn zu Hachenburg, Freudenberg, Beilstein, Homburg, Dillenburg, Herborn, Siegen, Ginsberg, Haiger, Burbach, Neuenkirchen, Wehrden, Ilsenburg, Hohenstein, Vianden, Diedenburg, Grafen zu Sarbrücken, Saarwerden, Leiningen, Dagsburg, Hartenburg, Rixingen, Falkenburg, Herrn zu Mahlberg, Lahr, Geroldseck, Willstätt, Lichtenberg, Ochsenstein, Kriechingen, Homburg, Ballenstein, Rappoltstein, Hohenack, Reichenweyer, Gutenberg, Herrn zu Sulz, Marschall des Heil. Römischen Reichs, Landgrafen im Elsaß, Ritterlichen Hauptmann des Löblichen Rheinischen Kreises, Ritterlichen Obristen, Kriegs-Rath, Kammerer und Rath Ihro Kayserlichen Majestät, Ihro Königlichen Majestät in Hungarn und Böhmen, Ihro Königlichen Majestät in Spanien, Ihro Königlichen Majestät in Portugall, Ihro Königlichen Majestät in Polen, Ihro Königlichen Majestät in Dännemarck, Ihro Königlichen Majestät in Schweden, Ihro Königlichen Majestät in Engelland, Ihro Königlichen Majestät in Franckreich, Ihro Königlichen Majestät in Sicilien, Ihro Königlichen Majestät in Neapolis, Ihro Königlichen Majestät in Jerusalem, Ihro Königlichen Majestät in Navarra, Ihro Königlichen Majestät in Arragonien, Ihro Königlichen Majestät in Castilien, Ihro Königlichen Majestät in Leon, Ihro Königlichen Majestät in Granada, Ihro Königlichen Majestät in Toledo, Ihro Königlichen Majestät in Valentz, Ihro Königlichen Majestät in Galicien, Ihro Königlichen Majestät in Majorca, Ihro Königlichen Majestät in Sevilien, Ihro Königlichen Majestät in Sardinien, Ihro Königlichen Majestät in Corduba, Ihro Königlichen Majestät in Corsica, Ihro Königlichen Majestät in Murcia, Ihro Königlichen Majestät in Jaen, Ihro Königlichen Majestät in Algarien, Ihro Königlichen Majestät in Algezir, Ihro Königlichen Majestät in Gibraltar, Ihro Königlichen Majestät in Insulis & Terra firma Maris Oceani, Ihro Königlichen Majestät in Gallicia, Ihro Königlichen Majestät in Tirol, Ihro Königlichen Majestät in Brabant, Ihro Königlichen Majestät in Mayland, Ihro Königlichen Majestät in Burgund, Ihro Königlichen Majestät in Athen & Neopatria, Ihro Königlichen Majestät in Neocastro, Ihro Königlichen Majestät in Tripolis, Ihro Königlichen Majestät in Malta, Ihro Königlichen Majestät in Africa, Ihro Königlichen Majestät in Gozo, Ihro Königlichen Majestät in Algarb

das Deo orationes Eccleſia. Scire etiam debemus, malos angelos ex aduerſo venire, & contradicere illis, ac reſiſtere; & cùm ſint iniuſti, noſtra contra nos declamare cauſas iniuſtitiæ, quòd videlicet exaudiri non debeamus, eò quòd neque plena fide oremus, neque propoſitas nobis exauditionis conditiones obſeruemus. illas dico: Solue cogitationes impietatis, Solue faſciculos deprimentes, Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſq; induc in domum tuam, & cetera quæ pluribus verbis proſequitur Iſaias cap. 58. & poſteà ſubdit: Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adſum. Cùm igitur inuocamus, & Dominus non exaudit; ſcire debemus, ſanctis Angelis, orationes & clamores noſtros Deo offerentibus, reſiſtere & contradicere malos angelos, habentes in manibus accuſationum calculo, quæ ſunt peccata noſtra non redempta prædictis miſericordiæ operibus quæ Dominus in conditione poſuit, ſi iuſtè exaudiri deſideramus. Sic Rupertus.

Orationes ob peccata non exaudiuntur.

CAPVT LXXXVII.

Cauſæ aliæ quare adeò dilatatum fuerit Turcicum Imperium, vt & ad ipſa loca ſancta ſe extenderit.

PLacuit ad ſuperiùs propoſitam difficultatem alias hic ſubnectere rationes, quæ ipſos Turcas & Mahometanos reſpiciunt: res enim quam tractamus curioſa & vtilis eſt, ideoque pretium operæ eſt, pluribus eam pertractare. Stupent & mirantur obſcurũ ortum, qui progreſſum & durationem Mahometicæ ſectæ conſiderant. Vilia eius fuiſſe exordia, iam ſuperiùs vidimus. Secta hæc omnes alias ſectas turpitudine & abominatione ſuperat, cùm nulla fuerit quæ tot ſordes in vnum collegerit, quæ minorem habeat probabilitatem, quæ magis à naturali ratione aliena fuerit, quàm hæc ipſa, quæ & ideò ab omnibus qui de ea egerunt, ſiue veteres ſiue recentiores intueamur, riſu ſibiliſque potiùs, quàm confutatione digna æſtimata fuit: plures tamen è Latinis & Græcis eam oppugnarunt, & Deus ipſe pluribus miraculis & ſignis eius falſitatem & abſurditatem omnibus ſemper manifeſtam fecit. Nihilominùs voluptatum illecebræ & armorum potentia tantum ei incrementum peperierunt, vt per totum ferè mundum ſe dilatauerit, etiam ipſa loca ſancta inuaſerit, & indies maiores progreſſus faciat: præter quòd iam duratione ſua mille annos excellerit, quod de alia ſecta nuſquam legitur; atque adeò firmas radices egiſſe videatur, vt vſque ad vltimum iudicis aduentum timeatur duratura, niſi ipſe, apud quem nihil eſt impoſſibile, ipſam omnipotenti virtute ſua deſtruat. Quid eſt hoc Domine Deus? quare via impiorum proſperatur? O incomprehenſibilia Dei iudicia! ô abyſſus multa! ô inueſtigabiles viæ Domini!

Plures hanc mouerunt quæſtionem, & ex iam dictis, quantum potuit imbecillis noſter intellectus, nodum diſſoluimus; quibus tamen alia inſuper epimetri loco adijcimus. Benedictus Pererius in Diſputatione de Antichriſto, quòd non fuerit Mahometes, ad finem ſuarum diſputationum in Apocalypſim, octo rationes adducit tantæ durationis ſectæ Mahometicæ & Imperij Turcici, quarum aliæ diuinam prouidentiam, aliæ conditionem Legis Mahometicæ ac Imperij Turcici reſpiciunt. Diſput. 20. num. 69.

Tres priores, à Dei prouidentia petitas, tractat Paulus Burgenſis in ea quam de ſecta Mahometana ſcripſit diſputatione ſuper caput decimum tertium Apocalypſis; quarũ prima hæc eſt. Habet hæc ſecta quædam rationi conſentanea, laudabilia, Deoque non ingrata, ob quæ videtur non ſine cauſa toleraſi à Deo: hæc enim ſecta maximè deteſtatur idololatriam, adeò vt Dei, vel Angelorum, vel ſanctorum hominum imagines non ſolùm non colat, ſed nec vllo etiam in loco depingi patiatur; ſicut etiam in veteri Teſtamento Deus omnium imaginum Iudæis venerationem & cultum interdixerat. Benè quidem ſuo modo: ſcelus enim idololatriæ ſuper alia ſcelera odit, & execratur, & punire ſolet Deus. De quo ſcelere in Scriptura loquens, ait, *Ego Deus fortis & zelotes*; iſtis verbis ſignificans, ſicut zelus viri ob adulterium ſuæ vxoris eſt implacabilis, ita ſe non parciturum populo ſuo idola colenti, ſed grauiſſimis eum ſupplicijs puniturum. Scelus idololatriæ per Metaphoram vocatur fornicatio hominis à Deo. *Qui elongant ſe à te, peribunt*, ait Dauid: *perdidiſti omnes qui fornicantur abs te*, Pſal. 72, 27. Quantus verò quamque implacabilis ſit zelus mariti propter adulterium vxoris, oſtendit Salomon his verbis: *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima*, Prouerb. 6, 34.

Rationes octo dilatationis & durationis Turcici Imperij.

Prima, quia lex Mahometica aliqua rationabilia cõtinet.

Idololatriã maximè execratur Deus.

Secunda cauſa. Secta Mahometica Chriſtianos ſuæ dominationi ſubiectos, plerumque non cogit abnegare fidem Chriſti, ſed patitur, eos & fidem & religionem & diſciplinam Chriſtianæ legis colere, vt cernere licet in Chriſtianis qui ſunt in Græcia, & in Aſia, & in Syria, & in Ægypto: permittit in dominijs ſuis quatuor Patriarchatus, plurimas item Eccleſias & Monaſteria:

Secunda cauſa, quia Turcæ relinquunt Chriſtianos in ſua fide viuere.

permittit Chriſtianos vndecumque venire ad Terram ſanctam, viſitare Sepulchrum Domini, aliaque loca ſancta; quin etiam Chriſtianorum ea cuſtodiæ lubens permittit, eoſque imbi Monaſteria & hoſpitia ſua habere indulget, nec legem & Religionem Chriſtianam damnat, iuxta Mahometis videlicet ſententiam, qui Chriſtianos ſecundùm legem ſuam ſaluari poſſe confeſſus eſt. Quòd ſi alicubi & aliquando quidam Chriſtianorum ad renuntiandum Chriſto vel minis vel promiſſis quodammodò cogantur, id nec generale eſt, nec per ſe fit, ſed, vt ita dicam, per accidens; quò ſcilicet eorum miniſterio in rebus bellicis fideliùs & tutiùs vti poſſint.

Tertia cauſa, vt in bellis eruditantur Chriſtiani.

Tertia cauſa eſt eadem ipſa, propter quam paſſus eſt Deus Philiſthæos, Ammonitas, Moabitas, Iſmaëlitas & Madianitas, gentes nimirum Hebræis inimicas atque infeſtas, vel in illorum vicinia, vel iplis etiam intermixtas habitare: primò quidem, ob Hebræorum in bellicis eruditionem, vt ex aſſidua cum hoſtibus decertatione prudentiores & fortiores ad pugnandum in eos fierent: deinde, vt, ſi legem Dei violarent, & ab ipſius cultu ad idololatriam deficerent, per iſtas gentes vicinas promptam acciperent à Deo punitionem: præterea id ipſum valebat ad Hebræorum virtutis ac pietatis exploratione atque probationem, qua de re in libro Iudicum cap. 2, 21. ita loquitur Deus: *Ego non delebo gentes; quas dimiſit Ioſue, vt in ipſis experiar Iſraël, vtrùm cuſtodiant viam Domini, & ambulent in ea.* & cap. 3,1. *Hæ ſunt gentes quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraëlem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum, vt poſteà diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi.* Ob eaſdem has ipſas cauſas paſſus eſt Deus & vſque modò patitur Mahometanos, hoſtes acerrimos Chriſtianorum, tam diu regnare & vigere.

Quarta, vt ſchiſmatici Orientales puniantur.

Quarta cauſa. Hoc ipſum permiſit Deus, ad puniendos flagello Turcico & Mahometano Chriſtianos Græcos & Orientales, ob multiplices ipſorum errores circa fidem, & ob ingentem eorum ſuperbiam atque contumaciam aduerſus Romanos Pontifices & Eccleſiam Romanam, & ob multiformem inuidiam & perfidiam, variasque proditiones, quibus vſi ſunt aduerſus exercitus Chriſtianorum Occidentalium in recuperatione Terræ ſanctæ. Propter horum, inquam, peccata robur Mahometanis datum eſt.

Quinta, Chriſtianorum diſcordia.

Quinta cauſa. Noſtris diſcordijs atque diſſidijs ſecta iſta aucta, roborata & firmata, tam diu præualuit. Arma enim in Turcas & Mahometanos conuertenda, noſtris inferimus: gladium bellicum in hoſtes Chriſtiani populi diſtringendum atque vibrandum, in noſtra ipſa viſcera adigimus. Heu furor! heu dolor! ſed meliorem, quæſo, in poſterum Deus Chriſtianis Principibus det mentem. Quantum valerent & poſſent aduerſus Turcas Principes Chriſtiani, ſi concorditer conſpirarent, ſatis oſtendit ſacrum illud aduerſus Turcas fœdus, aliquot abhinc annis inter Summum Pontificem Pium V. & Catholicum Regem Philippum II. & clariſſimam Venetorum Rempublicam initum.

Sexta, quia Mahometana ſecta ſenſibus humanis accommodata.

Sexta cauſa. Habet hæc ſecta alia complura, & præcipuè tria vulgò admodum probabilia. Primò nihil præcipit aut tradit credendum hominibus, quod ſit ſupra ſenſum, aut certè ſupra captum humanæ rationis; adeò vt homines illi qui dediti ſunt ſenſibus, & ſola rationis regula metiuntur quæ credenda ſint, ab ea lege recipienda minimè retardentur. Deinde, ipſa lex & ſecta eſt valdè carnalis, plurimùm indulgens voluptatibus & rerum terrenarum cupiditatibus, ſuper omnia verò libidini dominandi & imperandi, quocumque modo id conſequi poſſit: ad hæc autem prochniſſimi ſunt mortales, eaque flagrantiſſimè concupiſcunt atque conſectantur. Poſtremò, lex & ſecta iſta non per efficaciam prædicationis, nec per mirabilia ſignorum & prodigiorum perſuaſa eſt hominibus, ſed inuecta & intruſa eſt per vim bellicam, & terrores bellicos, & tyrannicam violentiam: quibus rebus plurimas gentes & prouincias, tunc imbelles atque inermes, aut præſidijs bellicis deſtitutas, inuadens, facilè dominatum in eas obtinere, atque in eis diu præualere potuit.

Septima, continet multa, quæ multis placere poſſunt.

Septima cauſa. Hæc ſecta ex alijs plurimis damnatis ſectis mixta atque conſuta eſt, quare etiam habet, vnde aliarum ſectarum cultoribus placere queat.

Octaua, magna pertenta.

Octaua cauſa. Hæc ſecta tam diu conſeruatur & continuatur propter Imperij Turcici potentiam, quæ, vt diximus, nimis altas & profundas, quàm vt manu humana euelli poſſint, radices egit. Eſt quidem Turcicum Imperium planè tyrannicum, quia eius Princeps proprium ſaltem commodum ſpectat, nullo autem modo bonum ſubditorum curat: deinde ſubditos ſuos tractat vt ſeruos ac mancipia, quantum ad honores & poſſeſſiones bonorum temporalium, tum etiam leuiſſimis de cauſis quoſlibet, etiam optimè meritos, bonis & vita ſpoliat. Hoc tamen adeò tyrannicum Imperium tam diu conſeruatur, has puto ob cauſas. Primò quidem, ob terrorem potentiæ

tiæ bellicæ: habet enim ampliſſimum & validiſſimum equitatum, peditatum verò ex Aſianis & Europæis tantum, vt vel ipſa multitudine, etiam mortuorum, hoſtes obruat: ſed maximum eius robur conſiſtit in pluribus fortiſſimorum & fidiſſimorum Gienizzarorum legionibus. Deinde, ne vel Turcæ ipſi, vel Chriſtiani eis ſubiecti, aut, vt vocant, Renegati, qui arma & res bellicas tractant, inſurgere aduerſus Imperatorem queant, quatuor diligenter admodum obſeruat, quæ, ſecundùm Ariſtotelem in Politicis; ad tuendam diuque conſeruandam tyrannidem plurimum conducunt. Primò enim ſtudioſè agit, vt ſubditi ſui habeantur velut prorſus abiecti & viles, pauperes item & inermes, & perpetuas inter eos alit diffidentias: habet deinde plurimos exploratores, inſidiatores, & delatores, quibus magna propoſita ſunt præmia: ſufficit tertiò qualiſcumque ſuſpicio, aut etiam quæcumque de quocumque dubitationis vmbra, quin etiam vel mera calumnia valet ad delendum hominem: ſuper omnia denique curat, ne ſui ſubditi, præcipue verò quorum in bellicis functionibus vtitur operâ & miniſterio, ab vllius externæ gentis vel Principis patrocinio vel gratia vllo modo pendeant.

CAPVT LXXXVIII.

Num Mahometica ſecta, Turcicumque Imperium finem aliquando ſit habiturum.

Mahometica ſecta finitur.

AD hanc quæſtionem, quæ explicatu eſt facillima, reſpondeo hac vnica Propoſitione; Abſque dubio finienda eſt Mahometica ſecta cum Turcico Imperio: quantum quidem ad eſſe ſpirituale, lex ſiue ſuperſtitio Mahometica ita extinguetur, vt non ſit futurus qui ei adhæreat; quantum verò ad eſſe temporale, auferetur à Turcis & alijs Mahometanis omne dominium & tyrannis. In hac ſententia conueniunt non ſolùm Catholici, ſed & ipſi Turcæ & Mahometani.

Perpetuitas, Eccleſiæ ſymbolum.

Probatur ex Scriptura ſacra. Perpetuitas, diuturnaque & numquam interrupta duratio, eſt propria nota Eccleſiæ Catholicæ, vt Doctores ſacri tradunt. De ea dicitur Daniel. 6, 26. *Regnum eius non diſſipabitur.* & Angelus ad Mariam Virginem de Chriſto & Regno eius, quod in Eccleſia eſt, dixit: *Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis*, Luc. 1, 32. Quid his clarius dici poterat? Sed & ipſe Dominus diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, id indicauit in vltima cœna, diſcipulis ſuis de ſacrificio ſanctæ Eccleſiæ, id eſt, de Sanguine ſuo, ſic dicens: *Hic eſt enim Sanguis meus noui Teſtamenti*, &c. Matthæi 26, 28. Hîc notandum, Eccleſiam hæc verba adhibere in Euchariſtiæ Sacrificio, & Calicis conſecratione, additis duabus alijs vocibus, *æterni*, & *myſterium fidei*, in hunc modum: *Hic eſt enim calix Sanguinis mei noui & æterni Teſtamenti, myſterium fidei*, &c. Sed vnde hæc verba accepit Eccleſia? Reſpondetur, à Chriſto Domino dicta, & à D. Petro aliiſve Apoſtolis relata fuiſſe Catholicæ Eccleſiæ. Etenim ſi à Chriſto dicta non fuiſſent, Eccleſia verbis conſecrationis non addidiſſet, omnia enim Chriſti ſunt. *Conſecratio quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus*, quærit D. Ambroſius, & reſpondet: *Domini Ieſu. Nam per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro ceteris: vbi venitur vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti.* Et hoc ipſum poſteà in Concilio Florentino ſuper vnione Armenorum definitum fuit. Optimè itaque ſanctus Thomas 3. part. quæſt. 74. art. 3. ad 9. *Quod*, inquit, *additur, æterni, & iterùm, myſterium fidei, ex traditione Domini habetur, quæ ad Eccleſiam per Apoſtolos peruenit*, &c. Lege Innocentium cap. Cùm Marthæ. Eruditiſſimus Salmeron verbum *æterni* ait ſumptum eſſe ex Paulo ad Hebr. 13, 20. vbi Apoſtolus, *Deus*, inquit, *pacis, qui eduxit de mortuis Paſtorem magnum ouium, in Sanguine Teſtamenti æterni, Dominum noſtrum*, &c. Illa verò, *myſterium fidei*, accepta eſſe putat ex eodem Paulo 1. ad Timoth. 2, 8. vbi ſic ait: *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes; habentes myſteriũ fidei in conſcientia pura*, &c. Ego, ſi verba omnia, quibus vtitur Eccleſia in conſecratione Calicis, ſunt de eſſentia formæ conſecrationis, priorem dicendi modum magis probo: quoniã quando dicitur, Sacerdotem vti in conſecratione ſermonibus Chriſti, non ita intelligendũ eſt, quòd vtatur ſermonibus abſolutè à Chriſto Domino dictatis & inſpiratis (alioquin enim poſſemus dicere ipſum conſecrare per Epiſtolam, vel per Euangelium, vel per alia ex ſacro Canone aſſumpta verba, & à Domino inſpirata, quod falſum eſt, & tamen ita dicendum foret ſecundùm Salmeronis interpretationem) ſed intelligendum eſt, Sacerdotem conſecrare ſermonibus Ieſu, illis videlicet quibus ipſe Ieſus vſus fuit in ſua conſecratione, vt manifeſtum eſt; quoniam illa ſunt

D. Ambroſ. lib. 4. de Sacram. cap. 4.

Sacramenti forma. Sed quidquid ſit de hoc, de verborum veritate haud dubitandum eſt, ideò argumento noſtro optimè deſeruire poſſunt.

Ad propoſitum igitur accedentes, dicimus, Euchariſtiæ Sacramentum appellari Calicem *noui Teſtamenti*, & hoc nouum *æternum* eſt, quoniam vltimò datum à Chriſto, & nullum aliud illi ſuccedet, & in æternum durabit; & quia non temporalia, vt vetus, ſed æterna promittit, licet illa iſta præfigurarent. Quod dixit Paulus Hebræorum 9, 5. *Noui Teſtamenti mediator eſt*, &c. *vt repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hereditatis*, &c. & Innocentius III. c. Cùm Marthæ, de Celebrat. Miſſ. *Vetus*, inquit, *Teſtamentum, quod hircorum & vitulorum ſanguine fuit dedicatum, temporalia promittebat: nouum autem, quod eſt Chriſti Sanguine conſecratum, promittit æterna: & ideò illud fuit vetus & tranſitorium, hoc autem eſt nouum & æternum*, &c. Additque: *Vnde nouum, id eſt vltimum eſſe deſcribitur, inde æternum, id eſt perpetuum eſſe comprobatur. Nouiſſimum enim hominis teſtamentum immobile perſeuerat, quia teſtatoris obitu confirmatur, iuxta* Heb. 9, 15. *quod Apoſtolus teſtamentum in morte aſſerit confirmatum*, &c.

Synagoga cur tabernaculis, & Eccleſia monti Sion comparatur.

Hinc meritò ſecundùm quorumdam interpretationem, Synagoga comparatur tabernaculis Iacob; quoniam vt iſta fundamentum & ſtabilem permanentiam non habent, ita nec illa perpetuò durare debebat: & Eccleſia dicitur habere fundamenta in montibus ſanctis, & Sioni comparatur propter eius ſtabilitatem & æternitatem. ſic enim ait Pſalmographus: *Fundamenta eius in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*, Pſalmo 86, 1. Ad hæc, reſiquæ ſuperſtitiones hæreticorum, & infidelium omnium ſectæ, meritò comparatæ ſunt tugurijs, vel domibus quæ diluuij aquis deſtructæ fuerunt, & diu ſubſiſtere nequiuerunt; at Eccleſia Arcæ Noë, quæ aquis diluuij non ſolùm non obruta, ſed magis eleuata fuit, & non modò incolumis euaſit, ſed omnium ſalus fuit: ita Eccleſia aquis & procellis perſecutionum agitata, non ſolùm non deſijt, ſed magis ſublimata, & plurium ſalutis cauſa fuit. Quare cùm perpetuitas longaque duratio ſit propria nota Catholicæ Eccleſiæ, alteri ſectæ conuenire non poteſt, & conſequenter Mahometica perfidia & Turcicum Imperium finem aliquando accipiet. Accedit, quòd nullum violentum ſit diuturnum, vt habet vulgatum Philoſophi dictum: at violenta nimis eſt ſecta Mahometica, vtpote quæ vi & armis, non ratione propagata ſit, vt ſat conſtat, & iam anteà diximus.

Multigena inſuper, vt Sapiens ait c. 4, 3. *impiorum multitudo non erit vtilis, & ſpuria vitulamina non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt. Et ſi in ramis in tempore germinauerint, infirmiter poſita, à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur.* &, vt Chriſtus Dominus ait apud D. Matthæum cap. 15, 13. *omnis plantatio, quam non plantauit Pater cæleſtis, eradicabitur.* At quis non videt, Turcas & Mahometiſtas eſſe ſpuria vitulamina, & plantationem non à cæleſti Patre, ſed à terreſtri, carnali & diabolico impoſtore plantatam? veritas iſta amplius in ſequentibus apparebit in aliarum difficultatum, quas ſtatim ſubijciemus, explicatione.

Sed obijciet quiſpiam, ſectam hanc perditam iam diu admodum duraſſe, quippe à cuius introductione mille anni elapſi ſint, vt poſteà explicabimus; timendumque eſſe, ne porrò quoadusque homines ſunt futuri (qui proni ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua, ad quod hæc ſecta laxat habenas) qui eam amplectentur, ſit duratura. Reſpondet Doctor ſubtilis in Quæſt. 2. Prologi, 5. De ſeptimo, quòd *iſta ſecta incepit pluſquam ſexcentum annis poſt legem Chriſti, & in breui, Deo cooperante, finietur, quæ multum debilitata eſt anno Chriſti 1300. & eius cultores multi mortui, & plurimi ſunt fugati, & prophetia dicitur eſſe apud illos, quòd citò finienda eſt ſecta iſta.* Hæc ipſe. Sed quid diceret in præſentia Scotus, videns à tempore quo hæc dixit, id eſt anno 1306. vſque ad præſens 1634. elapſos fuiſſe annos 328. quo tempore non ſolùm deperditas vires recuperauit, ſed multò amplius dilatata & firmata eſt, ita vt amplitudine cetera huius mundi dominia excedere videatur? Reſponderet, hæc non obſtare, & quòd mundus antiquior ſit, & tamen de illo dixerit Dominus: *Cælum & terra tranſibunt*, &c. Matth. 23, 31. & Apoſtolorum Princeps: *Aduenier autem dies Domini vt fur: in quo cæli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur, terra autem & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur*, 2. Pet. 3, 10. & non potiùs perditiſſima hæc ſecta, abſque ſolido vulgata fundamento, ante hæc omnia interiret? ſed alia proſequamur.

CA-

CAPVT XXXIII.

De Cometis, & Nouis Stellis.

Cometæ, qui & Crinitæ Stellæ dicuntur, ex Aristotelis sententia, in Meteorologicis, ex Aëre fiunt, & ex Terra, & Aqua, & Igne. Ex Aëre quidem, quia ex Aëre fiunt Ventus, & Pluuia, quæ ex Aëre fiunt, ex Cometis fiunt. Ex Terra autem, & Aqua, quia ex Terra, & Aqua fiunt Nubes, ex quibus Cometæ fiunt. Ex Igne autem, quia ex Igne fiunt Cometæ. Ex Igne autem fiunt, quia ex Igne fiunt Stellæ, quæ Cometæ dicuntur. Stellæ autem, quæ Cometæ dicuntur, fiunt ex Igne, quia Stellæ

alij anno 613. Iſidorus Pacenſis, & S. Eulogius martyr anno Domini 617. Sed Annales Toletani anno 622. Idibus Iulij die Iouis ſtatuunt. At vertitur nunc annus reſtituti mundi 1604. Tu nunc numera Lector, (nam facilè potes) quot anni ſuperſint ſectæ Mahometicæ. Ceterùm in his certum quidpiam dicere ac ſtabilire velle, amentis temeritatis eſſe putamus. Hactenus ipſe.

Tertia ratio. Tertiò aliorum auctoritate ſuam roborat ſententiam, immediate præmiſſis ſubdens: *Porrò vt ad inſtitutum reuertamur, haud ſine bonis Auctoribus opinamur, Chriſtianos iterùm recepturos Terram ſanctam, & illam poſſeſſuros, ibiq; habitaturos antequam Antichriſtus adueniat: nam iſtud diſertè adſtruunt Nicolaus Lyranus, & Pintus in 38. Ezech. & alij præſtantes Ezechielis Interpretes.*

Et quoniam nouit Maluenda (vt iam diximus) S. Vincentium oppoſitam ſententiam ſecutum eſſe, ne ab ea diſcedere videatur, priorem per poſteriorem mitigauit. *S. Vincentij Ferrerij ſententia.* Sic enim ſubiungit: *Scimus quidem huic ſententiæ refragatum ſanctiſſimum & Apoſtolicum virum S. Vincentium Ferrerium Epiſt. ad Benedictum XIII. at pace tanti Patris quàm humillimè rogata, cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſoluere, rationibus adductis, coacti ſumus ab eo diſſentire: ſed malumus ab illis, quantumuis in ſpeciem probabilibus, diſcedere, quàm noſtram ſententiam doctrinæ Apoſtolici Concionatoris præferre, dummodò illud, propter verba Ezechielis (quæ mox adducemus) obtineamus, Chriſtianos, quantumuis non dominos terræ, at vtcumque plurimos in Iudæa habitaturos, cùm venit Antichriſtus, in quos aptiſſimè verba Ezechielis competere, iam incipiamus oſtendere.* Hæc Maluenda. Atque ex his patet, quid ad tres propoſitas quæſtiones reſpondendum ſit ſecundùm iſtum Auctorem.

Quarta ratio. Quartò denique ſententia iſta probatur ex Ezechiele cap. 38, 8. vbi ſequentia de Gog & Magog leguntur: *In nouiſſimo annorum venies*, Gog ſcilicet, *ad terram, quæ reuerſa eſt à gladio, & congregata eſt de populis multis ad montes Iſraël, qui fuerunt deſerti iugiter. Hæc de populis educta eſt, & habitabunt in ea confidenter vniuerſi.* & verſ. 11. *Et dices: Aſcendam ad terram abſque muro, veniam ad quieſcentes, habitantesq; ſecurè: hi omnes habitant ſine muro, vectes & portæ non ſunt eis: vt diripias ſpolia, & inuadas prædam, vt inferas manum tuam ſuper eos qui deſerti fuerant, & poſteà reſtituti, & ſuper populum, qui eſt congregatus ex Gentibus, qui poſſidere cæpit, & eſſe habitator vmbilici terræ.* & verſu 15. *Et venies de loco tuo à lateribus Aquilonis tu, & populi multi tecum, aſcenſores equorum vniuerſi, cætus magnus, & exercitus vehemens. Et aſcendes ſuper populum meum Iſraël quaſi nubes, vt operias terram.* Quæ verba ſic ad tuum intentum explicat & accommodat: Ieruſalem & Terram ſanctam appellatam ab Ezechiele, primò *terram reuerſam à gladio*, quia nulla terra pluries bello & gladio impetita, nulla maioribus calamitatibus oppreſſa vmquam fuit, quàm Iudæa. Repete mente Aſſyriacas, Chaldaicas, Veſpaſianas, Hadrianas, Turcicas & Saracenicas clades, & fidem habebis. Non multis autem ante Antichriſtum temporibus, pauliſper à gladio reuerti, hoc eſt à bellis conquieſcere videbitur, cùm nimirum eam Chriſtiani inhabitabunt. Deinde vocat *congregatam de populis multis*, quia in eam ex omni natione quæ ſub cælo eſt, congregabuntur Chriſtiani. Quam & noſtro tempore, & proximè ſuperioribus ſæculis, variarum gentium populos incoluiſſe, oſtendit ex Brocardo, & nos ſuprà opportuno loco indicauimus.

Tertiò, Propheta *Montes Iſraël* vocat *deſertos iugiter*, quia varijs olim temporibus, & hac etiam noſtra ætate inculti & inhabitati permanſerunt. Sequitur: Habitabunt autem Chriſtiani, antequam prodeat in mundum Antichriſtus, in vibibus Terræ ſanctæ *ſine muro*, &c. id eſt tutò, quietè, ſecurè, nihil metuentes aut formidâtes, &c. Populus denique *habitator vmbilici terræ*, id eſt, populus Chriſtianus, qui Ieruſalem & Iudæam incolet. Et per *vmbilicum terræ* eſſe intelligendam Ieroſolymam, oſtendit tum ſacræ Scripturæ, tum Doctorum auctoritate; & nos idem alibi aſſerimus & explicamus. Chriſtianis verò paulò ante aduentum Antichriſti in Terra ſancta ſecurè & in pace degentibus, irrumpet Antichriſtus ex Babylonia cum validiſſimo exercitu Gog & Magog, & grauiſſimam aduerſus incolas illos Chriſtianos excitabit perſecutionem, & ea faciet quæ Doctores & ſacræ Litteræ docent.

Sicque patet, quænam ſit Maluendæ ad propoſitas difficultates reſponſio, & quæ ſint eiuſdem fundamenta, quæ ipſiuſmet propemodum verbis retulimus (quia fideliùs, quàm ſic, non potuimus) & integro ſemper eius ſenſu retento, paucis tantummodò additis vel ablatis, maioris claritatis & breuitatis gratia.

CA-

CAPUT XL.

De Mensuris Graecis, quae ad Res Rusticas pertinent.

Mensurae Graecae, quae ad Res Rusticas pertinent, sunt Pletrum, Stadium, Schoenus, Parasanga, Orgyia, Cubitus, Palmus, Dodrans, Dichas, Spithame, Pygme, Ulna, Digitus, Diastema, Passus, Ambitus, Clima, Actus, Jugerum, Modius, Amphora, Culeus, Metretes, Cotyla, Sextarius, Cyathus, Acetabulum, Ligula, Trulla, Cochlear, Conchula, Mystrum, Ligula, Trulla, Cochlear, Conchula, Mystrum, Ligula, Trulla, Cochlear, Conchula, Mystrum.

Pletrum est centum pedum. Stadium sexcentorum pedum. Schoenus sexaginta stadiorum. Parasanga triginta stadiorum. Orgyia sex pedum. Cubitus pedes duo. Palmus quatuor digitorum. Dodrans tres palmi. Dichas duo palmi. Spithame palmus et dimidium. Pygme palmus. Ulna duo cubiti. Digitus pars sexta palmi. Diastema quatuor digitorum. Passus quinque pedum. Ambitus centum viginti pedum. Clima centum pedum. Actus centum viginti pedum. Jugerum duo actus. Modius sex sextariorum. Amphora quadraginta sextariorum. Culeus viginti amphorarum. Metretes duodecim sextariorum. Cotyla duo sextarii. Sextarius duodecim cyathorum. Cyathus quatuor acetabulorum. Acetabulum duae ligulae. Ligula duae trullae. Trulla duo cochlearia. Cochlear duae conchulae. Conchula duo mystra. Mystr

vera prædicere potuisse; non tamen proinde debeo, nec teneor eis assensum præbere, quia non perinde, vt illa, à Scriptura sacra & Ecclesia auctoritatem & firmitatem habent: quin potiùs, spiritum mendacem in illius ore fuisse, credere debeo, dum illius infamem vitã, & euentus planè contrarios considero. Et sanè miror, quomodo Maluenda nebulonis & perditissimi impostoris falsum vaticinium in confirmationem suæ sententiæ adducat, cùm alioquin virorum fidelium & spiritu prophetiæ in Ecclesia Dei celebratorum, vaticinia, velut apocrypha & sine fundamento prolata, despectui habeat.

Præterea, si circa prætatum tempus Turcæ eijciendi erant de Terra sancta, extinctâ sectâ Mahometicâ, quare non magis assentit docto, pio, Catholicoque viro R. P. Riberæ in cap. 20. Apocal. num. 68. (quem ipse quidem Maluenda adducit, at reijcit) asserenti, Iudæos ex omnibus mundi regionibus congregandos, reuersurosque in solum patrium, vrbemque Ierusalem & templum instauraturos Antichristi tempore, ipsumque pro Messia recepturos, conuertendos posteà ad Christum per Enoch & Eliam, contra quos, Christianos iam factos, Antichristus rabiem suam sit effusurus?

Denique, tantò magis reijcere debebat Mahometicum vaticinium Maluenda, quoniam suo tempore, quando de his scribebat, iam elapsi erant mille illi anni Mahometici pseudouaticinij, & necdum effectus illud fuisse impletum monstrauerat: nam vt modò, ita & tunc in suo vigore persistebat secta Mahometis, absque aliquo illius defectionis indicio. Et hoc tripliciter probo. Primò ex ipso Maluenda & ratione. Quando hic Auctor de his scribebat, quemadmodum ipse ait, vertebatur annus solaris, secundùm quem nos computamus (qui longior est lunari quo vtuntur Mahometani) restituti mundi millesimus sexcentesimus quartus prout nunc, dum hæc scribo, millesimus sexcentesimus trigesimus quartus) & apud Mahometistas millesimus trigesimus sextus. Factâ igitur supputatione, vt nos ad finem Capitis faciemus, manifestè deducetur, anno millesimo sexcentesimo quarto expirasse iam mille annos lunares apud Turcas, præsertim secundùm Maluendam, qui adhæret illi sententiæ, quæ asserit, Mahometem natum anno salutis quingentesimo octogesimo, vt ipse indicat lib. 2. cap. 5. & nos notauimus suprà Cap. LXXVIII. & tamen Terra sancta tunc non erat in potestate Christianorũ, nec ipsi tuti & securi, secundùm modum indicatum à Maluenda, in ea habitabant, nec vsque hodie Antichristi imperio subacta est, sed Turcæ, cuius Imperiũ adhuc viget, & aduersus Christianos admodum insolescit, vt experientiâ edocemur. Secundò, idem fere sentit Doctor Franciscus Nauarrus Hispanus Scriptor, quem Capite sequenti adducemus. Tertiò, Mahometistæ ipsi fatentur, anno Domini millesimo sexcentesimo quarto, suæ sectæ elapsos fuisse apud ipsos mille annos. Cùm illis obiectum fuisset, iam debuisse eorum sectam finem accepisse, iuxta prædictionem Mahometis, quidam inter ipsos doctior habitus, respondit, illam prædictionem non magni fieri à pentioribus suæ legis, nec solidum habere fundamentum. Alij, qui credunt esse veram prophetiam, eiusmodi fabella à mendacio suum impostorem liberant. Cùm Mahometes, inquiunt, morti proximus à suis afflectis stiparetur, illique de duratione sectæ eius scisciterentur, incepit quidem responsionem, sed non absoluit. Dixisse aiunt, duraturam *elph*, id est *mille* annis, sed voluisse dicere *elphim*, id est *bis mille* annis, in medio scilicet dictionis exstasi præpeditum, & extra se factum, siluisse, nec absoluisse prædictionem. Atque secundùm istos hoc Mahometis vaticinium portendit, duraturam Mahometicam sectam bis mille annis.

Dum essem Alepi, quæ præcipua Syriæ est ciuitas, de hocce Mahometis vaticinio interrogaui senem quemdam, inter Turcas valdè religiosum, & si quis alius in Turcico Imperio, legis suæ perdoctũ, vt à fide dignis accepi, qui historiam vel fabellam illam retulit & explicauit in hunc modum. Cùm Mahometes in extremis positus esset, à suis affectis, eius transitum expectantibus, interrogatus fuit, quanto tempore post mortem corpus illius sub terra delitescere deberet; respondit ille, *Diem vnum*, intelligendo non de commun & vsuali die, sed de die Domini, qui est vnius anni. Admirati illi, quòd tanto tempore corpus eius humo sepultum manere deberet, suspicari an esset extra se raptus, iterùm eumdem eadem de re consuluerunt: quibus digito, vt tacerent, innuit. Verùm hi non acquiescentes, tertiò interrogauerunt. Quorum importunitati indignabundus respondit: *Mille, mille, mille, si legem meam obseruabitis.* Ex cuius responsione colligunt aliqui ex Mahometistis, à morte Mahometis vsque ad sæculi consummationem ter mille annos futuros; quoniam mundus hic tum apud eos finem habiturus putatur, quando corpus Mahometis manifestabitur. Quare, secundùm istos Mahometanos, vaticiniũ Mahometis intelligitur specialiter de mundi duratione.

Addidit

Addidit tamen Turca ille, hoc incertum eſſe, nec omnes in eo conuenire. Sed quidquid de his ſit, hoc certiſſimum, vt Mahometes mentitus fuit, & alios decepit, ita & iſtos mentiri, & ſemetipſos & alios decipere. Arbitror ego, huiuſcemodi Mahometiſtarum vaticinia eſſe diabolica inuenta, & per ea diabolum voluiſſe decipere Chriſti fideles, ne contra Turcas & Mahometem armis decertare auderent, atque hoc pacto magis ſua in terris tyrannis, & impiorum dominatus dilataretur & firmaretur, Chriſti verò Regnum minueretur. Futurum enim putauit, vt Chriſtiani, vaticinio hoc decepti, & breui vel ſaltem mille poſt annos Mahometicam ſectam finem habituram credentes, falſoque exiſtimantes, velle Deum, abſque ipſorum opera vltrò illis Terram ſanctam, & vniuerſam Turcicam regionem poſſidendam concedere, illo interim tempore deſides domi reſiderent, nec de locorum ſacrorum recuperatione cogitarent, atque ea occaſione liberiùs & latius impietas iſta diſſeminaretur: in quo haud omnino ſpe ſua fruſtratus eſt malignus, cum tanta hactenus fuerit Chriſtianorum ignauitas, tantùs torpor, tanta negligentia & ſocordia, vt ſomnijs, delirijs & mendacijs fidem adhibentes, vſque adeò illos creſcere permiſerint, & exterminare neglexerint. Conſidera quæ retulit * Cornelius à Lapide.

Diaboli fraus.

Cornel. à Lapide in Apoc. c. 20. ad ℣. 4. & 5.

Ad tertiam iam rationem quid dicendum ſit, patet. Auctores quidem alij ſuam propoſuerunt ſententiam, eam tamen ſequi non cogimur, præſertim ſi alia obſtent. Si enim ex cauſa licet diſcedere à ſententia Eccleſiaſticorum ſupremi ordinis Doctorum, multò magis, eadem cauſa exiſtente, recedere licitum eſt ab alijs inferioris ordinis. Maximus ſiquidem Doctor S. Hieronymus Epiſt. 19. ad Auguſtinum ait: *Mi frater, non te arbitror ſic legi tuos libros velle, tamquam Prophetarum vel Apoſtolorum, de quorum ſcriptis, quòd omni errore careant, dubitari nefas eſt.* Et ſimilis Hieronymo litterarum Pater Auguſtinus lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 23. de ſe ipſo dicit: *Neminem vellem ſic amplecti omnia mea, vt me ſequatur, niſi in ijs, in quibus me non erraſſe perſpexerim: nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, vt ne me meipſum in omnibus ſecutum fuiſſe demonſtrarem.* Et ſcimus, hos eximios Doctores, & alios eiſdem ſimiles, abſque noxa diuerſas & contrarias circa idem argumentum habuiſſe ſententias. Ideò nec ego culpandus ero, ſi, cauſa exiſtente, relinquam inferioris ordinis Doctorum ſententiam, Lyrani nimirum, Pinti, & ſimilium.

Reſponſio ad tertiam.

Recedendi in cauſa à Doctorum ſententia.

Ad quartam rationem, quæ maiorem videtur difficultatẽ habere, dicimus, quòd, cum Ezechielis Prophetia obſcura ſit, nec eius germanus ſenſus, abſque ſpeciali Spiritus ſancti illuſtratione, ante eius complementum certò haberi poſſit, varias admittat interpretationes, quemadmodum accidit in aliorum difficilium ſacræ Scripturæ locorum explicatione. Quare vt à Lyrano, Hectore Pinto, Maluenda, & alijs, fuit in fauorem ſententiæ eiuſdem Maluendæ expoſita, ita non dubitamus, alios attuliſſe, & allaturos eſſe diuerſam quidem, fortè tamen magis congruam verborum Prophetæ interpretationem, quamuis Maluendæ non ſuffragantem: qualem arbitramur eſſe, quam hìc ſubijcimus.

Ad quartam.

Dicimus ergo, dato quòd Vates ibi loquatur de Antichriſto & exercitibus eius, quibus oppugnabit & expugnabit Terram ſanctam, hancque intelligendam cum Maluenda & alijs per *terram reuerſam à gladio*, & de multis populis congregatam; & per *vmbilicum terræ*, Ieroſolymam; in reliquorum tamen applicatione illi non omnino ſuffragamur. Et licet ipſe per habitatores Ieroſolymæ & Terræ ſanctæ, intelligat Chriſtianos tantùm, nos tamen non ſolùm Chriſtianos, ſed & ipſos Turcas, aliosque infideles intelligimus, qui tutò & confidenter dicuntur in ea habitaturi, non quòd nullum prorſus ſint habituri timorem, ſed quòd nullum de Antichriſto, de quo ibi loquitur Propheta: de ipſo enim, vel de alio quouis oppugnatore, non timebunt vel cogitabunt; accidetque illis *ſicut factum eſt in diebus Noë. Edebant, & bibebant: vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vſque in diem, qua intrauit Noë in arcam; & venit diluuium, & perdidit omnes. Similiter ſicut factum eſt in diebus Lot: edebant, & bibebant: emebant, & vendebant: plantabant, & ædificabant: qua die autem exijt Lot à Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cælo, & omnes perdidit*, Luc. 17, 26. Perinde enim euenturum arbitramur tunc Terram ſanctam inhabitantibus, Chriſtianis & non Chriſtianis, quando veniet Antichriſtus.

Vel etiam dicatur, Chriſtianos Ieroſolymis habituros tutò & ſine timore ab infidelibus; quoniam inter illos commixti, imitatores operum ipſorum erunt: quoniam tunc abundabit iniquitas in malis quibuſcumque, & horum exemplo in bonis refrigeſcet charitas; & ideò ab illis non multùm vexabuntur Chriſtiani. Verùm ob horum & illorum ſcelera indignatus Deus, effundet in omnes iram furoris ſui, mittendo Antichriſtum cum exercitibus ſuis Gog & Magog, quemadmodum verſu 18. & 19. citati

ex

ex Ezechiele capitis 38. videre eſt. Et profectò, ſi ad timorem, à quo tunc liberandos docet Propheta habitatores Ieruſalem (& per hos intelligamus Chriſtianos) reſpiciamus, minorem iſti concipient, ſi Terra ſancta Turcis pareat, & non à Chriſtianis poſſideatur, niſi ſint ſimul etiam domini totius Imperij Turcici; quoniam alioqui ſemper de recuperatione contenderent Turcæ, & nullum non lapidem mouerent, vt ſuæ iterùm eam poteſtati ſubijcerent: atque tum in perpetuo timore viuerent Chriſtiani, veriti, ne Turcarum armis oppreſſi, priſtinam ſeruitutẽ ſeruire cogantur: quemadmodum ex hiſtorijs accidiſſe nouimus, quando ſub Godefrido à Chriſtianis capta, inſeſſa, & non multò pòſt ignominiosè deperdita, & à Mahometanis recuperata fuit Terra ſancta. At quæ ſpes, tam breui tempore vaſtiſſimum illud Turcicum Imperium, & numeroſiſſimam Mahometanorum gentem poſſe expugnari, & ſubijci vel iugo Chriſti, vel Chriſtianorum Principum, quos, heu! magno cum Chriſtiani nominis dedecore adeò diſſentire, & contra ſe mutuò bella acerbiſſima gerere conſpicimus. Vtinam verò Imperium iſtud coërceatur & comprimatur, ne ampliora in poſterum incrementa capiat! Suo igitur aliquando tempore, quod ſoli Patri cæleſti, & quibus ille reuelauit, eſt cognitum, Antichriſtus cum ſuis exercitibus Terræ ſanctæ incolas, omnis mali ſecuros, inuadet & expugnabit.

Obiectionis ſolutio. Quòd verò ſuprà Cap. LXXVII. dixerim, Antichriſtum oriundum eſſe ex Mahometiſtis, non impedit quò minùs eiſdem bellum illaturus ſit, regnandi libidine ſuccenſus, quemadmodum eodem Capite notauimus. Et nónne hac via Turcicum Imperium dilatatum eſt, dum Ottomanus Saladinum, qui Terram ſanctam occupauerat, deuicit, adeoque Ægyptiacum Imperium Ottomanico & Conſtantinopolitano vnitum fuit? Et nónne vel hodie Turcæ & Mahometani ſemetipſos acriter oppugnant? Numquid qui anno 1626. Ieroſolymis rerum potiebatur, vel, vt meliùs dicam, oppreſſorem & expilatorem agebat, eis, qui nomine Imperatoris Conſtantinopolitani à regimine eum remouere volebant, vi armata ſe oppoſuit?

Sed mirari deſine, quòd dixerim, perditiſſimum & diabolicum iſtum Antichriſtum regnandi causâ bellum illaturum eſſe ipſis Mahometanis, è quibus genus & originem ſuam eſt habiturus, cùm quotidiana nos experientia doceat, etiam nonnullos Chriſtianos & fideles Principes, qui pietatem profitentur, & quibus lex pacis & dilectionis commendata eſt, eadem regnandi imperandique libidine impulſos, imò etiam haud ratò vt conceptũ leui de cauſa in alios odium exerant, non cognationis, non conſanguinitatis, non affinitatis, nõ fidei & Religionis, cuius intuitu fratres ſunt & filij Dei, rationem habentes, imò cum animarum ſuarum damno, diuini honoris contemptu, & propriæ ſalutis periculo, implacabiles aduerſus alios lites fouere, & bella crudeliſſima gerere, non ſine ſanguinis innoxij profuſione; fidei, rationi, Religioni & Euangelio præponentes impium illud Ethnicorum ſcitum, *Si ius violandum eſt, regnandi causâ violandum eſt*; & quod peius eſt, effrenem dominandi libidinem, ſecundùm politicorum leges pallio religionis, ſed mentitæ, operire.

Sed, quod ſupereſt vt Caput hoc finiatur, reliqua Ezechielis explicanda ſunt. Expugnatis igitur tam qui ſe ei opponent, quàm qui ſe vltrò tradent, auferet quæ inueniet ſpolia, inferetq; manum ſuam ſuper eos qui deſerti fuerint, & poſteà reſtituti. An fortè hi Iudæi ſunt, deſerti, inuiſi & exoſi, tunc verò temporis ad amicitiam eius admittendi? *Et ſuper populum, qui eſt congregatus ex Gentibus*, id eſt populum Chriſtianum, qui pro maiori parte ex Gentibus coadunatus eſt, & ex pluribus nationibus coaluit, vt propterea Iudæi Chriſtianos *Goim*, id eſt, Gentiles appellent. *Qui poſsidere cæpit, & eſſe habitator vmbilici terræ*; quia verè cepit aliquando gens Chriſtiana Ieroſolymam, illamque inhabitauit, quamuis poſt non multum temporis illam amiſerit, vt rectè proinde Propheta eam non abſolutè dominum & habitatorem appellauerit, ſed *qui poſsidere cæpit*, &c.

Id denique quod in extremis verbis ait, *Et aſcendes ſuper populum meum Iſraël quaſi nubes, vt operias terram*, videtur intelligendum de veris Iſraëlitis, id eſt fidelibus, congregatis tam ex Gentilibus quàm ex Iudæis; hi enim demum ſunt veri Iſraëlitæ ſecundùm mentem Scripturæ, in quos, quoniam partibus Antichriſti non adhærebunt, illius furor & perſecutio magis deſæuiet.

Et ex his iam apparet, quid roboris habeant rationes Maluendæ pro ſua opinione adductæ.

Reſtat nunc, vt quod in reſponſione ad ſecundum Maluendæ argumentum promiſimus, comprobemus, anno nimirum Domini milleſimo ſexcenteſimo quarto elapſos fuiſſe mille annos lunares Mahometicæ ſectæ, ac proinde ſecundùm opinionem eiuſdem Maluendæ, & Mahometanorum vaticinia, illorum ſectam tunc finem *Supputatio annorum durationis Mahometis & eius ſectæ.*

nem habere debuiſſe. Ex quo etiam apparebit, quot elapſi ſint anni ſolares vel lunares, ab ortu, fuga, vel interitu Mahometis, vſque ad annum Domini 1604. quando ſcribebat Maluenda, vel vſque ad annum 1634. in quo nos ſcribimus. Hæc vt ritè explicentur, tria priùs ſunt adnotanda.

Primum, millenarium illum vaticinij Mahometis, ſiue tempus à quo Mahometani ſuum computum incipiunt, capi poſſe vel à Mahometis ortu, vel ab eius fuga & ſectæ promulgatione, vel à morte eiuſdem. Vnde verò præcisè incipiendum ſit, dubium eſt, cùm quidam arbitrentur inchoandum eſſe ab ortu, qui interitu nobilior eſt; alij à legis promulgatione, quando videlicet ſe nuntium à Deo miſſum credi voluit; ab illius denique interitu alij. Nos, vt omnibus ſatisfiat, computum inſtituemus ex omnibus iſtis tribus capitibus, atque inde noſtrâ ſententiam ſtabiliemus, pro vberiori rei intellectu, ab ortu, fuga & morte Mahometis incipientes.

De ortu Mahometis ſtatuendo. Ex dictis ergo ſuprà Cap. LXXVIII. de ortu Mahometis tres deprehenduntur opiniones. Prima eſt Roderici Archiepiſcopi Toletani (quam ſequitur Maluenda) dicentis, Mahometem natum fuiſſe anno Domini 580. Secunda eſt Genebrardi, aſſerentis, in lucem prodijſſe anno ſalutis noſtræ 592. Tertia eſt Palmerij, qui ortum fuiſſe Mahometem anno 597. arbitratur.

De promulgatione Mahometicæ ſectæ. De promulgatione verò Mahometicæ ſectæ ſunt ſimiliter tres opiniones. Prima eſt Martini Poloni, dicentis, Mahometem legem ſuam promulgaſſe anno Chriſti 612. Secunda Genebrardi, qui ait eam euulgaſſe anno 621. Tertia Palmerij, aſſerentis, principium dediſſe Mahometem ſuæ legi anno 623.

De obitu. Sed quid de obitu Mahometis dicendum eſt? Reſpondeo, quatuor eſſe opiniones. Prima Palmerij, dicentis, illum è viuis deceſſiſſe anno Domini 627. Secunda Maſſei, aſſerentis eum obijſſe anno 628. Tertia Cedreni, qui vult eum in viuis eſſe deſijſſe anno 630. Quarta denique Genebrardi, aſſerentis, impium iſtum impoſtorem nefarium ſuum ſpiritum exhalaſſe anno ſalutis noſtræ 631.

Catholici ſolari, Mahometiſtæ lunari anno vtuntur. Secundum notandum hoc eſt, nos Catholicos Latinos non vti eodem anno quo Mahometiſtæ: nos enim ſolari metimur, iſti lunari vtuntur, vt omnibus compertum eſt. Tam ſolaris quàm lunaris annus conſtat quidem duodecim menſibus, ſed cum hoc diſcriminè, quòd menſes ſolaris anni inæquales ſint, &, vno dempto, longiores menſibus anni lunaris: etenim ſeptem menſes conſtant triginta & vno diebus, quatuor 30. & vnus, id eſt Februarius, viginti octo diebus; ſed menſes lunaris anni æquales ſunt, ſinguli nimirum viginti nouem dierum, qui & Lunæ appellatione à Turcis inſigniuntur.

Tertium eſt, ante reformationem Kalendarij, quæ facta fuit ſub Gregorio XIII. Pont. max. anno Domini 1582. annum ſolarem habuiſſe dies 375. Cùm enim, teſte Cardinali Baronio in Notis ad Romanum Martyrologium, tum decem dies ab anno ablati fuerint, adeò vt poſteà, & modò, annus contineat dies 365. euidens eſt anteà habuiſſe 375. annum verò lunarem, cùm conſtet duodecim lunis, & cuique lunæ aſſignentur communiter dies 29. habuiſſe & habere dies 348. Atque ita ante reformationem ſinguli anni ſolares lunares ſuperabant 27. diebus, poſt reformationem verò, excedit annus ſolaris Lunarem 17. diebus tantùm, propter factam decem dierum ablationem, vt dictum eſt. Ex quibus euidenter deducitur, annum ſolarem ſemper ante & poſt reformationem notabiliter excedere annum lunarem, ac proinde ex pluribus annis ſolaribus longè plures lunares deduci.

His ſic conſtitutis, arithmeticè oſtendo, anno Domini 1604. quando Maluenda ſcribebat, exſpiraſſe millenarium Mahometici vaticinij, loquendo de millenario annorum lunarium, de quibus illud abſque dubitatione eſt intelligendum, ſiue illius exordium accipiatur ab ortu Mahometis, ſiue à legis eiuſdem promulgatione, ſiue ab illius obitu; adeoque ſecundùm quamcumque ex indicatis opinionibus ſententiam, ſiue de ortu, fuga, vel morte Mahometis loquantur.

Supputatio annorum ab ortu Mahometis. Et computum quidem incipiendo ab ortu Mahometis, & ſequendo adductam Roderici opinionem (quam ceteris præfert Maluenda) oſtendo, anno Chriſti 1604. iam fuiſſe elapſos mille annos lunares, imò & ſolares, in hunc modum. Ab anno 580. vſque ad annum reformationis 1582. ſunt anni ſolares 1002. & additis 22. annis ab anno reformationis vſque ad annum 1604. conficitur ſumma annorum ſolarium 1024. lunarium verò 1102. & menſium 10. Etenim dies ſolares ſemper eodem modo ponuntur in menſe, & ſic enumerari poſſunt; non perinde dies lunares, qui enumerantur ſecundùm lunæ renouationem. Ab anno itaque 580. vſque ad 1582. quo facta fuit reformatio, excurrunt anni ſolares 1002. lunares verò, propter 27. ſupernumerarios cuique anno ſolari dies, qui ſi dicantur eſſe

29. die-

29. dierum conſtituerint menſes 1002. è quibus prouenirent 83. anni & ſex menſes; at detractis duobus diebus pro ſingulo menſe, peruenientibus ad 2004. conficientibus annos 5. menſes 9. dies 3. enumerantur ſolùm anni 77. menſes 8. dies 26. his additis ad 1002. ſunt anni 179. menſes 8. dies 26. Superaddantur modò ab anno reformationis vſque ad annum 1604. quo Maluenda ſcribebat, 22. ſolares, conſtituentes annos lunares 23. menſem 1. dies 3. propter 17. dies ſupernumerarios ſingulo anno ſolari, & ſex dies multiplicatos in annis biſſextilibus, enumerabuntur ab anno 580. vſque ad 1604. anni ſolares 1024. & lunares 1102. menſes 10. Atque ita ſecundùm primam opinionem de ortu Mahometis ab eo vſque ad annum 1604. excurrunt anni non modò lunares, ſed etiam ſolares plus quàm mille.

Iuxta ſecundam opinionem ſunt anni ſolares 1012. lunares verò 1089. menſes 10. dies 24.

Secundùm tertiam ſunt anni ſolares 1007. lunares 1084. menſes 6. dies 5.

Supputatio à Legis promulgatione.

Loquendo de tempore quo Mahometes legem promulgauit, ſecundùm primam opinionem, ab anno inquam Domini 612. vſque ad 1604. ſunt anni ſolares 992. lunares 1068. menſes 4. dies 7.

Iuxta verò ſecundam opinionem, ab anno videlicet Domini 621. vſque ad 1604. ſunt anni ſolares 983. lunares verò 1058. menſes 7. dies 24.

Secundùm tertiam opinionem, ab anno videlicet Domini 623. vſque ad 1604. decurrunt anni ſolares 981. lunares 1056. menſes 6.

Supputatio à morte.

Sermonem faciendo de tempore quo mortuus eſt Mahometes, ſecundùm primam opinionem, ab anno inquam Domini 627. vſque ad 1604. ſunt anni ſolares 977. lunares 1052. menſes 2. & dies 7.

Iuxta verò ſecundam ſunt ab anno Domini 628. vſque ad 1604. anni ſolares 976. lunares 1051. menſis 1. dies 9.

Secundùm tertiam ſunt ab anno 630. vſque ad 1604. anni ſolares 974. lunares 1049. dies 18.

Denique ſecundùm quartam opinionem, ab anno inquam Domini 631. vſq; ad 1604. ſunt anni ſolares 973. lunares 1047. menſes 11. dies 20. Ex præmiſſis liquidò colligitur, ſecundùm omnes tres opiniones, ſiue verba fiant de ortu, ſiue de fuga, ſiue de interitu Mahometis, anno 1604. iam abundanter expletum fuiſſe millenarium annorum lunarium.

Ab anno verò Domini 631. ſecundùm quartam opinionem de morte Mahometis vſque ad annum 1634. ſunt anni ſolares 1003. lunares verò 1079. menſes 5. dies 14. atque ita, ſi Mahometicum vaticinium de annis ſolaribus intelligendum eſſet (quod non credo) & veritatem haberet, Mahometica ſecta anno iam 1631. extingui debuiſſet.

Propoſitis nunc ex alijs addo hîc duo, quæ à ſapientioribus Turcarum audiui. Alterum eſt, Mahometanos ſuum incipere annum à morte Mahometis, & nunc currente apud nos anno 1634. excurrere apud illos annum 1044. Itaque ex dictis fateri oportet, Mahometem diem vltimum clauſiſſe anno Chriſti 662. vel 664. quod ſi verum eſt, non multùm à veritate receſſit Annius Viterbienſis Cap. LXXVI I. relatus, dum aſſeruit Mahometem è viuis deceſſiſſe anno Domini 666. Alterum hîc obſeruandũ eſt, alios ſentire, Mahometanos ſuum incipere millenarium à fuga Mahometis, hoc eſt, ab exitu illius à Mecha ciuitate, & aduentu ad Medinam, quando Prophetam Dei ſe iactauit, & legem ſuam promulgauit: quando enim inde abijt, annum agebat quadrageſimum, quando vltimum diem clauſit, ſexaginta ſex annos & 6. menſes expleuerat. Quòd ſi hoc verum, falſum erit quod ſuprà retulimus ex Pererio, Mahometem quadraginta annos non exceſſiſſe. Ac præterea ſi hoc verum, non longè à veritate recederet Maluendæ ratiocinatio, etſi ſomnium credam Mahometis vaticinium. Arbitror probabiliter, millenarium Mahometis incipiendum eſſe à legis Mahometicæ promulgatione; ſed millenarium de quo in vaticinio, ab illius morte.

CAPVT XCI.

Altera ad eaſdem difficultates ex Doctore Franciſco Nauarro reſponſio:

POſtquam quæ hactenus dicta ſunt ſcripſiſſem, & quæ ego ad illas difficultates reſpondenda cenſerem (poſteà ſubijcienda) excogitaſſem, peruenit ad manus meas libellus compoſitus à Doctore Franciſco Nauarro Valentiano, lingua Hiſpanica conſcriptus, cuius titulus eſt, *Diſcurſo ſobre la coniuncion maxima, que fue en Deziembre del año* 1603. &c. in quo Auctor curioſè & ſubtiliter plura de eadem re diſſerit, ſuam ponens ſententiam, quam roborat Aſtrologorum & Eccleſiaſticorum Doctorum auctoritate; quam nos compendiosè, prout materiæ quam tractamus deſeruit, præſenti Capite ſubijciemus, tribus verò ſequentibus diſcutiemũs & examinabimus; non enim Lectori iniucunda erunt.

Circa

Digitized by Google

Sententia Nauarri primum membrum.

Circa id quod priore loco propoſitum eſt, poſſumus huius Scriptoris ſententiam ad quinque articulos reducere. Primus ſit: Mahometica ſecta, cum ſuis ſectatoribus, & ſingulariter Turcicum Imperium, in ſpiritualibus & temporalibus finem habebit intra ſpatium annorum 251. tot enim dumtaxat illi ſuperſunt. Quando verò hæc ſcribebat Doctor Nauarrus, vertebatur annus noſtræ ſalutis 1604. quare ſecundùm iſtum anno 1855. vel circiter, quoad tam ſpiritualia quam temporalia (hæc enim duo ritè in Mahometica ſecta & Imperio Turcico Auctor ille conſiderat) ceſſabit & finem habebit perdita iſta ſuperſtitio. Ita in ſuo illo Diſcurſu §. 4. in initio, & pergit illam probare duplici medio, Primò naturali & aſtrologico, ex ſignis nimirum cæleſtibus, aſtrorum coniunctionibus, & ſingulariter ex coniunctione maxima; ex his enim arbitratur huiuſmodi Mahometiſmi defectionem non ineuidenter coniectari: atque in medium producit varios euentus, qui ſub eiuſmodi coniunctionibus anteà acciderunt, è quibus defectionem illam portendi, & intentum ſuum perſuaderi, Auctor arbitratur.

Probat Aſtrologicis rationi.

Maurorum prædictiones de proxima Mahometica ſubuerſione.

Secundò idem probare contendit auctoritate profanorum & Eccleſiaſticorum Scriptorum. E profanis quidem, quia apud Mauros antiqua habetur prophetia, ſuam ſectam citò eſſe finiendam, quemadmodum Scotus refert in 1. Sentent. & nos ſuperiùs retulimus Cap. LXXXVIII. Ad hæc, quando à Chriſtianis capta fuit ciuitas Damiata, ad illorum manus peruenit liber Arabicè conſcriptus, in quo lecta fuit prophetia Mahometani cuiuſdam pſeudo-vatis, quæ aſſerebat, magnum quemdam Regem Chriſtianum venturum, qui Mecham ciuitatem deſtruere, oſſaque Mahometis ex ſepulchro extracta diſpergere deberet, & illud fore ſignum totalis defectionis ſuæ legis. Ex Eccleſiaſticis verò Scriptoribus idem ſic probat, quia peculiariter in ſexto mundi millenario Mahometicam ſectam deſtruendam eſſe, aſſerit S. Epiſcopus Cyrillus in Epiſtola de Occurentibus malis in orbe, Symbolo 22. intelligitque millenarium vnum nomine diei huius naturalis: & poſſe per diem intelligi millenariam & maius tempus diei naturalis, probat poſteà ex Scriptura. Idem prædixit Abbas Ioachim, ſpiritu prophetiæ præclarus, in Apocalypſim: ***Tuncq; implebitur quod Abdias prædixit: Et aſcendent ſaluatores in montem Sion iudicare montem Eſau, & erit Domino Regnum***, &c.

Prophetia Sanctorum & Chriſtianorum.

Secundum membrum.

Articulus ſecundus peculiariter etiam explicat tempus prædictæ defectionis, dicens: Maurorum Regnum, quantum ad eſſe temporale, intra ſpatium viginti annorum maximè deficiet, atque à 1604. vſque ad 1623. vel 1624. ſemper in declinatione & defectu erit; anno verò 1660. vel 1661. penitus finietur quantũ ad illius eſſe temporale.

Tertium membrum.

Articulus tertius: Reliquiæ ex Sultanis ſuperſtites ſubijcientur Hiſpaniarum Regi Philippo III. & ab eo deſcendentibus.

Quartum membrum.

Articulus quartus: Hoc Regnum & ſecta penitus deſtructa & abolita erunt anno Domini 1854. vel 1856.

Quintum membrum.

Quintus denique articulus illius eſt, Philippum III. inchoaturum, & pro maiori parte conſummaturum præmiſſum egregium opus, poſſeſſurumque multa Maurorum Regna. Et inferiùs tempus magis determinans, dicit, intra quatuor annos id euenturum.

Hæcque ſatis ſe perſuadere arbitratur, dum aſtra cælosque illa mirabiliter portendere, & auctoritatem Aſtrologorum & virorum ſpiritu prophetiæ celebrium eiſdem ſuffragari affirmat.

S. Methodius.

Sed, omiſſis hic ſignis iudiciariæ Aſtrologiæ, ſecundò ait id aſſeuerare videri S. Methodium, qui multo tempore ante aduentum Mahometis vixit, deque ipſo, eius ſecta, & reliquis hactenus enarratis elegans reliquit vaticinium, quod adducit S. Hieronymus in ſuis Operibus, dicens: ***In ſexto millenario ſæculi exient filij Iſmaëlis de eremo, & erit aduentus eorum caſtigatio ſine menſura.*** Et poſtquam explicaſſet graues tribulationes, quas à Mahometanis ex Iſmaële deſcendentibus ſuſtinere debebat populus Chriſtianus, ſtatim ſubnectit liberationem ab illis, & captiuitatem Maurorum ſub iugo Chriſtianorum, quorum etiam regnum ſuper omnia Regna exaltandum erit. Nos infrà Capite c. Prophetiæ verba adducemus. Idem Cyrillus vbi ſuprà, Symbolo 29. in ſexto millenario id euenturum dicit.

Refertur hæc prophetia in Fortalitio fidei de bello Saracenorum circa finem.

Cyrillus.

Duo corollaria.

Primum.

Secundum corollarium.

Ex hiſce iam prædictionibus duo infert Corollaria. Primum, depreſſionem & captiuitatem Mahometiſtarum ſub iugo Chriſtianorum diu eſſe duraturã; alterum, eamdem captiuitatem futuram in ſexto millenario: & hinc pro ſua mente ſequens conficit argumentum: Intra ſextum millenarium Mauri iugo Chriſtianorum ſunt ſubijciendi, & ex hoc iam millenario, ſecundùm communiorem opinionem, quingenti ſexaginta ſex anni elapſi ſunt; quoniam, ſecundùm veriorem computationem, anno iſto à Dominica Natiuitate 1604. habemus annum mundi 5566. adeò vt de ſexto millenario ſuperſint dumtaxat 434. anni. Itaque ex his neceſſariò, vt ait, concludit, initium Mahometicæ ſeruitutis & vniuerſalis captiuitatis à paucis inde annis futurum, quos vi-

ginti vel ſexaginta conijcit eſſe poſſe. Fauet Abbas Ioachim in Introductione ad Expoſitionem Apocalypſeos D. Ioannis, quod Opus approbatum & laudatum plurimùm fuit à Clemente III. vt ex initio illius Operis apparet. Quare breuî Mahometanorum dominatus extinguetur, ipſiſque Chriſtianorum iugo ſubijcientur, vt verum euadat, quòd diu ab eis ſint vexandi: nam ſexti millenarij ſolùm 434. anni ſuperſunt, & pauciores ſectæ Mahometicæ, videlicet 250. vlteriùs namque non excurret.

S. Hieron. Irenæus.

Suffragatur adhuc ſententiæ huic probabilis opinio SS. Hieronymi & Irenæi Martyris, quòd mundus ſeptem annorum millibus ſit duraturus, quæ conficiant hebdomadam magnorum dierum huius ſæculi, iuxta dies quibus Deus mundum condidit. *Et requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat*, Geneſ. 2, 2. quo nimirum die & Sabbato, id eſt millenario ſeptimo, ſecundùm illorum Doctorum opinionem, requieſcet Eccleſia, & cum hilaritate Domino ſuo deſeruiet. *Et apprehendit Angelus draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſatanas, & liganit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat ampliùs gentes, donec conſummentur mille anni: & poſt hæc oportet illum ſolui modico tempore*, Apocalyp. 20, 2. Idem ſeptem millium annorum tempus coniectare ſimiliter videtur S. Auguſtinus in Pſalm. 6. illis verbis: *Aduentus Domini ad iudicandum, computatis annis ab Adam, poſt ſeptem annorum millia futurus creditur, vt ſeptem annorum millia tamquam ſeptem tranſeant dies*, &c. Quod coniecturaliter tantùm intelligendum eſt, dicente Domino, *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*, Act. 1, 7. &, *De die illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum, niſi ſolus Pater*, Matth. 24, 36. Hac itaque opinione ſuppoſita, & firmiùs fundata in mundi ætate, concludit, intra quadringentos triginta quatuor illos annos implendas eſſe duas memoratas prophetias, priorem nimirum de ſubiectione Mahometiſtarum ſub iugo Chriſtianorum, poſteriorem de aduentu Antichriſti & eius perſecutione, *quando ſoluetur ſatanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet Gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ*, Apocal. 20, 7. Poſt quæ, Mahometis, & omnium hæreſum, nomine & memoriâ extinctis, redditaque Eccleſiæ pace, per mille annos tranquillitate gaudebit, adeoque ſecundum mentem & illationem huius Auctoris ex præmiſſis, poſt aduentum & perſecutionem Antichriſti, antequam veniat Dominus ad iudicandum, ſancta Eccleſia habebit mille annos quietis & ſecuritatis, in quibus ſponſo Regi ſuo cum gaudio & exultatione ſeruiet.

Denique opinionem ſuam efficaciùs & particulariùs ex ſequenti ſacræ Scripturæ auctoritate, addita ſanctorum & grauium aliorum Doctorum interpretatione, adſtruere & probare conatur. Apoc. 13, 1. hæc dicit S. Ioannes: *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ.* & verſu 5. *Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos.* & verſu 11. *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia Agni, & loquebatur ſicut draco. Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius: & fecit terram, & habitantes in ea, adorare beſtiam primam.* Et in fine capitis verſu 18. loquens de ſecunda beſtia, ſubdit: *Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt: & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex.*

Secundùm Franciſci Nauarrum mille exeuntes annos à morte Antichriſti vſque ad iudicium.

Hæc prophetia (ſaluo Sanctorum & meliori iudicio, ait Nauarrus) videtur mihi intelligenda de Mahometica ſecta, quæ eſt prima beſtia, & de Imperio Soltanorum, id eſt Regno Ægypti, cum quo Rex Saladinus Terram ſanctam comparauit; & Otomanorum ſimiliter Imperio, quod eſt beſtia ſecunda: quæ duo Imperia hodie ſimul iuncta ſunt. Et ita videtur (pergit) ſentire Gloſſa in eum locum de prima beſtia; & Lyranus, dum dicit: *Propter quod mihi videtur, ſaluo meliori iudicio, quòd hæc prior beſtia ſit ipſe Mahometus, qui dicitur beſtia ratione vitæ beſtialis, vt dictum eſt: & prima, quia primus Rex fuit Saracenorum beſtialiter viuentium.* De ſecunda autem beſtia illud tenet Abbas Ioachim in Introductione ſuæ Expoſitionis in Apocalypſim. Locum enim hunc concilians cum altero Danielis 7, 7. cuius verba & prædictiones eadem ferè ſunt, ait, ſextum caput draconis (qui eſt ſecunda beſtia, in qua duo capita vel duo cornua copulata erant) eſſe Saladinum, & quòd ex illis ſexto & ſeptimo capitibus, quæ erant duo in vnum ſimul iuncta (quoniam in ſexto tempore, id eſt millenario, copulanda erant) egredi debebat vndecimus Rex, de quo dixit Daniel, quòd ſurgeret poſt decem, & eſſet maior ceteris, humiliaretque vel occideret tres Reges. In his videtur Doctor iſte ſpiritu prophetico attigiſſe, quod poſt multos annos accidit, vnionem videlicet duorum capitum, id eſt Imperiorũ Ægyptiaci & Ottomanici, in vnum. Vtque appareat quàm ſit vero ſimilis iſta expoſitio, pergit explicare Archiprophetæ verba:

verba: *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem.* De mari, id eſt de hoc mundo, qui mare dictus eſt, primò ob periculũ in quo ipſum inhabitantes verſantur; ſecundò, quia vt mare infecundum, ita mundus bonos non parit fructus. Hæc eſt *beſtia* illa *quarta*, cuius meminit loco citato Daniel, *terribilis atq; mirabilis & fortis nimis, dentes ferreos habens magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans, diſſimilis ceteris beſtijs*, quas ſanctus Propheta viderat, quæ *& habebat cornua decem.* Pergit iam oſtendere, quomodo iſta quarta beſtia Mahometem repræſentet.

Mundus cur mare dicatur.

Habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata. Sextum caput ſignificat, ſecundùm Ioachim, Ægyptiacum Imperium, incipiendo à Saladino, quod ſeptimo iunctum, id eſt Ottomanico, facit ſecundam beſtiam, *quæ poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius.*

Et beſtia, quam vidi, ſimilis erat pardo, & pedes eius ſicut pedes vrſi, & os eius ſicut os leonis. Beſtia ſanè iſta conueniebat cum alijs beſtijs (pardo enim ſimilis erat, &c.) quoniam omnium aliquam ſibi vendicabat proprietatem, vt ceteris crudelior & immanior eſſet.

Et dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam. Id teſtantur latiſſimæ prouinciæ quas ſuæ ſubiugauit tyrannidi, Armenia, Græcia, Meſopotamia, Syria, tota Aſia & Africa, & Europæ non modica pars, quæ omnes hanc truculentam beſtiam adorant.

Et vidi vnum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis eius curata eſt. Illud arbitratur accidiſſe Auctor, quando ſub Vrbano II. in aëre ſtellæ innumeræ velut aues volantes viſæ fuere, referentes numeroſum illum exercitum Chriſtianorum Principum, hortatu illius Pontificis congregatum, quo ſanctum Domini ſepulchrum cum alijs Saracenorum regionibus recuperatum fuit, Mauriſque Ægypti reddiți Chriſtianis tributarij: circa quod tempus etiam Hiſpaniarum Reges multas de Mauris glorioſas victorias retulerunt, quarum nonnullas retulit §. 4. Tuncque credi facilè poterat penitus abolendum eſſe Mahometicum Imperium, *Sed plaga mortis eius curata eſt*, quia reſumptis & auctis viribus, miſerandam ſtragem de Chriſtianis in pluribus regionibus fecit, ijſdem & alijs inſuper regionibus recuperatis.

Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias: quoniam maximas horrendaſque blaſphemias, imò fœdiores quàm quæuis alia, hæc ſecta, contra ſanctiſſimam Trinitatem, Chriſti diuinitatem, & alios Catholicæ fidei articulos euomuit.

Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos. Quandoquidem ex ſancto Vate probatum eſt, beſtiam illam primam eſſe Mahometem & eius Imperium, reliquum eſt, vt ex eodem inueſtigetur & aſſignetur tempus durationis illius, quod ex iam aſſignatis verbis colligitur. Poteſtas enim hæc faciendi, id eſt, operandi menſes quadraginta duos, vt ait Gloſſa interlinearis, de ordinarijs menſibus triginta dierum naturalium non poteſt intelligi, ait Auctor; nam ab ortu Mahometis vſque ad præſens tempus, mille anni & amplius elapſi ſunt, & totidem ferè ab eius ſectæ promulgatione; ſunt ergo intelligendi de menſibus annorũ, ita vt quilibet ex dictis menſibus contineat annos triginta, ſecundùm Scripturæ ſacræ conſuetudinem. Solet enim non ſemel dici nomine annum intelligere, vt patet in cap. 9, 24. Danielis, vbi per ſeptuaginta hebdomadas quadringenti nonaginta anni intelliguntur, poſt quos Meſſias in mundum venit. Eodem modo Leuitici 25, 8. & Ezech. 4, 5. vbi hæc habentur: *Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos & nonaginta dies, & portabis iniquitatem domus Iſraël. Et cùm compleueris hæc, dormies ſuper latus tuum dextrũ ſecundò: & aſſumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus: diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.* Et ſecundùm hoc prima iſta Mahometica beſtia operari dumtaxat poteſt 1260. annis. Et ſuppoſito quòd incœperit Mahometes operari anno Domini 596. aut 594. ſecundùm aliam opinionem, tempus huic beſtiæ conceſſum perturbandi Eccleſiæ tranquillitatem, eſt annorum 1854. vel 1856. ab ortu Domini.

Addit poſt pauca ſanctus Propheta: *Qui in captiuitatem duxit, in captiuitatem vadet; qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Non impunè abibit impius, ſibi fortè perſuaſit, ſed iuſtè punietur, quemadmodum dixit Dominus ad Noë: *De manu viri & fratris eius requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*, Geneſ. 9, 5. & Chriſtus Petro: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*, Matth. 26, 52.

Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia Agni. Abbas Ioachim, ſecundæ beſtiæ nomine ait intelligi debere non peculiarem aliquam perſonam vel ſectam, ſed Regnum vel temporale aliquod dominium quod ſectæ faueat: & cùm euenerit quod dictum eſt, implendum eſſe quod in duobus cornibus præ-

figuratum fuerat, duo nimirum futura Imperia, quorum alterum in Saladino, alterum in Ottomano incepit; & de priori ſcripſit Ioachim, non verò de poſteriori, quoniam hoc multis annis ipſe præceſſit. Per beſtiam igitur ſecundam in Saladino incipientem intelligenda ſunt duo Imperia, Soltanòrum ſcilicet Ægypti & Ottomanorum, quæ in vnum coaluerunt, atque beſtiam vnam effecerunt. Conſentit Daniel de eadem ſic loquens: *Et de alio, quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua.* & de vndecimo Rege, qui tres Reges humiliare debebat, *cornu aliud paruulum ortum eſt*; quoniam Ottomanus ſuperbus quidem, ſed vilis & infimæ notæ homo fuit, qui principium dedit potentiſſimæ Ottomanicæ familiæ & Imperio, cuius ipſe primus Imperator fuit, & cui plures ex eadem familia Imperatores ſucceſſerunt, Orcanus I. Amurates, Soliman I. Baiazetes, Calapinus, Orcanus II. Moyſes vel Muza, Mahometes I. Amurates, & huius capitis ſeptimi vndecimus Rex, qui cum eodem ſeptimo iunctus videbatur, fuit Mahometes II. qui inuaſit & occupauit Conſtantinopolitanum maximum & nobiliſſimum Imperium anno Domini 1453. Maij 29. Imperium item Trapezuntis, & Regnum Miſſiæ, eiuſque mandato octingenta millia Chriſtianorum interfecta fuerunt, à quibus etiam duodecim Regna abſtulit & ducentas ciuitates muratas, ideoque potentior fuit decem Regibus ſuis prædeceſſoribus. Hoc referunt Illeſcas in ſua Hiſtoria Pontificali, Pandulfus Colenucius Iunſconſultus in Compendio hiſtoriarum Neapolit. lib. 1. Et quod magis congruam probabilemque hanc reddit expoſitionem, eſt, quòd concordet cum Prophetia quam præ manibus habemus.

Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius. Hoc, & quod ſequitur in textu vſque ad numerum ſecundæ beſtiæ, ita conuenire ait duobus illis Imperijs Ægyptiaco & Ottomanico, vt explicatione non indigeat.

Hîc ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt: & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex. Hæc eſt illatio ex ſuperius dictis, & quomodo menſes quadraginta duo indicent tempus durationis primæ beſtiæ, anno nimirum 1260. anni verò 666. præmonſtrent tempus durationis ſecundæ beſtiæ, quod incœpit quando Saladinus anno Domini 1188. Ieroſolymam cepit: & ex illo debet ſuam durationem protrahere annis 666. terminetur que omnino ſecta, & Mahometicum Imperium anno Domini 1854. Et ex his magis eluceſcit mira quædam congruentia, & maiòr quàm præcedentes fuerint, quòd nimirum, cùm primæ beſtiæ, id eſt Mahometis, principium fuerit anno Domini 596. additiſque annis 1260. qui ſunt menſes 42. durationis eius, illius poteſtas finienda ſit anno 1856. Quòd ſi natus fuit Mahometes duobus annis antè, id eſt anno 594. terminabitur anno Domini 1854. Incipiendo verò ab Imperio illo quod exordium habuit quando Saladinus ſanctam cepit ciuitatem, anno nimirum 1188. tempus & anni ſecundæ beſtiæ terminabuntur eodem anno 1854. Quæ conſonantia ſanè admodum eſt notabilis.

Proſequitur inde explicare quod ſuperiùs in ſecundo membro dixerat, deſtructionem Mahometici Imperij effectui dandam eſſe ab Hiſpaniæ Regibus, & ſingulariter à Philippo III. qui prouinciam hanc aggredi & incipere debebat. Hoc etenim, ait, in primis aſtra inclinant, & futurum indicant, Mauros per ipſum & eius Hiſpanos eſſe deſtruendos, illorum regiones, & ſingulariter Terram ſanctam ab eiſdem eſſe occupandam. Accedit, auctorem Fortalitij fidei id ſubindicare lib. 4. de Bello Saracenorum, vbi ex experimentis concludit: *Felix bellator ille Rex, qui propter zelum Catholicæ fidei hæc excogitabit & executioni mandabit, confidens in Domino Ieſu Chriſto, in cuius manibus ſunt Imperia, ditiones & cogitationes Regum.* Suffragatur explicatio quam Guido Boderianus, & Ioſeph Acoſta dederunt in verba illa Prophetæ: *Et aſcendent ſaluatores in mõtem Sion iudicare montem Eſau:* Abdiæ verſu 21. dicentes id implendum eſſe per Reges Hiſpaniæ. Neque hîc ſtitit, ſed addit, quòd iſti Hiſpaniarum Reges, qui Turcam deſtruere, fidem Chriſti dilatare, Imperiumque ſuum vſquè Conſtantinopolim extendere deberent, ortum habituri ſint ex Cæſarea & Auſtriaca familia; & ex appoſitis circumſtantijs videtur indicare Philippum III. Magnus item ille Aſtrologus Ioannes Claramontanus in ſuis Prædictionibus, loquens de futuris euentibus Regni Hungariæ, ait: *Gens ſagittaria regnabit tempora longa in Chriſticolis tuis, & Regnum Hungarorum dabitur ei, & reſeruabitur alteri, qui erit pius, & multùm miſericors quoad Eccleſiam. Ipſe reformabit Eccleſiam Pragenſem, & ſanctæ Sophiæ templum Conſtantinopolitanum, ſcandetq; ad ardua inter Catholicos. Sed non de ſanguine Matthiæ, ſed de rupibus Alemaniæ orietur & exiet Rex ſinceriſſimus.* Quid, quòd Hieronymus Iebulerius in conſcripta à ſe Epitome antiquiſſimæ Cæſareæ Auſtriacæ domus, prædictionem illam

lam referens, ait: *Nomine gentis ſagittariæ, alium non intelligimus, quàm Principem & Regem Hiſpaniarum, & non alterum partis quàm montium Alemaniæ & ex Comitibus Tiroli & Habſpurgij, qui intra dictos habitant montes*? Addit inſuper prædictionem ſanctiſſimi viri F. Petri Nicolai, qui ſpiritu prophetiæ clarus extitit, & ob vitæ ſinceritatem Beatis à Sede Apoſtolica annumeratus eſt. Sanctus hic & doctus vir, cùm aliquando eſſet in Oratorio Dominæ Leonoræ coniugis Emanuelis, D. Petri Galcerani de Borja, qui fuit Magiſter Monteſiæ, illaque per litteras à Principe Luſitaniæ certior facta eſſet, exſcendiſſe ibi Reginam Annam, quæ fuit mater Philippi III. pronus in terram proſtratus Deo gratias egit, & ad D. Leonoram conuerſus dixit: *O filia, annuo abhinc ſpatio Regina filium maſculum pariet, qui Ferdinandus vocabitur, & erit pulcherrimus inter omnes Hiſpaniæ natos; & niſi ob noſtra peccata illum Deus ad ſe euocet, fieri poterit vt Terram ſanctam recuperet.* Ita retulit D. Alonſus de Aualos Epiſcopus Coroni, qui peculiarem de ea re inſtituit inquiſitionem, & vt relatum eſt, verum eſſe deprehendit. Ex quibus verbis duo infert Doctor Nauarrus: alterum, Terræ ſanctæ recuperationem reſeruari Hiſpaniarum Regibus ex progenie antiquiſſimæ Auſtriacæ familiæ deſcendentibus; alterum, quòd cùm in infantili ætate è viuis deceſſerit Ferdinandus, Philippus III. ex Philippo II. & Regina Anna Auſtriacæ Domus filius, & in Regno ſucceſſor, ille ſit qui tantum opus ſit aggreſſurus, fieri enim potuiſſe, vt Spiritus ſanctus (prout aliquando accidit) reuelauerit perſonam, & non nomen, id eſt futurũ Philippi II. ſucceſſorem, quocunque is nomine appellandus eſſet, abſque mendacio, quemadmodum & Iacob abſque mendacio dixit ad Iſaac: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*, Geneſ. 27, 19. ſecundùm Auguſtinum, quia ipſe eſſe debebat. Addit denique incerti cuiuſpiam incertum vaticinium, quod, vt incertum ponere nolens; lubens hic prætereo.

B. Petrus Nicolaus Factor.

De illo Sancto in 4. Parte Chronic. Fratrum Minorum.

Atque ex his patet, quænam ſit mens illius Auctoris ad illas propoſitas quæſtiones, Cap. LXXXVIII. qui, quantum ad primam difficultatem reſpondet manifeſte, Mahometicum & Turcicum Imperium tam quoad temporalia quàm ſpiritualia finiendum eſſe, auferendamque à Turca Terram ſanctã, & dandam Chriſtianis. Quantum ad ſecundam, quæ erat de tempore, modicum illud potius quàm longum futurum eſſe oſtendit, quia ſub Philippo III. Hiſpaniarum Rege & alijs Hiſpaniæ Regibus Auſtriacæ Domus complenda ſunt, intra ſpatium nimirum annorum 251. Ad tertiam ſimiliter difficultatem affirmatiuè reſpondet, adducens Aſtrologorum & Mahometiſtarum prædictiones, & Eccleſiaſticorum & ſacrorum Scriptorum vaticinia. Et hic Auctor omnia ſubmittit, vt par eſt, diuinæ voluntati.

CAPVT XCII.

Allatæ Nauarri reſponſiones expenduntur & reijciuntur.

QVæ Capite præcedenti ex Doctore Franciſco Nauarro adduximus, curioſa quidem & ſubtilia ſunt, & perſpicacitatem intellectus Auctoris, affectumque erga ſuum Catholicum Regem præferentia: an verò ſimiliter ſolida ſint & vera, non adeò certum & euidens, an ex affectu vel ratione prolata. Ego non altercandi, ſed inquirendæ veritatis ſtudio (vel ſi hæc ſciri humanitus non poteſt, falſa relinquens, & probabiliora ſectatus) quatuor diſtinctis Capitibus quatuor præſtabo. Primò, illius Auctoris aſſerta conſiderabo; ſecundò, difficultati cuidam reſpondebo; tertiò, rationes pro ſententiæ iſtius confirmatione allatas examinabo; & quartò denique, quid ego de ea re ſentiam, breuiter & dilucidè ſubijciam.

Et quantum ad primum, haud parum diſplicet, Auctorem illum, etſi tantùm probabiliter, determinare velle tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate; præſertim cùm Leo X. in Concilio Lateranenſi ſeſſ. 11. Bul. 1. ſeuerè interdixerit prædicare, credere & docere determinatum aliquod tempus malorum illorum quæ in conſumatione ſæculi aduentuque & exterminio Antichriſti ſunt euentura, quoniam *non eſt noſtrum ſcire tempora vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*, Act. 1, 7. Etſi enim ex ſignis quę à Chriſto indicata ſunt, exiſtimem poſſe temporis proximitatem aliquo modo conijci, non tamen propterea præciſum tempus, dies, vel hora illorum euentuum, quos ſibi vnà cum tempore reſeruauit Pater cæleſtis, temerariè ſtatuenda ſunt. Hinc de hiſce rogatus à ſuis diſcipulis Chriſtus dixit: *Videte ficulneam, & omnes arbores: cùm producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam propè eſt æſtas. Ita & vos cùm videritis hæc fieri*, id eſt ſigna & prodigia, de quibus prius fuerat locutus, *ſcitote quoniam propè eſt regnum Dei*, Luc. 21, 29. vbi vides, licere iudicium facere de propinquitate temporis (*Scitote*, inquit, *quoniam propè eſt regnum Dei*) non verò præcisè de hoc vel illo anno, menſe, die, momento. At de his

agit memoratus Auctor, determinatè & præcisè, præcipuè verò de aduentu & persecutione Antichristi, quam cum alijs consummandam dicit intra spatium annorum 251. ab anno videlicet 1604. vsque ad 1855. etiam signis, quæ Dominus ad eam rem determinandam præmonstraßet, destitutus.

Astrologia insufficiens ad futura contingentia cognoscenda.

Dicet quis, duplici cum processisse via, alia naturali & astrologica, alia supernaturali, prophetijs videlicet quæ de ijs esse creduntur.

Contrà, via naturalis omnino insufficiens est, tum quia, supposito hunc vel illum Planetam ad hoc vel illud inclinare, à contraria constellatione & influxu impediri potest; tum quia ipse Auctor §. 5. ante med. ait, præfinitionem durationis sectæ Mahometicæ, quantum ad temporis determinationem, vt fundatur in astrologicis coniecturis (adiutis ipsa maxima coniunctione, alijsq; congruentijs & probabilitatibus) non posse determinatè conijci, cùm effectus vnius maximæ coniunctionis durent vsque ad alteram, & effectus non semper vniformes, sed sæpè difformes sint; quos aliquando in principio, aliquando in fine, & aliquando in medio illius temporis vehementiores esse dicit, ideoque ad aliud medium, vaticinia nimirum, confugit.

Insuper, præter quòd de futuris contingentibus non sit determinata veritas, non potest ea specialiter vi naturæ de præmissis haberi, quia ex illis ea esse arbitror, quæ ex diuina pendent voluntate, & quæ Deus sibi reseruauit. *Et quis cognouit sensum Domini?* Isa. 40, 13.

Sed esto, illa non sibi peculiatter reseruauerit, adhuc ex coniunctione maxima, vel quolibet alio cælesti influxu sciri nequeunt, quoniam pendent ex hominum inscrutabili voluntate, in quam cæli non habent actionem directam & necessariam. Vnde licet tempore coniunctionis maximæ Hispaniarum Rex, vel eius sagittarij Hispani inclinarentur ad mouendum bellum contra Turcam, in illorum nihilominùs potestate erit mouere vel non mouere; atque ex illa effectus humanus sciri nequit.

Nec via ordinaria supernaturalis, quæ est per prophetias, sufficiens est; tum quia, secluſa speciali Spiritus sancti illustratione, sciri nequeunt prophetiæ, nisi post eius complementum: tum quia dubitatur de quibus personis locuti sint Prophetæ, vt ex illorum lectione & interpretatione manifestum est, & nos in ijs quæ pro se adducit Auctor, videbimus; tum denique, quoniam, supposito quòd Prophetarum mens sciatur quantum ad personas, vt quòd loquantur de Mahomete, eius Imperio & sectatoribus, dubitari potest de tempore quo effectus isti venturi prædicuntur, vt si dicant euenturos intra hebdomadam, vel mensem, an intelligere voluerint de hebdomadis vel mensibus communibus & ordinarijs, an de alijs magnis, id est mensium vel annorum. Ad hæc dubitari potest, an loquantur Prophetæ secundùm proprium sensum, an Spiritus sancti: & si secundùm sensum Spiritus sancti, an naturaliter ita euenire debeat, vt quando dixit Isaias Ezechiæ Regi, Isa. 38, 1. *Hæc dicit Dominus, Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues*; an secundùm diuinæ præscientiæ determinationem & prædestinationem, vt quando eidem Regi sic dixit: *Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas. Ecce ego adyciam super dies tuos quindecim annos*, &c. & clarius 1. Reg. 15, 29. vbi Samuel reuelauit Sauli delectionem à Regno, dicens: *Porrò Triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo est vt agat pœnitentiam.* lege D. Thom. 2. 2. quæst. 171. art. 6. & Lyran. in c. 1. Ionæ. Dubitari item potest, an determinatæ, vel comminatoriæ & conditionatæ prophetiæ sint: item an futura sint aliqua, quæ immutent ordinem, siue (vt melius dicam) effectus ipsos diuinæ voluntatis accelerando, vel differendo, vel prorsus auferendo prænuntiata, non conferendo bona, vel liberando à malis: quia propter hominum peccata potest calamitatis & aduersitatis tempus prorogari, vel propter virtutes abbreuiari. Ita Summus Pontifex innocentius III. in Epistola ad Alexium Imperatorem: *Legit, sicut credimus, Imperialis excellentia, vel audiuit, quòd propter peccatum Israëlitici populi, quadraginta dies, quibus debuerat Terram repromissam intrare, in annos totidem Dominus commutauit; & econtrario ad contritionem, & lacrymas Ezechiæ, vitam eius inter quinos annos extendit. Ex quo potest plenè perpendi, quòd & tempus possit persecutionis Saracenicæ breuiare, qui in Euangelio de Antichristi persecutione locutus adiecit: Nisi abbreuiati fuissent dies illius, salua non fuisset omnis caro.* Adde & diutiùs non rarò eas protrahi propter hominum in longum tempus protractas iniquitates. Lib. 2. Epistol. Mihi vobis, &c. pag. 520.

Præter adducta testimonia, adhuc vnum & alterum accipe exemplum. Et de acceleratione quidem pœnæ propter peccata dicitur in Genesi: *Videns Deus quòd multa malitia hominum esset in terra; & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore*, statuit illum destruere nisi pœniteret, assignauitque pœnitendi tempus centum viginti annorum, Genes. 6, 5. & tempus pœni-

Digitized by Google

pœnitentiæ, & imminentis pœnæ prædixit Noë tum verbis & exhortationibus, tum ipſa arcæ ædificatione: verùm cùm illi non reſipiſcerent, ſed abuterentur Dei patientia, atque in dies peccata peccatis adderent, ita vt corruptæ & putrefactæ fuerint plagæ eorum, dicente Scriptura, *Corrupta eſt autem terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate*, Geneſ. 5, 11. detraxit Deus viginti annos. Quando enim aquæ diluuij inundauerunt ſuper terram, Noë ſexcentorum erat annorum, Geneſ. 7, 6. & quingentorum quando illam ædificauit, Geneſ. 5, 31. Ita præter alios obſeruauit S. Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis, dicens: *Non humana vita, vt multi errant, in centum viginti annos contracta eſt, ſed generationi illi centum viginti anni ad pœnitentiam dati ſunt: ſiquidem inuenimus, quòd poſt diluuium vixerit Abraham centum ſeptuaginta quinque: quia vero pœnitentiam agere contempſerunt, noluit Deus tempus expectare decretum, ſed viginti annorum ſpatijs amputatis, induxit diluuium anno centeſimo agendæ pœnitentiæ deſtinato.* Hæc S. Hieronymus.

De dilatione pœnæ propter pœnitentiam extat exemplum in Niniuitis, quibus Ionas ſubuerſionem hiſce verbis comminatus fuerat: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur*, Ionæ 3, 4. ſed quia egerunt pœnitentiam, diſtulit Deus pœnam. *Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala: & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit*, ibid. verſu 10. Cum verò poſtea Niniuitæ ad priorem viam reuerterentur, ſubuerſa fuit illorum ciuitas, ſecundùm prædictionem Tobiæ 14, 5. Nahum 2, 3. & Sophoniæ 2, 13. vt videre eſt apud Lyranum & alios Interpretes in cap. 3. Ionæ.

De ablatione prænuntiatorum, tam in auferendo bona, quam in liberando à malis prænuntiatis, patet in libris Regum & Paralipomenon, vbi legimus Deum per ſe & per Prophetas ſuos prædixiſſe Salomoni ſtabilem ſtatum Regni & templi, Manaſſe verò deiectionem e ſolio, & captiuitatem: & nihilominùs Salomoni diminutum fuiſſe Regnum, & tandem propter eius peccata omnino ablatum; Manaſſem verò propter pœnitentiam à Babylonica captiuitate liberatum, & in Regnum reſtitutum fuiſſe, in quo & vltimum diem clauſit. Ita etiam videtur dicendum eſſe de prophetijs à Doctore Francisco adductis, ſuppoſito quòd intelligendæ ex ſint de Mahometicæ ſectæ & Turcici Imperij depreſſione, Hiſpanicæ verò Monarchiæ exaltatione.

Accedit, quòd quemadmodum Deus Abrahæ & ſemini eius promiſit Terram ſanctam, quam tamen Abraham non poſſedit, nec Iudæi eius poſteri, niſi poſt aliquot ſæcula, receperunt, quia nondum completæ erant iniquitates eam inhabitantium Amorrhæorum, quibus ab illa expelli meterentur, & quia priùs in multis laboribus exercendi erant Hebræi, ideóque ab illius poſſeſſione, quamuis ad illam occupandam diuino iuſſu proficiſcerentur, ob ſua peccata per multos annos excluſi fuerunt, vt ex Scripturis diuinis, & ex ijs quæ à nobis alibi dicta ſunt, videre eſt: ita dicere poſſemus in propoſito, licet Deus fortè decreuerit Terram ſanctam & Turcicum Imperium ſubijcere Philippo III. vel ſucceſſoribus eius Hiſpaniarum Regibus, idque per ſeruos ſuos Prophetas indicauerit, illam tamen hactenus eiſdem ipſo actu nondum ſubiecit, neque etiam proximè futuris annis ſubijciet, vel quòd necdum completæ ſint Turcarum iniquitates, vel quòd Hiſpaniarum Reges, & eorum ſubditi adhuc multa præſtantia & egregia facinora pro S. Catholicæ Eccleſiæ exaltatione moliri debeant, antequam ad eiuſdem poſſeſſionem admittantur. Et fortean hæc ipſa promiſſionis diuinæ executio ob peccata illorum vel impediri vel differri poterit.

Et profectò vel ipſe rei euentus oppoſitum nobis manifeſtiſſimè oſtendit. Quando enim illa ſcribebat Auctor, vertebatur annus reſtituti mundi 1604. & vſque ad præſentem 1634. elapſi ſunt anni 30. & tamen necdum videmus Imperij Mahometici, quantum ad eſſe temporale, maximam defectionem, quam futuram dixerat viginti annorum, imò multò minori ſpatio. Ea etiam incipienda erat per Philippum III. & per eumdem pro maiori parte abſoluenda: quod item necdum effectui datum vidimus. Quòd ſi D. Franciſcus Nauarrus aduertiſſet, quod fortè aſtra illa tum præſagiebant, Regi Philippo III. mortem inſtare (quam & incurrit ante opus iſtud inceptum, cùm è viuis abierit anno Domini 1621. die vltima Maij) hæc utiſnimè dixiſſet. Et quidni faciliùs id aduertere potuerit? cùm mors Principis naturalis ſit, & facilior cognitu quàm Imperij Turcici defectio, quia non tot habet difficultates, nec tot ſecum conſideranda & expendenda inuoluit. At obiectum hoc luctuoſius, Principis ſui amantem & ſtudioſum à penitiore fortè conſideratione auertit.

Reſpondent aliqui pro Doctore Franciſco, Philippum III. omnino hoc opus fuiſſe aggreſſum, & ex parte etiam perfeciſſe, quandoquidem anno Domini 1609. menſe Septembri Mauros è Regnis ſuis expellere cœperit, eamque expulſionem

ſequenti anno 1610. abſoluerit. Verùm tantum abeſt, vt illa Maurorum ex Hiſpania expulſione Mahometicum Turcicumque Imperium Philippus III. quantum ad illius eſſe vel ſpirituale vel temporale, labefactauerit, vt potiùs auxerit & ampliauerit. Quoad eſſe temporale hoc inde patet, quòd Mauri illi priùs Regis Catholici, non verò Turcæ ſubditi fuerint, poſteà tamen iſti ſe ſubmiſerint. Præterea ex illa expulſione, in qua nonnulli ſummum pietatis genus extitiſſe dixerunt, habitatoribus, cultoribus, imò & diuitijs pænè ſuis denudata, atque inculta & multis locis infecunda facta eſt Hiſpania, Mahometicum verò Imperium à viris, incolis & frequentatione ditatum & ampliatum fuit: ſiquidem præter multos theſauros quos ſecum abſtulerunt Mauri illi, inter eoſdem plurimi erant optimi & artificioſiſſimi operarij, militeſque ſtrenuiſſimi; ideoque Turcæ ob iſtorum ad ſe tranſmigrationem omnigeno artium genere, & peritiſſimis præſtantiſſimiſque artificibus affatim abundant. Et nónne illi ipſi electi Mauri, eorumque poſteri, magna Chriſtianis, præcipuè in mari, damna inferunt, & omnibus ſunt terrori atque formidini? Nec etiam expulſione illa diminutum eſt, quantum ad eſſe ſuum ſpirituale, Imperium Mahometanum, ſed potiùs auctum: quia cùm Mauri, antequam ex Hiſpanijs expellerentur, non niſi ſecretò, in abſcondito, & cum timore, ritus ſuos & ſuperſtitionem Mahometicam obſeruarent, nunc inde expulſi, eamdem publicè & impudenter, reliquis Mahometanis coniuncti, profitétur. Quod Mahometicæ ſuæ ſectæ augmentum & incrementum probe expendens & intelligens Turcarum Imperator Mahometes III. gratias ideò immenſas retulit Philippo III. vt à fide dignis & illuſtriſſimis Hiſpaniæ Proceribus intellexi.

Sed quid? etiamſi ex illa expulſione detrimentum aliquod vel temporale vel ſpirituale obueniſſet Mahometico Imperio, illud tamen Imperium adeò magnum & vaſtum eſt, vt damnum iſtud mentò pro nihilo ſit habendum. Quid in poſterum euenturum ſit, nouit Dominus. Vtinam breui, & ante tempus à Doctore Franciſco aſſignatum, nulla Mahometicæ ſectæ ſuperſit memoria! vt futurum in Domino confido, ſi modò diuinæ gratiæ cooperari velint Chriſtiani Principes.

CAPVT XCIII.

Explicatur difficultas, quæ contra hactenus dicta opponi poſſet.

FOrtaſſe quiſpiam contra iam propoſita in hunc modum argumentabitur: Vulgatum eſt prouerbium, *Concordiâ res parua creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur*; & Chriſtus Dominus apud S. Lucam c. 11, 17. dixit: *Omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.* ſed noſtris hiſce temporibus Turcicum Imperium in ſeipſum plurimùm diuiſum eſt; ergo ruinæ & deſolationi eſt proximum. Aſſumptio probatur in primis ex varietate & notabili Imperatorum Ottomanicorum, idque modicum intra temporis ſpatium, facta mutatione. En ſpecimen. Anno Domini 1617. è viuis deceſſit Mahometes Imperator huius nominis III. in cuius locum ſuffectus fuit Muſtafa Deruiſius frater eius, cùm ille filium regno idoneum non haberet; & ecce recta linea Ottomanicorum Imperatorum eſt interrupta. Eodem anno Muſtafa regno & Imperio exutus, vel vltrò, velut ad imperandum ineptus, abdicare coactus fuit, non valens reſiſtere ſubditorum ſuorum in ſe machinationibus, quòd ab ijſdem non ſatis mentis compos haberetur, ideoque parum abeſſet, quin & ab ijs trucidaretur. Muſtafæ ſucceſſit in Imperio Oſman filius Mahometis III. qui non multò pòſt à Gienizzaris interfectus fuit, Muſtafa fratre Mahometis ad Imperium ſubleuato: qui & ipſe ſtatim depoſitus, inque eius locum Morath, alius filius Mahometis, & frater Oſmanni, ſubſtitutus fuit. Ecce quot breui admodum tempore in Turcarum Imperatoribus mutationes, non ineuidens profectò argumentum defectionis Mahometici Imperij. Deinde, quot Principes ſiue Prouinciarum Gubernatores nunc habet Turca non à ſe inuicem tantùm diſſentientes, ſed etiam Imperatori ſuo immorigeros? quot tandem in Regno illo diſſenſiones, rixæ, & cædes?

Concordia vtilitas.

Reſpondeo in primis, ſi ob iſta aliqua diminutio contingeret Imperij Turcici, illa nó proueniret ex parte Regis Catholici Philippi III. iam dudum defuncti, vel alterius Chriſtiani Principis, ſed ſola virtute diuina, & ipſorum Turcarum mutuâ diſcordiâ. Quare ex hoc capite nihil pro ſe haberet Franciſcus Nauarrus.

Secundò dico, non ſolùm antiquis, ſed etiam noſtris temporibus, in nonnullis Regnis defeciſſe rectam lineam alicuius familiæ Regum, & ipſoſmet Reges in ſuis Regnis tuiſſe

fuiſſe interfectos, nec tamen propterea ipſa Regna defeciſſe, vel ad externam gentem eſſe tranſlata, ſed alios, vel ex eadem familia & cognatione, vel ex eodem Regno fuiſſe ſubſtitutos, qui ſua magis dilatauerunt & ſtabiliuerunt Regna.

Quòd in Imperio Turcarum ſint rixæ, bella & cædes, quòd item Principes inter ſe dimicent, & ſuo Imperatori rebelles exiſtant, non abnuo: ſed huiuſmodi defectus multò maiores & euidentiores deprehendas in Chriſtianorum Regnis. Nónne in Germania Cæſari, in Belgio Regi Catholico, & in Gallia Regi Chriſtianiſſimo, legitimis ſuis dominis, rebelles ſunt, & eiſdem continuò ſæuiſſima bella inferunt hæretici? nónne ipſimet inſuper Chriſtiani Principes & Reſpublicæ acerrimis bellis ſe inuicem fatigant & oppugnant, & nihilominùs adhuc in ſuo vigore perſeuerant? Pariter dicendum, & multò magis, de Imperio Mahometico, præſertim cùm tantopere diuiſum non ſit, vt conſtat, & ſi quæ ſunt diſſenſiones, faciliùs ibi componantur. Quid, quòd letale vulnus aliunde ei inflictum, iam perſanatum eſſe videatur, cùm ex litteris Illuſtriſſimi D. Philippi de Arles, Chriſtianiſſimi Regis Conſiliarij, & eiuſdem apud Imperatorem Turcarum Oratoris Conſtantinopoli anno Domini 1626. die 8. Decembris ad Guardianum ſacri Montis Sion directis, intelligamus, res Turcarum in dies meliùs procedere, & ad priſtinum pacificum ſtatum redire; imò meliori fortuna vti quàm ſuperioribus annis.

Sed eſto, ſint in Turcico Imperio rixæ & diſcordiæ, & Princeps prævalentior occupet regionem alterius, quid inde? ergo deſtruetur Maurorum & dilatabitur Imperium Chriſtianorum? Deciperis, & non ſic euenturum, inuitus licet, ſpondeo, præſertim ſi res Chriſtianorum in moderno ſtatu permaneant, id eſt, ſi Chriſtiani Principes alterutrum hoſtiliter inceſſere, ſe mutuò opprimere, alterna viſcera erodere, nec ſuas vires contra Turcas experiri pergant. Ex Turcarũ & Mahometanorum ſane diſſidijs & bellis aliud quid ſperandum non eſt, niſi quòd forte Prouincia vel Regnum aliquod huic au ferendum, & alteri Principi adijciendum ſit: vt ſi Turcarum Imperator Perſarum Regem bello ſuperet, latius quidem illius Imperium euadat, & huius poteſtas minuatur; non tamen proinde Mahometana vel ſecta vel tyrannis in minimo aliquod detrimentum ſentiet, ſed potiùs validior & robuſtior euadet. Atque ita profectò accidit, quando Ottomanus Saladinum Ægypti Soltanum ſuũ Regem deuicit, & Regnum eius ſibi vindicauit: alterius nimirum potentia ſublata eſt, alterius verò magis aucta fuit atque firmata, & nihilominùs Mahometiſmus ne in minimo quidem defecit, ſed maiores econtrà vires ſumpſit.

Nec quæ in contrarium adducta ſuperiùs ſunt, nobis officiunt. Non vulgatum illud prouerbium: *Concordiâ res paruæ creſcunt*, &c. nam illud tum demum veritatem habet, quando membra eiuſdẽ corporis diſſentientia ſe mutuò conſumunt, nec alterum ex ipſis prævalet; quòd ſi alterum ex ipſis prævaleat, minima magna fiunt. & hoc apparet in generatione & aggeneratione, quæ eſt inter contraria: per bella item dilatantur Imperia, dum hoſtis hoſtem ſuum ſuperat, e ſede eum ſua pellit, eamque ſibi vendicat. Illa verò Mahometanorum diſcordia magis facit ad ſtabiliendum Turcicum Imperium, vt ſuprà in fine Capitis LXXXVI. ex Ariſtotele diximus: nec ignotum eſt vulgare illud Politicorum, *Diuide, & impera.*

Multò minùs officit ſententia illa Saluatoris, *Omne regnum*, &c. quia per illam reijcere volebat impudentiſſimam Phariſæorum cogitationẽ. Calumniabantur illi, Chriſtum virtute Beelzebub principis dæmoniorum eijcere dæmonia. Hoc falſum eſſe, ſic demonſtrat Chriſtus: Princeps dæmonum regnum ſuum ſtabiliri vult, non ergo vi & potentia inuitos dæmones ex corporibus eijcit, quemadmodum ego eos pello, quamuis vos ô Phariſæi id putetis; non enim ſtaret regnum eius, quia *omne regnum*, &c. Interna igitur diſcordia ad alicuius deſtructionem tendens, eſt illius propriè cauſa, non quælibet alia. atque ita inferebat Chriſtus, ſe non eijcere dæmonia virtute ipſius Beelzebub, cùm alioquin regnum eius, quod in vexandis & offendendis hominibus conſiſtit, non perſiſteret. Et nónne dæmones in inferno ſibi ipſis ſunt vel maximè contrarij? (verſantur enim in terra miſeriæ & tenebrarum, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat) & tamen illorum regnum non euertitur. Quare verò? Quia licet inter ſe ſint contrarij, dum tamen regni ipſorum cauſa agitur, contra Deum & homines ſunt concordiſſimi. Ita etiam dicendum in propoſito noſtro, licet in Turcico Imperio ſint aliquæ rixæ & diſſenſiones inter ipſos Turcas, facilè tamen ſibi reconciliantur, adeoque coniunctiſſimis viribus pro ſectæ ſuæ conſeruatione, Chriſtianæ verò Religionis deſtructione contendunt.

Concordiâ Turcarum dilatatur, & diſcordiâ Chriſtianorum minuitur Imperium.

Placet hæc illuſtrare appoſitiſſima quadam prudentis cuiuſdam Turcæ ſimilitudine. Cùm aliquando Turcarum Imperator ad Galliarum Regem Oratorem miſiſſet,

ſet, illeque biduo illo vel triduo quo Lutetiæ Pariſiorum hæſit, à præcipuo quodam Nobili hoſpitio honorifico exceptus fuiſſet, Nobilis ille, quò rem gratam & delectabilem faceret Oratori, præſtantem fidicinem accerſiuit, qui arte ſua eum exhilararet atque recrearet. Fidicen, antequam ludere inciperet, pro ſua conſuetudine nonnihil inſumpſit temporis in concordanda teſtudine: & poſtquam ſcitè fidibus aliquantulum cecinisſet, vna fidium rupta fuit, nec multò pòſt altera vel tertia, vt iterùm in illis reſtituendis & accommodandis tempus inſumi oportuerit. Tunc Turca famulo ſuo innuit, qui ſtatim inſtrumento quodam bichordio, Turcis familiari, ſuauiſſimè, longioreque tempore abſque interruptione aliqua cecinit. Cumque tandem interquieſceret, dixit Orator ad Nobilem Gallum: Aduerte, quantum temporis tuus muſicus, antequam canere poſſet, inſumpſerit; tandemque teſtudine ſua concordata, & vix aliquali artis ſuæ ſpecimine dato, iterùm iterumque defecerit, quòd fides illius inſtrumenti diſruptæ fuiſſent; famuli verò mei inſtrumentum non modò citò accommodatum, ſed & ſat diu abſque aliqua interruptione pulſatum fuerit; imò tota hac die, cum craſtino etiam, inceſſanter ſine vllius accommodationis iteratione perſonaſſet, ſi pulſatum fuiſſet. Vos ergo Domini Chriſtiani ſimiles eſtis veſtro muſico inſtrumento: quia cùm multa capita ſitis, non niſi magna cum difficultate inter vos conuenitis ad aliquod opus aggrediendum; pauloque pòſt, ægrè conuentione facta, eamdem interrumpitis, adeò vt numquam aliquod egregium opus perficere valeatis. Sed nos Turcæ noſtro muſico inſtrumento aſſimilamur, quod duabus dumtaxat craſſis chordis inſtruitur, quæ & facili negotio concordantur, vt vidiſti: quia nos, tam Nobiles quàm ignobiles, vnanimes ſumus in Regis noſtri ſeruitio complendo, & vnicum conficimus corpus, cuius ille caput eſt, cuius etiam iuſſis omnes abſque difficultate obtemperamus; ſicque inter nos diſcordia eſſe non poteſt. Quare mirandum non eſt, quòd vni nos coadunati corpori & capiti, frequentes de vobis diuiſis victorias conſequamur. Verè igitur à Sapiente dictum eſt, *Virtus vnita fortior ſeipſa diuiſa.* & *Concordiâ res paruæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur.*

Pari ſcommate nuper Solymanus Turcarum Imperator, vt ſuum Imperium potentius eſſe Imperio Cæſaris oſtenderet, eius Legatis dixit, ſe eſſe draconem vnius capitis, ſed multarum caudarum; Cæſarem verò & Chriſtianos eſſe draconem multorum capitum, ſed vnius caudæ. Quaſi diceret: Meum Imperium eſt, Monarchicum, ideoque conſtans & validum; Chriſtianorum verò Imperium eſt Polyarchicum, ideoque diſcors & imbecillum. Et vtinam ita non eſſet!

CAPVT XCIV.

Rationes aliæ, ex prophetijs deſumptæ, & pro ſententia Doctoris Nauarri adductæ, expenduntur & refelluntur.

Reſponſio ad fundamento Nauarri poſita Cap. xc.

Ad vaticinia Mauorum.

QVandoquidem iam vidimus, fundamentum naturale & aſtrologicum D. Franciſco Nauarro non multùm ſuffragari, videamus etiam, quantum auctoritatis habeant vaticinia quæ pro ijſdem peculiariter adducit. In primis illud Mahometicum ex Scoto allatum nihil cauſam eius iuuat: ab eo enim tempore quo ſcripſit Scotus, elapſi iam ſunt anni 328. ſcripſit enim & floruit ſubtilis ille Doctor circa annum Domini 1306. & nunc currit annus 1634. & tamen adhuc in vigore ſuo ſecta & tyrannis Mahometica perdurat; non ergo breuî, vt prædicebatur, finem accepit. Aliud vaticinium, quod Damiatæ inuentum fuiſſe refertur, tantummodò finiendam eam eſſe ait, eiuſque finitionis ſignum ponit diſperſionem cinerum Mahometis. Imò neutrum vaticinium certum aliquod tempus aſſignat, quod tamen neceſſarium erat, vt Nauarrus intentum ſuum aſſequeretur. Deceptus quoque eſt Vates ille Mahometicus, qui mille annos ſuæ ſectæ durationi adſcribit, vt ex ijs quæ ſuprà diximus facillimo negotio deprehendi poteſt. Quòd ſi Nauarrus Mahometis & ſectatorum eius de mille annorum duratione vaticinijs fidem adhibet, quomodo ſuperiùs ex D. Ioannis Apocalypſi prolixius tempus conceſſit *beſtiæ*, id eſt Mahometi, ſanctam Dei Eccleſiam affligendi? Vide quæ ſuprà diximus Cap. LXXXVIII. in reſponſione ad ſecundam rationem Maluendæ.

Ad Sanctorum prophetias.

Eccleſiaſticorum quoque Scriptorum prædictiones haud multùm illi ſuffragantur, ſaltem minimè obſunt aliter ſentientibus. Non Cyrilli & Ioachimi opinio de duratione mundi ſex millium annorum, quia eam etiam Beda fruolam appellat, in eamque pluribus inuehitur lib. De ratione temporum cap. 64. & 66. & de eius incertitudine pluribus agit Maluenda de Antichriſto lib. 1. cap. 28. 29. 30. Sed eſto, ſolida ſit & conſtans, quid inde? ex illa vtique ſolummodò poteſt deduci, intra ſextum hunc millenarium terminandam eſſe Mahometicam ſectam, quod libentiſſimè concedi-

cedimus, nec Catholicus vllus id negare audebit, quia de oppoſito non conſtat: ſed in quo præcisè ſæculo vel anno finienda ſit, ſciri humanitus nequit. Quòd ſi ipſe dicat, præſenti ſæculo, vel anno 1855. alius quis, in fine millenarij, & in ſæculi conſummatione ſolùm terminandam eſſe dicet. Obiectionem de longa ſubiectione Mahometiſtarum ſub iugo Chriſtianorum, poſteà diluemus.

Ad Methodium. Iam ad ea quæ pro ſecundo ſuo aſſerto adducit, reſpondeo. Primò quidem ad S. Methodium duplici modo. Vno, librum Reuelationum eidem S. Methodio adſcriptum, cenſeri ſuppoſititium, vt ait Bellarminus: imò eidem falsò adſcribi, aſſeritur in magna Bibliotheca SS. Patrum. Altero, S. Methodium, vel quiſquis illius libelli Auctor fuit, loqui de Antichriſto & exercitibus eius, ille enim ex Iſmaëlitis, hoc eſt, ex Mahometanis originem ducet, vt diximus ſuprà Cap. LVII. & ſuos exercitus præcipuè ex Saracenis ſiue meliùs Agarenis congregabit. Sanctum verò Martyrem loqui de Antichriſto, oſtendemus inferiùs Capite c. vbi & illius verba proferemus & explicabimus.

De Script. Eccleſiaſt. Tomo 3. cent. fin.

Ad Cyrillum iam antè reſponſum eſt: & fortè ipſe etiam loquitur de Antichriſto, etſi illum de Mahomete interpretetur Ioachim, quòd quæ ab illo dicuntur, poſſint vtrique aptari, & refert Fortalitium fidei lib. 4. Conſiderat. 12. Et hinc patet ad *Ad duo Corollaria.* duo Corollaria: cùm enim arundineo imò falſo nitantur fundamento, & ipſa ruere neceſſe eſt, & argumentum ſimiliter ex ipſis deductum. Et quamuis illi concedatur, S. Methodium loqui de Mahomete & eius ſectatoribus, non verò de Antichriſto, minùs probè tamen inde deducitur primum conſectarium de diuturna ſubiectione Mahometiſtarum ſub iugo Chriſtianorum, de ipſa enim ſic loquitur Methodius: *Et reddet illis Dominus mala quæ ipſi alijs fecerant, & irruet ſuper eos malitia ſepties tantum, quantum in alios geſſerunt, & occidet illos Dominus in manu Chriſtianorum.* vbi malitiam ſepties reddendam eſſe, non de extenſione ſed de intenſione intelligendum eſt: quod probatur dupliciter. Primò ex ipſo Auctore, eodem §. 5. poſt medium, vbi hæc eadem verba adducit, quæ & ipſa eſſe ait quæ S. Ioannes in Apocalypſi cap. 15. 16. & 17. comminatur. At in his locis magis loquitur de intenſione quàm de extenſione pœnæ: capite enim 15. & 16. agit de ſeptem Angelis habentibus ſeptem plagas nouiſſimas, & ſeptem phialas aureas plenas ira Dei, quas in orbem effuderunt, & in quibus conſummata eſt ira Dei; vtique, quantum ad intenſionem pœnarum huius ſæculi, quia quantum ad extenſionem conſummabitur in futuro. Præterea loquitur de plagis nouiſſimis, quas peccatoribus Deus vltimis diebus infliget, ſed *breuiabuntur dies illi*, vt dixit Saluator noſter Matthæi 24, 22. & mens Prophetæ & expoſitorum ibi eſt clariſſima, & de tali pœna hunc ſecundum locum intelligendum eſſe ipſe Auctor adſtruit: quæ ergo ratio vel ſuadet vel cogit, priorem intelligere de magnitudine pœnæ ſecundùm extenſionem? Secundò, ſi de iſta extenſionis pœna verba S. Methodij eſſent intelligenda, oporteret Mauros iugo Chriſtianorum ſubijci ſeptem millibus annis, & ampliùs, poſt depreſſionem ſuam, quia ante illam mille & ampliùs annis vexauerunt Chriſtianos; quod tamen falſiſſimum eſt, præſertim ſecundùm aſſerta illius Auctoris. Capite item 18, 6. Apocalypſeos, vbi agitur de damnatione meretricis magnæ, dicitur: *Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis: & duplicate duplicia ſecundùm opera eius*, &c. *id eſt, anima & corpori maiores pœnas inferte, quàm ipſi vobis*, ait Gloſſa ordinaria. Et Lyranus (qui in meretrice illa arbitratur intelligendum Mahometem ſiue eius Imperium) de maiori pœna temporali ſecundùm intenſionem per Chriſtianos, Mahometanis inferenda interpretatur. Quare non rectè Auctor ex Methodij verbis intulit primum illud Corollarium.

Secundum Corollarium, Maurorum exſtinctionem in ſexto millenario eſſe conſummandam, nobis non officit: admittimus enim, Mahometicam ſectam (quæ ſtante fide Catholica peribit) poſito quòd mundus ſex millenarijs dumtaxat duraturus ſit, & quinque iam elapſi ſint, in ſexto finem eſſe habiturum. Sed prius illud omnino eſt dubium, ideoque & poſterius. Et quamuis illud certum eſſet, non tamen ex illo neceſſariò tam longa Maurorum captiuitas & afflictio deduceretur, tum quia Maurorum ſecta dicitur abolenda, & Eccleſia longa tranquillaque pace fruitura; tum quia ſancta Eccleſia, quæ omnium benigna eſt mater, non vſqueadeò protrahet pœnam, cùm ſciamus, ſponſum eius Chriſtum, cuius ipſa æmula eſt, eſſe pium ac mitem, præſtabilem ſuper malitia, & nolle mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat: & ſi, noſtris exigentibus culpis, virgâ ſuæ iuſtitiæ viſitet in hac vita (citra condignum tamen) non auferet miſericordiam, viſitans iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem, ſed faciens miſericordiam in millibus. Si dicatur, In longum protrahet pœnam, quia & Mauri

in

in longum deducent culpam; hoc repugnat dictis de totali extinctione Mahometicæ sectæ quoad esse spirituale & temporale, & perfecta sanctæ Ecclesiæ tranquillitate; hæc enim consistere non possunt cum longa illa Maurorum afflictione.

Ad S. Hieronymum & Irenæum

Nec illud quod ex DD. Hieronymo & Irenæo profert, de septem millibus durationis mundi annis, vllo illi modo suffragatur, quin potius refragatur. Si namque 434. annis ante septimum millenarium implendæ sunt illæ duæ prophetiæ de longa captiuitate Mahometitarum sub Christianorum iugo, & de aduentu & persecutione Antichristi; non poterunt esse superstites mille anni quietis, sed oportebit in fine istorum (suppositia illa opinione) illas prophetias, vel saltem posteriorem de Antichristi aduentu, impleri; alioquin fieri non potest, quin in vnum ex hisce scopulis Franciscus Nauarrus impingat, vel quòd post Antichristi aduentum supersint adhuc mille anni antequam Dominus ad iudicandum veniat, quod falsissimum censetur; vel quòd non multò post Iudicium vniuersale peragendum sit: *Statim autem post tribulationem dierum illorum* (nempe Antichristicæ persecutionis) *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur: & tunc parebit signum Filij hominis in cælo*, inquit de hoc apud Matthæum 24, 29. Dominus. & S. Irenæus lib. 5. cap. 30. ait: *Cùm autem vastauerit Antichristus hîc omnia in mundo, regnans annis tribus & mensibus sex, tunc veniet Dominus de cælis in nubibus in gloria Patris*, &c. Vel sanè non tantum tempus intercedet inter Antichristi interitum & Christi aduentum ad iudicium. Sed de hoc infrà Cap. CVIII. Non ergo in fine sexti millenarij, sed septimi deberent illa euenire. Vel quòd post iudicium finale & vniuersalem resurrectionem, Christus in hoc sæculo voluptuosè cum electis suis regnaturus sit. Hæresis multorum veterum, qui propter verba illa Apocalypseos 20, 7. *Cùm consummati fuerint mille anni, soluetur Satanas*, perperam intellecta, illam asseruerunt. Cuius hæresis sectatores ideò appellabant Χιλιασὰς, vt auctor est S. Augustinus lib. 20. de Ciuit. cap. 7.

In eam hæresim incidit Cerinthus hæreticus, vt auctor est Eusebius lib. 3. Histor. cap. 28. vbi de illo agens, sic ait: *Iisdem temporibus etiam alterius hæreseos obortum Principem Cerinthum accepimus: de quo Caius, cuius tam in superioribus fecimus mentionem, in disputationum suarum dialogo ita scribit: Sed & Cerinthus, inquit, per reuelationes quasdam, quas velut à magno Apostolo conscriptas, & per Angelos ei reuelatas putaret, talia quædam portenta nobis introducit. Post resurrectionem terrenum dicit futurum esse Regnum Christi in Ierusalem, & homines in carne iterùm concupiscentijs & vitijs subiectam conuersationem habituros. Contra fidem quoque scripturarum quosdam mille annos designat, in quibus multa quidem & alia corruptionis opera, & nuptiarum festiuitates dicit futuras, ad eos, qui libidini sunt dediti, decipiendos. Sed & Dionysius, cùm de Ioannis reuelatione dissereret, & quædam secundùm ea, quæ antiquitus Ecclesiæ tradita fuerant, disputaret, mentionem facit huius ipsius viri his verbis: Cerinthus, inquit, à quo & Cerinthiana hæresis orta est, figmentis suis auctoritatem magni nominis acquirere secundùm scripturæ huius pranam intelligentiam gestiebat: quippe cuius hæc erat hæresis, vt affirmaret, terrenum futurum esse Christi Regnum, & quia erat ventri, & gulæ, ac libidini deditus, ea futura decernebat, quæ sibi propria libido dictabat: ventris, & eorum quæ sub ventre sunt, incitamenta cibis, potibus, nuptijs prædicabat explenda.* Hæc Eusebius. Eamdem hæresim etiam alij tenuerunt, quam Castro confutat lib. 3. Aduersus hæreses. Hæresi 2. de Beatitudine. Lege Maluendam libro 10. cap. 3. 4. 5. 6. & 7.

Ad auctoritatem ex Apocalyps.

Nec illi suffragatur locus ex Apocalypsi, nam mille anni, qui consummandi dicuntur, non sunt illi ijdem quibus Sancti dicuntur regnare cum Christo; sed illi quibus satanas ligatus esse dicitur ab Angelo, id est Christo, qui mille anni à passione Christi vsque ad aduentum Antichristi fluunt: millenarius enim numerus perfectionis est, qui vniuersitatem significat. Ita S. Augustinus loco citato, D. Gregorius lib. 32. Moral. cap. 12. & lib. 9. cap. 2. & Andreas Cæsarienſis. Qui plura de his scire desiderat, consulat Interpretes in eum Apocalypsis locum; hæc enim quæ diximus pro instituto nostro sufficiunt. Ex his iam apparet, auctoritatem etiam adductam ex Apocalypseos 20, 2. *Et apprehendit Angelus*, &c. non esse ad propositum: intelligitur enim de satana ligato, tempore quo Mahometes & eius asseclæ in Ecclesiam debacchantur, vt manifestum est; & ille soluetur modico tempore, id est tribus annis cum dimidio, in Antichristi persecutione.

Ad locum Apocalyps. 13. quem plurimum facit Auctor, possemus breuiter respondere, communiorem grauiorumque Doctorum cateruam illum intelligere de Antichristi tempore, capiendo per bestiam ascendentem de mari, ipsum Antichristum, per alteram verò ascendentem de terra, eius præcursorem & armigerum: quoniam quæ

in

in eo capite leguntur, optimè Antichristo aptantur, non autem Mahometi, vt videre est apud eius loci interpretes, & Maluendam loco citato lib. 4. cap. 18.

Ad Gloss. Glossa, quã pro se adducit Auctor, dicens, videri eam sentire, primam bestiam significare Mahometicum Imperium ex Ægyptiaco & Ottomanico conflatum, nihil omnino eum iuuat: nisi enim ego eam cæcutientibus oculis perlegerim, nec verbum quidem facit de Mahometico Imperio. Sed, concesso ibi eam loqui de Mahomete & eius sectatoribus, vt egregijs Antichristi præcursoribus, etsi non in sensu litterali, saltem spirituali; & quæ de bestia & capitibus siue cornibus ait ex Daniele, intelligi similiter de duobus Imperijs, Ægyptiaco & Ottomanico, quæ in vnum coaluerunt: nec sic tamen euidenter, vt putat, colligit quod intendit, tum quia, quæ ibi dicuntur, non benè aptantur Mahometi & sectatoribus, imò plura ex illis contraria sunt illius sectæ, vt cuiuis ea, etsi obiter consideranti, patere potest; tum præsertim, quia tempus quod bestiæ ad operationem suam faciendam assignatum siue concessum fuit, est mensium quadraginta duorum, hoc est trium annorum cum dimidio. Sed iam excedunt mille anni durationis & persecutionis sectæ Mahometicæ.

Respondet ipse, menses illos intelligi debere non ordinarios triginta naturalibus diebus constantes, sed menses annorum, quorum quilibet contineat annos triginta, atque inde sequi intentum de duratione Mahometicæ sectæ. Contrà, hæc expositio nouitatem sapit, & aduersatur communi Patrum & sacrorum illius loci expositorum doctrinæ, qui omnes ferè de ordinarijs mensibus triginta dierum illa verba interpretantur. S. Dionysius Alexandrinus Episcopus apud Eusebium lib. 7. Histor. cap. 9. Maluenda lib. 10. cap. 16. Lyranus, Viegas, & alij, & concordant alia Scripturæ loca.

Ait ipse, debere intelligi secundùm consuetudinem Scripturæ, vt dies pro anno accipiatur, &c. Respondeo, licere ita accipere, quando Scriptura se ipsam declarat, vel vrgens aliqua ratio illam sic interpretandi efflagitat, sicut fit in alijs à se adductis locis. At quia Daniel absolute locutus est de hebdomadibus, non est earum omnium idem intellectus, vt apud sacros Doctores videre est. Nec licet diem hebdomadam, vel mensem aliter accipere, quàm communiter accipi consueuerunt, nisi, vt dixi, magna & vrgens ratio vel auctoritas adsit. quæ an sit in casu nostro, an ea tantùm, vt Doctor Franciscus suam accommodet sententiam de duratione Mahometicæ sectæ, & an ea iusta & legitima sit, iudicent alij. Quare id in quo plurimùm suam fundabat sententiam & ratiocinationem, nihil ei suffragatur.

Nec etiam causæ ipsius patrocinatur, quod ait de trium Regum interfectione per Ottomanum; quoniam illi non coëtebantur cum illo, nec ex ipsis originem traxit, quod tum sic fieri oportetet, si ad illos in adductis Scripturis fieret allusio, &c.

Ceterùm, etiamsi sequamur, vel saltem non respuamus illam sententiam, quæ asserit, per bestias illas intelligi debere Mahometem & Turcicum Imperium, quomodo interpretabimur tempus illud quadraginta duorum mensium, quibus potestas & tyrannis eius duratura statuitur? Respondeo ex dictis suprà Capite LXXVII. cùm Antichristus ex Mahomete, vel saltem Mahometanis, procreandus sit, & ex ipsis maximum robur accepturus, adscribi posse impio parenti ea quæ operabitur perditissimus iste filius; dicique tunc posse, *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se*, Eccli. 30, 4. præsertim cùm nullus vnquam Antichristi præcursor adeò similis ei extiterit quàm Mahometes, adeò vt à grauissimis viris ipse Antichristus creditus sit, in eoque conuenire Prophetarum oracula; & si alius non veniret, ille verè crederetur. Et hoc communi sermone nouimus obseruari tam in bonis quàm in malis. Christus Dominus dixit aliquando: *Pater meus modò operatur, & ego operor*, Ioan. 5, 17. Et hoc semper poterit in persona Christi enuntiari, quia semper in fidelibus suis filijs & ministris operatur. Ita etiam dicere possumus de Apostolis & Apostolicis viris, qui in filijs suis semper dicuntur operari. Idem Christus Iudæis cogitantibus illum occidere, opus eos diabolicum operari dixit: *Vos facitis opera patris vestri*, Ioan. 8, 41. &: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. ille homicida erat ab initio*, &c. ibid. vers. 44. Iam à multis annis in ignem æternum descenderunt Lutherus, Caluinus, & alij hæretici, & tamen adhuc persequi Ecclesiam dicuntur in suis discipulis. Sic inter alios se facturum comminatur Lutherus, qui libro contra Regem Angliæ ait, referente Prateolo lib. 10. Elenchi hæret. *Papatus hostis ero: exustus bis hostis ero. Facite porci Thomistæ quod potestis, Lutherum habebitis vrsum in via, leænam in semita.* Et in Epitaphio quod sibi viuo composuisse dicitur, hæc habet:

Pestis eram viuus, moriens tua mors ero Papa.

Quod radeò verum esse Pomeranus affir-

mat, vt prophetiæ elogio exornare non dubitauerit.

Ita dicendum in proposito: Mahometes reliquit sectam, ex qua nascetur eo peior Antichristus, qui opera patris sui dicitur facturus mensibus quadraginta duobus, quoniam illo tempore magis, quàm vllis præteritis sæculis, in Ecclesiam sæuire permittetur, vt comparando persecutionem qua nunc Ecclesiam persequitur Mahometes, cum illa qua eamdem persequetur tempore Antichristi per Antichristum, idem sit ac si compararetur satanas ligatus cum eodem soluto, vt ex Apocalypsi habetur: ***Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neq; fiet,*** &c. dixit apud Matthæum cap. 24, 21. Dominus Iesus. De qua ingenti tam in spiritualibus quàm in corporalibus Antichristi persecutione, plura vide apud Maluendam l. 8. cap. 7. & sequentibus. Atque ex hoc patet, quid dicendum ad illam Apocalypsis auctoritatem: & obiectio, quæ contrà fieri posset, suprà proposita & dissoluta fuit.

Quæ porrò adfert pro confirmatione reliquorum à se assertorum, non officiunt; quia nonnulla tempus, quo futura omnia sint, non determinant, alia tempus & euentus friuola esse monstrant; alia verò contingentia saltem sunt, & possunt euenire si Deus voluerit.

Ad B. Nicolaum Factorem.

Ad illud B. Petri Nicolai Factoris potest responderi multipliciter. Primò, Spiritum sanctum diuersimode tangere corda Prophetarum, vt ait Lyranus in cap. 1. Ionæ, minùs perfectè, & perfectius. Minùs perfectè, quando aliqua quidem euentura reuelantur, sed non secundùm omnes circumstantias: hoc modo reuelauit Dominus Isaiæ mortem Ezechiæ euenturam quidem secundùm naturæ cursum, sed non reuelauit Regis orationem, ob quam dilaturus erat mortem, & additurus plures annos. hoc etiam modo Ionæ reuelauit subuersionem Niniue. Perfectiùs, quando reuelatur aliquid infallibiliter euenturum cum suis circumstantijs, qualis est secunda reuelatio eidem Isaiæ facta de vita Ezechiæ, & de aduentu Filij Dei in vterum Virginis, illis verbis denuntiato, ***Ecce Virgo concipiet, & pariet filium***, &c. Isaiæ 7, 14. Ita dicere possemus in proposito, si Sanctus ille tactus fuit à Spiritu sancto, tactum fuisse imperfectè, nempe, filium illum esse recuperaturum Terram sanctam, si contingeret eum viuere, mortem tamen eius non fuisse ei reuelatam; vel, fuisse quidem in filio illo reuelatum, Regem aliquem Hispaniarum, ex Austriaca familia oriundum, Terram sanctam recuperaturum, sed nominatim & speciatim ipsum Regem demonstratum non fuisse.

Spiritus sanctus diuersimodè tangit corda Prophetarum.

Secundò dicere possumus, Prophetas non semper moueri à Spiritu sancto in suis prædictionibus, nec eis omnia reuelari, quamuis non rarò id illi sibi persuadeant, ob consuetudinem prophetandi. Vnde sanctus Gregorius Homil. 1. in Ezech. verè dixit, aliquando sanctos Prophetas, dum consuluntur, ex magno vsu prophetandi, quædam ex suo spiritu proferre, & se id prophetiæ spiritu dicere suspicari. Quod confirmat exemplo Nathan Prophetæ, qui, Dauide volente Domino templum ædificare, iussit vt faceret; quod tamen consilium nocte sequenti docuit Deus à se non prodijsse, dum ei mandauit, vt Dauidem ab opere illo dehortaretur, quòd alteri illius molitio reseruata esset. Adde, quòd legatur 4. Regum 4, 22. dixisse Elisæum ad Giezi, volentem à pedibus eius Sunamitem remouere: ***Dimitte illam, anima enim eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.*** Et Dan. 12, 8. postquam Angelus multa mala extremis temporibus euentura Danieli reuelasset, addit Propheta: ***Et ego audiui, & non intellexi.*** Et quomodo hoc fieri potuit? ***Quia licet intelligeret veritatem in generali & in speciali quantum ad multa*** (ait in eum locum Lyranus) ***non tamen quantum ad omnes circumstantias, & determinatas personas: quia, sicut suprà dictum est, veritas de futuris non reuelatur Prophetis, nisi secundùm quod expedient est, secundùm diuinam ordinationem.*** Hæc ipse. Hinc diuersæ reuelationes circa idem à diuersis relatæ inueniuntur, vt quòd beata Virgo Maria præseruata fuerit à peccato originali, & quòd non fuerit præseruata: quòd post triduum mortis suæ in anima & corpore assumpta fuerit in cælum, & alij, quòd non nisi post quadraginta dies, &c. Ex his liquidò constat, non omnes prædictiones esse à Spiritu sancto (contraria enim non suggerit) sed ab humano & proprio affectu. Doctrinam hanc præter alios docuit D. Thomas 2. 2. quæst. 171. art. 5. & ibidem art. 2. reddit rationem, quare Prophetæ in suis sermonibus non semper vera prædicant, quia prophetiæ donum non inest Prophetæ per modum habitus, sed transeuntis impressionis.

Prophetæ non semper à Spiritu sancto mouentur.

Vel Tertiò denique breuiùs & meliùs dicatur, prophetiam illam fuisse conditionatam, nimirum ab illo Principe recuperandam quidem esse Terram sanctam, si tamen viueret (at mortuus est in infantili ætate) & si peccata non obstarent; quæ an obstiterint, & adhuc obstent, nouit Dominus.

1. Reg. 7.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XCV.

Iudicium Auctoris de recuperatione Terræ ſanctæ per Catholicos Reges.

VT iam, quid ego de hac re ſentiam, proponam, arbitror probabiliter, recuperandam eſſe Terram ſanctam per illos Hiſpaniarum ex Auſtriaca familia Reges. Sed per quem? Per illum, qui ſe ad ſanctam expeditionem accinget. Quo tempore? Eo quo reipſa Palæſtinam aggreſſurus eſt.

Sed ad hæc ſtatuenda quæ me mouent? An affectus in Catholicos Reges? Non auderem id omnino negare, etſi negauerit Doctor Franciſcus à ſe quidpiam dictum eſſe in gratiam Philippi III. & aliorum Hiſpaniæ Regum, ſed quòd motus fuerit ipſorummet aduerſariorum dictis, & ſacræ Scripturæ grauiumq; Doctorum auctoritate; neque in ſe locum habuiſſe quod Ptolomæus dixit in ſuo Centiloquio: *Amor odiumq;, ne vera eueniant iudicia, prohibent, ſiquidem minuunt maxima, augent minima.* Fateor ego magis me in illos propendere quàm in alios, quamuis homo ſim, & humani nihil à me alienum putem. Igitur ſi quilibet rationabiliter bene ſentire debet de ſuis, maxime pijſſimis, Regibus; quid prohibet, quò minùs ego de pijſſimis Catholicis Regibus, ſub quorum dominio & imperio natus ſum, benè ſentiam, & felicia quæque illis à Deo optimo maximo apprecer, præſertim cùm ipſi de ſacratiſſimis illis Terræ ſanctæ locis, Ordine meo, & vniuerſa Religione Catholica, tot nominibus quàm optimè ſint meriti? Nec quaſi fruſtrà ſic ominer inculpandus ſum, cùm nil quod menti meæ aduerſetur eloquar, vtpote veritatis ſtudioſiſſimus, præſertim cùm, præter ea quæ Doctor Nauarrus adduxit, hæc quæ ſequuntur, eò me ducant.

In primis, quia Hiſpaniarum Reges videntur habere Deum ſibi adiutorem, & pro ſe pugnantem, quemadmodum plures victoriæ ab illis obtentæ, & multa Regna breui temporis ſpatio acquiſita oſtendunt: & hæc Deo præcipuè accepta referre debemus, quia humanitus huiuſmodi fieri poſſe non videntur, præſertim cùm tam multos æmulos & hoſtes habeant, & in prouerbio ſit, *Nec Hercules contra duos.* Verùm illi, protecti à Domino, nauci omnes faciunt, & quilibet illorum videtur dicere *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Dum appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas: qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo,* Pſal. 26, 1. Quare poſſumus etiam ſuſpicari, Deum hac gratia donare velle Catholicos Reges, vt ſuæ ipſi hereditatis ſint poſſeſſores.

Accedit, quòd, ſi Deus aliàs ea gratia donauit fideles alios, immaculatum cultum & Religionem ſuam cuſtodientes, eamdem non denegaturus ſit Catholicis Regibus, exterminantibus, quoad fieri poteſt, omnem de Regnis ſuis ſuperſtitionem & hæreſim, vt ſine macula & ruga appareat S. Eccleſia in conſpectu Dei.

Tertiò, quia potentiſſimi ſunt, quia optimis vtuntur Conſiliarijs, prudenter in agendis procedunt, & ſubditos habent ſibi addictiſſimos & obſequentiſſimos.

Quartò, quia pluribus calcaribus incitantur ad ſanctam expeditionem pro Terræ ſanctæ recuperatione inſtituendam, vt præter dicta, quòd ſe Fidei Catholicę protectores profiteantur; quòd titulo Regum Ieruſalem gaudeant, adeoque hanc regionem multum facere deberent.

Quintò denique, alijs omiſſis, quoniam in Hiſpania, cuius ipſi ſunt Reges, eſt aptior commoditas ad bellum contra Saracenos inſtituendum, vt oſtendit Auctor Fortalitij Fidei lib. 4. Conſideratione vnica, Puncto 2.

Verùm licet ita ſe habere probabiliter ſentiamus, non tamen quæ diximus euenient, niſi ipſimet Reges gratiæ diuinæ cooperentur, ad ſanctam hanc prouinciam ſe accingendo. Abraham, Iſaac & Iacob, & ab his nati, fuerunt à Deo plurimùm dilecti, quibus etiam hanc Terram ſæpiùs addixit, vt alibi ex ſacris Litteris oſtendimus, pluribusque alijs inſuper eos donauit gratuitis beneficijs; & nihilominùs ad ſanctæ regionis poſſeſſionem noluit eos deuenire, niſi poſt multos labores, & plurium hoſtium & infidelium cædes, vt ex Scriptura diuina videre eſt, & nos ſuprà oſtendimus; & ſimili modo olim etiã à Chriſtianis occupata fuit. Igitur & hoc præſtent Hiſpaniarum Reges, hoc exequatur in præſentia Philippus IV. quem Deus diu proſperum & felicem conſeruet, vt quem nomine habemus Regem Ieroſolymorum, re ipſa etiam talem videamus. Quod vt quàm citiùs fiat, Deum in ſanctiſſimo iſto Domini Sepulchro aſſiduè precamur.

Hæc ſine alicuius præiudicio dicta eſſe volo. Sicut enim D. Nauarri dicta neminem offendunt, & nihil certi ſtatuunt, ita nec mea; hæcque ſaltem dixi occaſione illius libelli. Quilibet dicta conſideret, & probabiliora probet: aſſumptum nos argumentum proſequamur.

CAPVT XCVI.

Timendum, ne ſancta repromiſſionis Terra ſub Mahometiſtarum tyrannide perſeueret vſque ad Antichriſti aduentum & interitum.

INuitus planè, fateor, circa propoſitas Cap. LXXXVIII. difficultates, quod euenire nollem, explicare compellor: ſed rationi obtemperandum eſt; & fieri nequit, vt eis quæ mentis vel corporis oculis vidimus, & indies videmus, lingua noſtra contradicat. Nec tamen, quæ dicturus ſum, officient, ſed ſi rectè conſiderata fuerint, magis proderunt. Ad tres illas itaque difficultates tribus Propoſitionibus reſpondeo, quas tribus Capitibus conſequenter explicabo. Sit igitur hoc Capite

PRIMA PROPOSITIO. Timeo, ſanctam ciuitatem Ieruſalem, inclytamque Terræ ſanctæ regionem, non eſſe auferendam à Mahometiſtarum tyrannide, & tradendam Chriſtianis ad poſſidendum, ante aduentum & perſecutionem Antichriſti. Hæc Propoſitio eſt contra Maluendam, & Doctorem Franciſcum Nauarrum, vt in præcedentibus viſum eſt. Ad ſic autem opinandum ducor ex triplici capite, reſpectu nimirum Dei, Chriſtianorum, & Mahometiſtarum.

Tria hanc ſuſpicionem perſuadent.

Primum, Dei iuſtitia.

Ex parte Dei in primis, quia Deus optimus maximus omnia quidem abhorret crimina, Chriſtianorum tamen præcipuè, vtpote quos ſupra ceteras nationes dilexit, & beneficijs maioribus proſecutus eſt, execratur; quare de ipſis etiam vindictam ſumit, & ne committantur, occaſiones aufert. Et nónne ſunt illæ Domini voces: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique: & ſi is qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus; qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum conſenſu. Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes,* &c? Pſalmo 54, 13. & apud Ieremiam cap. 11, 15. idem Dominus ait: *Quid eſt, quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? Numquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?* &c. Et apud eumdem Prophetam oſtendit, non eſſe confidendum in acceptis à ſe beneficijs, ijs qui peccatis & ſceleribus ſuis quotidie ad iracundiam eum prouocant; quoniam & illis eos priuabit, mala verò infliget: quod euidenti terribiliſque exemplo demonſtrat. Iudæi, & in primis illorum ſacerdotes, plurimùm confidebant in Salomonico templo, eius ſanctitate, & ſacrificijs quæ in eo offerebantur, quibus falsò ſibi perſuadebant, non obſtantibus ſuis peccatis, ab inimicis ſe defenſandos, & ab imminentibus debitiſque malis liberandos fore. Quare ſic illis dixit Dominus: *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt. Quoniam ſi benè direxeritis vias veſtras, & ſtudia veſtra: ſi feceritis iudicium inter virum & proximum eius, aduenæ, & pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, nec ſanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, & poſt deos alienos non ambulaueritis in malum vobiſmetipſis: habitabo vobiſcum in loco iſto, in terra, quam dedi patribus veſtris à ſæculo & vſque in ſæculum. Ecce vos confiditis vobis in ſermonibus mendacij, qui non proderunt vobis; furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalim, & ire poſt deos alienos, quos ignoratis. Et veniſtis, & ſtetiſtis coram me in domo hac, in qua inuocatum eſt nomen meum, & dixiſtis: Liberati ſumus, eò quòd fecerimus omnes abominationes iſtas. Numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua inuocatum eſt nomen meum in oculis veſtris? Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio: & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Iſraël: & nunc, quia feciſti omnia opera hæc, dicit Dominus: & locutus ſum ad vos manè conſurgens, & loquens, & non audiſtis: & vocaui vos, & non reſpondiſtis: Faciam domui huic, in qua inuocatum eſt nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco, quem dedi vobis & patribus veſtris, ſicut feci Silo. Et proijciam vos à facie mea, ſicut proieci omnes fratres veſtros, vniuerſum ſemen Ephraim.*

De ſanctis locis vindictam ſumit Deus pro-terpuata.

Miſerandum profectò ſpectaculum, videre locum à Deo electiſſimum, in quo ſibi ſacrificia offerri conſtituit, locum inquam expiationis peccatorum, locum in quo longo tempore ſtetit Arca Domini cum tabernaculo fœderis quæ in deſerto fecerat Moyſes, locum celeberrimum & omni veneratione digniſſimum, ob peccata Iudæorum eſſe deſtructum, & non ſolùm ſolo æquatum, ſed ab ipſis quoque fundamentis radicitus euulſum. Res ſanè hæc eſt quippe omni conſideratione & commiſeratione digniſſima. Comminatur item alibi apud eumdem Prophetam hoc modo Dominus: *Dabo domum iſtam ſicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ*, Ieremiæ 26, 6. quam comminationem non ſolùm mentis, ſed etiam corporis oculis, non ſine lacrymis impletam eſſe ſum intuitus.

Simili modo ratiocinandum eſt de Chriſtianis

ſtianis quotidie diuinam maieſtatem ad iracundiam prouocantibus, à quibus niſi reſipiſcant, non illis proderunt ſacrificia, non loca ſanctiſſima pretioſo Chriſti Sanguine conſperſa; ſed Deus inſuper acerbiùs illos puniet, permittendo eadem diutiùs à Turcis poſſideri, ne in eiſdē grauiùs offendatur à Chriſtianis. Hinc, vt legimus, Chriſtiani ſæpiùs admouerunt manus ad recuperandam Terram ſanctam, & tamen, cum ingenti ſuo damno & dedecore, victoriam non ſolùm non obtinuerunt, ſed vel ob mutuas diſcordias pedem retulerunt, vel ſi quando pedem Terræ ſanctæ intulerunt, non niſi multo ſudore, multa ſanguinis Chriſtiani effuſione eam ſibi comparauerunt, nonniſi cum magnis difficultatibus & expenſis exiguo tempore inſederunt, tandemq; ſumma cum ignominia à Chriſtiani nominis hoſtibus eiecti fuerunt. Non hîc pluribus immoror, quoniam ſuprà Capite LXXXI. in hoc argumentum plura congeſſimus. Cùm igitur Deus tantopere exhorreſcat Chriſtianorum peccata, niſi iſta per veram pœnitentiam à facie eius auferantur, valde timeo, diuina iuſtitia exigente, ratum firmumque eſſe decretum contra ipſos Chriſtianos: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, Matth. 23, 34. nec recuperari ab ijs poſſe Terram illam ante aduentum Antichriſti.

Secundo, Chriſtianorū luxus, & Principum vana regnandi libido.

Secundò ad illud opinandum me mouent ignauia, ſocordia, luxus, aliaque fidelium crimina, & præcipuè inſana, & non rarò iniquiſſima Chriſtianorum Principum regnandi libido. Hoc quidem cum priore in re videtur coincidere, ſuo tamen reſpectu ab eo differt, cum illud Deum, hoc fideles reſpiciat. Ad huius verò rationis intellectum, præter ſuperiùs à me explicata, hîc ſequentia ſubijcio. Dixit aliquando Summus Pontifex Gregorius X. in quodam Sermone habito in Concilio Lugdunenſi, in quo & de ſacra expeditione pro Terræ ſanctæ recuperatione inſtituenda actum fuit, quòd Prælati, mali videlicet, totum mundum corruere faciant. De Prælatis ideò ſpecialiter, credo, locutus fuit, quia ad eos præcipuè Sermonem illum habebat: ſed ſi ad alios ſimiliter Principes Sermonem habuiſſet, abſolutè profectò dixiſſet, Principes tam Eccleſiaſticos quàm ſæculares, diuinæ inquam poteſtatis miniſtros facere totum mundum ruere, dum ſuo muneri non ſatisfaciunt.

Nota.

Habetur Tom 4. Concil. general.

Mali Principes, mundi ruina.

Appoſitè quidem & prudenter ſanctus & doctus Pontifex mundi ruinam illis adſcripſit, ſic ipſa ratione, ac ſuo modo Scriptura diuina docente. Ratio id docet, quia ſi columnæ ac cardines domus de loco ſuo amoueantur, corruere ſimul ipſam domum neceſſe eſt. Si ergo Principes, ſupra quos mundum poſuit Dominus tamquam ſupra columnas & cardines (ſapiente quadam dicente: *Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem*, 1. Reg. 2, 8.) malis operibus ac peruerſo regimine moueantur de loco ſuo, totam ſtructuram in ipſis fundatam ruere neceſſe eſt. Scriptura etiam docet; quia huc trahi poſſet (etſi fortaſſe alio ſenſu locutus fuerit) illud Prophetæ: *Non eſt malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit*, Amos 3, 6. Quia Principes vel non impediunt malum, cum poſſint & deberent; vel bonum, quod facere tenentur, omittunt. Vt enim influxus omnes, ſiue boni ſiue mali ſint, à capite ad ceteras corporis partes dimanant (qui ſi mali ſint, neceſſe eſt vetus illud impleri prouerbium, *Si caput doleat, cetera membra languent*) ita ſubditorum mala, velut ex capite, à Præſule & Principe procedunt. Quare cùm apud Iſaiam cap. 1, 5. Dominus ſub languidi capitis & cordis mœrentis metaphora defectus Primatum ſanctæ ciuitatis expreſſiſſet illis verbis, *Omne caput languidum, & omne cor mœrens*; ſtatim ſub aliorum membrorum ſimilitudine ſubditorum crimina indicauit, dicens: *A planta pedis vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas*, &c. ibid. verſ. 6. & ibi Lyranus. & in Scripturis ſacris inuenimus ea ratione Deum præcipuè de Prælatis alijſque Præſulibus conqueri, illiſque comminari ſupplicia, non ſolùm de proprijs, ſed etiam de ſubditorum ſuorum crimimbus: atq; ideò Apoſtolus dicit eos inuigilare debere, quaſi de omnibus rationem reddituros. Quare non mirum nos dixiſſe, Chriſtianos Principes, præcipuè torpentes & inter ſe diſſentientes, in cauſa eſſe quòd Terra ſancta e Turcarum manibus non eripiatur, nec Chriſtianorum poteſtati reſtituatur.

Simile.

Hebr. 13, 17.

Sed vt præcipuum intentum noſtrum explicemus, hîc ſubijcimus (etſi fortè in allegorico ſenſu) quæ in Canticis canticorum Salomonis leguntur, quemadmodum eruditus quidam Scriptor, Coſmas Damianus Hortulanus lib. 4. Comment. in Cantic. eadem de ſancta Eccleſia explicuit. Cùm ſponſa illa, Deo ab æterno plurimùm dilecta, poſt epulas & balnea, veſtibus iam exuta, clauſoque oſtio ſe ſopori dediſſet, à ſponſo ſuo amoroſis vocibus & obſecrationibus excitata fuit, vt aperto oſtio illum ad ad ſe intromitteret. Quæ immemor amoris debiti, & beneficijs, quæ profuſis manibus in eam contulerat ſponſus ſuus, ingrata renuit, non aliam ſanè ob cauſam, niſi ob ingentem ſupinamque ignauiam, & quia

Cant. 5, 2.

delicatiùs de ſe opinabatur. Hoc etenim illa eius verba oſtendunt: *Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Sponſus ægrè ferens tantum ſponſæ ſuæ ſoporem, perditam laſciuiam, & deteſtandam ignauiam, illius perfodit domum, iniectaque per foramen manu, incautam ferit grauiter; quod verba, quæ immediatè ſubiunxit ſponſa, palàm faciunt. *Dilectus*, inquit, *meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.*

Iam myſteria, quæ in hiſce continentur, ex parte referemus, & noſtro inſtituto applicemus: priùs tamen duo explicabimus, vt planior poſteà euadat noſtra narratio. Primùm erit, quid manus foraminiſve appellatione intellexerit ſponſa; alterum, quid ventris nomine. Dei manus in Scriptura ſacra varias habet ſignificationes; ſed hîc vnam dumtaxat, quæ noſtro inſtituto deſeruit adduco. Significat ergo pœnam, vel flagellum, quo vel impios punit & excitat, vel iuſtos exercet & perficit. Et vtriuſque ſuppetunt exempla in ſacris Litteris. De puniente manu, 1. Reg. 5, 6. *Aggrauata eſt manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos.* & ibidem verſ. 7. quando Azotij dixerunt: *Non maneat Arca Dei Iſraël apud nos: quoniam dura eſt manus eius ſuper nos & ſuper Dagon deum noſtrum.* De exercente, Iob 1, 11. quando ſatan dixit ad Dominum vt illum percuteret: *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet*, &c. & Iob ipſe cap. 19, 21. dixit de eadem: *Manus Domini tetigit me*, &c. In quem modum & impij, per quos Deus immittit tribulationes ad puniendapeccata, vel piorum virtutem exercendam, virga vel gladius Dei appellantur. Hinc ad Aſſur dixit Dominus per Iſaiam, cap. 10, 5. *Væ Aſſur, virga furoris mei & baculus ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea.* Aſſur Regem, qui & ſecundùm aliquos eſt Sennacherib, vel ipſos Aſſyrios, vt placet Lyrano, appellat Dominus virgam & baculum ſuum; quoniam per ipſos puniuit Iudæorum peccata & enormia flagitia. Et Saul hac ipſa ratione gladius Dei appellatur à Dauide, quando ad Deum conuerſus dixit: *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ*, Pſalmo 16, 13. Et in hac ipſa ſignificatione eo loco ſponſa, per *dilecti manus* intellexit ſibi immiſſas tribulationes per eius miniſtros, ſecundùm Iuſtum Orgelitanum, Apomium, Hortulanum, & expreſsè ſic aientem Chaldaicam paraphraſim.

Manus Dei, pœnam ſignificat.

Foraminis verò nomine diuiſionem intelligit, & ſub hac metaphora gratiæ vel fidei defectum, qua quis ſeparatur à Deo vel ab eius Eccleſia. Et illo facto impij, & ipſi infideles & crudeles homines ingrediuntur ad dilectam, eam vexantes & percutientes: ſicut aperto domus muro, fures ad illam deprædandam ingrediuntur, qui, illo clauſo, vnitisque lapidibus, arcebantur, & nullus eis patebat aditus. Ita dum fideles, velut viui & electi lapides, glutino charitatis & fidei copulati ſunt, nulla erit apertura in ſpirituali ædificio, per quam manus Dei, id eſt flagella, & ipſi infideles ingrediantur. Quod intelligens Apoſtolus, exoptans omne bonum adeſſe Corinthijs, & omne malum abeſſe, illos deprecabatur, vt, depoſitis æmulationibus & diſſenſionibus, pacem & charitatem ſectarentur. *Obſecro vos fratres* (aiebat) *per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*, 1. Cor. 1, 10. Et de hac diuiſione loquitur ſponſa ſecundùm eumdem Hortulanum, quando dixit: *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen*, &c.

Foramen, gratiæ vel fidei defectum ſignificat.

Sed quid ventris appellatione intelligendum? Rationales animæ facultates, dicunt aliqui (eodem Hortulano referente & aſſentiente) quas in præcordijs, nempe in corde collocat Scriptura, & quibus perturbatis, reliquæ animæ facultates concidunt. Quomodo etiam in Pſalmis, ob Dei iram conturbatum ſibi eſſe oculum animamque & ventrem, queritur Dauid. *Conturbatus eſt*, inquit, *in ira oculus meus, anima mea, & venter meus*, Pſal. 30, 10. & alibi: *Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens, in medio ventris mei*, Pſal. 21, 15. & apud Ieremiam cap. 4, 19. *Ventrem meum, ventrem meum doleo, ſenſus cordis mei mutati ſunt in me.*

Venter, rationalis animæ facultates.

Nunc ad propoſitum propiùs accedimus. Dum ſancta Dei Eccleſia, ex Eccleſiaſticis & ſæcularibus congregata, ob voluptates & propria commoda velut profundo ſomno ſepulta iacet, miſericordiarum parens, ac Deus totius conſolationis, & illius ſponſus dilectiſſimus eam, vt ſurgat, non ſemel, ſed pluries, amoroſis acclamationibus excitat. Et quid, quæſo, ſunt continuæ fidelium querimoniæ, infidelium detractiones, quòd Chriſtiani Principes nihili faciant ſui Domini Sepulchrum? quid Concilia ad ſanctam expeditionem perſuadendam congregata? quid Pontificum declamationes & orationes? vt præteream diuinas inſpiratio-

Excitant multiplicitèr Deus fideles vt ſibi Terram ſanctam comparent.

nes

nes & ſtimulos, qui pungunt & excitant, & deſiderium dilatandi Regna Chriſtiana, & acquirendi ſacras illas regiones ingerunt? Quid, inquam, hæc omnia ſunt, niſi diuini ſponſi amoroſæ voces, vt vnà omnes excitentur fideles ad ſibi liberum aperiendum ingreſſum ad dilectæ cor, ad electam hereditatem? ſed heu! heu! delicijs dedita ſponſa, ſcurrilibus & nænijs occupata, & proprijs intenta commodis, quæ Ieſu ſponſi ſui ſunt obliuiſcens, illis aures & cor ſuum præcludit, abutenſque patientia & longanimitate Dei, grauiſſimas ſibi parat pœnas. Deus ſiquidem tarditatem pœnæ grauitate compenſat. Ideò S. Paulus ait: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera eius*, &c. Rom. 2, 4. Et ita accidit: ſat luctuoſum & ingens factum eſt principium, vtinam ne ſimilis reſpondeat finis! Factum, inquam, ingens eſt foramen, & magnus hiatus: Deo ſiquidem iuſtè permittente, facta fuit diuiſio magna in Eccleſia, diuiſa eſt maceries ſanctæ & Deo amabilis vnitatis, & factum adeò patens ſchiſma, vt Orientales ab Occidentalibus ſeparati, & tam iſti quàm illi in plures factiones per hæreſes diuiſi ſint, vt præteream diuiſionem per gratiæ defectum & ciuiles diſcordias, per quas à Deo, ab Angelis, à Sanctis eius, & à ſe inuicem ſeiunguntur: nimirum hinc factum, quòd tot hæretici & infideles ingreſſi ſint ad eam, velut grauis Domini manus eam inuadentes, prementes & vaſtantes. *Exterminauit* enim *eam aper de ſilua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam*, Pſal. 79, 12.

Non auditur.

Falla idò diuitatis & fidei-uſio.

An non, quòd Mahometes, velut potentiſſima Dei manus, & velut gladius ex vtraque parte peracutus, ſanctam Eccleſiam in Terra ſancta deuaſtauerit, electam illam Dei hereditatem occupauerit, & fideles partim trucidauerit partim eiecerit, ea occaſione ab eo factum fuit, quòd in ea magnâ Chriſtianorum diuiſionem & ingens ſchiſma videret? Cùm enim, Heraclio imperante, callidiſſimus & perditiſſimus ille animaduerteret, Chriſtianorum animos in diuerſa abire, & plures eſſe in Eccleſia hiatus, & ipſummet Imperatorem (vt ſuprà notauimus Cap. LXXVI.) de reportata à Perſis victoria inſolescentẽ, impuritatibus & hæreſibus ſe immiſcuiſſe, (cùm enim ad ſenium veniſſet, deprauatum eſt cor eius, dæmonumque præſtigijs & aruſpicinæ ſe dedit, Monothelitarum hæreticorum ſectator & fautor factus eſt, & turpi inceſtu ſe contaminauit, ducta fratris ſui filia in vxorem) magno cum Chriſtianorum damno & dedecore Imperium ſuum dilatauit peſſimus iſte Agarenus, & breui temporis curriculo plura ſibi acquiſiuit Regna, & innumeræ gentes perditæ & voluptuoſæ ſectæ eius ſe ſubiecerunt, Gentiles, Iudæi, Armeni, ei acceſſerunt, & plurimi Chriſtiani à ſancta Apoſtolica fide apoſtatarunt, è quibus maximo collecto exercitu, in hiantem & perforatam irrupit Eccleſiam, ſtatimque peruaſit & ſubiugauit Arabiam, bonamque Syriæ partem, nec multò pòſt Ægyptum, Aſiam, & vniuerſam propemodum Hiſpaniam. Quin & Iſmaëlitarum ſiue Saracenorum illa gens, Gog & Magog in ſacris Litteris appellari credita, vt ſuprà notauimus Cap. LXXVIII. incredibile eſt quàm ſtupendis incrementis, à quadringentis annis, Mahometis & Antichriſti regnum in Aſia & Africa, ſuperato Ægypti Sultano, confirmarit; & inde in Græciam atque Europam ſe effundens, omnem Orientalem Eccleſiam, & quidquid in Oriente reliquum fuerat Romani Imperij, expugnata Byzantio, inundarit, totumque obtinuerit. Nec his contenta, ſed & Occidentale Imperium aggreſſa, florentiſſimum Hungariæ Regnum, totius Imperij propugnaculum, pænè totum expugnauit atque occupauit; atque in dies, creſcentibus noſtris peccatis, hæreſibus magis magiſque gliſcentibus, nonnullis item Principibus rem Chriſtianam & Catholicam tam frigidè curantibus, vt potiùs hæreticorum ſe protectores quàm Catholicorum adiutores comprobent, hiatus in muro Chriſtianitatis dilatantur, Eccleſia magis opprimitur, & Turcicum denique Imperium creſcit, & qui priùs intra Caſpios montes claudebantur, modò per vniuerſum ferè mundum incrementa ſumunt, adeò vt liberrimè diuagentur; & iniquitatis myſterium, quod D. Pauli temporibus occultè ſolùm operari cœperat, nunc ad ſummum conſummationis faſtigium conſcendiſſe cernatur.

Præcipuè verò Terram ſanctam, & notanter illius metropolim, noſtram dilectam Ieroſolymam, maiores videmus ſuſtinere tribulationes, & grauiorem Domini manum experiri; cùm & plures & maiores ſciſſuras habeat ob plures in ea habitantes nationes, partim Catholicas partim ſchiſmaticas, *Latinos*, *Maronitas*, *Græcos*, *Armenos*, *Syrianos* ſiue *Iacobitas*, *Georgianos*, *Gophtos*, *Abyſſinos*, & *Neſtorianos*, qui omnes, Catholico-Romanis exceptis (qui inter ſe vniti ſunt) tum ab his tum à ſe & inter ſe vel maximè diuiſi & ſeparati ſunt. Vnde

meritò experitur quod olim fuerat Dominus comminatus per Prophetam, dicens: *Heu, conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Et conuertam manum meam ad te; & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum*, Iſaiæ 1, 24. Hinc non minori ratione dicere poteſt in præſentia noſtra Ieroſolyma, quod olim per Chaldæos vaſtata dicebat per Ieremiam: *Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus eſt in me venter meus: ſubuerſum eſt cor meum in memetipſa, quoniam amaritudine plena ſum. Foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt*, Thren. 1, 20. Atque ideò verè ait Eccleſia ſponſa, & noſtra ſingulariter Ieroſolyma: *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen*, &c. Cantic. 5, 4. &: *Adhuc manus eius extenta*, Iſaiæ 5, 25. & cùm non ſit qui illam amoueat, timendum eſt non leuiter, vt illam etiam indies magis, per hoſtes ſuos Saracenos, ſuper miſerandam Ieroſolymam & totam Terram ſanctam aggrauet, vſque ad filium perditionis Antichriſtum, qui ad parum ſcoriam eius excoquet.

Tertium argumentum, Mahometiſtarum potentia.

Sed & ex alio, eoque tertio capite, opinio mea fundamentum habet, quòd ſcilicet magna ſit virtus & potentia, extenſio & duratio Mahometicæ ſectæ. Et profectò quis id non crederet, cùm morales & humanæ rationes ſuffragentur? Si enim armorum vi & potentia conſeruantur & dilatantur huius mundi Regna & Imperia, vt nos hiſtoriæ & experientia docent, & ſuprà explicuimus, ſingulariter vtique hoc aduertimus locum habere in Turcico & Mahometico Imperio: cumque videamus adhuc illius ſtare robur, & iam abominandam ſuam ſectam & Imperium vltra mille annos protraxiſſe (quod de nulla alia ſecta inuenimus) huius verò temporis homines procliues plurimùm ſint ad carnis & ſæculi voluptates, ad quas Mahometica ſecta longiſſimas laxat habenas, & nemo ſit, qui de illa exterminanda vel ſollicitus ſit, vel ſaltem cogitet; quî timere non poſſimus aut debeamus, Mahometicum Imperium duraturum vſque ad Antichriſti tempus, & ad illud vſque retenturum Ieruſalem & totam Terram ſanctam? Poſteà tamen, Antichriſto cum ſuis ſectatoribus diuina virtute interfecto, eam Chriſtianis reſtituendam eſſe non diſcredimus.

Suffragantur huic ſententiæ S. Vincentius Ferrerius, à Maluenda ſuperiùs citatus, & Cardinalis Caietanus, ab eodem alibi relatus, & quæ nos ſuprà retulimus de dilatatione & duratione ſectæ Mahometicæ Capite LXXVIII. & de rationibus illius durationis Cap. LXXXVI.

Obiectio.

Dices fortaſſe, etiam florentiſſima & amplißima Regna olim dominis ſuis ablata, diuinaque virtute hoſtibus eorum tradita fuiſſe. In Daniele enim cap. 5. legi, Chaldæorum Regnum amplißimum, & valdè firmatum, ad Medos tranſlatum fuiſſe, poſtquam ea ipſa nocte Baltaſſar Rex interfectus eſſet, qua ei cum Primatibus Regni, cum vxoribus & concubinis ſuis epulanti, & ſacris vaſis ad profanas libidines abutenti, manus diuina in pariete aulæ mortis & interitus ſententiam ſcripſerat. *Eadem nocte*, inquit ſacer Textus, *interfectus eſt Baltaſſar Rex Chaldæus. & Darius Medus ſucceßit in regnum, annos natus ſexaginta duos*, Dan. 5, 30. Sennacheribum etiam, illum Aſſyriorum Regem procaciſſimum, de potentia ſua & exercitus ſui numeroſitate nimium elatùm, cùm vellet ciuitatem ſanctam cum Rege eius Ezechia deſtruere & delere, nocte vna ab Angelo Domini in caſtris ipſius centum octoginta quinque millibus cæſis, confuſum, cum dedecore regreſſum, & in Niniue, cùm in templo Neſroch deum ſuum adoraret, vita & Regno fuiſſe à proprijs filijs priuatum, 4. Reg. 19. Antichriſtum quoque, qui futurus eſſet omnium Imperatorum, qui vnquam extiterint, potentiſſimus & callidiſſimus, breuî vitam & Imperium depoſiturum, ſacris id ipſum Litteris & Doctoribus omnibus affirmantibus; vt meritò de iſtis & eorum ſimilibus dixerit Dauid: *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani. Et tranſiui, & ecce non erat; & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius*, Pſalmo 36, 35. Pari ergo modo ſuperbum, dilatatum, & altiſſimis radicibus fundatum Mahometicum Imperium poſſe breui temporis ſpatio ad nihilum redigi.

Solutio.

Optimè quidem; & nos quoque concedimus, non tantùm breui temporis ſpatio, vt noctis vel greſſus vnius, quinimò vel vnico temporis momento, poſſe diuina virtute Turcarum Imperatori Regnum auferri & dari Chriſtianis, & omnem illius ſectæ aboleri memoriam: ſed an illud facturus ſit Deus, me latet. Expenſis tamen quæ præmiſimus, cogor ſuſpicari Deum id minimè facturum: nullus enim eſt Daniel, qui teſtimonium perhibeat veritati; non video Ezechiam orantem exauditumque, Iſaiámve qui de exauditione nos certiores reddat; ac denique non video Filium Dei, qui ſpiritu oris ſui interficiat impium. Appareant hæc priùs, & tum credemus. An verò putat quis hoc non promereri Chriſtianorum diſcordias, luxum, viuendi licentiam, mutuas inuaſiones, Religionis Catholicæ ex impijs Machiauelli & Politicißmi legibus oppreſſionem,

sionem, aliaque illorum fœda & nefanda crimina? Propter hæc ergo valdè timeo, Terram sanctam à Mahometistis insidendam esse vsque ad tempora Antichristi.

Scio futuros aliquos qui hactenus dicta vel potius me sint sugillaturi, quasi Mahometanorũ patrocinium suscipiam, & Christianos à sancta expeditione suscipienda deterream, vt qui frustra se laboraturos, & inanem operam subituros esse prætendere possint. Sed enim hæc a vero longe absunt. Non Mahometistarum, sed veritatis & rationis partes suscepimus; nec enim mentiri licet: & melius est nos manifesta & tangibilia proponere, quam falsa, at plausibilia, propter quæ merito ab ipsismet infidelibus infidelitatis condemnari, ac velut noctuæ ad meridiam Solis claritatem cæcutire dici queamus. Quin, dum hæc ita explico, intelligere possunt Christiani, vbi anguis lateat, & vnde venat quòd ipsi Terram sanctam non possideant; ex suis nimirum peccatis quibus Numen cæleste incessanter offendunt, & ex nimio torpore suo, qui velut alto sopore depressos eos detinet. Quòd si pietas & Religio illos tangat, hinc occasionem desumere possunt, vt, peccatis suis pœnitentiâ extinctis, Numen sibi reddant propitium; & torpore illo excusso, ad sacram expeditionem suscipiendam, & Mahometismum ex sacris aliis locis expellendum, iunctis viribus se propediem accingant; certi, Deum sibi hoc in opere adfuturum, sententiam contra Terram istam prolatam mutaturum, & sua illos benedictione abundantissime impertiturum. Quam in rem facit quod eleganter S. Ambrosius obseruauit lib. 2. in Lucam, Zachariæ Ioannis Baptistæ parenti ob incredulitatis peccatum loquelam ablatam, sed propter pœnitentiam non tantum restitutam, sed prophetiæ insuper spiritum additum fuisse. *Vide*, ait, *quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis. Non solùm ablata restituit, sed etiam insperata concedit. Ille dudum mutus prophetat. Hæc enim gratia Dei maxima, quòd eum, qui negauerat, confitetur. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius delictorum, præmia diuina desperet. Nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum.* Ita futurum spero & voueo, si Christiani à peccatis desistant, non solùm Terram sanctam, sed & alia omnia Mahometanorum Regna & prouincias illorum potestati cessura. Et sane si aliter sentirem, crederem, aut optarem, inferius Lib. III. non tam instanter Christianos Principes, & omnes in vniuersum fideles, ad assumendum bellum contra infideles pro Terræ sanctæ recuperatione adhortatus fuissem.

Mutat Deus sententiam, si mutemus delictum.

CAPVT XCVII.

Piè probabiliterque credendum est, Christicolas, si non dominos, incolas saltem futuros Terræ sanctæ vsque ad tempus Antichristi.

SECVNDA PROPOSITIO ex indicatis Capite præcedenti pro responsione ad superius Cap. LXXXVIII. propositas difficultates sit: Confido de omnipotentis Dei bonitate & misericordia, sanctã ciuitatem Ierusalem, & alia Terræ sanctæ loca, licet fortè possidenda non sint à Christianis ante aduentum Antichristi, ab ijsdem tamen vsque ad illum inhabitanda fore. Ad hanc similiter moueor triplici respectu, Dei, fidelium, & infidelium. *Triplex probatur medio.*

Dei in primis: ad eius namque prouidam dispositionem pertinet, vt loca illa, quæ ab æterno elegit, quæ ante mundi constitutionem in suam peculiarem & electam hæreditatem prælegit, quæ corporali sua præsentia, imò Sanguine proprio consecrauit, semper etiam placito sibi cultu honorentur. Et hoc, quemadmodum Libro III. notabimus, videtur fuisse ab Ezechiele indicatum, dum in Dei nomine dixit, licet grauissima Dei iudicia Ierusalem perpessura esset, nihilominùs relinquendam in ea saluationem. Et ad hoc vt honoretur, sufficit paucos in ea habitare fideles, qui quotidie ibi aliquod Missæ sacrificium offerant. Et ita futurum, ex præteritis credere debemus; quoniam semper, à tempore Christi vsque ad præsens, in ea habitarunt Christiani & fideles aliqui, etsi pro maiori parte circumdati persecutionibus infidelium. quare ergo non etiam opinabimur, tamquam valde diuinæ prouidentiæ consentaneum, in posterum eosdem inibi esse habitaturos vsque ad ipsa Antichristi tempora? *Primo, ex diuina prouidentia.*

Et amplius idem mihi videtur Isaiæ fuisse indicatum à Domino. Postquam enim sanctus ille Propheta diuinitus intellexisset Iudaici populi excæcationem & obdurationem, desiderans eius statum & finem intelligere, dixit: *Vsquequò Domine? Et dixit: Donec desolentur ciuitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquetur deserta. Et longè faciet Dominus homines, & multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ. Et adhuc in ea decimatio, & conuertetur, & erit in ostensionem sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ expandit ramos suos: semen sanctum erit id, quod steterit in ea.* Isaiæ 6, 10.

Lyranus arbitratur, impletam fuisse hanc prophetiam, vel, quando per Titum vastata fuit

fuit ſancta ciuitas; vel meliùs, tempore Sedeciæ, quando Rex Babylonis deſtruxit ciuitates Regni Iudæ, & populum duxit captiuum in Babylonem; ait tamen, principalem Prophetæ intentionem eſſe, loqui de excæcatione Iudæorum tempore prædicationis Chriſti & Apoſtolorum. Tu illum vide.

Ceterùm ego arbitror, Prophetæ verba intelligenda eſſe de ſtatu Iudæorum & ſanctæ ciuitatis à tempore Prophetæ & Chriſti præcipuè vſque ad mortem Antichriſti, & inde vſque ad iudicium vniuerſale. Etenim ſi illa verba, *Vſquequò Domine*, intelliguntur de duratione excæcationis & obdurationis Iudæorum, vt verè intelligenda ſunt, prout ea etiam interpretatur Lyranus, appoſitè non reſpondiſſet Dominus, nec verè, ſecundùm duplicem illam expoſitionem; quoniam nec tempore Chriſti, nec pòſt, ab excæcatione & obduratione liberati ſunt Iudæi, ſed magis in ea firmati, & adhuc in ea perſeuerant. Hoc fuit anteà adumbratum in Moyſe, qui quando loquebatur cum Domino, auferebat velamen donec exiret, quando verò ad populum loquebatur, operiebat rurſus velamine faciem ſuam, vt dicitur Exod. 34, 33. quod myſterium expendens Rupertus lib. 4. in Exod. cap. 44. ait: *Quia dum loquitur Moyſes ad Chriſtum, id eſt ad Euangelicam Eccleſiam, in qua Chriſtus eſt, tollit velamen ſuum, & apertam oſtendit faciem: tollit enim litteram occidentem, & ſpiritum promit viuificantem. Vbi autem legitur in Synagogis Iudæorum, operit vultum ſuum, id eſt ſpiritualem legis ſenſum.* & Apoſtolus manifeſtè alludens ad illud velamen, 2. Corinth. 3, 14. dixit: *Vſque in hodiernum diem idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non reuelatum (quoniam in Chriſto euacuatur) ſed vſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. Cùm autem conuerſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* & ipſi Iudæi apud Iſaiam cap. 59, 10. dicunt: *Palpauimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſq; oculis attrectauimus: impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui.* At non conuertentur ad Dominum, niſi circa finem ſæculi, ſecundùm eumdem Apoſtolum ad Roman. 11, 25. & eſt communis ſententia, quam pluribus probat Maluenda de Antichriſto lib. 11. cap. 13. 14. 15. 16. Quòd ſi hæc ita ſe habent, oportet explicare verba Prophetæ de præſenti & futuro tempore vſque ad conuerſionem Iudæorum, & de eo nos illa explicabimus; ſicque quod propoſuimus, magis firmatum erit.

Excæcationis Iudæorum figura.

Ait Dominus tria ad Prophetam in illis verbis. Primum, Iudaicus populus excæcatus & obduratus manebit: *Donec deſolentur ciuitates abſque habitatore, & domus ſine homine, & terra relinquetur deſerta, & longè faciet Dominus homines.* Hæc profectò verba, nemine diſſentiente, quod ſciam, exponuntur de ſancta Ieruſalem ciuitate, & alijs vrbibus & domibus Iudææ, quæ relinquendæ ſunt deſolatæ, deſertæ, & ſine homine, hoc eſt, ſine veris & legitimis habitatoribus & incolis. Quamuis enim ab alienigenis inhabitata fuerit Ieruſalem, & alia Terræ ſanctæ loca, meritò tamen dici poſſunt eſſe deſolata & abſque habitatore, ſecundùm communem & vulgarem Scripturæ loquendi modum. Vacua domus & deſerta dicitur, quæ à proprio domino non habitatur, etſi inhabitetur ab alijs pro quibus non fuit ædificata, puta à reptilibus & alijs beſtiolis: & crumena, quæ nummos non continet, meritò dicitur vacua, etſi alijs fortè, lapillis nimirum aut arenulis, turgeat. Moyſes ait, terram, quando à Deo creata fuit, fuiſſe vacuam. *In principio*, inquit, *creauit Deus cælum & terram. Terra autem erat inanis & vacua*, Geneſ. 1, 1. Ieremias item intuitus aliquando Iudæam, poſtquam per Chaldæos deuaſtata fuiſſet, dixit: *Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihili*, Ierem. 4, 23. Sed quomodo hæc ſubſiſtunt? Nónne verum eſt illud Philoſophicum axioma, in rerum natura non dari vacuum? & numquid in exordio creationis terra operiebatur aquis, *& ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, dicente eodem Moyſe, Geneſ. 1, 2. Per Prophetam etiam dixit Dominus: *Cælum & terram ego impleo*, Ierem. 23, 24. non ergo eſt vacua. Item in Iudæa, reliquis in captiuitatem Babylonicam abductis, remanſerunt, qui illius curam haberent, & terram excolerent, 4. Regum 25, 12. nec vero eſt ſimile, à Chaldæis inde ſublata fuiſſe omnia bruta animalia, domos, plantas, ſiluas, vt alia omittam: non ergo vacua fuit & nihili. Sed optimè vterque Propheta terram vacuam dixit: Moyſes quidem, quia non vidit in ea homines propter quos creata erat. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum*, ait Regius Vates Pſal. 113, 16. Ieremias ſimiliter dixit Iudæam eſſe vacuam, non obſtantibus illis habitatoribus, quia boni & ſancti omnes, quibus ſanctæ illius regionis incolatus debebatur, inde ſublati, & in captiuitatem ducti fuerant, vt ait Lyranus. Terra enim ideò ſancta dicitur, quia à ſanctis habitanda. Si igitur hi inde abſint, licet ab alijs & impijs habitetur & poſſideatur, vacua & deſerta iure merito nuncupabitur. Et hæc implebuntur à tempore Chriſti vſque ad tempus Antichriſti inclusiue: &

Deſolatio Terræ ſanctæ prædicitur.

Vacuum loci qui dicatur.

Terra ſancta quando vacua.

& poſt eius obitum implebitur quod ſequitur.

Habitabitur Terra ſancta poſt Antichriſtum à legitimis habitatoribus & dominis.

Secundò igitur inquit Dominus: *Et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ*, hoc eſt, ſancta ciuitas, & tota Iudæa, quæ ob iniquitates habitantium & dominorum vacua & deſerta remanſit à Chriſti morte vſque ad Antichriſti interitum, deinceps multiplicabitur; quia non ſolùm habitabitur à Chriſtianis à perſecutione Antichriſti reuerſis, ſed etiam ab ipſis Iudæis qui fidei lumine illuſtrati & Chriſtiani facti fuerint, quemadmodum ſequenti Capite in explicatione tertiæ Propoſitionis apparebit. Et tunc *conuertetur* non ſolùm Iudaicus populus, ſed etiam Saracenicus, & omnis qui prius grauiter peccatis Deum ad iracundiam prouocauerat, *erit in oſtenſionem ſicut terebinthus, & ſicut quercus quæ expandit ramos ſuos.*

Terra ſancta vſque ad Antichriſtum à fidelibus habitanda.

Quod tertiò ſequitur, & ex adducta ſententia intermiſſum eſt, probat eamdem propoſitionem, nempe, *ſemen ſanctum erit id, quod ſteterit in ea.* hoc eſt, fidelis populus, qui ſpirituali generatione genitus eſt, erit illud quod habitabit in ea, a tempore Chriſti ſcilicet vſque ad aduentum Antichriſti. Et fidelis hic populus *ſemen* dicitur, tum quia vt illud meſſe minus eſt, ita minor erit fidelium numerus illo tempore habitantium Ieroſolymis, quàm infidelium; tum quia quemadmodum per ſemen fit multiplicatio, & ſpecies & ſucceſſio conſeruatur, ita ea ſimilitudine datur intelligi, quòd Ieroſolymis & in Iudæa ſemper futuri ſint fideles.

Propter aliquos iuſtos loca conſeruantur.

Et quidem poſſumus ita ex præcedentibus temporibus opinari, in quibus aliqui ſemper extiterunt, vt antea diximus: igitur & in ſequentibus. qui & in cauſa ſunt, quòd ciuitas & regio vſque conſeruetur, eodem Iſaia dicente cap. 1, 9. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus*: hoc eſt, Vt illæ ciuitates ob peccata irreparabiliter deſtructæ fuerunt, ita & nos cum ciuitate ad nihilum redacti eſſemus, niſi ſanctum ſemen in ea eſſet, præſertim cum, vt Ieremias dixit, *maior effecta ſit iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento*, Thren. 4, 6. magis vero ſcopum noſtrum probant illa Iſaiæ, *Et adhuc in ea decimatio.* Si ſequamur Gloſſæ ordinariæ explicationem, quæ decimationem ad habitantes refert, dicens, *Adhuc in ea gente decimatio, quaſi adhuc decima pars illius gentis remanebit*, habemus, non obſtante maxima tyrannorum perſecutione, relinquendos ibi eſſe nihilominùs nonnullos, qui erunt velut vnum, ſi cum denario multitudinis & perfectionis numero comparentur. Lyranus verò ait: *Et adhuc decimatio in ea, quia decimæ dantur à fidelibus Eccleſiæ.* Optime ad intentum noſtrum, & ex hoc intelligimus, paucos illos fideles cum Dei cultu ſuſtentandos fore eleemoſynis fidelium, quemadmodum verè ſuſtentantur, vt iam in præcedentibus obſeruauimus, & adhuc videbimus in ſequentibus.

Obiectio.

Dices fortaſſe, dicta à nobis tertio loco refragari dictis in primo, vbi aſſeritur, Terram hanc relinquendam deſertam & abſque habitatore; at deſertam & abſque habitatore non eſſe, ſi habitauerunt olim, & in poſterum ſemper habitabunt fideles.

Solutio.

Sed iam indicata eſt ſolutio, ideò dici deſertam, quia pro maiori parte ab exteris & infidelibus poſſidebitur & habitabitur, quorum reſpectu fideles, ob ſuam paucitatē, pro nihilo reputantur; & hactenus non vt domini, ſed vt ſubditi in ea habitarunt, adhuc habitant, & porrò habitabunt vſque ad Antichriſti interitum. Et ex his mihi videntur explicari verè poſſe illa Saluatoris verba: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, Matth. 23, 38 *Deſerta*, Primò propter paucitatem fidelium quibus ex iuſtitia deberetur, & multitudinem infidelium inhabitantium. Secundò, quia iſti pauci fideles vt ſerui & mancipia ſubduntur infidelibus. hic enim videtur malum illud, quod quaſi per errorem vidit Salomon egredi à facie Principis, *poſitum* ſcilicet *ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum. Vidi ſeruos in equis, & Principes ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos*, Eccleſiaſtæ 10, 6.

Iudæa quomodo deſerta relinquenda.

Secunda probatur Propoſitio ex fidelium

Secundò eadem Propoſitio probatur ex parte ipſorum fidelium. Etenim vt ſemper aliqui ex illis fuerunt, qui non timentes barbaras nationes, pericula facultatum & vitæ ipſius iacturam parui æſtimarunt, modò in Terra ſancta habitarent, prout ipſo facto habitarunt: ita porrò non deerunt, qui non ſolùm ſimilibus, ſed nec maioribus tribulationibus & afflictionibus deterriti, ſummi beneficij loco habebunt in ea habitare: qui & firmiſſimè ſperabunt, cùm alijs prouiderit Deus, nec ipſos eſſe deſerturum. Et ex ſuperioribus euentibus iudicare debemus, quid in poſterum euenturum ſit.

zelo.

Ad hæc habitare in ea debent fideles vſque ad Antichriſti tempora, tum vt ſint qui contra eumdem prædicent, tum vt ſint in quos ille deſæuiat, quíque fugiant ad Arabiæ deſerta in magna illa Antichriſtiana perſecutione, quod futurū eſſe tradunt Doctores, & notauimus ſuprà Cap. LXXXVIII. & ex ſacris Doctoribus tradit Maluenda lib. 8. cap. 13. de Antichriſto.

Tertiò

Tertiò, ex Mahometistarum commodo.

Tertiò denique perſuademur ad eamdem Propoſitionem aſſerendam, ex Mahometiſtarum conditione. Iſti enim, Chriſtianos inter eos habitare, non admodum horrent, imò eſt illis pergratum, quia magnum ex ipſis commodum & lucrum reportant. Vt enim olim Gabaonitæ ſeruati fuerunt, & ad habitandum inter Iudæos admiſſi, vt in vſus vniuerſæ multitudinis ligna cæderent, aquas portarent, aliaque neceſſaria facerent, Ioſ. 9, 21. ita permittuntur habitare Chriſtiani inter Turcas (proh pudor!) vt ipſis deſeruiant, ſuisque eos induſtrijs, laboribus & diuitijs ditent. Et quidnam, quæſo, eſſet Ieruſalem (vt alia Palæſtinæ, Syriæ & Ægypti loca præteream) ſi eam non frequentarent aut inhabitarent Chriſtiani? Deſertum vtique; & ciuitas ea olim opulenta, iam dudum redacta eſſet in ferarum luſtrum. Quid quòd Turcæ, propter nimiam auaritiam, dici poſſint adorare Plutonem diuitiarum fictitium deum? quæ res etiam Turcarum Reges & Imperatores præcipuè mouit, quòd diplomatibus publicis Chriſtianorum in Terra ſancta & alijs illorum imperio ſubiectis Prouincijs habitantium ſaluti, ad Chriſtianorum Principum interceſſionem, conſuluerint, vt manifeſtum eſt, & ſine quibus nec habitare vellent: quin & liberum Chriſtianis ad ſuas Prouincias acceſſum permittunt. Quòd ſubinde arcentur, indirectè id fit, nimirum propter immenſa vectigalia & impoſitiones, quas non rarò ab eis exigunt. Accedit, quòd ex huiuſmodi Chriſtianorum in terris iſtis, & alijs magno Turcæ ſubiectis habitatione, multùm roboretur Mahometicum Regnum, tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus; quia multi Chriſtiani, præſertim ſchiſmatici, vt Græci, Armeni, &c. Mahometicæ ſuperſtitioni adhærent, à quibus Turcæ pueros vectigales & tributa recipiunt, qui plerique optimi euadunt milites, & alijs ſtrenuiores. Ad hæc, niſi Chriſtiani terram & ſolum iſtud excolerent, deſerta vtique remanerent plura Turcarum loca. Deniq; haud parum metuunt Turcæ, ne, ſi Chriſtiani à Ieroſolymæ inhabitatione, & ſacratiſſimi Sepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti adminiſtratione excluderentur, cõmoti Chriſtiani Principes arma contra ipſos ſumant, & pro illius Terræ recuperatione laborent. Propter quæ omnia (Deo præſertim fauente) pie probabiliterque credendum eſt, Chriſtianos in Terra ſancta, etiam in Turcarum poteſtate, vſque ad Antichriſti tempora habitaturos eſſe.

CAPVT XCVIII.

Fideles poſt Antichriſti interitum Terram ſanctam non vt inquilini & exteri habitaturi, ſed vt veri domini ſunt poſſeſſuri.

SIt deniq; TERTIA PROPOSITIO reſponſiua ad datam iam quæſtionem: Ieruſalem, & tota Terra ſancta, auferẽda eſt à Turcis & Mahometanis, & tradenda Chriſtianis, qui non ampliùs vt aduenæ & exteri, ſed vt domeſtici & legitimi domini eam poſſidebunt & inhabitabunt; & hoc poſt aduentum & interitum Antichriſti: tuncq; extinguetur Mahometica ſecta, & implebuntur quæ de eius interitu prædicta leguntur, ſanctaq; Chriſti Eccleſia ſempiterna tranquillitate & pace perfruetur.

Probatur auctoritate ſacræ Scripturæ.

Propoſitionem hanc explico & probo tum Scripturæ ſacræ, tum Eccleſiaſticorum Scriptorum auctoritate. Sponſa illa (cuius anteà mentionem fecimus) figura ſanctæ Matris Eccleſiæ, poſtquam in ſe experta fuiſſet grauiſſimam Dei manum, maximas inquam & inauditas Antichriſti & aliorum miniſtrorum eius perſecutiones & tribulationes, ad cor reuerſa, apertis oculis, deſcendit de lecto, acceſſit ad oſtium, illud aperuit, & ſponſo ſuo obſequentem ſe exhibuit. Hoc verba eius demonſtrant, quæ ad iam recitata, *Dilectus meus miſit*, &c. ſubiungit: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima. Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo; at ille declinauerat, atque tranſierat*, Cant. 5, 5. Surrexit à vitijs, in quibus velut dormiens in lecto quieſcebat; & torpore negligentiæ excuſſo, factiſque pœnitens, abiecit à ſe ſæculi voluptates, diuitias, honores, illecebras, quæ peſſuli nomine intelliguntur, ſecundùm Caſſiodorum, Gregorium Papam, Philonem Carpathium, Bedam, & alios: quoniam quemadmodum peſſulo prohibetur ingreſſus corporalis in domum, ita ſæculi voluptatibus arcetur & repellitur Deus ab anima & ab ipſa Eccleſia: *Nec enim inuenitur in terra ſuauiter viuentium*, vt in libro Iob cap. 28, 13. proditum eſt. Poſſumus etiam cum Anſelmo intelligere ignorantiam & mentis cæcitatem; à Deo enim & vero lumine recedentes, & ſe abſcondentes, ambulant vt cæci, quemadmodum ſuprà diximus de Iudæis. Et Chriſtus Dominus ait: *Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*, Ioan. 8, 12. Ac ideò ſponſa, quæ ſponſo ſuo & veræ luci oſtium clauſit, & aperire,

Eccleſiæ patrum teſtimonia.

Voluptatibus ingreſſus Dei ad animam prohibetur.

Tribulatio illuminat.

aperire, etſi vocata, renuit, in tenebris nocte verſari, & dormitum conceſſiſſe deſcribitur. Sed calamitas & tribulatio oculos illi aperuit, velut oculos Tobiæ quos ſtercus clauſerat, amarum verò fel aperuit. Verè enim dixit S. Gregorius: *Oculos quos culpa claudit, pœna aperit.* Eadem quoque tribulatio torpentes excitat ad quærendum Dominum operibus bonis. *Cùm occideret eos, quærebant eum: & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum*, dixit de Iudæis David Pſalm. 77, 34. & belle in parabola filij prodigi expreſſit Saluator noſter. Sed his & pluribus alijs omiſſis exemplum vnicum, ſed admodum egregium, ad confirmandum & explicandum id quod noſtri eſt inſtituti, proferamus. Scriptura diuina 4. Regum 21. & 2. Paralip. 33. poſt enumerata execranda ſcelera, in quibus velut ſtertebat, ne dicam ſepultus erat Rex Ieruſalem Manaſſes, diuinis ſemper vocibus aures & cor fortiſſimo peſſulo obfirmatum habens, oſtendit etiam, quomodo tribulationibus & angustijs redierit ad Dominum, & mentis oculos aperuerit. Sic enim legitur 2. Paralip. 33, 9. *Igitur Manaſſes ſeduxit Iudam, & habitatores Ieruſalem, vt facerent malum ſuper omnes gentes, quas ſubuerterat Dominus à facie filiorum Iſrael.* Ecce eum in lecto peccati ſopore correptum. Verſ. 10. *Locutuſq; eſt Dominus ad eum, & ad populum illius*, ecce diuinæ voces, *& attendere noluerunt*; ecce peſſulum oſtij. Sed & contemplare immiſſionem diuinæ manus, qua fuit excitatus vt ſurgeret, & pulſanti Domino fores referaret, & cordis oculos aperiret. *Idcirco* (ſequitur verſu 11.) *ſuperinduxit eis Principes exercitus Regis Aſſyriorum, ceperuntq; Manaſſen, & vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem. Qui poſtquam coangustatus eſt, orauit Dominum Deum ſuum: & egit panitentiam valdè coram Deo patrum ſuorum. Deprecatusq; eſt eum, & obſecrauit intente.* Sequitur quomodo exauditus fuerit, bona opera fecerit, & Dominum cognouerit: *Et exaudiuit orationem eius, reduxitq; eum Ieruſalem in Regnum ſuum, & cognouit Manaſſes, quòd Dominus ipſe eſſet Deus. Poſt hæc ædificauit murum extra ciuitatem Dauid, ad Occidentem Gihon in conualle, ab introitu portæ piſcium per circuitum vſque ad Ophel, & exaltauit illum vehementer, conſtituitq; Principes exercitus in cunctis ciuitatibus Iuda munitis: & abſtulit deos alienos, & ſimulacrum de domo Domini, aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini, & in Ieruſalem, & proiecit omnia extra vrbem. Porrò inſtauravit altare Domini, & immolauit ſuper illud victimas, & pacifica, & laudem: præcepitq; Iudæ vt ſeruiret Domino Deo Iſrael.* Perinde dicendum de illius calamitoſi temporis Eccleſia, quando Chriſtiani adeò in peccatis obdormiſcent, & in tanta ſcelerum licentia viuent, quaſi nullæ leges, quæ pietatem & iuſtitiam imperant, ad ipſos pertineant; ſed omnes, vt ait Hippolytus Martyr, pro ſuo ſunt victuri arbitratu. Illud vnum Antichriſtus præcipiet, vt omnes tamquã Principem & Deum illum agnoſcant; reliquam omnem vitæ rationem & licentiam integram cuique permittet: ex quo fiet, vt iura omnia tum diuina tum humana vbique violanda ſint. Sponſa igitur Eccleſia, quamuis Dilecti ſui amoroſis inſpirationibus & prædicationibus, quibus eam, vt à lecto peccati ſurgat, excitabit, aſſenſum non ſit exhibitura, tacta tamen manu calamitatum & ingentium tribulationum, quæ tum contra eam mouebuntur, ijſque cautior effecta, adeoque in ſe reuerſa, Dominum quæret operibus ſanctis, mortificationibus, orationibus, &c. Ac ideò poſt hanc perpeſſionem ait: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo. Manus meæ ſtillauerunt myrrham*, &c. Quod eleganter expreſſit Paraphraſis Chaldaica, dicens: *Cùm prævaluit contra me plaga fortitudinis Domini, obſtupui propter opera, & ſacerdotes obtulerunt oblationes, & adoleuerunt incenſum aromatum.*

Manaſſes ad Deum tribulationibus conuerſus.

Eccleſia deprauatus ſtatus Antichriſti tempore.

Flagellis emendabitur.

Sed quid ſibi volunt illa verba, *At ille declinauerat, atque tranſierat?* An quod dixit eadem Paraphraſis: *Et non fuit acceptum coram beneplacito, quoniam Dominator ſæculi clauſit portas potentiæ in conſpectu meo?* Si hoc admittatur, ideò id dici ſtatuendũ eſt, quia diſtulit ad tempus exaudire, vt Sponſa in petendo & operando perſeuerante, ipſe ad concedendum fieret profuſior, ipſa verò ad recipiendas gratias inueniretur magis idonea. Quem modum olim cum muliere Chananæa obſeruaſſe eumdem Dominum legimus apud S. Matthæum cap. 15. Triſtitia ſanè magna excruciabatur illa, quòd. filia ſua malè à dæmonio vexaretur: acceſſit itaque ad Dominum, obnixè illum deprecans, vt ſui miſereretur, & filiæ ſanitatem impertiretur; quæ licet ſemel & iterùm etiam iniurijs acriter reiecta fuiſſet, perſeuerando tamen largiùs, quòd petierat, obtinuit, & ſuarum virtutum Deum ipſum meruit habere præconem.

Deus ob noſtrum commodum differt concedere quod petimus orantes.

An potius illa declinatione indicantur vehementes calamitates & ærumnæ, quibus tunc opprimetur Catholica Eccleſia? quæ tales erunt, quales ab initio non fuerunt, nec in poſterum erunt, quæ & per deſertionem illam optimè exprimuntur, vt in hoc ſponſo ſuo conformis ſit & appareat. Vt enim Chriſtus Dominus toto vitæ ſuæ

Dei receſſus ab aliquo maximum malum.

Ecclesia Christo in tribulationibus similis.

tempore varias quidem tribulationes sustinuit, ab Herode, à proprijs ciuibus, à Iudæis, à Pharisæis & Scribis, &c. ita vt verè eius nomine dicere potuerit Regius Vates: *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea, exaltatus autem, humiliatus sum & conturbatus*, Psalm. 87, 16. in fine verò vitæ maioribus pressus, imò obrutus fuit, vt omni solatio destitutus meritò credi potuerit derelictus non solùm à propinquis, consanguineis, & ipsis discipulis suis, vt per eumdem Dauidem olim prædixerat: *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognosceret me*, Psal. 141, 5. sed & ab ipso cælesti Patre suo, prout ipse, ad eum conuersus in cruce, dixit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matth. 27, 46. quamuis numquam à Patre abfuerit, vt ipsemet ait apud Ioannem cap. 14, 10. *Ego in Patre, & Pater in me est.*

Christus semper Ecclesiam adiuuabit.

Ita, quia Ecclesia maiores eo tempore, quam vnquam sub alijs anteà tyrannis, aduersitates & angustias sustinebit, quis credere poterit, tustle eam à Sponso suo derelictam (quamuis, iuxta suam promissionem, semper cum ea futurus sit vsque ad consummationem sæculi; & quamuis sponsa ipsa Dilectum suum non videat, ipsius tamen præsentiam aduertet, & auxilium sentiet, quod hæc eius verba præ se ferunt: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*, præbendo nimirum vires, & conferendo auxilium:) tuncque ad oculum licebit videre impletum id quod legitur apud S. Iob cap. 30, 20. *Clamo ad te, & non exaudis me: Ito, & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi.* vers. 24. *Verumtamen non ad consumptionem emittis manum tuam: & si corruerint, ipse saluabis.* Tunc nimirum, vt verbis vtar S. Ephræm Serm. de Antichristo, *plurimi Sanctorum, qui reperientur, confugient maximo cum studio ad deserta, & occultabuntur, timore perculsi, in solitudinibus & montibus, atque speluncis. Capitibusq; suis terra ac cinere conspersis, cum eiulatu ac lacrymis orabunt die noctuq; in maxima humilitate cordis: donabiturq; illis à Deo sancto, quod orantes petierint; deducetq; eos gratia ipsius ad loca definita, & saluabuntur occultati in cauernis & speluncis.* Ex quibus deinde egressi (interfecto Antichristo & exercitu eius) pacificè & cum gaudio occupabunt & possidebunt loca sancta, vt in sequentibus fusiùs explicabimus.

Interim (ne in isto Capite plus æquo longiores simus) ex ipsismet Canticis canticorum, quæ proximè diximus, explicemus. Quæret Ecclesia illo tempore Dominum, vt dixi, sed & per Sanctos & electos Dei, quemadmodum sponsa quæsiuit sponsum per filias Ierusalem, dicens: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei quia amore langueo*, Cant. 5, 8. quia per pias & fideles animas quærendus est Dominus, vt hîc communiter docent Doctores. *Multùm enim valet deprecatio iusti assidua*, ait S. Apostolus Iacobus c. 5, 16. Et dilectus, qui propè est omnibus inuocantibus se in veritate, aderit dilectæ suæ & fidelibus suis: quod indicant illa verba, quæ post præmissa subiunxit sponsa: *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat*, Cantic. 6, 2. Descendit Christus in seruos suos per gratiam & specialia auxilia illis necessaria, vt communis habet expositio; & in eorum virtutibus, velut in amœnissimo viridario, pascitur & oblectatur. Colliget tunc lilia, sanctos videlicet illos, qui in igne tribulationis virentes semper, id est credentes, & gratiâ dealbati, quique Christi bonus odor extiterunt in omni loco; illos, inquam, colliget, congregandos in paradisum exultationis.

Sanctum ovatio virtutis.

Optimè Gregorius Nyssenus Homiliâ. 15. ait: *Descensus sponsi in hortum suum, descensus est Dei in animam, seu in humanam naturam, quam vt pulcherrimam aper de silua diabolus vastauerat per peccatum, denuò ad pulchritudinem restitueret paradisi.* Et vt fructum orationis & requisitionis suæ, præsentiam videlicet sponsi, & virtutem resistendi inimicis, & eos debellandi, indicaret sponsa, subiunxit: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Et sponsus ad illam: *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Etenim per meam præsentiam, etsi debilis & humiliata tribulationibus fueris, pulchra decoraque euasisti, vt Ierusalem in suo pristino glorioso & Regio splendore erat; mihique inmixa, non timebis quid faciat tibi homo, filiusque perditionis Antichristus, & diabolicus eius exercitus; & meis armis munita, illi terrori & formidini eris, ipsumque expugnabis, trucidabis, & ad nihilum rediges. Sed prosequamur cetera, & quæ magis historica siue litteralia sunt, proferamus in medium.

Accessus Dei ad animam virtuosam.

CA-

CAPVT XCIX.

De extinctione Antichristi & Mahometici Imperij, sanctæque Ecclesiæ Catholicæ dilatatione, Ierosolymæ item totiusque Terræ sanctæ recuperatione & possessione.

INter alia quæ, cum Iudæis differens, Saluator noster dixit de sua omnipotenti ac diuina virtute, qua (& non satanica, vt perperàm Iudæi suspicabantur) eijciebat dæmonia, hanc similitudinem protulit: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet*, Luc. 11, 21. Hac inquam si militudine suam virtutem supra dæmonem, quem eijciebat de humanis corporibus, ostendit Christus: quam ad propositum nostrum de Antichristo & Christo accommodantes, dicimus, quòd extremis mundi temporibus venturus & insurrecturus sit contra Christum, & sanctam eius Ecclesiam filius perditionis, Antichristus, præcipuus diaboli minister, & totus diabolicus, cuius Imperium & potestas maior erit quàm extiterit vmquam alicuius terreni Regis & Imperatoris: imò quòd omnium mundi huius Principum diuitias, supellectiles, luxus & potentiam sibi vni sit vindicaturus, adeoq; solus ipse maior & potentior futurus sit omnibus alijs simul iunctis; vt vnanimi consensu docent Doctores sacri, è quibus vnum & alterum tantùmmodò audiamus. Rabanus Opusculo de Antichristo hæc habet: *Potestas Antichristi tenebit à mari vsque ad mare, ab Oriente vsque ad Occidentem, ab Aquilone vsque ad Meridiem.* Quibus congruere videntur quæ Ioannes Apocalyp. 20, 7. ait de Gentibus ac nationibus Antichristi Imperio parituris: *Et seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ.* S. Seuerus etiam Sulpitius Dialog. 2. de Vita S. Martini in eamdem sententiam hæc ex ore S. Martini se audiuisse narrat: *Atque sub illius Antichristi potestate vniuersum orbem, cunctasq; gentes esse redigendas, donec aduentu Christi impius opprimatur.*

Antichristi magna potentia.

Maior Christi potentia.

Sed potentior Christus, qui est Rex regum, & Dominus dominantium, & fortitudo Dei Patris omnipotentis. Hic contra Antichristum & eius exercitum procedet, illum de sede sua deijciet, deturbabit, prostrabit, omnibus viribus exuet, omnia in quibus confidebat auferet, eumque tandem in profundum laci proijciet, quando, vt ait Isaias cap. 11, 4. *percutiet terram*, homines inquam terræ, nos intelligimus Antichristi assecias & fautores, *virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium*, id est, Antichristum, secundùm quorumdam expositionem; vt ibi auctor est S. Hieronymus: eaque S. Pauli manifesta est sententia, dum ad Thessalonicenses scribens sic ait: *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui*, 2. Thessal. 2, 8. siue id facturus sit per se, per Angelos suos executurus. Sed de hoc posteà. Ipse porrò Antichristus cum suis in infernum detrudetur, vt omnes ferè Doctores ostendunt ex illis S. Ioannis verbis: *Et apprehensa est bestia*, id est Antichristus, *& cum ea Pseudopropheta*, id est, eius armiger, & præcipuus præcursor, *qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius. Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure*, Apocalyps. 19, 20. In eum fortè modum, quo Dathan & Abiron, & alij contra Moysen & Aaron factæ coniurationis socij, absorpti, extincti, & in infernum delati fuerunt, vt grauibus placet Auctoribus.

Christus Antichristum interficit.

Tunc igitur iam respirabit, animumque & vires recipiet Ecclesia sancta, videns sæuissimum hostem extinctum, & eius exercitum omnino deletum, & præ ingenti gaudio ob Saluatoris victoriam exultabit: præcipuè verò id fiet Ierosolymis & in tota Terra sancta, vbi maior viguit persecutio, vbi etiam non cessabitur à iubilo hoc: *Nunc facta est salus, & virtus, & Regnum Dei nostri, & potestas Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum nostrorum*, &c. Apocalyps. 12, 10. hoc est, Nunc apparuit, quanta virtute & potentia Christus Regnum suum, quod est Ecclesia, protegat, atque in angustijs & persecutionibus defendat, & quàm gloriosè de suis hostibus triumphet. Et tranquillissima iam pace inter sponsum & sponsam, Christum & Ecclesiam compositа, omnia prosperè succedent; & qui metu Antichristicæ persecutionis aufugerant, & in latibula & speluncas se abdiderant, vel quomodocumque dispersi absconditiq; fuerant, in publicum læti prodibunt, ad aliorum fidelium cœtum reuertentur, laudantes & glorificantes Dominum, quoniam in æternum misericordia eius: quos benigne in suum gremium recipiet S. Mater Ecclesia, & præsertim Ierosolymitana, quæ magis afflicta fuit, suauissimis ac dulcissimis vocibus adhortabitur ad sibi collætandum & congratulandum, fortasse illis verbis quæ in Isaia leguntur: *Lætamini cum Ierusalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio vniuersi, qui lugetis super eam, vt sugatis, & repleamini ab vbere consolatio-*

Antichristo mortuo respirabit Ecclesia, & in primis Ierosolymitana.

Dispersi colligentur in vnum, & gaudebunt.

lationis eius, vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis: ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini. Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini seruis eius, & indignabitur inimicis suis.

Et quemadmodum (vt quæ cum alijs opinamur, sacræ Scripturæ exemplis illustremus) olim percusso à Dauide Philistheo, acerrimo & truculentissimo Israëlitici populi hoste, egressæ fuerunt mulieres de vniuersis vrbibus Israël, cantantes, chorosque ducentes, in tympanis lætitiæ, & in sistris ludentes & laudantes: & multo antè tempore Hebræi, incolumes de mari rubro educti, persecutore eorum Pharaone cum exercitibus suis in eo demerso, læti, & per choros pro sexus varietate distributi, Deo in gratiarum actionem toto cordis & corporis iubilo diuinas decantabant laudes, sicut & posteà iterum fecerunt in solum patrium à Babylonica captiuitate reuersi: ita fideles illi in tota quidem generatim Christianitate, in Iudæa verò & sancta ciuitate præcipuè, vbi nimirum maior erit exultandi occasio, de latibulis suis egressi, in publicum prodibunt, inenarrabiliq́ue gaudio perfusi, festiuissimis acclamationibus ingentes Christo victori gratias agent. Decretis insuper celebratisq́ue publicis supplicationibus, sacrisq́ue pompis, accensis vbique luminibus, decantabunt vel *Te Deum laudamus*, &c. vel *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius*, &c. vel alios huiusmodi Psalmos & Hymnos. Pro ritu item Christiano festa solemnia instituent, vt in communi lætitia fieri solet: quæ maior tunc erit, quàm quæcumque alia vmquam anteà extiterit, cùm se viderit Ecclesia è medijs draconis faucibus erutam, atque, interfecto iam Antichristo, & exercitu eius ad internecionem extincto, plenissimæ & securissimæ libertati & tranquillitati restitutam.

1. Reg. 18. 6.

Exod. 15.

Item, quemadmodum ijdem Iudæi in Terram suam à Babylonica captiuitate reuersi, destructum & profanatum cum ciuitate à Gentilibus templum refecerunt, reædificarunt, purificarunt, multisq́ue oblatis sacrificijs eiusdem dedicationem celebrarunt, vt in Esdræ libris videre est: quemadmodum item posteà Iudas Machabæus cum fratribus & exercitibus suis, contritis & deletis inimicis, in montem Sion ad mundandum & renouandum sancta, ascenderunt, & cùm sanctificationem desertam, altare profanatum, idolum super illud ab Antiocho Illustri positum, portas exustas, in atrijs sicut in saltu vel montibus virgulta nata, & pastophoria diruta vidissent, vestimenta sua sciderunt, planctu magno planxerunt, cineres super capita sua posuerunt, in facies suas super terram se prostrauerunt, tubis clanxerunt, & ad cælum vsque clamores ediderunt; Iudas item sacerdotes sine macula, & qui voluntatem in lege Dei habebant, elegit, qui Sancta mundauerunt, lapides contaminationis in locum immundum reiecerunt, & Templum ipsum omnino purificauerunt & dedicauerunt, vt in libris Machabæorum videre est: quemadmodum denique fuerunt fideles in sancta Ierusalem ciuitate, quando sub duce Godefrido à Christianis capta fuit, vt Historici de Bello sacro historias texentes affirmant: ita eo tempore fideles in sanctam ciuitatem ascendent, videntesq́ue loca sancta à multo iam tempore profanata, deserta & diruta, abominationes item & idololatrias maximas Antichristi tempore perpetratas, à gemitu se cohibere non poterunt, sed lacrymarum imbres ab oculis suis emittent, maximè verò de Dei offensa, sanctorum locorum profanatione & deuastatione indolebunt, statimq́ue quanta fieri poterit celeritate & promptitudine, conquisitis vndique vasis, libris, & necessario apparatu, dabunt operam, vt destructis idolis Antichristi, & omnibus ablatis abominationibus, locisq́ue sanctis purificatis, reædificatis & dedicatis, cum cantu & iubilo tremendum in illis offeratur altaris sacrificium, in laudem & gratiarum actionem, Deum deprecantes, ne amplius ab illis loca sancta auferat, aut hostibus ea tradat, sed vt ipsi, à peccatis præseruati, eadem in æternum inhabitare & possidere queant: dicentq́ue quod olim pro simili euentu dixit Nehemias: *Domine Deus omnium creator, terribilis, & fortis, iustus & misericors, qui solus es bonus Rex, solus præstans, solus iustus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Israël de omni malo, qui fecisti patres electos, & sanctificasti eos: accipe sacrificium pro vniuerso populo tuo Israël, & custodi partem tuam, & sanctifica. Congrega dispersionem nostram, libera eos qui seruiunt Gentibus, & contemptos & abominatos respice: vt sciant Gentes quia tu es Deus noster. Affligе opprimentes nos, & contumeliam facientes in superbia: Constitue populum tuum in loco sancto tuo, sicut dixit Moyses.* 2. Machabæor. 1, 24. Tuncq́ue impletum videbitur, quod per Isaiam Dominus promiserat, dicens: *Consolabitur Dominus Sion, &*

Deo sacrificia offerunt & gratias agunt fideles.

1. Esd. 6. 14 & seq. 2. Esd. 12. 27. *Restaurabunt ac dedicabunt sanctuaria.*

con-

conſolabitur omnes ruinas eius, & ponet deſertum eius quaſi delicias, & ſolitudinem eius quaſi hortum Domini. Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis, Iſaiæ 51, 3.

Dei mirabilia contemplabuntur fideles.

Porrò fideles qui tunc in Terra ſancta erunt, omnem curam adhibebunt ſepeliendis cadaueribus exercituum Gog & Magog, & omnium Antichriſti copiarum, quæ ex funeſta illa ſtrage relictæ fuerint: ex diuina enim diſpoſitione non omnes Antichriſti miniſtros cum illo & eius armigero à terra deglutiendos eſſe arbitramur, vt fideles magis Dei mirabilia, & ſingulare beneficium in ſui gratiam factum contemplentur, hoſtium ſuorum ſpolijs & diuitijs locupletentur, & ad Deum laudandum, eique gratias agendum promptiores fiant.

Exod. 15, 3 Quemadmodum cùm olim Dominus, quaſi vir pugnator, currus Pharaonis & exercitum eius in mare proiecisſet, viderunt Hebræi Ægyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos, vt dicitur Exodi 14, 31. & tum *iuſti tulerunt ſpolia impiorum, & decantauerunt Domine nomen ſanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter*, vt in libro Sapientiæ cap. 10, 20. proditum eſt. Et de hac exercituum Antichriſti ſepultura vaticinatus fuit Ezechiel capite 39, 11. vt poſtea videbimus; atqui ita opinantur ſacri Doctores.

Dona Eccleſiæ dabit Deus.

Dominus verò Ieſus, cuius adiutorio fideles eius à tantis periculis, in quæ ſua propter ſcelera & demerita inciderant, gratis erepti erant, ſpolia ex hoſte deuicto comparata gratis etiam Eccleſiæ ſponſæ ſuæ largietur, vt qui gratis etiam morte & paſſione ſua non ſibi, ſed ſuis fidelibus gratiam & gloriam promeruit, ſpolia, inquam, fortis armati, id eſt Antichriſti, eis diſtribuet, ſanctam nimirum ciuitatem Ieruſalem, & totam Terram ſanctam, cum reliquis Prouincijs, & omnibus diuitijs, quas ex Mahometanis & alijs ſubactis populis per fas per nefas ſibi corrogauerat Antichriſtus.

Finem tunc recipiet Mahometica ſecta.

Tunćque finem recipiet Mahometica ſecta, & omnis ſimul iniquitas ceſſabit, vt ampliùs in ſequentibus explicabitur.

Dubium.

Sed ſciſcitabit quiſpiam, quare vſque ad illud tempus Terram ſanctam in manibus impiorum hominum relinquendam, & non niſi poſt illud tradendam pijs fidelibus arbitremur. Ad hoc iam aliquoties à me reſponſum eſt, nimirum in cauſa eſſe diſcordias Principum Chriſtianorum, & deteſtanda fidelium peccata. Verùm quia fortè minùs exactè mentem meam perceperint nonnulli, hoc vt loco diffuſiùs paulò me explicem, neceſſarium videtur.

Terra igitur ſancta dicitur abundare lacte & melle, alimento puerorum, vt intelligant fideles, debere ſe eſſe paruulos puritate & ſimplicitate, ſi ad eam poſſidendam, & ad ipſius fructibus perfruendum admitti deſiderent: *Talium eſt enim regnum Dei. Amen dico vobis* (ait Chriſtus) *Quiſquis non receperit Regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud*, Marc. 10, 15. Si enim elati, ſuperbi, faſtuoſi, diſcordes & contentioſi eſſe, aut ſecundùm ſæculum ſapere voluerint, abſcondetur ab illis. Quare cùm vſque ad illud tempus naturam moreſque puerorum non induerint, non mirum ſi terra manans lac & mel eis tradita non fuerit. At poſt tempus illud, quando iam ſæcularia ſapere, à ſe quoque mutuò diſſidere deſinent, econtrà verò concordes, manſueti & humiles eſſe, & peccata velut paruuli plangere incipient, tunc Dominus eos amplexabitur, ſuper genua eis blandietur, ad vbera ſua eos portabit, &, pijſſimæ matris inſtar, dulciſſimum & ſuauiſſimum gratiæ & præſentiæ ſuæ diuinæ lac inſtillabit, manu ſua eos demulcebit, &, quod olim, dum in teris ageret, ab eo factum legimus, diuiniſſimis brachijs ſuis complexabitur, ſuaque benedictione eos largiſſimè & liberaliſſimè perfundet.

Solutio. Terra ſancta lacte & melle abundare cur dicatur.

Isa. 66, 12.

Marc. 10, 16.

Qui mel ex apiario extrahere conatur, apum aculeos & puncturas ſentire neceſſe habet: ita etiam qui terram mellis poſſidere cupit, doloris peccatorum, & tribulationum plurimarum grauiſſimas puncturas experiri debet, ſecundùm Apoſtolicum illud, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei*, Act. 14, 21. Et quia tunc fideles per dolorum & tribulationum acutiſſimos aculeos pertranſiuerint, ideò ad mellis & alios ſuauiſſimos Terræ ſanctæ fructus admittentur.

Sed & hanc ob cauſam vſque ad tempus illud Terram ſanctã in infidelium poteſtate permanſuram arbitror, quia pluris illam faciunt quàm fideles. Nónne aurifex & gemmarius margaritam & lapidem pretioſum aufert ab illo qui ipſum non æſtimat? Et ſupremus auritex & gemmarius Dominus Deus, cuius manus aureæ ſunt, & plenæ hyacinthis, non permittit Terræ ſanctæ pretioſum vtique theſaurum, eſſe in manibus Chriſtianorum illum contemnentium, ſed in poteſtate infidelium ipſum pluris facientium. Et verax eſt ille qui dixit: *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis*, Matth. 7, 6. An non hodierno tempore fideles, & in primis Chriſtiani Principes loca ſancta velut ſterquilinium conculcant, & quaſi ea quibuſlibet

Chriſtiani minùs vitandum facere loca ſancta quàm Turcæ.

margaritis & omni pretioſo lapide pretioſiora eſſe ignorarent? Non ſic, profectò non ſic faciunt immundi Turcæ, etſi lumine fidei & vera ad ea vere æſtimanda cognitione deſtituti: pluris enim ea quàm illi faciunt.

Neque hoc à me confictum eſt mendacium, aut ex laborante cerebro profectum paradoxum; ſed manifeſtiſſima veritas, niſi patentes effectus nos decipiant. Turcæ ideò magni ſolum æſtimant loca ſancta & alias Palæſtinæ regiones, quia earumdem poſſeſſione ipſorum non tam dilatatur quàm firmiùs ſtabilitur & roboratur imperium; ſpirituali aliquo reſpectu erga Chriſtum & eius ſanctiſſimam Matrem haud mouentur, quia nec illum Dei Filium, nec hanc Dei Matrem eſſe credunt: & tamen cùm illas Prouincias necdum poſſiderent, totis corporis & animi viribus pro earum acquiſitione laborarunt, atque, ſegniùs agentibus Chriſtianis, ſui eas iuris fecerunt; poſteà cùm Chriſtiani eas occupaſſent, ſed haud multò pòſt ſocordijs diſcordijſque turpiter marcerent, earum dominium ad Turcas redijt, & adhuc, proh dolor, cum ingenti dedecore & damno noſtrorum, penes illos manet. Chriſtiani verò, qui multò eas pluris facere deberent, tum quia Scripturæ diuinæ, quibus neceſſariò credere tenentur, de illis tam egregium teſtimonium perhibent, vt quòd dignißimæ ſint, quòd egregiæ ſuper omnia mundi loca, quòd fluentes lac & mel, &c. tum, quod caput eſt, quia ſanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Apoſtolorum, Virginum, & aliorum Sanctorum & Sanctarum, præcipuè ipſius Sancti Sanctorum, & ſanctiſſimæ Virginis Matris, veſtigijs ſacratiſſimis preſſæ, diuiniſſimis facinoribus illuſtratæ, & ipſomet pretioſo Filij Dei Sanguine conſecratæ fuerunt; nullatenus tamen ad earum recuperationem ſe permoueri patiuntur. An non ergo verè diceres, Chriſtianos minùs eas æſtimare quàm Turcas?

Nec illam admittimus reſponſionem, Turcas Chriſtianis Principibus eſſe potentiores; quia eam nec ipſi Chriſtiani Principes concederent: & quam parum contra eos Turcæ poſſent, ſat mundo conſtitit, tum aliàs, tum præcipuè, quando iunctis olim viribus loca ſancta vi armata etiam inuito hoſti extorſerunt: quin & Deus, cuius cauſa (& quæ alia iuſtior?) tunc agitur, ipſorum conatus promoueret. Quid, quòd munitiſſima loca ſubinde Turcis eripiantur, & conterminæ eis regiones ab ipſis defendantur? quare ergo non perinde extorqueri eis poſſent ſacra Palæſtinæ loca?

Tunc ergo, id eſt poſt Antichriſti finitam perſecutionem, concordia & pace inter Deum & Chriſtianos compoſita, plurimi à fidelibus æſtimabuntur loca ſancta, & ideò illa eis dabit Dominus. Vtinam ante illius perditiſſimi impoſtoris aduentum illa pluris facerent fideles quàm Turcæ, vt eadem à Deo recipere mererentur! *Bonas facite vias veſtras*, ait per Ieremiam cap. 7, 3. Dominus Deus, *& ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto.* *Deus Turcam ſanctâ fidelibus dabit quam eo eam æſtimabunt.*

CAPVT XCIX.

De totali Antichriſtici Imperij & Mahometicæ ſuperſtitionis exterminio.

AD perfectam & glorioſam victoriam non ſat eſt, de vno duce vel hoſte triumphum agere, quando non vnus ſolum ſed plures ſint, ſed oportet omnes, etiam minimos, debellare & expugnare, ne ſuperſtites, reſumptis viribus contra victorem inſurgentes, eum ipſum ſibi ſubijciant, prout huius documenti defectu multi egregij Duces à viliſſimis hominibus non rarò expugnati & occiſi fuerunt. Ad quod fortaſſe reſpiciens Dominus, dixit ad Saul: *Vade, & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius. Non parcas ei, ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum atq; lactentem, bouem & ouem, camelum & aſinum*, 1. Reg. 15, 3. quod quia non obſeruauerat, Regno & vita priuatus fuit, vt ibidem videre eſt. Conſultiùs egerunt Ioſue & Iſraëlitæ, qui poſt deuictam vrbem Iericho, occiderunt etiam mulieres & infantes, *Ceperunt ciuitatem*, inquit Scriptura, *& interfecerunt omnia quæ erant in ea, à viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem*, Ioſue 6, 21. Quoniam ſi infirmiori ſexui, vt mulieribus & infantibus parcitum fuiſſet, creſcere & multiplicari potuiſſent, & parentum maritorumque ſuorum vindictam ab Iſraëlitis ſumere. Cùm igitur Chriſtus Dominus ſemper ſit Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, Dominus virtutum, & vexillifer ex millibus, vt glorioſior & certior ſit eius contra Antichriſtum triumphus, non eum ſolùm interfecturus, ſed armigerum quoque eius & omnem exercitum illius ad internecionem deleturus eſſe credendus eſt. Et hoc vnanimi conſenſu, ſacris Litteris ad id præeuntibus, docent Eccleſiaſtici Doctores. *Ad perfectam victoriam omnes hoſtes exterminandi ſunt.* *Pſal. 23, 8.*

Dubitatur de modo interfectionis, an per ſe immediatè, an per alios; & num hoc vel illo modo, an fame, ferro, igne, vel alio mortis genere eum interfecturus ſit.

S. Hieronymus ſuam & aliorum ſententiam referens, ait, Antichriſtum omni auxilio

Antichriſtus & eius exercitus vbi interficientur.

lio deſtitutum, Ieroſolymis in ſancto Oliueti monte, vnde Dominus ad cælos aſcendit, in ſuo papilione interimendum: & probat Danielis & Iſaiæ teſtimonio illius, dum dicit: *Et figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria, ſuper montem inclytum & ſanctum: & veniet vſque ad ſummitatem eius, & nemo auxiliabitur ei*, Dan. 11, 44. iſtius verò ſic: *Præcipitabit* Dominus *in monte iſto faciem dominatoris tenebrarum ſuper omnès gentes*, Iſa. 25, 7. Verum modum interfectionis ex his nondum habemus; quantum verò ad locum, id eſt montem Oliueti, plerique alij adſtipulantur.

Quomodo interficiendus.

E communiore ſententia de Antichriſti interemptione explicatur hic Prophetæ locus: *Percutiet* Chriſtus *terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium*, Iſaiæ 11, 4. cui conſonat Apoſtolus ſic inquiens: *Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui*, 2. Theſſ. 2, 8. Sed quid nomine *Spiritus Dei* intelligatur, non omnes conuenunt. Quidam Michaëlem Archangelum intelligunt, qui interfecturus ſit Antichriſtum iuſſu Chriſti; de quo S. Bernardinus Senenſis ait: *Antichriſtus de mandato Chriſti fulminabitur per miniſterium Archangeli Michaëlis, qui etiam interficiet exercitum eius, ſecundum Methodium.* Magiſter Hiſtoriæ ſcholaſt. in 12. cap. Danielis exiſtimat, cum verbo Chriſti perimendum; nimirum aſcendente eo in cælum miniſterio dæmonum, audiendam eſſe de cælo vocem Chriſti, *Morere*, & confeſtim fulmine deijciendum interiturumque. Sed quid ſacræ Scripturæ conformius ſit, poſteà apparebit, dum loquemur etiam de interitu Gog & Magog, aliorumque exercituum Antichriſti.

S. Bernard. de Iudicio general. Serm. 11.

Antichriſtus habebit exercitus.

Antequàm verò loca ſacræ Scripturæ adducamus, vel indicemus, notandum eſt, Antichriſtum, vt maximum mundi Monarcham decet, habiturum in varijs partibus plures exercitus, qui eius Imperium conſeruent, & ſubditos detineant, ne ab eius tyrannide deficiant: peculiariter tamen illum comitabuntur quidam in partibus iſtis Terræ ſanctæ, vbi Regium thronum ſuum conſtituturus eſt; quorum frequens mentio extat tam in ſacris Litteris quàm in alijs Scriptoribus, ſub nomine *Gog* & *Magog*, vt videbimus.

Gog & Magog Turcæ creduntur.

Sed quid ſpecialiter ſunt *Gog* & *Magog*? Reſpondeo, varias eſſe Doctorum ſententias, quas refert Maluenda de Antichriſto lib. 5. cap. 15. Ego libenter ſequor eam quam decimo loco ponit, cuius & alibi meminimus, eſſe nimirum Mahometanos, Saracenos, & peculiariter Turcas, ferales Chriſtiani nominis hoſtes, & ſancti ſanguinis ſitientiſſimos: quæ ſententia eſt Methodij apud Hortulanum ſuprà relati in Cant. Hectoris Pinti in cap. 38. Ezechielis, Genebrardi lib. 1. Chronograph. pag. 147. & lib. 4. pag. 662. & 663. & in Pſ. 52, 2. & aliorum. Cum enim in Turcarũ imperio naſciturus ſit Antichriſtus, in eodẽ ſuum auſpicaturus & dilataturus, ex illisq; originem ducturus, vt iam notauimus Cap. LXXVII. huius Libri; probabile eſt credere, ex ipſis electiſſimum ſibi comparaturum exercitum, qui eum vt naturalem dominum comitabitur, & ſtipabit. Nec refert dicere, eſſe nomina ſolius exercitus, vel Ducis exercitus, vel etiam vtriuſque, prout verè fieri poteſt: quomodocumque enim dicatur, ſemper habebimus quod intendimus.

Nec à veritate aberrare hanc opinionem, loco citato, arbitratur Maluenda; ſic enim ait: *Verùm, tametſi quæ Ezechiel & Ioannes de Gog & Magog prophetarunt, neutiquam conuenire poſſunt bellis & cladibus, quæ ad hanc vſque diem paſſa eſt Chriſtianorum natio ab impijs Turcis, nec vlla tam horrenda ſtrage Turcarum exercitus vmquam deletus agnoſcitur, quali Gog & Magog trucidandi à Vatibus prædicuntur. At quot Turcarum phalanges prope vltima mundi tempora, Antichriſto laturæ opem, venturæ ſint, ac de ipſis ſub nomine Gog & Magog vaticinati ſunt Prophetæ; nimirum de his quæ truci Turcarum genti euentura ſunt tempore Antichriſti, neſcimus quam ob cauſam ſit prorſus vt abſurdum explodendum.* Hæc ille. Et addo, ex hoc quòd talem ſtragem non vidimus, arbitrari poſſumus eſſe videndam, cùm iam dixerimus, ex numeroſiſſima Mahometiſtarum gente congregandos eſſe exercitus Antichriſti, qui nondum apparuit. Quæ ſententia ſi vera eſt, non item illa Franciſci Nauarri ſuperiùs poſita de terminatione Mahometicæ ſectæ & Imperij, & ipſius etiam Maluendæ.

Antichriſtum per Michaëlem interimendum, probabile.

Hoc præmiſſo, probabiliſſimum quidem videri poſſit, dicere, Antichriſtum interimendum eſſe à Michaële Archangelo cum illius armigero vel quibuſuis alijs diuinæ iuſtitiæ miniſtris, tum propter Doctorum, S. Anſelmi, S. Thomæ in 2. Theſſal. 2. S. Bernardini Senenſis de Iudicio gener. Serm. 11. & aliorum auctoritatem, qui hoc dicunt; tum quia videtur ita Regiæ illius Maieſtati conuenire, vt per miniſtros ſuos delinquentes puniat, vt frequentiſſime & ordinariè obſeruari ſolet.

Magis probabile, ipſum Chriſtum.

Ceterùm mihi probabilius videtur, aſſeuerare, ipſum Chriſtum immediatè ſpiritu oris ſui Antichriſtum interfecturum, tum quia non deſunt ſancti Patres qui id affir-

ment, vt S. Bruno, qui in illa verba D. Pauli, *Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui*, &c. ſic ait: *Dicit beatus Ambroſius, Ieſum ſe oſtenſurum Antichriſto, & clamante Ieſu interficietur hic impius. Sed quid clamaturus, neſcimus*, &c. idem citato loco tenet Auctor Hiſtor. Scholaſt. vt iam paulò ſuperiùs monuimus, idque alijs probatis Scriptoribus valde placet; tum quia hoc pacto videtur magis deuoueri illius facinus & immane ſacrilegium. Si enim olim Chriſtus Dominus, dum verſaretur in carne mortali, non per alios, ſed in propria perſona, rigidis verbis & duris flagellis ſemel & iterùm vendentes & ementes de templo eiecit, quòd domum orationis & domum Patris ſui feciſſent domum negotiationis, & ſpeluncam latronum; ſi etiam poſteà glorioſus in aſſumpta humanitate in fine ſæculi ad iudicandas omnes gentes veniet; quare etiam ſuſpicari non poſſemus, eumdem Dominum in propria perſona venturum ad iudicandum & puniendum ſibi aduerſiſſimum hoſtem, qui non ſolùm profanas nundinas, ſed execrandas abominationes & horrendas idololatrias in templo eius commiſit? Tum denique, quia abſque violentia id videntur indicare ſacræ Litteræ, vt videbimus.

Exercitus Antichriſti quomodo interimentur.

Quantum verò ad exercitus Antichriſti Gog & Magog, & alios per vniuerſum orbem diſperſos, dico, humanas vires non ſufficere, vt quæ illorum comparatione exiguæ ſint futuræ, ſed diuinum auxilium neceſſarium eſſe ad illos perdendos & exterminandos. Optimè ad id Lactantius lib. 7. cap. 19. *Oppreſſo igitur orbe terræ, cùm ad deſtruendam immenſarum virium tyrannidem humana opes defecerint (ſiquidem capto mundo, cum magnis latronum exercitibus incubabit) diuino auxilio tanta illa calamitas indigebit.*

Et quantum ad Gog & Magog, arbitror adhuc, non humana virtute, ſed diuina & Angelica, eos interimendos, forte vt olim infames illæ ciuitates Sodomæ, Gomorrhæ, &c. fortè vt exercitus Pharaonis in Mari rubro, de quorum cædibus alibi; forte vt exercitus Sennacherib interemptus fuit per Angelum nocte vna. Quantum autem ad alios, arbitror fideles, iam reſumptis viribus, cooperaturos eſſe diuino auxilio in hoſtium ſuorum cæde, vt & ipſi de victoria meritum & gloriam conſequantur; quod eis non erit difficile, cùm vnanimes & concordes futuri ſint. Nunc ad ſacra Scripturarum vaticinia, quæ ſecundùm communem Doctorum ſententiam de his loquuntur, accedamus.

4. Reg. 19, 35.

Scriptura de Antichriſti & exercitus eius deſtructione.

In primis habemus Ezechielem, qui capite 38, 18. ait: *Et erit in die illa, in die aduentus Gog ſuper terram Iſraël*, &c. *commouebuntur à facie mea piſces maris, & volucres cæli, & beſtiæ agri, & omne reptile quod mouetur ſuper humum, cunctiq; homines qui ſunt ſuper faciem terræ: & ſubuertentur montes, & cadent ſepes, & omnis murus corruet in terram. Et connocabo aduerſus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus: gladius vniuſcuiuſque in fratrem ſuum dirigetur. Et iudicabo eum peſte, & ſanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immenſis: ignem & ſulphur pluam ſuper eum, & ſuper exercitum eius, & ſuper populos multos, qui ſunt cum eo Et magnificabor, & ſanctificabor: & notus ero in oculis multarum gentium, & ſcient quia ego Dominus.* Qui etiam de eiſdem ſermonem proſequitur cap. 39.

His conſentanea ſunt quæ in Apocalypſi leguntur, in primis quæ cap. 12. vbi agitur de prælio Archangeli Michaëlis cum dracone, ac deinde cap. 19, 11. vbi ſequentia leguntur: *Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis, & Verax, & cum iuſtitia iudicat, & pugnat. Oculi autem eius ſicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe. Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine: & vocabatur nomen eius, Verbum Dei. Et exercitus qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo, & mundo. Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus: vt in ipſo percutiat gentes. Et ipſe reget eas in virga ferrea: & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum: Rex Regum & Dominus dominantium. Et vidi vnum Angelum ſtantem in Sole, & clamauit voce magna, dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cæli: Venite, & congregamini ad cænam magnam Dei: vt manducetis carnes Regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum, & ſeruorum, & puſillorum, & magnorum. Et vidi beſtiam, & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos, ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius. Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea pſeudopropheta: qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos, qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adorauerunt imaginem eius. viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure: & ceteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius: & omnes aues ſaturatæ ſunt carnibus eorum.* In quibus verbis, ad intentum noſtrum, vnicum quid dumtaxat obſeruandum arbitror, eum qui ſedebat ſuper equum album,

Digitized by Google

bum, esse Christum Dei Filium, quem comitabantur exercitus illi cælestes, Angeli videlicet ministri eius. Bestia apprehensa Antichristum, pseudopropheta armigerum eius significant: cetera ex Interpretibus accipe. Sed quid vestis illa aspersa sanguine significat, qua indutus erat Fidelis ille & Verax dux? Vtique quod diximus, ipsum ex se & virtute propria suum aduersarium & truculentam bestiam interemisse, ac ideò illius sanguine vestem suam respersisse.

Idem priùs dixerat Isaias hisce verbis: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego, qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui*, Isaiæ 63, 1. Quæ verba licet mysticè intelligantur de Christi humanitate, quæ, velut vestimentum quo eius Diuinitas operiebatur, in dolorosa eius passione fuit sanguine aspersa; ad litteram tamen de toto Christo (qui instar glorioſi victoris, veste hostium sanguine respersa indutus prædicitur, propter cruentam in Antichristo & eius administris interimendis factam cædem) intelligenda esse, præter alios disertè ostendit Lyranus.

Ad hæc, si mulier illa fornicaria sedens super bestiam coccineam, cuius meminit in Apocalypsi sua S. Ioannes, significat Imperium Antichristi, vel Mahometanorum sectam, vt aliquibus placet, non obscurè ex illius interitu explicatur interitus Antichristi, & exercituum eius qui in diuersis mundi partibus erunt. Et alijs prætermissis quæ de ea asseruntur, tantùm audiamus nonnulla quæ cap. 18. eiusdem Apocalypseos de interitu eius propter ingentia perpetrata facinora enumerantur. *Ideò in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igni comburetur: quia fortis est Deus, qui iudicabit illam. Et flebunt, & plangent se super illam Reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in delicijs vixerunt, cùm viderint fumum incendij eius: longè stantes propter timorem tormentorum eius, dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis; quoniam vna hora venit iudicium tuum.* In his verbis multiplex genus mortis indicatur, quo interficientur exercitus Antichristi, & quomodo longè absentes ab Ierosolymis & Terra sancta, vbi Gog & Magog interficientur à cælestibus exercitibus, cognoscent illorum interitum ex fumo ignis quo comburentur. Tunc nimirum idem arbitror euenturum quod in castris fieri plerumque solet, quando scilicet, dum ijs qui longe ab hostibus absunt, illorum aduentum aut interitum significare volumus, vel ignes in turribus accendimus, vel tormenta bellica displodimus, vt ex igne, fumo, & strepitu, quid factum sit intelligatur. Viso ergo fumo incendij castrorum Antichristi, auditoque plausu & exultatione Christianorum, facilè intelligent quid factum sit, & accusante eos conscientia sua, timore & terrore perculsi hac illac dispersi fugient, mutuo se impedientes & interimentes. *Fugit* enim *impius nemine persequente*, vt dicitur Prouerb. 28, 8. & tunc facile erit fidelibus, etsi paucis, & priùs admodum exterritis, sed ex improuiso diuina gratia roboratis, fugientes & trepidos hostes omnino tollere & eradicare, adeò vt Antichristi Regnum, & Mahometica secta eo modo penitus exterminanda sit: tuncque Deo fauente, impletum erit quod alibi scriptum est: *Persequetur vnus mille, & duo fugent decem millia, quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos*, Deut. 32, 30.

Pauci, Deo adiutore, multos profligabunt.

Et vt quondam pijssimus Rex Iosias, videns Deum maxime offensum sceleribus & idololatrijs filiorum Israël & Gentilium, tum ad illius gloriam promouendam, tum vt omnem idololatriam penitus de medio tolleret, omnia simulacra & idola succendit, lucos euertit, falsos prophetas & sacerdotes exterminauit, locaque idololatriæ & lasciuiæ polluit, dispersis in illis ossibus & cineribus mortuorum: ita pij fideles aperient sepulchra præcipuorum Mahometistarum, quos perdita illa gens velut magnos heroas venerabatur, & ossa illorum dispergent, & projcient illorum cineres tamquam puluerem ante faciem venti, vt maledictæ sectæ ne nomen quidem memoretur amplius. Et huc fortè spectat illud ex Doctore Francisco Nauarro suprà relatum Maurorum vaticinium, Christianorum Regem occupaturum vrbem Mecham, & ossa Mahometi dispersurum, in signum totalis destructionis sectæ Mahometicæ; si tamen id vaticinium dicendum est.

Multiplex mors, quomodo Antichristum eiusq; milites extinguatur.

Dictis suffragantur quæ tradit S. Methodius, vel quicumque fuerit Auctor libelli Reuelationum Methodio adscriptarum, & quæ iam citatus Nauarrus singulariter intellexit de euenturis sectæ Mahometicæ ante aduentum Antichristi: quæ tamen esse intelligenda de euenturis post Antichristi aduentum, & singulariter de Antichristo & eius sectatoribus, ea consideranti patere poterit sic verò habent, vt idem Auctor eo

loco

loco refert ex Auctore Fortalitij fidei lib. 4. Conſideratione 12. *Tunc*, id eſt, poſt Antichriſti crudelem perſecutionem, *recordabitur Dominus Deus ſecundùm ſuam miſericordiam, quam promiſit diligentibus ſe, & eis qui in Chriſto ſunt crediturí, & liberabit eos de manibus Saracenorum*, id eſt Gog & Magog, ſecundum dicta in præcedentibus, & de exercitibus Antichriſti, quorum maior pars congregabitur ex numeroſiſſima Turcarum & Mahometanorum gente: *Surget autem Chriſtianorum gens*, Deo per pœnitentiam reconciliata, & ab eodem roborata & adiuta, *& præliabitur cum eis, & occidet eos gladio, & captiuas ducet mulieres eorum, & interficiet infantes eorum: & deſcendent filij Iſmaëlis in gladium*, quia Gog & Magog, Turcæ & Mahometani, electi exercitus Antichriſti, ex Iſmaële filio Abrahæ & Agar ancillæ eius deſcendunt, *& tribulationem, & afflictionem, & reddet illis Dominus mala, quæ ipſi aliis fecerant, & irruet ſuper eos malitia ſepties tantum, quantum in alios geſſerunt; & occidet illos Dominus in manu Chriſtianorum: & erit Regnum Chriſtianorum exaltatum ſuper omnia Regna, & imponent Chriſtiani iugum ſuper eos graue*, vt conuertantur ſuperſtites à gladio, ſi non virtutis amore, ſaltem formidine pœnæ, *& erunt ſerui qui remanebunt. Et tunc pacificabitur terra, quæ ab eis fuerat deſtructa*, hoc eſt Terra promiſſionis ſingulariter, quæ abſolutè terra in ſacris Litteris appellatur, vt ſuprà notauimus Cap. 11. & etiam alia quæuis anteà per Antichriſtum occupata. *Et qui captiui fuerant ab eis, reuertentur in terram ſuam: & multiplicabuntur homines ſuper terram, & erit indignatio magna Regis Romanorum ſuper eos qui Chriſtum negauerunt, & erit pax & tranquillitas magna ſuper terram, qualis non fuit anteà, nec erit ſimilis poſt illam.* At nulla maior pax & tranquillitas erit in populo Chriſtiano, illâ quæ ſuccedet perſecutioni & morti Antichriſti, vt dicemus Capite ſequenti. De illa igitur, & non de præcedente Antichriſtum, ſunt intelligenda Methodij verba. Atque ex his patet, quomodo interfectis Antichriſto & exercitibus eius, ſimul extingui & aboleri debeat Mahometicum & Turcicum Imperium, & vniuerſa illa maledicta ſecta.

Scio, Doctorem Franciſcum Nauarrum & Auctorem Fortalitij fidei, cum alijs, ea ſancti Martyris Methodij verba interpretari, quòd Mahometiſtæ ſubdendi ſint Chriſtianorum iugo; ſed enim ab horum ſententia ob varias rationes recedere cogimur. Primò, propter eorumdem verborum interpretationem à nobis non tam ex noſtra quàm ex aliorum ſententia allatam; quæ an congrua ſit & conſona ſacræ Scripturæ, iudicet quilibet, & ex dicendis in ſequentibus apparebit magis. Secundò, quia S. Methodius, dum verba facit de finali perſecutione, quam à filijs Iſmaëlis ſiue Saracenis, quos eſſe Antichriſti miniſtros iam diximus, Chriſtiani paſſuri ſunt, adducit in illius confirmationem Apoſtolicum vaticinium, dicens: *Hoc B. Paulus prædixit: Niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fueris homo peccati*, &c. & refertur in Fortalitio fidei loco citato Paſſu 1. Sed locum illum Apoſtoli eſſe de Antichriſto intelligendum, communis eſt Doctorum ſententia, à qua non eſt dicendum receſſiſſe S. Methodium, niſi rationabili exiſtente cauſa, qualis non apparet in illius dictis relatis in Fortalitio fidei. 2. Theſſ. 1. 3.

Tertiò, quia quæ S. Methodius dicit de graui caſtigatione ſiue perſecutione filiorum Iſmaëlis loco citato adducta, vt de interitu Hiſpaniæ, habitatorum ipſius captiuitate, de Galliæ & Germaniæ excidio, &c. nondum impleta videmus, & de diuina miſericordia confidimus, non implenda fore per Mahometanos, præſertim ſi ſequamur placitum Doctoris Nauarri, quòd breuſ Mahometicum regnum per Hiſpaniæ Reges inuadendum, & ſeruituti ſubiugandum ſit; quæ tamen implebuntur tempore Antichriſtianæ perſecutionis per Antichriſtum & miniſtros eius, vt communis eſt Doctorum ſententia. Tum denique quartò, quia ſi Methodij verba explicari poſſunt vel de Mahomete vel de Antichriſto, probabilior ratio vrget vt illum dicamus fuiſſe locutum de Antichriſto; quoniam Antichriſti cognitionem facili negotio, etiam ſecluſa peculiari reuelatione, habere potuit ex ſacris Litteris, quæ de ipſo manifeſtè loquuntur; non item Mahometis, cuius aduentus cùm manifeſtè in illis, Methodij præſertim tempore, dignoſci non potuerit, nec ipſe illius potuit habere vllam cognitionem, ſecluſa peculiari reuelatione: ſed iſtam habuiſſe, non licet affirmare ſine rationabili cauſa, quæ non apparet; ac ideò nec Mahometicam perſecutionem vel ſubiectionem Chriſtianis prædicere potuit. Patet hoc, quia S. Methodius Martyr tribus & ampliùs ſæculis præceſſit Mahometem, floruit enim anno Domini 255. vt de eo agens notauit Sixtus Senenſis lib. 4. Bibliothecæ ſanctæ; & S. Hieronymus, qui Mahometem præceſſit, illum in ſuis Epiſtolis laudat, vt Auctor Fortalitij fidei loco poſteriùs citato aduertit; iſte verò, id eſt Mahometes, in mundo apparuit anno Domini 630. vel circà, vt iam vidimus.

Si dicatur, fuiſſe illi reuelatum aduentum

rum Mahometis & ſectatorum eius, quia dixit *Gog* & *Magog* eſſe Saracenos, & filios Iſmaël, qui iam ſunt Turcæ & Mahometani; dicendum, per *Gog* & *Magog* eum intellexiſſe exercitum Antichriſti, qui, vt iam diximus, maiori ex parte coaleſcet ex Saracenis & Iſmaëlitis, iam poſt pſeudoprophetæ Mahometis aduentum Mahometanis factis; vnde nec Mahometem, nec eius ſectatores, proprio peculiariue nomine Mahometem vel Mahometanos Turcásve appellauit in toto illo libello, ſi non ſum allucinatus, ſed Saracenos, & filios Iſmaël, quaſi horum ſub Mahometanorum & Turcarum nomine cognitionem non habuerit. Ex quibus omnibus, niſi ego fallor, apparet, auctorem libelli Reuelationum S. Methodij in iam præmiſſis verbis locutum fuiſſe de his quæ accident ſectatoribus Antichriſti & Chriſtianis poſt illius interitum, non de ijs quæ euenient Mahometanis ante eiuſdem Antichriſti aduentum, vt volebat Franciſcus Nauarrus. Nec obſtat, Auctorem illum poſt iam adducta verba ſermonem de Antichriſto manifeſtè texere, quaſi id argumento eſſet quòd in præcedentibus de ipſo non fuerit locutus; nam conſequentia non eſt bona: dici enim poteſt, illa per anticipationem ab eo enarrata fuiſſe, quemadmodum non ſemel ſit à ſacris & profanis Scriptoribus, poſt quæ ſe Auctor ad ortum, patriam & mores alios Antichriſti diſtinctius enarranda conuertit.

Obiectio. Dicet adhuc fortaſſe quiſpiam, ea quæ à nobis dicta ſunt non recte inter ſe cohærere, eò quòd ſuprà dixerimus, Antichriſtum ipſum deſtructurum Turcicum & Mahometicum Imperium, vt ſuum magis augeat; non ergo illius exterminium contingere poſſe poſt Antichriſti interitum.

Solutio. Reſpondeo, ex hoc ſolùm ſequi, deſtructum in Mahometicum Imperium quantum ad eſſe ſuum temporale, quia ſuæ Monarchiæ illud adiunget Antichriſtus; non autem quantum ad eſſe ſpirituale, quia hoc forte parum curabit Antichriſtus: nam & ab ipſo ſtabunt Mahometiſtæ, Chriſti hoſtes, & Antichriſto valde conformes.

Si dicatur, Mahometiſtas abominari idololatriam, quam introducturus eſt Antichriſtus, quia licet ipſe *Maozim* ſecretò ſit adoraturus, vt ex Dan. 11, 38. tradunt Doctores; tamen ipſe palam ſe velut Deum adorari faciet. *Extolletur ſupra* (inquit Apoſtolus 2. Theſſal. 2, 4.) *omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Reſpondetur, fieri poſſe huius adorationis decretum non per omnia, quæ vaſtiſſima ſunt, Mahometiſtarum Regna euulgandum eſſe; vel ſi euulgandum ibi ſit, non ab omnibus obſeruandum, ſaltem ſecretò & mentaliter; vel ſi obſeruandum, ſimul cum eo obſeruaturos eſſe Mahometanos ſectæ ſuæ ſuperſtitiones, ſimileſque futuros habitatoribus Samariæ, de quibus dicitur, quòd cùm Dominum colerent, dijs quoque ſuis ſeruierint iuxta conſuetudinem gentium de quibus tranſlati fuerant in Samariam; timentes ſimul Deum cæli cælorum, & nihilominùs idolis ſuis venerationem exhibentes. Vel etiam dici poſſet, ipſos arbitraturos non ſe committere idololatriã adorando Antichriſtum, quia ipſum pro vnico & magno Deo habebunt, qualem ſe eſſe fallacibus prodigijs & falſis miraculis perſuadebit; adeoque non omnino deſtructa erit Mahometica ſecta, tam quoad eſſe temporale, quàm quoad eſſe ſpirituale, ſoluſque in toto orbe terrarum Rex Regum Chriſtus Dominus ſpiritualiter & temporaliter regnabit & adorabitur, vt in ſequentibus dicemus.

CAPVT CI.

De perfecta pace & tranquillitate ſanctæ Eccleſiæ, & ſingulariter ſanctæ Ciuitatis, totiusq; Terræ ſanctæ, poſt horrendum Antichriſti interitum, totalemque Mahometicæ ſectæ extinctionem, vſque ad Domini noſtri Ieſu Chriſti aduentum ad vniuerſale Iudicium: primum ex auctoritatibus veteris Teſtamenti.

PErfectiſſimam & glorioſiſſimam victoriam, in qua ad internecionem vſque ſuperantur & interimuntur hoſtes, non niſi ſumma pax & perfecta tranquillitas conſequi poteſt. Cùm itaque eiuſmodi futura ſit illa victoria, quam Saluator noſter, iuſtiſſimis pro ſuo honore, & Eccleſiæ dilectiſſimæ ſuæ ſponſæ tutela armis ſumptis, de truculentiſſimo hoſte Antichriſto, & eius diabolico exercitu proſtrato, & in profundum laci proiecto obtinebit, conſequens eſt vt inde ſequatur perfecta, ſummaque pax & tranquillitas, quæ quidem vniuerſæ communis erit Catholicæ Eccleſiæ, maximè tamen propria videbitur Eccleſiæ Ieroſolymitanæ, vbi maior etiam fuit tribulatio; vt, iuxta ſententiam Apoſtoli, *ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundet conſolatio noſtra*, 2. Corinth. 1, 5.

Felicitas & conditio habitatorũ S. Ciuitatis Antichriſto interfecto.

Tunc igitur diabolo & omnibus eius ſectatoribus deuictis, deleto peccato, ſublato Antichriſti & Mahometis Regno, diſcordijſque compoſitis, in orbem inducetur iuſtitia ſempiterna, & Chriſti Imperium firmabi-

mabitur & dilatabitur. Et impletum videbitur quod ſacri Vates, de his agentes, prædixerunt. Et in primis Iſaias tum alibi, tum cap. 60. ferè per totum, ſed ſingulariter verſu 21. ad Ieruſalem verba faciens, explicat conditionẽ habitatorum illius temporis, quòd nimirum ſe totos bonis operibus daturi ſint, ita vt quiuis cognoſcere poſſit, eos eſſe electas oliuarum plantationes, arbores fructiferas, quas plantator ille maximus Deus in electa vinea ſua plantauerit. Ait igitur: *Populus autem tuus omnes iuſti, in perpetuum hereditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.* vnde & omnes illi reddent gloriam, & Dei cognitione & familiaritate benedicti illi ciues perfruentur, edocti ab illo, de quo alibi idem Propheta dixit: *Ponam vniuerſos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filijs tuis*, Iſaiæ 54, 13. ſubditiqúe & Reges ad nutum Chriſto obtemperabunt, & de acceptis beneficijs gloriam & honorem dabunt, dicereque poterunt:

Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſoluent formidine terras.

Iſa. 61, 1. 2. 3. 4. Idem porrò Vates ſic pergit: *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit Dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis* (id eſt illis qui iam captiui & ſub tyrannide Antichriſti fuerant) *indulgentiam, & clauſis apertionem: vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro: vt conſolarer omnes lugentes: vt ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris: & vocabuntur in ea fortes iuſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.* Lege eumdem Prophetam cap. 51, 3. & cap. vltimo à verſ. 10. vſque ad 15.

Ezechiel item Propheta poſtquam egiſſet de Antichriſtici exercitus interitu, & de peccatis quæ ſunt cauſa perſecutionis fidelium & deſolationis domus Domini, ſtatim ſermonem facit reſtaurationis illius, & conſolationis fidelium ex diuina miſericordia prouenientis. Sic enim ait in perſona Domini: *Nunc reducam captiuitatem Iacob, & miſerebor omnis domus Iſrael: & aſſumam zelum pro nomine ſancto meo. Et portabunt confuſionem ſuam, & omnem præuaricationem, qua præuaricati ſunt in me, cùm habitauerint in terra ſua confidenter neminem formidantes: & reduxero eos de populis, & congreganero de terris inimicorum ſuorum, & ſanctificatus fuero in eis, in oculis gentium plurimarum. Et ſcient quia ego Dominus Deus eorum, eò quòd tranſtulerim eos in nationes, & congregauerim eos ſuper terram ſuam, & non dereliquerim quemquam ex eis ibi. Et non abſcondam vltrà faciem meam ab eis, eò quòd effuderim ſpiritum meum ſuper omnem domum Iſraël, ait Dominus Deus*, Ezechiel. cap. 39, 25.

A Daniele etiam ſingulariter arbitror fuiſſe prænuntiatam futuram fidelium pacem & tranquillitatem poſt Antichriſti interitum. Poſtquam enim egiſſet de immani illius perſecutione, & eius pariter duratione, quam definit futurã trium annorum cum dimidio, ſubiungit: *Beatus, qui expectat, & peruenit vſq; ad dies mille trecentos triginta quinque*, Dan. 12, 12. Hoc eſt, qui vixerit vltra tempus prædictum perſecutionis; cuius quantitatem inferiùs paulò exactiùs inueſtigabimus. Verùm quare talis futurus eſt beatus? Scio communiter dici, quòd tunc ſecuturum ſit iudicium vniuerſale, in quo glorioſi victores gloriæ corona donabuntur: quam reſponſionem, vt grauiſſimorum Doctorum, haud illibenter amplectimur & veneramur; ego tamen dicerem, ſaluo ſemper meliori iudicio, *beatum* ibi perinde dici ab Angelo, ac felicem & fortunatum, ſecundùm illud Saluatoris: *Beati pacifici*, &c. Matth. 5, 9. quia eo tempore Antichriſti perſecutio finietur, & pax introducetur, cuius initium erit in ipſo interitu Antichriſti, qui accidet in fine trium illorum annorum & ſex menſium perſecutionis, ſed in ſequenti quadraginta quinque dierum ſpatio in eius ſectatoribus & fidelibus manifeſtabitur, idque ideò, quemadmodum dixit idem Propheta, vt *conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna*, Dan. 9, 24. & tum lætabitur iuſtus, cùm videbit vindictam, & manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris: multa enim illis quadraginta quinque diebus, ſiue tempore in illis deſignato, licet cum aliquo labore & timore, ſimul tamen etiam cum lætitia, acturi ſunt fideles, vt purificationem, reædificationem & conſecrationem locorum ſanctorum, ſepulturam interfectorum, &c. poſt quæ tandem gaudium, pax & tranquillitas perfecta ſequetur, non quam dat mundus, ſed quam dabit Chriſtus.

Amos iterùm Propheta de hac eadem felicitate ſic vaticinatur. *In gladio*, ait, *morientur omnes peccatores populi mei: qui dicunt: Non appropinquabit, & non veniet ſuper nos malum. In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerunt inſtaurabo, & reædificabo illud ſicut in diebus antiquis. Vt poſſideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eò quòd inuocatum ſit nomen*

meum

meum ſuper eos, dicit Dominus faciens hæc. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & comprehendet arator meſſorem, & calcator vuæ mittentẽ ſemen: & ſtillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. Et conuertam captiuitatem populi mei Iſraël: & ædificabunt ciuitates deſertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum: & facient hortos, & comedent fructus eorum. Et plantabo eos ſuper humum ſuam: & non euellam eos vltrà de terra ſua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus, Amos 9, 10. Hæc verba intelligenda ſunt de ædificatione S. Catholicæ Eccleſiæ, quæ eſt tabernaculum Chriſti, cuius figuram prætulit Dauid, vt patet tum alibi, tum Oſeæ 3. & indicat S. Iacobus Act. 15, 16. & quod Deus dumtaxat inhabitat, Iſa. 4. & Apocal. 21. quæ non ſolùm ſecundùm Catholicos, ſed etiam ſecundùm Rabbi Salomonem & alios Hebræos apud Lyranum, implenda erat in aduentu Meſſiæ (licet perperàm iſti venturum adhuc expectent) in vnione ſcilicet Gentium & Iudæorum, vt ex citato Actorum loco dicit Lyranus, quia ad prædicationem Chriſti, & poſt eius Aſcenſionem, multa turba, tam ex Gentibus quàm ex Hebræis, obediebat fidei, vt in Actis Apoſtolorum, & apud alios Scriptores videre eſt: ſed hoc tantùm fuit initiatiuè; quia pro maiori parte Iudæi in ſua obſtinatione perſtiterunt, conuertendi ad Chriſtum circa tempora Antichriſti, & conſummationem ſæculi, vt iam indicauimus, & ampliùs dicemus in ſequentibus. Vnde loco citato Oſeæ hæc leguntur: *Poſt hæc reuertentur filij Iſraël, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum*, Oſee 3, 5. vbi habet tranſlatio Chaldaica: *Reuertentur filij Iſraël, & quærent cultum Dei ſui: & obedient Meſſiæ filio Dauid Regi ſuo.* Igitur ſingulariter intelligenda ſunt de tempore ſequente interitum Antichriſti, quando S. Eccleſia, quæ ab exordio mundi incœpit, ſiue ab Abel, ſecundùm D. Gregorium Homil. 19. in Euang. & durabit vſque ad finem ſæculi, multùm collapſa erit, vel ob idololatriam, vel ob hæreſim & ſchiſmata, vt anteà diximus, per Chriſtum quidem & Apoſtolos eius fuit inchoatiuè reparata, ſed conſummatiuè reſtaurabitur, poſtquam Antichriſtus interfectus, Mahometica ſecta deſtructa, Gentiliumque & Iudæorum in vnam eamdemque Chriſti Eccleſiam collectio facta fuerit, quando denique Ieroſolyma illa reſtaurabitur tam ſpiritualiter quàm temporaliter: ſpiritualiter, quia non ampliùs erunt ſectæ, hæreſes, ſchiſmata & errores, ſed omnes vnanimes, vna eademque voluntate honorificabunt Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod maximè faciet ad illius felicitatem, iuxta illud Dauidicum: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum*, Pſal. 137, 1. quæ etiam magis explicantur per ea quæ ſubiungit Deus per eumdem Amos Prophetam: *Et readificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant inſtaurabo: & readificabo illud, ſicut in diebus antiquis*, id eſt Adæ & Euæ, anteque diluuium, quando homines, vt ab Adam fuerant inſtructi, in vnius veri Dei veneratione perdurarunt multis temporibus; vel vt erat ab exordio Chriſti Eccleſiæ poſt Chriſtum paſſum, quando, vt dicitur in Actis, *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*, Act. 4, 32.

Iudæi, Antichriſto mortuo, S. Eccleſia vincitur.

Ieruſalem ſpiritualiter reſtaurabitur.

Temporaliter etiam reſtaurabitur; quoniam templa & loca ſacra amiſſa recuperabuntur, & quæ erunt diruta & profanata, mundabuntur & reædificabuntur. Huc ſpectant illa Prophetæ verba: *Vt poſſideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eò quòd inuocatum ſit nomen meum ſuper eos: dicit Dominus faciens hæc. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & comprehendet arator meſſorem, & calcator vuæ mittentem ſemen: & ſtillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. Et conuertam captiuitatem populi mei Iſraël: & ædificabunt ciuitates deſertas, & inhabitabunt, & plantabunt vineas, & bibent vinum earum: & facient hortos, & comedent fructus eorum. Et plantabo eos ſuper humum ſuam: & non euellam eos vltrà de terra ſua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.* Hucuſque ſanctus Propheta, qui quàm appoſitè & verè explicuerit felicitatem, iucunditatem & pacem noſtræ huius regionis, & in ea ſanctæ Eccleſiæ, quilibet, etſi non multùm oculatus, aduertere poteſt. Conſule Lyranum, & quæ dicit, meliùs applica ad tempus de quo nunc agimus, & ad Apoſtolicos concionatores qui erunt poſt interitum Antichriſti. Tunc namque ſingulariter implendum arbitror quæ de reſtauratione & magna felicitate futura Ieruſalem, Spiritu ſancto afflatus ſanctus ſenex Tobias cap. 13. ſuæ hiſtoriæ prædixit, vt attentè illum legenti ac conſideranti non ineuidenter patere poterit. *Et temporaliter.*

Ex quo iam egimus de inſtauratione rimarum & hiatuum, quos induxerunt negligentia & torpor ſponſæ Eccleſiæ, & peccata fidelium, vt ſuprà diximus ex capite quinto Canticorum, nunc ex eiuſdem libri Capite ſexto oſtendemus, qualiter ob reſipiſcentiam & vitæ prioris correctionem, poſtquam videlicet è lecto ſurrexiſſet, & oſtium apperuiſſet; poſtquam item manus eius myrrham bonorum operum ſtillaſſent, ipſaque percuſſa, vulnerata & ſpoliata fuiſ-

ſet dum quæreret dilectum, ab eodem inuento atque ſibi reconciliato audire meruerit: *Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut Ieruſalem: terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, Cantic. 6, 3. Ecce quàm illuſtria encomia, quàm præclaras laudes enuntiat dilectus Chriſtus de chariſſima atque electa ſponſa ſua Eccleſia ſancta, & peculiariter de Ieroſolymitana, poſtquam igne iam tribulationis Antichriſticæ reddita fuerit ſine macula, & ſine ruga, & ſuper niuem dealbata; quæ profectò mirè indicant illius felicem, de qua nunc agimus, conditionem. Singula percurramus verba.

Primò appellat Chriſtus dilectam ſuam Eccleſiam & ſponſam, *pulchram, ſuauem & decoram*: ac deinde illam comparat *ſanctæ ciuitati & aciei optimè inſtructæ*. Ad quorum intellectum notandum ex Platone & communi omnium conſenſu, ad veram, perfectam & acceptam pulchritudinem, quæ talis non ſolùm ſit, ſed etiam appareat, ſibique aliorum animos conciliet, plura requiri: proportionatam ſcilicet membrorum texturam, cum quadam coloris elegantia, ex perfecta complexione proueniente. Sed hæc non ſufficiunt: poteſt enim contingere, vt, ijs exiſtentibus, pulcher ſibi amorem non conciliet, quòd gratia quædam & venuſtas in inceſſu, habitu & conuerſatione ei deſit; igitur & hæc ad perfectè pulchrum requiruntur. Et huiuſmodi venuſtatem ad futuram in ſancta Eccleſia & Ieroſolyma poſt Antichriſtianam perſecutionem, indicat ſponſus, dicens: *Pulchra es*. Ecce prima, & ſecunda etiam conditio pulchritudinis, quæ in vniformi & concordi partium diſpoſitione cum coloris elegantia conſiſtit. Et ne arbitreris, iniucundam eſſe huiuſmodi pulchritudinem, ſibique non conciliare amorem Dilecti & aliorum, addit, *ſuauis*, ſiue, vt expreſsè magis legunt alij ex Hebræo, *ſicut ſuauitas, ſicut complacentia, ſicut res grata & accepta*. & LXX. *ſicut beneplacitum, ſicut complacentia*: & quod ſubiungit, *& decora*, ampliùs etiam exprimit illius acceptam venuſtatem & maieſtatem.

Plato in Sympoſio. Marſil. Ficin. cap. 2. in Oratione quintam Sympoſ.

Ad perfectam pulchritudinem requiſita.

Eccleſia perfecta pulchritudo.

Et hæc omnia magis etiam explicant ea quibus comparantur. Et quibus? Primò ciuitati: & non cuicumque, ſed præclariſſimæ, quæ non ſolùm Iudææ, ſed totius Aſiæ extitit metropolis; Ieroſolymæ, inquam, prout erat tempore Salomonis (*ſicut Ieruſalem*) ciuitati Regiæ, vbi templum, Sacerdotes, Eccleſiaſtici & ſæculares miniſtri, optimo ordine diſtributi, & in ſuis officijs cum ſumma pace & concordia detenti. Cuius admirabilem ordinem & concinnitatem admirata Sabæorum Regina, dixit ad Salomonem inter alia: *Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper*, &c. 3. Reg. 10, 8. Vel ſecundò Therſæ comparatur, quia alij ex Hebræo legunt, *ſicut Therſa*. Erat autem Therſa ciuitas Regia Regum Iſraël ante extructam Samariam, ad id delecta, vt notauit Adrichomius in ſuo Terræ ſanctæ Theatro, in Manaſſe cap. 1. num. 60. ſiue ita nuncupata ob ſitus pulchritudinem & amœnitatem, de qua agitur 3. Reg. 14, 17. 15, 21. & 33. 16, 6. Sed in hac duarum illuſtriſſimarum præcipuarumque ciuitatum comparatione, non ſimpliciter contemplor dilectæ pulchritudinem, venuſtatem & gratiam ſuper alias, quæ meritò ſibi ſponſi ſodalium & ſociarum conciliaret amorem; ſed qua præterea etiam exterorum & infidelium beneuolentiam prouocaret, vt ei fideles redderentur. Etenim Ieruſalem ciuitas eſt Iudææ, Regia duarum tribuum Iudæ & Beniamin, quæ à Dauidis domo non rebellauerunt, vbi erat templum, in quo Deo offerenda erant ſacrificia. Sed Therſa metropolis & Regia Regum Iſraël & decem tribuum, quæ Dauidis domo & vero Deo relictis, apoſtatantes, adhæſerunt Ieroboam ſeruo quondam Salomonis, & adorauerunt vitulos; & inter has & illas tribus, inter Samaritas & Iudæos, non erat pax & concordia, ſed perpetuum diſſidium, vt ad Chriſtum dixerit Samaritana mulier: *Non cõtuntur Iudæi Samaritanis*, Ioan. 4, 9. Igitur cùm ſponſa, & ſingulariter illius temporis Eccleſia comparetur non modò fideli & amicæ ciuitati Ieroſolymæ, ſed etiam infideli & hoſtili Therſæ, intelligimus eam omnibus, bonis & malis, amabilem fore & beneuolam, omneſque tamquam dilectiſſimos filios in gremium ſuum amplexuram.

Amabilis fidelibus, & infidelibus, eos fideles reddens.

Vtut alia præterirem, quæ ad oſtendendum felicitatem, tranquillitatem & pacem illius temporis Eccleſiæ faciunt, hoc non eſt prætereundum, ipſam comparari ciuitati, quæ vnionem ciuium ſignificat, & Ieroſolymæ, quæ *viſio pacis* explicatur, quia illius temporis fidelium cor erit vnum & anima vna. Ac ideò dicitur etiam *amica*: amicitia ſiquidem vnionem ſiue idemtitatem amantium ſignificat: *& ſponſa* proprium & peculiare illius nomen eſt, quia Chriſtus indiſſolubili vinculo eam ſibi coniunxit. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*, Oſeæ 2, 9. item: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & Eccleſia*, Epheſ. 5, 31.

Sed hæc ſponſa non qualiſcumque ſponſa eſt, ſed priuilegijs ampliſſimis donata. In primis fecundiſſima eſt, præſertim in tempore

Eccleſia magna fœcunditate.

pore illo, quia tot Gentiles & Iudæos, alioſque infideles, Chriſto pariet filios dilectiſſimos; & quæ alias, tempore præſertim perſecutionis Antichriſti, ſterilis videbatur, poſteà pariet plurimos, qui tot erunt, vt eos miretur Iſaias, dicens: *Generationem eius quis enarrabit?* Iſa. 53, 8. & Apoſtolus, inquiens: *Non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ*, Galat. 4, 31. quam fecunditatem plurimis alijs ſponſis nouimus eſſe negatam. Et in hoc denotatur magna cum ſponſo eius vnio, & reciproca conſolatio. Vt enim carnales ſponſi in ſe & in prole vnum ſunt (& eſſe debent) tam quoad voluntatem, tam quoad reliqua omnia, & ex numeroſitate prolis magnam animorum concordiam & magnum gaudium concipiunt, quod non ſolum indicauit Saluator Ioannis cap. 16, 21. ſed & quotidianâ experientiâ adſtruitur; ita ſuo modo idem videre erit inter Chriſtum & Eccleſiam. Ad hæc, cum tanta prole, perpetua virgo eſt. *Deſponsi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*, ait de ea in ſecundæ ſuæ ad Corinthios cap. 11, 12. S. Apoſtolus. Priuilegium ſanè alteri nuptæ non conceſſum, ſanctâ Deiparâ exceptâ. Et cùm virginitas integritatem omnimodam tam mentis quàm corporis denotet, ſecundum communiorem Doctorum, eo ipſo indicatur perfecta ſacratiſſimæ Eccleſiæ & filiorum eius cum Deo vnio & integritas. Ac denique ſancta Eccleſia originem traxit ex aperto Chriſti latere, vt plerique Doctores deducunt ex illo Ioannis 19, 34. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua.* Sed, alijs omiſſis, vnum hic audiamus Auguſtinum, qui tum alibi, tum in Pſalmum 126. ait: *Cùm dormiret Adam, coſta illi detracta eſt, & Eua facta eſt. Sic & Dominus cùm dormiret in Cruce, latus eius lancea percuſſum eſt, & Sacramenta profluxerunt, & facta eſt Eccleſia. Eccleſia enim coniux Domini facta eſt de latere, quomodo Eua illi facta eſt de latere. Sed quomodo illa non eſt facta, niſi de latere dormientis, ſic iſta non eſt facta, niſi de latere Chriſti in cruce dormientis.* Et ex hoc etiam elucelcit Chriſti amor erga Eccleſiam, & magna vnio inter vtrumque.

Eccleſia ex latere Chriſti formata.

Hæc omnia priuilegia numquam ſimul in vna inuenire poterimus ſponſa. Vt vulgares ſponſas miſſas faciamus, in quibus dictas conditiones haud conuenire manifeſtum eſt, ſit peculiare exemplum ſanctiſſima Maria, quæ perfectiſſimè quidem Mater fuit & Virgo, ſed non ex latere Ioſeph viri ſui formata. Eua fuit ex Adæ latere formata, & fecunda, ſed non virgo. Igitur in noſtra Eccleſia, & illius temporis præſertim, ſingulariter elucelcet quod bonum & iucundum eſt, dum quæ ſponſa Chriſti eſt, *pulchra, amica, ſuauis & decora tamquam Ieruſalem & Therſa* appellatur.

Eadem porrò Eccleſia dicitur *terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, quoniam dilecto ſuo innixa, ex ipſo decorem & fortitudinem induit, terribilis hoſtibus ſuis, qui exterminati & conſummati iam erunt: ex admirabili item ordine & concinnitate quæ in ea eſt, & ſemper pulchritudinis & decoris cauſa fuit.

Hæc omnia clarè, & abſque ſymbolis, diuerſis in locis expreſſit Euangelicus Vates. In primis narrat Dominum ſuam ſponſam ſic fuiſſe allocutum: *Non vocaberis vltrà Derelicta, & terra tua non vocabitur ampliùs Deſolata*, gratijs cęleſtibus nimirum & optimis habitatoribus, *ſed vocaberis Voluntas mea in ea, & terra tua Inhabitata. quia cõplacuit Domino in te: & terra tua inhabitabitur* mihi electis ciuibus, in quibus voluntas mea eſt, Iſai. 62, 4. ac ideò ſubiunxit verſ. 5. *Et gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus.* Ecce pulchritudinem, ſuauitatem & venuſtatem dilectæ. Vis & videre eiuſdem decorem, qui ex diuina præſentia & protectione prouenit, vt & Ieroſolymæ, & benè inſtructo exercitui ex eius præſentia? Alibi dicit idem Propheta: *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël*, cap. 12, 6. & alibi: *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale*, c. 26, 1. Ecce diuinam præſentiam & protectionem, ex qua decor noſtræ Eccleſiæ & ciuitati prouenit, ſed & aliunde tranquillitatem, ex multitudine ſcilicet electorum, decorem, gaudium & ſecuritatem eius accipe. *Leua* (ait idem Propheta) *in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa*, Iſai. 49, 18. & poſteà ſic cap. 52, 1. *Conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ Ieruſalem ciuitas ſancti*, &c. quia ſanctus Dominus, & ſancti ciues eam inhabitabunt. Ac denique cap. 54, 11. ſub lapidum diſpoſitorum allegoria explicat præclarum ordinem Præſulum & Miniſtrorum Eccleſiæ, & ſanctæ ciuitatis. *Ecce ego*, inquit, *ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris, & ponam cuſpidem propugnacula tua & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles: vniuerſos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filijs tuis.* Et clariſſimè Ieremias cap. 30, 3. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conuertam conuerſionem populi mei Iſraël & Iuda, ait Dominus; & conuer-*

Ex Chriſti præſentia decorem accipit Eccleſia & Ieroſolyma.

& ex filiorum multitudine.

tam eos ad terram quam dedi patribus eorum, & poſsidebunt eam. & pòſt verſu 8. *Et erit in die illa, ait Dominus exercituum: conteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius dirumpam, & non dominabuntur ei amplius alieni: ſed ſeruient Domino Deo ſuo, & Dauid regi ſuo, quem ſuſcitabo eis. Tu ergo ne timeas ſerue meus Iacob, ait Dominus, neque paueas Iſraël: quia ecce ego ſaluabo te de terra longinqua, & ſemen tuum de terra captiuitatis eorum, & reuertetur Iacob, & quieſcet, & cunctis affluet bonis, & non erit quem formidet: quoniam tecum ego ſum, ait Dominus, vt ſaluem te: faciam enim conſummationem in cunctis gentibus, in quibus diſperſi te: te autem non faciam in conſummationem, ſed caſtigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius.*

CAPVT CII.

Idem porrò explicatur auctoritatibus noui Teſtamenti.

GAudium, felicitas & beatitas illa fidelium illius temporis longè ampliùs exaggeratur argumentis & teſtimonijs è nouo Teſtamento petitis, inter quæ velut primum locum occupat illud è D. Paulo de conuerſione Iudæorum. Pro quo ſupponendum, bonum, quod alicui obuenit, ſimul eidem haud minus afferre gaudium, quàm militibus ſolet præda ex hoſtibus deuictis capta, quàm ouis inuenta paſtori, & gemma pretioſiſſimi valòris vel ditiſſimus theſaurus homini negotiatori. Ait igitur Apoſtolus: *Illorum* ſcilicet Iudæorum *delicto ſalus eſt Gentibus*, occaſionaliter vel conſequenter intellige, *vt illos æmulentur. &: Delictum illorum diuitiæ ſunt mundi*, eodem ſcilicet modo, *& diminutio eorum diuitiæ Gentium.* Pauci videlicet ſimplices & illitterati, & quaſi nullius reputationis, facti omnium peripſema, ſancti videlicet Apoſtoli, ſecundùm Interlinearem & Lyranum, *diuitiæ ſunt Gentium* quæ in fine mundi conuertentur, ſecundùm eamdē Gloſſam; vel ſecundùm Lyranum, quia inter Gentes Eccleſias fundauerunt. Quòd ſi hoc magni gaudij cauſa eſt, vt patet Actorum 13, 52. & 15, 3. *quantò magis plenitudo eorum* erit bonum magnum, ac proinde ingens gaudium, dum totaliter ad fidem Chriſti conuertentur? ſi enim gaudium magnum eſt in cælo & triumphante Eccleſia ſuper vno peccatore pœnitentiam in terris agente; quantum, putas, erit pro conuerſione innumerabilium, quando *omnis Iſraël ſaluus fiet*? Rom. 11, 26. Pergit Apoſtolus, verſu 15. *Si enim amiſsio eorum* per infidelitatem, *reconciliatio eſt mundi* occaſionaliter & conſecutiuè: *quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis*? Quemadmodum ingens gaudium prouenit ex vita vel recuperata, vel alijs data, ita etiam maximum gaudium orietur ex Iudæorum ad fidem Chriſti conuerſione; quia non ſolùm vitam receperint ipſi, ſed alijs etiam eam impertientur, vt fecerunt Paulus & alij Apoſtoli, & nos infrà Cap. CIII. & CIV. videbimus. *Quòd ſi delibatio ſancta eſt*, Apoſtoli nimirum, qui propter humilitatem & paucitatem ſuam delibatio dici poſſunt, quemadmodum id quod delibatur modicum eſt reſpectu totius; *& maſſa* ſcilicet bona erit, & gaudium afferet & exultationem ſanctæ Eccleſiæ, præſertim verò Ieroſolymitanæ.

Magnum gaudium ex conuertendorum multitudine.

Aliud argumentum ſuggerit S. Propheta & Euangeliſta Ioannes, dum affirmat ſe vidiſſe in cælo prælium magnum fieri inter Michaëlem Archangelum & draconem, & vtriuſque ſectatores Angelos. *Factum eſt*, inquit, *prælium magnum in cælo: Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius*, Apocalyp. 12, 7. Sed quale hoc bellum fuit? Scholaſtici cōmuniter dicunt, fuiſſe bellum quod in cælo empyreo geſtum eſt inter Michaëlem Archangelum & Luciferum, & vtriuſque ſectatores, per intellectum & voluntatem. Sed litteralis ſenſus, inquiunt huius loci Interpretes, & alij eumdem expendentes, eſt de prælio, quod draco, id eſt dæmon ſiue Lucifer, extremo mundi tempore inferet noſtræ ſanctæ Eccleſiæ per Antichriſtum: cui Michaël, qui vt olim Synagogæ, ita nunc ſanctæ Eccleſiæ præfectus eſt, & Angeli quos comites habebit, pro Eccleſiæ defenſione ſe opponent. Quare hoc loco per cælum, non empyreum, Beatorum habitationem, ſed noſtram militantem Eccleſiam intelligunt, vt & alibi frequenter obſeruatur in ſacro Eloquio. *Regnum cælorum*, inquit S. Gregorius Homil. 12. in Euangelia, *præſentis temporis Eccleſia deſignatur.* At in bello illo truculentiſſimo cuius erit victoria? Michaëlis vtique & S. Eccleſiæ, interfectis Antichriſto & exercitibus eius, vt ſuprà diximus. ſic enim ſubiungit S. Ioannes: *Et non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo. Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſatanas, qui ſeducit vniuerſum orbem: & proiectus eſt in terram, & angeli eius cum illo miſſi ſunt*, verſu 8. Et quid ex hac victoria conſequetur? Gaudium, lætitia, exultatio, & gratiarum actio facta Deo omnipotenti, qui fecit victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Et audiui vocem magnam in cælo*, addit S. Ioannes, *dicentem:*

Videantur Interpretes ſuper hunc locum, & Maluenda lib. 8. cap. 15. de Antichriſto.

Michael Eccleſiæ præfectus.

Ex victoria de Antichriſto Eccleſiæ gaudium.

centem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & Regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, &c. verſu 10.

Iterùm in eadem Apocalypſi, vbi agit Propheta de loco vbi congregandi ſunt & interficiendi exercitus Antichriſti, hæc leguntur: *Congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon*, Apocal. 16, 16. Locus difficilis, & variant Interpretes circa interpretationem nominis *Armagedon*. dicam ſolùm quod D. Hieronymus habet Tractat. de Nominibus Hebraicis. *Armagedon*, ait, *interpretatur, Conſurrectio tecti, ſiue, conſurrectio in priora, ſed melius Mons è latrunculis, vel mons globoſus.* Subdit hic Viegas in Apocal. 16. lect. 2. *Nicolaus Zegerus in Scholijs ſuper Apocalypſim ait, ſecundùm quoſdam interpretari Montem Euangelij, vel pomorum, ſiue fructuum. Ex quibus verbi interpretationibus multa Doctores colligunt ad ſenſum potiùs myſticum quàm litteralem pertinentia. Quare conuenientius videtur, vt inſcitiam noſtram profiteamur, dicamusq. hunc locum eſſe nobis incognitum: propter myſterium autem appellari Hebraicè Armagedon, id eſt Conſurrectionem tecti, ſiue conſurrectionem in priora, quia eo nimirum loco diuinitus, Antichriſto ſuperato, Regibuſq. eius ſectatoribus euerſis, rurſus Eccleſia tectum conſurgere debeat, & in priſtinam gloriam vendicari. Aut certè Montem è latrunculis, quia eò Antichriſtus cum ſuis omnibus ſectatoribus conueniet. Montem etiam Euangelij, quia in eo Euangely veritas, falſitasq. ſectæ Antichriſti declarari debeat. Montem pomorum, ſiue fructuum, quia ibi tandem ferè omnes, Chriſti gloriam agnoſcentes, eiusq. potentiam & diuinitatem prædicantes, tamquam pulcherrima poma ex Chriſto nobiliſſima arbore pullulare, & tamquam lectiſſimi fructus colligendi ſunt.* Hæc ille. Et Lactantius Firmianus felicem ſtatum illius temporis in hunc modum deſcribit lib. 7. cap. 19. *Sic extincta malitia, & impietate compreſſa* (Antichriſti) *requieſcet orbis, qui per tot ſæcula ſubiectus errori ac ſceleri, nefandam pertulit ſeruitutem. Non colentur vlteriùs dij manufacti, ſed à templis & puluinaribus ſuis deturbata ſimulachra igni dabuntur*, non alia ſimulachra quàm ipſiuſmet Antichriſti, quia cetera ipſe auferet, *& cum donis ſuis mirabilibus ardebunt. Quod etiam Sibylla, cum Prophetis congruens, futurum eſſe prædixit:*

Conterent autem ſimulachra homines, & diuitias omnes.

Erythræa quoque idem ſpopondit:

Opera autem deorum humanis manibus facta exurentur. Hæc Lactantius.

Interpretes hic, & Maluenda lib. 10. cap. 10.

Armagedon nominis interpretatio.

Pro Capitis coronide addam quod mecum aliquando meditatus fui: Sancta Eccleſia, ſponſa Chriſti, ideò mihi videtur dici pulchra & perfecta, quòd dilectum ſuum imitetur, adeò vt non ſemel iiſdem cum eo nominibus appelletur: vt ſi Chriſtus nominatur ſponſus, & ipſa ſponſa, ſi Chriſtus dilectus, & ipſa dilecta: ſi Chriſtus Sol nuncupatur, & ipſa eſt vt Sol electa. Et vt coniugum & amicorum omnia cenſentur communia, ita Chriſto & Eccleſiæ omnia ad inuicem ſunt communia. Quemadmodum itaque quo tempore Chriſtus in triſtitia & in paſſionibus erat, etiam myſticè Eccleſia in Apoſtolis & alijs fidelibus cruciabatur, vt manifeſtum eſt, & Chriſtus dixit Ioan. 16, 20. ita vicißim conuenit vt in Chriſti delicijs & gaudijs lætetur. Et ſicut Chriſtus poſt atroces toleratas iniurias, & mortem ipſam à Iudæis ſibi illatam, glorioſus & immortalis ſurrexit (*Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur*, ait S. Apoſtolus Rom. 6, 9.) ita opinandum, ſanctam eius ſponſam, & dilectam Ieruſalem, de qua dixit S. Ioannes, ***Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo à Deo, paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo,*** Apoc. 21, 2. poſt grauiſſimas Antichriſti perſecutiones & anguſtias, quibus affecta fuit, gauiſuram, lætaturam, & tranquilliſſima pace perfruituram. Et ita credimus futurum poſt interfectum Antichriſtum, Turcicumque & Mahometicum extinctum Imperium, vt hactenus explicuimus.

Similis Chriſto Eccleſia, ideò poſt tribulationum preſſuras cum Chriſto gaudebit.

CAPVT CIII.

De amplitudine & firmitate Regni Chriſti poſt Antichriſti interitum, eiuſdemque & Turcici ac Mahometici Imperij & ſectæ extirpationem.

CHriſtus Saluator noſter, non ſolùm quatenus Deus, & eiuſdem naturæ cum Patre ſuo cæleſti exiſtit, eſt, vt & ipſe Pater, *Rex regum, & Dominus dominantium*; ſed etiam quatenus homo, & humanæ naturæ particeps factus, eſt verus Rex, & vt talis in ſacris Litteris concelebratus fuit. Matthæi 2, 2. de eo dixerunt ſapientes illi Orientis: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Apud eumdem cap. 21, 5. legitur: *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam.* & Luc. 19, 38. *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini.* denique Ioan. 12, 13. *Hoſanna, benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Iſrael.* & ibidem cap. 18, 37. quando dixit ei Pilatus, *Ergo Rex es tu?* non negauit, ſed Regem ſe diſertim profeſſus eſt, inquiens: *Tu dicis*

Chriſtus Rex etiam vt homo.

dicis quia Rex ſum ego. De eius autem Regni qualitate & conditione plura tractant Doctores ſacri, & diſputant Theologi: nos de eodem pauca tantummodò & velut in compendio diſſeremus.

Dicimus, & ſupponimus, Chriſtum Regnum ſuum habere in hoc mundo in ſancta Eccleſia militante, præſertim cùm ipſemet id dixerit per Prophetam: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius*, Pſalmo 2, 6. prout etiam ex dicendis magis patebit, dum, vt propoſuimus, oſtenderimus, Regni huius dilatationem, extenſionem, & firmitatem eſſe ſecuturam ad Antichriſti extinctionem, & Mahometicæ ſuperſtitionis omnimodam abolitionem.

Chriſtus præcipuè Rex apparebit conſumpto Antichriſto.

Antequam verò aliquas ſacræ Scripturæ auctoritates ad hoc proferam, aduertendum eſt, me non negare, illas & pleraſque alias, non eſſe intelligendas abſolutè de Chriſti Regno à tempore quo deſcendit in hunc mundum, vſque ad illius conſummationem, ſed inſtitutum mihi dumtaxat eſſe, oſtendere, eas etiam locum habere poſſe, & quidem peculiari modo, in eo tempore quod futurum eſt poſt Antichriſti interitum, & Mahometicæ ſectæ extinctionem: & cuilibet eaſdem vel leuiter expendenti facillimum eſt clariſſimè deprehendere, eas illud tempus præcipuè reſpicere. Cùm verò plures eiuſmodi ſuppetant ex veteri & nouo Teſtamento, paucas ex vtroque adducemus. Et primò ex veteri alteram Capite præſenti, & alteram ſequenti.

Apud Iſaiam hæc habentur: *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius: & vocabitur nomen eius Admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: ſuper ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius ſedebit: vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia, amodò & vſque in ſempiternum: zelus Domini exercituum faciet hoc*, Iſaiæ 9, 6. Hæc ſanctus Propheta, quæ de Domino noſtro Ieſu Chriſto & Regno eius, ſecundùm communem Catholicorum & S. Eccleſiæ Patrum ſententiam, non de Ezechia filio Regis Achaz, vt delirantes & cæci Iudæi ſommiant, ſunt intelligenda: etenim hæc nec Ezechiæ, nec cuiuis puro homini aptari poſſunt, vt leuiter etiam ea conſideranti patere poteſt, & pluribus docent Interpretes huius loci, & alij: nos pauca dumtaxat in medium producamus.

Verbum æterni Patris, eiuſque naturalis & conſubſtantialis Filius, propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis in ſacratiſſimum puriſſimæ Mariæ Virginis vterum, ex quo, incorrupta manente eius virginitate, Spiritu ſancto operante, & Virgine cooperante, noſtram fragilem aſſumpſit ſibique vniuit naturam, & cùm eſſet magnus, factus eſt paruulus, & nobis ex Virgine filius Virginis natus eſt. Natus eſt tamen Rex in vtero, & ex vtero.

Chriſtus Regnum ſuum filio compatitur.

Qua verò ratione huic paruulo datum eſt Regnum, & quomodo eius poſſeſſio ad eum deuenit? Num pro ipſius reuerentia, quia naturalis Filius Dei erat? Non inficior, verùm quò id illi eſſet gloriоſius, heroicis illud cum ſibi actionibus comparaſſe dicimus, dæmonis nimirum debellatione, mortis deſtructione, humilitate, obedientia, paſſione, & crucis perpeſſione. *Factus* ſcilicet eſt *principatus ſuper humerum eius.* hunc enim ſenſum verba iſta habere perhibent Doctores, & inter alios vetuſtiſſimus Tertullianus lib. Aduerſus Iudæos cap. 10. *Cuius*, inquit, *imperium factum eſt ſuper humerum ipſius. Quis omnino Regum inſigne poteſtati ſuæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu ſceptrum, aut aliquam propriæ veſtis notam? Sed ſolus nouus Rex ſæculorum, Chriſtus Ieſus nouæ gloriæ & poteſtatem & ſublimitatem ſuam in humero extulit, crucem ſcilicet, vt ſecundùm ſuperiorem prophetiam Dominus regnaret à ligno. De hoc enim ligno etiam Deus inſinuat per Ieremiam quòd eſſetis dicturi: Venite, mittamus in panem eius lignum, & conteramus eum à terra viuorum, & nomen illius non memorabitur amplius. Vtique in corpus eius lignum miſſum eſt. Sic enim Chriſtus reuelauit, panem corpus ſuum appellans.* Hæc ille. Vides itaque, Iſaiam crucem appellaſſe principatum, quia per ipſam illum ſibi comparauit. Idem manifeſtiùs S. Paulus, dum ait: *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu: qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Philippenſ. 2, 5. & ipſe Chriſtus: *Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Luc. 24, 26.

Pſal. 95, 10. Ier. 11, 19

Chriſtus Princeps pacis.

Iam qualis erit hic Princeps? Inter alia, Princeps pacis. Non dubito, eum pacificum ſe Regem oſtendiſſe in ortu ſuo, quando orbe vniuerſo in pacem compoſito ſub

Augu-

Auguſto Cæſare in lucem prodijt, & Angeli cecinerunt, *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Luc. 2, 14. Verùm quomodo pacifice vixit, cùm non poſt multum tempus contra ipſum arma ſumpſerit Herodes, & ipſe, licet puerulus, cum Maria & Ioſeph parentibus ſuis in Ægyptum fugere coactus ſit; & quamdiu in terris vixit, quinam, quæſo, contra ipſum non inſurrexerunt? Non ſolùm exteri, ſed conciues & familiares: non modò hoſtes, ſed propinqui & amici, diſcipuli ipſi, & alij in quos innumera contulerat beneficia, vt in pluribus ſacræ Scripturæ locis videre eſt. ad quæ reſpiciens D. Paulus dixit: *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem*, Hebr. 12, 3. Nec tantum in vita ſua tota vſque ad mortem, contradictionem paſſus eſt, & bellum illi motum fuit; ſed etiam poſt mortem. *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*, dixit idem Paulus 1. Corinth. 1, 23. Iudæi etiam quos Romæ Apoſtolus conueniebat, dicebant de fide Chriſti: *De ſecta hac notum eſt nobis, quia vbique ei contradicitur*, Actor. 28, 12. Quæ prævidens ſanctus ille Simeon, cùm illum vidiſſet in templo à ſacratiſſima Virgine Deipara præſentatum, dixit: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur.* Luc. 2, 34. Et Dauid eadem prævidens, in perſona Chriſti ſequentia effatus eſt: *Eripies me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium*, Pſalm. 17, 44. Et nónne hodierno die ad oculum videmus, omnes peccatores extento collo ſe contra Deum eleuare, peccatis iterum ſibimetipſis crucifigendo Filium Dei? Nónne ſacrilegi Iudæi execrandis blaſphemijs & conuitijs illum proſcindunt? Nónne ſchiſmatici & hæretici veſtem eius lacerant, quæ eſt Eccleſia? Quid de porcis Mahometiſtis dicam? Nónne ipſi factis & verbis ei ſe opponunt, regni eius dilatationem impediendo? Et quid dicam de Antichriſto, cuius ſolum nomen indicat, venturum eum vt ſe Chriſto opponat: qui etiam nequam tantum efficiet hinc minis, inde blandimentis & dolis, vt nedum malos ſed etiam ex perfectis plurimos exturbet à Regno Chriſti? Ipſe enim eſt ille draco, vel draconis cauda, de quo dixit Ioannes quòd *traxerit tertiam partem ſtellarum cæli*, id eſt multos iuſtos, qui ſunt velut ſtellæ in cælo ſanctæ Eccleſiæ, vt tradunt Doctores ſacri in cap. 12. Apocalyp. & D. Gregorius lib. 32. Moral. cap. 14. Et ob hanc rationem S. Ioannes dixit: *Antichriſtus venit: nunc Antichriſti multi facti ſunt*, 1. Ioan. 2, 18. Qua erga ratione, qui ab ortu vſque ad vitæ ſuæ finem contradictionem & calumnias ſuſtinuit, poſteà etiam vſque ad interitum Antichriſti grauiſſimas in membris ſuis perpeſſurus eſt perſecutiones, Princeps pacis appellandus eſt? An forte Princeps pacis appellatur, quòd pacem fecerit inter Deum & homines, Angelorum vacuas ſedes hominibus inſtaurando, ſecundùm illud diui Pauli ex Lyrani interpretatione: *Complacuit per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt*, Coloſſ. 1, 20. An quia (vt hunc ipſum locum interpretatur S. Auguſtinus in Enchiridio cap. 61.) grauis illa inter Angelos & homines diſſenſio & ſimultas ſublata fuit, quando per Chriſtum homines in amicitiam Dei recepti fuerunt? An quia Chriſtus eſt cauſa pacis internæ quantum ad conſcientiam, & ſupernæ quantum ad cæleſtem gloriam, vt dicit Lyranus in hunc Iſaiæ locum? Omnia quidem ſunt veriſſima, nihilominùs non vſquequaque plene videtur ſatisfactum, quia ſemper adhuc pugnandum eſt, cùm ſemper nos impugnent & non rarò expugnent hoſtes Chriſti. Et nónne ſemper in timore & tremore viuendum? ſemper enim *foris* quidem ſunt *pugnæ*, *intus* verò *timores*, vt Apoſtolus 2. Corinth. 7, 5. ait.

Chriſtus ob multitudinem contradictionum.

Amplius: An Princeps pacis dicendus eſt ille, cuius ſponſa, quæ pacifica & ab armis alieniſſima, & tamen velut ſtrenuiſſimus & fortiſſimus miles onuſta armis incedit. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium: terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Et ipſe, quaſi hoſtes ſuos timeat, dum in lecto accubat, ſelectiſſimos milites pro cuſtodia elegit. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos*, Cant. 3, 7. Et vt plura alia præteream, quibus oſtendi poſſet potiùs eum Principem belli, quàm pacis appellandum eſſe, ſufficiat vnicum ipſiuſmet de ſe teſtimonium, quo diſcipulis ſuis dixit: *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filium aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſum ſocrum ſuam; & inimici hominis, domeſtici eius*, Matth. 10, 34.

Dices, Chriſtum non attuliſſe quidem pacem mundo aliquam vitioſam, ſed bellum potius illi contrarium, vt illâ deſtructâ, vera pax ſequeretur, quæ Deum, Angelos & homines ſibi inuicem conciliaret. *Bellum miſſum eſt bonum, vt rumperetur pax mala,*

ait D. Hieronymus. Et gladium ſe miſiſſe Dominum dicere, eò quòd ex confeſſione fidei diſſidia inter fideles & infideles exorta ſint, inter patres ſcilicet infideles & filios fideles, atque inter reliquos cognatos: alioquin tamen eum Principem pacis eſſe, & omnes munitiones & apparatus bellicos ad æternam pacem comparandam ordinatos eſſe.

Chriſtus Princeps pacis ſingulariter poſt interfectum Antichriſtum.

Hæc quidem optimè & verè, ac ideò *Rex pacificus*, *Princeps pacis*, & ipſa *pax noſtra* eſt, vt ait D. Paulus ad Epheſ. cap. 2, 14. Sed enim nullus inficiabitur, potiori ratione illi hoc nomen conuenire, quando omnia bella, quæ veram pacem, vnionem, & Regni eius dilatationem impediunt, ablata fuerint, quando non erit diſtinctio Iudæi & Græci, ſed vnus Dominus omnium; quando de medio ſublatum erit peccatum, & pacis aderit abundantia; quando erit vnicum Regnum, vnus Rex, vnum ouile, & vnus paſtor. At hæc ſingulariter tandem erunt poſt interfectum Antichriſtum, quando ſimul extincta Mahometica ſecta, & aliæ hæreſes & ſuperſtitiones abolitæ manebunt, vt iam diximus. Eo igitur tempore Saluator noſter ſingulari ratione *Princeps pacis* appellabitur. Et hoc mihi videntur innuere ea verba, quæ immediatè poſt illa idem Propheta ſubiunxit, *Multiplicabitur eius Imperium, & pacis non erit finis*, quæ duplicem videntur poſſe admittere ſenſum. Alterum, quòd ſignificent conſecutionem, in hunc modum: Quia Saluator noſter omnia ad pacem veram comparandam diriget, & pace & concordiâ etiam res paruæ creſcunt, quamuis ſuum Regnum initio modicum, ac ideò paruulus Rex appellatus fuerit, propterea multiplicabitur eius Imperium, & pax in regno ſuo ſtabilietur. Alterum, qui magis ad propoſitum noſtrum facit, quòd ea verba cauſam ſignificent, in hunc modum: Ex imminutione Regni deuicti augetur, ſtabilitur, dilatatur & firmatur Regnum victoris, & pax ipſa ſolidatur, vt tum ex ſe manifeſtum eſt, tum magis Capite ſequenti ex alterius vaticinij Danielis explicatione patebit. Et profectò ſic eſt in noſtro caſu: Chriſtus enim, interfecto Antichriſto, auferet & ſibi aſſeret ampliſſimum illius Imperium & latiſſimam Monarchiam; quæ ſanè maior erit quàm quælibet vmquam alia, quoniam alia omnia Regna tyrannide, fraude, potentia & dolo ſuo ſubiugabit Imperio, vt docent ſacri Doctores. Conſule de hoc Maluendam de Antichriſto lib. 5. cap. 19. & 20. Et in tempore illo accidet Antichriſto, quod perdici accidere aſſerunt Naturales, & ſacri quoque referunt Doctores. Fouet hæc auis oua, quæ ipſamet non peperit: excluſi verò inde pulli dum vocem matris propriæ audiunt, illam ſequuntur, alienam deſerentes. Hieronymus in illud Ierem. 17. *Perdix fouit quæ non peperit*, ſic ſcribit: *Aiunt Scriptores naturalis hiſtoriæ, hanc perdicis eſſe naturam, vt oua alterius perdicis furripiat & foueat; fœtus verò adultos auolare, & alienum parentem relinquere*, &c. & Ambroſius lib. 6. Hexaëmeron, *Perdicem*, inquit, *aſtutam nouimus, quæ aliena oua diripiat & foueat. Cùm eduxerit pullos, amittit eos; quia vbi vocem eius audierint quæ oua generauit, ad illam ſe conferunt*, &c. & Tom. 2. in cap. citatum Ieremiæ ait de perdice: *Vocem emittit, & quadam pietatis tuba prolem aduocat.* & de prole: *Proles naturali quodam auditu excitata agnoſcit parentem, & ſimulantem deſerit*, &c. eadem Gloſſa, & Nicolaus de Lyra in Ieremiam. & addit Gloſſa: *Perdicem quoque pugnacem dicunt, & immundum, vt palma ſit victoris, polluiſſe victum.*

Perdicis natura.

Perdix Mahometis & Antichriſti ſymbolum.

Perfectiſſimum ſymbolum tam Mahometis, quàm ab eo deſcendentis Antichriſti, eſt perdix: quoniam vt iſta, ita & illi erunt pugnaces & immundiſſimi: & vt perdix aliena furatur oua quæ foueat, ita etiam Mahometes partim vi partim blanditijs ad ſe traxit multas animas Chriſto regeneratas, & multa Chriſtianorum bona ſubripuit & tyrannice occupauit; & eadem, & multò maiora perpetrabit immundiſſimus & pugnaciſſimus filius perditionis, Antichriſtus, vt ſancti Patres docent. Sed iiſdem iterùm priuabuntur, nec perfrui eis pro voto poterunt, quia *viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*: implebiturque in eis quod de perdice dixit Ieremias: *Perdix fouit quæ non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio: in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, & in nouiſſimo ſuo erit inſipiens*, Ierem. 17, 11. Et tunc Chriſtus ſpiritu oris ſui interficiet impium, & diſſipabit exercitus eius: tunc propriæ oues & electi, proprij Paſtoris vocem audient, ipſumque ſequentur; adeoque implebitur quod dixit aliquando Chriſtus: *Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus paſtor*, Ioan. 10, 16. Et ſequetur tandem æterna pax, quæ alijs ſciſſuris, erroribus & hæreſibus non diſrumpetur, ſed inuiolabilis & intemerata permanebit in Eccleſia, vt indicant illa verba: *Et pacis non erit finis*, &c.

Quòd verò communis Patrum ſit conſenſus, Antichriſto interfecto, maximam orbis partem Chriſti fidē eſſe recepturam, indicat Lyranus in 1. Theſſal. 5. *Doctores*, ait, *& Sancti communiter dicunt, quòd mor-*

tuo

tuo Antichriſto, & falſitate eius manifeſtè detecta, omnes gentes conuertentur ad Chriſtum, & ſic non remanebunt aliqui in ſecta Antichriſti. Lyrani dictum ratum habet eodem loco Carthuſianus, & ampliùs explicat, dicens: *Verum eſt quod Sancti affirmant, totum mundum conuertendum ad Chriſtum Antichriſto occiſo. Quod non eſt intelligendum tam abſolutè, quod ſinguli conuertentur, ſed quia tam multi conuertendi ſunt, quòd comparatione eorum alij erunt pauciſſimi.* Hæc Dionyſius Carthuſianus. hiſce non obſtare illa verba Domini apud ſanctum Lucam c. 18. *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* oſtendemus inferiùs Cap. c ix.

Aduertunt inſuper linguæ ſanctæ periti, quòd vbi noſtra lectio habet, *multiplicabitur eius Imperium*, Hebraicè habeatur *lemarbeh*, id eſt, *ad multiplicandum Imperium.* Et inter alios hîc aduertit Lyranus, quòd in medio illius dictionis ponatur littera *mem* clauſa contra naturam ſuam, quia ſemper ponitur in fine dictionis, & numquam in medio, nec in principio: *Et hoc*, ait, *ad denotandum, quòd Chriſtus, de quo Scriptura hic loquitur, natus fuit contra curſum naturæ de virgine clauſa.* Optimè & verè, ſed alia hinc pro noſtro inſtituto eliciemus, reliqua ſacris Interpretibus relinquentes.

Chriſtus de virgine natus.

Dicerem Primò, in medio illius vocis, vbi fit mentio de Regno Meſſiæ & eius propagatione, litteram *mem*, contra ordinem & naturam linguæ, clauſam poni, vt indicaretur, qualia futura eſſent primordia & incrementa Regni Meſſiæ, nimirum non ordinaria & naturalia, ſed omnino præter conſuetum naturæ ordinem, & diuina. Contemplate conceptionem & ortum huius Regis ex Virgine, quæ non fecunditatem & multiplicitatem, ſed ſterilitatem ac filiorum defectum præ ſe fert. Quare ad id reſpiciens ſemper ſapientiſſima Virgo, cùm Regem ſe parituram eſſe, cuius Regnum immenſum & æternum futurum eſſet, ex his Archangeli verbis intellexiſſet, *Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis*, Luc. 1, 31. reſpondit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* verſu 34. Ac ſi dixiſſet: Quomodo ex perpetua virgine, quæ ſterilitatem, non fecunditatem indicat, naſci poteſt Rex, eiuſque tantum dilatari Regnum, vt in æternum duret, & ad omnes mundi partes ſe extendat? Ideò difficultatem diſſoluit Angelus, illud faciendum eſſe, non naturali, ſed ſupernaturali virtute, dicens: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, &c. Ad hæc natus reclinatur in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio, & non poſt multum tempus cogitur fugere vt timidus in Ægyptum, vt vnius ſolius Regis Ieruſalem declinaret perſecutionem; & quoad vixit non Regis prætulit perſonam, ſed ſerui pauperrimi, qui non habuit vbi caput ſuum reclinaret, Præcurſorem Regni ſui hominem habuit pænè ſilueſtrem, qui à pueritia vſque ad virilitatem vixit in deſertis, qui fuit in carcere poſitus & interfectus ad votum nequiſſimæ feminæ.

Exordia Regni Chriſti diuina.

Et quid dicam de Apoſtolis Regni eius Ducibus & Principibus, per quos plantatum & dilatatum fuit Chriſti Regnum? Iſti non nobiles, potentes vel ſapientes fuerunt; ſed ignobiles, debiles, & ſimplices. Etenim, vt dixit S. Apoſtolus, *quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius*, 1. Corinth. 1, 27. Et qui leones facere debebat præliari contra lupos; oues, inermia & ſimplicia animalia, inter lupos mittit. Ita enim illis dixit profecturis ad præliandum contra ferìſſimos & potentiſſimos tyrannos, vt illos tamquam oues ſibi ſubiugarent, & ſuum dilatarent Regnum: *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum*, Matth. 10, 16. & ipſe Rex quoties hominum fugit perſecutiones? & à proprijs ſuis diſcipulis derelictus, & vt ſeductor & homo nequam opprobrioſiſſimam paſſionem & infamem crucis mortem ſuſtinuit, irriſorieque Rex Iudæorum proclamatus. Et quid hæc omnia portendebant? vtique quod diximus, & Propheta innuit, Regnum Chriſti non auſpicaturum ſua exordia ſecundùm ordinarium modum, nec facturum progreſſus ſecundùm ordinem naturæ, ſed ſupernaturali & diuina virtute. Et hæc in præmiſſis omnibus enituerunt. Naſcitur ex virgine ſine homine infecunda, ſed Spiritu ſancto in eam ſuperueniente adeò fecundata, vt de ſuis viſceribus genuerit Deum & hominem, ex quo tot filij geniti ſunt, quot habet Chriſti Regnum, cuius numeroſam fecunditatem admiratus Propheta dixit: *Generationem eius quis enarrabit?* Iſaiæ 53, 8. Si vt pauper reclinatur in præſepio, vt Deus & Rex in cælo honoratur ab Angelis, in ſtabulo colitur à Paſtoribus, monſtratur à ſtella, adoratur à Magis, timetur à malis. Si fugit in Ægyptum, propter Herodem ſæuientem; ad eius introitum idola corruerunt, quæ captiuum tenebant

illum

illum populum, ipſum nedum maiorem, ſed vnicum Regem agnouerunt: & quia vnum Regnum non capit duos, ceciderunt & confracta fuere. Si eremitam habuit Præcurſorem, adeò tamen illuſtrem & celebrem, vt ex deſerto ad ſe tot traheret homines, & numeroſas ciuitates depopulare videretur, quibus omnibus verbo & exemplo viam ſalutis, & Chriſtum Regem demonſtrabat Propheta pluſquam Propheta, imò talis vt ex muliere maior illo non ſurrexerit, ex teſtimonio Saluatoris. Qui tamen cùm tantus vir eſſet, & haberetur magnus coram Deo & hominibus; adeò demiſse de ſe ſenſit, vt quem præcurrebat Saluatorem & Regem, tamquam Deum extolleret, & ſe non Eliam, non Prophetam, ſed vocem, imò talem dixerit, qui non eſſet dignus corrigiam calceamentorum Chriſti ſoluere.

Dum ſimplices & inermes mittit Regni ſui dilatatores ad potentiſſimos tyrannos ſuo Imperio ſubijciendos, intentum oſtendit. Et in primis illo mandato, *Ecce ego*, &c. *auctoritas & fortitudo eſt Deitatis*, &c. ait Beda. Ac deinde dum ſubdit, *Sicut oues in medio luporum*, ait Chryſoſtomus, *Vt videant nouum atque inauditum quemdam bellandi modum imminere, ac mirabilem hanc aciem militum futuram, qui nudi vna induti tunica, ſine calceis ac virga, ſine cingulo, abſque proprio cibo in prælia deſcendebant*, &c. & alibi dum facit Chriſtum loquentem in hunc modum: *Nam etſi poſſum contrarium quoque præſtare, & non permittere vt graue aliquid patiamini, nec lupis tamquam oues ſubiecti ſitis; ſed efficere vt leonibus terribiliores euadatis: tamen ſic expedit fieri: hoc & vos quoque illuſtriores faciet, & meam declarabit virtutem. Sic enim poſteà dixit Paulo: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus mea in infirmitate perficitur.* Lege & eumdem in Imperfecto, vbi ad hæc ſingulariter ſcribit.

Chryſoſt. Homil. 34. in Matth.

Chryſoſt. in Imperf. Homil. 34.

S. Paulus miraculi modo Chriſti imitatus eſt illum.

Et ex quo ſancti Pauli incidit ſermo, obſeruemus quæſo quomodo illum Chriſtus ſuæ militiæ adſcripſerit, & quem bellandi modum illi præſcripſerit, vt Regni ſui terminos dilataret. Elegit cum ſuper omnes ſui perſecutorem, & eo ipſo tempore, quo ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, obtentis litteris Ieroſolymæ à Principe ſacerdotum ad ſynagogas Damaſci, vt ſi ibi inueniſſet viros & mulieres, qui Chriſtum Dei Filium & expectatum Meſſiam confiterentur & ſequerentur, vinctos perduceret in Ieruſalem. Cùm ergo appropinquaſſet Damaſco, ſubitanea luce circumfuſus, ex equo in terram proiectus fuit, & ſtatim mutatus in virum alterum; cùm audiſſet vocem dicentem ſibi: *Saule, Saule quid me perſequeris?* & intellexiſſet eſſe Ieſum, tremens ac ſtupens dixit ad eum: *Domine quid me vis facere?* & accepto mandato, humilis & pedeſter, & non videns, nec manducans tribus diebus, baptizatus fuit, & factus eſt Chriſti diſcipulus. Et ita debilis & deſtitutus, Dux ſuæ ſacræ militiæ creatus, &, vt dixit Auguſtinus, *ex perſecutore Chriſtianorum annuntiator factus eſt Chriſti: proſtrauit enim Chriſtus perſecutorem, vt faceret Eccleſiæ doctorem: percutiens eum, & ſanans; occidens, & viuificans*, &c. Et qualiſnam eſſet futurus, quo modo mundum Chriſto ſubacturus, quo modo item Regnũ ipſius amplaturus, ipſemet Chriſtus indicauit, dum ait: *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meũ coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſraël. Ego enim oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Bone Deus! quare hoſtem eligis? & ſi de hoſte facis amicum, quare ex equo deijcis, & in terram proſternis, debilem & cæcutientem reddis? Nónne magis idoneus fuiſſet ad bellum fortis, videns & prudens eques? Equidem in ordinaria militia, in qua humana virtus monſtratur, & naturali modo regnum extenditur; ſed non in mea militia, in qua non humana, ſed diuina virtus & potentia declaratur, quæ in infirmitate perficitur. Regnum meum ſupernaturaliter fundatum, etiam ſupernaturali modo extendi debet; ac ideò talem mihi elegi militem.

D. Auguſt. Serm. 14. de Sanctis.

Act. 9, 15. 16.

Vas electionis eſt mihi, &c. Compertum eſt in ſacris Litteris, vaſis nomen ſignificare quodlibet inſtrumentum & opus cuius aliquis eſt vſus. Vnde in Eccleſiaſtico, dum ſermo eſt de Sole qui fulget in cælis, motuque ſuo vniuerſum illuminat, eo appellatur nomine: *Vas admirabile opus Excelſi*, & apud Ieremiam cap. 46, 18. *vaſa tranſmigrationis* ea omnia nominantur, quæ tranſmigrantibus deſeruiunt, quæcumque illa ſint. Et 1. Reg. 21, 5 dixit ad Abimelech ſacerdotem Dauid: *Via hac polluta eſt; ſed & ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis.* hoc eſt, vt interpretatur Theodoretus, *Etſi non ſum Sacerdos, propheticam tamen gratiam ſum aſſecutus. Exiſtimo enim hoc ſignificare, ſanctificabuntur propter vaſa mea. Vaſa enim eius & armatura, donum erat ſpirituale.* Igitur dicendo Saluator, *Vas electionis eſt mihi*, &c. *Mihi* cæleſti & ſupernaturali Regi electiſſimum erit inſtrumentum, quod paſſionum tolerantiâ, nobili vincendi genere, nomen meum per vniuerſum euulgabit, & Regnum meum dilatabit, cui gratiam & ſufficientem ſupernaturalem virtutem ad opus perficiendum ſuppeditabo. Quare humanis viribus deſtitutum mihi elegi, ne, ſi illæ ad manum eſſent, Regni mei augmentum illis,

Dictio vas quid ſignificet.

Eccli. 43.

illis, & non diuinæ virtuti adſcriberetur. Qua etiam ratione diſcipulis anteà præceperat, quando ad idem opus illos deſtinauit: *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis*, Luc. 9, 3. *Hoc eſt*, inquit S. Ambroſius, *ſubſidij ſæcularis admicula non requirens, fideq. tutus, putet ſibi, quò minùs ea requirat, magis poſſe ſuppetere.*

S. Ambroſ. lib. 6. in cap. 9. Luc. in initio.

Supernaturali modo ſingulariter poſt Antichriſti interitum Chriſti regnum dilatabitur.

Igitur vt ad Prophetæ ſententiam noſtra recurrat oratio, litteram *mem* clauſam poſuit, contra eius naturam, in medio Hebraicæ dictionis *lemarbeh*, quæ ſignificat *ad multiplicandum Imperium*, vt indicaretur, Chriſti Regnum fundandum & dilatandum eſſe non naturali ſed ſupernaturali via. Et hoc magis apparebit in extremis temporibus, quando pluribus interfectis Chriſtianis, & reliquis in fugam actis, omnibus licet mundi Regnis tyrannidi Antichriſti ſubiectis, nihilominùs Rex noſter Chriſtus iniquum illum mundi monarcham ſua diuina virtute interficiet, vniuerſa eius auferet in quibus confidebat, & vnicum faciet Regnum, quod ſe extendet à Solis ortu vſque ad occaſum, in quo celebre & magnum erit nomen eius.

Firmitas Regni Chriſti.

Alteram rationem illius immutati ordinis tradiderunt alij Prophetæ recentiores Interpretes, inter quos Leo à Caſtro ait, Mem omnino clauſum, & quadratæ ſimul figuræ, præter ordinem fuiſſe appoſitum in medio dictionis *lemarbeh*, vbi eſt ſermo de propagatione Imperij Meſſiæ; vt indicaretur, Regnum Meſſiæ futurum ſtabile, firmum ac ſempiternum, nec vllis vmquam aduerſariorum viribus euerſum iri. Nam in littera Mem omnino clauſa innuitur, nulla ex parte patere aditum, per quem in Regnum Meſſiæ poſſint hoſtes irrumpere, ſed ſemper in ſe clauſum & inſuperabile futurum: in eademque littera quadrangula, eiuſdem Regni numquam caſuri aut perituri ſtabilitas explicatur. Quod etiam in Daniele, ſequenti Capite adducendo, expreſſum inuenimus.

Sed enim à Chriſto nato & paſſo vſque ad præſens tempus, quot hiatus facti ſint, quot foramina adhuc extent ſchiſmatum & hæreſum, quæ clauſum hoc deuaſtarunt Regnum, diximus in præcedentibus, &, proh dolor! quotidie videmus. Nónne Græci, Armeni, & ceteri omnes, qui ſacro Baptiſmatis fonte abluti ſunt, ad Chriſti Regnum pertinent; & tamen, facto foramine, per illud tranſfugerunt, & Chriſto rebellarunt? Apparuit aliquando Chriſtus, ſiue Angelus qui Chriſti perſonam repræſentabat, dilecto diſcipulo ſuo Ioanni, in admirabili quadam maieſtate: qui inter alia hoc, quod propoſito noſtro admodum deſeruit, obſeruauit, quòd eſſet veſtitus podère. *Vidi ſimilem filio hominis, veſtitum podère*, Apoc. 1, 13. Podèris erat veſtis talaris linea, demiſſa vſque ad pedes, tamque arcta, & corpori tam ſtricte adhærens, vt nulla in ea eſſet ruga: eaque vtebantur Sacerdotes, vt obſeruant in eum Apocalypſis locum ſacri Expoſitores ex Ioſepho 3. Antiquit. c. 8. & D. Hieronymo in Epiſt. ad Fabiolam de Veſte ſacerdotali. Et quid veſte illa ſignificare voluit ſupremus maximuſque noſter Sacerdos? Sanctam vtique Eccleſiam, quam Chriſtus ſuo pretioſo Sanguine pulcherrimam & ſuper niuem dealbatam reddidit. De qua Iacob Patriarcha in benedictione Iudæ in ſpiritu dixit: *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum*, Geneſ. 49, 11. In quem locum Origenes ait: *Stola Chriſti quæ lauatur in vino, eius Eccleſia intelligitur, quam ipſe mundauit Sanguine ſuo: in huius enim Sanguinis vino, id eſt, lauacro regenerationis, à Chriſto lauatur Eccleſia. in morte enim, id eſt in Sanguine ipſius baptizamur, ad Rom. 6. In ſanguine autem vuæ quomodo amictum ſuum lauit? Amictus propinquior quadam eſt corpori veſtis, quàm ſtola: ij ergo qui priùs per lauacrum loti ſtola eius fuerunt effecti, poſteà quàm ad ſacramentum Sanguinis peruenerint, amictus eius eſſe dicuntur.* Sanctus etiam Ambroſius lib. de Benedictionibus Patriarcharum, cap. 4. & D. Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum, cap. 42. eumdem locum de Eccleſia interpretantur: & S. Apoſtolus ad Epheſ. 5, 25. *Viri*, ait, *diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Quomodo autem à Chriſto pulchra & ſine ruga reddatur, multis poteſt explicari ſimilitudinibus. Prima eſt de fullone veſtes ligno dealbante & extendente. Ita pulchra & ſine ruga redditur Eccleſia perſecutionibus & angustijs, quemadmodum eam futuram poſt Antichriſti perſecutionem ſuperiùs Capite 61. diximus. & S. Auguſtinus in Pſalm. 132. *Veſtis ſacerdotalis*, ait, *Eccleſiam ſignificat, de qua loquitur Apoſtolus ad Epheſios 5. Quæ mundatur, vt non habeat maculam; extenditur, vt non habeat rugam. Vbi eam extendit fullo, niſi ligno? videmus quotidie à fullonibus tunicas quodammodò crucifigi; crucifiguntur enim, vt rugam non habeant.* Hæc ille. Hinc & Malach. 3, 2. appellatur herba fullonum. *Ipſe enim quaſi ignis*

Eccleſia, Chriſti veſtis.

Origen. Hom. 17. in Geneſ.

Quomodo à Chriſto pulchra reddita.

Digitized by Google

ignis conſtans, & quaſi herba fullonum. Eſt herba fullonum, ait Gloſſa, *vt lotis munditiam reſtituat, & lauet ſordes filiorum Sion.*

Secunda ſimilitudo eſt à manu in liquefactum aurum immiſſa quæ inauratur. *Quemadmodum*, inquit Chryſoſtomus Homil. 4. in Ioannem, *ſi quis liquefacto auro manum vel linguam injiciat, quàm primùm deauratur, ita anima immerſa Sanguine Chriſti aurea redditur: reſurgit enim vehementiùs igne fluuius, neque incendit, ſed abluit quidquid comprehendit.* Hæc Chryſoſtomus. Non diſſimilis eſt ea quæ legitur in Canticis cantic.cap.7,5. *Et comæ capitis tui, ſicut purpura Regis vincta canalibus.* Comæ capitis Chriſti ſunt fideles & Eccleſia, quæ ex Chriſto originem habet, vt capilli ex capite. Iſti rubent ingenti charitatis feruore, ita vt illos *rubicundiores ebore antiquo* quidam Propheta viderit, & velut purpura Regia fulgentes, Thren. 4,7. Et vnde hoc? quia iuncti canalibus, hoc eſt Sanguini Chriſti ex quinque Vulneribus velut ex quinque canalibus mananti, deliniti. Quod non tacuit Dauid, ſic enim ait Pſalm. 44,4. *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Et vnde tantus ornatus auri, purpuræ, diadematis, & pretioſorum lapidum? Vtique, quia adſtitit à dextris Chriſti eius Sanguine non ſolùm delinita, ſed ex latere ipſius in cruce genita, quando eius aperto latere exiuit ſanguis & aqua. Et quid mirum, tantum ſplendorem acceſſiſſe Eccleſiæ, quæ de latere eius egreſſa & Sanguine illius baptizata fuit; cùm latro, qui pependit à latere Chriſti in Cruce, cum eo in paradiſo regnauerit? Et hæc tantò veriùs credimus, quantò eximius S. Eccleſiæ Doctor Ambroſius id teſtatur Serm. 17. in Pſal. 118,5. dicens: *Vnde & ipſa tamquam benè merita Regina Chriſti Sanguine coronatur, ſicut ſcriptum eſt: Et ornatus capitis tui ſicut purpura. Sanguis Chriſti purpura eſt, quæ inficit Sanctorum animas, non ſolùm colore reſplendens, ſed etiam poteſtate, quia Reges facit, & meliores Reges, quibus Regnum donet æternum.*

Tertia denique ſimilitudo deſumitur ex propinquitate Lunæ ad Solem, ſecundùm quam illa ab hoc magis vel minùs illuminatur: ita Eccleſia, quæ modò eſt velut Luna, nigra & expers luminis, tum temporis Chriſto Soli propinquiùs innixa dealbabitur & illuminabitur. Hinc in Canticorum libro quibuſdam, admirantibus candorem & fulgorem illius quam nigram & decolorem viderant, reſpondetur, id illi accidiſſe ex eius cum ſponſo ſuo Chriſto coniunctione. hoc enim indicant illa verba: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens* (ſiue, vt Septuaginta legunt, *dealbata*) *innixa ſuper dilectum ſuum?* Cantic. 8, 5. Verſionem Septuaginta Interpretum ſubtiliter conſiderantes S. Auguſtinus in lib. de Gratia & libero arbitrio ad Valentin. cap. 6. & Serm. 50. de Verbis Domini, D. Gregorius lib. 10. Moral. cap.36. Origenes Homil. 1. ex duabus in Cantic. Theodoretus, & alij dicunt, Eccleſiam & animam non ſimpliciter albam, ſed dealbatam deſcribi, eò quòd vitæ ac puritatis ſuæ candorem non ex natura ſua, ſed ex diuina habeat gratia. *Dealbata eſt*, inquit Auguſtinus, *quæ per ſe ipſam alba eſſe non poſſet. Et à quo dealbata eſt, niſi ab illo qui per Prophetam dicit: Si fuerint peccata veſtra vt phœnicium, ſicut niuem dealbabo? Quando ergo dealbata eſt, nihil boni merebatur: iam verò alba facta, benè ambulat, ſed ſi ſuper eum, à quo dealbata eſt, perſeueranter incumbat.* Idem porrò Auguſtinus ſuper Pſalm. 103. ſequendo alteram à Sole vel luce petitam ſimilitudinem, ait: *Quid eſt dealbata? Illuminata, non dealbata ſicut fucata, quemadmodum ſe dealbant feminæ, quæ volunt id videri quod non ſunt: non dealbata ſicut paries dealbatus, hypocryſis & ſimulatio*, &c. *Non ergo illa ſic dealbata, ſed dealbata illuminata, quia non per ſe alba*, &c. *Primò nigra fuiſti, ſed facta es alba ex gratia illius. Fuiſti enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ephes.5,8.

Dealbata cur dicatur Eccleſia.

Igitur vt eò vnde parum, opportunè tamen, digreſſi ſumus, reuertamur, veſtis qua Chriſtus indutus apparuit Ioanni, ſanctam incorruptam Eccleſiam ſignificat. Verùm vt materialis veſtis fœdari & lacerari poteſt, ita myſtica Chriſti veſtis Eccleſia, conſpurcari & ſcindi poteſt. Conſpurcatur ex peccatis: quare ad ſuorum filiorum peccata ipſa reſpiciens, dixit, *Nigra ſum*, etſi alioquin ob diuinam gratiam, & cæleſtes virtutes, pulchra ſit, dealbata, niue candidior, & odor veſtimentorum eius ſit ſuper omnia aromata. Scinditur verò hæc veſtis ſchiſmatibus & hæreſi, quando nimirum filij eius ab ea ſe ſeparant per inobedientiam & malam fidem. Et ita Chriſtus inſinuauit inuicto ac glorioſo martyri Petro Alexandriæ Ægypti olim Epiſcopo, cui de nocte in veſte lacera & diſciſſa apparuit, cauſamque ſciſcitanti dixit: Arius veſtem meam, quæ eſt Eccleſia, dilacerauit. Ita legitur in Romano Breuiario in huius Sancti Officio, & hiſtoriam ipſam pluribus retulit Cardinalis Baronius Tom. 3. Annal. ſub anno Chriſti 310. num. 5.

Eccleſia peccatis maculatur, hæreſibus ſcinditur.

Obijcies fortaſſe, fieri non poſſe vt hæc ſacra veſtis & vnio ſcindatur, quam fecit & protegit Dei Filius; ideoque cùm Chriſtus plures *Obiectio.*

plures haberet tunicas, illam tamen inconſutilem, quæ illius corpori in modum ſubuculæ adhærebat, vt arbitratur Euthymius, non fuiſſe diuiſam in morte ipſius, quia Eccleſiæ vnitatem ſignificabat. Ianſenium quoque in Concordia Euangelica cap. 143. dum agit de diuiſione veſtimentorum Chriſti, dicere: *Quadripartita veſtium diuiſio quadripartitam ſignificat Eccleſiam, hoc eſt Eccleſiam quatuor mundi terminos replentem: inconſutilis verò, & indiuiſa, refert Eccleſiæ eiuſdem vnitatem, quam fruſtrà ſemper ſcindere conati ſunt hæretici.* Huc porrò facere illud Saluatoris Matth. 16, 18. *Porta inferi non prævalebunt aduerſus eam.* hoc eſt peccatores, & hæretici in primis, qui ſunt velut portæ, per quas, ob peſſima illorum exempla & doctrinam animæcidam, ad infernum deſcenditur, vt eum locum interpretantur Theophylactus, Epiphanius, Hieronymus, Anſelmus, Gloſſa ordinaria, D. Gregorius Pſal. 7. Pœnitent. *Portæ inferi*, ait, *hæreſes ſunt, quæ dum multos in fide infirmos fucata verborum calliditate decipiunt, quaſi inferorum eis aditum pandunt.* Si ergo, concludunt, ſchiſmatibus vel hæreſi ſcinderetur Eccleſia, ſcinderetur etiam inconſutilis Chriſti tunica, & Eccleſia vna non eſſet, & portæ inferi aduerſus eam prævalerent, quod ſuſpicandum non eſt.

Solutio.

Scinditur Eccleſia extrinſecè, quia alij ab ea ſcinduntur.

Reſpondeo, Hæreſibus & ſchiſmatibus ſcinditur quidem Chriſti Eccleſia & veſtis, ſed non ſciſſione mutua: hoc eſt, ſcinduntur quidem ab ea, qui apoſtaſia ab ea ſe ſeparant, ſed illa vna ſemper, indiuiſa & inconcuſſa perſeuerat. *Tunica inconſutilis* (ait Caſſianus lib. 13. de Paſſ.) *fidei arguit vnitatem, vnitas ſiquidem noſtræ fidei ſcindi nequit: Poteſt homo à fide reſcindi, ſed fides non poteſt vllo modo perſcindi.* Hæc ipſe. Et hæc vnitas & ſtabilitas in littera *mem*, clauſa poſita in medio dictionis Hebraicæ *lemarbeh*, vt diximus, ſignificatur. Optimè quidem, quia numquam vel minui vel ſcindi potuit vnitas & firmitas illa S. Eccleſiæ, etſi eam plures tyranni & hæretici varijs machinamentis & inſidijs oppugnauerint.

Verum nullus negabit, maiorem futuram eam vnitatem & ſtabilitatem, ſi non in ſe modò indiuiſa & ſtabilis ſit S. Eccleſia, ſed etiam quantum ad filios ſuos, quos omnes in gremio ſuo claudat, & diſperſos & profugos, audita cæleſtis Paſtoris voce, ad ouile ſuum recipiat, & vlnis ſuis amplexetur (quemadmodum accidet poſt Antichriſti interitum, Mahometicæ ſectæ, & quarumlibet aliarum hæreſum & ſuperſtitionum extinctionem) adeoque eiuſdem *mem* figuram quadrangulam, Chriſti Regnum per quatuor mundi partes dilatandum eſſe, ſignificare reor; & conſequenter adductum ſuprà Iſaiæ vaticinium, quod hactenus explicauimus, ſingulariter reſpicit futurum illud pacis & communis concordiæ tempus, id quod ſequentia verba magis explicant: *Super ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius ſedebit: vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia, amodò & vſque in ſempiternum: zelus Domini exercituum faciet hoc*, verſu 7. Quæ tu, Lector, conſidera; facilè enim quod diximus ampliùs in ipſis deprehendes, amplitudinem ſcilicet, ſtabilitatem & ſupercæleſtem Regni Chriſti originem, eo quidem tempore euulgandam, & ampliùs in extremo iudicio & gloria manifeſtandam & conſummandam fore.

CAPVT CIV.

Ex admirabili illa ſtatua, quæ per viſum nocturnum oſtenſa fuit Regi Nabuchodonoſor, cuius fit mentio Danielis 2. oſtenditur extinctio Mahometici Imperij, & Chriſti Regni dilatatio & firmitas.

CHRISTI IESV Domini noſtri admirabile & longè ampliſſimum Regnum, quod in hoc mundo habere debebat, prænonſtratum fuit in memoranda illa viſione facta Nabuchodonoſor Regi Babylonis, ſub oſtenſione ſtatuæ cuiuſdam, molè & compoſitione mirabilis, quæ deſcribitur apud Danielem cap. 2. & ab eodem ſacro Vate porrò explicatur. Cùm Rex ille in ſtrato ſuo accubaret, vidit in ſomnis ſtatuam quamdam ſibi exhiberi grandem, ſublimem, aſpectuque terribilem. Eius caput ex auro formatum erat optimo, pectus & brachia conſtabant argento, venter & femora ex ære conflata erant, tibiæ erant ferreæ, pedum denique pars altera erat ferrea, altera verò lutea & fictilis. Huius ſtatuæ aſpectus Regem valdè exterruit. Sed & vidit abſciſſum ſine manibus de monte quodam lapidem, qui ſtatuam in pedibus percuſſit, eoſdemque comminuit. *Tunc contrita ſunt pariter*, verba ſunt ſacri Textus, *ferrum, teſta, as, argentum & aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento: nullusq; locus inuentus eſt eis: lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & implevit vniuerſam terram.* Hactenus viſio, cui duplicem ſubiungimus explicationem, alteram, quam ſuggerunt S. Daniel & Doctores ſacri; alteram, quam nos, ijſdem κατ' ἴχνη inhærentes, excogitauimus.

Quantum ergo ad litteram, quatuor magna mundi Imperia, & vltimum ijſdem longè maius, Chriſti nimirum, per eam ſtatuæ viſionem ſignificantur.

In ſtatua Nabuchodonoſor oſtenſa, caput aureum Nabuchodonoſorem & Chaldæorum Regnum ſignificat.

Caput aureum, ipſo Daniele interprete, Nabuchodonoſorem & Chaldæorum Regnum ſignificat. Vt enim valore & pretio aurum alia excellit metalla, ita Nabuchodonoſor Rex omnibus Regibus ſui temporis erat maior, & Regnum eius omnibus alijs diffuſius, quoniam Deus cæli dederat illi virtutem debellandi alios Reges, eorumque Regna ſuo Imperio copulandi, multaſque diuitias congregandi.

Pectus argenteum. Perſarum & Medorum Regnũ.

Minus Regnum, quod iſti Chaldæorum Regno ſuccedere debebat, vt patet Danielis 5. eſt Regnum Perſarum & Medorum, ideò per brachia & pectus argenteum deſignatum, quòd in eo ſapientiæ multùm ſtuderetur. Et quia (vt innuit Lyranus) hoc Medorum & Perſarum Regnum è duobus Regnis conſtat, quorum alteri Darius, alteri Cyrus imperauit, ideò ſignificatum eſt per duo brachia: & quia duo illa Regna in vnum coaluerunt tempore Cyri, qui defuncto Dario auunculo ſuo ſucceſſit, ideò illa brachia iuncta erant in pectore vno.

Venter æreus. Græcorum Regnum.

Venter & femora ærea tertium Regnum Græcorum ſignificant, idque meritò, propter Græcorum ſummam eloquentiam.

Tibiæ ferreæ, Romanorum Imperium.

Tibiæ ferreæ quartum & fortiſſimum Romanorum Imperium ſignificant; quia velut ferrum omnia reliqua metalla edomat, ita Romanorum Imperium omnia mundi Regna veluti comminuit & ſibi ſubegit: quod tamen tandem debile erit & diuiſum. Vide Lyranum. Hæc ferè omnium expoſitio. Sed omnium nomine vnum ſanctiſſimum pariterque doctiſſimum audiamus Hieronymum. *Caput*, inquit, *aureum.*] *Per quod oſtenditur primum Regnum Babylonicum, auro pretioſiſſimo comparatum. Et poſt te*, &c.] *Medorum videlicet atque Perſarum argenti habet ſimilitudinem, minus priore, & maius ſequente. Regnum tertium aliud æneum.*] *Alexandrum ſignificat & regnum Macedonum ſucceſſorumque Alexandri; quod rectè æreum dicitur: inter omnia enim metalla æs vocalius eſt, & tinnit clariùs, & ſonitus eius longè lateq; diffunditur, vt non ſolùm famam & potentiam Regni, ſed & eloquentiam Græci ſermonis oſtenderet. Regnum autem quartum, quod perſpicuè pertinet ad Romanos, ferrum eſt, quod comminuit & domat omnia: ſed pedes eius, & digiti ex parte ferrei, & ex parte ſunt fictiles, quod hoc tempore manifeſtiſſimè comprobatur. Sicut enim in principio nihil Romano Imperio fortius & durius fuit, ita in fine rerum nihil imbecillius, quoniam & in bellis ciuilibus, & aduerſum diuerſas nationes aliarum gentium barbararum indigemus auxilio.* Hactenus S. Hieronymus in cap. 2. Danielis.

Tibijs ferreis Mahometicum etiam Imperium ſignificatum.

Amplectimur & exoſculamur quidem libentiſſimè hanc explicationem, quòd rationi conformis ſit, & illuſtriſſimos atque omni honore venerandos habeat patronos; ſed non ideò putamus nobis interdictum eſſe proponere quod ſingulariter de quarto Regno in tibijs ferreis, & pedibus partim ferreis partim fictilibus deſignato, cogitationi noſtræ occurrit, cùm ex hoc nemini præiudicium ſit prouenturum. Arbitror ergo, in viſione illa, in qua maxima huius mundi Regna præmonſtrata fuerunt, omnium potentiſſimum, Mahometicum inquam & Antichriſtianum, non fuiſſe præter miſſum, ſed indicatum in tibijs ferreis. Et quamuis hoc dicamus, non ideò tamen, quatuor illa memorata Regna in admirabili & portentoſa viſione oſtenſa fuiſſe negamus, ſed ſupponimus, primum Regnum, nimirum Babylonicum, exhibitum fuiſſe in auro, ſecundum inferius in brachijs & pectore argenteis, vbi tria illa, Medorum, Perſarum, & Græcorum pro vno capio, duo ſcilicet priora in brachijs, & tertium in pectore, idque meritò, propter ſapientiam & eloquentiam quam argentum deſignat. Tertium quod in ære deſignatur, dicerem eſſe Romanum Imperium, propter eamdem rationẽ quam pro Græco adducit S. Hieronymus, quæ, ſi non magis, ſaltem non minùs Romano conuenit: quia æs inter omnia metalla vocalius eſt, & tinnit clariùs, & ſonitum ſuum longè lateque diffundit, quo non ſolùm fama & potentia eiuſdem Regni, ſed etiam ſuada & eloquentia Romani ſermonis oſtenditur. Quàm enim aptè hæc de Romano Imperio enuntiari poſſint, & magis quàm de vllo alio, quis non videat, qui expendere velit, ſemper illius nomen in vniuerſo terrarum orbe celeberrimum fuiſſe, quem & pro maiori parte ſibi ſubiecit, non tam enſe quàm verbis, non tam violentia armorum quàm vrbanitate & humanitate morum, prout illi qui de vrbe Roma eiuſq; dignitate verba faciunt, teſtantur. E multis vnum vel alterum teſtimonium audiamus.

Eloquentiæ magis quàm ferro dilatatum Romanorum Imperium.

Plinius lib. 3. cap. 5. de Italia, atque adeò de Roma, hæc canit encomia: *Terra omnium terrarum alumna, eadem & parens, numine Deûm electa, qua cælum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret Imperia, rituſq; molliret, & tot populorum diſcordes feraſq; linguas ſermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret, breuiterq; vna cunctarum Gentium in toto orbe patria fieret.* Et meritò: nam Romani dicebantur,

Roma eulogium.

dicebantur, quicumque Romano ſubiecti eſſent Imperio. Conſule Cœlium Lectionum Antiq. lib. 18. cap. 15. Ideò Ioſephus lib. 2. Aduerſus Apionem: *Romanorum verò clementia cunctis non paruulum donum appellationis ſuæ conceßit, non ſolùm viris ſingulis, ſed etiam maximis Gentibus in communi. Hiſpani denique antiqui, & Tyrrheni, & Sabini Romani vocantur.* Et Poëta Claudianus de eadem Roma ſic canit:

Qua nihil in terris complectitur altius æther,
Cuius nec ſpatium viſus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit: quæ luce metalli
Æmula, vicinus faſtigia conſerit aſtris,
Armorum legumq; parens, quæ fundit in omnes
Imperium, primiq; dedit cunabula iuris:
Hæc eſt exiguis quæ finibus orta, tetendit
In geminos axes, paruaq; à ſede profecta
Diſperſit cum Sole manus. ——

Et Lyranus in hunc Prophetæ locum ait, tria fuiſſe per quæ Romani deuicerunt totum orbem, ſcilicet ſapientiâ, exercitio armorum, & bono regimine. Omnem enim hominem, vndecumque veniret ad eos, honorauerunt ſecundùm valorem ſuum, ſiue in militia, ſiue in ſcientia, ſiue in arte mechanica, ſeu quacumque excellentia alia. Et propter hoc excellentes viri de omnibus partibus mundi propter magnam pacem iungebant ſe eorum politiæ.

Quartum verò regnum, de quo loquitur Daniel, ſolo ferro ſibi ſubijcere debebat cetera Regna, vt manifeſtiſſimè verba Prophetæ indicant, quæ ſic habent: *Et Regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit & domat omnia, ſic comminuet & conteret omnia hæc*, Dan. 2, 40. Quare verba Danielis iure licebit accommodare eiuſmodi Regno quod ſingulariter vi & armis propagari, & in reliqua regna dominatũ exercere debet; quod de nullo veriùs quàm de Mahometico & Antichriſtiano dici poteſt. Age enim, nónne Mahometicum Imperium, ab omni politica diſciplina, & à ſaniore, quem ratio diuinitus homini indita requirit, regendi gubernandiq́ue modo alieniſſimum, vi & armis orbi terrarum obtruſum eſt? nónne ijſdem medijs, quibus non homines ſed belluæ mouentur? Nónne infamis iſta Mahometica ſecta ſuis profeſſoribus præcipit, vt vel armis illam defendant & propagent, nulla habita rationis ratione, quam contra ſe ſtare vident? Nónne denique per vim apertiſſimam, terrores bellicos & tyrannicam violentiam tam latè diffuſa eſt? Nec diſſimiliter faciet Mahometis viperina progenies Antichriſtus, quando mundo apparebit, vt communi conſenſu tradunt ſancti Patres. Anne ergo meritò hoc Regnum & Imperium, quod iniuſtis armis & violenta inuaſione tot alia Regna & Imperia occupauit, & Romanum ipſum, iam diuiſum, pro maiori parte ſibi ſubiugauit, diceres in ferro eſſe præfiguratum?

Ferro Mahometicum Regnum adumbratum.

Nec myſterio vacare arbitror, quòd tibijs & pedibus, ijſq́ue ferreis, præmonſtratum fuerit Mahometicum Imperium. Illud verò hoc eſſe crediderim, quòd ſicut tibiarum & pedum adminiculo incedimus, &, ſi ferrei ſint, abſque labore & laſſitudine multas peruagamur regiones & Regna perluſtramus, ita Mahometicum Imperium aſſiduè & indefeſsè, mille iam & ampliùs annis ambulando & progrediendo, multas regiones & ampliſſima Regna peruaſit & inuaſit, & adhuc ambulat, progreſſus facit, & cum ſummo damno & dedecore noſtro, Chriſtianorum expilat bona, & occupat imperia. Et Antichriſtus ſoboles eius triennij curriculo cum ſemeſtri, mirabile dictu, totum peruagabitur & peragrabit mundum, eiuſdemq́ue ſolus, alijs ſubactis Regibus, monarchiam obtinebit.

In tibijs & pedibus ferreis quare ſignificatum Mahometis & Antichriſti Regnum.

Neque etiam à probabilitate alienum eſſe crederem, per duas tibias ferreas ſignificata fuiſſe vel duplex Mahometicum Imperium, Ottomani inquam & Saladini, tandem ſimul in Ottomanico iuncta, vt tibiæ ſimul femori iunguntur; vel præſens Ottomanum, & Perſianum; vel Mahometicum quod in præſentia cernitur, & Antichriſtianum quod poſteà orietur: vel dicamus denique, quod de Romano dixit Lyranus, quòd ille qui erat principalis Imperator, aſſumeret ſocium adminiſtrandi Imperij, ſicut patet de Auguſto & Antonio, de Diocletiano & Maximiano, & pluribus alijs. Ita Turcicum Mahometicumq́ue Imperium deſeruiet vireſq́ue præbebit Antichriſtiano, quemadmodum in præcedentibus dictum fuit.

Ad hæc, in pedibus etiam explicatur ſuprà Imperij huius conditio, & contemptus omnium. Quæ enim nihili facimus, pede protrudimus. Hinc de morte neminem extimeſcente, ſed omnes deſpicatui habente, dixit Poëta:

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Diuitumq́; turres.

Ita Imperator Mahometicæ ſectæ altiſſimo ſupercilio contemnit hoſtes ſuos, nec vel pili inſtar æſtimat ſibi ſubiectos, vtpote quos velut mancipia tractet.

Proſequitur Propheta. *Porrò quia vidiſti pedum & digitorum partem teſtæ figuli, &*

partem ferream: Regnum diuiſum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, ſecundùm quod vidiſti ferrum miſtum teſtæ ex luto. Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte Regnum erit ſolidum, & ex parte contritum. Quòd autem vidiſti ferrum miſtum teſtæ ex luto, comiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhærebunt ſibi, ſicut ferrum miſceri non poteſt teſtæ, Danielis 2,41. Parabolicis hiſce verbis ampliùs explicat S. Propheta conditionem mirabilis huius Imperij. Pedes illius ſtatuæ perhibentur fuiſſe partim ferrei, partim fictiles, qui egrediebantur à planta pedis omnino ferrei; quibus diuiſio, fortitudo, ſtabilitas atque defectus Mahometis & Antichriſtici Imperij indicatur.

Mahometicũ Regnum quomodo diuiſum dicatur.

Regnum diuiſum erit. Ecce Regni diuiſionem, quod tripliciter poteſt intelligi. Primò, quod in Mahometico Imperio multi futuri ſint Principes, fortes alij in ferro, debiles alij in teſta præfigurati, qui aduerſus ſe pugnabunt inuicé, etſi oriundi ſint ex eodem ferri plantario, Mahometico ſcilicet Imperio & perfidia. Secundò, de ipſiſmet diuiſionibus quæ fuerunt vel inter ipſos maiores Principes, vt olim inter Ottomanum & Saladinum, nunc verò inter Turcarum Imperatorem & Perſarum Regem; vel inter Turcici exercitus Archiſtrategum, & aliquem ex inferioribus illo Ducibus, vt nuper accidit inter eumdem & Ieroſolymorum Gubernatorem ab eo deficientem; vel denique inter ipſoſmet inferiores Principes, vt Damaſcenum & Gazenſem, Tripolitanum & Sidonenſem, &c. Tertiò tandem poteſt intelligi de Antichriſto eiuſque Imperio; ipſe enim velut ferrum, alios Mahometiſtas Principes vt teſtam confringet, ſibique ſubijciet.

Eiuſdem ſtabilitas, & defectus in pedibus ferreis & fictilibus indicatur.

Ex parte Regnum erit ſolidum, & ex parte contritum. Et hoc ſimiliter tribus modis poteſt intelligi. Primò, conſiderando ipſum Regnum in ſe, quod aliquando vt ferrum ſolidum fuit, dum Chriſtianos & alios populos deuicit, & ſibi ſubiecit, aliquando etiam velut fragilis teſta ceſſit vel Chriſtianis, vel alijs ſuis hoſtibus, vt quando Perſarum Rex Conſtantinopolitanum Imperatorem ſuperauit, eiuſque profligauit & in fugam conuertit numeroſiſſimum exercitum. Deinde, in hoc Imperio ſunt plures Principes, alij fortes vt ferrum, alij vt teſta fragiles. Secundò poteſt referri ad tempus in quo fuit, eſt, vel erit hoc Imperium: fuit enim & eſt vt ferrum forte; ſed poſteà vt teſta confringetur ab Antichriſto, qui illud ſui iuris faciet. Tertiò denique, quia Antichriſtianum Imperium, ex ferreo plantario Mahometico oriundum, initio quidem adeò forte & potens erit, vt trium annorum & ſex menſium curriculo inſtar ferri omnia comminuentis, omnia ſibi mundi Regna ſubiecta habeat; ſed ſtatim, velut ſi vas aliquod fictile baculo ferreo percutiatur, comminuetur, & in puluerem redigetur, quando nimirum Dominus (vt verbis Prophetæ vtar) *percutiet terram* (Antichriſtum videlicet) *virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium*, Iſaiæ 11,4. & quando, vt S. Paulus dixit, *deſtruet illuſtratione aduentus ſui*, 2. Theſſal. 2,8. ipſumque & exercitus illius *reget in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringet*, Pſal. 2, 9. vt futurus ſit *tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ*, Pſal. 1,4. & citiùs ſit interiturus quàm incrementa acceperit.

Amori mulieris, ad nihilum redigendum.

Quòd autem vidiſti ferrum miſtum teſtæ, &c. Hac ſimilitudine oſtendere mihi videtur peculiarem quamdam Regni huius conditionem, vt, quòd expers ſit amicitiæ, quòd ſit violentum, ac conſequenter ad nihilum redigendum. Inter alias cauſas, ob quas matrimonium fuit à Deo inſtitutum, non infimum locum habent amicitia & prolis multiplicatio. Amor viri erga mulierem tantus eſt, vel ſaltem eſſe debet, vt propter ipſam omnia, ipſoſmet etiam parentes & familiares relinquat & poſthabeat: *Quamobrem* (dixit Dominus Geneſis 2, 24.) *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Ponderandum verbum *& adhærebit*, ſiue, vt alij legunt, *conglutinabitur*: eo enim indicatur vehementiſſimus amor viri erga mulierem. Hinc (vt alia omittamus) volens Scriptura diuina oſtendere quantum Sichem Dinam dilexerit, ait: *Conglutinata eſt anima eius cũ ea*, Gen. 34,3. quod magis etiam expreſſerunt Septuaginta, dum legunt, *Intendit animo* (totis animi viribus intentis) *Dinæ filiæ Iacob, & amauit virginem.* Et id ipſum indicauit Dominus in Euæ formatione, & Moyſes, dum illam retulit, inquiens: *Aedificauit Dominus Deus coſtam quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis*, &c. Geneſ. 2,22. Inquirunt Doctores, quare Dominus Euam non ex capite vel ex pedibus Adæ formauerit, ſed ex coſta cordi adhærente. Hugo Victorinus reſpondet in hunc modum: *De ipſo viro mulier facta eſt, quoniam ſi aliunde fieret, vnum profectò principium omnium hominum non eſſet. Facta eſt autem de latere viri, vt oſtenderetur, quia in conſortium creabatur dilectionis; ne fortè ſi fuiſſet de capite facta, præferenda videretur viro ad dominationem; aut ſi de pedibus, ſubijcienda ad ſeruitutem. Quia igitur viro nec domi-*

Amor viri erga mulierem magnus eſſe debet.

Fœmina cur de latere viri ſumpta.

domina nec ancilla parabatur, ſed ſocia, nec de capite nec de pedibus, ſed de latere fuerat producenda, vt iuxta ſe ponendam cognoſceret, quam de iuxta ſe ſumptam didiciſſet. Hæc ille. & S. Auguſtinus, *Quòd femina*, inquit, *ex viri latere facta eſt, etiam hinc ſatis ſignificatum eſt, quàm chara mariti & vxoris deberet eſſe coniunctio*, &c. Et Moyſes idem indicauit, dum eius formationem verbo *ædificandi* expreſſit, vt inquam in ea vir quieſceret vt in proprio domicilio, & ipſa alium præter proprium virum non admitteret, ædificata ex Adæ coſta, quæ cordi adiacet, vbi ſedes eſt amoris: vt ſignificaretur, ædificatam eſſe non alijs lapidibus & cæmento, quàm amore & charitate, cui ædificare conuenit. *Charitas ædificat*, inquit S. Paulus 1. Corint. 8, 1. & ex tali charitate procrearentur liberi, qui ædificia nuncupantur tam in ſacris quam in profanis litteris. Et quid ampliùs? adeò magnum arbitratus fuit S. Apoſtolus amorem, quo viri ſuas debent proſequi vxores, vt non dubitauerit illum comparare nimiæ illi charitati qua Chriſtus dilexit ſponſam ſuam Eccleſiam, dicens: *Viri, diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea*, &c. Ephes. 5, 25. & vt virorum eſt diligere, ita vxorum obedire, vt dixit Chryſoſtomus Hom. 10. in Epiſt. ad Coloſſ.

S. Auguſt. lib 12. de Ciuit. c. 26.

Quies viri, qualis.

Verùm in bruta iſta Mahometica gente hæ ſanctæ tàm diuinæ quam naturales leges peruertuntur. Sunt quidem in ea multa connubia, at non vera inter coniuges amicitia, aut perfectus amor; mariti enim vxores ſuas contemptui habent, nec aliter eas tractant, quàm ſi eſſent illorum mancipia & viliſſima proſtibula; vtpote quas ad effrenatam potiùs libidinem explendam & excitandam, quàm ad amorem nutriendum, amicitiam conciliandam, aut filios procreandos alant. Hinc illas quoque ſub haſta venales habent, & ad libitum expellunt. Nec ſolùm inter coniuges, ſed etiam inter filios, & parentes & fratres ipſos verus deſideratur amor. Vnde nouimus, non ſemel patres occidiſſe filios, filios contrà parentis machinatos fuiſſe mortem, & fratrem in fratrem inſurrexiſſe. An hoc prouenerit ex illorum auaritia, quæ amicitiam excludit, an ex regnandi libidine, an ex multitudine vxorum & epheborum, inter quos amorem diuidi, ideoque minui neceſſe eſt, equidem me latet; ex his omnibus enim defectus amoris prouenire poteſt: an etiam, loquendo de coniugibus, ideò id accidit, quia matrimonium illorum non eſt Sacramentum, ſed ſimplex contractus, adeò vt mulieres virorum potiùs ſcorta quam coniuges exiſtant? An forte meliùs ideò, quia vaſtiſſimum hoc Imperium ex omnibus nationibus viros & mulieres complectitur, *Chriſtianos*, *Hebræos*, *Mauros*, &c. inter quos cùm ſit naturalis quædam auerſio & antipathia (quia non *coëuntur Iudæi Samaritanis*) nec omnes eamdem profiteantur ſuperſtitionem, & plerumque matrimonio ſiue concubitu fornicario commiſceantur, verus & ſincerus amor intercedere non poteſt, ſicut nec perfectè vniri poſſunt ferrum & teſta? Et hoc videtur apertiſſimè edixiſſe Daniel, cùm ait: *Commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhærebunt ſibi*, amore ſcilicet & amicitia, *ſicuti ferrum miſceri non poteſt teſtæ*, Daniel. 2, 43. Atque ideò Imperium hoc aliquando neceſſariò corruet, cùm glutino charitatis deſtituatur. Et ſanè, nullus dubito, quin ſi antiqui Doctores Imperium Mahometis & Antichriſti vidiſſent, & poſteriores illud paulò attentius conſideraſſent, eiſque contuliſſent hæc quæ de quarto Regno & ferreis tibijs, &c. à Daniele dicuntur, noſtram hanc expoſitionem ambabus vlnis, quod dicitur, amplexati fuiſſent.

Cauſa defectus amoris inter Mahometi ſtas.

Pergit Daniel horum Regnorum deſolationem, & alterius, ſcilicet Chriſti, fundationem & dilatationem explicare: *In diebus autem Regnorum illorum*, inquit, *ſuſcitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & Regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet vniuerſa Regna hæc: & ipſum ſtabit in æternum*, Daniel. 2, 44. At quandónam futura eſt horum Regnorum diſſipatio, Regni Chriſti fundatio, atque Danielici vaticinij complementum? An, quia dicitur, *in diebus autem Regnorum illorum*, &c. intelligendum eſt de tempore quo iam memorata extiterunt Regna, Babylonicum, Medicum, Perſicum, Græcum & Romanum, vel Mahometanum? ſed enim hoc non poteſt abſolutè conſiſtere: quia quando per corporalem natiuitatem venit Chriſtus noui huius vaſtiſſimi Regni auctor, iam priora illa Regna diſſipata erant, & ſolum ſupererat Romanum, Luc. 2, 1. & Mahometes, Mahometici Imperij fundator, nondum natus erat.

Chriſti Regnum alia comminuit, & ad omnia ſe extendit.

Pro quo tempore ſunt Prophetæ verba intelligenda.

An hæc, vt arbitrati fuêre Tertullianus & Theodoretus, implebuntur in ſecundo Chriſti aduentu? Sed obſtat, quòd illa Regna tunc diſſipata erunt: poſt interitum enim Antichriſti vnicum erit Chriſti Regnum, vt iam innuimus, & nunc ampliùs explicamus: & ſermo videtur eſſe de Chriſti Regno, quod etiam vt homo habebit in terris; ac poſt iudicium erit illius Regnum cæleſte.

Tertul. l. 3. contra Marcio. c. 7. & lib. aduerſ. Iudæos c. 14. Theodor. comment. in Daniel. *Prima ſententia.*

Communior & probabilior Doctorum

Secunda ſententia.

ſententia eſt, præmiſſa intelligenda eſſe de primo Chriſti aduentu, vt apparebit in ſequentium verborum interpretatione. Non diſplicet quod in hunc locum ſcribit Lyranus, dicens: *Suſcitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur. Iſtud eſt Regnum Chriſti, quod eſt æternum: ſecundùm quod dicitur Luc. 1. Regni eius non erit finis: quod Regnum inchoatum eſt Regno Romanorum exiſtente in maxima fortitudine ſua; quia ſubiectis omnibus nationibus, deſcriptus eſt orbis de mandato Auguſti Imperatoris, quo tempore natus eſt Chriſtus, vt patet Lucæ 2.* &c. Adderem, tunc quidem inchoatum fuiſſe Chriſti Regnum, quando ipſe natus eſt, tempore ſcilicet Auguſti Romanorum Imperatoris, ſucceſſuque temporis deinde dilatatum, ſed ea quæ à Daniele prædicta ſunt præcipuè eſſe complenda poſt interitum Antichriſti & extinctionem ſectæ Mahometicę, quæ tot ſub ſe Regna cõtinet: nam vſque ad illud tempus erunt illa alia Regna, vt ex his quę hactenus vidimus dijudicare licet, nõ Chriſti, ſed hoſtium Chriſti.

Nolo hîc ſilentio præterire vnum quod occurrit, Chriſtum Deum noſtrum Regem ante ſæcula, licet ei hereditario iure omnia Regna mundi debeantur, noluiſſe tamen ea deſtruere, & ſuum dilatare, niſi priùs poſita eorumdem ab inuicem diſcordia, adeoque cauſa in ipſiſmet exiſtente: vt quilibet ad oculum videat, quòd Deus non priùs vltionis gladium ſtringat, quàm alius ſuis id peccatis promereatur, vt dixit S. Auguſtinus, & apud Oſeam ipſe Dominus conteſtatus eſt, inquiens: *Perditio tua Iſraël; tantummodò in me auxilium tuum*, Oſeæ 13, 9. Et vt naturale agens agit ſecundùm ſubiecti ſui diſpoſitionem, ita & ſupernaturale agens Deus agit ſecundùm quod mortalium animos ad præmia vel ſupplicia diſpoſitos eſſe viderit. Et ideò non niſi completis peccatis Chananæorum, dedit eorum regionem Iudæis. Ita in propoſito, non diſſipabit & euertet Chriſtus Mahometicum Imperium, vt ad ſe conuertat, niſi in ſe priùs diuiſum fuerit.

Chriſti Regnum quomodo dilatabitur.

Qualiter autem facienda ſit horum Regnorum, Mahometici nimirum & Antichriſtiani totalis diſſipatio, Chriſti verò Domini dilatatio & ſtabilimentum, ſequentibus narrat Propheta: *Secundùm quod vidiſti, quòd de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus oſtendit Regi quæ ventura ſunt poſteà, & verum eſt ſomnium, & fidelis interpretatio eius*, Daniel. 2, 45. Sed quid lapis, quid mons, quid illius denique ex hoc præciſio ſine manibus ſignificat?

Lapis Chriſtum ſignificat.

Lapis, omnium conſenſu ſignificat Chriſtum Dominum, lapidem angularem, qui diſperſos in ſe vnuit populos, & fecit vtraque vnum, de quo (ipſomet Chriſto interprete) dixit Dauid: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*, &c. Pſal. 112, 22. Mons verò, ſanctiſſimam Virginem ſignificat, quia omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuę dignitate tranſſcendit, vt pluribus, & eleganter explicuit S. Gregorius in iſta libri 1. Regum 1, 1. verba, *Fuit vir vnus de Ramathaim Sophim de monte Ephraim.* De iſto monte ſine manibus præciſus, id eſt, ſine viri opera conceptus & natus eſt Filius Dei & hominis Ieſus Chriſtus. Ita Doctores communiter, Irenæus lib. 3. Contra hæreſes, cap. 18. Iuſtinus Philoſophus & Martyr in Dialogo cum Tryphone, D. Epiphanius de Laudibus Virginis Mariæ, Theodoretus in Comment. ſuper Danielem, Lyranus, & alij ibidem, Rupertus lib. 1. in Dan. c. 6. Heſychius Homilia de Laudibus Virginis Mariæ, Oratione 1. de B. Mariæ dormitione, & alij: ſed vnum dumtaxat doctiſſimum Hieronymum audiamus ſic loquentem. *In fine*, inquit, *horum omnium Regnorum auri, argenti, æris, & ferri, abſciſſus eſt lapis Dominus atque Saluator, ſine manibus, id eſt, abſque coitu & humano ſemine, de vtero virginali. & contritis omnibus Regnis, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram.* Hæc S. Doctor.

Mons Virgo Deipara.

S. Gregorius libros Regum, 1. Regum 1, 1.

S. Auguſtinus per lapidem non D. Virginem, ſed Iudæorum Regnum, ex quo per Mariam deſcendit Chriſtus, intelligit, & appoſitè, Dauide dicente: *Fundamenta eius in montibus ſanctis*, Pſal. 86, 1. ſic verò ille ait Tract. 9. in Ioannem: *Lapis de monte præciditur: ipſe eſt lapis, quem reprobauerunt ædificantes, & factus eſt in caput anguli. De quo monte præciditur, niſi de Regno Iudæorum, vnde Chriſtus ſecundùm carnem natus eſt? & præciditur ſine manibus, ſine opere humano, quia ſine amplexu maritali de virgine exortus eſt. Mons ille vnde præciſus eſt, non impleuerat vniuerſam faciem terræ: non enim tenuerat Regnum Iudæorum omnes gentes: at verò Regnum Chriſti vniuerſum orbem terrarum cernimus occupare.* Hæc ſanctus Auguſtinus.

Alij montis nomine corpus Saluatoris intelligunt, quod ſua ſponte morti oblatum eſt. Philo Carpathius, expendens illa verba Cant. 4, 6. *Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris*, ſic ait: *Is enim mons eſt, de quo legitur, Abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & contriuit ſtatuam, & factus eſt in montem magnum. Myrrha verò, ſecundùm illam Ioſeph, à quo hic mons ea vnctus eſt in ſepulchro.*

Ad

Ad hunc autem montem myrrhæ & collem thuris voluntariè acceſſit ſponſus; vt non ſolùm pro ſponſa mortuus ſepeliretur, verùm etiam vt pro eadem reſurgeret immortalis, ob idq; colli thuris eius caro aſſimilatur; quod poſt reſurrectionem, thuris inſtar viua ligna, iuſtos ſcilicet germinatura erat.

Chriſti humilitas.

Ex iam præmiſſis propoſitum noſtrum explicantes, dicimus, lapidem illum paruum, Chriſtum Dominum ſignificaſſe, qui exiguus fuit humilitate. Hinc Dauid in eius perſona dicebat: *Ego autem ſum vermis, & non homo*, &c. Pſalm. 21,7. De eo etiam D. Paulus: *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinaniuit*, &c. Philipp. 2,6. & ipſe de ſe Chriſtus: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, Matth. 11, 29. exiguus etiam corpore & aſpectu, quando de monte præciſus, id eſt, conceptus & natus fuit. Etenim ſi alijs hominibus in conceptione, quantum ad animationem, extitit ſimilis, ipſo per quemdam Sapientem dicente, *Sum* quidem *& ego mortalis homo, ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro*, Sapient. 7, 1. corpus verò humanum, ſi Macrobio & Ariſtoteli in Hiſtoria de animalibus credimus, quando ei infunditur anima, non eſt maius quàm corpuſculum apis vel formicæ, nec etiam maius eſſe debuit corpus noſtri Saluatoris in eius conceptione. Et ita profectò fuit, cùm Magiſter Sententiarum, illius exilitatem exaggerans, dicat: *Adeò tenuis erat & parua forma, vt vix humano viſui poſſet ſubijci.*

Exiguitas in Virginis vtero.

Magiſter Sentent. lib. 3 d. 2.

Paruulus etiam in ortu apparuit, ita vt ille, quem totus non capit orbis, exigui præſepis angustijs caperetur, & pauperibus exiguiſque faſcijs ſtringeretur, Iſaia de eo dicente: *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*, cap. 9, 6. & talem inuenerunt paſtores & Magi, vt ab Angelo & ſtella admoniti fuerunt. Et Eccleſia myſtici huius lapidis exiguitatem, quando in eius ortu de myſtico monte Maria Virgine præciſus & in lucem editus fuit, admirata, dixit in quodam Hymno:

In natiuitate.

Eccleſia in Hymno Dominicæ Paſſionis.

Vagit infans inter arcta
Conditus præſepia:
Membra pannis inuoluta
Virgo Mater alligat;
Et Dei manus, pedeſq;
Stricta cingit faſcia.

Conceptio & natiuitas Saluatoris ſupra naturam.

An etiam lapilli huius ex monte præciſioni conceptionem & ortum Saluatoris noſtri ſupra naturam futurum indicare voluit? Elegãter obſeruauit Theodoretus in Comment. ſuper Danielem, in ſacris Litteris ortum ſupra naturam ſolere lapidis exciſionem nominari. Etenim etiam Iſaiæ 51, 1. quia Iſaac ex Abraham ſene, & Sara matre ſterili, & præterea iam ob ætatem ad concipiendum inhabili, fuit generatus, dicitur Iſraël, qui ex Abraham per Iſaac & Iacob originem duxit, exciſus de petra fuiſſe: cùm enim petra nihil ex ſe naturâ poſſit producere, inde eſt quòd, cùm ortus aliquis ſupra naturam contigit, cuiuſmodi fuit ortus Iſaac ex Abrahamo & Sara ſterili, etiam ortus Chriſti ex Virgine, per exciſionem lapidis de rupe explicetur. Audi Deum per Iſaiam ita Iudæos alloquentem: *Attendite ad petram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci de qua præciſi eſtis. Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum*, Iſaiæ 51, 1. *Quaſi dicat*, inquit D. Hieronymus, *conſiderate, quòd cùm Abraham vnius & centum eſſet annorum, & ſterilem haberet vxorem, multiplicauerim filios eius quaſi ſtellas cæli, ita vt numerum vinceret multitudo. Si ergo de vno homine tanta populorum nata ſunt millia, quid mihi grande eſt, vt inſtaurem ruinam Sion, & deſertæ eius mutem in paradiſum voluptatis?* Hactenus ſanctus Doctor.

Lapillus Chriſtus appellatur, lapillus inquam, cuius natura eſt cedere ferro, dum ab eo frangitur & in puluerem redigitur. *Ferrum* enim, dixit Daniel, *comminuit & domat omnia.* Cùm verò nihilominùs ipſe ſtatuam illam conterere debeat, id eſt, omnia Regna in ſtatua illa ſignificata, ſignificatur, id non humana, ſed diuina euenturum virtute. Quemadmodum & Dauid adoleſcens dimicaturus contra immaniſſimum gigantem, non acceſſit armatus lorica, gladio & arcu, ſed lapide, ad fugandos canes, quàm homines occidendos magis idoneo; vt daretur intelligi, victoriam diuinitus fore comparandam, & ideò non opportunis armis vſum fuiſſe. Et ita ipſe dixit ad gigantem: *Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei, agminum Iſraël*, &c. 1. Reg. 17, 45.

Mundi Regna diuina abſumendo virtute.

Cùm Aaron iuſſu Moyſis virgâ percuſſiſſet puluerem terræ, & facti inde eſſent non tigrides, leones, vel ferocia alia animalia, quibus puniretur Ægyptus, ſed ſciniphes ad exagitandos homines & iumenta; tunc & ipſi malefici coacti ſunt diuinam confiteri virtutem, vt proinde ad Pharaonem dixerint: *Digitus Dei eſt hic*, Exod. 8, 19. Idem indicauit in illa viſione Dominus, dum non multis bellicis machinamentis, ſed fragili lapillo, ſortem illam & prodigioſam ſtatuam conquaſſatam, & in faualiam æſtiuæ areæ redactam eſſe præmonſtrauit,

& ampliùs, dum illam non in capite, ſed in pedibus percuſſam eſſe oſtendit. Quando ædificium aliquod deſtruendum & ſolo æquandum eſt, non à fundamentis, ſed à culmine exordimur illius deſtructionem: & qui cum aliquo præhaturus eſt ſingulari certamine, caput hoſtis ferire ſtudebit, quemadmodum fecit Dauid quando pugnauit contra Philiſthæum, quem tam validoictu percuſſit in fronte, vt lapis cranium penetrauerit, & immanis illa bellua in faciem ſuper terram ceciderit. Hæc quidem optimè. Verùm, vt oſtenderetur, victoriam Chriſti de tot potentiſſimis Regnis, omnino eſſe ſupernaturalem & omnium glorioſiſſimam futuram, non caput, ſed pedes lapis ille percuſſit.

Idem diſertiſſimis & elegantiſſimis verbis expreſſit S. Auguſtinus, de Crucifixi admirabili victoria verba faciens. expendens enim ea verba Pſalmi 54, 10. *Quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate*, ſic ait: *Attende gloriam crucis ipſius. Iam in fronte Regum crux illa fixa eſt, cui inimici inſultauerunt. Effectus probauit virtutem. Domuit orbem non ferro, ſed ligno.*

Chriſti fortitudo. Denique lapis ob ſuam duritiem fortitudinis & ſtabilitatis ſymbolum eſt. Vt ergo indicaretur, illum qui ſponte exinaniuit ſemetipſum, factus in ſimilitudinem carnis peccati, vermis & non homo, eſſe fortem in prælio, brachium & fortitudinem Patris, in quo inhabitet omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt dixit S. Paulus Coloſs. 2, 9. ac ideò nihil poſſe ei reſiſtere, ſicut nec lutum vel vas fictile duro percutienti lapidi, & quemadmodum ſtatua illa ex ferro & varijs alijs metallis conflata, nequiuit lapillo illi percutienti reſiſtere quin ad nihilum redigeretur: ita myſticus lapis Chriſtus Dominus, diuina ſua virtute ac potentia, omnia ſuperborum ſubuertet dominia, ad nihilum rediget hoſtes ſuos, omniaque illorum occupabit Regna, totum implebit mundum, vereque ſe illum eſſe oſtendet, cuius voluntati nemo poſſit reſiſtere, quique per Prophetam dixit: *Cælum & terram ego impleo*, Ierem. 23.

Filij Dei ex Patre generatio. Hic lapis dicitur præciſus de monte ſine manibus, non ſolùm quia conceptus & natus eſt ex virgine ſine viri opera, ſed etiam quia Dei Filius præciſus fuit de monte, id eſt, quia ex æterno Patre fuit genitus, & venit in mundum, vt omnia terrena & hoſtilia Regna deſtrueret, & diuinum, quod in æternum non diſſiparetur, inchoaret Imperium. Quàm verò appoſitè natiuitas Filij Dei ex Patre, lapidis præciſione ex monte declaratur, ita vt mons æternum Patrem ſignificet, ob eius ſcilicet ſublimitatem, & quia eſt prima ſanctiſſimæ Trinitatis perſona? Quoniam veluti lapis abſciſſus eiuſdem eſt naturæ cum illo à quo abſcinditur, ita Dei Filius, quoniam in æterna generatione eamdem accepit Patris genitoris ſubſtantiam, lapis abſciſſus de monte dicitur. Et quemadmodum Filij Dei ex virgine temporalis generatio eò quòd ſupra naturam extiterit, explicata fuit per lapidis præciſionem, vt ex Theodoreto notauimus; ſimili ratione poſſumus dicere, eadem metaphora indicatam fuiſſe eiuſdem Filij ex Patre æternam generationem. Ad vtramque reſpiciens Euangelicus Vates, dixit, ſecundùm plurium ſanctorum Patrum & Doctorum interpretationem: *Generationem eius quis enarrabit?* Iſai. 53, 8. Et vt indicaretur, lapillo illo eſſe illummet adumbratum, qui ſua eſſentia, præſentia & potentia omnia replet, cuique omnis poteſtas data eſt in cælo & in terra, & qui de regalibus æternis illis ſedibus veniens, viſus eſt mons magnus, qui impleuit vniuerſam terram. Dan. 2, 35.

Opus manibus deſignatur. Sine manibus dicitur hic lapis præciſus, quia ex ſolo Patris beneplacito Verbum caro factum eſt, videlicet ſine hominum vel Angelorum operibus, quæ nomine manuum frequentiſſimè ſignificantur in ſacris Litteris: vt de malis Iſa. 1, 15. *Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* & Pſal. 7, 4. *Si eſt iniquitas in manibus meis.* De bonis Pſal. 17, 21. *Secundùm puritatem manuum mearum reſpice in me*, & alibi. Igitur Filij Dei generatio dicitur eſſe facta ſine manibus, non quòd tantùm æternam, ſed nec temporalem illam promeriti fuerint ſancti Patres, nec etiam ipſa ſanctiſſima Deipara, vt communior docet Theologorum ſententia. Sed quidquid ſit de hoc, etſi nonnulli arbitrentur, ſanctiſſimam Virginem de condigno meruiſſe accelerationem Incarnationis, ſuppoſito æterno decreto eius faciendæ in tempore: quantum tamen ad illius ſubſtantiam, nemo vel hominum vel Angelorum illam promeruit. Ac proinde optimè S. Auguſtinus dixit: *In rebus per tempus ortis nulla eſt maior gratia, quam quòd Deus fieret homo.* Si eâ nulla maior eſt gratia, ergo ad illam nullo modo concurrerunt merita: *ſi* enim *gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia*, vt dixit ſanctus Apoſtolus Roman. 11, 6. Et iterùm. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Tit. 3, 5. Et manifeſtiſſimè ipſe Chriſtus, dum amorem æterni Patris erga hominem, docet fuiſſe cauſam ſui aduentus in mundum, hiſce verbis: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*, Ioan. 3, 16. Et hoc mihi videtur in abſciſſione, vel deſcenſu

Chriſti generatio ſine meritis.

diuini

diuini huius lapidis *sine manibus* fuisse præmonstratum.

Cœptum in conceptione Regnum, in passione consummauit Christus.

Verumenimuerò quando lapis hic statuam illam contriuit, vel quando factus est mons magnus qui occupauerit vniuersam terram? Initiatiuè & meritoriè hoc factum est in humili conceptione, & natiuitate, multò verò magis in ignominiosa passione & morte Saluatoris: quando scilicet is qui erat in forma Dei, assumpsit formam serui. & licet, velut lapillus, debilis & abiectus appareret, fortis tamen extitit in prælio. *Fortis* nimirum *impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt*, vt verbis vtar Prophetæ Ieremiæ 46, 12. Impegit Dei fortitudo in diabolum, qui tyrannidem exercebat in mundi Imperium: & in pugna quidem concidisse visus est Christus, quando in cruce pendens voce magna clamans emisit spiritum; sed, principe huius mundi foras ejecto, velut alter ille Anteus (qui, vt fabulantur Poëtæ, cùm se pugnando ad terram demitteret, vires recipiebat, quibus validiùs in hostem agebat, & denique victoriam comparabat) quando ad inferiores partes terræ, & in glorioſum Sepulchrum, viuificam terram se demittens, viribus resumptis & spolijs amplissimis conquisitis, glorioſus surrexit, & nomen suum per vniuersum orbem magnificauit. Hoc non tacuit Apostolus, dum sic ait in Epistola ad Colos. 2, 15. *Expolians Principatus & Potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso. In his verbis alludit S. Paulus*, inquit Theophylactus, *ad antiquos Romanorum triumphos, apud quos more receptum erat, vt ante ipsos triumphantis victoris currus, victi onerati colla catenis, & manibus post terga reuinctis, ad maiorem illorum confusionem atque dedecus, & ampliorem triumphantis gloriam atque honorem procederent.* Vnde pro *traduxit confidenter*, S. Ambrosius appositè transtulit & interpretatus est, *ostentauit confidenter*, hoc est, publico quodam ludibrio & spectaculo principes ac potestates inferni confudit. Et quamuis hoc totum Saluator noster meruerit & effecerit in morte & resurrectione sua, nihilominùs ordo suauissimæ dispositionis eius exigebat, vt successiuè hostes omnes expellerentur, & in illorum locum amici illius substituerentur, quemadmodum olim actitauit cum filijs Israël, quos licet ad possessionem Terræ promissæ admisisset, non tamen, nisi successiuè, & hostibus priùs paulatim expulsis, eos eam occupare permisit. Lege quæ notauimus supra Cap. XXXII. Et hoc ipsum sat innuit ipsa visionis narratæ series, dum nimirum priùs recensetur contritio metallorum statuæ, posteà quòd lapis factus sit mons magnus, quæ omnia sanè temporis aliquod interstitium postulant.

Post Antichristi interitum amplius Christi Regnum dilatabitur & firmabitur.

Omnino tamen & ad perfectum complebitur, quantum ad præsens sæculum, vaticinium hoc post interitum Antichristi, quando non valens Deo resistere perditionis filius, vt fragilis testa conteretur & dissipabitur, tunc & Regnum eius, & plura alia Regna, quæ in varijs illis metallis, ferro, ære, argento & auro præfigurata sunt, conterentur, & redigentur quasi in pauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullusque locus eis inuenietur; Christus, qui initio fuit exiguus, & cuius Regnum crucis Iudæis fuit scandalum & Gentibus stultitia, adeò glorioſè dilatabitur, vt breui vniuersum occupet: & tunc videbitur, lapidem, qui percussérat statuam, factum esse montem magnum, implentem vniuersam terram, secumque afferre pacem & iustitiam sempiternam: atque tum Pater æternus dabit Vnigenito suo gentes hereditatem, & possessionem terminos terræ, quemadmodum per Dauidem promiserat Psal. 2. atque sic tandem *dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum*, Psal. 71, 8. & omnes gentes quas fecit Dominus, venient, & adorabunt illum, & glorificabunt nomen eius in æternum.

CAPVT CV.

Eadem dilatatio & stabilitas Regni Christi probatur ex nouo Testamento, ex vnione Iudæorum cum Gentili & Christiano populo.

IN genere ostendimus veteris Testamenti auctoritatibus, per vniuersum terrarum orbem Christi Regnum dilatandum esse post interitum Antichristi, & extinctionem sectæ Mahometicæ; reliquum est, vt id ipsum in præsentia noui Testamenti auctoritate explicemus, idque ob peculiarem rationem accessionis Iudaici populi ad sanctam Christi Domini Ecclesiam, quam tunc futuram esse, plures indicant Scripturæ vtriusque Testamenti, & passim tradunt Doctores sacri. Quod dum mecum considero, gaudio circumfusus, & admiratione plenus, compellor ad Deum exclamare, & dicere cum Regio Vate: *Quàm bonus Israëli Deus!* quoniam inuisum populum, populum duræ ceruicis & incircumcisi cordis (qui tot à Deo donatus beneficijs, vt magis ad sanctæ legis ipsius obseruantiâ alliceretur, eiusque Filium & promissum Messiam, in aduentu suo, pro vero Rege & Saluatore susciperet, nihilominùs à se reiecit, & ne ille sibi imperaret, infami mortis genere eum

Dei benignitas erga Iudæos.

inter-

interemit, gratiæ terreni Cæſaris Meſſiam ſuum, puro homini verum Deum & hominem, extero & peccatori iuſtum & Prophetam gentis ſuæ, homini nullis prodigijs illuſtri, virum potentem in opere & ſermone, quiq́ue pro illius ſalute cæcos illuminauit, ſurdis auditum, mutis loquelam, & mortuis vitam reſtituit, turpiter poſtponens) haud penitus de terra ſuſtulit, ſed patienter longoq́ue tempore expectauit ad pœnitentiam, vt fieret ſibi gratus populus, cum eo regnaturus in ſancta ciuitate, & dilectiſſima regione terreſtri & cæleſti, verè inquam exclamare poſſum: *Quàm bonus Iſraëli Deus!*

Et hæc eadem obſeruans S. Paulus in ea quam ad Romanos ſcripſit Epiſtola, graui ſermone explicata reliquit. *Quòd ſi Deus*, inquit, *volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Quos & vocauit nos non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex Gentibus, ſicut in Oſee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Et erit: In loco, vbi dictum eſt eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei viui. Iſaias autem clamat pro Iſraël: Si fuerit numerus filiorum Iſraël tamquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient,* Rom. 9, 22. Loquitur S. Apoſtolus in præmiſſis verbis de Iſraëlitis ſiue filijs Abrahæ, qui in duplici ſunt differentia: quidam enim tales ſunt ſecundùm carnem tantùm, quidam ſecundùm ſpiritum; & ſub hoc membro ſtatuo tam eos qui ex Abraham carnaliter deſcendunt, ſiue ex alijs, dummodò fide & opere illum imitentur: nam ſanctus Abraham pater fidei & omnium credentium nuncupatur ad Roman. 4, 11. Et illi ancillæ filij, iſti verò liberæ appellantur ab eodem Apoſtolo ad Galatas 4, 22. qui & paulò ante memorata verba, quæ explicanda ſumpſimus, hanc indicauit diſtinctionem, dicens: *Non omnes qui ex Iſraël ſunt, ij ſunt Iſraëlitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen: id eſt, non qui filij carnis, hi filij Dei: ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine*, Roman. 9, 6. & de omnibus loquitur Apoſtolus ſuprà, in quos Deus iuſtitiam & miſericordiam ſuam oſtendet.

Filij Abrahæ ſunt alij ſecundùm carnem, alij ſecundùm ſpiritum.

Et in filios quidem Abrahæ ſecundùm carnem, qui pro maiori parte vixerunt à morte Chriſti, & victuri ſunt vſque ad Antichriſti aduentum, Eliæ & Enoch prædicationem, martyrium & reſurrectionem, oſtendit, & ampliùs oſtendet Deus iram, id eſt, vindictam ſuæ iuſtitiæ, dum eos expectat ad pœnitentiam, & ipſi patientia Dei abutentes, grauiorem pœnam promerebuntur; quando excitabitur Dominus tamquam dormiens, tamquam potens crapulatus à vino, quemadmodum alibi in eadem Epiſtola dixerat idem Apoſtolus his verbis: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei*, &c. Rom. 2, 5. & hoc oſtendunt ſuperiora illa verba, *Quòd ſi Deus volens*, &c.

Diuina bonitas miſericordia.

Quæ verò immediatè ſequuntur, indicant, diuinam miſericordiam eſſe propalandam in filiorum Abrahæ ſecundùm electionem conuerſione, quæ ſingulariter ad prædicationẽ Enoch & Eliæ, & Antichriſti interitum ſequetur. *Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ*, ait, *in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Oſtendit miſericordiam ſuam in electos, in primis, dum propter ipſos non exterminauit eorum parentes, quod ſane promeriti fuerant dum occiderunt Filium Dei, quia ex ipſis aliqui electi procreandi erant; electio enim ad gloriam, eſt ex beneplacito Dei, non ex meritis patrum. Et ſane ſi omnes Hebræi tunc ſtatim deleti fuiſſent, non habuiſſet ex ipſis Eccleſia tot Sanctos & Doctores, quot eam habere, iam alibi notauimus. Deinde, dum eos qui modò adhuc ſuperſunt, & porrò ſupererunt ad aduentum vſque Antichriſti, tolerat, nec aufert aut exterminat de terra, quia præuidet, multos ex illis, qui ad præſens ſunt vaſa iræ, conuertendos poſteà, & euaſuros vaſa miſericordiæ. Hunc dicendi modum didici ex quadam parabola Saluatoris noſtri, apud ſanctum Matthæum, de homine illo qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo, ſuper quem diabolus ſeminauit zizania. *Cùm autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.* Quod aduertentes ſerui patris familias, dixerunt ei: *Vis, imus, & colligimus ea? Et ait: Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meßis dicam meſſoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* Hac enim ſimilitudine oſtẽdit Dominus, quòd quemadmodum prudens agricola patitur in agro ſuo ſuccreſcere cum optimo tritico ſimul & noxia zizania, ne, ſi euellere voluerit zizania, triticum detrimentum aliquod patiatur, tempore verò meſſis, reſecatis iam ſegetibus, commodè vtriuſq; facit ſeparationem; ita & ſe in agro huius mundi, vbi ſunt boni & mali ſimul permiſti, & de Iudæis ſingulari-

Matt. 13, 24

lariter loquendo, inter quos ſunt optima quædam grana propter electionem & æternam prædeſtinationem, ne illa damnum patiantur, ipſorumque ſalus periclitetur, ſuſtinere alios reprobos velut comburenda olim zizania, & vaſa iracundiæ Dei viuentis vſque ad Antichriſti tempora, & Chriſti aduentum ad iudicium, quando nimirum erit tempus meſſis. Et hoc ſanè magna eſt miſericordia, & theſaurus diuitiarum gloriæ Dei immenſus.

Electorum vocatio.

Idem oſtenditur in eorum vocatione: & hoc eſt quod addit Apoſtolus: *Quos & vocauit, non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex Gentibus*, &c. Licet non dubitem, hæc verba intelligenda eſſe de tempore quo cepit lex Euangelica prædicari per ſanctos Apoſtolos & alios Apoſtolicos viros (quæ & vſque in finem ſæculi huius prædicabitur) quo tot hominum myriades Regno Chriſti Eccleſiæque eius, tam ex Iudæis quam ex Gentilibus aggregatæ fuerunt, & porro aggregabuntur: illa tamen congregatio & conuerſio, vt ego arbitror, magis in vltimis illis temporibus apparebit, adeoque verba Pauli ad illa ſingulariter tempora referenda erunt, quando & ſoli Iſraëlitæ ſecundùm ſpiritum, & alij ſecundum carnem & ſpiritum, qui à Deo alienati fuerant, quærent Dominum Deum ſuum in toto corde ſuo. Et probatur. Maius enim, vt docet S. Auguſtinus, & cum eo ſacri Theologi, opus & maioris potentiæ argumentum eſt, vnius peccatoris conuerſio, quàm vniuerſi creatio, non modò ratione termini, ſed & ratione modi: quia in iſta acquiritur gratia, in hac verò natura; in iſta inuenitur creatæ voluntatis repugnantia, in hac verò promptiſſima obedientia. Quare optimè S. Eccleſia dixit: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas.* & hoc ſingulariſſimum diuinæ bonitatis argumentum, & ſignum euidentiſſimum eſſe arbitror. ita enim dixit Sapiens: *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti aut feciſti*, Sap. 11, 24.

Conuerſio peccatoris, creatione opus maius.

Peccatoris iuſtificatio diuinarum teſtimonium.

Cùm aliquando Saluator noſter cuidam paralytico dixiſſet, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, Matth. 9, 2. ſtatim ſubdiuit ab Euangeliſta, quoſdam è Scribarum numero dixiſſe, *Hic blaſphemat.* Et quomodo blaſphemabat? Blaſphemare eſt, creaturæ tribuere quod ſoli conuenit Deo, vel è conuerſo. Et quia Scribæ illi Chriſtum nudam creaturam putumque hominem eſſe putabant, ſibi verò poteſtatem condonandi peccata, quod ſolius Dei proprium eſt, aſſumentem audiebant, ideò dicebant: *Hic blaſphemat.* Clariùs Scribarum argumentationem expreſſerunt Marcus & Lucas, ſic eos dixiſſe referendo: *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Marc. 2, 7. Luc. 5, 21. Mirabile profectò, quòd cùm Chriſtus Dominus, tot captum humanum excedentia, & quæ ſolus poteſt facere Deus, patraſſet facinora, vt cognoſcere cordium cogitationes, cæcos illuminare, mortuos ſuſcitare, & alia quæ Dei eum eſſe Filium à ſuo Patre miſſum teſtabantur; tunc ſolùm ipſum blaſphemare clamitent, quando peccata dimittit. Sed appoſitè, quia nullum iſto efficacius argumentum ad diuinam ſuam naturam, omnipotentiam & miſericordiam comprobandam dederat. Ideò Beda, *Verum*, ait, *dicunt Scribæ, quia nemo dimittere peccata niſi Deus poteſt, qui per eos quoq; dimittit, quibus dimittendi tribuit poteſtatẽ. Et ideò Chriſtus verè Deus eſſe probatur, quia dimittere peccata quaſi Deus poteſt*, &c.

Diuitias ſuas poſt Antichriſtum ſingulariter manifeſtauit Deus.

Cùm igitur circa tempora interitus Antichriſti, & multò magis pòſt efficaciter vocaturus ſit miſericors Dominus Iudæos, tam ex duabus quàm ex decem tribubus per vniuerſum orbem diſperſos, Gentiles item qui Antichriſto adhæſerint, ipſos etiam perfidos, obſtinatos & rebelles peccatores, quos gratuitò ſanctos, puros & egregios faciet ſuæ legis prædicatores, & ſuorum mirabilium præcones; iure merito dicere poſſumus, tunc Deum oſtenſurum *diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* tuncque miſericordiarum Parens vocabit plebem non ſuam, plebem ſuam: quod intelligo non ſolùm de Gentili populo, qui legem & Prophetas non habet, ſed etiam de gente Iudaica, quæ vſque ad illud tempus erit ſine lege. iam enim Moyſaica, quam Iudæi profitentur, per Euangelij promulgationem abolita fuit, quam inſuper Iudæi corruperunt, cùm Prophetis & Sacerdotibus deſtituantur, & quia verum Regem ſuum Meſſiam negauerunt, Cæſarem verò Regem agnouerunt: ac ideò reprobati ſunt, prout prædixit Daniel, inquiens: *Non erit eius populus, qui eum negaturus eſt*, Dan. 9, 26. ac proinde vſque ad illud tempus implebitur in eis quod per Oſee ſcriptum eſt: *Quia dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine Rege, ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine theraphim: & poſt hæc reuertentur filij Iſraël, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum: & pauebunt ad Dominum, & ad bonũ eius in nouiſſimo dierum.* Porrò gentem non dilectam vocabit Deus dilectam, quia tunc eis reconciliabitur, & tam Gentilem quàm Iudaicum populum, cui poſt

tot

tot execranda adulteria, & abominandas perpetratas fornicationes, aures ſuas clauſerat, ad ſe clamantem tota die exaudiet, & vtrumque ad ſe venientem recipiet vt dilectiſſimam coniugem, & loco immaculatæ & incorruptæ virginis habebit, vti apud Ieremiam 3, 1. 4. teſtatum habemus.

Ad Eccleſiam & Ieroſolymam admiſſi Iudæi, vt filij tractabuntur.

Inſuper *erit, in loco, vbi dictum eſt eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui*, Roman. 9, 26. Locum hunc, in quo olim reprobi, appellandi ſunt filij Dei, intellige ſanctam Eccleſiam, Regnum Chriſti, quod à Iudæis ablatum fuit quia heredem eius occiderunt; ſingulariter verò ſanctã Ieroſolymorum ciuitatem, in quam recipientur non vt hoſpites & aduenæ, ſed vt ciues Sanctorum, & domeſtici Dei. Et ſi parua hæc tibi videntur, adijcientur maiora, *vocabuntur filij Dei viui: quotquot enim receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, vt dixit S. Ioannes Euangeliſta c. 1, 12. Et hoc filiorum nomine Chriſtus in ſe credentes, & ſibi per gratiam reconciliatos, amoroſo pioque affectu compellabat. Hinc mulieri illi fluxum ſanguinis patienti, quæ fide meruit ſanitatem, dixit: *Confide filia, fides tua te ſaluam fecit*, Matth. 9, 22. & paralyticum, cui peccata dimiſit, filium ſimiliter appellauit, vt antè vidimus. vbi Haymo: *Filium vocat, quia dimiſſa fuerunt ei peccata multa. Ille verè filius Dei eſt, cui peccata dimittuntur.* quod conuerſis non modicum afferet ſolatium.

Difficultas.

Sed numquid illa extrema, quæ apud Apoſtolum verſu 27. ſubſequuntur verba, *Iſaias autem clamat pro Iſraël: ſi fuerit numerus filiorum Iſraël tamquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient*, oppoſitum illius, quod nos perſuadere conamur, demonſtrant? Et videtur quòd ſic, quia ſolùm reliquiæ, quæ minimæ ſunt, ſaluandæ dicuntur.

Solutio.

Sepoſita expoſitione illa, quòd verba Iſaiæ intelligenda ſint vel de Iſraëlitis, id eſt, decem tribubus quæ in captiuitatem abductæ fuerunt à Salmanaſar Aſſyriorum Rege; vel de Iudæis duabusque tribubus per Sennacherib exterminatis, quòd pauci ex relictis ad Deum conuerti fuerint; vel etiam de relictis in excidio Ieroſolymitano ſub Romanis (quoniam manifeſtum eſt, ſanctum Apoſtolum aptare Iſaiæ verba Hebræis conuertendis poſt aduentum Chriſti, qui pauciſſimi futuri ſunt comparatione eorum qui in cæcitate & incredulitate permanſerunt:) dicimus, ea ipſa verba accommodari poſſe vel Iudæis qui extiterunt tempore Chriſti & Apoſtolorum, vel illis qui Antichriſti tempeſtate futuri ſunt. Iam ſi iſtis aptentur, vt verè à pluribus aptantur, manifeſtum eſt, pauciſſimos Iudæorum Chriſtianam fidem fuiſſe amplexatos, reſpectu magnæ multitudinis illorum. Ita Lyranus. Quæ & cauſa fuit vt ſancti Apoſtoli conuerſionem Gentium aggreſſi fuerint, vt liquet Actor. 13, 46. Si verò poſterioribus, ſcilicet qui erunt tempore Antichriſti, applicentur, pauciſſimi vtique conuertentur Iudæi, reſpectu habito ad illos qui eos præceſſerunt à Chriſti tempore vſque ad illud; quamuis alioquin ex ſuperſtitibus plurimi fidem Chriſti ſuſcepturi ſint, qui verè præteritorum erunt reliquiæ.

Quomodo reliquiæ ac pauci Iudæi ſaluandi.

Placet hic vnum notare, quod maximè diuinam omnipotentiam & miſericordiam exaggerat, nimirum in illa arenæ maris ad eiuſdem reliquias comparatione non tantùm attendendum eſſe numerum excedentem & exceſſum, ſed etiam conditionem rei in qua fit comparatio, arenæ videlicet materiam viliſſimam, quæ ſymbolum eſt Iſraëlitarum filiorumque Abrahæ ſecundùm carnem, quemadmodum ſuprà oſtendimus Cap. LXXX. Et quis non videt, Iudæos, qui fuerunt à tempore Chriſti, & erunt vſque ad tempus Antichriſti, fuiſſe & futuros eſſe velut arenam maris, vilitate, malitia, exercitio, terrenis & fluentibus rebus ſemper addictos? Reliquiæ horum, illi nimirum qui ſuperetunt tempore Antichriſti, fidem Chriſti pro maiori parte amplectentur, ſalui fient, & cum Chriſto regnabunt; tunc ſiquidem vnum erit ouile, & vnus paſtor. Et hoc erit maximum & excellentiſſimum Dei opus, quo peſſimi breui euadent optimi, & afflictæ Antichriſti Chriſto adhærebunt; neceſſarium tamẽ, vt Chriſti virtus, quæ ſepulta videbatur in immani illa Antichriſti perſecutione, toti mundo appareat, neminemque eſſe, qui illius poſſit reſiſtere voluntati, nullamque eſſe virtutem & potentiam diuinæ comparandam. Et tantò magis illud credere debemus, quoniam media, ad illam conuerſionem ordinata, ſingulariſſima erunt (vt dicemus, & graues tradunt Doctores) & pro maiori parte miraculoſa & prodigioſa, vt facilè cuique patere poteſt conſideranti quæ accident Eliæ & Enoch, Antichriſto & exercitibus eius, &c. Multi igitur ex Iudæis illius temporis ſaluabuntur, qui reliquiæ dici poſſunt, comparati illis qui hactenus fuerunt à tempore Chriſti, & erunt vſque ad illud Antichriſti, vt hac ratione magis ac magis Chriſti dilatetur Imperium.

Dei mirabilis in Iudæos miſericordia.

Chriſti Regnum Iudæorum conuerſione dilatandum.

Suffragari dictis videntur, quæ idem ſanctus Paulus ſcribit eadem Epiſtola ad Romanos in hunc modum: *Nolo vos ignorare fratres myſterium hoc (vt non ſitis vobis ipſis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo Gentium intraret,*

&

& ſic omnis Iſraël ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me teſtamentum: cùm abſtulero peccata eorum. Secundùm Euangelium quidem, inimici propter vos: ſecundùm electionem autem, chariſſimi propter patres. Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei. Cap. 11, 25. Super quæ verba pauca dumtaxat ad intentum placet adnotare, relinquendo fuſiorem ſacris Interpretibus expoſitionem. Cæcitas ex parte contigit in Iſraël, tum quia non omnes excæcati & obdurati permanſerunt in aduentu Meſſiæ, quoniam aliqui ex ipſis illum receperunt, vt ſancti Apoſtoli, & alij qui Euangelio crediderunt; tum quia habent ſacram Scripturam, quam poſſunt inſpicere & relegere, ſi ab oculis ſuis velamen incredulitatis & ſtupiditatis auferre velint, ex quibus clarè deprehendent, Meſſiam & Redemptorem mundi iam aduenisſe: alioquin enim non dixiſſet illis Chriſtus: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me*, Ioan. 5, 39.

Cæcitas ex parte in Iſraël.

Donec plenitudo gentium intraret. hoc eſt, prædeſtinati ex gentilibus Chriſti fidem ſuſciperent. Optimè hîc aduertit Lyranus, aduerbium *donec* hîc non poni cauſaliter, ſed tantùm conſecutiuè & occaſionaliter; quia Iudæis excæcatis, Apoſtoli tranſierunt ad gentes conuertendas. *Et ſic omnis Iſraël ſaluus fieret*, in fine mundi, ait idem Lyranus, detecta falſitate Antichriſti: quia tunc Iudæi conſtanter mortem ſuſcipient pro fide Chriſti. Vbi conſidero ſignum [illegible]ad vniuerſale *omnis*, quia non tantùm reliquiæ illius temporis ex Iudæis ſaluabuntur, ſed omnes fere Chriſti fidem amplectentur, vt in altera Apoſtoli ſententia indicauimus.

Ex Iudæorum cæcitate Gentium ſalus.

Sicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui eripiat, &c. Quia vt olim *de Sion* exiuit *lex, & verbum Domini de Ieruſalem*, vt cap. 2, 3. idem dixit Iſaias, ita & temporibus illis ex ſancta ciuitate ſalus orietur Iudæis, & ad prædicationem Enoch & Eliæ, ad eorum etiam miracula, & interitum Antichriſti, ablato ab illis peccato excæcationis & inuidiæ, nouum ſuſcipient Teſtamentum.

Ex Sion Iudæis ſalus promiſſa.

Et huius conuerſionis rationem adducit, quia ſunt de numero prædeſtinatorum, *& quos prædeſtinauit, hos & vocauit*, &c. vt idem inquit Apoſtolus. Et licet longè abſuerint, fient tamen prope, vt ſalutem conſequantur, idque propter merita patrum ſuorum: etenim certò credendum eſt, illa multum valere apud Deum, vt ex pluribus ſacræ Scripturæ locis videri poteſt: Iudæi, inquam, meritò, ſi non de condigno, ſaltem de congruo, vt loquuntur Theologi, in viam veritatis, à qua ſicut inſipientes oues exerrarunt, & ad ouile ſanctæ Eccleſiæ, & ad Ieſum Chriſtum verum animarum noſtrarum paſtorem reducentur. Idem S. Paulus, quem ſupra retulimus, dixit: *Iſaias autem clamat pro Iſraël*, Rom. 9, 26. Et quid clamor ille ſignificat? an affectum, quo ſanctus Vates in Iudæorum gratiam protulit ſententiam, *Si fuerit numerus*, &c? Non infitior, adderem tamen, clamare apud Deum pro ſalute populi ſui, martyrium ſuum, aliaque opera bona propter Deum à ſe facta, & merita Abraham, Iſaac, & Iacob & aliorum ſanctorum Patrum offerendo. In quem modum etiam legimus 2. Machabæorum 15, 12. *Oniam, qui fuerat ſummus Sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum viſu, modeſtum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus ſit, manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum.* item & Ieremiam Prophetam Dei, *virum ætate & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum*, de quo Onias dixit verſ. 14. *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſraël: hic eſt qui multum orat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate.* Gloſſa ordinaria ſuper hunc locum ait, Oniam ſacerdotem Ordinem ſacerdotalem, id eſt eos qui ſunt de ordine ſacerdotali, Ieremiam verò Prophetam, qui interpretatur *excelſus Domini*, ipſum Dominum & caput exprimere Prophetarum. Per iſtos igitur viros eximios datur nobis intelligi, ſanctos Apoſtolos, & alios de genere ſacerdotali, & ipſum Dominum Ieſum Dei & hominum Mediatorem, fundere ad æternum Patrem preces pro Iudæorum conuerſione: qui & exaudientur. Et, ſi mulier illa Chananæa & gentilis, quæ vociferata eſt poſt Chriſtum pro filia ſua, vt à dæmonio liberaretur, obtinuit quod petebat; dubitabimus, Iſaiam, alioſque electiſſimos Patres, non, vt illa, gentiles, hoſpites & aduenas, ſed ciues Sanctorum, & domeſticos Dei, inſtar matris deprecantes & clamantes pro Synagoga & gente Hebræa à Deo præelecta, velut pro dilectiſſima filia male à dæmonio vexata, propter peccata, cæcitatem & obſtinationem quibus inuoluitur & impeditur ne ſe ad Deum conuertat, eſſe exaudiendos?

Patres pro ſalute Iudæorum clamant.

Huc inſuper facit, quòd ſanctiſſima Maria Dei Mater & Virgo, ex gente Iudaica oriunda, orta de tribu Iuda, clara ex ſtirpe Dauid, vt cantat Eccleſia, multùm apud Deum ſollicita ſit pro ſuæ dilectiſſimæ nationis conuerſione. Natio hæc *vinea* appellatur in diuinis Litteris. *Vinea Domini exercituum, domus Iſraël eſt*, ait Iſaias capite 5, 7. & de hac ait ipſa Virgo: *Vinea mea*

Deipara Virginis ſollicitudo pro Iudæorum conuerſione.

Digitized by Google

coram me eſt, Cant. 8,12. quia ſemper oculos in eam defixos habet, vt probe excolatur, fructus bonos faciat, & tandem ad Chriſti penuarium aſſumatur, hoc eſt ſanctam fidem ſuſcipiat. Nec vota & preces eius negliget Deus, ſed iuſſa exequentur Sancti & Angeli, omneſque ſolliciti erunt pro ſanctiſſimæ Deiparæ & Dominæ voluntate implenda. Eoque ſenſu huc aptari poſſunt verba illa Cantic. 8, 13. *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant: fac me audire vocem tuam.* Amicos dicere liceat Deum ipſum, & ſanctos Angelos, qui eam pro ſuo populo intercedentem, ſuamque circa illum ſollicitudinem exponentem attentiſſimis auſcultant auribus, Deus quidem, vt exaudiat; Angeli verò, vt Dei & Dominæ iuſſa capeſſant, pro eadem Iudaici populi conuerſione ſuas partes agendo. *Fac me audire vocem tuam.* Vocem expoſcit benedictionis, laudis, & gratiarum actionis pro ea ipſa conuerſione tam certò ei, vtpote filiæ, ſponſæ, ac Matri dilectiſſimæ, promiſſa.

Maria Sulamitis cur dicta.

Non ſine myſterio (vt & hoc, quamuis extra ordinem, hîc addam) hæc noſtra Domina non ſemel in ſacris Litteris appellatur Sulamitis, vt Cant. 6, 12. & 7,1. Et in duabus Sunamitidibus, quarum ſpecialis mentio fit in ſacra Regum hiſtoria, præfigurata fuit. Quemadmodum enim prior illa Sunamitis, Abiſag inquam, Dauidem Regem fouit, eique abſque pudicitiæ ſuæ macula miniſtrauit; ita ſanctiſſima Maria, velut altera Abiſag fouit & calefecit verum Dauidem Chriſtum Dominum, dum illum ſuo ſacratiſſimo geſtauit in vtero, & natum inter virginea ſua vbera collocauit, nutriuit, & pauit, virginitatis, vt Eccleſia canit, detrimentum non paſſa, & matris Filij Dei dignitate donata. Quemadmodum item altera illa Sunamitis tantum ſuis apud Deum meritis valuit, vt filium ſuum mortuum ab Eliſeo in vitam reuocari impetrauerit; ita & benigniſſima miſericordiarum Mater ſuis meritis apud Deum impetrabit, vt Iudaicus populus, ſibi inſtar filij chariſſimus, vera gratiæ & ſalutis vita deſtitutus, ſpirituali vitæ reſtituatur.

3.Reg 2, 25.

Accedit denique diuina promiſſio, & electio Dei immutabilis. Quod enim Deus ſemel elegit & promiſit, irreuocabiliter ita eueniet, cùm fidelis ſit in verbis ſuis: præ alijs verò elegit Iudæos, promiſitq; ſe illos liberaturum, vt patet ex plurib. ſacræ Scripturæ locis; liberabit ergo.

De Iudæorum conuerſione agit pluribus Maluenda l. 11. de Antichriſto, præter alios, & c. 14. fusè explicat citatam auctoritatem ex cap. 11. ad Romanos, quem tu conſule, & quos citat Doctores, ſi plura ſcire deſideras.

Ex his itaque habemus, quòd quando Iudæi conuertentur, non pauci, ſed multi erunt, quia *omnis Iſraël*, qui tunc erit, *ſaluus fiet.*

Iudæorum peccatorum non impedimento conuerſionem.

Et ne quis arbitretur, cæcitatem, obſtinationem, & innumera peccata Iudæorum obfutura eſſe illorum conuerſioni, oſtendit Apoſtolus hæc non obſtare diuinæ omnipotentiæ, mihique videtur intentum tali probare argumento. Ad fidem Chriſti conuerſi ſunt Gentiles, & conuertentur multò vberiùs poſt Antichriſti interitum, ex illis etiam ipſis qui partibus eiuſdem adhæſerint, vt volunt Doctores, quamuis longè maioribus idololatriæ, immunditiæ, &c. inuoluti ſceleribus, legisq; & Prophetarum omnino expertes; multò igitur magis conuertentur Iudæi. Conſecutio probatur in primis ſimilitudine quam antè præmiſerat. Apoſtolus: ſi Gentilis minùs idoneus Iudæo ad recipiendum fidem Chriſti, illam nihilominùs recepit; ſi etiam oleaſter, quamuis minorem habeat aptitudinem ad oliuam, inſeritur tamen in bonam oliuam, & ſic inſertus in oliua, non oleaſtri, ſed oliuæ fructus protulit, cùm in naturali inſitione contrarium accidat; ſiquidem id quod inſeritur, ipſum eſt quod creſcit, fructumque fert, non arboris in quam inſeritur, ſed ſurculi qui fuit inſertus, vt acutè obſeruauit ſanctus Auguſtinus in Pſalm. 72. illum Pauli Apoſtoli expendens locum: vtique etiam Iudæi, qui velut oliua optima extiterunt, ex radice ſancta, id eſt ſanctis Patriarchis progeniti, (etſi aliqui rami fracti ſint, quia à ſemi[illegible]trum ſuorum, & à Deo, per peccata & infidelitatem auerſi fuerunt) haud difficulter poterunt inſeri & reüniri eiuſdem ſubſtantiæ arbori, id eſt, veræ & Catholicæ fidei, ac fructus ſalutis ferre.

Deinde clariſſimè ſic. Si Gentiles, ante Chriſti aduentum increduli, eius gratiâ fidem ſuſceperunt, quare Iudæi, priùs fideles & populus Dei, poſt Meſſiæ verò Chriſti aduentum infideles & Deo exoſi, eadem qua Gentiles gratia adiuti, fidem non ſuſciperent, adeoque miſericordiam & ſalutem à communi Parente non conſequerentur? præſertim cùm Apoſtolus dicat: *Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur*, &c. Romanor. 11, 32. Cùm itaque eo tempore facienda ſit tot Iudæorum & Gentilium vnio, & acceſſio ad Regnum Chriſti, maximè ex hac parte illud dilatandum eſſe, neceſſariò confitendum eſt.

CA-

CAPVT CVI.

Modus, quo Iudæi in primis, & alij porrò infideles, Chriſti fidem ſuſcipient, eiuſque Regnum poſt aduentum Antichriſti ampliùs dilatabunt; & aſſumptum argumentum fuſiùs deducitur.

NEmo vmquam ſalutem conſecutus eſt, nec conſequetur vmquam, niſi per fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & niſi de peccatis ſuis contra eum commiſſis veniam petierit: verumenimuerò fidei & pœnitentiæ donum haberi non poteſt ſine doctore aliquo ſupernaturali; neque ille prædicare poterit, niſi mittatur. Vt igitur poſt aduentum Antichriſti tam Iudæi quàm alij ad Chriſti Regnum recipiendi, ſaluificam fidem, & veram de culpis in Deum commiſſis pœnitentiam habere poſſent, ſupercæleſti aliquo doctore inſtruendi erant. Doctrinam hanc ita manifeſtè tradidit magnus Paulus in ea quam ad Romanos ſcripſit Epiſtola, vt alia explicatione non indigeat. Ait inter alia ad intentum: Rom.10,9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo crediderís, quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur. Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim, quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* Igitur mittet Deus illo tempore operarios, qui reducant & inſtruant Iſraëlem, & alios qui peccatis & incredulitate à Domino receſſerunt, & Antichriſto adhæſerunt, vt auſcultent verum paſtorem Ieſum, eius ſectentur veſtigia, & ad eius ouile & ſaluberrima paſcua admittantur. Et ita ſanè erit.

Fides & peccatorum pœnitudo ſupernaturalis donum.

In Canticis canticorum iſta à cæleſti ſponſo dilectæ ſuæ dicuntur: *Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te*, Cantic.6,12. Quæ verba dicta eſſe a Chriſto vel Eccleſia ad Synagogam, vltimis temporibus conuertendam, vt Catholicam fidem ſuſcipiat, communior eſt opinio Caſſiodori, Gregorij Papæ, Bedæ, Philonis Carpathij, Aponij, Anſelmi, Ruperti; & ſauet Paraphraſis Chaldaica, quæ ſic habet: *Reuertere ad me cœtus Iſraël, reuertere ad Ieruſalem, reuertere ad domum doctrinæ legis meæ, reuertere ad ſuſcipiendam prophetiam à Prophetis, qui prophetant in nomine verbi Domini.*

Sulamitis, quod explicatur *captiua* atque *deſpecta*, appellatur Synagoga, quia verè velut captiua detinetur à proprijs paſſionibus, infidelitate & alijs criminibus, quibus conſtringitur, quibuſque tamquam ſordidum aliquod mancipium ſeruitutem ſeruit; ac ideò vbique terrarum ab omnibus contemnitur, vt omnibus compertum eſt, & nos ſuprà Cap. LXXIV. fuſè explicuimus. Vel dicamus, quod de Catholica Eccleſia dixit Iuſtus Orgelitanus, ideò eam Sunamitem appellari, quia veniens ad Chriſtum, ſimilis erit duabus Sunamitidibus feminis, quarum altera Dauidi in ſenectute deſponſa, eiuſdem exſanguia iam membra calefecit, intacta virgo permanens; altera verò filium precibus Eliſei à morte reſuſcitatum recipere meruit. Sic & Synagogam vltimis illis temporibus ſibi adhærentem, Chriſtus deſponſabit in fide, quæ & ſuo, vt ita dicam, modo illum calefaciet, quia eum qui olim propter eius à ſe ſeparationem tantopere doluit, lacrymatus fuit, & lugubres emiſit voces, in ſua ad eum reuerſione & conuerſione maxima perfundet voluptate, & ipſe viciſſim calefaciet eam calore charitatis; & quamuis ipſa iam proſtituta ſit & conſtuprata vſque ad verticem, vt virginem tamen recipiet, vt priùs ex Ieremia diximus, & verè virginem à ſe dimittet. Vt enim ſubtiliter & verè obſeruauit S. Hieronymus, hoc intereſt inter Dei & hominum coniunctionem: *Homo cùm vxorem acceperit, de virgine mulierem facit, id eſt non virginem. Deus etiam meretricibus copulatus, eas mutat in virgines, iuxta illud Ieremiæ: Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & voca me: Dux virginitatis meæ tu es*, &c. Et verus ille Eliſeus, Chriſtus Dominus (exponitur enim Eliſeus *Dei ſalus*, & *Deus ſaluans*) Iudæos Synagogæ filios ad veram & ſpiritualem vitam per fidem & gratiam reuocabit.

Synagoga Sulamitis, id eſt deſpecta.

quia Chriſtum ſalutabitur.

Corrupta gratia Dei copulata virgines reddantur. D. Hieron. in Oſe.c.1.

Frequenter verò dictum eſt illi, *reuertere*, velut Orgelitano placet, vt quamuis poſt conuerſionem deliquerit, deſperationi non ſuccumbat, ſed à peccati conſuetudine ſpe veniæ & indulgentiæ reſipiſcat: Deus enim non ſepties ſolùm dimittit offenſam in ſe commiſſam, vt volebat D. Petrus, ſed vſque ſeptuageſies ſepties, id eſt, toties quoties quis deliquerit, & delicti pœnituerit. Vel, vt Aponio, pluries & quidem quater reuocatur Synagoga à Chriſto (*reuertere*) ſecundùm quadrigas Euangelicæ prædicationis.

A Chriſto viuificabitur Synagoga.

tionis. *Reuertere, vt intueamur te*, id est, vnde iustificatus est Abraham, inde iustificari queunt omnes qui volunt esse & veraciter dici filij Abrahæ, non ex lege, sed ex fide, & nos te intuentes gaudebimus super te. Vel denique toties vocatur, ad indicandam efficacem synagogæ vocationem. *Efficax Synagoga vocatio.* Quater autem (ait D. Gregorius) reuerti admonetur Synagoga, quia à quatuor mundi partibus, ad quas Hebræi dispersi sunt, illam vocat, vt omnes veniant, & omnes saluentur, sicut ab Isaia prædictum fuerat: *Si fuerit numerus filiorum Israël velut arena maris, reliquiæ saluæ fient*, Isa. 10, 22. Illud verò, *vt intueamur te*, idem est ac, vt in pœnitentia sua omnibus Synagoga ostendat quantum malũ fecerit, quando Deum suum cruci affixit, ait idem sanctus Doctor. Id manifestè patet apud Isaiam c. 11, 12. *Et leuabit signũ in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ*, &c. & cap. 43, 5. *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: Da; & Austro: Noli prohibere; affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Et hoc est quod Caiphas Iudæorum Pontifex Spiritu sancto inspirante effatus est, referente Ioanne Euangelista: *Cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit, quòd Iesus moriturus erat pro gente*, Iudæorum scilicet, *& non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*, capite 11, 51. Eadem alij Spiritu sancto afflati cecinerunt.

Mirabilis Iudæorum futura conuersio. Sed iam mirabilem modum, quo adducendi sunt, quantum poterimus explicabimus. Mirabili sanè adducentur artificio, non dissimiliter ac Paulus Apostolus, qui eo potissimùm tempore ad Christum conuersus fuit, quo Christum acriùs persequebatur, & sanctæ Ecclesiæ totalem destructionem moliebatur, eo ipso in loco, Damasci scilicet ciuitate, vbi tyrannidem suam maximè exercere cogitauerat, quid sibi pro eiusdem Ecclesiæ augmento & incremento agendum & patiendum esset, à Christi discipulo Anania edoctus & instructus. Ita illius temporis Iudæi secundùm electionem filij Abrahæ, siue ex eo descendentes secundùm carnem, siue non, in diuersas mundi partes dispersi, cum Antichristi exercitibus, vt Christum & sponsam eius Catholicam Ecclesiam oppugnent, venient Ierosolymam, vbi Antichristum pro Messia agnoscent, & Iudaicos ritus instaurare tentabunt: tumque Enoch & Eliæ prædicatione, & illustrissimis prodigijs, quæ pro salute suæ Ecclesiæ operabitur Christus, & singulariter eorumdem post toleratum martyrium glorioſa resurrectione, admirabilique & visibili ad cælos adscensione (de qua Apoc. 11, 11. 12.) conuertentur.

Antichristus quomodo breui mundum occupabit. Statim enim atque Antichristus in mundo apparuerit, vt tradunt Doctores, ad omnes terrarum partes emittet ministros & præcones suos, homines elatos, & omni diabolico spiritu plenos, qui omnibus modis, minis, blanditijs, muneribus & signis, omnes ad Antichristum pellicere satagent. Vel etiam ad id destinabit Angelos malos, cùm breui nimium tempore dilatanda & propaganda sit Antichristi Monarchia. Et ita inter alios tradit S. Ephrem Syrus Serm. de Antichristo. *Assumpta enim*, ait, *potestate, tunc impudentissimus ille Antichristus dæmones ablegabit ad vniuersos terræ fines, qui cunctis prædicent, magnum iam Regem cum gloria apparuisse: omnesq; ad occurrendum ei, visendumq; ipsius decorem inuitent.* Hæc ille. Fiet igitur hæc Antichristi promulgatio, vt citiùs & efficaciùs vbique innotescat, tum per dæmones ipsos, tum per diabolicos viros: fidemque mendacibus illis nebulonibus inter ceteros præstabunt Iudæi, qui turmatim magnis exercitibus ex omnibus mundi partibus, & ex omnibus tribubus collectis, magno gaudio Ierosolymam contendent, tamquam ad solum patrium, vt in ea, & tota repromissionis Terra habitent, venerabuntur ibi Antichristum tamquam suum optatissimum & diu desideratissimum Regem & Messiam, quemadmodum olim Dominus prædixit Ioannis 5, 43. *Ego veni*, verissimus Messias, *in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius*, id est Antichristus, *venerit in nomine suo, illum accipietis.* Lege Maluend. de Antichristo lib. 5. c. 11. *Antichristus adhærebunt Iudæi.*

Electis omnia in bonũ succedunt. Sed ô Dei immensam erga suos electos bonitatem & misericordiam, in quorum gratiam etiam ipsa mala conuertit in bonum! ac ideò verè S. Paulus, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, Romanor. 8, 28. siue, vt quidam explicant, *Dilectis à Deo, omnia Deus cooperatur in bonum, etiam peccata ipsa.* id quod obuenturum arbitramur filijs Abrahæ secundùm spiritum, & veris Israëlitis, qui eo ipso quo auersi à Deo, Christum oppugnabunt, ad ipsum conuertẽtur, & quem priùs impugnabant, propugnabunt, & cui priùs adhærebant, se velut iuratissimi hostes opponent. Liceat mihi illis aptare quædam sacræ Scripturæ verba. In Ecclesiaste cap. 9, 12. sequentia scriptis consignauit sapientissimus Salomon: *Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò superuenerit.* Verè *nescit homo finem suum*, quia illius *Quando aduersabuntur Christo Iudæi, conuertentur.*

cogni-

Digitized by Google

cognitionem ſibi Dominus reſeruauit: ac ideo licet illius temporis Iudæi, vel etiam Gentiles, Chriſtum & eius Eccleſiam ſint impugnaturi, non continuò ſtatuendum eſt, actum eſſe de illis; quia ſicut dixit Ioannes Baptiſta, *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*, Matth. 3, 9. æquè potens erit dura illa obſtinatorum Iudæorum corda emollire, imò lapidea auferre, & ſubſtituere carnea, vt ſe facturum eſſe per Ezechielem promiſit: & qui peccatis ſupra carbones & lebetes denigrati fuerunt, diuina gratia in aureas lucidasque conuertet phialas, vt dixit Zacharias cap. 14, 20. *Et erunt lebetes quaſi phialæ*, &c. quod aliquando de Maria Magdalena ſancta cecinit Eccleſia:

Poſt fluxa carnis ſcandala,
Fit ex lebete phiala:
De vaſe contumeliæ
In vas tranſlata gloriæ.

S. Auguſt. in Pſal. 14. ad 1. verſ. Et hanc doctrinam ſecutus S. Auguſtinus, de ijs qui nos perſequuntur dixit: *Vtinam ergo qui nos modò exercent, conuertantur, & nobiſcum exerceantur! tamen quamdiu ita ſunt, vt exerceant nos, non eos oderimus: quia in eo quòd malus eſt quis eorum, vtrùm vſque in finem perſeueraturus eſt, ignoramus.* Et ita dicendum de Iſraëlitis illis, alijsque ſanctæ Eccleſiæ in tempore illo perſecutoribus. *Sed ſicut piſces capiuntur hamo*, &c. Omnem adhibebit modum Dominus, vt elatos illius temporis à ſe elongatos ad ſe trahat: ad eos ſcilicet, qui ſicut piſces erunt inhumani, & in voluptatibus velut in aquis natantes, mittet piſcatores ſuos, qui eos in rete ſuum omni dexteritate & arte inducant; & ad eos qui velut aues erunt ſuperbi & elati, venatores ſuos deſtinabit, vt prædam de illis agant: & hi *in tempore malo*, quando malis operibus operam dabunt, quando fideles perſequentur, quando execrandum & abominandum Antichriſtum vt Regem & Meſſiam ſuſcipient, *extemplò*, quando de omni alia re quàm de ſalute cogitabunt, de profundo incredulitatis, & de latibulis peccatorum egreſſi, in ſagenam & rete S. Eccleſiæ introducentur, & diuinorum mandatorum laqueis conſtringentur. *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus* (per Ieremiam cap. 16, 16.) *& piſcabuntur eos: & poſt hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.* Poſſunt verba iſta in malum & in bonum ſenſum accipi. In malum, ſecundum Iudæos in Gloſſa ordinaria, qui putant, piſcatorum nomine ſignificari Chaldæos; & per venatores, Romanos, qui de montibus collibuſque, & de cauernis petrarum venati ſunt infelicem populum. In bonum ſenſum, à D. Hieronymo in cap. 28. Ezechielis, & Gloſſa interlineari. *Sunt*, inquit ille, *in bonam partem venatores, de quibus ſcribit & Ieremias, Ecce ego mittam piſcatores & venatores, qui venentur vos de omni colle & monte. Quos & Dominus mittit ad piſcandum, & fecit eos de piſcatoribus piſcium piſcatores hominum. Vnde & viculus Petri & Andreæ hoc appellatur vocabulo, Bethſaida enim in lingua noſtra interpretatur, Domus venatorum.* Hæc S. Doctor. Gloſſa item per piſcatores, Apoſtolos intelligit; per venatores, Eccleſiaſticos viros, vel Angelos, qui poſtquam conſummatio aduenerit, venentur Sanctos.

Dicamus, huiuſmodi, quicumque illi ſint, ſemper ad bonum ordinari à Deo pro electis ſuis; & ita accidet in propoſito. Sicuti enim piſcatores, appenſo hamo, naſſæ vel ſagenæ eſca quadam ſapidiore, piſces alliciunt, atque ita ineſcatos capiunt: ita etiam miniſtri Antichriſti blanditijs, palpationibus, & adulationibus demulcebunt atque allicient Iudæos, & alios, vt Ieroſolymam ſe conferant, ad adorandum ibi Regem Antichriſtum: vel quemadmodum venatores canum latratu & inſectatione, ſtrepitu & alijs modis violentis feram in caſſes ſuos compellunt, ita etiam Antichriſti miniſtri Iudæos vi & armis ad ſuſcipiendum Antichriſtum adigent. Sed Deus illam profectionem in proprium ipſorum bonum & conuerſionem commutabit: quia ibi, tamquam electæ oues, paſtoris proprij voce audita & agnita, mercenarium, cuius ipſi non ſunt oues, deſerent, & proprio paſtori adhærebunt.

Prædicatores fructuoſè prædicabunt. Sed & ipſi veri Dei præcones tunc in bonum finem piſcatoris & venatoris officio fungentur. Piſcatoris quidem, dum ſpe cæleſtis præmij Iudæos & infideles ad Chriſtum perducere tentabunt; venatoris verò, dum minis æterni iudicij, & gehennæ ab Antichriſto eoſdem auertere conabuntur. Horum verò præcipui & velut anteſignani erunt Enoch & Elias, poſt quorum martyrium, & Antichriſti interitum, alij plures Eccleſiaſtici Præſules & Doctores, zelo ſalutis animarum ſuccenſi, & igne charitatis inflammati, omni timore procul à ſe relegato, omnibus viribus eidem ſancto muneri operam nauabunt.

Multa extant ſacræ Scripturæ teſtimonia, quæ de horum concionatorum aduentu & fructuoſa prædicatione loquuntur, quæ tu vide, ſi lubet, apud Maluendam de Antichriſto lib. 9. Barradium Tomo 1. Concordiæ Euang. lib. 2. cap. 19. & Tom. 3. lib. 9. cap. 7. & plures alios: nos vnum &

Elia aduentus & prædicatio.

alterum ex veteri & nouo Teſtamento adducemus. De Elia legimus Malachiæ 4, 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*, id eſt iudicij. *Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.* Elias enim corda Pontificum & Sacerdotum, qui ſunt Patres in Eccleſia, conciliabit Iudæis, iam per Baptiſmum & fidem Eccleſiæ filijs; & corda filiorum, id eſt Iudæorum, conciliabit Patribus, Pontificibus, Sacerdotibus, reliquisque Chriſtianis. Vel ſi capere iſta quis malit de carnalibus patribus & filijs, aliiſve cognatis, conſanguineis, & amicis, dicamus, illos primùm ſe mutuò calamitoſis illis Antichriſti temporibus, ratione veræ religionis, & falſæ ſuperſtitionis, eſſe perſecuturos, cùm nimirum Antichriſtiani parentes accuſabunt Chriſtianos filios, & filij adhærentes Antichriſto fideles parentes tradent in mortem; (*Trademini autem*, ait Chriſtus Luc. 21, 16. *à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis, & eritis odio omnibus propter nomen meum.*) quos tamen poſteà inuicem reconciliabit Elias, efficietque vt, veluti in primitiua Eccleſia Apoſtolorum prædicatione factum legimus, illorum ſit cor vnum & anima vna. Et hoc eſt quod Dominus, Apoſtolis ſuis interrogantibus, Matth. 17, 10. *Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliam oportet primum venire?* reſpondit verſu 11. *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.*

Enoch & Elia aduentus miranda prædicatio, martyrium & reſurrectio.

Porrò de Enoch & Elia, deque Antichriſto & exercitibus eius, ſequentia leguntur in Apocalypſi cap. 11, 3. ſecundùm communem Doctorum ſententiam: *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis. Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra, in conſpectu Domini terræ ſtantes. Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum: & ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eum occidi. Hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum: & poteſtatem habent ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcumque voluerint. Et cùm finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo, faciet aduerſum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt. Et videbunt de tribubus & populis, & linguis, & Gentibus, corpora eorum per tres dies & dimidium, & corpora eorum non ſinent poni in monumentis. Et inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos, & iucundabuntur; & munera mittent inuicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos, qui habitabant ſuper terram. Et poſt dies tres & dimidium, ſpiritus vitæ à Deo intrauit in eos. Et ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de cælo, dicentem eis: Aſcendite huc. Et aſcenderunt in cælum in nube: & viderunt illos inimici eorum. Et in illa hora factus eſt terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit: & occiſa ſunt in terræmotu nomina hominum ſeptem millia: & reliqui in timorem ſunt miſſi, & dederunt gloriam Deo cæli.* Hæc ſanctus Ioannes, quæ benè conſidera.

CAPVT CVII.

De forma regiminis, quo ſancta Eccleſia, & ſingulariter Ieroſolymitana, & in vniuerſum totus orbis terrarum, poſt Antichriſti interitum, Mahometicæ ſectæ & omnium ſuperſtitionum extirpationem gubernabitur.

ILlud tamquam certiſſimum, & nullo modo dubio vertendum, circa propoſitam materiam ſupponendum eſt, poſt mortem Antichriſti, omnium ſectarum & præſertim Mahometicæ abolitionem, ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ per vniuerſum orbem dilatationem, eiuſdemque, & ſingulariter noſtræ Ieroſolymitanæ, ſtabilitatem, aliqua forma regiminis fideles regendos & gubernandos eſſe; alioquin enim nulla in ſancta Eccleſia quies, nulla tranquillitas, nullaque felicitas inueniri poſſet, quam tamen in ea futuram eſſe maximam, fusè admodum in præcedentibus oſtendimus; quoniam vbi non eſt ordo, ibi confuſio, & ſempiternus horror inhabitat, quem longè ab illius temporis Eccleſia propulſandum fore non dubitamus. Illud verò meritò in dubium verti poteſt, quonam modo, & quanam regiminis forma (multiplex enim eſt, vt videbimus) ſit adminiſtranda ſancta Eccleſia: an ſola ſpirituali auctoritate, an etiam ciuili; ſiue vt clariùs dicamus, an ab Eccleſiaſticis & ſæcularibus miniſtris, an ab vno, an à pluribus, & quomodo gubernanda ſit. Et quidem præſenti id Capite, quoad fieri poterit, accuratiùs expendemus. Quo in negotio duo præſtabimus, primò quæ apud alios inueniemus, adducemus; ac deinde quæ nos velut probabiliora excogitauimus, ſubijciemus.

Opinio prima, quòd à vidua gubernanda.

Poſt Antichriſti interitum orbis Imperium penes mulierem quamdam viduam futurum eſſe, Sibylla quædam in hunc modum cecinit:

Tunc

Lib. 7. Oraculorum Sibyllinorum.

Tunc autem mundus manibus muliebribus omni
In rerum ſumma parebit, eiſq; regetur.
Cùm verò vidua in totum regnauerit orbem,
Aurumq; argentumq; hominum, queis vita caduca eſt,
Ferrumq; æſq; maris ſalſas iactarit in vndas,
Omnia tunc mundo viduata elementa iacebunt.

Hæc carmina refert Thomas Maluenda lib. 10. de Antichriſto cap. 17. & ſententiam valde admiratur, illamque explicat, & in explicatione tantùm non ſuum videtur addere calculum. hæc enim ad illa immediatè ſubiungit: *Hæc quidem Sybilla, (ſi libri tamen impoſtura non carent) de regnante vidua poſt mortem Antichriſti vaticinata eſt, quæ fatemur nos non intelligere: forſitan aſſeruit, mundũ tunc non Monarchia, hoc eſt vnius viri principatu, ſed Ariſtocratia, ſeu Democratia regendum, ac futuram vnam Rempublicam ſine Principe, vt quondam Romana fuit. Forſan arcanum aliquod myſterium innuit, quod tunc aperietur, nunc interim manet occultum. Fortaſsis ita reuerà erit, vt Regina vidua toti imperitet orbi. Vel intelligit, penes Eccleſiam futuram tunc Monarchiam etiam ciuilem & temporalem.* Hæc ipſe. Quæ an cum ratione cohæreant, ex ſtatim dicendis manifeſtum euadet.

Explicatio Maluendæ.

Vtiam ſecundo loco, quod probabilius opinamur, proponamus, tria priùs notanda præmittemus, & poſteà quatuor Propoſitiones ſubijciemus & probabimus.

Regimen multiplex, ſimplex & mixtum.

PRIMVM NOTANDVM ſit, in genere duplicem eſſe formam boni regiminis, ſimplicem & mixtam. Prior forma eſt triplex, Monarchia, id eſt, vnius principatus, cuius contrarium eſt Tyrannis; Ariſtocratia, id eſt, regimen Optimatum, cui opponitur Oligarchia, hoc eſt, factio paucorum: Democratia, hoc eſt populi totius imperium, quod in ſeditiones non rarò degenerat. Hoc docent Principes Philoſophorum, Plato in Polit. & Ariſtoteles lib. 3. Polit. cap. 5. & lib. 8. Ethic. cap. 10. Et huius diuiſionis ratio talis aſſignatur à Bellarmino, cuius diligentia in hac materia vſi ſumus, Tomo 1. Controu. lib. 1. de Roman. Pontif. cap. 1. ſi multitudo gubernanda eſt, fieri non poteſt quin aliquo modo ex his tribus gubernetur. Aut enim vnus præficietur Reipublicæ, & tunc erit Monarchia; aut aliqui & præcipui de multis, & tunc erit Ariſtocratia; aut omnino omnes gubernabunt, & tunc erit Democratia.

Simplex, Monarchicum, Ariſtocraticũ, & Democraticum.

Mixtum regimen quadruplex

Mixta boni regiminis forma eſt, quæ ex præmiſſis ſimplicibus conſtat: & quoniam illa quadruplici modo miſceri poſſunt, quadruplex quoque forma mixti regiminis ſtatui poteſt. Vna temperata ex omnibus tribus; altera ex Monarchia & Ariſtocratia; tertia ex Monarchia & Democratia; poſtrema ex Democratia & Ariſtocratia.

Item Spirituale & Politicum.

Quælibet ex his formis boni regiminis, ſimplicibus vel compoſitis, poteſt adhuc diuidi in Spiritualem & Politicam. Illa eſt penes Eccleſiaſticos, & ea quæ animæ æternam ſalutem reſpiciunt moderatur: iſta penes ſæculares manet, & temporalia ſolum, ſiue quæ ciuilem humanamque tranquillitatem ſpectant, dirigit. De illa dixit diuus Paulus: *Qui præeſt in ſollicitudine*, Roman. 12, 8. &, *Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur*, 1. Timoth. 5, 17. & alibi pluries de eadem: in quibus ſententijs ſermonem præcipuè eſſe de ſpirituali poteſtate, ex eo probat Bellarminus vbi ſuprà cap. 5. quia quando hæc ſcripſit Apoſtolus, nondum erant vlli, aut certè rariſſimi in Eccleſia ſæculares Principes. De iſta ſiue ciuili poteſtate dixit ſanctus Petrus: *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiue Regi, quaſi præcellenti; ſiue ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*, &c. 1. Pet. 2, 13.

Monarchicum regimen optimum omnium in ſe.

SECVNDVM NOTANDVM eſt, Monarchiam abſolutè & in ſe conſideratam, præcellere ceteras boni regiminis formas. Ita tenent Catholici Theologi, & pluribus explicant & probant. Nos eorumdem veſtigijs inſiſtentes, idem tripliciter etiam probamus. Primò: Illa forma regiminis alijs eſt melior cenſenda, & omnibus præferenda, quæ perfectiori modo in ſe rationem boni continet: talis eſt Monarchia; igitur alijs melior, &c. Conſecutio cum Maiori eſt manifeſta; & Minor probatur: quoniam in Monarchia perfectiùs reperitur ratio vnitatis, & conſequenter bonitatis; quoniam, ſecundùm Boëtium lib. 3. de Conſolat. Proſ. 11. **vnitas pertinet** ad rationem bonitatis; & vt omnia deſiderant bonum, ita deſiderant vnitatem, ſine qua eſſe non poſſunt. nam vnumquodque in tantum eſt, in quantum vnum eſt. Vnde videmus, quòd quidlibet, quantum quidem poteſt, ſuæ diuiſioni repugnet, & quòd diſſolutio vniuſcuiuſque rei proueniat ex defectu vnitatis eiuſdem. Et ideò id ad quod tendit intentio multitudinem gubernantis, eſt vnitas ſiue pax; vnitatis autem cauſa per ſe eſt vnum; & plures multa vnire & concordare non poſſunt, niſi ipſi aliquo modo vniantur. Illud autem quod eſt per ſe vnum, conuenientiùs poteſt eſſe cauſa vnitatis quàm multi vniti, & conſequenter perfectiùs rationem bonitatis continet.

Secundò: Illa regiminis forma ceteris ob bonitatẽ præferenda eſt, à qua aliæ bonitatem & finem boni regiminis accipiunt: ſed à Monarchia id accipiunt aliæ boni regiminis formæ; igitur, &c. Maior patet ex illo Philoſophi axiomate: ***Propter quod vnumquodque tale, illud magis eſt tale.*** Minor probatur: quiá neque in Ariſtocratia vbi Optimates, neque in Democratia vbi populus Reipublicæ clauum tenet, perfectè gubernatur, niſi animo omnes ſint vnum, & dicatur quod 1. Eſdræ 2,64. ſcriptum eſt, ***Omnis multitudo quaſi vnus***; & niſi Deus det illis cor vnum, & ſpiritum nouum, quemadmodum olim per Ezechielem promiſit. Hæc verò vnitas habetur in Monarchia, in qua eius ratio perfectiùs elucet. Porrò idem quod de ſimplicibus, dicendum de mixti regiminis formis.

Tertia ratio: Optima gubernandi forma inter omnes illa cenſenda eſt, qua optimus omnium rerum moderator Deus in vniuerſi gubernatione vtitur, quam ipſe in optimo ſtatu inſtituit, & nõ ſolùm mentibus hominum, ſed & naturæ animalium inſeuit, & ſibi dilectiſſimis commendauit: eiuſmodi verò eſt Monarchia; igitur inter ceteras ea primas tenet. Conſecutio cum Maiori non indiget probatione: Minor probatur quoad ſingulas partes.

Dei nomina Monarchicum extollunt regimen.

Quoad priorem in primis ex 1. Cor. 8, 6. ***Nobis eſt vnus Deus Pater, & Dominus vnus.*** Contidera verba Apoſtoli, *Dei*, *Patris*, & *Domini* nomina, quæ omnia ad gubernationem pertinent. Nam *Dei* nomen ab vniuerſali omnium rerum prouidentia deſumitur, ait D. Thomas 1. Part. quæſt. 3. art. 8. omnes enim qui loquuntur de Deo, illud Deum nominare ſolent, quod vniuerſalem rerum omnium habet prouidentiam. Vnde dicit Dionyſius Areopagita 12. cap. de Diuin. nomin. parum ante medium, quòd Deitas ſit quæ omnia videt prouidentia & bonitate perfecta. Et hac ergo operatione hoc nomen *Deus* aſſumptum fuit ad ſignificandum diuinam naturam. Ad *dominum* etiam ſubditorum, vt ad *patrem* rei domeſticæ gubernatio pertinet. Hinc volens Apoſtolus indicare, Dei regimen perfectè Monarchicum eſſe, non ſatis habuit dixiſſe illud eſſe *Dei*, *Patris*, & *Domini*, ſed addidit *vnius*, cùm alias indubitatum eſſet, Deum & Dominum vnicum eſſe. Ariſtoteles etiam ſolo naturæ lumine illuſtratus, idem agnouit: ait enim in fine libri 12. Metaphyſicæ: ***Entia nolunt diſponi malè, nec bonum pluralitas principatuum, vnus ergo Princeps.***

Monarchicũ regimen in ſtatu innocentiæ.

Secunda pars Minoris erat, quòd talem regendi modum Deus inſtituerit, & eſſe voluerit in perfectiſſimo ſtatu, id eſt, innocentiæ, & in eo ex vno fecerit omne genus hominum, vt Apoſtolus ait Actorum 17, 26. Non enim virum & feminam pariter ex humo produxit, ſed virum ex humo, feminam ex viro. Rationem reddidit S. Ioannes Chryſoſtomus Homil. 34. in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 13. vt eſſet inter homines non Democratia, ſed regnum. Etenim ſi plures homines ſimul ex humo producti fuiſſent, omnes illi ex æquo principes ſuæ poteſtatis eſſe debuiſſent. Quocircà meritò dubitare potuiſſemus, num placeret Deo regimen vnius. Nunc verò cùm ex vno fecerit omne genus hominum, & omnes omnino perdere voluerit ab vno; ſatis aperte ſignificaſſe videtur, vnius principatum ſe potiùs approbare, quàm multorum gubernationem.

Animalibus naturaliter inſerum.

Tertia pars Minoris, quòd talem regiminis formam inſeuerit Deus non modò mentibus hominum, ſed etiam naturæ animalium, ex eo apparet, quòd in qualibet domo naturaliter ad vnum patrem familias pertineat gubernatio coniugis, filiorum, ſeruorum, rerum denique ceterarum: item quòd maxima pars orbis terrarum à Regibus gubernetur. Præterea, quòd longe vetuſtiora ſint Regna, quàm Reſpublicæ. ***Principio rerum*** (inquit Iuſtinus lib. 1.) ***gentium nationumq; Imperium penes Reges erat.*** Et quòd ipſa animantia vnius principatum expetere videantur, indicat S. Cyprianus in Tractat. de Idolorum vanitate, dicens: ***Rex vnus apibus, dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus.*** Addit ſanctus Hieronymus in Epiſtola ad Ruſticum: ***Et grues vnum ſequuntur ordine literato.***

Dilectis à Deo præſcriptum.

Quarta denique eiuſdem Minoris pars erat, Deum Monarchicum regimen, vt ceteris melius, præſcripſiſſe ſibi dilectiſſimis. Hebræorum populum Deus plurimùm dilexit, atque ideò in eum omnia quæ potuit contulit beneficia, prout eidem populo ſub vineæ metaphora exprobrauit apud Iſaiam, inquiens: ***Quid eſt quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei?*** Iſaiæ 5, 4. & ipſe Dominus & Saluator apud Euangeliſtam Matthæum conqueritur. Hunc autem populum Monarchico regimine maluit gubernari, quod probatur in primis, quia Principes apud eoſdem fuerunt primò Patriarchæ, Abraham, Iacob, ceteri; deinde Duces, vt Moyſes & Ioſue; tum Iudices, vt Samuel, Samſon, alij; poſteà Reges, vt Saul, Dauid, Salomon; poſtremò iterùm Duces, vt Zorobabel & Machabæi. Patriarchas verò fuiſſe Regia dignitate præditos, res ab ipſis geſtæ demonſtrant. Abraham bellum geſſit aduerſus quatuor Reges, Geneſ. 14. nec legitur ab vllo Senatu Optimatum

marum poteſtatem accepiſſe, ſed nec vllum quidem Senatum conſuluiſſe. Iudas nurum ſuam, quæ ſtupri fuerat accuſata, igni adiudicauit, Geneſ. 38, 24. nec ipſe vllum Senatum conſuluit aut rogauit. Moyſes, vt verus & ſummus Princeps populi Iudaici, multa millia Iudæorum propter vitulum aureum, quem erexerant, vna die iuſſit occidi, Exod. 32, 27. neque legimus vllum Senatuſconſultum aut plebiſcitum præceſſiſſe. Idem omnino de Iudicibus dici poteſt, qui nulla facultate à Senatu vel populo accepta, bella gerebant, & quos volebant neci dabant. Certè Gedeon poſt victoriam de Madianitis, occidit ſeptuaginta viros vrbis Socoth, & turrim Phanuel ſubuertit, Iud. 8. Reges & Duces, qui poſteà regni Iudæorum gubernacula ſuſceperunt, plenè regiaque poteſtate gubernaſſe, perſpicuum itidem eſt ex ſacris Litteris. Ex his ergo omnibus conſtat, Monarchiam in ſe conſideratam anteponendam eſſe omnibus formis ſimplicis vel mixti regiminis. Conſule D. Thomam 1. Part. quæſt. 103. art. 3. & lib. 4. contra Gentes cap. 76. & Bellarminum vbi ſuprà cap. 2. & 4.

Monarchicum regimen, ſtatu ſpectato, mixtum melius & iucundius.

TERTIVM NOTANDVM. Licet Monarchicum regimen bonitate & excellentia quibuſuis alijs regiminibus præſtet, propter humanæ naturæ tamen corruptionem, vtilius & iucundius eſt Monarchicum Ariſtocratico & Democratico admixtum. Et eiuſmodi ſit, vt in Republica ſummus aliquis Princeps ſit, qui & omnibus imperet, & nulli ſubijciatur: Præſides prouinciarum vel ciuitatum, non ſint Regij vicarij, ſiue annui Iudices, ſed veri Principes, qui & imperio Summi Principis obediant, & interim prouinciam vel ciuitatem ſuam, non tamquam alienam, ſed vt propriam moderentur; & quòd nec ſummus ille Rex, neque minores Principes, hereditaria ſucceſſione dignitates illas acquirant; ſed ex vniuerſo populo optimi quique ad eas euehantur; adeò vt in tali regimine triplici formæ ſimplicis regiminis ſit locus.

Hanc regiminis formam, optimam & valdè idoneam eſſe ſtatui præſentis vitæ, duplici argumento probat Bellarminus loco citato cap. 3. Primò optima eſt, quia continet bona Monarchicæ gubernationis, adde & Ariſtocraticæ & Democraticæ. Gratior etiam & iucundior erit, quia illud genus regiminis omnes magis amant, cuius participes eſſe poſſunt; at tale eſt hoc de quo loquimur, in quo non generi, ſed virtuti defertur. Vtilior etiam; quia certum eſt, non poſſe vnum aliquem hominem per ſe prouincias & ciuitates ſingulas regere; ac ſimiliter multò diligentiùs ac fideliùs Principes curare res ſuas, quàm alienas curent vicarij procuratores. Secundò, quia Deus tale regimen inſtituit in ſua Eccleſia tam veteris quàm noui Teſtamenti. De veteri conſtat: populus enim Hebræorum ſemper vnum ſiue Ducem, ſiue Iudicem, ſiue Regem habuit, qui toti multitudini imperaret, quod pertinet ad Monarchiam. Habuit præterea multos Principes minores, de quibus ita legimus Exod. 18, 25. *Electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael, conſtituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos. Qui iudicabant plebem omni tempore.* Id autem ad Ariſtocratiam pertinet. Denique ex omni promiſcuè plebe, non ex vna aliqua tribu, Principes aſſumebantur, vt ex eodem loco Exodi, & Deuteronom. cap. 1, 15. apertè colligitur, quod aliquo modo Democratiæ eſt.

Monarchicum mixtum Synagogæ & Eccleſiæ à Deo præſcriptum.

De Eccleſia item noui Teſtamenti idem oſtenditur: ſiquidem in ea eſt Summus Pontifex omnium caput, cui omnes ſubduntur & obtemperant, quod ad Monarchiam ſpectat: in præcipuis locis ſinguli conſtituuntur Epiſcopi, qui ceteris omnibus illorum locorum miniſtris & paſtoribus præſunt, ſuntque proprij & ordinarij Præſules: in prouincijs inſuper ſingulis conſtituuntur ſinguli Metropolitani, qui ſuæ prouinciæ Epiſcopis præſideant; & in maioribus Primates ſeu Patriarchæ, qui curam ſuſcipiant ampliorem, vt loquitur S. Leo in Epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicæ Archiepiſcopum: ſunt denique Parochi, qui ſingulas gubernant parochias: qui ex promiſcuo clero omnes aſſumi poſſunt, vt manifeſtum eſt: quæ ſanè ad Ariſtocratiam & Democratiam pertinere videntur. Mixtum ergo eſt & fuit Eccleſiaſticum regimen noui & veteris Teſtamenti, tamquam melius, vtilius, & communitati ceteris iucundius. His ſic conſtitutis, ad propoſitam difficultatem reſpondeo quatuor Propoſitionibus.

Secunda ſententia de mundi regimine poſt Antichriſtum.

PRIMA PROPOSITIO. Poſt Antichriſti interitum, Mahometicæ aliarumque hæreſum & ſectarum extinctionem, ſancta Eccleſia & totus orbis pacificè monarchico regimine gubernabitur à Chriſto Domino. Probatur iſta Propoſitio auctoritate & ratione. Auctoritate primò veteris Teſtamenti. Danielis 2, 44. dicitur, quòd *ſuſcitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur*, & quòd alia omnia comminuet. Hoc eſt Regnum Chriſti, ſecundum omnes Doctores. Lege quæ ſuprà Capite 91. diximus, dum hanc eamdem expenderemus auctoritatem. Idem etiam Propheta pulchrè cap. 7, 13. *Aſpiciebam*, inquit, *in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad*

Monarchico regimine à Chriſto gubernabitur.

ad antiquum dierum peruenit..... Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & Regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſeruient: poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & Regnum eius quod non corrumpetur. Pſalmo 2, 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* Ex nouo Teſtamento. Lucæ 1, 33. dixit Angelus ad Virginem Mariam de Chriſti Regno: *Regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.* quæ ſententia, ſecundum ſenſum alibi indicatum, bellè intentum probat. Matthæi 2, 2. dixerunt de eodem Magi: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* & ipſe Chriſtus: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, Matth. 28, 18. Suppetunt pleræque aliæ auctoritates ad idem comprobandum, quas adducunt Doctores, dum ſermonem faciunt de Sacerdotio & Regno Chriſti: quas & adimplendas eſſe, certiſſimum eſt, cum adhuc id perfectè non viderimus: necdum enim omnes Chriſto ſubduntur, aut obtemperant pacificè, quin maior pars mundi vel execrandas hæreſes & ſectas, vel abominabiles idololatrias amplexatur; & plurimi ex illis, qui olim Chriſtum purè ſequebantur, nunc ab eodem alienati ſunt, vt verè dicere poſſimus cum D. Paulo: *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*, 1. Corinth. 1, 23. & minor tantummodò pars mundi Chriſtum perfectè ſequitur.

Secundò probatur idem ratione. Chriſto optimo Principi, Regi regum, & Domino dominantium, optimum regimen tribuendum eſt: at hoc eſt Monarchicum; igitur, &c. Maior non habet difficultatem, & Minor probata eſt in ſecundo Notabili. Ad hæc, omnia in figura contingebant populo Iudæorum, vt ait D. Paulus: ſed in illo fuit regimen Monarchicum, vt in ſecundo Notabili dictum fuit; & Deus illi præerat vt ſupremus Monarcha, vt oſtendit Bellarminus vbi ſuprà cap. 2. reſpondendo ad obiectionem, quæ contrà fieri poterat, quaſi regimen Iudæorum non fuerit Monarchicum. Dici enim poterat, Iſraëlitas reprehenſos fuiſſe 1. Reg. 8, 7. quòd poſtulaſſent ſibi Regem; quod factum vtique, aiunt, non fuiſſet, ſi adſueuiſſent Rege, ſiue Monarchico regimine ſub Iudicibus & Ducibus gubernari. Reſpondet verò Bellarminus, duobus modis poſſe vnum quempiam toti Reipublicæ cum ſumma poteſtate præfici: vno modo, vt Regem & dominum qui à nullo dependeat; altero modo vt Proregem, ſeu ducem primarium, qui toti quidem populo præſit, ſed Regi tamen ſuo ſubijciatur. Deus Rempublicam Iudæorum hoc poſteriori modo gubernandam inſtituerat tempore Iudicum & Ducum, ita vt ipſe eſſet ſupremus & proprius Rex populi, & illi Proreges: indigebant enim aliquo viſibili capite & Rectore, quem adire & appellare poſſent, & qui non à populo, ſed à ſolo Deo penderet. Et ſanè de Moyſe præcipuo Duce populi Iſraëlitici dixit S. Paulus: *Moyſes fidelis erat in tota domo eius tamquam, famulus.* Hebr. 3, 5. Sed quia Iudæi volebant gubernari à Rege qui illorum proprius eſſet, à nulloque penderet, & in eorum gente hereditario iure ſuccederet; ideò fuerunt reprehenſi. Et hoc indicant illa verba, quæ Dominus dixit ad Samuel loco citato: *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*, 1. Reg. 8, 7. Igitur vt in populo illo Iudaico fuit regimen Monarchicum, in quo Deus optimus maximus fuit ſupremus Rex & Moderator, & alij Proreges; ita in feliciſſimi illius temporis Eccleſia Chriſtus Dominus erit Rex regum & Dominus dominantium, qui vniuerſi tenebit Monarchicum Imperium, cui alij Principes terræ vt famuli & Proreges pacificè & fideliter deſeruient.

Sed obijciet fortaſſe quiſpiam, melius eſſe aſſignare mixtum regimen, quia in natura corrupta eſt vtilius & iucundius, vt in tertio Notabili dictum eſt. Reſpondetur, in illo Monarchico regimine non eſſe quæ obſtent vtilitati vel iucunditati. Multum enim intereſſe arbitramur inter regimen, in quo ſoli homines tamquam primaria capita & primi Rectores conſtituuntur, & inter illud vbi Deus eſt & agnoſcitur ſupremus Dominus: in iſto enim famuli, Proreges & vicarij, communiter non multùm æſtimantur, limitata eis aſſignatur auctoritas, vt velut mercenarij potius quàm paſtorum inſtar gregem cuſtodiunt, atque ideò non illis iucunda ſeruitus, nec domino & ſubditis valdè vtilis: ſed in hocce regimine, vbi Chriſtus eſt ſupremus moderator, miniſtri maximam auctoritatem cum eximio accipiunt honore, eodem dignantur nomine quo ipſe Rex, & non diſſimiliter ac ipſe timeri & honorari debent. Hoc indicant verba illa Domini ad eoſdem: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*, Ioan. 20, 23. &: *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*, Matth. 18, 18. *Cùm venerit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël*, Matth. 19, 28. *Dijs non detrahes*, Exod. 22, 28. *Nolite tangere chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite*

Magna dignitas & auctoritas Miniſtrorum Eccleſiæ.

nolite malignari, Psal. 104, 15. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me*, Luc. 10, 16. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*, Zachar. 2, 8. & pleraque alia sunt, quæ indicant quanti ministros suos faciat Dominus, vt meritò dictum sit: *Seruire Deo, regnare est.* quod numquam verè poterit enuntiari de famulis dominorum huius sæculi.

Ad hæc cùm honorabilius sit seruire maximis Principibus, quàm in proprijs & priuatis domibus dominari, inde videmus, non solùm plebeios & vulgares homines, sed illustrissimos etiam Proceres, Comites, Marchiones, &c. domibus commoditáque suis posthabitis, addicere se seruituti magnorum Regum & Principum. Ita dicendum in proposito, licet in hac mortali vita durum sit homini & molestum, alteri seruire, quia omnes eiusdem sunt conditionis (vnde quidam sapientissimus pariter & potentissimus Rex, id agnoscens, de se ipso dicebat, *Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus est*, &c. Sap. 7, 1.) Deo tamen seruire, qui infinito interuallo nõ solùm omnium hominum, sed & Angelorum conditionem excellit, vtpote auctor tam corporeæ quàm incorporeæ creaturæ; ei inquam seruire, pergratum & periucundum est. Quare in Monarchico illo supremi Regis Christi regimine bonitati & excellentiæ erit quoque vtilitas & iucunditas copulata. Et tale quidem regimen iucundissimum erit subditis, quia erit non vt dominorum in seruos, sed vt patrum in filios, imò veluti dominorum in dominos, dum scilicet mutuò sibi obtemperabunt cum omni humilitate & mansuetudine, quemadmodum non semel in sacris Litteris & Ecclesiasticis Scriptoribus traditum est, è quibus vnum audiamus Augustinum lib. 9. Confess. cap. vlt. ad Deum conuersus ait: *Inspira Domine seruis tuis, fratribus meis, filys tuis, dominis meis, quibus voce, & corde, & litteris seruio.*

Mundus per Christi ministros Monarchico mixto regimine gubernabitur.

SECVNDA PROPOSITIO. Sancta hæc nostra visibilis Ecclesia & totus orbis terrarum, eo tempore gubernabitur Monarchico regimine, Aristocratico & Democratico intermixto, quale in tertio Notabili descripsimus. Probatur dupliciter. Primò sic: Ecclesia illius temporis & totus terrarum orbis gubernabitur pacificè cum omni iucunditate & suauitate, igitur mixto illo regimine. Consequentia est manifesta ex tertio Notabili. Antecedens similiter appareat, considerata nobili conditione sanctæ illius temporis Ecclesiæ, & totius orbis. Secundò, Deus non minori sollicitudine tunc orbem & sanctam Ecclesiam sibi omni ex parte subiectam gubernabit, quàm olim rexerit Synagogã intra breues limites inclusam, & quam modò gubernat sanctam suam Catholicam Ecclesiam, varijs schismatibus, hæresibus dilaceratam, & vndique à varijs infidelibus oppugnatam: sed illam gubernauit & gubernat mixto illo regimine, ex tertio Notabili; igitur eodem in posterum gubernabit, quando pacificè illi cum toto orbe deseruiet tota: & hæc ratio magis etiam ex dicendis manifestior euadet. Ex his iam deducitur

Monarchicum illud mixtum regimẽ erit Ecclesiasticum & sæculare.

TERTIA PROPOSITIO. Post Antichristi & omnium sectarum extinctionem, sanctæque Ecclesiæ dilatationem per vniuersum, erit in ea mixtum illud regimen, idque duplex, Ecclesiasticum & ciuile: illud apud Ecclesiasticos, istud apud sæculares ordinariè permanebit. Probatur ista Propositio multipliciter. Et Primò ex dictis ad præcedentem Propositionem: nec enim videtur opportuna ratio, quare antiquum Ecclesiasticum & ciuile regimen tunc temporis mutandum sit. Deinde homines illius temporis æquè, vt olim, spiritualem & ciuilem viuendi modum sectabuntur, igitur etiam spirituali & ciuili regimine gubernandi erunt. Tertiò, in Dei verbo scripto pluries fit mentio vtriusque regiminis, vt ex parte attigimus in primo Notabili: at illud in æternum manet immutabile, Ps. 118, 89. Matth. 24, 35. Quartò, conuenientius erit, gubernari homines Ecclesiasticis simul & sæcularibus Principibus atque legibus, quàm solis vel spiritualibus vel ciuilibus, quoniam vnus vni muneri melius incumbit quàm pluribus, suffragium ferente illo vulgari: *Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.* Quintò, conducit ad decorem sanctæ Ecclesiæ, & magnificentiam summi Regis, multitudo & diuersitas ministrorum, qua vt olim Salomon, & semper Principes delectati fuerunt, ita & Dominus nunc & semper. *Ipse* enim (vt dixit S. Paulus ad Ephes. 4, 11.) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei*, &c. Dedit etiam Reges & sæculares Principes gladium portantes, ministros & vindices suos *in iram ei, qui malum agit*, Roman. 13, 4. Denique, nulla videtur ratio efficax, propter quam tolli debeant huiusmodi regimina, à Deo ad hominum vtilitatem, & commodum totius vniuersi instituta & ordinata; & dona Dei vtique sunt sine pœnitentia.

Si

Obiectio. Si dicatur, tunc futuram maximam pacem & tranquillitatem, rixaſque & æmulationes longe eſſe relegandas, ideoque videri, Eccleſiam & orbem terrarum Monarchico regimine abſolutè meliori, ſecundùm dicta in ſecundo Notabili, meliùs gubernandam fore, quemadmodum etiam olim directa fuerit Reſpublica Iudæorum; *Solutio.* Reſpondemus, non ita nos arbitrari: quia licet magnam pacem & tranquillitatem in illo Eccleſiæ ſtatu futuram prædicauerimus, erit tamen ſtatus hominum non in termino conſtitutorum, ſed viatorum, in quo multi defectus, rixæ, contentiones & æmulationes contingere, atque in eo verſantium alij ad dexteram alij ad ſiniſtram declinare poterunt, & ſane nonnulli multùm declinabunt contra præceptum Spiritus ſancti, vt infrà videbimus Cap. CIX. & ſeq.

Nec obſtant dicta in ſecundo Notabili: probant enim tantùm, abſolutè melius eſſe Monarchicum regimen ceteris omnibus, at non reſpectu ſtatus viatorum. Sed & idem erit reſpectu Chriſti Domini, quem iam in prima Propoſitione diximus futurum ſupremum Monarcham, cui omnes pacificè ſubdentur & inſeruient.

Quod oppoſitum eſt de Republica Iudæorum, dico non officere; quoniam non videtur mirum, Rempublicam vnam, ab vno capite pendentem, vno etiam capite ex integro corpore aſſumpto gubernari pacificè: ſed multam pareret admirationem, ſi ſancta illius temporis Eccleſia, & totus ipſe mundus, in ſe comprehendens non vnam dumtaxat Iudæorum Rempublicam, ſed Græcorum etiam & quarumcumque aliam nationum, abſolutè vno ſolo capite & Monarcha gubernaretur, conſiderata naturæ humanæ fragili conditione.

Vniformitas tanta regiminum erit, vt vnicum cenſeri poſſit. QVARTA PROPOSITIO. Eo tempore tanta erit concordia & conſenſus omnium Principum tam ſpiritualium quàm ſæcularium, vt, ſaluis diſtinctis omnium iuribus & regiminibus, meritò vnicum & ſpirituale regimen iudicari poſſit. Tuncque manifeſtè impleri videbitur quod dixit D. Paulus: *Spiritualis iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur*, 1. Corinth. 2, 15. Arbitramur enim, quòd quemadmodum in ſtatu innocentiæ & iuſtitiæ originalis tanta fuiſſet in omnibus pax & tranquillitas, vt ſine triſtitia inferiores ſuperioribus, minores maioribus, ſenſus rationi, & ratio cum omnibus Deo ſe ſubdidiſſent; ita mediante gratiâ, quam effundet Deus abundè in illius temporis homines, minores maioribus, ſæculares Eccleſiaſticis, ſaluis tamen omnium iuribus, ſine contradictione ſubdentur, & ad nutum parebunt in omnibus quæ Deum reſpiciunt, & ad ſanctæ Eccleſiæ vtilitatem conducent.

Quinam electum Principum futurum in Eccleſia poſt Antichriſti interitum. Sed quomodo & qualiter eligentur aut præficientur illius temporis Principes tum Eccleſiaſtici, tum ſæculares? In re dubia illud mihi probabilius videtur, eligendos eſſe ſorte, oratione præmiſſa: hoc enim pacto omnibus ſatisfactum iri arbitramur, in hunc ferè modum, vt apud plures tum hodie & olim obſeruatum fuiſſe nouimus: aliqui ex dignioribus multitudinis proponentur, è quibus deinde aliquis vel ſorte vel datis ſuffragijs eligetur: quemadmodum fecerunt Apoſtoli, quando alium, qui duodecimum Iudæ proditoris locum ſuppleret, eligere voluerunt, quando nimirum *ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus, & Mathiam. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum miniſterij huius, & Apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas vt abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis*, Actorum 1, 23. Qua etiam ratione poſt vltimò captam a Chriſtianis Ieroſolymam, eidem fuit Rex præfectus Godefridus Bullonius. Et optima ſane ea erit illorum Principum electio, quia ſic primò meliores, & heroicis actibus aſſueti proponentur, & poſteà, diuino aſſiſtente numine, ex illis adhuc præſtantiores regimini præficientur. Deum enim tunc peculiari auxilio aſſuturum, felici ſtatu illius temporis conſiderato, probabiliter opinandum eſt.

Opinio Maluendæ de futuro regimine poſt mortem Antichriſti expenditur. Quæ ſi vera ſunt, non mihi prorſus arridet Maluendæ explicatio Sibyllinorum carminum poſt Antichriſti interitum, mundum Ariſtocratia vel Democratia gubernandum; tunc enim modo minùs perfectò, quàm olim & modò gubernatus ſit, regeretur, quod non videtur admittendum. Et multò minùs, quòd Regina aliqua vidua totius mundi regimen ſit habitura. Et quænam ratio ſuppetit ordinem peruertendi, vt mulier in virum dominetur? An non ſexus femineus fragilior eſt & debilior, adeoque regimini minus aptus? ſanctiſſima Deipara, omnium illuſtriſſimarum mulierum primiceria, & inter omnes benedicta, non fuit à Chriſto eius Filio in ſuo ex hoc mundo diſceſſu in caput Eccleſiæ & Principem & moderatricem mundi electa, ſed Petrus vilis & abiectus piſcator, & tunc temporis eligeretur femina illi nec comparanda? Et quod caput eſt, S. Apoſtolus diſertè prohibet mulierem docere, & ſupra virum dominatum exercere. *Docere*, ait, *mulieri non permitto, neque dominari in virum*, &c. 1. Timoth.

mum, 13. Nonne etiam ab hoc omnium modum mundi regnum, & confummationem facilius, quam facilium futurum, nil modo astruximus?

Ab hoc omnium mundi regnum.

Falso Papias & Irenæus.

Si verissimum & ab eorum consensu communis illa Scholium, diorum publicum, ita vidue sapientissimorum in fide nostra, assertio quod ille tandem facilium est Ecclesiæ, & à tranquillo Ecclesiæ & Dei omnibus confluentes. Vnde manifestum est, quod sensus vere catholicus Canonis declaratus futurus est tale vinque in sequentem, vt Deo dicimus, & cum eo Christo in omnium vitæ & consummationem facili ipse pronunciat, Magnum, & facile quid in omnibus mundi & peccatorum, gentes tam valde & debile.

Quam ab omnibus Ecclesiæ Christi.

Quam ab omnibus Ecclesiæ Christi Catholicis vultus ipse fuit super totum orbem terrarum Ecclesiæ sanctæ. *Quamvis fides facilis tantæ rebus populis facilis & quod valeat dominus omnium*, &c. Thom. 2. 2. Vide & D. Augustinum, 2. Retract. 18. Thomas in Catena aureo super Matthæum, 24. Haud dubie *Et tunc erit tribulatio erat in omnibus*, inquit *Tunc erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi neque fiet amplius.* Quæ *Tunc* ipsa *Et tunc* Christi Domini quo ad omnes Ecclesiæ & orbis totius tribulationes, & quo ad omnes Ecclesiæ & orbis totius tribulationes, & quo ad omnes Ecclesiæ & orbis totius tribulationes, &

quid certum sit, secundum phrasin Hebraicam, quæ vocem quamcunque indeterminatam numerum ignotum, aliquæ vel aliquoties ad notandum, et ex præcedentibus Scripturæ locis vam notatum Scripturæ, cujus lectionem ex Hebræo habent, *Septuaginta*, cum tamen certe Annus quinque vel circiter tantum deficiat, ad locum citatum effe per hyperbolen. Simile effe illud Ex. 23. 1. *Non suscipies vanum testimonium*, hoc eft, pleni, quamvis parcitum quin ignem ita proponis aut pollicetur, numero illi fupremo numero ad minimum, indeterminato tempus fi- pollicitus, nihil manifeftum eft, quod nitur, quod fignificet. Et quamvis ad Ezechielis verba quod attinet ad Dei nem adhuc ex hiftoria profanorum, ita tamen ea ad Scripturam accommodari poteft, ut non fit abfurdum. Nempe Nebuchadnezar regnum Tyri ita obfedit, ut fimul ipfa Sidonis urbs, quæ ad eam ditionem pertinebat, obfeffa fuerit. Et quamvis Ezechiel non fcripferit expreffe, Sidonem quoque obfeffam fuiffe, non tamen ideo fequitur, Sidonem non fuiffe obfeffam, cum Ezechiel non fcripferit omnia, quæ in obfidione Tyri acciderunt. Et quamvis Ezechiel non fcripferit, Nebuchadnezarem Tyrum expugnaffe, non tamen ideo fequitur, Nebuchadnezarem non expugnaffe Tyrum

ceſſaturum tempore Antichriſti Miſſa ſacrificium vaticinatur, aliam nouam integramq́, adiecit mille trecentorum triginta quinque dierum, qui pleni & integri elabentur poſt deletum Antichriſtum, & poſt exactos illos mille ducentos nonaginta dies deſitionis in publico ſacroſancti Sacrificij. Ac ſi dicat: Beatus qui poſt mortem Antichriſti, & poſt elapſos mille ducentos nonaginta dies illius tyrannidis, ſub qua ceßabit Miſſa, ſuperuixerit alios mille trecentos trigintaquinque, nam videbit Dominum in maieſtate venientem ad iudicium. Sicq́, dies mille trecenti trigintaquinque non ita ſumendi ſunt, vt incurrant in illos alios mille ducentos nonaginta, excreſcantq́, ſuper illos quadraginta quinque tantùm diebus; ſed ſeorſim ac per ſe integrè computari incipiant ab interitu Antichriſti, vt velit dicere Vates: Ab interitu Antichriſti, ſeu à reſtitutione iugis Sacrificij (quæ forſitan, vt ſuprà diximus, erit poſt decem dies à morte Antichriſti) ad diem vſque iudicij fluxuros integros mille trecentos triginta quinque dies, hoc eſt, tres annos, ſeptem menſes, & ſemis. Hæc ille. Huic ſingulari explicationi communis Doctorum conſenſus refragatur, qui mille trecentos triginta quinque dies illos intelligunt de tempore perſecutionis Antichriſti, & de alio quod poſt ipſam ſequetur: & modus loquendi videtur eam approbare, vt illud *vſque* ſit continuatio dierum mille ducentorum nonaginta, vſque ad mille trecentos triginta quinque: ſed adhuc magis diſplicet, quòd incognitum tempus iudicij determinate definiat.

Et propter hanc ipſam rationem mihi nulla harum expoſitionum probatur, quæ arbitrantur, illis quadraginta quinque diebus definiri præciſum aliquod tempus, quod futurum ſit à morte Antichriſti vſque ad Domini aduentum ad iudicium, adeoq́ue dierum appellatione vel hebdomadas, vel menſes, vel annos intelligunt: quoniam hoc pacto poſſet mortalibus cognitum eſſe tempus iudicij, & quidem admodum præcisè. Probatur, quoniam hunc in modum poſſent homines poſt obitum Antichriſti ratiocinari: Abhinc ad magnum vſque diem Domini, ſuperſunt ſecundùm Danielis vaticinium dies quadraginta quinque; vel ergo intelliguntur dies vſuales, communes & naturales, vel hebdomadarum, vel menſium, vel annorum. Porrò obſeruato, Dominum non veniſſe poſt dies quadraginta quinque naturales, nec poſt quadraginta quinque hebdomadas vel menſes, poterunt certò conijcere, eum indubiè venturum expleto tempore annorum quadraginta quinque: quod abſurdum eſt affirmare, ex dictis.

Si liceret hîc ſubijcere quæ mihi occurrunt, duo dicerem: alterum, Prophetam per dies illos quadraginta quinque intelexiſſe verè & merè vſuales & naturales dies, tum quia videtur eſſe communis Patrum ſenſus, præſertim veterum; tum quia contextus verborum Prophetæ hoc indicare videtur. Si enim dies illos mille ducentos nonaginta intellexit Daniel de vſualibus, quare non de ijſdem erunt intelligendi quadraginta quinque, qui illis continuata oratione & ſenſu ſuperadduntur? Alterum, quadraginta quinque illis diebus non comprehendi totum tempus quod eſt futurum inter mortem Antichriſti & Chriſti aduentum ad iudicium; tum quia hoc non dicit Propheta, vt patet illum conſideranti; tum, ne cogamur aſſignare determinatum iudicij diem; tum denique, quia graues Auctores ita docuerunt, vt ſtatim videbimus.

Quadragenarius numerus myſterijs refertus.

Sed quare dierum illorum quadraginta quinque meminit Propheta, in quibus qui vixerint, dicuntur futuri beati? An numero dierum quadraginta quinque ſignificare voluit, quadragenarium imperfecto numero perfectum exprimens, vt non rarò fit apud ſacros & profanos Scriptores, quemadmodum alibi obſeruamus: qui quidem numerus myſticus & myſterijs plenus eſt, vt Sancti docent, & inter alios Auguſtinus, qui de eo ſic loquitur Tract. 17. in Ioannem: *Quadragenarius numerus ſacratus nobis in quadam perfectione commendatur. Notum eſſe arbitror charitati veſtræ. Teſtantur ſapißimè diuinæ Scripturæ: ieiunium hoc numero conſecratum eſſe, benè noſtis. Nam & Moyſes quadraginta diebus ieiunauit, & Elias totidem: & ipſe Dominus noſter & Saluator Ieſus Chriſtus hunc ieiunij numerum impleuit. Per Moyſen ſignificatur Lex, per Eliam ſignificantur Prophetæ, per Dominum ſignificatur Euangelium. Ideò in illo monte tres apparuerunt, vbi ſe diſcipulis oſtendit in claritate vultus & veſtis ſuæ: apparuit enim medius inter Moyſen & Eliam, tamquam Euangelium teſtimonium haberet à Lege & Prophetis. Siue ergo in Lege, ſiue in Prophetis, ſiue in Euangelio, quadragenarius numerus nobis in ieiunio commendatur,* &c. Pœnitentiæ ergo & diuinis muneribus & gratijs cùm ſit quadragenarius numerus conſecratus, opinari poſſumus, ideò illum ſingulariter à ſacro Vate memoratum, vt indicaretur, quadragenarium illum dierum numerum (ſiue quadragenarium quinarium, ad magis exaggerandam diuinam bonitatem, & in homines miſericordiam) relinquendum eſſe à Domino, vt impij ſectatores Antichriſti, & poſt eiuſdem obitum ſuperſtites, in ſe redire, & de malè actis agere pœnitentiam

Miſericordia Dei.

possent: vt iusti item quiescant à laboribus suis & persecutionibus, quibus pressi fuerant ab Antichristo & ministris eius, præsertim cùm videbunt vindictam, quam de impœnitentibus tunc temporis sumet Dominus. *Quis nouit* (ait Ribera in cap. 20. Apocalyps. num. 73. inter alios) *Danielem illis verbis, Beatus, qui peruenit ad dies mille trecentos triginta quinque, loqui de die iudicij? Potest satis probabiliter intelligi, dictum esse, quoniam post dies mille trecentos triginta quinque, id est, intra quadraginta quinque dies à raptu Antichristi, occidentur quotquot supererunt hostes Christiani nominis, & persecutores Sanctorum: atque idcirco beatus ille dicitur, qui vsque ad id tempus manet, quia tunc extinctis persecutoribus, ij, qui metu à Christo recesserant, redire poterunt ad eum, & omnes qui steterant, sine vllo metu persecutionis, pietatem colere poterunt.* Et de quolibet iusto tunc superstite Dauidicum illud implebitur: *Latabitur iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris*, Psal. 57, 11.

Eamdem sententiam verborum Danielis videntur priùs indicasse D. Antoninus, Compendium Theologiæ, Viguerius, & alij, apud Maluendam loco citato, dum dicunt: *Interfecto Antichristo, non statim Dominus veniet ad iudicium; sed concedentur secundùm Danielem quadraginta quinque dies ad refrigerium Sanctorum, & ad conuersionem & pœnitentiam subuersorum. Quantum autem spatium sit inter illos quadraginta quinque dies & finem mundi, nemo scit.* Hæc illi. Et noster Lyranus in hunc Danielis locum in eamdem sententiam sequentia scribit: *Beatus, qui expectat, & peruenit ad dies mille trecentos triginta quinque, quia hic ad numerum præcedentem adduntur quadraginta quinque dies, qui post mortem Antichristi dabuntur à Deo ante iudicium, vt decepti in persecutione Antichristi possint pœnitere, & ideò dicit: Beatus qui peruenit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque, id est, Beatus est qui in tribulatione Antichristi stabit, quæ durabit per tres annos cum dimidio, siue per dies mille ducentos nonaginta, & adhuc vltrà viuet per quadraginta quinque dies: quia si non fuerit deceptus per Antichristum, vt perfectus coronabitur. Si autem fuerit deceptus, poterit pœnitere in illis quadraginta quinque diebus sequentibus mortem Antichristi, quia tunc eius falsitas erit omnibus manifesta, & eius potestas ablata. Licet autem hoc dictum sit satis commune, tamen per hoc non dicitur, quòd aduentus Christi ad iudicium sit futurus immediatè post quadraginta quinque dies naturales, computandos à morte Antichristi. Etiam non est certitudinaliter determinatum, quòd illi quadraginta quinque dies sint vsuales, vel annales, secundùm illud Ezech. 4. Diem pro anno dedi tibi. Et dato quòd esset determinatum de vsualibus, tamen per hoc non habetur, quòd post illos immediatè sit aduentus ad iudicium: imò videtur quòd futurum sit tunc maius spatium temporis intermedium, per illud quod dicitur Matth. 24. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in Arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit aduentus Filij hominis. Et istud referunt aliqui Doctores nostri ad tempus, quod erit inter mortem Antichristi, & diem iudicij. Talis autem pax & securitas, in qua conuiuia & connubia exercentur, non videtur esse per tam parui spatium temporis sicut quadraginta quinque dierum, sed maioris: & maximè si hoc esset determinatum. Et hoc plenius dixi super Ezechielem 39.* Hæc Lyranus. Atque ex his omnibus manifesta remanet prima Propositio, tempus inter mortem Antichristi, & Domini ad iudicium omnino incognitum esse mortalibus.

A morte Antichristi vsque ad iudicium non multum temporis mediat.

SECVNDA PROPOSITIO. A morte Antichristi, vsque ad Christi aduentum ad iudicium, non longum tempus intercedet. Hanc probant antè adductæ auctoritates Danielis & Ezechielis, in quibus licet non determinetur tempus, potiùs tamen modicum quàm magnum indicari, manifestum est, & omnes docent. Item eamdem probant illæ auctoritates, in quibus agitur de prædicatione & martyrio Enoch & Eliæ, & conuersione Iudæorum ad Christum, hæc enim euentura esse circa finem sæculi, fatentur omnes. Ideò verè dixit Maluenda loco indicato: *Illud autem satis est exploratum, ab Antichristo deleto, ad finem sæculi, non longum futurum tempus, cùm constans verbi Dei & totius Christiani orbis sit assertio, Antichristum prope interitum mundi esse venturum.* Vide Bellarminum Tomo 1. Controu. de Rom. Pont. lib. 3. cap. 9. qui pro hac sententia adducit sacræ Scripturæ auctoritates, & sanctorum Patrum testimonia. Et ex his adhuc improbata manet sententia illa Doctoris Franciſci Nauarri, relata suprà Cap. LXXX. qua asserit, post interitum Antichristi Ecclesiam mille annis tranquilla pace fruituram, post quos Dominus venturus sit ad iudicium.

Probabile. annos septem circiter elapsuros ab Antichristi morte ad iudicis aduentum.

TERTIA PROPOSITIO. Ab interitu Antichristi, vsque ad Christi Domini aduentum ad iudicium, aliquot annos elapsuros, puta septem incircà, plus minúsve, probabile est credere. Non multò plures quàm septem interceſſuros arbitramur, propter di-

Digitized by Google

cta in præcedenti Propoſitione; nec multò pauciores, propter ſtatim ſubijcienda.

Probatur ergo Propoſitio tripliciter. Primò auctoritate Ezechielis, ſuprà in ſecunda ſententia adducta, in qua manifeſtè indicatur futurum tempus ſeptem menſium, in quo ſepelientur cadauera interfectorum exercitus Antichriſti, & totidem annorum in quibus comburantur arma eiuſdem exercitus: & quò volumus ſequitur, ſi accipiamus numerum ſeptenarium non pro ſeptem præcisè, ſed indeterminatè pro alio numero paulò vel maiori vel minori, vt ibi diximus.

Secundò, quia veriſimile eſt, non modicum tempus concedendum Iudæis ad fidem Chriſti conuerſis, quo poſſint Chriſtum ſerò agnitum diutiùs colere, prædicare, ſuumque in illum amorem mundo patefacere, & Terram promiſſionis inhabitare. Nam Ieruſalem Chriſtianam factam, & Terram promiſſam à Iudæis iam Chriſti cultoribus inhabitandã eſſe, Carthuſianus opinatur. *Conuertentur*, inquit, *omnes Iudæi in fine ſæculi ad Dominum Ieſum Chriſtum, & Terram promiſſionis inhabitabunt. Sed quamdiu vita præſentis curſus durabit (videlicet ab Antichriſto vſque ad iudicium) non conſtat*, &c. Beda conſentit. *Cùm Iſraël promiſſa ſalute fuerit potitus, patriumq; rediturus ad ſolum, & Metropolis quondam ſuæ, id eſt, Ieruſalem poſſeßione atque habitatione gauiſurus eſſe, forſitan non temerè ſperatur*, &c. Lege Pannon. in Apocal. 20. & Cardinalem Nicolaum Cuſanum in Coniectura de nouiſſimis diebus. Sed hæc non poterunt effectui dari niſi aliquot annorum interuallo.

Tertiò, quia quando Dominus ad iudicium venerit, homines defixos in fæcibus ſuis inueniet, vt Capite ſequenti dicemus, & indicat Dominus apud Matth. 24. his verbis, *Sicut erant in diebus ante diluuium comedentes*, &c. quam Chriſti ſententiam Doctores referunt ad illud tempus (inquit Viegas ad initium Capitis citatus) quod effluet à morte Antichriſti vſque ad diem iudicij. Certè *dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint, Pax & ſecuritas; tunc repentinus ſuperueniet interitus*, 1. Theſſal. 5,2. Non eſt autem veroſimile, tam breui quadraginta quinq; dierum ſpatio (adde & paulò etiam maiori) poſt mortem Antichriſti, homines vſque adeò depoſituros tantæ perſecutionis memoriam, vt in ea viuant ſecuritate, otio ac delicijs, qualia diluuium præceſſiſſe memorantur. Hanc ſententiam & rationem ſequi videntur Lyranus adductus, Baradius loco citato, & alij.

Reſpondebit fortaſſe quiſpiam ad hanc rationem, ſententiam illam Saluatoris, adde & D. Pauli, intelligi de paucis perditis hominibus, Antichriſti ſectatoribus, poſt illius obitum ſuperſtitibus, & non de omnibus omnino hominibus, quoniam alij fideles piè, ſobriè, iuſteque viuentes præſtolabuntur aduentum Filij hominis. Ita illum locum intellexit S. Anſelmus in 2. Theſſ. 2. ſic dicens: *Poſt mortem Antichriſti quadraginta quinque dies concedentur ad emendationem ijs, qui ad vitam prædeſtinati ſunt, & in Antichriſti perſecutione offenderunt. Sed qui ad vitam præordinati non ſunt, nec morte Principis ſui corrigentur, ſed toto corde mundanis inhærentes, gaudebunt, vxores ducent, conuiuia facient, & domos ædificabunt, dicentes: Pax eſt nobis & ſecuritas, licet Princeps noſter ſit mortuus: & dum ita paratos ac ſecuros ſe eſſe putauerint, ſubitò Iudex apparebit, omnesq; tales condemnabit.* Sic ille.

Sed enim ex ſuperioribus refellitur iſta reſponſio, vbi dictum fuit, exercitus & ſectatores Antichriſti, qui ad Chriſtum non conuertentur, eſſe de medio tollendos, quare non de malis, qui immediatè poſt interfectum Antichriſtum futuri ſunt, intelligenda ſunt verba illa Saluatoris. Ad hæc, conceſſo, non omnes tunc eſſe interimendos, ſed aliquos remanſuros, quæro, An manifeſti erunt, an occulti? Si dicas, illos futuros manifeſtos; contrà facit, quòd boni illius temporis, qui longo interuallo malos ſuperabunt, eiſdemque imperitabunt, illos Chriſtum ſequi compellent, mala illorum opera auferent, alioquin eos de medio ſublaturi, vtpote timentes ne illorum torporis & negligentiæ, & quòd malorum correctionem & punitionem neglexerint, ipſi pœnas luant; quoniam ob haſce cauſas Deum bonos punire compertum eſt, cùm integer Iudæorum punitus fuerit exercitus, in quo tamen plurimi iuſti erant, ob delictum vnius Acham non correctum, de quo Ioſ. 7. & aliàs eumdem populum peſte & fame fuiſſe afflictum ob ſceleſtorum crimina, in libris Regum videre eſt, traduntque verè Doctores. Nec id illos latere potuit, cùm probè ſciant, ob innumera & grauiſſima hominum ſceleratorum incorrecta facinora, ipſos iuſtos Antichriſti grauem perſecutionem ſuſtinuiſſe. Si verò aſſeras, malos illos futuros occultos, contrà militat, quòd quæ in illa ſententia dicuntur, loco ſigni videantur poſita, ſed ſignum manifeſtum eſſe debet. At hoc omiſſo, quia in comitijs edere & bibere, nuptias celebrare, &, vt additur apud D. Lucam, vendere, plantare, & ædificare, non peraguntur in occulto, ſed palàm: dicentque tunc impij, *Pax & ſecuri-*

tas, quod non dicerent, si in occulto & cum timore essent victuri. Denique in sequenti Capite, vbi agemus de statu in quo mundus erit quando excipiet Christum venientem ad iudicium, præmissa responsio amplius diluetur. Aliquod ergo temporis spatium, idque non modicum, sed mediocre, septem nimirum circiter annorum, interceſſurum esse post Antichristi & exercitus eius necem vsque ad Reparatoris nostri aduentum ad finale iudicium, credere probabile est.

CAPVT CIX.

De statu Ecclesiæ sanctæ & totius mundi, in quo eam Dominus noster deprehendet, quando ad finale iudicium veniet.

Ecclesia bonorum & malorum fidelium pia mater.

SAncta Ecclesia Catholica, omnium fidelium optima & benigna mater, sinu suo complectitur tam bonos quàm malos; bonos, vt magis perficiat; malos, vt ad meliorem frugem reducat; omnes denique, vt saluos eos & mundos Christo dilecto suo offerat, cùm venerit ad poscendam de cuiusibet operibus rationem: ac ideò meritò comparatur Arcæ Noë, quæ intra se continuit homines & iumenta, munda & immunda, vniuersosque à diluuij aquis liberauit. *Arca Noë* (ait S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, vltra medium) *Ecclesiæ typus fuit. Vt in illa omnium animalium genera, ita & in hac vniuersarum gentium & morum homines sunt: vt ibi pardus & hœdi, lupus & agni; ita & hic iusti & peccatores, id est vasa aurea & argentea cum ligneis & fictilibus commorantur.* Certum verò est, quamdiu in agone contendit, & ad brauium supernæ vocationis aspirat Ecclesia, eius filios non semper in eodem statu permanere; cùm illi qui ceciderunt, non semel surgant, & qui stant iterum cadant. Aliquando enim boni & mali æquales sunt numero, atque ideò comparatur Ecclesia decem virginibus, quinque prudentibus, & totidem fatuis. Aliquando boni malos superant, vt bonũ semen in agro seminatum zizania excedit. Aliquando denique malorum maior pars est, quemadmodum palea in agro & area purgatum triticum excedit. Difficultas nunc esse potest, vtrùm quando Christus in fine mundi huius ad iudicium venturus est, boni malis numero sint futuri potiores, an contrà à malorum multitudine sint superandi, adeoque in maligno statu Christus Ecclesiam sit inuenturus.

Arca Noë comparatur.

Mar. 24, 1. Matth. 13, 25. Mat. 3, 12.

Hac in difficultate duplicem arbitror esse posse sententiam. Alteram homines tunc pro maiori parte futuros optimos. Hanc amplectentur illi, qui modicum tempus, quadraginta quinque dierum videlicet, vel aliquanto maius, statuunt inter mortem Antichristi, & iudicium. Mouebuntur ea ratione, quòd verisimile non sit, intra breue illud tempus, quod erit à morte Antichristi vsque ad iudicium, fideles adeò socordes futuros, vt obliti grauissimæ Antichristi persecutionis, & peccatorum eiusdem causæ, viuant in ea securitate, otio ac delicijs, vt iterùm prouocent ad vindictam Deum, præsertim cùm certissimè sciant, non longe abfuturum illius aduentum ad iudicium. quare potiùs præsumendum est, modico illo tempore bonis illos operibus operam daturos, vt veniente Domino parati sint occurrere illi. Et Maluenda cap. vltimo sui Operis de Antichristo (qui opinatur, à morte Antichristi vsque ad iudicium interceſſuros tres annos cum septem mensibus & semis, vt Capite præcedenti diximus) hanc sequens opinionem, inquit: *Quocirca sanctæ Christi Ecclesiæ, quam eo tempore restitutam & redintegratam per Enoch & Eliam non dubitamus, doctrina, probitate, frequentia florentissimam fore, cum timore & tremore aduentum Domini ad iudicium præstolabitur, sat sciens non procul abesse.*

Prima sententia, mundum in bono statu futurum.

Altera huic opposita sententia esse potest, Christum, cùm ad iudicium veniet, offensurum Ecclesiam totumque terrarum orbem vitijs commaculatum, torpori & delicijs deditum, virtute pro maiori parte à se relegata. Et hanc sententiam, vt præcedenti probabiliorem, libenter sequor, tres præcipuè ob rationes: primò, propter sacræ Scripturæ auctoritatem, quæ ei suffragari videtur; secundò, propter inuidiam & odium satanæ in genus humanum; tertiò denique, propter humani generis inconstantiam & imbecillitatem.

Secunda sententia, mundum deprauatus Christum iudicem excipiet.

Ecclesia Christi sponsa ad sodales accurrens, hæc de sponso suo & de seipsa edixit: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*, Cant. 2, 16. hoc est, Christo sponso meo (qui me nimia diligit charitate, & à me singulari dilectione redamatur, quique vt in lilijs inter sibi electos conuersatur, vt amore ei similes euadant) ita socia in tribulatione ero, quoadusque in vmbra huius sæculi vixero, & illuxerit dies æternæ felicitatis. Et vt quod intendo explicem, in vita nostri Saluatoris tres periodos considero, principium, medium & finem; & totidem in sancta illius sponsa Ecclesia, qui sunt velut infantia, iuuentus & senectus; in quibus illos in tentationibus & tribulationibus persimiles inuenio.

Triplicitas probatur secunda sententia. Primò Scripturæ sacræ testimonio.

Non

Digitized by Google

Non me latet, Chriſtum Dominum ab ortu ſuo, quoad fuit actus in crucem, & ad Patrem vnde venit rediit, ſemper fuiſſe variis tentationibus & tribulationibus à cuiuſcumque conditionis hominibus impertitum, Simeone, ſene Spiritu ſancto repleto, ad illius ſanctiſſimam matrem Mariam dicente, *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum, cui contradicetur*, Luc. 2, 34. & ipſomet Chriſto per Dauidem ad Patrem ſuum aiente: *Eripies me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium*, Pſalm. 17, 44. verumtamen tres præcipuas & myſterijs plenas contemplor tentationes eius & perſecutiones. Prima mota illi fuit ab Herode Rege Iudæorum cùm adhuc infans eſſet, & ad vbera matris ſuæ penderet, quæ eum fugam in Ægyptum capeſſere coëgit, vt Ioſepho ab Angelo illis verbis mandatum fuerat: *Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens, accepit puerum & matrem eius nocte, & ſeceſſit in Aegyptum: & erat ibi vſque ad obitum Herodis*, &c. Matthæi 2, 13. Grauis profectò fuit iſta tentatio, ſed admodum fructuoſa; quoniam ad illius in Ægyptum ingreſſum idola corruerunt, quod præſagium fuit, Ægyptum aliquando fidem ſanctiſſimam Chriſti eſſe ſuſcepturam, quam & tandem reipſa ſuſcepit, vt multi ſancti Patres, qui imbi illuſtriſſimis virtutibus floruerunt, teſtantur, & benè deducunt Doctores ex illis verbis Iſa. 19, 1. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulacra Aegypti à facie eius, & cor Aegypti tabeſcet in medio eius.* Alia ad idem argumentum in eo capite obſeruant ſacri Interpretes, quos tu conſule: adde Viegam in Apocalyp. cap. 12. de B. Virgine Comm. 3. ſect. 26. & ab ipſo citatos; ſed & nos aliqua de his dicemus infrà lib. VIII. Cap. 11. primæ Peregrinationis.

Tres præcipuæ Chriſti tentationes.

Prima Herodis.

Secunda diaboli.

Mat. 4, 11. Marc. 1, 13. Luc. 4, 1.

Secunda tentatio mota fuit Chriſto à diabolo, cùm ageret ætatis ſuæ annum trigeſimum, quando poſt Baptiſmum & ieiunium quadraginta dierum acriter ab eodem tentatus fuit de gula, auaritia & ſuperbia, vt Matthæus, Marcus & Lucas tradunt. Et hæc priore fuit grauior, ſed non abſque conſolatione & fructu; quoniam illâ ſuperatâ, Angeli acceſſerunt, & Chriſto miniſtrarunt, diabolus verò cõfuſus & turpiter reiectus abceſſit, quamuis ad tempus ſolùm.

Tertia omnium hominum.

Tertia demique tentatio ea fuit, qua Chriſtus præter modum omnem afflictus fuit à malis & diabolicis hominibus, domeſticis & conciuibus ſuis, qui eum præ ceteris diligere tenebantur, ab illis inquam, quibus ipſe dixit aliquando: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere*, Ioan. 18, 44. Iſti continuo trium annorum curriculo illi inſidias ſtruxerunt, nec deſtiterunt, donec morti adiudicatum, & cruci affixum viderent. Tentatio iſta fuit omnium grauiſſima, quoniam ab his illata fuit, qui humanam malitiam cum diabolica coniunctam habebant. *Homo* enim *malus* (vt inquit Auctor Operis imperfecti in Matthæum) *peior eſt quàm ipſe diabolus.* Inter alia quæ ad huius probationem adduci poſſent, hoc vnicum propoſito noſtro ſufficiat. Diabolus, quamuis neminem vmquam tanto odio infectatus fuerit quàm Chriſtum Dominum, eidem tamen tentationibus ſuis moleſtus eſſe ad tempus deſijt, imò cùm eum in paſſione tot iniurijs, calumnijs & opprobrijs exagitatum vidiſſet, quaſi iam rabiem & furorem ſuum expleuiſſet, ſibique ſatisfactum arbitraretur, & velut aliqua compaſſione tactus, Pilato per vxorem eius ſuggeſſit, vt illum dimitteret, dicens: *Nihil tibi & iuſto illi*, Matth. 27, 19. ſed Iudæi numquam ab eo exagitando deſtiterunt, donec tandem in crucem eum ſublatum atq; in ea mortuum viderunt: ſed nec ſic furor & rabies ipſorum conquieuit, ſed poſt mortem inſuper ipſius, vt notauit S. Auguſtinus, acerbiſſima venenatæ linguæ ſpicula in eum contorſerunt, ſeductorem eum appellitantes, alijſq; eiuſmodi conuitijs & dicterijs laceſſentes: & in quem amplius deſæuire non poterant, eum in diſcipulis & Eccleſia eius perſequebantur, vita, honore & facultatibus eos ſpoliantes, vt ſacræ Litteræ & Eccleſiaſtici Scriptores fatentur. Hinc de ſuis Iudæis & domeſticis nouimus ipſum fuiſſe conqueſtum hoc modo: *Quid me tentatis hypocritæ?* Matth. 22, 18. &: *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Ioan. 10, 32. iterùm: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique: tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus*, &c. Pſal. 54, 13. Sed omiſſis ceteris, quibus alijs mortem ſuam adſcribit quàm Iudæis? *His plagatus ſum*, inquit, *in domo eorum qui diligebant me*, Zachar. 13, 6. Porrò in alijs tentationibus aderant ei miniſtrantes Angeli, B. Virgo Mater eius, & aliqui alij pij homines ſolatium ei exhibebant; ſed in iſta diſcipuli, eo relicto, fugerunt, noti eius ſtabant à longe, & qui prope crucem erant, vt Maria & Ioannes, maiorem doloris materiam ei ſuppeditabant. Quid, quòd ipſe cæleſtis Pater viſus ſit eum reliquiſſe?

Maior hominum quàm diaboli tentatio.

In Ioan. tract. 38. poſt init.

Ecclesiæ tentatio triplex.

Totidem, eiusdemque planè generis tentationibus concussam & concutiendam arbitror sanctam Ecclesiam, vt verè sponsa suo Christo similis appareat, ad cuius imitationem tunsionibus & pressuris expolienda erat. Ideò dixit Christus olim Ecclesiæ ex paucis fidelibus collectæ: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit*, Ioan. 15, 18. Et versu 20. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Et ipsa sponsa vsurpare potest illud Thren. 3, 12 *Posuit me quasi signum ad sagittam*, quemadmodum Christus positus fuit in signum cui ab omnibus contradictum fuit.

Prima Tyrannorum.

Prima igitur Ecclesiæ persecutio, quam adhuc infantula sustinuit, fuit contra eam excitata à Regibus & Tyrannis, qui sæpissimè Christianorum sanguinem profuderunt, & innumeris exilijs atque tormentis eos affecerunt. De hac persecutione videtur loqui Propheta Zacharias cap. 1, 18. dicens: *Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quatuor cornua. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me: Quid sunt hæc? Et dixit ad me: Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam, & Israël, & Ierusalem.* Quo in loco Hebræi, D. Hieronymus, & alij, per quatuor cornua accipiunt quatuor mundi Imperia, quæ Hebræorum gentem quasi tauri quidam ventilauerunt, in typum videlicet Ecclesiæ, in quam omnes Reges atque Principes tamquam ferocissimi tauri insurrexerunt. Sed enim, quemadmodum Herodes Ascalonita, Christi infantis persecutor, miserè interijt morbo intercutis aquæ, & scatentibus toto corpore vermibus, & nihilominùs sancta Ecclesia sua fundamenta iecit; ita exterminati fuerunt Tyranni Christi Ecclesiam persequentes, & ipsa mirabiliter propagata fuit. Ideò benè subiungit Propheta versu 20. *Ostendit mihi Dominus quatuor fabros. Et dixi: Quid isti veniunt facere? Qui ait, dicens: Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam per singulos viros, & nemo eorum leuauit caput suum: & venerunt isti deterrere ea, vt deiciant cornua gentium, quæ leuauerunt cornu super terram Iuda, vt dispergerent eam.* Per quos fabros diuus Hieronymus, Theodoretus & Cyrillus Alexandrinus intelligunt Angelos, quorum præsidio Ecclesia defenditur, & Tyrannorum atque hæreticorum omnium vires quasi cornua conteruntur.

Persecutionibus Ecclesia crescit.

Quod ad fructum ex hac persecutione prouenientem pertinet, illum explicuit Iustinus in Dialogo cum Tryphone, dum persecutionem Ecclesiæ putationi vineæ comparat, dicens: *Vt enim vineæ putatione ad vbertatem prouocantur, ita Ecclesia persecutionibus crescit.* Et Tertullianus in Apologetico cap. vlt. ait: *Plures efficimur, quoties metimur à vobis, semen & sanguis Christianorum.* Atque ad hanc seminis similitudinem alluſit D. Leo Serm. 1. de sanctis Petro & Paulo, cùm dixit: *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur: & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Et D. Ioannes Chrysostomus Sermone in Iuuentium & Maximum martyres, *Sicut*, inquit, *plantæ rigatæ magis crescunt, ita & fides nostra oppugnata magis floret; neque horti aquis irrigati ita germinant, vt Ecclesiæ, si Martyrum sanguine irrigentur.* Et fructus iste grauitatem huius persecutionis contra inermem Ecclesiam haud parum retundit.

Secunda tentatio, diaboli per hæreses, &c.

Secunda sanctæ Ecclesiæ persecutio est, quam sustinet & sustinebit à tempore quo adoleuit, & per vniuersum orbem dilatari cœpit, vsque ad Antichristum, eique infertur à satana per hæreticos, schismaticos, Iudæos, Mahometistas, & ipsum Antichristum: nec immeritò Antichristiana dici potest, quoniam per praua dogmata Christo & sponsæ eius opponitur, dicente Ioanne in prima Epistola cap. 4, 3. *Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est; & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc iam in mundo est.* Hoc est, Omnis qui in Christo diuidit Verbum à carne, & dicit Filium Dei non esse filium hominis, ex Deo non est, sed ei contrarius, & Antichristus. Notat verò Ebionitas, & ceteros hæreticos, quos vocat Antichristos, quia Antichristi sunt præcursores, eique persimiles in oppugnádo Christo. Ad idem spectat quod inquit idem Apostolus capite 2, 22. eiusdem Epistolæ, vbi videmus, eos qui oppugnant sanctam Ecclesiam erroribus & hæresibus, Antichristos appellari. Hæc tribulatio magna quidem & præcedente grauior censenda est, quoniam in ea corpora magis, quàm animas fidelium, tormentis afficiebant Tyranni & tortores: at in ista magis animas oppugnabunt erroribus, eas à veritate abducendo, iuxta illud Dominicum dictum, & prædictionem: *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hîc est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi*, Matthæi 24, 23. & grauissimam quidem futuram Antichristi persecutionem, & omni corporali grauiorem, ex sacris & Ecclesiasticis Scriptoribus compertum est. Et hæc respondet secundæ Christi tentationi, in qua diabolus Christum diuitijs, delicijs & honoribus tentauit, & Scripturis perperàm

Hæretici Antichristi sunt.

intel-

intellectis illum aggreſſus fuit. Verùm vt à ſua fuit Chriſtus liberatus, ita à ſua liberabitur Eccleſia, & maiori honori reſtituetur, vt in præcedentibus iam pluribus aperuimus.

Tertia maxima domeſticorum.

Tertiam tentationem & perſecutionem, omnium grauiſſimam, ſuſtinebit vltimis temporibus ſancta Eccleſia, paulò antequam Dominus ad iudicium veniat. Hanc ſuſtinebit à ſuis domeſticis, vereque tunc dici poterit: *Inimici hominis, domeſtici eius*, Matth. 10, 36. ipſaque contra ſeipſam bellum excitabit; implebiturque quod in Canticis canticorum ipſa dixit aliquando: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis: vineam meam non cuſtodiui*, Cant. 1, 6. Et cùm quò res quæpiam fuerit melior, eius corruptio ſit peior, iuxta Philoſophorum placitum, tunc vtique peſſimum futurum Eccleſiæ ſtatum dixerim, cùm à perfectiſſimo ſtatu, quem ſtatim poſt mortem Antichriſti recipiet, ſit declinatura. Accedit quòd, cùm in præſenti vita continuò pugnandum ſit (*militia eſt* enim *vita hominis ſuper terram*, vt dixit S. Iob cap. 7, 1.) eamque ob rationem hæc noſtra Eccleſia *militans* appelletur, & nonniſi in altera vita ſit triumphatura; neceſſariò confligere ſemper & inceſſanter contra hoſtes ſuos debeat, eoſque vel extraneos, vel domeſticos qui ex ipſa egreſſi, contra ipſam turbas & bella mouebunt. Sapienter admodum Onimandius Chius, referente Alexandro ab Alexandro lib. 4. cap. 2. qui cùm ab aduerſaria factione quæ in ciuitate eius erat, victoriam retuliſſet, noluit hoſtes ab vrbe expelli, acrius alioqui bellum ab ipſis conciuibus amicis expectandum eſſe dictitans. Sic profectò Romanis contingebat; qui, cùm externi hoſtes deficerent contra quos arma ſumerent, aduerſus ſe mutuo acerrimos rixarum & ciuilium diſcordiarum motus excitabant. Poſt Antichriſti igitur interitum fiet perfectè vnum ouile & vnus Paſtor, perfectiſſimaque pace & tranquillitate perfruetur Eccleſia, vndique hoſtibus eliminatis, plurimis verò in eius gremium & fidem collectis; quare cùm non ſit futurus aliquis tyrannus in quem ſtringat arma ferrea, & machinas trudat bellicas; nec hæretici aut ſchiſmatici, in quos decertet Scripturâ ſacrâ & argumentis Theologicis: è viſceribus eius prodibunt qui domeſticum & inteſtinum ei bellum moueant, idque adeò graue, vt quemadmodum Chriſtus in tertia ſua tentatione fuit morti adiudicatus, ita Eccleſia ipſa ad extremas ſe anguſtias deueniſſe conqueri poſſit, veriſſimeque dicere quod olim à morte erutus Ezechias dixit: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*, Iſaiæ 38, 17. quoniam ſi amara illi fuit Tyrannorum Principum perſecutio, & amarior altera hæreticorum & ipſiuſmet Antichriſti; tertia hæc, in qua, à prioribus illis tuta, pacificè & ſecurè viuet, illi longè amariſſima erit. *Amara priùs in nece martyrum, amarior pòſt in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum*, inquit D. Bernardus Serm. 33. in Cantica.

Obiectio.

Obijciet fortaſſe quiſpiam, hæc quæ diximus abſona eſſe, & aduerſari ſententiæ Saluatoris, qui loquens de ſecunda eaque Antichriſti perſecutione & tribulatione, ait: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modò, neque fiet*, Matthæi 24, 21. Reſpondemus, ſententiam *Solutio.* Saluatoris nobis non obſtare: in ea enim ſermo ſit de tribulationibus quæ inferuntur ab hoſtibus, & quæ ſenſui dolorem & animo triſtitiam incutiunt. Quòd ſi ergo tribulationes metiamur inde, vnde communiter homines eas æſtimare ſolent, illam profectò Antichriſti perſecutionem omnium quæ vmquam fuerunt vel futuræ ſunt maximam & ipſe ego confiteor, quia ad omnia bona fortunæ, naturæ, & animi, ſe extendet. Verùm tribulatio illa quam tunc ſuſtinebit Eccleſia, non ex hoc capite æſtimabitur; quia non ab hoſtibus, ſed à domeſticis excitabitur; nec tormentis & pœnis, ſed voluptatibus & delicijs exercebitur, quæ etiam in virtute præſtantiores & eminentiores, molles & effeminatos reddent. Ideoque maiorem hanc dixi præ illa, quia maiorem afferet perniciem; nec dolorem, ſed iudicium futurum demonſtrabit: quemadmodum & populus Iſraëliticus maius damnum ſenſit ex voluptatibus quas ex mulieribus Madianitarum percepit, quàm vel ex aliorum hoſtium acerrimis bellis & perſecutionibus, vt ſacræ teſtantur Litteræ.

Antichriſti tribulatio maxima dicta ex ijs quæ dolorem inſligunt.

Maius damnum ex voluptatibus, quàm ex hoſtibus.

Sed præter hanc ſimilitudinem, quam eſſe & futuram arbitramur inter Chriſtum & eius Eccleſiam, qua perſuademur credere; valdè hanc à domeſticis voluptatibus labefactandam eſſe, ſuppetunt & clariora ipſius Chriſti teſtimonia. Apud Matthæum ſic ait: *Sicut autem in diebus Noë, ita erit & aduentus Filij hominis. ſicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vſque ad eum diem quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis*, &c. cap. 24, 37. Eadem, quibuſdam additis, ſcribit Lucas cap. 17, 26. in hunc modum: *Et ſicut factum eſt in diebus Noë, ita erit & in diebus Filij hominis. Edebant, & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad*

ad nuptias, vſque in diem, qua intrauit Noë in arcam: & venit diluuium, & perdidit omnes. Similiter ſicut factum eſt in diebus Lot: edebant, & bibebant: emebant, & vendebant: plantabant, & ædificabant: qua die autem exijt Lot à Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cælo, & omnes perdidit: ſecundùm hæc erit qua die Filius hominis reuelabitur, &c. In hiſce verbis loqui Dominum de tempore quod erit à morte Antichriſti vſque ad iudicium, Doctorum ſententia eſt, vt Lyranus & Viega Capite præcedenti relati adnotarunt; & ſanè contextus ipſe manifeſtiſſimè indicat.

Dicet aliquis, in illis verbis noluiſſe Chriſtum indicare, tunc futuros hominum mores deprauatos, ſed dumtaxat, eius aduentum ex inſperato venturum, quemadmodum præter expectationem venit diluuium, & ignis & ſulphur ſuper ciuitates illas. Sed contrà, quia ad inexpectatum eius aduentum indicandum, ſufficere poterat altera parabola, quam ſubiecit de Patrefamilias, qui, ſi ſciret qua noctis hora fur veniret, vtique vigilaret, & non ſineret perfodi domum ſuam. Præterea, non videtur ratio, quare verba illa non tam intelligere poſſimus de deprauatis hominum moribus, quàm de inſperato aduentu Chriſti ad iudicium; cùm clarè id ſonent, & oppoſitæ ſententiæ Auctores, inter quos Maluenda, credant, tunc Eccleſiam, ne ſubitò & inopinatò à Chriſto ad iudicium veniente obruatur, ſe diſpoſituram per bona opera ad recipiendum eum; & illa præſertim Mat. 24, 40. *Tunc duo erunt in agro: vnus aſſumetur, & vnus relinquetur: duæ molentes in mola: vna aſſumetur, & vna relinquetur.* in quibus indicatur, quoſdam, id eſt bonos, eſſe ad gloriam aſſumendos; & quoſdam, id eſt malos, gehennæ relinquendos. *Qui aſſumitur* (ait Ambroſius in Luc. 17.) *rapitur obuiàm Chriſto in aëra; qui autem relinquitur, improbatur*, &c. Idem alij. Denique clariſſimè huc eunt illa Saluatoris apud Lucam: *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Luc. 18, 8.

Ad huius ſententiæ perſpicacitatem (quia, licet videatur clare intentum probare, tamen aliò detorqueri poteſt) duo ſunt explicanda: alterum, de quo tempore ea verba ſint intelligenda, de præcedenti necem Antichriſti, an de ſubſequenti; & ſi de iſto, an de immediatè ſequente, an paulò præcedente aduentum Chriſti ad iudicium, an de vtroque. Alterum, quid fidei nomine Saluator noſter intellexerit.

Quantum ad primum, tres poſſunt eſſe ſententiæ. Prima, quæ illam intelligit de tempore ſequente necem Antichriſti, & de illo die quo Dominus ad iudicandum veniet; & hanc verba ipſa videntur indicare. Sed huic opinioni illud refragari videtur, quòd Dominus venturus ſit ad iudicium poſt reſurrectionem generalem mortuorum. tunc verò nulla erit fides; non in damnatis, aut Beatis, quia tunc euacuabitur; nec in viatoribus, quia tunc nulli erunt; quare nec modica inueniri poterit. Nec mirandum, tunc non futuram fidem, quia tempus non erit; & tamen Dominus mirari videtur ob modicam fidem in hominibus illius temporis.

Secunda ſententia intelligit verba illa de tempore perſecutionis Antichriſti, & de toto illo quod erit ab illius interitu vſque ad aduentum Domini ad iudicium. Ita ſentire videntur qui modicum aliquod tempus ſtatuunt inter necem Antichriſti & iudicium, quod quaſi momentaneum ſtatuunt. Sed opponi poteſt, quantum ad id quod dicitur in priori parte huius poſitionis, id quod dicetur in ſequenti ſententia; quantum ad illud quod in poſteriori aſſeritur, refragatur quod inquiunt Lyranus & Carthuſianus in 1. Theſſal. 7. Cælius Pannon. & alij, poſt Antichriſti obitum ſtatim per vniuerſum orbem Chriſti fidem propagandam, & ſanctæ Eccleſiæ vniuerſalem pacem & tranquillitatem concedendam eſſe, qua & aliquanto tempore ſit perfruitura, antequam Dominus ad iudicium veniat. Et de hoc ſuprà plura diximus.

Tertia ſententia arbitratur, adducta Saluatoris verba intelligenda eſſe de tempore proximè præcedente aduentum illius ad iudicium, ita vt eo anno vel menſe quo veniet Chriſtus, paucos ſit inuenturus fideles. Et hanc vt valdè probabilem libenter amplectimur. Probaturque ex Euangelio. Immediatè ad propoſita verba propoſuit Dominus parabolam cuiuſdam viduæ, quæ apud iniquum iudicem vindictam de aduerſario poſtulabat, qui & fecit iudicium propter inſtantes viduæ preces. Ex qua deducit Saluator, quòd & ipſe qui iuſtiſſimus eſt, ſumpturus ſit iudicium de viduæ, id eſt, Eccleſiæ (ſecundùm interpretationem diui Auguſtini, & Gloſſæ ordinariæ) perſecutoribus, ſi ad ipſum orauerit fide; & ſtatim huius defectum ſubiungens, inquit: *Verumtamen Filius hominis*, &c. igitur hæc verba intelligenda ſunt de tempore proximo diei iudicij. Et Beda, in Aurea D. Thomæ Catena relatus, videtur hoc indicare hiſce verbis: *Cùm autem omnipotens conditor in figura filij hominis apparuerit, tanta erit raritas electorum, vt non tam ob clamorem fidelium, quàm torporem aliorum, totius mundi ſit acceleranda ruina.* Et in præcedentibus

Defectus fidei in Chriſti aduentu ad iudicium.

vſque

rione ad hanc tenerrimam longæ diuturnæ infectionis adnexæ incunabulis, quæ vel idem & hæc tenerrima reformatio, quæ fuisset, ac quæ, ubi spectatur.

Quæ vero ad tertiam dicti, fidem accipere pole multipliciter. Prima pro virtute Theologica, dilinda a spe & Charitate, de qua dicit tandem Paulus: *Nunc autem manent fides, spes, Charitas, tria hæc.* Cui tamen vix, si vnquam præ omnibus Charitatem & fides vna appellatur, de qua idem Apostolus dicit: *Charitas fides quæ per fidem.* Galat. 5. 6. Et loquit. S. Augustinus de vna & fugitiua, quæ in peccatoribus est ex quatuor vnite virtutibus, & ex his quidem, *Temperantia & Charitate, quæ in lege Christiana & gratia exercetur, longum vero & copiosum quid in illa gratia, quæ ex fide est, ubi Deus Homo in Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides per charitatem operans.* & quidem adhuc superest. Tertia quæ per fidem viua pro tolo tempore, sed proxima quidem & excitata fide quæ in peccatoribus, qua peccata dimittuntur peccatoribus est vera quæ in reformatione fidem penitentiæ vbique. Quæ pro fide penitentiæ nouissimum & de vltaque dicit Christus: *Ita debuit fieri & resurgere a mortuis tertia die.* Matthæi 27. 19. Lege hic laudatum. Quando quidem per tres ordines dierum dies triduanos, vt vita Christi ad Christianum mutatum: *Omnia nouerat ab hora.* Matth. 13. 28. Simul denique quæ per omnem phasim Hebraicam pro veritate, Sabbatum, Sabbatismus, Sabbatizo, prohibere in diuitiæ re, omnem similitudinem & Sabbatismi explicitur, in hoc loco 7. 28. *Ergo fides, & obtulit eis de cœnis suis.* & Psalm. 118. 30. *Quæ viam veritatis elegi, fides, vel fidelitatem, & iudicia tua non sum oblitus.* Psal. 35. 6. *Omnia opera eius in fide.* hoc est, tam vera, tam fidelia, tam facta ab hypocrisi.

Iam ad tertium. Iudicium fidei ab vltimo ordine verbi. Salutem & fide tunc illis in eodem acceptorum, quæ vidit Christus Saluator, in his quorum ad vocationem peccata vniuersaliter dicitur, quæ cum fide habeat charitatem & bona opera. Quæ expedite & vera eft, perfecta & ideo Theophilacti, vera quæ vitia Christi exponit aut de fide secundum primam acceptionem, quæ in pace sine mundo cor quorum delectum chemini & opinione, idolis facit pure, vera cum Lumen & experientia compatiens eft. Tertia expositio eft D. Hieronymi in Dialogo contra Luciferianos, & D. Augustini lib. de vera & falsa penitentia. vt vera Domini intelligenda eft de fide in terra acceptione, tm vera, ad fide primam acceptionem accedens, vt transeundi mentem, &c. Sed vtrumque absque dubio, & certum, & quæ de fide in certura ad talentum, quæ hic eft de vera, nec eft manifestum.

Quarta denique interpretatio intelligit de fide in poltremo acceptione polita, qui viuitur docet Salutem Christi vera. Et his omnibus ad hoc ordinem, omnia vnus pie, & dolis fraudibus, impudicis, impuritatibus, nihil fraternum nihil integrum & pudorem vitæ & mundo conformabitur, quod fideles & probi multi omnes, & omnia pro fide, charitate & bona opera nominantur, & in his omnibus, & in his vera fide, delicet fed compunctum ad bonos non vera fide, & ad bonos, & ad bona opera, & fide mala facere videntur, quæ hinc vehementer S. Paulus ad Timotheum: *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare illum in illum diem.* 2. Tim. 1. 12. Sed qui per tempora nouissima insultant S. Apostolus: *Hoc autem scito, quod nouissimis diebus instabunt tempora periculosa.* 2. Tim. 3. 1

Paulus tamen Timotheo loquebatur de futuris vltimis temporibus, quare de illis verba eius singulariter debemus intelligere. Et hæc si vera sunt, probabilissimum apparet quod proposuimus, maiorem futurum malorum numerum quàm bonorum, quando Christus ad iudicium veniet, & deprauatum hominum statum ipsum inuenturum. Et hæc magis etiam apparebunt ex dicendis.

CAPVT CX.

Idem porrò argumentum ratione ex fragili naturæ humanæ conditione desumpta comprobatur.

ALteram iam rationem ad assumptum præcedenti Capite argumentum, quæ desumitur ex conditione humanæ naturæ, explicare aggredior. Verè semper fragilis & inconstans, numquam in eodem statu permanens, caro deprimens sensum, & deijciens ad ruinam, spiritus vadens, & non rediens, est humana natura, nec statu temporéve perficitur, sed in peiora semper elabitur tam in naturalibus quàm in spiritualibus; & nisi diuino fulciatur auxilio, in omnia mala præceps ruit.

Humana natura fragilitas.

Agebant in perfectissimo illo innocentiæ statu, in delicijs paradisi, primi totius humani generis protoplasti, diuinis muneribus, gratia iustitiaque originali condecorati, cum quibus semper coram Deo in accepta innocentia viuere potuissent: sed heu crudele spectaculum! miserè lapsi sunt, gratiam, iustitiam & felicissimum statum amiserunt non solùm ipsi, sed per eos & in eis omnes illorum posteri, qui omnes filij iræ, filij vindictæ & Dei hostes nascuntur. Et quid de statu naturæ lapsæ dicemus? In ea videmus statim omnem carnem pronam factam esse ad malum ab adolescentia, & viam suam corrupisse; & quod magis mirandum est, ipsi filij Dei, teiga Deo incorruptibili & immortali vertentes, ad carnis corruptibilis opera se conuerterunt. Et licet corruptam vndique terram aquis diluuij Deus eluerit, tantum tamen abfuit, vt homines paulò pòst nati, tanti cataclysmi horrore & memoria exterrefacti fuerint, vt potiùs in deterius mutati, superbè se contra Deum extulerint, & vel eo inuito turrim, quæ vsque ad cælum pertingeret, ædificare cœperint. Et quoties in veteri lege relapsi sunt Israëlitæ? quoties Deum exacerbauerunt? quoties post tot diuina accepta beneficia contra Numen diuinum rebellarunt? Perinde factum fuit temporibus insequentibus, perinde fit perditissimo nostro sæculo, & porrò fiet futuris temporibus in lege gratiæ & Euangelij: vbi quamuis maioribus mortales coloneſtati fuerint à Deo beneficijs, proprio & naturali Dei Filio, & cum eo omni cælestium bonorum cumulo desuper-misso, nihilominùs toties Christiani deliquerunt & delinquunt, toties sibimetipsis crucifixerunt & crucifigunt Filium Dei. Imò quamuis flagella, quibus eos castigaturus est Deus tempore præsertim Antichristianæ persecutionis, magnitudinem scelerum, & iræ diuinæ grauitatem satis sint ostensura; ab illis tamen diuinâ gratiâ liberati fideles, & Ecclesiâ in pristinum imò meliorem statum restitutâ, interfecto Antichristo persecutore cum exercitibus eius, aliquanto quidem tempore, tum flagellorum tum beneficiorum memores, in accepta gratia perseuerabunt; sed bonis impinguati & dilatati, iterùm recalcitrabunt, Deum factorem suum derelinquent, & à salutari suo recedent, vnde veniet tandem Dominus, & faciet de eis vltimum iudicium, & reddet vnicuique secundùm opera sua.

Sed vnde tanta mutatio & auersio accidet? Respondeo probabiliter, ex opulentia, bonorum temporalium affluentia, & diuinorum beneficiorum multitudine. Et cùm ad id probandum clara & indubitata non habeamus sacræ Scripturæ testimonia, saltem vnum quod illud probabile reddit, in medium adducemus. Apud Ezechielem loquitur Dominus ad Ierusalem (per eam Ecclesiam & fideles intelligens, inquit sanctus Hieronymus) & explicatis diuinis in eam collatis beneficijs, addit causam quare à se auersa fuerit, nempe superbiam, saturitatem, abundantiam panis, & otium, quæ etiam in causa fuisse ait, vt Sodoma peccaret & puniretur; quam cùm in noxa fuerit imitata Ierosolyma, in pœna quoque non fore dissimilem comminatur. Inquit ergo: *Viuo ego dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua ipsa, & filiæ eius, sicut feciſte tu, & filiæ tuæ. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius: & manum egeno & pauperi non porrigebant. Et elevatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me, & abstuli eas sicut vidisti*, &c. Ezech. 16, 48. Eumdem in modum arbitramur futurum cum vltimi temporis Ecclesia, quæ vel illis præsertim temporibus, bonis operibus occupata, expectare deberet Dominum proxime iam venturum ad iudicium. Et confirmatur testimonio Saluatoris, qui apud D. Lucam asserit, quo tempore ad iudicium venturus sit, terrarum orbem se inuenturum terrenis voluptatibus

Bonorum affluentia à Deo auersio.

ptatibus implicatum, quemadmodum & in diebus Lot, Sodoma & finitimæ ciuitates, otio deliciisque & terrenis rebus deditæ, diuinam vindictam expertæ fuerant. *Similiter sicut factum est in diebus Lot* (inquit Christus, de his agens) *edebant, & bibebant: emebant, & vendebant: plantabant, & ædificabant qua die autem exyt Lot à Sodoma, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit: secundùm hæc erit qua die Filius hominis revelabitur*, &c. Luc. 17, 28. Quid his clarius dici poterat?

Amplius: in aduentu Filij hominis ad iudicium erit sicut in diebus Noë, quando venit diluuium, vt citato loco inquit idem Euangelista, & Matthæus cap. 24. quorum sententias Capite præcedenti retulimus. Et quidnam, quæso, faciebant homines ante diluuium tempore Noë? An forte in bonis & pijs operibus se exercebant? num diuinæ legis erant æmulatores? Non certe, non sic; sed spretis sanctis mandatis, vniuersi post concupiscentias suas ambulabant, nec Deum timentes, nec homines reuerentes, sed solis voluptatibus & mundanis rebus intenti, vt Christi & Moysis verba indicant, adeò vt vix Noë iustus dignus inuentus fuerit, qui coram Deo gratiam obtineret. Vnde & aquis diluuij deletum fuit vniuersum humanum genus, adusque irrationalia animantia, reptilia, & ad volucres cæli. *Ita erit aduentus Filij hominis*, ait Christus.

Donatio venerum Ecclesiæ.

Referunt Scriptores graues, quo tempore magnus Constantinus pluribus diuitijs temporalibusque facultatibus ditauit Ecclesiam, Romæ hanc vocem è cælo fuisse auditam: *Hodie seminatum est venenum in Ecclesia Dei.* Quòd si ergo ob illa munera, quæ sanctæ Ecclesiæ elargitus fuit Constantinus, diuino oracvlo ingens ei damnum imminere prænuntiatum fuit; quantum timere eidem debemus, quando totius vniuersi habebit Imperium, boniisque omnibus absque molestia perfruetur?

Cautio Pastoris

Perperàm ergo fecerunt Deus & Constantinus, temporalibus bonis ditando Ecclesiam & totum mundum? Non sanè, sed in eo maxime enituit Dei munificentia & liberalitas, quòd sponsam suam non sibi serme voluerit tamquam vilem abiectæque conditionis feminam, sed tamquam Reginam sibi adstare a dextris suis in vestitu deaurato, circumdatam varietate, vt dixit Regius Vates. Et pijssimi insuper Imperatoris ibi eluxit magnificentia, & deuotissimus erga sanctam Ecclesiam affectus. Nec enim diuitiæ & temporalia bona in se mala sunt, sed bona & optima, religiosis obeundis muneribus instrumenta, ijs qui illis benè, vt decet, vti volunt; sed pessimæ ijs, qui eisdem abutuntur, vt ex historijs compertum est. Diuitias multas habuerunt Abraham, Iob, Dauid, & plerique alij veteres Patres, & tamen illis non obfuerunt, sed profuerunt, quia illas insumpserunt in hospitijs peregrinorum, & ad subueniendum viduis, pupillis, alijsque in necessitate aliqua constitutis. Nec noxæ fuit Siluestro, Leoni, Gregorio, pluribusque alijs in summo Ecclesiæ apice constitutis, amplissimas opes habuisse; quia Apostolos imitati, per incorruptos œconomos easdem dispensarunt ad augendum Dei cultum, & ad subleuandos pauperes. Et vtinam etiam hodie, & inposterum Ecclesiastici Principes & Prælati, illos Sanctos imitarentur! Verùm quoniam successuri erant, qui diuitijs ad luxum, superbiam, & alia vitia erant abusuri, ideò prodigiosa illa vox audita est: *Hodie seminatum est venenum*, &c. Opinamur ergo, considerata fragili naturæ humanæ conditione, quæ semper ad malum prona est ab adolescentia sua, ita euenturum Ecclesiæ, & vniuerso orbi, paulò ante Christi aduentum ad iudicium, ob diuitias, opulentiam, & prosperitatem, quibus à Deo ditabitur. Tunc enim sceleribus, varijsque illecebris, impudicitijs, cupiditatibus, velut mortifero veneno infectus mundus, iustitiaque & omni virtute procul à se ablegata, totus in maligno positus, iudicem suum excipiet, secundusque Domini aduentus primo par erit, vt sicut in primo, quando in mundum venit Dei Filius per naturæ humanæ assumptionem, illum plenum abominationibus inuenit; vt vel sic suam erga Iudæos & Gentiles misericordiam exercendi maiorem haberet occasionem, benè dicente Apostolo: *Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur*, Roman. 11, 32. ita in secundo aduentu omnia erunt sceleribus coinquinata, vt de omnibus iudicium sumat, & iustitiam suam magis exerat.

CAPVT CXI.

Amplius exaggeratur miserandus Ecclesiæ & totius mundi status tempore quo Dominus ad iudicium venturus est, ex maxima dæmonis tentatione, quam contra eam mouebit.

PErpetuus & implacabilis Dei & seruorum eius hostis est dæmon, quare omnes adhibet artes, nec viribus parcit, sed semper in continuo motu terram perambulat, & sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Et si vnquam in odium Dei ser-

tios eius oppugnauit, sanctamque Ecclesiam hostilibus conatibus aggressus est, tunc certe validioribus eam machinis expugnare molietur, quando breui tempus ei insultandi eripiendum sibi esse persentiscet; id quod fiet post Antichristi interitum, modico tempore ante aduentum Domini ad iudicium. Quis ergo, immani eius rabie considerata, & validissimis armis, quibus illam illo tempore oppugnabit ponderatis, non continuò timeat, magnam eam passuram cladem, cùm alioquin maximam passa sit, necdum tanta vi, tanto impetu, tantóve odio (ob spem longioris temporis) ab eodem diuexata?

Aduersitate primò adoritur Ecclesiam diabolus.

Aduersitate & prosperitate, velut duobus arietibus, adoritur dæmon Dei seruos sanctamque Ecclesiam, vt à Dei seruitute subductam suæ subijciat tyrannidi. Illâ verò agit priùs, istâ posteriùs. Et cur ita? Arbitror ita eum facere ex ingenti odio quo aduersum genus humanum fertur, & ex improbissima quadam calliditate. Odio quidem; quoniam si homines absque aliqua etiam exigua voluptate, per solas ærumnas & calamitates præcipites in infernum agere posset, id libentissime præstaret, & magnam sanè vim inesse calamitatibus ad iustos etiam subruendos, satis nouit. Quòd si hac via minùs proficiat, non ideò victoriam desperat, sed ad voluptatem callidè conuertitur, sciens maiorem ibi latere virtutem ad quoslibet euertendos. Et quoniam hoc minùs prouidis dubium esse poterat, & tamen eius cognitio plurimùm ad cautionem prosit, illud paucis explicabimus.

Secundò prosperitate, quia eidem maior inest ad vincendam virtus.

Maiorem inesse vim voluptatibus ad animos effeminandos, quàm tribulationibus & aduersitatibus, docent non solùm sancti Patres fidei Catholicæ lumine illustrati, sed & eiusdem expertes, solaque naturali scientia & experientia instructi. D. Augustinus in Psalm. 50. sic loquitur: *Periculosior est res prospera animo, quàm aduersa corpori.* D. Ambrosius Serm. 12. in Psalm. 118. *Plurimos*, inquit, *supplantauerunt secundæ res, quos supplicia acerba non fregerunt.* D. Hieronymus in Vita Malchi, vniuersalis Ecclesiæ exemplo idipsum confirmat, dicens: *Persecutionibus creuit, martyrijs coronata est: ipsa postquam ad Principes Christianos venit, potentia quidem & diuitijs maior, sed virtutibus minor facta est.* Idem docent D. Gregorius Nazianzenus Orat. 14. quæ est 3. de Pace, & D. Chrysostomus in Psalm. 9. D. Bernardus tum alibi tum Sermon. 2. Palmarum ait: *Multos frangat aduersitas, tamen multò plures extollit prosperitas.* & ad hoc aptat Dauidicum illud, *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*, Psal. 90, 7. Hoc est, ex his qui in læua manent, & tribulationibus vexantur, cadent mille; sed ex illis quos habet ad dexteram, & quos gratijs & diuitijs auxit, decem millia. Adde etiam, grauius à prosperitatibus quàm ab aduersitatibus nos periclitari: quod sanè Salomon suo exemplo docuit, qui ad magnam euectus gloriam, & in summis delicijs positus, idololatra euasit. Hinc experientiâ & Spiritu sancto eductus, ad Deum conuersus, dicebat: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi*, Prouer. 30, 8. mendicitatem, quæ aduersitates; diuitias, quæ prosperitates secum ferunt: quoniam vtraque mentem humanam à iustitia ad iniquitatem abducit. Sed quorum grauior est casus? Illorum vtique, qui à diuitijs subuertuntur; ideoque ait versu 9. *Ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus?* sed quantum ad paupertatem, subdit: *Aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.* Et quis non videt, grauius delinquere, eum qui Deum negat, quàm qui aliena ob egestatem aufert aut peierat?

Neque veritas hæc veteris Græciæ sapientes latuit. Vt enim fide digni Historici retulerunt, inter alios milites & duces, qui ad oppugnandam & expugnandam Troiam profecti fuerunt, duo præcipui fuerunt Aiax & Vlysses, ille corporis fortitudine, iste virtute animi & calliditate celebris: ille corpora hostium trucidabat, iste animos & illorum cogitationes eludebat. Capta Troia, & de hostibus victoria reportata, inter Proceres illos & Græciæ sapientes quæstio exorta fuit, vter maius hostibus damnum intulisset, & vtri potissimum victoria esset tribuenda: vnanimique omnium consensu pro Vlysse lata fuit sententia, eidemque victoriæ palma porrecta. sentiebant scilicet illi, minùs arma & aduersitates, quàm calliditatem & prosperitates nocere. Quem duplicem oppugnandi modum optime intelligens satan, contra fideles & sanctam Ecclesiam hostiliter priùs & per afflictiones, blandè posteà & per voluptates agit, vt si prior eius conatus eludatur, saltem posteriori victor euadat.

Clarissimum habemus duplicis huiusce belli in Scriptura sacra exemplum. Satan, vt Iobum virum sanctissimum à culmine innocentiæ in profundum impatientiæ & culpæ deijceret, priùs aduersitate, ablatione videlicet facultatum, filiorum, & ipsiusmet sanitatis, adorsus fuit; cumque ille semper innocentiam in tot calamitatibus integram conseruasset, tandem blanditijs per vxorem ipsum inuasit, vt per illam consequeretur, quod tot illatis calamitatibus obtinere non potue-

potuerat. Et ita obseruauit Auctor Glossæ ordinariæ in ea verba cap. 2. Iob, *Dixit autem illi uxor sua*, &c. *Diabolus*, inquit, *duobus modis impugnat tribulatione, vt frangat, persuasione, vt mulcet. Victus ergo de tribulatione, venerit ad alterum quo Adam vicit, & ad illum per Euam, id est per mulierem, quæ vtro vitiata, subrepere nititur: sed & hanc non audit vt præpositum, sed docet vt subditam. Et ita arma tollit hosti, & sunt ei arma virtutis dum vincit.* Et ibidem paulò infrà: *Vide ordinem: post vulnera verba hostis intulit, quia cùm vt doloris ingruescit, facilius prana persuasio aliquã capit, propter quod qui cetera adiuuat, uxorẽ reseruauit.* Hæc Glossa.

Similiter aget dæmon in sanctam Dei Ecclesiam, vt eam vltimis illis temporibus penitus perdat: inopia, cædibus, oppressione, aliisque calamitatibus innumeris eam afflliget in persecutione Antichristiana; sed tanta eius erit per diuinam gratiam constantia, vt nec portæ inferi præualiturę sint aduersus eam, quin martyrijs & heroicis virtutibus amplius coronabitur: id quod ægrè ferens dæmon, eamdem posteà iterùm modico illo tempore, quod ei ad eam tentandam permittetur antequam Dominus ad iudicium veniat, adorietur diuitijs, delicijs & voluptatibus; tamquam armis validissimis. Et hõe vitis coloribus in Apocalypsi delineatum arbitramur, quod totum ipsissimet S. Ioannis verbis hic tibi subijcimus. *Et signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim: & in utero habens, clamat parturiens, & cruciatur vt pariat. Et visum est aliud signum in cælo: Et ecce draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem: & in capitibus eius diademata septem: & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram: & draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperisset, filium eius deuoraret. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea: & raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius: & mulier fugit in solitudinem, vbi habet locum paratum à Deo, vt ibi pascat eam diebus mille ducentis sexaginta. Et factum est prælium magnum in cælo: Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius: & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cælo. Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas, qui seducit vniuersum orbem: & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt. Et audiui vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicerunt eum propter Sanguinem Agni, & propter verbum testimonij sui, & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem. Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis. Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet. Et postquam vidit draco quòd proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum: & datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis, à facie serpentis. Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tamquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine. Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo. Et iratus est draco in mulierem: & abyt facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi. Et stetit supra arenam maris.* Hæc Ioannes.

Quoniam, inquam, in isto capite arbitramur præmonstratam esse à Ioanne duplicem procellam aduersitatum & prosperitatum, qua diabolus vltimis præsertim temporibus impugnaturus est Ecclesiam, placet nonnulla in eo contenta paucis explicare, & ad scopum nostrum applicare, cetera verò sacris illius capitis expositoribus relinquere. Mulier illa ad litteram, iuxta communem Doctorum sententiam, sanctam Ecclesiam, Christi sponsam, & fidelium matrem significat, præsertim eam quæ erit vltimis temporibus, quando Antichristus ad persequendum, & Dominus ad iudicandum venturi sunt. Habet in vtero quos cælo pariat filios, sed ob magnam pariendi difficultatem, cruciatur: tanta enim futura est perturbatio & calamitas quando Antichristus veniet, vt *nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro*, vt Christus prædixit Matth. 24, 22. Et quemadmodum parturiens mulier ob partus dolores valde afflligitur, & ad Deum clamat, vt ab illis liberetur; ita tunc Ecclesia ad Deum preces lacrymasque fundet, vt in illis angustijs cælo liberos parere, à calamitatibus liberari & exaudiri mereatur, vt anteà explicatum fuit. Draco autem diabolum significat, ipso Ioanne interprete, qui multos fideles, qui tamquam stellæ fulgebunt in firmamento Ecclesiæ, à iustitia & fide in iniustitiam & infidelitatẽ præcipitabit, quemadmodum superius explicauimus. Sed his non contentus, stabit callidus draco ante prægnantem mulierem, vt post partum, filium eius deuoret.

Fidelium virtus in Antichristi persecutione.

Et peperit filium masculum, &c. Fideles, fortes in fide, & in Antichristi persecutione constantes, filium masculum, non feminam appellat Ioannes (inquiunt huius loci interpretes) ob eximiam illius temporis fidelium virtutem: tanta enim erit, vt longo interuallo alios priores fideles & sanctos sit superatura, non aliter ac masculi virtute & fortitudine feminas excellunt. Et ita docent S. Hippolytus martyr Orat. de Antichristo, dicens: *O beatos, qui tunc Tyrannum illum denicerint! quippe prioribus martyribus illustriores & sublimiores declarandi sunt propterea quòd superiores martyres diaboli satellites superarint, hi verò ipsum filium perditionis expugnarint, ac victoriam reportarint. Quibus igitur encomijs & coronis non ornabuntur a Rege nostro Iesu Christo?* S. Ephræm Serm. de Antichristo: *Quis inquam erit iste, sicut antea dixi, homo, vt eum patientiamq; eius omnes mortales Angeliq; Dei felicem prædicent?* S. Augustinus de Ciuit. Dei lib. 20. cap. 8. sic de his loquitur: *In eorum sanè, qui tunc futuri sunt, Sanctorum atque fidelium comparatione quid sumus? Quandoquidem ad illos probandos tantus soluetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus.* Idem scribunt S. Cyrillus Catech. 15. S. Gregorius lib. 32. Moralium cap. 12. & alij agentes de Antichristo.

Iusti quomodo regent impios.

At quomodo de horum quolibet vere enuntiantur illa verba, *Qui recturus erit Gentes in virga ferrea?* Respondeam, supposito, quòd illa non modò Christo, sed etiam membris & terris eius conueniant, posse ad duo tempora referri: semel ad id quod sequetur illorum martyrium & mortem, quando scilicet in die iudicij & ipsi sedebunt cum Christo super sedes, iudicantes duodecim tribus Israël. *Tunc* enim *stabunt in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum*, vt in libro Sapientiæ cap. 5, 1. proditum est. Regent verò virgâ ferreâ, quia iudicio æquitatis inflexibili & rigido iudicabunt sine misericordia illos, qui nullam fecerunt in Dei Ecclesiam misericordiam. Vide quæ suprà notauimus in calce Capitis x. Possunt etiam secundò referri ad tempus quod immediatè sequetur mortem Antichristi, & ad illos qui extremas Antichristi manus euaserunt: isti enim iudices impiorũ erunt, quos iusto iudicio secundùm diuinas leges multabunt, nisi relicto Antichristo, eius videlicet doctrina, Christo adhæserint, quoniam, vt suprà vidimus, omne iudicium penes Ecclesiam & fideles erit post Antichristi mortem. Dicitur verò filius raptus ad Deum & ad thronum eius, quia ex illis fidelibus quosdam ad se Deus per tormenta & mortem suscipiet in cælum, quosdam ab illa persecutione saluos & incolumes seruabit; & sancta Ecclesiam in tota illa persecutione trium annorum & dimidij, in solitudine inter angustias conseruabitur. Pergit Ioannes explicare bellum gestum à Michaële & Angelis eius contra draconem eiusdemque assecias, & illius de isto victoriam, hoc est, victoriam, quam Christus referet pro sua Ecclesia de Antichristo, & felicissimum statum in quem eam reponet, interfectis iam Antichristo & exercitibus eius, de quo in superioribus plura. Ecce breuibus explicatum bellum dæmonis contra sanctam Ecclesiam per calamitates & varias tribulationes: pergamus nunc explicare alterum periculosius, quod contra eamdem Ecclesiam per delicias, diuitias & voluptates exercebit diabolus.

Proiectus & deiectus in Antichristo dæmon, non propterea animum deponet, sed alijs assumptis armis aliunde impetum facit, tenditque insidias: ideoque cælesti voce admoniti fuerunt mortales, ne propter gloriosam de crudeli hoste victoriam otio torpescant, sed magis inuigilent, ne ab aduersitate liberati, in prosperitatibus deficiant. Et hoc mihi significare videntur illæ voces: *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam*, &c. Exiguitas temporis concessi diabolo ad oppugnandum Ecclesiam post Antichristi persecutionem, augebit illi iram, furorem & indignationem, ideoque omnibus quibus poterit dolis & insidijs tentabit eam prosternere. Et hoc singulariter a sacro Vate notatur, quòd draco ex ore suo aquam euomuerit, qua absorberet mulierem: *Et misit serpens ex ore suo*, &c. Sed quid hoc loco aqua significat? Dico significari denuò bellum motum esse a diabolo contra Ecclesiam; incertum verò esse an significet bellum inferendum esse per aduersitates, an potius per prosperitates, quoniam vtrumque per aquas in sacris Litteris repræsentatur. Tribulationes, vt Psalm. 123, 3. *Cum irascceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuissèt nos. Torrentem pertransiit anima nostra, forsitan pertransissèt anima nostra aquam intolerabilem.* & Psalm. 109, 7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Prosperitates, vt Osee 2, 5. *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas.* & Ierem. 2, 13. queritur Deus de Iudæis, quòd ipsum dereliquerint propter fluxas huius mundi delicias, aquarum symbolo significatas, dicens: *Foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Et alibi pro vtraque acce-

acceptione inueniuntur ſententiæ. Plures arbitrantur, hîc aquæ appellatione ſignificatam eſſe ſæuam diramq; Antichriſti perſecutionem per draconem diabolum excitatam, illi præſertim, qui ea viſione putant dumtaxat ſignificatam fuiſſe Eccleſiæ perſecutionem ante mortem Antichriſti; à quo modicum tantùm tempus, quadraginta quinque nimirum dierum, vſque ad iudicium ſtatuunt.

Vt aquam Ioannes voluptates nuncupauit.

Verumenimuerò nos aliorum ſecuti ſententiam, maius tempus à morte Antichriſti vſque ad iudicium interceſſurum, & proximis iudicio temporibus homines ſe vanitatibus huius ſæculi, vt anteà diximus, tradituros opinati, aquæ nomine hoc loco dicimus ſignificatas eſſe delicias & voluptates, quibus dementare & ſeducere tentabit diabolus ſanctam Eccleſiam, tum quia anteà de aduerſitatibus locutus fuit, tum quia hoc pacto magis Eccleſiæ virtus, & diuina protectio in fideles eluceſcet: quemadmodum hac ratione Deus permiſit Ioſeph Patriarcham priùs tribulationibus ſicut igne probari, & poſteà aquis honorum extolli, vt obſeruauit S. Ambroſius loco citato, vt magis illius inclareſceret virtus. Atque idem ſtatuimus de alijs, & præſertim de fidelibus poſteriorum temporum, quorum ſinguli dicere poterunt: ***Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium***, Pſalmo 55, 12.

Duæ difficultates.

Sed dicet quiſpiam: Quomodo verum eſt, diuitias ſubmiſſas eſſe à dæmone vt aquas à ſerpente, cùm illas dederit Dominus? & quomodo illis trahi dicuntur homines, cùm ad eas naturaliter proni ſint? Ad primum dici poſſet, omnia quidem bona Eccleſiaſtica à Deo fuiſſe conceſſa, dici verò miſſa eſſe à dracone, vel quia ex latebris & cauernis terræ & maris in apertum producet tempore Antichriſti, quibus, eo interfecto, poſteà ditabitur Eccleſia: vel quia ea hominibus obijcit vt eos ſeducat, prout etiam in hunc finem Chriſto Domino oſtendit & promiſit omnia Regna mundi. Ac propterea dixit alibi idem S. Apoſtolus: ***Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ***, 1. Ioan. 2, 16. Terrenis enim obiectis hominum ad ſe allicit, & à iuſtitia deijcit. Et hinc ad ſecundum reſpondetur, quempiam trahi poſſe non ſolùm vi, ſed etiam voluntate & voluptate, vt eleganter explicat diuus Auguſtinus Tract. 26. in Ioannem, vbi inter alia ſic inquit: ***Ramum viridem oſtendis oui, & trahis illam: nuces puero demonſtrantur, & trahitur: & quod currit, trahitur: amando trahitur, ſine læſione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur, ſecundùm illud Poëtæ,***

Solutio.

— ***Trahit ſua quemque voluptas.*** Virgilius.

Ità dicendum in propoſito, obiectis diuitijs, delicijs & voluptatibus ſæculi, velut rapido flumine contendet draco trahere ad ſe & abſorbere ſanctam Eccleſiam; ſed non præualebit, Deo Eccleſiam adiuuante, & delicias vel ſubtrahente, &, vt fideles animum ab ijs abducât efficiente. quod mihi videntur indicare illa verba, ***Et aperuit terra os ſuum***, &c. Quia verò diabolus inanem ſe operam collocare, & vana ſe totius Eccleſiæ ſeducendæ ſpe duci deprehendet (quoniam portæ inferi nõ præualebunt aduerſus eam, & ſemper cum ea Chriſtus erit vſque ad conſummationem ſæculi, vt eam à tribulatione liberet, atque glorioſam reddat) adorietur ſaltem aliquos de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei: quæ profectò tentatio (vt hoc Caput & argumentum, ad quod nos traxit opportuna occaſio, concludamus) erit maxima. Quamuis enim ſemper ſtabilis perſeueratura ſit Eccleſia cum aliquibus electis, multi tamen corruent, & à flumine voluptatum trahi ſe permittent, haud ſecùs atq; factum fuit ante diluuium, & quando tempore Lot ſuper Sodomam & finitimas ciuitates Dominus pluit ignem & ſulphur, & conſumpſit eas. Sic quoque tum multiplicatis & completis mundi ſceleribus, Dominus de cælo veniet cum Angelis & Sanctis ſuis in poteſtate magna & maieſtate ſublimi, poſitoque tribunali in ſancta ciuitate in ſacratiſſimo Oliuarum vel Caluariæ monte, orbem terrarum iudicabit in iuſtitia, & populos in æquitate, reprobis pœnam, & electis æternam elargiens gloriam, ad quam nos perducat IESVS MARIÆ Filius; cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

HISTORICÆ THEOLOGICÆ AC MORALIS ELVCIDATIONIS TERRÆ SANCTÆ LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTVM.



DDVCTIS *Summorum Pontificum litteris, exhortationibus ac Bullis, in gratiam Terræ ſanctæ editis, ex ipſis aliiſque excerpuntur gratiæ, indulgentiæ, diſpenſationes & priuilegia, quibus loca ſancta cum Præſule, & in ijs atque in alijs etiam infidelium partibus habitantes Fratres, ad eadem item loca peregrinantes, eiſdémve beneficium quomodolibet exhibentes, condecorantur: agitur de ſacris Equeſtribus Terræ ſanctæ Ordinibus, & ſingulariter de præcellentiſſimo illo ſanctiſſimi Domini noſtri* IESV CHRISTI *Sepulchro, ac de bello à fidelibus contra infideles pro Terræ ſanctæ recuperatione capeſſendo.*

PIO ET STVDIOSO LECTORI.

In Bulla c. Calixti III.

VNT *quidem Summi Pontifices ex debito ſollicitudinis paſtoralis fauorabiles & benigni quibuſlibet Religioſis* (vt Maximi Pontificis Calliſti III. verbis vtar) *verùm illos de Ordine Fratrum Minorum, qui feruentiori ardore ſuccenſi, non timentes, ſed amantes barbaras nationes, pergunt ad illorum conuerſionem intrepidi, affectuoſiori ſtudio confouere tenentur; vt in eorum bonis operibus, per quæ fides Catholica pullulat, poſſint ad aream Domini multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis bonam Domino reddere rationem. Cupientes ergo vt eos qui inter infideles ſedulo conuerſantur ad ſubeunda pericula conuerſationis huiuſmodi, & promptiores & animoſiores ſint, quò maioribus gratijs per Sedem Apoſtolicam fuerint communiti*, plures gratias, priuilegia & ſpirituales theſauros illis conceſſerunt, & in primis, vt ſanctiſſima illa loca, in quibus Chriſtus Dominus totius mundi ſalutem operatus eſt, ab infidelibus tyrannicè occupata, prò dignitate & cum ſalutari prouentu cuſtodire poſſent. Eiuſmodi quoque ſpiritualibus bonis cumulatunt illos, qui, ad illorum imitationem, facultatibus vitæque periculis contemptis, ad infideles, & ad obſequium Sepulchro Domini & alijs ſanctis locis exhibendum, proficiſcuntur. Vt igitur Fratres Minores alijque fideles, eoſdem, vel etiam promptiores affectus oſtendant, fructuſq; vberiores porrò proferant, quàm hactenus vel oſtenderunt vel protulerunt, omnibus palàm faciam ampliſſimos ſpiritualium gratiarum & priuilegiorum theſauros, quos Summi Pontifices Terræ ſanctæ, & huius gratiâ illis conceſſerunt, qui hactenus (quod ſciam) non niſi paucis noti fuerunt. *Sapientia* verò *incognita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas vtriuſque?* Illis verò propoſitis, ſubijciam nonnullam declarationem, vt ſecuriùs & fructuoſiùs omnes illis vti poſſint. Eccli. 20.

Priuilegia & gratias quas proponam, partim ex Pontificijs Bullis & viuæ vocis Oraculis, partim ex veteri traditione, partim à viris fide dignis accepi: & ego ipſe omnia vidi, legi, obſeruaui, &, dum ſanctis locis immeritus præeſſem, exſcripſi & adnotaui.

In

In declarationibus hanc seruabo methodum: post breuiter allatas gratias & priuilegia, subnectam fragmenta Bullarum, vel alia testimonia in quibus illa continentur. Hîc tàmen aduerto, Innocentium IV. Clementem V. & Ioannem XXII. Summos Pontifices, plura concessisse priuilegia, & Bullas edidisse, quæ plerumque in sensu & verbis conueniunt: has ergo omnes minimè adducam quando illorum proponenda erunt priuilegia, sed succincte tantùm dicam: Tres Summi Pontifices hoc vel illud concesserunt; quod & prius Collector Priuilegiorum Terræ sanctæ obseruauerat. Postea subiungam Notabilia, Conclusiones & Dubia cum Solutionibus, prout argumentum requirere videbitur: in Priuilegijs enim, quibus rarò vti contingit, breuior ero; in ijs verò quorum frequentior est vsus, ero paulò prolixior. Et in hoc vtar labore & opera illorum, qui de huiuscemodi scripserunt argumento, & in primis studio eximij & eruditi P. F. Christophori de Varisio, Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ, qui cùm ante centum annos Ierosolymis in Conuentu sacri Montis Sion habitaret, ex mandato Guardiani loci illius temporis, ad Fratrum vtilitatem, peruigili diligentia perlectis Bullis quas habere potuit, & vsque ad sua tempora concesserunt Summi Pontifices, in libello tredecim Capitibus distincto, Bullas Pontificum exscripsit, & inde excerpsit gratias & priuilegia locis sanctis, Religiosis, & alijs fidelibus concessa. Ego alia insistam via, pluraque ab ipso adducta, hodie non admodum necessaria, prætermittam; plura alia vtilia adijciam, quæ beneficio Summorum Pontificum, qui post ipsum sanctæ Ecclesiæ præfuerunt, locis sanctis indulta fuerunt; nec reticebo quæ pro scopo & intentione nostra proprio studio & labore erui.

Huius mẽtio fit in Chron. Min. P. 3. lib. 4. c. 18.

Bullas Pontificum integras dare non decreueram, tum quia, si priuilegia excerperem, illorumque fragmenta & substantiam darem, muneri meo satisfeciſſe me arbitrabar; tum quia illas dat & dabit cum alijs R. P. Lucas VVadingus in suis Minor. Annalibus; tum denique, vt breuitati studerem: verùm clarissimus & eruditissimus Balthasar Moretus integras dari satius iudicauit, quòd illa quæ Terram sanctam spectant, in accuratiore eiusdem Terræ explanatione desiderari non deberent, & quòd hoc pacto curiositati ac communi doctiorum desiderio fieret satis (quandoquidem omnes malunt maiorum gratias petere ex ipsismet originalibus constitutionibus & scripturis, aut si hoc fieri nequeat, ex illarum exemplaribus fideliter transsumptis;) atque alioqui in solemni Opere viginti vel paulò plura folia parum facerent ad illius prolixitatem aut molem. Huius ergo viri rationabile atque vtile consilium secutus, eo integras do Bullas quascumque reperire potui, vnà cum litteris & exhortationibus quas pro Terræ sanctæ recuperatione Summi ediderunt Pontifices. Disponam illas secundùm tempora quibus editæ fuerunt, & singulis breue aliquod argumentum præfigam. Fateor, præter adductas à me, etiam alias edidisse Summos Pontifices de sanctis locis optimè meritos, quarum aliquæ in persecutionibus & mutationibus Fratrum interire potuerunt. Sanè impressas nonnullas vidi, alias in manuscripto Codice, Venetijs mihi exhibito, inueni, quas Ierosolymis non vidi: quorumdam item fragmentorum, quæ ex Collectore supradicto subinde adduco, integras Bullas videre non contigit: quædam etiam Ierosolymis supersunt quæ vix alibi inueniuntur, & aliæ denique diligentiam meam effugerunt. Iis tamen quas reperire atque hîc ponere licuit, tu tuo bono fruere, candidissime Lector.

Librum hunc secundum in octo partes distinguere placuit. In prima, præmissis Apostolicis constitutionibus, adducam quædam Notabilia & Dubia cum eorumdẽ solutionibus, pro clariori priuilegiorum intellectu.

In secunda agam de gratijs & indulgentijs proprijs locorum sanctorum.

In tertia, de Ecclesiastica dignitate Ecclesiæ Ierosolymitanæ, & priuilegijs proprijs Guardiani sacri Montis Sion.

In quarta, de spiritualibus gratijs Præsuli & Fratribus Terræ sanctæ communibus.

In quinta, de temporalibus gratijs Terræ sanctæ.

In sexta, de priuilegijs quibus rigor Minoritanæ Regulæ mitigatur pro Fratribus Terræ sanctæ.

In septima, de gratijs sæcularium personarum, de sacris Ordinibus Equestribus Terræ sanctæ, & varia priuilegiorum confirmatione.

In octaua, de bello à Principibus Christianis contra infideles pro Terræ sanctæ recuperatione instituendo.

Catalogus ROMANORVM PONTIFICVM, *quorum litteræ, exhortationes & constitutiones, in gratiam Terræ sanctæ editæ, in isto Opere continentur, iuxta temporum seriem, vnà cum earumdem numero dispositus.*

1. Siluester II. Gallus habet Const. 1.
2. Vrbanus II. Gallus Const. 3.

3. Paſchalis II. Tuſcus	Conſt.	5.
4. Eugenius III. Italus	Conſt.	1.
5. Gregorius VIII. Italus	Conſt.	3.
6. Clemens III. Romanus	Conſt.	1.
7. Innocentius III. Italus	Conſt.	12.
8. Gregorius IX. Italus	Conſt.	7.
9. Innocentius IV. Italus	Conſt.	2.
10. Alexander IV. Italus	Conſt.	1.
11. Clemens IV. Gallus	Conſt.	5.
12. S. R. E. Cardinales ſede vacante	Conſt.	1.
13. Gregorius X. Italus	Conſt.	2.
14. Martinus II. dictus IV. Gallus	Conſt.	1.
15. Nicolaus IV. Italus	Conſt.	1.
16. Clemens V. Gallus	Conſt.	2.
17. Ioannes XXII. Gallus	Conſt.	1.
18. Innocentius VI. Gallus	Conſt.	2.
19. Vrbanus V. Gallus	Conſt.	1.
20. Gregorius XI. Gallus	Conſt.	3.
21. Vrbanus VI. Italus	Conſt.	1.
22. Ioannes XXIII. dictus XXIV. Italus	Conſt.	1.
23. Martinus V. Romanus	Conſt.	12.
24. Eugenius IV. Italus	Conſt.	2.
25. Nicolaus V. Italus	Conſt.	2.
26. Calliſtus III. Hiſpanus	Conſt.	4.
27. Alexander VI. Hiſpanus	Conſt.	1.
28. Clemens VII. Italus	Conſt.	1.
29. Pius IV. Italus	Conſt.	1.
30. Gregorius XIII. Italus	Conſt.	1.
31. Sixtus V. Italus	Conſt.	2.
32. Paulus V. Romanus	Conſt.	1.
33. Gregorius XIV. Italus	Conſt.	1.

Bullæ, Exhortationes, & Epiſtolæ Summorum Pontificum in gratiam Terræ ſanctæ.

I.

SILVESTER Papa II. Gerebertus anteà vocatus, Aquitanus Gallus, Monachus Floriacenſis Cœnobij in Gallijs, Abbas Bobienſis, & Archiepiſcopus primùm Rhemenſis, poſteà Rauennas, inde Pontifex pronuntiatus anno Domini 998. vixitq; in Pontificatu annos tres, &, vt alijs placet, aliquantò ampliùs. Poſtquam ergo ſancta Ieroſolymorum ciuitas & tota Terra promiſſionis infidelium tyrannidi ac poteſtati nõ ſine maximo diuinæ Maieſtatis & Chriſtiani nominis dedecore ceſſiſſet, inter alios Summos Eccleſiæ Catholicæ Pontifices (qui, vt ſuo Paſtorali ſatisfacerent muneri, Deiq́ue hereditatem libertati & Chriſtiano cultui reſtituerent, & quibuſcumque modis poſſent eamdem gratijs ac priuilegijs exornarent, ad Chriſtianos Principes alioſq́ue fideles varias ſcripſerunt Epiſtolas, & congregatis Concilijs ad eoſdem ſermones habuerunt, peculiares preces conſtituerunt, atque varia Diplomata ediderunt) qui primus claſſicum inſonuerit militiæ ſacræ commodiori aliquando tempore promouendæ, fuit hic Silueſter II. vt annotauit Cardinalis Baronius Tomo 11. Annalium ſub anno Chriſti 1003. huius Pontificis quinto: cuius breuem quidem, ſed ſententijs grauem ad Ieſu Chriſti Eccleſias Epiſtolam, nomine afflictæ Ieroſolymæ pro ſua redemptione ab eo ſcriptam, hîc ex eodem Baronio ſubijcio.

I.

Ea quæ eſt Ieroſolymis, vniuerſali Eccleſiæ, ſceptris Regnorum imperanti.

CVm benè vigeas, immaculata ſponſa Domini, cuius membrum me eſſe fateor, ſpes mihi maxima, per te caput attollendi iam pænè attritum. An quidquam diffiderem de te, rerum Domina, ſi me recognoſcis tuam? Quiſquámne tuorum famoſam cladem illatam mihi putare debebit ad ſe minimè pertinere, vtq; rerum infimam abhorrere? En quamuis nunc deiecta, tamen habet me orbis terrarum optimam ſui partem: penes me Prophetarum oracula, Patriarcharum inſignia. Hinc clara lumina mundi Apoſtoli prodierunt. Hîc Chriſti fidem reperit orbis terrarum: apud me Redemptorem ſuum inuenit. Etenim quamuis vbique ſit diuinitate; tamen hîc humanitate natus, paſſus, ſepultus, hinc ad cælos elatus. Sed cùm Propheta dixerit: Erit Sepulchrum eius glorioſum, Paganis loca ſancta ſubuertentibus, tentat diabolus reddere inglorium. Enitere ergo miles Chriſti, eſto ſigniſer & compugnator, & quod armis nequis, conſilio & opum auxilio ſubueni. Quid eſt quod das? aut cui das, nempe ex multo modicum, & ei qui omne quod habes gratis dedit, nec tamen ingratus recepit; & hic enim multiplicat, & in futuro remunerat: per me benedicit tibi, vt largiendo creſcas; & peccata relaxat, vt ſecum regnando viuas.

Silueſtro II. longa annorum ſerie, hoc eſt, nonaginta duobus annis (tot enim interfluxerunt à milleſimo tertio vſque ad milleſimum nonageſimum quintum) alij ſucceſſerunt Summi Pontifices, qui eodem ſpiritu & feruore ducti, idem opus ſubinde aggreſſi ſunt, & inter eos maximè Gregorius VII. verùm ad exitum perducere nequiuit, ſchiſmaticorum interpellationibus & varijs bellis impeditus. Quare tandem Vrbanus II. noua exorta occaſione ſe operi illi accinxit; quando videlicet in Concilio Placentino lectæ fuerunt litteræ Alexij Imperatoris, quibus vrgebat, vt ex fidelibus Chriſtianis cogeretur exercitus in auxilium periclitantis Eccleſiæ, potiſſimùm verò Ieroſolymorum, à cuius Patriarcha Simeone, dete-

deferente Petro Eremita, natione Gallo, patriâ Ambianenſi, litteras commiſeratione dignas acceperat, quibus Chriſti incunabula, cuiuſque Sepulchrum, atque reliqua loca ſancta, eiuſdem Redemptoris noſtri memoria conſecrata, ab infidelibus Turcis profanata, omnique genere contumeliarum affecta deplorabat.

II.

VRBANVS igitur II. (natione Gallus, ex oppido Caſtellionis in diœceſi Rhemenſi natus, Otho antea dictus, Miloms filius, Canonicus primùm Regularis Lateranenſis, Monachus poſtea Cluniacenſis Ordinis S. Benedicti, & S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Oſtienſis, die 12. Martij, anno 1088. Summus Pontifex in ciuitate Terracinæ, Prouinciæ Campaniæ renuntiatus) anno Domini 1095. & ſui Pontificatus octauo, tum alijs de cauſis, tum præſertim, vt tot ſubueniret malis, Claramonte in Gallia Concilium collegit, vbi non ſemel peroratuit pro expeditione in Terram ſanctam inſtituenda, vt de infidelium manibus liberaretur, cuius ſermones ſiue conciones numero tres, prout reperire potuimus, hic tibi, Lector, ſubijcimus.

I.

Primus eius Sermo ſynodalis in præfato Concilio Claramontenſi habitus pro expeditione in Terram ſanctam, habetur apud Guilielmum Tyrium Archiepiſcopum de Bello ſacro lib. 1. cap. 11. & 12. in hunc modum:

Specialis Sermo Vrbani Papæ.

NOſtis, fratres dilectiſſimi (& veſtram neſſe id expedit charitatem) quomodo humani generis Reparator pro noſtra omnium ſalute carnem aſſumens, & homo inter homines conuerſatus, Terram promiſſionis, quam pridem Patribus promiſerat, propria illuſtrauit præſentia, & aſſumptæ diſpenſationis operibus, & crebra ſimul miraculorum exhibitione reddidit ſpecialiter inſignem. Id enim & veteris & noui in omnibus ſyllabis docet ſeries Teſtamenti. Quadam ſane dilectionis prærogatiua certum eſt eam dilexiſſe, ita vt eam orbis partem, imò particulam, hereditatem ſuam dignatus eſt appellare, cùm eius ſit omnis terra & plenitudo eius. vnde per Iſaiam ait: Hereditas mea Iſrael. & item: Vinea Domini ſabaoth domus Iſrael eſt. Et licet totam in partem præcipuam ſibi dedicauerit ab initio, peculiaritius tamen vrbem ſanctam ſibi adoptauit in propriam, teſtante Propheta, qui ait: Diligit Dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob. De qua gloriatur Dominus... videlicet quod in ea docens, paſſus & reſurgens Saluator, ſalutem operatus eſt in medio terræ. Ad hoc à ſeculo eſt præelecta, vt tantorum eſſet conſcia & cella familiaris miniſteriorum. Electa nimirum, quod ipſe qui elegit, teſtatur dicens: Et de Ieruſalem ciuitate, quam elegi, veniet vobis Saluator. Quam etſi peccatis inhabitantium id exigentibus iuſto iudicio ſuo in manus impiorum ſæpiùs tradi permiſerit Dominus, & duræ iugum ſeruitutis ad tempus eam ſuſtinere paſſus ſit: non tamen arbitrandum eſt, quòd eam quaſi à ſe repudiatam abiecerit, cum ſcriptum ſit: Flagellat Dominus omnem filium quem recipit: illi verò theſaurizat iram, cui dicitur: Receſſit zelus meus à te, iam amplius non irascar tibi. Diligit ergo eam, nec intepuit erga eam dilectionis feruor, cui dicit: Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui, & non vocaberis amplius Deſolata, ſed vocaberis Voluntas mea, quia complacuit Dominus in te.

Deplorat calamitates Terræ ſanctæ.

Hæc igitur ſalutis noſtræ cunabula, Domini patriam, religionis Matrem, populus abſque Deo, ancillæ filius Aegyptiæ poſſidet violenter, & captiuatis liberæ filijs, extremas imponit conditiones, quibus verſa vice merito ſeruire tenebatur. Sed quid ſcriptum eſt? Eyce ancillam & filium eius. Saracenorum enim gens impia, & mundanarum ſectatrix traditionum, loca ſancta, in quibus ſteterunt pedes Domini, iam à multis retrò temporibus violenta premit tyrannide, ſubactis fidelibus, & in ſeruitutem damnatis: ingreſſi ſunt canes in ſancta, profanatum eſt Sanctuarium, humiliatus eſt cultor Dei populus, angarias patitur indignas genus electum, ſeruit in luto & in latere regale ſacerdotium: princeps Prouinciarum facta eſt ſub tributo ciuitas Dei. Cuius non liqueſcat anima, cuius non tabeſcant præcordia, vs ad animum recurrentibus? Quis hæc ſiccis oculis audire poteſt, Fratres chariſſimi? Templum Domini, de quo zelans Dominus vendentes eiecit & ementes, ne domus Patris eius fieret ſpelunca latronum, facta eſt ſedes dæmoniorum. Id ipſum enim & Mathathiam Sacerdotem magnum, ſanctorum progenitorem Machabæorum, ad zelum accendit commendabilem, ſicut ipſe teſtatur, dicens: Templum Domini quaſi vir ignobilis, vaſa gloriæ eius abducta ſunt captiua. Ciuitas Regis Regum omnium, quæ alijs regulas intemeratæ tradidit fidei, gentium ſuperſtitionibus cogitur inuita deſeruire. Sanctæ Reſurrectionis Eccleſia, requies dormientis Domini, eorum ſuſtinet imperia, fœdatur ſpurcitijs eorum, qui Reſurrectionis non habebant participium, ſed ſtipula ignis æterni perennibus deputabuntur incendijs. Loca venerabilia diuinis deputata myſterijs, quæ Dominum in carne ſuſceperunt hoſpitem, ſigna viderunt, ſenſerunt beneficia, quorum omnium in ſe plena fide prætenduni argumenta, facta ſunt gregum præſepia, ſtabula

Hortatur fideles ad peregrinationem ducis in populi.

bula tantorum. Laudabile profecto, ac laudandum Ducis istius exercitum, vbi ea ceruix & fortitudo tantorum virorum pariter fuisset, reputare eosdem fly maiora Ecclesia istius propugnacula tantopere oppugnare, & tantos terrarum dominos, vel ad desistendum fortitudine tantæ obsidionis, vel ad deditionem tantæ ciuitatis adigere, & finalis Monarchiæ fastigia. Nunc sic fortia & fortissima Ecclesiæ, vel vi pulsauerint, vel fame subiecerint, & ad deditionem compulerint, ea quæ vix per tantos fortissimos proceres, vix maximo apparatu vincere potuerunt.

Et audio, qui ad hæc tam periculosa tempora ad defendendum nomen Christianum, præsidium nullum à Domino Deo suo præparauerit, dicunt: Deus verum vnum in Trinitate vnus, solusque omnipotens, & omnium rerum creator, & gubernator est, qui quod Domino iuuante in hoc, secundum nostrum modum, fieri non potest, ipse per angelum Domini? Præterea & quid dicimus de obsidione Ierosolymitana? Quis dubitauit, quin ea ciuitas sanctissima, & in ea templum Domini, quod scilicet vnus Israel & vnus apparebat in eis, non à Deo fuerit? Quis tamen dubitet terrenissimum populi mittæ & Gentilis exercitus fastu, & labore diu, cum Deum in monte inuocarent fuisse? Quis tandem dubitet, quin ad Dei Ecclesiæ exaltationem vniuersæ ciuitatis pene fit destructio? Quis dubitet, quin ad Dei gloriam, & ad populi sui salutem & exaltationem, Deus ipse ciuitatem illam, quam ciues sui à Deo suo recesserant, & ad idola conuerterant, destruxerit

Apoſtolatus noſtri offendit officium quæ præſcinderes, nullæ quibus parceret. Sed fuerit hactenus humanæ fragilitatis quòd peccaſtis, quòd illecebrarum inuolueris ſopiti, cæleſtem exaſperaſtis miſericordiam, ſuſpenſam parui pendendo iracundiam. Fuerit mundanæ temulentiæ, quòd legitima non curantes matrimonia, alieni cubilis non penſaſtis iniuriam. Fuerit auiditatis nimiæ, quòd fratres veſtros, illo magno & eodem pretio emptos, vt quiſque poterat, illaqueantes contumelioſè pecunijs emunxiſtis. Nunc vobis inter iſta peccatorum naufragia conſtitutis, portus placidæ quietis aperitur, niſi negligatis. Parui laboris in Turcos compendio retribuetur vobis portus, ſtatio ſalutis. Comparate nunc labores, quos in ſcelerum exercitio habuiſtis, & eos quos in itinere, quod præcipuè habituri eſtis. Plures vel adultery vel homicidy meditatio dat timores (nihil enim timidius nequitiâ, vt ait Salomon) multos labores: quid enim laborioſius nouiſti. tu? Qui autem ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter. Horum laborum, horum timorum exitus erat peccatum; ſtipendium autem peccati mors, mors verò peccatorum. Nunc à vobis par labor atque metus pretio meliore petuntur. Horum laborum erit cauſa charitas, ſi in præcepto Dominico admoniti, animas pro fratribus ponitis: charitatis ſtipendium erit gratia Dei, Dei gratiam ſequetur vita æterna. Ite ergo feliciter, ite confidenter ad inimicos Dei perſequendos: illi enim iam pridem (proh! quantus Chriſtianorum pudor?) Syriam, Armeniam, omnem poſtremo Aſiam minorem (cuius prouincia ſunt Bithynia, Phrygia, Galatia, Lydia, Caria, Pamphilia, Iſauria, Lycia, Cilicia) occupauerunt, nunc Illyricum, & omnes inferiores terras inſolenter inequitant vſque ad mare quod Brachium ſancti Georgy vocatur. Quidquid Dominicum habet monumentum, vnicum fidei pignus, ditioni ſuæ vendicant, & eius vrbis introitum peregrinis veſtris venditant, quæ ſolis Chriſtianis patere deberet, ſi aliquod ſolidæ virtutis veſtigium eis ineſſet. Hoc ſi ſolum eſſet, frontes veſtras onerare ſufficeret. Iam verò quis ferat, niſi multum ineris, niſi Chriſtianæ gloriæ inuidus, quòd non ex æquo diuiſimus orbem? Illi Aſiam, tertiam mundi partem, vt hereditarium nidum inhabitant, quæ à maioribus noſtris aqua duabus reſiduis partibus, & tractuum longitudine, & prouinciarum magnitudine non immeritò æſtimata eſt. Ibi olim deuotionis noſtræ rami pullularunt: ibi Apoſtoli omnes, præter duos, mortes ſuas conſecrarunt. Ibi modo Chriſticolæ, ſi qui ſuperſunt, pauperculo agricolatu tranſigentes inediam, nefandis illis veſtigal penſitant, vel tacitùs ſuſpirys veſtræ libertatis deſiderantes. conſcientiam, quoniam perdidere ſuam. Illi Africam alteram orbis partem ducentis iam annis & amplius armis poſſeſſionem tenent, quæ ideò Chriſtiani honoris periculum pronuntio, cum fuerit terra illa olim præclarorum ingeniorum altrix, quæ diuinis ſcriptis omnem vetuſtatis ſitum à ſe repellent, quamdiu fuerit qui Latinas Prouincias legat. Norunt litterati, quòd humi tertium mundi climæ Europa repat, cuius quantulam partem inhabitamus Chriſtiani? nam omnem barbariem, quæ in remotis inſulis glacialem frequentant Oceanum, quæ more belluino viuitant, Chriſtianam quis dixerit? Hanc igitur noſtram mundi portiunculam Turcæ & Saraceni bello premunt: iamq; à trecentis annis Hiſpaniâ & Balearum inſulis ſubiugatis, quod reliquum eſt ſpe deuorant, homines inertiſſimi, & qui, quò minus pugnandi fiduciam non habent, fugax bellum diligunt. Numquam enim Turcus pede conſerto mortem adit, ſed pulſus loco longè tendit neruos, & permittit vulnera ventis, & quæcumque tela, mortifero ſuccebria, hominem percutiunt, non virtus ſed virtus mortem facit. Quidquid igitur agit, fortuna, non fortitudini attribuerim, quòd pugnat fuga & veneno. Conſtat profectò, quòd omnis natio quæ in ea plaga naſcitur, nimio ſolis ardore ſiccata, amplius quidem ſapit, ſed nil minus habet quàm ſanguinis, ideoq; vicinam pugnam fugiunt, quoniam parum ſanguinis ſe habere norunt. Contrà populus, qui oritur in aſperis pruinis, & remotus eſt à ſolis ardoribus, inconſultùm quidem, ſed largo & luxurienti ſuperbus ſanguine promptiſſimè pugnat. Vos eſtis gens in temperatioribus mundi prouincys oriunda, qui & eſtis prodigi ſanguinis ad mortis vulnerumq; contemptum, & non caretis prudentia: namque & modeſtiam ſeruatis in caſtris, & in dimicatione vtimini conſilijs. Itaque ſanctæ quaſi fortitudine & ſcientia præditi, aggredimini memoriale iter, totis ſeculis prædicandi, ſi fratres veſtros periculo erueritis. Præſentibus ex Dei nomine præcipio, abſentibus mando. Ituri, & Chriſtianitatem propugnaturi, ſpecimen Crucis veſtibus inſigniant, vt inteſtina fidei teſſeras amorem prætendant, habentes per Dei conceſſum, & beati Petri priuilegium, omnium abſolutionem criminum: & hac interim lætitia laborem itineris alleuiant, habituri poſt obitum felicis martyrij commercium, ponentes, feriasq; ſceleribus, vt ſaltem in his regionibus liceat Chriſtianis pacificè viuere. Vadite, illam fortitudinem, prudentiam illam, quam in ciuili conflictu habere conſueſtis, iuſtiori effundentes prælio. Ite prædicabiles per orbem milites. Ite, & proſternite ignauas gentes. Erat famoſa Francorum virtus cum appendicijs ſibi gentibus, ſolo ſui nominis terrore totum orbem mouens. Sed quid diutiùs vos immoror?

*mouet ut fortitudinem Gentilium scribit existimem, sine præsagio animæ celeris desiderium fortitudinis, desyderio ad vim quæ sit ad victum. Ita ergo, vt ſe ſenex inuentum ſentiat, plus mentium, plus ſenſus retinet, ſed hæc cadunt non ſunt dicta ad patrem. Per multas similitudines laudatum spectat vsus ingenij in verum Deū. Spectat igitur animus, præſertim verus, præſertim ſenex, quæ mentium denique tenuerit inſtigatione. Quæ mirā pro ſua virtute vehens horrenda ſuſpicit, vel mortis fauces, dum corporum ſua ſit animarum remedium. Mortuum ſimilis vitæ ſortitum ſentiendum ſi modicum ſit ſenſus? vbi certa ſpectat tamen vita in vtrumque accipias, qui ſuperet propter præſtantia. Non enim ſum tendens, poſſunt hunc ſenſū ad ſuum ſpectare. Quæ ſuſpicit mortem in vobis. Ne mireris, quid vitare homines hic existimat, nam ſolicitat? Hæc vobis dulcissa, ſi recolligant, cum ſibi ſuperſtitiosa affuſa ſit Incredulitas vobis, hanc maximeque ſit Mortem ſuperandæ cauſæ. Mortem enim à conuiuijs vitare libenter animat, ſi prorſum in vtrumque modum recipiatur. Ne mireris hoc ſenſum? Non præſtat ita mallem? Ita? Tot annorum ergo libere animo, tot obſtitisse cauſæ, ſi ſolicitas præſumeris, vel timuiſſe ſuppoſui, nihil vnus timuerit. Post autem vitalis ſuperſtitionis tranſeat ab ipſi tenebras contagia & quod vno ore quo dixi, Pater? Ne vitio ſit? Ita non latuerunt cauſæ, me diuinum mortali cohæret. Plurimum ſuperſtitiosa ſenſus etiam non corpus anxia, inſtrumentum enim ſunt vt. Aliud, Lucrere ad mentes, & ſi ſuperſtitiosa mentem gelu prudentia, corporum cum ſenſus, quos terram tradere, ad vitæ propriam ſenſus corpus, & ſenſus ſuperſtitiosa. Ad hoc ſenſus ad ſuperſtitiosa, cumulandum ex me ſenſus, ſenſus ſuperſtitiosa, ſenſus ſuperſtitiosa. Cumque ego ſenſu affuit, corpus vt ſuperſtitiosa, ad vitæ, ſenſus ſuperſtitiosa, ſuperſtitiosa, cum tenuit. Videtur, quam tenuit animus in ſenſus ſuperſtitiosa corpus vigilat, & ſuperſtitiosa ſenſus per dictum circulatur multa ſuperſtitiosa. Cur ergo mortem timeat? non ſuperſtitiosa, cui tanta mortis ſit, ſuperſtitiosa. Vitæ mihi mentium dominus, per vitæ. Ita vitæ, ſenſus ſimulare ſibi perpetuum Deus ſuperſtitiosa, ſuperſtitiosa? Si ita conſtituit, patris per ſuperſtitiosa animus vultus. Patris ab corpus ſuperſtitiosa, ſuperſtitiosa laborare, ſuperſtitiosa. Vide non ſuperſtitiosa patris conſtituit, qua prima ſuperſtitiosa ſuperſtitiosa. Nullum natale ſub ſuperſtitiosa, vtrum, quia ſuperſtitiosa ſuperſtitiosa ſuperſtitiosa

dum Christianum & Ecclesiam. Dein-
de ad eius profectionem & Apostolicæ
functionis exercitium, & quæ inde se-
cuta sunt, progreditur. Et quia Ecclesia
Christi, quæ Apostolorum ministerio
primum fundabatur, quamvis ipsa con-
stet ex omnibus gentibus, tamen ex
Iudæis primitias habuit, & in Hierosoly-
mitana primum ecclesia, quæ mater
omnium ecclesiarum existit, & in qua
Apostoli primum habitarunt, & quæ
ab ipsis primum fundata & ædificata
est, ideo de ea primum & de Apostolis
ibi habitantibus, & de his, quæ ibi ab
eis facta sunt, primum agit. Deinde
de Iudæis, qui Christum & Apostolos
eius persecuti sunt, & de variis eorum
casibus, & de ultima eorum excidii
clade, quam Dominus prædixerat, ver-
bis ipsius Christi, quæ in Evangelio
leguntur, ostendit. Et quia Iudæi ob
incredulitatem & persecutionem, quam
Christo & Apostolis eius intulerunt,
ab hæreditate regni cœlestis reiecti
sunt, & in eorum locum ex omnibus
gentibus populus Christianus electus
est, ideo de vocatione gentium, & de
his, quæ circa eam facta sunt, & de
Apostolis, qui ad eam prædicandam
missi sunt, & de his, quæ ab eis facta
sunt, & de variis eorum casibus, & de
his, quæ ipsi scripserunt, & de Ecclesia
Christi, quæ ex gentibus primum con-
stituta est, & de his, quæ circa eam
facta sunt, & de variis eius casibus,
& de his, quæ ipsa scripsit, & de ul-
tima eius clade, quam Dominus prædi-
xerat, verbis ipsius Christi, quæ in
Evangelio leguntur, ostendit. Et quia
Ecclesia Christi, quæ ex gentibus pri-
mum constituta est, & in qua Apostoli
primum habitarunt, & quæ ab ipsis
primum fundata & ædificata est, ma-
ter omnium ecclesiarum existit, ideo
de ea primum & de Apostolis ibi habi-
tantibus, & de his, quæ ibi ab eis facta
sunt, primum agit. Deinde de Iudæis,
qui Christum & Apostolos eius perse-
cuti sunt, & de variis eorum casibus,
& de ultima eorum excidii clade, quam
Dominus prædixerat, verbis ipsius
Christi, quæ in Evangelio leguntur,
ostendit. Et quia Iudæi ob incredu-
litatem & persecutionem, quam Chri-
sto & Apostolis eius intulerunt, ab
hæreditate regni cœlestis reiecti sunt,
& in eorum locum ex omnibus gen-
tibus populus Christianus electus est,
ideo de vocatione gentium, & de his,
quæ circa eam facta sunt, & de Apo-
stolis, qui ad eam prædicandam missi
sunt, & de his, quæ ab eis facta sunt,
& de variis eorum casibus, & de his,

mori contigerit, idipsum automate mori in via, si tamen Christus te ... inuenerit militem. Per ... & ... & hæreditata. Hæreditem est, fratres, hoc ... si ... capacem maximum excedat ... gladium vibrare, ... charitas est, per ... Nec verò ... Deum nihil deest, nec ... in creatis. Facultates ... vestrorum ... vestræ ... bonis expoliatis, ... vel ... perpetuo ... Vel ... vel ... tuo super ... inquam ... metuo est ... bella, ... vicere ... gentes ... Nec ... eademque ... rerum ... deterreant ... quæcumque remanentis ... quique, fratres ... coheredes Christi ... commissas idipsum ... in Ierusalem toto ore ... Considi peccatorum ... de Christo ... Hos autem qui ... habemus ... pro nobis orationem ... habemus ... pugnatores ... contra ... cum Moyse ... in ... lum: vos exerite ... iustitiæ ... gladium ... Sed ... Papæ ... Vrbanum ... ad eandem expeditionem ... orationem ... placuit omnia bona eorum, qui Ierosolymam ... semper, & ubique ... in ... & ... qui, quousque ... Recedentes ... inter cætera ... Vrbano ... quos primus ... de pace ... & ... Vt autem ... Sancta expeditionem promoueret ... per ... in Gallias. Episcopi ... ad hoc ... & ... per ... in ... singula ... oppida, Ierosolymitanam ... & ... cum ... Porro eorum, qui ... tuba excitati no-

mina ... sunt, infinita erat propemodum multitudo, vt ... fieri ... mos, quæ in ... & ... tendo ... manatelli ... & ... gustus ... dicebat ... arquet ... ferat ... quæ ... iudicium ... crucis ... vestibus.

III.

Pascharius II. Tuscus, ... Vrbanus, Cardenalis ... Innocentius, ... R ... nalis, Idibus ... apud sanctum ... tuor ... tes 5 dies ...

I.

Ad instantiam ... rum Regis ... Phœniciæ, quas ipse Rex ... ex hostium manibus ... Ivmitanæ Ecclesiæ ... Tyri Archiepiscopo, de ...

P *Aschalis ... Ierusalemitanæ ... & Apostolicæ ... quæ in ... termino ... posse ... Cum ... tuis ... dam, ... sublimationi ... lis ... vestris ... regnum ... iamdem ... cum ... exhibes, ... Data ...*

II.

Ad ... chæ ... infidelium ... Eadem, ... capere ...

P *Dei, Ecclesiæ ... ne Patriarcha Gibelino, & ... ...*

in perpetuum Canonicè promouendis. Secundum mutationes temporum transferuntur etiam fines terrarum vnde etiam Ecclesiasticarum Parochiarum fines in plerisque Prouinciis mutari expedit & transferri. Asianarum siquidem Ecclesiarum fines antiquis fuerunt definitionibus descripti, quas distributiones diuersorum diuersæ fidei gentium confudit irruptio. Gratias autem Deo, quòd nostris temporibus & Antiochiæ & Ierosolymæ ciuitates, cum suburbanis suis, & adiacentibus Prouinciis, in Christianorum Principum redactæ sunt potestate. vnde oportet nos diuinæ mutationi & translationi manum apponere, & secundum tempus, quæ sunt disponenda, disponere, ut Ierosolymitanæ Ecclesiæ vrbes [illegible] Prouincias concedamus, quæ glorioſi Regis Balduini, ac exercituum eum sequentium sanguine, per Dei gratiam acquisitæ sunt. Siquidem itaque Decreti pagina tibi, [illegible] & Coepiscopo Gibelino, tuisq; [illegible], & per vos sanctæ Ierosolymitanæ [illegible] Patriarchali siue Metropolitanæ [illegible] disponendasq; facimus ciuitates atque Prouincias, quas supradicti [illegible] aut iam restituit, aut in futurum [illegible] gratia diuina dignabitur. [illegible], vt Sepulchri Dominici Ecclesiam fidelium militum desideria, [illegible] honorem obtineat, & Turcorum tugo libera, in Christianorum [illegible] abundantius exaltetur.

III.

Ciuitatum ac Prouinciarum Ierosolymitanæ Ecclesiæ factam collationem Patriarcha Antiochenus indignatus [illegible], inquit Tyrius, quoniam in [illegible] Ecclesiæ ipsius redundare videbatur, cognatis nullis ad Romanam Ecclesiam legatis, ideò plurimùm conquestus [illegible] Cuius indignationem studuit mitigare [illegible] data ad Patriarcham constitutione, [illegible] declarat, vt eiusque Ecclesiæ suum ius [illegible] seruetur. Ex Tyrio ibidem.

Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei. venerabili fratri Bernardo, Antiocheno Patriarchæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Quamuis inter ceteras Apostolicæ [illegible] cura commineat, quam Petri Apostoli morte [illegible] declarauit, inter Romanum Papam & Antiochenum Episcopos tanquam legitimi fœderis extitisse, vt nulla inter eos discordiæ oriretur. Eadem enim Petri persona [illegible] vtrique illustravit Ecclesias. [illegible] tempora transierunt, quibus [illegible] dominatio vnitatem hanc in personis præsidentium impediuit. Gratias autem Deo, quod temporibus nostris Christianorum Principatum in Antiochena ciuitate restituit. Dignum est igitur, charissime frater, vt eiusdem charitatis in nobis vnitas firma permaneat: nec de nobis menti tuæ opinio vlla surrepat, quòd Antiochenam Ecclesiam deprimere, aut inhonorare velimus. Si quid ergo vel Antiochenæ vel Ierosolymitanæ Ecclesiæ aliter fortassè, quàm oportuit de Parochiarum finibus scripsimus, nec leuitati est nec malitiæ ad scribendum, nec propter hoc apud nos est scandalum concitandum: quoniam & locorum prolixa longinquitas, & antiquorum nominum commutatio, quæ ciuitatibus vel prouinciis accidit, magnam nobis ambiguitatem vel ignorantiam intulerunt. Ceterum & optauimus & optamus, non scandali, sed pacis fomitem fratribus ministrare, suum ius & honorem quibuslibet Ecclesiis seruare. Data Laterani VII. *Idus Augusti.*

IV.

Mentem suam interpretatur, qua intentione Regi & Ecclesiæ Ierosolymitanæ de ciuitatum ac Prouinciarum collatione, scripserit. Tyrius ibidem.

Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei, Coepiscopo Bernardo Antiocheno Patriarchæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Sicut alijs litteris fraternitati tuæ scripsimus, nos & personam tuam, & Ecclesiam tibi commissam, plena charitate diligimus, nec vllo modo volumus honorem vestræ dignitatis imminui, quin Antiocheni Patriarchatus prælatio, sicut præteritis temporibus conseruata est, ita etiam, in futurum integra, præstante Domino, conseruetur. Illud autem, quod filio nostro Balduino Ierosolymitanorum Regi, per nuntios suos intercedenti, concessimus, charitatem vestram omnino conturbare non debet, si litterarum nostrarum sensum interiùs perscrutetis. Sic enim in eis scriptum est: Ecclesiarum, quæ illis in partibus fuerunt vel sunt, terminos aut possessiones diutina infidelium possessio tyrannisq; confudit. Cùm itaque certos eis fines assignare præsenti deliberatione nequeamus, tuis non imeritò precibus duximus annuendum, vt quia pro Ierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatione personam tuam extremis periculis exponere deuouisti, quascumque infidelium vrbes ceperis, vel cepisti, eiusdem Ecclesiæ regimini dignitati, subiaceant. Eodem sensu illa etiam verba discutienda sunt, quæ felicis memoriæ Gibelino Ierosolymitano Patriarchæ de ciuitatibus atque Prouincijs scripsimus, quæ supradictis Balduini Regis prudentia, & exercituum eum sequentium sanguine, per Dei gratiam acquisitæ sunt. Siquidem Ecclesias illas, quibus certi fines assignari possunt, quarum termi-

ni ac pessilibus diuina pellitur ac tenaci-
ter sustinetur, ab Ecclesiæ Catholicæ
vnitate, ab omnium Ecclesiæ fidelium, ac
quamuis extinguat fauillas pietatis.
Non enim videtur ea pro Principum pace-
re, Ecclesiasticam omnem dignitatem, aut
Ecclesiasticos agentes, Principum potestati
subijcere, Diuina Scriptura, decernente, Ec-
clesiæ Spiritu.

Regi similem exponit, qui accersitus primi vocationis, ad Ecclesiæ Catholicæ Ecclesiæ Antiochenæ in atrocissimo debito mortalium fuit libidem.

Pessimus Principum status ignorum Dei,
eiusque Ecclesiæ, ac Sacerdotum Ec-
clesiæ Spiritu, salutem & Apostolicam benedi-
ctionem, vtilia, ac quæ ad regendum, ac
gubernandum, vt quæ omnia pessilibus
Tom vsque ingratis, vel inuitis, Ecclesiæ Spiri-
tus Ecclesiæ regimini dignatus, subiecerat,
non tamen sine fauore nostrum Ecclesiam
Patriarchæ, cum vniuersis Ecclesiæ Pa-
triarchi Ecclesiam. Cum omnibus simili-
ter, non sine fauore Ecclesiæ Spiritu, quæ
quamtumuis atque pessilibus diuina im-
pellitur pessilibus, ac tenacibus, vt ab
Ecclesiæ Catholicæ vnitate Patriarchi, ac
omnium Ecclesiæ fidelium, ac quamuis
ambitione nulla, vt quis ea sitim Tum ver-
sus Sanctorum inspectio fides Antiochena
Ecclesiæ, auctoritatem Principum, quæ ad
sum appetit tyrannidi, & imbecillis Patriar-
chis dedicationis studium Sanctorum Pon-
tificum, ac Sacerdotum Patriarchum mysti, Ecclesi-
astici Patriarchæ pellitur, & pertinacia im-
pellitur Patriarchæ, & vt etiam Patriarchæ
interim contemptus Sanctorum. Tum ip-
se Ecclesiæ Sanctorum, & mortuus eius
Patriarchæ in Ecclesiæ Sanctorum Pon-
tificum mysti, & ac cæteris permittatur,
Tui vniuersitatis, ac Ecclesiæ Spiritu, ac
pertinacia. Non pessimus manifesti
Dei, Patriarchæ Ecclesiæ Spiritu, ac Ec-
clesiæ: ne minime videmus, aut per Prin-
cipum potestati, & Ecclesiæ Spiritu, ac
tum, aut per Ecclesiæ Spiritu, Princi-
pum spiritum mutatis, ac quæ ea sunt,
Spiritu mutatur, aut (quod abit) ambitur Ec-
clesiæ. Clarius quoque Ecclesiasticum ter-
pessilibus Ecclesiæ spiritum, quandoquidem
patrum pessilibus, & patrum per Ecclesiæ
Constantinæ Ecclesiæ per Ecclesiæ ac-
sensus ita exponit, ac Ecclesiæ Spiritu,
ecclesiæ Spiritu ea tantum, ea tantum pes-
sile vel sed, Antiochena Ecclesiæ pessilibus
Constantini Dominæ, ita vt omnia Ec-
clesiæ Spiritu, & ac Ecclesiæ Spiritu Ecclesiæ
ita tyrannis, & ac Ecclesiæ Ecclesiæ Ecclesiæ
ita consulat. Data Laterani, decimoquinto
Kalendas Aprilis.

IV.

Eodemque III. Iulius, exoppido Mesola Magni, dominus Pisanæ, in Pontificia Hetruriæ quondam ciuitate Ecclesiæ nomen erat Petrus Bernardus, Monachus Ecclesiæ Cisterciensis, Ecclesiæ Romanæ sanctæ die 27. Februarii 1451. Sommi Pontificis primatum, ac Ecclesiæ consensit. Hic, à Sedis consulis, & Terræ Sanctæ restauratione ab Vrbano II. Dominico Gerardo Bononiensi, transitus anno circiter sic vel Ex. videlicet anno Christi 1100. ac ex cruce in Pontificis cathedra expectantibus à Sede missis, qua arrectus ac Ecclesiæ illum ad Sedis Apostolicæ, ac pædiæ Antiochiæ & Ierosolymitanæ ad virum ordinis ecclesiastici, ac Ecclesiæ Ecclesiæ, qui Dei ecclesiæ fuit, ex Occidentalium Christianorum Principum anno 1101. ad Ecclesiæ Antiochenæ Ecclesiæ Ecclesiæ Ecclesiæ, sed in Saracenos ex Christianorum Orientis Imperatore, ac Hierosolymitanorum, omni contra Pisa tempore ut Ecclesiæ Ecclesiæ adhæsit. Primarium qui omnium litterus mihi ad Ludouicum Imperatorem Regem Galliæ, ac Ecclesiæ illud opus Ecclesiæ permouit pelle Ecclesiæ, vtque qui ait ad Sedis Ecclesiæ pessimum studuit, vt ad Ecclesiæ Orbis Francigenæ apud Ecclesiæ Tomo 12. Annalium Ecclesiæ Ecclesiæ Ecclesiæ, & ad alios enim Principes, ingenium ipsi Ecclesiæ indulgentiæ in quibus ac Ecclesiæ nomen dedicet, concedens: Iudex Ecclesiæ & Ecclesiæ Ecclesiæ Ecclesiæ Ecclesiæ. Terræ Sanctæ Ecclesiæ, suos Indulgentiarum & peregrinos ex Crucesignatorum & peregrinos ex Ecclesiæ Peregrinum Appendice ad Bullas. Sollo 8.

Ergitur Ecclesiæ, ipsum Ecclesiæ Dei, Ecclesiæ Ecclesiæ Ecclesiæ Ecclesiæ

*dere debeant, cognoscant, ex materia tam grossa existere, nec fuisse opus primo fabricatore Deo? Nec dicant se nihil de his cognoscere, in qua Ecclesiae suffragia versentur, nec ad quid ea valeant, nec quid sibi velint. Nam si ea ignorant, quomodo fidelium fides nutriri, augeri, confirmari poterit? Quomodo ipsorum Sacerdotum intentio? Quomodo ipsorum fructus? Quomodo ipsorum laetitia? Quomodo ipsa Dei & patrum veneratio? Quibus, nec ex materia, nec ex forma eas de studio, & confusione non ex ignorantia quidem, sed ex malitia fabricatas, atque ad vetera ritualia Christianae diseiplinae, quae ex Dei, & Ecclesiae institutione, & ex Apostolorum traditione, & ex Patrum sanctissima observantia, & ex Conciliorum sanctionibus, & ex Pontificum constitutionibus, & ex Christianorum piorumque omnium, & praesertim Sanctorum exemplis, & ex ipsa Christi Domini, & Apostolorum doctrina, & ex ipsa Scripturarum, & naturae, atque prudentiae, & ex ipsa Ecclesiae fide, & ex ipsa Christianae Religionis veritate, & ex ipsa Sanctitate, & ex ipsa Divinitate, & ex ipsa Trinitate, & ex ipsa Unitate, & ex ipsa Deitate, & ex ipsa Majestate, & ex ipsa Gloria, & ex ipsa Aeternitate, & ex ipsa Immensitate, & ex ipsa Omnipotentia, & ex ipsa Bonitate, & ex ipsa Misericordia, & ex ipsa Charitate, & ex ipsa Veritate, & ex ipsa Sapientia, & ex ipsa Scientia, & ex ipsa Providentia, & ex ipsa Justitia, & ex ipsa Fide, & ex ipsa Spe, & ex ipsa Charitate, & ex ipsa Humilitate, & ex ipsa Patientia, & ex ipsa Mansuetudine, & ex ipsa Pietate, & ex ipsa Castitate, & ex ipsa Virginitate, & ex ipsa Continentia, & ex ipsa Abstinentia, & ex ipsa Mortificatione, & ex ipsa Poenitentia, & ex ipsa Compunctione, & ex ipsa Contritione, & ex ipsa Confessione, & ex ipsa Satisfactione, & ex ipsa Oratione, & ex ipsa Meditatione, & ex ipsa Contemplatione, & ex ipsa Devotione, & ex ipsa Lacrymarum effusione, & ex ipsa Compassione, & ex ipsa Misericordia

V.

GREGORIVS VIII. natus Iuliæ, patre Leo Romanorum, & Alberti nunc defuncti, ex Monache Ordinis S. Benedicti primum Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentij in Lucina, postea Apostolicæ Sedis Cancellarius, & demum Victorio III. qui ex anni dolore, quem ex Chaldæorum Orientalium ruinarum accepit, mortem horrat, in Summo Pontificatu electus fuit, sedens an. 1187. Hic inito statim Pontificatu fuit pertæsi quam maximè, quòd Christianis in primis pro lubidine Terræ Sanctæ ab omnibus Christi fidelibus terrarum orbe, quæ Regnum in Aegidonum Ammiraldeo-Despoto perpetuæ factum.

I.

Indicit Crucesam pro Terræ Sanctæ Christianis Imperatoribus recuperatione, Indulgentia & gratiosa peccatorum remissione in quibuscumque autem qui Crucem illic pro Christo susceperint. Recitant hoc Dipoloma Baronius Tomo 12. Annalium, & Matthæus Parisinus in Appendice Bollarij, Bullæ. Item Pontificis.

*Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerandis Christi fidelibus, ad quos literæ, ipsæ pervenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem. Sedens Petri solio, licèt quod super terram levatus sum, non ignorem, tamen quia ex hoc ipso, & pastor noster, & terræ custos, & ipsius effectus ministerio, ad hoc vigilanter existimus, & curæ nostræ est, quod terræ illius, in qua Dominus dignatus est deambulare, & corporaliter operari, & humanæ salutis, quæ ipsius Dominus operatus est, mysteria peragere, & ipsius Dominus hæreditas, & Ecclesia, quæ ipsius Dominus sanguine acquisivit, & Christianorum populus, qui ipsius Dominus nomine censetur, ab oppressionibus, & injuriis, quæ nostris temporibus, & maximè per Saladinum, tyrannum Babyloniæ, & per ejus fautores, & complices, Dei ecclesiæ, & Christianis illata sunt, & inferuntur, quotidie, & sine intermissione, quantum possumus, & debemus, & ad quod nos, & Fratres nostros hortatu caritatis, & officii nostri nexus, & ipsa nostra necessitas, qui nostri per quæ terræ illius, & ipsius populi, & regionis, & divini, & humani status, & ipsius Ecclesiæ, & Christianorum

ponitur, & pendet, aut remouet, ad pro-
positum. Quod si, quæ remouet, ad præ-
sentem tempus, & locum, quem præsen-
tium dicimus, remouentia dicuntur. Ne-
que enim hoc nomen vsurpatur, nisi de
his, quæ in tempus nobis præsens, & lo-
cum nostrum interueniunt, aut ab eo re-
mouentur. Quæ autem præsentia dici-
tur, & cuiusmodi sint, declarauimus
supra, cum de præsentibus, & absentibus
egimus. Quæ autem remouentia, & ad-
mouentia, & quæ singulorum sint, ex
his facile intelligi potest, quæ dicemus.
Quæ enim ad nostra nobis adsignata tem-
pora, & loca, & ad nos ipsos pertinent,
ea remouentia nominamus. Quæ autem
ad nos, & nostra tempora adsignata non
sunt, remouentia, dicimus. Iam vero ea,
quæ nobis interueniunt, ad nostra tem-
pora, & loca, & ad nos ipsos, admouen-
tia nominamus. Quæ autem ad nos, &
nostra tempora non sunt, ea præ-
ter modum dicimus. Cæterum, quæ ho-
rum sunt, & quibus tempora, & quibus
personis, & quibus temporibus, & quo-
modo, & quibus personis adsignata sint,
& quæ ad nos, & nostra tempora, & ad
quæ non, & quæ ad nos, & nostra tem-
pora, & ad quæ non, & quæ ad nos, &
nostra tempora, & ad quæ non, & quæ
ad nos, & nostra tempora, & ad quæ non,
& quæ ad nos, & nostra tempora, & ad
quæ non, & quæ ad nos, & nostra tempora,
& ad quæ non, & quæ ad nos, & nostra
tempora, & ad quæ non, & quæ ad nos, &
nostra tempora, & ad quæ non, & quæ ad
nos, & nostra tempora, & ad quæ non, &
quæ ad nos, & nostra tempora, & ad quæ
non, & quæ ad nos, & nostra tempora, &
ad quæ non, & quæ ad nos, & nostra tem-
pora, &

cum terrâ Sanctâ. Tempore vestro sepe-
ruit hæc res Pisanos, quam cum ve-
hementi zelo tuendo eo nunc decimo
exhumauimus. Petunt quasi proclamando
cives nostri, quod terra sancta seruire-
tur cruci, cui prius seruiebat mundus hæc-
tenus terra, et ruina pauit se Ecclesia Pisa-
na, quæ non habuimus, nec de terra nobis-
cum commercia, nisi quæ tunc temporis
proficiebant, Ecclesiæ, et omni vitæ ad
exiguentiam, sollem per omne festum Re-
surrectionis, in die quadragesimali missæ de
Missa, vel cantanda fuerit, et Natale cele-
brari, quod si dictum Dominicæ Resur-
rectionis Dominica Resurrectionis fa-
ciat quinta, et Natale cantari non ha-
beatur, nisi hoc valeat, a tertium dici-
tur. Ita enim ex Patrum traditione ha-
bemus, Feria vero & familiæ nobis etiam
quotidie cantandi sunt, et in quibus ha-
bet, ne maxime plenarium, vel alia cantan-
dis, vel facere impedire possunt, quod
si non quotidie cantare, et primum, et se-
cundum dictum. Hæc itaque ubi plenius
declarantur, ne quæ sunt hactenus facta
fuerint, quæ præsentialiter Sanctæ Apostoli-
cæ Sedis sunt.

III.

Neque hic finit tuæ Pontifex, fed eodem nomine dictum ait, quibusmiles litteræ Vrbani prædecessoris, etiam contra Archiepiscopum Tyrensem, & Suffraganeos, & subditos.

GVILLELMVS Episcopus, seruus seruorum Dei, omnibus Prælatis Ecclesiarum, ad quas litteræ ista peruenerint, salutem & apostolicam benedictionem. Quamuis ad Archiepiscopum nullum debeat spectare officium, de cuius ordinatione subiectum, vnum, dignitatem, & honorem ipsius Ecclesiæ, quæ est mater omnium prouinciarum terræ, & ecclesiarum, in qua Christus ecclesiam primitus instituit Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in quam ad eius exemplum Ecclesiæ cæteræ matres effectæ sunt, tanta quidem fuit, quod non multum profecto conueniens exercitio, & obsequio subiectis, & prælatis fuit, quod metropolitanæ Ecclesiæ Tyrensis, & Archiepiscopus ipsius Ecclesiæ, ad statum pristinum, quem habuerant tempore Patriarchæ Domini Fulconis, & Archiepiscopi Guillelmi, & Suffraganeorum, & subditorum, & Ecclesiarum, quæ ad Tyrensem Ecclesiam pertinebant, reuocari non fuerint, & ipsi Archiepiscopo, & Ecclesiæ Tyrensi, & Suffraganeis, & subditis, & Ecclesiis, quæ ad Tyrensem Ecclesiam pertinebant, ius suum, & honor, & dignitas, & obedientia, & reuerentia, quæ ab eis debebatur, & consueuerat exhiberi, non fuerint plenarie restituta, & exhibita, & ipsi Archiepiscopo, & Ecclesiæ Tyrensi, & Suffraganeis, & subditis, & Ecclesiis, quæ ad Tyrensem Ecclesiam pertinebant, ab eo, & ab Ecclesia Romana, quæ ipsis iniuste ablata fuerant, & subtracta, non fuerint integraliter restituta, & exhibita, & ipsi Archiepiscopo, & Ecclesiæ Tyrensi, & Suffraganeis, & subditis, & Ecclesiis, quæ ad Tyrensem Ecclesiam pertinebant, ius suum, & honor, & dignitas, & obedientia, & reuerentia, quæ ab eis debebatur, & consueuerat exhiberi, non fuerint plenarie

num: pro pace & liberatione Terræ Ierusalem, & Christianorum captiuorum, qui in vinculis Sarracenorum detinebantur. Fiebat autem singulis diebus in Ecclesia beati Pauli in hunc modum. Ad Missam dicto à Sacerdote, Pax Domini sit semper vobiscũ, & à Choro, Et cum spiritu tuo, antequam Agnus Dei incipiatur, Sacerdos vel præcentor incipit Antiphonam hanc: Tua est potentia, tuum regnum Domine, tu es super omnes gentes: da pacem Domine in diebus nostris. In die Dominicæ cum isto Psalmo: Quare fremuerunt gentes, & in die Lunæ cum isto Psalmo: Deus in nomine tuo saluum me fac, & die Martis cum isto Psalmo: Deus repulisti nos, & destruxisti nos; & in die Mercurij cum isto Psalmo: Vt quid Deus repulisti in finem, & in die Iouis cum isto Psalmo: Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, & die Veneris cum isto Psalmo: Deus, quis similis tibi? & in die Sabbati cum isto Psalmo: Dixit Dominus Domino. Dicta itaque Antiphona prædicta sequitur: Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Fiat misericordia tua super nos. Domine non secundum peccata nostra facias nobis. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. Saluum fac Deus salutaris noster. Saluum fac seruum tuum Domine. Esto ei Domine turris fortitudinis. Nihil proficiat inimicus in nobis, nec filius iniquitatis in virtute tua. Domine Deus virtutum conuerte nos. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum, respice ad Christianũ benignus exercitum, vt gentes, quæ in sua feritate confidunt, potentia tuæ dextræ comprimantur. Per Dominum.

Dicto deinde Pontifex litteris & legationibus apud Reges & Christianos Principes egit, vt pro hac expeditione in Terram sanctam laberentur, & negotium eò perduceretur, vt capta eandem tuerent, & bonos alios successus habuerint: quod verò optatum tandem non sit finem, tum discordiæ Christianorum Principum, tum Christiani populi sceleribus, præcipue verò occulto tamen Dei iudicio adscribendum est. Quæ de his vide apud Baronium sub anno Christi 1188. & 1190.

VII.

INNOCENTIVS III. Italus, natus Anagniæ, quæ est prouinciæ Campaniæ ciuitas, patre Trasmundo de Comitibus Signiæ, decebatur prius Ioannes Lotharius. Ex Canonico Regulari Lateranensi factus est S. R. E. Diaconus Card. tit. SS. Sergij & Bacchi: denique die 8. Ianuarij anno 1198. ad Summum Pontificatum Romæ sublimatus, indixit Generale Concilium Lateranense II. in quo actum fuit de recuperatione Terræ sanctæ. Sapiens hic sanctusq; Pontifex multa scripsit, varios q; labores pro eiusdem Terræ redemptione subijt, quorum nonnullos hic Lector communicamus.

I.

Hortatur Gregorium, Catholicum Armenorum Episcopum, ad perseuerantiam in fide Christiana, deuotionem erga Sedem Apostolicam, & ad Terræ sanctæ subuentionem. Habetur in Bullario Laërtij Peregrini, Tomo 1. estque Bulla Innocentij tertia.

INnocentius Papa III. Gregorio Catholico Armenorum. Ex eo te radicatum in fide Catholica, & esse Catholicum non tam nomine quàm merito, experimur, quod Apostolicæ Sedis magisterium recognoscis, eam Ecclesiam omnium matrem, & nos caput vniuersorum fidelium confiteris, sicut ex tuarum nobis innotuit serie litterarum. Nosti etenim priuilegium Petri, quo sibi Dominus vniuersas oues suas pascendas, vocabulo tertiò repetito, commisit, Pasce, inquiens, oues meas; & super vniuersas ei ligandi & soluendi contulit potestatem, dicens ad eum: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Nosti etiam prærogatiuam Apostolicæ Sedis, quæ per merita beati Petri, etsi non tempore, auctoritate tamen inter Apostolos primi, non constitutione Synodica, sed diuina, inter omnes Ecclesias magisterium obtinuit, & primatus fundamenta super immobili fundamento, de quo Paulus inquit Apostolus, Fundamentum positum est, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus, & de quo Veritas in Euangelio inquit ad Petrum. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Petrus siquidem post Christum potest intelligi pastor vnus, & Ecclesia vniuersalis ouile vnum, de quibus Dominus in Euangelio protestatur. Alias, dicens, oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Sane lapis ille angularis, quem reprobauerunt ædificantes, factus postmodum in caput anguli, faciens vtraque vnum, Iudæorum populos & gentium nationes, in vnitate Christianæ fidei connixit, Ecclesiam ex vtrisque constituens, non habentem maculam, neque rugam. Quæ ne post

pol. Assentiens eius fratribus in primis, & ne cuiquam eius decederet auctoritatis, vel cuiuis ecclesiæ præiudicium accederet, suum sigillum Dominus Cæsar & fratres eius, & omnes eius ecclesiæ fecerunt. Hæ autem sunt fratrum illius, quæ attendunt, & fiunt, quid, quodque sibi debeat, & omnes eius ecclesiæ Christi, quod sunt eius ultima necessitas, vel quod sunt, tanti momenti, fratres, seu de salute, & prædilectæ personæ Dominæ, cum filiabus suis, & de Patris & Conjugis suæ, quæ ultima sunt necessitate, & quod sunt filiæ salutis sua quod vadunt fratres ibi, ad matrem in vitæ, & ad matrem Christi quod ad alia, fratres ibi, ne mirabile sunt. Quidnam ergo non fecerunt fratres, & omnes eius ecclesiæ Christi, & omnes eius ecclesiæ Christi, & omnes eius ecclesiæ Christi

ac potenter intendens, omnes fos Crucesignatos de terra sua transire vsque non solum mo-
... per terram ... tuis dirigat ... salutem Christi ... humanum ... Quòd si forsan ... non potest, ... equis, & alio bellandi ... quatur: qui in ... ad illarum adventum ... & cum ... Maximus autem ... qui Serenitati ... necessitatis ... ad subsidium terræ sanctæ diligenter

III.

... Anglia R... Terræ ... recuperandæ, ... Ex libro Ty...

R...

... ad subsidium terræ sanctæ diligenter ac potenter intendens, omnes fos Crucesignatos de terra sua transire vsque non solum mo... per terram ... tuis dirigat ... salutem Christi ... humanum ... Quòd si forsan ... non potest, ... equis, & alio bellandi ... quatur: qui in ... ad illarum adventum ... & cum ... Maximus autem ... qui Serenitati ... necessitatis ... Imperator adversus eundem Regem procedere ... contra eum certatim ... & vires eiusdem Regnum ... ad defendendum ... promittit, ... quod eidem Imperatori ... Volumus ... Imperatori ... in hoc ... & recipiatis totius populi ... eundem, cui debet ... quod si forsan ... reddendo, apud nos ... ei ... Dalmatiæ ... Nos etiam ad eundem Imperatorem propter hoc specialiter ...

Ad ... eundem ... Papa Regibus ... & ... purgetur ... Prouis, ... Clemens, ... Pisanis, ... Magdeburgensi, ... tum deinde ... per totam ... Lombardiam, Sclauoniam, Hiberniam ... per regnum Siciliæ, Angliæ, Galliæ, Hungariæ & Scotiæ ... mittere, et quod ... ipsorum reddituum Ecclesiasticorum. Clericis ... autem Clericis fidelibus ... vel terra conferentibus ... Crucesignatorum: qui vero fidelium subsidium faciunt, ad bellum Domini ... duram, vt in nomine Domini Iesu Christi ... Crucis assumerent. ... ad eandem ... bene ... illicerentur. Omnibus qui laborem ... Crucis in ... propriis ... & expensis, plenam peccatorum ... qui ... & ... & ... gissent ... tam ... indulgebat, & in ... tributione ... salutis æternæ ... augmentum; eis autem qui non in ... perso-*

persona propria dice accedisse, sed in hoc tantum exponit, sensu tantummodo quidem meo visa ideoque dubitanter fere, dic ut minus per annos mentorum, & dis similiter, qui licet in alteris capitulis propria tamen proferre videantur personationibus labentes imprudentius, plenam pariter fuisse, tenuisse conceptibus dicitur tamen. Hæc religiosa libertate dicendi eadem plurium Occidentalium, & Orientium peregrinantium fuisse patuit.

IV

Quandoquidem vero inter quæ ad Terræ huius locorum vigebant, similia erat, non fuisse ei leniri atque mitiori Christianæ ad Cœlum expeditioni ingressum adhuc, id insuper etiam, hæc quæ locorum iterum ad Magnificentissimum Archiepiscopum Cæsaræ & populum meum, cæterosque fidelium gratissimum conferre, quæ tractantur qui huius in terræ profectum frumentarium consulebat. Dominum Deum suum, Christum Jesum, intrinsecus hominis sui Christi, & Ecclesiam suam Catholicam unam, & hoc modo.

QUia multæ sunt inter nos filios, quam communis salutis via Terra sanctæ ascensibus intenditur, & de sententia pro tempore quam communi prudentiæ, veritatis præsentiæ, cum rationali discernimine non ad vos, & pro his clamamus, quæ minus quid sentiendum, & quid vitandum, sed ad vos, & pro his quæ ad mentem vestram, & cordium, ut ad eorum meritum, & gratiam, & ad ea ut mentis vestræ

ſexaginta ſex clauditur, in proximo finietur per operationẽ Spiritus ſeptiformis, qui charitatis igne corda fidelium hactenus frigeſcentia reaccendet, ex quibus iam pœnè ſexcenti ſunt anni cõpleti. Certè propter priores iniurias grandes & graues, Redemptori noſtro pro noſtris offenſis à perfidis Saracenis illatas, nuper in monte Thabor, vbi diſcipulis ſuis futuræ glorificationis ſpeciem demonſtrauit, ijdem perfidi Saraceni quamdam munitionis arcem in confuſionem Chriſtiani nominis erexerunt, per quam ciuitatem Acon ſibi valdè vicinam de facili cogitant occupare, ac deinde ſine omni contradictionis obſtaculo reſiduum terræ huius innadere, cùm ſit viribus & opibus pœnè penitus deſtituta. Ea propter igitur, dilectiſſimi filij, diſſenſiones & æmulationes fraternas in pacis & dilectionis fœdera commutantes, accingimini ad obſequium Crucifixi, non dubitantes pro illo res exponere ac perſonas, qui pro vobis animam ſuam poſuit, & ſanguinem ſuum fudit: certi pariter & ſecuri, quòd ſi verè pœnitentes fueritis, per hunc temporalem laborem quaſi quodam compendio ad requiem peruenietis æternam.

Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, ex illa, quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque ſoluendi contulit poteſtate: omnibus, qui laborem iſtum in propriis perſonis ſubierint & expenſis, plenam ſuorum peccatorum, de quibus veraciter fuerint corde contriti, & ore confeſſi, veniam indulgemus, & in retributione iuſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. eis autem, qui non in perſonis propriis illuc acceſſerint, ſed in ſuis dumtaxat expenſis, iuxta facultatem ac qualitatem ſuam viros idoneos deſtinauerint; & illis ſimiliter, qui in alienis expenſis, in propriis tamen perſonis aſſumptæ peregrinationis laborem impenderint, plenam ſuorum veniam concedimus peccatorum. Huius quoque remiſſionis volumus & concedimus eſſe participes iuxta qualitatem ſubſidij, & deuotionis affectum, omnes qui ad ſubuentionem ipſius terræ de bonis ſuis congruè miniſtrabant, perſonas quoque ipſorum & bona, ex quo Crucem aſſumpſerint, ſub ſancti Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, nec non & ſub Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & omnium Prælatorum Eccleſiæ Dei defenſione conſiſtant, ſtatuentes vt, donec de ipſorum obitu vel reditu certiſimè cognoſcatur, integra maneant, & quieta conſiſtant. Quòd ſi quiſquam contrà præſumpſerit, per Eccleſiarum Prælatos, appellatione poſtpoſita, cenſura Eccleſiaſtica compeſcatur. Si qui verò proficiſcentium illuc ad præſtandas vſuras iuramento tenentur adſtricti, creditores eorum per Eccleſiarum Prælatos, vt remittant eis præfatum iuramentum, & ab vſurarum exactione deſiſtant, eadem præcipimus diſtrictione compelli. Quòd ſi quiſquam creditorum eos ad ſolutionem coëgerit vſurarum, eum ad reſtitutionem earum ſimili cogi animaduerſione mandamus. Iudæos verò ad remittendas ipſis vſuras, per ſæcularem compelli præcipimus poteſtatem; & donec illas remiſerint, ab vniuerſis Chriſti fidelibus, tam in mercimonijs quàm in alijs, per excommunicationis ſententiam eis omnino Communio denegetur. Vt autem Terræ ſanctæ ſubſidium diuiſum in plurimos facilius intendatur, obſecramus omnes & ſingulos per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, vnum ſolum verum, vnum æternum Deum, poſtulantes vice Chriſti pro Chriſto ab Archiepiſcopis & Epiſcopis, Abbatibus & Prioribus, & tam Cathedralium quàm Conuentualium Eccleſiarum Capitulis & Clericis vniuerſis, nec non ciuitatibus, villis & oppidis competentem numerum bellatorum cum expenſis ad triennium neceſſarijs ſecundùm proprias facultates, & ſi ad hoc vnum quodlibet non ſuffecerit, plura coniungantur in vnum: quia pro certo ſperamus, quia perſonæ non deerunt, ſi expenſæ non deſint. Poſtulantes hoc ipſum à Regibus & Principibus, Comitibus & Baronibus, alijſq; Magiſtratibus, qui forſitan per ſeipſos perſonaliter non acceſſerint ad obſequium Crucifixi. A ciuitatibus verò maritimis nauale ſubſidium poſtulamus: & ne alijs onera grauia & importabilia imponere videamur, quæ digito noſtro mouere nolimus, proteſtamur veraciter coram Deo, quia quod ab alijs exigimus faciendum, hoc ipſi prompto animo faciemus. Clericis autem ad hoc negotium neceſſarijs prouidimus indulgendum, vt omni contradictione ceſſante, beneficiorum ſuorum prouentus propter hoc valeant vſque ad triennium pignori obligare. Quia verò ſubſidium Terræ ſanctæ multum impediri vel retardari contingeret, ſi ante ſuſceptionem Crucis examinari quemlibet oporteret, an eſſet idoneus & ſufficiens ad huiuſmodi votum perſonaliter proſequendum, concedimus vt, Regularibus perſonis exceptis, ſuſcipiant quicumque voluerint ſignum Crucis, ita quòd cùm vrgens neceſſitas, aut euidens vtilitas poſtulauerit, votum ipſum de mandato Apoſtolico poſſit commutari aut redimi, vel differri, & propter eamdem cauſam remiſſiones & indulgentias hactenus à nobis conceſſas procedentibus in Hiſpaniam contra Mauros, vel contra hæreticos in Prouinciam, reuocamus; maximè cùm illis conceſſæ fuerint ad tempus quod iam ex toto præteriit, & iſtis ob cauſam qua iam maiori ex par-

te ceſſauit, vtroque negotio per Dei gratiam adeo prouecto, vt vehementem inſtantiam non requirat, etſi fortè requireret, nos ingruenti neceſsitati reſpicere curaremus. Concedimus tamen, vt huiuſmodi remiſsiones & indulgentiæ apud Prouinciales remaneant, & Hiſpanos. Ceterùm quia curſarij & piratæ nimis impediunt ſubſidium Terræ ſanctæ, capiendo, ſpoliando tranſeuntes ad illam, & reuertentes ab illa, nos eos, & principales adiutores & fautores eorum, excommunicationis vinculo innodamus, ſub interminatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis ſcienter communicet in aliquo venditionis vel emptionis tractatu, & iniungentes Rectoribus ciuitatum & locorum ſuorum, vt eos ab hac iniquitate reuocent & compeſcant. Alioquin (quia nolle perturbare peruerſos, nihil aliud eſt quàm fouere; nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare) & in perſonas & in terras eorum ſeueritatem Eccleſiaſticam curabimus exercere, cùm tales non minùs quàm Saraceni aduerſentur nomini Chriſtiano. Innouamus præterea excommunicationis ſententiam in Lateranenſi Concilio promulgatam aduerſus eos, qui Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum; quique in piraticis Saracenorum nauibus curam gubernationis exercent, eoſq; rerum ſuarum priuatione mulctari, & capientium ſeruos, ſi capti fuerint, fore cenſemus: præcipientes, vt per omnes vrbes maritimas diebus Dominicis & feſtiuis huiuſmodi ſententia publicè innouetur. Verùm cùm longè plùs de diuina clementia, quàm de humana potentia confidere debeamus, oportet nos in tali conflictu non tam corporalibus armis quàm ſpiritalibus dimicare: ideoq; ſtatuimus & mandamus, vt ſingulis menſibus ſemel fiat generalis Proceſsio, ſeorſum virorum, ac ſeorſum, vbi fieri poterit, mulierum, in humilitate mentis & corporis, cum deuota orationum inſtantia poſtulantium, vt miſericors Deus auferat hoc à nobis confuſionis opprobrium, liberando Terram illam, in qua vniuerſa redemptionis noſtræ ſacramenta peregit, de manibus Paganorum; reſtituendo eam, ad laudem & gloriam nominis ſui ſancti, populo Chriſtiano: prouiſo prudenter, vt ſemper in ipſa Proceſsione verbum ſalutiferæ Crucis cum diligenti exhortatione populo proponatur. Orationi verò ieiunium & eleëmoſyna coniungatur, vt his quaſi alis faciliùs & celeriùs ipſa volet oratio ad pijſſimas aures Dei, qui nos clementer exaudiat in tempore opportuno. Singulis quoque diebus intra Miſſarum ſolemnia poſt pacis oſculum, cùm iam pro peccatis mundi offerenda vel ſumenda eſt Hoſtia ſalutaris, omnes tam viri quàm mulieres humiliter proſternantur ad terram, & à Clericis Pſalmus iſte, Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, alta voce cantetur: quo cum hoc verſu deuotè finito, Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant à facie eius qui oderunt eum; Sacerdos qui celebrat, Orationem iſtam ſuper altare decantet alta voce: Deus, qui admirabili prouidentia cuncta diſponis, te ſuppliciter exoramus, vt Terram, quam vnigenitus Filius tuus proprio Sanguine conſecrauit, de manibus inimicorum crucis eripiens, reſtituas cultui Chriſtiano, vota fidelium ad eius liberationem inſtantium miſericorditer dirigendo in viam ſalutis æternæ. Per eumdem Dominum, &c. In illis autem Eccleſiis, in quibus conueniet Proceſsio generalis, truncus concauus ſtatuatur tribus clauibus conſignatus, vna penes honeſtum Presbyterum, alia penes deuotum laicum, & tertia penes aliquem regularem fideliter conſeruandis, in quo Clerici & laici, viri & mulieres eleëmoſynas ſuas ponant in Terræ ſanctæ ſubſidium conuertendas, ſecundùm diſpoſitionem eorum quibus hæc fuerit ſollicitudo commiſſa. Porrò ſuper proceſſu & tranſitu modeſto & ordinato, congruo loco & tempore faciendo, nondum oportet aliquid definire, donec exercitus Domini Cruce ſignetur; ſed tunc penſatis vndique circumſtantijs, quæcumque viderimus opportuna, de prudentium virorum conſilio ſtatuemus. Ad hæc igitur exequenda, dilectos filios de Salem, & quondam de nouo Caſtro Abbates, & Decanum Spirenſem, & Præpoſitum Auguſtenſem, viros vtique probatæ honeſtatis & fidei, deputamus; qui adſcitis ſecum viris prouidis & honeſtis, auctoritate noſtra ſtatuant & diſponant quæcumque ad hoc negotium promouendum viderint expedire, facientes, quæ ſtatuerint, in ſingulis diœceſibus per viros idoneos, ad hoc ſpecialiter deputatos, fideliter & ſollicitè procurari. Quocircà vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus, & obſecramus in Domino, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, & in virtute Spiritus ſancti iniungentes, quatenus eis pro Chriſto legatione fungentibus tales vos exhibere curetis, neceſſaria miniſtrantes eiſdem, quod per vos & in vobis fructum faciant exoptatum.

Pari tandem modo & forma Innocentius ferè ad omnes Metropolitanos ſcribebat, omnibus ſuadens & præcipiens, vt maiora quæ poſſent auxilia in ſubſidium Terræ ſanctæ proferrent.

V.

Indicit ſacrum & œcumenicum Concilium Lateranenſe II. ad primam diem Nouembris anni 1215. Habetur Bulla hæc

hæc Tomo 4. Conciliorum generalium, eſtque Epiſtola in ordine ſecunda, editaque fuit anno Domini 1213. Habetur item in Bullario Laërtij Peregrini.

INnocentius Papa III. venerabilibus fratribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filijs Abbatibus & Prioribus, Decanis & Archidiaconis per Teutonicas prouincias conſtitutis. Vineam Domini ſabaoth multiformes ſatagunt beſtiæ demoliri; quarum incurſus adeò inualuit contra ipſam, vt ex parte non modica, pro vitibus ſpinæ ſuccreuerint, & quòd gementes referimus, ipſæ iam vites proferant pro vua labruſcam, infectæ multipliciter & corruptæ. Illius ergo teſtimonium innocamus, qui teſtis eſt in cælo fidelis, quod inter omnia deſiderabilia cordis noſtri duo in hoc ſæculo principaliter affectamus, vt ad recuperationem videlicet Terræ ſanctæ, ac reformationem vniuerſalis Eccleſiæ valeamus intendere cum affectu. Quorum vtrumque tantam requirit prouiſionis inſtantiam, vt abſque graui & grandi periculo vltra diſſimulari nequeat vel differri. Vnde ſupplicationes & lacrymas effundimus coram Deo, humiliter obſecrantes, quatenus ſuper his ſuum nobis beneplacitum reuelaret, inſpiraret affectum, accenderet deſiderium, & propoſitum confirmaret, facultatem & opportunitatem præſtando ad ea ſalubiter exequenda. Quapropter habito ſuper his cum fratribus noſtris, & alijs viris prudentibus, frequenti & diligenti tractatu, prout tanta ſollicitudo exigebat, hoc tandem ad exequenda prædicta de ipſorum conſilio prouidimus faciendum, vt quia hæc vniuerſorum fidelium communem ſtatum reſpiciunt, Concilium iuxta priſcam conſuetudinem ſanctorum Patrum conuocemus, propter lucra ſolùm animarum opportuno tempore celebrandum. In quo ad extirpandum vitia & plantandas virtutes, corrigendos exceſſus & reformandos mores, eliminandas hæreſes & roborandam fidem, ſopiendas diſcordias & ſtabiliendam pacem, comprimendas oppreſſiones, libertatem fouendam, inducendos Principes & populos Chriſtianos ad ſuccurſum & ſubſidium ſanctæ Terræ, tam à Clericis quàm à laicis impendendum, cum ceteris, quæ perlongum eſſet per ſingula enumerare, prouidè ſtatuantur inuiolabiliter obſeruanda circa Prælatos & ſubditos Regulares, quæcumque de ipſius approbatione Concilij viſa fuerint expedire, ad laudem & gloriam nominis eius, ad remedium & ſalutem animarum veſtrarum, ac profectum & vtilitatem populi Chriſtiani. Quia verò ante biennium vniuerſale non poſſet Concilium commodè celebrari, diſpoſuimus interim per viros prudentes in ſingulis prouincijs pleniùs explorare, quæ Apoſtolicæ prouiſionis limam expoſcant, & præmittere viros idoneos ad Terræ ſanctæ negotium procurandum, vt ſi exigente neceſſitate ſacrum Concilium approbauerit, nos ipſum negotium perſonaliter aſſumamus efficaciùs promouendum. Credentes igitur hoc ſalutare propoſitum ab illo deſcendere, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipimus, quò vos taliter præparetis, quòd à præſenti Dominicæ incarnationis 1203. anno, vſque ad duos annos & dimidium, præfixos vobis pro termino Kalend. Nouemb. ad Sedem Apoſtolicam accedatis cum modeſtia & cautela, ita quòd in veſtra prouincia, ſi neceſſitas poſtulauerit, duo vel tres de ſuffraganeis Epiſcopis valeant remanere, pro Chriſtianitatis myſterijs exequendis: & tam illi, quàm alij qui canonica præpeditione venire nequeunt, idoneos pro ſe dirigant reſponſales, perſonarum & electionum mediocritate ſeruata, quam Lateranenſe Concilium definiuit, vt nullus ommino plures aut pauciores ſecum adducere poſſit. Nec quiſquam faciat ſuperfluas & pompoſas, ſed neceſſarias tantùm & moderatas expenſas, oſtendendo ſe actu & habitu verum Chriſti cultorem, cùm non ſæcularis applauſus, ſed ſpiritualis profectus in hoc negotio ſit requirendus. Interim autẽ per voſipſos, & per alios viros prudentes, vniuerſa ſubtiliter inquiratis, quæ ſtudio correctionis aut reformationis indigere videntur, & ea fideliter conſcribentes, ad ſacri Concilij præfati examen, erga ſubuentionem Terræ ſanctæ neceſſaria, vbi Deus noſter Rex ante ſæcula ſalutem in medio terræ operari dignatus eſt, opem & operam efficaciter impenſuri, aſſiſtendo fideliter & prudenter his quos ad hoc negotium duxerimus ſpecialiter procurandum deſtinare.

Nullus itaque fallaciter ſe excuſando, ab executione tam ſancti operis ſubtrahat, ſi canonicam vult effugere vltionem. Nemo diſſenſionum obſtacula, vel itinerum impedimenta cauſetur, quæ, Domino faciente ſignum in bonum, ex magna iam parte ceſſare cæperunt. Nam & quantò maiora imminent pericula, tantò potiora remedia conuenit adhiberi. Numquam enim nauigabit per æquora, qui ſemper expectat vt mare non excitet in ſe fluctus. Propter hæc autem ad vos dilectum filium N. cum iuſſione Apoſtolica deſtinamus, quem habeatis pro reuerentia commendatum.

VI.

Commendat Legatum ſuum, vtque eidem obtemperetur in omnibus ad negotium Terræ ſanctæ ſpectantibus, mandat. Ex eodem Concilio, & eſt Epiſtola 3. in ordine.

ARchiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, ceterisq; Clericis per Regnum Franciæ conſtitutis. Pium & ſanctum propoſitum, quod de ſubuentione Terræ ſanctæ pro communi vtilitate Deo inſpirante concepimus, & perducere ſatagimus ad effectum, ex generalibus litteris poteritis aduertere manifeſtè. Ad hoc igitur ſalutare propoſitum exequendum, dilectum filium noſtrum R. tituli ſancti Stephani in Cælio monte Presbyterum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis legatum, virum vtique probatæ honeſtatis & fidei, deſtinamus, merito ſuæ probitatis ſpeciali gratia nobis acceptum, per Apoſtolica vobis ſcripta præcipimus mandantes, quatenus eum vice noſtra, imò potiùs vice Chriſti deuotè ſuſcipere, ac honeſtè tractare curetis, ipſius ſalubribus monitis & mandatis humiliter intendentes, præſertim in ijs quæ pertinent ad ſubſidium Terræ ſanctæ. Nos enim, quod ſuper his & alijs ad ſuæ legationis officium pertinentibus pronida deliberatione ſtatuerit, præcipimus inuiolabiliter obſeruari, concedentes eidem, vt euellat & deſtruat, ædificet atque plantet, quæ ſibi euellenda & deſtruenda, ædificanda occurrerint & plantanda. Datum, &c.

VII.

Concedit eidem Legato, vt poſſit dare indulgentias peccatorum audientibus ab eo verbum Crucis. Ibid. & eſt Epiſt. ordine 4.

R. Tituli ſancti Stephani in Cælio monte Presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato. Vt efficaciùs poſis intendere ad ſubſidium Terræ ſanctæ, præſentium tibi auctoritate concedimus, vt ijs, qui ad tuam vocationem deuotè conuenerint ad audiendum verbum ſalutiferæ Crucis, de iniunctis ſibi pœnitentijs vice noſtra certam valeas indulgentiam impertiri. De torneamentis autem hoc tibi duximus concedendum, vt de prudentum virorum conſilio ſalubriter ſtudeas, quod Terræ ſanctæ vtilitati ſecundùm Deum videris expedire.

VIII.

Commendat Regi Francorum eumdem ſuum pro ſubſidio Terræ ſanctæ Legatum. Ibidem Epiſt. 5.

ILluſtri Regi Francorum. Quàm ſincerum dilectionis affectum erga te ac filium tuum, & Regnum Franciæ habeamus, nouit ille, qui teſtis eſt in cælo fidelis, cuius ſuper hoc teſtimonium ſecurè poſſumus inuocare. Adeò quippe Regni tui exaltationem diligimus, priuilegiata ſemper opera commendantes, quæ proceſſerunt de ipſo, quòd æquanimiùs Eccleſiæ Romanæ, quàm ipſi Regno ſuſtineremus magnum aliquid aduerſitatis accidere: cùm faciliùs hæc, quàm illud ab imminenti poſſet periculo liberari. Vt ergo ſuper hoc ampliùs ſecurus reddaris & certus, mittimus ad tuam Regalem præſentiam dilectum filium noſtrum R. Tituli ſancti Stephani in Cælio monte Presbyterum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum, virum vtique probatæ honeſtatis & fidei, qui ea, quæ plenius accepit à nobis, expreſsius tibi referat viua voce: Serenitatem tuam monentes & exhortantes in Domino, quatenus eum recipias, & honeſtè pertractes, ipſius acquieſcendo ſalubribus monitis & conſilijs propter Deum.

Eodem tenore ſcribebat nobili viro Ludouico Philippi Regis Francorum primogenito, eiuſdemque vxori Blanchæ.

IX.

Quia Alexandrinus & Ieroſolymitanus Patriarchæ, præ ceteris afflicti, & pro grege Domini admodum ſolliciti, tum conſolationem tum opem quotidie efflagitabant, vtrique Innocentius ſcripſerat, & opem à Domino breui affuturam promiſerat. Sed & inſuper conſolatur Patriarcham Alexandrinum, ei dat ſalubria monita, mandatque vt pro Terræ ſanctæ & alijs negotijs ad Concilium generale accedat.

EX litteris, quas aliquoties tua nobis fraternitas deſtinauit, & aliis quoque indiciis, cognouimus euidenter, te non ſolùm ad ſacroſanctam Romanam Eccleſiam matrem tuam, verùm etiam ad perſonam noſtram ſpecialiter deuotionem habere debitam & deuotam: propter quod habentes te in viſceribus charitatis, tibi compatimur in tribulationibus quas pateris, & preſſuris. Quamquam & tibi & nobis ſit in eis potiùs gloriandum, cùm id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis huiuſmodi, ſupra modum in ſublimitate pondus æternæ gloriæ operetur, nec ſint condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, reuelandam in illis qui pro Chriſti nomine patiuntur. Propter quod Apoſtolus ſibi placebat in infirmitatibus ſuis, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus & anguſtijs, quas ſuſtinebat pro Chriſto: & cùm infirmabatur, tunc maximè potens erat; ſciens, quòd virtus in infirmitate perficitur, & quòd, licet per eã homo corrumpatur exterior, interior tamen per eamdem iugiter renouatur. timentibus enim Deum omnia cooperantur

in

Digitized by Google

in bonum, qui ſuos non ſolùm de tribulationis anguſtia liberat, ſed etiam in ipſa tribulatione dilatat, vt quaſi meridianus fulgor conſurgat eis ad veſperam, & cùm ſe conſumptos putauerint, vt Lucifer oriantur. Benedicas igitur Deo & Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te in omni benedictione ſpirituali, ſecundùm gratiæ ſuæ diuitias benedixit, & vt eſſes immaculatus in conſpectu ipſius, dedit tibi, vt non ſolùm credas in Chriſtum, ſed vt pro Chriſto etiam patiaris. Porta ergo, chariſſime frater, in corpore tuo ſtigmata Ieſu Chriſti, per quem mundus tibi crucifixus eſt, & tu mundo. Stabilis eſto, & aduerſus mundanas aduerſitates immobilis, abundans in opere Dei, ſemper ſciens, quòd labor tuus non eſt inanis in Domino; & ſicut in te Chriſti paſſiones abundant, ita & per Chriſtum abundet conſolatio tua, qui te ſupra id quod potes non patietur tentari, ſed facit in ipſa tentatione prouentum, vt valeas ſuſtinere, cùm iam ipſo docente didiceris in quibus potes eſſe ſufficiens, & cum Apoſtolo ſcias ſatiari, ſcias & eſurire, & abundare & penuriam pati, ac poſſis in eo, qui te confortat, omnia tolerare. Fideles quoque ab infidelibus in captiuitate detentos ſedulis exhortationibus corrobora, & confirma, ne deficiant in tribulationibus ſuis, ſed cogitantes in luctu victoriam, & præmium in labore, bonum certamen certare non deſinant, & curſum ſeruando fidem feliciter conſummare; vt de reliquo coronam iuſtitiæ meritò valeant expectare, quam reddet eis in illa die Dominus iuſtus Iudex: ſcientes quòd nos ad liberationem eorum ſtudium diligens, & operam efficacem, ſi deſuper datum fuerit, ſatagemus adhibere. Denique ad tuam duximus notitiam perferendum, quòd iam inter omnia deſiderabilia cordis noſtri duo in hoc ſeculo principaliter affectemus, vt ad recuperationem videlicet Terræ ſanctæ, ac reformationem vniuerſalis Eccleſiæ valeamus intendere: cum effectu hoc, ad exequendum prædicta, de fratrum noſtrorum conſilio prouidimus faciendum, vt ſcilicet, quia hæc vniuerſorum fidelium communem ſtatum reſpiciunt, Generale Concilium iuxta priſcam ſanctorum Patrum conſuetudinẽ conuocemus opportuno tempore celebrandum, in quo ad extirpanda vitia, & plantandas virtutes, corrigendos exceſſus, & reformandos mores, eliminandas hæreſes, & roborandam fidem, ſopiendas diſcordias, & ſtabiliendam pacem, comprimendas oppreſſiones, & libertatem fouendam, inducendos Principes & populos Chriſtianos ad ſuccurſum & ſubſidium Terræ ſanctæ, tam à Clericis quàm à laicis impendendum, cum ceteris, quæ longum eſſet per ſingula numerare, prouidè ſtatuantur inuiolabiliter obſeruanda, circa Prælatos & ſubditos, Regulares & ſæculares, ad diuini nominis gloriam & honorem, remedium & ſalutem animarum noſtrarum, ac profectum & vtilitatem populi Chriſtiani, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis per vniuerſas ferè Chriſtianorum Prouincias conſtitutis per ſcripta noſtra mandantes, vt ſe taliter ſtudeant præparare, quòd à præſentis Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo tertio decimo anno vſq; ad duos annos & dimidium, præfixis ſibi pro termino Kal. Nouembris, noſtro ſe conſpectui repræſentent cum modeſtia & cautela, ita quòd qui Canonica fortè præpeditione detenti perſonaliter venire nequiuerint, aut remanſerint pro Chriſtianis miniſterijs exercendis, idoneos per ſe dirigant reſponſales. Quia igitur in tanto negotio tuam deſideramus habere præſentiam, fraternitatem tuam rogamus diſtrictiùs & monemus, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus, ſi fieri poterit, perſonaliter ad præſentiam noſtram accedas termino ſuprà ſcripto. Quòd ſi forſitan venire nequiueris, ſaltem aliquem virum idoneum pro te mittere ad Concilium non poſtponas. Tu denique, venerabilis frater in Chriſto, tuarum nobis apud iuſtiſſimum Iudicem & pijſſimum Patrem orationum impertire ſuffragium, quo plurimùm indigemus.

X.

Ieroſolymitano item Patriarchæ ſalubria quædam proponit pro recuperatione Terræ ſanctæ, illumque ad ſe euocat. Ibidem Bulla 7.

AIeroſolymitano Patriarchæ, Apoſtolicæ Sedis Legato. Pium & ſanctum propoſitum, quod de ſubuentione Terræ ſanctæ, pro communi ſalute Deo inſpirante concepimus, & perducere ſatagimus ad effectum, ex generalibus epiſtolis ad vniuerſas pænè Chriſtianorum Prouincias deſtinatis, quarum tibi tranſcripta dirigimus, intelliges manifeſtè: ſuper quo tantò pleniori gaudio hilareſces, quantò profectò id ardentiori deſiderio affectaſti. Ne verò deteſtabilis deteſtatio quorumdam inhabitantium Terram ipſam huius ſalutaris executionem propoſiti aut impediat, aut retardet, cùm Deum ſuis nefandis operibus non ad indulgentiam prouocent, ſed ad iram; chariſſimam nobis tuæ fraternitatis prudentiam obſecramus in Domino, quatenus more prudentis medici ad letalem eorum plagam curandam diuerſis experimentis vtaris, eosq; ſtudeas ad veram pœnitentiam reuocare, ſi fortè ſalubribus acquieſcendo conſilijs, diuinæ virtutis accipiant medicinam, per quam diuinæ ſentiant medicinæ virtutem. Licet autem dura Saracenorum perfidia non conſueuerit humilibus Chriſtianorum precibus e-

molliri; vt tamen ille noſtram humilitatem reſpiciat, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus vero dat gratiam, de virorum prudentum conſilio diuinum præoculis timorem habentium, Soldanum Damaſci & Babyloniæ, qui hereditatem Chriſti detinet occupatam, Apoſtolicis prouidimus litteris humiliter præmonendum, ſecundum formam, quam in ipſis litteris videbis expreſſam. Nam & diſpoſitionibus noſtris auditis, quæ vtinam eum poſſent omnino latere, fortaſſe omnipotens Deus ſuum in eum terrorem immittet, & benignè rogatus oſtendet facere ſe ſponteneum, quod durè compulſus facturum ſe putaret inuitum. Vnde volumus & mandamus, quatenus cum Nuntijs noſtris viros prouidos & fideles ad eum facias deſtinare, qui apud ipſum noſtrum ſtudeant promouere mandatum. Interim autem chariſſimum in Chriſto filium noſtrum I. Ieroſolymitanum Regem illuſtrem, & tam Hoſpitalis quàm militiæ Templi fratres cum peregrinis pariter & indigenis, ad defenſionem & cuſtodiam huius Terræ prudenter moneas & inducas, ne (quod auertat Dominus) ei quidquam aduerſi valeat euenire, diuino ſemper auxilio inuocato. Quia verò tuam nobis præſentiam ad hoc ſalutare propoſitum exequendum valdè credimus neceſſariam, imò quàm maximè fructuoſam, fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus, ſi videris poſſe fieri abſque graui diſpendio Terræ ſanctæ, præfixum ad vniuerſale Concilium celebrandum, quàm citò poteris, ſatagas præuenire terminum, ducens aliquos viros tecum in conſilio prouidos, & in commiſſo fideles, qui plenè nouerint circumſtantias cauſarum & rerum, temporum & locorum, quibus vndique circumſpectis ad deliberationem hereditatis Dominicæ vtiliùs intendere valeamus. Tu denique venerabilis frater in Chriſto tuarum nobis apud iuſtiſſimum Iudicem, & piiſſimum Patrem orationum impetrare ſuffragium, quo plurimùm indigemus.

XI.

Sermo primus Innocentij III. habitus in Concilio generali Lateranenſi, in quo explicat ſuum deſiderium recuperandi Terram ſanctam, ad quod ſuum & aliorum Sacerdotum ſubſidium pollicetur: de vniuerſalis Eccleſiæ reformatione, ac denique de profectione ex mortali hac & temporali vita ad immortalem & æternam.

DEſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar, id eſt, antequam moriar, Lucæ XXII. *Quia mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum, non abnuo, ſi diſpoſitum eſt à Deo, bibere calicem paſſionis, ſiue pro defenſione fidei Catholicæ, ſiue pro ſubſidio Terræ ſanctæ, ſiue pro ſtatu Eccleſiaſticæ libertatis mihi fuerit propinatus: quamquam deſiderem in carne permanere, donec conſumitur opus inceptum. Verumtamen non mea, ſed Dei voluntas fiat. Et ideò dixi vobis: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Multa ſunt & varia hominum deſideria, quis ea ſufficit explicare? Omnia tamen reduci poſſunt ad duo, ſpirituale videlicet & carnale; ſpirituale, quod de cæleſtibus & æternis; carnale verò de temporalibus & terrenis. De iſto, Propheta dicit in Pſalmo: Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. Et ſponſa dicit in Canticis: Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. De illo dicit Apoſtolus: Deſideria carnis fugite, quæ militant aduerſus animam. Et alius: Deſiderium malignum longè fac à me. Ego autem illius inuoco teſtimonium, qui teſtis eſt in cælo fidelis, quòd nō carnali ſed ſpirituali deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum: non propter commoditatem terrenam, aut gloriam temporalem, ſed propter reformationem vniuerſalis Eccleſiæ, ad liberationem potiſſimùm Terræ ſanctæ. Propter quæ duo principaliter & præcipuè hoc ſacrum Concilium conuocaui. Sed fortè dicetis: Quid eſt hoc Paſcha, quod deſideras manducare nobiſcum? Paſcha namque diuerſis modis accipitur in Scripturis diuinis. Pro die. vnde: Appropinquauit dies azymorum, qui dicitur Paſcha. Pro hora. vnde: Quartadecima ad veſperam Paſcha Domini eſt. Pro agno. vnde: Venit dies azymorum, quando neceſſe erat occidi Paſcha. Pro azymo. vnde: Non introierunt prætorium, vt non contaminarentur, ſed comederent Paſcha. Pro feſto. vnde: Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat de hoc mundo ad Patrem. Et etiam pro ipſo Chriſto. vnde: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Sanè Paſcha, Hebraicè dicitur phaſe, quod eſt tranſitus, Græcè verò à πάσχειν, quod eſt pati: quia per paſſiones debemus tranſire ad gloriam, ſecundùm quod Veritas ipſa dicebat: Oportebat pati Chriſtum, & ſic intrare in gloriam ſuam. Quia ſi volumus conregnare, oportet & compati: licet non ſint condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Hoc Paſcha quod eſt phaſe, id eſt tranſitus, deſiderio deſideraui manducare vobiſcum. De quo in Exodo dicitur: Comedent feſtinanter; eſt enim phaſe, id eſt, tranſitus Domini. Legitur quippe in libro Regum, & in Paralipomenon aperti-*

ſiſſimè

tiſſimè continetur, quòd decimo octauo anno Regni Ioſiæ Regis reſtauratum eſt templum, & celebratum eſt phaſe, quale non fuit factum in Iſraël à diebus Iudicum atque Regum. Vtinam hæc hiſtoria præſentis temporis ſit parabola, vt in hoc noſtri Pontificatus anno decimo octauo templum Domini, quod eſt Eccleſia, reſtauretur & celebretur phaſe ſiue Paſcha, videlicet hoc ſolemne Concilium, per quod fiat tranſitus de vitijs ad virtutes, quale reuerà non factum fuit in Iſraël à diebus Iudicum atque Regum, id eſt, à temporibus Patrum ſanctorum, atque Catholicorum Principum in populo Chriſtiano, Deum videnté per fidem. Et ego pro certo ſpero in eo, qui ſuis promittit fidelibus dicens: Vbicumque duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum ſum: quia ipſe in medio noſtrùm adeſt, ad celebrandum hoc Paſcha, qui congregati ſumus in hac Saluatoris Baſilica, in nomine Saluatoris, pro his quæ pertinent ad ſalutem. Triplex autem Paſcha ſiue phaſe deſidero vobiſcum celebrare, corporale, ſpirituale, æternale. Corporale, vt fiat tranſitus de loco ad locum, pro miſerabili Ieruſalem liberanda. Spirituale, vt fiat tranſitus de ſtatu ad ſtatum, pro vniuerſali Eccleſia reformanda. Aeternale, vt fiat tranſitus de vita in vitam, pro cæleſti gloria obtinenda. De corporali tranſitu clamat ad nos miſerabiliter Ieruſalem in Threnis per Ieremiam: O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus. Ergo tranſite ad me omnes qui diligitis me, vt à tanta miſeria me liberetis. Ego enim, quæ ſolebam eſſe domina gentium, modò facta ſum ſub tributo: quæ ſolebam eſſe plena populo, modò ſedeo quaſi ſola. Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint qui veniant ad ſolemnitatem: facti ſunt hoſtes eius in capite, loca ſancta profanata ſunt vniuerſa, & Sepulchrum Domini eſt inglorium, quod ſolebat eſſe glorioſum. Vbi colebatur vnigenitus Dei Filius Ieſus Chriſtus, modò colitur filius perditionis Mahometus. Inſultant mihi filij alieni, & improperant lignum Crucis, dicentes: Confidebas in ligno: ecce nunc adiuuet, ſi poteſt. O quantus pudor, quanta confuſio, quantum opprobrium, quòd filij ancillæ, viliſſimi Agareni, detinent matrem noſtram, matrem vniuerſorum fidelium ancillatam. Illam vtique de qua dicit Pſalmiſta: Mater Sion dicet, homo & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus: vbi Deus Rex noſter ante ſæcula ſalutem in medio terræ dignatus eſt operari. Quid itaque faciemus? Ecce ego, dilecti fratres, totum me vobis committo, totum me vobis expono, paratus iuxta conſilium veſtrum, ſi videritis expedire, perſonalem ſubire laborem, & tranſire ad Reges & Principes, & populos & nationes. Adhuc autem & vltra, ſi clamore valido eos valeam excitare, vt ſurgant ad Domini prælium præliandum, & vindicandam iniuriam Crucifixi: qui pro peccatis noſtris eiectus eſt de terra, & de ſede ſua, quam ſanguine comparauit, & in qua vniuerſa redemptionis noſtræ ſacramenta peregit. Quidquid tamen egerint alij, nos Sacerdotes Domini hoc negotium ſpecialiter aſſumamus, ſubuenientes & ſuccurrentes in perſonis & rebus neceſſitatibus Terræ ſanctæ, ita quod nullus omnino remaneat, qui non ſit particeps tanti operis, ne ſit expers tantæ mercedis. Nam & olim in ſimili caſu per Sacerdotes fecit Deus ſalutem in Iſraël, quando per Machabæos, vtique Sacerdotes, filios Mathathiæ liberauit Ieruſalem & Templum de manibus impiorum.

De ſpirituali verò tranſitu Dominus ait ad virum veſtitum lineis, habentem atramentarium ſcriptoris ad renes: Tranſi per mediam ciuitatem, & ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium atque dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ ſunt in medio eius. Deinde dixit ſex viris habentibus vaſa interitus in manibus ſuis: Tranſite per ciuitatem, ſequentes eum: & percutite omnem, ſuper quem non inueneritis Thau. Nemini parcat oculus veſter, & à Sanctuario meo incipite. Vir veſtitus lineis, habens atramentarium ſcriptoris ad renes eius, is debet eſſe qui loquatur, vir virtutibus virens, qualis erat ille, de quo dicit Scriptura: Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir iſte ſimplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo. Veſtitus lineis, id eſt, honeſtis moribus, & bonis operibus adornatus, iuxta quod alibi dicitur: Omni tempore veſtimenta tua ſint candida, id eſt, opera tua munda. Linum enim munditiam & honeſtatem deſignat, propter candorem, ad quem, per carnis macerationem & contritionem perducitur, de quo veſtis ſacerdotalis fiebat in lege. Scriptor autem egregius & ſupremus, Spiritus ſanctus eſt, digitus Dei, quo ſcriptæ fuerunt duæ tabulæ teſtamenti. De quo dicit Pſalmiſta: Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Huius ſcriptoris atramentarium eſt donum ſcientiæ, de quo per calamum linguæ atramentum doctrinæ profertur, & in cordis ſuperſcribitur pergameno. In renibus ſedes eſt deſiderij, de quibus Dominus præcipit: Renes veſtros accingetis. Et Pſalmiſta orabat ad Dominum: Vre renes meos, & cor meum. Ille igitur habet atramentarium ſcriptoris, qui per donum ſcientiæ ſibi à Spiritu ſancto datum, deſide-

*ria carnis cohibet & restringit, vt vita non discrepet à doctrina, ne sibi ipsi dicatur: Medice cura teipsum. qui prædicas non furandum, furaris? qui doces non mœchandum, mœcharis? Propterea Veritas ait: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Hinc transire præcipitur per mediam ciuitatem, & signare Thau super frontes virorum gementium & dolentium. T. est vltima littera Hebraici alphabeti, exprimens formam Crucis, qualis erat antequam Domino crucifixo Pilatus titulum superponeret: quam & sanguis agni positus super vtrumque postem & in superliminaribus domorum mirificè designabat. Hoc signum gerit in fronte, qui virtutem Crucis ostendit in opere, vt, iuxta quod dicit Apostolus, crucifigat carnem suam cum vitijs & concupiscentijs: idemq; cum Apostolo dicat: Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Tales profectò dolent & gemunt super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ciuitatis, quia peccata proximorum, frixoria sunt iustorum. Quis, inquit Apostolus, infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Vir ergo vestitus lineis, habens atramentarium scriptoris ad renes, debet transire per mediam ciuitatem, & signare Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius: quoniam Summus Pontifex, qui super domum Israël constitutus est speculator, transire debet per vniuersam Ecclesiam, quæ est ciuitas Regis magni, ciuitas posita supra montem, inuestigando & inquirendo merita singulorum, ne dicant bonum malum, vel malum bonum, ne ponant tenebras lucem, & lucem tenebras: ne mortificent animas quæ non moriuntur, aut viuificent animas quæ non viuunt. Et ideò vt distinguat & discernat inter illos & istos, debet signare Thau super frontes virorum gementium & dolentium, quatenus ostendat, eos qui dolent & gemunt super abominationibus quæ in medio Ecclesiæ perpetrantur, signatos esse Thau in frontibus suis. Tales profectò pro culpa dolent, & pro infamia gemunt super abominationibus quæ fiunt in medio ciuitatis: quoniam in tantum iam processit abominatio, quòd & infamis est culpa, & est culpa infamia. Vnde si foderimus studiosè parietem, sicut Prophetæ præcipitur, videbimus abominationes maiores, *abominationes pessimas, quas nonnulli exercent in Templo. Sex viri habentes vasa interitus vnusquisque in manu sua, vos esse debetis viri virtutum: sex quidem propter numeri sacramentum, vt perfecti sitis in opere ac sermone. Senarius enim numerus est perfectus, eò quòd redditur ex suis partibus aggregatus. vnde sexta die perfecit Deus cælum & terram, & omnem ornatum eorum. Et cùm in plenitudine temporis sexta venisset ætate, sexta die, sub hora sexta, genus redemit humanum. Ideoq; sex vltima verba dixit in Cruce. Vas interitus quod tenere debetis in manibus vestris ad interimendum scelestos, est Pontificalis auctoritas, quam exercere debetis in opere ad perimendum iniquos, exemplo Psalmistæ dicentis: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. De his vasis alibi dicitur: Tetendit arcum suum, & parauit illum, & in ipso parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Vobis ergo præcipitur: Transite per mediam ciuitatem, sequentes eum, summum videlicet Sacerdotem, quasi ducem, principem & magistrum, vt percutiatis interdicendo & suspendendo, excommunicando & deponendo, prout culpæ qualitas postulauerit. Omnem super quem non inueneritis Thau signatum ab ipso qui claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit. Signatis enim nocendum non est, iuxta quod alibi dicitur: Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. De ceteris autem dicitur: Nemini parcat oculus vester, vt non sit in vobis personarum acceptio, recolentibus illud, quod Moyses legitur dixisse Leuitis: Si quis est Domini, iungatur mihi: ponat vir gladium super femur suum. Ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem & amicum & proximum suum. Feceruntq; filij Leui iuxta sermonem Moysi. Et vos similiter faciatis. Porrò sic percutite, vt sanetis: sic occidite, vt viuificetis, eius exemplo qui ait: Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo. Et à Sanctuario meo, inquit, incipite. Tempus enim est, sicut B. Apostolus ait, vt iudicium incipiat à domo Domini. Nam omnis in populo corruptela principaliter procedit à Clero: quia si Sacerdos, qui est vnctus, peccauerit, facit delinquere populum: quippe dum laici vident turpiter & enormiter excedentes, & ipsi eorum exemplo ad iniquitatem & scelera prolabuntur. Cumq; reprehenduntur ab aliquo, protinus se excusant, dicentes: Non potest filius facere nisi quod viderit patrem facientem: & sufficit discipulo si sit sicut magister eius. Impletum est illud propheticum: Erit sicut populus, sic Sacerdos. Quin imò, erubesce Sidon, ait mare. Hinc etiam mala prouenerunt in populo Christiano. Perit fides, religio deformatur, libertas confunditur, iustitia conculcatur, hæretici pullulant, insolescunt schismatici, perfidi sæuiunt, prævalent Agareni.*

Postea Gregorius X. in pulpito coram Concilio generali Lugduni congregato, dixit, quòd prælati faciebant ruere totũ mandum, &c. Tomo 4. Concil. General.

De

De tranſitu autem æternali Dominus ait: Beati ſunt ſerui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. De hoc tranſitu ſanè Martyres gloriantur in Pſalmo, dicentes: Tranſiuimus per ignem & aquam, & induxiſti nos in refrigerium. Hoc Paſcha præ ceteris deſidero manducare vobiſcum in Regno Dei. Eſt autem manducatio corporalis, & ſpiritualis. De illa dicitur, Date illis manducare; de iſta dicitur, Macta & manduca. Item manducatio culpæ, & manducatio pœnæ. De illa dicitur, Manducauerunt ſacrificia mortuorum; de iſta legitur, Gladius meus manducabit carnes. Rurſus eſt manducatio doctrinalis, & eſt manducatio pœnitentialis. De illa dicitur, Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis; de iſta legitur, Cinerem ſicut panem manducabam. Eſt præterea manducatio Euchariſtiæ, & manducatio gloriæ. De illa dicitur, Qui manducat me, vita viuet propter me; de iſta legitur, Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Hac vltima manducatione præcipuè deſidero manducare vobiſcum hoc Paſcha, vt tranſeamus de labore ad requiem, de dolore ad gaudium, de infelicitate ad gloriam, de morte ad vitam, de corruptione ad æternitatem, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

XII.

Indictio belli & Cruciatæ contra Saracenos, pro recuperatione Terræ ſanctæ Ieruſalem, cum Indulgentiarum & priuilegiorum conceſſione pro Cruceſignatis ad illud proficiſcentibus, aut alioquin ſubſidium præſtantibus. Ibidem Bulla 12. & in Concilio Lateran. II. Tomo 4. Conciliorum generalium, & Tomo 1. Operum Innocentij, in fine.

INnocentius Papa III. &c. Ad liberandam Terram ſanctam de manibus impiorum ardenti deſiderio adſpirantes, de prudentum virorum conſilio, qui plenè nouerunt circumſtantias temporum & locorum, ſacro approbante Concilio diffinimus, vt ità Cruceſignati ſe præparent, quòd in Kalend. Iunij ſequentis poſt proximum, omnes qui diſpoſuerunt tranſire per mare, conueniant in Regnum Siciliæ, alij, ſicut oportuerit & decuerit, apud Brundiſium, & alij apud Meſſanam, & partes vtrobique vicinas, vbi & nos perſonaliter, Domino annuente, diſpoſuimus tunc adeſſe; quatenus noſtro conſilio & auxilio exercitus Chriſtianus ſalubriter ordinetur, cum benedictione diuina & Apoſtolica profecturus.

Ad eundem quoque terminum ſe ſtudeant præparare, qui propoſuerunt per terram proficiſci; ſignificaturi hoc interim nobis, vt eis ad conſilium & auxilium Legatum idoneum de noſtro latere concedamus.

Sacerdotes autem & alij Clerici qui fuerint in exercitu Chriſtiano, tam ſubditi quàm Prælati, orationi & exhortationi diligenter inſiſtant, docentes eos verbo pariter & exemplo, vt timorem & amorem ſemper habeant diuinum ante oculos, nequid dicant aut faciant, quod diuinam Maieſtatem offendat. Et ſi aliquando lapſi fuerint in peccatum, per veram pœnitentiam mox reſurgant, gerentes humilitatem cordis & corporis; & tam in victu quàm in veſtitu mediocritatem ſeruantes, diſſenſiones & æmulationes omnino vitando, rancore ac liuore à ſe penitus relegatis, vt ſic ſpiritualibus & materialibus armis muniti, aduerſus hoſtes fidei ſecuriùs prælientur, non de ſua præſumentes potentia, ſed de diuina virtute ſperantes.

Ipſis autem Clericis indulgemus, vt beneficia ſua integra percipiant per triennium, ac ſi eſſent in Eccleſiis reſidentes; & ſi neceſſe fuerit, ea per id temporis pignori valeant obligare.

Ne igitur hoc ſanctum propoſitum impediri vel retardari contingat, vniuerſis Eccleſiarum Prælatis diſtrictè præcipimus, vt ſinguli per loca ſua illos qui ſignum Crucis diſpoſuerunt reſumere, ac tam ipſos quàm alios Cruceſignatos, & quos adhuc ſignari contigerit, ad reddendum vota ſua Domino diligenter moneant & inducant, & ſi neceſſe fuerit, per excommunicationis in perſonas, & interdicti ſententias in terras eorum, omni tergiuerſatione ceſſante, compellant, illis dumtaxat exceptis, quibus tale impedimentum occurrerit, propter quod ſecundùm Sedis Apoſtolicæ prouidentiam, votum eorum commutari debeat meritò vel differri.

Ad hæc ne quid in negotio Ieſu Chriſti de contingentibus omittatur, volumus & mandamus, vt Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & alij qui curam obtinent animarum, ſtudiosè proponant ſibi commiſſis verbum Crucis, obſecrantes per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, vnum ſolum verum æternum Deum, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites & Barones, alioſq; Magnates, nec non Communitates ciuitatum, villarum, oppidorum, vt qui perſonaliter non acceſſerint in ſubſidium Terræ ſanctæ, competentem conferant numerum bellatorum, cum expenſis ad triennium neceſſarijs, ſecundùm proprias facultates, in remiſſionem peccatorum ſuorum, prout in generalibus litteris eſt expreſſum, & ad maiorem cautelam etiam inferiùs exprimemus. Huius remiſſionis volumus

mus esse participes non solùm eos qui naues proprias exhibent, sed etiam illos, qui propter hoc opus naues studuerint fabricare.

Renuentibus autem, si qui fortè tam ingrati fuerint Domino Deo nostro, ex parte Apostolica firmiter protestentur, vt se sciant super hoc nobis in nouissimo districti examinis die coram tremendo iudicio responsuros. Priùs tamen considerantes, qua conscientia, quáve securitate confiteri poterunt coram vnigenito Dei Filio Iesu Christo, cui omnia Pater dedit in manus, si ei pro peccatoribus crucifixo seruire renuerint in hoc negotio, quasi propriè sibi proprio, cuius munere viuunt, cuius beneficio sustentantur, quin etiam cuius Sanguine sunt redempti.

Ne verò in humeros hominum onera grauia & importabilia imponere videamur, quæ digito nostro mouere nolimus, similes illis qui dicunt vtique sed non faciunt; ecce nos de his, quæ vltra necessarias & moderatas expensas potuimus reseruare, triginta millia librarum in hoc opus concedimus & donamus, præter nauigium, quod Crucesignatis de Vrbe atque vicinis partibus assignatur, nihilominùs ad hoc ipsum tria millia marcarum argenti, quæ apud nos de quorumdam fidelium eleëmosynis remanserint, alijs in necessitates & vtilitates prædictæ Terræ per manus fel. mem.* Abbatis Ierosolymitani Patriarchæ, ac magistrorum templi, & hospitalis fideliter distributis.

* Alberti.

Cupientes autem alios Ecclesiarum Prælatos, nec non Clericos vniuersos, & in merito & in præmio habere participes & consortes, ex communi Concilij approbatione statuimus, vt omnes omnino Clerici, tam subditi quàm Prælati, vigesimam partem Ecclesiasticorum prouentuum vsque ad triennium conferant in subsidium Terræ sanctæ, per manus eorum qui ad hoc Apostolica fuerint prouidentia ordinati: quibusdam dumtaxat Religiosis exceptis, ab hac prætaxatione meritò eximendis, illis similiter, qui assumpto vel assumendo Crucis signaculo sunt personaliter profecturi.

Nos autem & fratres nostri S. R. E. Cardinales plenariè decimam persoluimus. sciantq; se omnes ad hoc fideliter obseruandum per excommunicationis sententiam obligatos, ita quòd illi, qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurrant.

Sanè quia iusto iudicio, cælestis Imperatoris obsequijs inhærentes, speciali decet prærogatiua gaudere, cùm tempus proficiscendi annum excedat in modico, Crucesignati à collectis, vel talys, alijsq; grauaminibus sint immunes. Quorum personas & bona post Crucem assumptam, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, vt sub Archiepiscoporum, Episcoporum & aliorum Prælatorum Ecclesiæ defensione consistant. Proprijs nihilominùs protectoribus ad hoc specialiter deputandis, ita vt, donec de ipsorum obitu vel reditu certissimè cognoscatur, integra maneant & quieta. & si quisque contra præsumpserit, per censuram Ecclesiasticam compescatur.

Si qui verò proficiscentium illuc ad præstandas vsuras iuramento tenentur adstricti, creditores eorum, vt remittant eis præstitum iuramentum, & ab vsurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quòd si quisquam creditorum eos ad solutionem coëgerit vsurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animaduersione mandamus. Iudæos verò ad remittendas vsuras per secularem impelli præcipimus potestatem, & donec illas remiserint, ab vniuersis Christi fidelibus per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. His autem qui Iudæis debita soluere nequeunt in præsenti, sic Principes seculares vtili dilatione prouideant, quòd post iter arreptum, vsquequò de ipsorum obitu vel reditu certissimè cognoscatur, vsurarum incommoda non incurrant. Compulsis Iudæis prouentus pignorum, quos interim ibi perceperint, in sortem, expensis deductis necessarijs, computare, cùm huiusmodi beneficium non multum videatur habere dispendij, quod solutionem sic prorogat, quòd debitum non absorbet. Porrò Ecclesiarum Prælati, qui in exhibenda iustitia Crucesignatis & eorum familijs negligenter extiterint, sciant se grauiter puniendos.

Ceterùm quia cursarij & piratæ nimiùm impediunt subsidium Terræ sanctæ, capiendo & expoliando transeuntes ad illam, & redeuntes ab ipsa, nos speciales adiutores & fautores eorum excommunicationis vinculo innodamus, sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis scienter communicet aliquo venditionis vel emptionis contractu, & iniungentes Rectoribus ciuitatum & locorum suorum, vt eos ab hac iniquitate reuocent & compescant. Alioquin quia nolle perturbare peruersos, nihil aliud est quàm fouere; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, in personas & terras eorum per Ecclesiarum Prælatos seueritatem Ecclesiasticam volumus & præcipimus exerceri.

Excommunicamus præterea & anathematizamus illos falsos & impios Christianos, qui contra ipsum Christum & populum Christianum Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum, eos etiam qui galeas eis vendunt vel naues, quiq; in piraticis Saracenorum nauibus curam & gubernationem exercent, vel in machinis aut quibuslibet alijs aliquod eis impendunt auxilium, consilium vel fauorem, in dispendium Terræ sanctæ, ipsarum

rum rerum ſuarum priuatione mulctari, & capientium ſeruos fore cenſemus, præcipientes, vt per omnes vrbes maritimas diebus Dominicis & feſtiuis huiuſmodi ſententia innouetur. Et talibus gremium nō aperiatur Eccleſiæ, niſi totum quod ex ſubſtantia tam damnata perceperint, & tantumdem de ſua in ſubſidium Terræ prædictæ tranſmiſerint, vt æquo iudicio, in quo deliquerint, puniantur. Quòd ſi fortè ſoluendo non fuerint, aliàs hic reatus talium caſtigetur, quòd in pœna ipſorum alijs interdicatur audacia ſimilia præſumendi.

Prohibemus inſuper omnibus Chriſtianis, & ſub anathemate interdicimus, ne in terras Saracenorum, qui partes Orientales inhabitant, vſque ad quadriennium tranſmittant, aut tranſeant naues ſuas; vt per hoc volentibus transfretare in ſubſidium Terræ ſanctæ maior nauigij copia præparetur, & Saracenis prædictis ſubtrahatur auxilium, quod eis conſueuit ex hoc non modicum prouenire.

Licet autem torneamenta ſint in diuerſis Concilijs ſub certa pœna generaliter interdicta, quia tamen hoc tempore Crucis negotium ea plurimum impeditur, nos illa ſub pœna excommunicationis firmiter prohibemus, vſque ad triennium exerceri.

Quia verò ad hoc negotium exequendum, eſt permaximè neceſſarium, vt Principes & populi Chriſtiani ad inuicem pacem obſeruent, ſancta vniuerſali ſynodo ſuadente ſtatuimus, vt ſaltem per quadriennium in toto orbe Chriſtiano ſeruetur pax generaliter, ita quòd per Eccleſiarum Prælatos diſcordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treguam inuiolabiliter obſeruandam. & qui acquieſcere fortè contempſerint, per excommunicationem in perſonas, & interdictum in terras arctiſſimè compellantur, niſi tanta fuerit iniuriarum malitia, quòd ipſi tali non debeant pace gaudere. Quòd ſi fortè cenſuram Eccleſiaſticam vilipenderint, poterunt non immeritò formidare, ne per auctoritatem Eccleſiæ, circa eos tamquam perturbatores negotij Crucifixi, ſæcularis potentia inducatur.

Nos igitur „omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, ex illa, quam nobis (licet indignè) Deus ligandi atque ſoluendi contulit poteſtatem, omnibus, qui laborem proprijs perſonis ſubierint & expenſis, plenam ſuorum peccaminū, de quibus liberaliter fuerint corde contriti & confeſſi, veniam indulgemus, & in retributione iuſtorum, ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autē, qui non in perſonis proprijs illuc acceſſerint, ſed in ſuis duntaxat expenſis iuxta facultatem & qualitatē ſuam viros idoneos deſtinarint, & illis ſimiliter, qui licet in alienis expenſis, in proprijs tamen perſonis acceſſerint, plenam ſuorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remiſſionis volumus & concedimus eſſe participes, iuxta qualitatem ſubſidij, & deuotionis affectum, omnes qui ad ſubuentionem ipſius Terræ de bonis ſuis congruè miniſtrabunt, aut conſilium & auxilium impenderint opportunum. Omnibus etiam pie proficiſcentibus in hoc opere, in communi vniuerſalis Synodus omnium beneficiorum ſuorum ſuffragium impartimur, vt eis dignè proficiat ad ſalutem. Amen. Dat. Laterani 19. Kal. Ianuarij, Pontificatus noſtri anno 18. aliàs 8.

Ita traditur in Vita huius Pontificis, & in Hiſtoria Concilij Lateranenſis.

Sanctiſſimus hic idem & ſapientiſſimus Pontifex, cùm in magnam veniſſet ſpem recuperandæ Ieroſolymæ, tum zelo domus Dei qui eum comedebat, tum quia ſuo tempore Saraceni inter ſe diuiſi erant, tum quòd Latini aliqui Principes, expugnata Conſtantinopoli, Græciam ipſam ſuo Imperio ſubieciſſent, & Balduinus Flandriæ Comes Conſtantinopolitanus Imperator eſſet electus, pluribus litteris, ſermonibus & legationibus inſtitit, omnemque operam dedit, vt Ieroſolyma & tota Terra ſancta ex infidelium manibus eriperetur, Chriſtianoque cultui reſtitueretur. Et præter Generale congregatum Lateranenſe Concilium, & ſermones à ſe habitos, & conſcriptas Epiſtolas ſuprà memoratas, & ex Tomo 4. Conciliorum Generalium & Bullario excerptas, alias eiuſdem argumenti ſcripſit ad Reges & Principes Eccleſiaſticos & ſæculares, concedens ſpirituales ac temporales gratias: quæ quoniam multæ ſunt, & fere eiuſdem argumenti cum ijs quę iam à nobis deſcriptæ ſunt, & omnes ſparſim inueniuntur in 2. Tom. Operum Innocentij III. lib. 1. & 2. Epiſtolar. decretalium, hîc non ſubſcribo. ſufficerit earumdem titulos, argumenta, principium, & paginam operis adnotaſſe, vt qui eas legere deſiderat, abſque labore inuenire poſſit.

Ex Innocentio III. Coloniæ impreſſo apud Maternum Cholinum M.D.LXXV

Et in primis libro 1. pagina 6. *Ieroſolymitano Patriarchæ, & Suffraganeis eius.* De promotione Domini Papæ, & negotio Terræ ſanctæ. *Rex regum, & Dominus dominantium*, &c.

Pag. 7. In eumdem ferè modum *Magduntino Archiepiſcopo, & Epiſcopis de Regno Alemaniæ in vltramarinis partibus conſtitutis*, vſque ad finem. *Rogamus inſuper*, &c.

Ibidem, *Duci Lauaniæ Lantgrauio Duringiæ, & alijs de Regno Alemanicæ in vltramarinis partibus conſtitutis*, vt ad remiſſionem peccatorum ſint feruentes in ſeruitio

tio Iesu Christi. *Quanta sit circa genus humanum*, &c.

Pag. 178. *N. Magdeburgensi Archiepiscopo, & Suffraganeis eius.* Ne pro Terræ sanctæ recuperatione laborantibus iniuriæ inferantur, & vt pro commissis satisfiat. *Quantò grauioribus*, &c.

Pag. 211. *N. Narbonensi Archiepiscopo, & Suffraganeis eius, Abbatibus quoque, Prioribus, & alijs Ecclesiarum Prælatis, Comitibus etiam, & Baronibus, & vniuerso populo in Narbonensi prouincia constitutis.* Hortatur omnes & singulos ad sacrum bellum contra impios Saracenos pro recuperatione Terræ sanctæ, pro qua ipse Pontifex subsidium promptum promittit, mittens nonnullos S. R. E. Cardinales Crucesignatos suis & reliquorum Cardinalium expensis, aliudque insuper pollicetur subsidium. Mandat & alijs Prælatis vt milites submittant, vel sufficientia stipendia pro militibus conscribendis. Proficiscentibus ad sacrum bellum plenam concedit peccatorum remissionem, & alijs qui eidem subsidium impendent, & quomodolibet adiuuabunt, iuxta affectum & subsidij conditionem. Ac denique illos in clientelam Apostolicæ Sedis suscipit cum bonis eorum, & ne molestia illis inferatur præcipit, &c. *Post Ieroſol. regionis excidium*, &c.

Pag. 217. *N. Episcopo Lidden.* Vt Siculos armet ad bellum sacrum pro recuperanda Terra sancta instituto, & gratias iam relatis similes concedit. *Cùm credamus; imò teneamus pro certo*, &c. *Eidem*, eiusdem planè argumenti. *Ad sollicitandos*, &c. In eumdem modum *Tranensi Archiepiscopo. Cupersan. Episcopo. Priori S. Andreæ de Beneuento, Syracusano Episcopo, Abbati de Floribus.*

Pag. 218. *Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & vniuersis Ecclesiarum Prælatis per totum Regnum Franciæ constitutis.* Vt Legatos Apostolicos, qui pacem inter Galliæ & Angliæ Regem conciliarè, & ad bellum Saracenis inferendum exhortari debebant, humaniter exciperent. *Licet commissa nobis à Domino*, &c.

Pag. 223. *Illustri Constantinopolitano Imperatori.* Vt Saracenis fortiter resistat, & Græcam Ecclesiam ad Latinam tamquam matrem redire cogat. *Imperialis excellentiæ magnitudo*, &c.

Pag. 225. *M. Illustri Regi Francorum.* Vt cum Serenissimo Anglorum Rege pacem faciat, & contra Saracenos bellum sacrum cum reliquo Christiano orbe prosequatur. *Mediator Dei & hominum*, &c. Scriptum est in eumdem modum *R. Illustri Regi Anglorum.* Scriptum est insuper vniuersis *Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & ceteris Ecclesiarum Prælatis, in vtriusque Regis Regno constitutis.*

Pag. 226. *N. Potestati & Populo Spoletan. Baronibus, Nobilibus, & vniuersis fidelibus nostris in Spoletana diœcesi constitutis.* Vt Cardinali Romani Pontificis Vicario obtemperent. *Magnificauit Dominus*, &c. In eumdem modum *Potestati & populo Reatino, Baronibus, Nobilibus & vniuersis fidelibus nostris in Reatina diœcesi constitutis.* Item *Fulginatibus, Assisinatibus, Eugubinis, Perusinis, Castellanis, Tudertinis.*

Pag. 257. *Nobili viro R. Comiti Tolosano.* Vt contra Paganos arma suscipiat, propter quod peccatorum veniam elargitur, & Apostolicæ ptotectionis præsidium pollicetur. *Cùm in tantùm te olim*, &c.

Pag. 258. *Fratri Fulconi.* Vt cum reliquis Ecclesiæ filijs ad militiam sacram proficiscatur: eique auctoritate Apostolica concedit plenam facultatem, vt de consensu Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legati, tam de Monachis nigris, quàm albis, siue Canonicis Regularibus, aliquot, quos ad prædicandum idoneos esse repererit, nullius contradictione vel appellatione obstante, liberè sibi possit coadiutores adiungere, &c. *Salutiferum tuæ doctrinæ*, &c.

Pag. 262. *N. Ebredunensi Archiepiscopo. N. Arelatensi, Aquensi Archiepiscopis, & Suffraganeis eorum.* Vt in Concilio Prouinciali decernant de colligendo subsidio ad bellum sacrum contra Saracenos. Et ne quis se opponat, sub certa pœna præcipit; opemque dantibus peccatorum veniam, & Apostolicæ protectionis præsidium indulget. *Si ad excitandos*, &c.

Pag. 264. *Nobili viro V. V. Comiti Forcalcariensi*, sine salutatione. Vt ad bellum sacrum vnà cum alijs Christianis Principibus proficiscatur. Vt de peccatis pœniteat hortatur, & pro illorum plena remissione, facta confessione, & sacramentali absolutione suscepta, sacro bello nomen dare iungit. *Si ad actus tuos*, &c.

Pag. 265. *Nobili viro R. de Agout.* Vt Comitem Forcalcariensem ad sacrum bellum inuitet, vt eumdem ad excommunicationis deprecationem, & post impetratum absolutionis beneficium, ad Dominicæ Crucis susceptionem inducere studeat. *Ad meritum*, &c.

Pag. 265. *N. Pisano Archiepiscopo, N. Episcopo Vrbinati, N. Camaldulensi, & N. sancti Fridiani Prioribus.* Collectam pro Terræ sanctæ subsidio pecuniam à Pontifice in suos vsus, sed ad vtilitatem publicam impendendam esse. *Cùm ad exhortandos fidelium populos*, &c.

Pag.

Digitized by Google

Pag. 286. *A. Illuſtri Regi, & A. Reginæ Ieroſolymitanæ.* Regnum Ieroſolymitanum ipſis tribuit, & ſub protectionem Apoſtolicam eos recipit. *Cùm Terra ſancta*, &c.

Pag. 287. *N. Comiti Tripolitano.* Vt Regi Cypri contra Saracenos decertanti, in conſeruando & gubernando iſto Regno auxilio ſit, cùm præſertim ex eo Terræ ſanctæ ingens commodum proueniat. *In afflictione Terræ ſanctæ*, &c. In eumdem modum *Nobili viro N. Principi Antiocheno, N. Magiſtro & Fratribus Militiæ templi, & N. Magiſtro & Fratribus Hoſpitalis Ieroſolymitani.*

Ibidem. *Vniuerſis habitatoribus Ieroſolymitanæ Prouinciæ.* Vt hi qui à voto adeundi Ieroſolymam abſoluuntur, aliquam pecuniam ad bellum ſacrum nihilominùs dare teneantur. *Licet quiſque teneatur Domino votum reddere*, &c. In eumdem modum vniuerſis habitatoribus Antiochenæ prouinciæ.

Pag. 312. *Aimerico Illuſtri Regi Ieroſolymitano.* Hortatur illum ad pietatem & modeſtiam, auxiliaque ſua promittit. *Venientem ad nos*, &c.

Pag. 323. *N. Syracuſano Epiſcopo, & N. Abbati de Sambucino.* Varia de recuperanda Terra ſancta ediſſeruntur.

Pag. 339. *Duci & populo Venetorum.* Ne Saracenis arma & ſubſidium, mercaturæ prætextu, ſubminiſtrent. *In fauorem Orientalis prouinciæ*, &c.

Deinde ex ſecundo Epiſtolarum libro, pag. 499. *Ieroſolymitano Patriarchæ, Lideſenſi Epiſcopo, Ieroſolymitani Hoſpitalis & Militiæ templi Magiſtris.* Vt collectam tranſmiſſamque eleëmoſynam fideliter diſtribuant, & ſtatum Terræ ſanctæ deſcribant. *Iam ex litteris noſtris*, &c.

Pag. 518. *Alexius in Chriſto Deo fidelis Imperator diuinitus coronatus, ſublimis, potens, excelſus, ſemper auguſtus, Moderator Romanorum Communis.* De reuerentia & officio ſuo erga Romanam Eccleſiam, ac de recuperanda Terra ſancta. *Innocentio ſanctiſſimo Papæ Romano honorem condecentem*, &c.

Pag. 520. *Alexio Illuſtri Conſtantinopolitano Imperatori.* Ad ſuperiorem Epiſtolam reſpondet, & ad propoſita implenda hortatur. *Multæ nobis attulit exultationis affectum*, &c.

Pag. 549. *Illuſtri Regi Francorum.* Vt Regi Ieroſolymitano contra Saracenos auxilia mittat, & Græcorum Imperatori ſcribat, vt ab inteſtinis contra Chriſtianos bellis abſtineat. *Nuper ad nos chariſſimus in Chriſto filius noſter A.* &c.

Pag. 552. *Pagano & Arroni Comitibus, & vniuerſis alijs Baronibus, militibus, & populo in Regno chariſſimi in Chriſto filij noſtri Leonis illuſtris Regis Armeniæ conſtitutis.* Vt cum ſuo Rege contra Saracenos fortiter ſe gerant. *Etſi modernis temporibus*, &c. In eumdem fere modum *nobilibus viris Hugoni de Tubaria, Rodulpho & Ottoni fratribus.*

Pag. 553. *Illuſtri Regi Armeniæ.* Quòd ipſi tranſmittat vexillum beati Petri, quo contra Crucis inimicos vtatur. *Et tibi congaudemus*, &c.

Pag. 561. *Ciſtertienſi, Clarenallenſi, Pontiniacenſi, de Feritate, & vniuerſis Abbatibus Ciſtertienſis Ordinis.* Vt quinquageſimam bonorum ſuorum partem in vſus belli Turcici conferant. *Nouit is qui nihil ignorat*, &c.

Pag. 562. *Archiepiſcopo Magdeburgenſi & Suffraganeis eius, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & vniuerſis Clericis tam ſubditis quàm Prælatis Magdeburgenſis Prouinciæ conſtitutis.* Vt Chriſtianos in Oriente pecunia & viribus contra Saracenos adiuuent. *Graues Orientalis terræ*, &c. In eumdem modum ſcriptum eſt per totam *Alemaniam, Tuſciam, Lombardiam*, per *Regnum Franciæ*, per *Regnum Angliæ*, per *Regnum Vngariæ*, per *Sclauoniam*, per *Hibernam*, per *Regnum Scotiæ.*

Pag. 565. *Vniuerſis Chriſti fidelibus per Viennenſem Prouinciam conſtitutis.* Eiuſdem argumenti cum duabus præcedentibus. *Niſi nobis dictum*, &c. In eumdem modum ſcriptum eſt vniuerſis Chriſti fidelibus per ſupradicta Regna & Prouincias conſtitutis.

Pag. 567. *Abbatibus, Prioribus, & vniuerſis exemptarum Eccleſiarum Prælatis in Mediolanenſi Prouincia conſtitutis.* Vt quadrageſimam omnium bonorum ſuorum ad ſacrum bellum conferant. *Formam Apoſtolicæ conſtitutionis*, &c. Scriptum eſt in eumdem modum vniuerſis *Abbatibus, Prioribus, & exemptarum Eccleſiarum Prælatis in eiſdem Prouincijs conſtitutis.*

VIII.

GREGORIVS IX. Italus, Hugolinus anteà dictus, Anagnia prouinciæ Campaniæ ciuitate oriundus, Triſterij de Comitibus Signiæ filius, ob egregia merita S.R.E. Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis ac Velitternus factus, tandem die 20. Martij anno 1227. ad ſummum Pontificatum ſublimatus fuit, in quo vixit annis quindecim.

I.

Mandat Eccleſiarum Prælatis, vt omnem fauorem exhibeant Fratribus Mino-

ribus ædificantibus Eccleſias & Oratoria in ſuis diœceſibus, & vt eorumdem cœmeteria benedicant, neque contra ipſos vel interdictum* vel excommunicationem, abſque Sedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia, promulgent. Ex manuſcripto Veneto.

Gregorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus, Antiochenſi & Ieroſolymitano Patriarchis, Apoſtolicæ Sedis Legatis, ac vniuerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis, & dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, & alijs Eccleſiarum Prælatis, ad quos littera iſta peruenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Si Ordinis Fratrum Minorum Religionem attenditis, pateritis plenè cognoſcere, quòd temporalia bona non cupiunt: nam ex eorum inſtitutione ſufficientiam ſuam in paupertate poſuerunt, & eam præcipuè ſunt profeſſi, ſicq; ſibi fauorem veſtrum, cùm expedierit, eò facilùs impenderitis, quò minùs præſumitur quòd ipſi quærant vel ambiant commodum temporale. Quapropter vniuerſitatem veſtram monemus & exhortamur attentè, diſtrictè vobis per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus, ſi aliquis fidelium, vel ijdem, ad opus ipſorum conſtituere voluerint Oratoria in veſtris Parochijs, cùm ipſi ſalutem quærant animarum, & earum lucris intendant, fauorem eis ſuper hoc benevolum præbeatis, liberè permittentes, quibus permiſſum eſt à Prouinciali Miniſtro viros idoneos in veſtris Parochijs proponere verbum Dei. Volumus tamen, quòd non percipiant decimas, primitias, & obligationes, nec habeant Eccleſiaſticam ſepulturam niſi pro Fratribus Ordinis ſupradicti. Præterea cùm fueritis requiſiti, cœmeteria ad opus ipſorum, ab Apoſtolica Sede ſibi conceſſa benedicere procuretis, nullatenus compellentes in eoſdem aliquam interdicti vel excommunicationis ſententiam promulgare, ſine mandato Sedis Apoſtolicæ, ſpeciale mandatum & præceptum noſtrum taliter impleturi, quòd Religionis comprobemini Zelatores, & nos magis reddatis vobis inde fauorabiles & benignos, nec cogamur eis in hac parte per alios prouidere.

II.

Concedit FF. Minoribus, vt infidelibus verbum Dei proponere, eoſdem baptizare, atque charactere Clericali inſignire, & ab Eccleſia ſeparatos eidem reconciliare poſſint. Ex Archiuo ſacri Montis Sion.

Gregorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Fratribus Ordinis Fratrum Minorum in terra Saracenorum & Paganorum proficiſcentibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pro zelo Chriſtianæ fidei, & pro illuminatione gentium in ignorantia ac erroris ambulantium cæcitate, peregrinationem vobis aſſumentibus ad exteras nationes præſentium auctoritate concedimus, vt proponere verbum Dei, & illarum partium homines, per myſterium exhortationis veſtræ, conuerti ad vnitatem Chriſtianæ fidei cupientes, recipere ac baptizare poſſitis, & Eccleſiæ ſacroſanctæ filios aggregare, inſignire charactere Clericali, ac eos, qui per apoſtaſiam, ſchiſma, vel hæreſim à Chriſtiani confeſſione nominis recedentes, inter Saracenos habitant, abſoluere ac reconciliare per gratiam pœnitentiæ ſalutaris, ſi ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ in humilitatis ſpiritu duxerint redeundum. Datum Laterani 4. Kalendas Februarij, Pontificatus noſtri anno 11.

III.

Mandat Archiepiſcopo Rhemenſi & fratri VVillelmo, vt Comiti Barri de ſubſidio pro itinere verſus Terram ſanctam prouideant. Reg. Vatic. Epiſt. 408. Apud VVading. Tomo 1. Annal. Minorum in Regeſto Pontificum.

Archiepiſcopo Rhemenſi, & fratri VVillelmo Pœnitentiario noſtro. Cùm dilectus filius, nobilis vir H. Comes Barri Ducis Cruceſignatus, centum, ſicut aſſeruit, milites ducere ſecum, Domino concedente, proponat in ſubſidium Terræ ſanctæ, vel Imperij Conſtantinopolitani, prout de noſtra fuerit voluntate, idq; ſine magnis ſumptibus nequeat adimplere; mandamus, quatenus decimam pecuniæ, quæ de redemptione votorum Cruceſignatorum Rhemenſis prouinciæ, pauperum ſcilicet, debilium & infirmorum, quorum vobis abſolutio eſt commiſſa, ad manus veſtras primò deuenerit, ei ad perſecutionem voti ſui pro meliori apparatu ad itineris ſui principium perſoluatis.

IV.

Executionem negotij Comiti Barri ſuprà commiſſi commendat Epiſcopo Rhemenſi. Reg. Vatic. Epiſt. 409. Apud VVadingum.

Cvm, ſicut ex parte dilecti filij nobilis viri H. Comitis Barri Ducis fuit propoſitum coram nobis, nos ei ſpecialem gratiam facientes, ea quæ proueniunt ex redemptione votorum Cruceſignatorum prouinciæ Rhemenſis ſibi duxerimus concedenda, vobis eorum collectoribus deputatis, nolentes eam huiuſmodi ſubſidio defraudari, mandamus, quatenus in executione mandati noſtri vobis ſuper hoc directi, non obſtantibus aliquibus literis, ſi quæ prater conceſſionem infrà ſcriptam dicto

dicto Comiti ab Apoſtolica Sede apparuerint impetratæ, quæ de ipſa conceſſione mentionem non faciant, præcedatis. Contradictores ſi qui fuerint, &c.

V.

Mandat VVilielmo Pœnitentiario, vt prouideat aliquod ſubſidium, pro itinere verſus Terram ſanctam, D. G. de Argentonio. Reg. Vatic. Epiſtola 410. Apud VVadingum.

INtellecto dudum, quòd dilectus filius nobilis vir G. de Argentonio Pictauienſis diœceſis, Cruceſignatus, in ſubſidium Terræ ſanctæ vouerit, quòd illuc duceret 20. milites more Regni Franciæ præparatos, & quòd ad eiuſmodi perfectionem voti ſibi propriæ non ſuppetant facultates, eiuſdem precibus inclinati Ven. F.N. Epiſcopo Pictauienſi dedimus noſtris litteris in mandatis, vt de bonis, quæ de vigeſima, ſeu trigeſima, vel pro redemptione votorum in eadem diœceſi haberi contingeret, de conſilio ſuo & Prælatorum, qui forent ad diſtributionem dictorum bonorum à Sede Apoſtolica deputati, pars congrua dicto Nobili in ſuarum expenſarum ſubſidium præberetur. Verùm, quia, ſicut dicitur, renitente dilecto filio nobili viro Comite Britanniæ, cui prædicta bona in diœceſi præfata percipere, fuit ab Apoſtolica Sede conceſſum, huiuſmodi prouiſio prouenire non potuit: nos de benignitate ſolita prouidere valentes, quòd idem G. fructum de noſtra percepiſſe gratia gratuletur, mandamus, quatenus de bonis eiſdem quæ pro memorata redemptione in ipſa diœceſi haberi contigerit, portionem congruam, iuxta tuum & prudentum virorum arbitrium, ſub tuo & eorum ſigillis, nomine dicti G. cuſtodiendam fideliter poni facias in ſequeſtro, vt eidem, cùm ad Tranſmarinas partes, Deo duce, peruenerit, ibidem in ſuarum expenſarum ſubſidium tribuatur. Datum Lateran. 7. Kalend. Martij anno Chriſti 1238.

VI.

Reſpondet Pontifex ad quædam interrogata circa colligenda legata in Terræ ſanctæ ſubſidium. Ex Reg. Vat. Epiſt. 172. Apud VVadingum.

FRatri VVilielmo Pœnitentiario noſtro, & Decano Pariſienſi. Conſultationi veſtræ ſic duximus reſpondendum, quòd legata in Terræ ſanctæ ſubſidium, quæ teſtator certis aſſignari perſonis, per certas perſonas in ipſius ſubſidium deferri mandauit, exigere non valeatis. Ea verò quæ pro eodem ſubſidio bellatoribus incertis exolui præcepit, exigere, & detentores ipſorum ad exhibendum ea vobis, iuxta mandati noſtri tenorem vobis directi, coarctare poteſtis.

VII.

Mandat idem Pontifex abſolui à voto proficiſcendi in ſubſidium Terræ ſanctæ debiles & impotentes. Reg. Vat. Epiſt. 328. Apud VVadingum.

SEnonenſi, & ..... Rothomagen. Archiepiſcopis, & fratri VVilhelmo de Ordine Fratrum Minorum Pœnitentiario noſtro. Cùm, ſicut accepimus, nonnulli de Francia propter ſenectutem, alij ob debilitatem, quidam verò propter infirmitatem, non poſſunt exequi perſonaliter votum, quod, aſſumpto Crucis ſignaculo, de tranſeundo in Terræ ſanctæ ſubſidium emiſerunt, mandamus, quatenus tales à voto huiuſmodi abſoluatis, ita tamen quòd priùs ſoluant in manibus veſtris vniuerſas expenſas, quas eſſent in eundo, morando, & redeundo facturi, aliàs laborem itineris pietatis operibus compenſando, illam ſuorum peccaminum indulgentiam habituri, quæ tranſeuntibus in ipſius Terræ ſuccurſum in generali Concilio eſt conceſſa. Quòd ſi non omnes, &c. *Dat. Later. 4. Non. Decembris, anno Chriſti* 1239.

IX.

INNOCENTIVS IV. natione Italus, patriâ Genuenſis ex prouincia Liguriæ, patre Obizzone de Fliſcis, Sinibaldus anteà dictus, ex S. R. E. Presbytero Cardinali titul. S. Laurentij in Lucina, die 24. Iunij anno 1243. Anagniæ, quæ eſt prouinciæ Campaniæ ciuitas, Summus Pontifex factus, in Pontificatu vixit annos 11. menſes 5.

I.

Sub hoc Pontifice anno Domini 1245. celebratum fuit Lugdunenſe Concilium I. generale, in quo præter alias conſtitutiones, hæc ſingularis facta eſt de profectione in ſubſidium Terræ ſanctæ, in qua Pontifex multa ſalubria ſanciuit pro Cruceſignatis, & Eccleſiaſticis Chriſtiano exercitui inſeruientibus, iſtiſque & alijs ſacræ expeditioni opem ferentibus ſpirituales ac temporales gratias concedit, & in opponentes ſe eidem expeditioni cenſuras vibrauit Eccleſiaſticas. Habetur ea Conſtitutio Tomo 4. Conciliorum generalium, ſub finem dicti Concilij, vbi hæc quæ ſubiungimus leguntur:

AFflicti corde pro deplorandis Terræ ſanctæ periculis, ſed pro illis præcipuè, quæ conſtitutis in ipſa fidelibus noſcuntur noniter accidiſſe, ad liberandam ipſam Deo propitio de impiorum manibus, totis affectibus aſpiramus, diffinientes, ſacro approbante Concilio, vt ita Cruceſignati ſe præparent, quòd opportuno tempore, vniuerſis inſinuando fidelibus

per Prædicatores & noſtros Nuntios ſpeciales, omnes qui diſpoſuerint transfretare, in locis idoneis ad hoc conueniant: de quibus in eiuſdem Terræ ſubſidium cum diuina & Apoſtolica benedictione procedant. Sacerdotes autem & alij Clerici, qui fuerint in exercitu Chriſtiano, tam ſubditi quàm Prælati, orationi & exhortationi diligenter inſiſtant, docentes eos verbo pariter & exemplo, vt timorem & amorem Domini ſemper habeant ante oculos, ne quid dicant aut faciant, quod æterni Regis maieſtatem offendat. Et ſi quando in peccatum lapſi fuerint, per veram pœnitentiam mox reſurgant, gerentes humilitatem cordis & corporis, & tam in victu quàm in veſtitu mediocritatem ſeruantes, diſſenſiones & æmulationes omnino euitando, rancore ac liuore à ſe penitus relegatis, vt ſic ſpiritualibus armis muniti, aduerſus hoſtes fidei ſecuriùs prælientur, non de ſua præſumentes potentia, ſed de diuina virtute ſperantes. Nobiles quidem, & potentes exercitus, ac omnes diuitijs abundantes pijs Prælatorum monitis inducantur, vt intuitu Crucifixi, pro quo Crucis ſignaculum aſſumpſerunt, ab expenſis inutilibus & ſuperfluis, ſed ab illis præcipuè quæ fiunt in comeſſationibus & conuiuijs abſtinentes, eas commutent in perſonarum illarum ſubſidium, per quas Dei negotium valeat proſperari, & eis propter hoc iuxta Prælatorum ipſorum prouidentiam, peccatorum ſuorum indulgentia tribuatur. Prædictis autem Clericis indulgemus, vt beneficia ſua integrè percipiant per triennium, ac ſi eſſent in Eccleſiis reſidentes; & ſi neceſſe fuerit, ea per idem tempus pignori valeant obligare. Ne igitur hoc ſanctum propoſitum impediri vel retardari contingat, vniuerſis Eccleſiarum Prælatis diſtrictè præcipimus, vt ſinguli per loca ſua illos, quos ſignum Crucis depoſuerunt, reſumere, ac tam ipſos, quàm alios Cruce ſignatos, & quos adhuc ſignari contigerit, ad reddendum Domino vota ſua diligenter moneant & inducant, &, ſi neceſſe fuerit, per excommunicationis in perſonas, & interdicti ſententias in terras ipſorum, omni tergiuerſatione ceſſante, compellant. Adhuc, ne quid in negotio Domini noſtri Ieſu Chriſti de contingentibus omittatur, volumus & mandamus, vt Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & alij qui curam obtinent animarum, ſtudiosè proponant commiſſis ſibi verbum Crucis, obſecrantes per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, vnum, ſolum, verum, æternum Deum, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites & Barones, aliosq; Magnates, nec non communia ciuitatum, villarum, & oppidorum, vt qui perſonaliter non acceſſerint in ſubſidium Terræ ſanctæ, competentem conferant numerum bellatorum cum expenſis ad triennium neceſſarijs ſecundùm proprias facultates, in remiſſionem ſuorum peccaminum, prout in generalibus litteris, quas pridem per orbem terræ miſimus, eſt expreſſum, & ad maiorem cautelam inferiùs etiam exprimetur.

Huius remiſſionis volumus eſſe participes, non ſolùm eos, qui ad hoc naues proprias exhibebunt, ſed illos etiam, qui propter hoc opus naues ſtuduerint fabricare. Renuentibus autem, ſi qui forte tam ingrati fuerint Domino Deo noſtro, ex parte Apoſtolica firmiter proteſtentur, vt ſe ſciant ſuper hoc nobis, in nouiſſimo diſtricti examinis die, coram tremendo Iudice reſponſuros, priùs tamen conſiderantes, qua ſcientia, quáve ſecuritate comparere poterunt coram vnigenito Dei Filio Ieſu Chriſto, cui omnia dedit Pater in manus, ſi ei pro peccatoribus crucifixo ſeruire noluerint in hoc negotio, quaſi propriè ſibi proprio, cuius munere viuunt, cuius beneficio ſuſtentantur, quin etiam cuius Sanguine ſunt redempti. Ceterùm ex communi Concilij approbatione ſtatuimus, vt omnes omninò Clerici, tam ſubditi quàm Prælati, vigeſimam Eccleſiarum prouentuum, vſq; ad triennium conferant in ſubſidium Terræ ſanctæ, per manus eorum, qui ad hoc Apoſtolica fuerint prouidentia ordinati: quibuſdam dumtaxat Religioſis exceptis, ab hac præſtatione meritò eximendis: illisq; firmiter, qui aſſumpto vel aſſumendo Crucis ſignaculo, ſunt perſonaliter profecturi. Nos & fratres noſtri ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, plenariè decimam perſoluemus: ſciantq; ſe omnes ad hoc fideliter obſeruandum per excommunicationis ſententiam obligatos, ita quòd illi, qui ſuper hoc fraudem ſcienter commiſerint, ſententiam excommunicationis incurrant.

Sanè quia, inito iudicio cæleſtis Imperatoris obſequijs inhærentes, ſpeciali decet prærogatiua gaudere, Cruceſignati à Collectis, vel talijs, aliisq; grauaminibus ſint immunes, quorum perſonas & bona poſt Crucem aſſumptam ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus: ſtatuentes, vt ſub Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, ac omnium Prælatorum Eccleſia Dei defenſione conſiſtant, proprijs nihilominùs protectoribus ad hoc ſpecialiter deputandis, ita vt, donec de ipſorum reditu vel obitu certiſſimè cognoſcatur, integra maneant & quieta; & ſi quiſquam contrà præſumpſerit, per cenſuras Eccleſiaſticas compeſcatur.

Si qui verò proficiſcentium illuc, ad præſtandas vſuras iuramento tenentur adſtricti, creditores eorum, vt remittant eis præſtitum iuramentum, & ab vſurarum exactione

ne

ne desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quòd si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit vsurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animaduersione mandamus.

Iudæos verò ad remittendas vsuras per sæcularem compelli præcipimus potestatem, & donec illas remiserint, ab vniuersis Christi fidelibus per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. Iis qui Iudæis nequeunt soluere debita in præsenti, sic Principes sæculares vtili dilatione prouideant, quòd post iter arreptum, quousque de ipsorum reditu vel obitu cognoscatur, vsurarum incommoda non incurrant, compulsis Iudæis prouentus pignorum, quos ipsi interim perceperint, in sortem, expensis deductis necessarijs, computare; cùm huiusmodi beneficium non multum videatur habere dispendij, quod solutionem sic prorogat, quòd debitum non absorbet. Porrò Ecclesiarum Prælati, qui in exhibenda iustitia Crucesignatis, & eorum familijs negligentes extiterint, sciant se grauiter puniendos.

Ceterùm, quia cursarij & piratæ nimis impediunt subsidium Terræ sanctæ, capiendo & spoliando transeuntes ad illã, & redeuntes ab ipsa; Nos eos, & principales adiutores & fautores eorum, excommunicationis vinculo innodamus, subinterminatione anathematis inhibentes, ne quis scienter cum eis communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu, & iniungentes rectoribus ciuitatum & locorum suorũ, vt eos ab hac iniquitate reuocent & compescant. Alioquin, quia nolle perturbare peruersos, nihil est aliud quàm fouere; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare; in personas & terras eorum per Ecclesiarũ Prælatos seueritatem Ecclesiasticam volumus & præcipimus exerceri. Excommunicamus præterea & anathematizamus illos falsos & impios Christianos, qui contra ipsum Christum & populum Christianum arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum: eos etiam, qui galeas eis vendunt vel naues, quiq; in piraticis Saracenorum nauibus curam gubernationis exercent, vel in machinis aut quibuslibet alijs aliquod eis impendunt auxilium vel consilium, in dispendium Terræ sanctæ, ipsosq; rerum suarum priuatione multari, & capientium fore censemus seruos: præcipientes, vt per omnes vrbes maritimas omnibus diebus Dominicis & festiuis huiusmodi sententia publicè innouetur, & talibus gremium non aperiatur Ecclesiæ, nisi totum, quod de commercio tam damnato perceperint, & tantumdem de suo in subsidium prædictæ Terræ transmiserint, vt aquo iudicio, in quo peccauerint, puniantur. Quòd si fortè non fuerint soluendo, sic aliàs reatus talium castigetur, quòd in pœna ipsorum, alijs interdicatur audacia similia præsumendi.

Prohibemus insuper omnibus Christianis, & sub anathemate interdicimus, ne in terras Saracenorum, qui partes Orientales inhabitant, vsque ad quadriennium transmittant vel transuehant naues suas, vt per has volentibus transfretare, in subsidium Terræ sanctæ, maior nauigij copia præparetur, & Saracenis prædictis subtrahatur auxilium, quod eis consueuit ex hoc non modicum prouenire. Licet autem torneamenta sint in diuersis Concilijs sub certa pœna generaliter interdicta, quia tamen hoc tempore Crucis negotium per ea plurimum impeditur, Nos ea sub pœna excommunicationis firmiter inhibemus vsque ad triennium exerceri. Quia verò ad hoc negotium exequendum, est permaximè necessarium, vt Principes & populi Christiani adinuicem pacem obseruent, sancta & vniuersali Synodo suadente statuimus, vt per quadriennium in toto orbe Christiano pax generaliter obseruetur, ita quòd per Ecclesiarum Prælatos discordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treguam inuiolabiliter obseruandam: & qui acquiescere fortè contempserint, per excommunicationem in personas, & interdictum in terras arctissimè compellantur, nisi tanta fuerit iniuriarum malitia, quòd ipsi non gaudere debeant tali pace. Quòd si fortè censuram Ecclesiasticam vilipenderent, poterunt non immeritò formidare, ne per auctoritatem Ecclesiæ contra eos, tamquam perturbatores negotij Crucifixi, sæcularis potentia inducatur. Nos ergo de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa, quam Nobis, licet indignis, Deus ligandi atque soluendi contulit potestatem, omnibus qui laborem istum in proprijs personis subierint, & expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus fuerint corde contriti, & ore confessi, veniam indulgemus: & in retributione iustorum, salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in proprijs personis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis, iuxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinauerint, & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in proprijs tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huiusmodi quoque remissionis concedimus esse participes, iuxta quantitatem subsidij, & deuotionis affectum, omnes, qui ad subuentionem ipsius Terræ de bonis suis congruè ministrabunt, aut circa prædicta consilium & auxilium impenderint opportunum. Omnibus

etiam piè proficiſcentibus in hoc opere, ſancta & vniuerſalis Synodus orationum & beneficiorum ſuorum ſuffragium impartitur, vt eis dignè proficiat ad ſalutem. Amen.

II.

Concedit FF. Minoribus, vt in terris infidelium verbum Dei proponere, quibuſcumque communicare, non baptizatos baptizare, ac charactere Clericali inſignire, & ad Acolythatum promouere, redeuntes ad Eccleſiam eidem reconciliare, & alia quæ Ordinis, Matrimonij, Pœnitentiæque Sacramenta, & reliquum diuinum cultum ſalutemque animarum reſpiciunt, exequi valeant. Ex Archiuo ſacri montis Sion.

INnocentius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Fratribus de Ordine Minorum in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Aethiopum, Syrorum, Iberorum, Alanarum, Gazarorum, Gothorum, Zitorum, Armenorum, Indorum, Moſchitorum, aliarum infidelium nationum Orientis, ſeu quarumcumque aliarum partium proficiſcentibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm hora vndecima ſit diei hominibus, vt exeant ad opus vſque ad mundi veſperam deputati, & illud Apocalypſis elogium citò credatur cum matris Eccleſiæ conſolatione complendum, & oportere viros, ſpiritualis vitæ munditiam & intelligentiæ gratiam cum Ioanne ſortitos, populis & gentibus, linguis Regibuſq; multis denuò prophetare, quia non ſequetur reliquiarum Iſraël per Iſaiam prophetam ſaluatio, niſi iuxta Paulum Apoſtolum priùs introëat gentium plenitudo. Nos, licet immeriti, ſuper Apoſtolicæ Sedis ſpeculam conſtituti, fideliter & prudenter diſpenſandis Dei myſterijs & operibus coadiuuandis intendimus, etſi, vrgente plenitudine temporis, poſt pia piorum ſtudia in vineam Domini ſabaoth nouos & pænè nouiſſimos, qui ſapientiam longam didicere per otium, operarios mittere procuramus. Vos igitur, quos iuxta profeſſæ Religionis officium zelus comedit animarum, & in quadriga quarta, quam varijs chariſmatum donis & fidei fortitudine trahitis, vbique diſcurrere, & vexillum Regis gloriæ procul leuare geſtitis, ad gentes quæ Ieſum Chriſtum Dominum non agnoſcunt, & ad ſubtractionis filios, quæ ſacroſancta Romana Eccleſia non obediunt, deſtinamus, vobis in remiſſionem omnium peccatorum iniungentes, quatenus ſeminaturi ſuper aquas multas, in illo tantùm, qui mundum dixit ſe viciſſe confiſi ad illuminationem, cæcæ multitudinis & exterminium hæreticæ falſitatis ad confirmandos nutantium animos, & fidelium confortandos, in luce ſermonis & rectitudine operis propoſitum vobis iter ſine quorumlibet offenſione curratis. Vt autem miniſterium veſtrum honoretur plenius, & honorabilius impleatur, præſentium vobis auctoritate concedimus, vt in terris quæ adhuc Sedis Apoſtolicæ magiſterio non intendunt, proponere verbum Dei, & conſtitutis ibidem, non obſtante ſi aliqua ſunt excommunicatione ligati, in verbis, officio & cibo, ac in alijs ſecurè communicare, & ipſos ſeu alios conuerti ad vnitatem Chriſtianæ fidei cupientes recipere, baptizare, ac aggregare filijs Eccleſiæ ſanctæ poſitis, nec non aggregatos eoſdem inſignire charactere Clericali, & ipſos ad Acolythatus Ordinem promouere. Liceat etiam ibidem redeuntibus ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ, qui excommunicatione ligati, abſolutionis beneficium iuxta formam Eccleſiæ impertiri, & ſuper eo diſpenſare cum ipſis qui ſacros recipiunt Ordines, & diuina celebrauerunt officia ſic ligati. Hoc ipſum vobis ſit licitum circa illos de terris eiſdem, qui temporibus indebitis, vel infra ætatem legitimam, aut qui omnes eadem die, vel qui ſuperiores, prætermiſſis inferioribus, conferre vel recipere Ordines præſumpſerunt: ſi tamen hoc ſeruata forma talis extiterit, per quam Ordines recepiſſent. Vobis præterea diſpenſare liceat, vt illi ex nationibus veſtræ prædicationi commiſſis, qui poſt ſuſceptionẽ ſacrorum Ordinum, vel in gradibus & caſibus à diuina minimè lege prohibitis matrimonia contraxerunt, remaneant in eisdem, & hi qui ad Eccleſiæ Catholicæ redierint vnitatem, vt inter ſuos habitent, eiſq; communicent, nec non quòd Clerici nationum ipſarum publicè ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ redeuntes gaudeant priuilegio Clericali. Sit etiam vobis licitum, omnium fidelium in terris prædictis confeſſiones audire, ac ipſis pœnitentias ſalutares imponere, & excommunicatos à Canone vel alio modo iuxta Eccleſiæ formam abſoluere, dummodò iniuriam & damna paſſis ſatisfaciant competenter. Cum irregularibus autem partium earumdem in illis caſibus, quibus ſolent Legati Sedis Apoſtolicæ diſpenſare, ac etiam cum Clericis ipſarum partium patientibus defectum natalium, dummodò non ſint de adulterio, vel inceſtu, aut de irregularibus procreati, ſit vobis diſpenſandi facultas; quam circa illos ſimiliter habeatis, qui ab vnitate Eccleſiæ Catholicæ ſeu Religione vel Clericali Ordine deceſſerunt, ſi humiliter redire voluerint, & dignè ſatisfacere de commiſſis, itáque ipſi Religioſi ad ſua loca, ſalua diſciplina Ordinis, reſumantur, &

& illos qui ex iam dictis, qui excommunicationis vinculo sunt adstricti, iuxta prædictam formam & prædictæ satisfactionis modum absoluere valeatis, & cum irregularibus ex eisdem, sicut est expressum superiùs, dispensare. Ad hæc sit vobis absoluendi facultas occisores Clericorum & Religiosarum personarum in prædictis partibus constitutos: fundandi de nouo ibidem Ecclesias, & conciliandi illas quæ sunt casu aliquo profanatæ, ac de nouo fundatis rectores idoneos prouidendi; & illis, qui de gentibus vel schismaticis nouiter sunt conuersi, dandi licentiam vt vxores suas, cum quibus in gradibus à lege diuina non prohibitis contraxerunt, valeant retinere. De causis matrimonialibus, quæ in partibus illis ad audientiam vestram deferri contigerit, legitimè cognoscendi, ac discordantes inter se inuicem quod ad pacem & concordiam redeant, nec non quòd inordinatè viuentes de suis excessibus, sicut iustum fuerit, satisfactionem exhibeant, compellendi per censuram Ecclesiasticam, vobis libera sit potestas. Insuper in locis, in quibus vos hospitari contigerit, vel in locis partium earumdem in quibus residentiam facietis, Missam & cetera diuina celebrare officia, & in eisdem partibus cœmeteria benedicere, ac dare Indulgentias, commutare vota, facultatem & licentiam habeatis. Ceterùm vobis concedimus, quòd à Catholicis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis positis Ordines & alia Ecclesiastica Sacramenta suscipere, ac vestes sacerdotales, altaris pallas & corporalia per eos qui ex vobis sunt Presbyteri, cùm necesse vobis fuerit, benedicere, vbi Catholicorum Episcoporum copia non habetur; nec non alia facere quæ ad augmentum diuini nominis & ampliationem Catholicæ fidei ac reprobationem & irritationem illorum quæ sacris traditionibus contradicunt, sicut pro loco & tempore videritis expedire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Lugduni 12. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno 2.

X.

Alexander IV. eiusdem cum præcedenti Pontifice Innocentio IV. patriæ & nationis, Rainaldus anteà dictus, Philippi de Comitibus Signiæ filius, primùm S. R. E. Cardinalis, Episcopus Ostiensis & Veliternus, tandem die 25. Decembris anno 1254. Summus Pontifex factus, rexit Ecclesiam annis 6. mensibus 5. Hic

I.

Concedit Minoribus, commorantibus in Prouincia Terræ sanctæ vsque in finem vitæ, eamdem indulgentiam quæ concessa est proficiscentibus in eiusdem Terræ subsidium. Ex Archiuo sacri montis Sion.

Alexander Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs Ministro & Fratribus Ordinis Minorum in Prouincia Syriæ salutem & Apostolicam benedictionem. Ex relatu fide dignorum accepimus, quòd vos populo Christiano, pro defensione fidei contra Saracenos illarum partium prælianti, non sine periculis personarum vestrarum olim fideliter adstitistis, & ita pro eodem populo in prædicationibus ac salutaribus monitis, & audiendis suis confessionibus laboratis, quòd nonnulli Fratrum vestrorum ibi degentium insistentes huiusmodi pietatis operibus ipsorum gladijs pro Christi nomine sunt perempti. Nos itaque ad hæc feruentiùs exercenda vos quibusdam illectiuis & salutiferis præmijs animare volentes, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vobis & vniuersis ac singulis vestrûm verè pœnitentibus & confessis, in Prouincia Terræ sanctæ præmissis, & alijs pijs operibus, quantum in vobis fuerit, vsque ad vltimum vitæ insistentibus, illam concedimus peccatorum veniam quæ transfretantibus in eiusdem Terræ sanctæ subsidium in generali Concilio est concessa. Datum Laterani quarto Kalend. Aprilis Pontificatus nostri anno 3.

XI.

Clemens IV. Gallus, natus in vico S. Ægidij, patre Fulcidio de Grossis, in Prouincia Narbonensi, dictus, antequam die 5. Februarij anno 1265. ad Pontificatum summum eueheretur, Guido S. R. E. Cardinalis, Episcopus Sabinus, Ecclesiæ Catholicæ clauum triennio tantùm moderatus est. Hic

I.

Constituit, vt omnia & quæcumque pia legata, in distinctè relicta, Regi Portugalliæ pro subsidio Terræ sanctæ suppeditentur. Reg. Vatic. Epist. 54. Apud VVadingum Tom. 2. Annal. in Registro & Bullis huius Pontificis.

Portugallien. & Castelli Scarannen. Vlixbonen. Diœc. Prædicatorum Prioribus, & Elboren. ac in Gardia Egitanien. Diœc. Minorum Ordinum Guardianis. Ad liberationem Terræ sanctæ toto cordis desiderio anhelantes, ad hoc studiosè intendimus, & quantum ex alto conceditur, circa ea damus opem

& operam efficacem, per quæ id Deo propitio valeat prouenire. Cum itaque charissimus in Christo filius noster Illustris Rex Portugalliæ, sicut ex parte ipsius fuit propositum coram nobis, zelo fidei ac deuotionis accensus, signo viuificæ Crucis assumpto, proponat cum decenti bellatorum comitiua in Terræ sanctæ subsidium proficisci; Nos ipsius Regis supplicationibus inclinati, sibi auctoritate Apostolica duximus indulgendum, vt legata in pios vsus indistinctè relicta seu relinquenda, non expressis aliquibus personis vel locis, dummodò non fuerint arbitrio certæ personæ commissa, in Regno & alys terris suis per triennium possit percipere in subsidium huiusmodi conuertenda. Quocircà discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut quilibet vestrûm, per vos, vel per alium aut alios, legata huiusmodi iuxta prædictæ concessionis nostræ tenorem per idem triennium in Regno & terris ipsis fideliter colligere, & in aliquo tuto loco deponere, ac ea dicto Regi, vel eius certo nuntio assignare curetis. Non obstante, si est aliquibus ab Apostolica Sede indultum, quòd interdici, suspendi, &c. Datum Viterbij 3. Kalend. Augusti anno 4.

II.

Item redemptiones votorum à Crucesignatis emissorum, & alia. Ibidem Epist. 55. apud citatum VVadingum.

AD liberationem Terræ sanctæ, &c. vt in superiori, vsque *duximus indulgendum, vt redemptiones votorum Crucesignatorum & Crucesignandorum obuentiones & legata ex quacumque causa prouenientia, eiusdem Terræ subsidio deputata, & etiam deputanda in Regno, & alys terris suis, possit per triennium percipere in subsidium huiusmodi conuertenda. Quocircà mandamus*, &c. vsque in finem. Datum vt suprà.

III.

Dat eisdem facultatem absoluendi à quibusdam censuris. Ibidem Epist. 56.

CVm charissimus in Christo filius noster Rex Portugalliæ Illustris, vt in superiori Bulla prima, vsque *subsidium proficisci. Nos ipsius Regis supplicationibus inclinati, absoluendi iuxta formam Ecclesiæ per vos vel per alium seu alios Crucesignatos, & Crucesignandos, qui cum dicto Rege proficiscentur in dictæ Terræ succursu ab excommunicationis sententia, si quam pro violenta iniectione manuum in Clericos, & personas Ecclesiasticas incurrerunt, dummodò passis iniuriam satisfecerint competenter, & illorum non fuerit adeò grauis & enormis excessus, quòd propter hoc ad Sedem Apostolicam sint meritò destinandi, plenam vobis concedimus auctoritate præsentium facultatem.* Datum vt suprà.

IV.

Vt possint Crucem & Indulgentias conferre succurrentibus Terræ sanctæ. Regest. Vatic. Epist. 57. apud VVadingum.

EIsdem. Ad liberationem Terræ sanctæ, &c. vt in superiori Bulla, vsque *subsidium proficisci. Nos volentes vt idem Rex in hoc effectum sui desiderij consequatur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædictis verbum Crucis per vos vel alios viros idoneos, tam Regulares quàm seculares per Portugallia Regnum, & alias terras Regis eiusdem, & illam volentibus recipere largiamini, concessa illis, qui in personis propryis, & expensis, & eis etiam qui personaliter, sed in alienis expensis cum Rege proficiscentur, illis quoque qui in expensis propryis illuc mittent idoneos bellatores, ac eis, qui de bonis suis aliqua mittent in subsidium dictæ Terræ, iuxta quantitatem subsidij, & deuotionis affectum, illa suorum venia peccatorum, de quibus veraciter corde contriti & ore confessi fuerint, quæ succurrentibus dictæ Terræ in Generali Concilio est concessa.* Datum, vt suprà.

V.

Vt malè parta possint in hunc vsum piè applicari. Ibidem Epist. 59.

EIsdem. Ad liberationem Terræ sanctæ, &c. vt in superiori, vsque *subsidium proficisci. Nos volentes vt idem Rex Apostolicæ Sedis fultus auxilio, suum in hac parte propositum magnificentiùs ducere valeat ad effectum, discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, & specialem præsentium auctoritate committimus, quatenus à quibuslibet personis Regni & terrarum Regis eiusdē bona, quæ acquisierunt per vsurariam pranitatem, rapinas, aliosq; modos illicitos, si personæ ipsæ bona huiusmodi sponte ad hoc elargiri voluerint, ac illi quibus eorum restitutio fieri debeat, edictis publicè propositis in locis competentibus, omnino inueniri & sciri non possint vsque ad triennium, vos vel duo, siue quilibet vestrûm per vos vel alium, aut alios ad manus vestras recipere valeatis deponenda fideliter in aliquo tuto loco, & tandem dicto Regi cùm se ad transfretandum accinxerit integrè assignanda. Ita tamen, quòd si aliquid de huiusmodi bonis dimiseritis, vel restitueritis, aut dederitis illis à quibus ea receperitis, huiusmodi dimissum, restitutum vel datum nihil ad liberationem eorum prosit, nec quantum ad illud habeantur aliquatenus absolni.* Datum, vt suprà.

Sede

XII.

Sede vacante poſt obitum Clementis IV. qui totus incumbebat liberationi Terræ ſanctæ, anno Domini 1269. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ CARDINALES, penes quos tunc Apoſtolicæ Eccleſiæ auctoritas reſidebat, cœptam à Clemente prouinciam vnanimes ſedulò proſequuntur per auxiliares copias, fauente præcipuè & præeunte Ludouico (nunc Sancto) Rege Galliarum.

I.

Confirmant legationem anteà à Clemente IV. Rodulpho Gallo Cardinali, Albano Epiſcopo, pro partibus tranſmarinis commiſſam, rogantque vt quantocyus claſſicum canat, & vt transfretet exercitus ſedulò laboret. Diploma ex formul. Marini Ebulen. lib. 1. adducit VVading. Tomo 2. Annal. Min. ſub anno Chriſti 1269. n. 3. vt ſequitur:

MIſeratione diuina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi ſacroſanctæ Eccleſiæ Cardinales, venerabili Fratri, Rodulpho Epiſcopo Albanenſi, Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem in Domino. Guſtato frequenter amaritudinis calice ſuper dilatatis oppreßionibus Terræ ſanctæ, quam ſanciat & lacerat manus Agarenorum impia, madefieri ſemper auido ſanguine Chriſtiano, eius deploramus anguſtias, & per affectum compaßionis intima ſecum ſui doloris tormenta patimur. Dolemus itaque & incolarum ipſius Terræ cruciatu continuo, quibus vix defenſionis tutela relinquitur, ſeu quietis remedium indulgetur. Sed potißimè circa opprobrium Redemptoris afficimur, cuius hereditatem nationes peruerſæ diripiunt, diris affligunt moleſtijs, & hoſtili feritate conculcant. Talibus quidem Romana Eccleſia mater diutiùs ibidem vexata moleſtijs, ſollicitudinibus anxia, & ſtudijs operoſa pro tuuanda prædicta Terra labores ſubyt varios, & quantum ſibi extitit ex alto permiſſum, manus & mentem ab eius auxilio non retraxit. Specialiter autem modernis temporibus fel. rec. Dominus Clemens Papa quartus, qui proſequi negotium ipſum efficaciter intendebat, primò venerabili fratri noſtro Simoni tituli S. Cæciliæ Presbytero Cardinali, etiam in Regno Franciæ Apoſtolicæ Sedis Legato, nonnulla, quæ ipſi negotio erant opportuna, commiſit, & poſtmodum vos ad partes Galliæ ob felicem promotionem ipſius negotij cum plena Legationis officio deſtinauit; committens vobis nihilominùs (habita ſuper hoc deliberatione ſolemni cum fratribus ſuis, eorumq; intellectis in hac parte conſilijs) idem Legationis officium in partibus tranſmarinis, voſq; de ſuis manibus Crucis recepto ſignaculo, proſecuturi commiſſum vobis officium in Franciam proceßiſtis. Cùm autem appropinquet tempus paſſagij generalis, & Legati præſentia ſit in eiſdem partibus multipliciter opportuna, maximè vt Chriſtianus exercitus, prout in tam arduo negotio conuenit, & aliàs fieri conſueuit, ſpiritualibus præſidijs adiuuetur, expedit vt Legationis munus in dictis partibus tranſmarinis iuxta datam vobis à Deo gratiam exequi valeatis. Decentius enim & expeditius eſſe conſpicimus, quòd per vos proſecutionem recipiat partium earumdem Legatio, cui, ſicut præmittitur, ſemel extitit iam commiſſa, quàm ſi de nouo per nos alij committantur. Et ne apud aliquos renocetur in dubium, an pro eo quòd viuente memorato Summo Pontifice non fuiſtis terminos Legationis partium prædictarum ingreßi, nec de commißione Legationis ipſius habuiſtis ab eadem Sede litteras ſpeciales, ſeu alia qualibet ratione dictum officium exſpirarit, vel quòd apud vos non reſideat ipſum exercendi poteſtas: Nos in tantæ neceßitatis articulo, ac populo Chriſtiano auxilijs, deſiderijs, promptisq; conatibus intendentes, ſubuenire ſalubriter, quantum poſſumus & debemus, non derogando in aliquo commißioni prædictæ iam, vt ſuprà exprimitur per eumdem Summum Pontificem vobis factæ, ſed omnem in ijs materiam dubitationis & ſcrupulum à fidelium mentibus amputare, prout expedit, affectando, ad plenam veſtræ poteſtatis euidentiam, præſertim cùm ad præſens, eâdem Sede vacante, alius non ſuperſit qui valeat in huiuſmodi articulo, prout ipſius exigit neceſſitas prouidere, vobis in dictis partibus tranſmarinis plenam Legationem, vt euellatis & deſtruatis, & diſſipetis & diſperdatis, ædificetis & plantetis, ſicut videbitis expedire, auctoritate præſentium duximus committendam. Fraternitatem veſtram rogantes, hortantes & obſecrantes in Domino Ieſu Chriſto, quatenus onus prædictum fiducialiter humeris veſtris impoſitum ad laudem diuini nominis, augmentum Catholicæ fidei, ſalutem veſtram & prædictæ Terræ, ac aliorum Chriſti fidelium, qui ſe illius Terræ conſtituerunt & conſtituunt defenſores, ſuſcipientes humiliter, illud conſtanti animo, & benigna patientia, prout vobis ex Legationis officio competit, proſequi ſtudeatis. Speramus enim in illo cuius auxiliatrix dextera clementer adeſt agentibus cauſam eius, quòd ipſe, qui perſonam veſtram prouidentiæ munere, ſcientiarum magnitudine, circumſpectionis & induſtriæ gratia, multiſq; virtutibus conſignauit, prædictis humeris veſtris fortitudinis robur adyciet, virtutem miſericorditer faciendo vobiſcum, vt præfatum negotium, quod ad ſuam proſequimini gloriam, felicitatis optatæ ſuſcipiat incrementa, &c.

GREGO-

XIII.

GREGORIVS X. Italus, Placentiâ Prouinciæ Liguriæ ciuitate oriundus, Thealdus vel Theobaldus in Baptismo vocatus, Archidiaconus Leodiensis, die 1. Septembris 1271. in ciuitate Viterbij Summus Pontifex pronuntiatus, vixit in Pontificatu annos 3.

I.

Ita refert Coriol. in Summa Concilior.

Celebrauit hic Pontifex Concilium generale Lugdunense II. in quo inter alia actum fuit de subsidio & recuperatione Terræ sanctæ; & ad hunc finem in Concilio omnibus Ecclesijs & monasterijs, non tamen Xenodochijs & Orphanotrophijs fuit imposita solutio decimarum omnium prouentuum Ecclesiasticorum per sex annos continuos idem Concilium subsequentes. Quæ decima licet studiosè exacta fuerit & recepta, quæ tamen vtilitas exinde Terræ sanctæ fuerit procurata, non apparet. Sed sequentem accipe eiusdem argumenti Epistolam ex Tomo 4. Conciliorum generalium exscriptam, ad initium dicti Concilij.

GRegorius Episcopus, &c. venerabilibus Fratribus, Patriarcha Ierosolymitano, & Episcopis, ac dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, & alijs Ecclesiarum Prælatis per Ierosolymitanam Prouinciam constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. Saluator noster, in cuius ditione cuncta sunt posita, ciuitatem Ierusalem videns & præuidens ruituram, fleuisse describitur super eam. Et nos itaque, qui ciuitatis veri Dauid, Religionis videlicet Christianæ, circa cuius regimen non insufficientia nostra debilitatis, sicut nec debemus, innitimur, sed de sola superabundantia virtutis diuinæ speramus, non solùm scissuras, iuxta Prophetæ vaticinium, multiplicatas apertè videmus, sed & ruinæ magnæ periculum in subtractione populi Græcorum, qui à Sedis Apostolicæ deuotione ac obedientia se subtraxit, in occupatione maxima, & vastatione valida Terræ sanctæ, in subuersione morum, quæ vniuersaliter in Clero graniter obrepsisse videtur & populo, iam non tam cernimus, quàm palpamus; num possumus non lugere? num comprimere lacrymas? continere suspiria, vel cohibere singultus? Profectò, cùm tanta subsit plangendi ratio, planctum declinare non possumus: sed necesse est iam foras exeat, ab olim, dum etiam nos minor status haberet, tantò altiùs radicatus introrsum, tantoq; diuturnitate factus acerbior, quantò, facultate vetante diutiùs, non est efficaciter exire permissum. Exeat igitur, exeat ad fratres & filios, vt scientes incommodum, ipsumq; prudentiùs æstimantes, & operationis remedio efficaciùs pro viribus releuent, & planctum piæ compassionis officio dulciùs consolentur. Quis ergo dabit capiti nostro aquam, aut oculis nostris fontem lacrymarum, vt sic populi nostræ humilitati commissi spiritualiter & temporaliter interfectos, diebus & noctibus lugeamus? quòd culparum sordes, quibus iram meruisse creditur, diluamus? lugendum siquidem occurrit, quòd per subtractionem prædictam à Sedis eiusdem vnitate subtractos, & in denio positos, grandis culpæ mors afficit: quòd sancta vniuersalis corporis Ecclesiæ membra tam nobilia, eadem grauis admodum & dispendiosa subtractio tanto tempore mutilauit. Lugendum, & iterùm ac amarè dolendum, quòd, sicut in partibus transmarinis non tantùm audiuimus, sed & oculis nostris vidimus, & manus nostræ contrectauerunt (proh dolor!) detestabiliùs solito blasphematur in gentibus nomen Christi, cùm iam non tam verbis, quàm rebus ipsis & factis, Christianis insultetur ab infidelibus, & dicatur, Vbi est Deus eorum? Nam funiculus hereditatis Domini eadem Terra sancta per nefandissimos Saracenos sic audacter inuaditur, sic secura occupatur audacia, sic vastatur intrepidè, sic in eisdem partibus Christianus populus immaniter trucidatur, quasi non sit illius adiutor, nec sit qui misereri possit ipsorum. Lugendum & ampliùs pariter, & horrendum, quòd cùm ille pater familias diligens, qui horis diei varijs operarios suam misit in vineam, ille summus agricola, sator bonorum omnium & plantator, agrum mundi huius diligenter excolens in eo seminauerit semen bonum, inimicus homo tanta inuenitur in ipso superseminasse vitiorum zizania & errorum, vt ea deflere magis liceat quàm narrare: idemq; ager quotidie potiùs arescere videatur ad ignem, quàm albescere inueniatur ad messem. Hæc dum ministerio considerationis debitæ mentis nostræ præsentantur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit, & ad tanta discrimina releuanda suspirat affectus, zelus accenditur, & spiritus anxiatur. Ad quod cùm nos sufficere non posse sciamus, leuamus oculos nostros ad montem, montem quidem Dei, montem vberem, montem pinguem, vnde opportunum nobis prouenire auxilium, & humiliter petimus, & deuotè speramus. Et quia salubre in his adhibere remedium, interest generaliter omnium, nos cum fratribus nostris, alijsq; viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu præhabito, prout tanta necessitatis instantia exigebat, de ipsorum consilio generale Concilium, sicut imitatione digna sanctorum Patrum consuetudo laudabilis longæq; obseruationis exemplum

nos

nos instruit, opportuno tempore decreuimus congregandum, vt in eo tam circa præmissa, quàm circa cetera, quæ salutem respiciunt animarum, illa Deo auspice communi consilio inueniatur prouisio, & eiusdem approbatione Concily roboretur: per cuius salutiferam executionem, virtus Altissimi, eliminatis erroribus, roborata fide, reductis errantibus, redintegrata eiusdem fidei vnitate, sedatis discordijs, fide firmata, extirpatis vitijs, virtutibusq; plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solidis munimentis instructa, recuperatis deperditis, & eiusdem Terræ sanctæ statu prospero reparato, huiusmodi scissuras vniat, ruinas impleat, occupata restituat, vastata restauret, restituta & restaurata conseruet, nobisq; viam aperiat idem ipse qui nouit, & facultatem tribuat ipse qui potest, vt vitiorum errorumq; zizanijs ad comburendum fasciculos alligatis, ad triticum in eius horreum congregandum, sic in præmissis, iuxta intensum animi nostri desiderium sibi ministrare possimus vtiliter, quòd idem verus eiusdem vniuersalis sponsus Ecclesiæ ipsam dilectam suam, expeditam rugis, purgatam maculis, munitam virtutum monilibus ac ornatam, vnam semper habeat & formosam, ad sui nominis laudem & gloriam, ad animarum profectum, robur fidei, pacem & exaltationem nominis Christiani. Quia verò prosecutio tanti propositi tempore indiget, vt deductum maturius ac felicius, auctore Domino, effectum debitum sortiatur, biennium numerandum ab initio instantis Maij ad id duximus deputandum. Deputaturi præterea interim aliquos viros tanto ministerio competentes ad prædicandum in Terra prædicta suffragium salutiferum verbum Crucis, per quod corda Principum, Prælatorum, ceterorumq; fidelium inducantur ad subsidium eidem Terræ, prout ipsius exposcit extrema necessitas, impendendum. Quocirca vniuersitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, omni negligentia relegata, cunctis, prout talis & tanti negotij qualitas exigit, dispositis & paratis, sic medio tempore vos accingatis ad iter, quòd Kalendis Maij anni ab incarnatione Domini milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi quarti, quas vobis & alijs pro termino assignamus, in loco, quem licet ad præsens subticeamus ex causa, competenti tamen tempore vobis curabimus intimari, nostro vos conspectui præsentetis, ad subuentionem necessariam Terræ prædictæ, solers & operosum interim studium impensuri, prosequendo fauorabiliter, & fideliter adiuuando illos, quos ad huiusmodi prosequendum negotium duxerimus deputandos. Volumus autem, quòd in vestra Prouincia ex vobis fratres Episcopi, vnus vel duo remaneant ad ea, quæ officium Episcopale requirunt inibi exercenda, & tam ille, vel illi quos propter eà contigerit remanere, quàm alij, quos ad idem venire Concilium præpeditio forsan canonica prohibebit, Capitula insuper Ecclesiarum omnium eiusdem Prouinciæ tam Cathedralium quàm etiam aliarum, quibus per vos fratres Patriarcha, & præfati Episcopi, ex parte nostra volumus id mandari, cùm in eodem Concilio tractanda sint aliqua, quæ pertinebunt ad ipsos, ad idem Concilium viros idoneos pro se mittant. Non obstantibus quibuscumque priuilegijs, seu indulgentijs, quibuscumque personis ordini, vel dignitati, seu Collegio sub quacumque verborum forma vel expressione à prædicta Sede concessis, per quæ possit effectus huiusmodi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari: circa personarum & euectionum numerum moderamine, quod aliàs statuit Lateranense Concilium, taliter obseruato, vt nemini liceat illud excedere, sed omnibus prout libet arctare. Nullus pomposus, aut inanis gloriæ quæsitor, sed quilibet sic veræ humilitatis cultor appareat, quòd & Ecclesia sibi commissæ nequaquam oneroſus existat. Interim quoque per vos & alios prudentes viros Deum timentes, & habentes Deum præ oculis, omnia, quæ correctionis & reformationis limam exposcunt, inquirentes subtiliter, & conscribentes fideliter, eadem ad ipsius Concilij notitiam deferatis. Et nos nihilominùs varijs modis & vijs solers studium, & efficacem operam dare proponimus, vt omnia talia in examen huius deducta Concilij, correctionem & directionem recipiant opportunam. Nullus igitur, inobedientiæ notam, & Canonicæ vltionis acrimoniam vitare desiderans, fallacium excusationum velamento se muniat, vel ex impedimentis itinerum, quæ, Domino prauа in directa & in vias planas sua omnipotentia conuertente, aspera cessauerunt, frinolæ allegationis munimenta confingat, vt à tam sancti prosecutione operis se subducat: sed occurrant singuli voluntarij ad id, quod & diuinæ congruit voluntati, & salutem animarum ac vtilitatem respicit singulorum. Datum Laterani Kalendis Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

II.

Absoluto iam Concilio Lugdunensi, Pontifex ab omnibus Ecclesiarum Prælatis, nec non & à Dominicanis & Franciscanis Crucem contra Saracenos in subsidium Terræ sanctæ prædicari voluit, quem in finem Crucesignatis, & alijs in tam heroico opere

opere laborantibus, Indulgentias & gratias amplissimas elargitur. Ex Regest. Vatic. num.7. Apud VVading. Tomo 2. Annalium Minorum, sub anno Christi 1274. num. 30.

MInistro Fratrum Minorum Administrationis Romanæ. Si mentes fidelium, terrenis abdicatis illecebris, recolendis immensis beneficijs nostri Redemptoris intenderent; si ea, cælesti lumine illustrata, diligenti scrutarentur examine; si frequenter meditationis attentæ conspectu præsentarent; profectò eorum corda concalescerent intra ipsos igne in meditantium animis ardescente. Cuius etenim pectus saxeum non emolliret considerata illius humanationis humilitas, in qua Dei Filius factus homo exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens in similitudinem hominis factus, & habitu inuentus vt homo? Cuius viscera non inflammaret charitatis ardore, pia consideratio illius humiliationis extremæ, in qua ipse idem factus obediens vsque ad mortem, ad exprobrantium opprobria, coram tondente se velut agnus obmutuit, & sicut ouis ad occisionem ductus post contumelias & terrores, post spinas & sputa, post flagella varia, post diuersa denique genera tormentorum, innocens sine causa damnatur; & demum saturatus opprobrijs, clauis affixus, aceto & felle potatus, confossus lancea, in Crucis patibulo tam diræ mortis subijt passionem, mysterium redemptionis nostræ perficiens, sine qua parum nobis natiuitas profuisset. Quis igitur hac & alia largitatis diuinæ charismata intra pectoris claustra debita & frequenti meditatione reuoluens, non intus feruidè zelo deuotionis accensus ferueat, & foris ebulliat, exclamet & dicat: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Et non expectato monitoris vel sollicitatoris officio, subiungat vltroneus: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo? Quem non pudeat ingratitudinis argui, quin potiùs de infidelitate notari, si Creatori proprio, benefico Domino, pijssimo Redemptori, tempore tantæ necessitatis non assistat, dum hæreditatis suæ funiculus, Terra sancta, quam sibi testatur Scripturæ sacræ testimonio omnium chariorem, in Christianitatis confusionem & dedecus, per nominis Christiani blasphemos pro parte maxima occupata tenetur, & ad occupationem residui per eosdem instantia infestæ persecutionis insistitur, super eo assiduè in partibus illis populus Christianus & molestis impetitionibus insectatur. Et quidem si facultas resistendi competeret, non pateretur aliquis absque deserta scrupulo, sui Domini temporalis vel vicum aliquem occupari, & hereditatis Dominicæ inuasores fideles vlteriùs patientur? Numquid marcebunt otio, aut ocyùs non exurgent ad vitandum tantæ notæ discrimen? Exurgant itaque qui sunt Christi, & se ipsius esse nō solùm nomine, sed & opere fateantur. Exurgant vtiq; in illius auxilium. Exurgant ad salutis suæ compendium, & illā breuis laboris pretio compendiosè mercentur. Nunc præcipuè, dum in sacro Concilio ad hoc his diebus inter cetera, imò præ ceteris specialiter congregato, eiusdem Terræ nuper ordinata subuentio sub spe illius, de cuius solius clementi prouidentia, & clementia prouida, ordinatio talis & tanta processit, laboris optatum exitum promittit. Conuenientibus siquidem in eo Concilio nonnullis Principibus & Prælatis de mundi partibus vniuersis, aliorumq; Principum, Prælatorum ac Capitulorum nuntijs, post subsidium pecuniarium communi consensu Terræ deputatum eidem, conuenit omnium sententia in idipsum, videlicet vt in generali passagio, cuius celeriter auctore Deo terminum præfigemus, vniuersis Christicolis contra blasphemos eosdem conflantibus vires suas, quantò erit Christianorum virtus vnita potentior, tantò ad liberationem Terræ prædictæ sit via securior, sit opportunitas promptior, & de illa, Deo auspice, spes certior habeatur. Ceterùm licet ad excitandos eorumdem fidelium animos in Terræ memoratæ succursum sufficere debeat solerter attentio promissorum, licet possit non indignè sperari, quòd si fideles ijdem quo debent pietatis oculo Terram eamdem respiciant, si ad persecutionis acerbitatem, quam Terra eadem continuis lacessita molestijs, diutinis vexationibus lassata perpetitur, conuertent piæ compassionis intuitum, discriminaq; considerent, quæ per hoc eidem fidei Orthodoxæ non est dubium imminere, ad assumendum Terræ sæpefatæ negotium se potiùs ingerent, quàm incitari ad hoc commotionis alicuius suffragio expectabunt. Quia tamen speramus quòd vocem virtutis tribuat Dominus voci suæ ad promotionem ipsius negotij, verbum Crucis in commissa tibi prouincia decreuimus proponendum, ad quod tuo ac Fratrum tui Ordinis ministerio tantò confidentiùs vtimur, quantò vos ad id vtiliores Religionis vestræ claritas & zelus, quo vos ad ea quæ Dei sunt feruere præsumimus, repromittit. Ideoq; in commissa tibi Prouincia prædicationis officium, fauorem ac vtilitatem eiusdem negotij, præsentium tibi auctoritate committimus, in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus in huiusmodi officio iuxta datam à Deo tibi prudentiam, cum omni qua poteris efficacia & attentione procedens, illud per te ac alios Fratres eiusdem Ordinis

duxeris

duxeris eligendos, quoſq; tibi per virtutem obedientiæ cogere liceat ad idem officium proſequendum, & mutare quoties opportunum ipſi negotio, & tibi videbitur expedire, non obſtante quòd hoc idem alijs ſit commiſſum, ſtudeas exequi diligenter; omnes quos vtiles fore putaueris, inſtantiùs inducendo, vt ſuſcipientes cum reuerentia ſignum Crucis, ipſamq; ſuis cordibus & humeris affigentes, ad Terræ memoratæ ſuccurſum viriliter ſe accingant, ac ipſius negotium fideliter exequantur. Et vt ijdem fideles præmiſſa eò libentiùs, eoq; feruentiùs proſequi ſtudeant, quò potiorem ſe nouerint fructum ex ſuis laboribus percepturos: nos de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, & illa quam nobis Deus ligandi atque ſoluendi contulit poteſtate, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui huiuſmodi laborem ſalutiferæ Crucis ſigno ſuſcepto, in perſonis propriis ſubierint & expenſis, plenam peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti & ore confeßi fuerint, veniam indulgemus, & in retributione iuſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in perſonis propriis illuc acceſſerint, ſed in ſuis dumtaxat expenſis iuxta qualitates & facultates ſuas viros idoneos deſtinarint, illic iuxta prouidentiæ tuæ, vel ipſorum Fratrum arbitrium moraturos, & illis ſimiliter, qui licet in alienis expenſis, in perſonis tamen propriis aſſumptæ peregrinationis huiuſmodi laborem impleuerint, plenam ſuorum concedimus veniam peccatorum. Hutuſmodi quoque remiſſionis volumus eſſe participes iuxta quantitatem ſubſidij quod de bonis ſuis congruè miniſtrabunt. Perſonas inſuper, familias, & bona eorum ex quo Crucem ſuſceperint, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus; ſtatuentes, vt ſub Diœceſanorum ſuorum defenſione conſiſtant. Vt autem ijdem Cruceſignati eò exequantur libentiùs & feruentiùs votum ſuum, quò pluribus fuerint fauoribus communiti, præſentium auctoritate concedimus, vt ijdem illis priuilegijs eaq; immunitate gaudeant, quæ in generali Cruceſignatorum indulgentia continetur. Porrò ad huiuſmodi ardui & ſalubris negotij efficaciam pleniorem, vt tu & dicti Fratres conuocare poßitis Cleros & populos ad quemcumque volueritis locum idoneum, & ibidem verbum Crucis proponere, ac fidelibus verè pœnitentibus & confeßis ad prædicationem huiuſmodi conuenientibus, ipſamq; audientibus reuerenter, centum dies de iniunctis eis pœnitentia relaxare, quodq; vobis & veſtris familijs in Eccleſijs Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitis, excommunicatis, & interdictis excluſis, non pulſatis campanis, voce ſubmiſſa & ianuis clauſis ad diuina celebrare officia & facere celebrari, ac populis proponere verbum crucis, auctoritate præſentium tibi & ipſius Fratribus duximus concedendum. Volumus præterea & concedimus, vt tu & ydem Fratres, qui in officio prædicationis Crucis pro præſenti negotio per triennium duxeritis laborandum velle, poſt inceptum laborem huiuſmodi cum intentione ipſum prædictum triennium proſequendi, ante finitum idem triennium decedatis, illis immunitate ac priuilegijs gaudeatis, illiusq; indulgentia ſitis participes, quæ perſonaliter in Terræ prædictæ ſubſidium transfretantibus in eodem generali Concilio noſcitur eſſe conceſſa. Ceterùm cùm huiuſmodi prædicationis officium venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis vniuerſis per nos in ſuis diœceſibus ſit commiſſum, & Prioribus Prouincialibus & alijs Fratribus Ordinis Prædicatorum illud per ſimiles patentes noſtras litteras committimus, te ac dictos Fratres eiuſdem tui Ordinis cum omni diligentia volumus obſeruare, ne cum Prælatis eiſdem in prædicando concurrere, vel ipſorum prædicationem turbare ſeu impedire quomodolibet præſumatis, cum dictis etiam Prioribus & Fratribus præfati Ordinis Prædicatorum ſic loca prædicationis & tempora diuidendo, vt vos mutuò non turbetis nec impediatis aliquatenus per concurſum, ſed vobis inuicem alternis vicibus in omni patientia & quiete cedatis. Et ſi forſitan in aliquibus locis Conuentus vos habere contingat, in quibus Conuentum prædictus Fratrum Prædicatorum Ordo non habeat, eiſdem Prioribus & Fratribus ipſius Ordinis Prædicatorum ad eadem loca ſuperuenientibus, in executione prædicti officij tu & Fratres ydem præfati tui Ordinis à dicta Sede ſub quacumque verborum forma conceſſa, quòd Apoſtolica mandata ſuſcipere vel exequi per litteras Apoſtolicas, in quibus de indulto huiuſmodi mentio non habetur, minimè teneantur, & quibuſlibet aliis indulgentijs, priuilegijs ſeu litteris ab eadem Sede obtentis, per quæ prædicta impediri vel differri poſſunt, & de quibus ſpecialem oporteat in præſentibus fieri mentionem. Datum Lugduni Idibus Nouembris.

In eumdem modum ſcripſit Miniſtro Tuſciæ, Marchiæ Anconitanæ, Prouinciæ Ianuenſis, Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ, S. Angeli, Terræ laboris, Pennenſis, Marchiæ Tarunſinæ, Regni Franciæ, Regni Prouinciæ, Burgundiæ, Prouinciæ Mediolanenſis, Vngariæ, Sclauoniæ, Alamanniæ, Colonienſis, Saxoniæ, Regni Daciæ, Regni Aragoniæ, Regni Portugalliæ, Regni Bohemiæ, Auſtriæ, Syriæ, Anglicanæ, Hiberniæ, Aquitaniæ, Turoniæ, S. Franciſci,

Caſtellæ. Litteræ omnino ſimiles præmiſſis, habentur in Regeſto Vaticano ad Prouincialem Lombardiæ Ordinis Prædicatorum directæ, inquit citatus VVadingus.

XIV.

MARTINVS II. dictus IV. natione Gallus, ex oppido Briæ Senonenſis diœceſis natus, & Simon anteà vocatus, ex S. R. E. Presbytero Cardinale, tit. S. Cæciliæ, die 22. Februarij 1281. in ciuitate Viterbij, Prouinciæ Hetruriæ, Summus Pontifex pronuntiatus fuit, vixitque in Pontificatu annos 4. menſem 1. Hic

I.

Mittit quemdam ex Minorum Ordine in Luſitaniam, vt rationem exigat à Collectoribus decimarum in ſubſidium Terræ ſanctæ. Regeſt. Vatic. Epiſt. 113. Apud VVadingum Tom. 2. in Regeſto Pontificum Bulla 5. huius Pontificis.

FRatri Monaldo de S. Anatolia, Ordinis Minorum. Illa te credimus erga nos & Apoſtolicam Sedem deuotionis ſinceritate feruere, vt humiliter mandatis nòſtris obediens, & beneplacitis Apoſtolicis prompto animo te conformans, ea quæ tibi committimus, & ſpecialiter negotium Terræ ſanctæ tangentia, ſollicitis ſtudijs exequaris. Cùm itaque de ſtatu decimæ Regni Portugalliæ, partibus prædictæ terræ conceſſæ ſubſidio, habere velimus notitiam pleniorem, & de tua probitatis induſtria ſpecialiter confidamus, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad prædictum Regnum te perſonaliter conferens, à dilecto filio [illegible] Archidiacono Bracarenſi, Collectore decimæ in eodem Regno à Sede Apoſtolica deputato, tribus aut duobus Epiſcopis, vel alijs perſonis illarum partium, conſtitutis in dignitate, præſentibus, ſi cõmodè nequeat Epiſcoporum haberi præſentia, prædictorum de decima totius temporis, per quod in prædicto Regno ſubuentioni eiuſdem Terræ Concilium Lugdunenſe conceſſit, plenam & diligentem exigere ſtudeas rationem. Et tandem huiuſmodi ratione recepta, tertiam partem totalis prædictæ decimæ, quam pro eiuſdem terræ commodis promptam haberi volumus & paratam, dilectis filijs Blandino Amannati, Ioanni Gerardini, Lante Agolantis, Beſſo Bartholomæi, & Nello Bonacurſii, de ſocietate Amannatorum de Piſtorio, vel alicui ſeu aliquibus ex eiſdem ſuo & dictæ ſocietatis nomine; aliam verò tertiam partem eiuſdem decimæ Dino Iacobi Fortis-guerræ, Ioanni & Nicolao Paganelli Dulcis fratribus, Fregiotto Bugieri de Monteclaro, Dino Iacobi Benectonis & Ioanni Guidi Iordani de ſocietate Orlandini, & Vbaldi Candelini, ciuibus & mercatoribus Lucanenſibus, vel alicui ſeu aliquibus ex eiſdem ſuo & dictæ ſocietatis nomine, ac reliquam tertiam partem dictæ decimæ Bulliono Roſillioni, Ruſtico Romagnoli, Aldefrando Chriſtophori, Raynerio Butricho, & Soffredo Dinerſi, de ſocietate Bartoli de Luca, vel alicui ſeu aliquibus ex eiſdem ſuo & dictæ ſocietatis nomine, de quorum probitate & fidelitate ſpecialem fiduciam obtinemus, facias auctoritate noſtra per Collectorem eumdem noſtro & eiuſdem Terræ ſanctæ nomine integrè aſſignari in ipſius vtilitatem & commodum conuertendam, & per eos nobis, vel cui ſeu quibus apud Sedem Apoſtolicam exhiberi mandauerimus, aſſignandam. Contradictores verò ſi qui fuerint, vel rebelles, per cenſuram Eccleſiaſticam, ceſſante appellatione, compeſcas. Nos enim Collectori prædicto per alias litteras noſtras iniungimus, vt cùm à te fuerit requiſitus, tam tibi huiuſmodi reddere rationem, quàm totam prædictam decimam præfatis aſſignare mercatoribus non omittat. De huiuſmodi autem aſſignatione per dictum Collectorem fieri facias duo publica ſimilia inſtrumenta, quorum alterum eidem exhibeas Collectori, & reliquum vnà cùm prædictorum Epiſcoporum ſeu perſonarum & etiam Collectoris teſtimonialibus patentibus litteris, quòd & quantum de decima ipſa collectum inueneris, plenariè continentibus, nobis, cùm ad noſtram præſentiam te redire contigerit, apportare procures, vt nobis plenè conſtare valeat de ſtatu decimæ prælibatæ. Si ergo diligenter & ſollicitè in commiſſo tibi negotio procedere ſtudeas, vt quod de tua circumſpectione concepimus, per effectum operis agnoſcamus, tuq; Sedis Apoſtolicæ gratiam vberiùs merearis. Datum apud Montem Flaſconem 3. Idus Nouembris anno Chriſti 1283.

XV.

NICOLAVS IV. Italus ex ciuitate Aſculana, Prouinciæ Piceni, natus, Hieronymus anteà dictus, ex Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Profeſſore, S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Prænestinus, tandem die 22. Februarij 1288. Summus Pontifex Romæ factus eſt; vixit verò in Pontificatu annos 5. & aliquot menſes. Edidit hic conſtitutionem

I.

De recuperanda Terra ſancta Ieruſalem è manibus Saracenorum, & quæ Cruceſignati, eum in finem verſus Orientem proficiſcen-

ficiſcentibus, vel ſumptus præſtantibus, indulta ſint. Ex Tomo 1. Bullatij Laërtij Peregrini Bulla 5. huius Pontificis.

NIcolaus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis Chriſti fidelibus, ad quos præſentes litteræ peruenerint, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Illuminet ſuper vos Dominus vultum ſuum, & ita ſuo lumine ad recenſendum attentiùs, qualiter Redemptor noſter ſalutem humani generis in Terra ſancta dignatus eſt miſericorditer operari, oculos in vobis hominis interioris illuſtret, quòd accendatur vt ignis ad ſubueniendum terræ illius neceſsitatibus, zelus veſter concaleſcat, corda inflammentur, affectus & effectum prompta operis profecutio ſubſecuta commendent. Cuius etenim pectoris etiam lapidei quamcumque duritiam non emolliat, conſiderata illius humanationis humilitas, in qua Dei Filius factus homo exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo? cuius viſcera non inflammet charitatis ardore, pia conſideratio illius humilitatis extremæ, in qua ipſe factus eſt obediens vſque ad mortẽ, ad exprobrantium opprobria? velut agnus coram tondente ſe verè mitis obmutuit, & ſicut ouis ad occiſionem ducta, propter contumelias & terrores, poſt ſpinas & ſputa, poſt flagella varia, innocens eſt ſine cauſa damnatus, ac demum ſaturatus opprobrijs, clauis affixus, aceto & felle potatus in crucis patibulo, tam diræ mortis ſubijt paſsionem, myſterium noſtræ redemptionis conſummans poſt traditum etiam ſpiritum, lanceæ illuſione confoſſus. Hæc, filij, & innumerabilia largitatis diuinæ chariſmata in terra prædicta ipſi humano impenſa generi, ab eodem Redemptore pijſsimo, ſi frequenter intra clauſtra pectoris, attenta meditatione reuoluitis, ſi qua decet attentione penſatis, quis veſtrùm non ferucbit intus, foris ebulliet, exclamabit & dicet: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? & non expectato monitoris vel ſollicitatoris officio, ſubiunget vltroneus: Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo?

*Quis ſine acutiſsimi doloris aculeis conſiderare poteſt, non ſolùm veneranda & pijſsima loca illa, in quorum altero Oriens ex alto, pro nobis naſci dignatus eſt humiliter, in reliquo mori crudeliter non expauit, ſed etiam totam quaſi iam terram eamdem, quam ipſe idem ſua illuſtrauit corporali præſentia, miraculis clarificauit immenſis, & tandem effuſione ſui pretioſi Sanguinis in noſtræ ſalutis effuſi pretium conſecrauit, occupata per nefandiſsimos Saracenos, ipſorum immunditia pollui, fœdiſsima eorum habitatione fœdari? Quis abſque amaritudine ſumma commemoret tot Chriſtianorum caſtra, ciuitates, & alia loca ſolemnia deſtructa penitus, ad nihilumq; redacta, & eorum incolas eorumdem Saracenorum immanitate peremptos? Proh dolor, quis nouitatis (quoniam deplorare libet potiùs quàm narrare) ſolers Cenſor, & diſcriminum quæ comminari videtur, diſcuſſor attentus, per noctem & diem, quaſi torrentem lacrymas non deducat? cuius pupilla tacebit? cuius pectoris penetrale continebit ſuſpiria, vel in ſingultuum frequentiã non erumpet, lugubri contemplatione recenſens, quot quantumcumque mater Eccleſia caſum eumdem præuenire ſtuduerit incolis illarum partium in galeis, bellatorum multitudine, ac ſubuentione pecuniaria, iuxta perſuaſam ab eis denuntiatæ neceſſitatis exigentiam, & oblatæ ſuper hoc petitionis inſtantiam, ſuccurrendo; nihilominùs tamen ciuitas Accarone ſic eiuſdem matris Eccleſiæ ſtudio * commutata quadraginta & quatuor diebus arctiſsima Babyloniæ potentiæ obſidione circumdata, terribilibus machinis diu noctuq; vexata, impedita crebris & diris inſultibus, membris etiam ipſius per cuniculos arietatis occultos, quadrageſimo quarto die obſidentium viribus (Dei permiſsione admirabili & ſtupenda) ſuccubuit, capta per eos, & igni expoſita, Chriſticolis inibi exiſtentibus cæſis innumeris, & ceteris qui habere nequiuerunt ad maritima vaſa recurſum, in captiuitatem abductis, vt per iugum barbaricæ ſeruitutis horribile, diſpendijs ciuilis mortis adducti, naturali etiam diutiùs moriantur; & deinde Tyrenſis ciuitatis * deditione ſecuta.*

* aliàs communita

* dedicatione

Quis igitur de cetero marcebit otio? quis non exurget? quis ad recuperationem Terræ prædictæ non promptus exiliet? quis tardabit? quem non pudebit ingratitudinis argui? quin potiùs quaſi de infidelitate notari, ſi creatori proprio, tam benefico Domino ad redemptionem terræ illius, quam ipſa ſacra Scriptura teſtatur omnium chariorem, qua poteſt promptitudine non aſsiſtat? cùm etiam ſecundùm Iuris humani cenſuram, ſubditos ſuis dominis, & ad tuenda quæ poſsident, & ad recuperanda iniuſtè ſubtracta, debitum fidelitatis adſtringat? Quis tot fidei Orthodoxæ cultoribus tam inhumaniter trucidatis, de tot calamitatibus captiuorum, & alijs Chriſtianitatis opprobrijs, non ex tota mente mouebitur? non ſuſpiret? non anxiabitur ad vindictam? Profectò cùm, ſecundùm Apoſtolum, omnes ſimus vnum corpus in Chriſto, non immeritò cum illis, de quibus ſcriptum eſt, Percuſsiſti eos, & non doluerunt, inſenſibilitatis arguitur, quiſquis tantam huius noſtri corporis mutilationem, prædictorum ſcilicet Chriſticolarum, non ſentit excidium, & tam grauiter non

meretur. Accingimini ergo Chriſti fideles, & qui Chriſtiana religione cenſemini, vos Chriſtianos eſſe operis * perſecutione monſtrate. Accipite deuotione, qua Rex, viuificæ Crucis ſignum, illud in conſiderationis veſtræ ſcrutinium deducentes, quòd viris, quantumcumque magnificis, quantacumque dignitate præditis & virtute, ad gloriam magnam adſcribitur, ſi eis quouis in bello dominorum inſignia gerere concedatur, ſub quibus contingit frequenter, non ſine ſalutis æternæ diſcrimine, mortis ſubire periculum ſub cuiuſlibet ſpe remunerationis. Quantò igitur glorioſius, quantò ſecurius, Regis Regum in eius bello victorioſum geſtare vexillum, ſalutiferam videlicet Crucem? ſub qua deuotione congrua, puro corde ſuſcepta, conceptum proſequentibus munditia continua, propoſitum mori, eſt vitæ perennis initium, tranſitoriæ mortis finis, retributionis inæſtimabilis certitudo. Feſtinate itaque, feſtinate ad ſalutis veſtræ properare compendium: accendatur cuiuſcumque virilis animus; & conſultiùs attendentes, quòd ſi fortè labor maior ex dictarum ciuitatum captione proponitur, merces vberior ſubſequetur, cùm, ſicut ſcriptum eſt, ſecundùm laborem accipiet vnuſquiſque mercedem. Corpora veſtra & corda pariter eiuſdem viuificæ Crucis ſigno in dictæ Terræ ſæpè fatum ſubſidium inſignite, nunc præcipuè, dum ipſius Terræ ſubuentio, multis & olim per Sedem Apoſtolicam exquiſita vigilijs, multis laboribus & oneribus procurata, ſed diuerſis & aduerſis aduentibus diutiùs impedita, diuina, vt ſupponit deuota credulitas, prouiſione dirigitur, & ad excipiendas Terræ ipſius angustias, eámque de impiorum manibus eruendam, efficaciter ſub ſpe diuini Numinis præparatur.

* aliàs perſecutione

Siquidem chariſſimus filius noſter Chriſtianiſſimus Princeps Eberhardus Angliæ Rex illuſtris, poſt tractatus varios ſuper generali ſuo paſſagio in ipſius Terræ ſubſidio faciendo, diuerſorum Pontificum Romanorum temporibus habitos, nouiſſimè tamquam benedictionis filius, noſtris beneplacitis acquieuit; & vt poſt Chriſtum iuxta conſilium eius eat, ſeipſum abnegans ac tollens, vt eumdem ſequatur Dominum, crucem ſuam, terminum, feſtum videlicet Natiuitatis beati Ioannis Baptiſtæ (quod erit anno Domini 1293. & ei ad transfretandum perſonaliter, nec non ad dictum generale paſſagium Cruceſignatis & Cruceſignandis omnibus duximus præfigendum) humiliter acceptauit, ſemetipſum exponere, ſui Redemptoris obſequijs Terræ præfatæ perſonaliter ſubueniendo diſpoſuit, negligens natalis ſoli dulcedinem, prætermittens regni ſui terrarumq; diuitias, ſpernens delicias & gloriam inibi nominandi.

Non igitur cunctemini ampliùs, prædicti glorioſi vexilli Dominici charactere inſigniri, mercantes felici commercio perpetuam poſt defunctionem corporis ex ignominio perpetuitatis comparatione, vix momentaneo labore quietem, & permutatione conſultâ terrena pro cæleſtibus commutantes, tranſitoria pro manſuris, temporalia pro æternis.

Ceterùm licet ad excitandos veſtros animos in terræ memoratæ ſuccurſum, ſufficere debeat ſolers attentio præmiſſorum, vt tamen eiuſdem negotium eò libentiùs, eoq; feruentiùs proſequi ſtudeatis, quò potiorem fructum ex veſtris laboribus vos noueritis percepturos, nos de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, & illa quam nobis, licet indignis, Deus ipſe ligandi atque ſoluendi contulit poteſtate, omnibus qui vexilli Dominici charactere inſigniti, perſonaliter proprijs ſumptibus in prædictæ Terræ ſubſidium proficiſci curauerint, plenam ſuorum peccaminum, de quibus fuerint veraciter corde contriti, & ore confeſſi, veniam indulgemus, & in retributione iuſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum: eis autem, qui licet in alienis expenſis, in proprijs tamen illuc perſonis acceſſerint, & illis ſimiliter, qui iuxta qualitatem & facultatem ſuam, perſonas idoneas in expenſis proprijs deſtinabunt, quamuis perſonaliter ipſi non vadant, plenam ſuorum concedimus veniam peccatorum. Huiuſmodi quoque remiſſionis & indulgentiæ volumus & concedimus eſſe participes, iuxta quantitatem ſubſidij, & deuotionis affectum, eos, qui licet non iuxta qualitatem & facultatem ſuam, aliquem tamen, ſeu aliquas perſonas, in ſubſidium dictæ Terræ, proprijs ſumptibus deſtinabunt, vel de ſuis temporalibus bonis contribuent ad aliquas deſtinandas: nec non omnes, qui ad ſubuentionem ipſius Terræ, de bonis eiſdem aliqua miniſtrabunt, prout ſingulis diuina fuerit inſpiratione ſuggeſtū, aut aliàs ad promotionem præmiſſi negotij conſilium & auxilium impenderint opportunum. Porrò ſi fortè aliquos eorū, qui Cruce ſuſcepta in iam dictum Terræ ſanctæ ſubſidium proficiſcendi laborem ſubierint, poſt arreptum iter huiuſmodi ex hac luce migrare contigerit, ipſos nihilominùs plenè percipere volumus indulgentiam prælibatam. Perſonas quoque, familias, & bona eorum, quos ad transfretandum perſonaliter, vel iuxta quantitatem & facultatem ſuam, perſonas idoneas deſtinandi, votum aſſumptæ iam Crucis adſtringit, ex nunc; quos verò ſuſcipiendæ Crucis de cetero votum obligabit ad idem, à die qua taliter Crucem aſſumpſerint, ſub beati Petri & noſtram protectionem ſuſcipimus; ſtatuentes, vt ſub Diœceſanorum defenſione ſuorum conſiſtant. Quod ſi eos aliqui

aliqui indebitè moleſtare præſumpſerint, per Diœceſanos locorum in quibus ydem moleſtatores fuerint, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſt poſita, compeſcantur.

Præterea, ipſis qui prædicto modo Crucem vel iam aſſumpſerint, vel aſſument in poſterum, indulgemus, vt per Sedis Apoſtolicæ litteras, vel Legatorum eius (niſi forte illæ quæ ab eadem Sede obtentæ fuerint, plenam de indulto huiuſmodi fecerint mentionem) extra ſuas diœceſes non valeant conueniri, dummodò parati exiſtant coram ſuis Ordinarijs de ſe querelantibus reſpondere: quos per eoſdem Ordinarios Eccleſiaſtica cenſura defendi, ceſſante appellationis obſtaculo, volumus ab ijs qui eoſdem contra indultum huiuſmodi præſumpſerint temerè moleſtare.

Si qui verò ipſorum ad præſtandas vſuras iuramento teneantur adſtricti, creditores eorum per Diœceſanos ſuos cenſura ſimili compellantur, vt iuramentum huiuſmodi penitus relaxantes, ab vſuræ vlteriùs exactione deſiſtant. Si autem aliqui creditorum eos ex tunc ad ſolutionem coëgerint vſurarum, ipſos ad reſtitutionem ipſarum per eoſdem Diœceſanos ſimili volumus diſtrictione compelli. Iudæos quoque ad remittendas ipſis vſuras per ſæcularem compelli præcipimus poteſtatem: & donec eas remiſerint, ab omnibus Chriſti fidelibus, quibus hoc per ſuos Diœceſanos denuntiatum extiterit, tam in mercimonijs quàm in alijs, ſub excommunicationis pœna iubemus eis communionem omnimodam denegari.

Poſtremò Cruceſignatis & Cruceſignandis eiſdem, volentes plenius prouidere, Diœceſanis ipſorum, ac nonnullis alijs, abſoluendi eos ab excommunicationis ſententiis in varijs caſibus, de quibus ſecundùm facti exigentiam putauimus expedire, nec non diſpenſandi cum Clericis, qui cùm à Canone vel homine latam ſententiam incurriſſent, irregularitatis notam, immiſcendo ſe diuinis officijs, contraxerunt, per has noſtras litteras plenam & liberam concedimus facultatem. Datum apud Vrbem veterem Kalendis Auguſti, Pontificatus noſtri anno quarto.

XVI.

CLEMENS V. Gallus natus ex oppido * Mithandran, quod in dioœceſi Burdegalenſi ſitum eſt, Raymundus, (aliàs Bertrandus) anteà vocabatur, eratque Bertrandi (aliàs Beraldi) de Goth filius, Archiepiſcopus primum factus Burdegalenſis, tandem in Peruſina Prouinciæ Hetruriæ ciuitate die 5. Iunij 1305. Summum Pontificatum adeptus eſt, vixitq; in eo annos 8. menſes 10. dies 15. Hic Pontifex

*aliàs Michandrat.

I.

Concedit & confirmat Minoritis loca ſancta, eiſdem à Roberto & Sancia Siciliæ Regibus comparata: impertitur facultatem ad ea mittendi idoneos Ordinis ſui Fratres, qui transfretato mari ſint ſub obedientia Præfecti Terræ ſanctæ. Ex Archiuo ſacri Montis Sion.

CLemens Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis, Generali & Terræ laboris Ordinis Fratrum Minorum miniſtris, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Gratias agimus gratiarum omnium largitori, eiq; dignas laudes perſoluimus, quòd ipſe chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum, Roberti Regis & Sanciæ Reginæ Siciliæ illuſtrium erga Redemptoris noſtri Domini Ieſu Chriſti obſequia, zelum deuotionis ac fidei ſic feruenter accendit, quòd ipſi, quæ ad Dei laudem & gloriam, ac ſacratiſſimi Sepulchri Dominici & aliorum locorum ſacrorum vltramarinorum reuerentiam & honorem redundant, non ceſſant indefeſſis ſtudiis operari. Inſuper ſiquidem eorumdem Regis & Reginæ grata inſinuatio noſtro Apoſtolatui patefecit, quòd ipſi non ſine magnis ſumptibus & laboribus grauibus à Suldano Babyloniæ, qui Sepulchrum Domini & alia ſacra loca vltramarina, proprio ipſius Redemptoris Sanguine dedicata, non ſine cunctorum Chriſtianorum graui opprobrio detinet occupata, obtinuerint, quod Fratres veſtri Ordinis infra Eccleſiam dicti Sepulchri poſſint continuè commorari, & ibidem Miſſarum ſolemnia & alia diuina officia ſolemniter celebrare. Et iam certi dicti Ordinis Fratres actualiter ſunt ibidem, & quòd nihilominùs idem Soldanus, cœnaculum Domini, & Capellam in qua Apoſtolis Spiritus ſanctus apparuit, & aliam Capellam in qua Chriſtus, beato Thoma præſente, poſt reſurrectionem ſuam Apoſtolis ſe oſtendit, Regi & Reginæ conceſſit eiſdem, quodq; ipſa Regina locum ædificauit in Monte Sion, infra quem cœnaculum & dicta Capella ſita fore noſcuntur, prædictis Fratribus, iam eſt diu, vbi videlicet Fratres dicti Ordinis ſumptibus propriis continuè tenere intendit, ad diuinum obſequium in Sepulchro & aliis prædictis locis ſacratiſſimis impendendum, ac tres perſonas ſaculares etiam, quæ ipſis Fratribus ſeruiant, & neceſſaria adminiſtrent. Quare præfata Regina nobis humiliter ſupplicauit, vt ad hoc, quòd eiuſdem Regis & ſua pia in hac parte intentio impleatur, eiſdem locis ſacratiſſimis de deuotis Fratribus & ſeruitoribus idoneis vſque ad dictum numerum prouideri auctoritate Apoſtolica mandaremus. Nos itaque dictorum Regis & Reginæ pium & laudabile propoſitum & intentionem deuotam piis in Do-

mino laudibus commendantes, ac volentes eorum votis & deſideriis annuere in hac parte fauorabiliter, vobis & cuilibet veſtrùm vocandi, nec & in poſterum ad veſtram præſentiam auctoritate Apoſtolica, ad requiſitionem dictorum Regis & Reginæ, vel alicuius eorum aut ſucceſſorum ſuorum, de conſilio ſaniorum dicti Ordinis, Fratres idoneos & deuotos de toto dicto Ordine vſque ad præfatum numerum, de quibus, conſiderata qualitate negotij, videritis expedire, & eos ad ſeruiendùm in diuinis tam in Eccleſia dicti Sepulchri Dominici, quàm in ſacro cœnaculo & Capellis prædictis, habita priùs informatione de conditione Fratrum ipſorum quos vocaueritis, à Miniſtris Prouincialibus dicti Ordinis, vnde Fratres ipſi pro tempore aſſumuntur deputandi, eoſq; ad partes illas etiam deſtinandi, ac etiam alios ex ipſis, tum aliqui ex eis defecerint, totiens quotiens expedierit ſubrogandi, ac eis dandi licentiam ibidem commorandi: contradictores quoque per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, non obſtantibus quibuſcumque prohibitionibus Apoſtolicis ſeu ſtatutis eiuſdem Ordinis contrariis, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ſeu ſi cõmuniter vel diuiſim à Sede Apoſtolica ſit indultum, quòd interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem, plenam & liberam tenore præſentium concedimus poteſtatem. Volentes, vt ipſi Fratres taliter deputandi, ſint, poſtquam fuerint vltra mare, ſub obedientia & regimine Guardiani dicti Ordinis Montis Sion, prout ad ſuum ſpectat officium, & Miniſtri Terræ ſanctæ. Dat. Auenioni 11. *Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno* 1.

II.

Indulget Minoritis ad infidelium partes proficiſcentibus, vt verbum Dei proponere, cum ſchiſmaticis & hæreticis conuerſari, hos baptizare, & illos Eccleſiæ reconciliare; imò & deficientibus Epiſcopis Catholicis, etiam cum Chriſmate veteri Confirmationis Sacramentum conferre, charactere Clericali inſignire, & ad Acoluthatus Ordinem promouere poſſint. Concedit etiam alia quoad Ordinis & Pœnitentiæ Sacramenta, quoad Miſſarum celebrationem, nouarum ædium & Eccleſiarum ſuſceptionem, reſtaurationem & reconciliationem, & alia quæ ad Dei cultum pertinere videbuntur, indulgentiamq; concedi ſolitam proficiſcentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium, eiſdem impertitur. Ibidem.

CLemens Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filys Fratribus de Ordine Fratrum Minorum in Terras Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Sithorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, aliarumq; non credentium nationum Orientis & Aquilonis ſeu quarumcumque aliarum partium proficiſcentibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm hora vndecima ſit diei hominibus, vt exeant ad opus vſque ad mundi veſperam deputati, & illud Apocalypſis elogium citò credatur cum matris Eccleſiæ conſolatione complendum, & ſpiritualem vitæ munditiam, & intelligentiæ gratiam cum Ioanne ſortitos, populis & gentibus, linguis Regibusq; multis denuò prophetare; quia non ſequetur reliquiarum Iſraël per Iſaiam Prophetam ſaluatio, niſi iuxta Paulum Apoſtolum priùs introëat gentium plenitudo. Nos igitur, licet immeriti, ſuper Apoſtolicæ Sedis ſpeculam conſtituti, fideliter ac prudenter diſpenſandis Dei miniſtris & operibus coadiuuandis intendimus, etſi vrgente plenitudine temporis poſt pia pijrum ſtudia in vineam Domini ſabaoth, nouos ac pænè nouiſſimos, qui ſapientiam longum didicere per otium, operarios mittere procuramus. Vos igitur, quos iuxta profeſſæ Religionis officium zelus comedit animarum, & cum quadriga quarta, quam varijs charismatum donis & fidei fortitudine trahitis, vbique diſcurrere, ac vexillum Regis gloriæ procul leuare geſtitis ad gentes quæ Ieſum Chriſtum Dominum non agnoſcunt, & ad ſubtractos filios, qui ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ non obediunt, deſtinamus: vobis in remiſſionem omnium peccatorum iniungentes, quatenus ſeminaturi ſuper aquas multas, in illo tantùm, qui dixit ſe mundum viciſſe, confiſi, ad illuminationem cæcæ multitudinis, & exterminium hæreticæ falſitatis, ad confirmandum nutantium animos, & fidelium confortandos, in luce ſermonis & rectitudine operis propoſitum vobis iter, ſine quorumlibet offenſione curratis. Vt autem miniſterium veſtrum honoretur plenius, & honorabilius impleatur, præſentium vobis auctoritate concedimus, vt in terris quæ adhuc Sedis Apoſtolicæ magiſterio non intenduntur, proponere verbum Dei, & conſtitutis ibidem, non obſtante ſi aliqua ſint excommunicatione ligati, in verbis, officio & cibo, ac in aliis ſecurè communicare, & ipſos ſeu alios conuerti ad vnitatem fidei Chriſtianæ cupientes, recipere, baptizare & aggregare filys Eccleſiæ ſanctæ poſſitis: ipſisq; taliter aggregatis, ſi qui ex vobis fuerint in ſacerdotio conſtituti, vbi Epiſcoporum Catholicorum copia non extiterit, Sacramentum Confirma-

firmationis conferre, ac nihilominùs vti oleo & Chriſmate antiquis, cùm in eiſdem partibus nouum oleum ſine magna difficultate haberi non poßit, liberè valeant, conſtitutionibus ſuper his in contrarium editis non obſtantibus: nec non aggregatos eoſdem inſignire charactere Clericali, & ipſos ad Acoluthatus Ordinem promouere. Liceat etiam vobis ibidem redeuntibus ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ, qui ſunt excommunicatione ligati, abſolutionis beneficium iuxta formam Eccleſiæ impartiri, & ſuper eo diſpenſare cum ipſis qui ſacros receperunt Ordines, & diuina celebrarunt officia ſic ligati. Hoc ipſum ſit vobis licitum circa illos de terris eiſdem qui temporibus indebitis, vel infra ætatem legitimam, aut omnes qui eadem die vel qui ſuperiores prætermißis inferioribus conferre ſeu recipere Ordines præſumpſerint; ſi tamen in hoc ſeruata forma talis extiterit per quam Ordines recepiſſent. Vobis prætereà diſpenſare liceat, vt illis ex nationibus veſtræ prædicationi commißis, qui ſuſceptionem ſacrorum Ordinum, vel in gradibus & caſibus à diuina lege minimè prohibitis matrimonia contraxerunt, maneant in eiſdem, & hi qui ad Eccleſiæ Catholicæ redierint vnitatem, vt inter ſuos habitent, eisq; communicent: nec non quòd Clerici nationum ipſarum publicè ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ redeuntes, gaudeant priuilegio Clericali. Sit etiam vobis licitum omnium fidelium in terris prædictis confeßiones audire, ac ipſis iniungere pœnitentias ſalutares, & excommunicatos à Canone vel alio modo iuxta Eccleſiæ formam abſoluere, dummodò iniuriam & damna paßis ſatisfaciant competenter. Cum irregularibus autem partium earumdem in illis caſibus in quibus ſolent Legati Sedis Apoſtolicæ diſpenſare: ac etiam eum Clericis ipſarum partium patientibus defectum natalium, dummodo non ſint de adulterio, vel inceſtu aut Regularibus procreati, ſit vobis diſpenſandi facultas, quam circa illos ſimiliter habeatis, qui ab vnitate Eccleſiæ Catholicæ ſeu Religione vel Clericali Ordine diſceſſerunt, ſi humiliter redire voluerint, & dignè ſatisfacere de commißis, ita quòd ipſi Religioſi ad ſua loca, ſalua diſciplina Ordinis, reſumantur. Et illos ex iam dictis, qui excommunicationis vinculo ſunt adſtricti, iuxta præmiſſam formam & præditæ ſatisfactionis modum abſoluere valeatis, & cum irregularibus ex eiſdem, ſicut eſt expreſſum ſuperiùs, diſpenſare. Ad hæc ſit vobis abſoluendi facultas occiſores Clericorum & religioſarum perſonarum in prædictis partibus conſtitutos. Fundandi de nouo Eccleſias, & reconciliandi illas quæ ſunt caſu aliquo profanatæ, ac de nouo fundatis de rectoribus idoneis prouidendi. Et qui de gentibus vel ſchiſmaticis nouiter ſunt conuerſi dandi licentiam vt vxores ſuas, cum quibus in gradibus à lege diuina non prohibitis contraxerunt, valeant retinere. De cauſis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam veſtram deferri contigerit, legitimè cognoſcendi, ac diſcordantes inter ſe inuicem, quòd ad pacem & concordiam redeant: nec non quòd inordinatè viuentes de ſuis exceßibus, ſicut inſtum fuerit, ſatisfactionem exhibeant, compellendi per cenſuram Eccleſiaſticam vobis libera ſit poteſtas. Inſuper in locis in quibus vos hoſpitari contigerit, vel in locis partium earumdem in quibus reſidentiam facietis, Miſſam & cetera diuina officia celebrare, & in eiſdem partibus cœmeteria benedicere, ac dare indulgentiam, & commutare vota, facultatem & licentiam habeatis. Ceterùm vobis concedimus, quòd à Catholicis Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis poßitis Ordines & alia Eccleſiaſtica Sacramenta ſuſcipere, ac veſtes ſacerdotales altaris, pallas & corporalia, per eos qui ex vobis ſunt Presbyteri, cùm neceſſe vobis fuerit, benedicere, vbi Catholicorum Epiſcoporum copia non habetur, nec non alia facere, quæ ad augmentum diuini nominis, & ampliationem Catholicæ fidei, ac reprobationem & irritationem illorum qui ſacris traditionibus contradicunt, ſicut pro loco & tempore videritis expedire. Et vt fructum de veſtris laboribus reportetis, & ſentiatis ex ijs æternæ ſalutis vobis commoda vberiùs prouentura, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, vobis & cuilibet veſtrûm verè pœnitentibus & confeßis illam indulgentiam præſentium auctoritate concedimus, quam proficiſcentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium Sedes Apoſtolica concedere conſueuit. Ac nihilominùs, vt Chriſti fideles per præmia ſalubriter inuitemus ad merita, omnibus verè pœnitentibus & confeßis, qui Eccleſias & loca Fratrum dicti veſtri Ordinis in partibus præmiſſis conſtructa, & inpoſterum conſtruenda, cauſa deuotionis ſeu eleemoſynæ faciendæ ipſis Fratribus ſingulis diebus viſitauerint, centum dies de iniunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Vobis inſuper Apoſtolica auctoritate concedimus, vt in ciuitatibus, caſtris vel villis ſeu locis quibuſcumque ad habitandum domos ac loca quæcumque de nouo recipere ſeu hactenus recepta mutare, aut ea venditionis, permutationis, donationis, aut cuiuſuis alienationis titulo, in alios transferre, prout vtiliùs id fieri cognoueritis, de noſtra ac dictæ Sedis ſpeciali licentia valeatis, non obſtante prohibitione felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua cauetur, ne aliquis vel aliqui de Prædicatoribus, Minoribus ac Religioſis

aliys Mendicantibus, quibuſcumque ſuper hoc priuilegijs muniti exiſtant, prædicta præſumant abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, plenam & expreſſam facente de prohibitione huiuſmodi mentionem. Quòd ſi ſecùs factum fuerit, irritum decernitur & inane. Volumus autem, & Apoſtolica auctoritate decernimus, vt illa quæ de iure vel de obſeruata conſuetudine ad Epiſcopalem iuriſdictionem ſeu dignitatem dumtaxat pertinerent, vobis ſeu quibuſcumque aliys Fratribus veſtri ſeu cuiuſcumque alterius Ordinis ad terras non credentium tranſeuntibus, ſeu iam ibidem exiſtentibus, auctoritate Apoſtolica iam conceſſa vel inpoſterum concedenda, niſi in illis tantùm partibus in quibus Catholici Epiſcopi non fuerint, nec vos nec alij alterius Ordinis Fratres exercere curetis, decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quocumque ſcienter vel ignoranter fuerit attentatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſsionis, licentiæ, facultatis, poteſtatis, relaxationis, voluntatis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Pictauij 10. *Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno* 2.

Sub eodem Clemente V. anno Domini 1311. habitum fuit in Gallijs Concilium Viennenſe Generale XV. in quo decreta fuit expeditio pro Terræ ſanctæ recuperatione ſuſcipienda: & eadem ferè, quæ priores Pontifices in generalibus Concilijs anteà conſtituerant.

XVII.

Ioannes XXII. Gallus, è Caturica Prouinciæ Aquitanicæ ciuitate oriundus, Iacobus in Baptiſmate vocatus, Arnaldi de Oſſa viri clari filius, ex S. R. E. Cardinali, & Epiſcopo Portuenſi, Lugduni Galliæ ciuitate, die 7. Auguſti anno 1316. Summus Pontifex proclamatus, in Pontificatu vixit annos 17.

I.

Diploma huius Pontificis extat ibidem, quo proximè præcedens Bulla Clementis V. & in ſenſu & verbis per omnia cum illo conuenit, ideoque nonniſi illius principium & finem hîc ſub iungo.

Ioannes Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs de Ordine Fratrum Minorum in terris Saracenorum, &c. & infrà: *Datum Auenione* 10. *Kalend. Nouembris, Pontificatus noſtri anno* 6.

XVIII.

Innocentius VI. natione itidem Gallus, ortus Lemouico, quæ eſt eiuſdem Prouinciæ Aquitaniæ ciuitas, patre Alberto, à quo Stephani nomen ei inditum fuerat, priùs S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis & Veliternus, poſteà Auenione in Narbonenſi Gallia die 18. Decembris anno 1352. ad Summum Pontificatum adſumptus fuit, vixitque in Pontificatu annos 9. menſes 7. Hic

I.

Concedit in Hoſpitali Montis Sion inſeruientibus, vt poſsint eligere Sacerdotem Regularem vel ſæcularem, qui illorum confeſſiones audiat, & alia eis Sacramenta adminiſtret. Ex Archiuo Montis Sion.

Innocentius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilecta in Chriſto filia Sophiæ, Philippi de Archangelis mulieri, Florentinæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Benigno ſunt illa tibi concedenda fauore, per quæ, ſicut piè deſiderare videris, tibi & aliys conſcientiæ pax & ſalus prouenire valeant animarum. Cùm itaque, ſicut accepimus, tu zelo deuotionis accenſa, ad laudem Dei, & pro animæ tuæ ſalute, de bonis tibi à Deo collatis, & tibi etiam in eleëmoſynam erogatis, emeris quaſdam domos inhabitatas, ſitas in Monte Sion iuxta locum Fratrum Ordinis Minorum in dicto monte conſiſtentem, cum clauſtro & territorio ipſis domibus contiguis, & in eis vnum Hoſpitale, in quo Chriſti fideles, ad viſitandum Sepulchrum Dominicum peregrè proficiſcentes, valeant receptari, fundaueris, & ædificare cæperis, & ad ipſius perfectionem ſollicitis ſtudijs elabores: Nos tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, & omnibus & ſingulis perſonis, ad præfati Hoſpitalis ſeruitium deputatis, & inpoſterum deputandis, auctoritate Apoſtolica indulgemus, vt tu, & ipſa perſona, aliquem idoneum & diſcretum Presbyterum, religioſum, ſeu etiam ſæcularem, in veſtrum poſsitis eligere Confeſſorem, qui confeſsionibus diligenter auditis, pro commiſsis vobis debitam abſolutionem impendat, & iniungat pœnitentiam ſalutarem (niſi forſan talia fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica ſit meritò conſulenda) vobisq; etiam Euchariſtiæ & alia Eccleſiaſtica Sacramenta exhibere valeat, quotiens fuerit opportunum, vniuerſis Concilij & aliys Conſtitutionibus Apoſtolicis contrarijs non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſsionis infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Si

Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Dat. Auenioni 2. Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno 2.

II.

Fundationem eiuſdem Hoſpitalis in monte Sion approbat, & vt eius directioni Minores præeſſe poſſint concedit. Ibidem.

INnocentius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Pijs fidelium ſtudijs, quæ deuotionis affectum & proximi charitatem reſpiciunt, libenter annuimus, & quantum cum Deo poſſumus, fauorem Apoſtolicum impertimur. Cùm itaque teſtimonijs fide dignis accepimus, quòd dilecta in Chriſto filia Sophia, Philippi de Archangelis mulier, Florentina, zelo deuotionis accenſa, ad laudem Dei & Saluatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti, & pro animæ ſuæ ſalute, de bonis ſibi à Deo collatis, ac etiam à Chriſti fidelibus erogatis, quaſdam domos inhabitatas, ſitas in Monte Sion iuxta locum Ordinis Fratrum Minorum in dicto loco Montis Sion conſiſtentem, cum clauſtro & Oratorio eiſdem domibus contiguis, emerit, & in eiſdem vnum Hoſpitale, in quo Chriſti fideles, ad viſitandum Sepulchrum Dominicum peregrè proficiſcentes, valeant reſoueri, fundauit, ac ædificare & conſtruere cœpit opere ſtudioſo: Nos huius eius pium & deuotum ſtudium in Domino plurimùm commendantes, dictam fundationem ratam habentes & gratam, ac de dicti Hoſpitalis ſalubri & perpetua gubernatione prouidere volentes, ipſius Sophiæ in hac parte ſupplicationibus inclinati, Apoſtolica auctoritate ſtatuimus & etiam ordinamus, vt dicta Sophia cedente vel decedente, aut regimen dicti Hoſpitalis quomodolibet dimittente, Hoſpitale ipſum per Guardianum ſeu Fratres dicti loci de Monte Sion, qui erunt pro tempore, quibuſcumque Apoſtolicis conſtitutionibus, nec non ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis contrarijs, nequaquam obſtantibus, perpetuis temporibus regi debeat & poßit etiam gubernari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Dat. apud Villam nouam Auenionenſis diœceſis, Nonis Septembris, Pontificatus noſtri anno 3.

XIX.

VRBANVS V. & ipſe Gallus, in oppido Griſatio diœceſis Minatenſis in Prouincia Toloſana, patre Grimardo de Griſatijs natus, & Guilielmus anteà vocatus, Monachus primùm, poſteà Abbas Cluniacenſis Ordinis S. Benedicti, tandem die 27. Septembris anno 1362. Auenione Summus Pontifex factus, in Pontificatu vixit annos 8. menſes 3. Hic

I.

Approbat conceſſionem Innocentij VI. quòd Fratres Minores terrum & ligna ad infidelium partes pro locorum ſuorum conſtructione & reſtauratione deferre poſſint. Ex Archiuo Montis Sion, & Manuſcripto Veneto.

VRbanus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Andreæ Ieſlau & Ioanni Ponher, Ordinis Fratrum Minorum profeſſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Rationi conuenit, & congruit honeſtati, vt ea quæ de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet eius ſuperueniente obitu litteræ Apoſtolicæ ſuper illis confectæ non fuerint, ſuum ſortiantur effectum. Olim ſiquidem felicis record. Innocentius Papa ſextus prædeceſſor noſter, dilectis filijs Minorum Prouinciali & Fratribus Ordinis Minorum Prouinciæ Terræ ſanctæ, ſecundùm morem dicti Ordinis, pro veneratione Sepulchri beatæ Mariæ Virginis glorioſæ in valle Ioſaphat conſiſtenti, & loci ibi vicini, Cana vulgariter nuncupati, in quo, vt aſſeritur, Saluatore noſtro Domino Ieſu Chriſto nocte ſuæ paßionis orante ad Patrem, factus eſt ſudor eius tamquam guttæ ſanguinis decurrentis in terram, quemdam locum Fratrum Ordinis, in quo Fratres ipſi pro veneratione præmiſſa, & alijs diuinis ſeruitijs commorari valerent, cum neceſſarijs officinis fundandi & conſtruendi per ſuas certi tenoris litteras, plenam & liberam duxit licentiam concedendam, prout in ipſis litteris pleniùs continetur, & deinde dicto prædeceſſori pro parte ipſorum Miniſtri & Fratrum humiliter ſupplicato, vt eis & vobis eorum nomine tam pro conſtructione huiuſmodi, quàm etiam pro reparatione loci eorum de Monte Sion dicti Ordinis, qui, ſicut aſſeritur, pro maiori parte ruinam minatur, portandi & portari faciendi ad partes illas ferraturas, claues, vectes, feneſtras, clauos, & alia neceſſaria ferramenta quæ in partibus ipſis commodè haberi non poſſunt, licentiam concedere dignaretur; idem prædeceſſor huiuſmodi ſupplicationibus inclinatus, portandi & portari faciendi

prædi-

prædicta, & alia ferramenta pro fundatione, constructione & reparatione prædictis, vt præmittitur, opportuna, constitutionibus & processibus & prohibitionibus Apostolicæ Sedis spirituales & temporales pœnas, multas & sententias prolatas in deferentes seu deferri facientes, ferrum seu lignamina ad partes easdem continentibus, nequaquam obstantibus, 2. Kalend. Iunij Pontificatus sui anno 10. de benignitate Apostolica concessit licentiam atque dedit. Voluit tamen, quòd in manibus Diœcesani loci, in quo nauigium seu nauigia, in quo vel quibus prædicta deferenda ponentur, existerent, quòd præmissa vel aliqua eorumdem in fraudem non faceretis, præstaretis corporaliter iuramentum, alioquin nisi iuramentum huiusmodi præstaretis, vt præfertur, concessionem ipsam haberi voluit pro non facta: ac etiam voluit, quòd super huiusmodi iuramenti præstatione Diœcesanus prædictus confici faceret duo publica instrumenta, quorum alterum Cameræ Apostolicæ destinare studeret, penes se reliquo reseruato. Verùm quia ipsius prædecessoris superueniente obitu litteræ Apostolicæ super dicta concessione confectæ non fuerunt. Nos, ne propterea dictæ concessionis effectu frustremini, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quòd dicta concessio per eumdem prædecessorem, vt præmittitur, vobis à prædicta die, videlicet 2. Kal. Iunij, perinde sortiatur effectum, ac si ipsius prædecessoris litteræ super ea sub ipsius diei data confectæ fuissent, prout superiùs enarratur, quodq; præsentes litteræ ad probandum plenè concessionem antedictam vbique sufficiant, nec ad id concessionis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Auenione sexto Idus Nouembris, Pontificatus nostri anno 1.

XX.

GREGORIVS XI. ipse quoque natione Gallus, ex oppido Malmont diœcesis Lemouicensis in Prouincia Tolosana, patre Guilielmo de Monstris oriundus, cùm Petrus anteà diceretur, factus est primùm S. R. E. Diaconus Cardinalis tit. S. Mariæ Nouæ, posteà verò die 30. Decembris anno 1370. Auenione, Prouinciæ Narbonensis in Gallia ciuitate, Summus Pontifex pronuntiatus est, seditque in Pontificatu annos 7. menses 5.

I.

Concedit hic facultatem Minoritis ædificandi Ecclesiam & domum apud Bethleem prope Capellam S. Nicolai, & quòd Fratres in eo habitantes perfruantur gratijs toti Ordini concessis. In Archiuo S. Montis Sion.

GRegorius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio Martino de Aragonia Ordinis Fratrum Minorum Professori, salutem & Apostolicam benedictionem. Inter cunctos Ordines in domo Domini militantes, illud de benedictione celesti Ordini Fratrum Minorum & ipsis Fratribus ad laudes speciales adscribitur, & magistra rerum experientia manifestat, quòd ipsi Fratres vbique locorum, in quibus degunt, fideles populos ad salutis gratiam suis prædicationibus & exhortationibus euocant, & infideles inuitant, se ipsis præferentes per vitæ meritum, & alijs per exemplum. Sanè exhibita nobis pro parte tua petitio continebat, quòd ex deuotione, quam habes ad augmentum fidei & dictum Ordinem, vt fauorem feminis verbi Dei fidelibus & infidelibus prædicandi, vnum locum pro vsu & habitatione Fratrum tui Ordinis prope Capellam S. Nicolai iuxta Bethleem cum Apostolicæ Sedis licentia fundare, construere & ædificare proponis. Quare fuit nobis supplicatum, vt tibi in hac parte opportunam dare licentiam de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque huius supplicationibus inclinati, tibi recipiendi Capellam prædictam pro Ecclesia dicti loci, ac construendi, fundandi & ædificandi locum prædictum, cum cœmeterio, campanili, campana, domibus & necessarijs officinis, ac tibi & eisdem Fratribus commorandi ibidem, iure tamen Parochialis Ecclesiæ ac cuiuscumque alterius in omnibus semper saluo, constitutione felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, prohibente, ne Religiosi Ordinum mendicantium loca de nouo recipiant absque speciali licentia Sedis eiusdem faciente plenam & expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs constitutionibus Apostolicis contrarijs nequaquam obstantibus, deuotioni tuæ tenore præsentium plenam & liberam auctoritate Apostolica licentiam elargimur: & insuper Guardiano & Fratribus dicti Ordinis, qui in prædicto loco, vt præmittitur, construendo morabuntur, quòd omnibus & singulis gratijs, priuilegiis & exceptionibus, libertatibus & immunitatibus, quibus in alijs locis eiusdem Ordinis Fratres soliti sint gaudere, liberè vtantur & gaudeant; deuotioni tuæ de ampliori dono gratiæ concedimus potestatem. Dat. Auenione 7. Kal. Octob. Pontificatus nostri anno 5.

Tribuit

II.

Tribuit FF. Minoribus licentiam, vt vtriuſque ſexus pijs fidelibus facultatem manendi in Terra ſancta, ad tempus, vel perpetuò, ſi ad eam ſe contulerint cum Apoſtolicæ Sedis licentia, concedere poſſint. Ex Manuſcripto Veneto.

GRegorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Miniſtro & Cuſtodi Terræ ſanctæ, ac Guardiano loci de Monte Sion Ieroſolymitano, nec non Martino de Ragonia, & Geraldo de Lincio, Ordinis Fratrum Minorum profeſſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. De religioſa diſcretione veſtra gerentes in Domino fiduciam ſpecialem, vobis & cuilibet veſtrûm præſentium auctoritate, quòd deuotis perſonis vtriuſque ſexus, cuiuſcumque ſtatus, Ordinis vel conditionis exiſtant, ad Terram ſanctam cum licentia Apoſtolicæ Sedis iam profectis, & pro tempore declinantibus, ac affectantibus cauſa deuotionis in ea remanere, in perpetuum, vel ad tempus, ibidem licitè remanendi ex cauſa prædicta perpetuò vel ad tempus (quantum diſcretioni veſtræ videbitur, habita tamen priùs idonea informatione de conſtantia fidei, honeſtate vitæ, & conuerſatione ipſorum laudabili) poſitis liberam licentiam concedere, non obſtantibus Apoſtolicæ Sedis vel alijs prohibitionibus quibuſcumque, plenam concedimus tenore præſentium facultatem. Volumus tamen, quòd ſi huiuſmodi perſonæ Religioſæ fuerint, ſuorum Prælatorum ad hoc accedant licentia & aſſenſus. Dat. Auenione 7. Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno 5.

III.

Concedit inſuper ſingularem facultatem reconciliandi Eccleſiæ Catholicæ illos qui ab ea receſſerunt, & adhæſerunt Mahumeticæ vel alteri ſectæ. Ibidem, & ex Archiuo ſacri Montis Sion.

GRegorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Miniſtro Terræ ſanctæ, & Martino de Aragonia, ac Gerardo de Linego Ordinis Fratrum Minorum Profeſſoribus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sicut de damnabili throno filiorum errantium ſancta Mater Eccleſia pietate materna dolet ab intimis, ſic de ipſorum reditu ad iter ſalutis exultat in Domino, eoſq; libenter admittit ad eius clementiæ lenitatem. Sanè dolenter accepimus, quòd in nonnullis partibus, quas Soldanus Babyloniæ detinet, inter Saracenos nonnulli dudum Chriſtianam religionem profeſſi, & ſacri Baptiſmatis fonte renati, conuerſantur & habitant, qui antiqui hoſtis fraude decepti, vel adulatione blanda ſeducti, aut tormentorum timore perterriti, aut animorum leuitate abnegantes, ſaluificum nomen Chriſti, ab auctore ſalutis ſe alienos fecerunt, & adhæſerunt ac adhærent abominabili ritui iniquiſſimi Mahometi, & lapſi ſunt in nonnullas alias hæreſes & ſchiſmata, perfidiam & errores. Quodq; quidam ex eis, ſaniori ducti conſilio, ad cor reuerſi & pœnitentes de præmiſſis, cupiunt errata corrigere, & in humilitatis ſpiritu agere pœnitentiam de commiſſis, ac corpori dictæ Eccleſiæ, extra quam non eſt ſalus, cum deuotione feruida reuniri. Nos itaque, qui cunctorum ſalutem cupimus, neminem perire volentes, ac pœnitentes huiuſmodi, vt dum habent emendandi ſpatium, futuræ iræ terrorem effugiant, opportunis fauoribus proſequi affectantes, de veſtráque diſcretione gerentes in Domino fiduciam, ſpecialem vobis & cuilibet veſtrûm auctoritate Apoſtolica ab eiſdem pœnitentibus cuiuſcumque dignitatis, ordinis, ſtatus vel conditionis extiterint, in partibus illis dumtaxat exiſtentibus, recipiendi in forma Eccleſiæ conſueta abiurationem ritus prædicti, & quorumcumque hæreſis, ſchiſmatis, perfidiæ & errorum in quæ lapſi fuerint, illoſq; ex eis de quibus per eorum confeſſiones & veriſimiles coniecturas apparuerit quòd verè pœnitentes exiſtant, ab huiuſmodi reatibus & alijs eorum peccatis, quæ alicui veſtrûm confeſſi fuerint, hac vice dumtaxat, abſoluendi, iniuncta eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & alijs quæ de Iure fuerint iniungenda, & inter alia, quòd in huiuſmodi abnegationis & adhæſionis, ac alias hæreſes, ſchiſmata, perfidiam & errores de cetero non reincident, ac ipſius pœnitentiæ parte peracta, in obedientiæ ſignum ad profeſſionem veræ fidei admittendi, ipſamq; profeſſionem ab ipſis recipiendi, ac eos corpori [illegible]æ Eccleſiæ reintegrandi & reuniendi, abſoluendique etiam ipſos, & eorum quemlibet, ab excommunicationis & alijs ſententijs atque pœnis, Iuris & hominis, quas propter abnegationem & adhæſionem, hæreſes, ſchiſmata, perfidiam & errores huiuſmodi incurrerint, nec non diſpenſandi cum ipſis ſuper irregularitatibus, ſi quas fortè ob præmiſſa & eorum occaſione incurrerint, eosq; habilitandi ad eamdem nec non ad poſſeſſiones, bona & iura alia qualibet, quibus propter abnegationem, adhæſionem, hæreſes, ſchiſmata, & errores prædictos per proceſſus Apoſtolicos & iura alia Canonica vel ciuilia priuati vel ſuſpenſi exiſterent, dummodò in eis non ſit alteri ius quæſitum, ac in & ſuper præmiſſis & quolibet præmiſſorum cum eis & eorum ſingulis eadem auctoritate etiam diſpenſandi & alia faciendi

faciendi quæ circa hæc fuerint opportuna, quibuſcumque priuilegijs, proceßibus & litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, nec non ſtatutis & conſuetudinibus, tam veſtri quàm quorumcumque aliorum Ordinum iuramento confirmatione Apoſtolica vel quacumque firmitate alia vallatis, per quæ præſentibus expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earũ impediri poßit quomodolibet vel differri, etiamſi de eis eorumq; totis tenoribus habenda eſſet in noſtris litteris mentio ſpecialis, nequaquam obſtantibus, plenam concedimus tenore præſentium facultatem. Dat. Auenione 7. Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno 5.

XXI.

VRBANVS VI. Italus, Neapoli, Prouinciæ Campaniæ vrbe, ex familia Prignana natus, Bartholomæus ante conſecrationem dictus, Archiepiſcopus primò Barenſis, poſteà Romæ die 8. Aprilis anno 1378. Summus Pontifex pronuntiatus, ſedit in Pontificatu annos 2. dies 21.

I.

Dat facultatem Minoritis Montis Sion, vt in ſuis domibus habere poſſint decem perſonas timentes Deum, pro infirmorum, pauperum, & ſuiſmetipſis commodis ſeruitijs. Ex Archiuo ſacri Montis Sion.

VRbanus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Guardiano & Fratribus domus Fratrum Ordinis Minorum de Monte Sion Ieroſolymitanis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad ea quæ piorum locorum & pauperum Chriſti commoditatem reſpiciunt, libenter intendimus, & eis quantum in Deo poſſumus, fauorem Apoſtolicum impertimur. Cùm itaque, ſicut accepimus, vos, & pauperes & infirmi, qui continuè confluunt ad Hoſpitale pauperum de Monte Sion prope domum veſtram conſiſtens, opportunorum copia ſeruitorum carere noſcantur, nos cupientes ſuper hoc de opportuno remedio prouidere, vobis dandi licentiam decem perſonis Deum timentibus, & compaßionem ad ipſos pauperes & infirmos habentibus, quæ ad illas partes de licentia Apoſtolicæ Sedis acceſſerint, & quarum qualibet quadrageſimum annum ætatis ſuæ exceſſerit, hac vice dumtaxat in eodem Hoſpitali & domibus contiguis ſeu vicinis eidem pro ſeruitijs veſtris ac dictorum infirmorum & pauperum, omni fraude ceſſante, ad tempus, de quo vobis expedire videbitur remanendi, prohibitionibus & conſtitutionibus Apoſtolicis contrarijs quibuſcumque nequaquam obſtantibus, plenam & liberam concedimus auctoritate Apoſtolica tenore præſentium facultatem. Dat. Neapoli apud maiorem Eccleſiam Neapolitanam, 3. Idus Iunij, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

XXII.

IOANNES XXIII. dictus XXIV. Italus, ex eadem ciuitate Neapolitana ortus, & Balthaſſar de Coſſis anteà vocatus, ex S.R.E. Diacono Cardinale tit. S. Euſtachij, Bononiæ Prouinciæ Lombardiæ ciuitate, die 17. Maij anno 1410. Summus Pontifex pronuntiatus, tandem Pontificatu ſe abdicauit in Concilio Conſtantienſi. In Pontificatu

I.

Confirmat gratias & priuilegia Pontificum & aliorum Principum Fratribus Terræ ſanctæ conceſſa. Ex Archiuo ſacri Montis Sion.

IOannes Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Miniſtro Terræ ſanctæ Guardiano & Fratribus domus de Monte Sion Ordinis Minorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, vt id per ſollicitudinem officij noſtri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filij, veſtris iuſtis ſupplicationibus inclinati, grato concurrentes aſſenſu, omnia priuilegia indulgentiarum conceſſarum temporibus retroactis vobis & Conuentibus, locis ſiue domibus, in quibus ad præſens veſtri Fratres morantur, ac ſingulis alijs locis dicti Ordinis in partibus Terræ ſanctæ à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſiue per Priuilegia vel alias indulgentias, nec non libertates & exceptiones ſæcularium exactionũ à Regibus & Principibus, & alijs Chriſti fidelibus rationabiliter vos & per vos domui, Ordini ac locis prædictis auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio cõmunimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis & cõmunitionis infringere, vel ei auſu temerario contrarire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. 4. Kalend. Iulij, Pontificatus noſtri anno 5.

XXIII.

MARTINVS V. Romanus, Otho dictus, Agapiti de Columnenſibus filius, cùm priùs eſſet S.R.E. Diaconus Cardinalis, tit. S. Georgij in Velabro, die 11. Nouembris anno 1417. Conſtantiæ ſuperioris Germaniæ ciuitate, vbi tum Concilium generale celebrabatur, in Summum Pontificem aſſumptus fuit, vixitque in Pontificatu annos 13. menſes 3.

Confir-

I.

Confirmat hic priuilegia Fratribus Terræ ſanctæ à prædeceſſoribus ſuis conceſſa. Ex Archiuo ſacri Montis Sion.

MArtinus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Guardiano, & Conuentui Fratrum Ordinis Minorum Montis Sion, nec non ceteris in Bethleem & Sepulchro Domini in Ieruſalem degentibus ipſius Ordinis Fratribus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per ſollicitudinem officij noſtri illibatum perduret. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates, gratias, indulgentias & immunitates à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſiue per priuilegia, ſeu alias indulgentias vobis & Ordini veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſæcularium exactionum à Regibus & Principibus, & alijs Chriſti fidelibus rationabiliter vobis & Ordini prædicto indultas, ſicut eas iuſtè & pacificè obtinetis, quas præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, vobis & per vos eidem Ordini auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, confirmationis & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Florentiæ 7. Idus Iulij, Pontificatus noſtri anno 3.

II.

Concedit eiſdem vt Miſſam celebrare valeant antequam dies illuceſcat. Ex eodem Archiuo.

MArtinus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis, &c. vt in præcedenti. *Sinceræ deuotionis affectus, quem ad nos & Romanam geritis Eccleſiam, promeretur vt votis veſtris, his præſertim quæ ad ſalutem animarum cedere valeant, quantum cum Deo poſſumus, fauorabiliter annuamus. Veſtris itaque ſupplicationibus inclinati, vt Miſſam, antequam illuceſcat dies, circa tamen diurnam lucem, cùm qualitas negotiorum id exegerit, liceat cuilibet veſtrûm in ſacerdotio conſtituto celebrare, ac per alios Sacerdotes idoneos facere celebrari, ita quòd id nec vobis, nec Sacerdotibus taliter celebrantibus ad culpam valeat reputari, deuotionibus veſtris ac ſucceſſoribus veſtris tenore præſentium indulgemus. Proniſo quòd vos & ſucceſſores ipſi huiuſmodi conceſſione parcè vtamini. Quare cùm in Altaris officio immoletur Domino noſtro Dei Filius, qui candor eſt lucis æternæ, hoc non in noctis tenebris fieri, ſed in luce congruit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere,* &c. Datum vt ſuprà.

III.

Concedit inſuper facultatem eligendi Confeſſarium, qui ſemel in mortis articulo plenariam concedat indulgentiam. Ibidem.

MArtinus Epiſcopus, &c. vt in præcedentibus. *Prouenit ex veſtræ deuotionis affectu, quo nos & Romanam Eccleſiam reueremini, vt petitiones veſtras, illas præſertim quæ animarum veſtrarum ſalutem reſpiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc eſt quòd nos, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vt Confeſſor, quem veſtrûm quilibet duxerit eligendum, omnium peccatorum veſtrorum, de quibus corde contriti & ore confeſſi fueritis, ſemel tantùm in mortis articulo, plenam remiſſionem vobis in ſinceritate fidei, vnitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia & deuotione noſtra & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedere valeat, deuotioni veſtræ & ſucceſſorum veſtrorum tenore præſentium indulgemus. Sed ne, quod abſit, vel vos vel ſucceſſores ipſi, propter huiuſmodi gratiam reddamini procliuiores ad illicita imposterum committenda, volumus, quòd ſi ex confidentia remiſſionis huiuſmodi aliqua fortè committeretis, quoad illa prædicta remiſſio talia committentibus nullatenus ſuffragetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & voluntatis infringere,* &c. Datum vt ſuprà.

IV.

Mandat vt locorum ſanctorum traditio Minoritis perpetuò confirmetur, ipſíque poſſint oblationes recipere, & conquirere. Ibidem.

MArtinus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Patriarchæ Gradenſi & Nicoſienſi ac Colocenſi Archiepiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad aſſiduum Chriſti ſeruitium deputatos fauore præcipuo proſequi Romana debet Eccleſia, ac illis præcipuè gratiam ſuæ benignitatis oſtendere, qui diuinis noſcuntur ampliùs promereri. Cùm itaque, ſicut accepimus, Montis Sion, nec non Bethleem, & Sepulchri Dominici in Ieruſalem, & B. Virginis in valle Ioſaphat loca, Guardiano & Conuentui Ordinis Minorum dicti loci Montis Sion,

Huius confirmationem habes infrà Bulla 11.

ceteriſq; ipſius Ordinis Fratribus in prædictis locis degentibus, qui etiam loca ipſa per multa tempora poſſedisse aſſerunt, pro quorum vſu & habitatione valdè accommoda eſſe noſcuntur. Nos attendentes pia opera, quæ dicti Fratres pro Catholicæ fidei incremento per prædicationis miniſterium, ac aliàs in illis partibus iugiter exercent, volentesq; propterea Fratres ipſos fauoribus proſequi gratioſis, fraternitatibus veſtris, de quibus in his & aliis fiduciam in Domino gerimus ſpecialem, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus veſtrûm, loca prædicta, quorum confinia præſentibus aliàs haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, Fratribus ipſis, dummodò ab eis per quinquaginta annorum ſpatium poſſeſſa fuerint, pro ſuis vſu & habitatione huiuſmodi in perpetuum auctoritate noſtra concedatis, deputetis & aſſignetis, facientes eos dictorum locorum pacifica poſſeſſione gaudere, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Et nihilominùs Fratribus ipſis oblationes, quæ inibi pia largitione fidelium pro tempore erogabuntur, in eorumdem Guardiani, & Fratrum pro ſuæ vitæ ſuſtentatione vſus conuertendas, per eorum Procuratores ſeu Commiſſarios, quos Fratres ipſi & eorum ſucceſſores ad hoc duxerint deputandos, colligi faciendi, eadem auctoritate licentiam largiamini, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus Ordinis prædicti, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ceteriſq; contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Datum vt ſuprà.

V.

Impertit facultatem abſoluendi quotannis centum perſonas à cenſuris, qui abſque Sedis Apoſtolicæ licentia Ieroſolymam venerint. Ibidem.

MArtinus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs, &c. vt ſuprà in prima. *Votis veſtris, præſertim per quæ animarum ſalus procuratur, libenter annuimus, eaq; fauoribus proſequimur opportunis. Cùm itaque, ſicut accepimus, nonnullæ perſonæ vtriuſque ſexus de diuerſis mundi partibus, zelo deuotionis accenſæ, vel debito voti adſtrictæ, Oratoria & alia ſacra loca Terræ ſanctæ abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, ad quam pro ea impetranda perſonæ ipſæ, tum propter ignorantiam, tum propter viarum diſcrimina locorumq; diſtantiam venire omittunt, peregrè viſitare conſueuerint annuatim: Nos, qui ſingulorum Chriſti fidelium animarum ſalutem quærimus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vt aliquos ex Fratribus veſtri Ordinis in illis partibus degentes, ad hoc idoneos, & in ſacerdotio conſtitutos, qui annis ſingulis centum ex perſonis huiuſmodi, dummodò perſonæ ipſæ in contemptum præfatæ Sedis illuc non venerint, nec aliqua ſecum detulerint quæ in fructum vel vtilitatem hoſtium fidei Chriſtianæ redundare valeant, ab excommunicationis ſententia, aliisq; ſententijs, cenſuris & pœnis, quas propterea incurrerint, ſi hoc humiliter petierint, in forma Eccleſiæ conſueta, auctoritate Apoſtolica abſoluere poſſint, adiuncta tamen eis inde pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & aliis quæ de iure fuerint iniungenda, deputare valeatis, vobis & ſucceſſoribus veſtris eadem auctoritate tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere*, &c. *Datum Florentiæ 4. Idus Iulij, Pontificatus noſtri anno 3.*

VI.

Concedit, vt qui inter infideles habitant, & abſque Apoſtolicæ Sedis licentia Ieroſolymam veniunt, abſolui poſſint à cenſuris & peccatis. Ibidem.

MArtinus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Guardiano, &c. vt ſupra in prima Bulla. *Exigit veſtræ deuotionis ſinceritas, & Religionis promeretur honeſtas, vt petitionibus veſtris, illis præſertim per quas animarum ſaluti prouideri valeat, fauorabiliter annuamus. Cùm itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, nonnulli mercatores Veneti & Ianuenſes, atque Cathalani, nec non aliarum Chriſtianitatis partium, aliiq; Chriſticolæ, qui in terris infidelium ac inter ſchiſmaticos pro ſuis mercimonijs & aliis inibi exercendis moram trahunt, & à quibus non modica percipitis ſubſidia, loca Terræ ſanctæ veluti veri Catholici in Natiuitatis & Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti feſtiuitatibus, ac aliàs annis ſingulis, abſque tamen Licentia Sedis Apoſtolicæ, ad quam pro ea obtinenda, propter locorum diſtantiam, commodè venire non poſſunt, conſueuerint viſitare: Nos, qui ſingularum Chriſti fidelium animarum ſalutem quærimus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vt veſtrûm ſingulis, in Sacerdotio tamen conſtituti, mercatorum & Chriſticolarum huiuſmodi, qui loca prædicta deuotionis cauſa, vt præmittitur, viſitauerint, nec non vxorum, liberorum ac familiarium ipſorum confeſſionibus diligenter auditis, ipſos de commiſſis, nec non ab excommunicationis ſententia, aliisq; cenſuris & pœnis, quas propter non petitam ſeu non obtentam licentiam huiuſmodi quomodolibet incurrerint, ſi hoc humiliter petierint, in forma*

ma Eccleſiæ conſueta, auctoritate Apoſtolica abſoluere, ac eis Eccleſiæ Sacramenta miniſtrare valeatis; iniunctâ tamen eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, ac alia quæ de iure fuerint iniungenda, vobis ac ſucceſſoribus veſtris auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, &c. Datum Florentiæ 4. Idus Iulij, Pontificatus noſtri anno 3.

VII.

Permittit, vt Hiſpani, qui abſque licentia Sedis Apoſtolicæ Ieroſolymam proficiſcuntur, à cenſuris & peccatis abſolui poſſint. Ibidem.

MArtinus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Guardiano, &c. vt ſuprà in prima Bulla. *Votis veſtris, præſertim per quæ animarum ſalus procuratur, libenter annuimus, eaq; fauoribus proſequimur. Cùm itaque, ſicut accepimus, nonnulla perſonæ vtriuſque ſexus de regionibus & natione Hiſpaniarum, zelo deuotionis accenſæ, vel debito voto adſtrictæ, Sepulchrum Dominicum, aliaq; Oratoria & loca ſacra Terræ ſanctæ, abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, ad quam pro ea impetranda perſonæ ipſæ tum propter ignorantiam, tum etiam propter viarum diſcrimina, locorumq; diſtantiam, venire omittunt, peregrè viſitare conſueuerint annuatim: Nos, qui ſingulorum Chriſti fidelium animarum ſalutem quærimus, conſideratione dilecti filij noſtri Alphonſi, tituli ſancti Euſtachij Diaconi Cardinalis, qui pro dicta natione nobis ſuper hoc humiliter ſupplicauit, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vt aliquos ex Fratribus veſtri Ordinis in illis partibus degentes, ad hoc idoneos, & in Sacerdotio conſtitutos, qui annis ſingulis perſonas huiuſmodi nationis, dummodo perſonæ ipſæ in contemptum præfatæ Sedis illuc non iuerint, nec aliqua ſecum detulerint quæ in profectum vel vtilitatem hoſtium fidei Chriſtianæ redundare valeant, ipſorum confeſſionibus diligenter auditis, ipſos de commiſſis & huiuſmodi tranſgreſſione, nec non ab excommunicationis ſententia, aliiſq; cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, quas propter non petitam ſeu non obtentam licentiam huiuſmodi quomodolibet incurrerint, ſi hoc humiliter petierint, in forma Eccleſiæ conſueta auctoritate Apoſtolica abſoluere, ac eis Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare poſſint, iniunctâ tamen eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, ac aliis quæ de iure fuerint iniungenda, deputare, aliosq; loco eorum, quotiens fuerit opportunum, ſubſtituere liberè & licitè valeatis, vobis & ſucceſſoribus veſtris eadem auctoritate tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, &c. Datum Florentiæ 14. Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno 3.*

VIII.

Vt & ipſi Fratres Minores, qui abſque Summi Pontificis licentia Ieroſolymam proficiſcuntur, abſolui poſſint indulget. Ibidem.

MArtinus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Guardiano, &c. vt ſuprà in prima Bulla. *Votis veſtris, præſertim per quæ animarũ ſalus procuratur, libenter annuimus, eaq; fauore proſequimur opportuno. Cùm itaque, ſicut accepimus, nonnulli Fratrum Ordinis Minorum ex diuerſis mundi partibus, zelo deuotionis accenſi, vel debito voti adſtricti, Sepulchrum Dominicum, aliaq; Oratoria & loca ſancta Terræ ſanctæ abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, ad quam, pro ea impetranda, Fratres ipſi tum propter ignorantiam, tum etiam propter viarum diſcrimina, locorumq; diſtantiam venire omittunt, peregrè viſitare conſueuerunt annuatim. Nos, qui ſingulorum Chriſti fidelium animarum ſalutem quærimus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vt aliquos ex vobis ad hoc idoneos, & in Sacerdotio conſtitutos, qui Fratres ipſos quotieſcumque occurrerit, dummodò tamen ipſi abſque eorum Superiorum licentia, & in contemptum præfatæ Sedis illuc non iuerint, nec aliqua ſecum deportauerint, quæ in profectum vel vtilitatem hoſtium fidei Chriſtianæ redundare valeant, ab excommunicationis ſententia aliiſq; cenſuris & pœnis, quas propterea incurrerint, ſi hoc humiliter petierint, in forma Eccleſiæ conſueta auctoritate Apoſtolica abſoluere poſſint, iniunctâ eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & alia quæ de iure eis fuerint iniungenda deputare, aliosq; loco eorum, quotiens fuerit opportunum, ſubſtituere, liberè & licitè valeatis, vobis ac ſucceſſoribus veſtris eadem auctoritate tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, &c. Datum Florentiæ 7. Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno 3.*

IX.

Confirmat collationem & confirmationem locorum Terræ ſanctæ Minoritis factam per Ioannem Patriarcham Gradenſem, eiſdemque vt per Procuratores eleëmoſynas colligere, eoſque, ſi expedierit, deponere, & alios ſubſtituere poſſint, concedit. Ibidem.

MArtinus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Pro his vide suprà Bulla 4.

His quæ pro Eccleſiaſticarum perſonarum, præſertim ſub regulari Obſeruantia ſtudio vacantium, piæ vitæ tranquillitate & commodo prouidè facta comperimus, vt illibata perſiſtant, libenter, cùm à nobis petitur, Apoſtolici roboris adÿcimus firmitatem. Dudum ſiquidem per vos accepto, quòd Montis Sion & Bethleem, ac Sepulchri Dominici in Ieruſalem, nec non B. Mariæ Virginis in valle Ioſaphat loca, dilectis filÿs Guardiano & Conuentui Fratrum Ordinis Minorum dicti loci Montis Sion, ceteriſq; ipſius Ordinis Fratribus in dictis locis degentibus, quæ etiam loca ipſa per multa tempora ſe poſſediſſe aſſerebant, pro eorum vſu & habitatione valdè accommoda eſſe noſceretur, Nos tunc expreſſis certis rationabilibus cauſis inducti, venerabili fratri Ioanni Patriarchæ Gradenſi, eius proprio nomine expreſſo, ac duobus aliis in ea parte collegis per alias noſtras litteras dedimus in mandatis, quatenus ipſi vel duo, aut vnus eorum loca prædicta, quorum confinia in eiſdem noſtris litteris haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, Fratribus ipſis, dummodo ab eis per quinquaginta annorum ſpatium poſſeſſa fuiſſent, pro ſuis vſu & habitatione huiuſmodi in perpetuum auctoritate noſtra concederent, conſtituerent, deputarent, & etiam aſſignarent, facerentq; dictos Fratres eorumdem locorum pacifica poſſeſſione gaudere, contradictores eadem auctoritate, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, & nihilominùs Fratribus ipſis oblationes, quæ ibi pia largitione fidelium pro tempore erogarentur, in eorum Guardiani & Fratrum pro ſuæ vitæ ſuſtentatione vſus conuertendas per eorum Procuratores ſeu Commiſſarios, quos Fratres ipſi & eorum ſucceſſores, ad hoc ducerent deputandos, colligi faciendi, eadem auctoritate licentiam largirentur. Deinde, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Guardiani & Fratrum petitio continebat, & præfatus Ioannes Patriarcha ſolus ad dictarum litterarum, prout ex earum forma poterat, executionem præcedens, tandem quia ex fide dignorum teſtium ſuper hoc pro parte dictorum Guardiani & Fratrum prædictorum, & diligenter examinatorum dictis & depoſitionibus ſibi legitimè conſtitit, loca prædicta nedum per quinquaginta, verùm etiam per ſexaginta & vltra annorum ſpatia ab eiſdem Fratribus continuè poſſeſſa, dedit, conceſſit, contulit & aſſignauit, vt in poſterum ipſi Guardianus & Fratres illa pacificè poſſiderent, ac poſſint eorum pacifica poſſeſſione gaudere. Dictis nihilominùs Fratribus ipſis oblationes prædictas per Procuratores ſeu Commiſſarios huiuſmodi recipi & colligi faciendi plenariam conceſſit facultatem, prout hæc & alia in quodam inſtrumento publico inde confecto ſigillo ipſius Ioannis Patriarchæ munito pleniùs continetur. Quare pro parte dictorum Guardiani & Fratrum fuit nobis humiliter ſupplicatum, vt donationi, conceſſioni & aſſignationi prædictis, ceteriſq; in dicto inſtrumento contentis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolica confirmationis adÿcerem, ipſiſq; & Fratribus, Procuratores ſeu Commiſſarios ad recolligendum & recipiendum oblationes prædictas, vt præfertur, deputandos, quotiens eiſdem Guardiano & Fratribus videbitur, amouendi, ac alios eorum loco ponendi & deputandi licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de præmiſſis & alÿs in dicto inſtrumento contentis huiuſmodi plenariè fuimus informati, litterarum noſtrarum & inſtrumenti prædictorum tenores, etiam perinde ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſerta forent, hic habentes pro ſufficienter expreſſis, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationem, conceſſionem & aſſignationem prædictas, ceteraq; omnia in dicto inſtrumento contenta, rata & grata habentes, illa omnia ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica ſupradicta, tenore præſentium confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes etiam defectus quoſlibet, ſi qui forſitan interuenerint in præmiſſis. Et inſuper Guardiano & Fratribus antedictis, dictos Procuratores ſeu Commiſſarios, quotiens eis videbitur, vt præmittitur, amouendi, ac alios eorum loco ponendi & deputandi, ipſis & eorum ſucceſſoribus eadem auctoritate licentiam concedimus per præſentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, communitionis, ſuppletionis infringere, &c. Datum Romæ apud S. Petrum 16. Kal. Martij, Pontificatus noſtri anno 4.

X.

Fratribus Minoribus locum S. Saluatoris Baruthi, cum eiuſdem appendicibus aſſignari præcipit, & vt illi oblationes per Procuratorem recipere poſſint concedit. Ibidem.

MArtinus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Cretenſi, & Nicoſienſi ac Colocenſi Archiepiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Salutare ſtudium, & ſincerus dilectorum filiorum, Guardiani & Conuentus Fratrum Ordinis Minorum Montis Sion, charitatis zelus ad conſeruationem dilatationemq; fidei Catholicæ & Chriſtianæ Religionis in partibus vltramarinis, ac ſacræ Religionis honeſtas, ſub qua deuotum exhibent Altiſſimo famulatum, promerentur, vt petitionibus ipſorum, præſertim in his quæ ad fomentum piæ deuotionis

tionis fidelium, ac eiusdem fidei semper recolenda mysteria, subseruiunt & conferunt, quantum cum Domino possumus fauorabiliter annuamus. Cùm itaque locus Fratrum Ordinis prædicti Ecclesiæ S. Saluatoris in Barutho, quem Guardianus, Conuentus & Fratres ipsi per longa temporum spatia, sicut fuimus fide dignorum relatione sufficienter informati, possederunt assiduè, & etiam possident nunc, pro ipsorum & aliorum Fratrum in eisdem partibus vltramarinis degentium vsu & habitatione non parum accommodus esse noscatur, Nos attendentes laudabilia pia denotionis & charitatis opera, quæ ipsi & Fratres huiusmodi tam per assiduæ prædicationis mysterium ad ipsius ædificationem & incrementa fidei, quàm pias Christi fidelium illuc indies peregrinantium recollectionem, directionem & consolationem, ac alijs multipliciter in illis partibus iugiter exercent; volentes propterea ipsos fauoribus prosequi gratiosis, etiam ipsorum in hac parte supplicationibus inclinati, locum prædictum, cuius confinia, quantitatem & qualitatem nostris litteris voluimus pro sufficienter expressa, cũ omnibus iuribus & pertinentijs suis, oblationibusq; & emolumentis ad illum pertinentibus seu peruenientibus, in Guardiani, Conuentus & ipsorum Fratrum inibi degentium sustentationem, ac dicti loci ædificiorumq; eius reparationem & vtilitatem conuertendis, Guardiano, Conuentui & Fratribus ipsis, ac successoribus eorum per Guardianum, Conuentum & Fratres eosdem in perpetuum tenendum, regendum & etiam possidendum pro vsu & habitatione huiusmodi, auctoritate Apostolica donauimus, concessimus, deputauimus & assignauimus, nec non oblationes & emolumenta prædicta per aliquem Procuratorem seu Commissarium ad hoc per eos deputandum, & pro sola voluntate eorum, quoties ipsis videbitur, amouendum, & eius loco alium substituendum, colligi & recipi faciendi, eadem auctoritate, tenore earumdem litterarum nostrarum licentiam elargiti fuimus, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac statutis & ordinationibus dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ceterisq; contrarijs non obstantibus quibuscumque. Et insuper decernimus irritum & inane, si secùs super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Quocirca fraternitatibus vestris per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrùm per vos, vel alium, seu alios, Guardianum, Conuentum & Fratres prædictos, vel Procuratores suos eorum nominibus, & ad hoc legitimè constitutos, in corporalem possessionem huiusmodi loci de Barutho, iuriumq; & pertinentiarum prædictorum inducatis, & defendatis inductos, amotis quibuslibet detentoribus ab eodem, ac facientes ipsos Guardianum, Conuentum & Fratres, eorumq; successores eiusdem loci pacifica possessione gaudere, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus omnibus suprà dictis, seu si aliquibus à Sede Apostolica indultum existat, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dicta Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumq; tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua, cuiusq; toto tenore habenda sit in nostris litteris intentio specialis. Datum Romæ apud sanctum Petrum, 16. Kalendas Martij, Pontificatus nostri anno 4.

In gratiam eorumdem Fratrum fuit hoc Pontificis præceptum diligenter executioni mandatum, & processus & instrumentum de hac re confectum in sacri Montis Sion Archiuo asseruatur.

XI.

Denuò Minoribus locum S. Saluatoris Baruthi assignat. Ibidem.

MArtinus Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs Guardiano & Conuentui Fratrum Ordinis Minorum Montis Sion, salutem & Apostolicam benedictionem. Salutare studium, & sincerus vestræ charitatis zelus ad conseruationem, dilatationem Catholicæ & Christianæ fidei in partibus vltramarinis, ac sacræ Religionis honestas, sub qua deuotum exhibetis Altissimo famulatum, promerentur, vt petitionibus vestris, præsertim in his quæ ad fomentum pia denotionis fidelium, ac eiusdem fidei semper recolenda mysteria subseruiunt & conferunt, quantum cum Deo possumus, fauorabiliter annuamus. Cùm itaque locus Fratrum Ecclesiæ S. Saluatoris in Barutho, quem vos & Fratres ipsi per longa temporum spatia, sicut fuimus fide dignorum relatione sufficienter informati, possedistis assiduè, ac etiam possidetis de præsenti pro vestro & aliorum Fratrum in eisdem partibus vltramarinis degentium vsu & habitatione, non parum accommodus esse noscatur; Nos attendentes laudabilia pia denotionis & charitatis opera, quæ vos & Fratres huiusmodi tam per assiduæ prædicationis ministerium ad ipsius ædificationem & incrementa fidei, quàm per Christi fidelium illuc in dies peregrinantium recollectionem, directionem &

conſolationem, ac aliàs multipliciter in illis partibus iugiter exercetis, volentesq; propterea vos fauoribus proſequi gratioſis, etiam veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, locum prædictum, cuius confinia, quantitatem & qualitatem præſentibus haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, cum omnibus iuribus & pertinentijs ſuis, oblationibusq; & emolumentis ad illum pertinentibus ſeu prouenientibus in veſtrûm & ipſorum Fratrum inibi degentium ſuſtentationem, ac dicti loci adificiorumq; eius reparationem & vtilitatem conuertendis vobis & fratribus ipſis ac ſucceſſoribus veſtris per vos & ipſos in perpetuum tenendum, regendum, ac etiam poſſidendum pro, vſu & habitatione huiuſmodi, auctoritate Apoſtolica donamus, concedimus & deputamus, nec non oblationes & emolumenta prædicta per aliquem Procuratorem ſeu Commiſſarium ad hoc per vos deputandum, & pro ſola voluntate veſtra, quoties vobis videbitur, amouendum, & alium eius loco ſubſtituendum, colligi & recipi faciendi, eadem auctoritate tenore præſentium licentiam elargimur, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & ordinationibus dicti Ordinis & iuramento confirmatione, Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ceteriſq; contrarijs non obſtantibus. Et inſuper decernimus irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ donationis, conceſſionis, deputationis, aſſignationis & conſtitutionis infringere, &c. Datum Romæ apud S. Petrum 16. Kal. Martij, Pontificatus noſtri anno 4.

XII.

Concedit Minoritis, & alijs Sacerdotibus, vt in Terræ ſanctæ Sanctuarijs poſſint Miſſam celebrare duabus ante exortam lucem horis. Ibidem.

MArtinus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Guardiano, &c. vt in primo. Sinceritas veſtræ deuotionis, & ſacræ Religionis honeſtas, ſub qua Domino Deo ſedulum exhibetis cultus ſalutaris obſequium, promerentur vt votis veſtris fauorabiliter annuamus, illis præſertim, per quæ, ſicut piè deſideratis, diuinis intenti ſitis officijs, & ſpiritualis ſalutis vobis aliſq; fidelibus apud vos peregrinantibus proueniat incrementum. Hinc eſt quòd nos, veſtris deuotis precibus inclinati, vt Miſſam, priuſquam illuceſcat dies, etiam per duas horas ante diurnam lucem, cùm qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, vobis ac veſtrûm ſingulis ac ſucceſſoribus veſtris Ordinis Minorum Fratrum, in Presbyteratus tamen ordine conſtitutis, nec non omnibus & ſingulis Catholicis Sacerdotibus cuiuſcumque ſtatus, dignitatis, gradus, ordinis & conditionis extiterint, ad ipſa loca Terræ ſanctæ cauſa piæ deuotionis peregrè profectis, liceat ad ſpiritualem eorumdem peregrinorum fructum & conſolationem, & celeriorem & opportunam ipſorum expeditionem, præſertim ob grauc Saracenorum aliorumq; infidelium illuc die illuceſcente diſcurrentium, vitandum impedimentum atque periculum, in præfatis & alijs Terræ ſanctæ deuotis oratoriorum locis celebrare; ita quòd id nec vobis nec alijs huiuſmodi Sacerdotibus celebrantibus ad culpam valeat imputari, deuotioni veſtræ auctoritate Apoſtolica de ſpeciali gratia tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, &c. Datum Romæ apud S. Petrum 4. Idus Martij, Pontificatus noſtri anno 4.

XXIV.

EVGENIVS IV. Italus, in ciuitate Venetia, patre Angelo de Condulmerijs natus, & Gabriel vocatus, Canonicus primùm fuit ſæcularis Congregationis S. Georgij in Alga, poſteà S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis, die denique 3. Martij anno 1431. Romæ Summus Eccleſiæ Pontifex factus, in Pontificatu vixit annos 16.

I.

Concedit hic Fratribus Minoribus inter infideles habitantibus, quòd bona tam mobilia quàm immobilia per Apoſtolicos Syndicos adminiſtranda retinere poſſint. Ex Archiuo ſacri Montis Sion.

EVgenius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Exultantes in Domino, quòd ſacri Ordinis Minorum Profeſſores, in Dei beneplacitis confirmati, promptitudine deuotionis, & operis illius ſtudentes imitari veſtigia, eiuſq; vias ſummoperè cuſtodire, qui deſcendens à Patre luminum, & ſerui formam accipiens, ſe in laudis ſacrificium placabilem hoſtiam immolauit, cogitare inducimur honeſta remedia, quibus dicti Ordinis pura obſeruantia in ſui vigore ſeruetur, ijdemq; Fratres pro nulla re temporali poſſint in iudicio expeti, nec Ordini proprium acquirere, nec acquiſitum retinere. Attendentes maximè conuentus conſtitutos vel conſtituendos in partibus Orientis, Septemtrionis, & maximè Iaffæ & Perę, & terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Volſcorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Syrorum, Perſarum, Mede-

Medorum, Titorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubidnorum, Neſtorianorum, Gurgianorum, Armenorum, Indorum, Turcorum, Stilitorum, Tartarorum, Gazilorum, Polonorum, Hungarorum, Maioris Hungariæ, & aliorum quorumcumque, qui nondum Sacramentum fidei perceperunt, commodè ſine proprio vincre poſſint, & diuinis vacare officijs, & ne offerentium, donantium, concedentium, & in vltima voluntate relinquentium Ordini prædicto, vel Fratribus eiuſdem Ordinis aliquid propter Deum pia intentione defraudetur. Cùm enim, prout ad noſtrum deuenerit auditum, in partibus ſupradictis ſint nonnulli Conuentus dicti Ordinis, qui ſacrorum Canonum circa inſtitutionem Regulæ ipſorum conſtitutorum diſponi minimè inhærentes, bona propria tam mobilia quàm immobilia tenere & poſsidere dicuntur, ac propter magnam locorum diſtantiam, & nationum, ſectarum diuerſitatem minimè ad præſens conueniens reformatio fieri poſsit: Nos volentes de opportuno, quatenus cum Deo poſſumus, remedio prouidere, ne huiuſmodi tranſgreßionem damnationi perſonarum de dictis Conuentibus eſſe contingat. Prædeceſſorum noſtrorum videlicet felicis recordationis Martini IV. & V. veſtigijs inhærentes, omnium & ſingulorum Conuentuum, ædificiorum, poſſeßionum, & bonorum omnium, tam in paramentis ſacrarium, quàm aliorum quorumcumque conſiſtentium, tam mobilium quàm immobilium ad huiuſmodi Conuentus quomodocumque & qualitercumque pertinentium & ſpectantium dominium, proprietatem & poſſeßionem, nec non protectionem adminiſtrationis & regimen, noſtro & Eccleſiæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedis nomine, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſuſcipimus, ac ſub noſtro etiam dominio & proprietate, protectione, adminiſtratione & regimine declaramus. Nihilominùs dilectis filijs Vicario dilecti filij Generalis Miniſtri dicti Ordinis in dictis partibus, ac etiam Guardianis dictorum Conuentuum, præſentibus, & qui pro tempore erunt nominandi & eligendi, noſtro & dictæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis nomine aliquas perſonas Eccleſiaſticas vel ſeculares ad hoc idoneas, in Syndicos & Procuratores Conuentuum prædictorum, qua omnes & ſingulos redditus ac prouentus, nec non eleemoſynas & obuentiones quaſcumque percipere, easq; exponere & diſtribuere tam in reparatione dictorum locorum, quàm in victu & veſtitu Fratrum dictorum locorum, poſſint & debeant, prout ſecundùm Deum, & ipſius Ordinis regularia inſtituta eis viſum fuerit expedire, cum plena poteſtate agendi, defendendi, exigendi, ſoluendi, quitandi de repertis dumtaxat, amniaq; alia & ſingula faciendi, quæ huiuſmodi Syndici ſeu Procuratores poſſe noſcuntur de conſuetudine vel de iure, plenam & liberam auctoritate dicta tenore præſentium facultatem & poteſtatem concedentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſuſceptionis, declarationis & conceſſionis infringere, &c. Datum Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ 1437. quarto Idus Iuly, Pontificatus noſtri anno 7.

II.

Multa concedit priuilegia Minoritis pro Sacramentorum adminiſtratione, & præſertim Pœnitentiæ, quòd nimirum poſſint cum infidelibus inculpatè conuerſari, & inter eoſdem noua loca capere; quodque gaudeant ijſdem gratijs, quibus alij Ordinis Religioſi. Largientibus centeſimam partem bonorum pro captiuorum redemptione, vel alijs pijs operibus, facultatem impertitur eligendi confeſſarium qui de omnibus abſoluat, & plenariam conſequantur indulgentiam. Quòd poſſint Prædicatores abſque Prælatorum licentia, etſi non in illorum Eccleſijs, alibi tamen publicè proponere verbum Dei, & ijs qui eidem deuotè interſunt, pro ſingulis vicibus animum indulgentiarum applicare: quodque ex regularium ſtatutorum tranſgreſſione peccatum mortale haud incurrant. Ex Archiuo ſacri Montis Sion.

EVgenius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Paſtor bonus, qui propter nimiam charitatem ſuam ad ima terrarum à cælorum ſummitate deſcendit, factus pro nobis obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, ad oues quæ perierant domus Iſraël perſonaliter ipſe proueniens, cùm alias haberet oues quæ de illo ouili non erant, illasq; adducere oporteret, vt fiat vnum ouile & vnus Paſtor, Apoſtolos ſuos per vniuerſum direxit mundum, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ, quatenus qui crediderint & baptizati fuerint, ſalutis gloriam reportarent. Hunc hora inſtante nouißima ſacrum Minorum Ordinem produxit in lucem, vt vmbra diuini verbi, micantiumq; exemplo virtutum, cæleſtis agricolæ plantulas irrigaret, perfectoq; more excellat, deſtruat & diſsipet plantas atque zizania, quæ Pater ſuus minimè complantauit. Cùm ergo charitate frigeſcente iniquitas ſuperabundet, dormientibusq; hominibus, malus homo diuino bonoq; ſemini erroris zizania ſuperſeminare non deſinat, adeò vt in pleriſq; mundi partibus creſcentibus folijs plenè ſint ſemina ſuffocata: Nos ad noſtri Redemptoris pium affectum anteremq;

mentis noſtræ aciem erigentes, cuius vicem (licet immeriti) in terris gerimus, ea potiſſimùm agere cupimus toto corde, per quæ non modò fidelium pietas augeatur, verùm etiam velata gentium corda ignorantiæ cacitate, veritatis lumen agnoſcant. Quamobrem cùm Ordo Minorum potiſſimè nos in eo ſacræ Obſeruantiæ zelatores, & exemplo vitæ ac ſcientiæ lumine perficere illa deſideret quæ noſtra cupit intentio, & eorum profeßio perſuadet, eoq; feruentiùs perfectiuſq; ea ipſos adimplere poſſe credamus, qùo magis Apoſtolicis priuilegijs & gratijs reddiderimus præmunitos: Hinc eſt, quod nos, qui per alias noſtras certi tenoris litteras dilectum filium Iacobum de Primadicijs de Bononia, Ordinis Minorum, eiuſdem Ordinis Generalem, ſuper omnes Fratres præſentes & futuros in partibus infrà ſcriptis Vicarium inſtituimus, ipſumq; Iacobum, ſucceſſoribúsque ſuis, ac Fratribus qui per ipſum Iacobum vel ſucceſſores prædictos ad hoc electi fuerint, vt in omnibus partibus Orientis, Septemtrionis tam fidelium quàm infidelium conſtitutis, maximè in ciuitatibus Iaffæ & Perææ, ac in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Aethiopum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Syrorum, Iacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Turcarum, Stiletorum, Tartarorum, Cardorum, Polonorum, Hungarorum, maioris Hungariæ, & aliorum quorumcumque qui nondum Sacramentum fidei perceperunt, poßint ſingulorum Chriſti fidelium ciuitatum quarumcumque diœceſis & locorum ad ipſos pro tempore confluentium Confeßiones audire, & pro commißis, etiam ſi talia fuerint propter quæ Apoſtolica Sedes eſſet meritò conſulenda, pœnitentiam ſalutarem iniungere, ac beneficium abſolutionis impendere, nec non à quibuſcumque ſententijs excommunicationis, tam à Iure quàm ab homine latis, & alijs cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, quomodocumque illas incurrerunt, abſoluere, nec non à quibuſcumque irregularitatibus, exceptis caſibus voluntarij homicidij, bigamiæ & mutilationis membrorum, nec non Euchariſtiæ, Baptiſmatis, ac Extremæ Vnctionis, aliaq; Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare. Inſuper quòd ſinguli Confeſſores, præſentes & futuri, quos Vicarius & Fratres partium prædictarum dicti Ordinis pro tempore exiſtentes duxerint eligendos, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti & ore confeßi fuerint, plenariam remißionem in mortis articulo inuicem, nec non alijs Fratribus dicti Ordinis impendere valeant; aut ſi Vicarius ſeu Fratres ipſi Confeſſoris copiam habere nequiuerint, dummodò contriti exiſtant, eamdem indulgentiam conſequantur, omnesq; Confeſſores ipſi ſingulorum Fratrum confeßiones audire, & pro commißis, quotiens ipſis videbitur, etiam ſi talia ſint, propter quæ foret Sedes Apoſtolica conſulenda, debitam abſolutionem impendere, ac pœnitentiam iniungere ſalutarem, nec non ipſorum Fratrum ſingulos à quibuſcumque ſententijs, cenſuris & pœnis in ipſos quauis auctoritate à Iure vel Judice promulgatis, abſoluere, ac, prædictis tribus caſibus exceptis, ſuper irregularitate per ipſos quomodolibet contracta diſpenſare poßint & valeant: quodq; Fratres ipſi ſchiſmaticos, excommunicatos ſeu interdictos quoſcumque, quantumcumque notorios, niſi quos Vicarius ſeu per eum deputati enitari mandauerint, euitare in quibuſcumque eorum negotijs minimè teneantur. Inſuper, vt ipſorum Fratrum bonorum operum fructus valeant amplius propagari, vt Vicarius cum diſcretorum Fratrum conſilio, vel quibus ipſe commiſerit, noua loca in partibus illis acquirere pro habitatione & vſu Fratrum dicti Ordinis, & in illis domos, Eccleſias, campanilia cum campanis, dormitorijs, hortalitijs, & alijs neceſſarijs officinis erigere, nec non loca & Conuentus alios dicti Ordinis recipere: quæ omnia, & noua & antiqua, ac Fratres in eis pro tempore exiſtentes, omnibus & ſingulis priuilegijs, gratijs, exemptionibus, immunitatibus & libertatibus per omnia gaudeant, quibus vtuntur & gaudent reliqui Conuentus & Fratres Ordinis prælibati, nec ſolùm illis, ſed quibuſcumque gratijs quibus gaudent Vicarius & Fratres dicti Ordinis Boſnæ & Terræ ſanctæ, & Conuentus eorum & ipſi ſimiliter poßint per omnia fungi & gaudere. Inſuper omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, qui de bonis ſuis à Deo collatis, vnum pro centenario, id eſt, centeſimam partem bonorum ſuorum pro liberatione fidelium captiuorum de manibus infidelibus, ſeu pro erectione & manutentione domorum, vel ſuſtentatione vitæ ipſorum Fratrum, vel altera quauis ſpirituali ſubuentione erogauerint, poßint ſibi eligere confeſſores idoneos, qui confeßionibus eorum diligenter auditis, eos poßint ab omnibus eorum peccatis etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſemel tantùm, & deinde quoties fuerit opportunum, dummodò talia non ſint per quæ meritò foret Sedes Apoſtolica conſulenda, abſoluere, & pœnitentiam iniungere ſalutarem, nec non plenariam omnium in mortis articulo remißionem peccatorum impendere valeant, auctoritate Apoſtolica ſingulis peccatis, prout eos contingit, tenore præſentium indulgemus. Inſuper quòd Fratres, qui ſunt & pro tempore

erunt

erunt idonei ad pronuntiandum verbum Dei, cum licentia tamen Vicarij pro tempore existentis, qui eos instituere possit atque suspendere, possint verbum Dei publicè absque cuiusque Prælati licentia vel confirmatione, tamen in eorumdem Ecclesiis vel alterius Ordinis locis sine consensu Prælatorum eorumdem prædicare non præsumant, simili auctoritate concedimus per præsentes. Nos enim singulis fidelibus, qui prædicationi dictorum Fratrum deuotè intererunt, singulis vicibus quibus eos interesse contigerit, vnius anni indulgentiam elargimur. Insuper concedimus, quod Fratres præsentes & futuri, qui secundùm eorum fragilitatem Regulam obseruare conantur, ex transgressione quarumcumque constitutionum Ordinis præfati peccatum mortale minimè incurrant. Volumus autem, quòd per quascumque litteras Apostolicas Generali Ministro dicti Ordinis, seu alijs quomodolibet concessas, vel concedendas in posterum, gratiæ, indulta & alia supradicta nullatenus intelligantur reuocata, non obstantibus Apostolicis ac generalibus & specialibus constitutionibus, editis constitutionibus & ordinationibus, statutis quoque & consuetudinibus Ordinis prædicti, ceterisq; contrarijs quibuscumque, etiam si de ipsis in præsentibus deberet fieri mentio, quibus, quantum præsentibus aduersantur, prorsus volumus hac vice dumtaxat esse derogatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ institutionis, concessionis & voluntatis infringere, &c. Datum Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ 1437. 4. Idus Iulij, Pontificatus nostri anno 7.

XXV.

NICOLAVS V. Italus, è ciuitate Sariana Prouinciæ Liguriæ oriundus, à patre Bartholomæo de Lucanis Thomas in lustratione sacra nominatus, postquam aliquamdiu fuisset S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Susannæ, die 6. Martij 1447. Romæ Summus Pontifex factus fuit, vixitque in Pontificatu annos 8. dies 18.

I.

Concedit Minoritis Terræ sanctæ, vt possint omnes Ordines sacros extra tempora ab Ecclesia statuta, eosque etiam simul suscipere ab Episcopo quouis Catholico ad eos accedente, vel in proximis locis habitante. Ex Archiuo sacri Montis Sion.

NIcolaus Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs Guardiano & Fratribus domus Montis Sion Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia, salutem & Apostolicam benedictionem. Apostolicæ Sedis copiosa benignitas, illa viris voto Religionis adstrictis in Obseruantia degentibus libenter concedit, per quæ in contemplationis suauitate quiescere valeant, & tranquillum Altissimo reddere famulatum. Cùm, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos, qui in partibus infidelium degitis Fratres dicti Ordinis, propter Episcoporum carentiam ad minores, ac etiam sacros Ordines alios, sine magna difficultate promoueri facere nequeatis, Nos vestris in hac parte supplicationibus fauorabiliter annuentes, vobis præsentium auctoritate concedimus, vt à quocumque Catholico Antistite gratiam & communionem dictæ Sedis habente, si quem illuc pro tempore venire contigerit, omnes & singulas eiusdem Ordinis professores, quos sibi tu fili Guardiane dictæ domus, vel alius pro tempore existens censuerit idoneos, & sibi duxerit præsentandos, etiam extra tempora à Iure statuta ad minores, ac omnes alios sacros Ordines similiter vna die ordinari facere, & eidem Episcopo, vt Ordines huiusmodi simul & semel eisdem ordinandis conferre, veluti necessitati in conferendis Ordinibus congruerit expedire, vel à vicinis Episcopis insularum circumstantium, Fratres prædictos ordinari facere possit & valeat; ipsiq; circumstantes Episcopi illos, vt præfertur, etiam extra tempora, & vno contextu ordinari teneantur & debeant, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisq; contrarijs non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1451. 11. Kalend. Augusti, Pontificatus nostri anno 5.

II.

Confirmat gratias à Summis Pontificibus, vel Regibus Minoritis inter infideles habitantibus concessas. Ex Archiuo sacri Montis Sion.

NIcolaus Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum in domibus dicti Ordinis in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Melitorum, aliorumq; infidelium nationum Orientis & Aquilonis consistentibus commorantibus, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti filij, vestris piis supplicationibus grato concur-

concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates, litteras tam per felicis recordationis Clementem Papam V. quàm alios prædecessores nostros Romanos Pontifices, siue per priuilegia vel alias indulgentias vobis & domibus vestris concessas, nec non libertates sæcularium exactionum à Regibus & Principibus, aut aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis & dictis domibus vestris indultas, sicut ea omnia iustè & pacificè possidetis, vobis & per vos eisdem domibus Apostolica auctoritate confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & communitionis infringere, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1452. Pridie Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno 6.

XXVI.

CALLISTVS III. Hispanus, ex oppido Sauino, quod est in diœcesi Valentina, patre Ioanne de Borgia natus, Alfonsus anteà dictus, primùm S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli sanctorum Quatuor Coronatorum, tandem die 8. Aprilis anno 1455. Romæ Summus Pontifex pronuntiatus, vixit in Pontificatu annos 3. menses 4.

I.

Confirmat Minoritis concessionem locorum in Asia, eisdemque permittit, vt noua recipere & ædificare, gaudere priuilegijs Seraphico Ordini communibus, absoluere à quibuscumque peccatis & pœnis, excepta litterarum Apostolicarum falsificatione, veteri Chrismate in Baptismo & Extrema vnctione vti, altaria, calices, & alia diuino cultui dicata benedicere, & Missam ante exortam lucem celebrare possint: item quòd Guardianus sacri Montis Sion possit Fratres pro eleëmosynis ad citramarinas fidelium partes mittere, & ad quascumque infidelium, ducere & aduocare ad se Fratres quoscumque voluntarios, & cum eisdem super rigore Regulæ in itinere dispensare, & permittere vt schismatici & infideles ipsorum Sacris interesse, & hi ab eisdem medicamenta recipere valeant. Ex Archiuo sacri Montis Sion.

CAllistus Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectissimis filiis Antonio de Mugnano, Guardiano Montis Sion, ac vniuersis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia nuncupatorum in partibus Ierosolymitanis & per totam Asiam commorantibus, præsentibus & futuris, salutem & Apostolicam benedictionem. Et si ex debito sollicitudinis Pastoralis quibuslibet Religiosis personis esse nos decet fauorabiles & benignos, tamen illos vestri Ordinis Fratrum Minorum, qui feruentiori ardore succensi, non timentes, sed amantes barbaras nationes, pergunt ad illarum conuersionem intrepidi, affectuosiori studio confouere tenemur, vt in eorum sanctis operibus, per quæ fides Catholica pullulat, possint ad aream Dominicam multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis bonam Domino reddere rationem. Cupientes ergo vt vos, qui inter infideles sedulò conuersamini, ad subeunda pericula conuersationis huiusmodi eò promptiores & animosiores sitis, quò maioribus gratiis per Sedem Apostolicam fueritis communiti; vobis, vt quasuis domos, Conuentus seu loca dicti Ordinis, per vniuersam Asiam vobis hactenus concessa, seu à vobis accepta, deinceps pro vestris vsu & habitatione perpetuis tenere & habere, nec non alia de nouo ædificare & construere, ac ædificata & constructa recipere, & pro vsu & habitatione similibus perpetuò retinere, nec non vt vos ac omnes & singulos dicti Ordinis Fratres, qui in eisdem locis pro tempore residebunt, omnibus & singulis priuilegijs, gratiis, indulgentijs, exemptionibus & libertatibus, aliis Fratribus dicti Ordinis in genere concessis, & quibus illi quomodolibet potiuntur & gaudent, potiri & gaudere liberè ac licitè valeatis, auctoritate Apostolica concedimus per præsentes. Tibi, nihilominùs, Guardiane fili dilecte, & successoribus tuis pro tempore existentibus, ac in tua & illorum absentia gerendi vices Guardiani huius, nec non illi vel illis dicti Ordinis Fratribus, cui seu quibus, tu vel successores prædicti, id in partibus illis dumtaxat spiritualiter duxeris seu duxerint committendum, vt quoscumque dicti Ordinis Fratres, nec non fideles in partibus illis pro tempore commorantes, seu per illas transeuntes, & vos ipsos ac illi seipsos etiam inuicem, à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, ac Simoniæ, Apostasiæ, & aliis etiam maioribus criminibus, excessibus & delictis, præterquam falsificationis litterarum Apostolicarum, in quibusuis casibus, etiã Sedi Apostolicæ reseruatis, totiens quotiens opus fuerit, absoluere, & sic absolutis pœnitentiam salutarem iniungere; nec non Catechumenorum Baptismatis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis Sacramenta, licet non eiusdem anni, fidelibus ministrare, ac altaria, calices, & alia diuino cultui deputata paramenta benedicere, nec non & Missam antequam illucescat dies, cùm qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, celebrare, aut per aliquem dicti Ordinis Fratrum in Sacerdotio constitutum facere celebrari: & insuper quoscumque Fratres, de quibus tibi & eiusdem successoribus ad citra-

marinas

marinas, pro eleëmoſynis, ac etiam ad quaſuis infidelium partes, cùm opportunum fuerit, deſtinare, nec non alios voluntarios ad eaſdem partes ducere & aduocare, & cum eiſdem ſuper rigore obſeruantiæ ſuæ Regulæ in itinere, nec non ſuper irregularitate quacumque, præterquam homicidij & mutilationis membrorum, ac bigamiæ, diſpenſare. Præterea cum excommunicatis, ſuſpenſis & interdictis, nec non hæreticis, ſchiſmaticis, Iudæis, Saracenis, & alijs à Romana Eccleſia deuiantibus, legitima & rationabili cauſa conuerſari & commorari, ac in loquendo, edendo, bibendo, & aliàs, non tamen in crimine participare: & inſuper alicuius ſcandali euitandi gratia, eoſdem ſchiſmaticos, hæreticos, excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos diuinis Officijs intereſſe permittere; & denique, ſi opus fuerit, medicinalia à Medicis & perſonis prohibitis poſtulare & recipere, liberè ac licitè valeas, dictiq; ſucceſſores, &, prout tibi & illis videbitur, alij Fratres prædicti, poſſint & valeant, licentiam & facultatem auctoritate prædicta, earumdem tenore præſentium concedentes. Non obſtante felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri prohibente, ne Fratres Ordinis Mendicantium in aliqua ciuitate, villa, vel caſtro, ſeu alio loco quocumque ad inhabitandum domos, vel loca quæcumque de nouo recipere, ſeu hactenus recepta mutare præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de inhibitione huiuſmodi mentionem, & quibuſlibet alijs conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non ſtatutis & conſuetudinibus cum Ordinis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ceteriſq; contrarijs quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & voluntatis infringere, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1455. 4. Idus Ianuarij, Pontificatus noſtri anno 1.

II.

Concedit Guardiano Montis Sion, vt poſſit viginti perſonas ab omni voto abſoluere, præter peregrinationis ad limina Apoſtolorum; & quòd omnes Fratres Terræ ſanctæ in omnibus licitis eidem Guardiano obediant, & nullus ex Ordine audeat abſque ſpeciali facultate ad tranſmarinas partes tranſire. Ibidem.

CAlliſtus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Antonio de Mugnano Guardiano Montis Sion, Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorũ, in partibus Ieroſolymitanis conſiſtenti, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ Sedis copioſa benignitas, perſonas ſub Regulari obſeruantia aſſiduè ſtudio piæ vitæ vacantes, congruo fauore proſequitur, & earum honeſtis precibus ſe promptam exhibet & benignam. Cùm itaque, ſicut accepimus, tu, qui Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum Profeſſor, & per dilectum filium Vicarium dilecti filij Generalis Miniſtri dicti Ordinis ac alios Fratres, ad quos id ſpectabat, in Guardianum Montis Sion dicti Ordinis in vltramarinis partibus conſiſtentis deputatus de more exiſtis, ad eaſdem partes de proximo habeas te conferre, Nos attendentes, quòd tu tam pro ingreſſu tuo & aliorum ſociorum tuorum in eiſdem partibus, quàm pro expenſis viagij & neceſſitate domorum & partium prædictarum, magno fidelium ſubſidio indigebis, ac volentes tibi ſuper his aſſiſtere fauoribus generoſis, tibi viginti perſonis cuiuſcumque conditionis, vbicumque fuerint, quæcumque vota, peregrinationis liminum Apoſtolorum dumtaxat excepto, ita tamen quòd tibi in ſubſidium viagij ac Fratrum & domorum prædictorum tantum, quantum in perſonali executione votorum huiuſmodi, aut in alium per ſe tranſmittendum expendiſſent, aut quantum tibi videbitur, in pecunia numerata perſoluant, auctoritate noſtra relaxandi, & ab illis abſoluendi, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus facultatem. Mandantes nihilominùs omnibus & ſingulis Fratribus prædictarum partium præſentibus & poſteris, quatenus tibi & ſucceſſoribus tuis dicta domus Guardianis pro tempore exiſtentibus, in omnibus & ſingulis licitis & honeſtis, & quæ ad regimen & gubernationem locorum & Fratrum eorumdem quomodolibet pertinebunt, in omnibus & per omnia pareant, & intendant ad citramarinas partes, aut de loco ad locum ſine tua & ſucceſſorum prædictorum ſpeciali licentia minimè tranſituri. Et quoniam dudum nos dilecto filio Ludouico de Bononia, dicti Ordinis Profeſſori, ad Aethiopiam & Indiæ partes ire cupienti, conceſſimus, vt quotquot dicti Ordinis Fratres vellet, voluntarios ſecum ducere poſſet, ac gratias etiam plenarias quibuſcumque Principibus populis & particularibus, quos ipſe Ludouicus & ijdem ſecum accedentes ducerent, offerendas conceſſimus, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Ludouico, ne vltra quatuor dicti Ordinis Fratres voluntarios ſecum ducat, néve conceſſione oblationis huiuſmodi, quam nos tenore præſentium reuocamus, vtatur, diſtrictiùs inhibeas, reliquis facultatibus, commiſſionibus & gratijs per nos, & felicis recordationis Nicolaum Papam V. prædeceſſorem noſtrum circa hoc ſibi conceſſis & datis, in ſuo robore duraturis. Ceterùm nos omnibus

omnibus & ſingulis Ordinis Obſeruantiæ prædictis Fratribus diſtrictiùs inhibemus, ne ad vltramarinas partes huiuſmodi ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ aut præfati Generalis, ſeu Vicarij, ſeu aliorum Prælatorum Ordinis licentia, quam grauibus dumtaxat & idoneis dari volumus, accedere, aut in illis quæſtuare & mendicare, ac quæſtus ſeu eleëmoſynas de loco ad locum ſine tua licentia, Breuiario & alijs ad veſtitum & victum neceſſarijs dumtaxat exceptis, transferre & exportare quoquo modo præſumant, ſub virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictiùs inhibemus tibi & ſucceſſoribus tuis præfatis, omnes & ſingulos, qui contra prohibitionem & mandatum huiuſmodi ſcientes venerint, per cenſuram Eccleſiaſticam, &, ſi opus fuerit, carcerationem & arreſtationem coërcendi facultatem tenore præſentium concedentes. Non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ceteriſq; contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim à Sede prædicta indultum exiſtat, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, mandati, reuocationis, inhibitionis & voluntatis infringere, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1455. 4. Idus Februarij, Pontificatus noſtri anno 1.

III.

Impertit facultatem Minoritis Terræ ſanctæ retinendi loca iam in Aſia accepta, & noua inſuper ædificandi in monte Sinai, quodque gaudeant priuilegijs Fratrum Italiæ, & indulgentijs peregrinorum Ieruſalem; & confirmat prædeceſſorum priuilegia. Ex Archiuo ſacri Montis Sion.

CAlliſtus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Guardianis, & ceteris Fratribus Ordinis B. Franciſci de Obſeruantia nuncupatis, locorum Montis Sion, ſancti Sepulchri, Bethleem, Vallis Ioſaphat, Montis Olineti, & ſancti Saluatoris de Barutho, nec non aliorum locorum Terræ ſanctæ, aut in Aſia conſtitutis, & in poſterum capiendis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Licet, pro noſtra ad B. Franciſcum deuotione, omnia libenter faciamus, per quæ Ordo veſter non ſolùm conſeruetur, ſed felicibus, dante Domino, ſucceſſibus augeatur; tamen vos inter barbaros habitantes, & continuè in vitæ corporalis cum varijs tormentis amittendæ pericula conſtitutos, ſingulari proſequentes affectu, illa vobis libentiſſimè concedimus, per quæ ad huiuſmodi perferenda & dietim ſubeunda pericula reddamini promptiores. Primùm itaque, vt loca omnia per Aſiam hactenus vbique capta retinere, & noua etiam in Monte Sinai capere poſſitis, vtq; dictorum locorum tam captorum quàm capiendorum, Guardiani & Fratres, priuilegijs omnibus, indultis, gratijs & indulgentijs à felicis recordationis prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus hactenus, & pariter gratijs & indulgentijs Ordini veſtro in Italia, nec non peregrinis in Terra ſancta per ſingula anni tempora conceſſis, vti & gaudere valeatis, auctoritate Apoſtolica præſentium tenore concedimus. Nos enim eadem indulta, gratias, facultates, exemptiones, indulgentias & priuilegia ſupradictis Terræ ſanctæ locis & Fratribus à noſtris prædeceſſoribus Romanis quibuſcumque Pontificibus, quomodocumque conceſſa approbamus & confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſitan interuenerint in eiſdem. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1455. 5. Idus Maij, Pontificatus noſtri anno 1.

IV.

Concedit gratias quibus mitigatur rigor Minoritanæ paupertatis, vtque Minoritæ defectu Sacerdotum Ordinis, alijs confiteri poſſint: & ſi contingat, ipſos infidelem aliquem mutilare vel occidere pro ſui vel locorum ſanctorum defenſione, innoxij ſint. Quòd Guardianus poſſit Ieroſolymis facultatem concedere alienis Sacerdotibus, quorumcumque venientium audiendi confeſſiones, & celebrandi Miſſam à media nocte vſque ad horam nonam; & ipſe admittere ad Tertium S. Franciſci Ordinem, & eiuſdem Miniſtrum inſtituere. Quodq; nullus Sacerdos vel Religioſus abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia poſſit Ieroſolymis, vel in alijs harum partium locis, Guardiano contradicente, habitare. Communicat Terræ ſanctæ Religioſis omnes gratias Minoritis in quibuſcumque alijs infidelium partibus habitantibus conceſſas. Ibidem.

CAlliſtus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Guardiano & Fratribus ſacri loci Montis Sion, & aliorum locorum Terræ ſanctæ, Ordinis B. Franciſci, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Deuotionis veſtræ ardor, à quo prouenit, vt dum ſacratiſſimis Domini noſtri Ieſu Chriſti pedibus calcatam terram inhabitare gaudetis, nec minas,

minas, nec incommoda, nec etiam verbera timeatis, quæ à barbaris infidelibus ſæpenumerò inferuntur, promeretur, vt ea libenter vobis concedamus, per quæ animarum veſtrarum, & apud vos conuerſantium Chriſtianorum ſaluti, commodisq; & neceſſitatibus perſonarum, ac locorum veſtrorum conſeruationi, pro honore Dei & Chriſtiani nominis gloria conſulatur. In primis, vt partes Regulæ veſtræ, quam conſtanter & ſimiliter laudabiliter obſeruare nitimini, formam & tenorem eleëmoſynas vobis à Chriſti fidelibus piè datas in domo retinere poſſitis, & capſa, in qua conſeruabuntur, clauem Guardianus vel alius Frater de ipſius licentia teneat. Et quòd Guardianus, vel alius, aut alij Fratres ab eo deputati, res quaſcumque neceſſarias emere, aut emi facere poſſit, & eam dictarum rerum partem, quam minimè neceſſariam eſſe intelligent, vendere & alienare valeant, ita tamen quòd nullus veſtrûm pecunias emptionibus & venditionibus manu propria contrectet & tangat. Inſuper cùm in prædictis veſtræ Regulæ declarationibus Apoſtolicis caueatur, quòd à nemine computum exigere debeatis, quòd ipſis declarationibus non obſtantibus, ab illis qui ſupradictas tractabunt & facient emptiones & venditiones, computa petere, exigere & videre poſſitis. Quando etiam Fratres aliqui ex veſtris ad prouincias & loca infidelium mittuntur, ſi fortè inter eos non fuerint Sacerdotes, vt alijs quorumcumque Ordinum Fratribus aut Presbyteris ſæcularibus confiteri valeant. Et quando aut pro cuſtodia locorum à latronibus alijſq; inuaſoribus, aut pro veſtrorum corporum tuitione & defenſione contingeret vos aut verberare, aut vulnerare, aut mutilare, aut etiam quouis modo interficere quemquam infidelem & barbarum, vt propterea irregularitatem non incurratis. Quia etiam aliquando contingere dicitis, vt multitudini peregrinorum ad Terram ſanctam venientium, vos in audiendis confeßionibus ſufficere nequeatis, tibi Guardiano, & qui pro tempore fuerit, concedendi Sacerdotibus Catholicis, ſiue Religioſis cum peregrinis exiſtentibus, vt ipſi confeßiones ipſas ſicut vos audire, & conceßiones per Summos Pontifices vobis factas, habere poſſint concedendi. Et inſuper, quòd per te & alios à te deputatos Confeſſores tui Ordinis poßis & valeas cum Clericis & Sacerdotibus ſæcularibus, vel alijs Religioſis quibuſcumque ibi peregrinantibus & exiſtentibus, diſpenſare, omnibusq; caſibus, præterquam bigamiæ, mutilationis membrorum, & homicidij voluntarij. Et omnes Sacerdotes Terræ ſanctæ ſiue reſidentes, ſiue peregrini, & tam Religioſi, quorumcumque Ordinum ſint, ſiue ſæculares, à media nocte vſque ad horam nonam, ſi neceſſitas vrgebit, valeant celebrare. Item quòd Guardianus, ſiue eius locum tenens poſſit quoſcumque recipere & induere habitu Tertij Ordinis, & inſtituere inter illos Miniſtrum ſiue Miniſtram, iuxta morem Regulæ Tertij Ordinis ibi in partibus Ieroſolymitanis. Demum quòd nullus Sacerdos ſæcularis, ſiue Religioſus cuiuſcumque Ordinis, poſſit manere in partibus Saracenorum contro voluntatem veſtram, niſi habeant ſpecificam à Sede Apoſtolica facultatem, concedimus auctoritate Apoſtolica per præſentes. Volumusq; pariter, & vobis elargimur omnes gratias, omniaq; priuilegia Ordini veſtro & eius Religioſis inter infideles commorantibus à Sede Apoſtolica hucuſque conceſſa, tenore & auctoritate prædictis, confirmata eſſe & pro talibus reputari. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1457. Pridie Nonas Februarij, Pontificatus noſtri anno 3.

Hæc nota.

XXVII.

ALEXANDER VI. Hiſpanus natione, Valentia Prouinciæ Tarraconenſis oppido, parente Iofredo de Lenzolijs, ſiue de Borgia, natus, & Rodericus à Baptiſmate dictus, S. R. E. Vice-Cancellarius primùm fuit, item Collegij Cardinalium Decanus, ac Portuenſis & S. Rufinæ Epiſcopus, die tandem 11. Auguſti anno 1492. Romæ ad ſummum Pontificatum admotus, ea in dignitate vixit annos 11. menſes 8.

I.

Concedit Minoritis, quòd citra culpam ferrum & ligna ad terras infidelium pro ſuis neceſſitatibus deferre poſſint. Ex Archiuo ſacri Montis Sion.

ALexander Papa VI. &c. dilectis filijs, &c. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm, ſicut accepimus, vos pro vſu & commoditatibus ac etiam neceſſitatibus veſtris, & pro conſeruatione domorum & Eccleſiarum veſtrarum ferro & lignaminibus indigeatis, & dubitetis illa, propter prohibitiones Apoſtolicas deſuper editas, iſtuc deferri facere. Nos igitur volentes commoditatibus veſtris, quantum cum Deo poßumus, conſulere, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, & pro tempore exiſtentibus Guardianis & Fratribus iſtarum domorum, vt quæcumque ferramenta & lignamina pro veſtro & domorum prædictarum vſu, nunc & pro tempore neceſſaria ad dictas domos, & earum quamlibet, liberè & licitè, ac abſque alicuius cenſuræ Eccleſiaſticæ in-

curſu deferre, & deferri facere poſſitis, licentiam & facultatem concedimus & elargimur per præſentes, nõ obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſcumq; prohibitionibus per nos & Sedem Apoſtolicam factis, vel in poſterum faciendis, ceteriſq; contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 14. Auguſti anno 1496. Pontificatus noſtri anno 4. Signat.

B. Floridus.

A tergo.

Dilectis filijs Guardianis, & Fratribus domorum Ieruſalem, Montis Sion, & Bethleem, ac aliorum locorum circumuicinorum, Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſeruantiæ.

XXVIII.

Clemens VII. Italus, Florentiâ Hetruriæ ciuitate, patre Iuliano, & ipſe Iulius dictus, ex familia Medicea ortus, ex S.R.E. Presbytero Cardinale titul. S. Clementis, die 19. Nouembris anno 1523. ad ſummum Pontificatum Romæ ſublimatus, ſedit annos 10. Quæ Pontifex hic ſanctiſſimus in Terræ ſanctæ gratiam conceſſit, hunc in modum ex Veneto Manuſcripto fideliter tranſcripſi.

Impetrata à Sanctiſſimo Clemente VII. Pontifice Maximo per R.P.F. Hieronymum de Valentia, Commiſſarium Curiæ pro Familia Ciſmontana.

Reuerſus ego F. Hieronymus de Valentia, Prouinciæ Genuæ, de viſitatione Terræ ſanctæ, acceſſi ad Romanam vrbem, & die 1. Octobris anno Domini 1525. acceſſi ad pedes ſanctiſſimi D. N. Papæ Clementis vnà cum R. P. F. Hilarione de Florentia Generali Commiſſario Ciſmontano, & ipſo præſente expoſui & petij infrà ſcripta, quibus benigniſſimè aſſenſit.

Primò ſupplicaui, quòd ſua Sanctitas confirmet omnes gratias, indulgentias, auctoritates, facultates hactenus conceſſas per quoſcumque Pontifices Guardiano & Fratribus Terræ ſanctæ, & tam illas quæ concernunt ipſos Fratres, quàm ceteros omnes fideles ad loca ſancta accedentes, vel in partibus ipſis commorantes: & ita conceſſit & aſſenſit.

Secundò, quòd approbet conſuetudinem faciendi Milites in ſancto Sepulchro per Guardianum Montis Sion, vel eius Vicarium in ſua abſentia, cum conſenſu tamen quatuor Patrum Diſcretorum, cum quibus benè examinentur tales inſtituendi Milites, & ſeruentur conditiones requiſitæ in forma ſuæ inſtitutionis, nec faciliter concedatur talis dignitas niſi perſonis idoneis, vt conſeruetur in bona reputatione ſicut decet.

Tertiò, quòd Guardianus præfatus, vel alius ſuo nomine & commiſſione poſſit abſoluere peregrinos, & quoſcumque accedentes ad ſanctum Sepulchrum ſine licentia Apoſtolica, & eos admittendo ad viſitationem omnium locorum Terræ ſanctæ.

Quartò, quòd exiſtentibus ſeu commorantibus fidelibus in partibus Syriæ, vel alibi Cypri, idem Guardianus poſſit concedere viſitationem præfatam, quando requiſierint pro ſua deuotione.

Quintò, quòd tam Fratribus prædictis, quàm alijs fidelibus Catholicis, liceat intereſſe diuinis ſchiſmaticorum & hæreticorum quorumcumque, non tamen ad approbandum facta ſeu ritus eorum, ſine aliqua cenſura.

Sextò, quòd quando ab ipſis Fratribus requiruntur aliqui infideles aliqua ex his quæ prohibita ſunt eis dari, vt ferrum, plumbum, & ſimilia, poſſint dare impunè, & ſine ſcrupulo, ex aliquo bono fine, puta ad faciendum eos ſibi fauorabiles, vel ad redimendam vexationem aliquam, dummodò non cognoſcant exinde aliquod malum ſeu damnum fieri alijs fidelibus, & qui hactenus contrà feciſſent, poſſint abſolui per Guardianum.

Septimò, quòd Fratres poſſint abſoluere ab excommunicationibus & caſibus, quibuſcumque reſeruatis Sedi Apoſtolicæ innodatos tempore Paſchatis, quando bono modo non poſſunt habere recurſum ad Superiores, & caſus non ſunt manifeſti, ita quòd non ſit ſcandalum aliorum, ſicut poſſunt abſolui, quando aliàs ſunt impediti pro menſura, & ſub illis modificationibus, ſcilicet quòd ſatisfaciant, & poſteà ſe repræſentent, habita opportunitate.

Octauò, quòd tam Fratres, quàm alij Chriſtiani in illis partibus infidelium, poſſint cum habitu ipſorum infidelium ſuperius inducto tranſire per loca in quibus imminent pericula, aut aliter poſſint grauari & moleſtari, ad euitandum huiuſmodi pericula & grauamina.

Prædicta omnia ego ipſe Frater Hieronymus qui ſuprà expoſui, ſupplicaui & impetraui, & manu propria ſcripſi & ſubſcripſi.

Ego Frater Hilarion qui ſuprà præſens fui ad ſuprà ſcripta, ideò manu propria ſubſcripſi, & ſigillo officij muniri feci.

Locus ✠ ſigilli.

XXIX.

Pius IV. natione Italus, patriâ Mediolanenſis, à patre Bernardo de Medicis appellatus Ioannes Angelus, primùm fuit S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Priſcæ, tandem die 25. Decembris anno 1559. Romæ Summus Pontifex factus, vixit in Pontificatu annos 5. & menſes aliquot.

Indul-

I.

Indulgentias, quæ olim erant in Eccleſia ſacri Montis Sion, transſcribit Eccleſiæ S. Saluatoris, & confirmat omnes indulgentias, grátias & priuilegia Guardianis & Fratribus Terræ ſanctæ a ſuis prædeceſſoribus Romanis Pontificibus conceſſa. Ex Archiuo ſacri Montis Sion.

PIus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Diuina diſponente clementia ad ſummi Apoſtolatus apicem, meritis licet imparibus, ſublimati. His quæ per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros Eccleſiis & alijs pijs locis, præſertim Terræ ſanctæ, earumq; Miniſtris, & illas adeuntibus, prouidè conceſſa eſſe dicuntur, libenter, cùm à nobis petitur, Apoſtolici muniminis præſidium adijcimus. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Bonifacius de Raguſio, Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum, & Theologiæ Profeſſor, ac olim ipſius Terræ ſanctæ in ſpiritualibus gubernator & rector, quòd cùm Turcarum Rex Cœnaculum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Eccleſiam apud illud conſtructam in monte Sion, à Fratribus dicti Ordinis aliſq; Chriſti fidelibus abſtulerit, ipſiſq; aliam antiquam Eccleſiam cum ſuis domibus & alijs ædificijs ſub inuocatione Saluatoris intra muros Ieruſalem, dudum à ſe occupatam, loco cœnaculi prædicti à duobus annis citrà aſſignauerit, idcircò indulgentias & peccatorum remiſſiones, à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris Chriſti fidelibus Cœnaculum prædictum viſitantibus conceſſas, ad Eccleſiam S. Saluatoris huiuſmodi transferri, illasq; & alias, præſertim in quadam antiquiſſima tabella, quæ apud ſanctiſſimum eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti Sepulchrum cuſtoditur, deſcriptas, & à B. Silueſtro prædeceſſore noſtro, vt creditur, conceſſas indulgentias & peccatorum remiſſiones, ac inſuper omnia & ſingula priuilegia, gratias, facultates, prærogatiuas & indulta, Guardianis & Fratribus eiuſdem Terræ ſanctæ pro tempore exiſtentibus, à Sede Apoſtolica & eius Legatis hactenus conceſſa, vt vberiorem roboris firmitatem obtineant, per nos confirmari & approbari ſummopere deſiderat. Quare præfatus Bonifacius nobis humiliter ſupplicari fecit, vt indulgentias Cœnaculum viſitantibus conceſſas huiuſmodi ad Eccleſiam S. Saluatoris prædictam transferre, illisq; & in dicta tabella deſcriptis, ac alijs indulgētijs fidelibus Terram ſanctā viſitantibus conceſſis, nec non priuilegijs, prærogatiuis, facultatibus, indultis, & alijs gratijs, Guardianis & Fratribus, aliſq; fidelibus Terræ ſanctæ conceſſis, pro firmiori illorum ſubſiſtentia, robur Apoſtolicæ confirmationis adycere, & aliàs in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur indulgentiarum, priuilegiorum, prærogatiuarum, facultatum, indultorum, aliarumq; gratiarum prædictarum ac litterarum ſuper illis confectarum tenores, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, ipſumq; Bonifacium à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis à Iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum harum dumtaxat conſequendum, harum ſeriè abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnes & ſingulas dictum Cœnaculum viſitantibus, & apud illud degentibus conceſſas, ad Eccleſiam S. Saluatoris prædictam, illamq; pro tempore viſitantes, & apud eam degentes Apoſtolica auctoritate tenore præſentium tranſferimus, & tam illas, nec non in dicta tabella deſcriptas, quàm alias quaſcumque, etiam plenarias indulgentias & peccatorum remiſſiones Sepulchro prædicto, alijsq; Eccleſiis, monaſterijs, hoſpitalibus & pijs locis ipſius Terræ ſanctæ ac illa viſitantibus fidelibus, & apud illa degentibus; & inſuper omnia & ſingula priuilegia, prærogatiuas, facultates, indulta, & alias gratias Gubernatoribus, Guardianis & Fratribus, alijsq; fidelibus Terræ ſanctæ pro tempore exiſtentibus, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros & Sedem prædictam, vel eius Legatos, tam in ſcriptis quàm viuæ vocis oraculo, tam in genere quàm in ſpecie, & aliàs quomodolibet hactenus conceſſa, litterasq; prædictas, & in eis contenta quæcumque, eiſdem auctoritate & tenore confirmamus & approbamus, & nihilominùs, potiori pro cautela, illa omnia & ſingula eiſdem modis & formis quibus conceſſa fuerunt, de nouo perpetuò concedimus & indulgemus, ac illis perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, omnesq; & ſingulos iuris & facti defectus, ſi qui forſan interuenerunt in eiſdem, ſupplemus; ac illa valida & efficacia fore, ſuosq; plenarios & integros effectus ſortiri, & inuiolabiliter obſeruari, ipſiſq; Gubernatoribus, Guardianis, Fratribus, & alijs fidelibus in omnibus & per omnia ſuffragari debere: nec non præſentes litteras ſurreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ defectu, quouis quæſito colore notari vel impugnari, aut ſub quibuscumque renocationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, limitationibus, vel alijs contrarijs diſpoſitionibus ſimilium vel diſſimilium indulgentiarum, facultatum, priuilegiorum, indultorum, & aliarum gratiarum à nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus pro tempore

emanatis, nullatenus comprehendi, ſed attentis locorum diſtantia, religioneq; ſemper ab illis exceptas, & quotiens illæ emanabunt, totiens in priſtinum & validiſsimum ſtatum reſtitutas, & de nouo etiam ſub datis per pro tempore exiſtentium Terræ ſanctæ Gubernatorum eligenda, conceſſas fore & cenſeri, & ſic per quoſcumque Iudices & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari & diffiniri debere. Et quodcumque ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus & declaramus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & Cancellariæ Apoſtolicæ, regulis editis & edendis, ceteriſq; contrarijs quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, tranſlationis, confirmationis, approbationis, conceſsionis, indulti, adiectionis, ſuppletionis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam anno incarnationis Dominicæ 1561. 16. Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno 2.

V. Cæ. Glorierius.

Fed. Car^lis Cæſius.

XXX.

GREGORIVS XIII. Italus, Bononiâ Hetruriæ ciuitate oriundus, Hugo primùm appellatus, Chriſtophorum de Boncompagnis patrem habuit, & ex S.R.E. Presbytero Cardinali tit. S. Sixti, die 13. Maij anno 1572. Romæ Summus Pontifex pronuntiatus, ſedit annos 13. menſes 10. dies 27.

I.

Hic Eccleſiam & domum Conſtantinopolitanam, indulta item & priuilegia alijs locis & Fratribus Ordinis communia, Minoritis Ieroſolymitanis concedit & confirmat. Ex Manuſcripto Veneto.

GRegorius Papa XIII. Dilecti filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm, ſicut nobis nuper exponi feciſtis, vos deſiderantes aliquem locum veſtri Ordinis prope Conſtantinopolim accipere, in quo tres, aut quatuor, aut plures Fratres veſtri Ordinis commorarentur, qui in Curia Turcarum Imperatoris comparere, ſeq; coram Oratoribus Principum Chriſtianorum apud ipſum Turcarum Imperatorem pro tempore exiſtentibus, pro negotijs Terræ ſanctæ ibi pertractandis præſentare, ac Sacramenta Eccleſiaſtica pauperibus mancipijs & alijs Chriſti fidelibus ibi exiſtentibus miniſtrare poſſent, Eccleſiam quamdam paruam B. Mariæ de Drappe nuncupatam, ruinoſam, & iam ad vſum ſtabuli animalium reductam, in Brugo ſeu ſuburbio Peræ prope Conſtantinopolim ſitam, à quadam nobili muliere Chriſtiana, quæ illam tamquam rem propriam poſsidebat, perpetuò pro vſu & habitatione dictorum Fratrum prædicti Ordinis ad effectum præmiſſum præfato Ordini donatam & conceſſam receperitis, eamq; reſarcire & reſtaurare curaueritis, iamq; aliquos Fratres in eam ad effectum præmiſſum introduxeritis, ac donationem, conceſsionem & receptionem huiuſmodi à nobis pro firmiori illarum ſubſiſtentia, noſtro & Sedis Apoſtolicæ munimine roborari cupiatis, nobisq; humiliter ſupplicari feciſtis, vt in præmiſſis aliàs opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur vberes fructus, quos aſsiduè Ordo veſter in agro Domini profert, ac diuinum cultum, & præcipuè in illis partibus, augeri, noſtris potiſsimùm temporibus ſinceris affectibus exoptamus, vos & quemlibet veſtrùm à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, pœnis à Iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtitis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationem, conceſsionem & receptionem Eccleſiæ huiuſmodi, vt præmittitur, factas, præſentium tenore Apoſtolica auctoritate approbamus & confirmamus, omnesq; & ſingulos tam Iuris quàm facti defectus, ſi qui intercenerint, in eiſdem ſupplemus, vobisq; vt in eadem Eccleſia & domo prope illam ædificata, ſeu ædificanda, tres aut quatuor plures ve dicti Ordinis veſtri profeſſos Fratres ad effectum præmiſſum retinere, qui inibi ſub regulari Obſeruantia, nec non humilitatis ſpiritu, Altiſsimo famulentur, ac ſub deputatione, amotione, obedientia, correctione & viſitatione tui, & pro tempore exiſtentis Guardiani domus Ieroſolymitanæ prædicti Ordinis, iuxta illius inſtituta remaneant, valeatis, donec aliud per Miniſtrum Generalem veſtri Ordinis fuerit ordinatum. Ipſisq; Fratribus Eccleſiam ac domum prope illam conſtitutam ſiue conſtituendam perpetuò inhabitandi, ad effectum præmiſſum, liberam licentiam auctoritate & tenore præſentis concedimus, eiſdemq; Fratribus ibidem pro tempore degentibus, quòd omnibus & ſingulis priuilegijs, prærogatiuis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indultis & gratijs, quibus aliæ domus Fratrum

trum huiuſmodi de iure vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, vti, frui, potiri & gaudere poterunt, quomodolibet, in futurum ipſi ſimiliter vti, frui, potiri & gaudere liberè & licitè valeant, dicta auctoritate indulgemus. Non obſtante felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri conſtitutione, qua inter alia cauetur expreſsè, ne cuiuſuis Ordinis Mendicantium Profeſſores loca ad habitandum de nouo recipere, ſeu recepta mutare præſumant, abſque dicta Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, & prohibitionis huiuſmodi expreſſam mentionem faciente, & alijs conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſq; contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 8. Martij 1585. Pontificatus noſtri anno 13.

Io. Baptiſta Canobius.

XXXI.

SIXTVS V. Italus, in Monte alto, quod olim erat oppidulum, nunc verò ciuitas, in Prouincia Piceni ſita, patre Peretto de Pereotis natus, & Felix priùs nominatus, Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium S. Franciſci Profeſſor, cùm aliquamdiu fuiſſet S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Hieronymi Illyricorum, tandem die 24. Aprilis anno 1585. Romæ Summus Pontifex pronuntiatus, in Pontificatu vixit annos 5. menſes 4. Hic

I.

Priuilegia & gratias Terræ ſanctæ confirmat; à quibuſcumque peccatis, cenſuris & pœnis abſoluendi, diſpenſandiq́ue in irregularitatibus in foro conſcientiæ, benedicendi Eccleſiaſtica paramenta, facultatem confert; denique varias indulgentias locis ſanctis, & alijs in terris infidelium conſtitutis impertit. In Archiuo ſacri Montis Sion.

SIxtus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Votis, ex quibus præcipuè ſacratiſſimorum locorum pijs fidelium venerationem & animarum ſalutem prouenire conſpicimus, libenter annuimus, & illa, quantum cum Deo poſſumus, fauoribus Apoſtolicis benignè conſouemus, ac ſingulos Chriſti fideles ad loca huiuſmodi deuotè viſitanda indulgentijs & peccatorum remiſſionibus inuitamus. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Frater Matthæus Salernitanus Prouincia ſancti Iacobi in Compoſtella Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum Profeſſor, quòd cùm ipſe Commiſſarius & Procurator generalis in vniuerſo orbe Chriſtiano ad recipiendas & recuperandas quaſcumque eleëmoſynas tam ordinarias quàm extraordinarias, ad ſanctiſſimum Sepulchrum Dominicum, & alia loca ſancta tranſmarina ſpectantes, illaſq; tam reparationi ipſorum locorum, quàm in ſuſtentandis Fratribus dicti Ordinis pauperibus, in illis partibus diutno obſequio inſiſtentibus, prout neceſsitas exigeret, applicandas deputatus fuiſſet, ac officium huiuſmodi ſpatio trienny vel circà, quo dictas eleëmoſynas, perpetuas & ordinarias in quingentis ducatis annuis piè ſibi à diuerſis perſonis in partibus Hiſpaniarum intuitu dictorum locorum erogatis adauxit, exercuiſſet, demum ad Vrbem perſonaliter accedens, facto nouo ſui Ordinis Capitulo generali, fuit in eiuſmodi officio confirmatus. Cumq; poſtmodum ipſe Frater Matthæus aliquas eleëmoſynas à charisſimis in Chriſto filijs noſtris Rodulpho Romanorum Imperatore, & Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico iam factas collegerit, & Deo adiuuante ad prædicta loca tranſmarina tam pro ſua deuotione, quàm vt eorum ſtatui & augmento prouideat, ſe perſonaliter conferre, ac paramenta magni valoris ad ipſum Sepulchrum Dominicum tranſportare intendat, nobis humiliter ſupplicare fecit, vt ipſorum ſacratiſſimorum locorum deuotionem nedum conſeruare, verùm etiam adaugere ad Chriſti fidelium dicta loca viſitantium, nec non pauperum captiuorum in infidelium ſeruitute in illis partibus detentorum, animarum ſaluti conſulere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula priuilegia, conceſſiones, facultates, indulta, indulgentias, ceteraſq; gratias ſpirituales & temporales eiſdem locis, ac illa viſitantibus, nec non dicti Ordinis Guardiano, & Fratribus in illis partibus degentibus, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos & Sedem Apoſtolicam in genere vel in ſpecie aut aliàs quomodolibet conceſſa, quatenus ſint in vſu, & decretis Concilij Tridentini non aduerſentur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus: omneſq; & ſingulos defectus, ſi qui interuenerint, in eiſdem ſupplemus. & inſuper modernis & pro tempore exiſtentibus Guardianis Monaſteriorum & Regularium domorum dicti Ordinis, & alijs ſacerdotibus ab eiſdem Guardianis approbatis, omnium & quorumcumque Chriſtianorum ad illas partes declinantium, ſeu ibidem commorantium, ac etiam captiuorum confeſsiones audire, illoſq; à quibuſcumque peccatis, criminibus, exceſsibus & delictis, quantumcumque grauibus & enormibus, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ac etiam contentis in litteris die Cœnæ Domini legi ſolitis, nec non à quibuſuis excom-

excommunicationis & ſuſpenſionis, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis, iniunctâ illis ſalutari pœnitentia, in foro conſcientiæ abſoluere, ac ſuper quacumque irregularitate quomodolibet, præterquam ex homicidio voluntario & bigamia contracta cum perſonis etiam in Presbyteratus ordine conſtitutis, in eodem foro tantùm diſpenſare; ita vt Miſſas celebrare, & aliàs in diuinis miniſtrare valeant: nec non pro locorum & Miniſtrorum Eccleſiaſticorum dictorum locorum opportunitate, paramenta Eccleſiaſtica benedicere poſſint & valeant: & liberam ac omnimodam Apoſtolica auctoritate tenore præſentium licentiam, poteſtatem & facultatem perpetuò concedimus & impartimur, eiſq; deſuper indulgemus. Præterea de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, vniuerſis & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, etiam in infidelium ſeruitute detentis, verè pœnitentibus & confeſſis, qui ſanctiſſimum Sepulchrum, montem Caluarium, ac Præſepe ſanctiſſimi Domini noſtri deuotè viſitauerint, plenariam, nec non ijs, qui monaſteria ſeu regulares domos dicti Ordinis, illorumq; Eccleſias & Oratoria, tam in dictis locis quàm Conſtantinopoli & alijs ciuitatibus & locis illarum partium, in Domini noſtri Ieſu Chriſti, & beatæ Virginis Mariæ, ac beatorum Apoſtolorum, nec non eiuſdem beatæ Mariæ, Aegyptiacæ nuncupatæ, & ſancti Ioannis Chryſoſtomi natiuitatum feſtiuitatibus deuotè viſitauerint, ac inibi pias ad Deum preces effuderint, quo die ſingularum feſtiuitatum huiuſmodi id fecerint, plenariam omnium & ſingulorum peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus & elargimur. Non obſtante regula noſtra, per quam volumus, quòd ſi Eccleſiæ & perſonis, quibus indulgentia conceditur, aliqualis indulgentia conceſſa ſit, huiuſmodi litteræ ſint nullæ; aliiſq; conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſq; contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 19. Aprilis, anno 1588. Pontificatus noſtri anno 3.

Tho. Tom. Gualterutius.

A. Ruloffius.

Idem Pontifex, vt & eius ſucceſſor PAVLVS V. Romanus, ſub Apoſtolicæ excommunicationis lata ſententia alijſque pœnis præceperunt, vt bona à pijs fidelibus quomodolibet locis Terræ ſanctæ relicta, ab iniuſtis detentoribus reſtituantur, & vt qui eorumdem detentores nouerint, eoſdem notificent, & ne quis ea in quoſuis alios etſi pios ac neceſſarios vſus conuertere audeat.

Quorum eâ de re editas conſtitutiones confirmauit, & denuò euulgari mandauit GREGORIVS XV. Authentica eorumdem exemplaria Madrito nobis ſuppeditauit R.P.F. Martinus de Arratia, Terræ ſanctæ Commiſſarius, atque hîc ſubiunguntur.

GRegorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Aliàs à fel. rec. Sixto V. & Paulo etiam V. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis, videlicet: Sixtus Papa V. ad futuram rei memoriam. Noſtri Paſtoralis officij partes à Nobis poſtulant & expoſcunt, vt in ijs auctoritatem Nobis ab omnipotente Deo, cuius vicem hîc in inferiori terrarum orbe gerimus, conceſſam, quandocumque ita neceſſarium eſt, interponamus, per quæ legata in fauorem piorum locorum, tam in ciuitate Ieroſolymitana, quàm extra eam in tota Terra ſancta exiſtentium facta, iuxta piam ipſa legata facientium & conſtituentium intentionem debitos ſortiantur effectus, & ab illorum occupatoribus & detentoribus pijs locis huiuſmodi, vt decet, relaxentur. Cùm itaque nullatenus dubitari poſſit, quin per totum Chriſtianum orbem multa mobilia & immobilia bona Religioſorum domibus, & alijs locis pijs in Terra ſancta exiſtentibus, tam per viam legati pij, quàm eleëmoſynæ, & aliàs diuerſimodè relicta fuerunt, ipſa verò bona, vel eorum aliqua, à diuerſis perſonis, quarum curæ & fidei executio legatorum, & eleëmoſynarum huiuſmodi commiſſa exiſtit, occupentur & detineantur, in non modicum ipſorum animarum periculum, & detrimentum domorum & bonorum huiuſmodi, quæ tamquam in partibus infidelium exiſtentia magnis premuntur neceſſitatibus: Nos, qui ſalutem ſingulorum ſinceris deſideramus affectibus, piorumq; locorum quorumlibet indemnitati, quoad poſſumus, conſulimus, vt tenemur, in præmiſſis opportunè prouidere volentes, ac omnium & ſingulorum bonorum, & aliarum rerum dictis locis per quoſcumque quouis modo relictorum, & penes quoſcumque exiſtentium ſituationes, qualitates, & valores præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, meraq; deliberatione noſtris, omnibus & ſingulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs per vniuerſum orbem Chriſtianum conſtitutis, eorumq; Vicarijs, Officialibus, nunc & pro tempore exiſtentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ committimus & mandamus, ac diſtrictè præcipimus, quatenus ipſi, & eorum quilibet, per ſe aut eorum Vicarios, & Officiales in ſpiritualibus Generales, aut alias perſonas ab eis deputandas, quotieſcumque pro parte nunc & pro

Sixti V. Conſtitut. Apoſtolica 11.

pro tempore exiſtentis Procuratoris generalis Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia, domorum & locorum huiuſmodi ad eleëmoſynas & legata ſimilia recuperanda deputati, requiſiti fuerint, vel eorum aliquis requiſitus fuerit, in omnibus & ſingulis ſuarum ciuitatum & Prouinciarum Cathedralibus, Collegiatis & parochialibus Eccleſiis, tribus Dominicis, ſeu alijs feſtiuis diebus, dum inibi maior populi multitudo ad diuina conuenerit, omnes & ſingulas perſonas, pecunias, aurum, argentum, gemmas, ac alias res, & bona quæcumque mobilia vel immobilia ſupra ſummam ſeu quantitatem, ſiue valorem ex arbitrio & conſcientia taxandum domibus & locis pijs prædictis, tam per viam legati quàm eleëmoſynæ, & aliàs quomodolibet relicta, & ad illa aliàs ſpectantia & pertinentia occupantes, & detinentes, ſeu ab alijs occupari & detineri ſcientes, & non reuelantes, requirant & moneant, ſeu requiri & moneri faciant, quatenus omnia & ſingula bona mobilia vel immobilia eiſdem domibus & locis pijs legata, & ad illa quomodolibet ſpectantia, ac per eaſdem perſonas, & earum quaſlibet occupata & detenta, dicto Procuratori nunc & pro tempore exiſtenti, ſeu eius locum tenenti, cum effectu reſtituant & conſignent, ac illorum occupatores & detentores reuelent & detegant, alioquin factis tribus Canonicis monitionibus huiuſmodi, in omnes & ſingulos bona huiuſmodi occupantes & vſurpantes, ſeu ab alijs detineri & vſurpari ſcientes, & non reuelantes, excommunicationis ſententiam, à qua non niſi prævia ſatisfactione abſolutionis beneficium obtinere poßint, eo ipſo ferant & pronuntient, ſeu ferri & pronuntiari faciant. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quacumque forſan prætenſa longi temporis præſcriptione, & continuata poſſeſſione, ceteriſq; contrarijs quibuſcumque. Et quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque mundi loca perferri, volumus quòd earumdem præſentium transſumptis, etiam impreßis, manu alicuius Notarij publici, vel Ordinarij loci, aut alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſubſcriptis, eadem prorſus fides vbique locorum & gentium adhibeatur, quæ adhiberetur, ſi ipſæ præſentes litteræ originaliter exhiberentur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 13. Decemb. anno 1589. Pontificatus noſtri anno 5.

Conſtitut. I. Pavli V.

Paulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Cæleſtis Regis, qui pro humani generis redemptione ſeipſum exinaniuit, factus obediens vſq; ad mortem, vices, licet immeriti, gerentes in terris, inter graues officij noſtri curas hanc præ ceteris in viſceribus gerimus, vt tanti ac tam ſalubris myſterij monumenta, quæ in ciuitate Ieruſalem ſunt, conſeruentur, & ea quæ decet honorificentia recolantur, ac Chriſti fidelium eleëmoſynæ in hanc cauſam piè erogatæ, in alios vſus non diſtrahantur. Quocirca dilectis filijs Generali ac Prouincialibus Miniſtris, Commiſſarijs, tam de Curia quàm alijs quibuſcumque, nec non Cuſtodibus ſeu Guardianis, alijſq; Officialibus, & præſertim dictæ ciuitatis, nec non Fratribus quibuſlibet nunc & pro tempore exiſtentibus Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum, alijſq; omnibus & ſingulis vbique locorum degentibus, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, ſub prinatione vocis activæ & paßivæ, nec non officiorum quæ obtinent aut obtinebunt, ac inhabilitatis ad illa & alia in poſterum conſequenda, pœnis ipſo facto incurrendis, tenore præſentium perpetuò præcipimus & mandamus, ne perpetuis futuris temporibus eleëmoſynas, ſeu aliquam earum partem, ſiue in pecunia, ſiue in quibuſuis alijs rebus cuiuſcumque generis conſiſtant, quæ tam pro conſeruatione, reſtauratione, ac ſubſidio piorum locorum dictæ ciuitatis, diuinique cultus in illis augmento, quàm etiam pro Fratrum dicti Ordinis inibi degentium, ac peregrinorum in eorumdem domibus hoſpitantium ſuſtentatione ac neceſſitatibus, vel aliàs per quoſcumque Chriſti fideles erogabuntur, quauis de cauſa, ratione, aut occaſione, vel ſub quocumque prætextu, quæſito colore vel ingenio, in alios vſus etiam quantumuis pios & vrgentes, ac etiam eiuſdem Ordinis, conuertere, vel quibuſuis alijs perſonis, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtentibus, etiam per breue temporis ſpatium commodare, alienare, hypothecare, vel aliàs quomodolibet diſtrahere audeant quoquomodo, vel præſumant, ſed eas pro dictis pijs locis, & eorumdem Miniſtrorum vſu fideliter conſeruent, & eorumdem locorum agentibus nunc & pro tempore exiſtentibus ſuis loco & tempore integrè conſignent & tradant, ſeu conſignari curent & faciant, contrarijs non obſtantibus quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentium transſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 22. Ianuarij anno 1618. Pontificatus noſtri anno 13.

Conſtitut. I. Gregorii XV.

Cùm autem, ſicut dilectus filius Martinus de Arratia, Fratrum Ordinis Minorum ſancti Franciſci Diſcalceatorum nuncupatorum Profeſſor, ac Terræ ſanctæ Commiſſarius, Nobis nuper exponi fecit, in diuerſis Chriſtiani orbis partibus nonnullæ perſonæ varia bona ad dicta loca ſancta ſpectantia, non

ſine grani animarum ſuarum periculo, ac eorumdem locorum maximo detrimento indebitè detineant; Nos præmiſſis quantum cum Domino poſſumus obuiare, ac dictorum locorum indemnitati conſulere volentes, ſupplicationibus eiuſdem Martini nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; litteras præinſertas, & in eis contenta quæcumque, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, illiſq; inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus. Et nihilominùs omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus perſonis cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſtentibus in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœna, à qua non niſi à Nobis ipſis, vel Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo cõſtituti, abſolui poſſint, diſtrictè præcipimus & mandamus, ne de cetero ullius ſuis generis bona ad loca huiuſmodi ſpectantia quouis prætextu, cauſa vel occaſione apud ſe retinere audeant ſeu præſumant, ſed illa eiſdem locis, ſeu illorum Agentibus realiter & cum effectu reſtituant. Quocirca venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis vbiuis locorum exiſtentibus, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Martini moderni, & pro tempore exiſtentis Terræ ſanctæ huiuſmodi Commiſſarij fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præmiſſa omnia & ſingula ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, inuiolabiter obſeruari. Contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur, nec non omnibus illis, quæ dicti prædeceſſores in præinſertis eorum litteris voluerunt non obſtare, ceteriſq; contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſſumptis, &c. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 18. Nouembris, anno 1622. Pontificatus noſtri anno 2.

S. Car. S. Sus.

Hen. de la Pluma.

CAPVT I.

Octo Notabilia proponuntur & explicantur, ad clariorem intelligentiam gratiarum & priuilegiorum Terræ ſanctæ.

ANtequam has ipſas, quas iam recenſui, gratias, indulgentias, diſpenſationes ac priuilegia, quibus Summi Romani Pontifices, de ſanctiſſimis Palæſtinæ locis benemeriti, eadem loca, Guardianum item ſacri Montis Sion, totius Terræ ſanctæ Præfectum, & Fratres in eadem habitantes eius iriſdictioni ſubiectos, vel in aliorum infidelium partibus commorantes, alioſque fideles ad Terram ſanctam proficiſcentes, vel aliàs de eadem benemeritos condecorarunt, vberiùs aliquantò explicem, placet in prima huius Libri parte octo Notabilia, cum ſex Dubijs, & eorum ſolutionibus præmittere. Notabilia præſenti, Dubiorum ſolutiones proximè ſequenti Capite enucleabo.

Conditio priuilegiorum Terræ ſanctæ.

PRIMVM NOTANDVM. Gratiæ, diſpenſationes ac priuilegia, de quibus in hoc Libro eſt ſermo, non ſunt adeò propriæ Præſulibus & Fratribus Terræ ſanctæ de Ordine Minorum, vt ipſis dumtaxat & non alijs conueniant; quamuis enim non omnia, pro maiori ſaltem parte conueniunt, non modò eiuſdem, ſed etiam alterius inſtituti profeſſoribus in alijs infidelium partibus degentibus. Quin & quædam ex illis ſunt communes leges, vel ſanè priuilegia omnibus Religioſis vbicumque habitantibus communia. Eo tamen reſpectu de ijs non agimus, ſed quatenus Terræ ſanctæ, Præfecto eiuſdem, atque alijs in ea commorantibus, vel ad eamdem proficiſcentibus, conceſſa fuerunt: & hoc ſolùm fine ea ex Apoſtolicis Bullis, alijſque conceſſionibus à Summis Pontificibus in gratiam Terræ ſanctæ factis excerpſimus, vt ad maiorem ipſius Terræ faciant decorem, Fratrum item in ea habitantium magis conſulatur conſcientijs, & maiori eò venientium conſolationi. Quare in illorum explicatione, quantum ad illa quæ Fratres reſpiciunt, primò oſtendam quid ipſi virtute propriorum priuilegiorum poſſint; deinde quid virtute aliorum atque communium, & quomodo iſta cum illis conueniant; vt hoc pacto intelligant Fratres Terræ ſanctæ, tuta ſe conſcientia, nec vnica, ſed multiplici, propria videlicet alienaque facultate, poſſe exequi quæ in illis ipſis conceduntur, atque quorum ex aliorum Ordinum, vt S. Auguſtini, S. Dominici, Societatis IESV, &c. priuilegijs participatione & communione fruuntur.

NOTAN-

Guardianus S. Montii Sion qualis Prælatus.

NOTANDVM SECVNDVM. Guardianus sacri Montis Sion non solùm est Prælatus Ordinis Minorum, Guardianus videlicet & Custos Terræ sanctæ, & Fratrum in ea & alijs Orientis partibus habitantium, sed etiam est Summi Pontificis Commissarius Apostolicus, & velut eius Delegatus, vt videbimus inferiùs, quando agemus de eius priuilegijs, præsertim Capp. XII. XIII. XIV. & XV. ideoque in aliquibus maiorem habet auctoritatem à Summo Pontifice, quàm habeant alij Ordinis Prælati (etsi in alijs maiores) quæ & ab istis impediri nequit, vt Capite sequenti, Dub. III. dicemus.

Priuilegiũ & dispensatio quomodo differunt.

NOTANDVM TERTIVM. Discrimen est inter priuilegium & dispensationem. Priuilegium (quod, vt dicitur in c. Priuilegia, d. 3. & in D. Thoma 1.2. q. 96. art. 1. ad priuatorum lex, siue priuata lex nuncupatur) est singulare ius, contra Ius commune indultum: ita Siluester v. Priuilegium, ex c. Abbati, de Verb. signif. semper enim priuilegium operatur aliquid contra Ius commune, vt dicitur in L. fin. C. de Inoffic. testam. & ff. de Vsuris. Lege Rodericum tom. 1. Quæst. regul. q. 7. art. 1. Salas q. 96. tract. 14. sect. 1. Et licet aliquando non tribuat aliquid contra aut præter Ius commune, non ideò nomen amittit priuilegij, quia tribuet clariùs & faciliùs idem Ius commune, & faciet vt illud habens operetur securiùs, & vt id quod illicitum est, fiat licitum. Extrau. de Priuil. c. Vt priuilegia. ff. Ad municipalem. L. 1. §. vlt. Et quia non semel contingit ignorari Ius commune, ideò is qui habet priuilegium eidem concordans, poterit absque scrupulo & formidine vlla eo vti. Propter quæ, & alia, habemus, semper priuilegium operari aliquid contra Ius commune, etiamsi cum eo conueniat, & ita numquam esse frustraneum. Et præterea priuilegium sæpiùs solet concedi sine causa, quod non solet fieri in dispensatione.

Priuilegiũ quid sit, & quid operetur.

Dispensatio quid, & circa quæ fiat.

Dispensatio ergo, quæ est prouida legis relaxatio siue moderatio, non solet concedi sine vtilitate, siue necessitate pensata. Ita Panor. in c. Cùm in cunctis. 1. de Electione. Fitque vel circa legem diuinam, vel circa humanam. Dispensatio facta (etiam à Papa) sine causa circa legem pendentem à Iure diuino, erit nulla, nimirum dispensatio in votis aut iuramento; & tam dispensantes quàm procurantes eam, peccant, & coram Deo non sunt tuti in conscientia. Ita Caietanus 1.2. q. 96. art. 5. & quæst. 97. art. 4. Soto 1. de Iust. q. 7. art. 3. Et ad hoc facit quod dicit Glossa in c. Non est. de Voto. & in c. De multa. de Præbend. Si verò dispensatio fiat contra legem humanam, tunc distinguendum est. vel enim fit à Summo Præsule, id est Papa, vel ab alio illo inferiore. Si dispensatio circa legem purè humanam, vt circa ieiunia, qualitatem ciborum, & circa impedimenta matrimonij, facta sit à supremo Legislatore sine causa, valida erit, & dispensatus ea poterit vti absque peccato, saltem mortali. Ita Soto loco citato q. 3. Nauarrus in Manuali c. 23. n. 42. & Victoria de Potestate Papæ, contra Caietanum. Si verò talis dispensatio fiat à Præsule inferiori, tunc ea ita pendet à causa iusta, vt illa deficiente, dispensatio sit nulla, vt ait Nauarrus in Manuali, Prælud. 9. n. 13. & 14. Et Doctores dicunt, huiusmodi dispensationem non dispensationem, sed dissipationem dicendam esse. Lege Glossam citatam c. De multa. Causa verò iusta censenda est, quam vt talem approbabit particulare iudicium prudentium, vt ait Siluester v. Religio, 4. §. 1. & 2. Miranda Tom. 1. Manuale Prælatorum q. 31. art. 6. Et quamuis causa sit iusta & efficax, nihilominùs proderit dispensatio ad magis assecurandum conscientiam illorum cum quibus dispensatur, siue à Papa, siue ab illo inferiore, vt diximus de Priuilegio.

Dispensatio quando valet.

Causa iusta dispensationis qua sit.

Sed numquid potest præscribi regula ad statuendum quæ sit causa iusta, & numquid in aliquo Iure assignantur aliquæ causæ, quibus positis, tam dispensans quàm is cum quo dispensatur, non delinquant, ille dispensando, & iste vtendo dispensatione? Respondeo ex sequenti Notabili.

Eaq; variis à fontibus procedit.

QVARTVM NOTANDVM. Causa ergo iusta dispensandi illa censenda est, quæ respicit bonum commune. Cùm enim lex iuxta non sit, nisi ad bonum commune referatur, sic nec dispensatio circa eam: & in Iure vel eius rigore dispensatur, prout habetur 1. q. 7. c. 5. §. Nisi rigor. pluribus ex causis, scilicet pro tempore, pro persona, pro intuitu pietatis, vel necessitatis siue vtilitatis, & pro euentu rei. Et in Concilio Tridentino sess. 23. c. de Reform. iuxta dictam doctrinam quatuor causæ numerantur, vt Prælatus licite dispenset in obligatione residendi de Iure diuino & naturali cum suis ouibus: quæ omnes ad commune bonum referuntur. Prima est, Christiana charitas, vt pro liberanda altera Ecclesia ab hæresibus, quibus proprius Episcopus resistere non valet, vel ad componenda dissidia inter Episcopum & Clerum. Secunda, vrgens necessitas Ecclesiæ, vel Episcopi. Tertia, debita obedientia, vt si vocetur à Papa, vel à Rege pro negotijs Regni, vt pro inaugurando vel baptizando Principe: tunc potest Episcopus illuc accedere pro paruo tempore. Quarta, euidens Ecclesiæ vel Reip. vtilitas. Ex dictis sequitur, quòd cùm dispensa-

Quæ sint legitimæ dispensandi causæ.

Digitized by Google

penſatio requirat cauſam, non ſimiliter priuilegium, ſtrictiùs eſſe interpretandum priuilegium, quemadmodum pluribus oſtendit Rebuffus citatus à Roderico Tom. 1. quæſt. 22. art. 2.

Priuilegiũ multiplex. QVINTVM NOTANDVM. Priuilegium multiplex eſt, ſcriptum, & non ſcriptum; & vtrumque vel perſonale, vel locale. Scriptum debet eſſe authenticum, & ſigillo Principis obſignatum, &c. & hoc aliquando continetur in corpore Iuris, & aliquando extra, faciliuſque reuocatur; & quia minùs notum, minùs etiam obligat.

Scriptum.

Non ſcriptum duplex eſt. Priuilegium non ſcriptum, aliud eſt ab homine ſignato conceſſum, aliud eſt conſuetudine comparatum. Primi generis ſunt, viuæ vocis oracula Pontificia, comprehendentia gratiam vel fauoré, quæ per authenticam Bullam non expediuntur, etiamſi in alio ſcripto non ita authentico inueniantur, vel ſola relatione fide dignorum teſtium habeantur. De quibus apud omnes certum eſt, vim habere in foro conſcientiæ. Quod Minoribus explicuit Leo X. vt habetur in Supplemento conceſſione 161. fol. 58. Vide Rodericum Tom. 3. q. 22. art. 1. 2. & 3. Et vt his priuilegijs vti poſſimus, & in conſcientia ſeruari debeant, ſufficit quacumque via innoteſcant, vt docent Panormitanus & alij, aliàs eſſent inutilia. Priuilegium conſuetudine comparatum eſt id, quod actibus comparatur. Et conſuetudine induci priuilegium, certum eſt apud omnes. Ita Gloſſa & Doctores c. Super quibuſdam. ff. De verb. ſignif. Innocentius c. Conſtitutus. De reſcript. Silueſter, Felinus, & alij: & colligitur ex L. Hoc iure, §. Si aqua. ff. De aqua quotidiana. Id etiam probatur, quia conſuetudo poteſt totam legem abrogare, ergo multò magis poterit diſpenſationem, ſeu priuilegium contra illã inducere. Item, quia conſuetudo poteſt iuriſdictionem aliquando dare, vt tangit Suarez 3. part. Tomo 4. diſp. 26. ſect. 2. n. 2. & diſp. 30. ſect. 2. num. 1. & poteſt dare ius ad tributa exigenda, ergo multò magis poterit dare aliquod priuilegium. Et quamuis conſuetudo conſiſtat in actibus ſubditorum, priuilegium autem debeat manare à Principe, non obſtat, quia Princeps in illam conſenſit: conſuetudo enim mouet animum Principis vt illi annuat, & qui nouit & tacet, conſentire videtur. Salas loco citato. Et hæc benè nota, quia ad multa proderunt. Etenim multa præſtare poſſunt Fratres Terræ ſanctæ vel priuilegio ſcripto, vel non ſcripto Bullâ authenticà; ſed viuæ vocis oraculo, & quæ authentica Bulla conceſſa fuere, fortè non omnia oſtendi poſſunt, quoniam ob variam iſtarum partium mutationem, aliqua Bulla deperdi potuit, ſed non ideò ablata operandi poteſtas, quia poterunt eadem facere vel aliquo viuæ vocis oraculo, vel ſanè virtute longæ & non interruptæ conſuetudinis.

Conſuetudinis virtus.

Viuæ vocis oracula pro Terra ſancta non reuocata à Gregorio XV. Nec dictis officit Conſtitutio Gregorij XV. quæ incipit, *Romanus Pontifex*, &c. data Romæ apud S. Mariam maiorem, ſub annulo Piſcatoris die 2. Iulij, anno 1622. Pontific. ſui anno 2. in qua reuocat conceſſiones quaſcumque viuæ vocis oraculo, non tamen S. R. E. Cardinalibus factas, vel ipſorum manu firmatas: quia, vt in ea habetur, loquitur de illis, *quæ non ſunt ſortitæ effectum*; ſed conceſſiones quas adducemus, in viuæ vocis oraculis fundatæ, iam ſuum effectum ſortitæ ſunt, quare & in poſterum licitè ijſdem poterunt vti Fratres, vel aliæ perſonæ gaudentes priuilegijs Terræ ſanctæ, non obſtante dicta Pontificia conſtitutione. Et amplius, ſi illis vti non poſſent virtute oraculi viuæ vocis facti ad inſtantiam alicuius S. R. E. Cardinalis, vel ab eodem propria manu firmati, poterunt virtute conſuetudinis, quæ introducit priuilegium, & leges ſtatuit.

Priuilegiũ perſonale duplex. Perſonale priuilegium duplex eſt, vt propoſito noſtro deſeruit: alterum, quod alicui perſonæ particulari datur. Hoc ad alios non extenditur, ſed perſonam, cuius gratia conceſſum eſt, inſequitur, & extinguitur cum perſona, c. Priuilegium, De regulis iuris, in 6. Alterum, quod pluribus perſonis eiuſdem inſtituti conceditur, quod durat reſpectu durante. Sed locale priuilegium illud eſt, quod Eccleſiæ vel Conuentui conceditur, vt indulgentiarum, immunitatum conceſſio, &c. & hoc durat perſeuerante Eccleſia, locóve cuius gratia conceſſum fuit. Lege Rodericum Tom. 1. q. 22. art. 2.

Priuilegia Terræ ſanctæ ſunt quidem vtriuſque ordinis, ſed quæ prioris ſunt, & ſingulariter ſecundi ordinis, pro maiori parte conueniunt alijs Fratribus in terris alijs infidelium habitantibus, non item poſterioris ordinis, quæ propria ſunt, vt ex ipſis inferiùs apparebit; ideò perſeuerant ſemper durantibus locis illis. Itaque cum priuilegia Terræ ſanctæ quædam conceſſa fuerint Fratribus Ordinis S. Franciſci in locis ſanctis habitantibus, antequam illorum Ordo diſtingueretur inter Conuentuales & Obſeruantes, & alia Obſeruantibus poſt diuiſionem ad loca ſancta cuſtodienda admiſſis; ſequitur, iſtos gaudere priuilegijs non ſolùm ipſis peculiariter conceſſis, ſed etiam conceſſis ante diuiſionem, vel poſt, Patribus Conuentualibus in illorum cuſtodia perdurantibus; & tantò magis ſi pro Fratribus Ordinis Minorum conceſſa fuerunt, quia, non obſtan-

obstante dicta diuisione, Ordo Conuentualium & Obseruantium essentialiter sunt vnus Ordo, eadem professio, & consequenter priuilegia erunt communia. Argumentum in c. Cùm omnes, de Constitut. & Bulla familiæ Obseruantium de hoc mentionem facit, quòd ipsi videlicet gaudeant omnibus priuilegijs Ordinis, & eiusdem Conuentuum ad quos admissi fuissent. Vnde admissi ad Conuentus Ordinis etiam Conuentualium, gaudent eisdem priuilegijs concessis apte Ordinis distinctionem, & posteà à Conuentualibus obtentis, puta indulgentijs, immunitatibus, &c.

Pontifices qui concesserunt gratias Terræ sanctæ.

SEXTVM NOTANDVM. Summi Pontifices qui gratijs ac priuilegijs peculiaribus sacra Palæstinæ loca, & eorumdem intuitu Religiosos atque fideles alios condecorarunt, & qui ab alijs concessa confirmarunt, sunt in duplici ordine: quidam præcesserunt Concilium Tridentinum, quidam eo durante & post ipsum floruerunt. Qui præcesserunt, sunt qui sequuntur: Siluester II. Vrbanus II. Paschalis II. Eugenius III. Gregorius VIII. Clemens III. Innocentius III. Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. Clemens IV. Gregorius X. Martinus IV. Nicolaus IV. Clemens V. Ioannes XXII. Innocentius VI. Vrbanus V. Gregorius XI. Vrbanus VI. Ioannes XXIV. Martinus V. Eugenius IV. Nicolaus V. Callistus III. Alexander VI. Clemens VII. Tempore Tridentini Concilij Pius IV. Post ipsum idem Pius, Gregorius XIII. Sixtus V. Paulus V. Gregorius XIV. quorum itẽ Catalogum dedimus suprà fol. 355. Alij etiam concesserunt gratias quos nõ adscripsi, tum quia de ijs non sat mihi compertũ, tum quia Bullas eorum videre non contigit: aliquas tamen refero, prout apud alios fide dignos reperi. Alij etiam extiterunt, qui generatim omnibus Fratribus Minoribus gratias & priuilegia concesserunt, & concessa etiam ab alijs confirmarunt (vt videbimus) & consequenter priuilegia Terræ sanctæ Fratribus concessa, quia de Ordine Minorum sunt.

Priuilegia Terræ sanctæ triplicia in genere.

SEPTIMVM NOTANDVM. Priuilegia intuitu locorum Terræ sanctæ concessa, in vniuersum possunt ad tria capita reduci. Primum, ad ea quæ loca ipsa, deinde ad ea quæ Religiosos custodientes, & denique ad ea quæ sæculares eò venientes, vel etiam Ecclesiasticos alios respiciunt. Et illa quæ loca & Fratres respiciunt, sunt adhuc duplicia, quædam purè spiritualia, quædam temporalia, sed ad bonum spirituale ordinata: & ex illis quædam Guardiano dumtaxat, quædam Guardiano & alijs Fratribus conueniunt. De singulis ordinatè distinctis Capitibus agemus. Et quamuis fortè hîc non essent authentici valoris, alibi tamẽ sunt, quare illis tutò in foro conscientiæ vti poterunt Fratres Terræ sanctæ, & etiam in exteriori, vbi de illorum authenticatione constat, vt in locis sanctis, vbi Pontificiæ Bullæ integræ, non interruptæ, non abrasæ, cũ sigillo plumbeo pendenti ad chordulam sericam crocei rubeiq́ue coloris, more Romanæ Curiæ munitæ, & sub annulo Piscatoris datæ habentur.

Legis & Priuilegij interpretatio duplex.

OCTAVVM NOTANDVM. Legis & priuilegij interpretatio duplex est, iudicialis & doctrinalis. Iudicialis est, quæ soli legis & priuilegij auctori reseruatur. In c. Cùm venissent. de Iudicijs. & aliquando alijs ex commissione Summi Pontificis conceditur. Et sic interpretatio dubiorum emergentium circa Concilium Tridentinum commissa est sacræ Cardinalium Congregationi, quorum declaratio authentica sigillo Congregationis, aut alio iuridico modo munita, obligat in conscientia & in iudicio; & tantò magis, quia illa eumdem Summum Pontificem consulit. Et ita constat ex commissione sibi data, relata à Roderico Tom. 1. quæst. 11. art. 1. quæ est Sixti V. Doctrinalis verò declaratio est, quæ alijs à memoratis conuenit, puta Doctoribus litteratis, iudicibus & tribunalibus pro communi vtilitate, iuxta tradita in Concilio Tridentino sess. 25. c. 1. de Refor. per quam sæpè ex epijkia temperatur legum rigor, iuxta præsumptam Legislatoris interpretationem, vt docet Couarruuias in reg. Possessor. 2. p. §. 6. num. 2. Caietanus & alij communiter cum D. Thoma 1. 2. q. 97. & 2. 2. q. 6. art. 5. Soto 1. de Iustitia q. 7. art. 3. Et hoc ita expedit, maximè quando superior adiri non potest pro illorum explicatione.

Dubij solutio.

Nec officit, Pium IV. in Bulla confirmationis Concilij, quæ incipit *Benedictus*, præcipere Prælatis sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ, & alijs sub excommunicatione, ne commentarios, glossas, scholia, vllúmve interpretationis genus super ipsius Concilij decretis quouis modo edere vel statuere audeant, etiam prætextu majoris corroborationis vel executionis ipsius Concilij: etenim eo decreto non est vetitum facere annotationes vel commentarios ad iuuandam memoriam; sed ne fiant huiusce modi ad publicandum, sicut qui eò animo libros imprimunt, vt ad omnium notitiam deueniant. Et ita esse, dignoscitur ex eo, quòd Doctores sine culpa in suis libris aliqua decreta ipsius Concilij explicant. Vel etiam dicatur, aliud esse, loqui de Concilij Tridentini decretis; & aliud, de alijs, puta de legibus, priuilegijs, & statutis Religiosorum. Adderem, singulariter abstinendum

à

à gloſſis & explicationibus Concilij Tridentini propter particulare præceptum eiuſmodi rationabiliter prohibens; quoniam talem facultatem Pius IV. ſibi reſeruatam voluit, vel quibus ipſe ordinaſſet, quemadmodum poſteà Pius V. explicuit. Quare maiore exiſtente ſcientia & auctoritate (qualem exiſtere in Summo Pontifice, & in purpurato illo Eminentiſſimorum Cardinalium Senatu, certiſſimum eſt) non eximeretur à culpæ & temeritatis nota inferior, præſertim contra præceptum ſe ingerens in ſacri illius Concilij, & dubiorum in ipſo emergentium explicatione: non item de alijs legibus & ſtatutis, quorum interpretatio nec interdicta nec reſeruata eſt. Et hoc ita eſſe, ex eo in primis apparet, quòd plures Doctores & Sancti non ſolùm ſine culpa, ſed etiam cum laude, illa interpretati fuerint; tum etiam ex exceptione, qua ſingulariter reſeruatur explicatio dicti Concilij; ex illa ſiquidem intelligitur, alijs non negatam, ſed conceſſam fuiſſe facultatem, explicandi alias leges & ſtatuta, ſapientibus videlicet & iudicibus, vt diximus. Quare inferiores Summo Pontifice, puta Archiepiſcopi, Prælatiq́ue alij & ſapientes, poterunt leges alias & ſtatuta Concilij explicare, accedente præſertim Summi Pontificis facultate & conceſſione, pro ſubditorum ſimpliciumq́ue conſcientia aſſecuranda. Et hoc apparet in priuilegijs Prædicatorum, Minorum, &c. & ex his qui ex profeſſo de priuilegijs ſcripſerunt, etſi ſacræ Congregationis Cardinales vel Archiepiſcopi non fuerint. Lege Mirandam Tom. 2. Manualis Prælatorum quæſt. 44. & 45. & q. 41. de Priuilegijs in ſe.

CAPVT II.

Dubia nonnulla proponuntur, cum eorumdem ſolutionibus, pro maiori dilucidatione eorum quæ in ſequentibus Capitibus de priuilegijs Terræ ſanctæ dicenda erunt.

DVBIVM PRIMVM.

DVbitatur Primò, Num gratiæ, diſpenſationes, & priuilegia Terræ ſanctæ Guardiano, Cõmiſſario Apoſtolico, & Fratribus in ea & in alijs partibus infidelium habitãtibus, à Summis Pontificibus ante Concilium Tridentinum, intuitu locorum ſanctorum, & in fauorem fidei conceſſa, fuerint in toto vel in parte abrogata per alios Pontifices ante idem Concilium, vel ab eodem Concilio, vel à ſubſequentibus Pontificibus.

Argumenta quæ priuilegiorum extinctionem euincunt.

Quòd fuerint derogata, probatur dupliciter. Primò, quando Leo X. Bulla 45. Iulius II. Concilium Tridentinum, vel alij Pontifices reuocarunt gratias à ſuis prædeceſſoribus factas Regularibus: quia cùm Fratres Terræ ſanctæ Regulares ſint, nec tales eſſe deſinant ex eo quòd in ea habitent, & illius cuſtodiæ ſint deputati, ſequitur, gratias illis conceſſas ante derogationem fuiſſe per eamdem ſublatas. Et confirmatur, quia ſermo vniuerſalis omnes comprehendit; igitur in vniuerſali derogatione contra Regulares, etiam Fratres Terræ ſanctæ comprehenſi fuerunt. Secundò, Princeps condens legem, cenſetur abrogare priorem legem contrariam, cùm præſumatur habere totum ius in ſcrinio pectoris ſui, ex c. Licet. De conſtit. in 6.

Quid propoſito Dubio reſpondendum ſit, præmiſſa duplici diſtinctione, & quinque additis Concluſionibus apparebit. PRIMA DISTINCTIO. Gratiæ & priuilegia, quibus donati fuerunt Fratres Terræ ſanctæ, ſunt duplicia: quædam enim illis conueniunt quà ſunt Fratres Minores, & quatenus in gratiam Ordinis ipſorum conceſſa; quædam verò quà tales, hoc eſt gubernatores locorum ſanctorum, inter infideles habitantes, & quatenus data ſunt in fauorem fidei. Hæc iterùm ſunt duplicia: quædam nimirum ſunt Corpori Iuris inſerta, quædam verò non; quæ poſteriora & ipſa ſunt duplicia, vtpote, quædam fuere ſpecialiter abrogata, & quædam non.

Priuilegia duplicatione Minoritis conceſſa.

SECVNDA DISTINCTIO. Quando ſermo eſt de vſu priuilegiorum, tum loquimur vel de foro exteriori, vel de interiori. Hac gemina præmiſſa diſtinctione, has ſubnectimus Concluſiones.

PRIMA CONCLVSIO. Priuilegia Fratribus Minoribus (ſecundùm quamcumque conſiderationem) & vniuerſim alijs quibuſcumque Religioſis conceſſa, & Corpori Iuris inſerta, per ſimplicem derogationem priuilegiorum Regularium, in Concilio Tridentino vel à quouis Summo Pontifice factam, non cenſentur abrogata. Probatur, quia eo ipſo quo Corpori Iuris ſunt inſerta, nobilius eſſe receperunt, nec ampliùs priuilegia, ſed leges ſiue legum conſtitutiones appellanda ſunt; igitur per ſimplicem priuilegiorum abrogationem non cenſentur abrogata. Ita tenet Rodericus Tom. 1.

Priuilegia in Iure inſerta non ſunt reuocata.

SECVNDA CONCLVSIO. Priuilegia Religioſorum, quæ verè priuilegia ſunt, quamuis inſerta non ſint Corpori Iuris, non ſunt reuocata per Concilium Tridentinum vel Summos Pontifices, niſi de illis facta ſit expreſſa mentio in reuocatione generali. Antè quàm Concluſio hæc à nobis probetur, aduertendum eſt, per *expreſſam mentionem* me non intelligere, quòd in reuocatione fieri debeat illorum mentio de verbo ad verbum,

Priuilegia non cenſentur reuocata in generali reuocatione, niſi in ea fiat expreſſa mentio: quomodo hoc intelligatur.

bum, licet hoc in eorum conceſſionibus aliquando requiratur; tunc enim Pontificum manus, ad reuocandum conceſſa à ſuis prædeceſſoribus, eſſent ligatæ, cùm ſit moraliter impoſſibile omnia ſcire, adeò vt litteris reuocatorijs priores litteræ inſeri debeant: ſed intelligo quòd de illis fieri debeat mentio ſub quauis forma generali, vt ſtylus curiæ habet. Ita Armilla v. Priuilegium. Tunc enim, ſi illa priuilegia, quæ ob merita conceduntur, vt in illorum conceſſionibus apparet, reuocentur, mentio de illis facienda eſt, vt intelligatur derogationis rationabilitas. Ita Mendoſ. in Regul. Cancel. 3. quæſt. 8. num. 6. Emanuel Sà tit. Gratia, num. 20. ait, priuilegia Mendicantium non reuocari, niſi de illis fiat expreſſa mentio. idem ibidem num. 15. & communiter alij. Lege Rodericum Tom. 1. q. 8. art. 7. & 8. Et ſingulariter veritatem habet hæc Concluſio pro Minoribus: quia Leo X. inter viua oracula num. 19. conceſſit die 15. Aprilis anno 1516. quòd per reuocationem omnium priuilegiorum, etiam Mendicantium, non intelligantur reuocata vel ſuſpenſa priuilegia, indulta, vel gratiæ Minorum, niſi de illis fiat expreſſa mentio ſpecificè & nominatim. Quòd ſi iſta conceſſio non ſe extendit ad reuocationes poſteriorum Pontificum, ſaltem ad factas ab eo vel ab eius prædeceſſoribus. Rodericus vbi ſuprà art. 9. Sed quidquid ſit de hoc, poſteà reualidata & confirmata fuere, vt dicemus inferiùs Capite xxx.

Priuilegijs omnibus in foro conſcientiæ poſſunt vti Minores.

TERTIA CONCLVSIO. Minores vti poſſunt omnibus ſuis priuilegijs in foro conſcientiæ tantùm, etiam contra Concilium Tridentinum. Ita illis permiſit Pius V. in quodam viuæ vocis oraculo. Cuius tamen Pontificis gratias datas Mendicantibus Gregorius XIII. reuocauit ad formam Concilij Tridentini, ſed in foro exteriori tantùm (nihil agens de oraculo viuæ vocis) ad ſedandas lites ortas inter Clerum & Regulares, quas non excitabant priuilegia conceſſa in foro conſcientiæ tantùm. Ita Rodericus loco proximè citato: & ita illis vti poterunt Fratres Terræ ſanctæ, quà Minores. Roderici tamen ſententiæ alij refragantur, dicentes, viuæ vocis oraculum Pij V. fuiſſe reuocatum per Gregorij conſtitutionem. Reſpondetur, eumdem Gregorium confirmaſſe priuilegia Ordinis Patrum Societatis abſolutè abſque aliqua reſtrictione & limitatione, vt habetur in Compendio dicti Ordinis, quare eodem priuilegio vti poterunt Minores, & alij Religioſi communicantes in illorum priuilegijs; & non tantùm in foro interiori, ſed etiam exteriori in ſuo robore manere prædicta Mendicantium priuilegia, docuit Enriquez Tom. 1. Summæ Moral. lib. 7. cap. 24. in fine: quia, vt ipſe ait, reuocatio facta à Gregorio XIII. non fuit promulgata, neque vſu recepta.

Priuilegia Terræ ſanctæ nunquam reuocata.

QVARTA CONCLVSIO. Gratias & priuilegia Terræ ſanctæ, & Fratribus ad eorum cuſtodiam deputatis intuitu locorum ſanctorum & augmenti fidei conceſſa, non fuiſſe abrogata, vel reuocata, niſi de illis ſpecialis mentio facta ſit, probabile eſt credere. Hæc Concluſio dupliciter perſuadetur. In primis ex dictis in probatione primæ Concluſionis. Et ſanè cùm Terræ ſanctæ, & Fratrum in ea habitantium priuilegia ſpecialia ſint, non niſi ſpeciali derogatione tolluntur. Secundò, conceſſo aliquo, intelliguntur etiam conceſſa omnia ſine quibus non poteſt illud commodè executioni mandari. L. pæn. ff. De vſuris. Nauarrus c. Placuit. De pœnit. diſt. 6. num. 62. Sed loca ſancta tradita fuerunt cuſtodiæ Fratrum Minorum, in qua adhuc, Deo fauente, perſeuerant; igitur & ea habebunt, ſine quibus pro dignitate cuſtodiri non poſſunt, & hæc ſunt priuilegia à Summis Pontificibus illis conceſſa, de quibus poſteà, quibus & in præſentia verè & iuridicè vti eos poſſe arbitramur, cùm de illorum ſpeciali derogatione non conſtet. Et hæc videtur eſſe ſententia Collectoris priuilegiorum Terræ ſanctæ, cap. 10. ſui Opuſculi: is enim, poſtquam egiſſet de magna auctoritate Fratrum Terræ ſanctæ, quam habent in abſoluendo & diſpenſando; quærit, num per ordinationem Summi Pontificis Pauli II. qui de facultate plenariarum remiſſionum, quæ fiunt ſemel in vita, & ſemel in morte, exceptis pluribus caſibus, qui ſemper reſeruati eſſe debent Sedi Apoſtolicæ; quærit, inquam, *num diminuta ſit auctoritas data Fratribus ex priuilegijs aliorum Romanorum Pontificum commorantibus in terris infidelium.* & ſic reſpondet: *Licet ſuper hoc magis conſulendus eſſet Summus Pontifex, quàm aliquid dicendum vel ſcribendum (quia cùm dubitatur de priuilegijs Papæ, ad eum ſolum eſt recurrendum pro eorum declaratione. c. Cùm veniſſent. De iudicijs;) tamen quid ſuper hoc ſentiam, non determinando, ſed potiùs conferendo, cum timore dicam. Videtur igitur mihi, quòd nullum priuilegijs iſtis ex ipſa Papæ ordinatione fiat præiudicium, propter plures rationes. Prima, propter. Terram ſanctam, quæ in multis priuilegianda eſt, c. Magna; De voti redempt. & eodem titulo in alijs capitulis. Et ideò non eſt veriſimile, quòd Papa voluerit eam priuare priuilegijs ſuis. Vnde, ſicut in generali conceſſione non veniunt quæ quis in ſpecie eſſet conceſſurus, c. 4. De reſcriptis, lib. 6. ita & in generali reuocatione non ve-*

niunt quæ ſpecialiter non reuocarentur. Secunda, quia priuilegia debent eſſe perpetua. c. 1. & 2. 25. q. 2. nec honeſtum eſt quòd reuocentur, vt dicit Hoſtienſis. Cùm ergo iſta ſancta loca, & Fratres ibi manentes, à multis Summis Pontificibus priuilegiata ſint, vt viſum eſt ſuprà, non eſt veriſimile, quòd Papa illa voluerit reuocare. argumentum in c. Eccleſia. De elect. Tertia, quia licet noua conſtitutio reuocet priorem contrariam, c. 1. De conſtit. lib. 6. non tamen reuocat priuilegium contrarium, vt in dicto cap. niſi de ipſo faciat mentionem; ſed in ipſa conſtitutione nulla de iſtis priuilegijs fit mentio, ergo, &c. *Quarta, quia propter magnam diſtantiam à curia Romana, multa conceduntur, quæ aliàs non concederentur. Facit Clement. Exiui. De verb. ſignificat. & quod notatur in c. Sæpè cõtingit. De temp. ordin. lib. 6. Ergo videtur, quòd propter magnam diſtantiam non intenderit Papa aliquid immutare.* Alias addit rationes ad ſuum propoſitum, ſed iſtæ ſufficiunt ad noſtrum, poſt quas concludit in hunc modum: *Per iſtas & alias plures rationes, vt dixi, non determinando, ſed diſputando, credo per ipſam ordinationem in nullo derogari priuilegijs noſtris.* Hactenus ex ipſo. Ex his & nos deducimus, gratias quaſlibet & priuilegia Terræ ſanctæ minimè abrogata eſſe per Concilium Tridentinum, vel per conſtitutiones Pontificias, quibus priuilegijs Regularium derogatum eſſe poteſt.

QVINTA CONCLVSIO. Priuilegia Ordinis, quæ peculiari conceſſione in duabus Calliſti Bullis, tertia & quarta, de quibus ſuprà, & infrà Capit. xxx. & in altera Innocentij VI. relata à Collectore priuilegiorum Terræ ſanctæ, tributa ſunt Fratribus Terræ ſanctæ, ideoque facta illis propria, non fuiſſe per Tridentinum Concilium reuocata, probabile eſt. Concluſio iſta patet ex dictis, & ampliùs apparebit ex dicendis inferiùs Capite xxx. in explicatione primi priuilegij. Et profectò ſi peculiaria & propria Terræ ſanctæ priuilegia ablata nõ fuere, nec etiam ſublata ſunt quæ illi & Ordini ſunt communia, ex quo propria illius facta ſunt Calliſti & Innocentij conceſſione, & de reuocatione nulla facta eſt mentio.

Nulla priuilegia Fratrum Terræ ſanctæ reuocata ſunt.

Ad rationes initio Dubij propoſitas nunc reſpondendum eſt. Et ad primam quid dicendum ſit, patet ex dictis in probatione ſecundæ Concluſionis. Priuilegia enim Terræ ſanctæ non ſunt conceſſa Fratribus Minoribus quà tales, ſed quà ſunt Cuſtodes locorum Terræ ſanctæ, & in fauorem fidei: & præterea ſpecialis mentio facta non fuit de illorum reuocatione, quod neceſſarium eſt, vt oſtendimus.

Ad ſecundam, quando dicitur, quòd Princeps condens legem cenſeatur abrogare priorem contrariam, &c. reſpondetur, hoc decretum non eſſe generaliter intelligendum, ita vt Pontifex condens legem aliquam negatiuam, cenſendus ſit abrogare omnes affirmatiuas circa eamdem materiam; è contrario enim Doctores communiter ſentiunt, quòd nulla lex poſterior abſolutè lata, abroget legem vel conceſſionem ſpecialem, nulla eius facta mentione. Et id dicitur in illo c. Licet. Non enim omnium ſunt eædem circumſtantiæ, ijdémve fines. Sicut lex vel priuilegium, concedens Nobilibus armorum geſtationem, non reuocatur per legem poſteriorem abſolutè præcipientem quòd nullus tunc arma deferat, ſine expreſſa reuocatione eiuſdem: ratio enim eſſe poteſt prohibitionis vniuerſalis, quæ ſe ad particularem illam conceſſionem non extendat. Patet hoc ex Regula 34. De Regulis Iuris, in 6. quæ ſic ait: *Generi per ſpeciem derogatur.* id eſt, legi generali per ſpecialem derogatur. & ſecundùm hoc ait Nauarrus lib. 3. Conſil. 1. de Clericis non reſiden. quòd leges generales limitentur per particulares. Intelligitur ergo illud decretum, quando duæ leges contrariæ conduntur. Dicuntur verò contrariæ, non quando vna eſt negatiua & altera affirmatiua, ſed quando ſunt incompatibiles, vt iſtæ: Compatres poſſunt contrahere matrimonium, Compatres non poſſunt contrahere matrimonium. Tunc enim, quando vna iſtarum legum editur, altera reuocatur, licet non fiat mentio illius. Benè tamen compatiuntur inter ſe duæ leges, quarum vna eſt vniuerſalis negatiua, altera particularis affirmatiua. Vt iſta, Nullus Regularis ſine approbatione Ordinarij audiat ſæcularium confeſſiones, Fratres Prædicatores & Minores ſine tali approbatione audiant ſæcularium confeſſiones. Ita in propoſito ſtant ſimul iſtæ duæ, Non gaudeant Mendicantes gratijs & priuilegijs ſibi à Pontificibus conceſſis, Fratres Terræ ſanctæ ijſdem gaudeant, cùm aliæ de iſtis, aliæ de illis rationes exiſtant. Et hæc ad illam rationem, & Dubium primum.

DVBIVM SECVNDVM.

Dubitatur Secundò, Num Fratres Terræ ſanctæ tuta conſcientia vti poſſint omnibus gratijs & priuilegijs ſibi à Summis Pontificibus conceſſis, tam ante quàm poſt Concilium Tridentinum, tam in foro interiori quàm exteriori.

Ex dictis Dubio præcedenti, & dicendis inferiùs Cap. xxx. vbi agemus de confirmatione priuilegiorum Terræ ſanctæ, pendet huius Dubij ſolutio: nihilominùs & in præſen-

præsentia respondebimus duabus positis Conclusionibus.

Priuilegijs non aduersantibus Concilio Tridentino possunt vti Minores in foro interiori & exteriori.

PRIMA CONCLVSIO. Fratres Terræ sanctæ, quà Minores, tuta conscientia in foro tum interiori tum exteriori vti possunt omnibus gratijs & priuilegijs, quatenus contraria non sunt Concilio Tridentino. Probatur: quia huiusmodi confirmauit Pius IV. anno Domini 1561. ex certa scientia, & potestatis plenitudine. Ita Rodericus Tomo 1. Quæst. reg. q. 8. art. 3. & ampliùs Paulus V. in quadam Bulla, quæ incipit, *Ad perpetuam rei memoriam*, data Romæ 1. die Decembris 1609. confirmat, & innouat, tam pro foro conscientiæ quàm pro foro exteriori, omnes gratias, indulgentias, priuilegia, &c. Minoribus, etiam per communicationem cum alijs Ordinibus concessa, ac etiam à Clemente VIII. ex certa scientia anteà confirmata, non excipiens priuilegia quæ non sunt in vsu, sed illa tantùm quæ non aduersantur decretis Concilij Tridentini, & saluis etiam decretis ab eodem Clemente VIII. concessis in fauorem Reformatorum.

Minorita Terræ sanctæ possunt vti omnibus priuilegijs in vtroque foro.

SECVNDA CONCLVSIO. Fratres Terræ sanctæ possunt omnibus suis priuilegijs tuta conscientia vti, tam in foro interiori quàm exteriori. Quòd in foro interiori, tenet Rodericus vbi suprà art. 10. de omnibus Fratribus Ordinis, quia omnia à Pio V. confirmata fuerunt pro foro interiori, & concessio non fuit reuocata à Gregorio XIII. vt ex illo superiùs notauimus. Verùm, vt diximus, aduersantur alij Roderico, rati, eos nullo modo vti posse reuocatis per dictum Concilium. Sed quidquid sit de hoc, quia non intendo tractare absolutè de priuilegijs Minorum vel Mendicantium, sed Terræ sanctæ, probo absolutè, Fratres Terræ sanctæ posse vti omnibus suis priuilegijs in vtroque foro, tum quia quoad ipsos non fuerunt reuocata, vt iam notauimus; tum quia omnia fuerunt per Pium IV. confirmata, vt in illius Bulla videre est, & infrà notamus Capite xxx.

Sed numquid suis priuilegijs poterunt vti Fratres Terræ sanctæ in itinere, & antequam ad ipsam, vel ad partes infidelium perueniant? Respondeo cũ distinctione, Priuilegia Pontificum vel respiciunt proficiscentes ad Terram sanctam & alias infidelium partes, vel constitutos in eisdem, quod ex initio Bullarum & diplomatũ cognoscitur. Si priori modo, quatenus pertinent ad itinerantes, dico, illis eos vti posse, maximè si aliqua existat necessitas, & quoad ea quæ iurisdictionem includunt & auctoritatem Episcopi propriam, cùm illius facultas & præsentia facilè haberi nequeat. Probatur, quia verba priuilegiorum sunt in proprio suo significatu accipienda. at illa indicant, pertinere ad proficiscentes. Et isti vtique debent esse plus ceteris priuilegiati, vt constat ex priuilegijs in eorum gratiam factis, quare poterunt in casu vti priuilegijs quæ continentur in quibusdam Bullis Gregorij IX. Clementis V. Pij IV. &c. in fauorem proficiscentium editis. Sed posteriori modo, hoc est quatenus pertinent ad eos qui iam illic sunt, non posse vti pronuntio, quia Bullæ tantum valent quantum sonant. Et ita sentit Reuerendus P. F. Thomas à Iesu Ordinis Carmelitarum Discalceatorum lib. 12. de Procuranda salute omnium gentium. sic enim de eiusmodi priuilegijs loquitur: *Denique expendenda sunt illa verba tam Innocentij IV. quàm aliorum Pontificum, scilicet*, Fratribus Prædicatoribus in terras infidelium proficiscentibus, *quasi Summi Pontifices velint, eos, non solùm dum inter infideles versantur, gratijs & fauoribus à se concessis vti; sed statim ac huius ministerij causa ad infidelium conuersionem fuerint profecti. Quare itinerantes possent, si necessitas vrgeret, præfatis priuilegijs vti, vbi Episcopi non essent, vel esset accessus ad illos valdè difficilis. Si enim in itinere vel frangeretur altariolum, vel corporalia iam benedicta perderentur, & die festo non esset qui celebraret, quis dubitat virtute priuilegiorum posse & aram & corporalia benedicere, & sic de ceteris?* Hæc ipse.

Sed an Fratres in reditu suo ad partes Christianorum illis vti poterunt priuilegijs? Dicerem, eos posse vti eis quæ concessa sunt habitantibus in partibus infidelium, dum per illas transeunt, quia necdum abierunt, & intentio Pontificis est interpretanda, quòd sit directa ad salutem habitantium inter infideles, præsertim si nulla adsit prohibitio vel impedimentum.

DVBIVM TERTIVM.

Dubitatur Tertiò, Num Guardianus sacri Montis Sion possit vti suis priuilegijs, Generali Ministro Ordinis vel Capitulo generali contradicente.

Et quòd non possit, duo persuadent. Primum, quia, vt tradit Rodericus Tom. 1. q. 9. art. 2. & Tom. 3. q. 22. art. 3. Capitulum generale, & Ordinum Generales, & omnes Prælati habentes Apostolicam auctoritatem, concessu Leonis X. possunt adimere Guardianis & alijs Fratribus vsum priuilegiorum. Imò ipsum Capitulum generale, vtpote totum Ordinem repræsentans, id potest absque Apostolica auctoritate; quoniam vnicuique liberum est suo priuilegio renuntiare. Secundum, quia priuilegium, per quod in totum tollitur ius alterius, non valet. Facit c. Abbates. De priuil.

Digitized by Google

uil. & Gloſſa ibi. at ſi Generalis Ordinis Miniſter, vel Capitulum generale, non poſſet impedire vel reſtringere auctoritatem Guardiani Montis Sion propter eius priuilegia, in caſu totum eius ius tolleretur, quod dicendum non eſt. Conſequentia probatur. Guardianus, vt infrà dicetur Capite IX. Priuil. 1. habet auctoritatem ducendi ſecum in Terram ſanctam quoſcumque Ordinis idoneos Fratres voluntarios, pro illius gubernatione, & conſequenter in ea retinendi: igitur ſi Generalis vel Capitulum non poſſet impedire aliquos ne vadant, vel non reuocare poſtquam abierunt, tolleretur auctoritas quam in illos habent, vel Fratres facerent contra obedientiam, obediendo Guardiano contra Generalis vel Capituli voluntatem mandanti, quod eſſet inconueniens. Idem de multis alijs caſibus dici poſſet.

Auctoritas Apoſtolica Præſulis Terræ ſanctæ non poteſt à Miniſtro vel Capitulo generali reſtringi.

Saluo nihilominùs ſemper meliori iudicio, in oppoſitum ſequentem pono Concluſionem. Guardiani ſacri Montis Sion Apoſtolica auctoritas non poteſt à Miniſtro vel Capitulo generali reſtringi. Hanc probo tripliciter. Primò, quando Papa concedit aliquam gratiam alicui, nullus eo inferior poteſt eam infringere. Facit c. Inferior. diſt. 21. & c. Cùm inferior, De maioritate & obedientia. Et eadem auctoritas Apoſtolica, quæ eſt in Miniſtro & Capitulo generali, eſt in Guardiano: at par in parem non habet poteſtatem. Secundò, licet Religioſi, quantumuis exempti, & licentiati ad ſeruiendum alicui beneficio, ſint ſubiecti Superioribus ſuorum Ordinum; non tamen ſi à Sede Apoſtolica habeant Eccleſias parochiales, vt patet ex Bulla 32. Leonis X. indulta Prædicatoribus: ſed Guardianus Montis Sion à Sede Apoſtolica habet Eccleſias parochiales, & in earum gratiam illi conceſſit priuilegia, vt patebit dum de illis agemus; igitur quantum ad hæc, non poteſt ab illorum vſu prohiberi à Miniſtro & Capitulo generali. Tertiò denique, priuilegium ſemper debet aliquid operari. c. In his. De priuil. & c. Inter dilectos. De fide inſtrumen. Lege Mirandam Tom. 2. q. 41. art. 1. Sed ſi poſſet Generalis vel Capitulum prohibere Guardianum ſacri Montis Sion à ſuorum priuilegiorum vſu, contingeret talia priuilegia nihil operari, igitur, &c. Hanc ſententiam videtur amplecti Collector priuilegiorum Terræ ſanctæ in libello à ſe conſcripto.

Reſpondeamus nunc ad argumenta. Et ad Primum primò, viuæ vocis oraculum & conceſſionem Leonis intelligendam eſſe de communibus gratijs & priuilegijs ipſius Ordinis in ſe, & non de illis Terræ ſanctæ, quæ cùm peculiaria ſint, peculiariter etiam explicanda erant. Præterea, loca ſancta, & Fides priuilegianda ſunt, vt alibi oſtendimus. Ad hæc verum eſt, Superiorem, habentem auctoritatem Apoſtolicam, poſſe limitare poteſtatem inferiorum eamdem auctoritatem non habentium: ſed Guardianus ſacri Montis Sion, non ſolùm parem habet in ſibi ſubditos, ſed ampliorem in alijs, & multò maiorem quàm Generalis vel Capitulum, vt apparebit inferiùs, cùm de illius priuilegijs erit ſermo.

Ad ſecundum dicendum, licet priuilegia Guardiani non poſſint auferri vel reſtringi à Generali vel Capitulo, non propterea horum ius & auctoritas infringitur, tum quia non tollitur circa alios, tum quia poteſt Generalis ipſe, vel per alios, viſitare Fratres euocatos à Guardiano, & ipſummet Guardianum, horumque corrigere defectus, mittere Commiſſarium, & alia facere, vt Ordinis Prælatus, circa ea quæ ſpectant commune bonum Ordinis.

Credo tamen, nullum futurum Guardianum, qui ſe oppoſiturus ſit ſanctè determinatis à Generali & Capitulo. Nam licet propter diſtantiam à Sede Apoſtolica & Generali, item propter ſanctitatem locorum, & in fauorem fidei, eximijs & ſingularibus fauoribus & priuilegijs ſit inſignitus Guardianus ſacri Montis Sion, illis tamen modeſtè & cum debita reuerentia vti debet; quia in Religione omnia ſuauiter diſponenda & agenda ſunt. Sed & nec Generalis Miniſter aliqua faciet quæ decori Guardiani, & vtilitati locorum ſanctorum obſtare poſſent. In hoc tamen, ſicut in alijs, me ſemper ſaniori aliorum iudicio ſubmitto.

DVBIVM QVARTVM.

Dubitatur Quartò, Num Fratres Terræ ſanctæ, ſubiecti Guardiano ſacri Montis Sion, vti poſſint priuilegijs ſibi à Summis Pontificibus conceſſis, ipſo Guardiano non annuente, vel etiam contradicente.

Quòd poſſint, duo videntur perſuadere. Primum, quia, vt habetur in Iure, & Dubio præcedenti retulimus, quando Papa alicui concedit gratiam, nullus eo inferior eam infringere vel reſtringere poteſt; ſed gratiæ, quas habent Fratres Terræ ſanctæ, dimanant à Papa; igitur inferior illo Guardianus non poterit eas infringere vel reſtringere. Secundum eſt à ſimili. Diximus Dubio præcedenti, Guardiani ſacri Montis Sion poteſtatem non poſſe auferri vel reſtringi per Miniſtrum vel Capitulum generale, quia Apoſtolica eſt, & ob honorem locorum ſanctorum & fauorem Fidei indulta, igitur propter eiuſdem rationes nec poterit auferri

Digitized by Google

auferri vel limitari Apoſtolica facultas Fratrum Terræ ſanctæ ab ipſorum Præſule.

Huic Dubio ſatisfaciemus, Diſtinctione præmiſſa, & tribus poſitis Concluſionibus. DISTINCTIO eſt iſta: Gratiæ & priuilegia Terræ ſanctæ ſunt duplicia; alia quæ auctoritatem & ſpecialem iuriſdictionem requirunt, vt ſunt priuilegia audiendi confeſſiones, abſoluendi, diſpenſandi, &c. alia ſunt quæ talem non requirunt auctoritatem, vt ſunt gratiæ & priuilegia indulgentiarum, facultas recipiendi abſolutionem à peccatis, &c. Et illa facultas vel data eſt in ordine ad Fratres, vel ad ſæculares. Similiter Fratres vel ſunt deputati ad confeſſiones Fratrum vel ſæcularium audiendas, & ad curam animarum, vel non. Hac præmiſſa diſtinctione, ſit

Priuilegia Terræ ſanctæ ſunt duplicia.

CONCLVSIO PRIMA. Si ſermo ſit de Fratribus etiam Sacerdotibus non Confeſſarijs, non poſſunt illi huiuſmodi vti facultatibus & priuilegijs abſolutionum & diſpenſationum, & abſolutè ijs quæ iuriſdictionem reſpiciunt, Guardiano ſacri Montis Sion non concedente, vel contradicente. Probatur, quia ad hæc requiritur iuriſdictio, & materia ſuper quam exerceatur; ſed (ex ſuppoſitione) iſti talem non habent, igitur nec gaudere poſſunt priuilegijs illam præſupponentibus. Maior patet, quoniam ſententia à non ſuo iudice lata, non tenet. Minor à ſimili probatur, quia licet ordinatus Sacerdos ſtatim habeat ordinis auctoritatem abſoluendi à peccatis, numquâ tamen actu poteſt illam exercere, niſi ei conferatur ab Epiſcopo vel alio Præſule iuriſdictio, & detur materia, id eſt, niſi ei ſubditi aſſignentur, in quos illam exerceat. Ita in Concilio Florentino, vbi tria eſſentialia requiri docetur in Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione, materiam ſcilicet, formam, & Miniſtrum habentem iuriſdictionem. Et ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 7. conſtat, nullius momenti eſſe abſolutionem datam à Sacerdote non habente auctoritatem ordinariam aut ſubdelegatam. Fratres ergo Terræ ſanctæ, etſi Sacerdotes, non poſſunt gaudere priuilegijs abſolutionum & diſpenſationum, niſi eis iuriſdictio conferatur à Guardiano ſacri Montis Sion Terræ ſanctæ Cuſtode, qui eſt velut eorum Epiſcopus, vel ab alio ad hoc auctoritatem habente, & niſi eis inſtar materiæ dentur Fratres vel ſæculares.

Minores non Confeſſarij vti non poſſunt priuilegijs importantibus iuriſdictionem, ſine licentia Guardiani.

Hæc doctrina communis eſt, & confirmatur dupliciter. Primò, quia nemo virtute ſibi indultorum poteſt tollere aliquid quod ſit contra vſum ſacrorum Canonum; quia quæ de Iure ſtatuta ſunt, habent robur obligandi ad culpam aut pœnam, ſecundum Iuris diſpoſitionem: quæ obligatio per priuilegia & indulta non tollitur, niſi derogationis in illis fiat mentio; & tantò magis vbi obligatio naturalis eſt. ſed ſecundum Ius Canonicum & naturale inferiores & ſubditi, tenentur in licitis obedire Prælatis ſuis, vt ſerui dominis, & filij parentibus; & contra obedientiam non eſt præſcriptio vel priuilegium.

Confirmatur Secundò, quia auctoritate Apoſtolica cautum eſt pro Prædicatoribus in eorum Capitulo Romæ celebrato anno 1589. ne vllus admittatur ad confeſſiones Fratrum aut ſæcularium audiendas, niſi per quinque examinatores, &c. ſit approbatus, & idem ſtatuitur in altero ipſorum Capitulo Venetijs celebrato an. 1592. Ita refert Ioannes Cruz in ſua Epitome de Statu Religionis lib. 2. cap. 6. dub. 2. & Gregorius XIII. apud Rodericum Tom. 1. q. 9. art. 2. die 3. Maij anno Domini 1615. decreuit, ne perſonis Societatis abſque expreſſa Superiorum eorumdem licentia vti liceat facultatibus in Iubileis, Bullis Cruciatæ, Confeſſionalibus, aut alijs quibuſcumque Apoſtolicis indultis quomodocumque hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis. Declarat præterea, poſſe Superiorem, dum huiuſmodi licentiam concedit, limitare eam ad vſum vnius aut alterius facultatis, & probare vſum reliquarum, etiam eadem Bulla aut indulto contentarum. Ita ibi ex Compendio Societatis. Sed Guardianus Montis Sion, vt alij Ordinis Seraphici Prælati, participat horum priuilegijs; igitur poterit prohibere Fratres ſuos, ne priuilegijs illis, quorum in Concluſione facta eſt mentio, vtantur in toto vel in parte.

Tertiò denique principaliter, Religioſi non habent nec velle nec nolle, igitur nec Religioſi Terræ ſanctæ poſſunt iuſte contra Superiorum ſuorum voluntatem vti gratijs illis iuriſdictionem importantibus.

SECVNDA CONCLVSIO. Si ſermo ſit de Fratribus admiſſis ad confeſſiones Fratrum vel ſæcularium excipiendas, vel etiam de habentibus curam animarum, non poſſunt iſti abſolutè vti omnibus gratijs & priuilegijs abſolutionum, ſed poteſt illorum ex parte limitari facultas. Hæc Concluſio partim patet ex ſuperiùs adducta conceſſione Gregorij XIII. facta Patribus Societatis, & amplius pateſcit, quia Terræ ſanctæ Præſul poteſt ſibi reſeruare caſus, prout & alij ordinarij Prælati; & oppoſitum videri hæreſim ſapere, dicit Rodericus Tom. 1. q. 21. art. 2. Ita in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. c. 3. & in Regula Minorum c. 7. caſuum reſeruatio ſupponitur, vt ibi docent Expoſitores. Et hoc poſſunt Generales Miniſtri, Prouin-

Guardianus ſacri Montis Sion poteſt ſuorum Confeſſariorum reſtringere auctoritatem.

Digitized by Google

ciales, & Custodes. Imò ex priuilegio Alexandri VI. olim idem concessum erat etiam Guardianis: licet id per non-vsum & contrariam dispositionem statutorum Ordinis iam sit sublatum, vt aduertit idem Rodericus. Verùm à Præsule Terræ sanctæ talis facultas per non-vsum vel Ordinis constitutionem ablata non fuit, sed semper eius vsus viguit, isteque etiam hodie illa gaudet, & fruitur, vtpote illius Prouinciæ Custos. Vt enim idem Rodericus tradit vbi suprà q. 12. art. 5. Generales Ministri habent iurisdictionem ad modum Patriarcharum, Prouinciales ad modum Archiepiscoporum, Custodes ad modum Episcoporum, & Guardiani sunt vt Archipresbyteri, & Confessores sicut Parochi siue Presbyteri. Sed tam Patriarchæ, quàm Archiepiscopi & Episcopi, possunt sibi casus reseruare, & suorum Parochorum & Confessorum auctoritatem limitare: poterit ergo suorum Fratrum auctoritatẽ limitare etiam Guardianus Montis Sion, illorum priuilegijs non obstantibus; cùm sit Terræ sanctæ Custos, vt infrà dicetur Cap. x.

Quomodo intelligendum, Ministros non posse reseruare casus nisi in Capitulis.

Dicet quis, facultatem reseruandi casus fuisse à Clemente VIII. restrictam, quòd videlicet non possint Generales vel Prouinciales illam restringere, nisi cum Capitulis, in Terra verò sancta nullum celebrari Capitulum. Respondetur tripliciter. Primò cum Roderico Tom. 1. quæst. 21. art. 2. illud non fuisse in Ordine Minorum receptum, ob casus quotidie contingentes. Secundò, constitutionem Clementis intelligendam esse de Prælatis qui possunt Capitulum conuocare; at non posset id commodè Custos Terræ sanctæ, nec expediret. Tertiò denique & meliùs dicitur, ordinationem Clementis se extendere ad ordinarios Prælatos Ordinis, non ad Præsulem Terræ sanctæ singularibus priuilegijs munitum, vt qui sit non solùm ex Ordine, sed ex Summi Pontificis ordinatione Prælatus, vt inferiùs loco citato apparebit.

Guardianus potest tantùm in parte Fratrum limitare auctoritatem.

Dixi in Conclusione, posse Præsulem Terræ sanctæ ex parte limitare facultatem suorum subditorum Fratrum, & non in toto, quia solùm quantum ædificationi, bono regimini, & saluti animarum conducit, cùm ad hoc illi auctoritas tradita sit, & non ad destructionem. Et priuilegium Principis semper debet aliquid valere & operari, vt in Iure dicitur, & nos alibi obseruamus.

Notandum etiam, reseruationem non debere esse plurium casuum, sed, sicut traditur in recepta Constitutione Clementis VIII. pro Religiosis & pro sæcularibus, ad modum quo Episcopi, & sicut magis iudicatum fuerit expedire. Et profectò tantorum casuum reseruatio, vt non nisi à venialibus videatur Confessor posse absoluere, à prudentioribus non laudatur: & magnam sanè sapientiam, nisi meliùs dicas præsumptionem, præ se ferre ille videtur, qui manus contrahit, vbi Christus Dominus & eius supremus in terris Vicarius eas pandunt & aperiunt; & in sanctissimis istis locis præcipue liberales & benigni debent esse Prælati.

Arbitror etiam cum Collectore priuilegiorum Terræ sanctæ, in aliquibus casibus & temporibus non posse Fratrum approbatorum ad confessiones peccatorum audiendas limitari facultatem, quando videlicet absoluta conceditur subditis vt absolui & dispensari possint in aliquibus solemnitatibus; & in vniuersum, quando singulariter & expressè facultas approbatis Confessoribus conceditur, nullo habito respectu ad quemcumque; & in tali casu Fratres, absoluendo, non facerent contra obedientiam, quoniam maiori Domino, id est Summo Pontifici, obedirent.

Priuilegia non importantia iurisdictionem possunt vti Minores etiam Guardiano contradicente, & quomodo.

TERTIA CONCLVSIO. Si sermo sit de gratijs & priuilegijs quæ nullam important iurisdictionem, sed simplex spirituale bonum conferunt suis clientibus, possunt ijs Fratres Terræ sanctæ tuta conscientia vti, etiam Guardiano contradicente, si illorum vsu maius bonum non impediatur, sed augeatur. Prima pars huius Conclusionis probatur: quia nullus Prælatus potest spiritualem profectum suorum subditorum impedire; at impediret Guardianus, si illos prohiberet ab acquisitione v. g. indulgentiarum, & à passiua perceptione Sacramentorum, nisi aliquorum, & in casu: vt v. g. pro obedientia imposita tenetur Frater abstinere ab oratione particulari, à visitatione sanctorum locorum, à sacramentali etiã Communione, & consequenter ab indulgentiarum consecutione quæ illis exercitijs acquireretur, quia maius bonum est obedientia. *Melior est obedientia quàm victimæ*, dixit Propheta Samuel 1. Reg. 15, 22. quia illa necessaria, ista voluntaria, illa de proprio, ista de alieno, vt S. Gregorius fuit interpretatus. Et opus necessarium & præceptum præferendum est voluntario & supererogationis, præcipuè à Minoribus, quibus in sua Regula c. 10. dicitur: *Obediant suis Ministris in omnibus quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ.* Quare, quamuis simpliciter, & sine iusta causa, non possint subditi prohiberi ab operibus supererogationis, cùm illis à Domino dictum sit, vt æmulentur charismata meliora, & iuxta Apostolorum placitum, *obedire* nos oporteat *magis*

Deo

Deo quàm hominibus, Act. 5, 29. ex causa tamen, & pro maiori bono, possunt à minori prohiberi. Lege Politum in c. 10. Regulæ Fratrum Minorum num. 12. & seqq. Et ex his iam patet secunda pars Conclusionis.

Responsio ad Argumenta.

Nunc ad argumenta initio Dubij proposita respondeamus. Ad primum dicimus, gratias à Papa collatas à nullo inferiori minui vel infringi posse, si absolute & in impedibiliter concedantur: sed in proposito multæ gratiæ Fratrum Terræ sanctæ acquiri obtineríve non possunt, nisi de licentia Guardiani; & præterea, vt ex Leone X. constat, Generales & Prouinciales possunt Apostolica auctoritate prohibere Fratribus suis, si ita iudicauerint expedire, ne aliquo viuæ vocis oraculo vtantur, vt videre est apud Rodericum Tom 1.q.9. art.2. Ita poterit Guardianus in Fratres suos eadem vti facultate propter similem in eosdem auctoritatem. De hoc lege quæ infrà notamus Capite XIV. in solutione primi Dubij circa quartum priuilegium.

Ad secundum dicimus, disparem esse rationem de Apostolica auctoritate Guardiani Montis Sion (circa multa quæ in Conclusionibus de iurisdictione diximus) & Fratrum; quia illa absoluta, ista delegata & limitata; ideò ista in casu suspendi vel minui potest, non item illa, ab alio qui minor sit Summo Pontifice. Ad hæc, non eadem est ratio de recursu Guardiani ad Superiores in Christianitate, & Fratrum Terræ sanctæ ad Guardianum Montis Sion: ille enim ob magnam distantiam difficilis est, non item iste. Quare cum honore locorum sanctorum, augmento fidei, & ob suaue regimen Ordinis, Fratres Terræ sanctæ debent & tenentur vti iurisdictione concessa à Summis Pontificibus de consensu & beneplacito Præsulis Terræ sanctæ, & non aliter.

Nolo hîc præterire, quòd licet secundùm Iura nullus Sacerdos Religiosus possit absque approbatione Superioris absoluere à peccatis, nihilominùs ex priuilegio Apostolico, pœnitentibus Religiosis concesso, vt possint absolui à quocumque Ordinis Sacerdote, posse huiusmodi absoluere etiam à mortali, de quo & simili argumento agimus infrà Cap. XVIII. in declaratione tertij priuilegij.

DVBIVM QVINTVM.

Quintò dubitatur, Num Fratres habitantes extra Terram sanctam in Syria vel Ægypto, in ciuitate Aleppi, vel Cairi sub regimine Guardiani sacri Montis Sion, gaudeant priuilegijs non solùm quæ communia sunt Fratribus inter infideles extra Terram sanctam degentibus, sed etiam quæ propria sunt Fratribus Terræ sanctæ. Et quòd non gaudeant, probatur. Priuilegia tantum valent quantum sonant; sed aliqua ad solos Fratres Terræ sanctæ pertinent, igitur illis alij non gaudent.

Distinctione hac præmissa, tribus Conclusionibus satisfaciemus.

DISTINCTIO sit ista: Priuilegia spiritualia Terræ sanctæ vel sunt localia, vel personalia. Si de localibus, id est, quæ concessa sunt præcisè locis sanctis, & ad illorum conseruationem, sit sermo, sit

Fratres extra Terrã sanctam non gaudent priuilegijs localibus eiusdem Terræ.

PRIMA CONCLVSIO. Fratres extra Terram sanctam habitantes non gaudent spiritualibus priuilegijs & gratijs locorum sanctorum, puta indulgentijs sanctissimi Sepulchri, montis Caluariæ, &c. Probatur, quia priuilegia tantum valent quantum sonant: sed gratiæ, de quibus in Conclusione, sonant pro solis Fratribus in Terra sancta habitantibus; igitur, &c. Similiter pro aliorum locorum conseruatione, insistendo priuilegijs Terræ sanctæ, & aliis Ordini Minorum concessis, vsque ad tempora Pij IV. non liceret ferrum, aliáve prohibita in Bulla Cœnæ Domini, ex Christianitate ad illas partes transferre, nec, si pro illorum vel suorum corporum defensione aliquem occiderent vel mutilarent, ab irregularitate essent immunes. Ante enim Pium IV. non erat aliqua extensio peculiarium priuilegiorum particularium Conuentuum ad alios Ordinis Conuentus: Leo enim X. apud Rodericum Tom. 1.q. 55. art. 18. *declarauit* (in simili pro Mendicantibus) *debere intelligi, quòd gaudeant prædicti Fratres priuilegijs generaliter concessis Congregationibus & personis Congregationum, & non domibus vel personis particularibus Congregationum vel Ordinis concessis.* Hanc Conclusionem sic intellige, quòd Fratres Terræ sanctæ, extra ipsam commorantes, virtute priuilegiorum eiusdem, non possint perfrui gratijs in Conclusione memoratis; quibus tamen gaudere poterunt virtute aliorum indultorum.

Idem Fratres frui possunt priuilegijs locorum sanctorum vt sunt Ordinis loca.

SECVNDA CONCLVSIO. A tempore Pij IV. vsque ad præsens, Fratres in Ægypto, Syria, vel alijs partibus infidelium habitantes, gaudere possunt specialibus priuilegiis & gratijs singularibus locis Fratrum Terræ sanctæ concessis, quà Ordinis loca sunt. Probatur, quia ex Roderico vbi suprà art. 9. & 18. Pius IV. ad instantiam Catholici Philippi II. Hispaniarum Regis, & Clemens VIII. Bulla 19. priuilegia spiritualia & temporalia concessa vni monasterio diui Hieronymi, communicari voluit toti Ordini: & idem Clemens Bulla 20. idem

Digitized by Google

& eodem modo conceſſit Præmonſtratenſibus; & in Bulla 21. & 22. gratias & priuilegia monaſterij Montis Serrati Ordinis S. Benedicti, communicata eſſe voluit toti Ordini S. Benedicti: & ante hæc Iulius II. Bulla 26. conceſſa vni monaſterio Minimorum, toti Ordini communicauit: igitur & alij Fratres, qui in ijſdem priuilegijs communicant, quà Minores, poterunt ſimilibus priuilegijs vti; & conſequenter quod propoſuimus, Fratres extra Terram ſanctam in partibus illis habitantes gaudere poterunt ſpiritualibus & temporalibus gratijs locorum Ordinis Terræ ſanctæ, quà Ordinis ſunt.

Quomodo intelligendum, priuilegia vnius monaſterij alijs communicari.

Sed duo hîc aduerte pro maiori intellectu huius Concluſionis: alterum ex Roderico vbi ſuprà art 18. quòd cùm prædicta conceſſio Pij IV. (adde & aliorum ſubſequentium Pontificum) excedat maximè Iuris metas, tantùm debet intelligi in caſu in quo loquitur. Et ſic ſolùm indulget, vt priuilegia conceſſa particularibus monaſterijs, omnibus aliis eiuſdem Ordinis monaſterijs fiant communicabilia. Non tamen concedit, vt priuilegia conceſſa Fratribus particularibus eiuſdem Ordinis, aliis Religioſis illius Ordinis communicentur; alioquin tota Religionis obſeruantia funditus euerteretur. Fratres enim priuati poſſent virtute conceſſionis Pij IV. velle gaudere illis gratijs quibus gaudent & Prælati, in quibus non ſunt eædem gratiarum rationes quæ in iſtis. Quare communicatio illa, de locorum particularium gratiis intelligitur: ſed quantum ad priuilegia perſonalia, conſtitutio Leonis X. manet in ſuo robore; quare nec Fratres proprijs priuilegijs Guardiani gaudebunt, nec ſimplices gratijs proprijs Confeſſorum.

Alterum notandum eſt, gratias communicabiles vnius loci, debere eſſe proprias illius, id eſt, conceſſas in gratiam Ordinis: quoniam ſi in gratiam loci, vt præſcindit ab Ordine, non communicabuntur, præſertim communicationis cauſis non exiſtentibus, vt nunc diximus de priuilegijs perſonalibus; alioquin non eſſet diſcrimen inter viſitare Eccleſiam Natiuitatis Domini, aliáſve Terræ ſanctæ ſub regimine Ordinis Minorum, & alias eiuſdem Ordinis Eccleſias, quod abſit dicere; quia in alijs non eſt Domini Præſepe, gloriоſum eiuſdem Sepulchrum, &c. nec eædem vt ibi occurrunt rationes, quarum gratiâ, ſecluſo quocumque reſpectu ad Ordinem, conceſſæ fuerunt; & potiùs Terræ ſanctæ quàm Ordinis gratiæ dicendæ ſunt, licet illis decoretur Ordo Minorum.

Quare neſcio an valeat ſimilitudo, quæ in contrarium adduci poſſet, quòd quemadmodum indulgentiæ Portiunculæ, ſecundùm Rodericum, virtute dictæ conceſſionis Pij IV. acquiruntur in alijs Eccleſijs Minorum; ita indulgentiæ Præſepij & Sepulchri Dominici acquirantur in alijs Minorum Eccleſiis, vt doctiſſimi nonnulli propter illam Pij conceſſionem & ſimilitudinem ſenſerunt: etenim illorum indulgentiæ non fuerunt datæ in gratiam Ordinis vt illæ Portiunculæ, ſed Terræ ſanctæ, quæ priuilegianda eſt.

At ijdem doctiſſimi adhuc obijciunt, illam diſtinctionem gratiarum, vt locis Ordinis & vt locis ſanctis factam, hîc non habere locum; quoniam, ex quo loca ſancta tradita ſunt Ordini, Ordinis facta ſunt, & conſequenter Ordo gaudet proprijs illorum priuilegijs. Optimè illud, ſed hoc negarem. Ratio eſt, quia ſicut, quod Roderico docet, omnium gratiarum perſonalium non fit communicatio, cùm aliàs rueret diſciplina regularis; ita nec in propoſito quarumdam gratiarum locis ſanctis propriarum credo fieri communicationem, aliàs deficeret deuotio ad loca ſancta. Et ſi, petente B. Franciſco ab Honorio III. vt omnibus introëuntibus Eccleſiam S. Mariæ Angelorum concederet veniam & indulgentiam omnium peccatorũ ſuorum, quorum confeſſionem Sacerdoti feciſſent, Pontifici primò parum honeſta res viſa fuit, quamuis intellexiſſet à Sancto illud eſſe diuini beneplaciti; & ſi Cardinales, qui aderant, illius conceſſioni aduerſati fuerunt, eò quòd vererentur, indulgentias Terræ ſanctæ, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli neglectum iri: dic, quæſo (quamuis illam tandem conceſſerit Pontifex, ne diuinæ voluntati omnino aduerſari videretur, non tamen abſolutam, vt Sanctus petierat: ſed vnius dumtaxat diei naturalis cuiuſcumque anni, hoc eſt à veſperis Calendarum Auguſti, vſque ad Veſperas ſequentis diei, &c.) quomodo credere vel poſſumus vel debemus, velle Summum Pontificem in omnibus Eccleſijs Ordinis annexas eſſe omnes eas indulgentias, & quidem ſemper, quæ ſanctiſſimo Præſepio, Sepulchro Domini, & alijs ſanctiſſimis locis conceſſæ ſunt? quippe tunc deuotio & peregrinatio ad loca ſancta, ad limina Apoſtolorum, &c. deficeret; quia viſitando quamcumque Ordinis Eccleſiam, eaſdem gratias acquirerent, quas viſitando ſanctiſſimum Sepulchrum, &c. conſequerentur, & præterea tranſgrederentur decreta Concilij Tridentini in eo quòd derogatum eſt priuilegijs Regularium, ſecùs verò illis Terræ ſanctæ, & in partibus infidelium habitanti-

tantibus Fratribus, propter iuſtas cauſas, vt diximus. Et cùm in multis Guardianus vel Fratres habeant Pontificiam auctoritatem in partibus iſtis, ſequeretur, quòd vel ijdem, vel alij in alijs partibus, per participationem gaudere ijs poſſent, quod nemo dicet. ne loquar de priuilegijs, quæ alibi relaxarent Regulam, quorum non eſt communicatio. Rodericus Tom. 1. q. 55. art. 22.

Nec illud de communicatione indulgentiæ Portiunculæ, quod obſtare videbatur, facit difficultatem: non enim eſt vſquequaque certum, illam communicari alijs Ordinis Eccleſijs; & negantem partem veriorem arbitror, tum propter iam dicta de diminutione deuotionis erga loca ſancta Orientis & Occidentis, tum quia non eſt eadem ratio de illa, & alijs Ordinis Eccleſijs. Pro Eccleſia enim S. Mariæ de Portiuncula, vt in peculiari deuotione haberetur indulgentia, illam exoptauit & procurauit B. Franciſcus, quoniam extitit origo & Mater puſilli gregis Minorum, in ea non ſemel viſus eſt Chriſtus Dominus cum ſanctiſſima Deipara, & Angelis, &c. ac proinde ſupra ceteras Ordinis Eccleſias ipſam voluit honorari non ſolùm Seraphicus Pater, ſed ipſe Dominus, & eius in terris Vicarius Romanus Pontifex. Inſuper, ſi illa eadem indulgentia S. Mariæ de Portiuncula per communicationem adhæreret alijs Seraphici Ordinis Eccleſijs, fruſtrà eiuſdem Prælati impetraſſent à Summis Pontificibus illam alijs concedi Eccleſijs, quia vi communicationis eam iam haberent, & hoc ſufficeret.

Indulgentia Portiunculæ & locorum Terræ ſanctæ non communicantur alijs Minorum Eccleſijs.

Si dicatur, illam procuraſſe ad maiorem certitudinem; contrà, ergo non eſt omnino certa illius communicatio. Et verè nullam communicationem eſſe, indicauerunt Summi Pontifices, dum ad illorum ſupplicationem eam non confirmauerunt, prout feciſſent ſi aliqua fuiſſet, ſed verè conceſſerunt, tamquam non verè communicatam. Igitur ſi illa Portiunculæ indulgentia non communicatur alijs Ordinis Eccleſijs, multò minùs communicabuntur iſtæ locorum ſanctorum Palæſtinæ.

Priuilegia perſonalia communia Fratribus Terræ ſanctæ, ab eiſdem extra eandem Terram habitantibus participantur.

Tertia conclvsio. Si loquamur de gratijs perſonalibus communibus, non alicui perſonæ proprijs, ijs gaudent Fratres habitantes vel quomodolibet exiſtentes extra Terram ſanctam in Syria, vel Ægypto, ſub regimine Præſulis Terræ ſanctæ, haud ſecùs quàm alij Fratres in ſanctis ipſis locis habitantes. Probatur: quia etſi abſentes, ſunt tamen eiuſdem Prouinciæ ſiue Cuſtodiæ, & ſub eodem capite, & propter obedientiam, & vtilitatem locorum ſanctorum & fidelium abſunt ab illa; quare communibus myſtici corporis gratijs participes eſſe debent. Secundùm Iura enim, abſens ex iuſta cauſa, maximè de mandato ſuperioris, pro præſente reputatur, c. De ceterò. c. Cùm dilectus. & c. Ad audientiam. De Cleric. non reſid. Non verò particularibus gratijs gaudent, niſi ſint particulares rationes communicationis & participationis. Et ex his patet ad argumentum.

Dvbivm sextvm.

Dubitatur Sextò & vltimò, Vtrùm Guardianus ſacri Montis Sion, & Fratres Minores de Obſeruantia, eidem in partibus iſtis Orientalibus ſubiecti, viuendo cum priuilegijs à Summis Pontificibus eiſdem conceſſis, viuant non modò tuta conſcientia, ſed etiam ſecundùm Regulæ puritatem.

Et quòd cum priuilegijs non viuant Fratres ſecundùm Regulæ puritatem, probari poteſt in hunc modum. Viuere ſecundùm Regulæ puritatem, eſt viuere in obſeruantia Regulæ, prout à ſanctis Doctoribus & Summis Pontificibus explicatum fuit; quia ſic viuere, eſt viuere ſecundùm auctoris intentionem: at hic viuendi modus excludit priuilegia, diſpenſationes, & alia indulta temporalia. Quare S. Pater in ſuo Teſtamento mandauit Fratribus ſuis, ***ne audeant petere aliquam litteram in Curia Romana, neque pro Eccleſia, neque pro aliquo loco, neque ſub ſpecie prædicationis, neque pro perſecutione ſuorum corporum.*** Confirmatur, quia priuilegia, in quibus temporale aliquid petitur, tamquam deſtruentia puritatem Regulæ, ex eadem Regula prohibita conuincuntur, vt habetur in Expoſitione Patrum Ordinis, cap. 6. & aſſerit Aluarus in Serena conſc. q. 14. & communiter Doctores in citatum cap. Quoniam Fratres ex ſua Regula, & Pontificum probatorumque Doctorum declarationibus, cuiuſcumque dominj, iuris vel actionis pro bonis temporalibus incapaces ſunt. Sed multa priuilegia habent Fratres Terræ ſanctæ, quæ illis temporalia concedunt, igitur cum illis viuendo, non viuunt ſecundùm Regulæ puritatem, & S. P. N. Franciſci intentionem. Minor apparebit inferiùs, dum priuilegia huiuſmodi adducemus Capite xxvi. & xxviii.

Pro ſolutione huius Dubij tres ſtatuo Concluſiones. Prima conclvsio. Fratres Terræ ſanctæ, viuendo in ea inter barbaras nationes, pro conſeruatione Catholicæ fidei, eiuſdemque augmento, & ſanctorum locorum defenſione, viuunt in conſcientia tuti, & ſecundùm iuſtam & rationabilem S. Patris intentionem, ſuis priuilegijs non obſtanti-

Minorita cum priuilegijs ſecurè viuunt in Terra ſancta.

ſtantibus. In probatione huius Concluſionis hîc me non diffundo, quoniam abundè alibi explicata & probata fuit. Et quis audebit oppoſitum aſſerere, cùm Fratres Minores à Summis Pontificibus fuerint deſtinati ad partes iſtas cum gratijs & priuilegijs, & nihilominùs clarum ſit, in eorum manibus voluiſſe S. Franciſcum ſuam Regulam eſſe depoſitam, & eorumdem pedibus ſuos Fratres ſpecialiter eſſe ſubiectos. Et cùm non ſolùm quoad ſpiritualia, ſed etiam quoad temporalia eorumdē Fratrum prouidus ac pius Pater fuerit, quî fieri poteſt, vt noluerit eos frui Pontificijs priuilegijs, quæcumque illa ſint, ſiquando aliter illis prouideri non poſſet? Et quomodo ſancti & pij viri illa acceptaſſent loca, & in iiſdem habitaſſent cum continuè imminenti propriæ vitæ diſcrimine, ſi ex altera parte animam periclitari vidiſſent, qua perdita, cetera nihil proſunt?

Lib. 1. cap. LXIX. LXX. LXXI. & lib. III. cap XXIV. & XXV.

Minoritas in Terra ſancta, cum priuilegijs obſeruare Regulam ad litterā, probabile eſt.

SECVNDA CONCLVSIO. Probabile eſt, Fratres Terræ ſanctæ, ſuæ Regulæ præcepta obſeruantes, cum priuilegijs ſibi conceſſis à Summis Pontificibus intuitu locorum ſanctorum, & ob fauorem fidei, obſeruare ſuam Regulam ad litteram, ſecundùm eius puritatem, & Seraphici Patris intentionem. Probatur, quia priuilegia Terræ ſanctæ vel ſunt de rebus ſimpliciter ſpiritualibus, vt de indulgentijs, abſolutionibus, &c. vel de temporalibus, vt quòd poſſint accipere loca in terris infidelium, recipere & cuſtodire pecuniam, & alia huiuſmodi. Sed per neutrum horum dicendi ſunt Fratres violatores puritatis Regulæ, igitur, &c. Minor probatur, & de ſpiritualibus priuilegijs priùs: quia per hæc, ſecundum omnes Regulæ interpretes, non ſolùm puritas Regulæ non violatur, ſed punùs, quietiùs, & cum maiori decore obſeruatur. Et profectò ſi aliter eſſet, qui præ ceteris profitentur Regulam adamuſſim & ad litteram obſeruare, illis renuntiaſſent; ſed tam illud non fecerunt, vt illis vel plurimùm abundent. Conſule Cordubam in cap. 6. Reg. Minorum q. 8. De temporalibus idem ſimiliter ſuadetur. Illa enim ex eorum ſpirituali fine, ad quem diriguntur, & à quo denominari debent, ſpiritualia dicenda ſunt, cùm ſint conceſſa ad augmentum fidei, & conſeruationem locorum ſanctorum, vt videre eſt in Pontificum diplomatibus; & conſequenter Minorum non relaxatur Regula.

Dices: Hoc pacto nullus Ordo, qui Regulam D. Franciſci profitetur, etſi maximis fruatur priuilegijs temporalibus eamdem Regulam relaxantibus, dicendus erit viuere contra vel præter Regulæ puritatem, quia per illa diriguntur Religioſi ad ſpiritualia bona, ad ſtudium litterarum, ad prædicationem verbi Dei, ad quietiùs in contemplatione viuendum, &c. Et conſequenter in obſeruando Regulam D. Franciſci, nullum erit diſcrimen inter Patres Conuentuales, Obſeruantes, Reſtrictos vel Cappucinos, quod nemo dicet.

Diſcrimen priuilegiorum Fratrum Terræ ſanctæ à priuilegijs Fratrum inter fideles habitantium.

Reſpondeo, multum intereſſe inter noſtra Terræ ſanctæ, & aliorum Fratrum in Chriſtianitate temporalia priuilegia. Noſtra Terræ ſanctæ conceſſa fuerunt, vt ſimpliciter ad intentum neceſſaria, quia aliter loca ſancta conſeruari non poſſunt, propter defectum amicorum ſpiritualium, vt alibi abundè dictum fuit: non item aliorum priuilegia; quia cùm in Chriſtianitate non deſint amici ſpirituales, poſſunt abſque illis priuilegijs Fratres honeſtè vitam tranſigere cum profectu ſpirituali, vt plures alij faciunt. Ideò pij ſummiſque Pontifices illa conceſſerunt potiùs ſecundùm indulgentiam, & ad fragilitatem plurium reſpicientes, & ob deficientem ſpiritus feruorem in Ordine Seraphico, quàm propter neceſſitatem, vt dicunt Aluarus & Ioannes de Pecano: quare ex hoc capite temporalia & relaxantia rigorem & puritatem Regulæ nuncupanda veniunt.

Dices iterùm, Pontifices interdum diſpenſare cum Fratribus Terræ ſanctæ quoad rigorem Regulæ, vt infrà apparebit Capite XXVIII. Reſpondeo, Pontificum conceſſiones tum dici diſpenſationes quæ rigorem Regulæ relaxent, ſi Regula in ſe conſideretur, & vt obſeruanda in Chriſtianitate proponitur, vbi relaxationes illæ non ſunt neceſſariæ: non item, ſi comparatæ ad eamdem Regulam prout in partibus iſtis traditur obſeruanda, vbi aliter vita tranſigi non poteſt, gratis exhibeantur, & ſponte à Pontificibus vel etiam à Fratribus impetrentur, vt magis caueatur eorū conſcientijs, quemadmodum & alibi huiuſcemodi relaxationes propter eamdem rationem impetratæ fuere. Et cùm tempore neceſſitatis non ſit lex obligans, nec illius vtique erit tranſgreſſio. Vnde ſicut Apoſtoli non magis Regulam Apoſtolicam obſeruaſſe dicendi ſunt, quando pacis tempore miſſi ad prædicandum, nihil omnino habebant, propter præceptum Domini, ne quid tollerent in via iubentis, Matt. 10, 9. quàm dum neceſſitatis caſu vrgente, infideli ſcilicet illa gente Paſtorem & gregem perſequente, ſacculos, hoc eſt loculos illis permiſit Dominus, dicens: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? ſed nunc, qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram*, Luc. 22, 35. *quia non eadem viuendi*

uendi regula tẽpore perſecutionis, quæ pacis eſt, vt ibi dicit Gloſſa: ita Minoritæ in pinguioribus fidelium partibus viuentes abſq; temporalibus Pontificum priuilegijs, vel diſpenſationibus, non ſunt dicendi perfectiùs ſuam Regulam ad litteram & ſecundùm Seraphici Patris intentionem obſeruare, quàm cùm eadem habentes in deſertis infidelium regionibus habitant, vbi omnino ad honeſte ac religiosè vitam tranſigendam iis ſunt perneceſſaria. Et quid? Nónne in Minoritana Regula conceditur Franciſcanis Fratribus vt ſuis neceſſitatibus conſulant *ſecundùm loca, & tempora, & frigidas regiones*, vtique cum illius integra obſeruantia? Lege Politium in cap. 4. Reg. Min. num. 9. & alios interpretes.

Confirmatur ratio. Licet Miniſtris & Cuſtodibus, mediante pecunia, per amicos ſpirituales induere Fratres, eiſdem ægrotantibus ſubuenire, & alia neceſſaria prouidere, idque ex Regulæ cap. 4. Et creſcente numero Fratrum, abſque præiudicio puritatis eiuſdem Regulæ, & ſecundùm mentem S. Franciſci, idem conceſſum eſt etiam Guardianis, vt declarauit Nicolaus III. Quare ergo pro ſuſtentatione vitæ eorumdem Fratrum, ad conſeruationem locorum ſanctorum, &c. non licebit ſimiliter meliori modo quo fieri poteſt neceſſaria procurare, abſque puritatis Regulæ præiudicio?

Denique, non pauci ſunt in Chriſtianitate Minores Fratres, qui Regulam ad litteram obſeruare profitentur, & vel neceſſitate, vel alio honeſto fine, in magnis Conuentibus habitant, in nobiliſſimis Eccleſiis Deo inſeruientes, vinum & triticum meſſis tempore conquirentes & conſeruantes, & ſimilia, quæ communiter in Regula, ſecluſa neceſſitate & rationabili cauſa, ſunt interdicta, quoniam aliter in locis illis fieri non poſſe cognouerunt; & nihilominùs credunt ſe obſeruare Regulam ad litteram, & ſecundùm eius puritatem: quare non licebit & nobis potiori ratione dicere, eos qui degunt in locis ſanctis cum priuilegijs Pontificum verè ſibi neceſſarijs, obſeruare Regulam ſecundùm ſuam puritatem, & ad litteram? Hanc Concluſionem non probabiliter tantùm, ſed abſolutè & firmiter tenent Fratres quidam pij & docti, & obſeruantiæ Regulæ ſtudioſiſſimi, qui vtramq; rationem viuendi Fratrum Minorum experti ſunt tum in Chriſtianitate, & in partibus infidelium.

Minores in Terra ſancta cum priuilegijs relaxantibus tantùm seruantur quàm alibi abſq; illis.

TERTIA CONCLVSIO. Fratres Minores Terræ ſanctæ nõ minùs ſecurè in conſcientia viuunt, nec minùs merentur cum priuilegijs relaxantibus vel nõ relaxantibus Regulæ puritatem, quàm ſi alibi ſine ijſdem viuerent. Hæc Concluſio manifeſta eſt ex dictis à nobis Lib. 1. & dicendis Lib. 111. & neſcio quis eam ſit negaturus. Sin aliter, quomodo ſancti & pij Fratres peregrinationem laborioſam olim aſſumpſiſſent, vel modò aſſumerent, periculisque plenam in ſanctis locis manſionem, cum ſpiritualis profectus præiudicio? Nec gratiam feciſſent Chriſtiani Principes, procurando & dando loca ſancta Minoribus; quam tamen magnam feciſſe, nemo dubitat aſſerere. Et, vt huic Dubio finem imponam, ſi præ ceteris Iob laudatur, quòd in terra Hus, inter malos bonus, & diuinæ legis extitit obſeruator, & hac ratione plurimum fuit promeritus; non laudabuntur Minores Fratres, aut parum mereri dicendi erunt, qui non ſolùm laudabiliter, ſed etiam non ſine ingenti Rei Chriſtianæ profectu in medio nationum prauarum, in terra infidelium, inter barbaros, Turcas, Hebræos, hæreticos, & ſchiſmaticos, in medio denique ſcorpionum habitant? Ex his patet, quid dicendum ſit ad argumenta initio Dubij propoſita: priuilegia enim Terræ ſanctæ purè temporalia non ſunt, ac ſuperflua, vel aliena à mente S. Franciſci, vt in illis ſupponebatur.

Laudabile inter malos virtuosè viuere.

Ad verba Teſtamenti S. Patris, præterquam quòd illa non obligent, dico, veriorem illorum intellectum eſſe, non debere Minores, inuitis dominis & incolis, quouis prætextu, ſiue prædicationis, ſiue quia perſecutionem patiuntur, ab illis obtinere poſſeſſionem vel vſum alicuius Eccleſiæ vel loci, quaſi vi & auctoritate ſuperiori Papæ illa habere velint, cum pacis vinculi violatione & diſſolutione; ſed ſi eis non concedatur habitationis locus, vel Eccleſia, fugere eos oportere ad aliam terram, locumque violenter per ſuperiorem auctoritatem ſibi non aſſumere. Nec ibi prohibentur litteræ ac priuilegia quæ ad maiorem obſeruantiam ac decorem Religionis inſeruiunt, qualia ſunt ea quæ conceſſa ſunt Fratribus Terræ ſanctæ. Minores item non violenter habitant in locis ſanctis, ſed de conſenſu ac voluntate ſpiritualium ac ſæcularium Magiſtratuum, qui ipſis loca ſancta emerunt, & pro eorumdem honeſta conſeruatione varias gratias & priuilegia conceſſerunt, vt anteà vidimus, & deinceps ampliùs explicabimus.

CAPVT III.

In Terra ſancta eſſe plures & varias indulgentias, & quales, aperitur.

PRæmiſſis iam Notabilibus, & Dubijs cum eorumdem ſolutionibus, ipſamet porrò priuilegia proponemus. Sciendum verò,

Omnia priuilegia Terræ sanctæ respiciũt loca, vel personas.

verò, omnia priuilegia ad duo generalia capita reduci posse, quorum alterum respicit ipsamet loca sancta, alterum personas eadem loca sancta gubernantes, visitantes, vel aliàs de eisdem benemerentes.

Gratiæ, quæ ipsamet loca sancta respiciunt, sunt variæ indulgentiæ eadem visitantibus concessæ, de quibus præsenti & duobus proximè sequentibus Capitibus. Et in præsenti quidem Capite docebimus, in Terra sancta verè esse indulgentias, & quales eæ sint; in sequentibus peculiariter ostendemus, quibus in locis, & qua facultate illas quis consequi possit.

Indulgentias esse in Terra sancta probatur.

ASSERTIO. In Terra sancta, & varijs eius locis, plures & variæ sunt indulgentiæ. Probatur hæc Conclusio & veritas multipliciter, primò communi traditione, deinde ratione, tertiò Pontificum existimatione, & omnium consensu, quartò expressa eorumdem Pontificum concessione.

Primò Traditione.

In Terra igitur sancta esse verè indulgentias, ex traditione ita probatur, quòd in pluribus Bullis & diplomatibus Summorum Pontificum, vbi de indulgentijs sermo est, atque apud diuersos Auctores, earum fiat mentio. Ratio idem persuadet, si enim sunt Indulgentiæ in alijs ignobilioribus mundi partibus, multò vtiq; magis in sacratioribus istis Palæstinæ regionbus eas esse par est. Si enim nullatenus vertitur in dubium, quin Sol, qui dissitissimas à se orbis terrarum partes illuminat, & in abditissimas terræ concauitates suos diffundit influxus, etiam in sibi proximas lumen, calorem, benignosque communicet influxus: vtique nec dubitabitur, quin Sol iustitiæ Christus, qui radijs gratiarum suarum omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, remotissimasque orbis partes, indulgentijs & priuilegijs exornat, etiam illustret sibi proximas, id est loca Terræ sanctæ, in quibus ipse conceptus, natus, mortuus, & nostræ salutis mysteria operatus est, & ex quibus omnia bona velut ex ditissimo fonte dimanarunt.

Sed numquid de Indulgentijs huiusmodi aliqua habetur Bulla Apostolica, quæ ipsis fidem faciat? Collector priuilegiorum Terræ sanctæ in manuscripto libello cap. 12. ait, de indulgentijs Terræ sanctæ nullam apud Fratres Bullam Apostolicam haberi, sed tantummodò aliquas reperiri tabulas antiquas, in quibus contineatur, quòd ad petitionem Constantini, & S. Helenæ matris eius, Papa Siluester solemnissimas indulgentias contulerit locis Terræ sanctæ. In cuius Auctoris dictis duo veniunt consideranda. Alterum, ipsum loqui de Bullis, quæ erant suo tempore, circa annum scilicet salutis 1459. (vt videre est in Chronicis Fratrum Minorum Part. 3. lib. 4. c. 28.) & ante Concilium Tridentinum; & de illo veritatem habet eius positio, non de posteriori, tum enim confectæ fuerunt aliquæ Bullæ Pontificiæ quoad indulgentias locorum sanctorum, vt infrà Cap. v. videbimus. Alterum, qualesnam sint illæ tabulæ antiquæ, in quibus inferiùs describendæ indulgentiæ annotantur. Respondeo, me tabulas eas non vidisse, nec legisse, nec inuenisse in archiuo Conuentus sacri Montis Sion, vel in sanctissimo Sepulchro Domini, vbi dicuntur asseruari; sed non propterea sunt negandæ: nam vel vetustate consumptæ, vel tempore maioris persecutionis (quando nimirum omnes Fratres occasione cladis naualis sub Pio V. Pontif. Max. à Turcis in carcerem conijciebantur, & inediâ, morbis & afflictionibus consumebantur) deperditæ fuerunt, vel alia de causa manus meas effugerunt. Et verè olim eas extitisse credere debemus, tum quia citatus fide dignus Auctor, qui ante grauem illam persecutionem eas se vidisse indicat, id testatur; tum quia idipsum indicauit P. Bonifacius, primò per nouennium sacri Montis Sion Guardianus, postea Stagni Episcopus, vt suprà in Bulla Pij IV. apparet, in qua Summus Pontifex illis tabulis fidem adhibet. Cùm igitur in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, & eiusmodi testimonium in nostro casu ad manum sit, illud vtique sufficere deberet, etsi aliud non haberemus.

Sed ad idem alia suppetunt. Dicitur in Iure Canonico, quòd scripturis antiquis, famæ, & alijs adminiculis credendum sit. c. Cùm causam. De probationibus. & c. Ad audientiam. De præscript. Fama etiam in his, quorum memoria non habetur, valet L. Si arbiter. ff. De probationibus & præsumptionibus. & c. Illud. De præscriptionibus. Amplius, vbi nulli fit præiudicium, non solùm famæ publicæ, sed dicto vnius testis statur, vt cùm dubitatur vtrùm Ecclesia sit consecrata vel non, c. Paruulos. De consecr. dist. 4. In casu nostro nemini fit præiudicium, sed gratia, igitur, &c. & tantò magis, quòd non vnus, sed plures affirment extitisse tabulas illas, & multò plures indulgentias esse in locis sanctis. Adhæc, possessio & immemorabilis consuetudo, qualis est in proposito, æquiualet vero priuilegio, vt ex alijs tradit Miranda Tom. 2. Manualis Prælat. q. 41. art. 5. Vide suprà cap. 1. Notabili IV.

Arbitror ego, tabulas illas antiquas indulgentiarum esse vel quemdam antiquum libellum, alium à priùs memorato, manuscriptum,

ſcriptum, in archiuo ſacri Montis Sion aſſeruatum, in quo loca ſancta recenſeantur, & indulgentiæ quæ in illorum viſitatione vel peregrinatione acquiruntur; vel ſaltem in eo notatam & reſcriptam eſſe ſummam indulgentiarum in illis ſcriptam. Titulus & initium illius eſt: *Incipiunt peregrinationes Terræ ſanctæ, quæ à modernis peregrinis viſitantur. Et eſt ſciendum, quòd in illis locis, in quibus non eſt ſignum ſanctiſſimæ Crucis, ſunt ſeptem anni, & totidem quadragenæ de indulgentia: at vbi eſt ſignum Crucis, ibi indulgentia conceſſa eſt plenaria à pœna & à culpa, ad preces ſancti Magni Conſtantini Imperatoris, & ſanctæ Helenæ matris eius, à ſancto Papa Silueſtro.* Hactenus in dicto libello, quæ paucis complexus eſt Auctor prioris libelli priuilegiorum, vt iam vidimus.

Sed enim, contra hæc aliqui duo obijciunt. Alterum eſt, vſum & conceſſionem indulgentiarum in ſancta Dei Eccleſia non adeò eſſe antiquum, vt tempore S. Silueſtri eſſe potuerit, ſed incepiſſe tempore Magni Gregorij Papæ, qui præfuit Eccleſiæ ante annos tantùm mille, ſanctus verò Silueſter ante Gregorium annis vixit ducentis & amplius; non ergo ab illo ſanctis locis concedi potuerunt illæ indulgentiæ.

Alterum, etiamſi concedatur, ante Gregorium conſueuiſſe Summos Pontifices indulgentias elargiri, non tamen potuiſſe Silueſtrum impertiri locis ſanctis haſce indulgentias ad petitionem S. Helenæ, eò quòd, cùm S. Helena Ieroſolymam proficiſceretur, vel ſaltem cùm inde Romam rediret, iam ſanctus ille Pontifex è viuis deceſſiſſet.

Verùm enimuerò, vtrumque argumentum facili negotio diluitur. Primum, vel negato illius Antecedente, vel explicato. Negato quidem, quatenus per illud contenditur, ante Gregorium Magnum alios Pontifices nullas conceſſiſſe indulgentias: explicato verò ſic, quòd illo priores Pontifices dignas ob cauſas, non ita frequenter & affluenter indulgentias promiſcuè conceſſerint, prout moderno tempore elargiuntur; verumtamẽ aliquando peculiaribus locis, & liberaliter etiam dediſſe, & datas anteà cõfirmaſſe, ex ſequentibus manifeſtum redditur.

Indulgentiarum vſus antiquus in Eccleſia.

Legitur de S. Silueſtro, quòd Romæ Sacellum S. Crucis in Ieruſalem ad petitionem S. Helenæ conſecrauerit, & multis Sanctorum Reliquijs ornauerit, multiplicemque peccatorum veniam illud viſitantibus indulſerit, quam & poſteà eius ſucceſſores Romani Pontifices conceſſerunt, vt patet in tabella ad murum illius Eccleſiæ appenſa, & refert P. Gregorius de Valentia Tomo 4. diſput. 7. quæſt. 20. De indulgentijs, punct. 2. Huc facit, quod in alia tabella antiqua, quæ habetur in Eccleſia Lateranenſi, vt refert Rodericus Tomo 2. q. 99. art. 1. legitur in hunc modum: *Idem Conſtantinus Imperator, poſtquam mundatus fuit à lepra per ſacri Baptiſmatis ſuſceptionem, dixit B. Silueſtro: Pater, ecce domum meam in Eccleſiam ordinaui, infunde in eam tuam largam benedictionem prouenientibus ad eam. Et ad eum ait B. Silueſter: Dominus Ieſus Chriſtus, qui mundauit te à lepra, & purificauit fonte perenni, per ſuam miſericordiam mundet & purificet omnes huc venientes ſine mortali peccato. Et auctoritate Petri & Pauli, & noſtra, ſit eis remiſſio omnium peccatorum quocumque tempore anni.* In alia item tabella, appenſa foribus Eccleſiæ S. Sebaſtiani ad Catacumbas, ſequentia leguntur: *In hoc loco, qui dicitur Ad Catacumbas, in puteo ſubtus altare, corpora ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum per ducentos quinquaginta duos annos ſteterunt abſcondita, ob quorum reuerentiam omni die eſt tanta indulgentia, quanta in Eccleſijs ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, data per ſanctum Silueſtrum Papam, & per multos ſucceſſores duplicata, in Quadrageſima, & in Feſtis duplicibus & ſolemnibus.* Hæc ibi. quas indulgentias ego legi, cum alijs ab eodem S. Silueſtro & alijs Pontificibus alijs Eccleſijs Romæ conceſſis: euidens omnino argumentum, non ſolùm à tempore Gregorij Magni, ſed multò antè morem extitiſſe in Eccleſia concedendi indulgentias.

Cardinalis Baronius Annalium Eccleſ. Tom. 1. ſub anno Chriſti 58. num. 38. oſtendit, vſum indulgentiarum fuiſſe in Eccleſia tempore Apoſtolorum; exemplo nimirum S. Pauli, qui cùm Corintho abeſſet, per Epiſtolam ad Corinthios ſcriptam miſsâ indulgentiâ, inceſtuoſum quemdam Corinthium à pœna abſoluit. *Adhuc abſens,* (ſcilicet Paulus (ſunt verba Baronij) *miſeratione commotus, inceſtuoſum illum, quem prioribus litteris tradiderat ſatanæ, iam indulgens abſoluit: quod ab illis ratum haberi rogat, ſic dicens: Sufficit illi qui huiuſmodi eſt, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus: ita vt è contrario magis donetis & conſolemini, ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur qui huiuſmodi eſt. Propter quod obſecro vos, vt confirmetis in illum charitatem. Ideò enim & ſcripſi, vt cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis. Cui autem aliquid donaſtis, & ego. Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos, in perſona Chriſti, vt non circumueniamur à ſatana: non enim ignoramus cogitationes eius. Hucuſque de indulgentia Paulus. Ad hæc enim ſcribenda permotus fuiſſe videtur Titi ſermone, iam (vt dictum eſt) ad Paulum Corintho redeun-*

tis: qui cùm omnia, quæ in ea Eccleſia agerentur, ipſum admoniſſet, mœrorem hominis illius ſatanæ traditi eidem pariter ſignificaſſe videtur, pro quo etiam veniam deprecatum eſſe par eſt credere. Exemplo igitur Pauli, & auctoritate ſibi in Apoſtolis à Chriſto conceſſa, meritò ſibi Eccleſia vendicat, vt peccantibus interdum indulgentiam largiatur; quam qui loco Apoſtolorum ſucceſſerunt Epiſcopi, eadem ex cauſa ſoleant impartiri. Inflictis ſemel pro admiſſis delictis (vt res poſtulat) pro arbitrio Sacerdotum ſtatutis pœnis, vel adhuc fortè maioribus lege debitis iniungendis: cùm vel ne his affectus, vel maioribus afficiendus (quod Paulum commouit) nimia triſtitia pœnitens abſorberetur; hac vel alia quacumque ex cauſa id expedire viſum fuerit (vt fecit Apoſtolus) eas indulgendo remittere ijdem Epiſcopi conſueuerunt. Hactenus Baronius. Et eadem auctoritate vtuntur alij Theologi, ad probandum, vſum concedendi indulgentias in ſancta Eccleſia non recentem ſed veterem eſſe.

Nec valet obiectio, Paulum condonare Corinthio pœnam quam debebat in foro exteriori, non quam in foro conſcientiæ coram Deo: hoc enim falſum eſt, quia loquitur de illa pœna quam illi ipſemet inflixerat 1. Corint. 5, 3. quæ certè eſt intelligenda de foro conſcientiæ, & coram Deo, vt patet ex eodem capite.

Ad hæc, in magno & vetuſtiſſimo Nicæno Concilio can. 11. ſtatutum reperitur, vt pro animi ardore, quo quis ſuſceperit iniunctam pœnitentiam, poſſit Epiſcopus indulgentiam illi præſtare. Aut numquid Eccleſiæ Prælatis à Chriſto Domino Matthæi 16, 19. indulgentias concedendi his verbis tributa poteſtas, *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*, otioſa fuit in primitiua Eccleſia? aut Spiritu ſancto afflati Apoſtoli illam ignorauerunt? aut cognitam contempſerunt, & vitiosè de fides, in ſibi concreditarum ouium (pro quarum amore millies ſanguinem fudiſſent, prout de facto fuderunt) ſpiritualem vtilitatem & ſolatium ea vti neglexerunt?

Quare non modò pium eſt credere, ſed etiam probabile, conceſſas fuiſſe indulgentias ſanctiſſimis locis à Papa Silueſtro, vt aſſertum fuit ex citatis veteribus manuſcriptis. Et ſanè hoc non improbabile iudicauit Pius IV. dum enim confirmaret indulgentias Terræ ſanctæ, prout in ijſdem tabellis contineri dicebantur, ad ſupplicationem P. Bonifacij Bullam edidit, in qua inter alia hæc ad propoſitum dicit: *Illas* (id eſt ſacri Montis Sion indulgentias) *& alias, præſertim in quadam antiquiſſima tabella, quæ apud ſanctiſſimum eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti Sepulchrum cuſtoditur, deſcriptas, & à B. Silueſtro prædeceſſore noſtro, vt creditur, conceſſas indulgentias, & peccatorum remiſſiones*, &c. *Datum Romæ apud S. Mariam, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo, ſexto decimo Calen. Auguſti, Pontificatus noſtri anno ſecundo.* Et in Epitome bellorum ſacrorum, compoſita anno Domini 1373. dicitur: *Helena Conſtantini mater veniens Ieroſolymam, & inuenta ibi Cruce, plures ædificauit Eccleſias, & indulgentias earumdem Eccleſiarum impetrauit à Papa Silueſtro.* Ita refert Henricus Caniſius Tom. 6. Antiq. lect.

Obiectio altera, qua aſſeritur, tunc non vixiſſe B. Silueſtrum, eſt manifeſtiſſimè falſa: Cardinalis enim Baronius Tom. 3. ſuorum Annalium luculentiſſimè oſtendit, S. Helenam integro nouennio ante S. Silueſtrum è viuis exceſſiſſe, illam nimirum anno Domini 326. iſtum verò anno 335. hoc ſæculum reliquiſſe. Ad hæc, quid prohibet quò minùs verè aſſerere poſſimus, S. Silueſtrum indulgentias conceſſiſſe locis ſanctis ad petitionē pientiſſimæ illius Imperatricis antequam ad ea diuerteret, vt poſteà, dum ad eadem ſe conferret, illis pertrueretur?

Ad tertiam probandi rationem accedo, ad communem omnium de Summi Pontificis auctoritate & dignitate exiſtimationem eximiam, & dico, Quòd priſcorum Summorum Pontificum pro indulgentijs locorum ſanctorum nullę ſcriptæ fuerint Bullæ, fecit ipſorum ſumma dignitas, & infallibilis eorum quæ ipſi dicerent certitudo, de quibus dubitare nefas omnes iudicabant, credentes nulla alia præterea ſe indigere auctoritate, approbatione, vel Bulla. Facit ad hoc c. Nobiliſſimus. diſt. 97. & 8. quæſt. 3. c. 2. & id quod accidit B. Franciſco, cùm à Summo Pontifice Honorio accepit confirmationem Indulgentiæ S. Mariæ de Portiuncula. Cùm enim, ea obtenta, diſcederet non petito aliquo diplomate Pontificis, dixit ad eum Pontifex: *O homo ſimplex, quò vadis! quid portas tu de huiuſmodi indulgentia?* Et B. Franciſcus: *Tantùm ſufficit mihi verbum veſtrum. Si opus Dei eſt, ipſe ſuum opus habet manifeſtare. De huiuſmodi autem ego nolo aliud inſtrumentum, ſed tantùm ſit charta B. Maria, notarius ſit Chriſtus, & Angeli ſint teſtes.* Et quoniam verè opus Dei fuit, res tota vniuerſo mundo abſque vllo diplomate Pontificio ſat innotuit.

In Conformitatibus D. Franciſci lib. 2. Fruct. 2. & Conform. quæ eſt in ordine decima quarta, refertur, dæmonem vi diuina coactum, ex energumena à ſe obſeſſa ita fuiſſe locutum: *Sciens Crucifixus ſe daturum illi ſtomachoſo, id eſt B. Franciſco (ſic enim*

Stigmata Franciſci, indulgentia S. Mariæ de Portiuncula, & Chriſti vulnerã, indulgentiarum Terræ ſanctæ ſigilli ſunt.

enim ex odio & contemptu illum appellabat damon) Bullam ſuorum Stigmatum non permiſit eum aliud priuilegium accipere, nec Bullam manu hominis fabricatam. Nam ſicut Rex non committit alicui annuli ſui Bullam, niſi propter aliquod magnum factum, ita Crucifixus, quando voluit ſaluare populum ſuum, noluit illi ſtomachoſo concedere aliud ſignum, niſi Bullam ſuorum Stigmatum. Sic ibi. Eodem modo, & potiori ſanè ratione, dicendum videtur de indulgentijs ſanctorum locorum, illum eas ijſdem per ſuos in terris Vicarios conceſſiſſe, atque in cælis ratas habuiſſe, qui & in illis ipſis locis pleniſſimas indulgentias humano generi eſt promeritus, & à quo omnes profluxerunt gratiæ. Et de hoc quis dubitauit vmquam? Sed quænam ſunt illæ Bullæ & litteræ? Non aliæ, niſi corda, mentes & animæ fidelium, non alio exaratæ atramento quàm Sanguine Chriſti, quarum ſcriba eſt Spiritus ſanctus, & quæ coram toto mundo, Angelis & hominibus velut teſtibus promulgatæ, & ſacratiſſimis Domini noſtri Ieſu Chriſti Stigmatibus veluti Regio ſigillo munitæ ſunt. Ea porrò hîc cauſa fuit, quòd ex omnibus mundi partibus nullius non generis & conditionis homines, ſpretis mundi diuitijs & illecebris, laboribus & vitæ periculis contemptis, reiſque familiaris curis ſepoſitis, omnibus temporibus Ieroſolymam confluxerint, & vſque confluant, vt indulgentias & alias ſpirituales gratias ſibi comparent, etſi illis non conſtet de Bullis Pontificijs.

Pia Eugenij Pontificis reſponſio circa indulgentias Terræ ſanctæ.

Accedit, quod loco iam indicato ſcribit expoſitor ille priuilegiorum Terræ ſanctæ. Cùm quidam Guardianus Montis Sion ſupplicaſſet Eugenio Papæ, vt litteras Apoſtolicas de præmiſſis indulgentijs confici mandaret, fertur Papa reſpondiſſe: *Loca illa ſanctiſſima non indigent litteris noſtris; nam potiùs eſſet quædam derogatio, quàm authenticatio; quia & Romæ multæ ſunt indulgentiæ, ſuper quibus ſcripta Apoſtolica non habentur.* Hæc Eugenius. Perſimilem reſponſionem, ex pietate tamen procedentem, tuli, cùm apud Cardin. Verallum, Seraphici Ordinis Protectorem, anno Domini 1620. die 10. Ian. (cùm Ieroſolymis redux Italiam primâ vice adij) pro ijſdem intercederem.

Non carebit fructu aliquo, ſi hîc ſubſcripſero quod Petrus Matthæi lib. 2. nar. 5. n. 8. Hiſtoriæ Gallicæ refert ex illuſtriſſimo Cardinali. *Difficile* (ait ille) *eſt adinuenire in hiſtorijs primam anni ſancti, vel Iubilei inſtitutionem, quamuis manifeſtum ſit, Bonifacium VIII. illius primam conſtitutionem edidiſſe. Hinc factum fuit, vt circa finem tertij ſæculi ſalutis noſtræ, id eſt, Vigiliæ Natiui-*

Iubilei antiquitas.

tatis Domini anni 1299. ad veſperas, vt ſcribit Cardinalis S. Georgij Summi Pontificis nepos, Romæ Eccleſia S. Petri plena apparuit aduenis peregrinis, quòd inter illos vulgatum eſſet, quod aliàs, ſimili hora & anno magna conceſſa eſſet indulgentia templum illud viſitantibus, intereſſentibuſq; aperitioni vnius illius portæ: ſequentiq; die tantum fuiſſe hominum aduentum, vt per vias non niſi magna cum difficultate incedi poſſet. Hoc cùm ad Summi Pontificis Bonifacij aures peruenisſet, obſtupuit, ordinauitq; vt in antiquis regiſtris actis Eccleſiæ inquireretur, & vt peruigili diligentia examinarentur prædeceſſorum ſuorum Pontificum Bullæ: quo facto nihil inuentum fuit, quo cognoſci poſſet illius deuotionis origo. Ideò ad vetuſtiores homines deuentum eſt, vt quid de illa cognoſcerent annuntiarent, & ex traditione innoteſceret, quod Pontificijs diplomatibus & ſcripturis ſcire nequiuerunt. Inuentus tunc fuit deuotus peregrinus, qui centeſimum ſeptimum annum agebat. Hic adductus ad Pontificem, teſtatus fuit, ſe memoria tenere iam centum annis patrem ſuum Romam profectum fuiſſe, vt indulgentiam Iubilei ſibi compararet; & in reditu illum admonuiſſe, vt omni excuſſa ſegnitie, poſt centum annos in Vigilia Natiuitatis Domini in Eccleſia S. Petri ob eamdem cauſam eſſet. Illius dicto teſtimonium perhibuerunt duo peregrini Galli ſenes, & plures alij Itali, firmiter aſſeuerantes, ab eorum parentibus accepiſſe, Romæ indulgentias eſſe in illa annorum reuolutione. Ob quam traditionem, & teſtimonium, Bonifacius de conſenſu Cardinalium decretum edidit, & lege ſanciuit, vt euoluto centum annorum curriculo Romæ Iubileum celebraretur. Id fuit circa annum Domini 1300. vt habetur in Extrau. Antiquorum. De pœnit. & remiſs. Florent. 1. par. tit. 10. c. 3. §. 6. & 7. quod tempus poſteà dignis de cauſis à ſucceſſoribus Romanis Pontificibus imminutum fuit. Cùm igitur peregrinationibus continuis, ab antiquo vſque ad hæc tempora, loca ſancta in veneratione habita ſint propter indulgentias quæ ibi acquirerentur, de illis neminem dubitare par eſt, etſi Apoſtolicæ Bullæ ea de re minimè extent. Facit eam in rem continua in Terra ſancta habitantium pia conſuetudo, qui frequentiſſimè eo intuitu orant in ſanctiſſimis locis. Vide quæ ſuprà notaui Cap. 1. Notabili IV.

Quartò denique, vt huic Capiti finem imponam, Bullæ & Pontificia diplomata ſuffragantur. Plures enim Summi Pontifices ſcriptis Apoſtolicis varias eximiaſque indulgentias locis ſanctis partim rogati, partim ſponte, liberaliter conceſſerunt, vel ex vno in alium locum eaſdem tranſtulerunt,

vel quas fidelium fides & pia deuotio celebrarat, confirmarunt, vt iam vidimus, & ampliùs infrà Capite v. & alibi videbimus.

CAPVT IV.

Terræ ſanctæ, nec non aliorum Orientis locorum Indulgentiæ.

IEroſolymis, & in alijs Terræ ſanctæ & Orientis locis verè eſſe indulgentias, diximus Capite ſuperiori, modò de illarum quantitate, qualitate & ratione differendum eſt, prout communiter in partibus iſtis eſſe creduntur, & in productis reperimus manuſcriptis, & apud doctiſſimum & accuratiſſimum Rodericum Tom. 2. Quæſt. reg. q. 92. inuenimus. Indulgentię verò illæ in duplici ſunt ordine: quædam enim ſunt plenariæ, quædam non plenariæ, ſeptem nimirum tantummodò annorum & totidem quadragenarum; de quibuſdam item habentur Bullæ Apoſtolicæ, de quibuſdam non. Acquiruntur verò, ſi quis ea loca veneretur, & in iſdem recitet ſemel Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica. Ego ordine diſponam XXV. Peregrinationes ad loca ſancta Iudææ, Samariæ, Galilææ, ac Ægypti, lociſque illis, in quibus obtinentur Indulgentiæ plenariæ, Crucis ſignum ✠ prænotabo; reliqua, quibus ſeptem tantùm annorum & totidem quadragenarú indulgentia annexa eſt, nullo erunt ſigno obſignata. Capite porrò ſequenti ſubijciam Bullas, vel peculiaria teſtimonia indulgentiarum, prout inuenire potui.

I. *Peregrinatio ex Joppen ad Ieruſalem, continet decem loca.*

✠ 1. Ciuitas Ioppen, ſiue Iaffa.
2. Rama ciuitas, cum ſacello S. Nicodemi.
3. Eccleſia S. Ioannis.
4. Eccleſia SS. Quadraginta Martyrum.
5. Lydda ciuitas, & in ea Eccleſia ſancti Georgij.
6. Caſtellum boni Latronis.
7. Eccleſia SS. Machabæorum.
8. Eccleſia S. Ieremiæ Prophetæ.
9. Vallis Terebinthi.
✠ 10. Sancta ciuitas Ieruſalem.

II. *Peregrinatio intra ſanctam Ciuitatem per quædam diuerſa loca, quæ ſunt quindecim.*

1. Eccleſia S. Saluatoris, & in ea
✠ 2. Altare Spiritus ſancti.
✠ 3. Altare Corporis Chriſti.
✠ 4. Altare apparitionis Chriſti factæ diuo Thomæ.
5. Locus vbi Chriſtus poſt reſurrectionem mulieribus apparuit, eiſque dixit, *Auete.*
✠ 6. Eccleſia S. Thomæ Apoſtoli.
7. Eccleſia S. Iacobi Maioris.
✠ 8. Templum Præſentationis B. Mariæ Virginis.
9. Carcer S. Petri Apoſtoli.
10. Eccleſia S. Ioannis Euang. quæ & domus eius & Zebedæi appellatur.
11. Eccleſia, ſiue domus Mariæ, matris Ioannis Marci.
✠ 12. Domus Phariſæi, quæ & S. Magdalenæ, vbi illi fuerunt peccata dimiſſa.
13. Probatica piſcina.
✠ 14. Eccleſia S. Annæ, & locus vbi concepta & nata fuit B. Virgo Maria.
✠ 15. Templum Domini, communiter templum Salomonis appellatum.

III. *Peregrinatio Montis Sion, vbi ſunt duodecim loca.*

✠ 1. Eccleſia SS. Apoſtolorum, vbi
2. Sanctum Domini Cœnaculum.
3. Locus vbi Chriſtus lauit pedes diſcipulorum.
4. Locus vbi Spiritus ſanctus venit ſuper Apoſtolos.
5. Locus vbi ſepulchrum fuit Dauidis Regis.
6. Locus vbi cecidit ſors ſuper Mathiam.
7. Locus diuiſionis Apoſtolorum.
8. Sepulchrum S. Stephani Protomartyris.
✠ 9. Domus in qua poſt Chriſti in cælos Aſcenſionem exit & obijt B. Virgo Maria.
10. Sacellum S. Ioannis Euangeliſtæ, in quo ipſe coram B. Virgine Sacris operabatur.
11. Locus vbi Iudæi voluerunt perdere corpus S. Mariæ Virginis, quando ad ſepulchrum portabatur.
12. Antrum vbi S. Petrus amarè fleuit.

IV. *Peregrinatio viæ Captiuitatis extra ſanctam Ciuitatem, in qua duodecim ſunt loca.*

1. Vallis Ioſaphat.
✠ 2. Torrens Cedron.
3. Villa Gethſemani.
4. Locus vbi Chriſtus octo Apoſtolos dimiſit.
5. Locus vbi Chriſtus tres reliquit Apoſtolos, dum iret ad orandũ Patrem.

✠ 6. Lo-

✠ 6. Locus vbi Chriſtus orauit & ſanguinem ſudauit.
✠ 7. Locus vbi Chriſtus oſculo traditus & comprehenſus fuit, à diſcipulis derelictus, &c.
✠ 8. Veſtigia Saluatoris in rupe Cedron impreſſa.
✠ 9. Domus Annæ Pontificis Iudæorum.
10. Oliua in domo Annæ ad quam Chriſtus fuit ligatus.
✠ 11. Domus Caiphæ Pontificis.
12. In ea carcer Chriſti, &c.

V. *Peregrinatio viæ crucis ſiue doloroſæ, quæ fit intra ſanctam Ciuitatem, continet octo loca.*

✠ 1. Palatium Pilati Præſidis, cum alijs ſanctis locis.
✠ 2. Eccleſia, & locus flagellationis Chriſti Domini.
✠ 3. Palatium Herodis Tetrarchæ Galilææ.
✠ 4. Arcus, vbi Pilatus Chriſtum Iudæis oſtendit, & dixit, *Ecce homo.*
5. Templum S. Mariæ de Spaſmo.
6. Triuium vbi coactus fuit Simon Cyrenęus portare Crucem poſt Ieſum, vbi & alia contigerunt.
7. Domus ſanctæ Veronicæ.
8. Porta Iudiciaria.

VI. *Peregrinatio extra ſanctam Ciuitatem in eius plaga Orientali, in qua duodecim inuiſuntur loca.*

1. Eccleſia S. Mariæ Virginis in Valle Ioſaphat, vbi
✠ 2. Sepulchrum eiuſdem Deiparæ.
3. Sepulchrum S. Ioſeph ſponſi Virginis.
4. Sepulchra S S. Ioachim & Annæ parentum Deiparæ.
5. Sepulchrum Ioſaphat Regis Iuda.
6. Antrum S. Iacobi Minoris.
7. Sepulchrum Zachariæ Prophetæ, quem Iudæi occiderunt inter templum & altare.
8. Vallis Siloë.
9. Puteus Nehemiæ, ſiue ignis.
10. Latibula Apoſtolorum, ad quę, Chriſto relicto, ſe receperant.
11. Haceldama, id eſt, ager ſanguinis.
12. Fons B. Mariæ Virginis.

VII. *Peregrinatio Montis Olineti continet ſeptem loca.*

1. Locus vbi S. Stephanus fuit lapidatus.
2. Locus vbi corpus S. Stephani iacuit antequam honorificè ſepulturæ traderetur.
3. Pons ſupra torrentem Cedron ædificatus.
4. Sacer mons Oliuarum.
5. Locus vbi aliquando B. Virgo Maria quieuit & orauit.
6. Locus vbi S. Thomas Apoſtolus accepit cingulum B. Virginis Mariæ, poſt eius in cælum aſſumptionem.
7. Locus vbi Chriſtus ſuper ciuitatem fleuit.

VIII. *Peregrinatio alia Montis Olineti, in qua octo inuiſuntur loca.*

1. Locus vbi Apoſtoli compoſuerunt Symbolum *Credo*, &c.
2. Locus vbi Chriſtus orauit & orare docuit.
3. Sepulchra Prophetarum.
4. Locus vbi Chriſtus Ieroſolymæ deſtructionem, & ſæculi conſummationem prædixit.
5. Antrum S. Pelagiæ pœnitentis.
✠ 6. Locus vnde Chriſtus ad cælos aſcendit.
7. Locus dictus *Viri Galilæi.*
8. Locus vbi Maria Virgo morti proxima ab Angelo palmam accepit.

IX. *Peregrinatio Ieroſolymâ Bethaniam & Bethphage verſus, quæ continet duodecim loca.*

1. Campus vbi Chriſtus maledictione arefecit ficulneam.
2. Domus Simonis Leproſi Phariſæi.
3. Caſtellũ Lazari fratris Mariæ Magdalenæ & Marthæ.
✠ 4. Sepulchrum Lazari.
5. Bethania caſtellum.
6. Domus S. Mariæ Magdalenæ.
7. Domus S. Marthæ.
8. Ciſterna S. Marthæ.
✠ 9. Lapis Bethaniæ vbi ſedit Chriſtus.
10. Bethphage.
11. Caſtellum *Contra vos* vel *aſinæ* appellatum.
✠ 12. Porta ſanctæ Ciuitatis per quam intrauit Chriſtus in die Palmarum, *Porta aurea* nuncupata.

X. *Peregrinatio ſanctiſſimi Domini Sepulchri, in qua ſeptemdecim honorantur loca.*

✠ 1. Sacellum Apparitionis Chriſti, factæ B. Mariæ Virgini.

✠ 2. Columna flagellationis.
3. Carcer Christi Domini.
4. Capella S. Longini, siue tituli sanctæ Crucis.
5. Capella diuisionis vestimentorum Christi.
✠ 6. Locus inuentionis S. Crucis.
✠ 7. Sacellum S. Helenæ.
8. Capella improperiorum Christi.
✠ 9. Caluariæ sacratissimus mons, vbi Christus fuit crucifixus.
✠ 10. Locus vbi fuit in cruce exaltatus, & emisit spiritum, & scissura montis.
11. Sacellum Adæ, vbi iacuit caput eius.
✠ 12. Petra vnctionis Christi Domini.
13. Locus vbi noti Christi stabant à longè, dum crucifigeretur; & mulieres, dum sanctum corpus vngeretur.
14. Locus vbi mulieres respiciebant contra Sepulchrum.
✠ 15. Gloriosum Domini nostri Iesu Christi Sepulchrum.
16. Locus vbi Christus in hortulani habitu apparuit Mariæ Magdalenæ.
17. Sepulchrum Ioseph ab Arimathia.

XI. *Peregrinatio plateæ templi Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, septem continet loca.*

1. Capella S. Mariæ Virginis & S. Ioannis Euangelistæ, vbi scala, qua olim ad Caluariæ montem ascendebatur.
2. Capella sanctorum Angelorum.
3. Capella S. Ioannis Baptistæ.
4. Capella S. Mariæ Magdalenæ.
5. Locus vbi Melchisedech obtulit panem & vinum, & Abrahæ occurrit.
6. Locus vbi Abraham voluit Isaac sacrificare.
7. Arbor vbi erat aries hærens cornibus, quem Abraham pro Isaac sacrificauit.

XII. *Peregrinatio Ierosolymâ ad sanctam ciuitatem Bethleem, in qua octo occurrunt memorabilia.*

1. Turris S. Simeonis senis.
2. Terebinthus S. Mariæ Virginis.
3. Cisterna trium Regum.
4. Sanctus Elias Propheta.
5. Habacuc Propheta, id est, locus translationis eius.
6. Domus vel turris Iacob.
7. Sepulchrum Rachelis vxoris Iacob.
8. Bethleem sancta, ciuitas Dauid.

XIII. *Peregrinatio ad locum Natiuitatis Domini, continens duodecim loca.*

1. Schola S. Hieronymi.
2. Ecclesia S. Mariæ Virginis.
✠ 3. Ecclesia S. Catharinæ virginis & martyris.
✠ 4. Crypta natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, in qua est locus vbi idem est natus.
✠ 5. Locus vbi reclinabatur in præsepio.
✠ 6. Locus vbi adorabatur à Magis.
7. Sacellum S. Ioseph sponsi Deiparæ.
8. Sepulchrum SS. Innocentium.
9. Oratorium S. Hieronymi.
10. Sepulchrum S. Hieronymi.
11. Sepulchrum S. Paulæ, & Eustochij filiæ eius.
12. Sepulchrum S. Eusebij Cremonensis Abbatis.

XIV. *Peregrinatio circa Bethleem, in qua octo inuisuntur loca.*

1. Antrum S. Mariæ Virginis, vel Ecclesia S. Nicolai.
2. Monasterium S. Paulæ.
3. Domus S. Ioseph sponsi S. Mariæ Virginis.
4. Villa pastorum.
✠ 5. Ecclesia sanctorum Angelorum in loco vbi fuit pastoribus Christi natiuitas nuntiata.
6. Ciuitas Thecua.
7. Engaddi desertum, vbi Dauid se abscondit.
8. Monasterium sancti Sabæ Abbatis.

XV. *Peregrinatio ex Bethleem ad montana Iudææ & Ierusalem, sex continet loca.*

1. Fons S. Philippi.
2. Montana Iudææ.
3. Desertum & antrum sancti Ioannis Baptistæ.
4. Domus Zachariæ, in quam intrauit B. Virgo Maria quando salutauit Elisabeth.
✠ 5. Ecclesia & locus vbi natus est sanctus Ioannes Baptista.
6. Ecclesia sanctæ Crucis.

XVI. *Peregrinatio ex Ierusalem ad Castellum Emaus, sex continet loca.*

1. Locus vbi Christus iunxit se duobus discipulis euntibus Emauntem.
✠ 2. Emaus Castellum, & domus Cleophæ,

Digitized by Google

phæ, vbi Christus fuit cognitus in fractione panis.
3. Sepulchrum S. Samuelis in monte Ephraim.
4. Fons S. Samuelis.
5. Sepulchra Iudicum Israël.
6. Sepulchra Regum Israël.

XVII. *Peregrinatio ex Ierusalem ad Iordanem, continet octo loca.*

1. Fons sanctorum Apostolorum.
✠ 2. Iordanis fluuius.
3. Ecclesia S. Ioannis Baptistæ.
4. Monasterium S. Hieronymi in vasta solitudine.
5. Domus Zachæi publicani.
6. Ciuitas Iericho.
7. Fons Elisei Prophetæ.
✠ 8. Sacer mons Quarantanæ.

XVIII. *Peregrinatio ex Ierusalem in Hebron, vbi septem inuisuntur loca.*

1. Villa B. Mariæ Virginis.
2. Conuallis Mambre.
3. Locus vbi Abraham Angelos hospitio recepit.
4. Ciuitas Hebron.
5. Spelunca duplex.
6. Ager Damascenus.
7. Ecclesia Quadraginta Martyrum.

XIX. *Peregrinatio ex Iudæa in Galilæam vsque ad Nazareth ciuitatem, continet quindecim loca.*

1. Machmas, siue Elbir, vbi Ecclesia S. Mariæ Virginis.
✠ 2. Puteus Samaritanæ, & prædium Iacob.
3. Ciuitas Sichar.
4. Sebaste, vbi Ecclesia S. Ioannis Baptistæ.
5. Iemni siue Ginin, pagus Samariæ.
✠ 6. Ciuitas Naïn.
✠ 7. Sanctus mons Thabor.
✠ 8. Ciuitas Nazareth, & Ecclesia Annuntiationis S. Mariæ Virginis.
9. Domus Ioseph sponsi Deiparæ Virginis.
10. Fons Iesu & Mariæ Virginis, siue S. Gabrielis Ecclesia.
11. Ecclesia, vulgò *S. Maria del timor* appellata.
12. Mensa Christi.
13. Saltus siue Præcipitium Domini.
14. Sapha viculus, patria Zebedæi & filiorum eius.
15. Sephoris, patria Ioachim & Annæ parentum sanctissimæ Dei Genitricis.

XX. *Peregrinatio à Nazareth vsque ad vadum Iacob, & Iordanis pontem, nouem continet loca.*

✠ 1. Cana Galilææ ciuitas.
2. Montes vbi Christus ex paucis panibus & piscibus quatuor & quinque millia hominum satiauit.
3. Ciuitas Tiberiadis.
4. Magdalus castellum Mariæ Magdalenæ.
5. Bethsaida ciuitas, S. Petri patria.
6. Ciuitas Capharnaum.
7. Mare Galilææ.
8. Cisterna Ioseph, in quam fuit proiectus.
9. Vadum Iacob, & pons supra Iordanē.

XXI. *Peregrinatio Damasci continet quinque loca.*

1. Locus conuersionis S. Pauli Apostoli. In ciuitate Damasci,
2. Domus Ananiæ, qui Paulum baptizauit.
3. Domus Iudæ vbi tribus diebus mansit Paulus.
4. Ecclesia vbi fons in quo Paulus fuit baptizatus.
5. Fenestra per quam S. Paulus fuit à fratribus dimissus.

XXII. *Peregrinatio ex Ioppen ad Libanum montem, continet decem loca.*

1. Cæsarea Palæstinæ.
2. Castrum peregrinorum.
3. Carmelus mons.
4. Sarephta ciuitas maritima.
5. Sidon ciuitas, vulgò *Saida.*
6. Ptolemaida ciuitas.
7. Berithus ciuitas, & in ea Ecclesiæ.
8. Libanus mons, & ibi Ecclesiæ.
9. Tripolis, Syriæ ciuitas, &c.
10. Antiochia Syriæ Metropolis.

XXIII. *Peregrinatio Ægypti, & ad Cairum, continet tria loca.*

In magna Cairo, præcipua Ægypti ciuitate, sunt plures Ecclesiæ Christianorum, inter quas sequentes sunt magis memorabiles.

1. Ecclesia S. Mariæ de Columna, in qua sepultum fuit corpus S. Barbaræ virginis & martyris.
2. Ecclesia Iacobitarum, in qua dici-

tur habitasse B. Virgo Maria cum puero Iesu: ibiq; monstratur locus vbi Deipara filium suum reclinabat.

3. Apud Mataream est fons B. Mariæ Virginis, & locus vbi habitauit cum puero Iesu & sponsô Ioseph.

XXIV. *Peregrinatio montis Sinai habet septem loca.*

1. Mons Horeb, Moysi nunc appellatus, vbi aliqua sacella.
2. Ecclesia quadraginta Martyrum prope montem Sinai.
3. Mons Sinai, siue S. Catharinæ virginis & martyris.
4. Sacellum in summitate montis, vbi corpus B. Catharinæ fuit ab Angelis collocatum.
5. Petra Horeb, quę virgâ à Moyse percussa, dedit aquas largissimas.
6. Ecclesia S. Saluatoris, in qua sunt Reliquiæ S. Catharinæ.
7. Locus vbi Dominus apparuit Moysi in rubo.

XXV. *Peregrinatio Alexandriæ, in qua tria recensentur loca.*

1. Ecclesia S. Catharinæ virginis & martyris, ibiq́ue locus vbi fuit martyrio affecta.
2. Ecclesia S. Marci, vbi prædicabat, & Missam celebrauit, & vbi fuit captus & martyrio coronatus.
3. Sunt ibi aliæ Ecclesiæ, & per Ægyptum alia loca sancta, vt apud desertum S. Macarij, S. Antonij, &c.

Aduerte, alia etiam loca memorabilia esse in Terra sancta ab ijs quæ hîc enumeraui, in quibus erit Indulgentia septem annorum, & totidem quadragenarium: sed satis visum est recensuisse memorata, vt magis principalia ac frequentata.

CAPVT V.

Vnde aliquæ ex recitatis indulgentijs confirmentur.

QVoad primæ Peregrinationis loca dicimus, in duobus esse indulgentiam plenariam, in primo, id est in Ioppen, & in decimo, id est, Ierusalem. De ciuitate Ioppe, sicut & de quolibet portu Terræ sanctæ, ad quem primò appulerint peregrini, agimus, ex F. Bonifacio & alijs, ad initium Libri IV. huius Operis. Addo tamen hîc ex alijs, Paulum V. concessisse duplicem plenariam indulgentiam proficiscentibus ad terras infidelium; alteram, quando se itineri accingunt; alteram, quando ad eas perueniunt, etiam si in itinere contingat eos è viuis decedere, & quidem in forma Iubilei.

Est etiam Ierosolymis indulgentia plenaria: statim enim ac Terræ sanctæ peregrini ad sanctam ciuitatem peruenerint, consequuntur suorum criminum plenariam remissionem. Ita habetur in Reuelationibus S. Birgittæ lib. 4. cap. 114. Cùm enim hæc Christi sponsa aliquando super desolata ciuitate Sipontina sponso Iesu hanc moueret quæstionem: *O Domine mi charissime, ego credo quòd illi loco Siponti multæ gratiæ & indulgentiæ concessæ fuerunt à Pontificibus; numquid, quia muri destructi sunt, etiam gratia abolita sunt? Respondit Christus: Quis locus sanctior est Ierusalem, vbi ego ipse Deus impressi vestigia mea? quis locus nunc despectior, qui ab infidelibus inhabitatur & conculcatur? Attamen quicumque in Ierusalem veniunt, eamdem priorem gratiam inueniunt, & remissionem. Simile est de loco isto, quicumque venerit ad eum ex charitate & perfecta voluntate, participabitur eadem gratia & benedictione, quam ciuitas illa habuit tempore quo habuit in gloria sua, propter fidem aduenientium, & laborem charitatiu.* Hæc ibi.

Pro nonnullis alijs locis aliarum Peregrinationum faciunt sequentia. Quòd sit plenaria Indulgentia apud Ecclesiam sancti Thomæ quinto, & S. Mariæ Magdalenæ vndecimo loco Peregrinationis secundæ, & in Sacello S. Helenæ septimo loco decimæ Peregrinationis, & intra templum Dominicæ Resurrectionis, indicant quæ sequuntur, quæ & inueni in calce libelli priuilegiorum Terræ sanctæ, eo prorsus tenore vt sequitur.

Indulgentiæ concessæ quibusdam locis Terræ sanctæ.

BEatissime Pater. In districtu ciuitatis Ierosolymæ, in qua Domini nostri Iesu Christi consistit Sepulchrum, existit capella sub S. Thomæ Apostoli, sub S. Helenæ & beatæ Mariæ Magdalenæ, quæ domus ipsius fuisse dicitur, titulis nuncupata, loca inter alia consistunt, quæ Christi fideles, ad illas partes peregrinationis, deuotionis, aliáve causa se conferentes, & inibi existentes, magna cum veneratione visitare consueuerunt, & illas visitando septem dumtaxat annorum, & totidem quadragenarum, ipsis locis concessas indulgentias consequuntur. Vt autem Christi fideles prædicti, ad capella & locorum prædictorum visitationem fiendam tantò feruentiores reddantur, quantò inibi dono cælestis gratiæ

Digitized by Google

gratia conſpexerint ſe refectos, omnibus & ſingulis prædictis, & alijs quibuſcumque Chriſti fidelium vtriuſque ſexus, qui capellam & loca prædicta deuotè viſitauerint, vt quoties id fecerint, plenariam indulgentiam, omniumq; peccatorum ſuorum remiſſionem conſequantur, concedere & elargiri dignemini de gratia ſpeciali. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis, hisq; ac ſi litteræ Apoſtolicæ ſuper hoc, cum plumbo expeditæ, & vbilibet publicatæ forent, valituris, in contrarium facientibus, non obſtantibusquibuſcumq. Conceſſit, vt petitur in præſentia D. N. PP. Datt. Et de indulgentia ac plenaria remiſſione huiuſmodi perpetuò duratura, vt præfertur, & quòd præſentis ſignationis ſola ſignatura ſufficiat, valeatq; ac ſi litteræ Apoſtolicæ ad perpetuam rei memoriam deſuper expeditæ forent, conceſſit vt ſuprà. Stef. Datt. Datum Romæ apud S. Petrum, pridie Calendas Maij, anno nono. Ita ad litteram ibi.

Et quiſnam fuit Pontifex, qui prædictas conceſſit Indulgentias? Cùm ex initio oraculi, vel ex petitione innoteſcere non poſſit, cùm omne ſupprimatur nomen; ex ſignatura, ex datis, auctor perquirendus eſt. Signatura eſt, Stephani Datarij: tempus in quo datum fuit oraculum prædictum viuæ vocis, eſt annus nonus Pontificis. Cardinales Stephani nomine appellatos, qui obtinere vel firmare potuerint diplomata & gratias pro Fratribus Terræ ſanctæ, tantùm inuenio in Pontificatu Innocentij IV. & Leonis IX. nam alij eiuſdem nominis Cardinales vel extiterunt ſub Pontificibus qui præceſſerunt fundationem Ordinis Minorum, vel tempore quo incepit, hoc eſt ſub Innocentio III. Sed tunc non erat admiſſus Ordo Seraphicus ad regimen locorum ſanctorum: igitur erit vnus ex illis qui floruerunt ſub Innocentio IV. vel Leone IX. non ex illis qui fuerunt ſub Leone IX. quoniam hic Pontifex vixit dumtaxat in Pontificatu annos quinq;, menſes duos, dies octo, & litteræ datæ ſunt anno nono Pontificatus; erit ergo Pontifex qui conceſſit prædictum viuæ vocis oraculum, Innocentius IV. qui ſedit in Pontificatu annos vndecim, menſes quinque, dies quatuordecim, & Cardinalis erit Stephanus Hungarus ex Archiepiſcopo Strigonenſi ab iſto Pontifice creatus Epiſcopus Cardinalis Prænestinus, in ordine decimus ſextus. Hæc videri poſſunt clarè apud Ciaconem in Vitis Pontificum. Accedit, quòd, quemadmodum hic Pontifex Innocentius IV. multas alias conceſſit gratias locis ſanctis, vt in progreſſu videbimus, ita potuerit & conceſſiſſe quas iam indicauimus.

Item eſſe plenariam Indulgentiam vbi Chriſtus orauit & ſudauit ſanguinem, loco ſexto, & vbi captus fuit, loco ſeptimo Peregrinationis quartæ, ſequentia quæ in iam citato libello ſubijciuntur ad præmiſſa, demonſtrant: *Papa Innocentius 6. Februarij* 1408. *conceſſit plenariam indulgentiam perpetuis temporibus duraturam; Primò in cauerna ſubterranea, in qua lacrymosè orauit Chriſtus, nec non effundere proprium ſanguinem haud negauit. Secundò in horto vbi vituperosè à perfidis Iudæis fuit captus, vinculisq; illicò traditus.*

Quiſnam fuerit hic Innocentius, me latet, quia anno Domini citato 1408. nullus fuit Pontifex eo nomine inſignitus. Faciliùs mendum arbitror in numero, quàm in nomine Pontificis: ac ideò dicendum, vel eſſe Innocentium IV. qui dedit præcedens viuæ vocis oraculum; vel Innocentium VII. & hoc probabiliter, quia commodiùs poteſt numerus accõmodari, ponendo pro 1408. 1404. vel 1405. hiſce enim annis Eccleſiæ ille præfuit. Magis mutaretur numerus, ſi diceretur fuiſſe Innocentium VIII. quia pro anno 1408. ponendus eſſet vel 1484. in quo Pontificatum ille ſuſcepit, vel quis alius vſque ad annum 1492. in quo viuere deſijt, vt videre eſt in Catalogo Pontificum. Sed vtut ſit, parum refert; ſufficit nobis Summum Pontificem eas indulgentias conceſſiſſe.

In archiuo etiam ſacri Montis Sion inueni duas Bullas Pontificias, in quibus confirmantur & de nouo conceduntur indulgentiæ. Altera eſt Pij IV. altera Sixti V. In priore confirmantur indulgentiæ tabulæ antiquæ cuius ſuperiùs meminimus, quæ & videri poteſt ſuprà in Bullis Summorum Pontificum: & has indulgentias credo illas eſſe, quas ex veteri manuſcripto recenſui. Tranſtulit item hic Pontifex eas quæ erant in Eccleſia S. Cœnaculi in monte Sion, ad Eccleſiam S. Saluatoris intra muros Ieruſalem; adeoq; in tribus primis locis ſecundæ Peregrinationis, quæ ſunt in Templo S. Saluatoris, eſt indulgentia plenaria, & omnes reliquæ auctoritate Apoſtolica ſunt confirmatæ.

In poſteriore verò Bulla Sixti V. peculiares recenſentur indulgentiæ, non ſolùm Terræ ſanctæ, verùm etiam alijs Orientis locis conceſſæ. Sed dum loquimur de ijs quæ ſunt conceſſæ Terræ ſanctæ locis, dicimus illas eſſe plenarias, quas eſſe diximus in ſacro Caluariæ monte, & Domini Sepulchro, nono, decimo, ac decimotertio loco decimæ Peregrinationis, & ad Præſepe Domini; & probabiliter in loco Natiuitatis eiuſdem Domini, quarto & quinto loco

decimæ

decimæ tertiæ Peregrinationis. Bullæ verba hæc ſunt: *Præterea de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, vniuerſis & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, etiam in infidelium ſeruitute detentis, verè pœnitentibus & confeſsis, qui ſanctiſsimum Sepulchrum, montem Caluarium, ac Præſepe ſanctiſsimum Domini noſtri deuotè viſitauerint, plenariam: nec non ijs, qui monaſteria ſeu regulares domos dicti Ordinis* (Minorum) *illorumq; Eccleſias & Oratoria, tam in dictis locis quàm Conſtantinopoli, & alijs ciuitatibus & locis illarum partium, in Domini noſtri Ieſu Chriſti, & B. Virginis Mariæ ac beatorum Apoſtolorum, nec non eiuſdem B. Mariæ, Aegyptiacæ nuncupatæ, & S. Ioannis Chryſoſtomi natiuitatum feſtiuitatibus deuotè viſitauerint, ac inibi pias ad Deum preces effuderint, quo die ſingularum feſtiuitatum huiuſmodi id fecerint, plenariam omnium & ſingulorum peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſsionem Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus & elargimur. Non obſtante regula noſtræ, per quam volumus, quòd ſi Eccleſiæ & perſonis, quibus indulgentia conceditur, aliqualis indulgentia conceſſa ſit, huiuſmodi litteræ ſint nullæ; alijſq; conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſq; contrarijs quibuſcumque*, &c. Ita Pontifex Bulla 1.

In hac Sixti V. conceſſione duo obſeruo; alterum, quædam eum concedere quę aliàs fuerunt conceſſa, indulgentiam videlicet plenariam viſitantibus Domini noſtri Sepulchrum, Caluariæ montem, & Præſepe. Hanc priùs fuiſſe in memoratis locis, manifeſtè ex iam dictis conſtat, & in Reuelationibus S. Birgittæ lib. 7. cap. 14. ſingulariter legitur, peregrinos ſuorum criminum plenariam indulgentiam conſequi, ſi viſitauerint Dominicum Sepulchrum, vt annotamus Lib. III. Cap. XVI. Alterum eſt, aliquid eum concedere amplius, quàm antè conceſſum fuerit viſitantibus Eccleſias Minorum: horum enim Eccleſias qui viſitauerint vbique terrarum in feſtiuitatibus Chriſti & B. Mariæ, lucrantur in quocumq; feſto 548. annos & 260. dies indulgentiarum, vt videre eſt apud Rodericum Tomo 2. Quæſt. regul. q. 87. art. 5. qui verò eorumdem Eccleſias in partibus illis viſitauerint in feſtiuitatibus Natiuitatis Domini, B. Mariæ, Apoſtolorum, &c. conſequuntur indulgentiam plenariam.

Collector priuilegiorum Terræ ſanctæ in ſuo libello cap. 12. tradit teneri, in pluribus locis Terræ ſanctæ eſſe plenariam indulgentiam, ſcilicet *in Eccleſia S. Sepulchri, vbi in quatuor locis eſſe firmatur, ſcilicet in loco Caluariæ, vbi Chriſtus crucifixus eſt; in loco ante portam Eccleſiæ, vbi Chriſtus vnctus eſt; in loco Sepulchri, vbi ſepultus eſt; & in loco ſanctiſsimæ Crucis, vbi ſacratiſsima Crux inuenta eſt. In monte Sion plenaria indulgentia eſſe firmatur in tribus locis, ſcilicet in S. Cœnaculo, vbi altiſsimum Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti inſtitutum eſt; extra Cœnaculum in loco vbi Spiritus ſanctus deſcendit in Apoſtolos; extra locum Fratrum, vbi Virgo beatiſsima obijt. Eſt etiam plenaria indulgentia circa portam auream, & in domo Pilati, vbi Chriſtus deriſus, flagellatus, & ad mortem condemnatus eſt. Hæ omnes indulgentiæ ſunt in Ieruſalem, & in circuitu. Multæ aliæ indulgentiæ ſunt in Ieruſalem & in circuitu, ſed non plenariæ, ſed ſolùm ſeptem annorum, & totidem quadragenarum, quas longum eſſet deſcribere. Sunt inſuper aliæ indulgentiæ plenariæ remotæ à Ieroſolymis, videlicet in Iordane, vbi Chriſtus baptizatus fuit; in Quarantana, vbi Chriſtus ieiunauit quadraginta diebus. In Bethleem eſt plenaria indulgentia in capella ſancta vbi Chriſtus natus eſt, &, ſecundùm communem aſſertionem, vbi Chriſtus circumciſus fuit, & vbi Magi eum adorauerunt; in Bethania, vbi Lazarus reſuſcitatus fuit, & in pluribus alijs locis. Sunt & aliæ multæ non plenariæ, ſcilicet ſeptem annorum, & totidem quadragenarum*, &c.

Paulus V. anno Domini 1621. die 15. Ianuarij ad inſtantiam Pauli de Madrito, Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ, Commiſſarij Terræ ſanctæ, indulgentias & varias gratias conceſſit crucibus & coronis in ſancta ciuitate Ieruſalem, vel Bethleem, & lignis inde aſſumptis, elaboratis, à Fratribus gratis diſtribuendis, prout in Bulla quoad hoc data continetur, quam hîc non ſubijcio, quia facultas eam imprimendi ab eodem Summo Pontifice denegata eſt.

Denique Vrbanus VIII. conceſſit altare priuilegiatum pro mortuis in præcipuo loco Eccleſiæ ſancti Sepulchri Reparatoris noſtri: quia tamen illud priuilegium ad certum dumtaxat tempus limitatum eſt, & maiora interim ab eodem Pontifice expectantur, ſubſcribere Bullam non eſt viſum operæ pretium.

CAPVT VI.

De priuilegijs indulgentiarum in gratiam locorum Terræ ſanctæ perſonis Religioſis conceſſarum.

EGimus de gratijs quæ ipſiſmet locis ſanctis conceſſæ ſunt, id eſt, de indulgentijs quæ non niſi in locis ſanctis comparantur:

rantur: ſermonem iam inſtituemus de alijs gratijs quæ varijs perſonis Religioſis & ſæcularibus, Prælatis & ſubditis, intuitu eorumdem locorum ſanctorum ſunt indultæ. Et quidem ſi ſermonem inſtituamus de Religioſis regimini ſanctorum locorum deputatis, dico eos quatuor eximijs priuilegijs, quantum ad indulgentiarum conſecutionem, eſſe ditatos.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

Minorita infirmantes locis ſanctis vſque ad finem vitæ, indulgentiam plenariam conſequuntur.

In primis, Fratres qui ad Terram ſanctam proficiſcuntur, & in illius cuſtodia vſque ad finem vitæ perſeuerant, plenariam peccatorum ſuorum indulgentiam conſequuntur, ſi de illis pœnituerint, & ritè eorumdem confeſſionem fecerint. Hoc priuilegium conceſſit Alexander IV. Pontifex maximus hiſce verbis: *Dilectis filijs, Miniſtro & Fratribus Minorum de Prouincia Syriæ ſalutem, &c.* & infrà: *De omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi, vobis, & vniuerſis ac ſingulis veſtrùm, verè pœnitentibus & confeſſis, in Prouincia Terræ ſanctæ præmiſſis & alijs pijs operibus, quantum in vobis fuerit, vſque ad vltimum vitæ inſiſtentibus, illam concedimus peccatorum veniam, quæ transfretantibus in eiuſdem Terræ ſubſidium, in generali Concilio eſt conceſſa.*

Declaratio Priuilegij.

Minorita Terræ ſanctæ comparantur exponentibus vitam pro ſubſidio Terræ ſanctæ.

Pro huius priuilegij declaratione quinque obſeruanda veniunt. Primum, Fratres Terræ ſanctæ æquiparari, vel certè comparati illis, qui propriam vitam exponunt, & cuncta quæ habent, pro ſubſidio Terræ ſanctæ. Et meritò quidem; quoniam, ſicut ait D. Ambroſius, relatus in c. Non pila. & c. Conuenior. 23. q. 8. *Orationes & lacrymæ ſunt arma Sacerdotum.* & facit c. Si quis vult. diſt. 36. vbi ponitur exemplum Moyſi, quo orante populus Iſraël vincebat, &c. Facit etiam c. Viduæ. diſt. 81. & c. Victor. diſt. 97. Quantò ergo magis æquiparari merentur qui ijſdem operibus inſiſtunt in Terra ſancta, pro eiuſdem gubernatione, & alijs honeſtis finibus (de quibus ſermo erit Lib. III. Capite VI. & alijs ſequentibus) cum euidenti propriæ vitæ periculo?

Alterum notandum eſt, ſecundùm iam citatum Collectorem priuilegiorum Terræ ſanctæ cap. 12. Concilium generale, de quo fit mentio in Papæ Alexandri Bulla, non contineri in Iure: *ſed fortè*, ait, *fuit alicubi congregatum Concilium generale, in quo determinatum fuit de plenaria indulgentia transfretantium in ſubſidium Terræ ſanctæ.* Arbitror ego, hanc indulgentiam eſſe illam quam Vrbanus II. Pont. Max. conceſſit omnibus qui crucem ſuſcepiſſent pro expeditione ad Terram ſanctam recuperandam; cuius indulgentiæ plures meminerunt, S. Bernardus in Epiſt. ad Epiſcopum, Clerum, & populum Spirenſem, Petrus Bleſenſis in Tract. de Peregr. Ieroſolymitana acceleranda, Thomas Cant. lib. 2. Exempl. cap. 2. ſect. 10. Turrianus lib. 4. Dogmat. pag. 217. Antoninus 2. Part. Hiſtor. tit. 16. cap. 1. §. 23. Iacobus Gretſerus Tom. 3. lib. 2. de S. Cruce, cap. 4. quam & indulgentiam poſteà confirmauit Eugenius Papa in Epiſtola, qua fideles ad ſacrum bellũ hortatur, & Innocentius III. in Concilio Lateranenſi, & in Epiſtola ad vniuerſos Chriſti fideles per Moguntinam prouinciam conſtitutos, & Concilium Lugdunenſe ſub Innocentio IV. de Cruciata, de quibus ſuprà in Bullis Pontificum, & Capite ſequenti.

Habetur Tomo 4. Conciliorum generalium.

Tertium notandum ſit, plenariam illam indulgentiam concedi non ſolùm Fratribus in locis ſanctis vſq; ad finem vitæ habitantibus, ſed etiam in alijs partibus Syriæ, in ſanctis operibus pro Catholicæ fidei augmento laborantibus: Bulla enim Pontificis non directa eſt ad Fratres habitantes in Terra ſancta tantùm, ſed generatim ad Fratres Prouinciæ Syriæ, cùm Fratres necdum à Clemente V. (qui Alexandro IV. ſucceſſit) habuerant Pontificiam auctoritatem habitandi in ſancta ciuitate Ieruſalem, Monte Sion, &c. vt notauimus Libro 1. Cap. LXVII. quò facit quod ſuprà notauimus Cap. 11. Dubio v. in fine.

Quartum notandum, quod tertium magis explicat, eſt, ad conſequendam illam indulgentiam nõ eſſe neceſſariam continuam in locis ſanctis habitationem, ſed ſufficere habitationem in Syria, vel etiam Ægypto, & quibuſuis alijs locis infidelium, in ſpiritualibus Guardiano ſacri Montis Sion ſubiectis, pro illorum ſubſidio, & infidelium conuerſione, vt patet ex adductis Bullæ verbis, & ex alijs præcedentibus, quæ ſic habent: *Ex relatu fide dignorum accepimus, quòd vos populo Chriſtiano, pro defenſione fidei contra Saracenos illarum partium periclitanti, non ſine periculis perſonarum veſtrarum, olim fideliter adſtitiſtis; & ita pro eodem populo in prædicationibus ac ſalutaribus monitis, & audiendis ſuis confeſſionibus laboratis, quòd nonnulli Fratrum veſtrorum ibi degentium, inſiſtentes huiuſmodi pietatis operibus, ipſorum gladijs pro Chriſti nomine ſunt perempti,* &c. Ecce quomodo pro bonis operibus, in quibus ſe in partibus iſtis exercent Fratres, Papa elargitur illam plenariam indulgentiam: non ergo otiosè ibi viuendum pro illius conſe-

conſecutione. Pro huius notabilis maiori explicatione & confirmatione lege quæ ſuprà diximus Capite 11. in ſolutione Dubij IV.

Quintum denique notandum eſt, illam gratiam non eſſe adeò propriam & peculiarem Fratribus Terræ ſanctæ, quò minùs & alij eiuſmodi perfruantur: ſimilem enim Sixtus Papa V. conceſſit Fratribus Diſcalceatis de Obſeruantia, proficiſcentibus in Indias & inſulas Philippinas ob illarum gentium conuerſionem. Sic enim ait Pontifex, referente Roderico in Compendio, Bulla 12. Sixti V. *Sixtus Papa V.* &c. & infrà: *Cùm itaque, ſicut accepimus, dilecti filij Fratres Diſcalceati de Obſeruantia Prouinciæ S. Gregorij in Indijs & in inſulis Philippinis in Gentilium conuerſione maximè laborent, & ſancti Spiritus gratia multum proficiant; Nos eorum pia ſtudia pio intimi cordis affectu complectentes, illoſq; ſpiritualibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, vniuerſis & ſingulis dicti Ordinis Religioſis, qui pro Chriſti amore, & obedientiæ merito, conuerſioni huiuſmodi Gentilium in dictis Indiarum partibus procurandæ ſe accinxerint, Apoſtolica benedictione benedicimus, nec non ipſis tam die quo in ipſas Indias peruenerint, ſi confeſſione prauia ſanctiſſimam Communionem ſuſceperint, nec non in mortis articulo, ſi contriti & confeſſi, aut cum propoſito confitendi, in itinere, ſiue in ipſa conuerſione deceſſerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus & elargimur. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 8. Nouembris 1576. Pontificatus noſtri anno 2.* Magna quidem eſt plenaria illa indulgentia, ſed &, vt vidimus, ſatis limitata; quia illam tantùm conſequuntur Fratres ſi perſeuerauerint in partibus illis vſque ad finem vitæ, &c. ideò maiorem alius Pontifex conceſſit, pro qua ſequens facit priuilegium.

Proficiſcentes ad Indias & inſulas Philippinas pro infidelium conuerſione, conſequuntur indulgentiam plenariam.

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

Iidem Terræ ſanctæ Fratres, præter memoratam præcedenti priuilegio indulgentiam, poſſunt eligere quem voluerint Confeſſarium, qui in mortis articulo ab omnibus peccatis illos abſoluat. Hanc facultatem illis conceſſit Martinus V. ita dicens: *Martinus Epiſcopus*, &c. *Dilectis filijs, Guardiano & Conuentui Ordinis Minorum Montis Sion, nec non ceteris in Bethleem, ac Sepulchro Dominico in Ieruſalem degentibus, ipſiſq; Ordinis Fratribus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* & infrà: *Veſtris ſupplicationibus inclinati, vt Confeſſor, quem veſtrûm quilibet duxerit eligendum, omnium peccatorum veſtrorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fueritis, ſemel tantùm in mortis articulo, plenam remiſſionem vobis in ſinceritate fidei, vnitate S. Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia & deuotione noſtra & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedere valeat, deuotionibus veſtris, & ſucceſſorum veſtrorum, tenore præſentium indulgemus. Sed ne (quod abſit) vel ſucceſſores ipſi propter huiuſmodi gratiam reddamini procliuiores ad illicita in poſterum committenda, volumus quòd ſi ex confidentia remiſſionis huiuſmodi aliqua fortè committeretis, quoad illa, prædicta remiſſio talia committentibus nullatenus ſuffragetur.*

Minorita Terræ ſanctæ mortis articulo poſſunt eligere quem voluerint Confeſſorem.

Declaratio.

Hæc conceſſio & ipſa ſatis reſtricta eſt, quia non prodeſt delinquentibus ex confidentia, & ſemel tantùm ea vti poſſunt Fratres, in mortis nimirum articulo. Quare ſi in illo eam conſequerentur, & poſtea liberarentur, in altero non poſſent ampliùs gaudere illa indulgentia, virtute iſtius priuilegij: quare nec pluribus immoror in illius explicatione, ſed ad maiora propero.

PRIVILEGIVM TERTIVM.

Poſſunt tertiò Fratres Terræ ſanctæ maiorem præcedentibus habere gratiam & indulgentiam, quia non modò ſub mortem, ſed etiam dum viuunt illam conſequi poſſunt. Ita illis conceſſerunt Clemens V. & Ioannes XXII. ſcribentes Fratribus in partibus infidelium commorantibus in hunc modum: *Præſentium auctoritate concedimus vobis indulgentiam, quam proficiſcentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium Sedes Apoſtolica concedere conſueuit, verè pœnitentibus & confeſſis.*

Proficiſcentes ad Terrã ſanctam conſequuntur plenariam indulgentiam.

PRIVILEGIVM QVARTVM.

Quartò denique ampliſſimam, & præcedentibus longe maiorem gratiam & indulgentiam habere poſſunt Fratres Terræ ſanctæ, quia ſola contritione, etiam ſine actuali confeſſione, ſi contingat ob Confeſſarij defectum, plenariam poſſunt conſequi indulgentiam. Et hanc habent priuilegio Eugenij IV. ſic ſcribentis P. F. Iacobo de Primadicijs de Bononia, tunc Ordinis Vicario generali in omnibus partibus infidelium, & ſucceſſoribus eius, ac Fratribus pro tempore in partibus infidelium exiſtentibus: *Singuli Confeſſores, præſentes & futuri, quos Vicarius & Fratres partium prædictarum dicti Ordinis pro tempore exiſtentes duxerint eligendos, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, plenariam remiſſionem in mortis articulo inuicem, nec non alijs Fratribus dicti Ordinis*

Minorita Terræ ſanctæ cum ſola contritione poſſunt indulgentiam conſequi plenariam.

Ordinis impendere valeant. Aut si Vicarius, siue Fratres ipsi Confessoris copiam habere nequiuerint, dummodo contriti existant, eamdem indulgentiam consequantur. Quodq; Confessores ipsi singulorum Fratrum confessiones audire, & pro commissis, quoties eis videbitur, etiam si talia essent propter quæ Sedes Apostolica foret consulenda, debitam absolutionem impendere, ac pœnitentiam iniungere salutarem; nec non ipsorum Fratrum singulos à quibuscumque sententijs, censuris, & pœnis, in ipsos quauis auctoritate, à Iure vel iudice promulgatas, absoluere, ac prædictis tribus casibus exceptis, super irregularitate per ipsos quomodolibet contracta dispensare possint & valeant, &c.

Declaratio.

Vicario generali in auctoritate supra Fratres Terræ sanctæ succedit eiusdem Terræ Præsidis.

Pro huius priuilegij declaratione, præter ea quæ dicemus inferiùs, acturi de gratijs quibus priuilegiati sunt Fratres Terræ sanctæ circa absolutiones & dispensationes, Cap. xix. & xx. & de facultate concedendi indulgentias Cap. xxiv. hîc breuiter tria obseruo. Primum, dicto Vicario in officio & onere succedere Generalem Ordinis Ministrum, vel Guardianum sacri Montis Sion; hic enim à Generali imò ab ipso Summo Pontifice (vt postea dicetur) habet auctoritatem supra Fratres in partibus istis, igitur honorem & facultatem illam pro dignitate exequendi: quia qui succedit in onere, etiam succedit in honore. c. Pastoralis. De Cleri. ægrotante. & c. Si Episcopus. De offic. ordin. Et qui sentit onus, sentire debet & commodum. c. Qui sentit. Et qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus. De regul. Iur. in 6. Itaque eamdem auctoritatem, quantum ad dicta, quam habuit dictus Vicarius, habet Præsul Terræ sanctæ.

Auctoritas Confessariorum in terris infidelium.

Alterum notandum est, quòd Confessores electi per Fratres in partibus infidelium, toties quoties necesse fuerit, possunt eos absoluere ab omnibus casibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, similiter ab omnibus sententijs, censuris, & pœnis quomodocumque contractis, & dispensare cum eis super omnibus irregularitatibus, tribus exceptis casibus, homicidij scilicet voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, sed de hoc infrà Cap. xix. Et obserua, hîc non fieri mentionem requisitæ licentiæ à quocumque Ordinis Prælato, ideoque beneficium istud latissimè interpretandum esse, c. Cùm dilectus. De dona. etsi tutius esset habere licentiam à Guardiano sacri Montis Sion, propter plenissimam auctoritatem quam habet in Fratres Terræ sanctæ.

Tertium denique notandum sit, has vel similes gratias pro maiori parte conuenire alijs Fratribus Seraphici Ordinis, in alijs partibus mundi habitantibus, & alijs qui illorum gaudent priuilegijs. Omnes enim possunt absolui semel in vita, & in mortis articulo, imò quater in anno, diebus quibus maluerint, ab omnibus prorsus peccatis & censuris, & Confessarius, ac si esset actu Pontifex, potest impertiri plenariam indulgentiam. Ita concessit Sixtus IV. Lege Rodericum Tom. 1. Quæst. reg. quæst. 62. art. 6. 7. & 8. & Tom. 2. q. 87. art. 1. & 9. & ibidem q. 102. art. 1. habes, quomodo Eugenius IV. concesserit Fratribus Minoribus de Obseruantia, vt, si casus occurreret quo non possent confiteri, etiam tunc consequantur indulgentiam plenariam, ab eodem & pluribus alijs Pontificibus pro articulo mortis eis concessam, modò sint in statu gratiæ.

Prædicta gratia & alia sunt communes alijs Minoritis.

CAPVT VII.

De quatuor priuilegijs indulgentiarum singulariter concessis sæcularibus illis, qui de locis sanctis benè sunt meriti.

AGimus nunc de quibusdam peculiaribus indulgentijs, quas consequuntur sæculares personæ de sanctis locis benemeritæ, & de hisce habentur quatuor priuilegia.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

Proficiscentes ad sacrum bellum consequuntur Indulgentiam plenariam.

Primò, proficiscentes ad sacrum bellum pro recuperatione Terræ sanctæ, consequuntur indulgentiam plenariam, per plures Summos Pontifices concessam, vt vidimus Capite præcedenti in primo & tertio priuilegio; & specialiter per Nicolaum IV. in quibusdam litteris (quas & suprà adduximus) quibus ad subuentionem Terræ sanctæ, post subuersionem nouissimam ciuitatis Aconensis, vniuersos Christicolas exhortatur, quæ incipiunt, *Illuminet super nos vultum suum.* Et infrà: *Vt eiusdem Terræ negotium eò libentiùs eoq; feruentiùs prosequi studeatis, quò pottorem fructum ex vestris laboribus vos noueritis percepturos, nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, & illa, quam nobis, licet indignis, Deus ipse ligandi atque soluendi contulit potestatem, omnibus qui vexilli Dominici charactere insigniti, personaliter propriis sumptibus in prædicta Terræ sanctæ subsidium proficisci curauerint, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti, & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione iustorum salutis æternæ pollicemur augmentum.*

Declaratio.

Quodlib. 2. art. 16.

Hic dubium quoddam diluendum est. Quærit S. Thomas, vtrùm Crucesignatus, qui moritur antequam iter arripiat, habeat plenariam indulgentiam peccatorum. Respondet, hoc pendere ex voluntate & diplomate Pontificis. *Si enim indulgentia concedatur accipientibus crucem in subsidium Terræ sanctæ, Crucesignatus statim habebit indulgentiam*, inquit S. Thomas, *etiamsi decedat antequam iter arripiat; quia sic causa indulgentiæ erit non iter, sed votum itineris: si autem in forma litteræ contineatur, quòd indulgentia debetur his, qui transierint vltra mare, ille qui decedit antequam transeat, non habet indulgentiam, quia non habet indulgentiæ causam.* Quæ solutio notanda est pro similibus dubijs.

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

Eleëmosynas elargientes locis sanctis consequuntur indulgentiam.

Secundò, magnas indulgentias obtinent, qui centesimam partem suorum bonorum locis sanctis & pro captiuorum liberatione dilargiuntur. Illas concessit Eugenius IV. Bulla 2. sequentibus verbis: *Concedimus omnibus Christi fidelibus, qui de bonis suis vnum pro centenario, id est, centesimam partẽ bonorum suorum pro liberatione fidelium captiuorum de manibus infidelium; siue pro erectione, & manutentione domorum, vel pro sustentatione vitæ ipsorum Fratrum, vel altera quauis spirituali subuentione erogauerint, quòd possint sibi eligere Confessores idoneos, qui, confessionibus eorum diligenter auditis, eos possint ab omnibus eorum peccatis, & Sedi Apostolicæ reseruatis, semel tantùm, & deinde quoties fuerit opportunum, dummodò talia non sint, per quæ meritò foret Sedes Apostolica consulenda, absoluere, & pœnitentiam iniungere salutarem; nec non plenariam omnium in mortis articulo remissionem peccatorum impendere valeant, auctoritate Apostolica singulis prædictis, prout eos contingit, tenore præsentium indulgemus.*

Declaratio.

Ad intelligentiam huius priuilegij duo nota: alterum, nomine centesimæ partis non esse rigorosè centesimã bonorum partem intelligendam, sed morali modo, & secundùm communem æstimationem. Argumento sunt ea quæ notantur in c. Capellanus. De ferijs. Alterum est, quòd verba illa posita in priuilegio *semel tantùm*, & deinde, *quoties fuerit opportunum, possit eligere Confessorem*, &c. quæ videntur contraria, sic videantur esse intelligenda, si, postquam aliquis virtute huius priuilegij confessus est semel, oblitus fortè fuerit aliquorum, denuò ab illis oblitis eadem auctoritate absolui posse, & hoc toties, quoties fuerit necesse: vel si, facta semel confessione, iterare illam voluerint pro maiori merito, toties eadem auctoritate absolui posse. Quinam verò dicatur Confessor idoneus pro sæcularibus & Fratribus, habes infrà Capite XI.

PRIVILEGIVM TERTIVM.

Qui interfunt Prædicationibus Minorum indulgentiam consequuntur.

Tertiò, fideles qui interfunt prædicationibus Fratrum Minorum in partibus infidelium, qualibet vice lucrantur centum dies indulgentiæ, ex eodem Eugenio IV.

Declaratio.

Notandum, simili gratia, & maiori, posse gaudere fideles in omnibus Ecclesijs Minorum. Etenim Alexander IV. concessit centum dies indulgentiarum audientibus Conciones & Missas in Ecclesijs Fratrum Minorum, quolibet die, & qualibet vice. Rodericus Tomo 2. q. q. 5. art. 2. Et in vniuersum Mendicantes, quandocumque concionantur in domibus suis, possunt concedere auditoribus suis octodecim annorum & trecentorum viginti duorum dierum indulgentiam: quæ redacta in dies, facit sex mille octingentos nonaginta duos dies. Sed cùm alibi concionantur, tantùm possunt concedere octodecim annorum ducentorum viginti duorum dierum. Attamen quando concionantur in domibus suis Feria secunda, quarta & sexta Quadragesimæ, possunt concedere in summa centum quinquaginta sex annorum, & quingentorum viginti quatuor dierum, per nouem Summos Pontifices concessam, vt habes ex eodem Roderico vbi suprà art. 1.

PRIVILEGIVM QVARTVM.

Indulgentia pro aliquibus solemnitatibus Ordinis.

Quartò, Alexander IV. omnibus pœnitentibus & confessis deuotè visitantibus Ecclesias S. Francisci, S. Antonij, & S. Claræ, singulis annis in eorum Festiuitatibus, & per eorum Octauas, concedit centum annos indulgentiæ.

Declaratio.

Notandum, hoc priuilegium esse toto Ordini commune, vt vbique terrarum in Festis Sanctorum Ordinis obtineatur hæc indulgentia, ait Collector priuilegiorum Terræ sanctæ in suo libello. Amplius ego addo, alios Pontifices maiorem concessisse indulgentiam vtriusque sexus Christi fidelibus, sacra tamen Confessione refectis, plenariam videlicet, visitando à primis Vesperis vsque ad occasum Solis sequentis diei, Ecclesias Fratrum Minorum, & ibi orando pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, in omnibus Festiuitatibus eiusdem Ordinis, vt latè habet Rodericus Tom. 2. q. 87. art. 5. cum Auctoribus quos

Digitized by Google

quos citat. Illa tamen quæ conceſſa eſt ab Alexandro, maior eſt quantum ad durationem, quia durat per totas Octauas illorum Sanctorum. Sed præter has indulgentias, ſingulis diebus, imò ſingulis horis & momentis, in plerisque locis Terræ ſanctæ plures aliæ plenariæ ac non plenariæ obtineri poſſunt, quemadmodum ſuperiùs vidimus.

CAPVT VIII.

De Præſule Ieroſolymitano, & de conditione Præſulum ſacræ Ciuitatis, qui eidem præfuerunt à Chriſti Domini morte vſque ad annum ſalutis milleſimum nongeſimum nonum, quando per Latinos fideles ab infidelibus Saracenis Ieroſolyma liberata fuit.

SEquitur tertia huius Libri pars, in qua tractandum eſt de Eccleſiaſtica dignitate Eccleſiæ Ieroſolymitanæ, & de priuilegijs proprijs Guardiani ſacri Montis Sion. Potuit aliquis ſuſpicari, Ieroſolymam, olim electam Dei ciuitatem, propter grauiſſima ſua ſcelera (quia occidit Prophetas & Dei ſeruos, atque ipſummet Dominum Saluatorem) poſt Domini paſſionem iam fundatâ per vniuerſum orbem Chriſtiana Eccleſia, ingratam inquam ciuitatem iſtam omni honore ac dignitate nudatam, deſertam iri: alij contrà opinari potuerunt, ſupremo honore ac Pontificia poteſtate fuiſſe exornandam, eò quòd illa magis ciuitas Regia dicenda eſſet, in qua ſupremus Rex ac Sacerdos Chriſtus ſolium ſuum poſuiſſet, Eccleſiamq; ſuam fundaſſet, dicente Propheta: *De Sion exiuit lex, & verbum Domini de Ieruſalem*, Iſa. 2, 3. Verùm alia longè eſſe Dei iudicia, experientiâ edocti nouimus. Nam nec penitus eam deſtituit, quam incolatu ſuo, ſuis item, ac ſanctiſſimæ Matris ſuæ, nec non aliorum Sanctorum heroicis & ſtrenuis factis condecoratam voluit; nec ſummo etiam affecit honore, aut ad ſupremum dignitatis & auctoritatis faſtigium extulit, vt ſe deliquiſſe ſciat, & quòd, cùm nouam in latitudine gentium Deus fundarit Eccleſiam, in Romana vrbe, quæ eſt caput mundi, ſupremam dignitatem, & ſubm in terris Vicarium eſſe diſpoſuerit, qui toti orbi proſpiceret; omnesque intelligerent priſcam iam abolitam eſſe legem, cùm locus præcipuus per eam diuinis ſacrificijs offerendis deputatus permutatus fuerit, adeoque Euangelium non in Iudæa modò, ſed per vniuerſum reliquum terrarum orbem eſſe euulgandum.

Quid ergo? In medio conſiſtit Chriſtus, vt omnia fortiter & ſuauiter diſponantur: quia nec omni honore ſpoliauit Ieroſolymam; nec etiam ſupremo eam dignatus eſt, ſed medio quodam, eo tamen illuſtriſſimo nobilitauit, Sede videlicet Epiſcopali. Sed cùm in iſta dignitate dentur gradus (ſunt enim ſimplices Epiſcopi, & hi vel Ordinarij, quibus alicuius Eccleſiæ peculiaris cura eſt demandata, alij quibus non, vt ſunt Suffraganei & Titulares; ſunt Archiepiſcopi, qui Epiſcopis Prouinciæ alicuius præſunt; ſunt & Patriarchæ, qui toti Regno vel Nationi præficiuntur) quonam ex illis Ieroſolymitana exornata fuit Eccleſia?

Dignitas Ieroſolymitanæ Eccleſiæ.

Reſpondeo, duplici eam gradu donatam fuiſſe, ſimplici Epiſcopali, & Patriarchali, diuerſis tamen temporibus, vt explicabitur. Et primus quidem Ieroſolymorum Epiſcopus diuino nutu per ipſoſmet Apoſtolos conſtitutus fuit Iacobus Minor, frater Domini, vt tradunt Anacletus Epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ, Clemens Alexandrinus apud Euſebium lib. 2. Hiſt. c. 1. Anicetus I. Epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliarum ſic ait: *Scimus beatiſſimum Iacobum, qui dicebatur Iuſtus, à Petro, Iacobo, & Ioanne Apoſtolis Ieroſolymorum Epiſcopum ordinatum eſſe.* Ac denique S. Hieronymus lib. de Viris illuſtribus, in Iacobo, *Iacobus*, inquit, *poſt paſſionem Domini ab Apoſtolis Ieroſolymorum Epiſcopus.* Ac deinceps alij eidem in eodem munere ſucceſſerunt.

S. Iacobus primus Ieruſalem Epiſcopus.

Etſi autem Ieroſolymitanus Antiſtes, vſque dum Cathedra ipſa mutaretur & ſublimaretur, ſimplex fuerit Epiſcopus, ſemper tamen fuit magnæ excellentiæ & auctoritatis. Et quamuis fuerit Palæſtinæ Prouinciæ Metropolitano ſubiectus, omnibus tamen alijs Epiſcopis fuit prælatus, vt hiſce verbis in prima Nicæna Oecumenica Synodo can. 7. indicatur & decernitur: *Quia conſuetudo obtinuit, & antiqua traditio, vt Aeliæ Epiſcopus honoretur; habeat honoris conſequentiam, ſalua Metropoli propria dignitate.* Hoc etiam ſignificauerunt S. Hieronymus Epiſt. ad Pammach. contra Io. Epiſcop. Ieroſolym. & S. Leo Epiſt. 62. ad Maximum Antiochenum, quos adducit Bellarminus De Rom. Pontifice lib. 1. c. 24. Quid dico? Etſi Ieroſolymitanus Epiſcopatus à ſui exordio, & per quingentos ferè annos vſque ad Iuuenalem eiuſdem ſanctæ ciuitatis Epiſcopum de facto Patriarchatus non fuerit, tanti tamen habitus fuit, vt eiuſdem Sedis Antiſtes Patriarcha dictus fuerit, & ipſa Ieroſolymitana Eccleſia, ſi non poteſtate, honore ſaltem Patriarchalis habita fuerit. Vnde & illius Epiſcopus quarto loco ſedebat in Concilijs, id eſt, poſt Romanum, Alexandrinum,

Eminentia Epiſcopi Ieroſolymitani.

drinum, & Antiochenum, re & nomine Patriarchas. Et quantumuis nulli præesset Archiepiscopo, vel Episcopo; nec tamen etiam subiectus fuit Archiepiscopo Cæsarienſi, qui erat Metropolita Palæstinæ, nec Patriarchæ Antiocheno, qui toti Orienti præsidebat. Et optima quidem ratione: Ieroſolymitana enim Ecclesia mater omnium aliarum Ecclesiarum (sic enim appellatur in Epist. Synodali Concilij Oecumenici ad Damasum, quæ extat apud Theodoretum l. 5. cap. 9. & à Pontificibus) nuncupata fuit, adeoque non immeritò ipsius ciuitatis Episcopus eum honorem, vt inter Apostolicarum Ecclesiarum Antistites sederet, & in litteris quoque ita antiquitus nominaretur, consecutus fuit. Baronius anno 325. Verùm posteà qui nomine atque honore Patriarcha habebatur, re etiam & potestate talis dictus est.

Ecclesia Ieroſolymitana decoratur Patriarchali dignitate.

Et vt hoc probè intelligatur, sciendum, quòd statim à primis nascentis Ecclesiæ Christianæ exordijs tres primariæ Patriarchales Sedes, S. Petri Apostolorum Principis auctoritate in præcipuis orbis Romani ciuitatibus constitutæ fuerint, nimirum Romana, Alexandrina, & Antiochena. Accessit posteà anno 381. Constantinopolitana, decreto Constantinopolitani I. & Chalcedonensis Concilij, ac demum Ieroſolymitana, decreto alterius Chalcedonensis Concilij, & Synodi V. Oecumenicæ: & quamuis ante hanc Synodum, & Iustiniani tempora, id pacificè non obtinuerint; tamen huius Imperatoris tempore, id est post annum Domini 500. tum Imperatoris operâ, tum Pontificum Romanorum permissu, inquit citatus Bellarminus, cœpere Constantinopolitanus & Ieroſolymitanus Episcopi in numero Patriarcharum haberi, nullo ampliùs reclamante.

Et vt de Ieroſolymitano Episcopo loqui pergamus, si ab eo tempore, ac deinceps, non solùm nomine & honore, sed re ac potestate habitùs fuit vnus ex primarijs Patriarchis; quæ ei fuerunt assignatæ gubernandæ prouinciæ? aut quot quibúsve Archiepiscopis præfuit? Respondeo partim ex Concilio Chalcedonensi, partim ex alijs. In Concilio Chalcedonensi sess. 8. habemus, quòd, agitatâ & compositâ controuersiâ inter Antiochenum & Ieroſolymitanum Episcopos de iure Metropoleos, Sedi Antiochenæ Phœnicia atque Arabia adiudicatæ, Ieroſolymitano verò Episcopo, recenter instituto (in quem ius Metropolis Palæstinæ, quod anteà Cæsareensis Ecclesia habebat, translatum fuerat) tres Palæstinæ Prouinciæ, *prima*, *secunda*, & *salutaris*, Antiocheno detractæ, adsignatæ fuerint. Quod & obtinuit, vt indicant Acta Concilij Ieroſolymitani, celebrati in Colonia Ælia Metropoli & Ieroſolymis, præsidente Patriarcha Petro, & assistentibus Episcopis trium Palæstinarum. De his videtur loqui Vitriacus in Hist. Ieroſol. c. 96. dum dicit: *Tres etiã Palæstinæ, maioris Syriæ partes sunt. Prima, cuius metropolis est Ieroſolyma; & hæc pars specialiter Iudæa appellatur. Secunda, cuius metropolis est Cæsarea maritima; & continet totam terram Philisthinorum. Tertia, cuius metropolis est Scythopolis, quæ hodie dicitur Bethsan.*

Ciuitates & Prouincia Ieroſolymitano Patriarchæ subiectæ.

Guilielmus Tyrius, veteris cuiusdam scripti auctoritate permotus, duas insuper Prouincias, Alexandrinæ seu Ægyptiacæ diœcesi subtractas, Ieroſolymitano Patriarchæ subditas fuisse narrat. *Subtraxerunt*, inquit, *Antiocheno Cæsariensem & Scythopolitanum Metropolitanos, Alexandrino verò Rubensem & Berytensem.* Hæc sententia Bertero non probatur, eò quòd *Ruba* à Ptolemæo in Syria ponatur, & *Berytum* Phœniciæ metropolim esse constet, Syria verò & Phœnicia Orientis sint prouinciæ. Sed enim, inquit R. D. Aubertus Miræus Antuerpiensis Decanus in Notitia Episcopatuum orbis Christiani, lib. 1. cap. 13. haud videtur temerè sententia Tyrij reijcienda, quòd hæc ipsa legantur in editis atque in manuscriptis plerisque exemplaribus Codicis Prouincialis Romani, itemque apud Vitriacum Hist. Orient. cap. 55. Quamquam existimem, pro *Ruba*, quæ Ammonitarum metropolis olim fuit, Christiano Adrichomio teste in Theatro Terræ sanctæ (ex qua vrbe posteà, vt arbitror, Sedes Metropolitana *Petram* est translata, quam Arabiæ secundæ seu Petreæ metropolim, vltra Iordanem in finibus Moab sitam, idem Tyrius lib. 20. cap. 3. & Vitriacus Hist. Orient. cap. 56. describunt) legendum esse *Petra*. Hanc nostram opinionem confirmat manuscriptus Codex Græcus Cardinalis Sirleti, qui nulla mentione *Rubæ* facta, Sedem tertiam Patriarchæ Ieroſolymitano subiectam nuncupat *Petram*. Sic & apud Tyrium citato loco ab alijs legitur * *Bezerra Arabiæ*, quam Arabiæ Felicis metropolim fuisse dicit Adrichomius; an rectè, viderint Geographiæ studioſi. In dicto codice Græco Sirleti Sedes quarta Patriarchæ Ieroſolymitano subiecta nuncupatur *Bostra*, quæ Arabiæ vrbs est Stephano.

Choppinum in Politia sacra consule lib. 1. tit. 4. §. 20.

* Mendosa fortè est lectio.

Sub Antiocheno Patriarcha apud Tyrium, & in citato Sirleti Codice, Sedes quarta etiam est *Bostra*, adeò quidem, vt plures eodẽ nomine vrbes olim extitisse appareat.

Explicemus nunc distinctè ex citatis Auctoribus statum, dignitatem ac potestatem Iero-

Metropolitana Eccleſia quatuor ſubiecta Ieroſolymitana.

Ieroſolymitanæ Eccleſiæ, eiuſdemque Patriarchæ; quod, inquam, Sedes Metropolitanæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi tam ſubiecti Archiepiſcopis, quàm Autocephali, id eſt eiſdem non ſubiecti, eidem ſubderentur. Palæſtinæ primæ metropolis fuit *Aelia Colonia*, ſiue vrbs Ieroſolymorum; ſecundæ *Cæſarea*; tertiæ *Scythopolis*. Throni ſeu Sedes Metropolitanæ Ieroſolymitano Patriarchæ antiquitus ſubiectæ, quatuor referuntur ex Tyrio, *Cæſarienſis*, *Scythopolitana*, *Rabbenſis*, & *Bezerrenſis*, quarum duæ poſteriores in Codice Sirletano *Petracenſis* & *Boſtrenſis* nuncupantur. De ſingulis aliqua ex Cardinali Sirleto, vt refertur à citato Miræo, proponemus.

Metropolis I. Cæſarea.

Sedes I. Metropolitana CÆSAREA: ſub ea ſunt Epiſcopatus nouemdecim.

I. Dora, de qua Adrichomius in Deſcript. tribus Manaſſe 1. n. 26.
II. Antipatridæ. Vitriacus Hiſt. Orient. cap. 23. & Adrichomius in Manaſſe 1. n. 8.
III. Iamniæ. Adrichomius in Dan, num. 33.
IV. Nicopoleos, olim *Emmaus* dicta. Adrichomius in Iuda, n. 112.
V. Onus, *Ono*. Adrichomius in Beniamin, n. 96.
VI. Sozuſes.
VII. Raphiæ. Adrichomius in Simeon, num. 62.
VIII. Porphyron.
IX. Regeon Aparthus, Tyrio & Ortelio *Regium*.
X. Regeon Iericho. Adrichomius in Beniamin, n. 81.
XI. Regeon Lybiæ, Ptolemæo notum.
XII. Regeon Daron. Adrichomius in Pharan, n. 32.
XIII. Azotes Paraliæ. Adrichomius in Dan, n. 7. Eſtque hæc *Azotes* Philiſthæorum vrbs Epiſcopalis.
XIV. Azotes Hippeni. Adrichomius in Manaſſe 11. numer. 59. *Hippus*, ſiue *Hippene* vrbs eſt Epiſcopalis, ſed ad Sedem Scythopolim fortè referenda.
XV. Eucomazon.
XVI. Ættilij, alijs *Bitilij*.
XVII. Tricomiæ.
XVIII. Toxon.
XIX. Salton Conſtantinianices. Ita manuſcriptus Sirleti Codex. Ex quibus duobus vnum facit Tyrius, vt & ex Azoto ac ſequenti nominibus: adeoque viginti Epiſcopatus facit Cæſareæ Palæſtinæ Suffraganeos.

Metropolis II. Scythopolis.

Sedes Metropolitana II. SCYTHOPOLIS ſiue BASAN, ſub qua ſunt Epiſcopatus ſex.

I. Pelle. Adrichomius in Manaſſe 11. num. 74.
II. Belles.
III. Hippi, vel Hippus, ſiue Hippene, vrbs Epiſcopalis, Plinio, Ptolemæo, alijſq; nota. Adrichomius in Manaſſe 11. n. 59.
IV. Tetracomiæ.
V. Climagaunale.
VI. Comês Nais, ſeu Vici Nais. Ita manuſcriptus Codex Sirleti. Apud Tyrium numerantur nouem, additis nimirum Capetoliadis, Miri, & Gadarorum Epiſcopatibus. Sed hi tres infrà recenſebuntur inter Epiſcopatus Autocephalos ſeu Suffraganeos.

Scythopolim tertiæ Palæſtinæ & vniuerſæ Galilææ metropolim fuiſſe, & inde poſteà dignitatem Epiſcopalem ad vrbem Nazaream fuiſſe tranſlatam, teſtatur Vitriacus cap. 56. Fuit olim *Bethſan* nuncupata, vt tradit Adrichomius, ſiue *Bethſen*, vt Choppinus ſubindicat ex Conſtitutionibus Regni Ieroſolymitani Gallicè conſcriptis. Lib. 2. Politiæ ſacræ tit. 4. §. 20.

Metropolis III. Raba.

Sedes III. Metropolitana PETRA, iuxta Codicem manuſcriptum Græcum Sirleti; ſiue RABA, iuxta Tyrium, ſub qua ſunt Epiſcopatus duodecim.

I. Auguſtopolis.
II. Ærindeles.
III. Charachmides.
IV. Hieropoleos. Adrichomius in Manaſſe 11. n. 93.
V. Mampſidis.
VI. Eluſos.
VII. Zooron.
VIII. Biroſabbon, aliàs *Boroſamon*.
IX. Pentacomiæ.
X. Mamapſonon.
XI. Metrocomiæ.
XII. Salton Hieraticôn.

Apud Tyrium Sedes III. dicitur *Raba*, ſiue *Rabba Moabitidis*. De ea Adrichomius, dicitque poſteà Philadelphiam nuncupatam. Idem tradit citatus Choppinus, dicens: *Rabæ Archiepiſcopus, qui dicitur Philadelphiæ, temporibus Amalrici Regis tranſlatus eſt in Crac, ſiue Petram deſerti.* Tranſlatus eſt temporibus Amalrici Ieroſolymorum Regis. Hæc Petra deſerti vrbs olim munitiſſima, & Archiepiſcopali dignitate inſignis, vulgò *Crac* etiamnum appellatur, etſi omni ſit ſpirituali dignitate nudata, nihilominùs fortiſſimum Turcorum municipium eſt, nec eò facilis eſt acceſſus. De ea Tyrius lib. 20. cap. 3. Vitriacus lib. 1.

c. 56. Adrichomius. Tyrius Cracam seu Petram istam, siue aliam, inter Episcopatus Suffraganeos Patriarchę Ierosolymitani connumerat: nisi fortasse mendosa sit lectio, inquit Miræus, & substituendum Cyriacopolis, iuxta codicem manuscriptum Sirleti.

Metropolis IV. Bezerra

Sedes IV. Metropolitana in manuscripto codice Sirleti est BOSTRA, apud Tyrium BEZERRA: sub qua sunt Episcopatus triginta quinque.

I. Drasi.
II. Diæ.
III. Medabon. Adrichomius in Ruben, num. 47.
IV. Gerason. Adrichomius in Manasse II. n. 55.
V. Neui.
VI. Philadelphiæ. Adrichomius in Gad, num. 37.
VII. Isbus, Ptolemeo Esbus. Adrichomius in Ruben, n. 31.
VIII. Neapoleos.
IX. Hierapoleos. Adrichomius in Manasse II. n. 93.
X. Philippopoleos.
XI. Phænustus.
XII. Constantines.
XIII. Dionysiæ.
XIV. Pentacomiæ.
XV. Tricomiæ.
XVI. Canathaldis. Adrichomius in Manasse II. n. 29.
XVII. Saltorum.
XVIII. Bataneos. Adrichomius ibidem, num. 24.
XIX. Hexacomiæ.
XX. Enneacomiæ.
XXI. Comês seu vici Gonies.
XXII. Comês Cherûs.
XXIII. Comês Tanes.
XXIV. Comês Machameron.
XXV. Comês Corearas.
XXVI. Comês Bilbanûs, aliter *Bibanûs*.
XXVII. Comês Capran, alijs *Capanon*, fortè *Copron*.
XXVIII. Comês Pyrgoaruton, vel iton.
XXIX. Comês Setnes.
XXX. Comês Ariachon.
XXXI. Neotês, siue Comês Neotês.
XXXII. Climatis Anatoles & Dysmon.
XXXIII. Comês Aristhas, fortè *Ariathas*, vt in alio exemplari legitur.
XXXIV. Comês Trachonis.
XXXV. Comês Bdamûs, in alio exemplari *Bebdomos*, vel *Beldamûs*.

Apud Tyrium Sedes IV. dicitur *Berisllus*, & paulò infrà *Bezerra Arabiæ*: sed lectio fortasse mendosa est. Berytus certè recensetur inter Autocephalas Metropoles Antiocheni Patriarchatus in Sirletano manuscripto codice. Adrichomius ex Tyrio dicit, Bezerram Arabiæ Felicis metropolim sub se habuisse triginta quinque Episcopatus. Sic & adductus Choppinus Bostram siue Bezerram, vulgò *Blissereth*, inter Archiepiscopatus Regni Ierosolymitani connumerat. Et fortasse Bostra primis sæculis Patriarchæ Antiocheno subfuit, antequam Patriarchæ Ierosolymitano esset assignata. Guilielmus Tyrius tamen lib. 14. c. 12. & Codex vetus Prouincialis, volunt Bezerram olim Patriarchæ Alexandrino subfuisse. Et hæc de communibus ac subordinatis Archiepiscopis & Episcopis Ierosolymitanæ Sedis. Pauca subijciamus modò de Autocephalis.

Suffraganeus Ierosolymitano Patriarchæ subiecti.

Autocephali seu per se subsistentes Episcopatus iuxta codicem Græcum Sirleti (qui Tyrio Latinè dicuntur Suffraganei, Græcè Σύσχελλοι) viginti quinque, siue potiùs viginti quatuor, quia vltimo loco recensendus non subijcitur Patriarchæ Ierosolymitano.

I. Diospoleos seu Georgiopoleos, quæ & *Lidda* dicitur. Vitriacus lib. 2. c. 57. Adrichomius in Ephraim, n. 64.
II. Ascalonis. Vitriacus cap. 40. & 57. Adrichomius in Simeon, num. 15. Ea sub Latinis Episcopum non habuit, sed Bethleemitano Episcopo subdebatur, teste Sanuto lib. 1. p. 7. c. 2.
III. Ioppes, *Iaffa*. Adrichomius in Dan, num. 34.
IV. Gazæ. Vitriacus cap. 40. Adrichomius in Simeon, n. 46.
V. Antedonis, siue Maiumæ, quæ & *Agrippias* est dicta, Idumææ vrbs maritima. Adrichomius ibidem n. 56.
VI. Diocletianopoleos.
VII. Eleutheropoleos. Adrichomius in Iuda, n. 108.
VIII. Neapoleos. Adrichomius in Ephraim, n. 91.

Neapoleos & Ioppe sub Latinis Episcopos non habuerunt, sed suberant Priori Dominici Sepulchri, vt Capite sequenti ex Sanuto dicemus.

IX. Sebasteæ. *Sabast.*
X. Sacri Ioannis fluuij.
XI. Tiberiadis in Galilæa. Vitriacus l. 1. c. 22. & 56. Adrichomius in Zabulon, n. 99.
XII. Diocæsareæ. Adrichomius ibidem, num. 88.
XIII. Maximianopoleos. Adrichomius in Manasse I. n. 5.
XIV. Capetoliadis.
XV. Myri.

Digitized by Google

XV. Myri.
XVI. Gadarorum. Adrichomius in Ephraim, n. 46.
XVII. Nazareth. Vitriacus c. 56. Ea vrbs posteà Archiepiscopum habuit, vt sequenti Capite dicemus.
XVIII. Montis Thabor, nigrorum Monachorum Ordinis S. Benedicti. Vitriacus lib. 1. cap. 54. & 56. Sanutus lib. 3. p. 7. c. 3.
XIX. Cyriacopoleos, Tyrio *Caracæ*, vel *Petræ*.
XX. Dryos, Tyrio *Hadrogæ*.
XXI. Gab, Tyrio *Aphra*.
XXII. Ælia.
XXIII. Pharan.
XXIV. Sacri Montis Sina, Vitriaco *Sinai*.
XXV. Præfectura magnæ Armeniæ est Autocephala, non censita sub Throno Ierosolymitano, sed honorata propter sanctum Gregorium Armeniæ illuminatorem, habens ciuitates & castra & climata ducenta. Ecce quot Sedes, quot Episcopi & Archiepiscopi subdebantur antiquitus Ierosolymitanæ Patriarchali Ecclesiæ, quantoq; in honore illius Præfectus habitus fuit. Sed cetera prosequamur.

CAPVT IX.

Patriarchatus Ierosolymitani status sub Latinis, à recuperatione Ierosolymorum vsque ad eorumdem amissionem & nostra tempora.

ZElus quidem priscorum fidelium Ierosolymitanam Ecclesiam non solùm ad Episcopalem, sed ad Patriarchalem dignitatem extulit, in qua & mansit, quoad vsque sancta repromissionis Terra sub Christianis Principibus floruit; postquam verò ijs adempta, & ab infidelibus occupata atque in solitudinem redacta fuit, etiam Ecclesiasticus splendor admodum imminutus ac ferè extinctus fuit. Mutatus est color optimus, & recessit ab ea omnis decor eius. Quando nihilominùs misericordiarum Parenti pietatis suæ oculis placuit respicere sanctum populum suum, electamque hereditatem suam fidelibus suis restituere, eamdem similibus extulit honoribus ad Episcopales, Archiepiscopales, atque Patriarchales thronos, quamuis breui tempore, nostrorum incuria & culpa, in eodem nobili statu permanserit, vt alibi fuit explicatum. Videamus tamen quem honoris gradum receperit ac tenuerit sub Latinis.

Dignitas Ecclesiæ Ierosolymitanæ sub Latinis.

Syriâ per Latinos Europæos Principes, Godefrido Bullonio duce, infidelibus erepta, & Christiano cultui restitutâ, statim Ierosolymis Patriarcha, & alijs locis Archiepiscopi & Episcopi, secundùm illorum exigentiam, instituti fuerunt. Vitriacus Histor. Orient. lib. 1. c. 55. & seqq. tradit, suo æuo Patriarcham Ierosolymitanum habuisse sub se quatuor Metropolitanos; quorum primus erat Tyrensis, Antiocheno Patriarchæ per Innocentium III. subtractus, teste Tyrio lib. 14. cap. 12. qui porrò sub se habebat quatuor Suffraganeos Episcopos, scilicet Aconensem, Sidonensem, Berytensem, & Paneadensem. Idem dicit Sanutus lib. 1. par. 7. cap. 2.

Quatuor Metropolitæ subiecti Patriarchæ Ierosolymitano.

I. Tyrensis.

Secundus Metropolitanus siue Archiepiscopus erat Cæsariensis, vnum solum subiectum habens Suffraganeum, Episcopum scilicet Sebastensem.

II. Cæsariensis.

Tertius Metropolitanus erat Nazarenus, ex vrbe Scythopoli eò translatus, vnum solum habens Suffraganeum, Tiberiadensem Episcopum.

III. Nazarenus.

Quartus erat Petracensis, vnum solum habens Suffraganeum Episcopum Græcum in monte Sinai, Ecclesiæ B. Catharinæ, & Monachis eiusdem Monasterij Præfectum.

IV. Petracensis.

Habebat præterea Ierosolymitanus Patriarcha quosdam Episcopos Suffraganeos sibi nullo mediante, scilicet Bethleemitanum, secundùm Vitriacum lib. 1. cap. 56. & fuit hic Episcopus institutus anno 1110. auctoritate Paschalis II. Papæ per Legatum suum id agentis, vt refert Baronius ex Tyrio lib. 11. cap. 12. Ebronensem, aliàs S. Abrahami, Hebronensem, Liddensem, siue S. Georgij. De horum trium Episcopatuum institutione distinctè agunt Vitriacus lib. 1. cap. 57. & 59. Sanutus Torsellus lib. 3. Secretorum Crucis par. 7. c. 2. per Bongarsium anno 16[illegible] Tomo 1. Historiæ Orientalis Hanouiæ publicatus. Addit idem Vitriacus: *Multa alia sunt ciuitates in Terra promissionis, quæ licet ante tempora Latinorum proprios haberent Episcopos Surianorum & Græcorum, Latini tamen, propter multitudinem & paupertatem eorum, ne dignitas Episcopalis vilipenderetur, plures Ecclesias Cathedrales & ciuitates vni Cathedrali subiecerunt.*

Suffraganei Patriarchæ Ierosolymitano subiecti.

Renatus Choppinus in Politia sacra lib. 2. tit. 4. §. 20. ex vetusti Regni Ierosolymitani Constitutionibus caput vnum Gallico idiomate recitat de Episcopatibus & Monasterijs eiusdem Regni, in quo tradit, sub Latinis in isto Regno quinque Archiepiscopos fuisse. Ex illo libro succinctè damus hæc. Eius Regni dominus spiritualis est Patriarcha, temporalis Rex. Patriarcha habet quinque Archiepiscopos Suffraganeos. Primus est Archiepiscopus Tyrensis; *Sur.* Secundus

dus Archiepiſcopus Cæſarienſis, *Ceſaire.* Tertius Archiepiſcopus Scythopolitanus, *Bethſen*, qui dictus eſt de Nazareth. Quartus Archiepiſcopus Boſtrenſis, *Beiſſeret.* Quintus Archiepiſcopus Rabenſis, * *Babet*, qui dicitur Philadelphiæ, qui tempore Regis Amaurienſis tranſlatus fuit in *Crac*, dictus Archiepiſcopus Petræ deſerti. Hic habet tres Epiſcopos Suffraganeos, quorum primus eſt S. Georgij Lyddæ, ſecundus in Bethleem, tertius in Hebron, quem vocant S. Abraham. Habet inſuper ſex Abbates, & vnum Priorem Suffraganeum. Primus Abbas eſt Montis Sion, ſecundus in Latina, tertius in Templo Domini, quartus in monte Oliueti, quintus in Ioſaphat; & hi quinque gerunt crucem, mitram & annulum: ſextus Abbas S. Samuelis Montis Gaudij *Monjoia*, qui fert crucem, ſed non mitram. Prior Sepulchri defert mitram & annulum, ſed non crucem. Tres etiam ſunt Abbatiſſæ Suffraganeæ, Abbatiſſa B. Virginis maioris, Abbatiſſa S. Annæ, Abbatiſſa S. Latronis. Archiepiſcopus verò Regni Armeniæ habet duos Suffraganeos, Archiepiſcopum Iacobitarum, & Magiſtrum S. Latronis. Archiepiſcopus Tyrenſis habet quatuor Epiſcopos Suffraganeos, Epiſcopum Birutenſem, Sidonienſem *Sayetæ*, Belinenſem *Belinas*, & Aconenſem *Acre*. Archiepiſcopus Cæſarienſis habet vnum Suffraganeum, Epiſcopum Sebaſtæ. Archiepiſcopus *Bethſen* habet duos Suffraganeos, Epiſcopum Tiberiadis, & Priorem montis Thabor. Archiepiſcopus * *Babet* habet vnum Suffraganeum, Epiſcopum Pharaonis, qui nunc eſt montis Sinai. Epiſcopus S. Georgij Lyddæ habet quinque Suffraganeos, Abbatem S. Ioſeph ab Arimathia, Abbatem S. Habacuc Cenciæ, Priorem S. Ioannis Euangeliſtæ, Priorem S. Catharinæ de Montgiſart in Abbatia trium Vmbrarum. Epiſcopus Aconenſis habet duos Suffraganeos, vnum in Latina, alterum apud Pœnitentes. Hæc, inquam, ex libro illo Gallico Syriacarum conſtitutionum, cui titulus præfigitur: *Des aſſiſes, & des vſages, & desplais de la haute Court du Royaume de Ieruſalem.*

* Credo eſſe mendum, & pro *Babet* legendum *Rabe*: Rabe enim ſiue Raba, quæ & *Aman*, Philadelphia eſt. Ortelius in Theſauro Geographico v. *Philadelphia*, Adrichomius in Gad, n. 37.

* Rabe

Addo denique cum citato Sanuto: Habebat Patriarchalis Eccleſia, quæ eſt Dominici Sepulchri, Canonicos Regulares ſecundùm Regulam S. Auguſtini. His Prior præſidebat, cui cum prædictis Canonicis Patriarchæ electio data erat, qui vicem teneret Abbatis. Priori autem (is mitra & annulo ex priuilegio vtebatur) ſuberat ciuitas Ioppe, & Neapolis, quæ proprijs carent Epiſcopis, ſicut & quædam aliæ Cathedrales Eccleſiæ, ne Epiſcopalis dignitas propter indigentiam contemptui haberetur. Vitriacus in Hiſtoria Ieroſolymitana cap. 58. ait: *Habet Ieroſolymitanus Patriarcha Abbates & Priores ſibi ſubiectos, inſignia Pontificalia, baculos ſcilicet & mitras, annulos & ſandalia ex priuilegio dignitatis habentes, domino Patriarchæ in miniſterio reuerenter aſſiſtentes. Patriarchalis ſiquidem Eccleſia, quæ eſt Dominici Sepulchri ſub monte Calvariæ, Canonicos habet Regulares, ſecundùm habitum & Regulam beati Auguſtini viuentes. Habent autem Priorem, ad quem cum prædictis Canonicis pertinet eligere Patriarcham, qui eſt eis loco Abbatis.* Hæc ille.

Prioris Dominici Sepulchri dignitas & potiſtas.

Et hæc quidem aliquando fuerunt, ſed quinam hodie eſt Ieroſolymitanæ Eccleſiæ ſplendor & dignitas? Si de Orientalibus loquamur Præſulibus, habent Ieroſolymis Græci ſuum Patriarcham, Armeni Epiſcopum, vt aliæ nationes ſuos Præfectos: verùm cùm iſti ſchiſmatici atque hæretici ſint, vera fide ac pietate deſtituti, veram dignitatem & ſplendorem deſolatæ Eccleſiæ afferre non poſſunt, ſed magis ex ipſis polluitur ac dehoneſtatur, quare his prætermiſſis, de Occidentalibus & Catholicis Præfectis aliqua dicamus.

Præſulatus Eccleſiæ Ieroſolymitanæ ſub imp. Turcarum. Antiſtites ſchiſmatici.

Sunt iſti in duplici ordine: quidam Epiſcopali dignitate inſigniti, alij non item. Illi ſunt, Patriarcha Ieroſolymitanus, Epiſcopi Bethleemitanus, Nazarenus, &c. ſed ſunt tantùm titulares, nec actu eis præſunt Eccleſijs, vnde nec ſuâ illis præſentiâ decorem ac dignitatem conferunt, ſed contrà ipſi ab abſente ſponſa Eccleſia decorem & dignitatem mutuant. Alij non Epiſcopi, ſed aſſiſtentes ſunt, Guardianus nimirum ſacri Montis Sion Ieroſolymis, & Commiſſarius Apoſtolicus, & in Bethleem & Nazareth alij ab eo deputati Præfecti cum ſibi ſubditis Religioſis. Et quamuis dictus Guardianus Epiſcopali non fulgeat dignitate, nihilominùs Summi Pontifices, quibus ſingulariter locorum ſanctorum Ieroſolymitanæque Eccleſiæ cura demandata eſt, illi plures gratias & priuilegia conceſſerunt, quæ ſimplici poſſunt communicari Sacerdoti, vt quouis modo poſſibili, decori ac neceſſitati Terræ ſanctæ, in hac miſera temporum conditione conſultum ſit.

Antiſtites Catholici.

Hîc tamen vnum, quod multum cederet in decorem & commodum Ieroſolymitanæ Eccleſiæ, proponere non omittam, præſertim quòd, à pijs prudentibuſque viris plurimùm probatum ſit, ſcilicet optimum, rationiſque ac decori locorum ſanctorum conſentaneum fore, ſi Summus Pontifex, Chriſti Vicarius, Præſulem qui actu regimen tenet Ieroſolymitanæ Eccleſiæ, Patriarchali condecoraret dignitate, vt ſimul

Iudicium de actuali Præſulo Eccleſiæ Ieroſolymitanæ.

Fratrum

Fratrum Minorum, ac aliorum fidelium curam gereret: etenim & hoc potest facere Pontifex, & Religioso statui haud repugnat, sed optimè, præsertim in proposito casu, conuenit, & noua sanctaque ciuitas Ierusalem vt sponsa viro suo ornata appareret; &, secundùm legis præscriptum, qui sentit onus, debito etiam afficeretur honore.

Orientalium Antistitum veterum & recentiorum consuetudo circa subditos.

Hoc iudicium multiplici nititur ratione. In primis, quia hoc esset antiquitati etiamnùm obseruatæ conforme. Antiquitus enim ita obseruabatur, vt nunc ex Cardinali Vitriaco & Sanuto notauimus, vt Patriarcha vel Episcopus suis, quibus præerat, conuiueret Religiosis: & vsque hodie Ierosolymis, vt alia Orientis loca præteream, Græcorum Patriarcha suis Caloieris, & Episcopus Armenorum suis Monachis cohabitant.

Vtilitates prouenientes Terræ sanctæ ex præsentia Præfecti Patriarchæ

Secundò, hoc pacto meliùs fulgeret in sancta ciuitate primitiuæ Ecclesiæ exemplar, in qua omnia erant fidelibus communia, & nutu Apostolorum, qui erant Patriarchæ & Episcopi, vnicuique vt opus erat dispensabantur.

Tertiò, ex hoc apparebit, Romanam Catholicam Ecclesiam in non minori pretio habere loca sancta, quàm ea schismatici & hæretici habeant Orientales, qui eisdem locis præficiunt Patriarchas & Episcopos qui actu illa gubernant, etsi pauperes sint ac miserabiles, & pro maiori parte labore manuum & eleëmosynis viuant.

Quartò, quia ex hoc maior decor accederet locis sanctis, & Catholici in his partibus habitantes, vel ad eas peregrinantes, & ab Ecclesia Romana longiùs separati, eidem tamen vniri volentes, maiore perfunderentur consolatione & satisfactione: cùm clarum sit, sæpenumerò nonnulla occurrere, quæ non nisi ab Episcopis executioni mandari possunt; quæ tamen omitti debent, Catholicorum Episcoporum defectu.

Quintò, hinc sequeretur virorum doctrina vitæque integritate magis probatorum electio. Patriarchali enim vel Episcopali dignitate condecorandi, vt ratio & Iura decernunt, magis examinari debent; & ita meliùs & honorificentiùs esset Ierosolymitanæ Ecclesiæ prouisum; & taliter electi, secluso speciali Summi Pontificis mandato, numquam deberent loca sancta deserere, & ad alia migrare: ex quo sequeretur, vt magis versatis & vexatis meliùs gubernarentur loca sancta, diuinusque cultus & honor magis augeretur. Sed ad nostrum Præsulem, qualis in præsentia præest, accedamus.

CAPVT X.

De dignitate Guardiani sacri Montis Sion & totius Terræ sanctæ Præsule.

Dignitas actualis Terræ sanctæ Præsidi.

PRæsul Terræ sanctæ, qui actu in spiritualibus ibi regimen obtinet expressa Sedis Apostolicæ auctoritate, multis abhinc annis vsque ad præsens, id est ab anno Domini 1305. vsque ad 1634. est Religiosus ex Seraphico Minorum Ordine, in Comitijs generalibus peculiariter electus & institutus, qui illuc non solùm eiusdem Ordinis, sed ipsiusmet Summi Pontificis auctoritate, ad illam regendam & gubernandam in spiritualibus proficiscitur; quare Ordinis & Pontificis Prælatus est. Est, inquam, Ordinis Prælatus, quia Guardianus sacri Montis Sion, & Custos Terræ sanctæ; Pontificis verò, quia eius Commissarius Apostolicus, & in pluribus ipsius delegatus. Dixi, *qui actu ibi regimen obtinet*, propter absentem Ierosolymitanum Patriarcham, & electum Guardianum, qui necdum ad Terram sanctam peruenit.

Guardianus sacri Montis Sion, & Præsul Terræ sanctæ, est Prælatus, & in Ecclesiastica dignitate constitutus, quemadmodum & alij locales Præfecti, suorum sunt Monasteriorum Prælati, quia dicti Montis Sion Conuentus Guardianus est: quare potest esse Iudex Apostolicus, vt ostendit Rodericus Tom. 1. q. 12. art. 6. & potest de Iure, vt talis, exercere omnia quæ pertinent ad obseruantiam disciplinæ regularis, & quæ pertinent ad ordinariam gubernationem Conuentus, atque suos subditos potest censuris cogere.

Verùm licet aliquid sit, nostrum Præsulem talem Guardiani habere auctoritatem; nihilominùs si ista dumtaxat potiretur, restricta esset, tum respectu subditorum, quia tantùm ad sui Conuentus subditos se extenderet iurisdictio eius, tum respectu negotiorum, quia minora tantùm tractare posset, & maiora ad maiores Ordinis Prælatos, Prouincialem vel Generalem Ministrum, referre deberet: quare eius munus, vt & aliorum localium Prælatorum, muneri Archipresbyteri assimilatur, quia quemadmodum Archipresbyteri, Plebani iurisdictionem ordinariam habentis, auctoritas & iurisdictio præcisa est, & minora tantùm & paucorum determinare potest, maiora ad Episcopum referre tenetur; ita simplex Guardianus, subditorum sui Conuentus Ordinarius Prælatus, minora dumtaxat negotia tractat, sed maiora ad Ministros, habentes auctoritatem quasi Episcopalem, remittere

mittere debet, vt ſi occurrat licentiam concedere ſubditis ad Ordines, Prædicatores & Confeſſores inſtituere, diſpenſare & abſoluere à reſeruatis, grauiora ſupplicia infligere, & ſimilia. Apud eumdem Rodericum ibi q. 17. art. 3.

Et quamuis Guardianus, & quilibet alius Præfectus localis, virtute priuilegiorum habeat plenariam auctoritatem circa ſuos ſubditos, vt Prouincialis in totam Prouinciam, cùm tamen talium priuilegiorũ vſus longa conſuetudine quæ præſcriptionem parit, & conſtitutionibus varijs Ordinis ei ſæpiùs ſit interdictus, tenetur ab illorũ priuilegiorum vſu ſibi prohibito abſtinere, conſulereque ſui Ordinis conſtitutiones & conſuetudines, contra quas quidquam moliri nequit, niſi ſub pœna peccati mortalis, vel venialis, ſecundùm grauitatem materiæ. Ex eodem Roderico loco proximè citato art. 4. & 5.

Guardianus ſacri Montis Sion ſingularis.

Verùm Guardianus noſter ſacri Montis Sion ſingularis eſt, ac proinde illius auctoritas amplior eſt, quia non ſolùm ad ſubditos proprij Conuentus, cuius dicitur Guardianus, ſed etiam ad alios aliorum Conuentuum iſtarum partium ſe extendit: & inſuper virtute peculiarium priuilegiorum, poteſt abſque alio recurſu maiora tractare: qua auctoritate ſemper vſus fuit; ac ideò numquam per non-vſum, vel per contrariam conſuetudinem abrogata fuit. Quare ſingulariſſimus eſt Guardianus noſter.

Idem Guardianus eſt etiam Cuſtos Terræ ſanctæ priuilegiatus.

Ampliùs, ad maiorem eius decorem, & ſanctorum locorum honorem, maiores Ordinis Prælati totius Cuſtodiæ Terræ ſanctæ Cuſtodem præfecerunt, & inſtituerunt; quod in noſtro Seraphico Ordine ſingulariſſimum eſt, in quo Præfecti locales à Prouincialibus, & iſti ab illis diſtincti ſunt; ſed Guardianus hic noſter, & Conuentus ſacri Montis Sion Præſul eſt, & totius Prouinciæ ſiue Cuſtodiæ Terræ ſanctæ Cuſtos.

Cuſtodis nomen multiplex.

Sed qualis Cuſtos? Reſpondeo, Cuſtodis vel Cuſtodiæ nomen in Regula & Conſtitutionibus Fratrum Minorum ſumi dupliciter. Primo modo generaliter, ſecundo ſpecialiter & propriè. Hoc nomen Cuſtos generaliter dicitur de Miniſtro generali, Prouinciali, & Guardiano, & conſequenter Cuſtodiæ nomen conueniet locis quibus iſti præſunt. Enuntiatur de Generali, cap. 8. Regulæ, dum dicitur, quòd quando Generalis eſt deponendus, *electores poſſint alium ſibi eligere in Cuſtodem*: quo loco per Cuſtodem, omnes Regulæ interpretes Generalem intelligunt. De Prouinciali ibidem, dum dicitur, quòd *poſt Capitulum Pentecoſtes Miniſtri & Cuſtodes poßint ſinguli, ſi voluerint, eodem anno in ſuis Cuſtodijs ſemel Fratres ſuos ad Capitulum conuocare*. In quo loco ijdem Regulæ interpretes per Cuſtodes, ipſoſmet Miniſtros intelligunt, & per Cuſtodias, Prouincias quibus præſunt. Enuntiatur etiam Cuſtodis nomen de Guardianis, in eadem Regula cap. 4. vbi dicitur, quòd *Miniſtri & Cuſtodes ſollicitam curam gerant pro neceßitatibus infirmorum, & alijs Fratribus induendis*. Hîc per Cuſtodes ante declarationem Nicolai III. Guardianos intelligere debemus, vt ibi notant quatuor Magiſtri, & omnes Regulæ expoſitores. De tribus ergo enuntiatur Cuſtodis vel Cuſtodiæ nomen, cùm communiter accipitur, de Generali, de Prouincialibus Miniſtris, & Guardianis.

Specialiter verò & propriè Cuſtodis nomen ſumitur dupliciter. Vno modo, pro Prælato quodam ordinario, qui diſtinctus ſit à Generali, Prouinciali, & Guardiano, vt conſtat ex cap. 8. Regulæ, in quo dicitur, quòd *Miniſtri & Cuſtodes* ſint qui debeant eligere Generalem. Hîc per Cuſtodes, vt videre eſt apud Politium num. 8. & alios interpretes, intelliguntur Prælati diſtincti à Miniſtris, ipſis quidem minores, ſed Guardianis maiores; qui præſunt aliquibus Guardianis, & communiter Miniſtris ſubduntur. Horum Cuſtodum duo ſunt munera, ex Regula. Primum pertinet ad poteſtatem iuriſdictionis. Cùm enim ſint verè Prælati, habent curam animarum, & ideò omnes Guardiani & ſubditi eis obedire, ex præcepto S. Franciſci in Regula tenentur; cùm ille cap. 10. ſic aiat: *Firmiter præcipio eis, vt obediant ſuis Miniſtris*. In quo loco per Miniſtros non ſolùm intelligit Generales & Prouinciales, ſed Guardianos & Cuſtodes, vt omnes interpretes notant. Secundum munus horum Cuſtodum pertinet ad poteſtatem actiuam eligendi & deponendi Generalem. Sed poſterius hoc munus in Prouincijs, vbi plures ſunt Cuſtodiæ & Cuſtodes, in vnicum confertur, dignis de cauſis, auctoritate Nicolai IV. Et præter hæc duo munera & officia, quæ habet ex Regula, alia poteſt exercere, prout ſibi à Generalibus, Prouincialibus, Ordinis Conſtitutionibus, aut à Summis Pontificibus fuerit conceſſum. Ad hæc cùm talis Cuſtos habeat iuriſdictionem non tantùm localem, ſed etiam Epiſcopalem, poteſt viſitare Conuentus ſibi commiſſos, conuocare & celebrare Cuſtodiale Capitulum, vi Regulæ; in quo tamen non poſſunt inſtitui Confeſſores, Prædicatores, aut Guardiani, niſi accedat facultas Apoſtolica.

Secundo modo ſpecialiter accipitur Cuſtos in Obſeruantia, pro illo qui eligitur in Capitulis prouincialibus, vt ſit vocalis in Capitulo generali proximè celebrando, idq; in

in Prouincijs in quibus nullæ ſunt Cuſtodiæ. Talis eſt Prouinciæ Pater, non Prælatus quantum ad actum exercitum, quia nullam habet iuriſdictionem, cùm nulla ſit Cuſtodia; ſed benè quantum ad actum ſignatum, quia habet habitualem iuriſdictionem: & ſi in Prouincia Cuſtodia aſſignaretur, eam in Fratres & Guardianos exerceret. Et hæc latiùs habes in Roderico Tomo 2. q. 70. art. 1.2.3. & 4.

Facultas Guardiani Montis Sion ac dignitas.

Iam ego quæro, Qualiſnam Cuſtos eſt noſter Terræ ſanctæ Præſul? Dico eſſe propriè Cuſtodem, non qualem deſcripſimus in poſteriore acceptione, vt conſtat; quia Terra ſancta nec Prouincia propriè eſt, nec ex ea vocalis diſcedit pro Generali Capitulo: erit ergo Cuſtos, vt de Cuſtode ſuimus in priore acceptione locuti; ſed ſingulariſſimus, quia non ſolùm, vt alijs, ei exhibetur obedientia à ſubditis Fratribus & Guardianis, & viſitare poteſt Conuentus, &c. ſed amplius ei obedire tenentur in ſpiritualibus alij Religioſi vel ſæculares ad has partes venientes, vel in eiſdem habitantes in certis caſibus. Auctoritas eius ab aliquo Prouinciali Miniſtro haud pendet. Poteſt inſtituere Confeſſores non ſolùm Fratrum, ſed etiam ſæcularium; & Conuentibus & locis poteſt Guardianos & Præſides præficere: & in vniuerſum ea præſtare, quæ optimo Terræ ſanctæ regimini conducunt, non ex Ordinis tantùm, ſed etiam Summi Pontificis auctoritate, quia eius eſt Commiſſarius Apoſtolicus, & delegatus: quare, quà talis, aliqua etiam præſtare poteſt, quæ alij Prælati Ordinis, quicumque illi ſint, exequi poſſe prohibentur; vt in ſequentibus ipſa meridiana luce clariùs apparebit, dum de illius priuilegijs & gratijs ſermo erit. Et quamuis ad Capitulum generale non proficiſcatur, eius tamen loco alius ſuffragium habet in electionibus.

Hinc à Summis Pontificibus in eorumdem Bullis ad eum miſſis appellatur non ſolùm Guardianus ſacri Montis Sion, Cuſtosq; Terræ ſanctæ; ſed etiam Miniſter Prouinciæ Syriæ. Idèò Gonzaga Par. 1. Hiſt. Franciſcanæ Religionis, poſt recenſitas Prouincias Obſeruantium Ciſmontanæ familiæ, de Cuſtodia noſtra Terræ ſanctæ, & de altera Albaniæ, vt de duobus diſtinctis Prouincijs, ita loquitur: *His Prouincijs accedant binæ Cuſtodiæ, videlicet Cuſtodia Terræ ſanctæ, nec non & Cuſtodia Albaniæ: quarum vtraque Prouinciæ vices quodammodò obtinet, cùm nulli Prouinciali Miniſtro ſubſit, ſed Generali Miniſtro immediatè pareat.* Hinc noſtro Terræ ſanctæ Præſuli haud ſecùs ac ſi Miniſteriatus officio functus eſſet, idem, qui functis officio ſuo Miniſtris in proprijs Prouincijs, ei, munere ſuo abeunti, & ad propriam Prouinciam reuerſo, honor exhiberi præcipitur in Conſtitutionibus generalibus Ordinis Minorum, & vt inter Miniſtros locum habeat conceditur. Sic enim in eius gratiam decernitur in Statutis Ordinis generalibus Romæ anno 1587. conceptis. *Quia verò habetur ibi, qui graniora negotia ſuſtinent, grauiſſimoſq; labores, aut manifeſta pericula pro Dei gloria, proq; communi Religionis vtilitate ſubeunt, æquum eſt ac rationi conſentaneum, vt ſingularibus prærogatiuis gaudeant, ſpecialibusq; ſubſidijs ſubleuentur; propterea vt Guardianus Ieruſalem, ac Terræ ſanctæ Cuſtos, ad propria reuerſus, omnibus priuilegijs, exemptionibus, & prærogatiuis, quibus gaudent, qui Miniſteriatus officio functi ſunt in ſua Prouincia gaudeat, & gaudere poſſit, præſenti conſtitutione perpetuò valitura concedimus, & conceſſum eſſe declaramus & decernimus.* Sed quod magis dignitatem eius extollit, eſt, eius curæ loca ſancta, in quibus noſtræ ſalutis myſteria Dei Filius operari voluit, concredita eſſe. Omnia hactenus dicta euidenter elucescent, dum illius priuilegia recenſebimus.

CAPVT XI.

De Vicario ſiue Præſide ſacri Montis Sion.

SÆpeſæpiùs accidit Ieroſolymis in ſacri Montis Sion Conuentu, vt eius Præſul & Guardianus, in Capitulo generali ab Ordinis Miniſtro generali & Diffinitorio electus, illi præſentiâ ſuâ præeſſe non poſſit, vel quia ob grauiſſima eum negotia, quæ alius, vt ipſe, pro dignitate exequi non poſſet, longè abeſſe contingit; vel quia frequentiùs morte abripiuntur: & meo quidem tempore, vnius quinquennij ſpatio duo inde ob certas cauſas abierunt, tres è viuis deceſſerunt, vnus diutino extinctus languore, alter febri & doloribus conſumptus, tertius epidemiæ morbo ſublatus, ſextus item electus in via Puteolis ad cæleſtem euolauit Ieruſalem, terreſtri non viſa: omnes denique ſingulariter ob grauem animi triſtitiam, ob ingentes & continuas ſollicitudines, & præcipuè ob perpetuas calumnias, quibus ob ſanctorum locorum regimen onerabantur. Ne ſacer ergo Conuentus, imò ne tota Terra ſancta opportuno regimine deſtituatur, Guardianus inde diſcedens aliquem ſibi ſubſtituit, vel eo defuncto, Fratres ſimul Capitulariter collecti vnum ex ſe per vota ſecreta in Præſulem eligunt, qui tantiſper ſacri Conuentus & totius Terræ ſanctæ gubernaculum & regimen teneat, donec à Sede

Defectio & mutabilitas Præſulum ſanctæ Ciuitatis.

Digitized by Google

de Apoſtolica remedium adferatur. Nunc quæro, num Vicarius ille vel Præſidens ſacri Montis Sion & totius Terræ ſanctæ eamdem habeat auctoritatem quam Guardianus, eademque obire munia poſſit, eodemque vel pari honore afficiendus ſit.

Argumen-to. Et quòd non ſit tanta eius auctoritas, & propterea non par illi honor competat, probatur à ſimili. Mortuo Correctore, non ſolùm vacat & expirat eius officium, ſed etiam ipſius Officialium, vt ex quadam Iuriſconſulti Papiniani deciſione habetur apud Rodericum 3. Tom. Quæſt. regul. quæſt. 76. art. 3. ſicut & expirat iuriſdictio Vicarij generalis mortuo Epiſcopo, prout tenent Baldus, Felinus, Abbas, cum alijs apud eumdem Rodericum ibidem. Igitur & mortuo Guardiano ſacri Montis Sion, eiuſdem Vicarij auctoritas extincta erit, & conſequenter Guardiani munera explere non poterit, nec honore, quo Guardianus, afficiendus erit. Confirmatur. Finito iure aliquid concedentis, etiam ius recipientis ab eo diſſoluitur. Ita dicitur in Iure, L. Lex vectigali. ff. De pignoribus & hypothec. L. 1. C. Si pignus pignori datum ſit. Igitur poſt mortem Guardiani nullum erit ius ſui Vicarij, &c. Et hæc clare & authenticè tradit Rodericus vbi ſuprà.

Secundò, quando aliquis vices alterius gerit ex eius deputatione, non gaudet eius priuilegijs, iuxta L. Filius. ff. De legationibus. vbi dicitur, quòd ſi filius iuit in legationem pro Republica, pro patre, non gaudeat immunitate, ſed pater: igitur Vicarius ſacri Montis Sion, etſi fungatur Guardiani officio, non gaudebit priuilegijs Guardiani.

Tertiò, non idem honor debetur Vicario, ſicut principali, ſed debetur illi honor in quantum repræſentat principalem, prout tradunt Alexander, Iaſon, & alij apud Rodericum Tomo 2. quæſt. 34. art. 2. igitur Vicarius ſacri Montis Sion non perinde honorandus vt eius Guardianus, qui eius eſt principalis.

Reſponſio ad quæſtionem. Contrarium nihilominùs verum eſt in caſu noſtro: quia cùm, ſecundùm leges, non debeat eſſe Conuentus abſque capite & Præſule, qui pro tempore illum opportunè regat; ita quomodolibet deficiente Guardiano in ſacro Monte Sion, eius Vicarius erit Præſul, cum omnibus neceſſariò requiſitis ad illius opportunum regimen; & conſequenter vt verus Præſul honorandus: quoniam qui ſuccedit in onere, ſuccedit & in honore.

Ad clariorem tamen præſentis quæſtionis deciſionem tria præſto. Primò duo præmittam Notanda; deinde tres ſubiungam Concluſiones; tertiò denique argumentis in contrarium adductis ſatisfaciam.

Vicarij nomen multiplex. Quantum ad primum, aduerto in primis, in noſtro ſacro Minorum Ordine, & ſecundùm eius generales Conſtitutiones, Vicarij nomen de tribus enuntiari poſſe. Primò de aſſumpto in auxilium Guardiani, vtque eius vices gerat tam in ſpiritualibus quàm in tẽporalibus: & iſte, præſente Guardiano, nullam habet auctoritatẽ, niſi quam ei commiſerit Guardianus. Dicitur verò Guardianus præſens ſuo Conuentui, etſi abſit, quando intra vigintiquatuor horarum ſpatium eius præſentia haberi poteſt, vt communis conſuetudo declarauit, & in multis Conſtitutionibus determinatum eſt. Ita Miranda Tom. 2. Manualis Prælat. q. 20. art. 1. Secundò dicitur Vicarij nomen de illo qui præeſt alicui Conuentui, vbi non ſunt duodecim Frãtres: & talis eſt verè & propriè Prælatus, & ſecundùm rem Guardianus, etſi Guardianus non appelletur, ob defectum numeri Fratrum, qui alio nomine & communiter Præſidens, nuncupatur, vti dicitur in c. 7. §. De Guardianis. in fine. Tertiò denique dicitur Vicarij nomen de illo, qui præficitur alicui Conuentui, ad eiuſque gubernationem aſſumitur vel ob mortem Guardiani, vel ob longam eius abſentiam, vel quia ob graue impedimentum adeſſe non poteſt; qui in noſtro Minorum Ordine communiter Præſidens, in Ordine verò Prædicatorum Vicarius appellatur.

Vicarij electio multiplicitèr fit. Secundò aduerto, Vicarium primo & tertio modo multipliciter inſtitui & eligi poſſe, plerumque tamen tripliciter, vel à Guardiano ipſo, vel à Miniſtro & Diffinitorio in Congregatione, vel deniq; nec iſto nec illo modo, ſed lege & conſuetudine recepta in aliquibus Prouincijs & locis, vt ſenior Conuentus, vel Corrector chori, vel etiam Hebdomadarius, Vicarius nuncupetur. Iſte verò, id eſt Vicarius, ſecundùm tertiam acceptionem vel eſt ſubſtitutus à ſolo Guardiano ob illius longam abſentiam, vel graue impedimentum impediens vel præſentiam vel officij adminiſtrationem, vel ab eodem in mortis articulo cum conſilio Diſcretorum domus electus: iſto enim modo poſſe eligi, conſtat ex his quæ tradit Rodericus Tom. 3. q. 76. art. 3. ad medium, & Miranda vbi ſuprà art. 2. concl. 2. Sed enim etſi hic modus conueniens ſit, Ieroſolymis tamen in caſu electionis non obſeruatur, nec, quod ſciam, in toto Ordine. Vel denique eligitur à Fratribus legitimè & capitulariter congregatis: qui modus eligendi obſeruatur ſemper Ieroſolymis mortuo Guardiano, & eſt ſanè rationabilis; quia ſi, vt

Digitized by Google

vt ex Baldo, Bonifacio, & alijs apud Rodericum vbi ſuprà videre eſt, deficiente Rege, & ſucceſſore in Regno, ad populum deuoluitur electio, ne ſine Gubernatore ſuccumbat, & deficiente Correctore & Gubernatore ciuitatis, ad ciuitatem pertinet electio, donec Conſilium Regale prouideat, & ad Rectorem antiquiorem pertinet congregare Senatum: ita mortuo Guardiano ſacri Montis Sion, per eius coadiutorem Vicarium, vel Conuentus ſeniorem congregandum ſunt Fratres, vt per vota ſecreta, prout legibus & Conciliis cautum eſt, ſibi alium eligant idoneum Præſidem, qui in officio perdurabit vſque ad noui Guardiani aduentum, vel aliam Generalis Miniſtri ordinationem.

Vicarius ſacri Montis Sion, Guardiano præſente, non eſt Prælatus.

Quantum ad ſecundum, ſit PRIMA CONCLVSIO. Vicarius ſacri Montis Sion ſecundùm primam acceptionem, quomodolibet ſit inſtitutus, præſente Guardiano non eſt Prælatus, nec ea quæ Guardiani ſunt exequi poteſt: ſi tamen ille morbo vel rationabili cauſa impeditus ſit, poterit in caſu exequi munera Guardiani propria, vt benedicere Eccleſiaſtica paramenta, inſtituere Equites ſanctiſſimi Sepulchri, &c. Probatur ex primo Notabili: eſt enim illius coadiutor tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus, ad id inſtitutus & electus, ne propter Guardiani impedimenta, loca ſancta, Fratres, vel alij venientes peregrini, debito ſubſidio & conſolatione careant; præſertim cùm munera Guardiani non requirant neceſſariò Miniſtrum in Epiſcopali dignitate conſtitutum, ſed omnia quæ per Summi Pontificis priuilegia conceduntur, à ſimplici Sacerdote perfici poſſint, qualis eſt Guardianus, vt in ſequentibus apparebit.

Verùm contra primam partem huius Concluſionis ſic argumentor, & probo, etiam huiuſmodi Vicarios poſſe exequi abſolutè munera Guardiani. Iulius II. in ampliſſima ſua conceſſione communicationis priuilegiorum Ordinis Prædicatorum factæ Ordini Minorum, eiuſmodi facultatem conceſſit hiſce verbis: *Quòd ea quæ ſpectant ad Vicarios Conuentuum, & ſingularũ domorum præfati Ordinis Prædicatorum, ſimiliter ſpectent & pertineant ad Vicarios Conuentuum & domorum Ordinis Minorum.* Sed Vicarij Prædicatorum exequuntur munera Priorum ſui Ordinis, igitur & noſtri Minorum Vicarij fungentur muneribus Guardianorum Ordinis.

Reſpondeo, conceſſionem Iulij II. confirmare ſecundam partem Concluſionis. Vt enim docet Collector priuilegiorum v. *Vicarij.* quem adducunt & ſequuntur Rodericus & Miranda, illa intelligenda eſt de Vicarijs illis, qui Prioribus vel ob eorum abſentiam ſubſtituti, vel ob illorum mortem inſtituti ſunt; qui & apud illos Vicarij nuncupantur, vt apud Minores Præſidentes: illi enim habent Priorum, & noſtri Guardianorum auctoritatem. Et ex eodem Collectore Rodericus Tom. 1. q. 19. art. 2. ait, conceſſionem ab Innocentio VIII. factam Ciſtertienſibus (in qua & Minores participant) quòd Priores dicti Ordinis, & Vicarij in abſentia Prioris, & quilibet habens principale regimen cuiuſcumque Monaſterij, poſſint benedicere corporalia, veſtimenta, ceteraque ornamenta Eccleſiaſtica ad cultum diuinum pertinentia, tam ſui Monaſterij, quàm etiam vndecumque ſint. Et meritò ſanè talis conceſſio de Vicarijs, qui Præſidentes ſunt, eſt intelligenda (idem & tu aduerte in ſimilibus conceſſionibus factis in gratiam Vicariorum) quia, vt ait Rodericus loco proximè citato, non eſt credendum, Summum Pontificem dictam auctoritatem concedere cuicumque Præſidenti in abſentia Guardiani; ſæpè enim ſæpiùs præſident Hebdomadarij, & Vicarij Chori in abſentia Guardianorum, & Vicariorum Conuentuum, ſecundùm conſuetudinem noſtræ Religionis: & his non committitur facultas ſupradicta, ſed illis ſolùm, qui propter abſentiam vel defectum Prioris eliguntur ſeu inſtituuntur ad præſidendum, & ad habendum principale regimen, &c.

Vicarius eſt Prælatus in abſentia Guardiani.

SECVNDA CONCLVSIO. Vicarius ſacri Montis Sion ſecundùm tertiam acceptionem (qui & in Præſidem datus fuit à Guardiano) eſt verus Prælatus, & Guardiani munera in foro interiori & exteriori exequi poteſt, eiusque auctoritas à Guardiano limitari non poteſt. Hæc patet aliqualiter ex dictis. Illam abſolutè de ſimilibus tenet P. Miranda loco citato Concl. 1. Et probatur ampliùs, quia talem facultatem illi conceſſit Iulius II. & Capitulum generale Albienſe, cuius meminit Collector priuilegiorum in Compendio, v. *Vicarius.* §. 5. dum ſic ſcribit: *Vicarij habeant auctoritatem Guardianorum in abſentia eorum.* Cuius ſtatuti in ſequenti Capitulo Labalis celebrato, apertior declaratio facta fuit, quæ habetur in Monumentis Ordinis his verbis: *Declaratur quòd illa clauſula in Capitulo generali Albienſi inſerta, videlicet, quòd Guardiani & eorum Vicarij habeant auctoritatem Prælatorum in foro conſcientiæ,* &c. *ſic debet intelligi, quòd auctoritas per Patrem Prouincialem conceſſa Guardianis, remaneat ſemper penes eorum Vicarios, ſeu Vicariorum Vicarios, ipſis Guardianis ſuum Conuentum pro ſuis negotijs exeuntibus.* Et hæc & huiuſmodi conceſſiones Vicarijs factæ intelli-

guntur de Vicarijs ſecundùm hanc tertiam acceptionem, & non ſecundùm primam. Confirmatur à ſimili: quia Vicarius Generalis vel Prouincialis, à Generali vel Prouinciali habet, & exercet eamdem auctoritatem ac ipſemet Generalis & Prouincialis. Et ſanè in caſu Vicarius ſacri Montis Sion eſſet velut Vicarius Prouincialis, vt Guardianus, velut Miniſter, vt Capite præcedenti dictum fuit.

Dubium. Sed numquid Vicarius in officio permanebit, ſi contingat Guardianum abſentem è vita decedere vel officio abire? Videtur dicendum quòd non, tum propter argumentum primum in contrarium adductum, tum propter ea quæ ſcribunt Doctores cum Gloſſa in Clementina fin. De procurat. v. Conteſtata. & Panorm. ibidem, & in c. Extirpandæ. §. Cùm verò. De præbendis & dign. & Nauarrus in cap. Nullam. num. 22. verſ. Ad prius autem. vt adducit & ſequitur Miranda vbi ſuprà Concl. 3. inferens etiam: *Ac ideò tenetur Vicarius per ſuas litteras recurrere ad Prouincialem Miniſtrum, vt prouideat de Prælato. Interim tamen nullam habebit ſupradictus Vicarius in foro conſcientiæ, neque in foro exteriori, ſed tantùm præſidebit in Conuentu, ne tumultus fiat, quod nimirum munus præſidendi habent ſupradicti Vicarij in noſtro ſacro Ordine ex vſu & conſuetudine*, &c. Ita & Rodericus & P. Bobadilla ibi relati.

Nihilominùs affirmatiuè reſpondendum arbitror in caſu noſtro, debere nimirum permanere inſtitutum Præſidem in officio, quoadùſque Generalis Miniſter de hoc fuerit certior factus, & conſtiterit de eius voluntate; tum quia talem eſſe illius mentem, rationabiliter ſuſpicandum eſt, ne ſanctiſſima loca ſine Prælato remaneant; tum quia iam Prælatus erat, & Vicarius, non quales ij qui ab ordinarijs Guardianis ſunt inſtituti, ſed qui à Miniſtro & Diffinitorio, qui cenſentur habere auctoritatem Guardiani, ipſo defuncto, vel quomodolibet ab officio ſublato, ſecundùm Rodericum & Mirandam; vt & ſtatim dicemus. An etenim Vicarius Ieroſolymitanus ſit inſtitutus à Generali Miniſtro in Capitulo generali, an ab ipſomet Guardiano, parum refert, cùm Guardianus ſacri Montis Sion non ſit, quemadmodum alij Guardiani, ſolùm Guardianus, ſed etiam Terræ ſanctæ Cuſtos, & velut Prouincialis Miniſter, ex iam dictis. *Vnde licet per talem inſtitutionem*, ait Miranda, *non efficiantur Prælati, ſed tantùm Vicarij Guardianorum, ea tamen inſtitutio erit efficax, & efficiet vt, mortuo Guardiano, ipſe fungatur officio Vicarij, ex præſumpta voluntate Patrum Diffinitorum, qui eum ſimul cum Prouinciali inſtituerunt, & in quibus eſt ius gubernationis totius Prouinciæ: quemadmodum ex morte domini extinguitur iuriſdictio adiutorum, niſi Princeps ſpecialiter ipſos adiutores conſtituerit; tunc enim ab ipſo Principe videntur habere iuriſdictionem, ita quòd morte dominorum non extinguatur, neque expiret eorum iuriſdictio. Eodem modo opinandum eſſe dicunt de Vicarijs, mortuis iam Guardianis prædictis. Quamuis enim, ſecundùm Ius, ſtatim eorum expiret officium, hoc tamen non habet [illegible] quando prædicti Vicarij inſtituti ſunt à Prouinciali & Diffinitoribus, & ab ipſis immediatè, non à Guardianus ſuam habent auctoritatem & iuriſdictionem. Qui dicendi modus ſatis placet, mirumq; in modum mihi probatur, & concordat cum doctrina Nauarri lib. 1. Conſil. tit. De elect. conſ. 12. num. 2. vbi hoc dicit in alio ſimili propoſito.* Hæc ille: & in praxi probatur hæc doctrina in partibus iſtis.

Addit Miranda ad huius maiorem confirmationem, quòd *quando officium Guardiani vacat in Capitulo, quouſque nouus Guardianus eligatur & veniat, Conuentûs Vicarius ſit verus & legitimus Præſes ipſius, & verus Prælatus, & valeat efficere omnia quæ ad præfatos Præſidentes ſpectant, ex beneficio legis, & vniuerſali conſuetudine in noſtro ſacro Ordine introducta, ne aliquis Conuentus vmquam reperiatur ſine Prælato.* Hæc ipſe. Quare dictus ſacri Montis Sion Vicarius in caſu propoſito, non ſolùm quia Præſidens inſtitutus fuit, ſed etiam quia fuit Vicarius electus à Generali Miniſtro, vel à Guardiano Montis Sion Terræ ſanctæ Cuſtode, qui in partibus iſtis Miniſtri habet auctoritatem, in officio manebit, donec per Miniſtrum vel Commiſſarium generalem Ciſmontanæ familiæ aliter fuerit ordinatum.

Praxis tamen habet Ieroſolymis, vt, ſi mortuo Guardiano, alius à Generali inſtitutus non ſit, vel ſi inſtitutus non adſit, vnus ex Fratribus Terræ ſanctæ præſens eligatur in Præſidem à communitate per vota ſecreta; & electioni præerit vel Vicarius vel ſenior Conuentûs. Sed relictus ſpecialiter à Guardiano Præſidens, præeſt vſque ad ipſius vel alterius Guardiani aduentum.

Et obiecta in contrarium non officiunt: quoniam concludunt tantùm de Vicarijs ſecundùm primam conſiderationem, & electis à ſimplicibus Guardianis; at Vicarius ſacri Montis Sion, de quo in Concluſione, præterquam quòd electus ſit vel à Miniſtro generali, vel à Guardiano habente Miniſtri auctoritatem, eſt etiam noua inſtitutione conſtitutus Præſes & Prælatus ſacri Montis Sion & totius Terræ ſanctæ; & conſequen-

Digitized by Google

ſequenter ea omnia exequi poterit, quæ ipſemet Guardianus, pro honeſta & conuenienti conſeruatione Terræ ſanctæ, & quæ Fratrum ibi & peregrinorum neceſſitatibus expedire videbuntur.

Sed numquid tantus honor exhibendus erit huic Vicario & Prælidi, quantus ipſi Guardiano vel Præſidi à Fratrum communitate electo? Huic difficultati reſponſio dabitur ex dicendis ad ſequentem Concluſionem.

Vicarius ſacri Montis Sion capitulariter electus eſt vt Guardianus Prælatus.

TERTIA CONCLVSIO. Præſes ſacri Montis Sion à Fratribus capitulariter congregatis ob mortem Guardiani, pro Guardiano electus, qui Vicarius eſt & dicitur in Iure, c. Sanè. 2. De officio deleg. (viſitatore tamen nomine, vt in Prædicatorum Ordine Vicarius, in noſtro Minorum Præſidens dicitur) eſt verus & legitimus Prælatus, habens auctoritatem in foro interiori & exteriori, non delegatam, ſed ordinariam, omniaque Guardiani munera exequi poteſt quoad durat eius officium, & ſimili honore ac Guardianus honorandus eſt. Ita Gloſſa in L. 2. C. De officio eius qui vices alterius gerit, Bartolus, Baldus, Alciatus, quos adducit & ſequitur Rodericus vbi ſupra art. 1. in principio, & Miranda proximo loco adductus Concl. 2. Et quòd ſimili honore, ac Guardianus ipſe, honorandus ſit, non tamen ſimiliter ab eo deputatus, verbis Roderici in fine illius articuli oſtendo, quæ ſic habent: *Quando aliquis vices alterius gerit, & ex eius deputatione, non gaudet eius priuilegijs, iuxta quamdam legem, in qua dicitur, quod ſi filius iuit in legationem pro Republica pro patre, non gaudet immunitate, ſed pater. Si verò gerit vices alterius ex deputatione Superioris, procedit id, quod in quadam Clementina definitur, quæ quoad tria Vicarium æquiparat Rectori. Quæ Clementina cùm loquatur de Vicarijs perpetuis, præſupponit, auctoritatem Superioris interuenire. Ex quibus patet, quòd Vicerector non gaudet immunitatibus Rectoris, ſi deputetur abeo, ſecùs ſi ab vniuerſitate, quod tenet Bartolus.* Hæc Rodericus. Igitur Præſes ſacri Montis Sion electus à Fratribus, ſimiliter ac Guardianus honorandus eſt, non item à Guardiano ipſo ſubſtitutus. Et confirmatur ex ſimili, & praxi in noſtro Seraphico Ordine obſeruata. Non in ſimili honore haberur Vicarius generalis vel prouincialis, ac Miniſter ipſe generalis vel prouincialis, qui eos ſubſtituerunt, benè tamen electi per Fratres in Vicarios. Et ad id denique facit quod ſcribit Rodericus Tom. 2. q. 34. art. 2.

Aduerte tamen, me non inueniſſe in Seraphici Ordinis generalibus Conſtitutionibus aliquod ſtatutum, quod hoc Præfectis Terræ ſanctæ ſub alio à Guardiani nomine id concedat. Sed non obſtat: in illis enim, vt ratio perſuadet, rei potiùs quàm nominis habita eſt ratio; & cùm in re Guardianus & electus Præſes ſacri Montis Sion idem ſint, eodem afficientur honore, ratione præſertim & lege docente, vt qui in onere, & in honore ſuccedat. Et ita vidi obſeruari, huiuſmodi inquam Vicarios & Præſides, qui per aliquod tempus loca ſancta honorificè gubernarunt, ordinatione ac declaratione Generalium Ordinis fuiſſe honoratos ac inſtitutos in Comitijs generalibus Guardianos.

Durum aliquibus videtur, admittere, Præſidem Terræ ſanctæ, ſiue Electum à Guardiano, ſiue à Capitulo Fratrum Terræ ſanctæ propter defectũ Guardiani, poſſe illa omnia præſtare quæ Guardianus poteſt: ſequeretur enim, tunc poſſe in ſolemnitatibus vti Pontificalibus paramentis, quod non videtur concedendum, & nullus Præſes illis vtitur, etſi non rarò accidat Terram ſanctam ob mortem Guardianorum per Præſides electos à Fratribus gubernari. Quare dicunt, poſſe quidem Præſidem vti illis facultatibus quæ conceduntur Guardiano ab Ordine, non autem illis quæ ſunt à Summis Pontificibus conceſſæ, quoniam perſonales ſunt, & perſonam inſequuntur.

Mihi nihilominùs videtur dicendum, antè adducta concludere de quibuſcumque facultatibus, Ordinis vel Pontificis, vt patet conſideranti. Et confirmatur tripliciter. Primò, quia licet gratiæ Præſulis Terræ ſanctæ perſonales ſint, non tamen propriæ ſolius Guardiani, neque ipſum dumtaxat inſequuntur, ſed quemcumque Præfectum abſolutum, ſiue ſit Guardianus, ſiue Præſes, quia illas conceſſerunt Summi Pontifices non propter perſonas, ſed propter ſancta loca; igitur illis gaudebunt illi, qui ſunt veri ſanctorum locorum Prælati, ſiue Guardiani ſiue Præſides appellentur. Bullæ enim ſunt directæ Guardiano ſacri Montis Sion, & ſucceſſoribus ei quocumq; tandem modo ſuccedentibus. Secundò, Gratiæ Guardiani ſunt ferè communes alijs Fratribus regimen animarum habentibus in Terra ſancta, quæ maiorem ſacerdotali ex neceſſitate non requirunt dignitatem, vt iam diximus, & neceſſariæ ſunt ad rectè ac decenter gubernandum; igitur Gubernatori cuicumque concedendæ ſunt. Tertiò, etſi Summorum Pontificum mens fuerit, vi ſuorum priuilegiorum ſingulariter condecorare Guardianos peculiaribus illis gratijs, debent tamen eædem per communicationem extendi ad ſimiles Prælatos, ex dictis ſuprà Cap. 11. in

Quare non seruetur sua privilegia.

explicatione quieni Dubij. Nec obstat contrarius vsus Præsidum, quia omnibus grauatis Guardiani non vtuntur, non quia non possint, sed quia non iudicant expedire, & præsertim ne soluant Turcis tributa, præstant solita in Guardianorum aduentu. Et profectò, videndo Præsidem v. g. in Pontificali in solemnitatibus habito, statim iudicant illum esse verè Guardianum, & tributa exigunt, quæ denuò postulant dum venit qui institutus est in Comitijs generalibus, etiam quamuis statim seruolynam peruenerit, vt me docuit experientia. Quare, vt se ab huiusmodi incommodis ea parte liberent, vel petendi occasionem præscindant, à Pontificalibus abstinent, præsertim cum absque talibus indumentis vere occurrentibus necessitatibus satisfaciant, vt manifestum est.

Respon. ad argumentia.

Quantum ad tertium, dico breuiter, respondendum ad argumenta initio quæstionis adducta, patere ex dictis. Specialiter præmissa applicando, ad duo priora argumenta respondeo, illa concludere de ordinarijs Vicarijs, secundum primam considerationem in primo Notabili indicatam infinitos, vel subditiuos à simplicibus Guardianis, quales non est nosser de quo mota est quæstio, sed est Præses & Vicarius secundum tertiam acceptionem Vicarij.

Ad tertium & posterius argumentum dico, quòd si aliquid concludit, concludat de Vicario & Præsidente relicto ab ipsomet Guardiano, & non de electo à communitate Fratrum; hic enim gaudet priuilegijs electi Guardiani, & vt Guardianus honorandus est.

Postquam hanc pertractassem difficultatem, ad manus meas deuenerunt quædam Statuta generalia Ordinis Minorum, facta pro locis Terræ sanctæ, quæ in fine roborè addux mancnt, vt manere non est rationabiliter dubio vertendum, dirimunt breuiter difficultatem: quia in ipsis inter alia sancitur, vt Præsul seruolynus electus à Fratribus capitularitèr congregatis, sit verè ac propriè Guardianus. Et quoniam plura continent ficiu & obseruatione dignissima, & vix illorum habetur cognitio, placuit illa hic subscribere.

CAPVT XII.

** Videntes eiusdem, ita exoptantem, decernima ediderati 1409.*

*Acta Capituli Generalis * Lodanæ celebrati 1414. pertinentia ad loca Terræ sanctæ.*

IN *Christo filij charissimi Fratribus, tam Prælatis quam subditis, in sacro loco Terræ sanctæ habitantibus, præsentibus & futuris, Frater Antonius de Pyreto, Ordinis Minorum Generalis Minister & seruus, salutem & pacem in Domino sempiternam. Licet ex iniuncto mihi officio, diligentia vigilanti debitam sinceritatem, tempus & deuotionem quoad Deum, mortum ien vita honestatum quoad proximum, vt animarum ad similia procurare præmunt, nec non & conseruatio locum gratiam à Domino datum in Fratribus subditis mihi, per orbem vniuersum diuina prouidentia late diffusis, tamen quodam singularis affectus, & magis Apostolico cordis desiderio, super Fratres in loco prænominato commorantes teneor meis oculis vigere, quia ipsi sunt qui pro defensione fidei Catholicæ constantius ac intrepide inter infideles assistunt, continuè prima infidelium incula propter fidem nominis Christi suscipiuntur, si necesse fuerit, & diuina placuerit voluntati. Ipsi sunt, in quorum persona Ordini nostro ad nostram confidentiam, & effectionem præcipuam commissa est deuota & sollicita custodia sacrorum locorum, in quibus Dominus noster Iesus Christus humana redemptionis peregit mysteria, principaliter quamuis ad Christianos de præsenti pertinet. Ipsi sunt, qui tuti mundo alios docent & non verbis sed normam sanctitatis, & perfectionis exemplum, ex quo pro oculi quam continuè habeant Redemptoris nostri, qui est totius vitæ spiritualis exemplar, præsidia loca inhabitando, qua loca cunctis fidelibus absentes venerantur & mente, & corpore nequeunt, quamuis præsentes. Euangelizat, vt de medio tollatur omnis malis occasio, præcipuè discordiæ, inimicitiæ, ac inanitas, qua funditus Religiosos deferunt fundamentum, & vt sit prompta libertas ad omnem bonidestis executionem, intrafcripta, qua partim sunt ordinationes quadam & statuta, & partim commissiones, & partim confirmationes nonnullarum inite ac prouide ordinatarum, per tenorem præsentium duxi vobis transmittenda, postquam ad vos de præsenti accedere non possum, in multis ex ardua negotia citra mare detentus & occupatus, & de obsequia & concordi beneplacito nostri Capituli Generalis Lodanæ celebrati anno Domini 1414. 16. mensis Octobris.*

In primis ergo ordino, quod si Guardianum sacri Cœnaculi Montis Sion mors contingat, vel sponte renuntiare, aut vltimate recolectorum prouisio non reuertendi, dum tamen de hoc conuentus proposita, ad vocandum locum ipsorum dominum, & Fratrum deliberationem, Fratres singuli, tam Clerici quam laici, dummodo professi fuerint, qui tunc erunt in partibus illis commorantes, nec per statuta nostri Ordinis ab electione repellantur, in cenaculo Montis Sion si debeant congregari, quam

quàm citiùs potuerint bono modo: in qua congregatione vnum ex eis ibidem exiſtentibus, aut de quauis parte Ordinis Guardianum idoneum, vita & ſcientia præclarum, Conuentus ſacri Montis Sion eligere teneantur. Mandans omnibus Fratribus, ſic pro eligendo congregatis, in virtute Spiritus ſancti, non ſecundùm affectionem inordinatam, ſed ſecundùm Deum, & bonam conſcientiam ad electionem fiendam procedant, ſeruantes in omnibus noſtri Ordinis ſtatuta ſuper forma huiuſmodi electionis edita: ſicq; concorditer per omnes vel maiores ipſorum partem electum, nunc pro tunc, & tunc pro nunc confirmo, & confirmatum denuntio per præſentes. Mandans ſibi ad meritum obedientiæ ſalutaris, quòd ſi præſens fuerit, dictum officium infra duos dies, niſi legitimè fuerit excuſatus, accipiat, & ipſum exercere incipiat ſecundùm gratiam à Deo ſibi datam: ſi autem electus in Guardianum ibi non fuerit præſens, poſt notificationem ſufficienter ſibi factam, quàm citiùs potuerit bono modo, illuc ſe transferat, Guardiani officio functurus, omni poſtpoſita negligentia. Volo tamen, quòd ſi Miniſter eius Prouinciæ præſens fuerit, Guardianum taliter electum auctoritate Generalis Miniſtri confirmatum denuntiet, & in ſcriptis ſub ſigillo ſui officij, vt moris eſt in Ordine, huius denuntiationem ponendo, & prædicto Guardiano ſic electo & confirmato tranſmittendo: quam etiam electionem iam, & confirmatæ denuntiationem, citiùs quo potuerit ipſi Generali Miniſtro notificat, quòd ſi Miniſter propter eius abſentiam hoc facere non poſſet, præfati Fratres qui elegerunt, huius electionem, quo poterunt & citiùs ad ipſum Generalem in forma debita tranſmittant: rationabile namque videtur, vt ipſe ſciat quis in tam deuotis locis præſideat, & qualiter intrauit, propter multa.

Similiter per eamdem obedientiam præcipio omnibus Fratribus in illis locis commorantibus, ac cunctis in poſterum venientibus, præſentibus pariter & futuris, quòd in omnibus quæ ad ſuum ſpectant officium obediant, ſine aliqua rebellione, Guardiano ſic electo & confirmato, ipſumq; nullus inferior Generali Miniſtro, ſiue ſit Miniſter, ſiue Vicarius, ac etiam vlteriùs, quouis modo poſſit abſoluere ab officio, ſine licentia ſpeciali à Generali Miniſtro obtenta, & de tali abſolutione expreſſam faciente mentionem, niſi in caſu inferiùs exprimendo.

Item ordino, quòd ſi idem Guardianus taliter infirmatur, quòd ſuum officium exercere non poſſet, vel contingeret ipſum propter aliqua occurrentia à dictis ſanctis locis ad tempus abſentari, ipſe vnà cum aliquibus diſcretis Fratribus prouidere poſſit de vno Vicario idoneo, qui valeat officium loco ſui exercere tam intus quàm extra, quouſque ſanus fuerit, vel redierit, vbi ordinarius Vicarius conſtitutus ad hoc non ſufficeret, ipſum tamen Vicarium ordinarium ab officio ſuo non amouendo, niſi cauſa ſufficiens requireret.

Item ſi caſu accideret, quod abſit, quòd idem Guardianus eſſet nimis negligens, ſiue notatus aliquo crimine notabili notorio, ordino, quòd Fratres omnes in locis prædictis commorantes, de concordi conſilio, vel ſaltem maior pars & ſanior, notificent Prouinciali Miniſtro, ſi fuerit in prouincia, ſine mora. Quòd ſi contingat, ipſum Miniſtrum propter alias occupationes vel impedimenta non poſſe vacare circa præfata, mittat vnum Vicarium ad hoc idoneum, & diſcretum: nam in iſto caſu plenam auctoritatem officij mei committo tam ſupradicto Miniſtro, ſi per ſe vacare poteſt, quàm Vicario per ipſum miſſo, ſi non poteſt; mandans vtrique per obedientiam, vt diligenter vota ipſorum Fratrum & ſigillatim diſcutiat & examinet, iuxta formam ſtatutorum Ordinis ſuper ipſius Guardiani vita, conuerſatione pariter & regimine: & reperto quòd idem Guardianus eſſet notabiliter defectuoſus, poſſit Miniſter, vel eius Vicarius, ipſum abſoluere de conſenſu omnium Fratrum, vel maioris partis eorumdem, ſeruatis in omnibus noſtri Ordinis inſtitutis, & vnum Vicarium loco ſui inſtituere, quouſque fiet electio noui Guardiani; & hoc vbi Vicarius Conuentus ad hoc non ſufficeret. Si autem Miniſter non eſſet in Prouincia, ſcribatur Generali Miniſtro, quòd mittat Viſitatorem ſuper occurrentia, ab ipſo plenariam poteſtatem habentem.

Item ordino, quòd, ſicut hactenus conſuetum eſt, prædictus Guardianus habeat curam ſpecialem in locis ſancti Sepulchri, ſanctæ Mariæ de Bethleem, ſanctæ Mariæ Vallis Ioſaphat, ceteriſq; locis Terræ ſanctæ, in quibus Fratres noſtri commorantur, ac in eiſdem Guardianos ſiue Vicarios inſtituere & deſtituere, dum tamen idoneos & ſufficientes, & hoc toties quoties videbitur ſibi expediens ac opportunum, cum concilio tamen Diſcretorum antiquorum.

Item, cùm multis Fratribus noſtri Ordinis minùs dignis, ad inſtantias importunas dominorum, tam Eccleſiaſticorum quàm terrenorum, per prædictos Fratres procuratas, interdum concedantur licentiæ accedendi ad ſanctam ciuitatem Ieruſalem, ibiq; manendi, procedit multoties ad magnum detrimentum dictorum ſacrorum locorum, & ſcandalum religionis Chriſtianæ, ac Ordinis noſtri vituperium; ordino, quòd omnes huiuſmodi gratiæ & litteræ ſint in poteſtate Guardiani prædicti, ac ſuper ipſis cum conſilio Fratrum prouido-

rum valeat arbitrari, nisi Frater tam notabilis esset, quòd meritò sibi esset omnis reuerentia & charitas exhibenda.

Item ordino, quòd Fratres, qui per tempora longa in illis partibus steterunt, onera die noctuq; portantes tam intus quàm extra, benè ac pacificè, & sub obedientia semper vixerunt, fideliterq; in commissis laborauerint, sint eidem Guardiano in Domino cariùs recommendati, maximè tempore necessitatis, nec ipsos expellere debeat de Conuentu, si finem temporalis vitæ ibidem voluerint expectare, in merito Christi ad æternam aspirando.

Item committo eidem Guardiano, quòd de consilio Fratrum possit ad nostrum Ordinem recipere tam laicos quàm Clericos, nec non ad professionem, in omnibus saluis nostri Ordinis institutis.

Item ordino, quòd possit licentiare Fratres de familia sua, quos viderit idoneos, nisi legitimum interueniat impedimentum, ad suscipiendos quoscumque sanctæ Ecclesiæ Ordines, vbicumque contigerit ipsos celebrari iuxta morem Ecclesiasticum, per quemcumque Catholicum, cui competit ex officio & dignitate.

Item concedo, quòd possit mittere Fratres ad præsentiam Generalis Ministri vbicumque fuerit, & ad omnes partes mundi, tam fidelium quàm infidelium, secundùm quod sibi videbitur expedire, cum consilio Discretorum.

Similiter, quòd possit de quacumque parte mundi nostri Ordinis vocare Fratres, ac retinere, si eis placuerit, ad consolationem peregrinorum, & ibidem de familia collocare. Caueat tamen quantum poterit, quòd sint tales quales decet esse seruos Dei, maximè in illis partibus. Si verò, quod absit, reperiat aliquos Fratres de sua familia notabiliter & notorios insolentes, zizaniam discordiæ seminantes, sibi & alijs Prælatis inobedientes ac rebelles, committo sibi, quòd possit eos expellere, ac teneatur, & ad Prouincias proprias sine dilatione remittere, etiamsi fautores vel defensores haberent, cuiuscumque gradus & conditionis essent.

Item concedo omnibus Fratribus, præsentibus & futuris, in illis partibus sub obedientia Guardiani manentibus, quòd, quatenus mando, possint eligere Ordinis nostri Confessorem idoneum, qui valeat ipsos absoluere ab omnibus ad quæ auctoritas mei officij se extendit.

Item, omnia statuta per Ven. Fratrem Bartholomæum de Aluerna, olim Vicarium Bosnæ, auctoritate Generalis Capituli Aquilæ celebrati anno Domini 1376. duodecima die Iunij, super honesta conuersatione & regimine Fratrum sacri Conuentus Montis Sion confecta, de nouo confirmo, & confirmata denuntio per præsentes. Dispenso tamen in ordinatione facta per ipsum super numero Fratrum taxato quoad Conuentum prædictum & denominatum, quæ manere debet in Hospitalibus Montis Sion, ita quòd ipse Guardianus, quando sibi videbitur expediens, & rationi consonum, possit vltra numerum taxatum, tam Fratres quàm dominos recipere, & de sua familia facere, dum tamen ad tot victualia necessaria sufficiant. Mandans per obedientiam salutarem, tam præsentibus quàm futuris, in dictis locis habitantibus, & sub pœna excommunicationis latæ, quatenus dicti Patris statuta, nec non per me tenore præsentium vobis transmissa, inuiolabiliter perpetuis temporibus obseruentur, nisi aliud per Sedem Apostolicam, vel Capitulum Generale fuerit innouatum seu ordinatum: nec etiam aliquis Generali Ministro inferior possit seu audeat quoquo modo gratijs & concessionibus superiùs insertis contraire, directè vel indirectè, vel occultè ipsas impediendo. Valete in Christo Iesu, & orate pro me. Dat. * Losanæ tempore nostri Capituli Generalis, anno & die quibus suprà. * Argent.

CAPVT XIII.

Aliæ Constitutiones generales, pro sacris locis Ierusalem & Terræ sanctæ, anno Domini 1526. ex authentico fideliter exscriptæ.

PRimò, quòd Guardianus Montis Sion vtatur in omnibus & per omnia auctoritate Ministri prouincialis in regimine & cura locorum Terræ sanctæ, computando locum Baruthi & locum Cypri, in quibus, & super Fratres in eis commorantes cum consilio Discretorum, possit & debeat instituere seu deputare Guardianos singulis annis; similiter in sancto Bethleem: & illis, tamquam veris Prælatis, Fratres ibi deputati obediant.

Item, quòd Guardianus ipse Montis Sion non mittat alicubi Fratrem aliquem cum titulo Commissariatus, nisi pro speciali causa, & magna importantia: qua expedita, expiret talis Commissariatus.

Item, quòd non mittat Fratres in Alexandriam vel Damascum [illegible] alibi, nisi ex magna necessitate, aut pro satisfactione mercatorum & deuotorum; sed ad sanctam Catharinam in monte Sinai nullum penitus mittat.

Item, quòd idem Guardianus non concedat alicui Fratri eleëmosynam pecuniariam ad expendendum ex prætextu deuotionis, cùm non sit secundùm Regulam: & minùs concedat aurum vel argentum ad faciendum Agnus Dei, vel cruces, aut similia. Eadem ratione nec permittat

mittat Fratres inutiliter occupari, maximè omittendo orationem & diuina.

Item, quòd Fratres de Familia, aut peregrini Terræ ſanctæ, tam in eundo quàm redeundo teneant viam rectam, ita quòd non vadant Baruthum, Damaſcum, vel Alexandriam, niſi neceſſitas cogat.

Item, quòd Fratres recedentes de Terra ſancta cum eleëmoſynis datis per Guardianum Montis Sion, non expendant eas niſi pro neceſſitate viæ & victus, & ſi quid ſuperfuerit, cùm peruenerint Venetias, illud reſignent Patri Commiſſario, ſeu Procuratori Ieruſalem ibidem reſidenti, cui reddant rationem de expenſis factis, & pecunijs receptis ab ipſo Guardiano: qui ſi ad alia peruenerint loca, ſaltem ſuis Miniſtris in eorum Prouincijs conſignent & reddant rationem vt ſuprà; qui Miniſter eleëmoſynas præfatas ſuperfluas mittat prædicto Guardiano Montis Sion, tamquam ſibi pertinentes.

Item, quòd non mittantur Fratres in Ieruſalem de aliquibus prouincijs ad ſatisfaciendum pro votis ſæcularium, niſi portent eleëmoſynam neceſſariam, & vlteriùs de eleëmoſyna eis data per ipſos ſæculares participent cum ipſo Guardiano Montis Sion, ſaltem pro dimidia parte, cùm ita ſit rationabile, ad leuandum grauamen expenſarum.

Item, quòd Miniſter Candiæ non mittat Fratres in Ieruſalem, niſi poſt præſtitam ſeruitutem in ipſa prouincia: intelligendo de his qui ibi mittuntur de alienis prouincijs, ſecundùm conſuetudines & ordinationes antiquas, & tunc etiam ſolùm eos qui benè ſe geſſerunt, habendo ſuper ipſis maturum conſilium, & conſenſum proborum Patrum; qui etiam mittuntur cum eleëmoſynis & prouiſione competenti, vt non grauentur loca ſancta.

Item, quòd Guardianus Montis Sion non mittat ſeu dimittat aliquos Patres manere diutiùs in aliquo loco extra monaſteria, ſeu loca Fratrum, niſi tempore Quadrageſimæ cauſa prædicationis & confeßionis, nec vmquam remaneat in talibus locis vnus ſolus Frater, niſi magna neceſſitas cogeret.

Item, quòd idem Guardianus Fratres remittat ad ſuas prouincias, quos viderit inſolentes: & ſi potuerit, bono modo reprimat & corrigat eos; & quos non potuerit corrigere, notificet ſuis Miniſtris prouincialibus, à quibus puniantur ſine vlla remiſſione.

Item, quòd Fratres accedentes in Ieruſalem de Familia, non reſeruent aliquas eleëmoſynas portatas ſecum, cùm ſapiat proprietatem, ſed liberè dimittant ſeu reſignent Guardiano vel Procuratori Montis Sion, qui Guardianus poſteà prouideat, cùm fuerint receſſuri, ſecundùm exigentiam charitatis & prudentiæ ſuæ.

Item, dimittatur locus Cypri, vel prouincia ſancti Antony, vel Candiæ, cùm ſit in magnum grauamen locorum Terræ ſanctæ.

Item, fiat Procurator aliquis bonus & fidelis Pater in Sicilia, ad ſollicitandum exactionem eleëmoſynarum ibi aßignatarum per Cæſaream Maieſtatem, & alius Procurator ſæcularis qui illas recipiat.

Item, Fratres etiam qui vadunt peregrini in Ieruſalem, nullibi accedant, nec ad ſanctam Catharinam, nec ad alia loca, ſine licentia Guardiani Montis Sion.

CAPVT XIV.

De quinque priuilegijs & gratijs Guardiani ſacri Montis Sion, Præſulis totius Terræ ſanctæ, in ordine ad Religioſos.

GVardianus ſacri Montis Sion, totiuſque Terræ ſanctæ Cuſtos, & Commiſſarius Apoſtolicus, multa habet priuilegia à Summis Pontificibus, quibus ipſe cum locis ſanctis honoratur; & vnde tum religioſæ tum ſæculares perſonæ beneficia ſpiritualia percipere poſſunt: de quibus omnibus nobis agendum eſt, priùs tamen de illis quorum vigore in religioſas perſonas, & poſteriùs de illis, quorum auctoritate in ſæculares agere quidpiam poteſt, ſermo inſtituendus erit. Quoad ergo perſonas religioſas quinque prærogatiuas habet noſter Præſul, primò in vocatione, ſecundò in prælatione, tertiò in admiſſione, quartò in miſſione, quintò denique in punitione. *Plura priuilegia Præfecti Terræ ſanctæ.*

PRIVILEGIVM PRIMVM.

Primò, Guardianus ſacri Montis Sion, Præſul Terræ ſanctæ, priuilegiatus eſt quoad vocationem Fratrum, quia poteſt aduocare, & etiam ducere ſecum ad Terram ſanctam, & ad partes Orientis ſuæ curæ commiſſas, Fratres quoſcumque voluntarios de Ordine, cuiuſcumque Prouinciæ ij ſint. Hoc priuilegium conceſſit illi Calliſtus III. in Bulla 1. vbi hæc: *Guardiano Montis Sion, ac vniuerſis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum, in partibus Ieroſolymitanis, & per totam Aſiam commorantibus, præſentibus & futuris,* &c. Et poſt nonnulla, *Concedimus quoque*, inquit, *vt voluntarios Fratres ad eaſdem partes ducere & aduocare poßis.* *Primò poteſt quos voluerit Fratres ſua familia adſcribere.*

Declaratio.

Pro intelligentia & vſu huius priuilegij, vide quæ diximus ſuprà Cap. 11. in ſolutione tertij Dubij. Et hic conſidera, quàm

egregio priuilegio munitus sit noster Præsul, vt & in non sibi subditos eius se extendit auctoritas. Secundùm Iura non modò Prælati inferiores, vt Abbates, Præpositi, &c. vt habetur in c. fin. De electione; sed nec Episcopi possunt sibi quidquam arrogare in subditos aliorum Episcoporum: quia nemo debet mittere falcem in messem alienam. dist. 71. per totam, & 6. q. 3. per totam. Imò nec Archiepiscopus ius sibi assumere potest in subditos Suffraganeorum suorum, nisi in aliquibus casibus, vt in c. Pastoralis. De officio iudicis ordin. & ibi Glossa, quæ casus eos enumerat. Secundùm verò Ordinis Seraphici Constitutiones, Guardianus solùm ingerere se potest circa Fratres sui Conuentus, & Minister circa Fratres suæ Prouinciæ. Ampliùs, secundùm priuilegia Ordinis, quæ habentur in Mari magno, nullus Prælatus Ecclesiasticus, exceptis (vt credo) Legatis à latere, potest secum Fratres abducere sine Ministri licentia. At Guardianus sacri Montis Sion potest auctoritate Apostolica de omnibus Prouincijs, & de toto vniuersim Ordine, secum ducere Fratres quoscumque voluntarios: quam eamdem auctoritatem etiam habet à Ministro Generali, vt suprà Capite XII. vidimus.

Nota. Quare, nisi mea me fallit opinio, cùm Fratres strictioris Obseruantiæ viuant in Ordine nostro sub cura Ministri Generalis Ordinis Minorum, nec ab eo sint diuisi, etsi à Pontifice prohibitum esset Generali, ne illos amouere possit de suis locis, posset nihilominùs Guardianus virtute Apostolici priuilegij eosdem voluntarios Fratres secum ducere; quia priuilegium datum est Guardiano à Pontifice, & se extendit ad Fratres totius Ordinis: & quamuis derogetur omnibus alijs eamdem auctoritatem habentibus, non tamen derogatur Præsuli nostro, nisi distertim & expressim illius facta fuerit mentio. Ita sentiunt quidam viri docti. Et ad hoc facit quod habetur in c. Romana. De foro competente, in 6. Vnde, quantum ad hoc, & in tali casu, auctoritas nostri Guardiani maior esset auctoritate Ministri Generalis totius Ordinis. Consule inferiùs dicenda Libro III. Capite XXVII.

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

Habet auctoritatem in omnes Fratres in Syria existentes. Secundò idem Guardianus priuilegiatus est quoad prælationem, quia non solùm est Prælatus in Conuentu sacri Montis Sion, sicut alij Guardiani in suis Conuentibus; sed etiam habet prælationem & iurisdictionem actualem super omnes Fratres illarum partium. Hoc priuilegium concessit idem Callistus in Bulla ad prædictos Guardianum & Fratres directa, in hunc modum: *Omnibus & singulis Fratribus prædictarum partium, præsentibus & posteris mandamus, quatenus tibi & successoribus tuis, dicta domus Guardianis pro tempore existentibus, in omnibus & singulis licitis & honestis, & quæ ad requiem & gubernationem locorum & Fratrum eorumdem quomodolibet pertinebunt, in omnibus & per omnia pareant, & intendant ad citramarinas partes, aut de loco ad locum, sine tua & successorum prædictorum speciali licentia minimè transituri.*

Declaratio.

Pro huius, & etiam præcedentis priuilegij maiori intelligentia sciendum, quòd licet Fratres sponte vadant ad Terram sanctam; non tamen sponte & sine licentia Guardiani ex ea discedere possint, vt præmissa indicant verba. Et si possent discedere sine illa, tunc data esset Fratribus materia euagandi, quod in Religiosis valdè odiosum est. c. fin. De Regularibus. Et præterea non sat opportunè locis sanctis prouidisset Pontifex, quod tamen in suis priuilegijs intendebat, sed magis obfuisset; quia cum dispendio locorum sanctorum irent & redirent Fratres, nec illis pro exigentia inseruirent. *Euagatio in Religiosis damnatur.*

Dices, Omnis res, per quas causas nascitur, per easdem iterùm dissoluitur, c. 1. De Regulis Iuris, in 6. cùm igitur Fratres vltrò venerint, vltrò etiam discedere poterunt. Præter dicta respondeo, Fratres non ex se & priuata voluntate ire ad Terram sanctam, sed magis ex consensu & nutu Guardiani, ideoque eumdem illos nutum & consensum ad discedendum expectare debere. *Obiectionis solutio.*

PRIVILEGIVM TERTIVM.

Tertiò, idem Guardianus priuilegiatus est quoad admissionem, quia in eius potestate est admittere Sacerdotes sæculares vel Religiosos in partibus Saracenorum, quos voluerit, & nullus ipsorum contra eius voluntatem manere potest. Hanc facultatem illi concessit idem Callistus III. in quarta Bulla, hisce verbis: *Quòd nullus Sacerdos sæcularis sive Religiosus, cuiuscumque Ordinis possit manere in partibus Saracenorum, contra voluntatem Guardiani, nisi habeat specificam à Sede Apostolica licentiam, facultatem concedimus auctoritate Apostolica per præsentes.* *Guardianus potest admittere, & remittere quos voluerit Sacerdotes & Religiosos in his partibus.*

Declaratio.

Magnum est hoc priuilegium; quia in eo conceditur facultas Guardiano etiam super extraneos, & alioqui sibi non subditos. Quare alij Sacerdotes, quicumque illi sint,

non

non poſſunt functiones Eccleſiaſticas exercere, vt prædicare, peccatorum confeſſiones audire, &c. ſine eiuſdem Guardiani licentia, niſi ſpeciali aliqua gratia Pontificis ſint muniti. Et pro clariori huius priuilegij intellectu vnum quid aduerte, hanc auctoritatem ſingulariter propter Religioſos, & non propter ſæculares eſſe datam, vt aduertit Collector priuilegiorum Terræ ſanctæ. Et rationabiliter quidem, tum ne criminoſi, ſub ſpecie peregrinationis locorum ſanctorum euagantes, fugiant correctionem, quod vergeret in præiudicium diſciplinæ regularis; & delicta impunita remanerent, quod maximum eſſet inconueniens: tum quia, cùm Fratres Terræ ſanctæ ſint pauperes, & non habeant poſſeſſiones, nec in partibus iſtis mendicare poſſint vt in partibus fidelium; & quando hoc priuilegium conceſſum fuit, & poſteà per multa tempora vt plurimùm ſuſtentati fuerint eleëmoſynis mercatorum iſtarum partium; ne ab eiuſmodi erronibus aliquod locis ſanctis fieret præiudicium, illa auctoritas tributa fuit Guardiano. Quia inſuper is cui imponitur onus, eius commodum ſentire debet, vt habetur De regulis Iuris, in 6. & c. 1. De ſepulturis, & Fratres onus ſentiant in gubernatione locorum ſanctorum, æquum eſt vt & commodum ſentiant, recipiendo videlicet quæ ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria ſunt.

Difficultatis ſolutio. Quòd ſi tales errones vel Religioſi vagabundi ad Guardiani mandatum diſcedere nollent, poteritne idem Guardianus contra illos intorquere cenſuras Eccleſiaſticas, & alijs medijs vti quæ ad diſceſſum eoſdem cogerent? Reſpondetur affirmatiuè; quia quando aliquid alicui committitur, omnia intelliguntur ei conceſſa ſine quibus illud expedìri non poteſt. c. Prætereà. c. Prudentiam tuam. & c. Suſpicionis. De offic. deleg. Nihil enim hoc priuilegium valeret, ſi eiuſmodi per pœnas Eccleſiaſticas compelli non poſſent. Nulli ergo Religioſo vel ſæculari Preſbytero licet in Terra ſancta manere, neque etiam Minoritæ, quamuis habeat obedientiam Generalis Miniſtri, Guardiano ſacri Montis Sion iuſtè contradicente, ſecluſa Summi Pontificis facultate.

Dixi, talem auctoritatem nõ extendere ſe in ſæculares, tum quia in eis ceſſant communiter dictæ rationes, cùm illi veniant vel propter mercaturas, vel pietatis ergò; tum quia in pleriſquè iſtarum partium locis habent proprios iudices ſæculares. Si tamen Guardianus videret aliquos vitioſos, poſſet eos Apoſtolica auctoritate corrigere, quia in partibus iſtis eſt Commiſſarius Apoſtolicus, atque inſuper agere poteſt virtute alterius conceſſionis, qua illa omnia exequi valet, quæ Dei honorem & Catholicæ fidei augmentum reſpiciunt, quemadmodum alibi explicatur.

PRIVILEGIVM QVARTVM.

Poteſt Guardianus mittere Fratres pro eleëmoſynis ad partes fidelium & infidelium.

Priuilegijs quartò prouiſum eſt Guardiano ſacri Montis Sion quoad miſſionem, quia poteſt mittere Fratres ſuos pro eleëmoſynis ad terras tam fidelium quàm infidelium. Priuilegium hoc conceſſit Calliſtus in Bulla 1. inquiens: *Concedimus tibi Guardiane, vt quoſcumque Fratres, de quibus tibi & eiſdem ſucceſſoribus videbitur, ad citramarinas pro eleëmoſynis, ac etiam ad quaſcumque infidelium partes, cùm opportunum fuerit, deſtinare poſſis.* Hæc Calliſtus.

Declaratio.

Quoniam priuilegium hoc maximum, vtiliſſimum, & neceſſarium eſt, aliquantulùm in eius dilucidatione immorandum arbitramur, vt Fratres & alij intelligant, qualiter eo, & fructu inde proueniente, vti poſſint. Ad hoc verò duo præſtabimus: primò oſtendemus, quàm magnum ſit hoc priuilegium, cum breui illius explicatione; deinde duo circa ipſum dubia proponemus, & diluemus.

Quantum ad primum, magnum ſanè hoc priuilegium eſt, ſi conſiderentur Iura Canonica, & Seraphici Ordinis Conſtitutiones. Etenim ſecundùm Iura Canonica quæſtores eleëmoſynarum non debent admitti, niſi exhibeant bonas litteras Apoſtolicas, vel Dicœceſani; & nihil aliud proponere poſſunt populo, niſi quod in ipſis litteris continetur, vt in c. Cùm ex eo. De pœnis. Non poſſunt etiam prædicare, ſed tantùm chartatiua ſubſidia petere. c. Vt officium. De hæreſ. in 6. & in Clement. Abuſionibus. De pœnis. in qua Clementina multæ ponuntur abuſiones, quibus huiuſmodi quæſtores vtuntur. Ad huiuſmodi videtur reſpexiſſe ſacrum Tridentinum Concilium ſeſſ. 21. cap. 9. In Conſtitutionibus verò Ordinis decernitur, ne vnus Guardianus mittat Fratres pro eleëmoſynis ad terminos alterius Guardiani, ſine illius licentia. Magnum ìtaque eſt hoc priuilegium Guardiani ſacri Montis Sion, cùm, tot iuribus & conſtitutionibus non obſtantibus, poſſit ad quaſcumque voluerit terras citramarinas, fidelium vel infidelium, Fratres mittere pro eleëmoſynis in ſubſidium locorum ſanctorum conuertendis. Sed valdè etiam neceſſarium eſt. Cùm enim multæ expenſæ faciendæ ſint, non ſolùm pro victu & veſtitu Fratrum, quod minimum eſſet;

esset; sed vt exsoluantur Turcis iniustæ exactiones, & vt Fratres à calumnijs continuis liberentur, & hoc pacto loca sancta, vt conuenit, & pro dignitate conseruentur. Cumque Fratres nullos vel opulentos vel tenues annuos redditus habeant, aliunde sibi & locis sanctis suæ curæ concreditis consulere debent, id est, mendicatione libera.

Facultas mittendi pro eleemosynis quælis.

Aduertendum verò, facultatem istam non esse simpliciter liberam & absolutam, ita vt Guardianus Montis Sion possit mittere Fratres pro eleëmosynis ad omnes totius mundi partes, tam fidelium quàm infidelium; sed absolutam esse respectu partium infidelium, limitatam verò respectu fidelium, id est, ad citramarinas partes, vt clare indicant verba ipsius priuilegij. Et rationabiliter quidem, quoniam in partibus infidelium, si adsint Conuentus Fratrum, liberiùs relinquitur illis eorumdem & fidelium, si curam habent, gubernatio, ita suaui & opportuno regimine expostulante: nec etiam illi, nisi in grauibus casibus & negotijs, se ingerunt; ideò quantum ad illa, noluit Pontifex eos priuilegiare, ne ab illis penderet, sed restrinxit quantum ad citramarinas (sibi intellige) quia in vltramarinis sunt maiores Ordinis Prælati, quibus custodia locorum sanctorum incumbit, eisq; deferendum est; præsertim cùm ipsi possint commodiùs locis sanctis, secundum exigentiam & necessitatem à Guardiano significandam, consulere. Et hoc est quod statuitur in Ordinis generalibus Constitutionibus, vt statim Dubio primo dicemus.

Dvbivm primvm.

Quantum ad secundum duo insurgunt Dubia. Alterum est, Num Fratres missi pro eleëmosynis à Præsule sacri Montis Sion, impediri possint ab aliquo Episcopo, vel Ordinis nostri Prælato. Et videbitur alicui quòd sic. Et quòd ab Episcopo, probatur ex Concilio Tridentino loco citato, vbi statuitur, *vt posthac* (id est, à tempore illius decreti) *in quibuscumque Christianæ religionis locis, quæstorum nomen atque vsus penitus aboleatur, nec ad officium huiusmodi exercendum vllatenus admittantur, non obstantibus priuilegijs, Ecclesiis, monasterijs, hospitalibus, pijs locis, & quibusuis cuiuscumque gradus, status, & dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus.* quodque indulgentiæ per Ordinarios locorum publicari debeant.

Quòd impediri possint per Prælatos Ordinis, probatur: quia in generalibus Constitutionibus Salmanticensibus ad Capit. 12. Regulæ, & in Vallisoletanis anno Domini 1593. cauetur, ne quis Generali inferior mittere possit ad colligendas eleëmosynas pro locis sanctis. sic enim ibi dicitur: *Pro pecunijs autem mendicandis, vel consuetis eleëmosynis ad ea loca spectantibus habendis, aut pro alijs negotijs tractandis, Fratres aut ad Italiam, aut ad alias partes Christianis Principibus subiectas, Terræ sanctæ Guardiano & Custodi destinare ne liceat, nisi primùm ad Generalem ipsum eos destinauerit, vt eius concessu exequi possint, si ei expedire videbitur, quæ in mandatis exequenda susceperint. Contrà qui fecerit, suspendatur officio, vel etiam priuetur, Generalis ipsius arbitratu; destinati verò apostasiæ notam ipso facto incurrant.* Hæc ibi.

Ceterùm ijs non obstantibus, liberè vti possunt isto eodem priuilegio Guardianus prædictus, & Fratres ab eo missi pro eleëmosynis in subsidium locorum sanctorum, & iuridicè, & absque culpa, ab aliquo qui inferior sit Pontifice, impediri non possunt. Ratio est, quia id gratia Papalis est, & ideò nullus eo inferior potest eam infringere vel tollere. Facit c. Inferior. dist. 21. & c. Cùm inferior. De maioritate & obedientia. & probat late Felinus in c. Cùm accessissent. De constitut. num. 9. Et qui derogare aussint huic priuilegio, proprijs sunt priuandi: quia, vt habetur in c. Dilecti. De priuil. vbi sic: *Suus priuilegijs est priuandus, qui priuilegijs derogat aliorum,* & Glossa ibidem. Lege & Rodericum Tomo 1. Quæst. regul. q. 9. art. 8. Vlteriùs, si sint illi in causa ne quærantur eleëmosynæ, vel ne relicta à deuotis mittantur, damnum sacro Monti Sion prouenientes resarcire tenebuntur, nec poterunt à culpa absolui nisi satisfaciant. Accedit etiam, quòd Iulius II. sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda inhibuerit Conuentualibus, & alijs Mendicantibus, ne impediant Minores Obseruantes, quin liberè possint petere eleëmosynam temporibus & locis consuetis, & mendicare, aduentu & præuentu aliorum minimè requisitis aut expectatis, vt tradit Rodericus Tom. 2. q. 57. art. 6. & ibidem art. 8. addit, Sixtum IV. subiecisse Episcopos suspensioni à regimine, interdictu ab ingressu Ecclesiæ, alios verò inferiores excommunicationi, qui dissuaserint populo ne eleëmosynas dent Fratribus Mendicantibus, voluisseque Inquisitorem contra eiusmodi procedere, tamquam suspectos de fide.

Mendicantes religiosi à Quæstoribus differunt.

Antequam argumentis in contrarium adductis respondeamus, vnum aduerte; aliud esse, loqui de quæstoribus; & aliud, de Ordinibus Mendicantibus, & maximè Minoribus, vt patet ex Glossa in c. vnic. De religiosis domibus, in 6. Ex illis plures nulli Ordini

Ordini adscripti, frequenter vagi sunt & circumcelliones; isti omnes tria vota essentialia, & Regulam à sancta Ecclesia approbatam vouent; & ab eadem sunt instituti, vt de mendicatione viuant. Præcipuè noster Ordo Minorum in altissima fundatus est paupertate, quia non solùm in particulari, sed nec in communi proprium admittit, cuius Regula suis professoribus dicit: *Vadant pro eleëmosyna confidenter.* quæ cùm per plures Summos Pontifices approbata sit, Iuri item Canonico inserta, vt in c. Exijt. De verborum signific. & in Clement. Exiui. eodem tit. & Pontifices varij cum alijs Doctoribus eã interpretati fuerint, quin de Iure sit diuino, non leui argumento asserunt grauissimi viri. Quare absque alijs litteris Prælatorum (obedientialibus Superiorum Ordinis exceptis) ipsa Regula sufficientissima erit Fratribus, vt vadant pro eleëmosyna confidenter.

Responsio ad argumenta. Et ex his ad primum argumentum respondeo, quòd, vt dicit prædicta Glossa, dispar sit ratio de Ordinibus Mendicantibus, & de quæstoribus: quia illi instituti sunt, vt possint mendicare, non item isti; quare & meritò indigent peculiari Ordinariorum facultate vt possint mendicare. Præterea quæstores possunt habere proprium, non item Minores, vt dictum fuit. ideò cùm in hoc grauentur quòd nihil habere possint, debent in alio subleuari, quòd scilicet liberè mendicare possint. Quæstores item res sibi datas possunt vendere, & de ipsis pecunias recipere, non autem Fratres Minores, vt docent quatuor Magistri, & patet in c. Exijt. nisi quando Papa magna aliqua necessitate dispensat. Ideò optimè Rodericus vbi suprà art. 7. ait, Concilium Tridentinum noluisse aliquo modo tollere vsum mendicationis Religiosorum, sed abusum quorumdam falsorum quæstuariorum, fictas & incertas indulgentias lucri tantùm gratia publicantium, &c.

Ad secundum argumentum respondetur tripliciter. Primò, dictum priuilegium vel fuisse ignotum, vel non obseruatũ Patribus illis, & ideò oppositum in Congregationibus illis decreuisse. Verumtamen per id priuilegio Pontificis non fuit derogatum, quia ab eo inferioribus factum fuit.

Obiectio. Dices. Contrà, quia statutum factum auctoritate Papæ, vel per Papam confirmatum, efficitur Papæ, iuxta illud vulgare dictum L. 1. C. De veteri Iure enucleando. & c. Si Apostolica. 35. De præbendis, in 6. Cùm igitur statutum illud in Salmanticensibus & Vallisoletanis Constitutionibus editum, cum alijs fuerit auctoritate Pontificis confirmatum, post illud priuilegium Guardiani sacri Montis Sion, illi derogatum esse credendum est. Nec obstat illa generalis regula, *Inferior non potest tollere quod à superiore concessum est*: quia veritatem tantùm habet in illis qui non habent speciale priuilegium ad id, vt ait Miranda Tom. 2. q. 43. art. 4. Sed nostri Ordinis Prælati, & in primis Generale Capitulum, habet priuilegium à pluribus Summis Pontificibus, limitandi, restringendi & annullandi inferiorum priuilegia, vt idem ibi docet, & Rodericus Tom. 1. q. 9. art. 2. Cùm igitur per duo generalia Capitula priuilegio illi Guardiani fuerit derogatum, illius virtute non poterit mittere Fratres pro eleëmosynis, &c.

Ista tamen non obstant dictis, & ad ea *Solutio.* respondeo, & primò ad primam responsionem. Confirmatio statutorum potest duplici modo accidere, primò vt habeat vim mandati vel decreti, nimirum si de mandato Pontificis edita fuissent: secundò, vt habeat vim tantummodò cuiusdam priuilegij. Confirmatio statutorum priori modo facta, habet virtutem & robur obligandi ad illorum obseruantiam, ac si essent ab ore Pontificis prolata, nec potest aliquis inferior illis refragari vel renuntiare: sed confirmationi posteriori modo possunt Ordinis Prælati renuntiare, quia tantam vt illa non habent firmitatem. Et in Statutis generalibus plura esse huius posterioris ordinis, manifestum est, quoniam in alijs Statutis & Constitutionibus mutantur & irritantur secundùm opportunitatem; & statutum illud, in quo restringitur facultas Guardiano Montis Sion, mittendi Fratres pro eleëmosynis, posterioris ordinis est, vt satis constat, ideò Callisti priuilegio adducto, in gratiam Guardiani, & locorum sanctorum edito, non derogat. Lege Mirandam Tomo 2. q. 29. art. 9.

Ad alterius argumenti confutationem, siue illius communis Regulæ explicationem, dico, veritatem habere eam de simplicibus Prælatis Ordinis, quorum auctoritas dumtaxat ab ipso pendet; non item de illis qui regimen habent, & præsunt Pontificia auctoritate; credendum enim non est, Pontificem velle illos pendere ab inferioribus se, præsertim in specialiter eisdem concessis. Modò Guardianus sacri Montis Sion ex his est; non solùm enim Ordinis, sed etiam Pontificis auctoritate regimen locorum sanctorum tenet, vt superiùs diximus, & ex dicendis ampliùs apparebit; & consequenter intelliguntur ei concessa, & non negata, quæ necessaria sunt pro illorum congruo regimine, inter quæ est & hoc priuilegium, quòd possit mittere pro eleëmosy-

nis,

Digitized by Google

nis, &c. Conſule quæ ſuprà notauimus Capite 11. Dubio 111. Accedit quòd, ſecundùm communem doctrinam alibi adductam, quæ ſpecialiter ſunt conceſſa, ſi deroganda ſunt, ſpecialiter ſint deroganda; quod non accidit in noſtro caſu: ſpecialis enim facultatis Calliſti nulla fit mentio in Conſtitutionibus Ordinis Salmanticenſibus & Valliſoletanis, ideò nec ei derogatum cenſetur. Et ex his ſit ſecunda reſpontio ad principale argumentum.

Tertiò denique dici poſſet, Pontificis priuilegium concedere facultatem Guardiano limitatam, mittendi videlicet ad citramarinas partes, modo explicato, Statutum verò generale alteram particulam auferre vel reſtringere, vt non poſſit mittere ad vltramarinas pro eleëmoſynis, &c. abſq; Generalis licentia. Cap. XII. vidimus etiam, quomodo Guardianus ſacri Montis Sion habeat ab Ordinis generali Miniſtro abſolutam auctoritatem mittendi Fratres pro ſanctorum locorum beneficio, de conſilio Diſcretorum, ad quaſcumque mundi partes, tam fidelium quàm infidelium. Et praxis hoc habet. Et hæc de primo Dubio.

Dvbivm 11.

Secundum dubium eſt, Num eleëmoſynæ pecuniariæ, vel non pecuniariæ, à Fratribus miſſis pro locis ſanctis inuentæ, vel eiſdem à pijs viris liberaliter donatæ, poſſint auctoritate Guardiani Montis Sion, vel Miniſtri generalis Ordinis expendi, non ſolùm pro Fratribus Terræ ſanctæ, & eiuſdem conſeruatione, ſed etiam pro aliorum Fratrum & locorum, etiam eius curæ non commiſſorum, neceſſitate, ſalua obſeruantia puritatis Seraphicæ Regulæ.

Pars affirmatiua ſequentibus argumentis probatur, & primò de Miniſtro Generali ſic: Cùm hic ſit Pater, Prælatus & Cuſtos totius Ordinis, ideò illi ex Iure conuenit æquè curam habere de omnibus Fratribus & locis eiuſdem; poterit ergo de eleëmoſynis locorum ſanctorum, alijs etiam locis & Fratribus, prout opportunum iudicauerit, prouidere.

Deinde de Guardiano Montis Sion hunc in modum: Lege naturali & diuina naturalis corporis membra mutuò ſe adiuuant, vt conſtat; igitur & myſtici, cuiuſmodi eſt tota Seraphica Religio: at certum eſt, Guardianum eſſe membrum huius myſtici corporis, quemadmodum ſunt & alij Fratres; igitur mutuò ſe adiuuare debent, vt nimirum iſti illum, & ille iſtos eleëmoſynis ſubleuare teneantur. Hæc ratio deducta eſt ex D. Paulo, qui ad Romanos 12,4. ait: *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes*, &c. & conceptis verbis in ea quam ſcripſit ad Galatas Epiſtola cap. 6,2. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.*

Tertiò, in quodam Capitulo prouinciali Prouinciæ Caſtellæ Obſeruantiæ, in Conuentu de Pinto, in Feſto S. Mariæ de Niuibus, anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo celebrato, ad hoc propoſitum ſequens Statutum conditum fuit: *Quicumque Fratrum nouam Miſſam cantans, petierit eleëmoſynam pecuniariam ad eam, vel ad Offertorium pecuniæ ſe conuerterit, vltra pœnam taxatam ſpolietur tota eleëmoſyna acquiſita, & applicetur infirmatorio prædicta pecunia.* & paulò inferiùs ibidem habetur, quòd *ſi quis Frater venerit ad noſtrum conſortium, & apportauerit aliquas pecunias, quòd, expletis ſuis neceſſitatibus, reliqua pecunia in neceſſitatibus Conuentus expendatur.* Item in litteris, quas Reuerendus P. F. Franciſcus de Angelis, Miniſter Generalis in Hiſpanias miſit anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio, dicitur, quòd nulli Fratri permittendum ſit vllo modo habere particulariter pecuniam depoſitam pro ſuis neceſſitatibus; ſed ſi alicui Fratri aliqua pecunia offeratur, Guardianus eam conuertere debeat in neceſſitates Fratris, ſi eguerit; ſin autem non indiguerit Frater ille, conuertere eam in neceſſitates Conuentus. Ex quibus & alijs eiuſmodi Statutis videtur concludi, pecuniam pro aliquo Fratre vel Conuentu datam poſſe in aliorum Fratrum vel locorum vtilitatem à Superioribus conuerti; & conſequenter eleëmoſynas ſanctis Palæſtinæ locis aſſignatas, poſſe à Guardiano ſacri Montis Sion conuerti in aliorum locorum & Fratrum neceſſitates.

Contrarium tamen ſtatuendum videtur, ſi ſequamur Summorum Pontificum, & Seraphicæ Regulæ Doctorum interpretationem, vt ſtatim videbimus. Vt tamen propoſito Dubio ſatisfaciam, tria præſtabo: primò tres præmittam Diſtinctiones, deinde totidem ſtatuam Concluſiones, & tertiò denique argumentis in oppoſitum adductis reſpondebo.

De primo ſit Prima distinctio. Eleëmoſynæ acceptæ mendicatione, vel à pijs viris liberaliter & vltrò oblatæ, oblatæ ſunt vel ipſis præcisè locis ſanctis, hoc eſt, vt impendi debeant in vſum eorumdem locorum, nimirum pro victu & veſtitu Fratrum in eiſdem habitantium, & pro ſanctorum

rum locorum conſeruatione; vel oblatæ ſunt vniuerſim pro neceſſitate Fratrum & locorum curæ Guardiani ſacri Montis Sion commiſſorum; vel deniq; eidem Guardiano & locis ſanctis oblatæ ſunt, vt quibuſlibet vſibus & neceſſitatibus applicari poſſint.

SECVNDA DISTINCTIO. Eleëmoſynæ oblatæ, vel ſunt tantùm ſufficientes, vel etiam affluentes & ſuperabundantes.

TERTIA denique DISTINCTIO. Aliud eſt loqui de Guardiano ſacri Montis Sion, & aliud de Generali Ordinis Miniſtro: quoniam illi totius Terræ ſanctæ Cuſtodia commiſſa eſt, iſti verò tota Seraphica Religio. Non loquor de alijs Prælatis Ordinis, quia ad illos nullo modo pertinent illæ eleëmoſynæ, nec eiſdem Fratrum & locorum Terræ ſanctæ regimen demandatum eſt; & non licet mittere falcem in meſſem alienam. His præmiſſis Diſtinctionibus, ſequêntes ſtatuo Concluſiones.

Eleëmoſynæ pro locis ſanctis non poſſunt in alios vſus expendi.

Pro ſecundo PRIMA ſit CONCLVSIO. Eleëmoſynæ datæ locis ſanctis & pro locis ſanctis, ſiue ſufficientes tantùm ſint, ſiue ſuperabundantes, ſalua Regulæ Minoritanæ puritate non poſſunt à Guardiano, vel Generali, vel depoſitario, in alios vſus & neceſſitates tranſmutari vel deſtinari, niſi habeatur ſufficiens licentia, ſeu voluntas dantis expreſſa, ſi commodè haberi poteſt; & ſi non poteſt commodè expreſſa haberi, ſaltem præſumpta probabiliter.

Probatur, quia pecunia Fratribus donata, tamdiu adhuc dantis eſt, quoad vſque expenſa fuerit; ideò contra illius voluntatem faciendum non eſt à Fratribus vel depoſitario, quia in ipſam ius non habent. Ita Nicolaus III. art. 3. Martinus V. art. 6. & Expoſitores omnes Seraphicæ Regulæ in cap. 4. Quare inferunt in hunc locum Corduba quæſt. 9. & Politius num. 40. nec Miniſtrum Generalem, nec Capitulum generale oppoſitum poſſe facere, aut ad oppoſitum licentiam cuipiam concedere, & conſequenter nec Guardianum ſacri Montis Sion. Ratio eſt, quia ipſi ad Regulæ obſeruantiam obligantur haud ſecùs atque alij Fratres, quemadmodum habetur in Serena conſcientia q. 13. & 82. vbi etiam dicitur, quòd licet Prælatus poſſit Fratri ſubdito negare licentiam acceptandi aliquam eleëmoſynam pro ſuis tantùm neceſſitatibus determinatè, ſi tamen ei ad hoc licentiam conceſſerit, nequeat vllus Prælatus eam, vel partem eius ſibi vſurpare, vel illum Fratrem, ad eam ſibi aſſignandum cogere, quantumuis id neceſſitates etiam maiores communitatis exigant: quoniam, vt indicatum eſt, donec pecunia integra ſupereſt, dantis eſt, & non Fratris, ideoque ſecundùm voluntatem dantis expendenda.

Hinc Aluarus de Planctu Eccleſiæ apud Serenam conſcientiã loco priùs citato ait, quòd non poſſint Fratres de pecunia penes ſe depoſita aliquid ſubtrahere, aut munuſcula emere, vt ea aliis dent: & ibidem loco poſteriùs adducto ait, quòd illo Fratre cui illa pecunia tradita fuit, mortuo, non poſſint illam Prælati ſibi vendicare pro alijs neceſſitatibus; quia in pecunia nil iuris habere poſſunt, nec in re aliqua alicui Fratri ſuccedunt.

Ad Epiſcopum ſpectat incerta diſpenſare.

At quid agetur de illa pecunia? Danti, vel heredi eius reſtituenda erit. Quòd ſi non ſupereſſent, vel non inuenirentur, tradenda eſſet pecunia illa Diœceſano Epiſcopo, vt de illa tamquam de re incerta diſponat: competit enim illi incerta diſpenſare, vt in c. Facimus. & in c. Conceſſo. 12. q. 2.

Et verò, hæc doctrina veritatem in primis habet in caſu noſtro, quoniam expreſsè & euidenter inſinuatur dantibus, quòd eleëmoſynæ præcisè pro locis ſanctis conquirantur; ideò & in hunc finem procuratores, tam Fratres quàm ſæculares, peculiariter ſunt inſtituti, vt conſtat in Conſtitutionibus generalibus Valliſoletanis: & illi pro locis dumtaxat ſanctis conquirendi eleëmoſynas facultatem habent; & qui illas dant, illorum tantùm intuitu & pro ijſdem dant, conſideraţaque illorum maxima neceſſitate, liberaliores ſe exhibent. Imò & ego ab huiuſmodi pijs viris accepi, ideò ſe maiores elargiri eleëmoſynas locis Terræ ſanctæ, quàm alijs pijs locis & Religioſis, quòd optimè ſciant quantum indigeant. Quin inſuper expertus loquor, nouiſſe me, quoſdam ita præcisè deſtinaſſe ſuas eleëmoſynas vel ſanctiſſimo Chriſti Præſepio, vel Sepulchro, vt eas nullatenus paterentur aliter expendi, quantumuis pro eiuſdem Terræ ſanctæ conſeruatione fieri deberet: euidenti argumento, non poſſe illas à quouis expendi in alios vſus, vel ſufficientes eæ ſint vel abundantes, niſi oppoſitum de dantium expreſſa vel probabiliter præſumpta voluntate conſtiterit. Conſulantur de hoc Seraphicæ noſtræ Regulæ interpretes, qui in hoc omnes conueniunt.

Obiectio duplex.

Sed contra hanc Concluſionem poſſet quis duo obijcere. Alterum eſt, quòd dans pecuniam, intendat ſe illius dominio priuare; ideoque Fratres vel ſyndicos & amicos ſpirituales, abſque iniuria & iniuſtitia illam poſſe licitè in quos voluerint pios vſus conuertere, præſertim poſtquam ſatisfactum fuerit neceſſitatibus, pro quibus fuerat conceſſa.

Alterum, dictas eleëmoſynas, ſiue pecu-

nias, quæcumque illæ tandem sint, recipi à Fratrum Syndico Apostolico, nomine Summi Pontificis, qui dictarum eleëmosynarum in se recipit dominium, quas ille expendi concedit in Fratrum necessitates, prout Ordinis Prælati, vel de horum licentia Fratres voluerint & disposuerint, secundùm Bullam & Constitutionem Martini V. qua vtuntur Itali Fratres, à quibus gubernantur loca sancta, vt inter alios adnotauit Corduba in cap. 4. Regulæ, quæst. 17. quam facultatem posteà concessit etiam Clemens VIII. in Capitulo generali Romæ celebrato anno Domini 1600. vt alij Seraphicæ Regulæ interpretes aduerterunt. Igitur secundum hanc Pontificiam dispensationem poterunt Guardianus sacri Montis Sion, vel saltem Generalis, eleëmosynas locis sanctis & pro ipsis datas, non solùm in illorumdem, sed etiam aliorum locorum subsidium, & in Fratrum necessitates, & licitos vsus dispensare & expendere.

Solutio. Ad primum respondetur, eos qui eleëmosynas dant, dare illas Fratribus modo licito, & illorum professioni conuenienti. Cùm enim eleëmosynatum elargitione intendant Fratres pro se apud Deum intercessores habere, non est credendum, eos ob pecuniæ vsum suæ Regulæ præuaricatores constituere velle, quare pecunia semper erit dantium, quoad fuerit in Fratrum necessitates conuersa; & consequenter non poterit expendi nisi secundùm eorum beneplacitum. Et quamuis dantes statim se dominio priuare intenderent, non exinde sequitur, Fratres in dominio succedere, quia omnis dominij incapaces sunt: ideò non ad eos, sed ad Ecclesiam & Pontificem eleëmosynarum dominium transit, ac proinde secundum eius, & non Fratrum dispensandæ sunt voluntatē, quam eam esse credibile est, vt expendantur pro illis pro quibus fuerunt oblatæ, vt Deum pro eleëmosynarijs deprecentur, suoque fine non defraudentur qui seminarunt corporalia, vt spiritualia colligant. Estque hæc communis doctrina expositorum Regulæ: & ex Nicolao III. habemus, quòd licet eleëmosynarius liberet se illo pecuniæ dominio, semper tamen nomine illius maneat. Denique nec Syndicus nomine Pontificis recipit pecunias indifferentes; & si recipit, recipit vt spiritualis amicus: quantò minùs superfluas recipiet? Superfluas verò intelligo non absolutè respectu omnium Fratrum & locorum totius Ordinis (quia cùm hic sit in summa paupertate constitutus, numquam pro illo inueniretur superfluum; si enim contingeret aliquando Ordinis aliquem Conuentum abundare, plures inuenientur magna penuria & necessitate laborare:) sed intelligendum videtur de superfluis respectu Conuentus & Fratrum pro quibus oblatæ fuerunt. Quare illa argumenti consequentia non tenet. Qui dat pecuniam Fratribus, priuat se illius dominio, igitur absque iniustitia, &c. Quoniam illius domini non sunt, quia omnis dominij sunt incapaces. Quare dispensando iniustitiam committerent, & iniuriam facerent illis ad quos pertinent pecuniæ, quia non-sua dispensarent absque dominorum voluntate.

Ad secundum dicitur, quòd licet Fratres, quibus incumbit custodia locorum Terræ sanctæ, possent vti illa Martiniana puritatis vel rigoris Regulæ relaxatione, vt tradunt Corduba & Politius locis indicatis, ille §. Quoad quintum. iste num. 53. nihilominùs (saluo semper meliori iudicio) dicerem, ex iustitia, pietate, & æquitate non posse dictos Prælatos & Fratres eleëmosynas Terræ sanctæ (quæ peculiares sunt, & priuilegiatæ esse debent) expendere in alias, quàm ipsius Terræ sanctæ & eiusdem Fratrum necessitates; tum quia aliorum locorum & Fratrum necessitatibus aliunde, absque Terræ sanctæ præiudicio & eleëmosynis, commodiùs & securiùs prouideri poterit; tum quia loca sancta sunt in continua & maxima necessitate propter frequentissimas Turcarum calumnias, & iniustas exactiones; & quia longè absunt à terris & subsidijs Christianorum, quibus alij Fratres proximiores sunt, & semper præstò habent alias eleëmosynas; tum denique, quia talem esse dantium intentionem præsumendum est, & meritò secundùm eam agendum, ne nota iniustitiæ & iniuriæ incurratur.

Aduertendum vlteriùs arbitror, illam Martini & Clementis dispensationem, permittentem illam facultatem Fratribus, non esse omnino absolutam, sed pro eleëmosynis; idque vel simpliciter, vel ex iustitia, vt pro Missis & alio honesto labore oblatis, & non ad certum & determinatum vsum liberaliter concessis. Et quæ verè ea intentione offeruntur, vt subueniatur locis sanctis, quales ferè sunt omnes quæ à Terræ sanctæ Procuratoribus conquiruntur, vel à pijs viris liberaliter offeruntur, vt iam aduertimus; eas, inquam, dumtaxat in eius vsus licet conuertere; quoniam, vt citato loco notauit Politius num. 49. & 53. Non licet ad libitum recipientium expendere pecuniam offerentium, quando constat de ipsorum voluntate; sed expendenda est in illos præcisè vsus, pro quibus illi eam elargiti fuerunt, quia semper eius manent domini donec consumpta fuerit. Et in casu nostro expressam esse dantium voluntatem, vt in subsi-

Digitized by Google

ſubſidium præcisè Terræ ſanctæ expendantur, iam oſtendimus in probatione Concluſionis. Nec arbitrandum eſt, mentis eſſe Papæ, vt pia intentio elargentium eleëmoſynas defraudetur; quæ vtique defraudaretur, ſi in alios vſus conuerterentur eleëmoſynæ Terræ ſanctæ, quàm in ipſiuſmet ſubſidium. Ad hæc, etſi poſſint ſecundùm Martinianam expendi vel commutari eleëmoſynæ à Procuratore ſecundùm Fratrum voluntatem, id tamen militat pro illis pro quibus fuerunt oblatæ, non pro alijs, vt colligi videtur ex eadem Conſtitutione, & ex Corduba vbi ſuprà.

Sed quidquid ſit de his, dicendum, totum Ordinem Obſeruantium renuntiaſſe diſpenſationi illi Martini V. & Clementis VIII. in duobus Capitulis generalibus, in altero Toleti celebrato anno Domini 1606. & in altero habito Romæ anno 1612. vt & renuntiarunt alijs ſimilibus, Regulę puritatem & obſeruantiam relaxantibus, vt cuidam Pij V. & alteri Clementis VIII. datæ ad inſtantiam P. F. Franciſci de Soſa, Ordinis Generali Miniſtro; decretumque fuit, vt omnino obſeruaretur quod declaratum & decretum fuit à Nicolao III. & Clemente V. *Declarat in primis Generale Capitulum, in nullo præcepto diſpenſatum eſſe, atque adeò omnia in ipſa contenta obſeruari debere iuxta declarationem Summorum Pontificum Nicolai III. & Clementis V. vti declaratum fuit in Capitulo Toletano anni* 1606. Ita habetur in tabula Generalis Capituli Romani. Ac denique in Comitijs Generalibus Romæ celebratis anno ſalutis 1625. renuntiatum fuit omnibus Minoritanæ Regulæ puritati repugnantibus, & de hoc publicatum eſt decretum S. D. N. Vrbani VIII. in quo reuocat *quaſcumque conceßiones ſiue indulta tam per litteras Apoſtolicas & motu proprio, quàm viuæ vocis oraculo & aliàs quomodolibet conceſſa eidem Regulæ contraria.* Ita legitur in Bulla, quæ incipit: *Sacroſanctum Apoſtolatus miniſterium*, &c. *Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die prima Octobris, Pontificatus noſtri anno tertio.* Quare non ſuffragatur illa Conſtitutio Martini V. quia Regulæ puritati repugnat, & ſtandum eſt declarationibus Nicolai III. & Clementis V.

Eleëmoſynæ indifferenter oblatæ poſſunt inſumi à Generali in aliorum ſubſidium, nō à Guardiano.

SECVNDA CONCLVSIO. Eleëmoſynas ſimpliciter oblatas locis ſanctis, eorumque Guardiano, hoc eſt, non pro certa aliqua eorumdem vel Fratrum neceſſitate determinatè & expreſsè, non poterit Guardianus in aliorum locorum vel Fratrum neceſſitates expendere, benè tamen in ſuorum ſubſidium; Generalis verò etiam in ſubſidium aliorum. Tres partes habet iſta Concluſio, vt liquet, & probo ſingulas. Primam quidem, quia Guardianus circa loca vel Fratres, quorum cura ei demandata non eſt, non debet ſe ingerere, niſi aliter conſtet de Superioris expreſſa vel præſumpta voluntate, ſi expreſſa haberi non poſſit.

Secundam ſic: Guardianus ſacri Montis Sion, vt quilibet alius, licitè poteſt pecuniam, & alias eleëmoſynas procurare pro locis & Fratribus ſuæ curæ commiſſis, igitur & indifferenter oblatas licitè poterit pro eiſdem expendere. Id conſtat ex Decretali Exijt. §. Ceterùm. ver. Quia verò.

Tertiam concluſionis partem probo ſic: Generalis Miniſter, ex quo eſt caput totius Ordinis, tenetur, vel ſaltem poteſt omnibus locis & Fratribus eiuſdem prouidere, emendicando eleëmoſynas, etiam pecuniarias, ſecundùm occurrentes neceſſitates; igitur & eleëmoſynas indifferenter oblatas poterit in illorũ neceſſitates conuertere. Conſequentia ex dictis manifeſta apparet: pecunia enim indifferenter conceſſa, modo tamen & neceſſitatibus licitis, eo ipſo videtur conceſſa pro omnibus, pro quibus licitè poterat procurari, vt ait Nicolaus III. art. 3. Et hæc eſt expreſſa ſententia Cordubæ, Politij, & aliorum Regulæ expoſitorum locis indicatis.

Guardianus poteſt eleëmoſynas ſanctis locis oblatas diſpenſare pro Fratribus ſibi ſubiectis, ſi oppoſitum de dantium voluntate non conſtiterit.

TERTIA CONCLVSIO. Guardianus ſacri Montis Sion, Terræ ſanctæ Cuſtos, & Commiſſarius Apoſtolicus, poteſt diſpenſare eleëmoſynas, locis ſanctis & pro eiſdem oblatas, in quorumlibet locorum & Fratrum ſibi ſubditorum neceſſitates extra Terram ſanctam exiſtentium; dummodò expreſsè non conſtet de oppoſita intentione dantium, qua velint præcisè expendi pro ſanctiſſimis locis.

Hæc Concluſio patet ex dictis: tenetur enim ille omnibus ſibi ſubiectis ſubuenire, & ſi non conſtet de expreſſa dantis intentione, poteſt rationabiliter illam in æquiorem partem interpretari, quam eſſe, meritò credendum eſt, vt ſecundùm æquitatem, iuſtitiam & charitatem, in omnes ſibi ſubiectos illam expendat, etiam extra Terram ſanctam; præſertim quòd ex aliorum locorum & Fratrum ſubuentione maximum proueniat commodum locis ſanctis.

Doctrina exemplo illuſtratur.

Doctrina hæc etſi facilis & manifeſta ſit, ad ſimplicium maiorem inſtructionem ſequenti dilucidatur exemplo. Venetijs multæ fuerunt collectæ eleëmoſynæ pro locis ſanctis promiſcuè: inde ducendi ſunt Fratres Conſtantinopolim pro ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ exaltatione, & fidelium ſpirituali vtilitate; an duci Fratres poterunt, & an illorum neceſſitatibus ſubuenire licebit,

ſalua Seraphicæ Regulæ obſeruantia, ex eleëmoſynis pro locorum ſanctorum vſu donatis? Reſpondeo, ſi loca Conſtantinopolitana, cum Fratribus ad ea inhabitanda profecturis, ſubduntur regimini Guardiani ſacri Montis Sion, tunc poterunt ſubſidio illarum eleëmoſynarum illuc perduci, de conſenſu Guardiani vel Generalis: & hoc indicatur in ſecunda & tertia Concluſione. Si verò loca illa Guardiano Ieroſolymitano non ſubduntur, nec ipſo annuente, nec Generali præcipiente, poterunt, ſalua iuſtitia & æquitate, memoratæ eleëmoſynæ deducendis Fratribus ſuffragari. Et ſi Guardianus vel Generalis in illorũ vſus eas conuertant vel totas vel partem, mittunt falcem in meſſem alienam, & contra voluntatem dantium expendunt eleëmoſynas, quod graui iniuſtitia & culpa non caret. Si tamen liberaliter & indifferenter eſſent locis ſanctis oblatæ, & illis non indigeret Guardianus pro Fratribus & locis ſuæ curæ commiſſis, tunc quidem non poterit ipſe eas in vtilitatem Fratrum familiæ Conſtantinopolitanæ conuertere (& hoc eſt quod dictum eſt in prima parte tertiæ Concluſionis) benè tamen id poterit Generalis Miniſter, vt in eiuſdem Concluſionis tertia parte fuit indicatum.

Obiectio. Si obijciatur, oppoſitum aliquando fuiſſe factum, eleëmoſynis ſcilicet Ieroſolymitanis fuiſſe Conſtantinopolitanis Fratribus prouiſum; reſpondeo vt vidi & audiui, id quidem accidiſſe quando loca Conſtantinopolitana cum Fratribus ſubiecta fuerunt & incorporata Cuſtodiæ Ieroſolymitanæ, vel à Procuratore Terræ ſanctæ Venetijs ſpecialiter collectæ fuerunt eleëmoſynæ pro ducenda familia Conſtantinopolitana. Quòd ſi neutrum accidit, & tamen eiſdem prouiſum fuit per eleëmoſynas locorum ſanctorum, neſcio quomodo à furto & graui culpa excuſari poſſint eiuſmodi prouiſores. Et hæc quidem ſecundùm rationem, iuſtitiam, & Minorum profeſſionem dicta ſint.

Salutio.

Nemini licet eleëmoſynas Terræ ſanctæ in alios vſus conuertere. Aduerto tamen, poſtquam hæc ſcripſiſſem, inueniſſe me, Apoſtolica auctoritate Summorum Pontificum Pauli V. & Gregorij XV. ſub grauibus pœnis eſſe interdictum, ne quis Ordinis Prælatus vel ſubditus oblatas, vel quomodolibet relictas locis ſanctis à pijs fidelibus eleëmoſynas in alios vſus, etſi pios & vrgentes, etiam eiuſdem Ordinis, conuertere præſumeret. Vide ſuprà in horum Pontificum Bullis. Et hæc valdè notanda exiſtimo, ne inaduertenter & inconſideratè defraudentur loca ſancta, aut furti redarguamur Miniſtri, quòd dominorum facultates contra illorum voluntatem diſtribuantur, adeoque ne æternam damnationem incurrant.

Reſpon. ad argumenta. Ad tertium nunc accedamus, ad ſoluenda inquam argumenta initio dubitationis propoſita. Et primò ad primum dicimus, Generalem Miniſtrum debere quidem vel poſſe ſubuenire omnibus ſibi ſubiectis, ſed modo debito, non indebito: non enim licet furari, vel alienas rapere facultates pro ſubueniendo proximo, etſi vnicuique ex præcepto incumbat proximo ſubueniendi; ſed quod rectum eſt rectè exequendum eſt. Sed in caſu noſtro Generalis contra dantium voluntatem indebito modo mitteret manum in alienam meſſem, ſi eleëmoſynas ſanctis locis deſtinatas in alios vſus quàm in eiuſdẽ Terræ ſanctæ conuerteret. Prælatus in myſtico Eccleſiæ corpore non modò capitis, ſed etiam ſtomachi officium facit: quoniam vt ſtomachus pro omnibus alijs membris digerit cibos, & ſecundùm æquitatem in illorum ſubſidium diſtribuit; ita pro omnium ſubditorum ſubuentione debet elaborare Præſul. Sedenim vt numquam ſtomachus cibos pro membris coquet, niſi eidem vniti fuerint; nec, niſi manifeſto vitio laboret, ea quæ ad manus pertinebant, ad pedes tranſmittet: ita numquam Præſul eas quas pro Terra ſancta accipit facultates, poterit in ſubſidium ſubditorum conuertere; & eas quas pro quorumdam ſpeciali neceſſitate accipit, abſque culpa in aliorum conuertere vtilitatem poterit; procurare ergo alunde ſubſidium debet, ne raptor, ſed bonus paſtor inueniatur.

Et ex his ferè ad ſecundum. Debent ſe mutuò adiuuare membra in functionibus ſuis ex his quæ exteriùs recipiunt, interiùs & exteriùs reciprocas præſtando ſuppetias, non autem his quæ non recipiunt, & ad ipſa non ſpectant. Ita Guardianus ſacri Montis Sion, & in vniuerſum Religioſi omnes, vt membra myſtica Religionis, debent ſe mutuò ſpiritualibus bonis adiuuare quæ intra ipſos ſunt, & etiam temporalibus illis conceſſis, non autem negatis: nec debet Frater aliena diripere, vel alio incongruo modo procurare pecunias, vt Fratri ſuo egenti opituletur. Et Guardianus legi naturali & diuinæ ſatisfaciet, ſi obſequia, quæ iuſtè exhibere poterit, alijs Fratribus ſibi non ſubiectis impendat. Sicque apparet, in quibus valeat & non valeat adducta ſimilitudo in argumento.

Ad tertium argumentum reſpondet loco iam citato Corduba, Statuta illa non obſtare eleëmoſynis determinatis. Non illa duo priora: quia intelliguntur vt ſonant, nimirum de pecunia conceſſa quidem ſeu data ad petitionem alicuius Fratris, non tamen

men præcisè & determinatè pro illoipſo tantùm Fratre, ſed intuitu Ordinis pro eiuſdem & aliorum Fratrum neceſſitatibus, ſecundùm Prælatorum religioſam diſpoſitionem. Et quando ſpecialiter pro illoipſo tantùm Fratre determinatè concederetur, vt ſecundum Statutum ſonat, & clariùs litteræ prædicti Miniſtri Generalis innuunt, tunc non poteſt ſimpliciter conuerti in alias aliorum neceſſitates, ſepoſitis neceſſitatibus Fratris illius; ſed priùs expletis illius Fratris neceſſitatibus veris ſecundùm Regulam, reſiduum conuertendum eſt in neceſſitates communitatis; quia ſic probabiliter præſumitur de voluntate dantis, vbi non conſtaret de oppoſito. Et ſic de licentia ſaltem probabiliter præſumpta fit prædicta conuerſio, ſeruatis alijs conditionibus requiſitis; ſicque ſonant & intelligenda ſunt prædicta Statuta, & litteræ prædictæ, & alia eiuſmodi. Et hæc pro ſolutione ſecundi propoſiti Dubij, & intellectu quarti priuilegij, reſpicientis Religioſas perſonas; ad quintum denique eiuſdem omnino conditionis priuilegium accedamus.

PRIVILEGIVM QVINTVM.

Minores non veniant ſine legitima facultate ad Terram ſanctam poteſt Guardianus punire.

Quintò, idem qui ſuprà ſacri Montis Sion Guardianus eſt priuilegiatus quoad punitiones inferendas, quia Fratres ſine licentia Prælatorum ad Terram ſanctam venientes punire, & carceri includere poteſt. Hoc priuilegium conceſſit idem Calliſtus in Bulla 2. *Ceterùm nos omnibus & ſingulis Ordinis Obſeruantiæ prædictorum Fratribus Miniſtris diſtrictiùs inhibemus, ne ad vltramarinas partes ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, aut Generalis ſeu Vicarij, vel aliorum Prælatorum Ordinis licentia, quam grauibus dumtaxat & idoneis dari volumus, accedere, aut in illis quæſtuare & mendicare, ac quæſtus & eleëmoſynas de loco ad locum ſine tua licentia (Breuiario, veſtitu, & victu neceſſarijs dumtaxat exceptis) transferre, & exportare quoquo modo præſumat, ſub virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictiùs inhibemus tibi, & ſucceſſoribus tuis omnes & ſingulos, qui contra prohibitionem & mandatum huiuſmodi ſcientes venerint, per cenſuram Eccleſiaſticam, & ſi opus fuerit, carcerationem & arreſtationem coërcendi facultatem tenore præſentium concedentes. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, nec non dicti Ordinis Statutis*, &c.

Declaratio.

Pro ampliori intellectu huius priuilegij quatuor notanda ſunt, & ſic Dubium diluendum.

Primum notandum. Guardiani facultas virtute huius priuilegij dumtaxat ſe extendit ad Fratres de Obſeruantia, vt verba illius manifeſtè indicant. Sed quid poſſit in alios Religioſos, vel etiam ſæculares Preſbyteros, viſum eſt ſuprà in tertio priuilegio.

Secundum notandum. Dicta facultas non eſt abſolutè priuilegiũ, ſed vel lex communis, & Ordinis noſtri inſtitutio, qua ſtatuitur, eos qui tranſierint non ſolùm à partibus fidelium ad infidelium, & Terræ ſanctæ regionem, ſed abſolutè de quouis loco ad alium, ſine obedientia Superiorum, excommunicationis & apoſtaſiæ crimen incurrere, & ſic delinquentes tradendos eſſe carceri, in quo triduo commiſſum crimen purgare debent, vt videre eſt in Conſtitutionibus Ordinis noſtri, De Apoſtatis. Conſidera quæ dicimus Libro ſequenti Capite XXV I.

Tertium notandum. Fratres ad Terram ſanctam venientes, quicumque illi ſint, non poſſunt, exceptis vitæ neceſſarijs & Breuiario, aliquid procurare ſine licentia Guardiani; & qui contrarium fecerint, faciunt contra conſcientiam, & reſtituere tenentur. Neceſſaria tamen ad vitam, & Breuiarium, cum licentia expreſſa Guardiani ſi haberi poteſt, ſi non, cum præſumpta quærantur; cùm veri Religioſi ſine licentia Prælati nihil agere debeant, quia non habent nec velle, nec nolle. c. Religioſus. De teſtamentis. & c. Religioſi. De ſepulturis. Pontifex autem eximit à Guardiani licentia quando haberi non poteſt, & tunc eius intentio præſumenda eſt.

Quartum notandum. Hoc priuilegium conceſſum fuit Guardiano ſacri Montis Sion, poſtquam loca ſancta iam commiſſa eſſent Fratribus Minoribus de Obſeruantia. Erat quando Obſeruantes viuebant ſub obedientia Vicariorum Generalium, & Miniſter Generalis totius Ordinis S. Franciſci tum erat aliquis de Communitate qui omnibus Fratribus præerat, tam de Communitate quàm de Familia & Obſeruantia, vt alibi diximus. Sed facta tandem auctoritate Pontificia Seraphici Ordinis diuiſione in Obſeruantes & Conuentuales ſub Leone X. Obſeruantibus traditum fuit Ordinis antiquum ſigillum, & vt apud eos eſſent propria & vera Prælatorum nomina, quæ S. Pater Franciſcus in ſua Regula inſtituit, fuit conſtitutum, ſimul vt Generalis Ordinis totius Præfectus appellaretur *Miniſter Generalis totius Ordinis S. Franciſci*, Patrum verò Conuentualium, *Magiſter Generalis Fratrum Conuentualium*; ac proinde Patres Conuentuales in aliud corpus & ſodalitium ab Obſeruantibus redacti ſunt. Ex quo ſequitur, facultatem mittendi

Libro 1. c. LXVIII. Vide P. Petrum Marchant in ſua litterali expoſitione Regulæ Minor. c. 8. tit. 2. q. 5. & 6.

Fratres ad Terram ſanctam, remanſiſſe dumtaxat penes Obſeruantes, Miniſtrum & Commiſſarium Generalem, & Guardianum ſacri Montis Sion. Et hæc ſunt manifeſta, nec videtur ratio vrgere ad contrarium ſentiendum; quia ſolis Minoritis de Obſeruantia commiſſum eſt locorum ſanctorum regimen, & apud illos ſunt Prælati, quibus Summus Pontifex mittendi Fratres priuilegium conceſſit.

Dvbivm vnicvm.

Dubium exoritur occaſione eorum quæ in præmiſſa Bulla continentur, num alij, præter Sedem Apoſtolicam, vel Generalem Ordinis, poſſint concedere licentiam Fratribus eundi in Terram ſanctam.

Videtur quòd ſic, quia dicitur in Bulla, *Nullus ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, aut Generalis, ſeu Vicarij, vel aliorum Prælatorum Ordinis.* Igitur videtur quòd etiam Prouinciales poſſint impertiri huiuſmodi licentiam.

Reſpondetur, talem facultatem reſidere ſolùm in Miniſtro generali Ordinis, Commiſſario Generali Ciſmontanæ familiæ, & Guardiano ſacri Montis Sion, vt alibi dicetur. Ad verba Bullæ verò reſpondetur tripliciter. Primò, intelligenda ea eſſe de Prælatis habentibus à Papa, vel etiam à Generali, ſpecialem auctoritatem mittendi. Vel ſecundò ea verba intelligenda ſunt de punitione, ſic videlicet, vt, ſi alij Prælati Ordinis, qui mittendi ad Terram ſanctam auctoritatem non habent, aliquos mitterent, Guardianus ſacri Montis taliter miſſos non debeat punire, quia maior fuit culpa mittentium, & pœnæ ſunt reſtringendæ, c. Pœnæ. De pœnit. diſt. 1. Niſi tertiò dicatur, licuiſſe, ex conceſſione Pontificis, Generalis, vel Guardiani Montis Sion, Miniſtro Prouinciæ Terræ laboris, etiam Miniſtro Candiæ, in aliquo caſu, vt viſum eſt ſuprà Cap. XIII. & fortè nonnullis alijs, ad quos verba Pontificis referenda erunt. Nullus tamen ordinariè præter eos quos expreſſimus, licentiare poteſt ad Terram ſanctam.

Lib. III. c. XXVI.

CAPVT XV.

De octo priuilegijs Guardiani ſacri Montis Sion in ordine ſingulariter ad ſæculares.

NOn tantùm in ordine ad Religioſos eſt priuilegiatus Guardianus ſacri Montis Sion, vt vidimus Capite præcedenti, ſed etiam in ordine ad ſæculares (quod præſenti oſtendemus) idque vel primò in receptione, ſecundò in inſtitutione, tertiò in benedictione, & in alijs.

Privilegivm primvm.

Quoad ergo receptionem vel admiſſionem ad Ordinem Minoritanum, poteſt in partibus iſtis quoſcumque ſæculares recipere ad tertium Ordinem ſancti Franciſci, vt in ſequenti priuilegio fuſiùs dicetur & explicabitur.

Guardianus poteſt recipere ad tertium Ordinem S. Francisci

Privilegivm secvndvm.

Quoad inſtitutionem, poteſt idem ſacri Montis Sion Guardianus in partibus eius curæ commiſſis tertium Ordinem ſancti Franciſci inducere, & eiuſdem aliquem Miniſtrum inſtituere. Hoc priuilegium cum præcedenti conceſſit Calliſtus III. in Bulla tertia, quæ ſic habet: *Item concedimus, quòd Guardianus, vel eius locum tenens, poſſit quoſcumque recipere, & induere habitum Tertij Ordinis, & inſtituere inter illos Miniſtrum vel Miniſtram, iuxta morem Regulæ Tertij Ordinis, ibi in partibus Ieroſolymitanis.*

Poteſt in eodem Ordine Miniſtrum inſtituere.

Declaratio horum priuilegiorum.

Hæ duæ facultates vere priuilegia ſunt. Prima quidem, quoniam receptio ad tertium Ordinem pertinet ad Miniſtrum Tertiariorum, vt videre eſt in eorum Regula, declarationibus Summorum Pontificum, & maximè Nicolai IV. apud Rodericum in Bullario, Bulla 7. Nicolai. Et ad prioris priuilegij intellectum duo obſerua: alterum, non modò Guardianum, ſed etiam eius Vicarium poſſe recipere ad tertium Ordinem; alterum, quòd licet talis facultas pro iſtis partibus Ieroſolymitanis conceſſa fuerit, nihilominùs venientes ad iſtas partes reuerſuri ad ſuas fidelium, poſſent approbari, quoniam priuilegium clarè loquitur abſque diſtinctione, *poſſint quoſcumque recipere*, &c. Vbi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, niſi auctoritate alterius legis. Ita Bartol. in L. vnica. C. Quorum legatorum. Quia conſtitutio generalis per aliam ſpecialem limitatur. ita Bartol. in L. Quæſitum. §. Fur. num. 12. ff. De fide iuſta. Et quia priuilegium Principis latiſſimè eſt interpretandum. c. Beneficium. De regulis Iuris. & maximè in fauorabilibus. c. Odia. De regulis Iuris, in 6. Ideò cùm in hoc priuilegio latiſſima concedatur auctoritas, ea vti poterit Guardianus vel eius Vicarius in quoſcumque ad ſe venientes, vt ad Ordinem recipiantur.

Secunda etiam facultas priuilegium eſt, quia ex eorumdem Tertiariorum Regula, & confirmationibus Pontificum, ad ipſos Fratres vel Sorores Tertij Ordinis ſpectat

Digitized by Google

ctat Miniſtrum vel Miniſtram inſtituere.

Notandum, Tertiarios in communi viuentes ſecundùm Regulam approbatam à Sixto IV. eſſe verè Religioſos, & ſub cura Fratrum Minorum, iis exceptis, qui, conniuentibus Prælatis Ordinis, Epiſcopis ſe ſubdiderunt. Rodericus Tom. 3. quæſt. 72. art. 1.

PRIVILEGIVM TERTIVM.

Guardianus ſacri Montis Sion poteſt inſtituere Equites Dominici Sepulchri.

Quoad inſtitutionem porrò poteſt idem Guardianus inſtituere Equites ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri IESV CHRISTI. Hanc facultatem ei conceſſit (prout inueni, licet eam priùs exercuiſſe non dubitem Pontificia auctoritate) Leo X. Pont. Max. de qua ſic legitur in calce libelli priuilegiorum ſacri Montis Sion: *Anno Domini* 1516. *Leo X. viuæ vocis oraculo conceſſit Guardiano ſacri Montis Sion, vt poſſit ordinare Milites ſanctiſſimi Sepulchri, & facere ſicut fecerunt ſui prædeceſſores. Et iſta conceſſio fuit per quemdam Cardinalem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in vna epiſtola ſcripta Guardiano, ſicut patet in capſella priuilegiorum ſacri Montis Sion* 1516. Eiuſdem priuilegij ſuperius facta fuit mentio in gratijs impetratis à Summo Pontifice Clemente VII. Meminerunt etiam Terræ ſanctæ tractatores, & qui de ſacris militaribus Ordinibus ſcripſerunt.

Declaratio.

Vetus conſuetudo inſtituendi Equites Dominici Sepulchri.

Ad dilucidiorem priuilegij intelligentiam aduerto, ante conceſſionem Leonis Summi Pontificis, conſueuiſſe Ieroſolymis inſtitui Equites ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri in eiuſdem Dominici Sepulchri ſacello, quamuis à quibus crearentur, haud mihi prorſus compertum ſit. Quòd ſic ſentiam, mouit me quod ſcribit nobiliſſimus Guilielmus de Baldenſel, Eques Auratus ſanctiſſimi Sepulchri, in ſuo Hodœporico ad Terram ſanctam, anno 1336. (adeoque multò ante tempora Leonis X.) relatus ab Henrico Caniſio Tomo 5. Antiquæ lectionis. Agens ille de monte Caluariæ, & Sepulchro Chriſti, ac Eccleſia Sepulchri, ſequentia inter alia ſcribit: *Poſt Miſſam (ſupra Sepulchrum Domini ſolemniter celebratam) feci duos Milites Nobiles ſupra Sepulchrum gladios affigendo, & alia obſeruando quæ in profeſſione Militaris Ordinis fieri conſueuerunt, quia* * *adiuratus in Ieruſalem mihi clauem dedit ad domum Sepulchri, neminemq; intra Eccleſiam Sepulchri ire permiſit, niſi quem nominatim expreſſi, & intrare volui, vt quietiùs poſſem deuotioni vacare, & ea facere in Eccleſia, quæ mihi ad honorem Dei videbantur expedire. Et in his & alijs ſe mihi idem Capitaneus gratioſum in omnibus ibidem exhibebat.* Hæc ille.

* *Admiralis*

Inquit prædictus Eques, ſe duos Milites creaſſe ſupra Sepulchrum. Et quomodo creauit? An ipſe propria auctoritate? ſed non video, quomodo peregrinus talem habuerit auctoritatem. Deinde ipſemet fuit Eques Ieroſolymitanus, & ſane tunc primùm inauratus, & non a ſe, igitur ab alio. Ast ille verò iſte, & reliqui duo inaugurati fuerunt: ſed quia iſti operâ & auctoritate, ſiue interuentu ipſius facti fuerunt, dicit ſe eos fecille. Quinam verò ipſorum fuerit inaugurator, ipſe non explicat, nec alicuius Catholici Religioſi in ſuo Hodœporico meminit. Probabiliter dicerem, ante triginta annos, quam præmiſſus Eques aduenisſet Ieroſolymam, atque in Dominico Sepulchro eiuſdem Sepulchri Eques cum alijs fuiſſet inauguratus, iam virtute Bullæ Pontificiæ Minoritas cuſtodiſſe ſanctiſſimum Sepulchrum, & alia ſancta loca. Etenim Baldenſel anno dumtaxat Domini 1336. venit Ieroſolymam, vt indicatur in ſuo Hodœporico; & Minores ſuſceperunt ſanctorum locorum cuſtodiam anno Chriſti 1305. vt Libro 1. indicauimus. Quare bene potuit tunc Guardianus illos ſacræ Equeſtri militiæ adſcribere, vel peculiari auctoritate illius temporis Pontificum, vel certè alia conceſſa à prædeceſſoribus Pontificibus Patriarchis vel Abbatibus, aliòve titulo inſignitis locorum ſanctorum Præſulibus, quibus Minores ſucceſſerunt. Et cùm, ſecundùm Iura, qui ſuccedit alicui in onere & regimine, ſuccedat etiam in auctoritate & honore, potuerunt Minores dicta auctoritate & honore, ſacros videlicet Sepulchri Domini inſtituendi Equites, inſigniri, quam deinceps confirmatam ampliùs à ſucceſſoribus Pontificibus legitimè ac laudabiliter vſque ad noſtra tempora retinuerunt & exercuerunt, vt ſuaue ac conueniens Terræ ſanctæ regimen expoſtulat.

Quòd ſi tamen eo tempore quo demandata fuit cuſtodia locorum ſanctorum Minoritis, & poſteà per aliquot annos ibi habitarunt alij Religioſi, potuerunt illi dictum Militarem Ordinem contuliſſe. Hoc ideò dixi, quòd ſciam Fr. Burchardum de Monte Sion in calce ſuæ Deſcriptionis Terræ ſanctæ indicaſſe, quo tempore ipſe peruenit in Terram ſanctam, in ea habitaſſe diuerſorum Ordinum Religioſos. ſic enim ait, citato Caniſio referente Tom. 6. Antiquæ lectionis: *In Eccleſia ſanctiſſimi Sepulchri ſunt Canonici ſancti Auguſtini, qui habent Priorem, ſed ſoli Patriarchæ obedientiam promittunt. In templo Domini Abbas eſt & Canonici Regulares. Et eſt ſciendum, quòd alind*

est Templum Domini, aliud Templum Militiæ. Isti Clerici sunt, isti Milites. In Ecclesia Montis Sion est Abbas & Canonici Regulares. In Ecclesia Montis Olineti Abbas est & Monachi nigri. Isti omnes mitrati sunt, & tamen prædictis Episcopis & Patriarchæ assistunt, & Monasterio. Hæc ille. Propter ista, inquam, dixi, alios Religiosos à Minoribus potuisse prædictum sacrum conferre Militarem Ordinem; nõ tamen id omnino affero, quia mihi non constat de peregrinatione prædicti Burchardi in Terram sanctam. Verùm mihi satis probabile, illam perfecisse non solùm antè quàm illuc veniret ille Eques, sed etiam antè quàm Fratres Minores, saltem Clementis V. auctoritate: quoniam si quo tempore dictus Burchardus fuit Ierosolymis, & ibidem habitassent Minores Pontificia potestate in sanctorum locorum regimine, facilè aliquam eorumdem fecisset mentionem, vt aliorum Religiosorum tunc ibidem habitantium fecit. Præterea, si postea præfuissent in sancta ciuitate alij Religiosi, Robertus Siciliæ Rex, & vxor eius Regina Sancia non emisssent tot expensis & laboribus loca sancta pro Minoribus, nec Summus Pontifex facultatem eadem inhabitandi & custodiendi eisdem impertitus fuisset, nec Minores ipsi ad inhabitandum & custodiendum accessissent: quoniam graue nimis & iniuriosum fuisset Præsulatum illis extorquere, nec facilè tale quid à tam pijssimis Principibus designatum fuisset, nec ipsi, credo, Fratres Minores cùm aliorum iniuria acceptassent. Vt enim Lib. 1. diximus, Fratres Minores non receperunt sanctorum locorum regimen, nisi postquam eadem ab alijs Religiosis sponte derelicta fuerunt. Quare probabiliùs videtur dicendum, ab anno Domini 1336. quando ad Terram sanctam peregrinatus fuit prædictus Baldensel cum alijs, & Equestri Ordine ibi fuit honoratus, & aliquibus etiam annis antè, ad nostra vsque tempora Minores instituisse Equites sanctissimi Sepulchri Domini nostri, etsi Baldensel illorum nullam faciat mentionem. Plura de isto splendidissimo Militari Ordine inferiùs suo loco dicemus.

Privilegium quartum.

Potest Guardianus creare Doctores Theologiæ.

Quartò potest creare Lectores sacræ Theologiæ, Iudices, & Notarios. Huius & præcedentis priuilegij mentionem inuenio in libello, cuius titulus est *Reductorium Ierosolymitanum* F. Iosephi de Brunis, cuius auctor per aliquod tempus fuit in Terra sancta, in 22. priuilegio, in hunc modum: *Guardianus Montis Sion Apostolica auctoritate Milites sancti Sepulchri, Doctoresq; sacræ Theologiæ creat, & hoc Leo X. concessit anno Domini 1518. die 4. Februarij, in Castro sancti Angeli, viuæ vocis oraculo. Itemq; Imperiali auctoritate Iudices & Notarios creat.*

Privilegium quintum.

Potest benedicere Cruces S. Trinitatis.

Quintò priuilegiatus est Guardianus sacri Montis Sion in benedictione Crucium SS. Trinitatis, qua ipsa facultate gaudent etiam alij Guardiani ab eo in partibus istis Orientalibus instituti.

Hoc priuilegium concessit Alfonsus Paleotus Iuris vtriusque Doctor, &c. auctoritate sibi concessa à Patribus Ordinis sanctissimæ Trinitatis, vt eas deferentes participes sint indulgentiarum, gratiarum & priuilegiorum, tam per Innocentium III. Pontificem Maximum, quàm per quoscumque Summos Pontifices concessarum. Sic verò ille ait in concessione: *Ego Alfonsus Paleotus*, &c. & infrà: *substitui, & substitutum esse volo, & decerno in locum meum in locis Palæstinæ, & sancti Sepulchri, in ciuitate sancta Ierusalem, ac etiam extra dictam ciuitatem in quibuscumque locis, terris, oppidis, suburbijs, ciuitatibus, villis, dummodò sint in partibus Orientalibus officium Guardiani exercentes, infrascriptos videlicet, R. P. Stellam, nunc Guardianum Terræ sanctæ deputatum, & omnes & quoscumque Guardianos in futurum quolibet tempore deputandos à Patribus Ordinis Minorum sancti Francisci, ad exercendum officium Guardianatus in Terra sancta pro tempore quo erunt Guardiani sancti Sepulchri, & in dictis partibus Orientalibus, in quibuscumque locis dictæ Orientalis regionis erunt, vel pertranseundo per loca, vel in locis deputatis permanendo; ad benedicendas dictas Cruces sanctissimæ Trinitatis, easq; dandum quibuscumque, cum participatione quarumcumque indulgentiarum & gratiarum. Quæ Cruces esse debent in lana candida, cum cruce cælesti & rubea, prout consueuit per Prælatos Religionis dictæ sanctissimæ Trinitatis dari & concedi; ac in omnibus iuxta facultatem mihi à dictis Patribus attributam*, &c. *Datum Bononiæ die 20. Aprilis 1582. Ex palatio Episcopali Bononiæ*, &c. Et hæc facultas propria manu dicti Alfonsi subscripta, sigilloque munita, seruatur in Archiuo Conuentus sacri Montis Sion.

Declaratio.

Hæc concessio satis clara est, & non tribuit aliquod peculiare, quod pluribus alijs non conueniat.

Privilegium sextum.

Sextò in habitu priuilegiatus est noster Præsul, quia in solemnitatibus potest Pontificijs,

Digitized by Google

Vtitur Pontificalibus vestibus in solemnitatibus.

ficijs, id est, Episcopalibus indumentis in Officiorum diuinorum celebratione, vel Sacramenti Confirmationis administratione vti.

Huius priuilegij mentionem fecerunt plures, præsertim qui de locis sanctis scripserunt; & qui Apostolicum diploma legerunt, testati sunt.

Verè insuper & rationabiliter concessam fuisse hanc auctoritatem à Summis Pontificibus nostris Guardianis, sequentia persuadent. In primis, quoniam ab antiquo omnes Guardiani pietate & prudentia præditi illa vsi fuerunt, & in præsentia vtuntur laudabiliter. Et consuetudo dat facultatem siue iurisdictionem, præsertim laudabilis, vt est ista, etsi non sit in alicuius præiudicium, vt tradit Couarruuias in Reg. Possessor. 2. par. 6. 3. num. 1. Et hoc valdè notandum pro alijs. Ad hæc in Pontificali Romano sanctissimi Sepulchri antiquis litteris exaratæ sunt cærimoniæ, quibus Guardianus in templo eiusdem Sepulchri Pontificalibus induitur, cùm possessionem & regimen illius recipit in suo aduentu. Ad hæc ex priuilegio exercet quædam munera, quæ non nisi ab Episcopis & Episcopalibus indumentis exerceri consueuerunt, vt Confirmationis Sacramentum, & minores Ordines conferre, vt inferiùs Cap. XVIII. videbimus; ideò etiam vti poterit paramentis, sine quibus illa pro dignitate exequi non posset. Qui enim habet principale, ei accessorium non est denegandum. Huc spectat quod superiùs Cap. IX. notaui ex Choppino, Vitriaco & Sanuto de Priore Canonicorum Regularium S. Sepulchri, & alijs. Accedit denique optima congruentia, honor inquam locorum sanctorum. Dissonum namque esset etiam apud ipsos infideles, videre Præsules aliarum nationum schismaticarum in suis solemnitatibus vti Episcopalibus indumentis, & in nostris nostrum Præsulem eisdem non vti, qui in partibus istis tenet locum Summi Romani Pontificis; præsertim cùm pluris illum faciant, alijsque Prælatis præferant, vt Catholicam Latinam nationem Orientalibus schismaticis.

Consuetudinis virtus

Declaratio.

Hoc priuilegium non proprium est modò Guardiani sacri Montis Sion, sed & alij non Episcopi eodem gaudent, vt Abbates, & alij, vt vsus demonstrat. Inferiùs ex alijs priuilegijs (quæ licet Guardiano & Fratribus communia sint, principaliter tamen illi, vt capiti, conueniunt; & illa singulariter, quæ iurisdictionem important, non nisi de eius mandato exercenda sunt) etiam apparebit ampliùs, quanta sit nostri Præsulis auctoritas, & quàm eximijs splendidissimisque gratiarum & priuilegiorum præcellentissimorum præeminentijs donatus sit.

CAPVT XVI.

De priuilegijs quibus Fratres Terræ sanctæ fruuntur quoad passiuam perceptionem Sacramenti Pœnitentiæ.

IN quarta iam huius Libri parte agendum est de spiritualibus gratijs quæ communes sunt Guardiano sacri Montis Sion, & alijs ei subiectis Fratribus: quo in numero censenda sunt ea priuilegia, quibus gaudent circa passiuam & actiuam perceptionem Sacramentorum. De passiua priùs, posteriùs de actiua sermonem instituemus. Et quantum ad passiuam perceptionem, in duobus Sacramentis sunt priuilegiati, Pœnitentiæ videlicet & Ordinis. De Sacramento Pœnitentiæ Capite præsenti, sequenti verò de Sacramento Ordinis.

PRIVILEGIVM VNICVM.

Minores Terræ sanctæ possunt extero Sacerdoti confiteri, deficiente proprio.

Fratres Terræ sanctæ quoad passiuam perceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, possunt, dum sunt in itinere, & non sit copia proprij Confessoris, & Fratris Ordinis, sua peccata cuilibet alteri Sacerdoti, Religioso vel sæculari, si eius copia sit, confiteri, & sacramentalem absolutionem ab eo recipere. Hoc priuilegium concessit illis Callistus III. scribens Guardiano & Fratribus Montis Sion, & totius Terræ sanctæ Ordinis S. Francisci in hunc modum: *Concedimus, quòd quando Fratres aliqui ex vestris ad prouincias & loca infidelium mittuntur, si fortè inter eos non fuerint Sacerdotes, vt alijs quorumcumque Ordinum Fratribus aut Presbyteris sæcularibus confiteri valeant.* Ita Pontifex in Bulla 4.

Declaratio.

Facultas hæc verè priuilegium est: extra Ordinem enim confiteri, præterquam in necessitatis articulo, & de Superioris licentia, Apostolicis Constitutionibus Fratres expresè prohibentur, vt ad cap. 7. Reg. ex Statutis Salmanticensibus habetur. Sed in illa datur licentia confitendi extra Ordinem, etiam extra necessitatis articulum, ac ideò est priuilegium. Pro cuius intellectu duo Notanda subijciam, & dubitationem proponam atque soluam. Alterum Notandum est, quòd Fratres virtute huius priuilegij possint sua peccata confiteri cuicumque Sacerdoti, etiam à quouis Ordinario non approbato, quia sufficit auctoritas Papæ,

Papæ, qui est Prælatus omnium. c. Per principalem. 9. q. 3. dummodò aliàs sit idoneus, & maximè propter periculum mortis, in quo continuè sunt Fratres ambulantes per partes infidelium.

Confessarius approbatus pro Religiosis quis.

Sed quinam censendus est Confessor idoneus pro Religiosis absoluendis? Respondetur, quòd quilibet Sacerdos aliàs non suspensus, aut excommunicatus, vt docent D. Antoninus 3. par. tit. 1. cap. 7. Siluester v. Confessor. 1. §. 3. Soto dist. 18. q. 4. art. 3. & idem isti censebant de Confessore idoneo pro sæcularibus ante Concilium Tridentinum: sed iam in eo statutum est sess. 23. cap. 15. quòd pro sæcularibus, etiam Sacerdotibus, ille solus idoneus reputetur, qui est parochus, aut ab Ordinario approbatus; sed pro Religiosis nihil ibi innouatur. Quare poterunt dicti Fratres sua peccata confiteri cuiuis Sacerdoti non suspenso vel excommunicato.

Minores vbique de Prælatorum licentia possunt sua confiteri peccata cuilibet Sacerdoti in itinere.

Alterum Notandum est, eodem priuilegio gaudere alios Regulares itinerantes, & extra Conuentus suos existentes, cum hoc tamen, quòd obtineant à suis Superioribus licentiam. Ita concessit Minoribus Sixtus IV. Bulla 30. hoc tenore: *Vt Fratres vestri, vel aliorum Prælatorum, & suorum, qui pro tempore erunt, licentia, solummodò tamen cùm itinerauerint, vel extra Conuentum fuerint, prout eis conceditis, confiteri possint*, &c. Secundò Innocentius VII. Bulla vnica concessit Prædicatoribus idipsum hoc tenore: *Innocentius Episcopus*, &c. *Nos igitur supplicationibus inclinati Fratribus huiusmodi, quos itinerare, & per eorum Superiores migrare mitti contigerit, vt si aliquem Presbyterum idoneum ex Professoribus dicti Ordinis habere non possint, quemcumque alium Presbyterum idoneum & discretum Religiosum, vel sæcularem in eorum Confessorem eligere valeant, qui confessiones eorum audire, & eorum confessionibus diligenter auditis, pro commissis eis debitam absolutionem impendere, ac pœnitentiam salutarem iniungere licitè possit: nisi talia commiserint, propter quæ Sedes Apostolica sit meritò consulenda, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus.* Hæc Innocentius.

Dubij solutio.

Dicet iam non-nemo: Num ergo Fratres virtute illius priuilegij absque alia facultate absolui poterunt à reseruatis? Quidam respondent, necessariam esse expressam ad hoc Prælatorum licentiam, vt Rodericus Tom. 1. q. 62. art. 5. Alij dicunt, talem expressam licentiam non requiri, propter extrema verba Bullæ. Et hoc credo verum, maximè in partibus istis, propter magnam necessitatem; & in casu arbitror piè interpretandam Pontificis & Superiorum Ordinis intentionem. Auferenda est tamen omnis fraus. Lege in Compendio priuilegiorum. v. Confessiones. §. 8. Mirandam in Manuali Prælat. Tom. 2. quæst. 33. art. 6. Et quàm magnum sit hoc priuilegium, patet ex Roderico & Politio in cap. 7. Regulæ Minorum, à n. 41. vsque ad 48. Possent etiam in casu vti gratia, de qua suprà Cap. VI. in 4. priuilegio, & singulariter tertio Notabili.

CAPVT XVII.

De quinque priuilegijs, quibus Fratres Terræ sanctæ priuilegiati sunt, quoad receptionem Sacramenti Ordinis.

Possunt Minores Terræ sanctæ recipere omnes Ordines à qualibet Episcopo interstitium seruato.

PRiuilegia item sua habent Fratres Terræ sanctæ in susceptione Sacramenti Ordinis, quia omnes Ordines simul, & extra ab Ecclesia statuta tempora recipere possunt. Ita illis concessit Nicolaus V. Pontifex Maximus, in Bulla missa Guardiano domus Montis Sion, & Fratribus Ordinis Minorum de Obseruantia in ea habitantibus, in qua pro huiusce modi sequentia habentur: *Vobis præsentium auctoritate concedimus, vt à quocumque Catholico Antistite, gratiam & communionem dictæ Sedis habente, si quem illuc pro tempore venire contigerit, omnes & singulos eiusdem Ordinis Professores, quos ibi tu fili Guardiane dictæ domus, vel alius pro tempore existens censuerit idoneos, & sibi duxerit præsentandos, etiam extra tempora à Iure statuta, ad Minores ac omnes alios sacros Ordines simul & vna die facere ordinari, ac eidem Episcopo, vt Ordines huiusmodi simul & semel eisdem conferre, veluti necessitate in conferendis Ordinibus congruerit expedire, vel à vicinis Episcopis insularum circumstantium, Fratres prædictos ordinare facere possit, & valeat. Ipsiq; circumstantes Episcopi, illos vt præfertur, etiam extra tempora, & vno contextu ordinare teneantur, & debeant. Non obstantibus*, &c.

Quinque priuilegia circa Ordinis Sacramentum.

Ex huius Summi Pontificis Bulla quinque colliguntur ad nostrum institutum priuilegia, quæ distinctè hîc collocabimus, & breuiter explicabimus: nec enim oportet diutiùs in his immorari, quoniam numquam vel ratò illorum vsus occurrit.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

1. Primum priuilegium in proposita materia est, quòd in gratiam Fratrum Terræ sanctæ quilibet Episcopus, cum S. Catholica Ecclesia communionem habens, extra suam Diœcesim celebrare, siue conferre Ordines possit.

Decla-

Digitized by Goog

Declaratio.

Pro declaratione huius facultatis aliqua ſubijcere oportet, ex quibus appareat, qualiter aliquid peculiare contineat pro Fratribus Terræ ſanctæ, & aliquid commune cum alijs. Priuilegium ſanè eſt dicta facultas, quoniam illâ ſeclusâ, nullus Epiſcopus extra ſuam Diœceſim poteſt Ordines conferre. 9. q. 2. per totam. Facit c. Quamuis. in Clement. De foro compe. & pòſt in Concilio Tridentino ſeſſ. 23. De refor. c. 8. & ſeſſ. 14. c. 2. ſtatuitur, quòd quilibet à ſuo Epiſcopo ordinetur, aut ſi ab alio, cum dimiſſorijs proprij Epiſcopi, quod Gregorius XIII. voluit intelligi etiam de Religioſis: imò & Congregatio Cardinalium de mandato Sixti V. & auditis procuratoribus circa hoc idem ac Gregorius XIII. declarauit. Tamen poſt hæc Sixtus V. ex ſententia Congregationis dixit, Regulares Prælatos ſuis poſſe concedere dimiſſorias ad Epiſcopum diœceſanum, & iſto abſente, aut Ordines non conferente, vel Sede vacante, de qua fiat mentio in dimiſſorijs, ad quemcumque alium, modò ab iſto quoad doctrinam examinetur. Ita refert Roderi-cus in Compen. & Proſper Farinacius deciſ. 240. Poſteà autem Clemens VIII. id ipſum abſolutè & ſine dictis limitationibus Sixti V. conceſſit Ciſtertienſibus, de quo Rodericus in Quæſt. Regul. Tom. 1. quæſt. 18. art. 6. quod priùs conceſſerat Vrbanus II. Bulla 1. Benedictinis, & Minoribus Alexander IV. Bulla 10. & Prædicatoribus Sixtus IV. Bulla 33. Ex his habemus, dictum priuilegium, etſi non ita ſit illimitatum & liberum, alijs etiam quàm Fratribus Terræ ſanctæ conuenire.

Et ampliùs, propter eoſdem Fratres Epiſcopos eſſe priuilegiatos: iſti enim extra ſuam diœceſim, abſque diœceſani vel eius Vicarij licentia, non poſſunt Ordines conferre, vt ex Bulla Leonis X. ord. 45. in Compen. Roderici habetur in hunc modum: *Nullatenus in Eccleſiis, domibus, aut alijs locis Religioſorum ab alio, quàm à diœceſano Epiſcopo, niſi iſto vel eius Vicario ſuper hoc cum debita inſtantia requiſito, & abſque rationabili cauſa contradicente, vel eo à diœceſi abſente ad dictos Ordines promoueri debeant, ſcilicet Religioſi.* Et non niſi cum hac Leonis moderatione poſſunt Benedictini, per conceſſionem Eugenij IV. Bulla 9. in ſuis Monaſterijs ab alienis Epiſcopis ordinari: ſed in gratiam dictorum Fratrum poſſunt Epiſcopi prædicti etiam extra ſuas diœceſes Ordines conferre.

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

2. Secundum priuilegium circa Ordines ſuſcipiendos eſt, quòd poſſint Fratres Terræ ſanctæ illos ſuſcipere, abſque Epiſcopi examine; dicit enim Pontifex, poſſe Epiſcopum ordinare quos Guardianus cenſuerit idoneos.

Declaratio.

Facultas hæc verè priuilegium eſt: abſque illa enim non liceret Epiſcopo ordinare, niſi examine diligenter præmiſſo de vita, doctrina & moribus, per Gloſſam in c. Conſtitutus. De purgat. canon. & poſteà in Concilio Tridentino ſeſſ. 23. De reformat. cap. 7. Hoc priuilegium aliàs habebant omnes Fratres, vt patet in Mari magno. Quòd ſi per Concilium Tridentinum reuocatum fuit, non credo reuocatum eſſe quoad Fratres Terræ ſanctæ, propter ea quæ diximus ſuprà Cap. 11. Dub. 11. & dicemus inferiùs Cap. xxv.

PRIVILEGIVM TERTIVM.

Poſſunt tertiò ordinari Fratres Terræ 3.
ſanctę extra tempora debita, id eſt, ab Eccleſia determinata.

Declaratio.

Hoc alias non liceret, niſi Summo Pontifici, vt in c. 1. De temp. ordin. & in Concilio Tridentino vbi ſuprà Cap. VIII.

Notandum, ſimile priuilegium habere alios Mendicantes, etſi non ita illimitatum: *Simile* inquam, quia ordinari poſſunt extra tempora; *non ita illimitatum*, quia nonniſi diebus Dominicis, vel Semiduplicibus; & ſuper hoc ſunt plura priuilegia, & ſingulariter Bulla Gregorij XIII. quæ eſt 25. pro Societate Ieſu. nec fuerunt per Concilium Tridentinum reuocata, vt ſub eodem Gregorio declarauit Congregatio Cardinalium. Vide Rodericum in Compendio, & Tomo 3. Quæſt. Reg. q. 23. art. 3.

PRIVILEGIVM QVARTVM.

Quartò, poſſunt Fratres Terræ ſanctæ 4.
vna die omnes Ordines minores ſimul & maiores recipere.

Declaratio.

Hoc de maioribus aliàs non liceret, c. Litteras. & c. Dilectus. De temp. ordin. & in Concilio Tridentino vbi ſuprà cap. 11. & 13.

PRIVILEGIVM QVINTVM.

Quintò denique, quantum ad hoc pri- 5.
uilegiati ſunt Fratres Terræ ſanctæ, quòd ab alijs Epiſcopis vicinarum inſularum ordinari poſſint.

Declaratio.

Hoc, ſecluſo priuilegio, aliàs non liceret, quia quilibet à proprio Epiſcopo ordinari debet, id eſt, ad Epiſcopo in cuius diœceſi moratur. c. Sæpe. & c. Sequenti. De temp. ordin. in 6. Si tamen ordinationes teneat.

Digitized by Google

teneat. Ita in Concilio Tridentino vbi suprà cap. 16. Quomodo id possint & alij Religiosi, sed cum limitatione, tradit Rodericus Tomo 1. q. 18. art. 6.

Notandum, Episcopos vicinarum insularum teneri ordinare Fratres missos à Guardiano sacri Montis Sion; peregrini verò & aduenæ Episcopi poterunt si eis placuerit, vt patet consideranti extrema verba priuilegij. Et ratio discriminis esse potest, quia aduenis & peregrinis defertur. Argumentum in c. Si quis Romipetas. 24. q. 3. cum duobus capitibus sequentibus. Et Fratres nullo frustrantur labore, quando ad ipsos accedunt peregrini Episcopi; sed quando mittuntur ad vicinos Episcopos, & ab ipsis non ordinarentur, frustrà iter confecissent. Et quamuis, vt iam diximus, hisce priuilegijs non vtantur Fratres missi ad Terram sanctam, quia laicis exceptis, qui ad Ordines non sunt promouendi, reliqui omnes communiter sunt Sacerdotes: meritò tamen sunt concessa, quia omnibus priuilegijs condecoranda est Terra sancta, cum Fratribus illius curæ deputatis, & quia potest sese aliquando offerre dictorum priuilegiorum necessitas.

CAPVT XVIII.

De tredecim priuilegijs, quibus gaudent Fratres Terræ sanctæ quantum ad Sacramentorum administrationem.

PRiuilegiatos esse Fratres Terræ sanctæ in passiua perceptione Sacramentorum, ostendimus superiùs; nunc quomodo & in actiua sint priuilegiati, explicandum est. Tria igitur hîc mihi præstanda esse video, vt nimirum primò adducam Bullas variorum Pontificum, quarum vigore, quantum ad administrationem omnium Sacramentorum, ea priuilegia dictis Fratribus concessa sunt; & ea singillatim recensеam & explicem. Secundò, vt liquidum faciam, non tantùm Fratribus Terræ sanctæ propria, sed pluribus alijs ea esse communia. Tertiò denique, vt ostendam, quomodo & qua ratione eiusmodi concessiones verè priuilegia sint.

Minores Terræ sanctæ habent auctoritatem administrandi omnia Sacramenta.

Quantum ad primum, Fratres Terræ sanctæ varia à varijs Summis Pontificibus habent priuilegia quantum ad septem Sacramentorum administrationem, Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Ordinis, Matrimonij, & Extremæ Vnctionis. Primò enim possunt Baptismi & Ordinis Sacramenta alijs conferre, ex concessione Gregorij IX. quæ facta fuit hisce verbis: *Gregorius Episcopus*, &c. *Dilectis filijs Fratribus Ordinis Minorum in terras Saracenorum & Paganorum proficiscentibus. Concedimus, vt per ministerium vestræ exhortationis, conuerti ad vnitatem fidei cupientes, recipere ac baptizare possitis, & Ecclesiæ sanctæ filijs aggregare, aggregatos insignire charactere Clericali.* Hæc Pontifex Bullâ 2. Deinde Clemens V. Innocentius IV. & Ioannes XXII. concedunt omnibus Fratribus Minoribus in partibus omnium infidelium commorantibus, tam in partibus Orientalibus quàm Aquilonaribus, quòd liceat ipsis Fratribus baptizare, baptizatosque Sacramento Confirmationis illuminare, vbi copia Catholicorum Episcoporum defuerit. Vt item vti possint Oleo & Chrismate antiquis, eò quòd in illis partibus oleum nouum sine magna difficultate haberi non possit. Addiderunt & facultatem qua possent à se Catholicæ fidei aggregatos insignire charactere Clericali, eosdemque ad Acoluthatus Ordinem promouere. Tertiò Eugenius IV. in Bulla 2. concedit Fratribus Minoribus sub obedientia Vicariorum existentibus (id est Obseruantibus) in partibus infidelium, tam in Oriente quàm in Septemtrione commorantibus, quòd possint dispensare Sacramenta Eucharistiæ, Baptismi, Extremæ Vnctionis, & alia. Quartò Callistus III. in Bulla 1. concedit Guardiano domus Montis Sion, & vniuersis Fratribus de Obseruantia nuncupatis, in partibus Ierosolymitanis & per totam Asiam commorantibus, quòd possint ministrare Sacramenta Catechumenorum, Baptismatis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis, licet non fuerint eiusdem anni. Quintò, ijdem tres summi Pontifices, secundo loco notati, concedunt Fratribus habitantibus in partibus infidelium tam Orientis quàm Occidentis, quòd in eo districtu, qui curæ & prædicationi eorũ illis in partibus commissus fuerit, dispensare valeant cum ijs, qui vel post sacrorum Ordinum susceptionem, vel in gradibus à lege diuina non prohibitis matrimonia contraxerint, adeò vt matrimonium ipsum ratum maneat. Similiter dispensare possunt cum conuersis, qui vel infideles vel schismatici fuerint, vt vxores suas, cum quibus in gradibus à lege diuina non prohibitis contraxerunt, secum retinere possint. Cognoscere etiam possunt de causis matrimonialibus, quæ ad eos deferuntur, & discordantes coniuges compellere vt ad pacem & concordiam redeant. Sextò denique Sixtus V. concedit Fratribus Terræ sanctæ, à suo Guardiano approbatis, vt quorumcumque confessiones audire, & à quibusuis excessibus absoluere possint. Ipsa

priui-

Digitized by Goog

priuilegij huius verba adducemus Capite ſequenti, priuilegio tertio.

Singillatim modò breuiter eadem priuilegia cum eorumdem explicationibus ſubijcimus.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

Sacramentum Baptiſmi. In primis Fratres Terræ ſanctæ poſſunt in partibus infidelium baptizare, auctoritate omnium dictorum Pontificum, Sixto V. excepto, qui talis facultatis non meminit. Addunt aliqui, poſſe eoſdem etiam de ſacro Fonte leuare, quando nullus alius adeſſet qui eo munere fungi poſſet: quia quando infans ſolemniter baptizatur, debet eſſe patrinus qui eum de ſacro Fonte leuet, c. Vos ante omnia. De conſecrat. diſt. 4. & in Concilio Tridentino de Reformatione ſeſſ. 24. cap. 2.

Declaratio.

Sed quomodo ſe gerere debent Fratres cum adultis? num ſtatim eos baptizare debent, atque ad Chriſtum conuerſi fuerint, abſque præuio Catechiſmo; an potiùs ſeruare debent ſtatuta Canonum, & Eccleſiæ conſuetudinem, vt primò inter Catechumenos collocentur, & Baptiſmus ad tempus differatur?

Reſpondetur. Vel periculum eſt in mora, quia ſcilicet ſi infideles ſcirent, interficerent, & Fratribus etiam malum aliquod inde proueniret, vel aliter facilè illud impediri, aut etiam nullum omnino timeretur. Si primum, ſine mora illos debent baptizare. Ita dicitur in c. Ne quod abſit. De conſec. diſt. 4. & poſteà catechizandi. Si ſecundum, tunc per aliquod tempus arbitrarium differri debet Baptiſmus. c. Iudæi. eadem diſt. Et alij non catechizati poſteà catechizandi ſunt, vt patet ex prædictis capitulis. Et hoc eſt, quod Calliſtus in ſuo priuilegio ſuperiùs poſito dicit, quòd Fratres miniſtrare poſſint Sacramenta Catechumenorum de Oleo & Chriſmate veteri, quo ex gratia vti poſſunt in adminiſtratione huius Sacramenti, vt inferiùs dicemus.

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

Sacramentum Confirmationis. Secundò, ijdem Fratres adminiſtrare poſſunt Sacramentum Confirmationis baptizatis.

Declaratio.

Hanc auctoritatem, vt tamen non ſit abſoluta, ſed reſtricta & limitata, vbi nimirum non eſt copia Epiſcoporum Catholicorum, conceſſerunt Clemens V. Innocentius IV. & Ioannes XXII. vt verò ſit abſoluta, & omni limitatione careat, conceſſit Eugenius IV. qui, vt patet eius verba conſiderantì, concedit Fratribus, vt abſolutè poſſint omnia Sacramenta adminiſtrare, ea videlicet quorum adminiſtratio poteſt ſimplici Sacerdoti committi. Et fauores ſunt ampliandi ſecundùm Iura. Poterunt ergo Fratres huius conceſſione vti, & non aliorum Pontificum; adeoque ſuæ curæ concreditis Sacramentum Confirmationis conferre, etiamſi Epiſcopi poſſit haberi facultas, præſertim quòd hæc conceſſio poſteriùs facta fuerit, vt magis apparebit Cap. ſequenti. Credo tamen, nullum facilè præſente Epiſcopo audere confirmare, quia confirmare eſt proprium Epiſcopi munus.

Si dicatur, Quare Summi Pontifices talem Fratribus conceſſerunt facultatem, ſi Epiſcoporum propria eſt, vt poſteà dicetur? & quî Fratres ea licitè vtuntur, cùm Sacramentum Confirmationis non computetur inter Sacramenta neceſſitatis, vt notatur in Clement. c. Religioſi. De priuil. & diſt. 95. §. Sed iſtud. & c. ſequenti. Reſpondeo dupliciter: Primò ex differentia quæ eſt inter priuilegium & diſpenſationem, quòd priuilegium ſoleat etiam concedi ſine cauſa, at diſpenſatio (quæ eſt prouida Iuris relaxatio ſeu moderatio, vtilitate ſiue neceſſitate penſata, vt docet Panormitanus in c. Cùm in cunctis. 1. De elect.) abſque cauſa fieri non poteſt nec à Papa; nec à quopiam poteſt procurari, nec ea quis ſine peccato vteretur, vt docet Caietanus 1. 2. q. 96. art. 5. & q. 97. art. 4. & Soto 1. de Iuſt. q. 7. art. 3. & nos ſuprà Cap. 1. huius Libri Notabili tertio aduertimus. In propoſito facultas adminiſtrandi hoc Sacramentum, ſicut & alia, priuilegium eſt, ideò abſque cauſa, ſine culpa potuit à Pontifice concedi, & ea poſſunt Fratres inter infideles habitantes licitè vti.

Sed quidquid ſit de hoc, reſpondeo Secundò, Sacramentum Confirmationis non eſſe neceſſarium, poſſe intelligi duplici ſenſu, vel ad ſalutem, vel ad pugnam ſpiritualem. Primo modo non eſt neceſſarium, & de illa neceſſitate intelligenda eſt Clementina adducta; ſed benè ſecundo modo, vt habetur in c. 1. De Sacram. Vnct. Igitur ſi ob hanc pugnam ſpiritualem, quam neceſſariò ſubire debent qui ad Deum conuertuntur, ſicut indicat Eccleſiaſticus illis verbis: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*, Eccli. 2, 1. Ob hanc inquam pugnam ſi habitantes in terris fidelium ſacro Baptiſmatis Fonte abluti confirmantur, vbi minora ſunt pericula, & maiora ſuppetunt auxilia ad reſiſtendum hoſtibus viſibilibus & inuiſibilibus: quantò magis ij qui habitant inter infideles, quibus non tot

Virtus Sacramenti Confirmationis.

ſuppetunt auxilia, & quibus maiora vſque imminent pericula, illa ſpirituali armatura muniendi erunt? Ad hæc Sacramenta, Baptiſmus & Confirmatio, ita coniuncta ſunt, vt ab inuicem (niſi morte dirimente) nullatenus poſſint ſeparari, & vnum ſine altero ritè perfici non poſſit, vt dicit Melchiades Papa D. Thoma referente 3. par. q. 72. art. 12. ad 1. Et ideò eadem tempora ſunt præfixa Baptiſmo ſolemniter celebrando, & Confirmationi. Quamuis, quia de communi lege Confirmatio non niſi ab Epiſcopis dari poteſt, qui non ſemper præſentes vbi Preſbyteri baptizant, ideò in aliud tempus differtur. Quapropter Summi ac prudentes Pontifices ad hæc reſpicientes, rationabiliter dictam facultatem Terræ ſanctæ Fratribus conceſſerunt, & ijdem eadem licitè ac vtiliter vti poſſunt, occaſione ſeſe offerente.

Baptiſmi & Confirmationis coniunctio.

PRIVILEGIVM TERTIVM.

Tertiò, ijdem Fratres poſſunt Pœnitentiæ Sacramentum omnium prædictorum Pontificum facultate adminiſtrare.

Sacramentum Pœnitentiæ.

Declaratio.

Quantum ſe extendat Fratrum Terræ ſanctæ auctoritas circa Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem, magis apparebit ex dicendis inferiùs Capp. XIX. XX. XXI. & XXII. pro aliquali tamen eiuſdem auctoritatis ac priuilegij intellectu, difficultas explicanda eſt. Prior difficultas eſt, Num dicti Fratres ſtatim ac ad Terram ſanctam, vel ad alias infidelium partes peruenerint in Pontificijs Bullis memoratas, poſſint abſque alia approbatione Epiſcoporum, vel Superiorum Ordinis audire quorumcumque Fratrum vel ſæcularium confeſſiones, ſola virtute indultorum Summorum Pontificum?

Duæ difficultates examinantur.

Et quòd non poſſint audire confeſſiones abſque approbatione Prælectorum Ordinis, probatur dupliciter. Et primò communi medio, quia Religioſi non ſunt ſui iuris, vnde ex lege & voto tenentur ſuis obedire Superioribus, à qua obligatione per Pontificum priuilegia non eximuntur, niſi de exemptione fiat in illis expreſſa mentio. Igitur cùm eiuſmodi mētio expreſſiua non habeatur in memorato priuilegio, non poterunt Fratres, quicumque illi ſint, confeſſiones quorumcumque Religioſorum vel ſæcularium abſque ſuorum Superiorum approbatione excipere.

Secundò idem particulariter probatur: & primò de Fratrum confeſſionibus, quia in noſtri ſacri Ordinis generalibus Statutis Valliſoletanis anno Domini 1593. celebratis, & auctoritate Apoſtolica confirmatis, *præcipitur, ne quis audeat ſacras Fratrum confeſſiones audire, nec ad id quiſquam idoneus reputetur, niſi aut Guardianus ſit, aut à Generali vel Prouinciali per examen, ſi neceſſarium videbitur eiſdem, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem ac facultatem obtineat: quæ facultas ſemper de ſcripto detur.* Secundò de ſæcularium confeſſionibus ex eiſdem Statutis idem deducitur, dum præcipitur vt eadem forma ſeruetur in examinandis ſæcularium Confeſſarijs, quæ ſeruari præſcripta fuit pro approbatione Confeſſariorum Fratrum, ex Neap. cap. 11. & noſtræ Religionis praxis ita habet.

Quòd verò neceſſaria ſit Epiſcoporum ſiue Ordinariorum approbatio, probatur. Primò ex Clementina Dudum. De ſepulturis. vbi præſcribitur modus obſeruandus in præſentatione Regularium coram Epiſcopis, vt poſſint audire ſæcularium confeſſiones, & à quibuſdam caſibus abſoluere. Secundò, quia ampliùs in Concilio Tridentino ſeſſ. 23. De reform. cap. 15. idem magis fuit præceptum, & hiſce verbis explicatum: *Quamuis Presbyteri in ſua Ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant, decernit tamen ſancta Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, neque ad id idoneus reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegijs & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtante.* Hactenus ſancta Synodus. Tertiò denique, quia Pius V. in Conſtit. 135. quæ prodijt anno 1571. ſtatuit, ne Regulares cuiuſcumque Ordinis, etiam Mendicantes, Lectores, aut in Theologia graduati, poſſint ſæcularium confeſſiones audire, niſi fuerint ab Ordinarijs approbati iuxta nunc adductum decretum Concilij Tridentini. Idem Gregorius XIII. & praxis ita habet. Igitur Fratres Terræ ſanctæ ſuorum priuilegiorum virtute abſque præſentatione & Epiſcopi approbatione non poterunt ſæcularium confeſſiones audire.

Pro huius difficultatis explicatione duo iam præſto; primò tres præmitto diſtinctiones, deinde tres ſubijcio Concluſiones.

Quantum ad primum, PRIMA DISTINCTIO ſit iſta: Fratres proficiſcentes ad Terram ſanctam, vel ad alias partes infidelium, vel fuerunt aliquando à ſuis Superioribus approbati pro Fratrum vel ſæcularium confeſſionibus audiendis, vel non, ſimiliter ab Epiſcopis pro confeſſionibus ſæcularium. SECVNDA DISTINCTIO: Prædicti Fratres

Fratres qui approbati non fuerunt, vel poſſunt habere præſentiam Prælatorum, vel non poſſunt. TERTIA DISTINCTIO. In terris infidelium, ad quas dicti Fratres perueniunt, vel ſunt Epiſcopi & Ordinarij Catholici præſidentes fidelibus in illis terris, vt ſunt Peræ in Conſtantinopolitana ciuitate, vbi eſt Vicarius Patriarchalis; in Sio, vbi eſt Epiſcopus, &c. vel nulli ſunt Catholici Epiſcopi, vt in Terra ſancta, in Ægypto, & in tota ferè Syria, vbi, monte Libano & Tripoli exceptis, in quibus ſunt Patriarcha, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Maronitę catholici, alibi nulli adhuc ſunt Epiſcopi Catholici, quod ſciam. His præmiſſis diſtinctionibus, Concluſiones ſubiungimus. Erit igitur

CONCLVSIO PRIMA. Fratres Terræ ſanctæ, ſiue approbati ſiue non approbati à ſuis Superioribus ſiue Epiſcopis ad excipiendas fidelium confeſſiones, ſtatim ac terras infidelium attigerint, vbi non eſt nec haberi poteſt Prælatorum & Ordinariorum præſentia, virtute ſuorum priuilegiorum poterunt Fratrum ac ſæcularium confeſſiones audire, ſi aliàs ſint idonei. Et quantum ad Fratrum confeſſiones, probatur dupliciter. Primò, quia ſi approbati non fuerunt ſecundùm formam Ordinis, nec tamen reprobati cenſentur ad illa idonei. Etenim licet ſecundùm Ius commune nulla poſſit conſuetudine introduci, quòd aliquis præter ſui Superioris licentiam Confeſſorem ſibi eligere valeat, vt patet in c. Epiſcopus. De pœnit. & remiſſ. lib. 6. *Tamen cùm multi Summi Pontifices* (inquit P. Hieronymus à Sorbo) *noſtræ Religioni conceſſerint, vt Fratres poſſint de materia peccati mortalis confiteri cum quouis Ordinis Sacerdote, etſi à ſuis Prælatis licentiam non petant. Proinde habens auctoritatem hanc paſſiuam, poterit ſine dubio à quouis Ordinis Sacerdote abſolui, cùm omnes pro Fratribus ſint idonei*, &c. Igitur ſi omnes Fratres poſſunt confiteri ſua peccata coram quouis Ordinis Sacerdote ſolis communibus priuilegijs illis à Summis Pontificibus conceſſis, etiam ijſdem, ſecluſis alijs factis pro Fatribus Terræ ſanctæ in terris infidelium, poterunt Fratres Terræ ſanctæ in terris infidelium abſque alia approbatione audire Fratrum confeſſiones, ac Sacramentalem abſolutionem impertire. Etſi proſunt huiuſcemodi conceſſiones, profectò proderunt in prædictis locis vbi Superiorum præſentia haberi nequit. Ad hoc facit quod ſuprà notauimus Capite XVI. in vnius priuilegij declaratione.

Sorbo in Annot. ad Compend. priuil. in v. Abſolutio Ordin. quoad Fratres. §. 7.

Quòd ſi hoc non placet, tum propter contrariam in Ordine noſtro conſuetudinem, tum propter adducta in principio difficultatis argumenta, & dicta ſuperiùs Libro hoc Cap. II. in ſolutione quarti Dubij; tum propter ea quæ dicit Miranda Tom. I. Manual. Prælat. q. 45. art. 12. dicas ſecundò, poſſe Fratres Terræ ſanctæ virtute priuilegiorum ſuorum confratrum confeſſiones audire. Igitur quantum ad hoc, & ſecundam Concluſionis partem, quòd dicti Fratres poſſint etiam ſæcularium confeſſiones audire, &c. illam probo, quoniam talem facultatem conceſſerunt Summi Pontifices in illorum priuilegijs, vt patet illa conſideranti. Et cùm abſoluta ſint, nos diſtinguere non debemus de Fratribus & ſæcularibus, præſertim cùm Principis priuilegium latiſſimè ſit interpretandum, vt ſuprà notauimus Capite XV. in declaratione Priuilegij II.

Si dicatur, Pontifices ſupponere approbationem factam per Superiores, & de approbatione facienda per Guardianum ſacri Montis Sion clarè loqui Sixtum V. in ſua Bulla: reſpondeo, illam neceſſariò non ſupponere; alioqui non virtute priuilegiorum ſpecialiter in ipſorum gratiam conceſſorum, ſed aliunde haberent vt alij Religioſi facultatem, & conſequenter peculiaria priuilegia, quæ ſemper debent aliquid operari: at ſic nihil operarentur, quod dicere non conuenit. Adde, quòd licet aliqui Summi Pontifices requirant Superiorum, alij non item, nihilominùs Fratres iſtorum priuilegijs, aliorum oppoſitione ſepoſita, vti poterunt. De conceſſione Sixti V. aliquid dicemus in ſequenti difficultate.

SECVNDA CONCLVSIO. Fratres Terræ ſanctæ tranſeuntes per infidelium terras, vbi ſunt Epiſcopi vel alij Ordinarij Catholici, debent ſe illis præſentare oſtendendo ſuam facultatem; tamen non indigent alia approbatione, niſi reſpectu caſuum illis reſeruatorum, ſi ſuper illos non habeant ſpecialem aliquam Summi Pontificis auctoritatem. Prima pars Concluſionis videtur manifeſta: qui enim contrà faceret, non vacaret ſuſpicione apoſtaſiæ, & quod falcem in meſſem alienam mittere voluerit. Et paſtori conſtare debet cui ſuæ committantur oues. Et hæc videtur eſſe rationabilis intentio ſacræ Congregationis de Propaganda fide, quæ ſanciuit quidem, vt ſui Miſſionarij oſtendant locorum Ordinarijs ſuarum miſſionum litteras & facultates, ſed non requirit vt ab illis approbentur, quoniam ſufficit illius & Summi Pontificis approbatio; ac præterea priuilegium debet ſemper aliquid valere. Ad hoc facit quòd ſuprà diximus Capite II. in ſolutione Dubij I.

Ampliùs, & probatur ſimul ſecunda

pars Conclusionis: Per nullum verum priuilegium tollitur in totum ius alterius, ex cap. Abbates. De priuil. & Gloss. ibi. sed tolleretur, si non posset loci Ordinarius cognoscere Fratrum auctoritatem circa sibi commissas oues à Summo Pontifice concessam. Et similiter quorumdam casuum reseruatio, quæ conceditur ab antiquo Episcopis, illis auferretur, si absolute ab omnibus absoluendi, absque illorum beneplacito, vel etiam eisdem inscijs, concessa esset facultas Fratribus, quod non videtur rationabile asseuerare. Vnde intellexi, Constantinopoli, Sio, &c. vbi sunt Ordinarij Catholici, ipsos concedere Regularibus facultatem à sibi reseruatis absoluendi. Et priuilegiorum verba considerandа sunt, quæ si non explicent facultatem à reseruatis absoluendi, negatam esse indicant, ideò petendam ab habentibus, qui si ea vti volent.

TERTIA CONCLVSIO. Etsi non necessarium, laudabile tamen erit, Fratres gaudentes memoratis Pontificijs priuilegijs, si habere possunt præsentiam suorum Prælatorum, petere licentiam illis vtendi; vel si non, epistolis exquirere. Prima pars huius Conclusionis ex dictis patet. Habita siquidem licentia à Summo Pontifice omnium supremo Pastore, à quo omnes alij pendent, & ipse in terris à nemine, aliorum inferiorum facultas necessaria non erit. Secunda pars probatur ex laudabili Ordinis nostri, imò cuiuscumque approbatæ Religionis consuetudine. Boni enim Religiosi etsi varias habeant à maioribus Superioribus facultates, illis nihilominùs parcè vtuntur, & semper de consensu & beneplacito inferiorum Præfectorum, quibus immediatè subduntur. Recole suprà notata Capite 11. in primi Dubij solutione. Ex his apparet quid respondendum sit ad argumenta initio adducta.

Ad primum, dicendo, Fratres audiendo aliorum Fratrum vel sæcularium confessiones absque expressa suorum Superiorum licentia, non facere suam voluntatem & contra obedientiam, quia obediunt Summo Pontifici, & eiusdem obtemperant beneplacito. Ad alia quæ opponuntur, dicendum, esse intelligenda pro alijs Religiosis in Christianitate degentibus, non de nostris Terræ sanctæ, vel in alijs infidelium partibus habitantibus, ob magnam necessitatem & vtilitatem ex ipsis prouenientem, singularibus priuilegijs condecoratis, quæ vt probabiliter diximus suprà Cap. 11. Dub. 1. non fuerunt per sacrum Tridentinum Concilium, vel per subsequentes Pontifices reuocata. Nec contrarium statui debuit vel potuit in Ordinis generalibus Statutis, nec Apostolica illorum confirmatio obest, quia per illam non intenderunt Summi Pontifices præiudicare à se iuste ac laudabiliter peculiariterque concessis Fratribus prædictis. Et hæc de priori difficultate.

Posterior difficultas circa idem argumentum proponenda & diluenda hæc est: Facultas concessa Guardianis sacri Montis Sion, approbandi Sacerdotes Fratres pro confessionibus audiendis, absolutáne est, an potiùs limitata ad Fratres excedentes annum trigesimum? Et quòd non possint nonnisi illos admittere qui trigesimum excesserint annum, senserunt aliqui, sequenti moti argumento. In Seraphici Ordinis Statutis generalibus sancitum est, vt admittendus ad confessiones trigesimum ætatis annum excedat, quod scriptis fide dignis ostendat: nam ante annum trigesimum expletum ad sacras peccatorum confessiones audiendas quempiam admitti posse, sanctione Apostolica prohibetur, sub pœna priuationis actuum legitimorum, Superioribus quibusuis licentiam eiusmodi dantibus, eò ipso incurrenda. Ex Vallisoletanis anno 1565. & ex Aquileiensibus 1579. Respondendum breuiter, Terræ sanctæ Præfectos posse admittere suos Fratres Sacerdotes pro confessionibus audiendis, qui trigesimum annum non excesserunt, virtute priuilegiorum Pontificiorum, si ijdem Fratres approbati sunt Pontificijs priuilegijs, vt verè approbatos esse mihi persuadeo, eo ipso quo sunt Terræ sanctæ Religiosi & inter infideles habitant. Et hanc illi habent singulariter indulto Sixti V. qui clarè de hoc loquitur: & cùm absolutè loquatur, nec de ætate admittendorum distinguat, nec nos distinguere debemus, vt colligi potest ex indicatis in priori difficultate. Deinde, cùm priuilegium aliquid valere debeat; quid valeret, si Guardiani dispensare non possent cum non excedentibus annum trigesimum? Cum non habentibus morum & doctrinæ sufficientiam, dispensandum non est, ne cæco ducatum cæcus præbere concedatur, & ambo in foueam cadant; ad minus igitur valebit quantum ad ætatem.

Posset insuper & aliunde priuilegium hoc inutile fieri, si non possent dicti Guardiani quoscumque, etiam non attingentes annum trigesimum, admittere ad confessiones audiendas, quod non decet. c. In his. De priuilegijs. si nimirum non essent in Terra sancta Fratres qui dictum annorum numerum attingerent; vel si essent, non tot tamen qui pœnitentium ac subditorum multitudini commodè satisfacere possent: tunc enim nil prodesset priuilegium, ac consequen-

Digitized by Goog

sequenter per illud non fuisset opportunè ac sufficienter prouisum necessitatibus fidelium ad Terram sanctam proficiscentium, vel in alijs partibus in spiritualibus Præfecto Terræ sanctæ subiectis, vt prouidere intenderunt Summi Pontifices, quod dicendum non est.

Nec Statuta generalia refragantur, quoniam intelligenda sunt de alijs Fratribus in Christianitate degentibus, vbi in magno sunt numero, nec dispensandi vlla est necessitas, non autem de nostris inter infideles habitantibus, qui meritò erant priuilegiandi. Ad hæc dispensatur in Christianitate cum nõ attingentibus trigesimum annum, vbi virtus ætatem supplet, igitur & similiter dispensari poterit cum Fratribus ad Terræ sanctæ partes venientibus, qui virtute alijs prælucere, & ex toto Ordine, secundùm Summorum Pontificum ordinationes, præstantiores esse deberent, vt alibi ostendemus. Et sanè à longo tempore approbata praxis hoc confirmat.

PRIVILEGIVM QVARTVM.

Sacramentum Eucharistiæ.

Quartò possunt Fratres Terræ sanctæ Sacramentum Eucharistiæ fidelibus in partibus infidelium administrare.

PRIVILEGIVM QVINTVM.

Sacramentum Ordinis.

Quintò possunt dicti Fratres Sacramentum Ordinis administrare, sic tamen vt saltem Minores, non verò Maiores Ordines conferant.

Declaratio.

Pro clariori intellectu, & licito vsu huius priuilegij, duo sunt obseruanda. Alterum, secundùm Clementē V. Innocentium IV. & Ioannem XXII. non posse illam Fratres exercere nisi cum nouiter conuersis, ob fauorem fidei: quare Guardianus Montis Sion non posset Fratres suos, vel alios non de nouo conuersos, Clericali tonsura, & quatuor Minoribus initiare, præsertim cùm ad id non apparens vrgeat necessitas, vel etiam vtilitas. Sed numquid propter dicta in explicatione secundi Priuilegij, poterit Guardianus dictos Ordines alijs non nouiter conuersis conferre, præsertim cùm priuilegium sit, quod non requirit causam, & non dispensatio? Credo quòd non; tum quia non est eadem ratio de Confirmatione & Ordinum collatione, vt constat; tum quia priuilegiorum verba sunt attendenda, & ista indicant, illam facultatem dumtaxat cum nouiter conuersis exerceri posse.

Alterum notandum est, posse Fratres prædictos nouiter conuersos absolutè insignire charactere Clericali, & ad Acolythatus Ordinem promouere, siue sit siue non sit copia Episcoporum Catholicorum, vt ex Pontificum verbis, & singulariter Innocentij IV. constat. Deferendum tamen arbitror Catholicis Episcopis præsentibus, quoniam ex lege & officio conuenit illis Ordines conferre.

PRIVILEGIVM SEXTVM.

Sacramentum Matrimonij.

Sextò possunt Fratres in terris infidelium esse Ministri Sacramenti Matrimonij, hoc est, assistere contrahentibus matrimonium, & illud approbare. Et adhuc habent circa idem Sacramentum quadruplicem facultatem, secundùm quam quatuor adscribo priuilegia.

PRIVILEGIVM SEPTIMVM.

Nouiter conuersi vxorati, si Sacris initientur, vt cum vxore maneant dispensari possunt.

Septimò, si quis de nouo conuersus ordinaretur in Diaconum, vel Subdiaconum, & posteà matrimonium contraheret, possent Fratres dispensare vt in matrimonio persistat.

Declaratio.

Hoc in primis secundùm Iura prohibitum est: si enim quis post susceptionem sacrorum Ordinum contraxerit matrimonium, id de facto nullum est, 32. dist. c. Eorum. & c. Lectores, & c. Placuit. & in c. 1. & 2. Qui Cler. vel vou. matrim. &c. Ac deinde totius Ecclesiæ vsus refragatur. Quamuis enim Catholica Ecclesia permiserit Orientalibus, vt coniugati ad sacros Ordines admittantur, non tamen quòd Sacris initiati matrimonium contrahant. Vnde Eckius in Enchiridio de Cælibatu Clericorum ait: *A morte Saluatoris non est auditum, Sacerdotem duxisse vxorem, nisi quod temerè attentant audaculi Lutherani.* Et quod de Sacerdote dicit Eckius, arbitror absolutè esse intelligendum de Sacris initiatis. Isto tamen priuilegio non possunt vti Fratres absolutè cum omnibus in partibus infidelium habitantibus, sed tantùm cum nouiter conuersis. Sacra item Congregatio de Propaganda fide, per litteras mihi consulenti, quid agendum esset cum quodam Maronita in Sacris constituto, qui defuncta vxore prima aliam duxerat, respondit, illos separandos esse. Ratio esse potuit, quia Maronitæ non sunt nouiter conuersi, ac ideò non fuit indultum vt in matrimonio permanerent; sed obseruari debere præceptum & consuetudinem Catholicę Ecclesiæ quaslibet nuptias in Sacris constitutorum irritantem.

Sed numquid cum nouiter conuersis, post susceptos sacros Ordines iterùm matrimonium contrahentibus, dispensare poterunt Fratres, vt in contracto matrimonio permaneant? Videtur quòd non; quia bi-

gamia est particulare impedimentum dirimens matrimonium in Sacris constitutorum, ex nunc adducta sacræ Congregationis resolutione. Mihi nihilominùs videtur dicendum, saluo semper meliori iudicio, posse cum talibus dispensari. Ratio est, quia priuilegium Principis est latissimè interpretandum: ac prætereà cùm Pontifex non distinguat de primis vel de secundis nuptijs, nec nos distinguere debemus.

PRIVILEGIVM OCTAVVM.

Possunt dispensare vt maneant in nuptijs diuina lege non prohibitis, & cum nouiter conuersis & cum alijs.

Possunt dispensare Fratres cum nationibus eorum prædicationi commissis, vt si aliqui ex ipsis contraxerint matrimonia in gradibus Ecclesiastica sed non diuina lege prohibitis, vt in ipsis permaneant.

PRIVILEGIVM NONVM.

Possunt dispensare cum conuersis, qui fuerunt infideles, vel schismatici, & vxores consanguineas priùs duxerunt, diuina tamen lege non interdicto modo, vt cum ipsis manere valeant.

Declaratio octaui & noni priuilegiorum.

Discrimen dictorum priuilegiorum.

Ista duo priuilegia videntur se mutuò complecti, & vtrumque in vtroque contineri; aliquo tamen modo differunt. Primò, quia prius est magis diffusum, quia concessum est pro omnibus nationibus in quibus Fratres versantur; posterius verò dumtaxat pro nouiter conuersis ad Catholicam fidem. Deinde, quia prius verè priuilegium est, posterius verò continet communem legem pro paganis saltem, vt patet in c. Gaudemus. De diuortijs. vt videbimus posteà. Et hoc habent etiam alij Fratres Minores. Innocentius enim IV. num. 17. & Ioannes XXII. illis concessit, quòd in locis remotissimis à Sede Apostolica possint dispensare cum his tantum qui ab infidelitate conuertuntur, vt si priùs in gradibus non licitis, lege tamen diuina non prohibitis, matrimonia contraxerint, in ijsdem manere possint. Quare Fratres circa talia matrimonia dispensantes, non dicuntur dispensare in rigore, sed potiùs illa rata habere, quoniam Iure diuino irrita non sunt. Non tamen ob hoc inutile censendum est hoc priuilegium, quia faciet securiùs operari, & prodent legem nescientibus.

Aduerte etiam, dictis hisce priuilegijs facultatem tantùm tribui, vt qui matrimonia contraxerunt in gradibus lege diuina non prohibitis, eadem matrimonia sic celebrata continuare valeant; non vt quis matrimonium in gradibus ab Ecclesia prohibitis contrahere possit. Hanc tamen facultatem concessit pro Regnis Persiæ Paulus V. Carmelitis Discalceatis, vt videlicet possint indulgere tam cum nouiter conuersis, quàm cum alijs ibidem habitantibus, vt contrahere ijs matrimonia liceat in omnibus consanguinitatis vel affinitatis gradibus, præterquam diuina lege prohibitis. Ita legitur in ipsorum priuilegijs.

Et vt penitior dictorum priuilegiorum habeatur intellectio, & Fratres sciant quomodo illis licitè vti debeant, tria explicanda sunt. Primum, quinam sint gradus diuina lege prohibiti. Deinde, an omnes gradus diuina lege prohibiti eiusdem conditionis sint. Tertium, si non sunt omnes eiusdem conditionis, quinam sunt indispensabiles, & qui dispensabiles. ex his enim apparebit, quibus in gradibus possint Fratres in illis partibus dispensationem adhibere matrimonijs.

Naturalia præcepta quæ.

Pro primi explicatione duo aduerto. Primò, naturalia præcepta illa esse, quæ solo lumine naturali, sine aliquo discursu, quin imò per discursum rationis facillimè cognoscuntur, & apud omnes sunt eadem, tum quoad notitiam, tum quoad rectitudinem. Nam quæ indigent lumine supernaturali, dicuntur diuina positiua; quæ per discursum humanum à Principe constituuntur, dicuntur humana, & talia non sunt eadem apud omnes.

Præceptum prohibens triplicitur naturale dici potest.

Aduerto Secundò, præceptum prohibens tribus modis posse dici naturale. Primò, quia sit de re intrinsecè mala, ita vt semper & apud omnes sit mala, nec possit per mutationem circumstantiarum fieri bona; qualia sunt mentiri, mœchari, odisse Deum, &c. Et hæc propriæ vim legis habent, & sunt omnino indispensabilia. Secundò, quia sit de re mala semper, & apud omnes, excepta extrema necessitate: quale est, tollere alienum inuito domino; id enim apud omnes & semper est malum, excepta vltima necessitate, tunc enim quod erat alienum, desinit esse alienum, & fit commune. Et tale etiam videtur esse matrimonium cum propria sorore: nam vbique apud homines, qui recta ratione vtuntur, id iudicatur malum, nisi extrema omnino cogente necessitate, qualis fuit initio mundi. Et hæc etiam præcepta vim habent legis naturalis, & sunt indispensabilia, nisi cesset obligatio extrema necessitate adueniente. Tertiò, quia sit de re mala, si res illa nudè & absolutè sumatur, quæ tamen possit, mutatis circumstantijs, variis modis honestari ac fieri bona: quale est, occidere hominem. nam homicidium absolutè & nudè sumptum, quid malum sonat apud omnes. Et hoc modo habetur in Decalogo, *Non occides*. Tamen si addantur variæ circumstan-

tiæ,

tiæ, vt quòd fiat publica auctoritate, ob bonum commune, in eum qui pernicioſus eſt Reipublicæ, iam non ſonat malum; & ideò in eadem lege Moyſis ſæpè iubentur occidi homines, vt malefici, adulteri, homicidæ. Et hoc tertio modo præcepta naturalia vim habent legis, ſi agatur de re nudè ſumpta; ſi autem agatur de re adhibitis debitis circumſtantijs, non habent vim legis, quia tunc res illæ mutabiles ſunt, neque ſunt apud omnes eædem: & ideò neceſſe eſt vt ſi omnino prohibendæ ſint, ſpeciali lege poſitiua firmentur, præſertim in caſu matrimonij, ſi non ſolùm matrimonium impedire, ſed etiam dirimere debeant. Multa enim ſunt, quæ ſi contra rectam rationem fiant, mala ſunt; & tamen facta, rata ſint, niſi quæ ſpeciali lege irritentur, vt matrimonia contracta à filijs inuitis parentibus, alijs non obſtantibus. Quod eſt primo modo naturale, eſt omnino indiſpenſabile: quod autem eſt naturale ſecundo vel tertio modo diſpenſabile eſt vel per Auctorem naturæ, vel eius interris vices gerentem Romanum Pontificem.

Coniugia inter affines & conſanguineos per Eccleſiam indiſpenſabilia.

His obſeruatis, reſpondeo ad primum quæſitum, in Leuitico cap. 18. & in Gloſſa cap. Litteras. De reſtit. ſpol. multos recenſeri gradus conſanguinitatis vel affinitatis in quibus coniugia interdicuntur, & Chriſtianos etiam obligant, non quia Leuitica, id eſt, poſitiua & iudicialia; ſed quia naturalia vno ex duobus poſteriùs aſſignatis modis, ac ideò aliqua ex ipſis per Eccleſiam diſpenſabilia, vt quæ tertio modo naturalia ſunt. Nos hîc deſcribemus, primò coniugia diuina lege prohibita, & per Eccleſiam indiſpenſabilia, quæ explicitè vel implicitè in Leuitico continentur.

Primum, idque turpiſſimum omnium connubium, eſt filij cum matre; nam & ſumma coniunctio eſt inter matrem & filium, & præterea deberet mater, quæ naturæ ordine filio præeſt, eidem ſubeſſe ratione coniugij.

Secundum eſt patris cum filia. Id enim par eſt primo, quod attinet ad coniunctionem, ſed minùs turpe eſt, quia non inuertitur ordo regiminis, cùm & filiæ & vxoris ſit ſubeſſe & non præeſſe.

Et quod dictum eſt de duobus his matrimonijs in primo gradu & in recta linea, intelligendum eſt etiam de ſecundo, tertio & ſequentibus gradibus in eadem linea: eſt enim eadem ratio de primo, & de ceteris. Communis ſententia eſt, inter aſcendentes & deſcendentes, omnia coniugia eſſe prohibita. Nam etſi in gradibus remotioribus minor ſit propinquitas ſanguinis, tamen maior eſt inæqualitas ætatis, quæ defectum illum propinquitatis compenſat, vt, exempli gratia, inter nepotem & auiam minor eſt propinquitas ſanguinis, & proinde minor indecentia coniugij, quàm inter filium & matrem; tamen maior eſt inæqualitas ætatis, & conſequenter maior indecentia ratione ætatis: nepos enim vix eſt adoleſcens, cùm auia iam ſit anus. Pari ratione inter pronepotem & proauiam minor eſt propinquitas ſanguinis, maior tamen inæqualitas ætatis, quàm inter nepotem & auiam. Et quando tam procul proceditur in gradibus, vt iam nulla ſit communicatio ſanguinis, vt in quinto gradu & ſequentibus, tunc aut mortui ſunt aſcendentes, aut omnino confecti ac decrepiti, & contrà deſcendentes aut infantuli ſunt aut tam teneræ ætatis, vt nulla ratio ferat inter eos coniugia copulari.

Tertium eſt fratris cum ſorore germana ex vtroque parente: nam & hîc ſumma coniunctio eſt, ſed lateralis, & ideò minor quàm ſit ea quæ patri cum filia intercedit.

Quartum eſt fratris cum ſorore ex altero tantùm parente: neque enim dubium eſſe poteſt, quin ſit minùs turpe coniugium cum ſorore ex altero tantùm parente, quàm ex vtroque.

Quintum eſt priuigni cum nouerca: id parum omnino abeſt à tertio, & fortè nihil. Nam quamuis ex vna parte minus turpitudinis habeat, quia eſt affinitas, non conſanguinitas; tamen ex altera parte plus indecentiæ præ ſe fert, cùm ſit in recta linea, & inuertatur ordo regiminis; nouerca enim eſt loco matris, & ordinariè etiam ſenior eſſe ſolet, & in priuignum ordine naturæ poteſtatem habet.

Sextum & vltimum eſt vitrici cum priuigna; hoc enim eſt in eodem gradu cum ſuperiore, ſed deeſt indecentia ex peruerſione regiminis. Priuignæ ſubeſſe conuenit vitrico, ſiue ſit loco tantùm patris, ſiue fiat etiam maritus. Et quod dictum eſt de priuigno & nouerca, intelligendum eſt etiam de genero & ſocru; & quod dictum eſt de vitrico & priuigna, intelligendum eſt de ſocero & nuru. De his quatuor gradibus non deſunt, qui negent eos Iure naturæ prohibitos, in quibus eſt Caietanus in 2.2. q. 134. art. 9. tamen ſententia communior & verior contrarium habet.

In Leuitico alia interdicuntur matrimonia, ſed non ſimiliter vt præcedentia, ac proinde neque vt eadem ſunt indiſpenſabilia, vt nepotis cum amita vel matertera, & fratris cum vxore fratris defuncti, vt poſteà oſtendemus.

Quantum ad Secundum dico, memorata coniugia partim conuenire, & partim

differre. Conueniunt, quia sunt omnia dispensabilia à Deo; vel ab homine, & sunt omnia naturaliter interdicta aliquo ex duobus modis posteriùs positis suprà. Differunt, quia quæ sunt in primo gradu consanguinitatis, sunt interdicta naturaliter secundo, alia tertio gradu, vt docent plerique Theologorum veterum in 4. dist. 40. vt Bonauentura, Richardus, Paludanus, & alij.

Et dictorum matrimoniorum differentia iam est indicata, & ampliùs ostenditur ex varietate pœnarum constitutarum in contrahentes illa coniugia, Leuit. 20. vbi pœnæ taxantur contra eos qui fortè matrimonium contraxerint contra gradus prohibitos. Leuitici 18. Deus coniugium in primo gradu affinitatis in recta linea, vt cùm priuignus ducit nouercam, vel socer nurum, morte punit, & coniungit hoc peccatum cum adulterio, & cum alijs quæ sunt manifestè contra Ius naturæ. Et eadem est ratio, vel potiùs maior de consanguinitate in primo gradu in linea recta. Neque enim dubitari potest, quin sit dignus morte, qui duxerit matrem suam, si est dignus morte qui duxerit nouercam suam. Deinde eamdem pœnam mortis lex statuit in eos qui iunguntur in primo gradu consanguinitatis in linea transuersa, vt cùm frater accipit sororem.

At coniugium in secundo gradu consanguinitatis in linea transuersa, vt nepotis cum amita vel matertera, non punitur morte, sed pœna leuiori; & similiter coniugium in primo gradu affinitatis, vt qui cum vxore fratris defuncti, & in secundo gradu, vt nepotis cum vxore patrui, non puniuntur morte, sed tantùm priuatione filiorum, id est, vt filij non adscribantur ipsis. Quæ pœna satis apertè indicat, coniugia ista multùm inter se differre. Lege plura ad idem apud Bellarminum Tom. 2. lib. 1. de Matrimon. cap. 27.

Omnia matrimonia per Deum dispensabilia, non per Ecclesiam.

Quantum ad tertium dico duo, alterum, memorata coniugia omnia ab Auctore naturæ dispensari posse: alterum verò, aliqua non posse, & aliqua posse per Summum Pontificem dispensari. Primum probatur, quia nullum coniugium in quouis gradu contrahatur, adeò est intrinsecè malum, vt repugnet illud fieri benè: quod ex eo patet, quia nullus gradus tollit finem matrimonij primarium, licet aliquo modo impediat: nam ex coniugio, etiam filij cum matre, nasci possunt filij, & educari. Ita Bellarminus vbi suprà cap. 28. qui idem alijs probat, & dicit se nullum legisse, qui expresse hoc negauerit.

Secundum probatur ex Concilio Tridentino sess. 24. can. 3. vbi dicit, posse Ecclesiam dispensare in aliquibus gradibus in Leuitico prohibitis. *In aliquibus* dixit, non in omnibus: & ita tradit & probat pluribus Bellarminus de Matrim. c. 27.

Sed quinam sunt gradus in quibus diuina lege sunt adeò interdicta matrimonia, vt in illis nullo modo possit Ecclesia dispensare. Ex huius enim cognitione apparebit, in quibus gradibus licitum sit Fratribus ex priuilegio dispensare. Dico Iure naturæ interdicta esse coniugia in primo gradu consanguinitatis tam in recta quàm in transuersa linea; & in secundo, tertio & sequentibus gradibus in recta linea; & in primo gradu affinitatis in recta linea tantùm. Ita Bellarminus loco notato cap. 28. Et ita illa omnia matrimonia superiùs enarrata. Et primum quidem, filij cum matre, & secundum, patris cum filia, Iure naturæ esse prohibita, omnes consentire, dicit Bellarminus. Dubium esse potest de matrimonijs quæ contraherentur in primo gradu lineæ transuersalis. P. Sanchez lib. 7. Tom. 1. de Matrimonio, disp. 52. num. 10. censet probabiliter, in nullo gradu lineæ transuersalis, etiam consanguinitatis inter fratres & sorores, esse prohibitum Iure diuino matrimonium: pro qua sententia plures adducit Auctores, & ex consequenti num. 12. inquit, secundùm hac sententiam, *quæ valdè*, inquit, *probabilis est*, matrimonium inter fratres sola lege Ecclesiastica irritari, ac perinde posteà ad fidem conuersos separandos non esse, imò & sanum esse consilium, si ad fidem conuersi ægrè ferrent separationem, sequi hanc sententiam, ad quam ego pronus inclino: quare in hac parte nullo opus est priuilegio ad dispensandum secundùm hanc sententiam. Verùm ipse Auctor contrariam sententiam probabiliorem censet, illiique adhæret, ac proinde tali matrimonio coniunctos separandos esse.

In quibus gradibus non potest Ecclesia dispensare.

Sed aliter dicendum, oppositam sententiam esse non solùm probabiliorem, sed absolutè veram, & eius contrariam absolutè falsam, ac proinde talia matrimonia vt irrita dissoluenda esse, sicut & alia antè memorata. Et probatur primò, quia omnia & sola coniugia prædicta puniuntur vltimo supplicio in Leuit. 20. cùm cetera leuioribus solùm pœnis multentur. Deinde, quia nulla extant exempla Sanctorum, qui vllo vmquam tempore in his gradibus contraxerint matrimonia, cùm tamen extent de alijs. Tertiò, quia nulla vmquam facta est dispensatio ab Ecclesia in his gradibus, quamuis non defuerint qui eam aliquando peterent. Nam de Comite Armeniaco refert Paulus Æmilius in Ludouico XI. eum falso Pon-

Soluitur.

tificis

tificis diplomate ſororem germanam ſibi matrimonio coniunxiſſe: quia nimirum verum diploma extorquere numquam potuiſſet à Pontifice, ideoque adulterinum quoddam per corruptum quemdam pecunia miniſtrũ procuraſſe: cùm alioquin in gradibus diuino Iure non prohibitis, non ſemel Pontifices diſpenſauerint, vt poſteà videbimus. Quartò, quia omnes Gentes aut à coniugijs prædictis naturaliter abhorrent, aut ſi quæ Gentes ijs indulgent, ab alijs feræ & barbaræ iudicantur. Perſæ, qui connubia cum parentibus & ſororibus permittebant, ab omnibus reprehenduntur, vt à Tertulliano in Apologetico cap. 9. à Chryſoſtomo Homil. de Pentecoſte, in fine, à S. Auguſtino quæſt. 61. in Leuit. à Theodoreto in libro De legibus. Ariſtoteles quoque in lib. 2. Politicorum inde reprehendit communionem vxorum, quia ſequeretur vt filij parentibus, & fratres ſororibus iungerentur. S. Ambroſius in Epiſt. 66. ad Paternum ſcribit, coniugium patris cum filia pugnare cum lege naturæ ſcripta in cordibus ſingulorum. Et S. Auguſtinus lib. 15. De ciuit. cap. 16. ſcribit coniugia cum ſororibus non niſi peruerſis legibus permiſſa fuiſſe. Quod enim ſemel factum eſt compellente neceſſitate à filijs Adæ, ita poſteà multiplicatis hominibus natura exhorruit, quaſi numquam licuerit. Denique in Concilio Prouinciali Limenſi ex ſententia Summi Pontificis Pauli IV. omnia huiuſmodi infidelium matrimonia, cùm Chriſtiani fiunt, irrita fieri decretum eſt: at verò quæ lege Eccleſiaſtica ſolùm prohibita ſunt, vt ſecundo aut tertiò gradu contracta, rata fieri cùm vterque baptizatur, cauetur in cap. Gaudemus. De diuortijs.

Gradus in quibus diſpenſari nullo modo ab homine poteſt. & in quibus lege vel priuilegio poteſt.

Ex dictis habemus, quinam ſint gradus diuina lege prohibiti, in quibus nullo modo poteſt Eccleſia diſpenſare; & quinam interdicti, in quibus lege diſpenſat cum nouiter conuerſis, & ex priuilegio cum alijs iſtarum partium. Sed vt hoc meliùs intelligatur, ſciendum eſt, antiquitus ſeptem gradus fuiſſe prohibitos, nunc verò reſtrictus eſt numerus vſque ad quartum inclusiuè: quare illæ perſonæ quæ ſibi ſunt coniunctæ intra quartum gradum, non poſſunt contrahere matrimonia, & ſi contrahant, irrita ſunt, vel lege naturali, vel ſtatuto Eccleſiæ. Ita habetur in cap. Non decet. De conſanguinit. & affin. Sed in his Eccleſia aliquando diſpenſat, & quidem in partibus infidelium vult rata haberi omnia coniugia nouiter conuerſorum, & ad id largam concedit facultatem Religioſis, vt pro alijs diſpenſent, & peculiariter in ſequentibus.

In primo gradu affinitatis in linea tranſuerſa, diſpenſatum fuit ab Innocentio III. in cap. final. De diuortijs, vbi dicit, diſpenſandum eſſe cum prædictis vt vtantur matrimonio cum relictis fratrum ſecundum legem Moyſaicam, Deut. 25, 5. & ipſe diſpenſauit cum Liuonibus, vt retinere poſſent vxores fratrum ſuorum defunctorum. Diſpenſatum fuit etiam à Martino V. teſte Antonino Par. 3. Summæ Theologicæ, tit. 1. cap. 11. Et licite quidem, quia matrimonia ſaltem, ſecundo gradu, non eſſe prohibita Iure naturæ, ſicut nec alia matrimonia de quibus ſtatim, oſtendunt ſanctorum virorum ac mulierum exempla. Iacob Patriarcha duas ſorores viuentes ſimul accepit vxores, Liam & Rachelem, Gen. 29. id autem expreſsè prohibetur Leuit. 18. & eſt primus gradus affinitatis in linea tranſuerſa: imò duplex erat in eo coniugio affinitas; nam vtrique ſorori erat affinis ratione alterius. Item Gen. 38. Iudas Patriarcha dedit filio ſuo ſecundo genito vxorem primogeniti defuncti, & illo etiam defuncto eamdem promiſit tertio filio, qui tamen gradus in Leuitico prohibetur. eſt etiam primus gradus affinitatis in linea tranſuerſa.

Secundò diſpenſatum fuit in ſecundo gradu affinitatis in linea tranſuerſa ab Alexandro VI. teſte Caietano in 2. 2. q. 154. art. 9. & ab Innocentio III. in cap. Gaudemus. De diuortijs. vbi dicit, Matrimonium inter infideles contractum in ſecundo, tertio & vlterioribus gradibus eſſe ratum, nec debere diſſolui cùm illi conuertuntur ad fidem, quia non tenebantur illis legibus Eccleſiæ, &, vt ipſe dicit, *per Sacramentum Baptiſmi non ſoluuntur coniugia, ſed crimina dimittuntur.* Et non eſſe hoc contra legem naturalem indiſpenſabilem, confirmatur. Moyſes natus eſt ex coniugio nepotis cum amita. Nam Exod. 6, 20. ſic legimus: *Accepit Amram vxorem Iochabed patruelem ſuam* (id eſt patruam, vt indicat lectio Hebraica apud Bellarminum) *quæ peperit ei Aaron & Moyſen.* Item Gen. 11. Abraham & frater eius Nachor duxerunt duas filias fratris ſui Aran: ſed non duxiſſent, ſi contra Ius naturæ fuiſſet, patruum neptim ſuam ducere. Et conſequenter nec eſt contra Ius naturæ, ſi nepos ducat amitam, cùm ſint in eodem gradu. Et tandem ſequitur, prohibitionem, quæ habetur Leuit. 18. ne quis amitam ducat, iudicialem eſſe, non naturalem. In his ergo gradibus poſſunt fratres Terræ ſanctæ diſpenſare, vt qui in illis contraxerunt, maneant, ſint illi nouiter conuerſi, vel illorum curæ commiſſi: nam in fauorem horum omnium conceſſa ſunt priuilegia.

PRIVI-

PRIVILEGIVM DECIMVM.

Possunt Minorita cognoscere in causis matrimonialibus.

Denique in hac materia de matrimonio possunt Fratres Terræ sanctæ cognoscere in causis matrimonialibus quæ ad eos deferuntur, & discordantes valent ad concordiam reducere.

Declaratio.

Pro intellectu huius priuilegij duo notanda sunt. Primum est communis quædam doctrina Catholicorum, quam refert Cardinalis Bellarminus Tom. 2. lib. 1. de Matrimonio cap. 32. causas matrimoniales esse triplicis differentiæ. Quædam sunt omnino politicæ, vt de dotibus, de successionibus, de hereditatibus, &c. Quædam sunt omnino spirituales, vt de partibus Sacramenti, de benedictione sacerdotali, &c. Quædam partim sunt politicæ, partim spirituales, vt de gradibus cognationis, de diuortijs, de impedimentis, & alijs quæ ad ipsum contractum matrimonij pertinent: quatenus enim contractus naturalis est, materia est politica; quatenus idem contractus fundamentum est Sacramenti, & res conscientiæ, spiritualis est.

Causa matrimoniales triplicis ordinis.

Causæ primi generis de Iure & simpliciter ad politicum Magistratum pertinent, vnde etiam quotidie intra Catholicam Ecclesiam coram Iudice sæculari causæ illæ aguntur.

Causæ secundi generis ad solam Ecclesiam pertinent, vt satis constat, alioquin quo tempore nulli Principes nullíve Magistratus politici Christiani erant, oportuisset causas omnino spirituales ad infidelem Iudicem deferre, aut sine legitimo Iudice causæ illæ indecisæ abijssent.

Tertij generis causæ possunt quidem ad politicum Magistratum pertinere, sed cum subordinatione ad Ecclesiasticum, simpliciter autem ad Principem Ecclesiasticum pertinent, vt in Concilio Tridentino sess. 24. can. 12. definitum est, & adhuc triplici medio breuiter sic ostenditur. Primò, quia Matrimonium est Ecclesiæ Sacramentum, neque enim in matrimonio Christianorum distinguitur legitimus contractus inter virum & mulierem à Sacramento Matrimonij, igitur Ecclesia simpliciter de huiusmodi contractu debet iudicare. Secundò, quia licet Matrimonium Sacramentum non esset, est tamen res conscientiæ, ex legibus diuinis pendens; igitur ad Ecclesiasticum Iudicem spectat, sicut alij contractus de cambijs, vsuris, &c. Tertiò, praxis totius Ecclesiæ idem ostendit. Nam in primis Christus ipse causam de diuortio & repudio non remisit ad politicum Magistratum, sed ipse iudicauit, Matth. 5. & 19. Deinde Apostolus 1. Corint. 7. causam coniugij inter fidelem & infidelem similiter cognouit, neque ad Magistratum eam reiecit. Denique plena sunt Concilia & Pontificum rescripta legibus & sententijs in causa matrimonij: siquidem, vt ex Epistolis decretalibus cognosci potest, semper in Ecclesia hæc fuit consuetudo, vt de huiusmodi causis non Reges, sed Pontifices consulerentur.

Secundum notandum est, idem Priuilegium concessisse Prædicatoribus Innocentium IV. & Ioannem XXII. Minoribus: de quo aliqui dicunt, dicto priuilegio Fratres tantùm vti posse in locis vbi Episcopi Catholici non sunt, quia iudicium causarum matrimonialium ad Episcopos pertinet. Et confirmari potest ex c. Abbates. De priuilegijs. & Glossa ibid. vbi habetur, quòd priuilegium, per quod in totum tollitur ius alterius, non valeat. Sed tolleretur ius Episcopi circa causas matrimoniales, si eas possent Fratres iudicare. Quòd ita debeant vti suo priuilegio Fratres Terræ sanctæ, vt Prædicatores, & Minores alij, non abnuo: verùm priuilegium nostrum non est restrictum aliquo modo, & fortè absolutè fuit concessum; quoniam plerumque in locis quæ commissa sunt in his partibus curæ Minorum, non sunt Episcopi Catholici. Et quamuis essent, non ideò in totum tolleretur illorum ius, quia dici posset, Fratres vti posse eo priuilegio tantùm circa commissos suæ prædicationi, Episcopos verò circa alios; vel, quòd Fratres non possint dissentientes coniuges compellere vt coram se compareant, prout possunt Episcopi. Et denique, quòd alia poterunt Episcopi. Vide quæ suprà notauimus Cap. 11. Dubio 111.

Quæ matrimoniales causas possint Minores iudicare.

Sed quas matrimoniorum causas iudicabunt Fratres virtute sui priuilegij? Respondeo probabiliter, quòd non possint tantùm secundi & tertij generis causas, sed etiam primi, præsertim vbi non habetur politicus Magistratus Christianus, qui rectè iudicet. Ratio est, quia est priuilegium Principis, ac ideò latissimè interpretandum. Deinde, priuilegium semper debet aliquid valere, vt alibi ex Iure Canonico notauimus: at non valeret, si Fratres possent tantùm cognoscere matrimoniales causas secundi & tertij generis, quia hoc habent ex eo quòd sunt Parochi, vbi saltem Episcopi non sunt; igitur etiam primi generis poterunt cognoscere, præsertim, vt dixi, vbi politicus Magistratus Christianus non habetur. Et hoc potest concedere Papa in ordine ad bonum spirituale, quoniam est vniuersalis Pater & Iudex fidelium. Et S. Apostolus non modò damnat recursus fidelium ad infidelium tribunalia, sed & hortatur vt in occurrentibus causis à fidelibus non recedamus.

1. Co-

Digitized by Google

1.Corin.6. Et tantò magis poterunt Fratres noſtri dictas cauſas cognoſcere & iudicare, quantò procedere debent non ſecundùm apices Iuris, ſed paternè & ex charitate, omnia ad vnionem Chriſtianam dirigendo. Ideò nec tenentur cauſas primi, quemadmodum reliquas ſecundi & tertij generis inquitere, quia harum iudicium Iure ad eos ſpectat, & ſuper huiuſcemodi debent inuigilare, tamquam de omnibus rationem reddituri: ſed primi generis cauſas piè ac iuſtè cognoſcere & iudicare poterunt, ſi ad eos deferantur. Ita enim habent priuilegij verba: *Conceditur facultas de cauſis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam veſtram deferri contigerit, legitimè cognoſcendi, ac diſcordantes inter ſe inuicem, quò ad pacem & concordiam redeant*, &c. Ita Innocentius IV.

Sacramentum Extremæ Vnctionis.

PRIVILEGIVM VNDECIMVM.

Poſſunt Fratres Terræ ſanctæ adminiſtrare Sacramentum Extremæ Vnctionis.

PRIVILEGIVM DVODECIMVM.

Poſſunt vti in Sacramentis oleo veteri.

Circa quatuor Sacramenta, in quorum vſu interuenit Oleum ſanctum & Chriſma, id eſt, Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis, & Extremæ Vnctionis, ſunt priuilegiati Fratres Terræ ſanctæ; quia poſſunt veteri vti, nouo deficiente, propter difficultatem habendi nouum ſingulis annis.

Declaratio.

Hoc abſque ſpeciali facultate non liceret: Iura enim præcipiunt, vt Oleum & Chriſma quolibet anno renouetur, & vetus in Eccleſia comburatur. cap. Si quis de alio. De conſec. diſt. 4. & Bellarminus Tom. 1. lib. 4. de Verbo Dei non ſcripto, Siluester v. Oleum, & alij dicunt, crimen eſſe, vti oleo veteri.

Poſſunt etiam in partibus iſtis vti Oleo & Chriſmate trium annorum, nouo deficiente, ex priuilegio Leonis X. Bulla 3. imò & quatuor annorum, ex priuilegio Gregorij XIII. vt refert Rodericus Tom. 1. q. 31. art. 5. Sed in caſu poterunt vti abſoluta, & non reſtricta vel reuocata conceſſione Calliſti. Et intellige actiuè in alijs Sacramentis ab Ordine, & in Ordine ſacro (quia ſolùm ab Epiſcopis conferri poteſt) paſſiuè.

Prælati Regularium in terris ſuis poſſunt conficere Chriſma.

PRIVILEGIVM XIII.

Denique (quod valdè in hac materia notandum) Prælati Regularium poſſunt in ſuis terris conficere Chriſma. Ita conceſſit Vrbanus II. Bulla 1.

Declaratio.

Hoc priuilegium, ſicut nec pleraque alia, non fuit per non-vſum reuocatum; tum quia, vt priuilegium per non-vſum reuocetur, requiritur notitia talis priuilegij, & quòd centum iam annis in vſu non fuerit, vt Eugenius IV. Bulla 17. conceſſit Benedictinis, & conſequenter alijs Ordinibus illorum priuilegijs participantibus; tum quia priuilegia per non-vſum reuocata, iam ſunt per Pium V. reuahidata in quadam Bulla, quæ incipit: *Ad perpetuam rei memoriam. Data Romæ 1. die Decembris anni 1609.*

Aduertendum, dictis priuilegijs poſſe Fratres iuridicè vti, & illorum actus, cùm opportunum fuerit, cum ſolemnitate exercere. & hæc de primo quod ſub initium Capitis proponebamus.

Præmiſſa priuilegia habent alij à Fratribus Terræ ſanctæ.

Quantum ad ſecundum dico, præmiſſis priuilegijs vti frui etiam alios Religioſos quàm Fratres Terræ ſanctæ, vtpote quibus à varijs Pontificibus conceſſa fuerint; quibus & cum illis communicantes vti poſſent, ſi propria non haberent: niſi dicatur, duplici facultate, propria & commun, poſſe illos actus Sacramentales exercere.

In primis Religioſi Indiarum poſſunt ibi omnia Sacramenta infidelibus & nouiter conuerſis miniſtrare. Ita conceſſit Leo X. Bulla 3. duobus Fratribus Minoribus euntibus ad Indos. Ad hæc Adrianus VI. Bulla 1. concedit Prouincialibus & Religioſis, quibus ipſi commiſerint, poſſe baptizare filios Hiſpanorum, & alios, citra neceſſitatem, cum limitationibus ibi poſitis. Concedit nimirum eiſdem, vt id facere valeant, vbi non ſunt Epiſcopatus inſtituti, vel ſi ſint inſtituti, infra duas tamen dietas Epiſcopi aut Officiales eorum inueniri non poſſint. Super Indos item ad fidem conuerſos, & in alios Chriſticolas, ommmodam auctoritatem in vtroque foro habeant ij qui ad illud opus miſerint, & qui opus ſuſceperint, & quidem tantam, quantam ipſi & per eos deputati de Fratribus ſuis, pro conuerſione dictorum Indorum, & incremento ac profectu eorum, & aliorum præfectorum in fide Catholica, & obedientia S. Romanæ Eccleſiæ viuentium opportunam & neceſſariam iudicauerint. Et quòd dicta auctoritas extendatur etiam quoad omnes actus Epiſcopales exercendos qui non requirunt Ordinem Epiſcopalem. Idem poſteà conceſſit Paulus IV. inter viua oracula Fratribus Prædicatoribus Mexicanis, Chiapanis & Perüanis, vt fidem fecit Cardinalis Alexandrinus, qui ad Pontificatum poſteà electus dictus fuit Pius V. qui & confirmauit omnium prædeceſſorum ſuorum priuilegia Indorum conuerſionem reſpectantia; præſertim quòd poſſint Fratres Mendicantes omnia Sacramenta miniſtrare infidelibus,

&

& nouiter conuerſis. De nouo item robur addidit ijſdem Apoſtolicum, non obſtantibus, &c. Et ſic roborata manent priuilegia Leonis X. & Adriani VI. Idem poſteà conceſſit idem Paulus IV. inter viua oracula cuidam Religioſo Ordinis Minorum. Et Pius V. Bulla 4. conceſſit Religioſis Indiarum, vt in ſuis Monaſterijs, & locis ſibi deputatis ibidem, poſſint baptizare, & alia Sacramenta, ſicut Parochi, miniſtrare: quo priuilegio gaudent omnes Prouinciæ Indiarum, & ſic Religioſi omnes in ſuis Eccleſijs & locis ſuorum Monaſteriorum poſſunt baptizare non tantùm Indos ſubditos, ſed etiam non ſubditos. Et ita obſeruatum, vt teſtantur viri graues. Lege Rodericum Tom. 1. Quæſt. reg. q. 28. art. 2. & q. 56. art. 3. 4. 5. & 6. Et quòd, ſecundùm plures alias conceſſiones, poſſint vbique, etiam in terris fidelium, in proprijs Eccleſijs miniſtrare Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta, tamquam manifeſtum, & veteri receptaq; conſuetudine comprobatum, relinquo.

Regulares non niſi ex priuilegio poſſunt præmiſſis facultatibus vti.

Quantum ad tertium oſtendo, Fratres non niſi ex priuilegio (ſecluſa neceſſitate) iuridicè exercere poſſe memoratos actus Sacramentales, in hunc modum. Priuilegium, quod (vt dicitur in c. Priuilegia. diſt. 3. & in D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 1. ad 1. priuatorum lex, ſeu priuata lex nuncupatur) eſt ſingulare ius contra Ius commune indultum. Ita Siluester v. Priuilegium. Semper enim priuilegium operatur aliquid contra Ius commune, vt dicitur in L. final. c. De inofficioſo teſtam. & ff. De vſuris. At prædictis facultatibus tribuitur Fratribus ſingulare ius contra Ius commune; igitur ſunt priuilegia.

Baptiſmi miniſter. Parochus.

Ex probatione porrò Minoris intentum amplius apparebit. Probatur ergo diſcurrendo per ſingula Sacramenta, quorum iuridicum miniſterium illis Iure Canonico interdicitur. Et primò de Baptiſmi Sacramento, quod à ſolis Parochis ex officio miniſtrari poteſt, & non ab alio etiam Sacerdote, ita habetur in Concilio Florentino: *Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare*. & hic Parochus eſt, vt Iura & Doctores communiter. Præterea in Baptiſmo contrahitur compaternitas inter baptizatum & patrem & matrem baptizati. c. Nedum. De cognat. ſpiritual. in 6. & ex Iure prohibentur Monachi fieri compatres. c. Peruenit. 1. 18. q. 2. & ſingulariter id interdicitur Minoribus in eorum Regula cap. 11. vbi S. Franciſcus ait: *Nec fiant compatres virorum vel mulierum.* Qua ratione eiſdem etiam interdicitur miniſtrare Sacramentum Confirmationis, & offerre ſuſcipientem; quia in his duobus Sacramentis, tam adminiſtrando, quàm offerendo ſuſcipientē, contrahitur cognatio ſpiritualis. Ita docent in illum locum Regulæ Hugo, Bartholinus, Piſanus, & Petrus Ioannes. Lege Politium hîc n. 22. & alios expoſitores. Et per conſtitutiones Martini huic rei decreta eſt pœna carceris.

Confirmationis ordinarius Miniſter Epiſcopus.

Secundò idem de Confirmationis Sacramento oſtenditur, cuius proprius Miniſter eſt ſolus Epiſcopus. De conſec. diſt. 5. c. Manus. & ſequenti. Et Concilium Florentinum & Tridentinum ſeſſ. 7. can. 3. hæc habet: *Si quis dixerit, ſanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.* Et adeò excellens eſt priuilegium, alium ab Epiſcopo miniſtrare poſſe hoc Sacramentum, quòd Miranda Tom. 1. q. 44. art. 2. inquiat, ſe in nullo compendio priuilegiorum legiſſe, alicui Religioſorum id fuiſſe conceſſum. ad eius enim manus non peruenerant priuilegia Terræ ſanctæ.

Pœnitentiæ miniſter Parochus.

Tertiò Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ proprius eſt Parochus. dicitur enim in c. Omnis vtriuſque ſexus: *Teneatur pœnitens confiteri proprio Sacerdoti, aliter abſolutio nulla erit.* Sed eſſe Parochum, non conuenit Fratribus Minoribus, tali enim officio annectuntur actus quibus cognatio ſpiritualis contrahitur, qui eis in Iure & eorum Regula interdicti ſunt.

Euchariſtiæ miniſter Sacerdos.

Quartò licet Iure diuino Miniſter proprius Euchariſtiæ ſit Sacerdos, tamen Iure poſitiuo Eccleſiaſtico actu illam adminiſtrare interdicitur Religioſis, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, vt in Clement. 5. c. Religioſi. De priuilegijs.

Ordinis Miniſter Epiſcopus.

Quintò, Miniſter Sacramenti Ordinis proprius eſt Epiſcopus, & maiorum Ordinum ſolus Epiſcopus, vt definitum eſt in Concilijs Florentino & Tridentino ſeſſ. 23. can. 4. & ita ſemper habuit conſuetudo; etſi Minorum poſſit eſſe ſimplex Sacerdos ex commiſſione Papæ, vel ex lege ſiue ex conſuetudine.

Matrimonij Miniſter contrahentes ſunt. in præſentia tamen proprij Parochi.

Sextò, quantum ad Matrimonium, illud non poteſt validè contrahi ſine præſentia Parochi, ac ideò illius appellatur Miniſter. Etſi enim Parochus non ſit proprius Miniſter Sacramenti Matrimonij, ſed ipſi contrahentes. c. De ſponſalibus duorum. & eſt communis ſententia; nihilominùs ex decreto Concilij Tridentini ſeſſ. 24. cap. 1. de Matrimonio, Parochus debet eſſe præſens, vt exquirat conſenſum coniugum, & eumdem approbet, declaret, & Sacerdotali benedictione confirmet. Ac ideò requiritur præſentia Parochi, non vt ſit Miniſter Sacramenti, ſed vt conditio quædam neceſſa-

ceſſaria ad valorem contractus. Vide Suarez Tom. 3. diſp. 13. ſect. 1.

Miniſter Extremæ Vnctionis Parochus.

Septimò denique adminiſtrare Sacramentum Extremæ Vnctionis, quod, ſecluſo priuilegio, excommunicatione latæ ſententiæ Religioſis interdicitur in Clement. 5. De priuil. Religioſ. Cùm igitur, vt viſum fuit, poſſint Fratres Terræ ſanctæ exercere dictos actus Sacramentales, relinquitur probatum, ipſos eſſe quoad illorum adminiſtrationem priuilegiatos, vt tertio loco propoſuimus. Ex omnibus iam præmiſſis habemus comprobatum, qualiter Fratres Terræ ſanctæ ex proprijs & communibus priuilegijs aliorum Religioſorum, in quibus ipſi participant, miniſtrare poſſint omnia Sacramenta in partibus iſtis infidelium, & quomodo. Hæc pro præſenti Capite ſufficiant, alia dicentur inferiùs ad dictorum maiorem intelligentiam.

CAPVT XIX.

De quinque priuilegijs Fratrum Terræ ſanctæ, quæ in genere Sacramentalem confeßionem & abſolutionẽ reſpiciunt.

FRatres Terræ ſanctæ circa Sacramentalem confeſſionem & abſolutionem à diuerſis Summis Pontificibus quinque obtinuerunt ſingulariſſima priuilegia, quæ hîc ſubiunguntur.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

Minoritæ poſſunt etiam à reſeruatis Epiſcopo abſoluere.

Poſſunt excipere omnium confeſſiones, & ab omnibus, etiam ipſis Epiſcopis reſeruatis, abſolutionem impertiri. Ita illis conceſſerunt Clemens V. & Ioannes XXII. qui ſcribentes Fratribus habitantibus in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum & aliorum infidelium, &c. dicunt: *Sit vobis licitum omnium fidelium confeßiones audire, ac ipſis iniungere pœnitentias ſalutares, & excommunicatos à Canone, vel alio modo, iuxta formam Eccleſiæ abſoluere, dummodò iniuriam & damnum paßis ſatisfaciant competenter. Volumus etiam, & Apoſtolica auctoritate decernimus, vt illa quæ de Iure & obſeruata conſuetudine ad Epiſcopalem iuriſdictionem ſeu dignitatem dumtaxat pertinent, vobis, ſiue quibuſcumque Fratribus veſtris, ſeu cuiuſcumque alterius Ordinis ad terras non credentium tranſeuntibus, ſeu ibidem exiſtentibus, auctoritate Apoſtolica iam conceſſa, vel in poſterum concedenda; niſi in illis tantùm partibus, in quibus Catholici Epiſcopi non fuerint, nec vos, nec alij alterius Ordinis Fratres exercere curetis. Decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quocumq; ſcienter vel ignoranter fuerit attentatum. Datum Pictauis*, &c. Hæc dicti Pontifices.

Declaratio.

Magna & manifeſta admodum continentur in præmiſſa Bulla, ſed etiam admodum reſtricta & limitata ſunt, quippe quòd vti illis non poſſint Fratres, vbi ſunt Epiſcopi Catholici. Quod intelligo non ſimpliciter, ſed vbi reſident & Epiſcopale munus exercent, tunc enim illis deferendum eſt; ſecùs ſi tantùm aliquà per occaſionem & causâ itineris tranſirent.

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

Secundò, ſimilem præcedenti auctoritatem, ſed latiorem, & ſine aliqua reſtrictione, conceſſit eiſdem Fratribus Innocentius IV. dicens: *Sit vobis licitum omnium fidelium in locis prædictis confeßiones audire, ac ipſis iniungere pœnitentias ſalutares; & excommunicatos à Canone, vel alio modo, iuxta Eccleſiæ formam abſoluere, dummodò iniuriam & damna paßis ſatisfaciant competenter.* Ita Pontifex in Bulla 2.

Declaratio.

Pro declaratione huius priuilegij duo obſeruo. Alterum, virtute iſtius Fratres non habere auctoritatẽ ſuper caſus Epiſcopales. Ratio eſt, quia in generali conceſſione non veniunt quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus. c. In generali. De reg. Iur. & in c. Si Epiſcopus. De pœnitentijs & remiſs. in 6. vbi Ioannes Andreas dicit, quòd nec Epiſcopus committendo generaliter Vicario ſuo vices ſuas, intelligatur ei commiſiſſe auctoritatem quoad caſus reſeruatos, niſi id exprimat. Et hoc etiam tenet Hoſtienſis in tit. De pœnitentijs. §. Cùm confitendum. & eſt doctrina paſſim vulgata & communis.

Alterum notandum eſt, videre, quid ſit abſoluere excommunicatos iuxta formam Eccleſiæ, vt dictum eſt in iſto priuilegio, & communiter in ſimili dicitur in alijs Bullis. Reſpondetur, quòd dupliciter poſſit quis abſolui ab excommunicatione, vel in foro interiori, vel exteriori; quemadmodum dupliciter poteſt aliquis eſſe excommunicatus, interiùs tantùm, & exteriùs ſimul. Forma quæ in foro interiori adhibetur, eſt: *Ego abſoluo te ab omni vinculo excommunicationis.* Sed in altera, de qua ſingulariter verba priuilegij ſunt intelligenda, quatuor requirit. Primum, vt excommunicatus curet ſtare mandatis Eccleſiæ. c. Ex tenore. De ſenten. excom. & Doctores communiter: quod ſecundùm Hugonem intelligitur, quando quis eſt excommunicatus pro grauibus delictis, vt homicidio, &c. Secundum eſt, vt ſatisfaciat, ſi pro offenſa facta contra aliquem excommunicatus eſt, vt ſi

aliquis eſt excommunicatus propter manuum iniectionem in Religioſum, debet peculiariter ſatisfacere Monaſterio; ſi facta eſt Clerico, eidem dabitur pecunia, niſi in iniuriam Eccleſiæ percuſſus fuiſſet, quia tunc dabitur Eccleſiæ, quæ agere poteſt contra percuſſorem auctorem iniuriæ, Inſtit. De iniurijs. §. Quòd ſi vſumfructum. Excommunicatus autem propter damnum proximo illatum, non debet abſolui niſi primò ſatisfaciat, ſi poteſt; ſi nō poteſt, præſtabit cautionem de ſatisfaciendo cùm poterit. c. Ex parte. De verb. ſignifi. Et hoc eſt etiam ſatisfacere competenter, vt dicitur in priuilegio. Tertium requiſitum ad illam abſolutionem eſt, vt abſoluatur publicè per illum qui eum excommunicauit, vel per alium cui ille commiſerit, cum Pſalmo, Oratione, verberibus, &c. Hæc tamen non ſunt de ſubſtantia abſolutionis. Lege Emanuel Sà v. Abſolutio ab excom. n. 20. Nauarrum in com. c. 1. in princ. de Pœnit. diſt. 6. & in Manuali c. 25. num. 7. & alios Summiſtas. Quartum, vt excommunicato iniungantur mandata rationabilia, ſcilicet ne amplius committat id pro quo fuit excommunicatus & abſolutus.

Aduerte denique, excommunicatos ob hæreſim, ſi reconciliari voluerint, debere illam ſcripto abnegare, & Catholicam fidem confiteri, 1. q. 7. Conuenientibus. & c. A nobis. 2. De ſentent. excommunicat.

Privilegium tertium.

Tertiò, eamdem auctoritatem, ſed adhuc amplius dilatatam, ſpecialiter Obſeruantibus, qui inter infideles & fideles in Oriente & Septemtrione degunt, conceſſit Eugenius IV. vt poſſint videlicet *audire confeßiones quorumcumque, & pro commiſſis, etiam ſi talia forent, propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet meritò conſulenda, pœnitentiam ſalutarem iniungere, ac beneficium abſolutionis impendere; nec non à quibuſcumque ſententijs excommunicationis tam à Iure quàm ab homine latis, & alijs cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis quomodocumque incurrerint, illos abſoluere*. Ita Eugenius Papa in ſecunda Bulla. Sixtus V. in ſua Bulla ſic loquitur: *Et inſuper modernis & pro tempore exiſtentibus Guardianis Monaſteriorum, & Regularium domorum dicti Ordinis, & alijs Sacerdotibus ab eiſdem Guardianis approbatis, omnium & quorumcumque Chriſtianorum ad illas partes declinantium, ſeu ibidem commorantium, ac etiam captiuorum confeßiones audire, illosq; à quibuſcumque peccatis, criminibus, exceßibus & delictis, quantumcumque grauibus & enormibus, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ac etiam contentis in litteris die Cœnæ Domini legi ſolitis, nec non à quibuſuis excommunicationis, & ſuſpenſionis, alijsq; Eccleſiaſticis ſtatutis, cenſuris & pœnis, iniuncta illis ſalutari pœnitentia, in foro conſcientiæ abſoluere, ac ſuper quacumque irregularitate quomodolibet, præterquam ex homicidio voluntario, & bigamia contracta, cum perſonis etiam in Presbyteratus Ordine conſtitutis in eodem foro tantùm diſpenſare, ita vt Miſſas celebrare, & aliàs in diuinis miniſtrare valeant*. Hæc ipſe.

Declaratio.

Ad intellectum huius priuilegij & Bullarum Papalium quinque breuiter adnotanda ſunt. Primum. Cùm in priori Bulla dicitur, *Obſeruantes habitantes inter infideles & fideles poſſe*, &c. non ita eſſe intelligendum, quaſi vbique in terris fidelium Orientis & Septemtrionis poſſint abſoluere, &c. ſed eſſe reſtringendum ad ciuitates illas, quæ ſunt ſub dominio infidelium, vel in infidelium regionibus ædificatæ, quarumque incolæ pro maiori parte fideles exiſtunt, vt mihi benè aduertiſſe videtur Compilator priuilegiorum Terræ ſanctæ in ſuo manuſcripto libello.

Secundum notandum, poſſe eiuſmodi Fratres abſoluere ab omnibus etiam grauiſſimis caſibus, etiam Epiſcopo reſeruatis, vt tenet citatus Auctor: quia dicitur in Bulla, *etiam ſi talia*, &c. Et ſanè Sedes Apoſtolica non conſulitur niſi pro grauioribus cauſis. c. Maiores. De Baptiſmo. Quare ſi nec Papales caſus reſeruantur, multò minùs alij minores: quia cui conceditur quod eſt plus, conceditur etiam quod eſt minus. c. Cui conceditur. De reg. Iur. in 6. Idem ſequenti priuilegio à Sixto V. conceditur magis expreſsè, dum nec caſus Bullæ Cœnæ Domini vult eſſe reſeruatos Guardiano & alijs ab eodem approbatis.

Tertium notandum, dictos Fratres virtute huius priuilegij poſſe abſoluere non modò à peccatis, ſed etiam à cenſuris & pœnis. Cenſuræ ſunt tres, excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum. c. Quærenti. De verbor. ſignific. Pœnæ ſunt in triplici genere, quædam ſpirituales, vt infamiæ. c. Si Epiſcopus. 50. diſt. quædam corporales, vt verberationis. c. Circumcelliones. 23. quæſtion. 1. &c. quædam ſunt pecuniariæ, vt cùm quis pro furto vel rapina condemnatur ad pecuniam ſoluendam.

Notandum quartò, in priori Bulla Eugenij abſolutam concedi facultatem abſoluendi; in poſteriori verò Sixti non niſi in foro conſcientiæ, &c. Vtantur ergo Fratres quacumque voluerint facultate.

Notandum denique, virtute Bullæ Sixtinæ,

tinæ, posse Guardianum concedere dictam facultatem non solùm sui Ordinis Fratribus in partibus istis, sed etiam quibuscumq; alijs Sacerdotibus Regularibus vel sæcularibus: quoniam concessio absoluta est, & fauores sunt ampliandi. quare si illa negetur, vel non concedatur à Guardiano, non poterunt illa vti Sacerdotes. Lege infrà quintum priuilegium.

PRIVILEGIVM QVARTVM.

Quartò, eamdem gratiam, sed adhuc magis ampliatam & explicatam, Guardiano Montis Sion & alijs Fratribus de Obseruantia, in partibus Ierosolymitanis & in tota Asia commorantibus, concessit Callistus III. Bulla 1. hisce verbis: *Tibi Guardiane, fili dilecte, & successoribus tuis pro tempore existentibus, ac in tua & illorum absentia gerenti vices Guardiani huiusmodi, nec non illi vel illis dicti Ordinis Fratribus; cui seu quibus tu vel successores prædicti, id in partibus illis dumtaxat specialiter duxeris seu duxerint committendum, vt quoscumque dicti Ordinis Fratres, nec non fideles in partibus illis pro tempore commorantes, seu per illas transeuntes, & vos ipsos, ac illi seipsos, etiam inuicem, à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti sententijs, ac Simoniæ, apostasiæ, & alijs etiam maioribus criminibus, excessibus & delictis, præterquam falsificationis litterarum Apostolicarum, in quibuscumque casibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, totiès quoties opus fuerit absoluere, & absolutis pœnitentiam salutarem iniungere vt possitis, concedimus,* &c.

Declaratio.

Pro intellectu huius priuilegij vnum aduerte, non solùm Guardianum eo vti posse, sed etiam Vicarium in absentia Guardiani, quia dicitur, *gerenti vices Guardiani*. Et ampliùs hanc facultatem potest Guardianus alteri eiusdem Ordinis Religioso committere, quia id dicitur in Bulla. Et virtute huius Bullæ non potest hæc gratia alteri à dictis committi, sed benè virtute præcedentis Sixti V. & sequentis eiusdem Callisti, pro qua fit sequens priuilegium.

PRIVILEGIVM QVINTVM.

Præmissam facultatem potest Guardianus alijs à Fratribus suis committere.

Quintò, facultas absoluendi iam assignata, potest à Guardiano in Terra sancta committi alteri Sacerdoti à suis Fratribus, Regulari vel sæculari. Ita in Bulla 4. concessit idem Callistus, dicens: *Quia dicitis aliquando contingere, quòd multitudini peregrinorum ad Terram sanctam venientium vos in audiendis confessionibus sufficere nequeatis, tibi Guardiano, & qui pro tempore fiunt, concedendi Sacerdotibus Catholicis, siue Religiosis cum peregrinis existentibus, vt ipsi confessiones ipsas, sicut vos audire, & confessiones per Summos Pontifices vobis factas, habere possint, concedendi indulgemus.*

Declaratio.

Ad intellectum huius priuilegij duo obserua. Alterum, Guardianum sacri Montis Sion, habere auctoritatem delegatam à Papa, & verè esse eius Delegatum, & consequenter causam sibi à Papa commissam in parte & in toto alteri subdelegare posse, vt patet in c. Quamuis. De offic. Delegat. Quando tamen eligitur industria persona alicuius, vt cùm Papa committit alicui inquisitionem, vel prouisionem Ecclesiarum de personis idoneis, vel committit alicui prædicare crucem, excommunicare, absoluere, dispensare cum irregularibus, iniungere pœnitentias, &c. tunc talis non potest alterum subdelegare, nisi id Papa specialiter exprimat, sicut facit hîc; quia committit Guardiano, quòd suam auctoritatem alteri committere possit. Et aduerte, posse Guardianum cuilibet Sacerdoti committere, siue approbato ab Ordinario vel Superiori, siue non, quia aliter non esset sufficienter prouisum necessitati peregrinorum Terræ sanctæ, pro quibus facta fuit postulatio; si multitudine illorum existente, non esset Sacerdos ab Ordinario vel Superiore approbatus pro confessionibus audiendis, quod clarè posteà concessit Sixtus V. vt suprà in Priuilegio 111. visum fuit. Et præterea priuilegium Principis est, ac proinde latissimè interpretandum, secundùm Iura.

Guardianus sacri Montis Sion est Papa Delegatus.

Ad hæc, habet etiam Guardianus ab Ordinis Generali, quia Commissarius & velut Minister est, ex superiùs dictis, plenitudinem potestatis, quare huius virtute singulariter poterit potestatem suam Minoribus apud eum manentibus, vel ad eum confluentibus delegare.

Si dicatur, Delegatus non potest delegare, secundùm Iura. Respondeo, id esse intelligendum de Delegato non Pontificis, neque habente plenitudinem potestatis, secùs de illo qui sit huiusmodi. Delegatus namque Pontificis potest delegare, vt antè dictum fuit. Alius etiam ab inferiori Pontifice Delegatus cum plenitudine potestatis, & ad vniuersitatem causarum, vel cum speciali mandato, secundùm Ioannem Andream per c. Is cui. De offic. Deleg. in 6. & refert Collector Priuilegiorum v. Absolutio. Dub. 3. Guardianus verò noster est Pontificis Delegatus & Ordinis, cum plenitudine potestatis, quare poterit alios delegare secundùm exigentiam, & expressam absolutamque facultatem.

Delegatus qui potest, & non potest delegare.

Alterum notandum eſt, quod poſteriùs poſitum in iſto priuilegio, de facultate committendi huiuſmodi auctoritatem alteri præterquam Minori, cùm temporis neceſſitas id expoposcerit, quando videlicet Fratres non ſufficiunt audire confeſſiones: cùm generaliter conceſſum fuerit, non attenta multitudine illa peregrinorum, vel intentione poſtulantis, quòd Guardianus illam facultatem impertiri alijs Sacerdotibus poſſit, etiam neceſſitate illa non exiſtente, tum propter poſteriùs dicta in priori Notabili, tum quia in priuilegijs non requiritur cauſa, vt dictum fuit Cap. 1. huius Libri Notab. 111. tum denique, quia gratia non perit, pereunte, vel alia falſa exiſtente cauſa ob quam fuit conceſſa. Emanuel Sà in Aphoriſmis Confeſſariorum v. Gratia num 6. & alij.

Notandum priuilegium conceſſum Patribus Societatis & Minoribus.

Vtile futurum arbitror, ſi hîc ſubijcero priuilegium conceſſum à Gregorio XIII. Confeſſarijs ac Concionatoribus Societatis Ieſu, quo poterunt vti alij Religioſi Ordinum Mendicantium, habentium priuilegium communicationis cum illis. Concedit itaque hic Pontifex, quòd ab aliquo Ordinario ſemel approbati, & à ſuis Superioribus ad huiuſmodi munera deputati, ſiue in mari ſiue in terra iter faciendo, poſſint, non repugnantibus tamen Curatis Parochialium Eccleſiarum, verbum Dei prædicare, & quorumcumque Chriſti fidelium confeſſiones audire, dummodò id non faciant in oppidis & locis, in quibus Ordinarij exiſtunt, ſine eorum licentia deſuper obtenta. Habetur in Compendio Societatis Ieſu, tit. Confeſſarius, §. 2. & refert Ludouicus Miranda Tomo 1. Manualis Prælat. quæſt. 45. art. 8. de qua conceſſione videatur Suarez Tom. 4. ad 3. part. D. Thomæ, diſp. 28. ſect. 7. & Henriquez lib. 3. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 6. num. 8. Quo in priuilegio cùm participent Fratres Minores, vti eo poterunt, præſertim quando ad Terram ſanctam proficiſcuntur, ſi tamen fuerint aliquando ab aliquo Ordinario & ſuis Superioribus approbati, & ad ea munera ritè admiſſi. P. Hieronymus à Sorbo in Annotationibus ad Compendium priuilegiorum, v. Abſolutio quoad ſæculares 2. agens de priuilegijs Patrum Societatis Ieſu, facta mentione eius quod nunc adduximus, addit ex Guttierrez in Quæſt. Canon. c. 27. num. 21. §. 3. idem priuilegium fuiſſe anteà conceſſum omnibus Fratribus Minoribus ab Eugenio IV. Addo & Sixtum IV. viuæ vocis oraculo conceſſiſſe Confeſſoribus Minorum, dum ſunt in itinere, & requiruntur, vt poſſint audire Confeſſiones ſicut Parochiani, etſi non fuerint præſentati ſecundùm formam Clementinæ. Ita legitur in Monumentis Ordinis Minor. Tract. 1. in Conceſſionibus viuæ vocis oraculo, n. 113. De præſentatione ſecundùm formam Clementinæ agunt Collector priuilegiorum Mendicantium v. Præſentatio Confeſſariorum, & Miranda vbi ſuprà art. 5. & alij.

CAPVT XX.

De ſpeciali facultate conceſſa Fratribus Terræ ſanctæ abſoluendi à particularibus exceſſibus.

QVamuis ex dictis ſuperiori Capite conſtet de generali facultate conceſſa Fratribus Terræ ſanctæ, abſoluendi omnes ad ſe venientes à quibuſcumque peccatis, pœnis & cenſuris; vt tamen ampliùs intelligatur eorumdem Fratrum auctoritas, & pij Summorum Pontificum erga eos affectus, placuit nonnulla alia priuilegia, quæ ad ſpeciales quoſdam caſus ſe extendunt, hîc ſubſcribere.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

In primis Fratres Terræ ſanctæ poſſunt abſoluere ab infidelitate, vna dumtaxat vice: vt ſi quis fidem negauerit, & ad illam redire voluerit, illum ſemel à ſcelere abſoluere, & S. Eccleſiæ reconciliare valeant. Ita conceſſit Gregorius XI. in Bulla 3. Eius verba non ſubſcribo, tum quia pluſcula, tum quia alij Pontifices eâ ampliorem conceſſerunt auctoritatem, vt ſuperiori Capite viſum fuit, & adhuc in iſtomet videbimus.

Minores poſſunt ſemel ab infidelitate abſoluere.

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

Secundò poſſunt ijdem Fratres abſoluere à tribus grauiſſimis exceſſibus ſpecialiter, apoſtaſia nimirum, hæreſi & ſchiſmate, & hoc auctoritate Gregorij IX. qui concedit, *quòd Fratres Minores inter Saracenos & Paganos habitantes poſſint Apoſtolica auctoritate eos, qui per apoſtaſiam, ſchiſma, vel hæreſim à Chriſtiani confeſſione nominis recedentes inter Saracenos habitant, abſoluere, ac reconciliare per gratiam pœnitentiæ ſalutaris, ſi ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ in humilitatis ſpiritu duxerint redeundum.* Ita Pontifex Bulla 2.

Poſſunt à tribus grauiſſimis exceſſibus abſoluere, apoſtaſia, hæreſi & ſchiſmate.

Declaratio.

Aduertendum, Eos qui poſt excommunicationem ob hæreſim, ſchiſma & apoſtaſiam, & ab Eccleſia Romana ſeparationem, ad eiuſdem Eccleſiæ vnitatem redire volunt, debere, ſi à fide receſſerunt, omnem abiurare infidelitatem & hæreſim, & iurare firmiter amplexuros ſe fidem Catholicam.

c. Quo-

c. Quotiens. 1. q. 7. & De conſec. diſt. 2. c. Ego Berengarius. Et qui hoc faciunt, abſoluendi ſunt. Conſule pro intellectu & vſu huius priuilegij quæ ſuperiùs Capite præcedenti in declaratione ſecundi priuilegij diximus.

PRIVILEGIVM TERTIVM.

Poſſunt generaliter ab omni excõmunicatione abſoluere redeuntes ad S. Eccleſiæ vnitatem.

Tertiò, poſſunt Fratres generaliter abſoluere ab omni excõmunicatione eos qui redeunt ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ. Ita illis conceſſerunt tres Summi Pontifices, Clemens V. Innocentius IV. & Ioannes XXII. qui in ſuis priuilegijs dicunt: *Liceat etiam vobis redeuntibus ibidem ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ, qui ſunt excommunicatione ligati, abſolutionis beneficium iuxta formam Eccleſiæ impertiri, & ſuper eos diſpenſare cum ipſis qui ſacros Ordines receperunt, & diuina celebrarunt officia, ſic ligati.* Hæc illi.

Declaratio.

Pro intellectu huius priuilegij ſufficere quidem ea videbantur quæ in præcedentibus diximus, ſed enim ad maiorem eiuſdem & præcedentium explicationem, & tutiorem eorumdem vſum, tres propono & explico difficultates. Prima eſt, num auctoritas per illa priuilegia Fratribus conceſſa, ſe extendat ad omnes infideles redeuntes ad vnitatem fidei, etiam ad relapſos. Altera, num vniformiter cum omnibus illa vti debeant Fratres. Tertiam poſt harum ſolutionem ſubijciam.

Pro harum difficultatum explicatione vnum Notandum præmitto, & duas pono Concluſiones. Notandum hoc eſt, hæreticos eſſe duplices, alios qui in hæreſim relapſi fuerunt, alios qui non. Illi dicuntur relapſi in Iure Canonico, qui poſtquam hæreſim publicè coram Iudice abiurarunt, id eſt, iureiurando damnarunt & execrati ſunt, ad eam iterùm ſe contulerunt. Ita Archidiaconus, Ioannes Andreas, Geminianus, & alij in c. Accuſatus. De hæreticis. in 6. Vnde etiamſi quis millies in hæreſim, à qua per veram cordis pœnitentiam receſſit, relabatur, non habetur relapſus in Iure, niſi hæreſim coram Iudice abiurauerit.

Etiam ad hæreticos relapſos ſe extendit Minorum auctoritas.

PRIMA CONCLVSIO. Auctoritas Fratrum Terræ ſanctæ ſe extendit ad omnes infideles & hæreticos, etiam relapſos, ſi reſipiſcant & redeant. Probatur, tum quia priuilegia ſunt abſoluta, & non limitata, vt patet illa conſideranti; tum quia vſus Eccleſiæ, & diuina prouidentia id perſuadet. Eccleſia enim benignè recipit omnes à vitijs commiſſis reſipiſcentes, & ad Sacramentum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ eoſdem admittit, vt habetur expreſsè in c. Super eo. De hæreticis. in 6. & L. vltima C. De ſumma Trinitate. vbi in reſiduo Epiſtolæ Ioannis Papæ ad Iuſtinianum Imperatorem hàbentur hæc verba: *Sed quia gremium ſuum redeuntibus numquam claudit Eccleſia,* &c. Dominus Deus benignus eſt, & præſtabilis ſuper malitia, nec vult peccatorem aliquem perire, quin potiùs mauult eum conuerti & viuere, paratuſque eſt toties eum in gratiam accipere, quoties de commiſſis ingemuerit; eique ignoſci vult non ſolùm ſepties, ſed ſeptuagieſsepties, vt Scriptura diuina manifeſtè indicat. Illi igitur obtemperandum eſt, & ad viam ſalutis redeuntibus etiam media ad ſalutem neceſſaria, ſancta videlicet Sacramenta, impertienda ſunt.

Differenter procedendũ cum relapſis & non relapſis.

SECVNDA CONCLVSIO. Etſi omnes ad Eccleſiæ vnitatem benignè recipi debeant, grauiùs tamen agendum cum relapſis, aſperiori videlicet obiurgatione, & grauiori pœnitentia; non tamen grauiſſima, vt bonorum temporalium, aut ipſiuſmet vitæ ablatione. Tres partes habet iſthæc Concluſio, vt conſtat. Prima pars patet ex præcedenti Concluſione. Secunda probatur, quia ſecundùm menſuram delicti debet eſſe & plagarum modus, vt dicitur Deuteronomij 25, 2. ſed grauiùs deliquerunt relapſi, igitur grauiùs ſunt puniendi. Tertia pars probatur, quia peiores illi euaderent, ſi grauiori pœna multarentur, vt in ære, vel corpore, & capite præſertim; & præterea id exequendi in partibus iſtis facultas non eſt. Et facultas conceſſa ad ædificationem potiùs vergeret ad deſtructionem.

Si dicatur, id aduerſari diſpoſitioni Eccleſiæ, quæ præcipit hæreticos relapſos recipi quidem debere ad Sacramenta, vt dictum eſt, non tamen permittendos eſſe viuere, ſed ſine vlla ſpe veniæ & miſerationis tradendos poteſtati ſæculari, vt digna morte puniantur. Ita habetur in ſuprà notato cap. Super eo. & c. Ad abolendam. Extra. De hæreticis. Et ratio eſt, quia Eccleſia non poteſt ſperare, quòd tales ſint futuri conſtantes in fide, & ideò iudicat expedire vt tollantur de medio, ne alijs noceant. Et hæc eſt communis ſententia Theologorum, & praxis Eccleſiæ Catholicæ.

Aliter tractandi hæretici in partibus infidelium quàm fidelium.

Reſpondetur, aliter procedendum eſſe in Chriſtianitate cum hæreticis, & aliter in partibus iſtis infidelium. In Chriſtianitate conuenit relapſos recipi quidem ad Sacramenta Eccleſiaſtica, & communionem Eccleſiæ, ſed poſteà puniri in bonis temporalibus, imò in ipſo capite; quia maior eſt poteſtas & numerus Chriſtianorum & fidelium, quàm infidelium, & auxilio brachij ſæcularis Eccleſia dicto modo illos relapſos punire poteſt & debet; & de huiuſmodi in-

telligendi sunt Canones & Doctores, & contra eiusmodi in Christianitate valet illa praxis Ecclesiæ. Sed non eodem modo procedendum est cum hæreticis relapsis in partibus istis infidelium, vbi scopus Legum non posset attingi propter paucitatem Christianorum, & defectum auxilij brachij sæcularis: neque enim infideles fidelibus contra infideles opera ferrent; & si quis fortè id tentaret, peius procul dubio faceret, essetq; in causa, vt hæretici tandem apostatæ euaderent. Et ex simili confirmatur responsio. In primitiua Ecclesia Prælati non recurrebant ad brachium sæculare ob puniendos hæreticos relapsos; hinc Paulus 1. Tit. 3, 5. dixit: *Hæreticum hominem post vnam & secundam admonitionem deuita; sciens quia subuersus est. Deuita* dixit, non *occide*, vel *trade brachio sæculari*; quia nouerat, infideles non fuisse punituros eos qui contra Ius Ecclesiasticum peccauerint, nec Prælatis illorum opem postulantibus eam allaturos; cùm ex altera parte fidelium terrena potestas non sufficeret. Tunc itaque, quando Ecclesia paruula erat & debilis, & multa infidelium potestas, & copiosus numerus, & propter scandala quæ oriri potuissent ex illa temporali punitione, eam omisit: posteà verò, multiplicato fidelium numero, simulque vnitis Ecclesiasticis & sæcularibus Principibus, potens facta fuit Ecclesia, & paulatim punire cœpit hæreticos exilio & mutilatione, vt patet L. Ariani. De hæreticis. mulcta item pecuniaria, ex L. Cuncti hæretici. ibidem. & amissione bonorum omnium, L. Manichæi. Donec tandem propter ipsorum insolentiam, & pœnarum istarum contemptum, peruentum est ad pœnam capitis, quam Valentinianus & Marcianus decreuerunt, L. Quicumque. C. eod. Lege Augustinum Epist. 50. ad Bonifacium paulò ante medium, & hanc inuenies doctrinam. Modò in partibus istis Orientalibus parua admodum est Ecclesia, & omnino similis primitiuæ; quare etiam simili modo, ac tunc, cum hæreticis istis agendum est Prælatis. Et hæc pro prima & secunda difficultate.

Tertia, quam suprà innuebamus, difficultas est, quomodo se habere debeant Fratres cum Græcis, Armenis, & huiusmodi, qui quamuis ore & buccis Catholicam fidem concrepent, plerumque tamen schismatici sunt & hæretici, & sub regimine Episcoporum & Patriarcharum schismaticorum & hæreticorum degunt; quomodo, inquam, se gerere debent Fratres cum huiusmodi, quando ad ipsos accedunt vt sua confiteantur peccata, & à censuris Ecclesiasticis, quibus innodati sunt, absoluantur. Num illorum audient confessiones, & absolutionem eis impertientur, an potiùs illos repellent?

Ratio huius difficultatis est, quoniam cùm in partibus istis infidelium existerem, & in regione Græcorum sub regimine spirituali & temporali Catholicorum Principum, aduerti, quosdam Græcos Papates & Monachos, & alios eiusdem gentis viros & mulieres ad nostros accessisse Catholicos, sua confitentes peccata, vt absolutionis beneficium consequerentur. Adhuc aduerti, Episcopos Græcos schismaticos nostrorum operâ ad Summum Pontificem scripsisse, & errores, quibus pro communi vitio detinebantur & implicabantur, abiurantes, & Romano-Catholicam fidem & Ecclesiam confitentes. Dubium hinc exortum fuit, num huiusmodi istorum confessio & abiuratio illis prosit ad salutem, & inculpatè absolutio Sacramentalis illis impertiri possit.

Duplici Conclusione propositæ difficultati respondendum arbitror. PRIMA CONCLVSIO. Græci, &c. ad Sacramentalem confessionem admittendi sunt, si hæc quæ sequuntur præstiterint. In primis tam Prælati quàm subditi, omnes detestentur errores quibus implicati creduntur, & quos damnat Ecclesia Catholica, & habitualiter actuque interiori assensum exhibeant omnibus ad credendum ab Ecclesia propositis, & insuper in casu, & cùm necessitas exposcit, illa exteriùs & ore confiteantur. Prima pars huius Conclusionis probatur, quia fides est spiritualis ædificij fundamentum, ac ideò *sperandarum substantia rerum*, ab Apostolo Hebr. 11, 1. est appellata, vtpote *sine* qua *impossibile sit placere Deo*, vt ibidem v. 6. dicitur: *corde* enim *creditur ad iustitiam*, secundum eumdem Apostolum Roman. 10, 10. Secunda pars Conclusionis, quòd etiam ore in casu, etsi non semper, illa confiteri teneantur, inde ostenditur, quòd externa fidei confessio sit necessaria ad salutem necessitate præcepti affirmatiui, quo iubemur profiteri fidem Christi suo tempore. Ita S. Thomas 2. 2. quæst. 3. art. 2. Et colligitur ex illo Rom. 10, 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Quæ verba explicans D. Augustinus in lib. de Fide & Symbolo c. 1. ait: *Fides officium à nobis exigit & cordis & linguæ.* Et quia præceptum affirmatiuum est, non obligat pro omni tempore, sed in casu tantùm, quando nimirum fidei confessio necessaria est vel ad honorem Dei, vel ad vtilitatem proximi. Tunc verò non obligat, quando ex confessione fidei nulla exspecta-

Qui agere debeant reconciliandi S. Ecclesiæ.

Digitized by Google

ſpectatur vtilitas, ſed tantùm turbatio infidelium! tunc enim licet occultare fidem, vt notat D. Thomas vbi ſuprà ad 3. Et hoc ſenſu interpretatur illud Matth. 7, 6. *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.*

Profeſſio fidei faciendæ à Græcis in reconciliatione cum Eccleſia Catholica.

SECVNDA CONCLVSIO. Prælati Græcorum, Armenorum, &c. curam animarum habentes, ſi Eccleſiæ reconciliari velint, & in confeſſione abſolutionis beneficium recipere, debent promittere, velle ſe inſtruere ſubditos ſuos in fide Catholica, tradendo illis ſolidum doctrinæ & Sacramentorum pabulum. Probatur, quia id eſt intrinſecum & eſſentiale illorum officio, prædicare inquam Euangelium & verbum veritatis ſibi ſubiectis. Etenim vt ad Titum cap. 1, 9. ſcripſit S. Paulus, *Oportet* Epiſcopum & Paſtorem animarum eſſe *amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem: vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & ſeductores; maximè qui de circumciſione ſunt, quos oportet redargui: qui vniuerſas domos ſubuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.* & cap. 2, 1. *Tu autem loquere quæ decent ſanam doctrinam.* Ad hoc ſpectant, inter alia, quæ habentur Ezechielis 3, 18. 20. 33, 6. 8. & 34, 10. item Matthæi 5, 14. 15. Et confirmatur ex forma Profeſſionis Orthodoxæ fidei faciendæ à Græcis, edita iuſſu Gregorij XIII. in cuius fine hæc habentur: *Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inuiolatam, vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè, Deo adiuuante, retinere & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.* Quare non capio, quomodo ad Eccleſiæ vnionem admitti poſſint, qui ſubditos docent & iubent ab illius vnitate ſe ſubtrahere, & in damnatis erroribus eoſdem educant, vel illos quos habent omnino reſiquendos non eſſe admonent; & conſequenter quomodo poſſint abſolui à peccatis, à quibus deſiſtere ijs non eſt animus. Et hæc valdè notanda arbitror.

PRIVILEGIVM QVARTVM.

Poſſunt Minoritæ Terræ ſanctæ abſoluere ad eamdem venientes ſine licentia Papæ.

Quartò poſſunt Fratres Terræ ſanctæ ſpecialiter abſoluere eos qui veniunt ad Terram ſanctam ſine licentia Papæ. Ad id habent plurium Pontificum auctoritatem, primò quoad Fratres, ſecundò quoad centum perſonas, tertiò quoad Mercatores, & quartò denique quoad Hiſpanos.

Primò quoad Fratres, ex Martino V. qui in Bulla 8. concedit Fratribus, quòd poſſint abſoluere Fratres ad Terram ſanctam ſine licentia Papæ venientes, dummodò habuerint licentiam ſuorum Superiorum, nec venerint in contemptum Sedis Apoſtolicæ, nec aliqua ſecum portauerint, quæ in profectum vel vtilitatem hoſtium fidei Catholicæ redundare valeant. Hæc in ſubſtantia ibi. Verùm ex præcedentibus conſtat poſſe huiuſmodi Fratres abſolui, non obſeruatis conditionibus in nunc adductis Pontificis verbis.

Secundò idem Martinus in Bulla 5. conceſſit facultatem abſoluendi annis ſingulis centum perſonas, quæ abſque licentia Papæ ad Terram ſanctam peregrinantur vel zelo deuotionis, vel ſoluendi voti cauſa, ab excommunicatione, & alijs cenſuris, dummodò non venerint in contemptum Sedis Apoſtolicæ, nec detulerint aliqua eorum, vt in alio priuilegio.

Tertiò idem Martinus in eadem Bulla concedit Fratribus Terræ ſanctæ, quòd Mercatores & Chriſticolæ, qui pro mercimonijs exercendis in terris infidelium, & inter ſchiſmaticos, vnà cum vxoribus, liberis & famulis moram trahunt, abſoluere poſſint ab excommunicatione & peccatis, ſi deuotionis cauſa loca ſancta viſitauerint.

Quartò tandem idem Pontifex ad inſtantiam Alfonſi tituli S. Euſtachij Diaconi Cardinalis, in Bulla 7. concedit Guardiano, vt poſſit aliquos ex Fratribus idoneos Confeſſores deputare, qui tam mares quàm feminas ex Hiſpania venientes abſoluere poſſint ab excommunicatione & alijs cenſuris & pœnis, quas propter non petitam licentiam à Papa incurriſſent, & vt eis Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare valeant.

Declaratio.

Pluribus immorandum non eſt in huius priuilegij explicatione, quia ex dictis in præcedentibus apparet, Fratres abſolutam habere auctoritatem abſoluendi non ſolùm venientes ad Terram ſanctã ſine Pontificis licentia, ſed etiam grauioribus criminibus irretitos; verùm ad eius clariorem intellectum duo breuiter adnotabo, & dubium diſſoluam.

Sunt excommunicati venientes ad Terram ſanctam ſine Papæ licentia.

Primum Notandum eſt, omnes quicumque ad Terram ſanctam proficiſcuntur ſine licentia Papæ, etiam cauſa deuotionis, eſſe excommunicatos, nec poſſe abſolui niſi à Papa, vel Summo Pœnitentiario, vt habetur in libro Summi Pœnitentiarij, & refert Collector priuilegiorum Terræ ſanctæ. Tradit item D. Antoninus 3. part. tit. 24. c. 30.

Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 110. Toletus lib. 1. cap. 42. ad finem. & ipsa priuilegia id ipsum præ se ferunt.

Secundum Notandum est, præcedenti, & alijs præsenti Capite adductis priuilegijs gaudere etiam alios Religiosos quàm Fratres Terræ sanctæ. Etenim Religiosi in terris infidelium à Sede Apostolica remotissimis, possunt omnes fideles absoluere etiam à reseruatis in Bulla Cœnæ. Ita concessit Religiosis Societatis Paulus III. Bulla 8. & Adrianus VI. Bulla 1. iam concesserat ad instantiam Caroli V. Imperatoris, quòd Prouinciales Indiarum, & Fratres quibus ipsi commiserint, possent omnes Indos, & omnes Christicolas absolu[illegible] in vtroque foro, Papæ auctoritate, quantum iudicauerint expedire ad conuersionem Indorum, & profectum illorum ac aliorum Præfectorum in fide Catholica, & obedientia Romanæ Ecclesiæ viuentium. Et hæc eadem priuilegia habere alios Religiosos in terris fidelium habitantes, circa absolutionem à peccatis & censuris, tradit Rodericus Tomo 1. Quæst. Reg. q. 61.

Alij Religiosi eisdem gaudent priuilegijs.

Dubium nunc exoritur, num Guardianus sacri Montis Sion possit dare licentiam Mercatoribus, vel alijs citra vel vltra mare habitantibus, visitandi Terram sanctam, adeò vt excommunicationem non incurrant. Et videtur quòd sic, quia potest absoluere à quibusuis peccatis & pœnis, & singulariter ab excommunicatione contracta propter aditionem locorum sanctorum absque Summi Pontificis licentia.

Respondetur, non posse virtute alicuius Priuilegij in Bulla aliqua contenti. Et ad probationem argumenti negatur consequentia. Non enim sequitur, Confessor potest absoluere à fornicatione, ergo potest dare licentiam fornicandi. Et Papa potest ab omnibus peccatis absoluere, & tamen non potest dare licentiam committendi vel vnum mortale, quia faceret contra Ius diuinum, in quod non habet potestatem. Eodem modo nec Guardianus Montis Sion licentiam cuipiam concedere potest adeundi sacra Palæstinæ loca, insalutatâ Sede Apostolicâ.

Nihilominùs alio ex capite consultum est Mercatorum deuotioni, tum ex facultate particulari Guardiano Ierosolymitano concessa à Clemente VII. concedendi inquam eisdem facultatem peregrinandi Ierosolymam, de qua suprà in Bullis Pontificum, tum ex facultate Pontificia ipsismet Christianis in his partibus commorantibus concessa, de qua infrà Cap. xxix.

Aduerte, priuilegia absoluendi ab omnibus reseruatis non tolluntur, cùm Romæ publicatur Bulla Cœnæ Domini, vt docet Rodericus Tomo 1. quæst. 20. artic. 9.

CAPVT XXI.

Quomodo Fratres Terræ sanctæ possint sæculares inordinatè viuentes in partibus istis infidelium ferire censuris Ecclesiasticis.

VIdimus iam, Fratres Terræ sanctæ priuilegiatos esse quantum ad absolutionem à peccatis & censuris, reliquum est, vt ostendamus, quomodo censuris pœnisque Ecclesiasticis ferire & compellere possint in partibus istis infidelium sæculares personas inordinatè viuentes, ad quod habent sequens priuilegium.

PRIVILEGIVM VNICVM.

Minorita possunt sæculares in partibus fidelium inordinatè viuentes censuris punire Ecclesiasticis.

Fratres Terræ sanctæ compellere possunt sæculares in partibus illis inordinatè viuentes censuris Ecclesiasticis. Ita illis concesserunt tres Summi Pontifices, Clemens V. Innocentius IV. & Ioannes XXII. hisce verbis: *Nec non concedimus, quòd inordinatè viuentes, de suis excessibus, sicut iustum fuerit, satisfactionem exhibeant, compellendi per censuram Ecclesiasticam, vobis libera sit potestas.*

Declaratio.

Pro intellectu & vsu huius priuilegij tria prænotanda sunt. Primum est, hanc compulsiuam auctoritatem in sæculares exercendam, valere respectu causarum spiritualium, vt matrimonij, &c. vt constat ex c. Nouit. De iudicijs. & non causarum sæcularium, quarum iudices debent esse sæculares. c. Cùm ad ver. 96. dist. c. Si quis Clericus. & seq. & c. Ex tenore. De foro compet. & c. Causam. 2. Qui filij sint legitimi. & Papa pro illis causis potuit tribuere auctoritatem. Ex hoc alterum sequitur, quòd cùm hæc auctoritas iudicialis sit, ea non cuilibet conueniat, sed in officio Curati & Præsulis constituto; qui & ideò, vtpote iudex procedet secundùm allegata & probata, secundùm terminos Iuris.

Summiter procedendū cum delinquentibus in terris infidelium.

Sed sit & tertium, & mea quidem sententia maximè obseruandum. Cùm facultas hæc non ad destructionem, sed ad ædificationem tradita sit, ad eum etiam finem ea vti debent Fratres in delinquentes: quem assequentur, si in illos non vt rigidi iudices, sed vt benigni patres se gesserint, magna cum dexteritate & charitate; alioquin eos non solùm difficulter conuertent, sed peruertent magis, & in malo obfirmabunt: in his enim infidelium terris, ob defectum auxilij

Digitized by Google

xilij brachij ſæcularis, ad bonum compelli non poſſunt vt in terris fidelium. Vt ſi v. g. ſint aliqui concubinarij, vel non confitentes aut cõmunicantes tempore ab Eccleſia ſtatuto; in hos ſimileſve delinquentes ſi ſtatim agatur per cenſuras Eccleſiaſticas, excommunicationem, & interdictum, fieri facillimè poterit, vt prorſus præſcindantur, & cum magno fidei & nominis Chriſtiani dedecore ex ſimplicibus peccatoribus fiant manifeſti infideles & obdurati, Deum eiuſque miniſtros contemnentes: fietque tandem, vt contra illos ampliùs procedi non poſſit, nec virtutis blanditijs, nec formidine pœnæ; omniſque præcludatur aditus illos ad ſalutis ſemitam adducendi. Quare ſecundùm meam ſententiam, quam ſemper ſapientiori iudicio ſubmitto, vt maius malum euitetur, non niſi rariſſimè agant Præſules per cenſuras Eccleſiaſticas in partibus iſtis contra eiuſmodi peccatores; frequentiùs pijs exhortationibus, & ſalutaribus monitis, prout ſupereminens charitas docebit. Et ſi expedire videbitur, adhibeant ſecum vnum vel duos fideles amicos, ſecundùm Domini præceptum de fraterna correptione, & cum Dei auxilio aberrantem ouiculam in ſalutis ſemitam reſtituent. Et hæc ſententia confirmari poteſt ex ſimili obſeruatione, facta Capite præcedenti in ſolutione ſecundæ difficultatis poſitæ pro tertij priuilegij explicatione.

Sed facile contra allatam doctrinam & ſententiam quis obijciet celebrem illam receptamque D. Gregorij ſententiam Homil. 7. in Ezechielem: *Si de veritate ſcandalum ſumitur, vtiliùs permittitur naſci ſcandalum, quàm veritas relinquatur.* Et hæc refertur in Regulis Iuris, in 6. eidem ſubſcribunt Theologi, & Doctores Caſuum conſcientiæ, quando de ſcandalo agunt. Eamdem tutatus eſt Angelicus Doctor in 2.2. q. 43. art. 7. ad 2. in 3. p. q. 42. art. 2. ad 1. in 4. d. 21. q. 3. art. 3. ad 4. & d. 38. q. 2. art. 4. q. 1. exponens enim quænam ſit veritas, quæ ob ſcandalum, paſſiuum videlicet, omitti non debeat, ſequentia ad intentum ſcribit. *Quicumque veritatem relinquit, peccat. Veritas autem de qua loquimur, conſiſtit in hoc, quòd homo in dictis & factis ſuis rectitudini diuinæ, ſiue diuinæ legis regulæ ſe conformet, cui quidem homo conformari debet, & in his quæ ad cognitionem pertinent, & hoc pertinet ad veritatem doctrinæ; & in his quæ ad actionem ſpectant: ſiue ea debeat aliquis per ſe ipſum agere, quod pertinet ad veritatem vitæ; ſiue ea debeat ab alijs obſeruãda promulgare, quod pertinet ad veritatem iuſtitiæ, quæ conſiſtit in rectitudine iudicij.* Ita S. Doctor. Secundùm hoc igitur non videtur, quòd curam habens animarum in his partibus teneatur abſtinere ab inflictione cenſurarum Eccleſiaſticarum, etſi ex ea ſcandalum ſequi poſſit, quia veritas deſerenda non eſt. Talis eſt denuntiatio agendorum, cum pœnarum, vt eò promptiùs ab inferioribus executioni mandentur, comminatione & inflictione: pertinet enim hoc ad veritatem iudicij. Vt ſi v. g. quis in Paſchate Reſurrectionis Domini non communicet, interdicatur ingreſſu Eccleſiæ, & excommunicetur, vt decernitur in Conſtitutione Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. & refertur in cap. 6. Vtriuſque ſexus.

Notanda D. Gregorij ſententia.

Scandalum quando permittendum.

Ad hanc obiectionem reſpondetur tribus modis. Primo, non militare contra nos, quoniam Pontifices qui conceſſerunt priuilegium, non præcipiunt Fratribus vt inordinatè viuentes ſeriant ſiue compellant cenſuris Eccleſiaſticis, ſed concedunt vt poſſint. hoc enim eorumdem Pontificum verba indicant: *Compellendi per cenſuram Eccleſiaſticam vobis libera ſit poteſtas.* quaſi tali poteſtate vti non debeant, niſi ex illius vſu aliqua vtilitas correctis vel alijs prouenire poſſit. Sed in caſu noſtro non ſolùm vtilitas ſperari non poteſt, ſed magnum ſcandalum timeri: vnde nec delinquentes contra adductum Canonem ſtatim ſubiacent pœnæ, ſed debent à Iudice condemnari, vt tradunt Doctores. Et ita arbitror ſancitum fuiſſe à ſapiente & prudente Pontifice, vt Paſtores animarum perpenderent, conueniénſne ſit, ac animabus proficuum, delinquentes memoratis pœnis ſubijcere.

Verba Bullæ conſiderantur.

Reſpondeo Secundò, duplicem eſſe veritatem, alteram naturalem & diuinam, alteram humanam. hoc eſt, ea quæ obſeruanda proponuntur, vel ſunt Iuris naturalis & diuini, vel humani. Quæ ſunt primi ordinis, propter timorem ſcandali nullatenus omittenda ſunt: ſed quæ ſunt ſecundi ordinis, nonnumquam prætermitti poſſunt, prout æquitas ſiue ἐπιείκεια indicabit, vt poſitiua humanaque lex corrigatur. Ratio eſt, quia iudicium & interpretatio legis ex æquitate, nihil aliud eſt quàm emendatio ſeu correctio legis in aliquo caſu particulari, in quo lex deficit. Sed lex naturalis & diuina numquam deficit, Primò, quia Auctor naturæ numquam deficit. Deinde, quia non præcipit aliquid abſolutè, ſed cum debitis circumſtantijs: ergo poſitis circumſtantijs, non poteſt deficere. Non poſitis, dicitur quidem nõ habere locum, non tamen deficere. Tertio, quia correctio legis per æquitatem ſupponit defectum legis in aliquo caſu particulari, non præuiſo à legiſlatore. Talis defectus non poteſt eſſe in lege naturali & diuina: quia nullus caſus particularis eſt,

Veritas duplex, diuina & humana.

Interpretatio legis ex æquitate.

Lex diuina numquam deficit.

est, quem Deus ab initio non præuiderit. Sed in lege humana habet locum huiusmodi interpretatio, quia legislator humanus quando condit legem pro tota communitate, non potest præuidere singulos casus euenturos, ac proinde non potest legem suam singulis accommodare: hinc fit, vt aliquãdo erret seu deficiat in sua lege. Hic error postea aliquando corrigendus est per æquitatẽ. In proposito veritas siue lex, de qua loquitur S. Gregorius, diuina est, nõ humana, vt clarè indicat interpretatio D. Thomæ, & liquidò constat illam considerãti: sed quòd Fratres Terræ sanctæ censuris Ecclesiasticis subijciant inordinatè viuentes, supposito etiam esse illis præceptum, humana veritas siue præceptum est, quod in casu ex æquitate prætermitti potest & debet: vt quando ex illius obseruantia timetur maius malum, offensa Dei, & animarum interitus; & illius conditor, si ad id aduertisset, non obligasset, sed potiùs retraxisset à talis præcepti obseruantia.

In moralibus finis considerandus.

Tertiò denique respondeo, in moralibus, qualia sunt quæ tractamus, finem attendendum esse. Et quinam, quæso, finis censurarum Ecclesiasticarum & aliarum pœnarum comminatio & inflictio? Vtique correctio delinquentium, & vt horũ exemplo alij à similibus peccatis, propter quæ tam seuera hisce pœna inflicta fuit, deterreantur, vt patet Deuteron. 13, 11. 17, 18. 19, 20. & 21, 21. & 1. Timoth. 5, 3. & alibi. In casu autem nostro iure timere possumus, eos qui non verentur diuina & Ecclesiastica præcepta violare, facilè etiam contempturos Ecclesiasticas pœnas: quia in hisce partibus eiusmodi pręuaricatores nec ob censurarum despectum, nec aliam ob causam puniri possunt, quin alijs sint scandalo & nocumento.

Acta Sanctorum, legum interpretationes.

Sed contrà. Exempla Sanctorum sunt optimæ interpretationes legum, & regula eorum quæ à nobis obseruari debent, quoniam in exemplum dati sunt. Sed S. Apostolus Paulus Corinthum inordinatè viuentem, habentem videlicet vxorem patris sui, sententia excommunicationis percussit, vt deducunt Doctores ex 1. Cor. 5. à qua etiam ob actam pœnitentiam absoluit, vt patet 2. Cor. 2. cùm tamen & tunc paruula esset Ecclesia, expers temporalis potestatis, inter infideles succrescens, qui etiam illam persequebantur: nullo tamen horum respectu habito, satanæ tam enormiter delinquentem tradidit Apostolus in interitum carnis; quare & qui in his infidelium partibus curã fidelium habent, exemplo S. Pauli poterunt licitè potestate Apostolica Summorum Pontificum vti, inordinatè viuentes Ecclesiastica censura feriendo.

Respondeo tripliciter. Primò ad Maiorem, Sanctos esse datos in exemplum, non quidem, vt in omnibus eos imitemur, quoniam nec in omnibus communem habemus spiritum, sed in obseruantia naturalium & diuinorum præceptorum, quæ dispensationem ordinariè non admittunt; in alijs verò humana lege præceptis non semper, quia non semper in omnibus concurrunt eædem circumstantiæ, cognitio, eademque sancti Spiritus illustratio, & ideò in huiusmodi, non obstantibus exemplis Sanctorum, ἐπιεικείᾳ & interpretatione legis ex æquitate vti debemus, quã etiam vsi fuerunt Sancti, ratione ita exigente. In proposito excommunicatio & quælibet alia censura Ecclesiastica pendet ex humanæ & Ecclesiasticæ legis dispositione, ideò non licet ex Pauli exemplo, habitantis cum sua paruula Ecclesia inter infideles, accipere exemplum, vt quemadmodum ille incestuosum Corinthium absque vllo timore scandali excommunicauit, ne diuina periclitaretur veritas; ita & Fratres curam fidelium inter infideles habitantium habẽtes, debeant absolutè illos inordinatè viuentes ferire Ecclesiastica censura. Ratio duplex assignari potest. Altera, quòd nostri Ministri non tantum æstimentur ac timeantur à suis fidelibus, quantum sanctus Apostolus Paulus æstimabatur & timebatur à suis, vt qui non prædicatione solùm, sed & signis & prodigijs admirabilis erat, prout, præter alia, ipsa illa Corinthij excommunicatione ostendit, quando nimirum diabolus statim in excommunicatum ingressus fuit, acerrimeque eum diuexauit. Altera ratio quæ magis mouet. S. Paulus spiritum Dei habebat, & ab eo infallibiliter in suis actionibus dirigebatur (eodem dicente 1. Cor. 7, 40 *Puto enim quòd & ego spiritum Dei habeam.*) quo suarum actionum euentus, eorumdemque conditionem præuidebat. Et profectò in adducto casu præuidit optimum fructum, quem paritura esset ista excommunicatio, pœnitentiam scilicet & correctionem fornicarij illius Corinthij. Sed considera simul cautionem & prudentiam Apostoli, qui licet in illo iudicio errare haud potuerit, Spiritu sancto illum infallibiliter dirigente; nihilominùs etiam aliorum consensum exquisiuit, vt omnis perturbationis & scandali occasio præscinderetur atque tolleretur. Et hæc colliguntur ex adductis locis ex vtraque Epistola, in primo dicitur: *Ego quidem absens corpore præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens, eum, qui sic operatus*, id est fornicatus, *est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu,*

Sancti non in omnibus dati sunt in exemplũ.

Lege Baron. Tom. 1. anno Christi 57. num. 10. & seqq.

Digitized by Google

ſu, tradere huiuſmodi ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti, 1. Corinth. 5, 3. In ſecundo loco idem colligitur, pro quo lege ſuprà Cap. 111. quod de Indulgentijs notauimus ex Cardinali Baronio.

Miſericordia in Pauli punitione.

Secundò reſpondetur ad Minorem adducti argumenti, S. Apoſtolum, vt Dei miniſtrum, iuſtitiam exercuiſſe, etſi magna cum miſericordia, contra diuinæ legis contemptorem, dum illum, cui cum vxore patris ſui concumbenti mors debebatur ex lege Leuitici 20, 11. tantùm tradidit ſatanæ, vt illius ſpiritus ſaluus fieret, commutans pœnam mortis in mulctam illam longè minorem quàm fuerit pœna diuina contra crimen tam enorme promulgata. In quem modum etiam arbitror S. Petrum Ananiam & Saphiram coniugem eius, qui, facultatibus ſuis abdicatis, ſanctæ illi Congregationi, quæ in communi viuebat, & cui omnia erant communia, aggregari volebant, quòd nonnihil de pretio agri venditi ſibi reſeruaſſent, & partem dumtaxat ad pedes Apoſtolorum attuliſſent, tamquam fures & deceptores morte puniuiſſe, vt dicitur Actor. 5.

Contra leges de nouo inſtitutas agentes rigidè procedi-tur.

Tertiò dicendum, legiſlatores poſt ſuarum legum inſtitutionem & promulgationem, rigidos eſſe in executione pœnarum contra tranſgreſſores, vt terrorem omnibus incutiant, ne tranſgredi audeant; qui tamen lapſu temporis erga præuaricatores mitiùs agunt. In ſtatu legis innocentiæ Deus optimus maximus interdixit primis parentibus eſum arboris ſcientiæ boni & mali ſub mortis interminatione: qui non multò pòſt ſanctum præceptum tranſgreſſi, ſtatim ſpirituali ac corporali morte puniti ſunt, vt legitur Geneſis 3, 19. Tempore Moyſi deprehenſus eſt quiſpiam qui contra Legis interdictum in ſabbato ligna colligebat, &, præcipiente Domino, lapidibus obrutus fuit, vt dicitur in libro Numerorum cap. 15, 32. Achan ſimiliter, quia in vaſtatione vrbis Iericho quidpiam de anathemate contra mandatum Domini ſuſtulerat, ab omni populo Iſraëlitico, Deo mandante, lapidibus è viuis ſublatus fuit, Ioſue 7, 27. Poſteà in legis Euangelicæ exordio contemptores conſilij Euangelici de ſanctæ paupertatis voto, acriter puniti ſunt, vt ſuprà diximus de Anania & Saphira. Quia item multi indignè, abſque congrua conſcientiæ diſcuſſione ac probatione, ad ſuſcipiendã Euchariſtiam accedebant, contrà quàm Apoſtolus docuerat, & lex ipſa naturalis dictabat, plurimi ob tantum ſcelus ſubitanea morte, vel alijs grauibus morbis & infirmitatibus puniebantur, vt innuitur 1. Corint. 11, 30. Et tamen nemo dubitat, poſteriore tempore à pluribus eodem peccato contra ſanctiſſimæ Euchariſtiæ reuerentiam peccatum fuiſſe, diuina iuſtitia manum reprimente, nec ſtatim in noxios deſæuiente. Malum ergo, inquies, impunitum à iuſtiſſimo Iudice Deo relinquetur? Minimè gentium: ſed qui tum in pœnarum promptitudine, ſubitaneæque mortis illatione, iuſtitiæ ſuæ ſeueritatem oſtendebat, vt homines intra debitos conſcientiæ diſcuſſionis & reuerentiæ tanto Sacramento exhibendæ terminos continerentur; modò in pœnarum tarditate ſuam manifeſtam facit patientiam, vt peccatores ad pœnitentiam alliceret: quam ſi contempſerint, durius cogentur ſufferre iudicium ab illo qui tarditatem pœnæ grauitate compenſat. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* ait D. Paulus Romanor. 2, 4. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Ita dicendum in propoſito, S. Apoſtolum initio promulgationis Euangelicæ legis rigidè in tranſgreſſores egiſſe, ex illo tamen peculiari facto non licere colligere, ſtatim & nobis cenſuris Eccleſiaſticis contra inordinate viuentes inter infideles agendum eſſe.

Deus in ſubitanea punitione iuſtitiam, & in pœnæ dilatione patientiam oſtendit.

CAPVT XXII.

De quatuor peculiaribus priuilegijs Fratrum Terræ ſanctæ quantum ad diſpenſationes.

FRatres Terræ ſanctæ, & in alijs partibus infidelium habitantes, ſunt ſpecialiter priuilegiati quantum ad diſpenſationes, idque quadrupliciter; quia habent auctoritatem diſpenſandi ordinariam, modificatam, ſpecificatam, & exemplificatam.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

Minorita habent facultatem diſpenſandi ordinariam.

Primò habent Fratres auctoritatem diſpenſandi ordinariam, id eſt, quam totus Ordo habet, & qua vtuntur Miniſtri; & hanc ex Calliſto III. concedit enim illis in Bulla prima, *vt poſſint diſpenſare ſuper quacumque irregularitate, præterquam homicidij, & mutilationis membrorum, ac bigamiæ.*

Declaratio.

De facultate quam ad diſpenſandum habent Mendicantes, conſule Rodericum Tom. 1. Quæſt. Reg. q. 63. & quæ infrà Cap. XXIV. attingemus.

PRI-

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

In quibus irregularitatibus possint & non possint dispensare.

Secundò habent Fratres Terræ sanctæ auctoritatem modificatam à duobus Pontificibus, Eugenio IV. & Calliſto III. Primò Eugenius Bulla 2. concedit *omnibus Fratribus de Obſeruantia in partibus infidelium, & etiam fidelium, Orientis & Septemtrionis degentibus, quòd poſſint ſingulorum Chriſti fidelium, ciuitatum quarumcumque, diœceſum, & locorum ad ipſos pro tempore confluentium, à quibuſcumque irregularitatibus, exceptis caſibus homicidij voluntarij, bigamiæ & mutilationis membrorum, diſpenſare.* Secundò Calliſtus ſcribens Guardiano Montis Sion in Bulla 1. ſic dicit: *Concedimus, quòd per te Guardiane, aut alios à te deputatos Confeſſarios tui Ordinis, valeas cum Clericis & Sacerdotibus ſæcularibus, aliiſq; Religioſis quibuſcumque ibi peregrinantibus & exiſtentibus, diſpenſare in omnibus caſibus, præterquam bigamiæ, mutilationis membrorum, & homicidij voluntarij.*

Declaratio.

Magna eſt auctoritas iſto priuilegio Fratribus conceſſa, quia virtute ipſius poſſunt cum quibuſcumque diſpenſare ſæcularibus, tum & Clericis ſæcularibus & Regularibus in partibus iſtis commorantibus, vel ad eaſdem peregrinantibus; tribus exceptis caſibus, qui ſemper excipiuntur, vt poſteà dicetur.

PRIVILEGIVM TERTIVM.

In pluribus caſibus poſſunt Fratres diſpenſare.

Tertiò, habent ijdem Fratres Terræ ſanctæ auctoritatem diſpenſandi ſpecificatam, in aliquibus caſibus declaratam. Hanc illis conceſſerunt tres Summi Pontifices, Clemens V. Innocentius IV. & Ioannes XXII. dum ſcribunt ad Fratres Minores in partibus infidelium tam Orientis quàm Occidentis conſtitutos: *Vt autem miniſterium veſtrum honoretur pleniùs, & honorabiliùs impleatur, præſentium vobis auctoritate Apoſtolica concedimus, quòd in terris, quæ adhuc Sedis Apoſtolicæ magiſterio non intendunt, poſitis proponere verbum Dei, & conſtitutis ibidem, ſi aliqua ſunt excommunicatione ligati, in verbis, officio & cibo, ac in aliis ſecurè communicare. Licitum etiam ſit vobis diſpenſare circa illos de terris eiſdem, qui temporibus interdicti, vel infra ætatem legitimam, aut qui omnes eadem die, vel qui ſuperiores, prætermiſſis inferioribus, conferre ſeu recipere Ordines præſumpſerunt; ſi tamen in hoc ſeruata forma Eccleſiæ talis extiterit, per quam Ordines recepiſſent. Diſpenſare etiam poteſtis cum Clericis earum partium patientium defectum natalium, dummodò nõ ſint de adulterio, inceſtu, aut Regularibus procreati. Sit vobis etiam diſpenſandi facultas cum his, qui ab vnitate Eccleſiæ, ſeu Religione vel Clericali Ordine diſceſſerunt, ſi humiliter redire voluerint, & dignè ſatisfacere de commiſſis, ita quòd ipſi Religioſi ad ſua loca, ſalua diſciplina Ordinis, reſumantur. Et illos ex iam dictis, qui excommunicationis vinculo ſunt adſtricti, abſoluere valeatis. Ad hæc ſit vobis abſoluendi facultas occiſores Clericorum & Religioſarum perſonarum in partibus prædictis conſtitutos.* Hæc dicti Pontifices.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Declaratio.

In iſto priuilegio duodecim continentur auctoritates, vt patet diſtinctè illius verba conſideranti, quarum delaratio pro maiori parte ex ſuperioribus apparet, & ex inferiùs dicendis ampliùs apparebit. Quare breuiter hic tantùm tria ſubijciam. Alterum circa primam auctoritatem, quod Fratres habent illam ex Regula ſua & ex Iure Canonico, vt in Clement. Dudum. De ſepulturis. Ex his enim habetur, poſſe Fratres vbique proponere verbum Dei. Eſt tamen hîc neceſſaria Epiſcopi benedictio, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 5. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 4. De refor. Et excepit quidem Pius V. Mendicantes in ſua Eccleſia prædicantes, niſi Epiſcopus vellet prædicare, verùm Gregorius XV. voluit abſolutè ſubijci benedictioni & conſenſui Epiſcoporum, in quocumque tandem loco prædicent.

Regula Minor. ca.

Religioſi non poſſunt prædicare abſque Epiſcopi benedictione.

Alterum notandum eſt, vltimam facultatem, in qua dicitur Fratres poſſe abſoluere occiſores Clericorum & Religioſarum perſonarum, intelligendam eſſe tam de Sacerdotibus quàm de non Sacerdotibus; quia nomine Clericorum intelliguntur etiam Sacerdotes. c. Duo ſunt. 12. q. 1. & eſt grauis caſus, vt habetur in c. Qui Presbyterum. De pœnit. Et nomine religioſarum perſonarum intelliguntur Religioſi cuiuſcumque Ordinis.

Clericorum nomen dicitur etiam de Sacerdotibus.

Tertium denique notandum ſit, Pontifices in iſto caſu loqui de abſolutione, & non de diſpenſatione.

PRIVILEGIVM QVARTVM.

Habent Minores facultatem Legatorum à latere.

Quartò denique circa hanc materiam habent Fratres Terræ ſanctæ, & in partibus infidelium habitantes auctoritatẽ exemplificatam, illam videlicet, quam habent Legati à latere: eamque illis conceſſerunt quatuor Summi Pontifices, Clemens V. Innocentius IV. Ioannes XXII. & Gregorius XI. ſequentibus verbis: *Concedimus, vt diſpenſare poſitis cum irregularibus, in illis caſibus in quibus ſolent Legati Sedis Apoſtolicæ diſpenſare.* Hæc illi.

Declaratio.

Pro declaratione huius priuilegij duo inquiro.

Digitized by Google

quiro. Alterum eſt, de quibus Legatis loquantur Pontifices: alterum, an dicti Fratres poſſint diſpenſare in omnibus caſibus in quibus incurritur irregularitas.

Legatorum tria genera, de latere, miſſi, & nati.

Ad primum dicendum, in genere tria eſſe Legatorum genera, vt notatur in c. Legatos. De officio Leg. in 6. Legati de latere, & iſti ſecundùm opinionem Ioannis Andreæ ſunt Cardinales. Legati miſſi, & iſti ſunt alij Prælati, quos mittit Papa ad diuerſas partes, vt Epiſcopi, Archiepiſcopi, &c. Legati nati, & iſti ſunt, qui ſtatim adepta dignitate, ratione ipſius, abſque alia commiſſione ſunt Legati Papæ, ſicut eſt Epiſcopus Strigonenſis in Hungaria, & alij plures in diuerſis partibus. Hi poſteriores habent magnam auctoritatem, ſecundi maiorem, primi maximam, vt habetur De officio Legati, per totum titulum. Mandos quæſt. 95. tract. 14. diſp. 8. ſect. 11. Collector priuilegiorum Terræ ſanctæ in ſuo manuſcripto libello tradit, de quibuſcumque intelligi debere: & meritò quidem, quoniam gratiæ ſunt ampliandæ. Igitur in omnibus in quibus omnes dicti Legati diſpenſare ſolent, poterunt Franciſcani Fratres in partibus iſtis diſpenſare.

Caſus in quibus ſolent Legati diſpenſare, & in quibus non, neque poſſunt.

Ad ſecundum quæſitum reſpondetur negatiuè, & colligitur reſponſio ex verbis priuilegij, quæ habent, poſſe Fratres diſpenſare in omnibus, in quibus ſolent Legati diſpenſare, & non in quibus poſſunt, vt bene idem Collector aduertit. Multa enim fieri poſſunt, quæ non expediunt. Solent autem Epiſcopi, ſicut & vt plurimùm Legati Papæ, diſpenſare in criminibus adulterij, & in his quæ ſunt minora adulterio. c. At ſi Clerici. De iudicijs. licet ibi dicat Gloſſa, & communis ſit Doctorum opinio, Epiſcopos in omnibus poſſe diſpenſare, quæ ipſis non ſunt expreſsè prohibita. c. Nuper. De ſentent. excom.

Legati de latere, id eſt Cardinales, habent quaſi eamdem poteſtatem quam habet Papa ipſe, nihilominùs ſunt aliqui caſus, in quibus non ſolent, & alij in quibus non poſſunt ſe intromittere. Non ſolent ſe intromittere in irregularitate, quæ incurritur in tribus caſibus, bigamiæ, mutilationis membrorum, & homicidij voluntarij, propter quos irregularitas ex illis contracta communiter in Bullis Pontificijs reſeruatur; in illa inquam non ſolent Legati à latere diſpenſare, & ipſe Papa rariſſimè diſpenſat. c. Minor. 50. diſt. lege ibi Gloſſam. Caſus verò plures & grauiora crimina, in quibus non poſſunt iſti Legati diſpenſare, habentur ex Gloſſa in c. Quod tranſlationem. De offic. Leg. illos enim ad Papam remittunt. Item perſecutio, ſiue captio alicuius Cardinalis, c. Felicis. De pœnis, in 6. Occiſio alicuius Epiſcopi, & homicidium voluntarium, inter grauiora computantur crimina c. Minor. 50. diſt. Sunt pleraque alia crimina grauiſſima, quæ longum eſſet recenſere, quæ prudens excogitabit, propter quæ ad Sedem Apoſtolicam recurrendum eſt.

Caſus quatuor in quibus nec ipſe Papa diſpenſare ſolet.

Caſus verò in quibus non ſolùm Legati, ſed nec ipſe Papa vmquam diſpenſat, quatuor enumerantur à Doctoribus. Primus, cùm quis ſcienter bis ſe facit baptizare. De conſec. diſt. 4. c. Quibus. Idem ſi ignoranter, ſed poſteà cùm ſciuit, ratum habuit. Secundus, cùm quis ſcienter bis eumdem Ordinem recipit, & ſi idem bis ſe faceret confirmari. Tertius, cùm quis ad ſubuerſionem fidei ſe fecit ab hæreticis ordinari, 1. q. 7. c. Conuenientibus. Quartus denique caſus, cùm quis ordinatur, & in ordinatione ſua interuenit ſimonia tam ex parte ſua, quàm ex parte ordinantis. 1. quæſt. 1. c. Si quis Epiſcopus. & 9. quæſt. 1. Abexcommunicatis.

CAPVT XXIII.

De duobus priuilegijs Fratrum Terræ ſanctæ quantum ad tempus celebrandi Miſſas & diuina officia.

FRatres Terræ ſanctæ, & in alijs partibus infidelium habitantes, ſunt priuilegiati in Miſſarum & diuinorum Officiorum celebratione in duobus, in tempore, & in loco.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

Minorita poſſunt ante diem celebrare.

In tempore, ſiue ratione temporis primò ſunt Fratres priuilegiati, quia poſſunt ante diem celebrare. Et ſuper hoc habent plurium Pontificum priuilegia. Primò Martini V. in duobus priuilegijs, diuerſis temporibus conceſſis, quorum prius Bulla 2. ita habet: *Martinus Epiſcopus, &c. dilectis filijs Guardiano, & Conuentui Fratrum Ordinis Minorum Montis Sion, nec non ceteris in Bethleem, ac Sepulchro Dominico in Ieruſalem degentibus, &c. Veſtris ſupplicationibus inclinati, vt Miſſam antequam illuceſcat dies, circa tamen diurnam lucem, cùm qualitas negotiorum exegerit, liceat cuilibet veſtrùm in Sacerdotio conſtituto celebrare, ac per alios Sacerdotes idoneos facere celebrare, ita quòd nec vobis, nec Sacerdotibus taliter celebrantibus ad culpam valeat imputari, deuotionibus veſtris, ac ſucceſſorum veſtrorum tenore præſentium indulgemus. Proniſo quòd vos, & ſucceſſores ipſi, huiuſmodi conceſſione parcè vtamini; quia cùm in altaris Officio*

tionaliter Domini nostri Dei Filium Iesu Christum, qui cunctis est laudis æternæ, congruit huc non in nocte tenebris fieri, sed in luce. &c.

In posterioni priuilegio in 12. Bulla contento ita habet: *Martinus Episcopus, &c. dilectis filijs Guardiano, & Conuentui Montis Sion, nec non ceteris in Bethleem ac Sepulchro Dominico seu Ierusalem degentibus, &c. Vestris deuotis precibus inclinati, vt Missam priuilegium illucescente die, etiam per duas horas ante diurnam lucem, cum qualitate negotiorum pro tempore ingruentium id exigentis, vobis, & vestrum singulis, ac successoribus vestris Ordinis Minorum Fratrum, in Presbyteratu tamen ordine constitutis, nec non omnibus & singulis Catholicis Sacerdotibus cuiuscumque status, dignitatis, gradus, ordinis & conditionis existentes, ad sepulcra Terræ sanctæ, ratione pia deuotionis peregre profecta, iterat ad spiritualem eorumdem peregrinorum Fratrum & consolationem, ac celeriorem & expeditiorem iperum expeditionem, præcisum ab ipsa Saracenorum, aliorumq; infidelium, illuc die illucescente discurrentium, rotundum impedimentum, vti, periculum in præfatis, & alijs Terra sanctæ deuotis Orationum locis celebrare, ita quod id nec vobis nec alijs huius modi Sacerdotibus taliter celebrantibus ad culpam valeat imputari, dictorum vestra authoritate Apostolica de speciali gratia, tenore præsentium indulgemus.* Hæc Martinus Papa.

Secundo Callistus III. etiam in duabus Bullis, prima & quarta, eandem concessit facultatem. In prima sic dicit: *Tibi venerabilis Guardiane, fili dilecte, & successoribus tuis concedimus, vt Missam antequam illucescat dies, cum qualitate negotiorum pro tempore ingruentium id exigenti, celebrare, aut per aliquem dilecti Ordinis Fratrem in Sacerdotio constitutum facere celebrari possis.* In quarta sic: *Concedimus quod omnes Sacerdotes in Terra sancta sine residentes sint peregrini, & eam Religiosi quorumcumque Ordinum, siue seculares sint, a media nocte, vsque ad horam nonam, si necessitas vrgebit, valeant celebrare.* Hæc Callistus.

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

Sunt secundo priuilegiati in hac materia Fratres Terræ sanctæ ratione loci. Etenim qui in quibusdam locis in quibus morantur, vel per quæ transeunt, possunt Missas & diuina Officia celebrare. Ita illis concesserunt Clemens V. & Innocentius IV. sequentibus verbis: *Item in locis in quibus vos hospitari contigerit, vel in locis partium earumdem, in quibus residentiam feceritis, Missam & cetera diuina Officia celebrare licentiam habatis.*

Possunt religiosi in quibusdam locis in quibus morantur, & per quæ transeunt.

Declaratio præcedentium priuilegiorum.

Quoniam non raro accidit Fratribus in Terra sancta commorantibus, & aliis Sacerdotibus ad eam peregrinantibus, vti memoratis priuilegijs, tunus quam præcedentia explicanda sunt, vt sciant illi quantum ea valeant, quomodo eisdem vti possint, & an aliis concessionibus. Et vt hæc clarius fiant, quatuor declarationes. Dominus noster Iesus Christus die, in quo de nocte primum Sacrum celebrari potest, & lecitio cæu necessitatis, vt communicandi infirmum (quando cum permissione Episcopi, si habeni posse, licet) & absque priuilegio, non licet secundum Ecclesiæ Romanæ & communem consuetudinem. Quòd si quis scienter contrauenial, grauis peccati pœnam incurrit. c. Cum in nocte. De confect. dist. 1. & c. Cum consuetudinis. De consuetud. Quoniam consuetudo habet vim legis.

Nota dilig. Tempus ante auroram celebrandi Missam.

Sed quodnam est diurnum tempus, intra quod secundum ius communi, omni lecitio priuilegio & necessitate, licet Missam celebrare? Respondeo, esse illud tutum tempus interlitium, quod interceditab initio aurorę vsque ad meridiem. Ita D. Thomas 3. par. quæst. 83. art. 2. ad 4. & Doctores communiter. Initium veri aurorę, est initium crepusculi diei, & prima lucis irradiatio, quæ moralitet taxanda est. Licet enim crepusculum non sit æquale in omni tempore, tamen in omni tempore licitet incipere Missam horis & diuisis magnorum Solis. Ita tenet Suarez 3. par. disp. 8. sect. 4. & Ledesma c. 12. de Eucharistia. Rodericus tamen ex granium Doctorum sententia amplius extendit illud spatium: etenim Tomo 1. quæst. 43. art. 1. arbitratur, secundum ius commune, tempus Missam celebrandi esse diurnum horarum antiquarum Solis. Hanc vide.

Secundò notandum, proprium locum celebrandi Missam, extra quem, lecitio priuilegio, necessitate, & Episcopi licentia, non licet celebrare, esse Ecclesiam, quæ est, nec in priuatis domibus, nec in plateis vel viis licebit celebrare. Hoc patet ex Concilio Tridentino sess. 22. decr. De obser. in Missa, vbi præcipitur Episcopis, ne patiantur Missas celebrari, etiam à Regularibus, in domibus priuatis, & omnino extra Ecclesiam & Oratoria ad diuinum cultum ded-

Locus proprius celebrandi Missam.

dedicata, deſignanda, & viſitanda ab eiſdem Epiſcopis. Quo præcepto derogatum eſt Iuri, quo concedebatur vbique celebrari poſſe, vt patet c. In his. De priu. & c. Concedimus. diſt. 1.

Eccleſia nomine quid intelligatur

Sed quid nomine Eccleſiæ intelligitur? Reſpondeo, ſecundùm Doctores communiter intelligi non tantùm ipſas Eccleſias ſolo diuino cultui deputatas, ſed etiam annexa monaſteria, in quibus ſunt grangiæ, & Oratoria in infirmarijs, in quibus ſuper altaria portatilia, ſecluſa ſpeciali facultate, celebrari poteſt. Ita Rodericus Tomo 2. quæſt. 75. art. 1. & confirmatur ex eo quod Eugenius IV. vt habetur in Compendio Ciſtertienſium, tit. Grangiæ, §. 2. conceſſit, iſtorum grangias, ſicut & Eccleſiarum atria, prauorum hominum incurſu & violentia debere eſſe liberas & quietas, ita vt nemo in eis poſſit hominem capere; nec ſpolium & ruinam exercere, & hoc in virtute Spiritus ſancti inhibendo ſtatuit. Leo etiam X. vt habetur in Supplemento conceſs. 186. conceſſit, quòd infringentes, aut violentiam facientes in Eccleſijs aut locis Religioſorum, ſint excommunicati; nec poſſint abſolui niſi à Papa, aut à Conſeruatoribus Religioſorum. Igitur ad Eccleſiam huiuſcemodi pertinere dicendum eſt, alias gratia immunitatis non fruerentur ad ea ſe in caſu transferẽtes, & conſequenter in ipſis, vt in Eccleſijs, licitum erit Miſſam celebrare. In neceſſitate tamen (dummodò alia adſint ad celebrandũ neceſſaria) licet extra Eccleſiam celebrare ſine Epiſcopi licentia, vt ſi quis ſit in itinere, aut Eccleſia populum non capiat: nec id prohibetur per Concilium. Nauarrus c. 25. num. 8. Extra neceſſitatem verò ſi fiat, & abſit contemptus & ſcandalum, non eſt mortale. Poteſt etiam Epiſcopus dare licentiam celebrandi Miſſam in capella domus priuatæ, & ſub dio. Emanuel Sà v. Miſſa. num. 20. Toletus lib. 2. cap. 1. & 2. & alij. Hæc quidem de communi loco celebrandi Miſſam.

In neceſſitate extra Eccleſiam celebrare licet.

Locus particularis celebrandi eſt altare.

Sed quinam erit peculiaris? Dico, ſecundùm communem Doctorum, ordinationem & conſuetudinem Eccleſiæ eſſe, habere altare lapideum conſecratum: ſufficit enim quòd ſuperior menſa ipſius altaris, ſeu ara ſuper quam fit conſecratio, & in qua reponitur Corpus & Sanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſit lapidea, & habeat eam latitudinem, vt poſſit capere Hoſtiam & maiorem partem Calicis. Ita præter alios Rodericus Tom. 1. q. 28. art. 1. ſine quo celebrare, peccatum mortale eſt. Nec diſpenſat in hoc Epiſcopus, nec etiam Papa, qui poteſt, quantum quidem conſtet. Victoria num. 98. ſi abſit ſcandalum & contemptus, id per negligentiam omittere, mortale peccatum non putat.

Præmiſſis priuilegijs alij Religioſi gaudent.

Notandum tertiò, ſimilibus priuilegijs gaudere alios Religioſos, quibus & ipſi Fratres in Terra ſancta & in infidelium partibus vti poſſunt. Multæ enim Religiones ex particulari Iure, & ſpeciali priuilegio, in primis extra ſtatutum tempus à Iure poſſunt noctu, ſiue ante ortum ſurgentis auroræ celebrare, vt tradit Silueſter v. Miſſa 1. quæſt. 6. quorum priuilegijs cùm & Fratres Terræ ſanctæ participent, eiſdem etiam vti poterunt.

In Monumento Ordinis (vt refert Miranda Tom. 1. Manual. Prælatorum Regul. q. 40. art. 10. ex quo ſequentia propoſito noſtro deſeruientia accepimus) conceſſit Pius II. Generali Fratrum Minorum, quòd poſſit dare Fratribus auctoritatem celebrandi Miſſas per vnam horam ante auroram. Habetur in Supplemento, fol. 97. conceſſ. 346. & refertur in Compendio v. Miſſa 2. §. 2. Conceſſit quoque Sixtus IV. eiſdem Minoribus Fratribus de Obſeruantia, quòd Sacerdotes neceſſitatis cauſa, poſſint ante & poſt horam ſtatutam ab Eccleſia celebrare. Habetur in Compendio vbi ſuprà §. 3. Quæ quidem priuilegia, vt videtur, non ſunt per Concilium reuocata, quidquid dicat Nauarrus in ſuo Manuali cap. 25. num. 85. Nam Concilium vbi hac de re agit, non reuocat priuilegia celebrandi Miſſam ante tempus, ſeu poſt tempus à Iure ſtatutum, ſed ſolummodò præcipit Epiſcopis, vt non permittant celebrari alijs quàm debitis horis, quod dicit inter multa alia, vt patebit intuenti ſeſſ. 22. in decreto de obſeruandis & euitandis in celebratione Miſſæ, at non reuocat priuilegia, quæ aliud faciendi aliquibus fuerunt conceſſa. Sicque P. Suarez Tom. 9. 83. art. 2. diſp. 8. ſect. 4. non meminit talis reuocationis, nec de illa vllam prorſus mentionem facit. Quin verò præſupponendo quòd maneant priuilegia prædicta in ſuo vigore, in tertia acceptione à ſupradicta Regula generali, non celebrandi noctu, inquit, quod ex priuilegio aliquibus conceſſum, vt vna vel duabus horis ante auroram celebrare poſſint: quia, inquit, priuilegia ſemper ſunt intelligenda ſecundùm anticipationem totius temporis in priuilegio conceſſi, ad totum illud tempus in quo ſine priuilegio Miſſa poſſit legitimè celebrari ac dici, ita quòd ſi priuilegium concedit vnius horæ anticipationem, Miſſa poterit inchoari tribus horis ante ortum Solis, cùm ſine priuilegio poſſit inchoari duabus horis ante Solem. Et ratio, inquit, eſt clara: quia priuilegium ſemper aliquid debet operari, & tantum valet, & tantum operatur,

Minores in caſu neceſſitatis poſſunt celebrare ante & poſt vnam horam ſtatutam ab Eccleſia.

ratur, quantum sonat. In calce huius Articuli (inquit Auctor) libuit aduertere, quod Leo X. vt habetur in Supplemento fol. 92. concess. 275. & refertur in Compendio vbi suprà §. 6. concessit nobis Fratribus Minoribus de Obseruantia, vt de licentia nostrorum Superiorum (quorum conscientijs committit, quomodo Fratres debeant vti hac gratia) possint celebrare illicò post Matutinum, & etiam post meridiem, præsertim diebus quando est de audienda Missa præceptum, & quando Fratres debent ambulare, seu quando de via veniunt, & non possunt ante meridiem applicare ad locum vbi commodè possent Missam audire, vel honestè celebrare. Hæc concessio est valdè notanda. De quo priuilegio, & de alijs, cùm non sint generalia, nec in Iure contenta, sed particularia, personalia, vel Regularia, dicendum est cum supradicto P. Suarez, quòd cùm vt sic non cadant sub scientiam, vnusquisque debeat suam conscientiam consulere quàm maximè, & attendere, & scire quo priuilegio liceat sibi vti, vt non terminos sibi præfixos transgrediatur. Hactenus Miranda.

Possunt etiam in casu statim post Matutinum vel meridiem celebrare.

Quantum ad illud, num dicta priuilegia fuerint per Concilium Tridentinum sublata, respondent alij, ex parte dissentientes à Nauarro, distinguendo. Nam, inquiunt, vel Regulares fuerunt de his admoniti ab Episcopis & prohibiti, vel non. Si fuerunt prohibiti, non poterunt in illis locis celebrare; si non, poterunt. Rodericus Tom. 1. q. 28. art. 3. tradit, dicta priuilegia non fuisse per Concilium reuocata, & posse Religiosos in conscientia celebrare, dummodò id fiat sine præiudicio Ecclesiæ Parochialis, quod, iuxta declarationē Sixti IV. in duobus cōsistit, in exactione decimarum & primitiarum, vt idem docet Tom. 2. q. 75. art. 1. Et Miranda loco ante citato art. 11. docet ex Nauarro, si non adsit scandalum, licere Sacerdotibus post meridiem circa horam nonam celebrare Missam, quia est hora proprijssima, cùm Missa sit oblatio & sacrificium incruentum, à Sacerdote in persona Christi factum, & omnino idem cum eo quod eadem hora ab ipsomet Christo fuit oblatum cruento modo, & quod fuit quasi prima Missa, vt dicit Nauarrus; qui & sæpè tali tempore, præsertim diebus festiuis in itinere, cum suis se obseruasse dicit, & infert, quòd priuilegia de dicenda Missa post meridiem potius continet Ius commune, quàm priuilegium aliquod particulare; & tantummodò prodesse ad sedandos animos scrupulosorum, vt & multa alia priuilegia. Lege de his Rodericum Tomo 1. Quæst. Regul. q. 43. art. 1. 2. & 3.

Azorius lib. 10. cap. 25. quæst. 2. sententiam Nauarri tamquam singularem reprobat, existimans q. 6. mortiferè eos peccare, qui sine iusta causa, tertia horæ parte ante auroram vel post meridiem Sacrum faciunt: communis enim sententia est, vt Sacrum in meridie plus minúsve absoluatur. Ita Gabriel, Ioannes Andreas, Sotus, & alij, & praxis probat. Etsi Episcopus iustis de causis concedere possit, vt ante auroram & post meridiem Sacrum fiat. Suarez Tom. 3. disp. 80. sect. 4.

Verùm propter hæc non arbitror recedendum à sententia Nauarri: quia non video, quomodo illa consuetudo obliget sub mortali, tum quia ad hoc non est introducta, tum quia etsi in aliquibus Ecclesijs obseruetur, non tamen in omnibus, nec est vniuersalis. Sanè in Oriente non tantùm schismatici, sed etiam Catholici, vt Maronitæ, vna hora ante ortum Solis & amplius celebrant, & vix exorto Sole sacrum est terminatum. Et tempore ieiunij communiter post Vesperas & in sero celebrant, & singulariter quinque vicibus in anno, in Vigilia Natiuitatis Domini, Feria 4. in medio Quadragesimæ, id est quartæ hebdomadæ, Feria 6. sextæ hebdomadæ, Feria 5. in Cœna Domini, & in Sabbato sancto. Et non in Oriente tantùm, sed Latini & Catholici in Occidente, in Germania, Lotharingia, Belgio, & alijs partibus, celebrant communiter vna hora cum dimidia, vel horis duabus ante ortum Solis in hieme. Nec dicendum, hos vel illos delinquere mortaliter, sed nec venialiter. Cùm enim inter illos sint multi viri docti & timentes Deum, ea hora sanè non celebrarent, si periculo peccandi se exponerent. Confirmatur, quia hæc cùm publica sint, & diuturna consuetudine obseruata, non potuerunt sanctam Romanam Ecclesiam latere: quæ tamen id sciens, nec illos nec istos reprehendit, sed tacendo, quòd non peccent, approbauit. Quare Nauarri sententia securè amplecti potest, præsertim vbi non obstat contraria consuetudo.

In aliquibus locis Orientis & Occidentis licet celebrare ante dictum.

De secundo, id est, de loco celebrandi Missas, dico, alios Religiosos priuilegiatos esse, vt extra Ecclesiam celebrare possint. Ita Soto dist. 13. quæst. 2. art. 3. & de Prædicatoribus & Minoribus habetur in c. In his. De priuil. & Rodericus Tom. 2. q. 28. art. 3. tradit, Mendicantibus itinerantibus cōcessum esse per plura priuilegia, celebrare in locis honestis in altari portatili. Secundò Sixtus IV. Bullâ 14. & Alexander VI. inter viua oracula concessit eisdem, posse Missas celebrare in cameris sæcularium, & in plateis, dato quòd non videantur loca inhonesta,

Extra Ecclesiam possint alij Religiosi celebrare.

ſta, quia in cameris ſæcularium dormiunt coniugati, & in plateis fiunt multa profana.

His præmiſſis, ad ſecundum principale initio propoſitum accedens, quatuor Concluſionibus explico quid poſſint circa prædicta Fratres in Terra ſancta habitantes, & in vniuerſum Presbyteri omnes, cuiuſcumque ſtatus & conditionis extiterint, tum virtute priuilegiorum communium alijs Religioſis, tum virtute particularium Fratrum Terræ ſanctæ.

Minorita Terræ ſanctæ tribus horis ante ortum Solis, & totidem poſt meridiem celebrare poterunt.

PRIMA CONCLVSIO. Fratres Terræ ſanctæ poterunt ſpatio trium horarum ante ortum Solis circiter Miſſas celebrare, & totidem poſt meridiem, virtute priuilegiorum aliorum Fratrum Minorum, & aliorum Religioſorum, in quorum priuilegijs ipſi participant, non tamen Presbyteri ſæculares, vel alij Religioſi talia priuilegia non habentes, vel illis non participantes. Manifeſta eſt iſta Concluſio ex primo & ſecundo Notabili, & ex priuilegio Sixti IV. dato Minoribus, de quo Rodericus Tom. 1. quæſt. 43.

Poterunt etiam extra Eccleſias celebrare.

SECVNDA CONCLVSIO. Fratres Terræ ſanctæ ſecundùm Fratrum Minorum & aliorum Mendicantium priuilegia, poterunt (ſi non teneatur opinio Nauarri, ſed vel altera media, vel oppoſita Roderici, vel aliorum, in Concilio Tridentino non eſſe derogatum priuilegijs Fratrum circa loca celebrandi dicentium) non ſolùm in Eccleſijs, ſed etiam extra, & in vijs publicis celebrare, præſertim ſi illis non fuerit oppoſitum mandatum ab aliquo ſuperiore Præſule, vel Guardiano ſacri Montis Sion; non item alij qui eiuſmodi priuilegijs non gaudent. Patet iſta Concluſio ex tertio Notabili. Et quidquid ſit de vniuerſali reuocatione, ratione aliorum Minoritarum, noſtris Terræ ſanctæ haud reuocata eſſe credo, ex dictis ſuprà Cap. 11. Dubio 1.

Fratres Terræ ſanctæ poſſunt ex neceſſitate celebrare quatuor horis ante ortum Solis, & ſimiliter alij Sacerdotes.

TERTIA CONCLVSIO. Fratres Terræ ſanctæ poſſunt virtute ſuorum priuilegiorum Miſſas celebrare, neceſſitate exiſtente, quatuor horis antequam illuceſcat dies, vel à media nocte vſque ad meridiem. Et hoc priuilegio non ſolùm illi, ſed etiam quiuis alij Sacerdotes ad Terram ſanctam peregrinantes vti frui poſſunt. Quòd media nocte, apparet ex poſteriori priuilegio Calliſti adducto. Quòd quatuor horis antequam illuceſcat dies, probatur ex priori, in quo idem Pontifex omnibus memoratis concedit, vt duabus horis ante diurnam lucem celebrare poſſint, &c. Cùm igitur priuilegia intelligenda ſint, vt tantum concedant vltra Ius commune, quantum eorum verba ſonant, & Ius commune ex Roderico (nec diſcrepat adducta communis ſententia) ſit ſpatium duarum horarum ante ortum Solis; ſequitur quòd ſi illis duæ aliæ addantur de priuilegio, totum interſtitium ſit quatuor horarum ante ortum Solis, intra quod poterunt (alijs requiſitis exiſtentibus) habitantes in Terra ſancta Minoritæ, & Sacerdotes alij eò venientes, ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium Altiſſimo offerre.

Priuilegio peculiari poterunt Minoritæ extra Eccleſiam celebrare, non item alij.

QVARTA CONCLVSIO. Iidem Fratres poſſunt ex peculiari priuilegio extra Eccleſiam celebrare, modo explicato in verbis Summorum Pontificum Clementis & Innocentij. Alij tamen non poterunt, quia priuilegium ad alios non extenditur, vt manifeſtum eſt. Huic quidem priuilegio non fuit per Concilij Tridentini decretum derogatum, quia in eo nulla illius mentio facta fuit, & quia, vt probabiliter opinor, per Concilium Tridentinum non fuit in aliquo derogatum Priuilegijs Terræ ſanctæ. Lege quæ ſuprà diximus Cap. 11. Dub. 1. & 11. Quare virtute iſtius priuilegij, etſi alteri communi Ordini Minorum conceſſo per Concilium fuerit derogatum, ſecundùm Nauarrum, poterunt Fratres extra Eccleſias in locis, in quibus hoſpitari & commorari contigerit, dum in partibus illis peregrinantur, & quomodolibet tranſeunt, celebrare. Qui tamen probè attendere debent, vt loca, quæ ipſi ad celebrandum eligunt, ſint honeſta & congrua, ſi non quantum deceret ad tantum ſacrificium inibi offerendum, ſaltem quantum poteſt humana ſollicitudo, & loci temporiſque conditio exigit. Quid omnes poſſint in caſu neceſſitatis, dictum eſt in ſecundo Notabili.

Seclusa necessitate, non poterunt de nocte Minores celebrare in Terra ſancta.

Quantum ad tertium principale, duplex dubium exoritur. Primum, num Fratres Terræ ſanctæ virtute dictorum priuilegiorum poſſint pro libito de nocte & in quouis loco celebrare. Reſpondetur, non poſſe, niſi adſit cauſa neceſſaria. Si enim velint poſt mediam noctem celebrare, vt conceditur in poſteriori Calliſti priuilegio, oportet vt non ſolùm adſit neceſſitas, ſed etiam vt ea ſit vrgens, id eſt, magna & vehemens. Si autem velint quatuor horis ante ortum Solis celebrare, vt videtur concedere Martinus in poſteriori priuilegio, oportet vt faciant pro qualitate negotiorum ingruentium, vt illius priuilegij verba expoſcunt. Vrgens verò neceſſitas attendi poteſt vel ex parte locorum ſanctorum, vel ex parte Fratrum & peregrinorum, in quorum gratiam conceſſa fuerunt priuilegia. Vrgens igitur neceſſitas, quantum ad hoc, eſſe poterit, Primò, quando adeſſet frequens multitudo

Neceſſitas vrgens vnde deſumenda.

Digitized by Google

Sacerdotum peregrinorum, qui non omnes celebrare poſſent, niſi poſt mediam noctem inciperent. Secundò, quando timeretur veriſimiliter aduentus Saracenorum ad Eccleſiam Fratrum, vel ad Sanctuaria in quibus celebrandum eſt: tunc enim poſſent aliqui iuxta diſpoſitionem Guardiani celebrare, vel poſt mediam noctem, iuxta prius priuilegium Calliſti; vel quatuor horis ante diem, iuxta expoſitionem poſterioris priuilegij eiuſdem Calliſti. Et ad honorem locorum ſanctorum ſufficerent vna vel duæ Miſſæ in die, argumento c. Cùm creatur. De celebrat. Miſſ. Quare in præſenti rerum ſtatu ordinariè non licet ante tempus ab Eccleſia ſtatutum celebrare, vel in Eccleſia S. Saluatoris, vel Bethleem, & etiam ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri, niſi in magnis ſolemnitatibus, quando eſt frequentia maior Sacerdotum, & expectantur Turcæ, diſtractioque ab alijs timetur, aliàs non; quia oſtia domus & Eccleſiæ manent clauſa, & Turcæ non veniunt niſi poſt Miſſarum celebrationem tempore ſuo. Igitur iuſtis de cauſis poterunt Fratres & peregrini ante auroram celebrare modo explicato, ſed non ſimiliter illis deficientibus, & pro libitu. Quare non credo, ſecundùm hæc priuilegia licitè Fratres celebrare ante ſtatutum ab Eccleſia tempus in loco Natiuitatis Domini, cùm ex Bethleem volunt deuotionis gratiâ per montana Iudææ redire Ieroſolymam, vel ad alia loca ſancta ire: quia pro ſimplici deuotione lex non eſt violanda, in qua per priuilegium non diſpenſatur, niſi iuſta & vrgente cauſa exiſtente. Et ſi ex pietate volunt ſanctum illud iter conficere, & Miſſam celebrare, ſat illis erit duabus horis ante ortum Solis abſque priuilegio celebrare. Adderem tamen, quòd ſi illud iter cum peregrinis, & in peregrinorum gratiam conficerent, rationabiliqúe cauſa citò eſſent expediendi, ac ideò, niſi tempus ab Eccleſia ſtatutum præueniendo, non poſſet Miſſarum celebratione ſatisfieri illorum deuotioni, tunc credo poſſe illis priuilegijs licitè vti. Ratio verò quare Fratres pro ſe ipſis pro libitu & deuotione ſua non poſſint vti illis priuilegijs, ſed benè in gratiam peregrinorum, eſt, quia Fratres ibi permanent, & poterunt opportuno tempore, lege obſeruata, ſuæ pietati ſatisfacere, non item peregrini, nec conuenit poſt tot diſpendia & incommoda ſpirituali conſolatione eos priuari; & aduenis & peregrinis deferendum eſt, argumento c. Si quis Romipetas. 24. q. 2. cum duobus capitulis ſequentibus; & in caſu mens Principis rationabiliter interpretanda eſt.

Abuſus vitandus.

Modificatio

Quantum ad facultatem celebrandi extra Eccleſiam, dico poſſe Fratres celebrare in Sanctuarijs, id eſt locis aliqua illuſtri memoria conſecratis, etſi vel non ſint intra Eccleſias clauſa, vel iam ſint deſtructa; alijs tamen obſeruatis, & ſecluſo impedimento irreuerentiæ Sacramenti. Ratio eſt, quia poſterius priuilegium, ſicut & prius, conceſſum fuit in gratiam locorum ſanctorum, vt illa in veneratione habeantur, inhabitantiumque & aduenarum pietati & deuotioni fieret ſatis: & hoc ſingulariter fit, oblatis in ipſis ſacratiſſimis Miſſarum ſacrificijs, igitur illa in memoratis ſanctis locis Altiſſimo offerre poterunt.

Dictis priuilegijs vti non poterunt Fratres extra Terrã ſanctam, ſed alibi poterunt eadem exequi.

Et ex his colligo, horum Terræ ſanctæ priuilegiorum virtute non poſſe Fratres illis licitè vti extra Terram ſanctam, vt videlicet celebrent ante ſtatutum ab Eccleſia celebrandi tempus, & indifferenter in quouis loco extra Eccleſiam. Poterunt tamen alibi ante tempus, & extra Eccleſiam virtute aliorum priuilegiorum celebrare, ſi occurreret neceſſitas & opportunitas, præſertim virtute priuilegiorum Ordinis, quæ propria etiam facta ſunt Fratrum Terræ ſanctę, ex ſuprà dictis Cap. 11. Dub. 1. Parcè tamen illis vtendum, ob Miſſæ ſacrificij dignitatem & excellentiam, & quia rectum rectè exequendum eſt.

Secundum dubium eſt, Num abſque peccati ſcrupulo liceat Mendicantibus virtute ſuorum priuilegiorum, atque etiam quibuſuis alijs Sacerdotibus, Miſſas & alia diuina officia celebrare in Eccleſijs ſchiſmaticorum, hæreticorum, &c. Et arbitrati ſunt aliqui, quòd nullo modo liceat inculpatè, quoniam ſchiſmatici & hæretici ſunt Iure Eccleſiaſtico excommunicati, ac ideò vitandi: & non ipſi tantùm, ſed etiam quæ ad ipſos pertinent, ne Catholici eorum operibus malignis communicare videantur: & cauendum eſt non modò ab ipſo malo, ſed ab omni ſpecie & ſuſpicione mali.

Quomodo liceat in Eccleſijs ſchiſmaticorum celebrare.

Reſpondendum arbitror cum diſtinctione. Quòd non liceat Catholicis in Eccleſijs ſchiſmaticorum & hæreticorum diuina Officia celebrare, poteſt inde prouenire, quòd id illis interdictum ſit vel Iure diuino, vel Eccleſiaſtico. Et tunc quidem diuino Iure cenſetur interdictum in illis celebrare, Primò, ſi ex huiuſcemodi celebratione offenſio aut ſcandalum aliorum oriretur. Secundò, ſi nobis periculum immineret noſtri ſpiritualis exitij & interitus, videlicet perfidiæ, & Chriſtianæ Religionis contemptus. Tertiò, ſi ex tali celebratione quis ſuſpicari poſſet, nos approbare ritus, mores & errores ſchiſmaticorum & hæreticorum, & cum eiſdem communicare. Quibus in caſibus

Digitized by Google

casibus dico, siue hæc omnia concurrant, vel vnũ tantùm, nullo modo licere Catholicis in Ecclesijs prædictis celebrare, quia id illis diuino Iure est interdictum. Vel potest intelligi esse illis vetitum Iure Ecclesiastico: & tunc erit vel Primò, quia dictæ Ecclesiæ sunt nominatim & specificè interdictæ; vel Secundò, quia pollutæ sunt sanguinis vel seminis humani effusione, vt tradunt Doctores & Iura; vel denique, quia in ipsis sepulti sunt pagani, Iudæi, infideles, excommunicati. cap. Ecclesiam 1. & c. Ecclesiam 2. De consecrat. dist. 1. & c. Sacris. De sepulturis. cum alijs Iuribus. quod intelligendum de excommunicatis publicè denuntiatis, & non de alijs, vt docet Nauarrus Consil. 15. num. 4. De hæreticis. & alij. Sed hæc æquè accidunt Ecclesijs Catholicorum quàm schismaticorum & hæreticorum, vt constat; igitur Iure Ecclesiastico non est Catholicis interdictum in schismaticorum Ecclesijs celebrare. Imò cùm ij non sint nominatim denuntiati, licebit non solùm eorum templa adire, & in eisdem orare, sed etiam eorumdem Missas & conciones, secluso periculo subuersionis & scandali, audire, ad illorum posteà errores confutandos, & hæreticam prauitatem subuertendam, secundùm citatum Nauarrum.

Nec dicendum, dictas Ecclesias violari & pollui schismaticorum sacrificijs & precibus, quia id frustrà diceretur; alioqui enim & ipsæ Catholicorum Ecclesiæ in his partibus, & singulariter ipsamet Terræ sanctæ loca polluta essent, quia in ijsdem orant & etiam celebrant schismatici: & tamen nemo hoc dicit, nec vllibi hoc illis est prohibitum. Ad hæc cùm Mendicantes secundùm sua priuilegia possint extra templa celebrare, nescirent an tuta conscientia in itinere possent aliquo opportuno loco inuento celebrare, quia probabiliter suspicari possent in eo schismaticos celebrasse, præsertim cùm in his partibus illi longo interuallo superent Catholicorum numerum. Denique praxis virorum sapientum & piorum id ostendit: ipsi enim in quibusdam peculiaribus Terræ sanctæ locis ad schismaticos pertinentibus, rationabili aliqua de causa celebrant, etsi rarò, vt in Ecclesia S. Iacobi Armenorum, in festo eiusdem Sancti, in Octaua Pentecostes in domo Caiphæ in monte Sion, eorumdem Armenorum, quia in proxima Ecclesia, vbi descendit Spiritus sanctus super Apostolos, quoniam in mesquitam conuersa est, celebrare non licet; & sic de similibus: sicut & ipsi schismatici aliquando celebrant in sanctis locis Catholicorum, quæ tamen non creduntur pollui ex illorum celebratione; præsertim cum in pluribus illorum Liturgiæ & Orationes à Catholica Ecclesia damnatæ non sint, sed admissæ, & tantùm errores & hæreses damnatæ. Locorum item sanctitas non faceret licitum, quod aliàs esset illicitum. Et ex his apparet, quomodo liceat & non liceat Catholicis in Ecclesijs schismaticorum celebrare: licere nimirum, secluso periculo erroris, & scandali proprij vel alieni, quia non alia ratione interdictum inuenitur.

Modus seruandus in celebratione in locis schismaticorum.

Quantum ad praxim, modumque procedendi, quod quarto loco superiùs proposui, breuiter quatuor ego obseruarem & obseruanda esse dicerem. Primò, extra Terram sanctam nullatenus in templis schismaticorum, secluso casu necessitatis, celebrarem, sed benè, eo posito. Exempli gratia: occurrit præceptum dicendi vel audiendi Sacrum, vel infirmum in extremis agentem communicandi, & non esset facultas celebrandi in Ecclesia vel domo Catholica, tunc celebrarem in schismaticorum Ecclesia, aliàs minimè, ad vitandum non solùm ipsum scandalum, sed etiam occasionem scandali: possent enim, si aliter fieret, tam Catholici quàm schismatici facile scandalizari. Catholici quidem, credendo nos perfidiæ schismaticorum communicare, atque eorum prauos ritus vel errores approbare: schismatici verò, quia possent ex celebratione Catholicorum in ipsorum Ecclesijs, magis in suis erroribus obdurari, sibi persuadendo nos illorum ritus approbare.

Secundò, si versarer inter schismaticos, vt illos redderem Catholicos, quoad fieri posset, secluſa Dei offensa, illis me conformarem, vt ipsi sanctæ Ecclesiæ se conformarent: & ideò etiam extra necessitatem aliam in eorũ Ecclesiis Missas celebrarem, sanctum Apostolum imitatus, qui de se ipso 1. Corinth. 9, 19. inquit: *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis tamquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer; iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cùm ipse non essem sub lege) vt eos, qui sub lege erant, lucrifacerem*, &c. Hinc Timotheum ex patre Gentili natum circumcidit, Actor. 16, 3. & secundùm Iudaicum Nazareorum morem totondit caput in Cenchris, Act. 18, 18. & quando Ierosolymam reuersus ad conciliandam sibi gratiam Iudæorum, antequam ingrederetur in templum, se purificauit cum illis, Act. 21, 26. Vnde D. Ioannes Chrysostomus considerans causam circumcisionis Timothei, Hom. 20. in Acta inquit: *Dignum est vt obstupescamus Pauli sapientiam, qui tantopere pugnauit propter circumcisionem; qui omnia nouerat, & non priùs de-*

ſtitit, quàm correxiſſet confirmatum dogma, circumcidit diſcipulum. Non ſolùm alios non prohibet, ſed etiam ipſe hoc facit; & ita omnino ad vtilitatem ſpectat; & nihil cum animi præcipitatione agebat. Hunc voluit, inquit, ſecum egredi. Mirabile hoc, quòd & illum aſſumit. Propter Iudæos, inquit, qui erant in illis locis. Hæc eſt cauſa circumcidendi: non enim ferebant audire verbum ab incircumciſo. Et cur? Vide opus: Circumcidit, vt circumciſionem tollat. Hæc Chryſoſtomus de Pauli conſilio in circumcidendo Timotheum.

Ritus Iudaici Apoſtolorum temporibus licitè obſeruabantur, non poſtea.

Notat autem Auguſtinus Epiſt. vlt. ad Hieronymum, Apoſtolorum temporibus Iudaicos ritus ab illis licitè vſurpatos, poſteà ſeruantibus eos factos eſſe mortiferos. Et quod aliàs contra Fauſtum agens dixerat, iterùm confeſſus eſt. Si igitur licuit S. Apoſtolo repetere & iterare Iudaicos ritus, cùm ſibi ad profectionem Euangelij opportunum viſum fuit, multò magis licebit facere quæ Chriſtianorum ſchiſmaticorum ſunt, & non ſunt interdicta, vt celebrare in ipſorum Eccleſijs quacumque data cauſa, vt ab illis faciliùs ſchiſma tollatur.

Tertiò, celebrantem etiam extra dictum neceſſitatis tempus ex ſola deuotione, ſecluſo ſcandalo, non auderem damnare, quia cùm verba Pontificum in ſecundo priuilegio abſolutè concedant Fratribus facultatem celebrandi in harum partium locis per quæ tranſeunt, nos diſtinguere non debemus pro tempore neceſſitatis vel alio, præſertim cùm priuilegium Principis ſit, quod ſemper aliquid valere, & in latiſſimo ſignificatu accipi debet. Non valeret autem, neque in latiſſimo ſed ſtrictiſſimo ſenſu acciperetur, ſi non liceret in dictis Eccleſijs celebrare niſi pp̃ſita neceſſitate: quia ſi illa vrgeret, quandoquidem ſub legem non cadit, etiam abſque priuilegio celebrare ibi liceret.

Quartò denique, In Terra ſancta non ſolùm in caſu neceſſitatis, ſed etiam extra, celebrarẽ in peculiaribus ſanctis locis ſchiſmaticorum, tum vt Catholico cultu honorentur, tum vt peculiari deuotioni fiat ſatis. Ratio diſcriminis horum locorum ab alijs, eſt, quia ex celebratione in ſanctis locis non oritur ſcandalum nec fidelibus nec infidelibus, quoniã omnes probè norunt, in illis preces & ſacrificia offerri præcisè ob deuotionem erga loca ſancta. Itaq; cùm hîc ius diuinum vel Eccleſiaſticum non obſtet, arbitror Fratres poſſe tuta conſcientia, abſque aliquo peccati ſcrupulo, in dictis ſchiſmaticorum ſanctis locis preces fundere, & offerre ſacrificia, in altari tamen portatili, cum alijs quibus Romana Eccleſia in Miſſarum celebratione vtitur.

Ex his iam apparet, quid reſpondendum ſit ad rationem dubitandi initio adductam: illa enim concludit de hæreticis nominatim denuntiatis, & Eccleſijs ſimiliter interdictis, & quando ex tali celebratione imminet ſcandalum & erroris periculum. Lege de his P. Thomam à Ieſu in ſuo Opere de Procuranda ſalute omnium gentium, l. 8. Parte 2. §. 4.

CAPVT XXIV.

De quatuor priuilegijs Fratrum Terræ ſanctæ, quantum ad ornatus Eccleſiaſticos, indulgentiarum conceſſionem, & votorum commutationem.

FRatres Terræ ſanctæ, & qui in alijs partibus infidelium habitant, ſunt priuilegiati quantum ad ornatus Eccleſiaſticos, & alia ſacra, quoad quatuor: Primò quantum ad benedictionem; ſecundò quantum ad conſecrationem; tertiò quantum ad indulgentias; & quartò denique quantum ad votorum commutationem.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

Minores inter infideles poſſunt benedicere veſtes Sacerdotales, corporalia, altaria, &c.

Fratrẽs Terræ ſanctæ, & in partibus alijs infidelium degentes, poſſunt benedicere veſtes Sacerdotales, pallas, corporalia, altaria, &c.

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

Iidem Fratres in eiſdem terris poſſunt calices & cœmeteria benedicere.

Declaratio primi & ſecundi priuilegij.

Duo hæc priuilegia, cum totidem alijs de quibus poſteà hoc ipſo Capite, conceſſerunt plures Summi Pontifices. In primis Clemens V. Innocentius IV. & Ioannes XXII. hiſce verbis: *Concedimus Fratribus in terris infidelium, hæreticorum & ſchiſmaticorum conſtitutis, vbi non habetur copia Catholicorum Epiſcoporum, quòd poſſint veſtes Sacerdotales, altaris pallas & corporalia, cùm neceſſe fuerit, dummodò Sacerdotes fuerint, benedicere, & alia facere, quæ ad augmentum & ampliationem, ac reprobationem & irritationem illorum qui ſacris traditionibus contradicunt, pro loco & tempore viderint expedire.* Hæc dicti Summi Pontifices. Iidem concedunt eiſdem Fratribus, poſſe in locis in quibus hoſpitantur vel moram trahunt, Miſſam & alia diuina Officia celebrare, cœmeteria benedicere, dare indulgentias, & vota commutare.

Secundò, Gregorius IX. conceſſit Fratribus Minoribus, qui ſunt Presbyteri, in terris infidelium exiſtentibus, vt poſſint veſtes

veſtes Sacerdotales, altaris pallas & corporalia (cùm neceſſitas exegerit) benedicere, vbi Catholicorum Epiſcoporum copia non habetur. Ita habetur in Monumento Ordinis, & refertur in Compendio priuilegiorum Ordinis Minorum v. Benedicere Eccleſiaſtica, §. 1.

Tertiò, Calliſtus III. concedit in prima Bulla Guardiano Montis Sion, & vniuerſis Fratribus per totam Aſiam conſtitutis, quòd poſſint altaria, calices, corporalia, & alia diuino cultui deputata paramenta benedicere.

Et denique Sixtus V. in Bulla ſua, vt Fratres pro locorum & miniſtrorum Eccleſiaſticorum dictorum locorum opportunitate paramenta Eccleſiaſtica benedicere poſſint & valeant, & liberam, ac omnimodam Apoſtolicâ auctoritate licentiam, poteſtatem & facultatem perpetuò concedit.

Ad intellectum porrò horum priuilegiorum quinque notanda veniunt. Primum, in conceſſione Clementis V. Innocentij IV. Ioannis XXII. & Gregorij IX. concedi quidem facultatem benedicendi veſtes ſiue ornatus Eccleſiaſticos, &c. ſed cum limitatione & reſtrictione, vbi videlicet non poteſt haberi copia alicuius Epiſcopi Catholici; in conceſſione verò Calliſti III. & Sixti V. qui illis ſucceſſerunt, idem concedi abſolutè, nulla prorſus addita conditione reſtrictiua, nec loquendo de Prælatis vel ſubditis, aut pro eorum vel aliorum vſu, aut de Catholici Epiſcopi alicuius præſentia. Cùm igitur abſolutè concedant illam facultatem Pontifices, abſolutè accipienda erit: fauores enim ſunt ampliandi, & priuilegium Principis latiſſimè eſt interpretandum, vt Iura docent, & iam aliquoties monuimus. Et eiuſmodi abſolutam facultatem arbitror eſſe neceſſariam in partibus iſtis, experientia id me docente. Lege Mirandam Tom. 2. q. 40. Cùm ergo Fratres in terris infidelium habitantes, plurium Pontificum habeant priuilegia, ſe inuicem non deſtruentia, in materia quam tractamus, poterunt quouis illorum, & ſtrictioribus relictis, laxiori & ampliori vti, videlicet Calliſti & Sixti, ſecundùm ea quæ dicemus Capite ſequenti.

Notandum ſecundò, non tantùm dictos Fratres talibus gaudere priuilegijs, ſed etiam alios Religioſos. Sixtus IV. Minoribus conceſſit inter viua oracula, vt poſſint benedicere omnes veſtes Sacerdotales. Leo X. Bulla 6. conceſſit Prælatis Fratrum Minorum, &, illis abſentibus, eorum Vicarijs, vel habentibus principale regimen, vt poſſint benedicere non tantùm veſtes Sacerdotales & alia ornamenta Eccleſiæ, ſed etiam corporalia, ſed pro eorum vſu tantùm. At pius V. & Innocentius VIII. idem abſolutè & abſque vlla limitatione conceſſit. Iulius II. Bulla 25. conceſſit Benedictinis, poſſe conſecrare calices & patenas ſuorum Monaſteriorum, grangiarum & beneficiorum. Et amplius Innocentius VIII. Bulla 5. conceſſionem fecit Abbatibus Ciſtertienſibus, & alijs primis Coabbatibus dicti Ordinis, conſecrandi calices etiam extraneos. Et multorum Doctorum opinio eſt, Regulares Prælatos poſſe benedicere paramenta & ornamenta Eccleſiæ, & ipſa corporalia, non ſolùm pro ſe & ſuis, ſed etiam pro alijs. Et ſanè id præ ſe ferunt verba Innocentij, quæ adducit Rodericus Tom. 1. q. 19. art. 2. quòd *Priores, & Vicarij in illorum abſentia, & quilibet habens principale regimen cuiuſcumque monaſterij, poſſint benedicere corporalia, veſtimenta, ceteraq; ornamenta Eccleſiaſtica ad cultum diuinum pertinentia, tam ſui Monaſterij, quàm etiam vndecumque ſint.* Qua conceſſione noſtri Guardiani, & in eorum abſentia Vicarij, vti poſſunt. Et aduertit etiam idem Rodericus, quòd in noſtra Religione dicti Guardiani & Vicarij illa poſſint, non obſtante quòd Capitulum generale Mechinenſe determinauerit & præceperit, quòd ſolùm Prouinciales facultatem habeant benedicendi corporalia. Nam poſt dictum Capitulum generale habemus ſupradictas conceſſiones, quæ nobis per communicationem conceduntur. Et in libro cærimonialium noſtræ Religionis recepto & approbato in Congregatione generali noſtri ſacri Ordinis, celebrata in cœnobio S. Ioannis Regum Toleti, aduertitur, quòd Guardiani habeant iſtam facultatem, & ea vti poſſint. Ad hoc faciunt quæ ſuprà notauimus Cap. IX. in 11. Dub. in explicatione quarti priuilegij. Aduertit etiam idem Auctor, dictam facultatem concedi quidem Vicarijs, ſed non communibus & ordinarijs, ſed illis qui in noſtra Religione Præſidentes dicuntur: ait enim Pontifex illam concedere Priori, & habenti principale regimen. Conſule quæ ſuprà diximus Capite 11. de Vicario ſacri Montis Sion.

Ad hæc in partibus Indiarum Prouinciales Patrum Societatis Ieſu, & Fratrum Minorum, nec non ij quibus ipſi commiſerint, ex conceſſione Adriani VI. & Leonis X. poſſunt benedicere calices & altaria, etiam pro vſu alieno, vt aduertit Rodericus Tom. 1. quæſt. 28. art. 2. Miranda Tom. 2. quæſt. 40. & iſte ibi quæſt. 39. art. 1. Prælati Minimorum & Minorum ex priuilegio poſſunt etiam Eccleſias ſolemniter benedi-

cere,

cere, & alia præstare ad diuinum cultum spectantia, in quibus Chrisma non interuenit. Denique quomodo Prælati Regularium possint in suis terris conficere Chrisma, notauimus suprà Cap. XVIII. in explicatione 8. priuilegij.

Benedicere verbum vario significatu vsurpatur.

Notandum tertiò, quòd verbum *benedicere* possit accipi dupliciter. Vno modo, pro simplici & communi benedictione, in qua sanctum Oleum vel balsamum non adhibetur: alio modo, prout se extendit ad illam in qua hæc adhibentur, id est pro consecratione.

Dubium esse potest, in quo sensu accipiatur vox *benedicere* in priuilegio. Et quidem quatenus dicitur de benedictione Ecclesiasticorum paramentorum, clarum est, in priori significatione accipi; sed quatenus enuntiatur de benedictione calicum & altarium, Collector & expositor priuilegiorum Terræ sanctæ in suo conscripto libello cap. 7. arbitratur accipi in posteriori significatione pro consecrare vel reconciliare. *Quia*, inquit, *nulla alia benedictio fit altaribus, nisi quando consecrantur vel reconciliantur.* & vult etiam vt de cœmeterijs & Ecclesijs intelligatur. Quæ sententia si vera est, nulla erit difficultas de secundo priuilegio, quòd videlicet Fratres Terræ sanctæ possint calices, altaria, & Ecclesias consecrare: quod profectò maximum esset, quia solis conuenit Episcopis altaria & Ecclesias consecrare & reconciliare, vt probat Siluester, quem adducit & sequitur Ludouicus Miranda Tom. 2. quæst. 39. art. 1. est enim illorum proprium munus, quod nec ab illis simplici Sacerdoti committi potest, sed benè Ecclesiarum benedictio, vt ibidem dicitur, & nos statim dicemus.

Benedictio & consecratio aliquando distinguuntur.

Dicendum, benedictionem si non altarium, saltem Ecclesiarum, etiam solemnem, ab earumdem consecratione vel reconciliatione distingui. Et ita esse colligitur ex Romano Pontificali, in quo assignantur tamquam distincta, consecratio altarium, Ecclesiarum & cœmeteriorum reconciliatio, & eorumdem benedictio. In Pontificali enim Romano Romæ impresso in Typographia Medicea 1611. de Ecclesiæ dedicatione seu consecratione agitur à pag. 208. vsque ad 281. de consecratione verò altaris, siue fixi, siue non fixi & portatilis, à pag. 288. vsq; ad 327. de cœmeterij benedictione à pag. 327. vsq; ad 340. de reconciliatione Ecclesiæ & cœmeterij à pag. 340. vsque ad 354. de consecratione patenæ & calicis à pag. 354. vsque ad 356. De alijs verò, quibus sola simplexque adhibetur benedictio, vt corporalium & indumentorum Sacerdotalium, seorsim etiam ibi agitur.

Quid nunc difficultati respondere debemus, poterúntne Fratres dicto priuilegio vti? Respondetur affirmatiuè, & Primò ratione assignata à citato Collectore priuilegiorum: quia etsi differant benedictio, consecratio, & reconciliatio Ecclesiarum & cœmeteriorum, non tamen altarium, quorum benedictio & consecratio non distinguuntur. idem dicatur de benedictione calicum & patenarum, & de istis expresè ille loquitur, vt vidimus. Cùm ergo eadem sit ratio de altarium ac Ecclesiarum vel cœmeteriorum consecratione, si conceditur facultas benedicendi, id est consecrandi altaria, eadem non negabitur pro consecratione Ecclesiarum & cœmeteriorum.

Si dicatur, hæc esse officia muneris Episcopalis, ideoque non posse simplici Sacerdoti committi. Respondetur à nonnullis, antecedens verissimum esse, & consequentiam ab aliquibus admitti. Sed enim aliter & meliùs respondendum, distinguendo consequentiam; quia vel est sermo de Episcopis simplicibus, vel de Summo Pontifice. Illi non possunt munera illa simplici committere Sacerdoti, benè tamen iste. Et quemadmodum non quidem Episcopi, sed Summi Pontifices ex priuilegio simplicibus Sacerdotibus concesserunt alia quæ sunt muneris Episcopalis, vt minores Ordines, & Confirmationis Sacramentum conferre, &c. vt iam vidimus, & videbimus in sequentibus; ita potuerunt memoratum priuilegium Pontifices iustè concedere Fratribus, & isti rationabiliter illo vti. Facit quod scribit Siluester v. consecratio 2. quæst. 8. De reconciliatione. qui hoc affirmat, secundùm Innocentium & Glossam De consecrat. Ecclesiæ vel altaris in c. Aqua: vbi inquit, quòd Papa id ipsum pluribus non Episcopis concesserit, aqua tamen priùs per Episcopum benedicta. Quam opinionem tenet etiam Panormitanus ibidem, vbi & tradit generalem regulam, qua dicit idem esse dicendum in omnibus quæ sunt iuris Episcopalis, ex dispositione humana: *Quia in his*, inquit, *habet Papa plenitudinem potestatis, vt constat ex cap. Proposuit. De concessio. præben. Secùs est autem in his quæ ex dispositione diuina certo sunt alicui Ordini commissa; nam non habenti talem Ordinem, etiam per Summum Pontificem committi non possunt, iuxta Glos. in cap. Peruenit, dist. 95.* Videatur Siluester & Sayrus lib. 5. sui Thesauri cap. 16. num. 31. & 32. & Miranda Tom. 2. quæst. 39. Ergo nos inferamus, cùm vel consecrare Ecclesiam, altare, cœmeterium, calices, patenas, vel reconciliare & benedicere, non constet ex Iure diuino esse Ordini Episcopali annexa, potent Summus

Quæ sunt iuris Ecclesiastici, & si propria Episcopi, possunt à Summo Pontifice simplici Sacerdoti committi.

mus Pontifex huiuſcemodi munera committere alteri Sacerdoti in Epiſcopali dignitate haud conſtituto; præſertim inſta exiſtente ratione, qualem eſſe in partibus iſtis infidelium non eſt ambigendum: & verè eſſe conceſſam, dicendum eſt, cùm oppoſitum non conſtet, & Bullæ Pontificum clarè loquuntur.

Altarium conſecratio quomodo fiat.

Dicendum etiam Secundò, Fratres Terræ ſanctæ poſſe munera in illo priuilegio expreſſa exercere virtute clauſulæ generalis poſitæ in Bullis Pontificum, de qua ſequenti Notabili. Sed priùs quantum ad hanc materiam vnum aduerte inter alia quæ obſeruari poſſent, Vnctione nimirum Chriſmatis & benedictione conſecrari altare, c. Altaria. De conſec. diſt. 1. Et Sanctorum Reliquias non ſpectare ad conſecrationis eſſentiam, etſi id quidam dicant, ex c. Placuit. De conſ. diſt. 1. Nec licet Reliquiarum loco Hoſtiæ conſecratæ particula vti, vt voluit Durandus lib. 1. cap. 7. ad alium enim finem Euchariſtia inſtituta eſt. Vide Silueſtrum v. Altare. vbi de hoc plura, Suarez Tom. 3. diſp. 81. ſect. 6. & Stephanum Durandum lib. 1. c. 15. De ritibus Eccleſ. Quare licet in partibus iſtis non ſint Sanctorum Reliquiæ, nec facile haberi poſſint, poterunt nihilominùs Fratres altaria conſecrare quæ ad manum ſunt, donec habeant Reliquias.

Hoſtia ſacra non eſt adhibenda in altaris conſecratione nec Sanctorum Reliquiæ neceſſariò.

Et hoc probatur in hunc modum. Inter alias difficultates propoſitas Summo Pontifici & ſacræ Congregationi ſuper fide & ritibus Catholicis, nomine Patriarchæ Maronitarum, hæc fuit: *Quartò lapides altarium noſtrorum ſacri Oleo Chriſmatis vncti ſunt, non adhibitis ſacris Sanctorum Reliquijs, ſuper quibus num rectè celebretur, nec ne.* Et ſic tuit reſponſum, *Ad quartum diſpenſari poteſt, donec mittantur commodè Reliquiæ, quæ portatili altari inſerantur.* Ita refert P. Thomas à Ieſu De procuranda omnium gentium conuerſione lib. 7. c. 5. §. 8.

Particula notanda in Pontificum priuilegijs.

Quartum notandum. Diligenter obſeruanda eſt clauſula illa ſuprà potita in priuilegijs trium Pontificum, quæ dicit: *Et alia facere, quæ ad augmentum & amplificationem fidei Catholicæ pertinent, ac reprobationem & irritationem illorum, qui ſacris traditionibus contradicunt, ſicut pro loco & tempore viderint expedire.* Hæc enim clauſula tam generalis & ampla, in multis poteſt timoratorum Fratrum circa hanc materiam ſerenare conſcientias. In Iure enim habetur, quòd quando fit alicui commiſſio cum clauſula generali, ſi priùs fuit expreſſum aliquid requirens ſpeciale mandatum, ille cui fit commiſſio auctoritate illius clauſulæ generalis poſſit tractare etiam alia non expreſſa, requirentia ſpeciale mandatum. c. Qui ad agendum. De procuratoribus, in 6. Sic cùm in ipſis priuilegijs committantur Fratribus aliqua requirentia ſpeciale mandatũ, puta benedicere corporalia, &c. cum clauſula generali ad alia, poterunt Fratres auctoritate illius clauſulæ generalis ſubſequentis alia facere, quæ etiam mandatum ſpeciale requirunt.

Similia priuilegia pro aliis Minoribus & Patribus Societatis.

Huic auctoritati duo alia ſuffragantur priuilegia, alterum Hadriani VI. pro Minoribus in terris Indiarum habitantibus, de quo ſuprà cap. 18. alterum Pauli III. Bulla 8. pro Religioſis Societatis Ieſu in terris infidelium habitantibus, in quo illis concedit, vt poſſint Eccleſias erigere, & reformare veſtes, corporalia, calices, cœmeteria (ſi Epiſcopi non adſint) benedicere, ac Eccleſias violatas reconciliare, & ſtatuta neceſſaria facere, & ea mutare, & bis de die celebrare.

Quinque caſus quibus Eccleſia iteratò conſecranda.

Quintum notandum ſit, quinque caſus à Doctoribus aſſignari, quibus Eccleſia denuò conſecranda eſt. Primus, quando conſecrata eſt, non tamen in forma Eccleſiæ; tunc enim debet reconſecrari. De conſecr. diſt. 1. c. Eccleſias. Arch. 1. quæſt. 4. c. Eccleſia. in Glo. 3. Et idem ſtatuendum de altari non in forma Eccleſiæ conſecrato. Secundus, cùm dubitatur de eius conſecratione, quia de hoc non apparet aliqua ſcriptura in inſtrumento dotationis, vel in libro Eccleſiæ, vel in columna, vel in tabula marmorea, nec etiam apparet aliquis teſtis qui viderit vel audierit. De conſecr. diſt. 1. c. Solemnitates. Et quòd quælibet dictarum probationum ſufficiat, patet in dicto c. Solemnitates, & 24. q. 2. Sanè profertur, vt in ſacris dyptichis, id eſt, columnis Eccleſiæ. & 22. quæſt. 5. Hoc videtur. Et ſcias, eiuſmodi ſemiplenas probationes ſufficere, quando de hoc non eſſet contentio, per quam vel tolleretur probatio, vel appareret quòd tali probationi fides adhiberi non poſſit, ſcilicet quando alteri præiudicium fieret. Aſtenſis lib. 6. tit. 29. art. 2. Tertius, quando Eccleſia ſic exuritur, vt parietes ſint omnino combuſti, vel diruti, vel notabiliter decruſtati in toto, vel in maiori parte, vt in cap. Eccleſijs. De conſecr. diſt. 1. Secus ſi ſolum tectum exuſtum fuerit, tit. Noſtro. cap. Ligneis. Quartus, ſi tota Eccleſia, vel maior pars deſtructa vel diruta ſit, vel ſimul vel ſucceſſiuè, ante reædificationem. Ita Turrecremata in c. Eccleſiæ. De conſecr. diſt. 1. Quintus, quando conſtat, omnia quidem quæ ſolent fieri in conſecratione, ritè & ſolemniter eſſe peracta, ſed dubitatur, an conſecrans fuerit Epiſcopus, quia tunc, ſecundùm Hugonem, eſt reconſe-

1. *Quando non fuit conſecrata in forma Eccleſiæ.*

2. *Quando de conſecratione dubitatur.*

3. *Combuſtione vel diruptione parietum Eccleſiæ.*

4. *Totius vel maioris partis deſtructionis.*

5. *Si dubitatur an conſecrans habuerit facultatem.*

consecranda. dist. 68. c. Presbyteri. Adde, vel à Summo Pontifice habuerit consecrandi facultatem, ex dictis in 3. Notandi.

Altare profanatum sacrificium restituitur. Similiter altare fex casibus potest reconsecrari. Primus, si mensa vel tabula altaris, id est pars superior altaris fuerit mota, id est mutata secundum locum, vel enormiter vltra medietatem fracta fit, secundum Hostiensem cap. 1. & hoc intelligitur de tabula affixa. Tabula enim consecrata, quæ non est affixa, de loco ad locum transfertur, nec ideo consecratur, dum tamen lapis superior non separetur ab eo, cui compingitur. Vnde si mensa moueatur cum cohærentibus sibi, non oportet propter hoc altare consecrari, vt patet in altari portatili. De consecr. dist. 1. cap. concedimus. Secundus est, si aliquis de lapidibus mensam tangentibus fuerit motus, secundum Ber. Ext. Eo. c. 1. Quod intelligo de lapidibus principalibus: vt si super quatuor columnas fundata sit mensa altaris, & vna earum fuerit mota, mensa nihilominus remanente immota. Secus est de lapidibus parietis, vel de ipso pariete, vel lateraliter compagitum est altare in quibusdam Ecclesijs: quia propter motionem illius parietis, vel lapidum non reconsecrabitur altare, si manear immotum. Tertius, quando altare ex toto destructum est, & tunc readificatur, quia tunc debet reconsecrari: destructio enim esse videtur, definit & bene esse. Quartus casus est, quando sigillum altaris, id est lapis quo sigillantur Reliquiæ, fractum fit, vel diminutum fuerit, reconsecrandum est altare, cap. Ecclesiæ. De consecrat. dist. 1. c. Quod in dubijs. Extra. eod. Quintus casus est, quando tantum additum altari, vt amittat formam quam habebat: quia forma dat esse rei, tunc enim consecrandum est; argumento 5. cuzzit. 2. Hoc ius. Propter modicum tamen additamentum non defectatur, quia tunc sacrum trahit ad se non iacrum. Extra. eodem. c. Quod in dubijs. Sextus, quando dubitatur, an altare sit consecratum. De consecr. dist. 1. c. Ecclesiæ.

1. Altaris destructio.

2. Sigilli fractura.

5. Nimia additione, forma altaris mutatione.

6. Dubitatione consecrationis.

Sigillum quare fit factum.

Sed quia suprà mentionem fecimus sigilli, idcò sciendum, quòd sigillum dicatur quasi altare signans: demonstrat enim & signat cuius est, sicut de signo dicitur De consecrat. dist. 1. c. Signum. Hinc sigillum dicitur titulus: quia vt ille declarat materiam libri, c. Inter dilectos. De fide instr. ver. Nam in ipso. sic illud manifestat altare consecratum. Vnde titulos dicitur à Titan, quod est Sol: vel dicitur titulus, quia solet intitulari sub nomine alicuius Sancti. Vocat etiam Hostiensis figillum Sepulchrum, vt dicit Ioannes Andreas in Rubricis cod. tit. Et considerandum, quòd cum Ecclesiæ & altaris consecrationes distinctæ sint, & vna ab altera non pendeat, possit Ecclesia consecrari, vel defecrari absque altaris consecratione vel defectatione, & è conuerso. Secus eſt de reconsecratione: quia quamuis distinctæ sint, adeò annexa sunt Ecclesia & altare, vt vnum sine alio violari non possit, vt notatur in cap. 1. De consecr. dist. 1. secundum Hostiensem. De his plura Alfensis citatus, Silueſter v. Consecratio 2. Graffius par. 2. lib. 2. cap. 15. Miranda Tom. 2. Manualit. Prælat. quæst. 30. per totam, & alij.

Ecclesia & altaria consecrata distincta.

Ecclesia sine altari consecrata.

Altare sine Ecclesia consecratum.

Ecclesia & altare simul violari non possunt.

Hæc placuit adnotare, præsertim propter harum partium Ecclesias, quarum multæ sunt vel vetustate vel odio infidelium admodum consumptæ ac deuastatæ, de quarum defectatione non immerito dubitari potest. Quare ex dictorum, & præmissorum Ecclesiarum consideratione quid de illarum defectatione vel consecratione iudicandum ac faciendum sit, apparebit. Pluribus etiam in hisce explicandis præsertim memoratus iuſ, quonam non aliquos eiidem fuisse refractarios, vt qui arbitrati fuerint, illa simplicibus Sacerdotibus concedi haud posse, ac consequenter non posse Guardianum, vel Fratres Terræ sanctæ Ecclesias, vel altaria consecrare, &c.

Notanda etiam sunt postrema verba Pontificum quæ præsis additamus, quonam ex ipsis adhuc sequenta priuilegia habemus.

PRIVILEGIVM TERTIVM.

Fratres Terræ sanctæ non sint infidelium habitantes, possint imperiti ad indulgentias.

Fratres Terræ sanctæ, & in alijs partibus infidelium habitantes, possint imperiti ad indulgentias.

PRIVILEGIVM QVARTVM.

Idem Fratres possunt vota commutare.

Declaratio tertij & quarti priuilegij.

Diuersitas facultatum Fratrum Terræ sanctæ.

Indulgentiæ quæ concedi possint.

Pro tertij priuilegij intelligentia, & vt penitus sciant Fratres, quid sibi illius virtute tribuatur, duo præstabimus: dubium diluemus, & duas Conclusiones statuemus.

Quantum ad primum quæritur, quam facultatem ex iure habeant aliqui Religiosi, & quam ex priuilegio. Rodericus 1 o. 2. quæst. 86. secundum plura iura & Doctores ostendit, auctoritatem concedendi indulgentias residere de iure diuino in habentibus auctoritatem Episcopalem vel quasi Episcopalem, cuiusmodi tamen, quòd Summus Pontifex illimitata habeat, quia non solum non plenarias, sed etiam plenarias potest concedere, secundum omnes, & hoc vsu est comprobatum; sed Episcopi

ſcopi nonniſi limitatam & quadraginta dierum, vel vnius anni, vt patet in c. Cùm ex eo. De ſenten. excom. & Gloſſa ibid. Emanuel Sà v. Indulgentia. num. 16. & certo quoque tempore, quando videlicet exercent aliquos actus Epiſcopales. An poſſint aliàs dare in foro conſcientiæ, controuertitur inter Doctores. Inferiores autem Epiſcopis, & ſimilem non habentes auctoritatem, non poſſunt ex Iure vllam concedere indulgentiam, vt Curati, Priores, Guardiani, & alij Prælati locales: hæc enim reſidet tantùm in habentibus auctoritatem Epiſcopalem, vel quaſi, vt videre eſt in c. Accedentibus. De exceſſ. Prælat. vbi reprehenduntur Abbates concedentes indulgentias, quia extendunt manus ad ea quæ ſunt dignitatis Epiſcopalis.

Miniſtri Generales vel Prouinciales Religioſorum poſſunt indulgentias concedere.

Hinc meritò Rodericus cum Michaële Medina tenet contra Cordubam, Generales & Prouinciales Miniſtros, & habentes, vt iſti, auctoritatem quaſi Epiſcopalem, poſſe ex Iure diuino indulgentias vt illi concedere. Nec obſtat Decretalis in contrarium adducta, quia in ea reprehenduntur Abbates non exempti, ſed ſubditi Epiſcopis, in quibus non reſidet auctoritas Epiſcopalis, vel quaſi. Quòd ſi exempti fortè, tantùm locales. Vel quidquid ſit, ſi reprehenduntur in vniuerſum, ideò eſt, quia excedebant modum in concedendo, vel non ſuis ſubditis, vel maiores quàm Epiſcopi concedere ſoleant vel poſſint. Nec ſimiliter obſtat, huiuſmodi Prælatos indulgentias concedere non ſolere, quia ex hoc tollitur tantùm vſus, non autem facultas: quia cùm hæc diuina ſit, nulla præſcriptione vel contraria conſuetudine tollitur. Ideò ſi dicti Prælati dare attentarent indulgentias vt Epiſcopi, valerent ſecundùm hanc probabilem opinionem. Itaque poterunt ex Iure iſti Prælati concedere, vt Epiſcopi, limitatam indulgentiam, videlicet quadraginta dierum.

Quam indulgentiam dare poſſint iidem Prælati, & alij Fratres inſer infideles.

Sed quas poſſunt iſti Prælati Regularium ex priuilegio Summorum Pontificum indulgentias concedere? Reſpondeo, Prouinciales Mendicantium, facta viſitatione, poſſe dare Fratribus & Sororibus benedictionem, & plenariam indulgentiam. Ita conceſſit Minoribus de Obſeruantia Leo X. & Religioſis Societatis Ieſu Gregorius XIII. Ad hæc, Prædicatores Minorum poſſunt, in quibuſcumque Eccleſijs & locis prædicauerint, ſuis auditoribus indulgentiam quadraginta dierum concedere, ex Alexandro IV. Ita refert Rodericus vbi ſuprà art. 2. Et hæc de primo.

Quantum ad ſecundum, ſit PRIMA CONCLVSIO. Guardianus ſacri Montis Sion poteſt illas dare indulgentias tum de Iure tum ex priuilegio, quas alij item Prælati vt Miniſtri dare poſſunt. Probatur, quia habet auctoritatem quaſi Epiſcopalem, vt patet ex alibi dictis, tum ſingulariter Cap. x. & xii. huius Libri.

SECVNDA CONCLVSIO. Guardianus ſacri Montis Sion, & Fratres in terris infidelium habitantes, virtute dicti priuilegij poſſunt concedere indulgentias, non ſolùm quando aliquem actum Epiſcopalem ex priuilegio exercent, ſed etiam aliàs. Probatur, quia verba priuilegij, quæ aliquid valere debent, ita præ ſe ferunt, quòd nimirum in locis, in quibus hoſpitantur vel reſidentiam habent, poſſint tribuere indulgentias; & non loquuntur de aliquo particulari actu, vnde nec nos aliter diſtinguere debemus. Sed quam indulgentiam dare poſſunt? Reſpondetur, illam quam communiter ex Iure vel priuilegio alij Prælati, præter Summum Pontificem, dare poſſunt, non in peculiaribus tamen actibus viſitationis: quare tantùm limitatam, videlicet quadraginta dierum, vel vnius anni, vt arbitror, impertiri poterunt. Et hoc ſtatim in alterius priuilegij declaratione magis apparebit.

Facultas diſpenſandi in votis quanta.

Circa quartum priuilegium, quo traditur facultas dictis Fratribus, commutandi vota, ſatis abſolutam eſſe arbitratur Collector priuilegiorum Terræ ſanctæ. ſic enim de iſto priuilegio ſcribit: *Quod intelligo, exceptis illis tribus quæ ſolet ſemper Papa reſeruare, ſcilicet Ieroſolymitano, Apoſtolorum Petri & Pauli, & S. Iacobi; quia in generali conceſſione non veniunt ea quæ quis non eſſet in ſpecie conceſſurus, c. 1. De regulis Iuris, in 6. Et attendere debent, ne ſine rationabili cauſa vota commutent: quia quando non ſubeſt cauſa rationabilis, ille cum quo diſpenſatur, non eſt tutus quoad Deum. c. Non eſt. iuxta Gloſſ. De vot. & quod notatur in c. De multa. De præbendis.* Hæc ille. Et hoc poſterius intellige, vt explicatum fuit ſuprà Capit. 1. Notabili 3. Adde tu, & votis caſtitatis perpetuæ & Religionis, in quibus diſpenſandi facultas non conceditur.

Aduerte, eamdem facultatem habere etiam alios Confeſſarios Mendicantium. Et ampliùs Clemens VIII. num. 17. conceſſit Carmelitis in terris infidelium aut hæreticorum exiſtentibus, auctoritatem diſpenſandi in omni voto, etiam caſtitatis & Religionis, ſi neceſſitas aut vtilitas conuerſionis animarum in illis partibus exiſtentium exegerit. Lege Rodericum Tom. 1. q. 63. art. 4. & 5. Mirandam Tom. 1. q. 47. & Ioannem Cruz de Statu Religionis, lib. 2. cap. 6. dub. 8. & 9.

CAPVT XXV.

De tribus priuilegijs Fratrum Terræ sanctæ quoad participationem cum infidelibus, schismaticis & excommunicatis.

SVnt Fratres Terræ sanctæ priuilegiati quoad participationem cum infidelibus, baptizatis & non baptizatis, schismaticis & excommunicatis, & quantum ad hoc habent tria priuilegia.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

Minores possunt cum infidelibus conuersari.

Fratres Terræ sanctæ possunt cum excommunicatis in partibus infidelium in verbis, officio, cibo, & alijs communicare.

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

Infideles & schismatici admitti possunt ad officia Minorum.

Legitima existente causa, possunt ijdem Fratres permittere, infideles & schismaticos vel excommunicatos, aliáve Ecclesiastica censura percussos, suis officijs interesse.

PRIVILEGIVM TERTIVM.

Reuertentes ad fidei vnionem possunt cum suis aliàs schismaticis habitare.

Redeuntes ad vnitatem fidei possunt cum suis etsi schismaticis cohabitare. Et hoc tertium priuilegium personas respicit sæculares, vel etiam Orientalium nationum personas alias. Tria ista priuilegia varij Summi Pontifices concesserunt. In primis Clemens V. Innocentius IV. & Ioannes XXII. concedunt *Fratribus, quòd in terris quæ adhuc Sedis Apostolicæ magisterio non intendunt, possint proponere verbum Dei, & constitutis ibidem, si aliqua sunt excommunicatione ligati, in verbis, officio & cibo, ac in alijs securè communicare.* Concedunt etiam his, *qui ad Catholicæ Ecclesiæ redierunt vnitatem, vt inter suos habitent, eisq; communicent.* Secundò Eugenius IV. concedit *Obseruantibus in omnibus partibus infidelium & etiam fidelium, dummodò sint in Oriente & Septemtrione constituti, quòd non teneantur vitare schismaticos, excommunicatos, seu interdictos quoscumque, quantumcumque notorios, nisi quos Vicarius* (id est illorum Prælatus) *sine per eum deputati, mandauerit vitare in omnibus eorum negotijs.* Tertiò Callistus III. in 2. Bulla concedit *Fratribus de Obseruantia, quòd, rationabili & legitima causa existente, possint conuersari & commorari cum excommunicatis, suspensis & interdictis, nec non cum hæreticis, schismaticis, Iudæis, Saracenis, & alijs à Romana Ecclesia deuiantibus, ac etiam participare in edendo, loquendo & bibendo, & aliàs, non tamen in crimine.* Quartò denique idem Callistus in eadem Bulla concedit *Fratribus in Terra sancta, & per totam Asiam commorantibus, quòd gratia euitandi aliquod scandalum, liceat his permittere schismaticos, suspensos, excommunicatos, & interdictos diuinis Officijs interesse.*

Declaratio horum priuilegiorum.

Inter alia quæ hìc dici possent pro horum declaratione priuilegiorum, septem mihi videntur præcipua, quæ hìc subijciam. Primum est: quadruplex potest esse participatio cum infidelibus vel excommunicatis. *Participatio cum infideli quadruplex.* Prima dicitur participatio in crimine, propter quod aliquis est excommunicatus, c. Si concubinæ. De sentent. excom. Secunda est in aliquo crimine mortali, etsi non in illo propter quod lata est excommunicatio. Nulla ex his conceditur, nec potest concedi participatio. Tertia est in diuinis officijs, & hæc per Clementem, Innocentium, Ioannem, & Eugenium indistinctè conceditur; sed per Callistum limitatur, quando scilicet timeretur scandalum. Quarta in actibus humanæ conuersationis, scilicet loquendo, comedendo, &c. Et hæc per Pontifices conceditur absoluta & limitata, vt patet consideranti ipsorum verba, & nos postèa dicemus.

Secundum obseruandum, est solutio cuiusdam dubij. Tres primò notati Pontifices indistinctè concedunt Fratribus, posse in verbis, &c. participare cum excommunicatis, & Callistus, qui post illos fuit, limitauit illam auctoritatem, scilicet, quando est iusta & rationabilis causa. numquid ea limitatione reuocauit priorum Pontificum concessionem, ita vt Fratres communicantes cum excommunicatis, iusta & rationabili causa non existente, excommunicationem incurrant? Respondendum quòd non, quia priuilegium posterius numquam prius tollit, nisi de eo mentionem faciat, vt habetur in c. Licet Romanus Pontifex. De constit. & in c. Veniens. De verborum significatione, in 6. *Priuilegia posterius prius non tollit, quando.* Et hæc solutio valdè notanda est, quia ad alia in simili materia proderit. Quando enim vnus Papa in vno priuilegio dat plenariam auctoritatem in aliqua re, & alius sequens eam restrictam concedit, non facta prioris mentione, possumus vtroque priuilegio vti. & ita in casu nostro poterunt vti Fratres priuilegio priori trium Pontificum. Arbitror tamen melius esse Fratribus, illo sobriè vti, & non nisi in necessitate, vt concedit Callistus, & maximè simplicibus, qui maius damnum quàm vtilitatem percipient ex hæreticorum, schismaticorum, aliorúmve infidelium conuersatione.

Tertium notandum quod & præcedens magis explicat, est, Doctores dicere, Christianos in fide firmos, ex quorum cum infide-

Digitized by Google

fidelibus conuerſatione ſpiritualis fructus & conuerſio ſperatur, poſſe cum illis participare; ſed ſimplices & infirmos prohibendos eſſe, ne peruertantur & ſcandalizentur, nec admittendos ad illorum conuerſationem, niſi magna exiſtente neceſſitate. Addo, etiam laicis, quantumcumque doctis, prohibitum eſſe ſub pœna excommunicationis, publicè vel occultè diſputare de fide cum infidelibus, ex c. Quicumque. De hæreticis, in 6. vbi Alexander Papa ſic ſtatuit: *Inhibemus quoque, ne cuiquam laica perſona liceat publicè vel priuatim de fide Catholica diſputare. Qui verò contrà fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Ratio prohibitionis eſt, quia laici vt plurimùm ſunt indocti, ac proinde in Iure præſumuntur tamquam minùs idonei & inſufficientes ad diſputandum de myſterijs fidei. Lege Banneſium in 2.2.q.10.art.7. in Comment. Valentiam ibi q.10. annot.1. Sanchium l.2. Moral. c. 6. Gloſſa verò in dictum c. ait: *Fortè etiam per laicos intelligendum ad modum vltramontanorum, qui illiteratos laicos vocant, & litteratos clericos vocant.* 88.*diſt. Inutile. Quid enim eſt dicere, quòd ruralis clericus diſputando de fide, non incidat in hanc pœnam, & Doctor decretorum laicus incidat? tamen ſufficit ita eſſe ſcriptum, & ſolùm duo ſunt Chriſtianorum genera, Clerici & laici.* 12. *quæſt.* 1. *Duo ſunt. & concordat ad hoc c. De ſumma Trinit. L. penult.* Et ita ſentiunt Nauarrus & alij citati à Sanchio n. 6. quia leges, quæ fuerunt pro communitate, non ſolent ſpectare quid aliquando fieri poſſit in hoc vel in illo caſu particulari, ſed quid fiat vt plurimùm: at laici vt plurimùm ſunt indocti, licet aliquando contingat hunc vel illum eſſe doctum; omnes ergo tenentur legem inhibitionis ſeruare. Tenent tamen aliqui, doctos & timoratos laicos non innodari illo vinculo.

Quomodo illitterati & litterati ſint ſæcularibus de rebus fidei tractare cum infidelibus.

Aduerte vlteriùs, non innodari excommunicatione Catholicos cum hæreticis diſputantes, vbi illa inhibitio non eſt in vſu, & fideles cum infidelibus admixti ſunt, vt in Germania, Belgio, Gallia, &c. ſed per contrariam conſuetudinem abrogata: & ita non tenet illa inhibitio ibi. Ita Valentia loco antè citato, aſſertione 2.

Ad hæc aduerte, poſſe contingere caſum magnæ neceſſitatis aut vtilitatis, in quo non habeat locum illa inhibitio: vt ſi eſſet aliquis hæreticus qui peruerteret fideles, & nullus Eccleſiaſticus vel Religioſus adeſſet qui poſſet illi reſiſtere; tunc laico docto id liceret, & ex debito charitatis incumberet. Ita Valentia & Sanchius.

Dubij ſolutio.

Dices: Si laicus diſputando cum hæretico peccat, quia indoctus, ergo & Religioſus & Clericus indoctus diſputando cum eodem peccabit, & ſic vtriuſque par erit ratio. Reſpondeo peccare vtrumque, ſed laicum contra illam inhibitionem Alexandri, & Eccleſiæ conſtitutionem, & contra legem naturalem; Clericum verò contra legem naturalem tantùm: ideoque illum excommunicatione ligari, hunc minimè. Aduerte tamen, excommunicationem illam non eſſe latæ ſententiæ, ſed ferendæ, vt ex verbis Pontificis deducunt citati Doctores.

Vrgebis, etiam Clericis prohibitam eſſe publicam diſputationem de fide, vt patet ex L. Nemo Clericus. C. De ſumma Trinit. ergo & illos peccare non tantùm contra legem naturalem, ſed etiam contra ciuilem. Reſpondetur, legem ciuilem, diſponentem de ſpiritualibus, non obligare Clericos, niſi Iure Canonico ſit confirmata. Ita Azor. l.8. Moral. c.26.q.2. Sanchius loco citato n 8.

Dubij alterius ſolutio.

Quartum notandum eſt, Iudæos, Saracenos, aliosque infideles & excommunicatos, ſi commodè & ſine ſcandalo fieri poſſit, non eſſe admittendos ad diuina officia Chriſtianorum; quia porcis & canibus ſacra non ſunt committenda. cap. In mandatis. 43.diſt. Nec Chriſtiani debent eorum officijs vel ſuperſtitioſis ritibus intereſſe, ne intereſſendo illos approbare videantur. Illos tamen ad ſua diuina officia admittentes, vel ex curioſitate ipſorum inſanijs intereſſentes, non incurrunt pœnas ſtatutas contra participantes in diuinis cum excommunicatis, hæreticis, &c. ſed alia pœna arbitraria puniri poterunt. Et profectò non capio, quomodo ſic intereſſentes ex curioſitate, vel corpore tantùm, vel etiam deridendo & execrando, & ad confutandum opportunè, dici poſſint participare. Et hæc ſunt valdè notanda, quoniam in partibus iſtis hæc accidunt, vel accidere poſſunt non ſemel.

Infideles non niſi ſtudenti cauſa ſacris Catholicorum admittendi.

Quintum notandum eſt, in priuilegio trium Pontificum concedi etiam facultatem ſæcularibus redeuntibus ad Catholicæ Eccleſiæ vnitatem, vt poſſint poſt reconciliationé cum ſuis conuerſari, eiſq; cohabitare. Hoc intelligo, non tantùm quòd vir reconciliatus poſſit cohabitare cum vxore & filijs ſchiſmaticis & excommunicatis, quia id poteſt alio Iure, vt ſequenti Notabili dicetur; ſed, vt priuilegium aliquid valeat, etiam cum alijs propinquis, conſanguineis & amicis, & illis qui ſunt eiuſdem nationis, cum quibus ante conuerſionem & reconciliationem conuerſabatur, quod apud Germanos, Gallos & Belgas obſeruatur: quare & in partibus iſtis Syriæ poterit reconciliatus admitti ad cohabitandum cum non reconciliatis. Et hoc benè nota.

Sextum notandum, olim conuerſatio-

Iure antiquo interdictum conuersari cum omnibus excommunicatis.

nem cum excommunicato indifferenter fuisse interdictam in Iure Canonico sub pœna excommunicationis, vt patet De sententia excommunicationis in multis locis, & 11. q. 3. in multis capitulis, & maximè in c. Sicut Apostoli. vbi dicitur, quòd Apostoli statuerint, non esse communicandum cum excommunicatis. Dicit Glossa: *Paulus statuit, cùm dicit 1. Cor. 5. Si quis frater, id est fidelis nominatur auarus, &c. id est per sententiam excommunicatur propter aliquod vitium. Excommunicationem enim appellauit nominationem, vt exponit Augustinus 2. q. 1. c. Multi. & subdit ibi Apostolus. Cùm huiusmodi nec cibum sumere. & 24. q. 1. c. Omnis. Ioannes etiam Euangelista in 2. Can. c. 1. dicit: Si quis non affert hanc doctrinam, scilicet fidei rectæ, nolite recipere in domo, nec ei dixeritis Aue.* Ex his itaque apparet, quomodo auctoritate Iuris Canonici & Apostolorum, communicatio cum excommunicatis absolutè sit prohibita.

Iure nouo tantùm interdicta est conuersatio cum nominatim denuntiatis & notorijs Clericorum percussoribus.

Verumtamen post Extrauagantem Martini V. editam in Concilio Constantiensi, quam refert D. Antoninus 3. part. tit. 26. cap. 3. Angelus v. Excommunicatio 8. §. 3. Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. & Toletus lib. 1. cap. 13. non similiter ligat dicta Canonis excommunicatio. Sic verò illa habet: *Ad euitanda scandala, & multa pericula, quæ conscientijs timoratis contingere possent, Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à communione alicuius Sacramentorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscumque diuinis iuris & extra prætextu cuiuscumque censuræ, aut sententiæ Ecclesiasticæ à Iure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare; nisi sententia vel censura huiusmodi fuerit illata contra personam, Collegium, Vniuersitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certum à Iudice publicata vel denuntiata specialiter & expressè, constitutionibus Apostolicis & alijs in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Saluo, si quem pro sacrilega manus iniectione in Clericum in sententiam latam à Canone, adeò notoriè constiterit incidisse, quòd factum non possit aliqua tergiuersatione celari, nec aliquo suffragio excusari; nam à communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstinere, iuxta Canonicas sanctiones.* Hæc Martini Extrauagans. Post hanc inquam Extrauagantem interdicta est participatio saltem cum excommunicatis nominatim denuntiatis, & notorijs Clericorum percussoribus, qui nulla possunt tergiuersatione celari, aut Iuris remedio excusari. Quare cùm illarum partium excommunicati, hæretici, vel schismatici, non sint nominatim denuntiati, nec publici Clericorum percussores, non subijcientur alicui pœnæ Catholici cum illis communicantes, secluso quocumque priuilegio. Ideò dictorum Pontificum priuilegia vtiliora erant Fratribus ante Martini Extrauagantem.

Vtilia præsupponuntur priuilegiorum.

Sed numquid illa Pontificum priuilegia modò inutilia erunt? Nequaquam, imò valdè vtilia ad plura, & quidem Primò, vt possimus participare cum Hebræis, quod aliàs non liceret, vt patet 28. q. 1. c. Nullus. & c. Omnis. & De Iudæis, per totum titulum. Conuersari quidem cum Saracenis non est ita præcisè prohibitum, tamen non conuenit, Glossa in c. Ad mensam 11. q. 3. Secundò prosunt, quia illorum priuilegiorum virtute possent, qui illis gaudent, communicare etiam cum hæreticis, quod non conceditur per Extrauagantem Martini, vt quidam putant: at clarum est, prohibitum esse communicare cum illis, non tantùm quia excommunicati, c. Sanè, 24. q. 2. sed etiam quia hæretici sunt. c. In mandatis. dist. 43. & De hæreticis. c. Excommunicamus 1. & 2. Tertiò proderunt ad securiorem reddendam Catholicorum conscientiam, illorum præsertim, ad quorum aures non peruenit Martini Extrauagans. Denique multum potest priuilegium Eugenij IV. in quo permittitur Fratribus, quòd non teneantur vitare schismaticos excommunicatos, seu interdictos quoscumque, quantumcumque notorios, nisi, &c. & consequenter nec nominatim denuntiatos vel publicos Clericorum percussores.

Quæ licitam & licitam faciant conuersationem cum excommunicatis.

Septimum denique notandum est, quòd quemadmodum quinque assignantur à Doctoribus, in quibus prohibitum est cum excommunicatis conuersari (quæ & isto versu continentur,

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

quæ passim explicata inueniuntur apud Summistas & Theologos) ita quinque alia ab eisdem recensentur, quorum quodlibet si adsit, licitam facit cum excommunicato communicationem etiam in diuinis, secluso priuilegio, quæ hoc versiculo continentur:

Vtile, lex, humilis, res ignorata, necesse.

1. Vtile, tum participanti, tum animæ excommunicati. Participantibus quidem, ratione vtilitatis prouenientis Catholicis ex cohabitatione cum schismaticis ipsarum partium, vt commutando & emendo victui necessaria: quia si vitarentur, possent calumnias & mala alia intentare Catholicis. Hac

ratione

ratione concedunt aliqui licitum esse communicare cum illis etiam in diuinis. Verùm ego non capio, quomodo ob eam rationem contingere possit aliqua in diuinis communicandi necessitas, cùm omnes suis attendant officijs, & non nisi ex curiositate quis ad alterius Ecclesiam & officia accedat: & sic eis interesse non est participare, cùm absit intentio, 11. q. 3. c. Quod prædecessor. Opinor equidem eam ob rationem non esse illicitum (si aliàs licitè vitari non possit) schismaticum vel hæreticum cum alijs ad sepulturam comitari, ne humana fides, & vtilis conuersatio cum alijs illi similibus, per Catholicos violetur & vitietur: præsertim cùm eum quem viuum non tenemur vitare, multò minùs mortuum auersari debeamus. Quin, ob adductam rationem, post Martini V. Extrauagantem, hæretici non denuntiati cadaueris funeratione, sacra ædes non pollueretur. Vide c. Sacris. De sepulturis, in 6. Nauarrum lib. 5. Consil. 15. De hæreticis, num. 4. in cap. 1. §. Si laboret. De Pœnit. dist. 6. in Manuali cap. 27. num. 35. Couarruuiam in c. Alma mater. par. 1. §. 2. num. 7. Suarez in 3. par. S. Thomam Tom. 3. disp. 81. sect. 4. Victoriam in Summa q. 99. Si tamen fuisset corpus hæretici publicè denuntiati, sacer locus profanaretur, non quia ille hæreticus, sed quia excommunicatus. c. Ecclesiam 1. & 2. De consecr. dist. 1. Aduerte tamen, quòd si cadauer excommunicati denuntiati in loco sacro collocaretur, vt inde post paucas horas translatum, in non sacro loco tumularetur, sacer locus non censeretur pollutus: pœnæ enim sunt restringendæ. c. Odia. De regulis Iuris, in 6. per sepulturam enim, non per simplicem depositionem ad paucas horas cadaueris excommunicati, sacer locus violatur. Vide c. Consuluisti. De consec. Eccles. vel altaris. Vtile item animæ excommunicati, quia conuersando potest adduci ad concionem, & verba vitæ illi subministrari, atque ita suauiter ad Ecclesiæ gremium adduci, prout hac ratione aliquos conuersos fuisse nouimus. Lege 11. q. 3. c. Quoniam multos.

2. Lex, scilicet matrimonij. Quare si alteruter coniugatus schismaticorum Ecclesiæ reconcilietur, poterit, altero in suo errore perseuerante, cum illo habitare.

3. Humilis, scilicet subiectio, vt filiorum vel seruorum. Quare filius, præsertim si non sit emancipatus, poterit cohabitare cum patre excommunicato, & econtrà. Imò pater tenebitur illi necessaria suppeditare, & domini seruis. Et cùm in partibus illis pro maiori parte famuli sint schismatici & infideles, secluso priuilegio poterunt domini cum illis cohabitare.

Res ignorata; nescire scilicet illos esse denuntiatos: & Orientales illos non esse denuntiatos, nullatenus dubitatur. 4.

Necesse, scilicet alterutri. Et sanè in partibus illis, ob schismaticorum multitudinem, ex gemino capite, tum spiritualis tum temporalis vtilitatis ratione interuenit necessitas, alioquin enim istas partes omnino deserere oporteret. Ex dictis colligo, quòd si, secluso priuilegio, licet coniugatis, patribus & filijs, dominis & seruis simul conuersari, etiamsi alterutri eorum excommunicati existant; posse etiam illum qui ex schismaticis Ecclesiæ Catholicæ reconciliatur, per priuilegium Clementis V. Eugenij IV. & Ioannis XXII. (quod aliquid vltra Ius commune valere debet) cum alijs suę nationis, quantumuis schismaticis, conuersari, quemadmodum suprà attigimus. 5.

CAPVT XXVI.

De tribus priuilegijs Fratrum Terræ sanctæ circa temporalia; & primò circa domos & Ecclesias capiendas & conseruandas.

SEquitur nunc quinta pars huius Libri, in qua agendum est de gratijs & priuilegijs, quoad temporalia concessis in fauorem locorum sanctorum, quæ vel loca ipsa, vel Fratres ad ipsorum custodiam deputatos respiciunt. In præsenti Capite de his quæ loca ipsa, sequenti de illis quæ Fratres respiciunt, sermonem faciemus. Quantum ad prius tria inuenio priuilegia.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

Minoritæ possunt loca noua vendere in terris infidelium.

Fratres Terræ sanctæ, & in alijs partibus infidelium habitantes, possunt noua loca accipere, tum in Palæstina, tum in alijs infidelium partibus.

Hoc priuilegium concesserunt illis plures Summi Pontifices, in primis Gregorius IX. scribens Patriarchis Ierosolymitano, Antiocheno, & alijs Episcopis & Prælatis, &c. mandat, vt permittant Fratres liberè prædicare, & noua Oratoria, id est, loca in eorum parochijs ædificare, & vt requisiti ab eis, benedicant eorum cœmeteria, & ne compellant eos in aliquem pronuntiare interdicti vel excommunicationis sententias, &c. Hæc est Bullæ sententia.

Secundò, tres Summi Pontifices, Clemens V. Innocentius IV. & Ioannes XXII. concedunt Fratribus habitantibus in terris infidelium, quòd auctoritate Apostolica in

ciuitatibus, caſtris, villis, vel locis quibuſcumque poſſint de nouo recipere domos, vel alia quæcumque loca ad habitandum, & priùs recepta mutare, vendere, permutare, donare, vel aliàs alienare, prout vtilius iudicauerint; non obſtante conſtitutione Bonifacij, &c. Hæc in ſubſtantia illi Pontifices.

Tertiò, Eugenius IV. in Bulla 2. confirmat & concedit eamdem facultatem Fratribus Minoribus de Obſeruantia in partibus Orientis & Septemtrionis, & aliarum partium infidelium, ſchiſmaticorum & hæreticorum, vt auctoritate ſui Præſulis, vel Præſul cum conſilio Diſcretorum, poſſit recipere noua loca, cum omnibus neceſſarijs, &c. Et addit, quòd etiam Conuentus & loca Ordinis recipere poſſint.

Quartò, Calliſtus in duabus Bullis, prima & tertia, eamdem licentiam concedit. In prima dat facultatem *omnibus Fratribus in partibus Ieroſolymitanis, & per totam Aſiam commorantibus, quòd loca priùs recepta perpetuò poſſint retinere, & alia de nouo conſtruere, ſeu ædificata recipere.* & in tertia ſimiliter concedit eiſdem Fratribus, *quòd loca per totam Aſiam priùs recepta retinere poſſint, & noua capere, & ſpecialiter in monte Sinai.*

Declaratio.

Ad intellectum huius priuilegij & Bullarum Pontificiarum quatuor notanda ſunt. Primum circa illam Gregorij, quam conſiderans Collector priuilegiorum Terræ ſanctæ in ſuo manuſcripto, cap. 1. ait: *Iſta Bulla quantum ad loca capienda, nullius eſt auctoritatis, quia reuocata eſt per c. Cùm ex eo. De exceſſ. Prælat. in 6. quantum ad reliqua manet in ſuo vigore: nam Fratres poſſunt vbique prædicare ſecundùm formam Clementinæ Dudum. De ſepul. Non poſſunt etiam compelli ad promulgandas prædictas cenſuras in aliquem, vt in priuilegijs Matis magni, & notat c. Nimis. De exceſſ. Prælat.* Addendum poſt Concilium Tridentinum & Gregorij XV. conſtitutionem. Si illud, cùm iſtâ ſe extendant ad Fratres Terræ ſanctæ, non poſſent illi prædicare ſine licentia Epiſcoporum, vt ſuprà notatum fuit Capite XXII. ſed enim illa non obſtare multum videntur; quia non conſtat, Clementina illa, Concilio Tridentino & Gregorij conſtitutione, derogatum eſſe priuilegijs Terræ ſanctæ, ex ſuprà notatis Cap. 11. Dub. 1. tum quia non ſunt Epiſcopi Catholici in partibus iſtis qui obſtent Fratribus volentibus dicto priuilegio vti.

Secundum notandum, ex conceſſione Eugenij peculiariter concedi Fratribus licentiam recipiendi Conuentus Ordinis in terris infidelium, &c. Ex Bulla verò trium Pontificum primo loco poſita, vltra facultatem recipiendi noua loca, &c. datur facultas de nouo fundandi Eccleſias ſæculares, & reconciliandi eas quæ ſunt aliquo modo profanatæ, & prouidendi ipſis Eccleſijs de Rectoribus idoneis. *Poſſunt Minores fundare Eccleſias, profanatas reconciliare, ac eiſdem de magiſtris idoneis prouidere.*

Tertium notandum, hæc executioni mandare poſſe, eſſe magnum priuilegium, ſine quo nuſquam illa poſſent Fratres effectui dare. Per Iura enim communia prohibentur Mendicantes noua loca capere, vel antiqua mutare, ex c. Cùm ex eo. De exceſſ. Prælat. in 6. & contrà facientes ſunt excommunicati in Clement. Cupientes, De pœnitent. Item fundare Eccleſias de nouo, ad ſolos ſpectat Epiſcopos: ipſi enim debent ponere primum lapidem, figere crucem, & cœmeterium deſignare. De conſec. diſt. 1. c. Nemo. ſimiliter ad eoſdem ſolos pertinet conſecratio vel reconciliatio Eccleſiarum, quando ſunt pollutæ ſanguinis effuſione: idéque adeò annexum eſt Ordini Epiſcopali, quòd Epiſcopus non poſſit illud alicui committere niſi alteri Epiſcopo. De conſec. Eccleſ. c. Aqua. Et hæc à nobis indicata ſunt ſuprà Cap. XXIV. in declaratione ſecundi priuilegij: ſimiliter ad ſolos Epiſcopos pertinet prouiſio Eccleſiarum. c. Omnes baſilicæ, 16. quæſt. 7. & c. Ex frequentibus. De inſtitutione. Facit c. Præterea, 1. & 2. De iure patronatus.

Quartum notandum eſt, ſimilem auctoritatem, ſed limitatam, habere alios Religioſos, Minores & Auguſtinianos per ſua priuilegia, vt habetur in Conſtitutionibus Prædicatorum diſt. 1. cap. 2. Poſſunt quidem noua loca recipere, cum licentia tamen Epiſcopi, vt decernitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 3. & ex decreto Clementis VIII. Bulla 18. Nec poſſunt Epiſcopi dare iſtam licentiam, niſi vocatis & auditis Prioribus vel Procuratoribus Conuentuum eiuſdem oppidi, & alijs præiudicium aliquod fortè prætendentibus. Cognito tandem quòd ſine iſtorum Conuentuum damno poſſint illi commodè ſuſtentari, licentia & facultas ab Epiſcopo conceditur. Quòd ſi inuito aliquo licentia concedatur, & ſuper hoc ad Sedem Apoſtolicam prouocetur, erectio nouorum Conuentuum ſuſpendatur, quouſque à Sede Apoſtolica in eadem cauſa ſit definitum; & ſi aliter fiat, quidquid factum eſt, inane eſt & irritum. Similiter Prælati Regularium poſſunt tranſferre monaſteria è locis ſterilibus & infecundis, item ex dominio dominorum temporalium qui eorum bona occupant, ad alia opportuniora loca, cum omnibus ſuis redditibus, *Præmiſſo priuilegia habent alij Religioſi Minores.*

ditibus, fructibus & prouentibus. Ita conceſſit Benedictinis Valcoletanis Pius II. Bulla 2. & Minoribus Sixtus V. Bulla 14. & Prædicatoribus Bulla 33. & Alexander IV. Bulla 7. Conceſſerunt nimirum poſſe eos bona ſua ſecum deferre, ædificia & fundum diuendere, præterquam Eccleſias. De his lege plura apud Rodericum Tom. 2. q. 49. Quid verò circa benedictiones poſſint, dictum eſt ſuprà Cap. XXIV. & tradit Rodericus Tom. 1. q. 19.

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

Minores ſpecialis facultate retinent loca aliqua in Terra ſancta.

Secundò, Fratres, ſpecialibus fulti priuilegijs, plura modò in Terra ſancta loca obtinent, & alia obtinuerunt olim. In Monte Sion extra ſanctam ciuitatem, cœnaculum Domini, intra verò ſanctum Domini noſtri IESV Chriſti Sepulchrum, fauore Clementis V. poſteà eis acceſſit Eccleſia S. Saluatoris, nutu Pij IV. Extra Ieruſalem in valle Ioſaphat habent Sepulchrum ſanctæ Matiæ Virginis, & locum Orationis Domini, auctoritate Innocentij VI. &, eodem annuente, Hoſpitale in Monte Sion. Apud Bethleem ſui iuris fecerunt locum S. Nicolai, concedente Gregorio XI. & Baruthi locum S. Saluatoris.

Declaratio.

Non immoror explicationi huius priuilegij, adducendo Bullas Pontificias & conceſſiones dominorum temporalium, quas pro dictis & alijs locis capiendis vel retinendis, facere illis placuit, aut quænam ædificijs condecorauerint, & quæ non; quoniam de his abundè egimus Libro 1. Capitibus LXV. LXVI. & LXVII.

PRIVILEGIVM TERTIVM.

Eidem poſſunt deferre ex Chriſtianitate ad has partes ferrum, lignamina, &c.

Tertiò poſſunt Fratres Terræ ſanctæ ex Chriſtianitate ad Terram ſanctam ab infidelibus occupatam deferre ferrum, ligna, & alia neceſſaria pro ædificatione & conſeruatione locorum Sanctorum. Hoc priuilegium conceſſit primò Innocentius VI. ſed morte præuentus Diploma perficere non potuit, quod tamen fecit eius ſucceſſor Vrbanus V. qui ſecundò idem Fratribus impertitus fuit, quamuis non ſine certis conditionibus & limitationibus, vt quòd Fratres teneantur iurare coram Epiſcopo, in cuius diœceſi erunt nauigia, in quibus prædicta ferramenta deferentur, quòd nihil in fraudem faciant; quodque ſuper hoc duo confici debeant inſtrumenta, quorum alterum mitteretur ad Sedem Apoſtolicam, alterum penes Epiſcopum remaneret. Vide in Bullis Pontificum Bullam 1. Vrbani V.

Declaratio.

Pro declaratione & vſu huius priuilegij, duo notanda ſunt. Alterum, magnum illud eſſe & eximium, cùm oppoſitum facere in Iure ſub grauiſſimis pœnis ſpiritualibus & temporalibus præcipiatur, vt patet in c. Ad liberandum. & c. Ita quorumdam. De Iudæis. & in Extrauagantibus Bonifacij & Clementis V. & ex difficultate concedendi eiuſmodi licentiam, quia oportet Fratres iurare, &c. Cùm verò aliquid difficulter conceditur, ſignum eſt eſſe magni ponderis, vt notatur in c. 2. De bigamis.

Alterum notandum eſt, poſſe pro ſuo vſu conducere neceſſaria alias prohibita, prout quotidiano pænè vſu cognouimus. Et præterea Alexander VI. Bulla 1. abſolute eamdem licentiam conceſſit pro vſu & neceſſitate Fratrum & locorum ſanctorum: quare non opus erit iuramento, &c. quia vti poterunt hac conceſſione Fratres, alia relicta. Conſulantur circa hoc Summiſtæ, vbi de excommunicationibus Bullæ cœnæ Domini, excom. 7. & qui facultatem habeant deferendi merces ad partes infidelium, & quales, Toletus lib. 1. cap. 24. & 25. & ibi citati Auctores.

CAPVT XXVII.

Duo proponuntur temporalia priuilegia, quæ perſonale commodum Fratrum Terræ ſanctæ reſpiciunt.

IN duobus ſunt Fratres Terræ ſanctæ priuilegiati quantum ad id quod reſpicit illorum perſonale commodum; Primò in receptione medicamentorum tempore infirmitatis, deinde in exemptione ab irregularitate, caſu quo infidelem percuterent.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

Minores poſſunt medicamenta ab infidelibus recipere &c.

Fratres Terræ ſanctæ poſſunt recipere medicinas à quocumque Medico, etiam Iudæo & ſchiſmatico. Hoc priuilegium conceſſit Calliſtus III. Bulla 1. *Guardiano, & Fratribus Terra ſancta de Obſeruantia nuncupatis, nec non per totam Aſiam conſtitutis, vt ſi opus fuerit, medicinalia à Medicis & perſonis prohibitis poſtulare & recipere liberè ac licitè valeant.*

Declaratio.

Iudæi & ſchiſmatici perſonæ prohibitæ in Iure dicuntur, non item Saraceni.

Pro intellectu huius priuilegij inquirendum eſt, quænam ſint in hoc genere perſonæ prohibitæ. Reſpondeo, eſſe Iudæos & ſchiſmaticos. De illis patet in c. Nullus. & in c. Omnis. 28. q. 1. vbi qui ab eiuſmodi medicinas receperit, ſi Clericus fuerit, deponitur, ſi laicus, excommunicatur. De

iſtis ſimiliter patet, quia excommunicati ſunt. c. Excellentiſſimus. 11. q. 3. Non item ſunt prohibiti Saraceni & alij infideles, cuius diſcriminis rationẽ indicat Gloſſa ibid. in c. Ad menſam. Quare (ſecluſis incantationibus & ſuperſtitionibus) poterunt Fratres illarum partium recipere medicamenta à quibuſuis infidelibus, abſque priuilegio à Saracenis, cum priuilegio à Iudæis & ſchiſmaticis, Græcis, &c.

Sed numquid Fratres virtute huius priuilegij, ſi adſint Medici Catholici, medicamenta ab Hebræis & ſchiſmaticis petere poterunt? aut num ab ijſdem in partibus iſtis poterunt medicinæ beneficium recipere ſæculares?

Videbitur alicui quòd non, propter dicta in declaratione priuilegij. Et quantum ad Fratres, quia dicitur in Bulla, *ſi opus fuerit, medicinalia*, &c. at opus non videtur, quando ſunt Medici Catholici. Quantum verò ad ſæculares, clariùs apparet ex Iuris prohibitione, & quia Fratrum priuilegijs non participant.

Reſpondeo nihilominùs probabiliter, & dico duo. Alterum, Fratres poſſe medicamenta petere & recipere ab Hebræis & ſchiſmaticis, quamuis Catholici ad manum ſint. Ratio eſt, quia, vt in declaratione ſequentis priuilegij obſeruamus, priuilegium debet ſemper aliquid valere, & tribuere aliquid vltra Ius commune & naturale: at ſi non poſſent medicamenta recipere à perſonis prohibitis, quamuis non prohibitæ adeſſent, nihil operaretur priuilegium, quia lege naturali poſſent à prohibitis etiam recipere, modo tamen licito. Nec verba illa, *ſi opus fuerit*, &c. nobis officiunt, quoniam aptiùs videntur referenda ad infirmitatem, quàm ad Medicorum Catholicorum inopiam: iſta enim exiſtente, non erit neceſſarium Pontificis priuilegium.

Alterum eſt, ſæculares non poſſe virtute dicti priuilegij in ſuis infirmitatibus vti Medicis Hebræis & ſchiſmaticis, ſi copiam habuerint Medici alicuius Catholici, quia non pro ipſis latum eſt priuilegium: poterunt tamen, ſi Catholici Medici deſiderarentur, etiam lege naturali hoc concedente, vt quilibet ſuæ ſalutis rationem habeat, vel fortè alia conceſſione in gratiam illorum facta. Et Ius Canonicum prohibens recipere medicamenta ab Hebræis vel ſchiſmaticis, intelligendum videtur pro locis Chriſtianorum, vel alijs vbi adſunt idonei Medici Catholici.

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

Fratres Terræ ſanctæ ſunt priuilegiati ratione offenſionis: quia ſi pro tuitione locorum ſacrorum vel corporum ſuorum aliquem Saracenum vel barbarum mutilarent vel occiderent, non propterea eſſent irregulares. Hoc priuilegium illis conceſſit idem Calliſtus in Bulla 4. dicens: *Si contingeret vos à latronibus, aliiſq; inuaſoribus, aut pro veſtrorum corporum tuitione & defenſione aut verberare, aut mutilare, aut vulnerare, aut etiam quouis modo interficere quemquam infidelem & barbarum, volumus propterea vt irregularitatem non incurratis.*

Minores ſunt immunes ab irregularitate, ſi mutilent infidelem pro ſua & locorum ſanctorum defenſione.

Declaratio.

Pro intellectu huius priuilegij duo aduerto. Alterum, Fratres, ſi Saracenum vel barbarum, id eſt ſchiſmaticum, vel infidelem alium (qui ratione infidelitatis & ſchiſmatis barbarus dici poteſt) alia de cauſa quàm expreſſum ſit in priuilegio, mutilarent vel occiderent pro modicæ rei, vel ſocij defenſione, &c. non gaudere illo priuilegio. Verba enim priuilegij ſunt attendenda. c. Porrò. De priuilegijs. Alterum, Fratres, ſi in perſecutione ſuorum corporum fugere poſſent, potiùs quàm reſiſtendo aliquem mutilarent, debere fugere. Sed numquid, ſi non fugiant cùm poſſint, mutilando vel occidendo alios euadent irregulares? Dicendum, in foro iudiciali poſſe teneri ſententiam negatiuam, per iſtud priuilegium quod dicit, *pro veſtrorum corporum tuitione & defenſione*. Si enim intelligendum eſſet de defenſione ineuitabili, ſcilicet quando quis non poſſet fugere, nec aliter euadere, tunc hoc idem haberetur in Iure communi. Clemen. Si furioſus. De homicidio. & ſic priuilegium nihil operaretur, & eſſet ſuperfluum: quod ſtatui minimè debet, quia priuilegium debet aliquid operari. c. In his. De priuilegijs. Vt ergo aliquid operetur, oportet intelligere, etiam quando poſſet fugere, &c. Sed in foro conſcientiæ tutius eſt opinari, eiuſmodi Fratres eſſe irregulares: irregularitas enim facilè contrahitur, vt habetur per totum titulum De homicidio. Et hæc quidem tenet Collector priuilegiorum Terræ ſanctæ.

CAPVT XXVIII.

De ſex priuilegijs Fratrum Terræ ſanctæ quoad ipſorum Regulam.

SVnt porrò Fratres Terræ ſanctæ priuilegiati in ſua Regula, quemadmodum explicabimus in præſenti Capite (eſtque hæc ſexta huius Libri pars) rigorem enim Regulæ Minorum in iſtorum gratiam, & commodiorem ſanctorum locorum conſeruationem, varijs priuilegijs & diſpenſationi-

tionibus mitigauerunt ſummi Pontifices, & ſingulariter quantum ad ſex: primò, in oblationum receptione; ſecundò, in Procuratorum depoſitione; tertiò, in pecuniarum conſeruatione; quartò, in emptione & venditione; quintò, in computatione; & ſextò denique, in itinere. Et ſecundùm hæc, ſex proponemus & explicabimus priuilegia.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

Minores poſſunt quaſlibet eleëmoſynas in Terra ſancta recipere.

Primò ſunt Fratres Terræ ſancti priuilegiati in oblationum receptione; quia quaſcuis eleëmoſynas eis oblatas poſſunt in ſanctis locis recipere. Hoc priuilegium illis conceſſit Martinus V. Pont. Max. in hæc verba: *Et liceat Fratribus ipſis oblationes factas in Terra ſancta, per Procuratores ſeu Commiſſarios, ad vſum & ſuſtentationem ipſorum recipere.* Hæc Martinus in Bulla data Romæ apud S. Petrum 16. Calend. Martij, Pontificatus ſui anno quarto. Hoc idem conceſſit eiſdem Fratribus Ioannes Gradenſis Patriarcha Ieroſolymitanus, eiuſdem Papæ delegatus cum plena auctoritate, in quadam ſententia quam dedit pro Fratribus, cuius ſuprà mentio habita eſt.

Declaratio.

Pro intellectu huius priuilegij vnam præmittam diſtinctionem, & ſubijciam poſteà concluſionem.

Diſtinctio eſt iſta: Fratres Terræ ſanctæ poſſe recipere oblationes in Terra ſancta, poteſt tripliciter intelligi. Primo modo de eleëmoſynis datis Procuratori Fratrum Terræ ſanctæ: ſecundo modo de eleëmoſynis factis in Terra ſancta, id eſt, in ipſis ſanctis locis Fratrum curæ demandatis, vt in Bethleem ad Domini præſepe, in Eccleſia ſanctiſſimi Domini noſtri Ieſu Chriſti Sepulchri, &c. ab aduenientibus peregrinis: vel tertio denique modo de eiſdem dandis à fidelibus in Eccleſijs & Oratorijs, quorum curam habent Fratres in Syria vel Ægypto.

CONCLVSIO eſt: Priuilegium ſuperius intelligendum eſt de eleëmoſynis quocumque modo factis, & hoc propter paucitatem eleëmoſynarum, & magnam locorum ſanctorum neceſſitatem. Concluſionem probo quoad ſingulas partes. Et quoad primam primò quòd debeat intelligi priuilegium de eleëmoſynis factis primo modo, non eſt dubio vertendum: quia per aliud priuilegium, & conſtitutiones eiuſdem Martini, quilibet Ordinis Conuentus poteſt habere determinatum Procuratorem, qui eleëmoſynas pecuniarias recipiat in neceſſarios vſus conuertendas. Quòd etiam poſſit intelligi de oblationibus factis ſecundo modo, videntur ipſa verba priuilegij indicare. Præterea ſi priuilegium peculiare eſt, aliquid valere debet ſupra Ius commune, igitur ſi communiter poſſunt Fratres eleëmoſynas primo modo factas recipere, perinde atque alij Ordinis Conuentus, illo ſpeciali poterunt recipere factas à peregrinis ſecundo modo. Verùm, quod ſciam, numquam Fratres menſas pro eiuſmodi eleëmoſynis expoſuerunt, nec exponi vmquam vidi, nec etiam eo modo à peregrinis conferuntur eleëmoſynæ. Poſſunt etiam recipere factas tertio modo, quia illæ Eccleſiæ & Oratoria cenſentur membra Terræ ſanctæ. Quòd ſi id negetur, poterunt tunc colligi à ſæcularibus, prout de facto colliguntur, abſque priuilegio, & ipſi poſteà dabunt Procuratori Terræ ſanctæ. Vel denique poterunt ibi tales eleëmoſynæ colligi, ſi non Martini, ſaltem Calliſti priuilegio, in quo facultatem concedit Guardiano Montis Sion, mittendi Fratres ad terras citramarinas, tam fidelium quàm infidelium, ad colligendas eleëmoſynas, in ſanctorum locorum vſum conuertendas, vt vidimus ſuprà Cap. XIV. Priuilegio IV. Poſſe verò eleëmoſynas ſecundo modo factas recipere, priuilegium eſt; quia interdictum eſt Fratribus S. Franciſci de Obſeruantia, in Eccleſijs ſuis eleëmoſynas recipere, & cippos ad eaſdem recipiendas habere, vt patet in Clem. Exiui. De verborum ſignific. §. Porrò. & in eorum generalibus Conſtitutionibus Salmanticenſibus cap. 4.

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

Poſſunt Procuratores depone.

Secundò, priuilegiati ſunt Fratres Terræ ſanctæ quoad Procuratores ſuos, quos ab officio deponere poſſunt. Priuilegium hoc idem Martinus V. conceſſit in Bulla præcedenti priuilegio notata, hiſce verbis: *Inſuper conceditur Guardiano & Fratribus, dictos Procuratores ſeu Commiſſarios, quoties videbitur, amouendi, & alios eorum loco ponendi & deputandi.* & idipſum conceſſit Ioannes Patriarcha Gradenſis, de quo ſuprà.

Declaratio.

Idem priuilegium habet totus Seraphicus Ordo ex eodem Martino & Innocentio IV. vt videre eſt apud Rodericum Tomo 3. quæſt. 39. art. 1. quare duplici titulo vti eo poterunt Terræ ſanctæ Fratres.

PRIVILEGIVM TERTIVM.

Poſſunt pecunias cuſtodire.

Tertiò, priuilegiati ſunt ijdem Fratres quoad pecuniarum conſeruationem; quas ſecum detinere atque cuſtodire poſſunt. Hoc priuilegium conceſſit illis Calliſtus III. Bulla 4. dicens: *Concedimus, quòd eleëmoſynas*

ſynas vobis à Chriſti fidelibus piè datas in domo retinere poſſitis, & capſæ, in qua conſeruabuntur, clauem Guardianus, vel alius Frater de eius licentia teneat.

Declaratio.

Quatuor notanda occurrunt pro intellectu & vſu huius priuilegij. Primum eſt, Guardianum poſſe in domo apud ſe capſam eleëmoſynarum retinere. Hoc gratia eſt, quia in alijs Chriſtianitatis Conuentibus id non licet Fratribus, propter Ordinis Conſtitutiones, Salmant. c. 4. Vallſol. 1593. Neap. cap. 16. & Apoſtolicas prohibitiones, vt colligitur ex Clem. Exiui de paradiſo. De verborum ſignificatione. Quare ex conſtitutionibus Martini V. loca Fratrum debent habere Procuratorem, qui eleëmoſynas pro Fratrum neceſſitatibus oblatas recipiat; & Procurator ille non debet habitare in locis Fratrum, nec ipſi apud ſe poſſunt eas eleëmoſynas ſeruare, ne ex hoc ſcandalizentur ſæculares. Nam, vt dicitur in eadem Clementina, Fratres non ſolùm debent abſtinere à malo, ſed ab omni eo, quod in talibus poteſt ſcandalum & ſuſpicionem generare in cordibus ſæcularium. Facit ad hoc c. Cùm ab omni. De vita & honeſt. Clericorum.

Secundum notandum eſt, Guardianum poſſe eam conſeruare pecuniam. quod intelligit Collector noſter, etiam ſi non ſit neceſſitas inſtans vel imminens, ſed rarò credo dari poſſe caſum, in quo non ſit ſaltem imminens neceſſitas, vel quæ rationabiliter timeatur. In alijs partibus non licet, nec conſeruare, nec etiam facere conſeruari, niſi reipsâ iam præſentibus vel imminentibus neceſſitatibus, vt patet ex citatis capp. Exijt. & Exiui. Ratio quare hoc liceat in partibus iſtis, eſt, quia Fratres non poſſunt continuè mendicare vt in partibus fidelium, & acquiſita aſſiduè eroganda ſunt in exactiones quas illis imponunt infideles, in ſubueniendo item pauperibus Chriſtianis, & captiuis eò ſe conferentibus, & propter plura alia.

Tertium notandum eſt, Guardianum poſſe deferre clauem illarum pecuniarum. Hoc in alijs partibus non licet; quia delatio clauis videtur quoddam dominium præſupponere. Ita habetur in iam citata Clement. Exiui.

Quartum notandum eſt, poſſe Guardianum cuſtodiam eiuſdem clauis alteri Fratri committere. Circa hoc obſeruat Collector, Pontificem dicere, poſſe Fratrem *de licentia Guardiani*, &c. & non *de mandato*. *Quaſi*, inquit, *innuere velit, quòd nullus Frater inuitus debet ad hoc compelli.*

Collector in ſuo opuſculo Priuilegiorum Terræ ſanctæ cap. 11.

Et hoc fortè propter magnam efficaciam præceptorum contra pecuniam in Regula contentorum. Piè quidem hoc & rationabiliter dicitur, ego tamen credo, Fratrem probum & timoratum meliùs facere, ſi obediat Guardiano illud præcipienti, ex quo nec peccat contra animam, nec contra Regulam; multa enim licent tempore neceſſitatis, quæ aliàs abſque culpa fieri non poſſent, vt conſtat: ita in propoſito, licet in partibus fidelium non conueniat Fratribus, ſalua Regulæ puritate, cuſtodire pecunias, quia ſunt ſæculares qui eas fideliter cuſtodiunt, licet tamen in partibus iſtis, præſertim accedente Pontificis auctoritate. Nec obſtant verba Pontificis: illis enim indicatur, Fratrem nil facere debere, & multò minùs cuſtodire pecunias, cùm ſubditus ſit, ſine ſui Præſulis licentia. Dicit etiam, poſſe Fratrem, &c. non *Fratres*, quia in his quæ videntur relaxare Regulam, non ſunt verba priuilegij extendenda, præſertim ſi vnus poſſit ſufficere, & optimè quidem.

PRIVILEGIVM QVARTVM.

Quartò, priuilegiati ſunt Fratres Terræ ſanctæ quoad emptionem & venditionem, quia poſſunt emere & vendere, quæcumque & prout illis neceſſe fuerit. Hoc priuilegium conceſſit idem Calliſtus in eadem Bulla præcedenti priuilegio notata, in qua ſic dicit: *Concedimus, quòd Guardianus Montis Sion, vel alius, aut alij Fratres ab eo deputati, res quaſcumque neceſſarias emere, aut emi facere poſſit, & eam dictarum rerum partem, quam minimè neceſſariam eſſe intelligent, vendere & alienare valeant; ita tamen, quòd nullus veſtrûm pecunias in prædictis emptionibus manu propria contractet & tangat.* Hæc Calliſtus.

Poſſunt emere & vendere.

Declaratio.

Pro intellectu huius priuilegij tria ſunt notanda. Primum, quòd Guardianus vel per ſe, vel *per alios, res neceſſarias emere, vel emi facere poſſit.* Neque hoc in alijs partibus licet, quia emere, vel emi facere dominium importat, vt dicitur in Clem. Exiui. quod Fratribus eſt interdictum, & tunc aliter conſulere debent ſuis neceſſitatibus, quemadmodum Regulæ S. Franciſci expoſitores docent. Meritò autem illud in partibus iſtis cõceſſum eſt propter magnam neceſſitatem, & amicorum ſpiritualium defectum. At verò attendi velim, quòd hoc priuilegiũ concedatur pro emptione rerum neceſſariarum. Quare ſi Guardianus emeret vel emi faceret res non neceſſarias, non excuſaretur à peccato virtute huius priuilegij; quia cùm ſit quædam diſpenſatio contra

Tantùm res neceſſarias poſſunt Fratres Terræ ſanctæ emere.

Regu-

Regulam, odiosa est, & ideò strictè debet accipi. c. Odia. De regul. Iuris, in 6. Quæ verò sint necessaria, prudens & timorata conscientia haud difficulter iudicabit.

Secundum notandum est, quòd si Fratres rem quampiam haberent quæ nõ esset necessaria, Guardianus illam possit vendere, vel alio modo alienare, prout magis expedire videbitur. Vendere, sicut & emere, Fratribus est interdictum per se. Lege Politium in c. 6. Regulæ Minorum, n. 19. & 20. & vt intelligas, quomodo hæc facultas sit peculiare priuilegium Guardiani, & Fratrum Terræ sanctæ, aduertere debes, secundùm declarationem Nicolai III. in c. Exijt. concessum quidem esse Fratribus posse vendere & commutare res minùs vtiles cum auctoritate Ministrorum, & Procuratorem posse pecuniam recipere; concessio tamen nostra vt amplius valeat, vt valere debet, quàm illa communis, se extendit ad posse vendere & alienare res non necessarias, non per alios ministros quàm per ipsos Fratres.

Dubium hîc occurrit. Priuilegium hoc videtur sibi ipsi contrariari, cùm primò dicit, Guardianum posse res necessarias emere; & posteà, posse partem non necessariam vendere. Si non potest emere nisi res necessarias, quomodo poterit partem non necessariam vendere? Respondetur non posse semper ad amussim sciri quantitatem rei necessariæ emendæ, ideoque nec emere vltrà quàm reuerà necesse est, esse interdictum, sed magis qualitatem rei esse interdictam. Omnia enim curiosa & superflua à se remouere debent, vt decet altissimæ paupertatis professores. Vel dicatur, quòd non semel accidat, rem aliquam hodie esse necessariam, ideoque emi, quæ cras vel perendie, mutatis temporum locorúmve circumstantijs, vt superflua vendi debeat, vt de alijs quæ præsenti rerum statui sunt necessaria, prouideatur.

Minorita non possunt pecuniam contrectare.

Tertium notandum est, quòd in emptionibus & venditionibus Fratres manu propria pecunias tangere & contrectare non possint, vt expressè dicitur in priuilegio. Quod enim declarationes Pontificum, & aliorum Doctorum Regulæ commentatorum prohibent, id nullatenus permittit Callistus. *Quare nec poterunt eam secum deferre*, inquit noster Collector. *ridiculosum namque est dicere, quòd Fratres possent portare sacculum pecuniarum per duas dietas, & posteà non possent tangere. Et ideò sicut prohibiti sunt tangere manibus propriis, ita prohibiti sunt secum portare, vel aliàs contrectare*, &c. Sed quo iure id aliquando possint, & alia quæ hanc materiam respiciunt, diximus abundè Lib. 1. Cap. LXXI.

PRIVILEGIVM QVINTVM.

Possunt exigere computum à pecunias expendentibus.

Quintò, priuilegiati sunt Fratres quoad rationes faciendas, quia possunt exigere computum ab illis, qui pecunias receperunt in vsus Fratrum conuertendas. Hoc priuilegium illis concessit idem Callistus in iam adducta Bulla, dicens: *Non obstantibus declarationibus Regulæ vestræ à Sede Apostolica collatis, quòd à nemine computum exigere debeatis, ab illis qui pecunias tractabunt, & faciunt emptiones & venditiones, computa petere, exigere & videre possitis.*

Declaratio.

Ad clariorem huius priuilegij intelligentiam aduertendum, in iam citatis capitulis, Exijt, & Exiuj de paradiso, interdici Fratribus computum exigere ab expendentibus eleëmosynas pro ipsis oblatas; etsi possint admonere, vt infideliter dispensantes dispensent fideliter. Iam aliter, vt facere in partibus istis possint, conceditur, vel ob defectum amicorum spiritualium, vel fidelium Procuratorum.

Dubium est, num, si qui infideliter agant cum Fratrum pecunijs, & Fratres eas alia via recipere non possint, quàm recurrendo ad iudices sæculares, num, inquam, frustrà adhibitis alijs diligentijs pro illarum recuperatione, licitè ad illos recurrant, vt iustitia sibi administretur. Collector noster respondet quòd sic, quia dum conceditur quod est principale, conceditur etiam quod est accessorium. c. Accessorium. De regulis Iuris, in 6. sed parum esset posse exigere computum, nisi & apud Iudices sæculares contra infideles & defraudatores agere possint.

PRIVILEGIVM SEXTVM.

Præsul Terræ sanctæ in arduis Regulæ Minorum potest cum suis itinerantibus Fratribus dispensare.

Sextò denique sunt in præmissa materia Fratres Terræ sanctæ priuilegiati quoad itinerationem, quia illorum Præsul potest cum eis dispensare in arduis Regulæ, dum iter faciunt. Hoc priuilegium illis concessit idem Callistus III. in Bulla 1. sic dicens Guardiano: *Et cum Fratribus dispensare possis super rigore obseruantiæ suæ Regulæ in itinere.*

Declaratio.

Pro intellectu & recto vsu huius priuilegij duo aduerto. Alterum, non posse Fratres illo vti, nisi rationabili causa, & necessitate existente. Ratio est, quia est magis dispensatio quæ causam iustam requirit, quàm priuilegium. Vide quæ diximus superiùs Capite 1. Notabili 3.

Causa rationabilis, quare legis rigor remittatur, vnde assumpta.

Alterum notandum est, quòd iusta & rationabilis causa, propter quam rigor legis remitti

remitti poſſit, multiplex ſit, vt habetur in Decreto 1. quæſt. 7. cap. 5. §. Niſi rigor. videlicet pro temporis vel perſonarum qualitate, pro intuitu pietatis vel neceſſitatis, ſiue vtilitatis, & pro euentu rei, & ſimilibus cauſis, poterit Guardianus ſacri Montis Sion cum Fratribus ſuis quoad rigorem Regulæ in itinere diſpenſare. Verbi gratia: rigor Regulæ eſt, quòd Fratres non poſſint vti calceamentis in itinere, nec equitare; quòd certis temporibus debeant ieiunare; quòd nullo modo penes ſe habere queant denarios vel pecuniam, &c. At pietas, vtilitas, neceſſitas, &c. vrget mittendi Fratres vel Aleppum, Cairum, vel ad alia loca iſtarum partium, ad prædicandum verbum Dei, Sacramenta adminiſtranda, & ea faciendum quæ ad pietatis & diuini cultûs augmentum conducunt, ſicut miniſterium illorum exigit; quia loca iſta ſunt curæ Fratrum concredita, & ſpiritualia ex debito fidelibus miniſtrari debent; & propter pericula ſoli non poſſunt Fratres itineri ſe committere, ſed in multorum aliorum conductu ſiue comitatu; ideò equitare ſubinde debent, & ea conſequenter pènes ſe habere & facere, quæ ad equitandum neceſſaria ſunt, ergo & deferre calceamenta, &c. & in neceſſitate Regula ipſa diſpenſat, & in extrema neceſſitate etiam quoad deferendam pecuniam, vt habetur in cap. Exijt. quia, vt ibi dicitur, *Extrema neceſſitas excepta eſt ab omni lege.* proderit tamen licentia & diſpenſatio ad ſecuritatem conſcientiæ, & ad alia à nobis tractanda Libro III. Capite XXVI.

Pro coronide huius Capitis tria placet explicare dubia, quod admodum vtile futurum puto pro præſenti argumento. Primum dubium eſt, Num Fratres Terræ ſanctæ, peregrini vel incolæ, poſſint pecunias ſibi à pijs fidelibus loco eleëmoſynæ datas, pro ſuis neceſſitatibus apud Procuratorem depoſitas habere de Guardiani licentia. Reſpondetur, Fratres illi vel ſunt in præſenti & imminenti neceſſitate, vel non. Si primum, poſſunt, vt ſi v. g. citò deberent diſcedere, & expectarent obedientiam: ſecùs ſi diu in ea manere deberent, quia tunc haud eſſet præſens aut imminens neceſſitas. Ita Collector Priuilegiorum Terræ ſanctæ, & probat ex cap. Exijt. & benè. Ideò in quibuſdam generalibus Conſtitutionibus pro locis ſanctis ſtatutum fuit, ne Fratres accedentes Ieroſolymam, reſeruent aliquas pecunias ſecum delatas, vt ſuprà vidimus Capite XIII.

Secundum dubium eſt, An dicti Fratres ex pecunijs, quas pro itineris vel peregrinationis expenſis acceperunt, poſſint tuta conſcientia aliquas emere deuotiones, vt cruces, coronas, vel alia quæ pietatis ergò Ieroſolymis deferri ſolent. & videtur quòd non, quia pecuniæ datæ ad vnum vſum, non debent in alium vſum expendi, vt habetur ex Nicolao III. in dicto cap. Exijt. & nos ſuprà Cap. XIV. in Priuilegij IV. declaratione dubio II. explicuimus. Reſpondetur, quòd vel conſtet de voluntate dantium, qua velint eleëmoſynas ſuperſtites expendi in eiuſmodi deuotionibus, vel non. Si hoc ſecundum, abſque dubio non poterunt, quia pecunia, quoadùſque conſumpta ſit, ſemper eſt dantis, ex citato cap. Exijt. art. 4. §. Ceterùm. ideò abſque culpa expendi non poteſt contra eius voluntatem. Si primum, poterit, etſi expreſsè non conſtiterit de illius intentione, in meliori ſenſu fieri interpretatio, quòd expendi eo modo poſſint. Ita citatus Collector. Tamen credo, inquit, quòd moderatè poſſunt talia facere emi; nam veriſimiliter poſſunt præſumere de voluntate dantis eleëmoſynam. Sicut in ſimili dicunt Doctores de Monacho, qui ab Abbate mittitur Romam, quòd poteſt facere ea quæ honeſti peregrini facere conſueuerunt. Et etiam ſimile ponunt quatuor Doctores in declaratione Regulæ de contractibus faciendis à Fratribus, quomodo ſcilicet præſumere poſſunt de voluntate donantium. Et ad textum Pontificis dicendum, intelligi debere, quando expreſsè conſtat de dantis voluntate, vt iam diximus.

Tertium dubium eſt, Num Fratres dictas deuotiones poſſint accipere, vel alijs donare tuta conſcientia. Reſpondetur. Vel ſunt exigui & parui valoris, vel magni; & tunc vel huiuſmodi dantur legitima auctoritate Superiorum, explicita vel implicita, ſi illa haberi nequit, vel non. Si primum, licet; ſi ſecundum, nullo modo. Ita Nicolaus III. art. 6. §. De vilibus. *De vilibus autem*, inquit, *aut parum valentibus, liceat ex præſenti noſtra conſtitutione Fratribus pietatis ſeu deuotionis intuitu, vel pro alia honeſta & rationabili cauſa (obtenta ſuper hoc priùs Superiorum licentia) iuxta quod inter Fratres in Generali, vel Prouincialibus capitulis, tam de ipſis rebus vilibus, ſeu parum valentibus, & earum valore, quàm præfata licentia, ſcilicet, à quibus, vel qualiter ſit habenda, extiterit ordinatum, intra & extra Ordinem elargiri.* Hæc Pontifex. Nec obſtat, huiuſmodi eſſe minima, quia, ſecundùm Bernardum, *Monachus habens acum*, id eſt, ſine Prælati voluntate, *non valet acum.* Vnde optimè conſulit Hugo in Minoritanæ Regulæ declaratione, vt pro iſtis minimis obtineant ſubditi generalem

lem licentiam à Prælatis. Aduertant etiam, in omnibus donationibus obſeruandam eſſe Bullam Clementis VIII. De largitione munerum, quam vide in Compendio priuilegiorum.

Ex his apparet, non licere Fratribus dare memoratas deuotiones quæ magni pretij & valoris ſunt, neque cum licentia Superiorum, quoniam illam dare non poſſunt.

CAPVT XXIX.

Decem peculiaria priuilegia, quibus gaudere poſſunt in præſentia, vel olim poterant perſonæ ſæculares in partibus Orientis, vel in quibuſuis alijs habitantes, & ad Terram ſanctam peregrinantes.

SEquitur ſeptima pars præſentis Libri priuilegiorum Terræ ſanctæ, in qua agendum eſt de quibuſdam peculiaribus priuilegijs, quibus gaudere poſſunt vel olim poterant ſæculares perſonæ in partibus iſtis Orientis habitantes, vel ex quibuſuis alijs ad Terram ſanctam ſe transferentes, & de omnium confirmatione. Et quamuis omnia priuilegia, de quibus hactenus, pro maiori parte non ſolùm Religioſis, ſed etiam ſæcularibus conueniant, vt ſunt illa indulgentiarum, abſolutionum & diſpenſationum; nihilominùs quemadmodum pro illis, ita etiam pro iſtis quædam peculiaria, tam ſpiritualia quàm temporalia conceſſa fuerunt, vt ex dictis & dicendis manifeſtum euadet. Hoc præſenti Capite decem enumero priuilegia ſæcularibus perſonis conceſſa.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

Mercatores in Oriente poſſunt abſque peculiari facultate Sedis Apoſtolicæ ire Ieroſolymam.

Mercatores in partibus Orientis habitantes, poſſunt abſque Sedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia proficiſci ad ſanctam ciuitatem Ieruſalem. Hoc priuilegium dedit Summus Pontifex Sixtus IV. cuius memoriam inueni in calce libelli priuilegiorum Terræ ſanctæ iiſdem verbis, vt ſequitur:

Conceſſio facta habitantibus in partibus Orientalibus, vt ſine ſpeciali licentia Pontificis poſſint ad Terram ſanctam venire.

Notum ſit omnibus & ſingulis, quòd Venerandus Pater, Frater Franciſcus Placentinus in Curia Romana Commiſſarius, in anno videlicet 1482. *rogatus à Fratribus Terræ ſanctæ ad petitionem mercatorum in partibus Orientalibus degentium, obtinuit à ſanctiſſimo Domino noſtro Sixto Papa IV. die* 23. *Aprilis infraſcriptam gratiam, ſicut ex literis ſuis ad me Fratrem Paulum de Caneto, tunc Guardianum patet. De quo obtentu & impetratione ſic formaliter ſcribit: Item te ſcire volo, quod rogatus à Fratre Antonio de Ferraria ex parte mercatorum in illis partibus Orientalibus habitantium, die* 23. *Aprilis* 1482. *obtinui à Summo Pontifice, quòd omnes habitantes, ſeu exiſtentes vltra mare, vt puta Candiæ, Rhodi, vel in Cypro, & in illis partibus Orientalibus, ſana conſcientia poſſint venire ad viſitandum illa ſancta loca ſine alia licentia, non obſtante prohibitione Sedis Apoſtolicæ.* Hæc ibi.

Declaratio.

Hæc conceſſio ſingulare priuilegium eſt. Vt enim ſuprà dictum fuit Capite xx. in quarti Priuilegij explicatione, à Pontifice ſummo excommunicati ſunt quicumque ad Terram ſanctam, ſiue Ieruſalem, abſque ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ proficiſcuntur. In qua conceſſione notandum, non ſolùm concedi licentiam mercatoribus, pro quibus impetrata eſt, ſed etiam alijs exiſtentibus in quibuſuis locis: clara namque ſunt verba conceſſionis, quæ in ſuo amplo ſignificatu intelligenda ſunt, quia gratiæ ſunt ampliandæ; & priuilegium Principis latiſſimè eſt interpretandum, vt aliàs notauimus. Lege ſuprà Capite xix. in explicatione quinti Priuilegij. Et quomodo Guardianus poſſit eamdem licentiam dare, vide in Conſtitutionibus Pontificum in Clemente VII.

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

Alia priuilegia pro ſæcularibus perſonis.

Sæculares perſonæ in Terra ſancta habitantes, vel ad eam peregrinantes, poſſunt ad habitum Tertij Ordinis ſancti Patris noſtri Franciſci admitti.

Declaratio.

Pro iſto priuilegio conſule quæ ſuprà notauimus Capite xv. in primo & ſecundo Priuilegio.

PRIVILEGIVM TERTIVM.

Honeſti nobileſque viri Chriſti fideles cuiuſcumque nationis & ſtatus proficiſcentes ad ſanctam ciuitatem Ieruſalem, poſſunt inſtitui Equites ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri IESV Chriſti.

Declaratio.

De iſto priuilegio lege quæ ſuprà notauimus Capite xv. in tertio Priuilegio, & plura infra Cap. xxxii.

PRIVILEGIVM QVARTVM.

Olim in Terra ſancta diuerſarum natio-

num viri, honesto loco nati, varijs sacris Militaribus adscribebantur Ordinibus.

Declaratio.

Consule pro isto priuilegio, quæ inferiùs de sacris Militaribus Ordinibus Terræ sanctæ Capite XXXI. & sequentibus notamus.

PRIVILEGIVM QVINTVM.

Possunt sæculares in Terra sancta ab illius Præsule creari sacræ Theologiæ Lectores, Iudices & Notarij.

Declaratio.

Pro isto priuilegio lege suprà Capite XV. in quarto priuilegio.

PRIVILEGIVM SEXTVM.

Possunt, qui ad illas partes proficiscuntur, recipere cruces benedictas sanctissimæ Trinitatis.

Declaratio.

Lege pro isto priuilegio, quæ notauimus suprà Cap. XV. in quinto priuilegio.

PRIVILEGIVM SEPTIMVM.

Clerici in sacro exercitu pro Terra sancta recuperanda instituto versantes, possunt per triennium fructus suorum beneficiorum percipere, ac si in suis Ecclesijs residerent, & eosdem pignori obligare. Ita illis concessit Summus Pontifex Innocentius III. hisce verbis: *Clericis indulgemus, vt beneficia sua integra percipiant per triennium, ac si essent in Ecclesiis residentes, & si necesse fuerit, & per idem tempus pignori valeant obligare.*

Declaratio.

Duo continentur in præmisso priuilegio concessa Clericis sacro exercitui assistentibus, vt satis apparet ex verbis Pontificis. Vnum, quòd possint percipere suorum beneficiorum fructus, etsi absint ab Ecclesijs proprijs, pro quarum cura, & in eis residentia, illa beneficia obtinuerunt; quos tamen fructus, secluso Apostolico indulto, percipere non possent: quòd si percipiant, tenerentur pro rata absentiæ restituere, vel fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, & inciderent in alias pœnas contra non residentes statutas, vt patet ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. De Reformat. Alterum indultum est, quòd possunt etiam illo tempore triennali, quo sacro exercitui aderunt, beneficia sua pignorare, quod aliàs non liceret, nisi graui aliqua de causa, vt pluribus indicat Gratianus in Decreto.

Pro primi indulti explicatione duas præmittam distinctiones, & totidem subijciam Conclusiones.

PRIMA DISTINCTIO. Beneficia non sunt omnia eiusdem conditionis, sed generatim sunt duplicia. Quædam nullam requirunt residentiam, sed tantùm aliquod spirituale exercitium, vt Officij recitationem, vel celebrationem Missæ absolutè, vel in aliquo determinato templo vel altari; & ad horum fructuum licitam perceptionem non est necessaria residentia beneficiatorum, quia æquè potest satisfieri oneri in absentia, quàm in præsentia, vel per se, vel per alium. Alia residentiam requirunt, personale videlicet ministerium in loco debito. Hæc verò iterùm sunt duplicia: quædam enim habent iurisdictionem & curam animarum annexam, vt Episcopatus, Abbatia, cura Pastoralis, &c. Alia non habent huiusmodi annexa, vt Canonicatus, præbenda, &c. & qui hisce gaudent beneficijs, necessariò residere tenentur. Quòd si iusta causa non existente, absint, grauiter peccant, nec possunt fructus percipere; & si percipiant, ad restitutionem tenentur. qui enim onus non sentit, nec beneficium sentire debet; & antè notaui ex Tridentino. Idem docent alij Canones, & communis ea est Doctorum sententia. *Beneficia alia residentiam requirunt, alia non.*

SECVNDA DISTINCTIO. Fructus beneficiorum sunt duplices: quidam principales, siue, vt vocant, corpus præbendæ: alij non principales, vt sunt quotidianæ distributiones, quæ dantur pro ordinario ministerio. His præmissis, quæstio esse potest, de quibus beneficiatis & fructibus loquatur Pontifex in priuilegio, num de omnibus, an de aliquibus tantùm. *Fructus beneficiorum alij principales, alij non principales.*

Respondeo duabus Conclusionibus. PRIMA sit. Priuilegium intelligendum est de quibuscumque beneficiatis, non habentibus vel habentibus coniunctam residentiam, non curatis vel curatis. Probatur: quoniam est priuilegium Principis, quod latissimè est interpretandum, vt non semel alibi ex Iure notatum fuit. Secundò, quia hoc priuilegium concessum fuit, vt Clerici idonei allicerentur ad subueniendum, secundùm illorum institutum, Terræ sanctæ, consulendo, prædicando, Sacramenta administrando, & similia præstando in sacra Militia. Sed ex Clericis possunt cuiusque generis beneficiati esse idonei, & præsertim iurisdictionem & curam animarum habentes, hi enim magis experti & idonei supponuntur; igitur & pro istis etiam, de quibus poterat esse difficultas, fuit priuilegium datum, & consequenter pro omnibus alijs. Tertiò, ratio naturalis *Quicúmque beneficiati sacro militiæ exercitui possunt omnes fructus suorum beneficiorum percipere.*

idip-

idipſum perſuadet. Si enim beneficiati pro ſacra Militia non recuſant pericula & labores, & ſponte morti ſe exponunt, vtique non ſunt illis ſubtrahenda illa quibus in proprijs domibus, à periculis alieni habitantes, fruerentur.

SECVNDA CONCLVSIO. Præmiſſi beneficiati poſſunt licitè percipere quoſcumque ſuorum beneficiorum fructus, tam principales quàm non principales. Probatur multipliciter. Primò, ex adductis pro præcedenti Concluſione, quæ æquè valent pro præſenti. Secundò, quia ſi, ſecundùm omnes, abſens à ſua Eccleſia pro eiuſdem Eccleſiæ vtilitate, licitè percipit non modò principales fructus, ſed etiam quotidianas diſtributiones; quantò magis iuſtè percipiet, qui hortatu Pontificis Summi aberit pro totius Eccleſiæ vtilitate, & Eccleſiæ ſanctæ Sion, omnium Eccleſiarum matris, redemptione à Turcarum impuritate ac poteſtate? Tertiò, quia hoc volunt ipſa Pontificis verba, quæ ſic habent: *Vt beneficia ſua integra percipiant per triennium, ac ſi eſſent in Eccleſijs reſidentes. Integra* dixit, ergo non tantùm fructus principales, ſed etiam quotidianas diſtributiones, quibus beneficia integrantur. Quæ perciperent ſi ſuis præſiderent Eccleſijs, percipient abſentes in miniſterio ſacri exercitus.

Pro ſecundi indulti declaratione difficultas explicanda eſt. Quæri poſſet, quæ poſſit beneficiatus Clericus ſacræ Militiæ inſeruiens oppignorare, num beneficium, an fructus beneficij. Et poſſet quis credere, quòd tam illud, quàm hos. Ratio, quia Pontifex abſolutè & abſque diſtinctione locutus fuit, ergo nec nos diſtinguere debemus, quia priuilegium Principis eſt. Reſpondetur, priuilegium intelligendum eſſe de fructibus, non de ipſo beneficio; quia beneficium eſt Eccleſiæ & Pontificis, quo ſe non intendit priuare in Eccleſiæ præiudicium. Nec obſtat, quòd id expreſsè non videatur diſtingui: nam id erat in primis ſupponendum. Secundò, quia ex contextu verborum diſtinctio euidenter deducitur: nam priuilegium Pontificis reſpicit dumtaxat beneficij fructus, hos poſſe abſentem Clericum in ſacro exercitu degentem percipere. Ergo cùm ſubiungit, quòd poſſit etiam oppignorare, de eiſdem fructibus intelligendum eſt.

PRIVILEGIVM OCTAVVM.

Sacræ Militiæ adſcribi volentes recipiebantur ſub protectionem ſanctæ Eccleſiæ, etiam quantum ad temporalia. Ita ſanciuit Vrbanus II. Pontifex maximus in Concilio Claramontano, Tyrio in hunc modum referente. *Eos, qui ardore fidei ad expugnandos illos* (Saracenos) *laborem iſtum* (peregrinationis) *aſſumpſerint, ſub Eccleſiæ defenſione, & beatorum Petri & Pauli protectione, tamquam veræ obedientiæ filios recipimus, & ab vniuerſis inquietationibus tam in rebus alienis, quàm in proprijs, ſtatuimus manere ſecuros. Si verò quiſquam moleſtare eos, interim auſu temerario præſumpſerit, per Epiſcopum loci excommunicatione feriatur, & tamdiu ſententia ab omnibus obſeruetur, donec & ablata reddantur, & de illis damnis congruè ſatisfiat. Epiſcopi verò & Presbyteri, qui talibus fortiter non reſtiterint, officij ſuſpenſione multentur, donec miſericordiam Sedis Apoſtolicæ obtineant.* Idem alij præſtiterunt Pontifices, vt in illorum Conſtitutionibus videre eſt.

Sacri Militantes in omnibus recipiuntur ſub Apoſtolicæ Sedis tutela.

PRIVILEGIVM NONVM.

Non ſolùm poſſeſſiones, ſed etiam vxores & liberi Cruceſignatorum ſub peculiarem Eccleſiæ tutelam aſſumebantur. Ita obſeruandum ſtatuit Eugenius III. Pontifex Max. in Epiſtola ad Ludouicum Francorum Regem ſic ſcribens: *Vxores & filios eorum* (Cruceſignatorum) *bona quoque & poſſeßiones ſub ſanctæ Eccleſiæ, noſtra etiam & Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum Eccleſiæ Dei protectione manere decernimus. Auctoritate etiam Apoſtolica prohibemus, vt de omnibus quæ, cùm crucem acceperint, quietè poſſederint, nulla deinceps quæſtio moueatur, donec de ipſorum reditu vel obitu certißimè cognoſcatur. Quicumque verò ære premuntur alieno, & tam ſanctum iter puro corde inceperint, de præterito vſuras non ſoluant: & ſi ipſi vel alij pro eis occaſione vſurarum adſtricti ſunt ſacramento, vel fide, Apoſtolica auctoritate eos abſoluimus.* Eadem Innocentius III. & cum eo tota Synodus Laterauenſis. additque: *Quòd ſi quiſquam creditorum eos ad ſolutionem coëgerit vſurarum, ad reſtitutionem earum Eccleſiaſtica cenſura eos cogi mandamus. Iudæos verò ad remittendas vſuras per ſæcularem compelli præcipimus poteſtatem, & donec illas remiſerint, ab vniuerſis Chriſti fidelibus per excommunicationis ſententiam, eis omnino communio denegetur. His autem qui Iudæis debita ſoluere nequeunt in præſenti, ſic Principes ſæculares vtili dilatione prouideant, quòd poſt iter arreptum, vſquequò de ipſorum obitu vel reditu certißimè cognoſcatur, vſurarum incommoda non incurrant, compulſis Iudæis prouentus pignorum, quos interim ipſi perceperint, in ſortem, expenſis deductis neceſſarijs, computare. Porrò Eccleſiarum Prælati, qui in exhibenda iuſtitia Cruceſignatis & eorum*

Similia habet Innocent. III. Epiſt. ad Archiepiſc. Magdeburgenſ. Tomo 2. fol. 564. & in Epiſt. ad Viennenſ. fol. 561. & alibi ſæpè.

1 c. 25. facri.

eorum familijs negligentes extiterint, sciant se grauiter puniendos.

PRIVILEGIVM DECIMVM.

Sacri Milites exempti à grauaminibus soluendis.

Milites etiam Crucesignati pro Terræ sanctæ defensione immunes fuerunt à collectis, talijs, alijsque grauaminibus. Itaillis concessit Innocentius III. & cum illo Synodus pariter Lateranensis: quæ & in eorumdem gratiam anathemate etiam percussit adiutores & fautores prædonum & piratarum, qui peregrinis in itu redituque multum detrimenti inferebant. Excommunicauit præterea illos falsos & impios Christianos, qui *contra ipsum Christum & populum Christianum Saracenis arma, ferrum & lignamina galearum deferebant, vt & illos qui eis galeas vel naues vendebant, quiq; in piraticis Saracenorum nauibus curam gubernationis exercebant, vel in machinis aut quibuslibet alijs aliquod eis impendebant consilium vel auxilium in dispendium Terræ sanctæ.*

Octaui, noni & decimi priuilegij declaratio.

Præmissa priuilegia interpretor esse concessa absolute omnibus Crucesignatis, tam qui conscribebantur in terris Pontifici etiam quoad temporalia subiectis, quàm in alijs aliorum Principum regionibus. Et de illis est manifestum: nam alioquin ad temporalem eam protectionem tenentur, quatenus videlicet non solùm spiritualiter, sed etiam temporaliter præsunt; etsi respectu sacræ militiæ credam singularem promitti protectionem. De alijs militibus ostendo, quia priuilegium semper aliquid valere debet: ergo cum respectu subditorum non videatur multum valere quantum ad temporalium protectionem, quæ illis debetur ex lege diuina & naturali, mandanti Principibus vt suorum subditorum curam habeant, valebit tamen respectu aliorum militum alijs Principibus temporalibus subiectorum. Præterea cùm omnes eidem muneri inseruiant, cuius intuitu illa priuilegia concessa fuerunt, ratio requirit, vt omnes ijsdem quoque gaudeant priuilegijs: ac denique, quia Pontifices horum communes patres esse voluerunt.

Duæ explicantur difficultates.

Pro clariori horum priuilegiorum intelligentia duæ sunt explicandæ difficultates, quæ illis refragari videntur. Altera est: Priuilegium, quod est Principis gratia, non debet vergere in alterius præiudicium, graue præsertim, quod tunc accidit, quando ab aliquo tollitur quod ei Iure diuino traditum est. Patet, quia non debet inde iniuria procedere, vnde iura nascuntur. c. Qualiter 2. De accusat. præsertim quòd Papa numquam intendat tollere ius alterius, vt habetur in c. fin. De confir. vtil. vel inutil. & in Clem. Pastoralis. De re iudic. Sed per ista priuilegia tollitur ius alterius, Principum videlicet sæcularium. Patet de duobus prioribus. Cùm enim sæculares personæ debeant regi ac protegi quoad temporalia à suis Principibus sæcularibus, dum assumuntur in protectionem Pontificum per prædicta priuilegia, videtur quòd ad Pontificis eiuile dominium transferantur, præsertim quia Pontifices contra illos, qui eis molestiam inferunt, grauissimas pœnas statuant. De tertio clariùs idem apparet. Iure enim diuino sæcularibus Principibus debentur tributa, sicut dixit Saluator Matthæi 22, 21. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* & Apostolus Paulus Rom. 13, 7. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*, &c. & tamen illo vltimo priuilegio eximuntur à gabellis & vectigalibus Crucesignati etiam Principibus sæcularibus subiecti. Non potest autem esse validum priuilegium quod derogat diuinæ legi.

Altera difficultas est, quòd cùm Pontificum potestas respiciat spiritualia, non videatur eadem potestas iure extendi ad temporalia. Nec enim licet mittere falcem in messem alienã. Et Apostolus ait 2. Tim. 2, 4. *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus.* Vnde Apostoli, quia Principes spirituales erant sanctæ Ecclesiæ, his immiscere se noluerunt: dicebant enim Act. 6, 2. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Igitur nec Summis Pontificibus, qui in munere Apostolis successerunt, licuit se in similibus ingerere. Vnde Summus Pontifex Nicolaus I. in Epist. ad Michaëlem sic inquit: *Idem Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, sic actibus proprijs & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum Imperialibus legibus vterentur.*

Respondetur nihilominùs, sanctè ac iustè Summos Pontifices in gratiam Terræ sanctæ condecorasse prædictis priuilegijs omnes sacræ Militiæ milites, nec illorum concessione excessisse muneris sui metas, sed ex æquitate eidem satisfeciisse. Nec officiunt in contrarium adducta. Et omissa illa opinione, quæ asseuerat, Summum Pontificem Iure diuino habere plenissimam potestatem in vniuersum terrarum orbem, vel in orbem Christianum, tum in rebus Ecclesiasticis tum in politicis (secundùm hanc enim omnis soluta esset difficultas) sequi-

ſequimur communem Theologorum ſententiam, Pontificem, quà Pontifex, non habere directè & immediatè vllam temporalem poteſtatem, ſed ſolùm ſpiritualem; ratione tamen ſpiritualis habere ſaltem indirectè poteſtatem quamdam, eamq; ſummam, in temporalibus. Vnde honore Dei & ſpirituali vrgente neceſſitate, poteſt præcipere ſæcularibus Principibus, & eorumdem temporalibus bonis vti. Quare cùm ex ſacra expeditione Deo gloria, ſanctæ Eccleſiæ dilatatio, & multarum animarum ſalus proueniat, iuſtè atque rationabiliter, perſiſtendo intra ſuæ poteſtatis limites, conceſſerunt temporalia priuilegia ei expeditioni inſeruientibus, etiam in dominorum temporalium præiudicium. Etſi ipſi temporales domini debent Domino cæli & terræ inſeruire *(miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes*, vt inquit S. Paulus Rom. 13, 6.) quare illius ſupremas in terris vices gerens non poterit pro eius ſeruitio temporalibus temporalium dominorum bonis vti? Et ex hoc patet, quid ad propoſitas difficultates reſpondendum ſit, quas nihilominùs adhuc particulariter explico, & primam primò.

Pontificia auctoritas quomodo ſe extendat ad ſpiritualia & temporalia.

Priuilegijs illis temporalis protectionis non tollitur ius Principum temporalium, quia poſſet dici, eſſe partialem tantùm protectionem, & in caſu quo Crucefignati, & ea quæ ad eos pertinent, non protegerentur à ſæcularibus dominis. Sed eſto, etiam prorſus eximerentur à temporali iuriſdictione Regum, hoc non inconuenit, cùm de Deo ſuper omnia diligendo & honorando, & de fide Catholica, quæ priuilegianda eſt, agitur.

Regula communis & notanda.

Ad illud de tributis Iure diuino ſoluendis, dico, quòd quando concurrunt duo præcepta, & ſimul vtrumque obſeruari nequit, minori prætermiſſo, maius executioni mandandum ſit. In propoſito ſunt duo præcepta, alterum de reddendis tributis, quod reſpicit homines, alterum vt honoretur Deus, & illius Regnum dilatetur, quod Deum reſpicit, & altero maius eſt; igitur illo derelicto, hoc ſeruandum, quod fit, dum immunes à tributis ſolùendis reddantur Crucefignati. Præterea videtur in Crucefignatis ceſſare ratio ſoluendi tributa, quare illa non ſoluendo, præſertim Pontificis accedente beneplacito, cui Reges annuere debent, non ſunt cenſendi præcepti violatores. Ratio eſt, quia inter alias cauſas, ob quas Imperatores, Reges, alijque Principes non agnoſcentes ſuperiorem, iuſtè imponunt ſuis ſubditis vectigalia, hæ aſſignantur pro expenſis faciendis in iuſto bello, pro redemptione domini in bello, pro maiori Dei gloria, & publica vtilitate. Igitur cùm Crucefignati pro maiori Dei gloria, pro Chriſti Sepulchri redemptione, atque publica totius populi vtilitate ſe laboribus & periculis, etiam ipſi morti exponant, dum ſacræ Militiæ adſcribuntur, hac ratione magis præcepto de ſoluendis tributis Regibus ſatisfacerent, quàm ſi in ære ſoluerent.

Tributa quare ſolui non ſolent Principibus.

Ad ſecundam difficultatem dico, Pontifices conceſſione illorum priuilegiorum non exceſſerunt ſuæ poteſtatis limites, quia in caſu noſtro poſſunt illam indirectè ad maiorem Dei gloriam extendere etiam ad res temporales dominorum ſæcularium, vt dictum fuit. Ad Apoſtoli auctoritatem reſpondetur tripliciter. Primò, eum diſſuadere Eccleſiaſtico nuptias. inquit enim: *Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu*: *nemo* enim *militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus*. Præcipit hîc Epiſcopo ſanctus Apoſtolus, vt ſtrenuè militet Deo: deinde dicit, non poſſe eum benè militare Deo, ſi ſe implicauerit negotijs ſæcularibus, qualia ſunt nuptiæ, dicente S. Baſilio in Proœmio Conſtitutionum Monaſticarum: *Nuptiæ pedica ſunt.* Idem Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. iubet coniugatos vacare ex conſenſu ad tempus ab opere nuptiarum, vt orationi inſtare poſſint: ex quo per bonam conſequentiam deducit B. Hieronymus in c. 1. ad Tit. & lib. 1. in Iouinianum, eum præcipere Epiſcopis & alijs hominibus ſacratis, vt perpetuò à nuptiarum opere vacent, cùm quotidie orationi inſiſtere debeant. Quo eodem argumento ex hoc loco vtuntur etiam Origenes Homil. 23. in Num. & Epiphanius Hæreſi Catharorum. Et ſecundùm hunc ſenſum apparet, Apoſtoli auctoritatem nihil officere.

Nuptiæ Eccleſiaſtico diſſuadentur; quia pedica ſunt.

Dicet aliquis, hanc reſponſionem non diluere difficultatem, quia non tantùm nuptiæ, ſed etiã alia ſæcularia negotia à Chriſti militia & Dei obſequio auertunt, quod Chriſtus ſemel & iterùm in parabolis oſtendit: primò in illa de homine qui fecit nuptias filio ſuo, ad quas inuitati neglexerunt venire in villa & negotiatione occupati, vt videre eſt apud S. Matthæum cap. 22, 5. & in altera apud D. Lucam cap. 14, 16. de Rege qui fecerat cœnam magnam, ad quam inuitati renuerunt venire, non tantum qui vxorem duxit, ſed etiam qui villam emit, quia volebat illam videre; & qui iuga boum quinque emit, quia voluit probare illa; & quoniam ob nimiam rerum temporalium ſollicitudinem ſe nuptijs ſiue connubio, hoc eſt diuino obſequio indignos reddiderunt. Intulit ergo Saluator verſ. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem,*

& vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Ergo si non potest esse Christi discipulus, non tantùm qui ab vxore non recedit, sed etiam ab alijs qui à Christi perfecta sequela retrahere possunt, quomodo poterit esse Summus Pontifex & Christi Vicarius, qui se temporalibus immiscet?

Coniugium magis quàm mundana alia distrahit à Christi sequela.

Respondeo dupliciter. Primò, omnia quidem terrena esse impedimenta sequi Christum volentibus in via perfectionis, (ideò enim Christus dixit: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, Luc. 14, 33.) magis tamen & præ reliquis coniugium, adeò vt S. Apostolus absolutè illud mundi sollicitudinem appellauerit, quoniam secum omnem rerum temporalium sollicitudinem trahit: *Volo autem*, inquit, *vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo*, etsi debeat sibi victum labore comparare, vt ipse Paulus & alij Apostoli faciebant; *qui autem cum vxore est, sollicitus est quomodo placeat vxori, & diuisus est*, 1. Corinth. 7, 32. Ideò cùm tam qui villam, quàm qui iuga boum emerat, ita se excusasse visi sunt, quasi, postquam alter villam, alter boues inuisisset, posteà venturi essent ad paratum conuiuium, & ad sequendum Dominum; ille qui vxorem duxerat, absolutè dixit, *Non possum venire*, quia vxoratus totus vxori curæque prolium & familiæ deditus est, adeò vt connubium non permittat aliquod vacuum tempus Domino ex corde integro vacandi, quia diuisionem à Deo importat, vt Apostolus innuit. Et ideò Apostolus singulariter Episcopo dissuasit nuptias, vtpote eius muneri & statui vel maximè noxias.

Vsus rerum temporalium duplex, bonus & malus.

Secundò dico, res temporales posse dupliciter considerari; vno modo, vt sunt impedimenta sequendi Dominum, alio modo, vt sunt media sequendi, & instrumenta virtutis. Primo modo sunt relinquendæ & odio habendæ, non autem secundo modo. *Qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, & quos proximos nouimus, diligere debemus*, inquit Magnus Gregorius Homilia 37. in Euangelia; *& quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nescire debemus.* Idem de alijs similibus dicendum est. In proposito, quòd Pontifex indirecta sed absoluta auctoritate se immiscat, tantum abest quod hoc pacto sequela Dei impediatur, vt amplius via sternatur, & ad sequendum Dominum ac Principem nostrum, qui dedit pro nobis animam suam, fideles vsque ad proprij sanguinis effusionem magis incitentur.

Nomine negotiorum victus & vestitus non intelligitur ab Apostolo.

Secunda responsio ad auctoritatem Apostoli est, quòd sæcularium negotiorum appellatione non intellexerit regimen politicum, quasi semper id illicitum sit Pontifici, & neque in casu honoris Dei promouendi ei se immiscere liceat; sed intellexit curam parandi victus, ac proinde negotiationes, mercimonia, & similia, vt ex lectione Græca deducunt Doctores. Quid, quòd Doctores obseruarint, non haberi in Græco, nec in omnibus Latinis codicibus illud *Deo*? vnde hunc genuinum sensum verborum Apostoli esse volunt, quasi diceret: Dixi, vt labores sicut bonus miles Christi. Porrò bonus miles non est sollicitus circa victum & corporis curam, sed comedit & bibit quando & quomodo potest, dormit humi, vestitus magis ferro quam panno. Itaque Apostolus non interdixit Ecclesiastico Præsuli se in politicis negotijs ingerere, sed nimiam sollicitudinem circa vitam corporalem. Hinc Apostoli, vt orationi & verbo Dei magis intenti essent, eatenus dimiserunt curam ministrandi mensis, vt interim præsiderent etiam in temporalibus toti illi Ecclesiæ. Vnde cùm aduertissent, Græcos aduersus Hebræos contendisse, quòd viduæ eorum in distributione quotidiana præterirentur; elegerunt communi consilio septem viros boni testimonij, & Spiritu sancto plenos, qui mensis præessent, scandalorumque occasiones amputarent, vt in Actis Apostolorum legimus. In Epistola porrò ad Galatas Petrus & Iacobus & Ioannes solliciti pro fratribus qui erant Ierosolymis, rogant Paulum & Barnabam, vt de eleëmosyna aliqua colligenda, & Ierosolymam mittenda, curam suscipere velint: quod illi perlubenter non solùm fecerunt, sed & collectam pecuniam ipsimet eò detulerunt, non ad Diaconos præfectos mensis, sed ad seniores, vt habetur Actor. 11, 30. Quare bene licuit etiam nostris Summis Pontificibus, non transiliendo sui muneris limites, se in rebus temporalibus, etiam Principum, ingerere, temporalia priuilegia Militibus pro Terræ sanctæ recuperatione, diuini cultus sanctæque Ecclesiæ dilatatione Crucesignatis concedendo. Tertiò denique dicatur cum S. Ioanne Chrysostomo, præmissa verba dici ab Apostolo tam Episcopo quàm alijs hominibus. Omnes enim, etiam laici, etiam Reges, milites Christi, & ideò à nimia rerum temporalium sollicitudine alieni esse debent, vt Christi obsequio magis sint intenti. De hac re plura Cardinalis Bellarminus de Romano Pontifice lib. 5.

Apostoli etiam rerum temporalium curam habuerunt.

Nimia rerum temporalium sollicitudo à Paulo interdicitur omnibus.

Gretserus in suis de sancta Cruce Tomis dicit, extare apud Rigordum de rebus gestis

geſtis Philippi Auguſti diploma, in quo multa priuilegia ab eodem Philippo Francorum Rege peregrinis conceſſa ſint, cùm ipſe profectionem in terram ſanctam adornaret. & addit: *Similia priuilegia inuenies in Annalibus Anglicanis Rogeri, data Cruceſignatis ab Henrico Rege Angliæ, qui cum Philippo Francia Rege crucem ſuſceperat, mortuus tamen antequam iter iniret.* His addi poſſunt priuilegia conceſſa ab alijs Regibus & Principibus, Equitibus ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri, quæ infernis ſuo loco recitabimus, & alia conceſſa alijs Equeſtribus Terræ ſanctæ Ordinibus, de quibus eorumdem Ordinum deſcriptores. Interim hæc de his pro inſtituto noſtro omnino ſufficiunt.

CAPVT XXX.

De multiplici confirmatione priuilegiorum, quæ in fauorem Terræ ſanctæ, Fratrum in ea habitantium, aliorum quorumlibet ad eam diuertentium, vel eidem ſubſidium quomodolibet ferentium conceſſa ſunt, & hactenus recitata.

LOca ſancta, Fratres in illis habitantes, quæuis item aliæ perſonæ ad ea diuertentes, ac de ijſdem benè meritæ, multiplici gaudent priuilegio quantum ad varias confirmationes, tam abſolutas quàm reſtrictas, ante & poſt ſacrum Tridentinum Concilium à varijs Summis Pontificibus factas, vt ſtatim apparebit.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

Priuilegia Terræ ſanctæ abſolutè confirmata.

Gratiæ, indulgentiæ & priuilegia, à varijs Summis Pontificibus ante Concilium Tridentinum conceſſa locis ſanctis, & eorumdem intuitu alijs perſonis Religioſis vel ſæcularibus, à pluribus ſimiliter Pontificibus, qui idem Concilium præceſſerunt, abſolutè confirmata fuerunt.

Primus fuit Martinus V. in prima Bulla, qui hunc in modum omnia priora priuilegia confirmauit: *Veſtris pijs poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates, gratias, indulgentias & immunitates, à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſiue per priuilegia, ſiue alias indulgentias vobis & Ordini veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſæcularium exactionum à Regibus & Principibus, ac alijs Chriſti fidelibus rationabiliter vobis & Ordini prædicto indultas, ſicut eas iuſtè & pacificè obtinetis, quas præſentibus, pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, & per vos eidem Ordini, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus,* &c.

Secundus Ioannes XXIII. cuius in prima Bulla hæc ſunt verba: *Dilecti in Domino filij, veſtris iuſtis ſupplicationibus grato concurrentes aſſenſu, omnia priuilegia Indulgentiarum conceſſarum temporibus retroactis, vobis & Conuentibus, locis, ſiue domibus, in quibus ad præſens veſtri Fratres morantur, ac ſingulis alijs locis dicti Ordinis in partibus Terræ ſanctæ à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſiue per priuilegia, vel alias indulgentias, nec non libertates & exemptiones ſæcularium exactionum à Regibus, Principibus, & alijs Chriſti fidelibus rationabiliter vobis, & Fratribus, locis, & Ordini præfatis conceſſas, quæ rationabiliter poſsidetis; vobis, & per vos Ordini ac locis prædictis auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus,* &c.

Tertius Eugenius IV. qui & ipſe omnes gratias, libertates, exemptiones, immunitates, & priuilegia conceſſa Ordini & Fratribus habitantibus inter infideles confirmauit, vt refert noſter Collector, qui & Bullam notat littera I.

Quartus fuit Nicolaus V. qui Bulla 2. ſic Fratribus in terris infidelium habitantibus ſcribit: *Cùm à nobis petitur quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per ſollicitudinem officij noſtri ad debitum perducatur effectum. Quapropter, dilecti filij, veſtris pijs ſupplicationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates, & immunitates, litteras, tam per felicis recordationis Clementem Papam V. quàm alios prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, ſiue per priuilegia, vel alias indulgentias vobis & omnibus veſtris conceſſas, nec non libertates ſæcularium exactionum à Regibus, & Principibus, aut alijs Chriſti fidelibus rationabiliter vobis & dicto domibus veſtris indultas, ſicut ea omnia iuſtè & pacificè poſsidetis, vobis & per vos eiſdem domibus Apoſtolica auctoritate confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus,* &c.

Quintus Calliſtus III. in tribus Conſtitutionibus, prima, tertia & quarta, confirmat omnia quæ conceſſit Fratribus in Terra ſancta, & in alijs partibus infidelium habitantibus. In prima ſic dicit: *Volumus quòd omnes & ſinguli dicti Ordinis Fratres, qui in eiſdem locis pro tempore reſidebunt, omnibus & ſingulis priuilegijs, gratijs, indulgentijs, exemptionibus, & libertatibus, alijs Fratribus dicti Ordinis in genere conceſſis, & quibus illi quomodolibet potiuntur & gaudent, potiri & gaudere liberè ac licitè valeatis, auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes,*

tes, &c. In tertia ſic ait: *Calliſtus Epiſcopus*, &c. *Dilectis filijs Guardiano, & ceteris Fratribus Ordinis B. Franciſci de Obſeruantia nuncupatis, locorum Montis Sion, ſanctí Sepulchri, Bethleem, Vallis Ioſaphat, Montis Oliueti, & S. Saluatoris de Baruto, nec non aliorum locorum Terræ ſanctæ, aut in Aſia conſtitutis, & in poſterum conſtituendis & capiendis, auctoritate Apoſtolica concedimus, vt in partibus prædictis, Guardiani, & Fratres omnibus priuilegijs, indultis, gratijs & indulgentijs, à felicis recordationis prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, hactenus, & pariter gratijs & indulgentijs Ordini veſtro in Italia, nec non peregrinis in Terra ſancta per ſingula anni tempora conceſſis, vti & gaudere valeatis, auctoritate Apoſtolica præſentium tenore concedimus. Nos enim eadem indulta, gratias, facultates, exemptiones, indulgentias & priuilegia, ſupradictis Terræ ſanctæ locis, & Fratribus à noſtris prædeceſſoribus Romanis quibuſcumque Pontificibus quomodocumque conceſſa approbamus, confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſitan intreuenerint in eiſdem.* In quarta denique Conſtitutione ita habet: *Volumus, & pariter vobis elargimur omnes gratias & omnia priuilegia veſtro Ordini & eius Religioſis inter infideles commorantibus à Sede Apoſtolica hucuſque conceſſa, tenore & auctoritate prædictis confirmata eſſe, & pro talibus reputari*, &c.

Sextus fuit Pius II. qui confirmauit Fratri Gabrieli Mezauaca tunc Guardiano Montis Sion, omnes gratias, indulta, & conceſſiones factas prędeceſſoribus ſuis, ſcilicet Guardianis Montis Sion in perpetuum vel ad tempus conceſſis, vt illis gaudere poſſit, &c.

Septimus Sixtus IV. qui & ipſe confirmauit omnia priuilegia Terræ ſanctæ ad petitionem Fratris Bernardi de Parma, tunc Guardiani dicti ſacri Montis, his præcipuè verbis: *Omnia, omnia priuilegia Terræ ſanctæ confirmamus.* Et hæc verba dixiſſe, refert idem Frater Bernardus in quodam libello manuſcripto. Et ego hæc inueni ſcripta in calce libelli priuilegiorum Terræ ſanctæ.

Octauus denique eſt Clemens VII. qui ampliſſimam dedit confirmationem ad petitionem P. F. Hieronymi de Valentia Commiſſarij Curiæ, pro familia Ciſmontana, in qua confirmat omnes gratias, indulgentias, auctoritates & facultates hactenus per quoſcumque Pontifices Guardiano, & Fratribus Terræ ſanctæ conceſſas, & tam illas, quæ concernunt ipſos Fratres, quàm ceteros omnes fideles ad ipſa loca accedentes, vel in partibus ipſis commorantes. Confirmationem habes ſuprà in Bullis Pontificum.

Privilegium secundum.

Secundò, Frattes Terræ ſanctæ circa priuilegia ſibi & locis ſanctis conceſſa, priuilegiati ſunt poſt Concilium Tridentinum, à tribus ſummis & Romanis Pontificibus, ſpeciali confirmatione.

Primò igitur omnia Fratrum priuilegia, &c. confirmat Sixtus X. ſed cum reſtrictione, & quatenus ſunt in vſu, & decretis Concilij Tridentini non aduerſantur. Inter alia hæc dicit ad noſtrum propoſitum: *Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula priuilegia, conceſſiones, facultates, indulta, indulgentias, ceteraſq; gratias ſpirituales, temporales eiſdem locis, ac illa viſitantibus, nec non dicti Ordinis Guardiano, & Fratribus in illis partibus degentibus, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem Apoſtolicam in genere vel in ſpecie, aut aliàs quomodolibet conceſſa, quatenus ſint in vſu, & decretis Concily Tridentini non aduerſantia, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, omneſq; & ſingulos defectus, ſi qui intreuenerint, in eiſdem ſupplemus.* Hoc multum facit pro ſacris Militibus & alijs ſæcularibus perſonis. *Reſtrictio auctoritas priuilegia confirmata.*

Secundò, eadem confirmata fuerunt abſolutè, abſque aliqua limitatione, à Pio IV. in Bulla quam edidit in gratiam locorum ſanctorum, ad ſupplicationem P. F. Bonifacij Præſulis Terræ ſanctæ, quæ tota ferè nihil aliud continet quàm confirmationem atque ratihabitionem omnium priuilegiorum à ſuis prædeceſſoribus Romanis Pontificibus conceſſorum. Vide illam in Bullis Pontificum ſuprà poſitis, eſtque vnica Pij IV.

Denique Auctor libelli Reductorij Ieroſolymitani, mentione facta priuilegiorum Terræ ſanctæ, indicat, dicta omnia priuilegia confirmata fuiſſe à Paulo V. ſic dicens: *Quæ priuilegia, & Guardianatus officium Paulus V. Pontifex Maximus iuxta prædeceſſorum ſuorum conſuetudinem R. P. F. Gaudentio Saibantio Prouinciæ S. Antonij nuncupatæ, in Comitijs generalibus Toleti in Hiſpania anno ſuperiori* 1606. *celebratis, præfati Montis Sion electo Guardiano anno Domini* 1607. *die* 4. *Maij confirmauit.* Rodericus in ſuo Bullario multos adducit Summos Pontifices, qui confirmauerunt omnia Ordinis Seraphici priuilegia, ac conſequenter noſtra Terræ ſanctæ.

Decla-

Declaratio horum priuilegiorum.

Pro clariori priuilegiorum notitia, quinque breuiter aduerto. Primum eſt, ſucceſſores Pontifices meritò confirmare quæ prædeceſſores conceſſerunt: decet enim beneficium Principis eſſe perpetuum, quemadmodum Iura docent 21. quæſt. 1. & 2. in pluribus capitulis, & alibi. Et de facto eos illa confirmare, ex ipſorum praxi nouimus. Quomodo item confirmauerint Fratrum Minorum & aliorum Religioſorum priuilegia, tradit Rodericus Tom. 1. q. 8. art. 1. Miranda Tom. 2. quæſt. 42. cum alijs.

Secundum notandum eſt, confirmationem priuilegiorum nihil noui iuris tribuere, vt habetur quaſi per totum titulum De confirmatione vtil. vel inutil. & notauit Miranda loco nunc citato art. 4. Verùm quando gratia à pluribus confirmatur, maioris efficitur roboris & auctoritatis. Lege Gloſſam in c. 1. De tranſact. 1. & in c. Quia. De conceſſ. præben. Et ampliùs, quando confirmatio eſt Pontificis, & ex certa ſcientia, ſe extendit ſuper priuilegia à Regibus, vel Imperatoribus, & alijs inferioribus conceſſa. Vnde non poſſent ab iſtis poſteà reuocari, iuxta cap. Priuilegia 1. & 2. 25. q. 2. vbi habetur: *Ex quo priuilegia Eccleſiæ conceſſa ab Imperatore ſiue Rege, ex certa ſcientia per Papam fuerint confirmata, non poſſunt Imperatores ſiue Reges poſtmodum ea reuocare.* Quare Equites ſanctiſſimi Sepulchri vti poterunt gratijs ſibi à temporalibus Principibus conceſſis, & poſteà à Summis Pontificibus confirmatis, licet illis refragantibus. Idem dicas de ſimilibus, quod benè nota. Maximi ergo roboris & auctoritatis ſunt gratiæ & priuilegia Terræ ſanctæ, cùm à tot Pontificibus ſint confirmata, vt ex dictis patet.

Tertium notandum eſt, in confirmationibus Martini, Ioannis XXIII. & Clementis V. confirmari exemptiones & priuilegia data non ſolùm à Pontificibus, ſed etiam à Principibus ſæcularibus quoad ſæculares exactiones: quia Principes aliqui temporales dederunt priuilegia Fratribus, & fortè quòd ad nullam exactionem tenerentur; prout & in altera Clementis VII. quæ etiam ad fideles alios ſe extendit.

Pro clariori adhuc intellectu confirmationum præmiſſarum animaduertendum eſt, Summos Pontifices, qui illas conceſſerunt, ſupponere voluiſſe illorum ſententiam, aſſerentem, Eccleſiaſticos Iure humano exemptos eſſe in cauſis ciuilibus quoad temporalia, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue alia, etſi Iure diuino in cauſis Eccleſiaſticis. Ita plerique Theologi, præſertim Franciſcus Victoria in Relect. 1. De poteſtate Eccleſiaſtica, quæſt. vltima. Dominicus Soto in 4. diſt. 25. q. 2. art. 2. Bellarminus in lib. De Clericis, cap. 28. & ex Canoniſtis Couarruuias in libro Practicarum quæſtionum cap. 31. Et quòd Eccleſiaſtici quoad bona temporalia, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue alia, non ſint Iure diuino exempti à tributis & oneribus ciuilibus, probatur in primis Rom. 13, 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* & verſ. 6. *Ideò & tributa præſtatis.* vbi hoc, *Omnis anima*, includit etiam Clericos, teſte Chryſoſtomo; ergo & illud; *Ideò tributa præſtatis*, ſimiliter includit Clericos: ergo Clerici, niſi eximantur priuilegio Principum, tenerentur ſoluere tributa, vt argumentatur D. Thomas in eumdem locum. Secundò probatur teſtimonijs Patrum & Pontificum. Nam Vrbanus 23. q. 8. cap. Tributum. ſic ait: *Tributum in ore piſcis piſcante Petro inuentum eſt, quia de exterioribus ſuis Eccleſia tributum reddit.* Et Ambroſius in Orat. De tradendis Baſilicis: *Si tributum petit, non negabo: agri Eccleſiæ ſoluunt tributum.* Et Valentinus Senior in Epiſtola ad Epiſcopos Aſiæ dicit, bonos Epiſcopos tributa penſitare Regibus, ſecundùm Theodoretum lib. 4. Hiſtor. cap. 7. Hinc colligo, Eccleſiaſticos Iure diuino non eſſe exemptos à tributis ſoluendis. Verùm, licet Iure diuino exempti non ſint, debent tamen alio Iure eximi: conſentaneum eſt enim rectæ rationi, vt bona Eccleſiaſtica, quæ Deo conſecrata ſunt, & ideò bona Dominica vocantur in Canonibus Apoſtolorum can. 40. ſint libera ab exactionibus Principum, ne Deus ipſe videatur obligari ad ſoluenda tributa. Hac de cauſa voluit Ioſeph, vt omnes Ægyptij darent tributa Pharaoni, exceptis Sacerdotibus, quos iudicabat liberos eſſe oportere, Geneſis 47, 26.

Igitur ſi Eccleſiaſtici Iure diuino exempti non ſunt ab oneribus ciuilibus, Principibus ſæcularibus ſoluendis, &, vt recta ratio docet, exempti noſcuntur, &, vt iam ſuppoſuimus, non niſi Iure poſitiuo, cùm hoc duplex ſit, Canonicum & Ciuile; num altero tantùm, an potiùs vtroque ſint exempti? Reſpondeo, quòd vtroque Iure. Et quòd Canonico, probatur præſertim ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. can. 46. & ex cap. Quamquam. De cenſibus, in 6. & ex c. Quia nonnulli. & c. Clericis. De immunit. Eccleſ. & alibi. Quòd etiam ſint exempti Iure ciuili, probatur ex legibus Principum, quæ habentur in eodem Iure, vt L. Sancimus. C. De ſacroſanctis Eccleſ. & alibi. Notandum tamen, ante Iuſtiniani tempora legibus priorum Principum

pum immunes fuisse Clericos à tributis personalibus, vt etiam indicat S. Hieronymus ad cap. 17. Matth. non tamen à tributis realibus, vt colligitur ex D. Ambrosio loco citato.

Neque sufficit dicere: si est Iuris humani, quòd Clerici non soluant tributum, neque trahantur ad tribunalia sæcularia, iam poterunt Principes contrarium statuere. Respondeo enim, id non sequi, quia non soli Reges ac Principes sæculares, sed etiam Pontifices & Concilia hanc exemptionem Clericis tribuerunt, & concessam traditam à Principibus sęcularibus confirmauerunt, & totus orbis Christianus consensit; ac proinde Principes nihil possunt hac in re immutare, nisi iterùm omnes consentiant.

Et ex his patet, quomodo gratiæ factæ per sæculares Principes Fratribus Terræ sanctæ, ab ipsis reuocari non possint, quia à Summis Pontificibus sunt confirmatæ. Item, quomodo gratiæ concessæ non solùm Fratribus, sed etiam alijs fidelibus intuitu locorum Terræ sanctę à Summis Pontificibus ante Clementem VII. & ab ipso Clemente fuerint ab eodem confirmatæ.

Amplius, nec priuilegia concessa à sæcularibus Principibus Equestribus Ordinibus Terræ sanctæ possunt ab ipsis auferri, quia Sixtus IV. confirmauit omnia priuilegia Terræ sanctæ absolutè.

Quartum notandum est, in Confirmationibus Callisti, concedi Fratribus in partibus istis habitantibus; in prima, priuilegia toti Ordini Seraphico concessa in genere; & in tertia, illa quibus gaudent Fratres in Italia. Ex his huius Pontificis gratijs & priuilegijs ego deduco, Fratres Terræ sanctæ gaudere priuilegijs Fratrum Italiæ & totius mundi, non solùm quia Fratres eiusdem Ordinis sunt (quod facere poterant sine huius Pontificis concessionibus; facit c. Cùm omnis. De constit. & cap. Cùm non deerat. De præscript. & c. Quòd omnis. De reg. Iuris, in 6.) sed etiam ratione peculiaris concessionis, quia illis singulariter concessa, &, vt ita dicam, facta sunt priuilegia Terræ sanctæ. Ideò non asserendo, sed ratiocinando probabiliter dico, licet Ordinis essent priuilegia reuocata, non tamen reuocata censeri priuilegia Fratrum Terræ sanctæ, nisi in reuocatione specialis & expressa mentio de illis facta sit. Et probatur, quia specialis concessio & priuilegium aliquid tribuit supra Ius commune, vt alibi ostendimus: igitur cùm ex Iure communi Fratres Terræ sanctæ, quà Fratres Ordinis, gaudeant priuilegijs eiusdem Ordinis, illis Pontificum gratijs etiam gaudebunt vt proprijs. Confirmatur à simili.

Vide etiam suprà C. 11. Dub. 1. in v. Conclusione.

Quemadmodum enim, extincto per non vsum priuilegio respectu Religionis cui primò fuerat concessum, non ideò extinguitur respectu Religionis dicto priuilegio communicantis ad instar, si interim illo ea vsa fuerit, vt notat Rodericus Tom. 1. quæst. 7. art. 5. ita ablatis gratijs à Religione cui primò fuerant concessæ, non propterea auferuntur ab eis quæ eisdem communicant, speciali etiam priuilegio concessis, nisi in reuocatione fiat de illis specialis mentio.

Quintum notandum desumitur ex tertia eiusdem Callisti Bulla, item ex Sixto V. Pio IV. & Paulo V. nimirum Fratres Terræ sanctæ habere easdem indulgentias, quas habent peregrini in quocumque anni tempore. Vnde sicut peregrini, quocumque tempore venerint, semper habent in pluribus locis plures indulgentias plenarias & non plenarias, de quibus suprà Cap. 1v. ita Fratres ipsa eadem loca deuotè visitantes toties quoties, lucrantur easdem indulgentias. Ex hac eadem concessione, & altera Eugenij & aliorum posteriorum Pontificum, in quibus indulgentiæ Terræ sanctæ confirmantur, deducitur euidenter, verè in ea esse indulgentias; alioqui verba in illis contenta frustranea essent, si confirmarentur ea quæ non sunt, quod vtique fieri neque potest neque debet.

Fratres Terræ sanctæ semper gaudent possunt indulgentijs quibus gaudent peregrini in suo aduentu.

Denique hic placet aduertere, Fratres vtrauis facultate vti posse, vel restricta, vel absoluta, cùm illa hanc non tollat vel imminuat, iuxta dicta superiùs Capite xxiv. pro 1. & 2. Priuilegio, & Cap. 11. Dub. 1.

De priuilegijs Fratrum proficiscentium ad infideles eorum salutis procurandæ gratiâ, lege quæ collegit & notauit P. F. Thomas à Iesu, Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, lib. 12. de Procuranda salute omnium gentium.

CAPVT XXXI.

In Terra sancta fuerunt & sunt sacri Militares Ordines, quorum etiam institutionis ratio, typus & numerus recensetur.

QVemadmodum antiquitus in Christiano orbe erant multiplices ac varij fidelium Ordines, & singulariter sacrorum Equitum, ad illius tutelam, splendorem & decorem: ita etiam adhuc vsque hodie ijsdem plurimùm abundat, munitur & illustratur. Vt enim olim Machabæi *præliabantur prælium Israël cum lætitia, & dilatabant gloriam populi sui*, haud dissimiliter Illustrissimi isti Equites, & viri præstantissimi, Deo optimo maximo gratissimum exhibent obsequium,

ſequium, & ſanctæ Eccleſiæ Chriſtique fidelibus miniſterium præſtant maximè vtiliſſimum. Ex officio enim ad Eccleſiæ defenſionem & diuini cultus exaltationem procurandam tenentur, & publicæ ſaluti, oppreſſorumque, captiuorum & pauperum ſubuentioni ac liberationi inſiſtere debent, implentes illud quod dixit aliquando Dominus per os Dauid Prophetæ Pſalm. 81, 4. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Ita præter alios docuit Angelicus Doctor 2. 2. q. 188. art. 3.

Vt in Chriſtiano orbe ſemper ſint ſacri Equites, ita in Terra ſancta.

Perinde etiam ſancta Dei in terris electa habitatio, regio ſanctis Patribus repromiſſa, Chriſti Seruatoris ſacratiſſimis veſtigijs percalcata, eiuſdem pretioſiſſimo Sanguine humefacta, Palæſtinæ inquam vel Terræ ſanctæ nobiliſſima & ſacratiſſima regio, in eiuſdem orbis meditullio & vmbilico poſita, olim quidem, cùm in florido ſtatu & glorioſo decore ſub imperio & tutela Chriſtianorum Principum conſtituta erat, cuiuſcumque generis fidelibus, Eccleſiaſticis & ſæcularibus, Sacerdotibus, Monachis & Virginibus, Equitibus & Principibus abundabat: ſed nec poſteà, ſub infidelium redacta tyrannidem, ab illo ſtatu omnino in deterius tranſmutata, & priſtino penitus decore & gloria deſtituta eſt, cùm in ea adhuc, quamuis ſicut lilium inter ſpinas, habitet fideliũ congregatio variis Ordinibus diſtincta. Siquidem & in hodiernum vſque diem in ea reperiuntur Eccleſiaſtici & ſæculares, iterumq; ſæculares aliqui Clerici, & alij Religioſi, cum deuotiſſimis S. Frãciſci filijs, vt ſatis conſtat, & iam pluribus demonſtrauimus. Quin nec Militaribus & Equeſtribus viris, viuificæ Crucis ſigno inſignitis, quibus olim abundabat, modò omnino priuata eſt; ſed ex illis quidam adhuc ſuperſunt, alij alijs Ordinibus iuncti fuerunt, omnium tamen ferè aliqua relicta eſt memoria, vt ex ſtatim dicendis apparebit.

Equites ſacri equitatui Salomonis comparantur.

Ieroſolymitana Eccleſia ſimilis equitatus Salomonis.

Dum verò Terram illam tot ſacris Militibus, imò tot illuſtrium Equitum Ordinibus ſtipatam conſidero, videre mihi videor pretioſiſſimum, ornatiſſimum & inſtructiſſimum equitatum, curruſque ordinatiſſimos ſapientiſſimi & potentiſſimi Regis Salomonis, de quibus in hunc modum loquitur diuina Scriptura 3. Reg. 10, 26. *Congregauitq; Salomon currus, & equites, & facti ſunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & diſpoſuit eos per ciuitates munitas, & cum Rege in Ieruſalem.* & poſt pauca ſubdit verſ. 28. *Et educebantur equi Salomoni de Aegypto, & de Coa. Negotiatores enim Regis emebant de Coa, & ſtatuto pretio perducebant. Egrediebatur autem quadriga ex Aegypto ſexcentis ſiclis argenti, & equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti Reges Hethæorum & Syriæ equos venumdabant.* Et alibi legimus Salomonem habuiſſe quadraginta millia equorum in ſtabulis, qui ei adducebantur ex Ægypto, & ex omnibus circumcircà regionibus. Quibus curribus & equitatui ſuo ipſemet Salomon aſſimilauit dilectam ſuam (niſi melius dicamus, Spiritus ſanctus ſanctam ſuam Eccleſiam. ſed capiamus nos, eodem Spiritu edocti, litterali vel ſpirituali intellectu, Terram ſanctam, variis Militibus & ſacrorum Equitum Ordinibus circumdatam) dicens: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea*, Cant. 1, 8. Et optima quidem ratione. Quemadmodum enim equitatus Salomonis ex omnibus gentibus adducebatur in Ieruſalem; ita ſacra Terræ ſanctæ & Ieroſolymitana militia ex diuerſis orbis regionibus colligitur. Ille equitatus, velut ex communi emporio, ſingulariter ex Ægypto (quæ vox tenebras & confuſionem ſignificat) educi perhibetur: ſacri noſtri Equites de obſcuro & maligno huius mundi Ægypto, in Dei admirabile lumen, ad ſanctam Ieruſalem pacis & lucis ciuitatem transferuntur. Equitatus Salomonis non gratis, ſed magno pretio, impenſis maximis, & ex regionibus longinquis adducebatur: Terræ etiam ſanctæ Equites non niſi maximis ſumptibus, laboribus & periculis in Terram ſanctam perducuntur, & ſacræ Militiæ adſcribuntur, vt poſteà videbimus, dum ſingulariter agemus de Militibus ſanctiſſimi Sepulchri Chriſti Domini. Gloriabatur valdè Salomon in ſuo Equitatu, vt & alij Principes in generoſis & eximijs equis ſibi placere ſolent, quorum maximam & exactiſſimam curam habent. Rex noſter glorioſus & pacificus, verus Salomon Chriſtus de ſuis Equitibus meritò gloriari poteſt, quorum etiam curam habet tum per ſe, tum per ſuos miniſtros Angelos & homines, ſingulari cuſtodia eos protegendo, & eximijs priuilegijs, gratijs & præeminentijs condecorãdo, ne quid eos deficeret, ſed omnibus omnino rebus abundarent. Denique, ſicut Princeps ſuo delatus equitatu impugnat & expugnat hoſtes, eisque deuictis glorioſè triumphat: ita & Dominus noſter quaſi in noſtra Terræ ſanctæ militia vehitur, dum per fidei & ſubiectionis obedientiam ipſius quaſi dorſo & collo inſider, quam & habenis viuificæ legis, & calcaribus ſalutarium mandatorum ducit quò vult, in qua & pugnans contra honoris Dei & noſtræ ſalutis hoſtes viſibiles & inuiſibiles, tandem glorioſus triumphat; non ſecùs quàm in veteri lege Machabæi, Propheta Regius,

Regius, alijque Israëlitarum Duces prælia-bantur prælia Domini, non tam ferro quàm prece, non tam ictibus quàm vocibus, & bona sua voluntate. Vtque olim Iosue euertit Iericho, & de Ierichuntinis triumphauit, non externo cum hostibus conflictu, sed mentis clamore & vociferatione, Ios. 6, 16. ita nos gloriari in nobismetipsis ipsis, sed in Deo debemus, & dicere cum Apostolo: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum*, 1. Cor. 15, 57.

Duo Equitum genera in communi, quorum alij sacri, alij non sacri dicuntur.

Priùs verò quàm vlteriùs procedamus, vnum placet animaduertere, Christianos Milites ad duas præcipuè classes reduci posse, vt alij sint sacri, alij non sacri. Hi, id est nullo modo sacri dicuntur, qui solâ Regum vel Principum auctoritate sunt instituti, &

Non sacri qui sint:

nulla Summi Romani Pontificis auctoritate confirmati, ac ideò nullis Ecclesiæ priuilegijs gaudent, nisi illis quæ habent speciali Pontificis beneficio. Qui quidem Equites vulgò *Torquati* dicuntur; eò quòd torquem auream deferant è collo pendentem, quales in Anglia sunt Equites Iarterij, in Gallia Equites Stellæ & S. Michaëlis, in Sabaudia Equites Annuntiationis, in Hispania Equites de la Banda (qui iam desierunt) in Burgundia denique Equites Velleris aurei, vulgò *del Toson*, cuius supremum ius &

Qui sacri.

potestas modò penes Hispaniarum Reges est. Isti verò Equites, id est sacri, illi appellantur, qui tribus Religionis votis sunt adstricti, formulam aliquam viuendi auctoritate Ecclesiæ approbatam profitentur, denique aduersus fidei & Christianæ Religionis hostes quà terra quà mari belligerant.

Hi sunt triplices.

Et isti sunt in triplici ordine. Alij enim sunt viri Nobiles, qui velut sacri quidam milites, instar Machabæorum, pro fide ac lege Christi cum Turcis & Saracenis fortiter dimicant; alij sunt Clerici, qui ad diuina ministeria obeunda recepti, in suorum Ordinum Collegijs ac sacris ædibus commorantur, in Choro diuinas laudes decantant, Missarum sacrificia offerunt, Deum pro Militum salute deprecantur; qui & solent Ecclesijs præfici, quamuis Ordini militari subiecti; aliquando etiam tamquam Capellani cum ipsis sacris Militibus in militia versantur, ad eorum confessiones excipiendas, rem diuinam faciendam, & eis venerabilem Eucharistiam impertiendam. Alij denique sunt, qui ad domestica munia & ministeria exequenda admittuntur, tum Clericis tum Militibus inseruientes.

Equites sacri & militares quare dicti.

Ordines hi militares appellantur, quia ad militiam instituti: Religiosi verò, quòd Milites in hos Ordines recepti, tribus se Religionis votis obstringunt: sacri, quoniam Regulam Ecclesiæ auctoritate approbatam profitentur, Deo per tria illa vota deuincti, & addicti ad dimicandum pro fide & Religione Christiana. Et sacrum hoc Militare institutum simile apparet exercitui illi strenuissimi Dauidis Regis Ierusalem & totius Terræ sanctæ, in eo præfiguratum, dum quidam cum hoste confligerent, & alij pugnantium sarcinas custodiebant, eisque necessaria ministrabant, vt in primo Regum libro proditum est. In nostris quoque sacris Ordinibus quidam cum hoste materialibus armis dimicant, quidam contemplationis quieti singulariter attendunt, è quo posteriori genere sunt nostri sacri Equites, de quibus in posterum nobis agendum est.

Equestres Ordines meritò Terra sanctæ.

Meritò quidem Terra nostra electa & benedicta sacri Ordinis Milites habet, cùm alijs regionibus vel Congregationibus, quæ similibus Equitibus & Ordinibus decorantur, inferior ex hac parte esse non debeat. Ad eius certè gloriam eximiam & illustriorem splendorem facit, quòd non solum Religiosi vel Monachales, sed etiam sacri Militares in ea Ordines reperiantur: ex hoc enim capite Regius Vates sanctam Dei Ecclesiam & electam Christi sponsam, quam in spiritu fuerat contemplatus, describit Psalmo 44, 10. inquiens: ⌣*Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*⌣. Et nos vicissim Terram sanctam considerantes, eam quoq; pulchram, decoram, & varijs ornamentis circumamictam prædicamus, de quibus Isaias c. 49, 18. dixit: *Omnibus his velut ornamento vestieris.* & Zacharias cap. 9, 8. *Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi, euntes & redeuntes.* Sed & ad Euangelij dilatationem & fidei incrementum tacit, & porrò vt pacificè omnes in vinculo pacis Deo deseruire possint. Sicut enim in sancta Dei Ecclesia approbati fuerunt Monachales Ordines pro ministerio Ecclesiastico, qui essent velut singulares custodes illi Ierosolymitani, de quibus Isaias cap. 62, 6. dixit: *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt*, à laude inquam Domini, vt addidit Ecclesia. Et quamuis nonnulli etiam Militares Ordines, vt præmisimus, ad diuinas decantandas laudes sint destinati; singulariter tamen omnes instituti fuere ad fidei defensionem, & ad diuini cultus propagationem, publicæque salutis & pacis conseruationem; ad quod etiam vel maximè sunt necessarij, cùm pax non solùm spiritualis, sed etiam temporalis ad diuinas laudes ritè celebrandas summopere requiratur. Quare sancta mater Ecclesia illam enixè à Deo optimo maximo exoptat, dicens: *Deus à*

quo

quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera; da ſeruis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem, vt & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla. Ita quoque in Terra ſancta, vbi non deſunt Monachales Ordines qui ſingulariter Deo in diuinis exercitijs deſeruiunt, deeſſe non debuerunt Ordines Militares, qui in primis iſtorum quieti & temporali ſaluti inſeruirent, & aliquando (dum ſic Deo placitum fuerit) ex infidelium manibus eripiant ſanctam Dei hereditatem. Quartò deniq; varij Militares Ordines inſtituti fuerunt in Terra ſancta, vt diuerſimodè conſultum eſſet ſaluti peregrinorum ad illam venientium, quò illi ſani & incolumes, à latronum defenſi incurſionibus, ſancta loca venerari poſſent, atque vt, ſi vel inibi, vel in reditu eos laboribus & infirmitate grauari, vel hoſtium inſultibus aliáve de cauſa præpediri contigerit, illorum conſuleretur ſecuritati & valetudini, & denique in quibuſcumq; alijs neceſſitatibus opem & ſubſidium haberent. Iis enim pietatis operibus, iuxta illorum inſtitutum, operam dabant Terræ ſanctæ Equites, vt infrà, dum de ſingulis Ordinibus diffuſiùs agemus, docebimus.

Ordinum Equeſtrium Terræ ſanctæ typus.

Et vt illorum numerum ac typum referamus, dicimus fuiſſe duodecim in genere, velut duodecim Terræ ſanctæ propugnacula, quos etiam in veteri Teſtamento variè, præcipuè tamen in tribus, præfiguratos fuiſſe arbitror. Primò in duodecim Patriarchis & capitibus duodecim tribuum filiorum Iſraël. Vt enim inter iſtos in lege veteri Terra repromiſſionis diſtributa fuit; ita in lege noua eadem Terra duodecim ſacris Militaribus Ordinibus, vt cuſtodiretur, concredita fuit, vt ampliùs, dum de vnoquoque ipſorum tractationem inſtituemus, manifeſtius euadet.

Secundò in duodecim titulis à Moyſe erectis, de quibus dicitur Exod. 24,4. *Scripſit Moyſes vniuerſos ſermones Domini: & manè conſurgens ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſraël.* Quo loco per duodecim titulos quidam intelligunt duodecim altaria; alij duodecim lapides, ex quibus conſtructum fuit altare, ad deſignandam oblationem duodecim tribuum. Poſterior expoſitio magis placet Lyrano. Hebraicè habetur *duodecim ſtatuas*, quæ tamen non fuerunt idola, aut hominum effigies, ſed duodecim lapides erecti inſtar ſtatuarum. Vterque ſenſus commodè & perbellè accommodari poteſt noſtris Ordinibus, qui & ipſi poſſunt altaria nuncupari, quoniam quemadmodum iſta ſunt diuino cultui dedicata, & in ipſis offertur Deo oblatio munda, ita & noſtri Ordines Deo peculiari ritu ſunt dicati, ideoque ſacri dicuntur, & in cordibus ſuis, velut in altaribus, offerunt Milites Deo preces, & ſeipſos eidem in holocauſtum, ſi neceſſitas poſtulet, pro fidei & Religionis Catholicæ defenſione incendendum. Poſſunt etiam ſtatuæ vel lapides appellari, ad reſiſtendum hoſtium incurſionibus, eiſdemque terrorem incutiendum. Pro eo quod nos habemus, *Iuxta duodecim tribus Iſraël*, habetur in Hebræo, *Iuxta duodecim virgas Iſraël*, quod eódem recidit. Vocantur enim filij virgæ: quia quemadmodum virgæ à trunco, ſic ipſi à parentibus oriuntur. Et virgæ appellati poſſunt noſtri Equeſtres Ordines Terræ ſanctæ, tum quia in ea ipſa Terra ſumpſerunt exordium, tum quia inſtar virgarum eſſe debent aduerſus hoſtes Chriſtiani nominis, & Domini organum, quo mali compeſcantur, vt ſic de vnoquoque ipſorum dici poſſit: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum*, Pſ. 109,3. Tertiò fuerunt præmonſtrati in duodecim illis ſpeculatoribus, quos ad explorandam Terram promiſſionis miſit Moyſes ſingulos de ſingulis tribubus, quemadmodum ei præceperat Dominus, Num. 13,5. Noſtri quoque Equites debuerunt inuigilare pro cuſtodia eiuſdem Terræ, exploreque ſi quis contra eam, vel ad peregrinos eius infeſtandos accederet. Sunt verò hi qui ſequuntur:

1. Ordo ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri.
2. Ordo S. Ioannis Baptiſtæ Ieroſolymitani, poſteà Rhodienſis, nunc Melitenſis appellatus.
3. Ordo Templariorum.
4. Ordo Teutonicorum.
5. Ordo S. Lazari.
6. Ordo S. Catharinæ virginis & martyris de monte Sinai.
7. Ordo de Monte gaudio.
8. Ordo S. Ioannis Aconenſis.
9. Ordo S. Thomæ martyris.
10. Ordo S. Gereonis.
11. Ordo S. Blaſij.
12. Ordo Pœnitentiæ ſanctorum Martyrum.

Ad ſingulorum nunc explicationem accedamus, in qua illorum opera vtemur, qui de eiſdem Ordinibus ſcripſerunt, partim illorum verba, partim ſententiam referendo, tum addendo alia quæ communiter aſſeruntur, & denique quæ nos excogitauimus pro maiori elucidatione aſſumpti argumenti.

CAPVT XXXII.

De origine Militaris Ordinis Dominici Sepulchri.

Ordo tractandi in hac materia.

DE sacro Militari Ordine sacratissimi Sepulchri Domini nostri Iesu Christi, origine inquam eius, progressu, statu, conditione, & alijs circa illum obseruandis acturi, quinque per ordinem videbimus: primò, ipsius originem, stemmata, progressum, statum & conditionem; secundò, quomodo illius Equites instituantur, & de eorumdem obligatione; tertiò, referemus gratias & priuilegia, quæ in eorum fauorem concesserunt pijssimi Principes; quartò, multiplex calumnia & difficultas proponetur & dissoluetur; & quintò denique, quanta sit illius excellentia aperietur. Et hæc omnia pluribus Capitibus explicabimus, originem verò præsenti Capite.

Ordo Sepulchri Dominici est ab alijs distinctus.

Antequam autem sacri huius Ordinis explicare originem incipiam, præmonendum duxi, me de eo loqui tamquam de particulari Ordine à quocumque alio distincto, sicuti verè est, vt patet ex stemmatibus, professione, & alijs. Perinde etiam locuturus sum de alijs Ordinibus, cùm ad illorum enarrationem deuenero. Hoc adnotasse placuit, quia aliqui confundunt nostrum Ordinem vel cum illo S. Georgij, vel cum altero Templariorum.

Miræus duplicem assignat Ordinem Sepulchri Domini.

Aubertus Miræus Decanus Antuerpiensis, & rerum istarum alioqui non imperitus, assignat duplicem Ordinem S. Sepulchri: alterum appellat *Sepulchri Christi apud Italos*, alterum *Sepulchri Christi in Ierusalem*. De illo ita scribit lib. 1. de Origine Ordinum Equestrium cap. 15. *Fuit olim & Ordo Equitum Sepulchri Christi in Italia celebris: cuius quidem candidati binas cruces rubras pro tessera in veste præferebant, Sede primaria Perusia constituta. Hos Innocentius VIII. Papa Rhodijs Equitibus adiunxit.* De isto verò in hunc modum loquitur ibidem capit. 16. *Agmen claudant Milites siue Equites toto orbe notissimi, quos Ierosolymitanos, siue S. Sepulchri Domini nostri Iesu Christi in Ierusalem nuncupant*, &c.

Non dubito, virum istum loqui de prædictis Ordinibus tamquam de distinctis, tum quia tamquam de diuersis diuisim de eisdem agit; tum quia diuersa insignia vtrisque adscribit, vt posteà apparebit, dum de nostri Ordinis stemmatibus agemus. Verùm alij specie illos non distinguunt, sed eos quos vocant Equites Italiæ, traxisse aiunt originem ex nostris, quos describimus, quando nimirum, sancta ciuitate deperdita, habitationem in Italiam transtulerunt, vt inferiùs dicemus. Vtcumque tamen sit, nos verba facere intendimus de nostris Terræ sanctæ, non de illis Italiæ, si ex istis negentur originem traxisse, adeoque ab eisdem differre asserantur.

De origine huius Ordinis nouem sententiæ, & quomodo concilian-tur.

Sciendum verò plures à Scriptoribus huius sacri Ordinis statui auctores, quod in causa fuit, vt non pauci de illius vera origine & antiquitate dubitauerint. Sed id non obstare illius veræ origini & antiquitati, respondemus. Etenim varij & plures recensentur illius auctores, quoniam alij illius prima iecerunt fundamenta, alij collapsum restituerunt, alij denique gratijs, priuilegijs & immunitatibus condecorarunt secundùm temporis opportunitatem: quemadmodum etiam in Monachalibus Ordinibus aduertere licet, quorum sunt certa initia, & nihilominùs eorumdem plures recensentur auctores & Patres, quia quidam eos à fundamentis (vt ita dicam) instituerunt, alij eosdem à pristina fundamentorum institutione & obseruantia declinantes reformarunt, & sanctis ordinationibus muniuerunt. Ita dicimus in proposito, vt contrarietates concilientur, & aliqualis saltem dignitas, quæ nostro sacro Equestri Ordini ex antiquitate prouenire potest, minimè auferatur.

Prima opinio affert, fundatum à S. Iacob.

Et quis primò Dominici Sepulchri Ordinem instituit? Respondeo, de hoc non omnes, vt & paulò antè innuimus, inter se conuenire Auctores. Aliqui, referente Francisco Mennenio Antuerpiense in suo Itinerario Terræ sanctæ, respondent, prima illius fundamenta iecisse S. Iacobum fratrem Domini, primum Ierosolymorum Episcopum, anno Domini 63. pro Christo cæsum. Cùm verò ad huius probationem euidentes demonstrationes produci non possint, proderunt saltem in isto tractandi genere probabilia argumenta. Ratio itaque persuadet, vt piè credamus, sanctum hunc & Spiritu diuino plenum Antistitem, ad honorem sanctissimi Sepulchri, gloriosa Domini & Angelorum præsentia honoratum, hominibus venerandum, dæmonibus formidabile, & toto iam mundo celebratum, sacris Militibus condecorasse, vt illius temporis conditio permittebat. Si enim alij ipso posteriores viri, in quibus nec tanta sapientia, nec zelus Dei, nec tanta extitit sancti Spiritus abundantia, simili de causa alios instituerunt Ordines, & hunc pristino decori restituerunt & extulerunt; quare non possumus nos piè ac probabiliter credere cum istis Auctoribus, sanctum Christi Apostolum nostro huic Equestri Ordini originem dedisse? Accedit, quòd hoc dicendo, agnosci-

agnoſcimus Apoſtolos primos parentes omnium Eccleſiaſticorum Ordinum in genere, Monachalium videlicet, de quibus non poteſt eſſe dubium, & Militarium.

Quòd ſi hæc ſententia vera eſt, reijciendum erit quod citatus Mennenius dixit, dum de Equeſtri Ordine Conſtantiniano, ſiue S. Georgij, ageret, hunc ſcilicet eſſe ceteris Militaribus Ordinibus antiquiorem, quòd à Magno Conſtantino anno Chriſti 312. Imperij eius ſeptimo, originem habuerit. Niſi congruenter & diſtinctione facta explicetur ille Auctor dicendo, illius ſententiam veritatem habere non abſolutè, ſed de Ordinibus non à Principibus Eccleſiaſticis, ſed ſæcularibus inſtitutis, vel de illis Ordinibus, quorum initia manifeſtioribus monumentis & ſcriptis conſignata fuerunt. Et ex hoc multò magis refellitur Azorius, dum Tom. 1. Inſtit. moral. lib. 13. cap. 6. aſſerit, primò inſtitutum & propagatum fuiſſe Ordinem S. Ioannis Ieroſolymitani anno Domini 1106. & confirmatum 1124. ab Honorio II. Etenim de quibuſcumque Militibus loquatur, ſiue de inſtitutis intra vel extra Terram ſanctam, liquet ex dictis, primò inſtitutos fuiſſe Ordines ſanctiſſimi Sepulchri, & S. Georgij, etiamſi dicamus, Ordinem ſanctiſſimi Sepulchri fuiſſe à Magno Conſtantino inſtitutum, vt voluerunt alij, de quibus ſtatim.

Secunda opinio à Conſtantino Magno inſtitutum aſſerit.

Secunda opinio aliorum eſt apud eumdem Mennenium, Ordinem Dominici Sepulchri à Magno Conſtantino proceſſiſſe poſt ſanctæ Crucis & Sepulchri Domini inuentionem. Quæ ſententia ne præcedenti refragetur, & tamquam probabilis admittatur, in hunc modum videtur explicanda. Ideò Conſtantinus Magnus dicitur noſtri Ordinis fundator, quia, vt ſtatim referemus, ſub iſto Imperatore dilatari & propagari cœpit, & ſemina iacta à B. Iacobo, quæ ob pruinam perſecutionum infidelium germinare, gemmas, flores & fructus producere non potuerunt, dilatata iam fide, ſub huius pijſſimi Imperatoris auſpicijs multùm fructificauerunt. Nec probabilitate ſua caret iſta ſententia. Si namque Magnus iſte Imperator vix limina ſanctæ Eccleſiæ ingreſſus, & in Chriſtiana religione, vt ita dicam, tyronem adhuc agens, Militiam inſtituit in honorem ſanctæ Crucis quæ ei apparuit; quantò magis credendum eſt, eumdem poſteà in Chriſtiana religione prouectum & perfectum, & inflammatum magno zelo erga Sepulchri Dominici honorem & venerationem, eo iam Ieroſolymis eius auſpicijs inuento, ad illius celebritatem & gloriam propagandam, Militiam alteram inſtituiſſe, vel melius, anteà à ſancto Iacobo inſtitutam illuſtraſſe, & gratijs ampliauiſſe?

Sed, age, rem ex Euſebio, quem ſecutus eſt Mennenius, vbi agit de Ordine S. Georgij, explicemus. Cum Conſtantinus Magnus contra hoſtes ſuos eſſet dimicaturus, primùm in cælo apparuiſſe ei Crucem, Auctores, numiſmata & pyramides teſtantur. His ergo omnibus (id eſt, Militaribus Ordinibus) antiquiorem habemus Ordinem Militiæ Conſtantinianæ, inquit Mennenius, quæ & Aurea, & ſancti Georgij appellata eſt. Conſtantino enim Flauio anno Chriſti 312. Imperij ſui ſeptimo contra Maxentium conflicturo, iam Sole à Meridie flectente, Crucis ſignum ex lucis ſplendore figuratum, in ipſo cælo manifeſtè apparuit, in eoque inſcriptio conſignata, hæc verba complectens: IN HOC SIGNO VINCES. Eidemque poſteà dubitanti de oſtenti interpretatione, ac dormienti Chriſtus apparuit cum ſigno in cælo demonſtrato, præcepitque vt exemplari, ad imitationem illius ſigni quod in cælo viderat, fabricato, eo in prælijs cum hoſtibus congreſſurus vteretur. Quàm primùm ergo dies illuxit, vexillum auro & gemmis ornatum confecit, eoque vice Imperatorij labari vſus, inſignem illam Hiſtoricique notiſſimam victoriam peperit. Tantam enim ex hac crucis oſtenſione deuotionem erga ipſam Conſtantinus conceperat, vt Crucis vexilli præferendi in pugna, quinquaginta viris fortiſſimis, & Militari diſciplina inſtructis, curam perpetuam demandauerit. Salutare ergo illud Crucis ſignum veluti terrorem aut propugnaculum, atque omnium malorum propulſatorem, aduerſariorum multitudini oppoſuit, & ſic ab hoſtibus tam illuſtrem victoriam reportauit: quo tandem factum, vt militum ſuorum arma & veſtes eodem ſigno crucis ſignari curauerit. Ecce ergo, quomodo Conſtantinus occaſione apparentis ſibi ſigni Crucis initium dederit Equeſtri Ordini eiuſdem ſanctæ Crucis. Et quid iam obſtat, quò minùs ſimiliter nos & rationabiliter opinari & conijcere poſſimus, quòd inuento ſancto Domini Sepulchro, in illius honorem & venerationem inſtituerit Equeſtrem Ordinem, ſiue meliùs, vt antè dicebamus, à D. Iacobo fundatum, & temporum iniuria quaſi occultatum reproduxerit ac illuſtrauerit.

Euſeb. de Vita Conſtant. l. 1. c. 5. & l. 4. cap. 11 Lipſius l. 3. de Cruce, cap. 15.

Tertiò alij multò recentiora faciunt noſtri ſacri Ordinis exordia: quoniam dicunt, fundatum eum fuiſſe à Godofredo Bullonio poſt occupatam Ieroſolymam; vel à Balduino I. Godofredi fratre, vel etiam à Ludouico ſancto Galliæ Rege. Sed iſti ex iam dictis explicari debent, & ex dicendis infe-

Tertia ſententia, à Godofredo vel fratre eius Balduino Ieruſalem Regibus inſtitutum docet.

inferiùs idem argumentum ampliùs illustrabitur. Franciscus Mennenius ad propositum de isto Ordine sequentia scribit: *Huius enim pijssimi Imperatoris mater sancta Helena, cùm Crucem & Monumentum Dominicum, diuino monstrato Numine, feliciter reperisset, sumptuosas in honorem sanctissimæ Resurrectionis erexit ædes, quibus consequenti ætate Canonicorum Regularium D. Augustini fuit adiunctum Collegium, eiusq; sodalibus sancti Sepulchri custodia demandata dicitur; Saracenis interim, & Turcis (qui rerum inibi potiti totum Orientem, & præcipuè Palæstinam diutissimè afflixerunt) id ægrè, tributo annuo persoluto, indulgentibus. Quo factum, vt Carolus Magnus, Imperij Occidentalis conditor, Christianorum tranquillitati ijs partibus stabiliendæ, cum infidelium Rege Aarone fœdus inierit, ceteriſq; posterioris sæculi Principibus, vt ritu inter Christianos suscepto, certis vrbis sanctæ attributis locis, sacra peragere possent, est datum. His pænè Barbarorum vinculis per tot annorum decursus, sancti Sepulchri sodalium detenta, vt aiunt, virtus, felicibus Godofredi Bullonij & Balduini fratris auspicijs, quasi relaxata in apertum tandem prodijt. Ii Canonicos Regulares, sancti Sepulchri custodes, Militiæ suæ ad honorem sanctissimæ Resurrectionis susceptæ vniri voluere: quorum incredibili virtute muniti id perfecere, vt Christianorũ Regna, Prouincias, vrbes tam in Oriente quàm in Occidente aduersus barbarorum & infidelium incursiones, vel fortissimè tutati fuerint, vel etiam recuperauerint, & Christianum nomen per florentissimas terrarum partes admodum propagarint, idq; eo solo intuitu & fine, vt Christiana Religio aut sarta tecta conseruaretur, aut à Barbaris oppressa, in integrum restaurata resloresceret. Eius rei fidem faciunt tot belli sacri expeditiones in Terram sanctam susceptæ, quæ Cruciatæ, aut viæ sancti Sepulchri nomine, ab Auctoribus commendantur. Docent tot Principum, & fortissimorum Ducum (qui militiæ S. Sepulchri nomina dederunt) ad Summos Pontifices de rebus in Syria gestis per scripta testimonia, nec non sumptuosissima titulo sancti Sepulchri per orbem Christianum erecta cœnobia, in quibus hodieq; videre licet Militum illorum imagines & monumenta, tibijs in Crucem transuersis: sic enim sepulti fuerunt, quotquot illo sæculo nomina bello sacro dedissent, vel qui, vt tunc temporis sunt locuti, Crucem susceperissent.* Hæc ille.

Petrus Bellocus c. 14. Euseb. l. 3. de Vita Constantini.

Suffragatur huic ratiocinationi Iacobus Chifletius Philippi IV. Hispaniarum Regis Catholici Medicus, non parum in isto argumento versatus, qui cùm solidè inuenire non potuisset, quis primò Dominici Sepulchri Ordinis fundamenta posuerit, suspicatus fuit, ipsum eumdem esse cum Ordine S. Georgij, propter stemmatum vniformitatem vel similitudinem; ac proinde à Magno Constantino si non primò fundatum, saltem esse sublimatum. Franciscus Mennenius post alia quæ loco adducto subiungit, ait, se iuridicè dubitasse de origine huius Ordinis, quòd antiquior non videatur à capta Ierosolyma, ortumque traxisse à Godofredo & fratre eius Balduino primis Ierosolymæ Regibus.

Antiquus Ordinis S. Sepulchr. probatur.

Ego nihilominùs ex illiusmet verbis ac discursu probabilem aliam deduco rationem antiquitatis nostri sacri Ordinis, & quòd traxerit originem à S. Iacobo Apostolo. Communi consensu docent sacri Theologi cum D. Augustino, in ritibus alijsque rebus Ecclesiasticis, quorum principium non inuenitur, ab Apostolis ea manasse credi debere. Et Fabius, *Ea*, inquit, *quæ vulgò recepta sunt, hoc ipso quòd incertum auctorem habent, velut omnium fiunt.* Igitur cùm noster hic Ordo toto orbe notissimus, tot sæculis in Dei Ecclesia floruerit, & illius prima origo probè non noscatur, dicendum est, illam habuisse à sanctis Apostolis, à sancto videlicet Iacobo Ierosolymorum Episcopo, vt prima dicebat opinio. Et hæc de illius origine satis.

D. Aug. Epist. 118 ad Ianuarium, & l. 4 de Bapt. cont. c. 24.

CAPVT XXXIII.

De gentilitijs stemmatibus Regni Ierosolymitani, & Equitum sanctissimi Domini nostri Iesu Christi Sepulchri.

De stemmatibus Regni Ierosolymitani diuersimodè sumptis.

IN assignatione stemmatum Ierosolymitani Regni, ac Equitum Dominici Sepulchri, non omnes inter se conueniunt Auctores, sed in tres classes eos distributos inuenio. Primò D. Aubertus Miræus, de Ordine Carmelitano cap. 1. ex forma numi, aliàs peregrinis Ierosolymitanis donari soliti, ostendere conatur, stemmata prædicta non esse quinque cruces, vt communiter describuntur; sed esse H. litteram, cum I. intersecante. Inquit enim, quòd Albertus Eremita Patriarcha Ierosolymitanus (qui fuit pronepos Petri Eremitæ, eius qui belli sacri Vrbano II. Pontifice Maximo auctor ac princeps extitit) numum argenteum cudi fecerit in gratiam peregrinorum sanctæ ciuitatis anno 1206. cuius iconem idem Miræus lamina ærea exprimi curauit Antuerpiæ. Huius numi ista erat inscriptio ex vna parte: ALBERTVS PATRIARCHA IEROSOLYMITANVS ANNO M.CC. VI. ex altera: IEROSOLYMA A SARACENIS CAPTA, SEDE ACONEM TRANSLATA, NVMVS

Prima.

PERE-

Numus peregrinorum ſanctæ ciuitatis.

PEREGRINORVM. *Spectantur eodem in numo inſignia vrbis Ieroſolymæ*, ait, *nimirum littera H. cum littera I. interſecante (quaſi* IERVSALEM *per abbreuiationem) & quatuor cruciculæ circumpoſita. Quod contra vulgi errorem, crucem grandiorem cum minoribus quatuor in ſcuto exprimentis, præter nos & Scipio Macella, in regni Neapolitani deſcriptione Italicè edita obſeruauit.* Ita Miræus.

Secundò, Iacobus Boſius aliter quàm Miræus deſcripſit Ieroſolymorum ſtemmata, Crucem videlicet vnam quadruplicatam, eius formæ quam ex eodemmet hîc apponimus:



Sed audi illius etiam verba. *Animaduertendum*, inquit lib. 6. c. 15. De triumphante Cruce, *domus Guiſiæ Principes viros, Catholicæ fidei defenſores acerrimos & conſtantiſſimos, in gentilitio ſtemmate Crucem illam, quam Ieroſolymorum appellant, in hanc formam deferre conſueniſſe.*

Tertia & communis.

Tertiò, alij communiter eadem gentilitia inſignia alio modo deſcribunt. Ego verò (vt hoc antequam illa hîc explicem, præmoneam) aduerto deſcribi gentilitia ſtemmata cùm Regni Ieroſolymitani, tum Equeſtris Militiæ ſanctiſſimi Domini noſtri Sepulchri, quæ partim inter ſe conueniunt, & partim differunt, quemadmodum Reges & Equites noſtri in dignitate diuerſimodè communicant & participant. Communicant & conueniunt omnes in dignitate, quia omnes illam mutuant à Saluatore noſtro, qui præſentia ſua, operibus heroicis, & noſtræ ſalutis myſterijs, ſanctam illam illuſtrauit ciuitatem, & glorioſum reddidit Sepulchrum, ex quibus tam Reges quàm Equites Ieroſolymitani omnem excellentiam & dignitatem mutuauerunt: differunt, quoniam Reges ab ipſo Chriſto immediatè ſuam habent & participant dignitatem, Equites verò ſuam quidem originaliter habent à Chriſto, ſed per Ieroſolymitanum Regnum & ſanctũ Sepulchrum, in quo ſacra Equeſtri dignitate inaugurantur. Et hæc eſt cauſa, quare meritò etiam in ſtemmatibus conueniant & differant. Conueniunt enim quantum ad formam & delineationem, ſed in colore differunt. Conueniunt, inquam, inſignia Regum & Equitum Ieroſolymitanorum in formâ, quia ſunt ſcutum argenteum, cum cruce patibulata, ſiue, vt alij melius volunt, ſcipionata (quòd ad ſcipionem, quo fulciuntur homines, magis accedat) & quatuor ad angulos cruciculæ mutilę, in hunc modum:

Stemmatum Regum ſanctæ ciuitatis, & Equitum ſanctiſſimi Sepulchri conuenientia & differentia.



Differunt, quia inſignia Regum ſunt ſcutum argenteum cum prædictis crucibus aureis: Equitum verò ſtemmata ſunt quidem ſcutum argenteum, verùm non cum quinque crucibus aureis, ſed rubeis.

De diſcrimine horum ſtemmatum, & de eorumdem conditionis rationibus maximè obſeruandis, poſteà diſſeremus; modò tantùm docebimus, poſteriorem rationem delineandi Ieroſolymitanorum Regum vel Equitum ſtemmata, eſſe multò præcedentibus probabiliorem, imò certiorem. Ratio eſt in primis, quia communiter omnes in ea conueniunt, & ſtemmata legitimorum Regum ſanctæ ciuitatis, & Equitum Sepulchri quæ circumferuntur, poſteriori ſententiæ ſuffragantur: & vt recentiora præteream, vetera idem teſtantur. Principes Lotharingiæ ex illuſtriſſima Guiſiorum familia orti, antiqua aſſeruant marmora, in quibus, memoriæ ergò quòd à ſuis progenitoribus capta fuerit Ieroſolyma, & eiuldem Regni penes Godofredum, Balduinos, &c. fuerint gubernacula, deſcripta cernuntur Ieroſolymitani Regni ſtemmata, quinque nimirum cruces aureæ in campo argenteo. Ita ego dum luſtrarem Lotharingiam, tum alibi, tum præcipuè Naſij, quæ primaria Ducatus ciuitas & Principis ſedes eſt, obſeruaui. Et verò nullatenus credendum eſt, tot egregios viros, priſcos ac recentiores, prædictas cruces agnoſcere voluiſſe pro inſignibus Ieroſolymitani Regni, ſi verè talia non fuiſſent. Ea verò inſignia, quæ à Miræo & Boſio deſcribuntur, aliena omnino ſunt: & illa Miræi non ſunt Ieroſolymæ vel noſtrorum Equi-

tum ſtemmata, ſed ſymbolum & teſſera peregrinorum, vt ſtatim explicabimus. alioquin enim Reges Hiſpaniarum, Principes Lotharingiæ, & alij qui ius in Regnum Ieroſolymitanum prætexunt, ea ſuis inſignijs gentilitijs addidiſſent, prout addiderunt Regnorum aliorum ſibi ſubiectorum.

Deinde, quia quæ adducit pro prima ſententia Miræus, tertiæ non obſtant, ſed fauent magis. Non obſtant, inquam, quia in eo numo non aſſeritur, illud H. &c. eſſe inſigne ſanctæ ciuitatis & Regni, ſed eſſe numum pro peregrinis, quo tamquam teſtimonialibus litteris innoteſcebat alijs illos Ieroſolymam peregrinatos fuiſſe; eratque ille velut particulare ſigillum Patriarchæ, ad quem vt ſpiritualem Ducem, & non ad Regem & temporalem dominum ſpectabat, fidem facere de aduentu peregrinorum, & quòd piè ac deuotè viſitatis locis ſanctis ad propria reuerterentur. Qui mos etiamnum obſeruatur cum Ieroſolymitanis peregrinis: iſtis enim, poſtquam loca ſancta viſitauerint, & ad propria ſunt reuerſuri, Guardianus ſacri Montis Sion, & totius Terræ ſanctæ Præſul, exhibet teſtimoniales litteras, quòd inuiſerint ſanctum Domini Sepulchrum, &c. eaſque ſigillo ſui officij munitas, quod continet in ſuperiori parte aduentum Spiritus ſancti ſuper ſanctam Deiparam & Chriſti Diſcipulos, in inferiori verò Chriſtum Apoſtolis ſuis pedes lauantem.

Teſtimoniales litteræ exhiberi ſolita peregrinis.

Iis item qui creati ſunt Equitibus dantur teſtimoniales litteræ de ſua inſtitutione, munitæ ſigillo cui inſculpta eſt imago Chriſti ex Sepulchro gloriosè reſurgentis, & tamen nemo dicet iſta eſſe propria ſtemmata aut inſignia Regni vel Equitum Ieroſolymitanorum, ſed propria Præſulum ſacri Montis Sion, qui illos Equites inſtituunt atque creant. Ita dicendum in propoſito, prædictum Albertum Epiſcopum conſueuiſſe dare peregrinis Ieroſolymitanis illum numum ſuo peculiari chirographo & autographo, non verò ciuitatis ſignatum. Et hoc adducta illius inſcriptio debitè conſiderata indicat: NVMVS PEREGRINORVM.

Teſtimoniales litteræ Equitum ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Quòd verò magis faueant tertiæ ſententiæ, vt ſuprà addidimus, ex eo probo, quoniam Regni ſtemmata in numis cudere, ad ſolos pertinet Reges, ceteris verò omnibus eſt interdictum: & qui contrà faciunt, tamquam læſæ Maieſtatis rei puniuntur. Non ergo credendum eſt, prædictum Patriarcham ſibi Regis munus in numi illius cuſione vſurpare voluiſſe, ſed tantùm proprium ſuum ſignum delineaſſe.

Et ex quo numorum incidit ſermo, ex eiſdem porrò probemus poſtremam ſententiam præmiſſorum ſtemmatum. Cùm eſſem Arnicæ in Regno Cypri, oſtenſi mihi fuerunt duo numi argentei, ob antiquitatem, quæ ex eo quòd attriti ac limati ſatis eſſent, in æſtimatione habiti. In illis vidi diſtinctè quinque Cruces prædicta forma & ordine deſcriptas ac diſpoſitas, & inde conijciebatur eſſe numos Regni Ieroſolymitani, vel ſaltem cuſos à Regibus Cypri, qui Ieroſolymitanis ſucceſſerunt. Vnde, ni ego fallor, magis ex prædictis numis, quàm ex altero Patriarchæ, licet dijudicare conditionem ſtemmatum Regni Ieroſolymorum: & breuiter dicere poſſumus, numum illum Patriarchæ eſſe ſignum peregrinorum, alios verò continere inſignia Ieroſolymæ & Equitum Dominici Sepulchri. Et ex his apparet etiam, quid de ſecunda ſententia à Boſio relata dicendum ſit.

Sed quiſnam primò excogitauit prædicta inſignia, eaque tam Regno quàm noſtris Equitibus attribuit? Huius rei curioſi arbitrantur, illa, vt deſcripſimus, non eſſe ſatis antiqua: & inde ſe ſufficienter probare autumant, quòd vſus gentilitiorum ſtemmatum non adeò antiquus ſit, & quòd de illorum antiquitate certò non conſtet; quare poſterioribus ſæculis, poſtquam Chriſtiani vltimò ciuitatem ſacram occupaſſent, & à primis eiuſdem ciuitatis Regibus Chriſtianis Godofredo & Balduino adinuenta fuiſſe opinantur. Iſti enim communi Cruci, qua ordinarij Equites Terræ ſanctæ decorati erant, aliquid addiderunt, & Cruces ipſas multiplicauerunt, quas elegerunt pro inſignibus ſanctæ ciuitatis, quæ &, ex parte variata & mutata, alijs peculiaribus perſonis, & de Ieroſolymitano Regno benè meritis, communicarunt, vt dicemus.

Antiquitas Regni ſanctæ ciuitatis & Equitum S. Sepulchri.

Ego ſanè abſque hæſitatione multò antiquiora eſſe reor, propter antiquiſſima numiſmata quæ illa referunt, quorum formas ſtatim dabo. Hîc memoria repetendum, duplicis generis cruces eſſe in noſtris ſtemmatibus, vnam maiorem, ex omni parte ſcipionatam & præcipuam, & quatuor eam circumdantes minores ac mutilas. De prima cruce oſtendo ex duobus numiſmatibus aureis, quæ Iacobus de Bie collegit cum alijs ex Muſæo excellentiſſimi Principis Caroli Croyi Ducis Arſchotani, ac Antuerpiæ ære incîdit, & habentur Tabula 64. In primo ſunt duæ mulieres, crucibus in capite aut fronte inſignitæ, baculoſque ad modum crucis manibus geſtantes, excelſa cruce intermedia ſuper baſim collocata, ea ferè forma & eiuſcemodi angulis, quibus in inſignibus Ieroſolymitana vrbs vti ſolet in maioris crucis deſcriptione, cum hiſce litteris hinc inde, VICTORIA AVGG. ſub

Ex antiquis numis.

Numus cum maiori Ieroſolymitana Cruce.

ſub baſi verò G. O. N. O. B. vt hîc in illius ſchemate:

Peregrinationum ad loca ſancta antiquitas.

Ioannes Hemelarius Canonicus Antuerpienſis in ſuo hiſtorico Commentario in eadem numiſmata, in huius numiſmatis explicatione ſic inquit: *Fortaſſe hîc votiua Chriſtiani populi ad loca ſancta, & ad Crucem Domini ab Helena Ieroſolymis adorationi expoſitam, peregrinationes deſignantur: quas antequam Crux à Perſis captiua auecta eſſet, ibi crebras hoc tempore fuiſſe credendum eſt.* Ita ille. Ego præter ſanctæ Crucis, locorumque ſanctorum Palæſtinæ peregrinationis antiquitatem, conſidero in illo numiſmate antiquitatem maioris crucis ſtemmatum Regum ſanctæ ciuitatis, & Equitum Dominici Sepulchri, cùm in antiquo illo numiſmate ſculpta cernatur.

Numus alius.

In ſecundi numiſmatis, quod eſt Imperatoris Heraclij, altera parte eſt eiuſdem Heraclij imago, quæ in vertice capitis crucem geſtat, in dextera manu orbem ſimiliter Cruce inſtructũ, cum hiſce inſcriptis litteris: D.N. HERACLIVS. PP. AVG. In altera verò parte eſt Crux ſcipionata ex ſingulis quatuor capitibus, clariùs quàm præcedens, formam maioris Crucis ſtemmatum noſtrorum exprimens, & ex dextera Crucis parte littera A. vel Alpha Græcum. Hemelarius arbitratur fuiſſe ſimiliter Ω. Omega Græcum in læua parte, ſed antiquitate obſoletum, quibus ſignificatur Chriſtum Dominum eſſe primum ac nouiſſimum omnium rerum principium & finem, vt in Apocalypſi dicitur; & circumcircà eæ litteræ habentur, vt hîc in eius ſchemate legere potes:

At quare Heraclius voluit hanc in ſuis numiſmatibus Crucem cudi, & non potiùs ſimplicem aliam? Hemelarius citatus arbitratur id eum feciſſe ob partam de Perſis victoriam, ob Ieroſolymam ab hoſtili manu vindicatam, ob Crucem Domini recuperatam, ad ſanctam ciuitatem aſportatam, & in ſacro Caluariæ monte non ſine miraculo collocatam, cuius cauſa etiam in ſancta Eccleſia feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis celebratur: vnde etiam auguratur, huiuſmodi numiſma non niſi poſt eamdem victoriam & Crucis recuperationem cuſum fuiſſe.

Optimè quidem, ſed propter hæc non ſuit ſatis, ſimplicem erigere Crucem in diademate, vel in orbe, vt erexit & ſculpſit, relicta Cruce illa magna ſcipionata. Ego dicerem, illo facto Heraclium Ieroſolymitana ſtemmata ex toto vel ex parte ſibi appropriaſſe, maiorem videlicet illorum Crucem; quemadmodum alijs duabus communibus crucibus ſupra caput in diademate & orbe deſcriptis, victoriam virtute Crucis comparatam fuiſſe, eidemque totum mundum ſubiectum eſſe, ſignificare voluiſſe. Eſt enim in more poſitum, vt Dux & Princeps, qui ſibi aliquod comparat Regnum, eiuſdem inſignia ſua faciat, & ea ſuis ſtemmatibus addat. Cùm itaque Heraclius, deuicto Choſroë, ac viuificæ Crucis ligno recuperato, ſanctum etiam Ieroſolymitanum Regnum ſibi comparauerit, voluit eiuſdem Regni ſtemmata ſua facere, & in Regijs ſuis numiſmatibus cudi. Ex quo illorum antiquitas ante Heraclium non ineuidenter indagatur. Et magis hoc confirmatur ex præcedentis numiſmatis ſchemate, quod iſto antiquius eſſe, indicat ipſe Hemelarius.

Tertium numus.

De maiori verò & minoribus eorumdem ſtemmatum crucibus, & ſimul eorumdem antiquitate, non inefficax argumentum fuit numus, cuius formam exhibet D. Antonius Auguſtinus Dial. 1. apud Gretſerum, cuius litteræ primitus in eo ſculptæ, ob antiquitatem ex parte exeſæ ſunt; verùm perfectiſſimè refert noſtrorum ſtemmatum formam, vt hîc videre potes:



Gretſerus in Opere ſuo de ſancta Cruce, Tomo 1. lib. 2. cap. 50. de illo numo in hunc modum loquitur: *Egimus ſuprà (c. 36. & 44.) de Cruce, quæ Conſtantino Magno*

Christiani Imperatores Crucis vexillo muniti præliabantur.

apparuit, cum hac inscriptione, IN HOC SIGNO VINCES. *Quod diuinum promissum ceteri Imperatores singulari cultu & veneratione Crucis conati sunt suum facere*: *ideò in hostes ituri, pleni spe, & concepta fiducia, de Crucis virtute victoriam animo præcipiebant, etiam in numis suis hac inscriptione posita:* HOC SIGNO VICTOR ERIS. *Talis numus est, quem hic repræsentamus, erutus prope VVentenburgum ad Danubium è ruderibus stationis Romanorum, exesis reliquis litteris, hæ tamen quas in numo vides, supersunt: ex quibus elicio, fuisse similem inscriptionem:* IN HOC SIGNO VINCES.

Dictorum conclusio.

Si hæc vera sunt, vt verissima esse credo, cùm alij Principes & Milites, præter nostros Ierosolymitanos, haud vtantur prædictis Crucibus pro signo ac stemmate, atque illæ simul antiquissimæ sint, audacter asseuerare possumus, non tam recenter eosdem Reges & Equites eisdem vsos fuisse, post captam videlicet vltimò Ierosolymam, & tempore Regum Godofredi Bullonij & Balduini, sed longè antè, ante inquam ipsiusmet Heraclij tempora, etsi præcisè non constet de tempore determinato. Atque ex his non solùm manifesta relinquitur antiquitas Ierosolymorum stemmatum, sed ampliùs, quod suprà in tertia & communi sententia de forma nostrorum sanctæ ciuitatis stemmatum diximus; & sacri Domini nostri Sepulchri Ordinis antiquitas, cùm illius stemmata tam antiqua videamus.

Quomodo Equites Sepulchri Domini sua insignia deferrant.

Andreas Fauinus, & alij de isto sacro Equestri Ordine sancti Sepulchri Saluatoris nostri agentes, dicunt, quòd Balduinus secundus Ierosolymorum Rex, & huius nominis primus, sanciuerit, vt Canonici illi Regulares D. Augustini, quos Milites constituit & sacræ Militiæ adscripsit, retento habitu albo, suprà ad pectus deferrent pro militari insigni Crucem in extremitatibus omni ex parte quadratam, cum alijs quatuor mutilis in maioris angulis debitè dispositis. Quod quidem insigne chordula nigra ex collo super pectus pendebat, sicut delineauimus suprà. Et eiusdem formæ alterum insigne in veste vel chlamyde alba in læua parte assutum flaui coloris deferebant. Et hęc erant stemmata Ierosolymitanorum Regum & Equitum, quæ ijdem in signum eximiæ præcellentiæ deferebant. Et hæc quidem sanciuit Pius Balduinus anno Christiano 1103. eoque etiam tempore huius sacræ Militiæ supremum moderatorem instituit Ierosolymorum Patriarcham: cui etiam facultatem concessit, idoneos ad Ordinem recipiendi, & ad professionem solemnium votorum Religionis, obedientiæ, paupertatis & castitatis, quemadmodum

Præfectus Equitum S. Sepulchri Patriarcha Ierosolymitanus, & quare.

à suis Prælatis excipiuntur alij vere, professi Religiosi.

In vetere quo Regulari Ordinario subdebantur.

Considerandum hîc, quòd Iure antiquo communi, non modò sæculares Presbyteri, sed etiam Regulares & Monachi subdebantur Episcopis, intra quorum diœcesim constructa erant illorum monasteria. Hoc apud omnes certissimum ac compertissimum est, & constat ex multis Concilijs & Canonibus, ex Concilio Toletano III. cap. 5. Toletano IV. cap. 50. Chalcedonensi c. 3. & 8. ex Aurelianensi 1. cap. 21. ex Arausicano cap. 6. & habetur in cap. Monasteria. 10. quæst. 5. & in cap. Qui verè. cum alijs multis sequentibus 16. quæst. 1. & in cap. 18. quæst. 2. per totam, & in cap. Viduitatis. 26. quæst. 1. Verùm nouo speciali Iure Monachi & Religiosi exempti ab Episcopis fuerunt, ac ideò passim exempti appellantur, vt compertum est. Et Magnus Gregorius anno Domini 590. fuit primus, qui ab Episcoporum aliorumque Ordinariorum iurisdictione Ordinem S. Benedicti pro illius maiori quiete exemit, vt patet ex c. Quàm sit necessarium, 18. q. 2. quod & alij postea Summi Pontifices pro alijs Religiosis fecerunt. Lege Mirandam Tom. 1. Manualis Prælatorum q. 13.

Nouo iure ab Ordinario Regulares sunt exempti.

Dicta exemptio apud omnes non recepta & quare.

Quamuis verò Pontifices nouo Iure exemerint Regulares ab Ordinariorum iurisdictione, illud tamen non fuit apud omnes nationes receptum & obseruatum, quia non apud Orientales, vt videre est in Catholicis Maronitis, atque schismaticis Græcis, Armenis, &c. in quibus omnes in vniuersum Ecclesiastici subduntur suis Patriarchis & Episcopis. Nec mirandum, non fuisse illam exemptionem acceptatam in Orientali, sicut Occidentali Ecclesia; quoniam in Orientali (quantum vidi) nonnisi Regulares in Patriarchas & Episcopos eliguntur, qui cum Religiosis in Conuentibus communem vitam degunt. Non similiter fit in Occidentali Ecclesia, & ideò noua exemptio in illa inoleuit, non similiter in illa. Quare optimo cum consilio Rex Balduinus instituit supremũ Dominici Equestris Ordinis Moderatorem Ierosolymitanum Patriarcham, ex quo alio titulo idem Patriarcha illis Religiosis siue Canonicis Regularibus præerat, quos Milites Balduinus institui voluit.

Sigilli forma & materia Equitum sepulchri & aliorum.

Contulit etiam idem Rex prædicto Patriarchæ facultatem muniendi patentes militares litteras sigillo ex cera alba, qua in suis litteris & diplomatibus vtebantur Ierosolymitani Reges, Godofredus, Balduinus, &c. vt sacri illi Milites non solùm ex stemmatum forma, sed etiam ex materia ab alijs Ordinibus distinguerentur, qui in

alte-

alterius coloris cera ſigillabant. Templarij enim & alij S. Catharinæ Montis Sinai rubea, Hoſpitalarij S. Ioannis Baptiſtæ nigra, & S. Thomæ Apoſtoli cera cærulea ſuas litteras & diplomata muniebant.

Atqui ex his habemus, quænam fuerint ſacri huius Ordinis ſtemmata, & inſuper eiuſdem profeſſores verè fuiſſe Religioſos, cùm verè tria eſſentialia Religioſorum vota emiſerint, obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, & Regulam ſancti Auguſtini ſectarentur.

Monachi quare aliquando ſacris Codicibus arma nexerint.

Nec mireris, Monachos illos ſacris Codicibus arma copulaſſe, ita vt non ſolùm precibus, vt alij Religioſi, ſed etiam materialibus armis, vt alij Milites, pugnarent, quoniam ad eum finem inſtituti erant, & illius temporis conditio & neceſſitas illud expoſtulabat, & ad idem Chriſti dilectio & proximorum amor vrgebat, vt infideles illi, cum quibus dimicare rationibus non conceditur nec expedit, vel ſanè nõ ſufficit, ferro expugnarentur, & Chriſti fides dilataretur; fideles, & in primis peregrini pietatis ergô Ieroſolymam venientes, à latronum & barbarorum incurſionibus protegerentur, & incolumes ad ſanctam ciuitatem inducerentur, atque ad propria reducerentur. Ad hæc enim illius temporis Religioſi mouebantur, vt Guillelmus Tyrius de Bello ſacro, & alij tradunt. Quare ſacra illa Religioſorum familia, vt ſuauis & conſolatoria erat fidelibus, ita formidabilis, & terribilis vt caſtrorum acies ordinata erat infidelibus, & Sanctorum perſecutoribus.

Franciſcus Mennenius ait, huius Militiæ meminiſſe fusè Innocentium III. c. Inter dilectos. De donat. ex. Sed enim ego non video quomodo illud verum ſit: nam, vt apparet textum illum conſideranti, loquitur Pontifex de Hoſpitalarijs ſancti Sepulchri, & decernit illos poſſe domos ſuas, & ſemetipſos in ſuum præiudicium alteri religioſæ domui ſubijcere & tradere.

Quòd ſi illud admittatur intelligendum de noſtris Militibus, dicatur, illos nuncupari etiam Hoſpitalarios ſanctiſſimi Sepulchri, quia hoſpitum & infirmorum curam ſuſcipere tenebantur. Sed ita dicendo, videmur omnia confundere. Si enim iſti Ordines diſtincti ſunt, diſtinctis nominibus appellari debent, etſi aliàs in aliquibus exercitijs conueniant. Item ſi hoc verum, non item aliud quod alij dixerunt, Ordinem S. Sepulchri eſſe Ordinem Templariorum; tum quia hic penitus deſtructus eſt, tum quia, quando in ſuo eſſe conſiſtebat, erat ab alijs diſtinctus.

CAPVT XXXIV.

Difficultas delineationis gentilitiorum ſtemmatum Regum Equitumque Ieroſolymitanorum: myſteria in eiſdem abſcondita, & Crucium ſignificatio.

In ſtemmatibus gentilitijs requiſita.

ILli qui de gentilitijs ſtemmatibus, quibus nobiles familiæ, Reges, aliíve præſtantes viri, & loca ipſa memorabilia inſigniuntur, tractant, hanc præſcribunt regulam obſeruandam ad illa abſque vitio ac legitimè delineanda, erigenda, & ad falſa à veris dignoſcenda, vt numquam ponatur metallum ſupra metallum, vel color ſupra colorem, ſed vel color ſupra metallum, vel metallum ſupra colorem deſcribatur. A qua tamen regula excipiunt ſtemmata Regni Ieroſolymitani, in quibus tamquam ſingulare abſque vitio cernitur metallum ſupra metallum, Crux inquam magna, patibulata vel ſcipionata, aurea, cum quatuor cruciculis mutilis eiuſdem metalli, ſuper ſcutum argenteum. Sed quantum ad hanc regulam non excipiuntur ſtemmata Equitum ſanctiſſimi Sepulchri, quoniam illa ſunt prædictæ cruces, ſed rubeæ, ſuper idem ſcutum argenteum. Horum ſtemmatum tractatores quæſiti, quare indicato, contra regulas, modo ſtemmata Regni Ieroſolymitani deſcripta fuerint; reſpondent, *Ad inquirendum*, vt, inquam, inquiratur ratio illorum deſcriptionis. Nos igitur cùm de ipſis tractemus, appoſitè aliquas eius delineationis inueſtigabimus rationes, & ſimul aliorum Equitum Dominici Sepulchri, & hac occaſione non ſolùm inquiremus rationem non obſeruatę legis, ſed etiam ſtemmatum conditionis.

Stemmata Ieroſolymitani Regni priuilegiata, & quare

Vnum hîc priùs ſupponendum, ſtemmata tam Regum quàm Equitum ſanctæ ciuitatis ac Dominici Sepulchri mentibus noſtris magna atque eximia in eis contenta myſteria obijcere, quia à peritis viris non modico ſtudio, & magna conſideratione fuerunt efformata. Sed & alterum non minori ſtudio ac diligentia à nobis præſtandum eſt, inquirere videlicet & explicare illa myſteria: quod quidem præſtabo, etſi non quantum dignitas argumenti expoſtulat, ſaltem quantum ingenij mei valet tenuitas. Et, vt opinor, ex ſeptuplici capite ſingulariter venari poſſumus myſteria in ſacris ac gentilitijs noſtris ſtemmatibus contenta. Primò ex forma, quòd Cruces ſunt: ſecundò ex quantitate, quòd non vna, ſed plures ſunt: tertiò ex illarum diſpoſitione: quartò ex qualitate Crucium, quòd vna maior, & à minoribus forma diuerſa: quintò

quintò ex materia, quòd campus argenteus sit, & Cruces Regum aureæ; sextò, quòd sint absque diademate; septimò denique de stemmatibus Equitum, quare non aurei, sed rubei sint coloris. Et hæc excogitanda mysteria possunt in genere ad tria reduci capita; primò ad ea quæ Christum, secundò ad ea quæ sanctam ciuitatem, ac tertiò tandem ad illa quæ Reges ipsos & Equites Ierosolymitanos respiciunt.

Crux nobilitatis & auctoritatis symbolum.

Quantum ad prius propositum, Quid Cruces in memoratis stemmatibus portendunt? Cruces nostrorum stemmatum sunt certum atque egregium prognosticum magnæ excellentiæ, dignitatis, auctoritatis & potestatis Regum Ierosolymorum, ac Equitum sanctissimi Reparatoris nostri Sepulchri, quæ illis in illorum institutione vnà cum crucibus confertur. In sacra Geneseos historia scriptis proditum est, Pharaonem Ægypti Regem è digito suo detraxisse obsignatorium annulum, & immisisse digito Iosephi, magni Patriarchæ Iacobi filij, cum eum Ægypti Proregem instituit, nomenque illius immutans, *Zaphnath Paenah*, id est, mundi Saluatorem, Ægyptiaco idiomate illum appellauit. Ita enim cap. 41, 42. dicitur: *Tulitq; annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestiuitq; eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit.* Et vers. 45. *Vertitq; nomen eius, & vocauit eum lingua Aegyptiaca, saluatorem mundi.* Similiter nos dicimus de nostris Regibus ac Equitibus Ierosolymitanis, qui dum instituuntur inauguranturq;, illorum collo eiusmodi appenduntur Cruces, verum argumentum acceptæ dignitatis & potestatis. Siquidem, secundum sanctorum Patrum sententiam, Crux nostri Saluatoris fuit in Regio illo annulo præfigurata. Sed vnum dumtaxat & alterum audiamus. S. Ioannes Chrysostomus ad verba adducta alludens, inter ceteras, quæ aureo suo ac planè diuino eloquentiæ flumine in sanctæ Crucis laudem testatus est, Homilia de Veneratione Crucis hæc habet: *Signaculum Crux appellata est, quòd testamenta & statuta diuina omnia, quæ accepimus, hoc quasi signo quodam Regio & annulo obsignamus.* Venerabilis Beda ad eumdem locum inquit: *Nam Iesus accepit quoque annulum, quo credentium salutis signo signantur animæ, & in frontibus & cordibus nostris per figuram Crucis, figura æterni Regis exprimitur.* Crux vere est signum omni signo dignissimum, omni Imperatorio aureo sceptra, sublimius, ac Regio quocumque diademate, pretiosissimis licet lapidibus intexto, pretiosius, quo fideles gloriantur, & omnes mundi Magnates suas coronas, tiaras ac nobilitatis insignia velut omnium pretiosissimo ornamento exornant. *Crediderunt & ipsi Reges*, ait magnus Pater Augustinus Concione 2. in Psalmum 32. *signum Crucis in fronte iam portant, pretiosius signum quàm quælibet gemma diadematis.* Et S. Hieronymus in Epistola ad Lætam: *Vexilla militum Crucis insignia sunt: Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas, patibuli pictura decorat.* Hæc gloria, hæc triumphus Christianorum est: & tali appellatione passim indigetatur à sanctis Doctoribus. Ambrosius l. 7. in Euang. S. Lucæ c. 9. *Qui crucem scandalum putat, Iudæus est, Ecclesiæ filius non est. Qui crucem stultitiam putat, Græcus est ille. Est autem Ecclesiæ filius, qui Crucem triumphum putat, qui Crucem Christi triumphantis agnoscit.* Augustinus de Symbolo ad Catechumenos lib. 4. cap. 5. *Crux illa fidelibus non est opprobrium, sed triumphus. Crux illa vexillum nostrum est contra aduersarium nostrum diabolum.* Idem alij Patres. Sed mirificè illam extulit S. Cyrillus Ierosolymitanus, dum Catechesi 13. Illuminatiua, gloriationem omnium gloriationum Ecclesiæ nuncupauit hisce verbis: *Gloriatio sanè Ecclesiæ Catholicæ est omnis Christi actio, gloriatio verò gloriationum est Crux.* Et sancti Christi Apostoli, qui præ ceteris virtutem excellentiamque sanctæ Crucis agnouerunt, quid de eadem dixerunt? sanctus Andreas, qui in Cruce pependit, bonam & decoram, pretiosam, admirabilem, desiderabilem, ac per totum mundum rutilantem: S. Iacobus frater Domini eam in sua diuina Missa gloriam, ornamentum, & robur Christianorum appellauit. *Extolle*, inquit, *cornu Christianorum, pretiosæ & viuificæ Crucis potentiam, Domine multùm misericors: te supplices oramus, exaudi nos te rogantes, & miserere.* Doctor Gentium Paulus apertiùs etiam idem asseruit dicens: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi*, Galat. 6, 14. ac si diceret: Gloriantur Græci in sapientia sua, quam stultam fecit Deus: gloriantur Romani & ceteri mundi Principes in diuitijs ac Regnis, quæ omnia arbitror vt stercora: gloriantur Hebræi in Circumcisione, re abolita & antiquata; mihi autem in vlla alia re gloriari non contingat, præterquam in Cruce Domini nostri Iesu Christi. Ex quibus verbis colligitur, inquit Theophylactus in Epist. ad Galatas, gloriam Pauli & cuiusque fidelis Crucem esse.

Crux Christianorum triumphus.

Crux gloriatio gloriationum.

In Bibliotheca sanctorum Patrum, Tom. 6.

Gloria Pauli, & cuiusque fidelis Crux, & quare.

Cruce alia insigne decorantur.

Sed quid mirum, sanctam Crucem esse & appellari ab hominibus triumphum & gloriam, cùm illis verè ex Cruce omnis triumphus & gloria proueniat, & pro illis singulariter eamdem Saluator nostram pro-

prio

prio fuſo Sanguine ſanctificare voluerit? Illud potiùs maxima eſt admiratione dignum, quòd in eadem glorietur Chriſtus, cui gloria eſt naturalis, quamque ex hereditate habuit ab inſtanti ſuæ conceptionis, quia Filius Dei eſt. Neque Angeli eam erubeſcunt, ſed de illa cum ſuo Domino gloriantur, etſi beati & victores extiterint multò antè quàm Saluatoris morte & triumpho glorioſa redderetur. Vnde Theophylactus in Luc. cap. 23. inter alia Crucis encomia illam maximam Chriſti gloriam aſſertiit. Sed longè manifeſtiùs atque apertiùs ſanctus Apoſtolus ex acoluthia & conſequentia oſtendit, Crucem eſſe Chriſto & alijs gloriam, dicens: *Vidimus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum*, Hebr. 2, 9. Quæ verba expendens S. Ambroſius, ait: *Hic oſtendit, quia gloria & honor Crux eſt Chriſti, pro qua modicum minoratus eſt ab Angelis, ſicut ipſe Dominus eam ſemper vocat, dicens: Vt glorificetur Filius hominis. Si ille ea quæ pro ſeruis paſſus eſt, gloriam vocat; multò amplius tu homo, quæ pro Domino pateris, tibi ad gloriam pertinere ſempiternam, dubitare non debes.* Hæc ſanctus Ambroſius: qui & aliam in his ſuggerit eiuſdem argumenti confirmationem, in eo quòd ipſemet Dominus præcipuam ſuam gloriam ſanctam Crucem appellauerit, præuidiſſe eam iam aduenisſe horam, in qua pro vniuerſorum ſalute cruci affigendus erat, dum ſic ait, *Venit hora, vt glorificetur Filius hominis*, Ioannis 12, 23. Ad quod appoſite Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 13. *Vides*, inquit, *quoniam gloriam propriam ſciebat eſſe Crucem.* Poſt ſuam item glorioſam reſurrectionem ſigna Crucis, tamquam gloriæ ſuæ trophæa, in corpore ſuo retinere voluit.

Crux Chriſti gloria.

Crux Angelus glorioſa.

Ipſi Angeli glorioſam Crucem, vt innuimus, inuenerunt; tum verò præſertim, cùm vnus ex ipſis in veſte candida mulieribus apparuit, quæ in Sepulchro Dominum quærebant, & dixit eis: *Nolite timere vos, ſcio enim quòd Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis*, Matth. 28, 5. In quæ verba appoſitè idem Cyrillus ait: *Non pudeat Crucem Chriſti confiteri; Angeli enim gloriantur, dicentes: Ieſum quæritis crucifixum. Non potuiſti dicere, ô Angele, Scio quem quæritis, meum Dominum. Sed confidenter dicis: Scio quòd Crucifixum. Gloria enim & honor eſt Crux, non ignominia.* Sancta quoque Eccleſia conſilij cæleſtis conſcia, Tempore Paſchali, quo celebratur continuè glorioſæ Reſurrectionis myſterium, in diuino Officio, alijs omiſſis Sanctorum commemorationibus, peculiarem aſſumit de ſancta Cruce, *Crucem ſanctam ſubijt*, &c. quaſi memoria crucis & paſſionis Domini ſuæ reſurrectionis gaudium augeat & extollat.

Cùm itaque ſancta Crux Saluatoris ſit egregium poteſtatis, triumphi & gloriæ argumentum & ſymbolum, non modò hominibus, ſed Angelis, & hominum inſuper & Angelorum Domino, illaque peculiariter Ieroſolymitanis Regibus pro ſtemmatibus aſſignetur, Militumque collo, dum inaugurantur & inſtituuntur, appendatur; benè colligere poſſumus illorum præcellentem auctoritatem ac dignitatem, in quo ſupra ceteros gloriari poſſunt, ſingulariſque modo illa ſanctæ Eccleſiæ vſurpatè verba: *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra, per quem ſalnati & liberati ſumus.*

Sed hæret animus, nec dictis planè quieſcit, quoniam quæ dicta ſunt, nō ſolùm vera ſunt de Regibus & Equitibus Ieroſolymitanis, ſed de omnibus in vniuerſum Chriſti fidelibus, quorum ſtemmata, ſignum ac vexillum Crux eſt Saluatoris; & præter adducta docent id ſancti Patres, aſſeuerantes, ſanctos Apoſtolos Crucis ſignum à Chriſto Domino recepiſſe, quo ſe & fideles alij tamquam Regio ſigillo munirent, & quaſi quadam teſſera ab alijs diſtinguerentur. Cyrillus, verba illa Zachariæ Prophetæ in perſona tunc venturi Meſſiæ prolata declarans, *Ecce ego veniо, & habitabo in medio tui, ait Dominus; & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum*, inquit: *Iſraëlitæ, ſalutem, quæ facta eſt per me, reiecerunt. Veniam omnes gentes congregare, & relinquam ſuper illos ſignum. Ex meo enim certamine, quod habui in Cruce, ſigillum regale cuilibet meorum militum dabo, vt ferant in fronte.* Similia dixerunt Cyprianus, Auguſtinus, Hieronymus, Arnobius, & alij. Si igitur hæc ita ſe habent, non erit Crux ſignum Regum & Equitum ſanctæ ciuitatis, quandoquidem ſignum ponitur innoteſcendi & diſtinguendi gratia, ideò non commune ſed particulare eſſe debet.

Reſpondetur, quòd quamuis iſta ita ſe habeant, non tamen faciant difficultatem, ſiquidem & commune ſignum nonnumquam alicui peculiari electione ſit proprium. Et ne elongemur à Cruce, ipſa eſt commune Chriſtianorum ſignum, & nihilominùs illam ſibi peculiariter elegit ſanctus Paulus, vt ſua illa indicant verba: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*, &c. Et plures Religiones Monachales & Militares eamdem ſibi pro ſingulari ſtemmate elegerunt, & ex iſtis ſunt noſtri Reges & Equites: & tantò magis

Digitized by Google

gis quando alia diſtinctiua apponuntur, quemadmodum fit in noſtris Ieroſolymitanis ſtemmatibus, in quibus ex crucium multitudine, & earumdem varietate dilucide noſtri Reges & Equites ab alijs ſecernuntur.

CAPVT XXXV.

Quid Crucium pluralitas in ſtemmatibus Regum Equitumque Ieroſolymitanorum ſignificet.

Stemmatum Cruces plures, & quinque, ob plures rationes.

STemma noſtrorum ſanctæ ciuitatis Regum & Equitum eſt Crux, non vna, ſed plures, & quinque; cuius multitudinis & numeri ratio in præſenti inquirenda eſt & explicanda. Et inter multas quæ occurrunt,

Primò, ad diſtinctionem & excellentiam inducàdam.

hæc prima eſſe poteſt, tum, vt ex numero quinario illorum ſtemmata diſtinguerentur à communi ſigno Chriſtianorum & aliorum Equitum, quorum ſtemma vnica & ſola Crux eſt; ſtemmata verò, quia propria ſigna ſunt, debent inter ſe differre: tum vt eadem multitudine & numero indicaretur ſtemmatum illorum ſupra alia ſtemmata, & conſequenter illorum quorum ſunt ſtemmata, dignitas ac præcellentia; quandoquidem multitudinis numerus continet vnitatis perfectionem, & inſuper ſuam propriam. Cùm igitur noſtra ſtemmata non vnicam modò, ſed plures contineant Cruces, dicendum eſt, ea continere ſtemmatum illorum quæ vnica conſtant Cruce, perfectionem, & multitudine propriaque perfectione eadem præcellere.

Quinarij numeri myſteria.

Sed hanc præcellentiam ſingulariter deprehendo in quinario crucium numero. Quinarius numerus ſatis vſitatus & frequens eſt in ſacris Litteris, multiſque myſterijs refertus in qualibet lege. In lege naturæ & innocentiæ, in aquis paradiſi, vbi erat fons vnus, ex quo quatuor erumpebant flumina, ad irrigandam vniuerſam terram; & ita quinque fontes, etſi origine vnus. In lege ſcripta, in quinque panibus, quos ab Achimelech Dauid petijt: in quinque lapidibus ab eodem Dauide, cum gigante præliaturo, ex torrente acceptis: in quinque arietibus coctis, & quinque ſatis polentæ, quibus Abigail iratum Dauidem placauit. In lege gratiæ, in quinque porticibus piſcinæ Probaticæ, in quibus multitudo languentium ob ſpem ſalutis morabatur: in quinque panibus, quibus Saluator quinque millia hominum ſatiauit: & in quinque ſalutaribus Saluatoris noſtri Vulneribus.

Excellentia numeri quinarij.

Sed quòd iſto numero etiam præcellentia quædam indicetur, deduco ex quadam Redemptoris noſtri parabola apud S. Matthæum cap. 25, 14. *Homo peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique ſecundùm propriam virtutem*, vt inde quæſtum facerent. Homo ille qui peregrè proficiſcitur, eſt Redemptor noſter, qui in ea carne, quam aſſumpſerat, abijt in cælum. Bona & talenta quæ ſeruis ſuis tradidit, ſunt ſpiritualia bona, quæ fidelibus ſuis conceſſit, inquit S. Gregorius Homilia 9. in Euangelia. Vt ergo per talenta diuina beneficia deſignantur, ita per numeri talentorum varietatem diuerſitas graduum & perfectionum eorumdem innuitur: dicit enim ſacer textus, quòd dederit *vnicuique ſecundùm propriam virtutem*. quaſi diceret, non omnium ſeruorum eamdem eſſe virtutem, ac proinde non æqualia ſortitos eſſe munia. Quòd item, ſicut per talentum vnicum minima beneficia, per duo verò maiora, ita per quinque maxima & ſuprema ſint ſignificata, præter ea quæ proximè ſunt dicta, deducitur ex fructu & præmio laboris. Et enim qui vnicum talentum acceperat, & præpigritia lucrum ex illo non fecerat, non ſolùm mercedem non obtinuit, ſed pœnæ inſuper addictus fuit. Qui duo talenta acceperat, & alia duo lucratus fuerat, gaudium labori debitum recepit. Qui verò quinque acceperat, & alia quinque operando lucratus fuerat, ceteris in præmio prælatus fuit, prout etiam plus ceteris laborauerat; & quod alioqui debitum fuiſſet ſeruo illi pigro, ſi diligens fuiſſet, eidem traditum fuit. Hoc dilucidius explicatur apud S. Lucam. Cùm itaque quinarius numerus ſit cuiuſdam præeminentiæ ſymbolum, & in noſtris ſtemmatibus quinque reperiantur Cruces, clarè intelligimus, iſta præcellere alijs ſimilibus ſtemmatibus, Regeſque & Equites Ieroſolymitanos ceteris Regibus & Equitibus mundi excellentia & dignitate longè præcedere.

Talenta diuina ſignificant beneficia.

Ieroſolymitanorum ſtemmatum præcellentia amplius comprobatur.

Significatio diſpoſitionis quinque Crucum.

Hoc ipſum etiam Crucium ipſa diſpoſitio indicare videtur. Magna & præcipua Crux in medio, quæ etiam ceteras minores continet & includit, vt poſteà explicabimus, quid ſignificare arbitrabimur, niſi id quod diximus, quòd ſit velut Sol inter minores ſtellas, & cunctis aſtris ſplendidior? Et ſicut in alijs Ordinibus Equeſtribus, qui maiores geſtant Cruces quàm alij; eiuſdemmet Ordinis Equites, eiſdem quoad dignitatem præferuntur: ſic cùm noſtri Ieroſolymitani Reges & Equites maiorem geſtent crucem, à minoribus, quæ intra illius angulos veluti deliteſcunt, ſtipatam clarè deprehendimus illorum præcellentiam, quam alij circumſtantes

ſtantes ac admirantes contemplantur & venerantur.

Secunda, in argumentum beneficentiæ ſingularis.

Præter explicatam præcellentiam, opinor adhuc eſſe quinarium numerum cuiuſdam peculiaris beneficentiæ, remiſſionis & clementiæ argumentum, vt ex adductis quinquenarijs facilè à quolibet poteſt deduci: ſed nos hîc dumtaxat, quod ad intentum facit, explicabimus. Nónne à Sanguine Chriſti, qui ex illius quinque ſacratiſſimis Vulneribus velut ex quinque perennibus fontibus effluxit, omnia nobis bona prouenerunt, peccatorum remiſſio, gratia, æterni Patris reconciliatio, & ipſum denique cælorum regnum? *Pacificans* Chriſtus *per Sanguinem Crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt*, inquit Apoſtolus ad Coloſſenſes 1, 20. Et hoc conſiderandum mentis noſtræ oculis obijciunt ſacra Ieroſolymitana ſtemmata.

Tertia, quinque Chriſti Vulnerum naturale exemplum & prophetia.

Tertia & communis ſignificatio eſt, quinque Cruces in campo argenteo deſcriptas referre quinque ſacra Vulnera, quæ in venerando Saluatoris corpore velut in pretioſo ac perlucido argento, duriſſimis clauis; acutaque lancea veluti ſcalpello cælata fuere. Et hæc ſignificatio illuſtrari poteſt dupliciter: naturali exemplo, & ſacræ Scripturæ teſtimonio. Et primò quidem egregium à natura deſumptum exemplum refert Boſius lib. 2. c. 6. de Triumphanti Cruce, nimirum ſe cum alijs dignitate ac doctrina inſignibus viris Romæ vidiſſe cucurbitas, minorem alteram, alteram mediocrem, & tertiam maiorem, quæ per medium conſciſſæ, Crucis ſignum ab ipſa natura ſibi inditum exhibuiſſent; pulchrè adeò expreſſum, vt quiuis etiam excellens pictor vix meliùs aut elegantiùs delineare potuiſſet. Sed quid de maiori pro noſtro ſcopo dicat attende. *In ipſa cucurbita longè gratior quàm in typo erat eius aſpectus: nam in alba eius cucurbitæ medulla, Crux viridis apparebat, quæ religioſa quadam atque iucunda nos omnes admiratione perfudit. Et meritò quidem notatum ac præcipuè obſeruatum eſt, in quolibet ex quatuor Crucis angulis cucurbitæ, quinque ſeminis animulas exiſtere: quinquè inquam præcisè, neque plures aut pauciores; quaſi ad quinque inſigniores plagas illas, quas Chriſtus Dominus in Cruce accepit, alluſionem facere vellent. Erant autem omnino, quales graphide hac demonſtrantur.*



Secundò ſolidius ſacræ Scripturæ teſtimonium habemus apud Zachariam, dicentem: *Ecce ego cælabo ſculpturam eius, ait Dominus exercituum; & auferam iniquitatem terræ illius in die vna*, cap. 3, 9. Hoc S. Hieronymus in Commentarijs ſuper Zachariam de Chriſto intelligit, & illud, *cælabo ſculpturam eius*, ad Chriſti Vulnera docet pertinere, hoc ſenſu: Chriſtum, quem prius lapidem appellauit Propheta, clauis Crucis & lancea militis faciam vulnerari. Et Vulnera appoſitè comparat cælaturis pulcherrimis; quoniam Chriſtum pulcherrimum & pretioſiſſimum demonſtrant, & per eadem in quinque Crucibus noſtra ſacra illuſtrantur ſtemmata.

Quarta non abſimilis poſſet addi ſignificatio, quinque Cruces noſtrorum ſtemmatum, ſecundùm S. Irenæum ſignificare quinque extremitates quæ erant in Cruce Saluatoris. Sic enim ille ait lib. 2. cap. 42. *Ipſe habitus Crucis fines & ſummitates habet quinque, duos in longitudine, & duos in latitudine, & vnum in medio, vbi requieſcit qui clauis configitur.* nimirum quinta ſummitas erat ſuppedanea tabella, ſuper qua Crucifixi pedes ſuſtentabantur.

Quarta, quinque S. Crucis extremitates.

Quinta conſideratio ſit, multiplices Cruces, multiplices Saluatoris noſtri paſſiones ac cruciatus, quos in anima & corpore ſuſtinuit, ſignificare. Crucis nomen ligneo inſtrumento, quo homines morte & extre-

Quinta, Chriſti multiplices dolores. Nominis Crucis deriuatio.

mo ſupplicio afficiebantur, ea potiſſimùm ratione inditum fuit, quòd per illud acerbiſſimis cruciatibus damnati torquerentur: in illa enim lenta morte, ac planè cum ſenſu efflabant animam. Vnde ait S. Auguſtinus Tractatu 36. in Ioannem, cap. 8. *Denique vbi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur, à cruce nominatus: pendentes enim in ligno crucifixi, clauis ad lignum pedibus manibuſq; confixi, producta morte necabantur.* Et ſanctus Anſelmus in cap. 10. Matthæi: *Crux à cruciatu corporis nomen accepit.*

Cruciatus duplices, animæ & corporis.

Cruciatus verò poſſunt eſſe multiplices, alij animæ ac ſpiritus, alij corporis & carnis, quibus cruci ſuffixi diriſſimè & omni modo inuitiſſimè torquentur atque afflictantur. Multiplicibus ac varijs Crucibus fuit affixus Rex noſter, vt modò indicabimus, quas omnes in Crucibus noſtrorum ſtemmatum dicimus eſſe deſignatas. Fuit in primis Saluator noſter crucifixus Cruce ſpiritus: & hæc fuit nimia illa charitas, qua Patrem ſuum & nos hoſtes ſuos dilexit, propter quam & alias ſuſcepit cruces, vt Pater ipſius pacaretur, & nos eidem reconciliaremur, ac æternam ſalutem conſequeremur. Et hæc adeò torſit illius viſcera, vt propter aliarum crucium & mortis dilationem magno ſpiritus feruore dixerit: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur?* Lucæ cap. 12, 50. Deinde fuit Saluator noſter crucifixus cruce animæ; illa ſiquidem mœrore conficiebatur, dum conſideraret tormenta, quæ (licet ea vltrò & libentiſſimo animo elegerit) in corpore ſuo innocentiſſimo ac ſanctiſſimo, quod vnicè diligebat (quia nemo carnem ſuam odio habet) pro ingratis & peccatoribus ſufferre debebat. Hinc ea contemplatus, dolens Apoſtolis ſuis dicebat: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, Matth. 26, 38. Suſtinuit porrò crucem carnis, quia famem, ſitim, frigus & æſtum aliaſque ſuſtinuit paſſiones, & tandem in Caluariæ monte in Cruce, quam ipſemet baiulauit, à crudeliſſimis carnificibus tamquam ſceleratus aliquis ferreis clauis affixus fuit. Fuit item alio modo crucifixus cruce ignominiæ, quia proprijs nudatus veſtibus in medio latronum ac nequiſſimorum hominum, tamquam illorum coryphæus, ſummo cum dedecore vitam finire coactus eſt. Et quia non vacat hoc in loco hæc pluribus explicare, finio conſideratione aurea illa mellitiſſimi Bernardi ſententia: *Volue & reuolue vitam Chriſti, & non inuenies eam niſi in Cruce.* Conijce oculos in Saluatoris conceptionem & ortum, & deinceps conſidera eamdem vſque ad exitum ſuum ex hoc mundo ad Patrem, & ſemper inue-

Chriſti cruces multiplices:

1. *Spiritus,*

2. *anima,*

3. *carnis,*

4. *ignominia.*

nies eum in Cruce. Contemplare animam illius ſanctiſſimam, corpus eius benedictum, ſingula eius membra, & quæcumque denique ad ipſum pertinent, & ſemper & vbique Cruces inuenies, quas omnes tibi oculis mentis & corporis noſtra ſacra Crucium ſtemmata obijciunt.

Sexta quæ occurrit conſideratio, ſatis moralis atque attentiùs inſpicienda hæc ſit, ſacra Crucium ſtemmata admonere Ieroſolymitanos Reges & Equites, vt quemadmodum illa exteriùs ad pectus & in veſtibus deferunt, & domibus ſuis affigunt, ita eadem per meditationem & mortificationem deferant interiùs & exteriùs in anima & corpore, *ſemper mortificationem Ieſu in corpore* ſuo *circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus* ſuis, vt dixit ſanctus Paulus 2. Cor. 4, 10. Et ſanè multiplices debent portare Cruces, quemadmodum in illorum ſtemmatibus multiplices cernuntur. Primò crucem animæ, quæ eſt timor Dei: quoniam, vt alicubi ſcriptum eſſe memini, *timor Dei configit animam, vt non reſpiciat neque ad dextram neque ad ſiniſtram.* Et hac cruce affigi exoptabat ſanctus ille ac primus Rex Ieroſolymæ, qui dicebat ad Dominum: *Confige timore tuo carnes*, Pſal. 118, 120. Secundam item Crucem, quæ carnis dicitur, & in membrorum mortificatione conſiſtit, portare debent, Apoſtolo dicente: *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus*, Coloſſ. 3, 5. Hanc Crucem ferebat egregius ille Ieroſolymitanus Eques Paulus, qui hunc in modum de ſe ait: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*, 1. Corinthior. 9, 27. & iterùm tam de ſe quàm ſibi ſimilibus: *Vſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus. Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus*, &c. 1. Corinth. 4, 11. Crucem porrò ſpiritus portare debent. Hæc eſt illa charitas, qua Chriſtum ardenter amare debent, ita vt in Cruce ipſi ſemper inſeparabili vnitate coniungantur, vt quilibet illorum cum eodem Paulo dicere poſſit: *Chriſto confixus ſum*, Galat. 2, 19. & ſimul omnes: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Rom. 8, 35. Et pro viribus inſudare pro illius honore, & zelare ſuper populum & ſanctam hereditatem eius: hæc enim ſunt veræ dilectionis argumenta. Quòd ſi huiuſmodi Cruces ac ſupremi Regis & Equitis Chriſti ferre recuſent, mendaces, talis Regni ac militiæ, ſtemmatumque illius indignos ſe prodent, deforis oſtentantes pietatem, cuius veritatem

Sexta, Cruces exteriùs & interiùs portandæ eſſe a Regibus & Equitibus Ieroſolymitanis.

Crux animæ, timor Dei.

Crux carnis, membrorum mortificatio.

Crux ſpiritus, cum honore Chriſti.

inte-

interiùs actibus ſuis ſimiles ſepulchris dealbatis plenis oſſibus mortuorum, & hypocritis illis Scribis & Phariſæis, qui deforis ſanctitatem ſimulabant, qua omnino vacui ac denudati erant, quibus ideò Dei Filius æternum væ comminatus fuit. *Pudeat ſectari gloriam membra, quibus caput ſuum tam inglorium exhibetur. Pudeat ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum*, ait S. Bernardus Serm. 5. in feſto Omnium Sanctorum. Hanc doctrinam agnouit & opere compleuit pijſſimus ille Godofredus Bullonius, primus è Latinis Ieroſolymorum Rex: vnde & Chriſtianiſſimè atque puriſſimè vixit, & inter cetera quæ ſucceſſoribus ſuis imitanda pietatis exempla reliquit, hoc ſingulare fuit, quòd vti auream Regni coronam deferret numquam adduci potuerit, memoria nimirum retinens, ſe illius Regis ſucceſſorem eſſe, qui non auream diuino ſuo capite ſed ſpineam geſtauit coronam, vt multi prodiderunt Auctores, & nos alibi notauimus. Hunc ſequantur poſt Chriſtum noſtri Ieroſolymitani Reges & Equites, vt ſicut exteriùs Cruces geſtant, eaſdem per mortificationem & virtutum exercitia etiam interiùs deferant, vt Chriſto Regi conformes væ gehennale euadant, & vt ſocij paſſionis in terreſtri Ieruſalem, in cæleſti ſint æternæ conſortes conſolationis.

Godofredi imitanda pietas.

Denique Ioannes Hemelarius, cuius ſuprà Cap. XXXIII. meminimus, piam aliam adducit conſiderationem formæ maioris Crucis & quatuor aliarum, quòd per eam compendiosè ſignificata ſint nomina Ieſus & Ieruſalem. Scribit verò ille Hieruſalem cum H. vt & plerique alij, non per I. vt myſterium Crucis concorditer à quatuor Euangeliſtis relatum, & per quatuor orbis partes euulgatum ſignificetur. Ita enim de his ſcribit: *Et non inconcinnè certè hac ipſa Crucis forma & charactere (additis tantùm per quatuor angulos alijs quatuor cruciculis, fortè quatuor Euangeliſtarum conſonam de Chriſti Cruce & paſſione hiſtoriam, eamq; per quatuor orbis partes feliciter propagatam, deſignantibus) Hieroſolyma pro inſignibus uſa reperitur: cùm brachia huius figuræ tranſuerſa litteram H. ſtipes autem erectus & medius I. formet, quibus principium nominis & ipſius Domini* IESV *exprimitur. Inuenit itaque ipſa argutum emblema, quo & nomen ſuum compendiosè ſignet litteris, in campo (vt vocant) rubro, aureis id referentibus: & præter* SALVATORIS *nomen, Crucis pariter ipſius formam cum titulo ſuo ſuperne affixo ob oculos ponat: lucentem quidem eam ac rutilantem (quod auro ſignificatur) & in area rufa, id eſt loco ac ſolo ſanguine Domini reſperſo, defixam. Cuius adoranda Crucis pignore & redemptionis noſtræ in ea conſummatæ gloria, hæc vrbs ſancta ſe peculiariter & venerabilem Chriſtianis ſemper omnibus præbuit.* Hæc ille.

Septima, Crucem per Euangeliſtas per vniuerſum diuulgatam, & Ieſum ac Ieruſalem nomina.

CAPVT XXXVI.

De quantitate continua ac diſpoſitione ſtemmatum Ieroſolymitanorum, & myſterijs in quantitate atque diſpoſitione illa inuolutis.

EGimus iam de quantitate, vt aiunt, diſcreta Crucium ſtemmatum ſanctæ ciuitatis, quòd nimirum illæ plures ſint, & præcisè quinque; agendum nunc de earum dē quantitate continua ac diſpoſitione illa quam inter ſe habent in ſcuto ſiue ſtemmate, quemadmodum tertio loco propoſuimus. Quantum ergo ad hoc, dico, illas Cruces non æquales eſſe, ſed inæquales: vna enim maior eſt, & quatuor aliæ ſunt minores; & Crux maior in medio eſt, in cuius angulis includuntur quatuor cruciculæ diſtinctè diſtributæ, quas Crux maior à dextris & à ſiniſtris, ſuperiùs & inferiùs ſuo velut ambitu & ſinu continet, vt ſatis clarè apparet ipſa ſtemmata intuenti.

Quinque Crucium quantitas & diſpoſitio.

Myſteria, quæ hìc incluſa eſſe diximus, ex duplici capite venari poſſumus, ratione ſcilicet Dei, & hominum. Ex parte hominum, dico Primò, illos Saluatorem noſtrum in excelſam egiſſe crucem, vt hoc pacto eius exiſtimatio, vita & doctrina magis contemptui haberetur, & tandem obliuioni traderetur. Nouerant Iudæi, Chriſtum fuiſſe potentem in opere & ſermone, ac ideò omnes ad ſe pertrahere. *Ecce totus mundus abit poſt eum*, dicebant Ioannis 12, 19. Voluerunt turbæ illum ſibi Regem conſtituere, & tamquam magno Regi ac Meſſiæ in die Palmarum ouantes ei occurrerunt dicentes, *Hoſanna Filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini*, Matth. 21, 9. Vt igitur exoſa redderetur eius doctrina, vitam ei ignominioſa morte Crucis eripere decreuerunt, ne vlla vmquam illius, ob ſupplicij deteſtationem, apud poſteros extaret memoria. Id manifeſtè indicant illorum verba apud Ieremiam cap. 11, 19. *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur ampliùs.* Quæ verba intelligenda eſſe de morte crucis, quam inferre Chriſto meditati fuerunt Iudæi, communis eſt ſacrorum Doctorum ſententia. ac ſi clariùs dixiſſent: Hominem hunc ac ſeductorem peſſimum, qui cùm plebeius ſit, & homo nudus, Regem ſe & Deum iactitat, ſuis deceptionibus & præſtigijs incautos ac ſimplices in odium & contemptum noſtrum

Iudæi in magnam crucem egerunt Chriſtum, vt magis contemneretur.

ad ſuas partes allicit. Vt ergo tam deteſtabili malo occurramus, agamus illum in malam ac ſublimem crucem, vt omnes deteſtabilem eius interitum conſiderantes, illum abhorreant, execrentur, & prorſus è ſuis mentibus illius memoriam eradant.

Magna Crux magnum ſupplicium apud antiquos.

Pro huius conſiderationis explicatione ſciendum, antiquis moris fuiſſe, cùm hominem, qui pro ſuæ ipſius perſonæ conditione vel pro delicti atrocitate valdè inſignis eſſet, crucis patibulo plectere decreuiſſent, vltra conſuetum altiorem Crucem ei ſtatuere, & nonnumquam dealbatam, vt ex ſacris ac profanis Auctoribus edocemur. Aman hunc ſecutus morem, crucem maximam, quinquaginta videlicet cubitorum, Mardochæo, vt valdè facinoroſo, præparari fecit, in qua ipſemet poſteà, verè peſſimus, iuſto Dei iudicio, appenſus fuit. Galba item Romanorum Imperator, cùm intellexiſſet, tutorem quemdam veneno necaſſe pupillum, cui iure ſubſtitutionis ex teſtamento ſucceſſurus erat, ob atrociſſimum facinus illum cruci præaltæ adiudicauit: quod aduertens tutor, ſuppliciter petijt, vt crucis acerbitas & ignominia in aliud mitius & honeſtius mortis genus ſibi commutaretur, Romanum ſe ciuem conteſtans, ac ciuilis immunitatis conſuetudinem implorans. Galba econtrà mutari crucem, atque altiorem ac dealbatam, pro ipſius perſonæ & vrbanitatis maiori irriſione ſtatui iuſſit. De quo Suetonius Tranquillus in ipſius Galbæ Vita cap. 9. in hunc modum ſcribit: *Et tutorem, quòd pupillum, cui ſubſtitutus heres erat, veneno necaſſet, cruce affecit: implorantiq; leges, & ciuem Romanum ſe teſtificanti, mutari, multoq; prater ceteras altiorem & dealbatam ſtatui crucem iuſſit.*

Igitur cùm Dominus noſter Ieſus Chriſtus apud impios illos, velut perditiſſimus nequam ſeductor, Regiæ maieſtatis reus haberetur, ideò maiori illum eminentioriq; cruci ſuffixerunt, vt hoc pacto maiori afficeretur dedecore, & ab omnibus ludibrio & execrationi haberetur, ſicut & aliquando à reprobis habitus fuit, Apoſtolo dicente: *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*, 1. Cor. 1, 23.

Dicet aliquis, fortaſſe non fuiſſe crucem Chriſti reliquis alijs latronum crucibus maiorem. Si namque talis extitiſſet, nunc vtique cùm promiſcuè inuentæ fuerunt, cognita illa fuiſſet ex magnitudine: quam tamen non inde, ſed ex titulo, & multò magis ex miraculo cognitam fuiſſe, indicat hiſtoria inuentionis eiuſdem, vt nos pluribus, dum de loco inuentionis ſanctæ Crucis agemus, explicabimus.

Reſpondetur dupliciter. Primò cum Boſio lib. 1. de Triumphanti Cruce, cap. 6. magnitudinem Crucis accipiendam eſſe non ex ipſa Cruce in ſe conſiderata, ſed ex ſuperaddito titulo, poſito ſuper columna ſiue ligno in vertice Crucis infixo, de quo ita Nicephorus lib. 8. cap. 26. *Tres ſparſim diſiectæ cruces, & tabula preterea alba inuenta, in qua diuerſis litteris Pilatus Regem Iudæorum ſcripſerat, eaq; ſuper caput Chriſti collocata, in morem columnæ, Crucifixum illum Iudæorum Regem eſſe promulgarat.* Itaque cùm ablatum eſſet illud lignum cum titulo, & Crux in quantitate ſimilis eſſet alijs latronum, non potuit abſque alijs indicijs dignoſci.

Non videtur omnino euacuare difficultatem iſta reſponſio. In primis, quia illud de ligno in morem columnæ Cruci appoſito incertum videtur, tum quia refragantur veteres ac recentiores picturæ, tum quia antiquiores Nicephoro, etſi ſæpiùs meminerint Crucis & tituli Saluatoris, dicti tamen ligni nullam mentionem fecerunt.

Boſij ſententia, ſic ſuperaddito titulo in formam columnæ.

Poſitum à nonnullis antiquis.

Dices, fieri à D. Cypriano in Tractatu ſiue Sermone De montibus Sina & Sion, dum ſic ſcribit: *Pontius Pilatus, impulſa mente à Deo, accepit tabulam, & titulum ſcripſit tribus linguis, Hebraicè, Græcè & Latinè*: IESVS NAZARENVS *Rex Iudæorum. & in capite ligni clauis tabulam, cum nomine Regis Iudæorum, confixit.* Reſpondetur, ligni nomine intellexiſſe non illud in formam columnæ factum, ſed ipſum tranſuerſum, ſiue melius erectum lignum ipſiuſmet Crucis; nam de illo loquitur cui affixus fuit Chriſtus, quemadmodum præcedentia illius verba indicant, quæ ſic habent: *Manifeſtum eſt, montem Sion ligni ſacri regnum eſſe in ſanctitate iuſtificatum, dicente Danid: Annuntiate regnum Dei in Gentibus, quia Dominus regnauit à ligno, & tranſiuit in Gentibus. De quo Regno ligni regalis idem Propheta dicit: Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, annuntians imperium eius. Quod dictum propheticum per Pontium Pilatum in ſua paſſione pendens in ligno compleuit.* Hæc Cyprianus immediatè ante præmiſſa. Manifeſtè autem conſtat, in his verbis ligni appellatione non illud parium ad modum columnæ intelligi, ſed ipſammet Crucem; igitur & in præcedentibus à Boſio pro ſua ſententia adductis, quoniam de eodem ligno intelligenda ſunt.

Inſuper lignum illud ponere, ſuperfluum videtur. Si enim poſitum fuit vt magis cognoſceretur illius mortis cauſa, dico ſufficienter cognoſci potuiſſe, poſito titulo in Crucis ſummitate, cùm, vt fertur, Crucis

ſtipes

Altitudo, latitudo ac pondus Crucis.

ſtipes habuerit quindecim pedes altitudinis, lignum tranſuerſum octo longitudinis; craſſitudine tanta, quanta vel maximæ ſtaturæ viro complexu difficilis eſſet. Denique mirabile videtur, quòd, ſi fuit illud lignum, non extet aliqua eius memoria in ſancta Eccleſia; extaret autem, quandoquidem veteres fideles accuratiſſimi fuerunt in perquirendis & conſeruandis paſſionis Chriſti inſtrumentis, & alijs quæ quomodolibet ad Chriſtum pertinuerunt: & tamen cùm inuenta fuit ſancta Crux & titulus, nulla mentio illius ligni facta eſt, nec illud honeſto loco inter alias ſacras reliquias collocatum. Deinde tunc non fuiſſet Chriſtus vt celebrior facinoroſus apud Iudæos maiori cruci affixus, ſed cauſa ſaltem mortis in altiori loco poſita.

Alia ſolutio.

Itaque reſpondetur ſecundò, fuiſſe Crucem Saluatoris maiorem abſque dubio crucibus latronum, tum ex indicata ratione, ob quam etiam inter duos latrones duxerunt illum Iudæi ad mortem, & inter eos medium crucifixerunt, vt dicitur in Euangelio; tum quia picturæ hoc teſtantur: tamen in illius inuentione ex magnitudine certò non fuit dijudicata, quia fortaſſe non erat admodum ſupra alias notabiliter maior; & quia, licet ex maiori magnitudine non obſcurè fuerit deprehenſa, ad tollendam tamen omnem ambiguitatem, ad maiora indicia & euidentiora argumenta, id eſt, ad miracula deuentum fuit.

Deus voluit in magna cruce Chriſtum affigi, vt ab omnibus plurs eſtimaretur.

Si conſilium Dei reſpiciamus, omnino id perditorum illorum hominum conſilio contrarium fuiſſe arbitramur, ſicut ſcriptum eſt: *Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum*, &c. Pſal. 32, 10. & *ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi, & quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia*, 1. Corinth. 1, 20. Dico igitur, conſilium Dei in primis fuiſſe, Chriſtum Dominum in excelſa cruce affigi, vt omnibus eius excellentia, regia dignitas ac diuina doctrina innoteſceret, ideoq; magnificaret, & hoc pacto irritum redderetur peruerſum Iudæorum conſilium. Expreſſit hoc myſterium hiſce verbis Lactantius Firmianus: *Nam quoniam is qui patibulo ſuſpenditur, & conſpicuus eſt omnibus, & ceteris altior Crux potiùs electa eſt, quæ ſignificaret illum tam conſpicuum tamq; ſublimem futurum, vt ad eum cognoſcendum pariterq; & colendum cuncta nationes ex omni orbe concurrerent.* Hinc factum arbitror, vt Chriſtus Dominus de ſua Crucis morte loquens, frequenter eam exaltationem nuncupauit, dicens: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis*, Ioannis 3, 14. &, *Cùm exaltaueritis Filium hominis*, Ioan. 8, 28. & alibi idem, non ſolùm quoniam illo mortis genere ex terra in aëra eleuandus erat; ſed multò magis, quia eo medio ſupra omnes & apud omnes glorificandus erat. Ideò ad effectum hunc reſpiciens D. Petrus, dixit Chriſtum *dexterâ Dei exaltatum*, Actor. 2, 33. idem & Paulus Philip. 2, 9. Sed de hoc plura inferiùs.

De Vera ſapientia lib. 4. c. 26.

Crucemagna cæleſti doctrina mundus illuſtrandus.

Deinde ea altitudine ſignificabatur, cœleſti Crucis Chriſti doctrinâ totum mundum fore illuminandum. Sanè lucerna vt magis pluribuſque luceat, non in terra, aut in imo, vel ſub vaſe aliquo abſcondenda, ſed in ſublimi collocanda eſt, quia, vt dixit Chriſtus, *nemo lucernam accendens operit eam vaſe, aut ſub lectum ponit; ſed ſuprà candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen*, Luc. 8, 16. Sol ſimiliter magis pluribuſque lucet, cùm iam eſt in medio cæli & noſtro imminet vertici. Lucerna verè ardens & lucens eſt Saluator noſter (*Lucerna eius*, ait S. Ioannes Apocal. 21, 23. *eſt Agnus*) & Sol mundum illuminans (*Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ*, Malach. 4, 2.) Et non dubitandum, hanc lucernam & Solem aliquos ſuæ ſapientiæ radios effudiſſe, vt quando infantulus in medio Doctorum ſedebat illos audiens & interrogans; tunc enim *ſtupebant omnes qui eum audiebant ſuper prudentia & reſponſis eius*, Luc. 2, 24. Et quando factus vir, diſcipulos congregauit & docuit; quem & ideò ſuſpiciebat populus, quòd numquam ſic locutus fuiſſet homo. Verumtamen vix cognitus fuit, & non tantùm hoſtes eius Iudæi, ſed dilectiſſimi diſcipuli, cum quibus continuè conuerſabatur, non perfectè illius capiebant doctrinam. Vnde aliquando illis dixit: *Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?* Matth. 15, 16. Vt ergo intelligeretur & cognoſceretur ab omnibus hæc lucerna, poſita fuit in ſublimi candelabro ſanctæ Crucis, & Sol ille diuinus in meridiem deuenit mortis ſuæ, vt occumbendo magis luceret, & illuminaret ſedentes in tenebris & vmbra mortis, prout verè illuminauit, vt inferiùs amplius explicabimus.

Sponſa deſiderium videndi Chriſtum in Cruce.

Ad idem arbitror reſpexiſſe illam, quæ dilecto Sponſo Chriſto dicebat: *Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam*, &c. Cant. 1, 7. Mirabile eſt, quòd amica Chriſto tam familiaris & intima, quaſi illius conuerſationis eſſet neſcia, petat ab eo vbi in meridie quieſcat, ſuoſque paſcat greges, ne per inuia & abrupta vagetur. Sed ſapienter petebat locum Caluariæ montis cognoſcere, in quo circa meri-

diem Paraſceues debebat manus totumque ſeipſum expandere, diffundens radios diuinæ ſapientiæ ſuæ, quibus omnes illuminaret homines, quemadmodum Sol eoſdem naturali fulgore illuſtrat; vbi quieſceret à laboribus ſuis, ab opere inquam redemptionis in Cruce conſummato, vbi venia peccatoribus, iuſtis gratia, Beatis gloria eſt donata, & omnes ſalutari ſapientia illuſtrati. Hinc ſanctus ille Sacerdos & Propheta Simeon, cùm præuideret illius mortem in Cruce, & fructum ex illa oriundum, magna circumfuſus lætitia, fixis oculis in eum quem vlnis tenebat, dixit inter alia, ipſum futurum *lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis* ſuæ *Iſraël*, Luc. 2,32. ex quo peruerſæ hominum impiorum cogitationes diſſiparentur, & Dei conſilium impleretur.

Magna Crux, Chriſtum noſtrum exemplar ſignificat.

Denique indicabatur, ipſum futurum exemplar nobis ad imitandum propoſitum. Hoc in eminenti loco exponitur, atque perfectiſſimum eſſe debet, ne diſcipuli in imitando errent. In huius figuram dictum fuit Moyſi: *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*, Exodi cap. 25,40. Sed manifeſtiſſimè S. Petrus dixit: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius*, 1. Petri 2,21.

Significatio diſpoſitionis Crucium.

Crux maior à dextris & à ſiniſtris, ſuperiùs & inferiùs cruces habet, quibus indicatur, Chriſtum Dominum fuiſſe virum dolorum, & ex omni parte infirmitate ac mortis doloribus circumdatum. Et profectò ſi dextram & ſiniſtram illius aſpicias, latrones videbis, qui ei improperabant, vt ait Euangeliſta, & ſua præſentia illum dedecore afficiebant: ſi ſuperiùs aſpicias, cælum obſcuratum videbis, & Patrem cæleſtem vultum ſuum occultantem, & Filium in doloribus relinquentem: ſi ad terram te conuertas, quotquot ibi fuerunt inimici & amici, deprehendes tortores Chriſti fuiſſe, qui patientem nimis in corpore & anima diriſſimè torquebant. Inimici quidem: nam alij irriſionibus & ſannis *prætereuntes* illudebant, & *blaſphemabant eum, mouentes capita ſua, & dicentes: Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud readificas: ſalua temetipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce*, &c. Matth. 27,40. alij aceto & felle eum potauerunt, & alij lanceâ latus eius aperuerunt. Amici etiam triſtitiam illi addebant, aliqui abſentiâ, & præſentiâ alij. Abſentiâ quidem, quoniam aliqui ſtabant à longè, quaſi ſuum benefactorem confiteri timerent: præſentiâ magis, nam videns Mariam matrem, & diſcipulum Ioannem, & alios qui ſtabant iuxta crucem, nimio dolore tranſuerberatos, inde cor eius velut acuto gladio confoſſum & transfixum fuit. Denique terra, vbi paſſus eſt, mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt: atque velut ille aries cornibus hærens in vepribus, quem Abraham ſacrificauit, quocumque ſe vertebat, ſpinis configebatur; ita Dominus noſter, in quamcumque ſe conuertebat partem, dolore ac pœna afficiebatur.

Chriſtus vir dolorum.

Quid ſibi velint Chriſtum à latronibus ſe-quendum.

Quatuor paruæ cruciculæ in maioris lateribus & angulis circa centrum diſpoſitæ, deſignare mihi videntur Chriſti fideles milites, qui iuxta Ducis monitum (*Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, Matthæi 16,24.) eumdem ſequuntur per propriarum paſſionum mortificationem, vt egregius ille miles Paulus, *Chriſto confixus cruci*, faciebat. Etenim, vt idem ad Galatas ſuos c. 2,29. & c. 5,24. ſcribit, *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.* Cruciculæ tamen ſunt, quoniam modicæ & exiguæ ſunt paſſiones noſtræ reſpectu paſſionum Chriſti. Chriſtus enim vndequaque fuit doloribus vallatus, interiùs & exteriùs obrutus, flagellis, ſpinis, clauis & lancea, totumque ſuum ſanguinem noſtri cauſa cum ſpiritu fudit, & quis noſtrùm pro ſalute propria vnum ex his fecit, vel doloris veras lacrymas fudit? *Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes*, inquit Apoſtolus ad Hebræos 12,4. Sunt circa centrum, quia Chriſtus nos in corde ſuo gerit. Sed non caret myſterio, quòd maior Crux quatuor interſecet cruciculas brachijs ſuis, alias inferiùs, & alias ſuperiùs, à dextris & à ſiniſtris habens: & illud crediderim ſignificare patrocinium quo ſuos proſequitur Deus, atq; curam eos ad ſublimia eleuandi. Auis extendens alas formatcrucem, & ſub illis pullos fouet, & earum miniſterio eoſdem in ſublime extollit, alios à dextris, alios à ſiniſtris habens. Non diſſimiliter Chriſtus Dominus (diuina illa auis, de qua Propheta Iſaias 46,11. dixit, *Vocans ab Oriente auem*) ſe habet erga electos ſuos, illos modò inſtar gallinæ fouens ſub alis protectionis ſuæ, ſicut petebat Dauid, ne à tribulationibus conquaſſentur & à dæmone diripiantur, ipſo dicente: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas?* Matth. 23,37. modò eoſdem extollens gratia & auxilio, vt à periculis protecti & eruti, perueniant ad cæleſtem hereditatem, quemadmodum aquila alis attollit in altum filios ſuos, vt ſplendidam Solis rotam contemplentur. Ita obſeruauit Moyſes, ideò dixit: *Sicut aquila prouocat ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit*

Patrocinij ſuorum Equitum habet Chriſtus.

Digitized by Google

pandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis, Deuter. 32, 11. collocans eos à dextris & à ſiniſtris ſuis, non quidem in terra, ſecundùm Iacobi & Ioannis deſiderium, ſed in cælo, ſecundùm æterni Patris beneplacitum. Egregiè id prædixerat Propheta Malachias cap. 4, 2. loquens de Chriſto ſub typo Solis, & de eiuſdem brachijs in cruce extenſis ſub pennarum ſymbolo, dicens: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius*, in quibus refugium contra omnia mala reperitur, veraque ſanitas comprehenditur. Vnde D. Hieronymus in hunc Prophetæ locum inquit: *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, qui vera omnia iudicabit, & nec bona nec mala, nec virtutes nec vitia latere patietur: & ſanitas in pennis eius, vt ſanatos per pœnitentiam portet in humeris ſuis; iuxta illud quod in Deuteronomio ſcriptum eſt: Expandens alas ſuas ſuſcepit eos, & in humeris ſuis portauit illos.* Et Gloſſa ordinaria: *In alis eius eſt ſanitas, vt ſanatos per pœnitentiam protegat, & ad caulas gregis ſui in humeris ſuis reportet.* Amplius eamdem protectionem indicari aduerto in quatuor extremitatibus maioris eiuſdé Crucis, ſupra quas tranſuerſum in formam extenſarum alarum ſuper mutilas cruciculas, quaſi Chriſti earumdem omni ex parte protectionem indicare velint.

CAPVT XXXVII.

Accurata conditionis Crucium, quæ ſunt in ſtemmatibus Ieroſolymitanis, explicatio, & duplicis difficultatis enucleatio.

Cruces in genere alia ſimplices, alia compoſita.

ANtequam inueſtigemus abdita myſteria in qualitate Crucium, quæ habentur in ſtemmatibus Regum ac Equitum ſanctæ ciuitatis, vt ſuprà quarto loco propoſuimus, accuratiùs examinanda eſt earumdem crucium conditio, & nonnulla addenda ijs quæ Capite XXIX. attigimus de ijſdem ſacris ſtemmatibus, quæ erunt velut fundamenta ſupra quæ ſtructuram erigemus ſpiritualium conſiderationum. Inter alia crudelitatis exercendæ inſtrumenta, quę diaboli ſuggeſſit odium, vel ſæuitia excogitauit humana in hominum ludibrium dirum cruciatum, & atrociſſimum interitum, non ex minoribus fuerunt cruces; quæ tamen non ſemper eiuſdem fuerunt formæ, ſed multiplicis; verum, vt eruditiſſimus Lipſius adnotauit, omnes reduci poſſunt ad hanc generalem diuiſionem: Cruces omnes aut ſimplices, aut compoſitæ fuerunt.

De Cruce l. 1.

Cruces ſimplices triplices.

Simplices Cruces illæ appellantur, quæ antiquitus frequenter in promptu erant, cum vno ſimplici, erecto & humi infixo ligno homines necarentur. Et hæc quoque duplex fuit: nam alia ad affixionem, alia ad infixionem inſeruiebat. Illa erat, quando homo affigebatur cruci, manibus pedibuſque ligatis, vel clauis terebratis, palus terræ infigebatur, vel etiam arbori configebatur: hæc quando per obſcœna hominis nudi palus erectus & acutus violenter adactus, ac per dorſi ſpinam penetrans emergebat deinde per os, vel etiam pectus aliamve partem miſerrimi ac plane infelicis hominis. Et de hoc primo membro generalis illius diuiſionis (quod vlteriùs non explico, quia non facit ad intentum) plura tradit Boſius lib. 1. De Triumphante Cruce, cap. 2.

Cruces compoſitæ quales.

Cruces compoſitæ, illæ erant, quæ ex diuerſis vel duobus lignis conficiebantur, vt patet ex libro Ioſue cap. 8, 29. vbi ſermo eſt de crucifixione Regis Hai in hunc modum: *Regem quoque eius ſuſpendit* Ioſue *in patibulo vſque ad veſperam & Solis occaſum.* quod patibulum fuiſſe crucem, indicant ſequentia verba: *Præcepitq; Ioſue, & depoſuerunt cadauer eius de cruce.* Et Chaldæus Paraphraſtes pro patibulo *crucem* vertit. Quod verò ea duplici conſtaret ligno, indicat Septuaginta Interpretum tranſlatio ex Hebræo, quæ pro patibulo legit duplex lignum (*Et Regem Hai ſuſpendit ſuper lignum geminum*) ſiue *duo ligna*, quibus vera crux formabatur, in qua brachia etiam explicabantur, de qua Origenes in Ieſu Naue c. 8. Homilia 8. *Poſt omnia autem etiam Rex Hai in ligno gemino dicitur eſſe ſuſpenſus.*

Cruces compoſitæ triplices.

Sed compoſitæ iſtæ cruces ex duobus lignis, varijs diuerſiſque conſtabant formis: quæ tamen ad triplicem ſpeciem reduci poſſunt, quarum prima eſt Decuſſata, ſecunda Commiſſa, & tertia Immiſſa.

Crux Decuſſata vel Andreana qualis, & quare ſic dicta.

Decuſſata Crux ſic appellatur à Latina voce *decuſſis*, quæ decem ſignificat, à qua verbum *decuſſo decuſſas*, quod propriè eſt in duas partes ſcindere, & ad decuſſis figuram redigere: cuius ligna in centro vno ſeſe contingentia, atque oblique interſecantia, ad formam litteræ X. reducantur. Et hæc decuſſatá crux, Andreana ſiue ſancti Andreæ paſſim appellatur, quòd credatur in cruce ad hanc figuram efformata eumdem Apoſtolum pro Chriſti fide martyrium ſubijſſe. Plura de ea & illius myſterijs Boſius vbi ſuprà cap. 3. Nos alia non dicemus, quia formaliter noſtra Ieroſolymorũ ſtemmata haud attinet, nec in eiuſmodi Chriſtus Dominus pependit.

Crucis commiſſæ forma.

Secunda Crux Commiſſa, conſtabat ex erecto ac longo ligno altero, cui breuius al-

terum ſupernè, & in ipſo capite ex tranſuerſo committebatur; ita vt ex primo illo erecto nihil ſuperiùs extaret ſupereminerétve; referebatque ad amuſſim formam Græci Tau & noſtræ litteræ T.

Crucis immiſſa forma.

Tertia Crucis forma, quæ Immiſſa nuncupatur, formabatur ex ligno altero erecto, cui alterum tranſuerſum iniungebatur atque immittebatur, ita vt ex primo illo erecto ligno pars aliqua ſupra tranſuerſum emineret, ea compage videlicet, vt quemadmodum commiſſa Crux ternos tantùm angulos ſiue fines habebat, ſic in iſta eſſent quaterni, in hunc modum, ✠ & quomodo hodie picturæ pariter & ſculpturæ oculis noſtris paſſim ingerunt, quamque nos Chriſti fideles tamquam noſtræ redemptionis inſtrumentum, & Chriſti crucifixi imaginem, veneramur; ac quatenus honor ad Chriſtum ipſum refertur, pijſſimè adoramus, iuxta id quod in Concilio Nicæno II. dicitur.

Quomodo Crux adoretur.

Hoc Deus eſt, quod imago docet, ſed non Deus ipſa:
Hanc recolas, ſed mente colas quod cernis in ipſa.

Duplex modò occurrit quæſtio opportunè diſcutienda. Altera, in qua Crucis forma ex duplici indicata fuerit Saluator noſter crucifixus, commiſsáne, an immiſſa: altera, quænam ex his Crucibus conficiat Ieroſolymitana ſtemmata, an commiſſa, vel immiſſa tantùm, an potiùs vtraque ſimul.

Qui dixerunt in commiſſa Cruce Chriſtum crucifixum.

Circa primam quæſtionem duæ ſunt ſententiæ. Prima aſſerit, Chriſtum Dominum mortem ſubijſſe in cruce commiſſa. Ita videtur indicare Beda in Quæſt. in Geneſ. vbi de victoria Abrahæ loquitur, dicens, Crucem ſimilem fuiſſe litteræ Græcæ T. & Tertullianus lib. 3. Aduerſus Marcionem cap. 22. inquit: *Ipſa enim littera Græcorum Tau, noſtra autem* T, *ſpecies Crucis.* Niti etiam videtur iſta opinio auctoritate D. Hieronymi in cap. 9. Ezechielis, vbi docet, litteram Tau, quæ ipſis adhuc temporibus ſuis apud Samaritanos erat in vſu, Crucis formam prætuliſſe. *Antiquis Hebræorum litteris*, inquit, *quibus vſque hodie Samaritani vtuntur, extrema Tau littera Crucis habet ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur.* Vnde S. Iſidorus ait: *Tau littera ſpeciem Crucis demonſtrat.* Eamdem ſententiam, præter alios videtur etiam tenuiſſe Ruffinus Aquileienſis in Expoſitione Symboli, & Innocentius Papa III. in eo Sermone quem in principio Lateranenſis Concilij habuit, ſic enim dixit: *Tau eſt vltima littera Hebraici Alphabeti, exponens formam Crucis, qualis erat antequam Domino crucifixo Pilatus Titulum ſuperponeret.*

Secunda ſententia docet, Chriſtum in immiſſa & quadrata Cruce fuiſſe affixum. Et hanc mox explicabimus.

Boſii concilatio diſſententiarum ſententiarum.

Boſius lib. 3. de Triumphanti Cruce c. 6. duplicem hanc adducit diſſentientem ſententiam, quam tamen vniformem eſſe, vel ad concordiam redigere contendit cum Lipſio, dicens: *Diſceptatio atque contentio (mea quidem ſententia) parui admodum momenti. Nam, vt idem quoque Lipſius prudenter animaduertit, ſi ipſi Tau titulum ſupernè addideris, Crux quaternis iſtis finibus terminabitur: præſertim verò ſi Titulum ipſum oblongo quodam ligno ad columnæ formam, atque dealbatum, vt ab omnibus clarè proſpici poſſet, ſuper Crucem ipſam adaptatum fuiſſe conſtet*, &c.

Boſii conciliatio non ſanat ſenſus ſenſus.

Sed non capio, quomodo ſic quæſtioni ſit ſatisfactum, & præmiſſæ ſententiæ conciliatæ; etenim quæſtio propoſita fuit de cruce præcisè, & non de titulo, qui abſque dubio Cruci extraneus eſt: & in tali ſignificatione difficultatem intellexerunt, qui illam pertractarunt. Et ſanè non potuiſſet eſſe inter ipſos altercatio, ſi Crux modo à Boſio deſcripto accepta fuiſſet, nam ad ſenſum quatuor finibus terminari conſpicitur. Non videtur etiam à dubitatione alienum, quod aſſerit de ligno ad formam columnæ poſito ſupra Crucem in quo erat affixus Titulus, & illud non eſſe admittendum, tamquam probabilius Capite præcedenti propoſuimus. Boſius etiam ex his videtur ſequi priorem ſententiam, etſi ad poſteriorem, vt magis receptam, propendeat, Chriſti Crucem quaternis brachijs ſiue extremitatibus fuiſſe terminatam, vt poſteà videbimus.

Incertum in qua cruce fuerit Chriſtus crucifixus, ſed probabilius in immiſſa.

Ad hanc difficultatem reſpondeo, & dico duo, alterum, Crux Saluatoris cuius formæ fuerit, ex memoratis non eſſe certum; alterum, probabilius eſſe dicere fuiſſe quadratam, quatuor videlicet extremitatibus terminatam. Et ita ſentit Cardinalis Bellarminus De imaginibus Sanct. lib. 2. cap. 27. & abſolutè tenendum cenſet Illuſtriſs. Eccleſiaſticorum Annalium Scriptor Baronius Tomo 1. ſub anno Chriſti 34. num. 93.

Argumento pro Chriſti Cruce immiſſa.

Primum patet tum ex dictis, tum quia non eſt Scriptura ſacra, vel ratio quæ efficaciter alterutram partem doceat ac perſuadeat.

Secundum probatur auctoritate, ratione, & exemplo. Auctoritas in primis ſancti Auguſtini Epiſt. 120. cap. 26. aſſerentis, lignũ longum eminuiſſe ſupra tranſuerſum.

Suffra-

Digitized by Google

Suffragari videntur verba Irenæi ſuperiùs Capite xxxv. relata, imò S. Pauli auctoritas, ad Epheſios cap. 3, 18. quam poſteà, huius Crucis myſteria referantes, adducemus, vbi etiam ad litteram ſecundùm Doctores fit alluſio ad figuram crucis, & nominat Apoſtolus quatuor, ſublimitatem, profundum, longitudinem, & latitudinem, ad indicandas quatuor Crucis extremitates, quæ non niſi in quadrangula cruce repenuntur. Ergo, cùm, vt diximus, Doctores communiter auctoritatem Apoſtoli interpretentur de Cruce Domini, ſequitur, ſecundùm Apoſtolum, & Doctores tam veteres quàm recentiores, Crucem Saluatoris fuiſſe quadrangularem, & ita docet etiam Gretſerus de S. Cruce Tom. 1. lib. 1. cap. 3. Sed alijs omiſſis modò, clariſſimè S. Hieronymus in Marci cap. 15. ait: *Ipſa ſpecies Crucis, quid eſt niſi forma quadrata mundi? Oriens de vertice fulgens: Arctos dextra tenet, Auſter in læua conſiſtit, Occidens ſub plantis firmatur.* Idem ſentit Lipſius lib. 1. de Cruce, qui & alia in confirmationem adducit.

Myſterium Crucis quadratæ.

Ita Molan. De ſacris imaginib. lib. 3. c. 27. & l. 4. c. 5.

Deinde ratio adſtipulatur. Nam cùm Chriſtus Dominus, inquit Boſius, pro vniuerſi orbis redemptione mori voluerit; veriſimile profectò eſt, hoc myſterijs refertiſſimum mortis inſtrumentum ſibi deleginſſe, quod quatuor extremitatibus ſuis quatuor mundi plagas deſignat atque amplectitur. Et quidem rationi conſentaneum eſt credere, Crucem ſanctam Chriſti quadrata fuiſſe figura, cùm quatuor brachijs, quatuor illa inſigniora, quæ hominibus contulit, clarè ſignentur beneficia. Superior enim acumine, cælum nobis reſeraſſe, inferiori, infernum deſtruxiſſe; dextero brachio, gratiam attuliſſe; ſiniſtro verò, remiſſionem peccatorum feciſſe demonſtrat. Quod animaduertens Ludolphus Carthuſianus de Vita Chriſti Par. 2. c. 63. inquit: *Quatuor etiam brachijs Crucis notantur quatuor Crucis beneficia. Signat enim pars ſuperior ianua cæli apertionem, inferior inferni deſtructionem, à dextris gratiæ collationem, à ſiniſtris peccatorum remiſſionem.* Inferiùs aliæ ad idem piæ rationes ac conſiderationes adducentur.

Mos Eccleſiæ eſt vt ferre Chriſtum in quadrata Cruce.

Denique idem exemplo probatur, & ſatis efficaci, totius videlicet Eccleſiæ, quæ ab antiquo vſq; modò alia cruce vſa non eſt quàm immiſſa, quæ quatuor extremitatibus terminatur, recto videlicet palo erecto, tranſuerſo ſupra medium illius traducto, ſic vt faſtigium tecti pali ſuperiùs emineat, quatiſque titulum Chriſti complectatur. Et hanc formam referunt vbique terrarum pictæ fictæque Cruces, veteres ac recentiores. Et profectò ſi aliud non eſſet, hoc ſatis eſſe deberet; quòd (non obſtante quod dictum eſt, Crucem Domini in T Græco, vel Tau Hebraico, noſtroque T. Latino eſſe præfiguratam, & huiuſmodi litteras Crucem Saluatoris oppido referre) non ad illarum exemplar, ſed explicato poſteriori modo, voluerit Eccleſia Orientalis & Occidentalis ſemper pingi vel fingi Chriſti Domini Crucem. Et apud Ægyptios ac veteres ante Chriſti natiuitatem Crux erat quadrangula, quam in ſuis illis imaginibus ad captandum cæli influxum, vt opinabantur, efficaciſſimam inueniebant, velut quatuor cæli cardines reſpicientes, ſcilicet, Ortum, Occaſum, Meridiem & Septemtrionem, vt tradit egregius Platonicus Philoſophus Ficinus, in libro de Vita cælitus comparanda cap. 18. vbi & inter cetera ſic ait: *Ego verò quod de Crucis excellentia fuit apud Ægyptios ante Chriſtum, non tam muneris ſtellarum fuiſſe arbitror, quàm virtutis præſagium, quam à Chriſto fuerat acceptura.* Et eſt illud quod docent Theologi, ſpiritualia bona, quæ antiquis conferebantur per circumciſionem & ſacrificia, quæ erant vmbræ ac figuræ ſacrificij Crucis, collata fuiſſe in virtute mortis Saluatoris præuiſę, omnium bonorum fontalis originis. Quare cùm probabile ſit, vt præſagio conſonet euentus, dicendum, Crucem Domini non triangulam, inſtar Græci T, Hebraici veteris Tau, & Latini T. ſed quadrangulam fuiſſe.

Reſponſio ad argumenta pro Cruce commiſſa.

Ad oppoſita ex Beda, Tertulliano ac D. Hieronymo, dicendum, ideò eos dixiſſe, Crucem Domini fuiſſe ſimilem Græco T, Latino T, & Tau Hebraico, quia parum differebat, vt inquit Bellarminus cum alijs, etiam quia extiterunt Crucis figura, ſicut virga Moyſis, Aaron ſerpens æneus, &c. quæ tamen non omnino & adæquate formam Crucis referebant. Nec eſt neceſſe, vt in omnibus figura referat figuratum; aliàs enim eſſet cum illo idem, vel non diſcerneretur. Quare non mirum, ſi ab illo in aliquo deficiat. Pretium quo venditus fuit Ioſeph Iſmaëlitis à ſuis fratribus, fuit figura pretij quo venditus fuit Saluator à Iuda diſcipulo Iudæis, ſed illud minus iſto fuit, quia 20. conſtitit argenteis, & hoc 30. ita prædictæ litteræ, vt figuræ, tres tantùm habent extremitates, Crux verò & figuratum quatuor finitur.

Poſſent etiam prædicto modo explicari verba Innocentij, Hebraicum Tau expreſſiſſe figuram vnificæ Crucis, tum quia eius erat figura, tum quia parum ab ea differebat. Quòd ſi quis contendat, verè dicere voluiſſe, Crucem Domini, ſecluſo titulo, fuiſſe

fuisse omnino similem T. vltimæ litteræ Hebraici Alphabeti, dicatur, vt Doctorem vel Oratorem suam proposuisse sententiam, sed vt Pontificem nihil determinasse, vt perspicuum est; hoc enim parum refert, vno vel altero modo fuerit formata Crux Christi: semper enim fideles gloriantur cum Apostolo non nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, siue triangula siue quadrangula illa fuerit.

Figura omnis Crucis splendet in Ierosolymitanis stemmatibus.

Quantum ad secundam quæstionem, an nostra sacra Regum ac Equitum stemmata constituantur ex Crucibus vnius speciei, commissæ vel immissæ, siue triangularis vel quadrangularis, an vtriusque speciei. Respondeo breuiter, constare vtrisque. Et quòd conficiantur immissis & quadratis, ad oculum ostendunt omnes cruces tam quatuor minores, quàm quinta maior. Quòd verò contineant etiam commissas & triangulares, facile erit in maiori explicare. Dissoluatur hæc Crux in quatuor æquales partes, & apparebunt quatuor triangulres cruces: & cùm secundùm veram Philosophiam & experientiam, vnumquodque componatur ex his in quæ resoluitur, videamus verò maiorem Crucem diuidi ac resolui in quatuor minores triangulares, colligitur manifestè, ex eisdem constitui, vt patet hîc ✠ Hæc maior quadrangularis, si in centro diuidatur, quatuor apparebunt minores cruces triangulares, sic T. T. T. T. & istæ si iterùm in centro copulentur, conficietur maior crux quadrangularis. Igitur cùm ex his & alijs crucibus conficiantur nostra sacra stemmata, sequitur, ad illorum compositionem concurrere commissas & triangulares, & simul immissas & quadrangulares cruces, figuram & figuratum.

Immissa & quadrata.

Commissa.

Simplices continent.

Ex hac iam ratiocipatione apparet, quomodo etiam simplices Cruces in nostris stemmatibus contineantur, in quatuor videlicet & immissis cruciculis: singulæ namque ex duabus simplicibus constant, dum alteri erectæ altera transuersa iungitur, vt hic patet, istæ I. I. sunt duæ simplices, altera iungatur alteri per transuersum, efformabitur composita immissa in hunc modum, ✠ vnde nostra stemmata, non quidem voce, si signo ita dicere videntur: Altercantur inter se Christiani, ad quam Crucis formam illorum Creator ac omnium Sanctificator fuerit affixus, an ad commissam, an potius ad immissam. Vt qua decet veneratione illam habeant, quæcumque illa fuerit, cesset inter eos dissensio, meam aspiciant figuram, & quod exoptant inuenient, figuram & figuratum, triangulares & quadrangulares Cruces, quibus Reges ac Ierosolymitani Equites condecorantur, & in quibus solis gloriantur.

CAPVT XXXVIII.

De mysterijs in triangularibus Crucibus contentis.

COnstituuntur nostra Ierosolymorum Regum ac Equitum stemmata non solùm ex quadrangularibus, sed etiam ex triangularibus crucibus, vt simplices omittamus, quemadmodum anteà explicauimus. Inuestiganda sunt modò nonnulla mysteria, & abscondita in vtriusque generis crucibus sacramenta. Et vt distinctè ac ordinatè procedamus, ordiemur à triangularibus, quandoquidem ex ipsis, tamquam partibus, constituitur maior præcipuaque stemmatum nostrorum Crux. Et quantum opinor, possunt illa ad tria præcipua capita reduci, primò ad ea quæ Deum trinum & vnum, secundò ad ea quæ Christum Saluatorem nostrum, ac tertiò denique ad ea, quæ nos ipsos respiciunt. Percurramus singula vt proposuimus.

Crucis triangula mysteria.

§. 1. *Mysteria sanctissimæ Trinitatis in triangulari Cruce inuoluta.*

Quinque singularia adnoto beatissimæ Trinitatis mysteria in triangulari cruce abscondita. Primum, hæc Crux sanctam Trinitatem repræsentat; secundum, eamdem creatricem esse; tertium, vt trinum Deum honoremus tamquam Dominum; quartum, seruos Dei cruce notari; quintum, sanctam Trinitatem esse vltimum finem intellectualis creaturæ.

Primum.

Crux commissa sancta Trinitatis figura.

In primis ergo commissa triangularisque Crux sanctissimæ Trinitatis mysterium nobis repræsentat. In veteri Testamento non fuit inscrutabile sanctissimæ Trinitatis mysterium clarè ac distinctè communiter repræsentatum (paucis Dei peculiaribus amicis exceptis) vt pluribus probat doctissimus Abulensis, præter alios in Opusc. de sanctissima Trinitate: non defuerunt tamen in obscura illa noctis caligine aliqui lucis radij, aliqua argumenta, quibus, licet non manifestè, obscurè tamen, & quantum illi tempori sufficiebat, deprehendi poterat; & optima quidem ratione, à Theodoreto lib. 2. ad Græcos adducta. *Noluit*, inquit, *Deus in veteri Testamento proponere mysterium Trinitatis expressè, quia Iudæi incapaces erant, & quia recèns exierant de Aegypto, vbi colebantur multi dij, & intraturi erant in terram Chanaan, vbi etiam multi habebantur dij; ne videlicet putarent, sibi*

Cognitio S. Trinitatis in veteri testamento.

ſibi etiam tres deos proponi colendos: voluit tamen Deus adumbrare hoc myſterium, idq; multis modis, vt cùm in Teſtamento nouo prædicaretur, non videretur omnino nouum, vel repugnans Teſtamento veteri. Adde, quòd tam admirabile Sacramentum reſeruandum erat tempori electiſſimo gratiæ & Euangelij.

Myſterium Trinitatis ex Scriptura & creatura innoteſcit.

Media verò quibus innotuit & innoteſcit modò, ſunt, multiplex Scriptura & creatura, in qua apparet veſtigium & imago Trinitatis: & in illa dilucidiùs explicatur, vt cum Auguſtino fatentur alij. Et profectò beata Trinitas ſui ipſius veſtigia in creaturis impreſſit, vt quemadmodum ex hominis veſtigio aliquo modo cognoſcitur illius auctor homo, non diſſimiliter ex creaturis, vt ex veſtigijs, illarum auctor Deus trinus cognoſci poteſt. De his veſtigijs plura diſſerit S. Auguſtinus lib. 9. De Trinitate vſque ad 15. Et quis non videt, ſi mentis oculi aperiantur, omnes creaturas ita affectare numerum ternarium, vt planè clamare videantur, auctorem ſuum eſſe Trinitatem, quæ omnia fecit in pondere, numero & menſura? Primùm igitur tres ſolæ ſunt paſſiones omnibus rebus communes, vnum, verum, bonum. Deinde tota rerum vniuerſitas diſtribuitur in partes tres: quidquid enim eſt, aut ſpirituale eſt, aut corporale, aut mixtum ex vtroque. Res ſpirituales in tres Hierarchias diuiduntur, ſingulæ hierarchiæ in tres ordines. Singuli verò ſpiritus Angelici non tam veſtigium, quàm imaginem Trinitatis referunt, cùm tribus ſint prædicti facultatibus, memoria, intelligentia, voluntate; atque in eis ex mente naſcatur notitia, ex notitia amor procedat.

Omnes creaturæ ternarium numerum affectant.

Porrò in rebus corporalibus pænè innumerabilia reperiuntur veſtigia Trinitatis, quæ omnia ſingulatim proſequi, nec vtile nec neceſſarium in præſentia eſt, quare vnicum tantùm & alterum proponam.

Sol veſtigium Trinitatis.

Primum ſit Solis, quo vtitur S. Cyrillus Alexandrinus ad hoc referandum myſterium. Contemplatur in Sole Patrem generantem, in radio Filium genitum, & in calore Spiritum ſanctum ab vtroque procedentem. ſic enim ait: *Imago Patris eſt Sol, radius Filius, calor Spiritus ſanctus.* Adde quòd Sol, cùm vnicus ſit, triplicem tamen habeat lucem, vnam in ſeipſo, quæ Patrem ſignificat: alteram à ſe procedentem, qua aër proprium lucis ſubiectum illuminatur, quæ Filium; ac tertiam, quæ ab vtraque exit, illuminans obiectum quod cernitur, quæ Spiritum ſanctum repræſentat. Secundum veſtigium eſt in quadam herba. Qui de rebus naturalibus ſcripſerunt, vt ſuper Dioſcoridis cap. 117. refert Lacuna, herbam eſſe dicunt, cui nomen eſt *Trinitas*, quoniam ſinguli ramuſculi tria tantùm folia producunt, quæ abſque dubio ſanctiſſimæ Trinitatis veſtigium eſſe poteſt.

Herba trinitas veſtigium ſanctæ Trinitatis.

Sed Scripturæ magis etiam clarè idem explicant, & inter alias in veteri Teſtamento illæ, quæ de Deo loquentes ternario numero vtuntur. Exodi 3, 14. *Ego ſum qui ſum. Qui eſt, miſit me ad vos.* ibidem vers. 15. *Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Pſ. 66, 7. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Iſaiæ 6, 3. *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus.* Et eleganter cap. 48, 16. loquitur Dei Filius per Prophetam, dicens: *Et nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius.*

Quæ in Scriptura Trinitatem demonſtrent.

Pauca, ſed clariora media ad idem accipe ex nouo Teſtamento. Exemplum ſit in ſacratiſſimæ Incarnationis ineffabili myſterio, vbi in vna ſimpliciſſima hypoſtaſi ſunt tres naturæ, Deitas, anima, & caro. Et ne nouum videatur dicere tres naturas in Chriſto, Deitatem, animam & corpus, anteà eaſdem numerauit ac diſtinxit S. Auguſtinus lib. 13. de Trinit. cap. 17. Ita in Deo ſunt tres hypoſtaſes cum vna ſola & ſimpliciſſima natura. & S. Bernardus Sermone 2. in Vigilia Natiuit. & Damaſcenus lib. 3. cap. 5. hæc duo ſingularia myſteria inter ſe comparauerunt: & vt nos per myſterium Incarnationis explicuimus illud Trinitatis, ita illi per myſterium Trinitatis aliud Incarnationis declarauerunt.

Incarnatio Chriſti Trinitatis ſymbolum.

Iſta duo Scripturæ teſtimonia ſufficiant. Primum ſit S. Ioannis, qui Epiſtolæ ſuæ primæ cap. 5, 7. *Tres ſunt*, inquit, *qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus.* Secundum eſt apud S. Matthæum cap. 28, 19. vbi Saluator ſuis dixit diſcipulis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Triangula Crux quomodo vt creatura & Scriptura referat ſanctæ Trinitatis myſterium.

His præmiſſis, ad intentum propiùs accedentes, dicimus, ſanctam triangularem Crucem velut rem & ſignum, creaturam ac Scripturam, olim in veteri lege repræſentaſſe, & modò adhuc in noua eximio nec vulgari modo repræſentare diuiniſſimum ſanctiſſimæ Triadis myſterium. Igitur triangularis Crux, inquies, in ſe conſiderata, & res aliqua, & ſignum ſiue littera erit, cùm alioqui non poſſit duplici iſto modo ſignificare. Ita ſanè. Et quòd ſit res aliqua, manifeſtum eſt, quia inſtrumentum eſt mortis & ſalutis, & præterea, ſi concedatur, ſignum; igitur in ſe à parte rei aliud erit præter id quod ſignat. Quòd ſit littera & Scriptura, conſtat, quia vltima in Hebraico Alphabeto, & in Græco ac Latino idiomate litte-

littera est & scriptura, sed abbreuiata, quia multa in se concludit & refert mysteria. Est verbum abbreuiatum, quod fecit Dominus super terram, quo etiam nomine illam sanctus appellauit Apostolus.

Primò insinuat, esse creatricem: Refert hæc nostra Crux mysterium sanctissimæ Trinitatis multipliciter, & in primis ipsam esse vnum Deum nostrum Conditorem ac Creatorem. T. signum vnum & littera vna est simplex, sed tres habet extremitates ab inuicem realiter distinctas, quæ nihilominus idem sunt in centro in quo vniuntur. Et in beatissima simplicissimaque Trinitate sunt tres diuinæ personæ ab inuicem realiter distinctæ, quia, vt dixit sanctus Athanasius in Symbolo, *alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Et hi tres sunt vna res*, vt dixit S. Augustinus, propter diuinam essentiam in qua absq; compositione realiter ac substantialiter identificantur. *Vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas: non tres Dij, sed vnus Deus*, vt idem dixit Athanasius. Refert homo Dei imaginem ac similitudinem, secundùm illud: *Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum*, Genes. 1,27. Hæc imago Trinitatis est lumen illud quod in mentibus nostris signatum esse dixit Propheta Regius, vt graues docent Doctores. Sed quia hoc idem est quod nostra Crux, Crucem interpretatus fuit S. Hieronymus, quam interiùs latentem in mente, iussit Dominus in suo discessu vt exteriùs efformaretur, & appareret in fronte, atque illius medio homo interiùs exteriusque prædicaret Trinitatem, vereque dicere posset: *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, Ps. 138,6. *Signum hoc* (inquit D. Hieronymus in Isaiæ cap. 60.) *Christus Dominus noster, cùm ad Patrem ascenderet, nobis reliquit, illudq; frontibus nostris impressit, vt liberè dicere possimus: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

Secundò, Creationis mysterium à nobis perfectè percipi debere. Sed præter Deum auctorem eo signo prænonstratum, secundò indicatur, illud idem creationis mysterium à nobis perfectè percipi debere, & numquam à mente excidere. Nobiscum egit Dominus ad modum Professoris Mathematicarum scientiarum: hic enim postquam veris rationibus ac demonstrationibus, discipulorum mentes nobili ea imbuit scientia, etiam eamdem signis ac characteribus delineat, vt hoc pacto & clariùs edocta percipiant, & percepta tenaciùs memoriæ hæreant. Perinde, inquam, egit Dominus noster, nimirum, vt impressam mentibus nostris sanctissimæ Trinitatis imaginem & dilucidiùs intelligeremus, semperq; in mentibus nostris illius conseruaremus memoriam, voluit signum sanctæ Crucis imprimi exteriùs in frontibus nostris.

Tertiò, commissa crux admonet nos vt Deo grati simus. Tertium mysterium est, vt eo signo dignoscentes cuius serui sumus, Deum vt par est coleremus, eique mandatorum ipsius obseruantiâ inseruiremus, ne torpentibus nobis obscuretur insipiens cor nostrum, & tradamur in desideria cordium nostrorum in immunditiam, & in reprobum sensum, cum stultis illis Sapientibus, *qui*, vt ait sanctus Apostolus Rom. 1,21. *cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis*, &c. Dominus Deus cùm dedisset verba legis per Moysen, ad extremum intulit: *Eruntq; verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntq; & mouebuntur ante oculos tuos, scribesq; ea in limine & ostijs domus tuæ*, Deut. 6,6. Et quid his postulabat Dominus? num quod faciebant Scribæ & Pharisæi, qui, vt scribit sanctus Hieronymus lib. 4. Comment. in Matthæi c. 23. scribebant in membranis Decalogum Moysi, id est, decem verba legis, complicantes ea & ligantes in fronte, & quasi coronam capiti facientes, vt semper ante oculos moueretur? Non sanè, quia hos tamquam hypocritas & bonorum operum vacuos, reprehendit grauiter Dominus apud sanctum Matthæum; sed vt diuus interpretatus est Hieronymus, *Præcepta mea sint in manu tua, vt opere compleantur: sint ante oculos tuos, vt die ac nocte mediteris in eis.* Et manifestè Saluator noster hoc popposcit, cùm dixit Apostolis suis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis*, Matth. 28,19. His enim verbis indicauit, tingendos aqua, & obsignandos cruce, cum sanctæ Trinitatis inuocatione, debere simul tamquam veros excelsæ illius Maiestatis famulos in diuinæ legis obseruantia totos versari. Et sancta Ecclesia, quos in Baptismate filios regenerat Saluatori, in toto corpore & omnibus eius partibus obsignat signo viuificæ Crucis ac Trinitatis, signo characteris inuisibilis animæ impressi, credenda simul & operanda proponens, vt in Romano Rituali videre est.

Fauet Magnus Leo, dum Serm. 1. de Ieiunio decimi mensis & collectis ait: *Si fideliter, dilectissimi, atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inueniemus hominem ideò ad imaginem Dei conditum, vt imitator sui esset auctoris: & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi*

quaſi in quodam ſpeculo diuinæ benignitatis forma reſplendeat. Ad quam quotidie nos vtique reparat gratia Saluatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in ſecundo, per lignum vtique ſanctæ Crucis.

Quartò, eſt teſſera electorum.

Quartum myſterium ſit, illos, qui eo ſigno notati ſunt, tamquam Dei electos ab alijs diſtingui, & à nemine propterea infeſtari debere. Vnde luculenter S. Auguſtinus Tract. 29. in Ioan. Tom. 9. & appoſitè dixit: *Signare, eſt ſignum rei imponere: cuicumque enim rei ponis ſignum, ideò ponis, ne confuſa cum alijs, à te non poſſit agnoſci. Vnde & Pater Chriſtum ſignauit, Ioan. 6. id eſt, proprium quiddam illi dedit, ne ceteris comparetur hominibus. Ideò de illo dictum eſt: Vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Itaque nolite, inquit, me contemnere, quia filius ſum hominis,* &c. Hoc ſenſu dixit Paulus 2. Cor. 1, 6. *Qui vnxit nos Deus, qui & ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* & idem alibi. Atque ob hanc cauſam Chriſtianis in Baptiſmo character in anima & in corpore ſignum viuificæ Crucis imprimitur, tamquam teſſera diſtinguens à non Chriſtianis, & ne quis audeat nocumentum illis inferre, vtpote rebus Deo ſacris.

Signare quid.

Pro huius veritatis figura legimus apud Ezechielem, præcepiſſe Deum homini veſtito lineis, qui Chriſtum repræſentabat, vt ſignaret ſigno Tau frontes virorum gementium, vt percuſſores Angeli ijs parcerent: eo enim tempore, vt anteà dictum fuit, Tau littera Hebraica habebat figuram Crucis. In Exodo etiam idem fuit expreſſum, vbi iubetur ſanguis agni occiſi poni ſuper vtrumque domus poſtem, & ſuperliminare eius, *quoniam*, vt interpretatur Rupertus lib. 2. in Exodum, *Sanguinem Chriſti in ſuperliminaribus domorum ponimus, cùm crucem paſſionis illius in fronte portamus.* Erant autem notæ ſanguinis tres, duæ in vtroque poſte, & vna in ſuperliminari; quia in nomine SS. Trinitatis baptizamur, vt vult idem Rupertus. Et numquid in eiſdem tribus ſanguinis notis aduertis triangularem Crucem eſſe præfiguratam, certum ſalutis noſtræ ſignum? Et quamuis hoc ſignum ſit omnibus Chriſti fidelibus commune, nihilominùs negari haud poteſt, noſtros Reges & Equites illud valde ſublimaſſe, tamquam ſibi proprium aſſumpſiſſe, ſuis ſtemmatibus inſeruiſſe, imò ipſum ſolum pro inſignioribus & illuſtrioribus ſtemmatibus deferre.

Quintò indicat Trinitatem eſſe vltimum hominis finem.

Quintò, vt primum ſuprà iam explicatum myſterium cum vltimo copulemus, dico, ſigno T. præmonſtrari, ſanctiſſimam Triadem eſſe non ſolùm principium, ſed etiam finem intellectualis creaturæ, alpha & omega. Vt hoc explicem, repetendum eſt illud diuinum mandatum de non occidendis ijs qui ſigno Tau notati eſſent. *Omnem autem*, inquit Deus, *ſuper quem videritis Tau, ne occidatis*, Ezech. 9, 6. Sed quare Deus inſcribi fecit ſignum Tau frontibus illorum, qui ab horribili ſtrage atque internecione euaſuri erant? Reſpondent Hebræi, vt oſtenderet, eos ſolos ex vniuerſo populo ab eadem publica calamitate meritò ſeruandos ac liberandos eſſe, quia ſolli diuinam eius legem obſeruaſſent: quandoquidem littera Tau prima eſt, qua dictio iſta תורה *Thora* ſcribitur, quæ diuinam legem ſignificat. *Quia lex*, inquit D. Hieronymus in Ezechielis caput 9. *apud Hebræos appellatur* תורה, *quæ hac in principio nominis ſui littera ſcribitur; illi hoc accepere ſignaculum, qui legis præcepta compleuerant.* Et quoniam littera Tau omnium Hebraicarum litterarum vltima eſt, atque Hebraici Alphabeti finis & complementum, ideò Iudæi putabant, voluiſſe Deum hac figura inſigniri eos, qui omnem diuinæ legis voluntatem, quantum fert humana fragilitas, adamuſſim impleſſent; & omnia diuina mandata, à prima vſque ad vltimam litteram, exactiſſimè obſeruaſſent. Hinc nos ita dicamus: ex eo quòd T. quæ vltima littera ſit Alphabeti Hebraici, & principium vocis *Thora* quæ legem ſignificat, indicari, illum Deum, qui fecit hominem de limo terræ, eidemque naturale dedit eſſe, eumdem eſſe auctorem eiuſdem hominis ſpiritualis eſſe, quod conſiſtit in componendo vitam cum diuina voluntate & lege, cuius ipſe auctor & principium eſt, quam Adæ, Moyſi, & nobis omnibus dedit, ac propterea ſe oſtendit Moyſi igneam legem in manu tenentem; & eos qui illam perfectè cuſtodierint, recepturos ſupernaturale ac diuinum eſſe, Deum inquam ipſum vltimum finem per viſionem & fruitionem. Et hoc expreſsè habetur in præcepto à Chriſto Apoſtolis tradito, quod ſuperiùs poſuimus.

Saluantur totam legem obſeruantes.

Totam legem ſeruantibus diuinam eſſe concèditur.

De cæleſti Ieruſalem ac Beatorum patria dixit S. Ioannes in Apocalypſi cap. 21, 16. *Ciuitas in quadro poſita eſt: & longitudo eius tanta eſt, quanta & latitudo. Et menſus eſt ciuitatem de arundine aurea per ſtadia duodecim millia: & longitudo, & altitudo, & latitudo eius æqualia ſunt.* Quàm appoſitè hiſce verbis myſterium illud in ſacris noſtris ſtemmatibus abſconditum deſcribitur! In primis, ciuitas in quadro deſcribitur, ad indicandam ſtabilitatem ac immobilitatem cæleſtis gloriæ: & ideò vita æterna nuncupatur à Domino, in qua felices illi ciues in ſæcula ſæculorum laudabunt Do-

Stabilitas cæleſtis gloriæ.

minum. Et nónne vides eamdem ſtabilitatem atque immobilitatem præmonſtratam eſſe in noſtris ſtemmatibus? Et non tantùm in quatuor paruis crucibus quæ quadratæ ſunt, ſed euidentiùs in maiori, ex quatuor triangularibus compoſita, tum quia verè quadrangularis eſt, tum quia omnes illius extremitates quadratæ ſunt, vt ad oculum manifeſtè apparet. Ex quibus inſtruuntur qui illas deferunt, continuè in hac vita mortali Chriſti mortificationem in ſpiritu & corpore eſſe deferendam, vt perpetuò in immortali altera cum Chriſto valeant conregnare. *Scientes*, inquit Paulus 2. ad Corinth. 1, 7. *quòd ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.* Vnde *& gloriamur in tribulationibus: ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit*, Rom. 5, 3. Et Magiſter noſter Chriſtus, qui omnes ad perennem illam gloriam peruenire cupiebat, ad idem omnes hortabatur dicens: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me*, Luc. 9, 23. ac ſi manifeſtè dixiſſet: Qui me in gloria ſequi deſiderat, priùs ſequatur in pœna; & qui mecum conregnare contendit, ſit de mea cruce tollenda ſollicitus, non ſemel & altera vice, vno menſe vel anno, ſed ***quotidie***, toto præſentis vitæ curriculo, cuius terminus altera beata eſt; quia, eodem Chriſto dicente, non qui inceperit, ſed *qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*, Matth. 10, 21. & 24, 13.

Crux arundo aurea, qua menſuratur gloria.

Addit deinde Ioannes, Angelum menſum fuiſſe ſtabilem illam ciuitatem, non quidem funiculo, ſed arundine aurea. Et quid hæc niſi ſancta Crux, etſi paſſionum inſtrumentum & ſymbolum, nihilominùs quia in cæleſte beatitudinis aurum conuertentur, ſicut illis verbis Dominus Matthæi cap. 5, 10. oſtendit: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati eſtis cùm maledixerint vobis* homines, *& perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* quia inquam omnes paſſiones & cruces in æternam gloriam commutabuntur, aurea menſura illa fuit. Et nónne vides auream crucem in noſtris Ieroſolymitanis ſtemmatibus? Ad hæc, quemadmodum quod menſuratur, menſuræ ipſi aptari debet, nec illam excedere, ita & gloria cum cruce menſurabitur, quia ſecundùm quantitatem paſſionum conſolabitur Dominus, iuxta Dauidicum illud elogium: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam*, Pſalmo 93, 19.

Certandum, vt ad gloriam perueniamus.

Tertiò, non eſt credendum vacare myſterio, quòd cùm iam menſurata fuiſſet ciuitas, illius ambitus non reſoluatur in cubitus, calamos, vel milliaria, ſed per ſtadia deſcribatur. At quodnam quæſo myſterium? Reſpondet Haymo, nomen ſtadij tacitè & implicitè indicare curſum & certamen iuſtorum, quibus opus eſt currere, certareque aſſiduè, vt in illam ciuitatem aliquando admittantur. Vnde eſt illud Pauli: *Neſcitis, quòd ij qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium?* 1. Cor. 9, 24. quo ij qui in ſanctam illam ciuitatem ingredi volunt admonentur, vt *deponentes omne pondus & circumſtans* ſe *peccatum, per patientiam* currant *ad propoſitum certamen*, Hebræor. 12, 1. ſicque currant, vt comprehendant, vt idem alibi inquit Apoſtolus.

Longitudo æternitatis ſymbolum.

Quartò denique (vt tandem veniamus ad id cuius gratia, quæ hactenus dicta ſunt explicauimus) inquit Ioannes, quòd menſurata ciuitatis longitudo, & altitudo, & latitudo æqualia inuenta ſint. Secundùm ſacrorum Doctorum interpretationem hiſce indicatur, omnia in beata illa patria eſſe ſempiterna. Longitudo quidem æternitatem beatitudinis ſignificat, quia eiuſmodi in ſacris Litteris habet & retinet appellationem, vt in Pſalmo, *Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum*, Pſal. 92, 5. Huic æqualis eſt altitudo, hoc eſt, viſio beatifica, qua quodammodò profunditas & altitudo diuinæ eſſentiæ penetratur. Æqualis etiam latitudo, id eſt, fruitio, quæ cum ſumma delectatione coniuncta eſt, per quam capacitas animæ propter magnitudinem gaudij quodammodò dilatatur; hæc enim requiri ad perfectam beatitudinem, ex ſacris Litteris & Eccleſiaſticis Doctoribus edocemur. Æqualis igitur eſt longitudini latitudo & altitudo, quia omnia hæc longitudinem æternitatis adequant. Et hæc quidem quæ ſanctiſſimæ Triadi eſſentialia ſunt, communicant etiam his qui faciunt voluntatem eius ex illius bonitatis abundantia. Et prædicta tria non incongruè dicere poſſumus repræſentari in triangulari Cruce, in qua licet ſimiliter inuenire longitudinem, altitudinem & latitudinem: nam par myſterium inferiùs Capite xxxiv. referabimus de Cruce quadrangulari ex D. Paulo & ſanctis Patribus. Et hæc de myſterijs vnicæ ac indiuiduæ Trinitatis in ſacra triangulari Cruce contentis, cetera proſequamur.

Beatitudinem quidam accumulant.

§. 2. *My-*

§. 2. *Myſteria nonnulla triangularis Crucis, quæ Chriſtum Dominum reſpiciunt.*

Crux porrò commiſſa & triangularis menti & intellectui offert myſteria ineffabilis Incarnationis Dominicæ, tam quæ Chriſtum, quàm quæ nos illius gratiâ reſpiciunt, vt videbimus: de illis præſenti, de iſtis ſequenti §. ſermonem inſtituemus.

Quinque myſteria.

Myſteria Chriſtum Dominum reſpicientia, in triangulari Cruce inuoluta, quinque præcipuè obſeruo. Primum eſt, diuinum ipſum diſpenſationis Sacramentum; ſecundum, ſingularis Chriſti de hoſte victoria; tertium, orationis Chriſti virtus; quartum, eiuſdem Chriſti nimia charitas; ac denique quintum, infinita illius potentia, quam in Cruce manifeſtauit.

Primum Incarnationis myſterium in triangulari Cruce repræſentatum.

In primis triangularis Crux ſuggerit nobis Incarnationis diuiniſſimum ſacramentum, in quo diuinum Verbum animæ ac corpori vnitum fuit, naturamque humanam in vnitate perſonæ aſſumpſit, ex qua vnione nimis humiliata eſt Diuinitas, & humanitas mirabiliter exaltata: quod in hunc modum explico. Sunt in commiſſa Cruce duo ligna vnita, erectum & tranſuerſum, & illud hoc ſuſtentat: & tranſuerſum quidem vnum eſt, tamen & duo videtur, tum propter duas extremitates, tum propter medium quod vniri videtur in erecto ligno; atque in ea tres fines ſiue extremitates inueniuntur. Erectum lignum Deum ipſum rectum & inobliquabilem per eſſentiam ſignificat, tranſuerſum verò humanitatem aſſumptam, duplici quidem parte conſtantem, anima & corpore, nihilominùs tota ipſa primò aſſumpta, ſicut dicitur in Symbolo, *Et homo factus eſt*, & Damaſcenus dixit Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam in atomo. Et ad totius aſſumptionem coaſſumptæ ſimul fuerunt partes, anima & corpus hominem conſtituentes, & ex eo & Verbo Chriſtum conſtituentes, vt ſacri docent Theologi, & Athanaſius dum dicit: *Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.* Et vt tota Crux totum ſignificat Chriſtum, naturam diuinam humanæ copulatam hypoſtaticè, ita illius tres extremitates repræſentant tres naturas, diuinam ſimpliciſſimam, & duas partiales, animam & corpus: ita enim appellari poſſe, ex D. Auguſtino & Bernardo §. præcedenti notauimus.

In Incarnatione humiliata Diuinitas, & exaltata humanitas.

Deinde, quemadmodum in iſta Incarnatione eſt ſingulari modo humiliata excelſa Diuinitas, ita egregiè eſt eleuata nimiùm demiſſa humanitas, & non tantùm è ſtatu peccati ad gratiam, ſed ad ipſam gloriam & diuinum eſſe. Sed hîc aduertendum, quòd licet hoc veritatem habeat in Chriſti humanitate, quantum ad eleuationem ad maiorem gloriam, vt poſteà explicabimus; non tamen quantum ad ſubleuationem à peccato ad ſtatum gratiæ, quia illud numquam fuit in homine aſſumpto, tum quia non ex homine, ſed ex Spiritu ſancto à puriſſima ſemperque ſanctiſſima Virgine conceptus & in lucem editus; tum quia ſemper fuit beatus & Deus: quia quotieſcumque fuit verum dicere, Hic eſt homo, fuit etiam verum dicere, Hic eſt Deus & beatus, ac conſequenter immunis à peccato, *innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus*, vt dixit S. Paulus Hebr. 7, 26. & eſt communis Theologorum doctrina. Tota tamen natura humana, mediante natura illa ſingulariter à Verbo aſſumpta, à peccato erepta, ad gratiam & gloriam eſſeque diuinum ſubleuata fuit. Quem enim in modum ſi Rex aut Princeps ducat in vxorem virginem humili loco natam, ex illa affinitate & coniugio tota illius humilis nobilitatur & extollitur familia; ſic Deus noſter, dum ſe humiliauit, copulando ſibi ſingularem illam humanitatem, ac conſequenter noſtræ naturæ particeps effectus, eamdem mirum in modum extulit ac nobilitauit. *Sic* enim *humanam naturam in altum euexit*, dixit Ioannes Damaſcenus, *vt quò aſcenderet altiùs non haberet.* Et S. Ioannes Chryſoſtomus: *Non frustrà ad tantam humilitatem Chriſtus deſcendit, ſed vt nos ex humili ſubleuaret.* In cuius rei figuram legimus, dum Deus ad montem deſcenderet, Moyſen illuc conſcendiſſe; & dum Rex Aſſuerus deſcenderet de throno ſuo, dexteramque porrigeret Reginæ Eſther humi iacenti, eamdem ſubleuatam fuiſſe, quemadmodum S. Auguſtinus in Homilia 2. de Incarnationis myſterio cap. 16. obſeruauit. qui ipſe etiam lib. De prædeſtinatione Sanctorum cap. 19. egregiè dixit: *Prædeſtinata eſt naturæ humanæ tanta & tam excelſa & ſumma ſubiectio, vt quò attolleretur altiùs non haberet, ſicut ipſa diuinitas quò ſe deponeret humiliùs non habuit.*

Et meritò quidem: nam vt nihil humilius de Verbo Dei cogitari poteſt, quàm quòd caro factum ſit, ita nihil ſublimius de carne dici poteſt, quàm quòd ſuper omnes cæleſtes ſpiritus, Angelos, Archangelos, &c. & ſublimiſſimos Seraphinos fuerit exaltata, & non tantùm in homine Deo, qui aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei, ſed in ipſa pura creatura Matre Dei, quæ, vt cantat Eccleſia in Aſſumptionis eius Officio, *exaltata eſt ſuper choros Angelorum ad cæleſtia Regna.* & prout vaticinabatur eius

pater Dauid, *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate*, Pſalm. 44,10.

Eleuata humanitas ad Dei eſſe.

Dicere liceat, mediante illa vnione ſacratiſſima eleuatam eſſe naturam humanam ad ipſum eſſe Dei, vt notauit S. Paulus Apoſtolus de Filio Dei loquens in hunc modum: *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portansq́; omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dextram Maieſtatis in excelſis: tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim aliquando dixit Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum: Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium?* &c. Hebr. 1, 3. Et Chriſti diſcipulus Ioannes: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis*, Ioan. 1,14. id eſt verè Vnigeniti. Sed de ſingulari gloria, Dei Filio proueniente ex diſpenſationis myſterio, in ſequentis myſterij explicatione plura dicemus. Et hoc totum ſuggerit noſtra Crux, in qua ſupra erectum lignum Diuinitatis ſymbolum, poſitum cernitur alterum tranſuerſum humanitatem repræſentans.

Secundum myſterium, ſignum triumphi Chriſti.

Secundò indicat triangularis Crux ſingularem triumphum, quem retulit Chriſtus per Crucem de hoſte, ex quo per totum vniuerſum prouenit ei gloria. Filij Dei & hominis hoſtis diabolus, ligno inſidens, ligno & carne, id eſt fructu arboris & muliere, hominem primum adorſus quaſſauit, loco motum omni honore atq; gloria ſpoliauit, & morti obnoxium reddidit cum omni ſua poſteritate, in odium Filij Dei, qui ex illo humanam naturam aſſumere decreuerat. Dixi, per lignum & mulierem, inſtrumenta ſanè perquam debilia & exilia, deuictum fuiſſe primum hominem, quia non immediatè illum diabolus, ſed per mulierem aggreſſus eſt, & deuicit, Apoſtolo dicente 1. Tim. 2,14. *Adam non fuit ſeductus, mulier autem in præuaricatione fuit*, quando tulit de fructu ligni ex ſerpentis manu, *& comedit, dediq́; viro ſuo, qui comedit*, vt dixit Moyſes Gen. 3, 6. Et hoc callidum hoſtem feciſſe crediderim, vt illuſtrior eius appareret victoria quam tuliſſet de primo homine, nobiliſſimis donis à Deo exornato, ac munito iuſtitia originali, gratia, ſapientia, & alijs muneribus, quem nihilominùs deuicerit non Angelica fortitudine, non blanditijs vel minis, ſed ligno & carne, velut ſi piſcem hamo ceperit, quemadmodum ad illius exemplum etiam ceteros decipit homines, Salomone dicente: *Sicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aues laqueo comprehenduntur: ſic capiuntur homines in tempore malo*, Eccle. 9, 12. Et fortaſſe ad hoc alluſit Apoſtolus, dum dixit: *Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccauerunt*, Roman. 5, 14. actualiter videlicet, quia originaliter in Adam omnes peccauerunt, vt ibidem verſ. 12. dixit idem Apoſtolus, *in ſimilitudinem præuaricationis Adæ*. Ad eum videlicet modum, quo Adam præuaricatus eſt Dei mandatum exhibito ligni fructu per mulierem, ita obiectis ſenſibilibus appoſitis, decipiuntur ac interimuntur alij filij Adæ. Ita etiam Filius Dei ſimili modo, & eiſdem armis quibus vincebat hoſtis, & ipſe hoſtem deuicit ac profligauit; & tunc fuit quando nouus Adam, ſumpta carne ex noua & puriſſima Eua, Maria videlicet virgine, illaque Crucis virgæ applicata, hamo diuinitatis ſuæ illum (quod fieri non poſſe videbatur) cepit. *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Numquid pones circulum in manibus eius, aut armilla perforabis maxillam eius?* &c. dicitur apud Iob cap. 40, 20. Vtique: *in oculis* enim *eius quaſi hamo capiet eum, & in ſudibus perforabit nares eius*, dicitur ibidem verſ. 19. *Hamo crucis*, dicebat magnus ille Antonius, D. Athanaſio in Vita eius referente, *vt draco adunctatus à Domino eſt, & capiſtro ligatus vt iumentum, & quaſi mancipium fugitiuum vinctus circulo. & armillâ labia perforatus, nullum omnino fidelium deuorare permittitur.*

Sapientia Filij Dei in damnum debellandi.

Leuiathan diabolus recumbit Gregorium & alios Patres.

Illuſtris Dauidis victoria.

Et ex hoc mirè extollitur eius triumphus, ſicut olim in Dauide præfiguratum fuit, quando nimirum hic adoleſcens non gladio, nõ haſta aut clypeo, ſed quinque ſolùm lapidibus & baculo armatus, in nomine Domini ferum aggreſſus eſt Allophylum, percuſſit, & proprio ipſius gladio ſuperbam illius ceruicem amputauit, vt ſacra Regum docet hiſtoria; vnde & ille gladius, tamquam illuſtris victoriæ teſtimonium, diligenter in loco ſacro aſſeruatus fuit. Similiter, inquam, & noſtri Saluatoris de immani ac cruento hoſte victoria celeberrima & glorioſiſſima fuit, quia ijſdem armis Chriſtus eam comparauit, quibus antea hoſtis victor euaſerat, carne ſcilicet in ligno affixa. Hinc iubilo ingenti perfuſa ſancta mater Eccleſia, in Chriſti Domini laudem & diaboli improperium cecinit: *Qui in ligno vincebat, in ligno quoque vincetur*. Et lignum illud, vt maximè egregium & illuſtriſſimum victoriæ trophæum, ſeruatum eſt, & illius figura, vt nobiliſſimum tanti triumphi monumentum & vexillum, in vniuerſo orbe à Chriſti fidelibus extollitur. Per ipſum omnes ſaluantur ac ſanctificantur, ac ſub ipſo omnes diſperſi ad ſummum

Serpentis calliditas in primorum parentum tentatione.

Ducem

Ducem ac Regem glorificandum congregantur, quemadmodum in poſtremi myſterij explicatione veteris ac noui Teſtamenti teſtimonijs adhuc magis id ipſum comprobabitur. Et hoc in noſtra triangulari Cruce ſignificatur, vt innuimus.

Notauerat hoc ipſum myſterium eruditus Scriptor Iacobus Boſius in ſuo de Triumphanti Cruce egregio Opere lib. 1. cap. 4. de commiſſa Cruce verba faciens, vbi ſic habet: *Crux iſta ad formam litteræ* T: *compacta, duobus componebatur lignis; altero erecto, altero verò tranſuerſali; quæ in tres fines ſiue extremitates terminantia extendebantur. Quo profectò innui videbatur, ſecundam ſanctiſſimæ Trinitatis perſonam, quæ per erectum ſignificabatur lignum, aſſumpturam eſſe humanam naturam tranſuerſali ligno denotatam: atque in hoc ſacro ac prorſus admirabili trium acuminum triumq; capitum inſtrumento exaltata, redemptionis noſtræ myſterium operari debebat; ſubijciens ac ſubiugans excelſæ Maieſtati diuini Imperij ſui tria illa Regna, quæ innuere voluit Apoſtolus, cùm dixit: In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Quæ omnia, quia Chriſtus Dominus deuicturus erat, propterea mortem, mortiſq; inſtrumentum tanto myſterio aptiſſimum ſibi delegit. Nam in ſacro hoc inſtrumento altiùs ſubleuatus atque exaltatus, aëreas poteſtates vicit, & expoliauit; extendensq; hinc inde tota die manus ſuas ad populum non credentem, & contradicentem ſibi, terrenorum hominum iniquitates ac peccata deſtruxit. Ea verò Crucis extremitate, quæ humi erat infixa, debellauit & expoliauit infernum.*

Tertium, Chriſti orationis virtus.

Tertiò, commiſſa Cruce indicatur eximia virtus orationis Chriſti, eiuſdem nimia charitas & omnipotentia, quorum in Cruce pendens maxima exhibuit argumenta. Tria iſta myſteria indicauit ſanctus Ioannes Chryſoſtomus Homilia 2. in Symbol. Apoſt. *Magnum planè ſacramentum*, ait ſanctus Doctor, *hac figura declaratur. Nam ternis acuminibus, terniſq; extremitatibus ſuis, magnam altitudinem, magnam latitudinem, magnamq; Crucis profunditatem ſignificat. Magna erat Crucis altitudo, vt Chriſtus inde clamaret ac diceret: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Magna erat latitudo, quoniam maiorem charitatem nemo habere poteſt, quam vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis. Magnaq; erat profunditas, vt Eccleſia ſancta ad Deum ipſum clamare poſſet: De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.*

Nolo in hoc triplici myſterio explicando multum immorari, pauca ſaltem ſubijciam de primo & tertio. Magnam habuiſſe ſemper efficaciam Chriſti orationem apud Patrem ſuum, non eſt dubio vertendum, ipſo Dei Filio & veritate dicente: *Scio quia ſemper me audis*, Ioannis 11, 42. & ipſe Pater reddita cælitus voce indicauit, inquiens: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*; Matth. 17, 5. Nihilominùs ſi conditionem orationis eius in cruce conſideremus, tot heroicis comitatam circumſtantijs; neceſſariò erit dicendum, debuiſſe altiùs aſcendere, ac efficaciùs æterni Patris aures penetrare. Omitto quòd fuerit perſonæ diuinæ ac Filij Dei, quia aliàs qnando orauit, ſemper quidem Dei Filius extitit; ſed quia operibus & nimia charitate & lacrymis aſſociata fuit, & *pro tranſgreſſoribus roganit*, vt dixit cap. 53, 12. Iſaias, hoc eſt pro parricidis Iudæis & interfectoribus ſuis, extenuans & excuſans eorum crimina æternis cruciatibus digna, dum dixit: *Pater, ignoſce illis*, &c. Nec parum iuuit, tunc quidem, quia & latro conuerſus fuit, alij compuncti, ac plures vera fide illuminati; ac poſteà debita Iudæis pœna dilata fuit vltra quadraginta annos, donec Ieroſolymitana ciuitas per Romanos caperetur & deleretur, vt eo interim tempore pœnitentiam agerent, & à Deo de commiſſis veniam impetrarent. Denique profuit alijs, qui prædicationibus Apoſtolorum & virorum Apoſtolicorum conuerſi fuerunt, vt docent ſancti Patres. ideò S. Paulus de eo ita dixit: *Cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia*, Hebr. 5, 7. Sed de his alibi Deo fauente.

Quartum, Chriſti charitas.

Nimiam denique charitatem per iſtam figuram Crucis oſtendit, quia propriam vitam & ſanguinem profudit, non tantùm pro amicis, ſed etiam pro inimicis, vt amicos eos faceret, à crimine purgaret, & cæleſti viuificaret ac dealbaret gratia, multò ſanè nitidiùs, quàm pullos ſuos proprij ſanguinis vitâ donet pellicanus. Vnde meritò Chriſtus in Cruce à Propheta & Patribus pellicano comparatus fuit. D. Gregorius in Explanatione ſuper ſeptem Pſalmos pœnitentiales, ſuper illa verba Pſalmi quarti pœnitentialis, *Similis factus ſum pellicano*, &c. ita ad intentum ſcribit: *Ferunt Philoſophi, quòd pellicanus filios ſuos ſtatim vt nati ſunt, interficit, poſteà verò mater ſe ipſam vulnerat, eoſq; ſanguine ſuo reſuſcitat. Quis verò Pater noſter & mater, niſi mediator Dei & hominum, qui occidit in nobis omnem iniquitatem, vt meliorem inueniamus reſurrectionem?* Idem refert S. Auguſtinus in eadem Pſalmœdi verba, vbi eam ob cauſam facit Chriſtum loqui illis verbis, *Similis factus ſum pellicano*. Ceterùm, vt dixi, excedit Chriſti charitas erga peccatores na-

Chriſtus cur pellicano comparetur.

Digitized by Google

turalem pellicani in filios ſuos amorem, quandoquidem pellicanus occiſos à ſe filios proprio viuificat ſanguine, ſed Chriſtus peccatores, qui ſuis criminibus in proprium deſæuierunt auctorem, ſibimetipſis crucifigentes Filium Dei, vt dixit S. Paulus, & nihilominùs ex nimia charitate ſua *languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus*, dixit Iſaias cap. 53, 4.

Quintum myſterium, diuina virtus & fortitudo.

Oſtendit denique immenſam ſuam virtutem & fortitudinem, dum non humana temporaliſque potentia expulit dæmonem de mundo, peccatores eius ſpolia diripuit ac ſibi ſubiugauit, Eccleſiam fundauit, Regnum ſuum dilatauit; ſed contemptibili crucis ligno. *Domuit* enim *orbem non ferro, ſed ligno*, vt dixit Auguſtinus, & in morte ab omnibus, & ab ipſo Patre ſuo in manibus peccatorum derelictus fuit; & qui omnia reliquerat, *crucem ſibi reſeruauit*, vt dixit S. Ambroſius, tamquam ſui Regni ſceptrum, & ſuæ poteſtatis inſigne. Auſim dicere, maiorem in paſſione quàm in creatione virtutem ac potentiam eum oſtentaſſe. Etenim in creatione ſuâ quidem omnipotentiâ & mandato, cui nõn eſt qui poſſit reſiſtere, dedit omnibus creatis naturale eſſe. *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt*, dixit Regius Vates Pſ. 32, 9. Et iterùm: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*, Pſalmo 36, 6. Sed in paſſione clauis cruci affixus, omnibusque illi contradicentibus, dedit nihilominùs intellectuali creaturæ ſpirituale ac diuinum eſſe, quod eſt naturali longè dignius ac præſtantius.

Maior virtus in paſſione quàm in creatione oſtenſa.

Inter alia autem, quibus quod aſſumpſimus explicari poſſet, ſufficiat vnica figura, & vnius Prophetæ teſtimonium. Figura eſt in libri Iudicum capite 7. Scribit S. Auguſtinus, litteram Tau apud Græcos ſignificaſſe trecentum, ideoque Gedeonem, intellecto ac præuiſo hoc myſterio, cum inuaſurus eſſet Madianitas, exquiſitiſſimo militum delectu primùm habito, pro conflictu ac prælio illo trecentos viros tantummodò ſibi adſciuiſſe; vt innueret, mundum non in viribus numeroſæ multitudinis ab impetu atque oppreſſione immanium hoſtium, ſed per Crucis ſacramentum liberandum fore, quemadmodum Iudaicus populus liberandus erat de manibus Madianitarum, & ipſi Madianitæ debellandi erant non humana, ſed diuina virtute. Quin ipſe Gedeon iuſſu Domini viros illos ex innumeris, quos ſecum habebat, delegit, ſicut ſequentia Domini verba indicant: *Multus tecum eſt populus, nec tradetur Madian in manus eius, ne glorietur contra me Iſraël, & dicat: Meis viribus liberatus ſum*, &c. Iudicum 7, 2. *In trecentis viris liberabo vos, & tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo reuertatur in locum ſuum*, verſ. 7. Verba verò D. Auguſtini hæc ſunt, & habentur in Sermone Feriæ 2. poſt Dominicam Paſſionis: *Præuidens myſterium ſanctus Gedeon, denique elegit trecentos viros ad prælium, vt oſtenderet, non in numero multitudinis, ſed in ſacramento Crucis mundum ab incurſu grauium hoſtium liberandum. Trecenti enim in Græco Tau ſimilitudinem Crucis oſtendunt.* Idem ſcripſit S. Paulinus Nolanus Epiſcopus, aſſerens, Chriſtum non in multitudine copiarum, aut legionum robore debellaſſe proſtrauiſſeque aduerſarios principes, dæmones ſcilicet, principes ac rectores tenebrarum, ſed in ſacramento Crucis, cuius figura trecentorum numero per Tau Græcam litteram repræſentatur exprimiturque. *Sicut ille*, inquit Paulinus, *non multitudine, nec virtute legionum, ſed iam tunc in ſacramento Crucis, cuius figura per litteram Græcam Tau numero trecentorum exprimitur, aduerſarios principes debellauit.*

Tau littera ſignificauit.

Propheta ſit ſanctus Rex Dauid. Hic ſæpiùs hoc teſtatum reliquit, & in primis in Pſalmo 95, 10. vbi Vulgata habet, *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit*, Septuaginta tranſtulerunt, *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno*. Sic enim apud Septuaginta legerunt Iuſtinus Dialogo aduerſus Tryphonem; qui probat ſic etiam fuiſſe Hebraicè: ſed illud *à ligno* expunctum fuiſſe à Iudæis, affirmant Tertullianus lib. 3. aduerſus Marcionem, & libro aduerſus Iudæos; D. Ambroſius in cap. 15. primæ Epiſtolæ ad Corinthios, D. Auguſtinus in Pſalmum 95. Arnobius, Caſſiodorus, & alij, atque eamdem lectionem retinet Eccleſia & Breuiarium Romanum, nec in dubium reuocari poteſt, etſi Iudæi verba illa abraſerint, ſicut & alia ſuſtuleruntquæ fauere Chriſtianis nouerunt, vt dixit S. Hieronymus in cap. 5. Michææ, & in Epiſtolæ ad Galatas cap. 3. Secundò in Pſalmi nonageſimi ſecundi inſcriptione, quæ ſic habet: *Laus Cantici ipſi Dauid in die ante ſabbatum, quando fundata eſt terra.* Etenim in Paraſceue ſabbati occiſus eſt Chriſtus, fundataque eſt Eccleſia. Et hæc eſt expoſitio Hugonis Cardinalis ſuper eum Pſalmum. Tunc verò Pſalmus incipit, *Dominus regnauit, decorem indutus eſt*; vt exploratum omnibus eſſet, Chriſti Regnum

Chriſti Regnum ex paſſione ortum habuit.

Digitized by Google

Regnum ex paſſione, quam pertulit ante ſabbatum, ortum habuiſſe. Denique Pſalmo 77, 54. *Induxit eos in montem ſanctificationis ſuæ, montem quem acquiſiuit dextera eius.* Dextera enim ſua Chriſtus, id eſt fortitudine, quam in paſſione demonſtrauit, Eccleſiæ Regnum ſibi acquiſiuit. Quem locum interpretatus videtur D. Petrus, dum Eccleſiam appellat *Populum acquiſitionis*, 1. Petri 2, 9. Et Actor. 20, 28. *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit Sanguine ſuo.* Vnde eſt illud Pauli ad Hebræos cap. 2, 9. *Eum, qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum, propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum:* quod multò ante prædixerat Regius Vates illis verbis Pſalmo 8, 9. *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis* (in paſſione videlicet) tunc ſubiungitur: *Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Et ita quod aſſumpſimus luculenter comprobatum eſt. Ex hiſce poſterioribus Prophetæ verbis iam amplius colligo abſolutum ac perfectiſſimum dominium, quod per paſſionem ſuam obtinuit ſuper omnes creaturas Chriſtus Dominus.

Paſſione abſolutum ſibi dominium comparauit Chriſtus.

Ad huius corollarij intellectum ſciendum, quòd quamuis (nemine contradicente) Chriſtus Dominus, vtpote Dei Filius, habeat abſolutum perfectumque dominium ſpirituale ac temporale in vniuerſo mundo, quia eiuſdem eſt naturæ cum Patre, cui omnia tradita ſunt à Patre ſuo, vt ipſemet dixit; verumtamen controuertatur, an habuerit idem dominium quatenus filius hominis eſt: & ſi habuit, quando, & quo titulo.

Chriſtus vt homo abſolutus Dominus, etſi dominium non exercuerit.

Et breuiter reſpondendo, ad primam quæſtionem dici poteſt, fuiſſe abſolutè quidem Dominum vt filius hominis eſt, & quà talem ab Angelis videri denuntiatum, à paſtoribus, Magis, ac alijs cognitũ, vt indicant nonnulla quæ dicemus dum reſpõdebimus ad tertiam quæſtionem; verùm dominium non exercuiſſe: nam ipſe dixit: *Non miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*, Ioan. 3, 17. Et iterum ad Pilatum: *Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem Regnum meum non eſt de hoc mundo*, Ioan. 18, 36. *Nunc* dixit, quia illo tempore in vita mortali abſoluta ſua poteſtate vti noluit; ſed humilis ac manſuetus venit, iudicioq; hominum impiorum ſubijci voluit.

Ad ſecundam quæſtionem, quando Chriſtus dictum abſolutum dominium acceperit & exercuerit, dico abſque hæſitatione, Poſt mortem & reſurrectionem. Dixit hoc æternus Pater ad Filium ſuum, quem Dauid Pſalmo 109, 3. illum ita introducit alloquentem: *Tecum principium in die virtutis tuæ.* vbi principij nomine ad litteram Chriſti principatum & imperium intellexerunt Tertullianus aduerſus Hermogenem, D. Baſilius Homilia 10. in Hexaëmeron, & Euthymius, hoc ſenſu, *Tecum principatus & imperium in die potentiæ tuæ, cum ſplendoribus ſanctitatum.* Per quem diem Tertullianus tempus illud intelligit, quo Chriſtus poſt reſurrectionem cœpit regnare. Dixit hoc & ipſemet Chriſtus, *Data eſt*, inquiens, *mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, Matth. 28, 18. Hinc factum eſt, quòd cùm ipſe poſt mortem glorioſus ſurrexiſſet, nec expediret immortalem inter mortales degere, ſuas vices quoad ſpiritualia Apoſtolis commiſerit, dum illis dixit, *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, Ioan. 20, 22. Et ſingulariter Petro, quem ſupremũ caput Eccleſiæ inſtituit, quando ei ſemel & iterũm dixit: *Paſce agnos meos*, Ioan. 21, 15. Sæculares etiam Principes ſunt miniſtri iuſtitiæ diuinæ *in vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*, vt præter Apoſtolum Paulum ex Petro 1. Epiſt. 2, 14. edocemur. *Vnuſquiſque eſt miniſter Chriſti, vnde eſt miniſter & Chriſtus*, inquit Auguſtinus Tractatu 51. in Ioannem. Vnde vere per Sapientem de Eccleſiaſticis ac ſæcularibus Principibus dixit Dominus: *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam*, Prou. 8, 15. Quare poſt Chriſti reſurrectionem optima ratione ſeruandum eſſet decretum illud Auguſti Cæſaris, quod refert Angelicus Doctor libro 3. de Regimine Princip. cap. 14. Hic Imperator (& quidem non ſine diuino inſtinctu) mandauit poſt Chriſtum natum, ne quis de populo Romano ipſum Dominum appellaret, quòd Chriſti Prorex eſſet, eiuſque vices gereret in Imperio, quatuordecim annis toto orbe terrarum ſubacto. Hinc omnes Pontifices, Reges ac Principes, quicumque illi ſint, ſerui & miniſtri appellantur, quia vnus ſolus verus & abſolutus eſt Dominus Ieſus Chriſtus.

Chriſtus poſt reſurrectionem dominium exercuit.

Auguſti Cæſaris notabile decretum.

Omnes Principes, Chriſti miniſtri.

Ad tertiam quæſtionem, qua ratione ac titulo debitum eſſet Chriſto abſolutum dominium, vt eſſet totius mundi Monarcha, Reſpondetur, Primò ratione vnionis hypoſtaticæ, quia verus ac naturalis Dei Filius, cui omne imperium debebatur, & hac ratione debebatur illi hoc dominium

Chriſtus eſt Dominus, Primò, quia Filius Dei.

ſtatim poſt incarnationem, quia tunc Filius Dei erat. Secundò, ex dono Patris. ita S. Antoninus 3. part. tit. 3. cap. 2. Almainus de Poteſtate Eccleſiæ cap. 8. Paulus Burgenſis in Additionibus ad cap. 1. Matthæi, & S. Thomas lib. 3. de Regimin. Princip. cap. 13. Tertiò, ratione meriti & paſſionis ſuæ, quod glorioſius eſt. Indicauerat hoc in primis Propheta Regius illis verbis Pſal. 73, 2. *Redemiſti virgam hereditatis tuæ*: vbi per virgam, ſceptrum intelligendum eſt, hoc ſenſu, Regnum tuum, ſiue ſceptrum Regni tui tibi debitum, quia Dei Filius es, & ex dono Patris, fraude tamen ac tyrannide à dæmone propter peccatum vſurpatum, iterùm aſſeruiſti & vendicaſti per paſſionem, qua humanum genus redemiſti..

Secundò, ex dono Patris.

Tertiò, ex merito paſſionis.

Et idem Propheta, poſtquam Pſal. 2, 6. in Chriſti perſona gratuitò acceptum à Patre Regnum ita explicuiſſet, *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius*, ſtatim verſu 7. ad intentum ſubiungit: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*, &c. Hic ſupponendum, generationis appellatione intelligi reſurrectionem, quemadmodum accepit Saluator, cùm dixit: *In regeneratione cùm ſederit Filius hominis*, Matt. 19, 28. &c. Et ſanè in tali ſenſu intellexit illum locum S. Paulus in Actis Apoſtolorum, dicens: *Nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt, quoniam hanc Deus adimpleuit filijs veſtris reſuſcitans Ieſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus eſt tu: ego hodie genui te*, Act. 13, 33. Et ita etiam intellexerunt D. Ambroſius lib. 3. de Sacramentis, Hilarius in Pſalm. 2. & Chryſoſtomus. Hoc ſuppoſito, arbitror ſic Patrem dicere voluiſſe: O mi Fili, tibi quidem totius orbis debitum eſt imperium, omnes gentes, imò omnes creaturæ quæ in cælo, in terra, & ſubtus terram ſunt, genu tibi tamquam ſupremo Monarchæ flectere debent, quoniam Filius & heres meus es, ſed illud tibi ab ingratis peccatoribus eſt negatum: verùm ex quo per mortem tuam mortem omnium ſuperaſti, iniquitates deleuiſti, & tenebrarum Principem profligaſti, iterùm debetur tibi idem regnum, dabitur, poſſidebis, & non auferetur.

Generatio reſurrectionem ſignificat.

Prædixerat hoc ipſum Angelus Gabrieli ſacratiſſimæ Virgini Mariæ, dum de Filio quem paritura erat, dixit Lucæ 1, 32. *Dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid patris eius*, hoc eſt, Filius, quem Spiritu ſancto concipies, & virgo manens paries, Rex quidem erit, quia (vt eſt verſu 35.) *quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei*: ſed ſicut Dauid, qui licet Dei beneficio ac liberalitate fuerit Rex electus & vnctus, tamen illud non niſi viriliter pugnando ſibi comparauit, & poſtmodum dilatauit; ita Chriſtus, quem in incarnatione vnxit Deus Pater in Regem, ad Regni tamen perfectam poſſeſſionem non niſi pugnando & patiendo peruenit. Vnde Eccleſia dixit: *Mors & vita duello conſlixere mirando, dux vitæ mortuus regnat viuus.*

Vt Dauid pugnando, ita Chriſtus moriendo Regnum comparauit

Notauit hoc ipſum D. Paulus conceptis hiſce verbis: Chriſtus Ieſus *cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humilianit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine, Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*, Philippenſ. 2, 6. Oſtenſum hoc fuit Ioanni, qui & ipſe in Apocalypſi id notauit, quem tu vide; nos cetera proſequimur.

§. 3 *Reſerantur aliqua myſteria triangularis Crucis, quæ homines reſpiciunt.*

Hîc denique explicanda ſunt nonnulla myſteria, quæ & in commiſſa & triangulari cruce deliteſcere arbitramur, & homines ipſos reſpiciunt. Tria verò ſingulariſſima occurrunt. Primũ, quòd Crux iſta ſit noſtrum ſubſidium in neceſſitatibus; ſecundũ, quòd ſit vitæ ſymbolum; tertium, quòd Cruce iſta fideles erudiantur. Singula explicemus.

Tria myſteria trianguli Crucis.

Quantum ad primum, ſancta hæc Crux vnicum ſubſidium ac fulcrum eſt quo in ſpiritualibus ac corporalibus infirmitatibus ac laſſitudinibus ſe ſuſtentant fideles. Forma huius Crucis bellè hoc demonſtrat. Obſeruaui, quod & priùs adnotauerat Boſius libro 1. de Triumphanti Cruce, cap. 4. hanc noſtram Crucem formam atque imaginem referre fulcri ſiue baculi, cuius adminiculo manci, debiles atque infirmi, illud vel ſub axillis deferentes, vel pectore eidem innitentes, ſuffulti ſuſtentantur, viresque reſumunt, quod, vt Ioannes Goropius teſtatur, Cimbrica voce *crux* dicitur. In Hetruria *gruccia*, at in pleriſque locis Italiæ *crocia* appellatur. Ex cuius baculi denominatione atque officio apertè intelligere & clarè perſpicere poſſumus, Crucem illud verum fulcimentum eſſe, quod debilem, mancam, caducam atque proſtratam naturam noſtram

Primum eſt ſubſidium fidelium.

ſtram erigere, ſubleuare ac ſuſtentare debeat: ipſamque illam proculdubio eſſe ſolidum ac ſecurum ſuſtentaculum, firmum atque robuſtiſſimum baculum, cui fragilitas noſtra, ne cadat, néve in æternum præcipitium ruat, indefinenter & aſſiduè inniti debet.

Baculus Iacob Crucis figura.

Inter alia quæ hoc perſuadent, hæc dumtaxat accipe. Iacob ille Patriarcha magni Iſaac filius, vt furorem Eſau fratris ſui declinaret, dolens parentes ac patriam relinquens, peregrinus exteras petijt oras, & vnius baculi ſubſidio abijt ac redijt ad propria; vnde ſingulariter eiuſdem baculi meminit, dicens: *In baculo meo tranſiui Iordanem*, Geneſ. 32, 10. Nec immeritò, quoniam baculus ille figura fuit ſanctæ Crucis, vt docent ſancti Patres, in cuius virtute nos aduenæ debiles ac peregrini roboramur, erigimur ac ſuſtentamur in præſentis vitæ peregrinatione, quemadmodum & Chriſtus per Crucem exiuit ex hoc mundo ad Patrem & cæleſtem Ieruſalem. Vnde S. Beda in Quæſtion. ſup. Geneſ. Tom. 8. præmiſſa expendens verba inquit: *Chriſto conueniunt verba hæc, qui ſolus relictus in paſſione ſua, in baculo, id eſt, in Cruce tranſiuit Iordanem iſtum, id eſt, flumen tribulationum mundi huius, & flumen rapidiſſimum paſſionis & mortis, cuius aquæ intrauerunt vſque ad animam eius.* Similiter alij interpretati ſunt, & plura de hac figura Boſius libro 3. de Triumphanti Cruce, cap. 6. & lib. 5. cap. 8.

Sed amplius id ipſum indicauit idem Iacob. Hic morti cùm proximus eſſet, iamq; caligarent oculi eius, poſtquam petijſſet corpus ſuum deferri in Terram Chanaan; Ioſephque iureiurando ei pollicitus fuiſſet, ſe corpus eius in illa regione ſepulturæ mandaturum; *Quo iurante*, ſubdit ſacer Textus, *adorauit Iſraël Dominum, conuerſus ad lectuli caput*, Geneſ. 47, 31. Septuaginta Interpretes pro *ad lectuli caput*, dixerunt *virgam*. Hinc Apoſtolus ad Hebræos ſcribens, dicit: *Fide Iacob moriens, ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & adorauit faſtigium virgæ eius*, Hebræor. 11, 21. Ad quæ alludens S. Ioannes Damaſcenus lib. 4. Orthodoxæ fidei, cap. 12. appoſitè de Cruce fuit in hunc modum interpretatus: *Iacob adorans ſummitatem virgæ, alternatis cancellatiſq; manibus, filios Ioſeph benedicens, ſignum Crucis manifeſtiſſimè deſcripſit.* Illius Commentator pro clariori intelligentia hæc adiecit: *Eadem quoque Crux deſignata fuit per ſummitatem virgæ Ioſeph, quam adorauit Iacob. Verumtamen non virgam illam, quam manu geſtabat Ioſeph in ſignum poteſtatis traditæ ei à Pharaone in tota terra Aegypti, adorauit Iacob ſimpliciter, & ad nihil aliud referens; ſed in ea Crucem ſanctam adorauit, cuius myſterium oculis internis & Spiritu ſancto illuſtratis (etſi corporales eius caligarent oculi) cognouit, Chriſtumq; per Ioſeph ſanctum Patriarcham non obſcurè deſignatum veneratus eſt in Cruce (vt ſpiritus reuelatione didicerat) exaltandum. Porrò ſumptum eſt hoc exemplum de Iacob adorante faſtigium virgæ, ex capite* 11. *Epiſtolæ B. Pauli ad Hebræos, dicentis: Fide Iacob moriens ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & adorauit faſtigium virgæ eius. Et id quidem poſtremum videtur eſſe depromptum ex* 47. *cap. Geneſeos, vbi dicit littera, quòd adorauit Iſraël Dominum, conuerſus ad lectuli caput (quod nonnulli idcircò factum exiſtimant, quoniam id vocabulum, quod Hieronymus ad Hebraicam veritatem lectulum interpretatus eſt, Septuaginta interpretes virgam traduxerunt) idcircò ſacratiſſimæ Crucis figura*, &c.

Item virga Ioſeph.

Sed quid ſibi vult (vt magis ſcopum noſtrum explicemus) quòd id, quod Septuaginta & D. Paulus *virgam* nuncuparunt, Vulgatus *lectulum* appellarit? Dicerem, lecti metaphorâ, voluiſſe Vulgatum exprimere euidentiùs, illud idem quod Septuaginta & Paulus virgæ ſimilitudine. Iſti indicare voluerunt, S. Crucem eſſe defeſſis, debilibus ac infirmis fulcimentum ac ſubſidium, quo roborentur & fortificentur in corporalibus & ſpiritualibus infirmitatibus; ille autem lecti metaphorâ id ipſum ſignificauit. Et vt infirmo laſſoque nihil ſalubrius ac vtilius ad quieſcendum, vireſque reſumendas, quàm lectulus; ita nihil afflictis congruentius & commodius, quàm ſanctæ Crucis ſignum, in quo primò Chriſtus velut in lectulo quieſcens accubuit, ibique optatiſſimum mortis ſomnum cœpit. *Ego dormiui*, inquit, *& ſoporatus ſum*, Pſalmo 3, 6. & ad eius imitationem quilibet fidelis in ſuis neceſſitatibus obſeruat, dicendo: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam*, Pſalm. 4, 9. Atque ita Iacobo Patriarchæ in ſua illa graui ac vltima infirmitate, ſola crucis memoria fulcrum & lectus extitit, eum confortans ac roborans adeò, vt orationi, contemplationi, filiorumque myſterijs refertiſſimæ benedictioni vacare potuerit, ac lætus & in pace obdormierit. Hinc ab antiquo, vſque ad noſtra tempora, mos inoleuit, vt languentibus in infirmitatibus & mortis articulo, tamquam validiſſimum ſubſidium ac ſolatium, Chriſti Crux imprimatur, & oculis obijciatur, vt in ea faciant virtutem, & dolorum procelloſum mare transfretantes, læti ad æternum beatitudinis portum perueniant. *Eſt enim tanta vis Crucis Chriſti* (vt cum Origene loquar)

Crux Chriſto & fidelibus quietis lectulus.

Crux quæ-vt ægrotis ad lectum apponatur.

vt

De Cãtico, quod cantauit Moyses cum populo, & Maria cum mulieribus.

vt ſi ante oculos ponatur, & mente fideliter retineatur, ita vt ipſa mors Chriſti intentis oculis mentis aſpiciatur, nulla concupiſcentia, nulla libido, nullus furor, nulla ſuperare poſſit inuidia; ſed continuò ad eius præſentiam, totus ille, quem ſuprà numerauimus, peccati & carnis fugatur exercitus.

Solatium Dauidis.

Hæc eadem Crux ſiue memoria, vnicum fuit languenti Dauidi fulcimentum in ſuis infirmitatibus & anguſtijs. Fuit hic Rex à Deo tam eximijs affectus beneficijs, quàm quiuis alius; ſed illorum immemor, contra ipſum Dominum abuſus eſt, ideò maximis fuit obnoxius miſerijs, vt ipſius illæ querulæ indicant voces. *Adhæſit pauimento anima mea*, Pſalmo 118, 25. *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ*, Pſalm. 37, 6. *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum; ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Et anima mea turbata eſt valdè, ſed tu Domine vſquequò?* Pſal. 6, 3. ſed compatiens pœnitenti miſericors Dominus, adiutor in tribulationibus quæ eum nimis inuenerunt, dedit remedium, quo ille vſus, ab illis liberatus & confortatus fuit. Et hoc fuit ſancta Crux, ipſo dicente: *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*, Pſal. 22, 4. Nónne vides, explicare Prophetam hîc duas ſanctæ Crucis partes? Sunt in ea lignum erectum, ſymbolum diuinitatis Filij Dei, & hanc virgæ appellatione intelligere voluit; eſt & tranſuerſum ſuperpoſitum lignum, eiuſdem Saluatoris humanitatis ſignum, quod baculi nomine ſignificauit: his enim præmiſſo modo Tau & triangularis Crux, & infirmorum ac debilium fulcrum efformatur. Nec mea eſt hæc explicatio, ſed eam priùs indicauit Magnus Baſilius ad ea Pſalmi 22. verba, dicens: *Virga etenim infirmitatem meam corroborat, at hoc in viam rectam dirigit. Verùm haud procul à ſcopo aberrauerit quis, ſi ſalutiferam Crucem hiſce nominibus inſigniuerit: huius quippe ſignaculo & commemoratione ab hoſtibus liberati, in rectum tramitem reuocamur.* Et eadem ferè in eiſdem verbis replicauit Theodoretus. Voluit igitur clariùs dicere in hunc modum Regius Vates: O vnigenite Fili Dei, incarnatum Verbum, virga ſanctæ Crucis, in qua omnium ſalutem operatus es! ipſa me conſolata eſt in tot quibus premor anguſtijs, non ſecùs ac ſenes & debiles baculo & crucia fulciuntur. Virga enim & baculo eiuſdem ſanctæ Crucis tuæ, infirmitas atque imbecillitas mea, quaſi ſenis & claudi vacillantes greſſus roborati ſunt, atque ego velut ouis à recta via aberrans, ac per abrupta vagans, ad verum ſalutis iter reductus ſum. Hinc in S. Crucis Inuentione ad illius tactum mulier languens & ſemimortua, *repentè adapertis oculis conſurrexit, & ſtabilitate virium recepta, alacrior multò, quàm cùm ſana fuerat, tota domo diſcurrere, & magnificare Dei potentiam cœpit.* Ita Ruffinus Aquileienſis Hiſt. lib. 1. cap. 7. & 8.

Interiùs corroborat.

Et ex his ſingularem colligo noſtræ Crucis prærogatiuam, quòd non ſolùm exteriùs adiuuet, quod faciunt & alia fulcra; ſed ampliùs interiùs corroboret & vires addat, quod alijs negatur: alioquin interiùs & exteriùs afflictus Rex Dauid, Crucis beneficio conſolationem non percepiſſet. Inueniuntur ligna tam miræ virtutis, vt incurabiles alioqui & interni morbi inde ſanentur, & vires amiſſæ reparentur, vt ſatis conſtat. Vni ex his fulcrum ſanctæ Crucis comparandum eſt, & illi quidem quod in medio terreſtris paradiſi Deus plantauerat ab initio, cuius beneficio debilitata natura ex humidi radicalis per naturalem calorem conſumptione, corroborata adeò fuiſſet, vt in æternum incolumis viuere potuiſſet, ac ideò à Domino Deo *lignum vitæ* appellatum fuit. Ita deducunt Doctores ſacri ex illis Domini verbis: *Nunc ergo ne fortè mittat Adam manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum*, &c. Geneſ. 3, 22. Et propter eiuſmodi admirabiles effectus, quos mirabiliùs in homine interiùs & exterius, in animo & corpore operatur ſancta Crux, fuit in ligno vitæ præfigurata, vt ſancti Patres docent. Damaſcenus lib. 4. Orthodox. fid. cap. 12. *Pretioſam Crucem præfigurauit vitæ lignum, quod in paradiſo plantatum eſt à Deo. Nam poſteà quàm per lignum mors, oportebat per lignum donari vitam & reſurrectionem.* Cyrillus Alexandrinus idem hiſce confirmat lib. 8. in Ioan. cap. 17. *Hæc enim Crux eſt lignum vitæ, quod in medio paradiſi plantatum eſſe Scriptura commemorat: quia ab ipſa, viuifica nobis & vitalis medicina proceſſit.* Idem alij apud Boſium lib. 3. de Triumphante Cruce, cap. 1. Et ſancta mater Eccleſia, S. Crucis Exaltationis feſtum celebrans, ingenti perfuſa lætitia, ſic in laudem eiuſdem concinit: *Hæc eſt arbor dignißima, in paradiſi medio ſituata, in qua ſalutis auctor propria morte mortem omnium ſuperauit.* Et quid mirum, quòd ſanctam Crucem fulcrum appellauerimus, atque virtutem corroborandi corporis & animæ confractas vires habere dixerimus, cùm, vt ſtatim dicemus, virtutem defunctos reuocandi ad vitam habeat?

Secundum myſterium. Crux vitæ ſymbolum.

Secundò, ſymbolum eſt vitæ hæc ſancta triangularis Crux. Indicat hoc in primis lignum vitæ paradiſi, de quo nunc diximus. De iſto Crucis fructu dixit Ioël cap. 2, 22.

Lignum

Lignum attulit fructum ſuum. id eſt, lignum Crucis affert fructum ſuum, & Spiritus ſancti dona dulciſſima ſuam cunctis tribuent largitatem, vt diuus Hieronymus interpretatur.

Ad hæc, ſignum eſſe ſalutis, oſtenſum fuit Ezechieli à Domino, & ipſe oſtendit nobis; tuncque fuit, quando vidit ſex illos homines ad Ieroſolymæ ciuitatis populum interficiendum: in quorum medio vnus erat lineis indutus, & ſcriptoris atramentarium ad renes eius, cui Deus iniunxerat, vt tranſiens per mediam ciuitatem in medio Ieruſalem, ſignaret Tau ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus quæ fiebant in ea. Ceteris verò qui cum illo erant mandauit, vt ſequentes eum omnes occiderent, exceptis ſigno Tau obſignatis. Verba Prophetæ quæ hoc latiùs explicant, ſunt huiuſmodi: *Tranſi per mediam ciuitatem in medio Ieruſalem, & ſigna Tau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Et illis dixit, audiente me: Tranſite per ciuitatem ſequentes eum, & percutite: non parcat oculus veſter, neque miſereamini. Senem, adoleſcentulum, & virginem, paruulum, & mulieres, interficite, vſque ad internecionem: omnem autem, ſuper quem videritis Tau, ne occidatis: & à Sanctuario meo incipite.* Ezech. 9,4. Signum Tau fuiſſe figuram Crucis, anteà diximus, ſed clarè accipe propoſitum myſterium ex ſancto Cypriano & Origene. Cyprianus Teſtim. aduerſus Iudæos lib. 2. cap. 22. ita dicit: *Quòd in hoc ſigno Crucis ſalus ſit omnibus qui in frontibus notentur, apud Ezechielem dicit Deus.* Et apertiùs Origenes Homil. in Epiphania Domini. *Deinde in Ezechiele Propheta*, inquit, *cùm omnes qui miſſus fuerat Angelus occidiſſet, & interfectio cæpiſſet à Sanctis, illi tantummodò ſoſpites reſeruantur, quos Tau littera, id eſt, Crucis pictura ſignauerat.* Simile eſt quod vidit Archipropheta & Chriſti Cancellarius Ioannes. Audiuit ille Angelum clamantem, monentemque quatuor Angelos illos, quibus nocendi terræ ac mari poteſtas data fuerat, ne alicui nocerent, donec hoc vitali ſigno ſeruos magni Dei in frontibus eorum ſignaſſent, dicens: *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadùſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum*, Apoc. 7,3. Denique id ipſum præfigurabant poſtes ſiue valuæ oſtiorum apud Hebræos obſignati ſanguine agni, quem ijdem in Ægypto immolauerant: arcebatur enim ab illis Angelus percutiens, qui in alias Ægyptiorum ædes ſimiliter non ſignatas ingrediens, primogenitos ibi occidebat, vt in Exodo dicitur, & nos ſuprà notauimus. Poſteà in ſanctæ Crucis Saluatoris inuentione ad eiuſdem Crucis contactum fuit mortuus ad vitam reuocatus, vt inter alios tradunt ſanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus, Epiſt. 11. ad Seuerum Sulpitium Biturícéſem Archiepiſcopum, & hic idem Sulpitius Hiſtoriar. lib. 2. & nos de illius inuentione infrà Lib. v. cap. 1. opportuno loco agentes explicabimus. Hinc iam habemus, virtute huius feliciſſimi ſigni quemlibet, qui illo veracitet in fronte & corde conſignatus fuerit, ab æterna morte fore ſeruandum, & rapaciſſimas ſatanæ vngulas euaſurum.

Huius figura Tau Ezechielis.

Ignis ministrans quo fides Innocentium fuit.

Tertiò tandem dico, triangularem Crucem ſymbolum eſſe perfectæ cognitionis Chriſtianæ religionis. Hoc in primis mihi perſuadet illius forma, quæ, vt in præcedentibus vidimus, littera eſt cùm apud Hebræos, tum apud Græcos & Latinos, quia eſt Tau Hebraicum & Græcum, & T. Latinum, quaſi apud prædictas præcipuas nationes, in quibus ſapientia & litteræ floruerunt, ſit hæc noſtra Crux ipſiſſimamet littera & ſcientia. Et ſuperiùs vidimus, præcipua noſtræ ſalutis myſteria Trinitatis & Incarnationis in commiſſa contineri Cruce.

Tertium, eſt perfectæ cognitionis ſymbolum.

Cùm aliquandò Chriſtus Dominus de præcipuis noſtræ fidei myſterijs cum Nicodemo legis magiſtro diſſerüiſſet, vtputa de ſpirituali regeneratione facienda per Baptiſmum, de Spiritus ſancti illuſtratione, de vnione impaſſibilis Dei cum paſſibili homine, & eiuſdem gloria, & ille non intellexiſſet, ſui exaltationis in cruce ſtatum ſubiunxit, dicens: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*, Ioan. 3,14. quaſi obijciens librum apertum magnis ac diſtinctis characteribus exaratum, in quo clarè ac diſtinctè videri poſſent noſtræ fidei anteà obſcura myſteria, in quibus credentes ſalutem conſequerentur æternam.

Crucifixus liber apertus.

Sed adhuc manifeſtiùs, cùm aliquando egregia de ſe dixiſſet Iudæis, & ſingulariter quòd eſſet verus ac naturalis Dei Filius, non tamen tam clarè loquentem intelligerent (*Et non cognouerunt, quia Patrem eius dicebat Deum*, inquit Ioannes cap. 8,27.) *dixit eis Ieſus: Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum*, verſ. 28. Ac ſi dixiſſet, Modò non me cognoſcitis de cathedra docentē, cognoſcetis poſteà in Cruce patientem, ſi volueritis, & corda veſtra non obdurauerit is. Et ita in multis accidit, vt liquet ex Euangelica hiſtoria.

Futuram Crucem, ſiue Chriſtum in ea pendentem, apertum librum myſteriorum noſtræ fidei, prædixerat Propheta Habacuc,

&

& Archipropheta Ioannes vidit manifestè. Ille quidem, dum Deum se alloquentem ita introducit c. 2, 2. *Scribe visum, & explana eum super tabulas, vt percurrat qui legerit eum*, seu vt Septuaginta transtulerunt, *vt persequatur, qui legit in ea*: quo loco præcipit Deus Prophetæ vt scribat librum maiusculis characteribus, illumque in tabulis explicet, vt qui legent, non hæreat, sed facilè percurrat scripturam, & prosequatur, id est, continuet absque vlla cunctatione: qui liber super tabulas explicatus, Christus est in cruce extensus (asserunt aliqui, quoniam, secundùm Glossam, ibi est sermo de Christo Domino) maiusculis litteris conscriptus, id est, quàm maximis & clarissimis virtutum exemplis, vt nemo in eis perlegendis possit hærere, sed, si velit, facilè lectionem prosequatur, & inde sibi viuendi normam possit accipere. Hunc sensum reddidisse videtur Paraphrastes Chaldaicus dum ita transtulit: *Scribe prophetiam, & explana eam in libro legis, vt festinet ad sapientiam assequendam quicumque legerit in ea.* vbi per *librum legis*, Christus accipiendus est, qui cum Patre loquens, ait: *Et legem tuam in medio cordis mei*, Psal. 39, 9. & D. Paulus dixit in eo esse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei. Qui cùm anteà ferè obsignati clausique essent, per crucem reserati adeò sunt, vt omnes possint fieri illorum participes, & docibiles Dei, vt aliàs Propheta prædixerat.

Christus est liber maioribus characteribus conscriptus.

Liber legis.

Iste verò, id est, Ioannes, vidit quemdam librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem, quem æternus Pater sedens in throno dextera tenebat, & nullus in vniuerso mundo inuentus fuit, qui illum ne dicam aperire, sed nec aspicere potuerit, hoc solum Agno occiso fuit concessum, vt pluribus explicat in sua Apocalypsi Ioannes. Et cùm Agnus ille absque dubitatione sit Christus Dominus, quid significat ille liber quem aperuit? Omissis alijs interpretationibus, dico cum bonis Auctoribus, D. Bernardo, S. Vincentio Ferratiense, Seraphino, alijs, ipsummet Christum repræsentare, qui ante passionem suam adeò signatus fuit, vt Salomon ille sapientissimus, nomen eius se ignorare confessus sit, & Euangelicus Vates Deum absconditum appellauerit: in passione tamen ita apertus, ita manifestus euasit, vt non solùm nomen, sed eiusdem abscondita mysteria patefacta sint ipsis paruulis & simplicibus. Nec difficile videatur, asserere, eumdem esse Agnum & librum, aperientem & apertum; hoc enim non inconuenit secundùm diuersam considerationem, secundùm quam etiam dicitur Sacerdos & hostia, sacrificans & sacrificium, ideò alibi ipsemet Ioannes dixit: *Vnigenitus qui est in sinu Patris ipse enarrauit*, Ioan. 1, 18. Occisus Agnus aperuit librum, & enarrauit nostræ fidei mysteria, per mortem inquam & passionem suam. Considera visionem illam Ioannis, nam facit ad intentum mirabiliter.

Apertus, & aperiens.

Ex dictis arbitror deduci responsionem ad quamdam difficultatem, qua etiam præmissa magis confirmantur. Scribit S. Ioannes, quòd circa cuiusdam festiuitatis tempus ambularet Iesus in Galilæa, & non in Iudæa, quia volebant eum Iudæi interficere. Hoc videntes fratres, id est, propinqui eius, dixerunt ad eum: *Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palàm esse: Si hæc facis, manifesta teipsum mundo*, Ioan. 7, 3. Non acquieuit illorum petitioni, & rationem adducens, dixit: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est*, vers. 8. Res sanè mirabilis, Christus anteà tot fecerat signa & prodigia, vt illius fama euulgata fuerit non solùm apud discipulos & domesticos in Iudæa, sed etiam apud exteros & Gentiles in Syria: vnde ex omnibus partibus cuiusque conditionis viri & mulieres propter signa quæ faciebat, sequebantur eum, & Regem aliquando facere voluerunt, vt docent Euangelistæ, & pluribus in suis Annalibus explicat Cardinalis Baronius; & tamen nunc, ac si nulla feciſſet, non retistendo illorum dictis, sed dicendo tempus suum nondum aduenisse, illud magis confirmasse videtur. Quid est hoc? Optima responsio Saluatoris, non iuxta stultam suorum conterraneorum petitionem, sed secundùm infinitam sapientiam suam. Iam fecerat absque dubio Christus talia prodigia, quibus sufficienter quilibet adduci potuit, etsi obstinatus, ad illum tamquam verum Messiam & Dei Filium suscipiendum: vnde quòd illum haud susceperint Iudæi, inexcusabiles erunt; vt non semel idem Christus eisdem dixit. *Opera*, inquit, *quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me*, Ioan. 10, 25. &: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi*, vers. 37. &: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, &c. cap. 15, 24. Nihilominùs quia omnia illa, respectu illorum quæ in cruce facere debebat, multò erant illustriora, & ad instruendum efficaciora, quæque præcedentia suo splendore adeò obscurare debebant, vt prodigia, etsi magna fuerint, non apparerent; non reiecit illorum dictum, sed dixit, tempus suum

Iudæi incredulitatis suæ excusabiles.

illa

illi faciendi, id eſt mortis, quod alibi horam ſuam appellauit, nondum aduentaſſe: eo enim tempore talia facturus erat, vt, vellent nolent, illum cognoſcere compellerentur, iuxta illud anteà citatum. *Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum*, Ioan. 8, 28. Simile hoc eſt illi, quod aliquando dixit Scribis ac Phariſæis, quærentibus ab eo ſignum, poſtquam innumera feciſſet, ac ſi vere ſigna illa haud fuiſſent: *Generatio mala & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*, Matth. 12, 39. Ecce quomodo promittit ſe daturum ſignum, & omnium ſignorum excellentiſſimum, mortis & reſurrectionis ſuæ, quo, ſi vellent, poſſent illum clarè cognoſcere, & abſque hæſitatione vt expectatum Saluatorem ſuſcipere.

Signum Iudæis datum Christus mortuus & resuscitatus.

Atque ex dictis manifeſtè apparet, quomodo noſtra commiſſa Crux cognitionis & ſcientiæ ſymbolum ſit, per quam in ſublimium noſtræ Religionis ſacramentorum cognitionem venimus. Quamuis verò hæc ſufficere abundè videantur pro explicatione myſteriorum Crucis triangularis, quæ nos reſpiciunt, tamen non inucundum futurum Lectori arbitror, ſi pro eorumdem maiori confirmatione, & coronide aſſumpti argumenti dictæ Crucis, explicem figuram magni illius Abbatis, ac multorum Monachorum Patris Antonij, partim ex ijs quæ alij tradiderunt, partim ex ijs quæ nos excogitauimus. In primis pingitur S. Antonius cum Cruce non ſolùm in manu, ſed etiam in penula, non quadrangulari, & cum titulo quem illi in ſuperiori parte affixit Pilatus, cùm plerique alij Sancti cum quadrangula pingi ſoleant, ſed cum triangulari, & Tau, quæ appellatur communiter Tau S. Antonij. Deinde pingitur cum libro, tertiò cum campanili, quartò cum igne, quintò denique cum porco ad eius pedes.

Pictura S. Antonij Abbatis cum eiusdem explicatione.

Primò cum cruce depingitur S. Antonius, quoniam Cruce fortiter reſtitit dæmonum inſultibus, inquit Ioannes Molanus de Hiſtor. ſacrarum imag. lib. 3. cap. 5. Athanaſius enim, qui illius admirabilem Vitam ſcripſit, refert eum dæmonibus dixiſſe: *Cur fruſtrà nitimini? ſignum enim Crucis & fides ad Dominum inexpugnabilis nobis murus eſt.* Legitur etiam apud eumdem Athanaſium pulcherrimus eius de Cruce ſermo ad Philoſophos, quibus etiam præſentibus vitali ſigno Crucis dæmones expulit: &, Hieronymo teſte in Vita Pauli primi eremitæ, videns hominem equo mixtum, id eſt, hippocentaurum, ſalutaris impreſſione ſigni armabat frontem. Sunt etiam ipſius Antonij verba ad ſuos Monachos apud Athanaſium: *Cùm videritis dæmonum fallacias, tam vos quàm domos veſtras Crucis armate ſignaculo, & confeſtim ſoluentur in nihilum, quia metuunt illud trophæum, in quo Saluator æreas expolians poteſtates, eas fert oſtentui.* Quare autem non quadrangula, ſed triangula Crux illi detur, putat idem Auctor aut totam, aut præcipuam rationem eſſe, quòd Antonius fuerit Ægyptius, & apud Ægyptios Crux formam habuerit litteræ Tau ſiue triangularem. Goropius Becanus lib. 16. Hieroglyphicorum, apud Boſium lib. 5. de Triumphante Cruce c. 7. magis huius rationem explicat, quòd illud quidem factum ſit, quòd S. Antonius fuerit Ægyptius, & ea quæ de Tau ferebantur apud falſorum numinum ſacerdotes, ipſe hoc ſigno prælato doceret, vitam illam, quam venturam expectauerant, iam adeſſe; & ea, ſi modò vellent, perfrui licere. Igitur ex hoc habemus quòd priùs explicauimus, triangulam Crucem vitæ ſymbolum eſſe, quam adeſſe ſuo Tau indicat S. Antonius.

Lege Boſium lib. 6. cap. 5.

Triangulari, quia hæc vita ſymbolum.

Sed quare cum libro pingitur? Reſpondet citatus Molanus, eo ſignificari, ſanctum eum & perfectum Monachum ſine vlla ſcientia litterarum, Scripturas diuinas & memoriter audiendo tenuiſſe, & prudenter cogitando intellexiſſe, vt dicitur.

Cum libro, quia ſine litterario ſtudio doctus.

Cum tintinnabulo nonnumquam depingitur, vt arbitror, ad indicandam vigilantiam, qua ſibi commiſſum gregem regebat ac protegebat.

Cum tintinnabulo, propter eius vigilantiã.

Appingitur ei ignis, quia datum eſt ei patrocinium contra ignem infernalem. Hanc enim cauſam aſſignat D. Thomas Aquinas in 4. diſt. 49. inquit Molanus. eumque ſecutus Scaliger, ſcriptum reliquit:

Cum igne, quia ab infernali protegit incendio, & à peſte.

Magne pater, furuum defendas fortior hoſtem,
Siſq; metus duris ignibus igne tuo.

Quibus adijcio ſecundam & fortaſſis primariam cauſam, quòd multos liberet ab igne peſtis. Quò ſpectat Collecta multarum Eccleſiarum, quæ habet, quòd Deus concedat obtentu beati Antonij Confeſſoris ſui morbidum ignem extingui. Eamdem ob cauſam multis locis in oſtio domus appingitur, vt obtinere dignetur à Deo, ne peſtis eam domum inuadat. Addo, eſſe etiam aduocatum, vt à vero materiali igne protegamur.

Cum Cruce pingitur S. Antonius, quia eã hoſtes vincebat.

Denique pingitur cum porco, vt plebeij doceantur, animalia ſua eius interceſſione à malo præſeruari. Nam in huius beneficij implorationem ac proteſtationem, porcus

Cum porco, quia protector animalium

pleriſque locis alitur à communitate, quem nominant ſancti Antonij porcum, ait idem Molanus. Quia tamen iſta ratio poſſet habere difficultatem (etſi illi refragari non ſit animus) quare non potiùs appingatur aliud magis mundum honeſtumque animal, vt agnus, vel vitulus; ideò aliam addit rationem, quam poſteà referemus.

Adhuc cum triangula cruce depingitur, quia Monachorum Pater.

Ego duplici ratione opinor pingi ſanctum hunc Monachorum Patrem cum triangula cruce ſiue Tau in manu & penula. Primò, ad indicandum, fuiſſe S. Antonium inſignem Monachorum Patrem. Ad huius rationis intellectum ſciendum, quòd ſicut in Occidentali & Latina Eccleſia Patriarchæ, Epiſcopi & Abbates, pro inſigni ſuæ poteſtatis & muneris paſtoralis, baculum in ſummitate retortum, quem paſtoralem vocant, deferunt; ita in Orientali Eccleſia ijdem Præſules pro ſui officij ſigno portent baculum oblongum, in cuius ſummitate eſt alius breuis tranſuerſus, ex quibus conficitur crucia & T. Cùm itaque S. Antonius fuerit inſignis Abbas, & innumerabilium Monachorum Pater (plurima enim Monachorum Orientalium caterua S. Antonium tamquam anteſignanum & Patriarcham ſequitur) ideò cum illo T. ſuæ poteſtatis inſigni pingitur. Secundò ex noſtra mente depingitur cum T. & aliquando cum alijs memoratis inſignibus, ad indicandum tria ſuperiùs explicata myſteria, in triangulari Cruce adumbrata, quòd fuerit laſſitudinis fulcrum, vitæ ſymbolum, propriæ ſcientiæ liber, ac virtute illius obtinuerit alia quæ alijs additis ſignificantur. Verè, verè inquam, ſancto, atque ex aſſiduitate orandi defatigato ſemi fulcrum fuit Tau. Pro huius conſiderationis intellectu notandum, Monachos D. Antonij, & alios etiam Orientales, in ſuis Eccleſijs multas crucias ſiue fulcra habere, quibus in ſuis prolixis officijs vtuntur, pectore præſertim illis innitentes, vt pſallendi laborem ſufferre poſſint, & laſſo corpori aliquantiſper ſubueniatur. Itaque cùm ſanctus ille Monachorum Pater loco fulcri in ſuis orationibus crucià ſecundùm conſuetudinem & propter neceſſitatem vteretur, cum illa etiam pingitur.

Dices, hoc pacto nil dici particulare de ſancto Antonio, quod de alijs eiuſdem vel ſimilis inſtituti viris enuntiari non poſſit, atque adeò ita vt ille, ita iſtos cum Tau pingi debere, quod tamen non obſeruatur.

Et propter alia indicata myſteria.

Reſpondeo, quod commune eſt, ratione aliqua particulari alicui appropriari, vt anteà diximus de crucibus noſtrorum ſtemmatum: ita in propoſito, licet omnes indicati Monachi in ſuis Eccleſiaſticis Pſalmodijs dictis fulcris ſiue Tau vterentur, ſingulariter tamen appingitur S. Antonio, quia præ reliquis ille eo vtebatur, cùm in orationibus longior eſſet: dicitur enim in eius Vita, quòd *ſæpiſſimè in oratione pernoctabat*, in qua Crux erat ſpirituale adiumentum, quo excitabatur ad Chriſti paſſionem, & eiuſdem in Cruce orationem meditandam, eique pro corporali ſubſidio inſeruiebat.

Secundò, Tau illo indicabat, vitam ac viam ſalutis iam adeſſe, cuius typum dicta figura erat apud Ægyptios, inter quos conuerſabatur, vt diximus ex Goropio.

Tertiò, liber indicat ipſius in pſallendo aſſiduitatem virtute Crucis, qua etiam cæleſtium ſacramentorum cognitionem didicerat, & verbum Crucis quod pereuntibus ſtultitia eſt, vt dixit ſanctus Apoſtolus; ſibi verò ad vitam æternam electo fuiſſe Dei virtutem & ſapientiam, quemadmodum poſteà Angelicus Doctor, & Seraphicus, alijque ex Cruce doctiſſimi euaſerunt.

Denique igne & porco deſignatur impurus concupiſcentiæ ignis, & ipſemet gehennæ, nec non & infernales dæmones, qui Sancto varijs animalium formis apparebant, qui porco deſignari meritò poſſunt, propter illorum impuritatem, & quia, vt porcus in luto volutatur, turpia incolit loca, & dæmones in impuris conſcientijs & peccatorum ſordibus coinquinatis ſibique ſimilibus inhabitant. Hinc aliquando ad hoc indicandum fuerunt à Chriſto Domino miſſi in porcos. Et quando olim Arianorum Eccleſia Romæ Catholica conſecratione dedicabatur, porcus ex ea exijt inuiſibilis quidem, ſed qui omnes per quos tranſijt in admirationem commouebat. Quod idcircò, ait Gregorius lib. 3. Dial. cap. 30. diuina pietas oſtendit, vt cunctis pateſceret, quia de loco eodem immundus habitator exiret. Igitur vt indicaretur, ſanctum virum ardentes concupiſcentiæ faces, & inferni flammas Crucis virtute extinxiſſe, dæmoniſque inſultus ſuperaſſe (fuit enim dæmonibus tam formidoloſus, vt multi per Ægyptum ab illis agitati, inuocato nomine Antonij, liberarentur) propterea meritò ab antiquo vſque ad noſtra tempora cum igne & porco deſcriptus fuit S. Antonius. vnde Fratribus dicebat: *Mihi credite, pertimeſcit ſatanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, miſericordiam & humilitatem, maximè verò ardentem amorem in Chriſtum Dominum, cuius vnico ſanctiſſimæ Crucis ſigno debilitatus aufugit.* Et hanc de porco rationem addidit etiam Molanus. Alia tradit Boſius l. 1. c. 4. Nos porrò ad alia immiſſæ atque quadrangularis referanda ſacramenta accedamus.

Porcus impuritatis ſymbolum.

Crux concupiſcentias & gehennæ incendia extinguit.

In Vita S. Antonij.

CAPVT

CAPVT XXXIX.

De mysterijs in quadrangulari Cruce inuolutis.

MYsteria in sacra quadrangulari & immissa Cruce recondita, multa eaque illustrissima esse, non potest iusta ratione in dubium verti, quoniam hæc præcipua, quam triangularis figurat, & in qua Dominum pependisse, superiùs tamquam probabilius proposuimus. Igitur si tot sacramenta in præcedentibus deteximus in triangulari Cruce abscondita, quot delitescere credemus in quadrangula? Verùm non est in animo diutiùs in illorum inquisitione & explicatione immorari, quoniam plus æquo noster protraheretur sermo; præsertim quòd multa dixerimus de triangula, quorum non pauca quadrangulæ accommodari poterunt. Qui tamen plura videre desiderat, Doctores, qui ex instituto de sancta Cruce scripserunt, adeat. Ne tamen præcipuam in se ac nostrorum stemmatum Crucem silentio præterijsse videar, aliqua considerabo ad intentum ex vnica D. Pauli auctoritate, prout sacri Doctores eamdem interpretantur.

Gloria Dei & salutis animarum sollicitus Paulus.

Sanctus Paulus Apostolus Dei & hominum amantissimus, ac ideò omnes ad illum per sancta exercitia ducere satagens, quadam vice magna cum humilitate atque animi & corporis demissione rogauit Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt Ephesij, & in vniuersum fideles omnes (inter alia quæ illis desiderabat) in salutis nostræ mysterijs ad plenum instruerentur, & in eisdem abscondita mysteria penetrare possent. Id enim illa indicant ad Ephesios verba: *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi*, &c. *vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum*, Ephes. 3,14.

In his verbis sanctus Apostolus cum dimensionibus iungit differentias positionum: nam tres tantùm sunt dimensiones, longitudo, latitudo, crassities; altum verò & profundum respondent ipsi sursum & deorsum, quæ sunt differentiæ positionum. Crassum ergo hic resoluitur in altum, & profundum quasi in sua extrema. Itaque hæc quatuor iungenda & distinguenda sunt, non vti sunt in corpore, sed vti sunt in domo, vbi profundum sunt fundamenta, altum est tectum, longitudo est longius latus, vel paries, latitudo est breuius latus. Hoc supposito, quæro quid sanctus Apostolus nomine latitudinis, longitudinis, sublimitatis & profundi intellexerit.

Ita notat in hunc locum Cornelius à Lapide num. 96.

Respondetur, non vnum, sed plura eaque profunda & illustria subintelligenda esse mysteria. Fundatur responsio hæc primò in doctrina S. Augustini, asserentis, Scripturas sacras, cùm absque restrictione ac limitatione inueniuntur, generalissimè capiendas esse, quia auctor earum Spiritus sanctus vti amplissimum habet intellectum & conceptum, ita & locutionem. Vnde varios intendit sensus etiam litterales, si rei locoque conueniant, maximè si subordinati sint & connexi, omnesque in vnum quasi scopum conspirent & dirigantur. Secundò, quia in Iure habetur, priuilegium Principis latissimè esse accipiendum, & non distinguendum vel limitandum, vbi Princeps non limitat nec distinguit. Scriptura diuina est singulare summi Monarchæ Dei priuilegium in gratiam dilectæ Ecclesiæ suæ promulgatum: igitur si absolutum est, absolutè intelligi debet. Quare cùm Apostolus generatim & indeterminatè dicat, *quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum*, non explicans nec determinans cuius rei intelligat longitudinẽ, latitudinem, &c. multipliciter explicari potest, sicut de facto probabiliter sancti Patres & Ecclesiæ Doctores interpretantur. Nos hìc vnam ad intentum proponimus explicationem, nonnullas deinde alias indicabimus, quæ diffusè apud Doctores videri poterunt.

Scriptura quæ determinatè non loquitur, in ampliſſima ſignificatione accipienda eſt.

Quatuor illæ positiones intelliguntur de quadrangula Saluatoris nostri Cruce, vt præter recentiores docent S. Hieronymus, Beda, Anselmus, Augustinus pulcherrimè Serm. 7. de Verbis Apostoli, & Gregorius Nyssenus Orat. 1. de Resurrectione, vbi docet, Apostolum alludere ad quatuor cornua Crucis, summumque cornu dici altitudinem, imum dici profundum, & transuersum vnum dici longitudinem, alterum latitudinem. Sed quæ portendunt mysteria illæ dimensiones in Dominica Cruce? Plura, quæ partim ipsam sanctam Crucem, alia quæ Christum, & alia quæ nos homines respiciunt: nos pro singulis duo in medium proferemus.

Quatuor poſitiones, quatuor Crucis extremitates.

§. 1. *Mysteria in quadrangulari Cruce ipsam Crucem respicientia.*

Duo myſteria Crucem reſpicientia.

Quantum ad ea quę Crucem ipsam quadrangulam respiciunt, dicendum, significari illa forma & quatuor extremitatibus, S. Crucem in quatuor mundi plagas extendendam, & ex omnibus Milites Duci suo Christo sub se tamquam regio generalique vexillo colligendos. Dixerat hoc Isaias: *Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ*, Isaiæ 11,12. Et Spi-

Primum, in vniuerſum extendendam, & ſub ſe Milites colligendos.

Digitized by Google

turalem pellicani in filios ſuos amorem, quandoquidem pellicanus occiſos à ſe filios proprio viuificat ſanguine, ſed Chriſtus peccatores, qui ſuis criminibus in proprium deſæuierunt auctorem, ſibimetipſis crucifigentes Filium Dei, vt dixit S. Paulus, & nihilominùs ex nimia charitate ſua *languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus*, dixit Iſaias cap. 53, 4.

Quintum myſterium, diuina virtus & fortitudo.

Oſtendit denique immenſam ſuam virtutem & fortitudinem, dum non humana temporaliſque potentia expulit dæmonem de mundo, peccatores eius ſpolia diripuit ac ſibi ſubiugauit, Eccleſiam fundauit, Regnum ſuum dilatauit; ſed contemptibili crucis ligno. *Domuit* enim *orbem non ferro, ſed ligno*, vt dixit Auguſtinus, & in morte ab omnibus, & ab ipſo Patre ſuo in manibus peccatorum derelictus fuit; & qui omnia reliquerat, *crucem ſibi reſeruauit*, vt dixit S. Ambroſius, tamquam ſui Regni ſceptrum, & ſuæ poteſtatis inſigne. Auſim dicere, maiorem in paſſione quàm in creatione virtutem ac potentiam eum oſtentaſſe. Etenim in creatione ſuâ quidem omnipotentiâ & mandato, cui nõn eſt qui poſſit reſiſtere, dedit omnibus creatis naturale eſſe. *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt*, dixit Regius Vates Pſ. 32, 9. Et iterùm: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*, Pſalmo 36, 6. Sed in paſſione clauis cruci affixus, omnibusque illi contradicentibus, dedit nihilominùs intellectuali creaturæ ſpirituale ac diuinum eſſe, quod eſt naturali longè dignius ac præſtantius.

Maior virtus in paſſione quàm in creatione oſtenſa.

Inter alia autem, quibus quod aſſumpſimus explicari poſſet, ſufficiat vnica figura, & vnius Prophetæ teſtimonium. Figura eſt in libri Iudicum capite 7. Scribit S. Auguſtinus, litteram Tau apud Græcos ſignificaſſe trecentum, ideoque Gedeonem, intellecto ac præuiſo hoc myſterio, cum inuaſurus eſſet Madianitas, exquiſitiſſimo militum delectu primùm habito, pro conflictu ac prælio illo trecentos viros tantummodò ſibi adſciuiſſe, vt innueret, mundum non in viribus numeroſæ multitudinis ab impetu atque oppreſſione immanium hoſtium, ſed per Crucis ſacramentum liberandum fore, quemadmodum Iudaicus populus liberandus erat de manibus Madianitarum, & ipſi Madianitæ debellandi erant non humana, ſed diuina virtute. Quin ipſe Gedeon iuſſu Domini viros illos ex innumeris, quos ſecum habebat, delegit, ſicut ſequentia Domini verba indicant: *Multus tecum eſt populus, nec tradetur Madian in manus eius, ne glorietur contra me Iſraël, & dicat: Meis viribus liberatus ſum*, &c. Iudicum 7, 2. *In trecentis viris liberabo vos, & tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo reuertatur in locum ſuum*, verſ. 7. Verba verò D. Auguſtini hæc ſunt, & habentur in Sermone Feriæ 2. poſt Dominicam Paſſionis: *Præuidens myſterium ſanctus Gedeon, denique elegit trecentos viros ad prælium, vt oſtenderet, non in numero multitudinis, ſed in ſacramento Crucis mundum ab incurſu grauium hoſtium liberandum. Trecenti enim in Græco Tau ſimilitudinem Crucis oſtendunt.* Idem ſcripſit S. Paulinus Nolanus Epiſcopus, aſſerens, Chriſtum non in multitudine copiarum, aut legionum robore debellaſſe proſtrauiſſeque aduerſarios principes, dæmones ſcilicet, principes ac rectores tenebrarum, ſed in ſacramento Crucis, cuius figura trecentorum numero per Tau Græcam litteram repræſentatur exprimiturque. *Sicut ille*, inquit Paulinus, *non multitudine, nec virtute legionum, ſed iam tunc in ſacramento Crucis, cuius figura per litteram Græcam Tau numero trecentorum exprimitur, aduerſarios principes debellauit.*

Tau littera ſignificatio.

Propheta ſit ſanctus Rex Dauid. Hic ſæpiùs hoc teſtatum reliquit, & in primis in Pſalmo 95, 10. vbi Vulgata habet, *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit*, Septuaginta tranſtulerunt, *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno*. Sic enim apud Septuaginta legerunt Iuſtinus Dialogo aduerſus Tryphonem; qui probat ſic etiam fuiſſe Hebraicè: ſed illud *à ligno* expunctum fuiſſe à Iudæis, affirmant Tertullianus lib. 3. aduerſus Marcionem, & libro aduerſus Iudæos; D. Ambroſius in cap. 15. primæ Epiſtolæ ad Corinthios, D. Auguſtinus in Pſalmum 95. Arnobius, Caſſiodorus, & alij, atque eamdem lectionem retinet Eccleſia & Breuiarium Romanum, nec in dubium reuocari poteſt, etſi Iudæi verba illa abraſerint, ſicut & alia ſuſtulerunt quæ fauere Chriſtianis nouerunt, vt dixit S. Hieronymus in cap. 5. Michææ, & in Epiſtolæ ad Galatas cap. 3. Secundò in Pſalmi nonageſimi ſecundi inſcriptione, quæ ſic habet: *Laus Cantici ipſi Dauid in die ante ſabbatum, quando fundata eſt terra.* Etenim in Paraſceue ſabbati occiſus eſt Chriſtus, fundataque eſt Eccleſia. Et hæc eſt expoſitio Hugonis Cardinalis ſuper eum Pſalmum. Tunc verò Pſalmus incipit, *Dominus regnauit, decorem indutus eſt*; vt exploratum omnibus eſſet, Chriſti Regnum

Chriſti Regnum ex paſſione eorum habuit.

Digitized by Google

Regnum ex paſſione, quam pertulit ante ſabbatum, ortum habuiſſe. Denique Pſalmo 77, 54. *Induxit eos in montem ſanctificationis ſuæ, montem quem acquiſiuit dextera eius.* Dextera enim ſua Chriſtus, id eſt fortitudine, quam in paſſione demonſtrauit, Eccleſiæ Regnum ſibi acquiſiuit. Quem locum interpretatus videtur D. Petrus, dum Eccleſiam appellat *Populum acquiſitionis*, 1. Petri 2, 9. Et Actor. 20, 28. *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit Sanguine ſuo.* Vnde eſt illud Pauli ad Hebræos cap. 2, 9. *Eum, qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum, propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum*: quod multò ante prædixerat Regius Vates illis verbis Pſalmo 8, 9. *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis* (in paſſione videlicet) tunc ſubiungitur: *Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Et ita quod aſſumpſimus luculenter comprobatum eſt. Ex hiſce poſtenoribus Prophetæ verbis iam amplius colligo abſolutum ac perfectiſſimum dominium, quod per paſſionem ſuam obtinuit ſuper omnes creaturas Chriſtus Dominus.

Paſſione abſolutum ſibi dominium comparauit Chriſtus.

Ad huius corollarij intellectum ſciendum, quod quamuis (nemine contradicente) Chriſtus Dominus, vtpote Dei Filius, habeat abſolutum perfectumque dominium ſpirituale ac temporale in vniuerſo mundo, quia eiuſdem eſt naturæ cum Patre, cui omnia tradita ſunt à Patre ſuo, vt ipſemet dixit; verumtamen controuertatur, an habuerit idem dominium quatenus filius hominis eſt: & ſi habuit, quando, & quo titulo.

Chriſtus vt homo abſolutus Dominus, tamen dominium non exercuerit.

Et breuiter reſpondendo, ad primam quæſtionem dici poteſt, fuiſſe abſolutè quidem Dominum vt filius hominis eſt, & quà talem ab Angelis videri denuntiatum, à paſtoribus, Magis, ac alijs cognitũ, vt indicant nonnulla quæ dicemus dum reſpõdebimus ad tertiam quæſtionem; verùm dominium non exercuiſſe: nam ipſe dixit: *Non miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*, Ioan. 3, 17. Et iterùm ad Pilatum: *Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem Regnum meum non eſt de hoc mundo*, Ioan. 18, 36. *Nunc* dixit, quia illo tempore in vita mortali abſoluta ſua poteſtate vti noluit; ſed humilis ac manſuetus venit, iudicioq; hominum impiorum ſubijci voluit.

Ad ſecundam quæſtionem, quando Chriſtus dictum abſolutum dominium acceperit & exercuerit, dico abſque hæſitatione, Poſt mortem & reſurrectionem. Dixit hoc æternus Pater ad Filium ſuum, quem Dauid Pſalmo 109, 3. illum ita introducit alloquentem: *Tecum principium in die virtutis tuæ.* vbi principij nomine ad litteram Chriſti principatum & imperium intellexerunt Tertullianus aduerſus Hermogenem, D. Baſilius Homilia 10. in Hexaëmeron, & Euthymius, hoc ſenſu, *Tecum principatus & imperium in die potentiæ tuæ, cum ſplendoribus ſanctitatum.* Per quem diem Tertullianus tempus illud intelligit, quo Chriſtus poſt reſurrectionem cœpit regnare. Dixit hoc & ipſemet Chriſtus, *Data eſt*, inquiens, *mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, Matth. 28, 18. Hinc factum eſt, quòd cùm ipſe poſt mortem glorioſus ſurrexiſſet, nec expediret immortalem inter mortales degere, ſuas vices quoad ſpiritualia Apoſtolis commiſerit, dum illis dixit, *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, Ioan. 20, 22. Et ſingulariter Petro, quem ſupremũ caput Eccleſiæ inſtituit, quando ei ſemel & iterùm dixit: *Paſce agnos meos*, Ioan. 21, 15. Sæculares etiam Principes ſunt miniſtri iuſtitiæ diuinæ *in vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*, vt præter Apoſtolum Paulum ex Petro 1. Epiſt. 2, 14. edocemur. *Vnuſquiſque eſt miniſter Chriſti, vnde eſt miniſter & Chriſtus*, inquit Auguſtinus Tractatu 51. in Ioannem. Vnde verè per Sapientem de Eccleſiaſticis ac ſæcularibus Principibus dixit Dominus: *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam*, Prou. 8, 15. Quare poſt Chriſti reſurrectionem optima ratione ſeruandum eſſet decretum illud Auguſti Cæſaris, quod refert Angelicus Doctor libro 3. de Regimine Princip. cap. 14. Hic Imperator (& quidem non ſine diuino inſtinctu) mandauit poſt Chriſtum natum, ne quis de populo Romano ipſum Dominum appellaret, quòd Chriſti Prorex eſſet, eiuſque vices gereret in Imperio, quatuordecim annis toto orbe terrarum ſubacto. Hinc omnes Pontifices, Reges ac Principes, quicumque illi ſint, ſerui & miniſtri appellantur, quia vnus ſolus verus & abſolutus eſt Dominus Ieſus Chriſtus.

Chriſtus poſt reſurrectionem dominium exercuit.

Auguſti Cæſaris notabile decretum.

Omnes Principes, Chriſti miniſtri.

Ad tertiam quæſtionem, qua ratione ac titulo debitum eſſet Chriſto abſolutum dominium, vt eſſet totius mundi Monarcha, Reſpondetur, Primò ratione vnionis hypoſtaticæ, quia verus ac naturalis Dei Filius, cui omne imperium debebatur, & hac ratione debebatur illi hoc dominium

Chriſtus eſt Dominus, Primò, quia Filius Dei.

ſtatim poſt incarnationem, quia tunc Filius Dei erat. Secundò, ex dono Patris. ita S. Antoninus 3. part. tit. 3. cap. 2. Almainus de Poteſtate Eccleſiæ cap. 8. Paulus Burgenſis in Additionibus ad cap. 1. Matthæi, & S. Thomas lib. 3. de Regimin. Princip. cap. 13. Tertiò, ratione meriti & paſſionis ſuæ, quod glorioſius eſt. Indicauerat hoc in primis Propheta Regius illis verbis Pſal. 73, 2. *Redemiſti virgam hereditatis tuæ*: vbi per virgam, ſceptrum intelligendum eſt, hoc ſenſu, Regnum tuum, ſiue ſceptrum Regni tui tibi debitum, quia Dei Filius es, & ex dono Patris, fraude tamen ac tyrannide à dæmone propter peccatum vſurpatum, iterùm aſſerùiſti & vendicaſti per paſſionem, qua humanum genus redemiſti..

Secundò, ex dono Patris.

Tertiò, ex merito paſſionis.

Et idem Propheta, poſtquam Pſal. 2, 6. in Chriſti perſona gratuitò acceptum à Patre Regnum ita explicuiſſet, *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius*, ſtatim verſu 7. ad intentum ſubiungit: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*, &c. Hic ſupponendum, generationis appellatione intelligi reſurrectionem, quemadmodum accepit Saluator, cùm dixit: *In regeneratione cùm ſederit Filius hominis*, Matt. 19, 28. &c. Et ſanè in tali ſenſu intellexit illum locum S. Paulus in Actis Apoſtolorum, dicens: *Nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt, quoniam hanc Deus adimpleuit filijs veſtris reſuſcitans Ieſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus eſt tu: ego hodie genui te*, Act. 13, 3. Et ita etiam intellexerunt D. Ambroſius lib. 3. de Sacramentis, Hilarius in Pſalm. 2. & Chryſoſtomus. Hoc ſuppoſito, arbitror ſic Patrem dicere voluiſſe: O mi Fili, tibi quidem totius orbis debitum eſt imperium, omnes gentes, imò omnes creaturæ quæ in cælo, in terra, & ſubtus terram ſunt, genu tibi tamquam ſupremo Monarchæ flectere debent, quoniam Filius & heres meus es, ſed illud tibi ab ingratis peccatoribus eſt negatum: verùm ex quo per mortem tuam mortem omnium ſuperaſti, iniquitates deleuiſti, & tenebrarum Principem profligaſti, iterùm debetur tibi idem regnum, dabitur, poſſidebis, & non auferetur.

Generatio reſurrectionem ſignificat.

Prædixerat hoc ipſum Angelus Gabriel ſacratiſſimæ Virgini Mariæ, dum de Filio quem paritura erat, dixit Lucæ 1, 32. *Dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid patris eius*, hoc eſt, Filius, quem Spiritu ſancto concipies, & virgo manens paries, Rex quidem erit, quia (vt eſt verſu 35.) *quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei*: ſed ſicut Dauid, qui licet Dei beneficio ac liberalitate fuerit Rex electus & vnctus, tamen illud non niſi viriliter pugnando ſibi comparauit, & poſtmodum dilatauit; ita Chriſtus, quem in incarnatione vnxit Deus Pater in Regem, ad Regni tamen perfectam poſſeſſionem non niſi pugnando & patiendo peruenit. Vnde Eccleſia dixit: *Mors & vita duello conſixere mirando, dux vitæ mortuus regnat viuus.*

Vt Dauid pugnando, ita Chriſtus moriendo Regnum comparauit

Notauit hoc ipſum D. Paulus conceptis hiſce verbis: Chriſtus Ieſus *cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine, Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*, Philippenſ. 2, 6. Oſtenſum hoc fuit Ioanni, qui & ipſe in Apocalypſi id notauit, quem tu vide; nos cetera proſequimur.

§. 3 *Referantur aliqua myſteria triangularis Crucis, quæ homines reſpiciunt.*

Hic denique explicanda ſunt nonnulla myſteria, quæ & in commiſſa & triangulari cruce deliteſcere arbitramur, & homines ipſos reſpiciunt. Tria verò ſingulariſſima occurrunt. Primũ, quòd Crux iſta ſit noſtrum ſubſidium in neceſſitatibus; ſecundũ, quòd ſit vitæ ſymbolum; tertium, quòd Cruce iſta fideles eruditantur. Singula explicemus.

Tria myſteria triangulæ Crucis.

Quantum ad primum, ſancta hæc Crux vnicum ſubſidium ac fulcrum eſt quo in ſpiritualibus ac corporalibus infirmitatibus ac laſſitudinibus ſe ſuſtentant fideles. Forma huius Crucis bellè hoc demonſtrat. Obſeruaui, quod & priùs adnotauerat Boſius libro 1. de Triumphanti Cruce, cap. 4. hanc noſtram Crucem formam atque imaginem referre fulcri ſiue baculi, cuius adminiculo manci, debiles atque infirmi, illud vel ſub axillis deferentes, vel pectore eidem innitentes, ſuffulti ſuſtentantur, viresque reſumunt, quod, vt Ioannes Goropius teſtatur, Cimbrica voce *crux* dicitur. In Hetruria *gruccia*, at in pleriſque locis Italiæ *crocia* appellatur. Ex cuius baculi denominatione atque officio apertè intelligere & clarè perſpicere poſſumus, Crucem illud verum fulcimentum eſſe, quod debilem, mancam, caducam atque proſtratam naturam noſtram

Primum, eſt ſubſidium fidelium.

ſtram erigere, ſubleuare ac ſuſtentare debeat: ipſamque illam proculdubio eſſe ſolidum ac ſecurum ſuſtentaculum, firmum atque robuſtiſſimum baculum, cui fragilitas noſtra, ne cadat, néve in æternum præcipitium ruat, indefinenter & aſſiduè inniti debet.

Baculus Iacob Crucis figura.

Inter alia quæ hoc perſuadent, hæc dumtaxat accipe. Iacob ille Patriarcha magni Iſaac filius, vt furorem Eſau fratris ſui declinaret, dolens parentes ac patriam relinquens, peregrinus exteras petijt oras, & vnius baculi ſubſidio abijt ac redijt ad propria; vnde ſingulariter eiuſdem baculi meminit, dicens: *In baculo meo tranſiui Iordanem*, Geneſ. 32, 10. Nec immeritò, quoniam baculus ille figura fuit ſanctæ Crucis, vt docent ſancti Patres, in cuius virtute nos aduenæ debiles ac peregrini roboramur, erigimur ac ſuſtentamur in præſentis vitæ peregrinatione, quemadmodum & Chriſtus per Crucem exiuit ex hoc mundo ad Patrem & cæleſtem Ieruſalem. Vnde S. Beda in Quæſtion. ſup. Geneſ. Tom. 8. præmiſſa expendens verba inquit: *Chriſto conueniunt verba hæc, qui ſolus relictus in paßione ſua, in baculo, id eſt, in Cruce tranſiuit Iordanem iſtum, id eſt, flumen tribulationum mundi huius, & flumen rapidiſſimum paßionis & mortis, cuius aquæ intrauerunt vſque ad animam eius.* Similiter alij interpretati ſunt, & plura de hac figura Boſius libro 3. de Triumphanti Cruce, cap. 6. & lib. 5. cap. 8.

Sed amplius id ipſum indicauit idem Iacob. Hic morti cùm proximus eſſet, iamq; caligarent oculi eius, poſtquam petijſſet corpus ſuum deferri in Terram Chanaan; Ioſephque iureiurando ei pollicitus fuiſſet, ſe corpus eius in illa regione ſepulturæ mandaturum; *Quo iurante*, ſubdit ſacer Textus, *adorauit Iſraël Dominum, conuerſus ad lectuli caput*, Geneſ. 47, 31. Septuaginta Interpretes pro *ad lectuli caput*, dixerunt *virgam*. Hinc Apoſtolus ad Hebræos ſcribens, dicit: *Fide Iacob moriens, ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & adorauit faſtigium virgæ eius*, Hebræor. 11, 21. Ad quæ alludens S. Ioannes Damaſcenus lib. 4. Orthodoxæ fidei, cap. 12. appoſitè de Cruce fuit in hunc modum interpretatus: *Iacob adorans ſummitatem virgæ, alternatis cancellatiſq; manibus, filios Ioſeph benedicens, ſignum Crucis manifeſtißimè deſcripſit.* Illius Commentator pro clariori intelligentia hæc adiecit: *Eadem quoque Crux deſignata fuit per ſummitatem virgæ Ioſeph, quam adorauit Iacob. Verumtamen non virgam illam, quam manu geſtabat Ioſeph in ſignum poteſtatis traditæ ei à Pharaone in tota terra Aegypti, adorauit Iacob ſimpliciter, & ad nihil aliud referens; ſed in ea Crucem ſanctam adorauit, cuius myſterium oculis internis & Spiritu ſancto illuſtratis (etſi corporales eius caligarent oculi) cognouit, Chriſtumq; per Ioſeph ſanctum Patriarcham non obſcurè deſignatum veneratus eſt in Cruce (vt ſpiritus reuelatione didicerat) exaltandum. Porrò ſumptum eſt hoc exemplum de Iacob adorante faſtigium virgæ, ex capite* 11. *Epiſtolæ B. Pauli ad Hebræos, dicentis: Fide Iacob moriens ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & adorauit faſtigium virgæ eius. Et id quidem poſtremum videtur eſſe depromptum ex* 47. *cap. Geneſeos, vbi dicit littera, quòd adorauit Iſraël Dominum, conuerſus ad lectuli caput (quod nonnulli idcircò factum exiſtimant, quoniam id vocabulum, quod Hieronymus ad Hebraicam veritatem lectulum interpretatus eſt, Septuaginta interpretes virgam traduxerunt) idcircò ſacratiſſimæ Crucis figura*, &c.

Ipſum virga Ioſeph.

Sed quid ſibi vult (vt magis ſcopum noſtrum explicemus) quòd id, quod Septuaginta & D. Paulus *virgam* nuncuparunt, Vulgatus *lectulum* appellarit? Dicerem, lectuli metaphorâ, voluiſſe Vulgatum exprimere euidentiùs, illud idem quod Septuaginta & Paulus virgæ ſimilitudine. Iſti indicare voluerunt, S. Crucem eſſe defeſſis, debilibus ac infirmis fulcimentum ac ſubſidium, quo roborentur & fortificentur in corporalibus & ſpiritualibus infirmitatibus; ille autem lectuli metaphorâ id ipſum ſignificauit. Et vt infirmo laſſoque nihil ſalubrius ac vtilius ad quieſcendum, viresque reſumendas, quàm lectulus; ita nihil afflictis congruentius & commodius, quàm ſanctæ Crucis ſignum, in quo primò Chriſtus velut in lectulo quieſcens accubuit, ibique optatiſſimum mortis ſomnum cœpit. *Ego dormiui*, inquit, *& ſoporatus ſum*, Pſalmo 3, 6. & ad eius imitationem quilibet fidelis in ſuis neceſſitatibus obſeruat, dicendo: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam*, Pſalm. 4, 9. Atque ita Iacobo Patriarchæ in ſua illa grauı ac vltima infirmitate, ſola crucis memoria fulcrum & lectus extitit, eum confortans ac roborans adeò, vt orationi, contemplationi, filiorumque myſterijs refertiſſimæ benedictioni vacare potuerit, ac lætus & in pace obdormierit. Hinc ab antiquo, vſque ad noſtra tempora, mos inoleuit, vt languentibus in infirmitatibus & mortis articulo, tamquam validiſſimum ſubſidium ac ſolatium, Chriſti Crux imprimatur, & oculis obijciatur, vt in ea faciant virtutem, & dolorum procelloſum mare transfretantes, læti ad æternum beatitudinis portum perueniant. *Eſt enim tanta vis CruciChriſti* (vt cum Origene loquar)

Crux Chriſto & fidelibus quietis lectulus.

Crux quaſi ægrotis ad lectum apponatur.

vt

De Cãtico, quod cantauit Moyses cum populo, & Maria cum mulieribus.

vt ſi ante oculos ponatur, & mente fideliter retineatur, ita vt ipſa mors Chriſti intentis oculis mentis aſpiciatur, nulla concupiſcentia, nulla libido, nullus furor, nulla ſuperare poßit inuidia; ſed continuò ad eius præſentiam, totus ille, quem ſuprà numerauimus, peccati & carnis fugatur exercitus.

Solatium Dauidis.

Hæc eadem Crux ſiue memoria, vnicum fuit languenti Dauidi fulcimentum in ſuis infirmitatibus & anguſtijs. Fuit hic Rex à Deo tam eximijs affectus beneficijs, quàm quiuis alius; ſed illorum immemor, contra ipſum Dominum abuſus eſt, ideò maximis fuit obnoxius miſerijs, vt ipſius illæ querulæ indicant voces. *Adhæſit pauimento anima mea*, Pſalmo 118, 25. *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ*, Pſalm. 37, 6. *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum; ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Et anima mea turbata eſt valdè, ſed tu Domine vſquequò?* Pſal. 6, 3. ſed compatiens pœnitenti miſericors Dominus, adiutor in tribulationibus quæ eum nimis inuenerunt, dedit remedium, quo ille vſus, ab illis liberatus & confortatus fuit. Et hoc fuit ſancta Crux, ipſo dicente: *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*, Pſal. 22, 4. Nónne vides, explicare Prophetam hîc duas ſanctæ Crucis partes? Sunt in ea lignum erectum, ſymbolum diuinitatis Filij Dei, & hanc virgæ appellatione intelligere voluit; eſt & tranſuerſum ſuperpoſitum lignum, eiuſdem Saluatoris humanitatis ſignum, quod baculi nomine ſignificauit: his enim præmiſſo modo Tau & triangularis Crux, & infirmorum ac debilium fulcrum efformatur. Nec mea eſt hæc explicatio, ſed eam priùs indicauit Magnus Baſilius ad ea Pſalmi 22. verba, dicens: *Virga etenim infirmitatem meam corroborat, at hoc in viam rectam dirigit. Verùm haud procul à ſcopo aberrauerit quis, ſi ſalutiferam Crucem hiſce nominibus inſigniuerit: huius quippe ſignaculo & commemoratione ab hoſtibus liberati, in rectum tramitem reuocamur.* Et eadem ferè in eiſdem verbis replicauit Theodoretus. Voluit igitur clariùs dicere in hunc modum Regius Vates: O vnigenite Fili Dei, incarnatum Verbum, virga ſanctæ Crucis, in qua omnium ſalutem operatus es! ipſa me conſolata eſt in tot quibus premor anguſtijs, non ſecùs ac ſenes & debiles baculo & crucia fulciuntur. Virga enim & baculo eiuſdem ſanctæ Crucis tuæ, infirmitas atque imbecillitas mea, quaſi ſenis & claudi vacillantes greſſus roborati ſunt, atque ego velut ouis à recta via aberrans, ac per abrupta vagans, ad verum ſalutis iter reductus ſum. Hinc in S. Crucis Inuentione ad illius tactum mulier languens & ſemimortua, *repentè adapertis oculis conſurrexit, & ſtabilitate virium recepta, alacrior multò, quàm cùm ſana fuerat, tota domo diſcurrere, & magnificare Dei potentiam cœpit.* Ita Ruffinus Aquileienſis Hiſt. lib. 1. cap. 7. & 8.

Interiùs corroborat.

Et ex his ſingularem colligo noſtræ Crucis prærogatiuam, quòd non ſolùm exteriùs adiuuet, quod faciunt & alia fulcra; ſed ampliùs interiùs corroboret & vires addat, quod alijs negatur: alioquin interiùs & exteriùs afflictus Rex Dauid, Crucis beneficio conſolationem non percepiſſet. Inueniuntur ligna tam miræ virtutis, vt incurabiles alioqui & interni morbi inde ſanentur, & vires amiſſæ reparentur, vt ſatis conſtat. Vni ex his fulcrum ſanctæ Crucis comparandum eſt, & illi quidem quod in medio terreſtris paradiſi Deus plantauerat ab initio, cuius beneficio debilitata natura ex humidi radicalis per naturalem calorem conſumptione, corroborata adeò fuiſſet, vt in æternum incolumis viuere potuiſſet, ac ideò à Domino Deo *lignum vitæ* appellatum fuit. Ita deducunt Doctores ſacri ex illis Domini verbis: *Nunc ergo ne fortè mittat Adam manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum*, &c. Geneſ. 3, 22. Et propter eiuſmodi admirabiles effectus, quos mirabiliùs in homine interiùs & exteriùs, in animo & corpore operatur ſancta Crux, fuit in ligno vitæ præfigurata, vt ſancti Patres docent. Damaſcenus lib. 4. Orthodox. fid. cap. 12. *Pretioſam Crucem præfiguraui vitæ lignum, quod in paradiſo plantatum eſt à Deo. Nam poſteà quàm per lignum mors, oportebat per lignum donari vitam & reſurrectionem.* Cyrillus Alexandrinus idem hiſce confirmat lib. 8. in Ioan. cap. 17. *Hæc enim Crux eſt lignum vitæ, quod in medio paradiſi plantatum eſſe Scriptura commemorat: quia ab ipſa, viuifica nobis & vitalis medicina proceſſit.* Idem alij apud Boſium lib. 3. de Triumphante Cruce, cap. 1. Et ſancta mater Eccleſia, S. Crucis Exaltationis feſtum celebrans, ingenti perfuſa lætitia, ſic in laudem eiuſdem concinit: *Hæc eſt arbor dignißima, in paradiſi medio ſituata, in qua ſalutis auctor propria morte mortem omnium ſuperauit.* Et quid mirum, quòd ſanctam Crucem fulcrum appellauerimus, atque virtutem corroborandi corporis & animæ confractas vires habere dixerimus, cùm, vt ſtatim dicemus, virtutem defunctos reuocandi ad vitam habeat?

Secundum myſterium. Crux vitæ ſymbolum.

Secundò, ſymbolum eſt vitæ hæc ſancta triangularis Crux. Indicat hoc in primis lignum vitæ paradiſi, de quo nunc diximus. De iſto Crucis fructu dixit Ioël cap. 2, 22.

Lignum

Lignum attulit fructum ſuum. id eſt, lignum Crucis affert fructum ſuum, & Spiritus ſancti dona dulciſſima ſuam cunctis tribuent largitatem, vt diuus Hieronymus interpretatur.

Ad hæc, ſignum eſſe ſalutis, oſtenſum fuit Ezechieli à Domino, & ipſe oſtendit nobis; tuncque fuit, quando vidit ſex illos homines ad Ieroſolymæ ciuitatis populum interficiendum: in quorum medio vnus erat lineis indutus, & ſcriptoris atramentarium ad renes eius; cui Deus iniunxerat, vt tranſiens per mediam ciuitatem in medio Ieruſalem, ſignaret Tau ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus quæ fiebant in ea. Ceteris verò qui cum illo erant mandauit, vt ſequentes eum omnes occiderent, exceptis ſigno Tau obſignatis. Verba Prophetæ quæ hoc latiùs explicant, ſunt huiuſmodi: *Tranſi per mediam ciuitatem in medio Ieruſalem, & ſigna Tau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Et illis dixit, audiente me: Tranſite per ciuitatem ſequentes eum, & percutite: non parcat oculus veſter, neque miſereamini. Senem, adoleſcentulum, & virginem, paruulum, & mulieres, interficite, vſque ad internecionem: omnem autem, ſuper quem videritis Tau, ne occidatis: & à Sanctuario meo incipite.* Ezech. 9,4. Signum Tau fuiſſe figuram Crucis, anteà diximus, ſed clarè accipe propoſitum myſterium ex ſancto Cypriano & Origene. Cyprianus Teſtim. aduerſus Iudæos lib. 2. cap. 22. ita dicit: *Quòd in hoc ſigno Crucis ſalus ſit omnibus qui in frontibus notentur, apud Ezechielem dicit Deus.* Et apertiùs Origenes Homil. in Epiphania Domini. *Deinde in Ezechiele Propheta*, inquit, *cùm omnes qui miſſus fuerat Angelus occidiſſet, & interfectio cæpiſſet à Sanctis, illi tantummodò ſoſpites reſeruantur, quos Tau littera, id eſt, Crucis pictura ſignauerat.* Simile eſt quod vidit Archipropheta & Chriſti Cancellarius Ioannes. Audiuit ille Angelum clamantem, monentemque quatuor Angelos illos, quibus nocendi terræ ac mari poteſtas data fuerat, ne alicui nocerent, donec hoc vitali ſigno ſeruos magni Dei in frontibus eorum ſignaſſent, dicens: *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum*, Apoc. 7,3. Denique id ipſum præfigurabant poſtes ſiue valuæ oſtiorum apud Hebræos obſignati ſanguine agni, quem ijdem in Ægypto immolauerant: arcebatur enim ab illis Angelus percutiens, qui in alias Ægyptiorum ædes ſimiliter non ſignatas ingrediens, primogenitos ibi occidebat, vt in Exodo dicitur, & nos ſuprà notauimus. Poſteà in ſanctæ Crucis Saluatoris inuentione ad eiuſdem Crucis contactum fuit mortuus ad vitam reuocatus, vt inter alios tradunt ſanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus, Epiſt. 11. ad Seuerum Sulpitium Bituricẽſem Archiepiſcopum, & hic idem Sulpitius Hiſtoriar. lib. 2. & nos de illius inuentione infrà Lib. v. cap. 1. opportuno loco agentes explicabimus. Hinc iam habemus, virtute huius feliciſſimi ſigni quemlibet, qui illo veraciter in fronte & corde conſignatus fuerit, ab æterna morte fore ſeruandum, & rapaciſſimas ſatanæ vngulas euaſurum.

Huius figura Tau Ezechielis.

Sanguis agni quo poſtes Iudæorum linita fuerunt.

Tertiò tandem dico, triangularem Crucem ſymbolum eſſe perfectæ cognitionis Chriſtianæ religionis. Hoc in primis mihi perſuadet illius forma, quæ, vt in præcedentibus vidimus, littera eſt cùm apud Hebræos, tum apud Græcos & Latinos, quia eſt Tau Hebraicum & Græcum, & T. Latinum, quaſi apud prædictas præcipuas nationes, in quibus ſapientia & litteræ floruerunt, ſit hæc noſtra Crux ipſiſſimamet littera & ſcientia. Et ſuperiùs vidimus, præcipua noſtræ ſalutis myſteria Trinitatis & Incarnationis in commiſſa contineri Cruce.

Tertium, eſt perfectæ cognitionis ſymbolum.

Cùm aliquandò Chriſtus Dominus de præcipuis noſtræ fidei myſterijs cum Nicodemo legis magiſtro diſſerüiſſet, vtputa de ſpirituali regeneratione facienda per Baptiſmum, de Spiritus ſancti illuſtratione, de vnione impaſſibilis Dei cum paſſibili homine, & eiuſdem gloria, & ille non intellexiſſet; ſui exaltationis in cruce ſtatum ſubiunxit, dicens: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*, Ioan. 3,14. quaſi obijciens librum apertum magnis ac diſtinctis characteribus exaratum, in quo clarè ac diſtinctè videri poſſent noſtræ fidei anteà obſcura myſteria, in quibus credentes ſalutem conſequerentur æternam.

Crucifixus liber apertus.

Sed adhuc manifeſtiùs, cùm aliquando egregia de ſe dixiſſet Iudæis, & ſingulariter quòd eſſet verus ac naturalis Dei Filius, non tamen tam clarè loquentem intelligerent (*Et non cognouerunt, quia Patrem eius dicebat Deum*, inquit Ioannes cap. 8,27.) *dixit eis Ieſus: Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum*, verſ. 28. Ac ſi dixiſſet, Modò non me cognoſcitis de cathedra docentẽ, cognoſcetis poſteà in Cruce patientem, ſi volueritis, & corda veſtra non obdurauerit. Et ita in multis accidit, vt liquet ex Euangelica hiſtoria.

Futuram Crucem, ſiue Chriſtum in ea pendentem, apertum librum myſteriorum noſtræ fidei, prædixerat Propheta Habacuc,

&

& Archipropheta Ioannes vidit manifestè. Ille quidem, dum Deum se alloquentem ita introducit c. 2, 2. *Scribe visum, & explana eum super tabulas, vt percurrat qui legerit eum*, seu vt Septuaginta transtulerunt, *vt persequatur, qui legit in ea*: quo loco præcipit Deus Prophetæ vt scribat librum maiusculis characteribus, illumque in tabulis explicet, vt qui legerit, non hæreat, sed facilè percurrat scripturam, & prosequatur, id est, continuet absque vlla cunctatione: qui liber super tabulas explicatus, Christus est in cruce extensus (asserunt aliqui, quoniam, secundùm Glossam, ibi est sermo de Christo Domino) maiusculis litteris conscriptus, id est, quàm maximis & clarissimis virtutum exemplis, vt nemo in eis perlegendis possit hærere, sed, si velit, facilè lectionem prosequatur, & inde sibi viuendi normam possit accipere. Hunc sensum reddidisse videtur Paraphrastes Chaldaicus dum ita transtulit: *Scribe prophetiam, & explana eam in libro legis, vt festinet ad sapientiam assequendam quicumque legerit in ea.* vbi per *librum legis*, Christus accipiendus est, qui cum Patre loquens, ait: *Et legem tuam in medio cordis mei*, Psal. 39, 9. & D. Paulus dixit in eo esse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei. Qui cùm anteà ferè obsignati clausique essent, per crucem reserati adeò sunt, vt omnes possint fieri illorum participes, & docibiles Dei, vt aliàs Propheta prædixerat.

Christus est liber maioribus characteribus conscriptus.

Liber legis.

Iste verò, id est, Ioannes, vidit quemdam librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem, quem æternus Pater sedens in throno dextera tenebat, & nullus in vniuerso mundo inuentus fuit, qui illum ne dicam aperire, sed nec aspicere potuerit, hoc solum Agno occiso fuit concessum, vt pluribus explicat in sua Apocalypsi Ioannes. Et cùm Agnus ille absque dubitatione sit Christus Dominus, quid significat ille liber quem aperuit? Omissis aliis interpretationibus, dico cum bonis Auctoribus, D. Bernardo, S. Vincentio Ferranense, Seraphino, aliis, ipsummet Christum repræsentare, qui ante passionem suam adeò signatus fuit, vt Salomon ille sapientissimus, nomen eius se ignorare confessus sit, & Euangelicus Vates Deum absconditum appellauerit: in passione tamen ita apertus, ita manifestus euasit, vt non solùm nomen, sed eiusdem abscondita mysteria patefacta sint ipsis paruulis & simplicibus. Nec difficile videatur, asserere, eumdem esse Agnum & librum, aperientem & apertum; hoc enim non inconuenit secundùm diuersam considerationem, secundùm quam etiam dicitur Sacerdos & hostia, sacrificans & sacrificium, ideò alibi ipsemet Ioannes dixit: *Vnigenitus qui est in sinu Patris ipse enarrauit*, Ioan. 1, 18. Occisus Agnus aperuit librum, & enarrauit nostræ fidei mysteria, per mortem inquam & passionem suam. Considera visionem illam Ioannis, nam facit ad intentum mirabiliter.

Apertus. & aperiens.

Ex dictis arbitror deduci responsionem ad quamdam difficultatem, qua etiam præmissa magis confirmantur. Scribit S. Ioannes, quòd circa cuiusdam festiuitatis tempus ambularet Iesus in Galilæa, & non in Iudæa, quia volebant eum Iudæi interficere. Hoc videntes fratres, id est, propinqui eius, dixerunt ad eum: *Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palàm esse: Si hæc facis, manifesta teipsum mundo*, Ioan. 7, 3. Non acquieuit illorum petitioni, & rationem adducens, dixit: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est*, vers. 8. Res sanè mirabilis, Christus anteà tot fecerat signa & prodigia, vt illius fama euulgata fuerit non solùm apud discipulos & domesticos in Iudæa, sed etiam apud exteros & Gentiles in Syria: vnde ex omnibus partibus cuiusque conditionis viri & mulieres propter signa quæ faciebat, sequebantur eum, & Regem aliquando facere voluerunt, vt docent Euangelistæ, & pluribus in suis Annalibus explicat Cardinalis Baronius; & tamen nunc, ac si nulla feciisset, non retistendo illorum dictis, sed dicendo tempus suum nondum aduenisse, illud magis confirmasse videtur. Quid est hoc? Optima responsio Saluatoris, non iuxta stultam suorum conterraneorum petitionem, sed secundùm infinitam sapientiam suam. Iam fecerat absque dubio Christus talia prodigia, quibus sufficienter quilibet adduci potuit, etsi obstinatus, ad illum tamquam verum Messiam & Dei Filium suscipiendum: vnde quòd illum haud susceperint Iudæi, inexcusabiles erunt; vt non semel idem Christus eisdem dixit. *Opera*, inquit, *quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me*, Ioan. 10, 25. &: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi*, vers. 37. &: *Si opera non feciissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, &c. cap. 15, 24. Nihilominùs quia omnia illa, respectu illorum quæ in cruce facere debebat, multò erant illustriora, & ad instruendum efficaciora, quæque præcedentia suo splendore adeò obscurare debebant, vt prodigia, etsi magna fuerint, non apparerent; non reiecit illorum dictum, sed dixit, tempus suum

Iudæi incredulitatis suæ excusabiles.

illa

illi faciendi, id est mortis, quod alibi horam suam appellauit, nondum aduentasse: eo enim tempore talia facturus erat, vt, vellent nolent, illum cognoscere compellerentur, iuxta illud anteà citatum: *Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum*, Ioan. 8, 28. Simile hoc est illi, quod aliquando dixit Scribis ac Pharisæis, quærentibus ab eo signum, postquam innumera fecisset, ac si verè signa illa haud fuissent: *Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*, Matth. 12, 39. Ecce quomodo promittit se daturum signum, & omnium signorum excellentissimum, mortis & resurrectionis suæ, quo, si vellent, possent illum clarè cognoscere, & absque hæsitatione vt expectatum Saluatorem suscipere.

Signum Iudæis dandum Christus mortuus & redimens.

Atque ex dictis manifestè apparet, quomodo nostra commissa Crux cognitionis & scientiæ symbolum sit, per quam in sublimium nostræ Religionis sacramentorum cognitionem venimus. Quamuis verò hæc sufficere abundè videantur pro explicatione mysteriorum Crucis triangularis, quæ nos respiciunt, tamen non iniucundum futurum Lectori arbitror, si pro eorumdem maiori confirmatione, & coronide assumpti argumenti dictæ Crucis, explicem figuram magni illius Abbatis, ac multorum Monachorum Patris Antonij, partim ex ijs quæ alij tradiderunt, partim ex ijs quæ nos excogitauimus. In primis pingitur S. Antonius cum Cruce non solùm in manu, sed etiam in penula, non quadrangulari, & cum titulo quem illi in superiori parte affixit Pilatus, cùm plerique alij Sancti cum quadrangula pingi soleant, sed cum triangulari, & Tau, quæ appellatur communiter Tau S. Antonij. Deinde pingitur cum libro, tertiò cum campanili, quartò cum igne, quintò denique cum porco ad eius pedes.

Pictura S. Antonij Abbatis cum eiusdem explicatione.

Cum Cruce pingitur S. Antonius, quia eâ hostes vincebat.

Primò cum cruce depingitur S. Antonius, quoniam Cruce fortiter restitit dæmonum insultibus, inquit Ioannes Molanus de Histor. sacrarum imag. lib. 3. cap. 5. Athanasius enim, qui illius admirabilem Vitam scripsit, refert eum dæmonibus dixisse: *Cur fruſtrà nitimini? signum enim Crucis & fides ad Dominum inexpugnabilis nobis murus est.* Legitur etiam apud eumdem Athanasium pulcherrimus eius de Cruce sermo ad Philosophos, quibus etiam præsentibus vitali signo Crucis dæmones expulit: &, Hieronymo teste in Vita Pauli primi eremitæ, videns hominem equo mixtum, id est, hippocentaurum, salutaris impressione signi armabat frontem. Sunt etiam ipsius Antonij verba ad suos Monachos apud Athanasium: *Cùm videritis dæmonum fallacias, tam vos quàm domos vestras Crucis armate signaculo, & confestim soluentur in nihilum, quia metuunt illud trophæum, in quo Saluator æreas expolians potestates, eas fert ostentui.* Quare autem non quadrangula, sed triangula Crux illi detur, putat idem Auctor aut totam, aut præcipuam rationem esse, quòd Antonius fuerit Ægyptius, & apud Ægyptios Crux formam habuerit litteræ Tau siue triangularem. Goropius Becanus lib. 16. Hieroglyphicorum, apud Bosium lib. 5. de Triumphante Cruce c. 7. magis huius rationem explicat, quòd illud quidem factum sit, quòd S. Antonius fuerit Ægyptius, & ea quæ de Tau ferebantur apud falsorum numinum sacerdotes, ipse hoc signo prælato doceret, vitam illam, quam venturam expectauerant, iam adesse; & ea, si modò vellent, perfrui licere. Igitur ex hoc habemus quòd priùs explicauimus, triangulam Crucem vitæ symbolum esse, quam adesse suo Tau indicat S. Antonius.

Lege Bosium lib. 6. cap. 5.

Triangulari, quia hæc vitæ symbolum.

Sed quare cum libro pingitur? Respondet citatus Molanus, eo significari, sanctum eum & perfectum Monachum sine vlla scientia litterarum, Scripturas diuinas & memoriter audiendo tenuisse, & prudenter cogitando intellexisse, vt dicitur.

Cum libro, quia sine litterario studio doctus.

Cum tintinnabulo nonnumquam depingitur, vt arbitror, ad indicandam vigilantiam, qua sibi commissum gregem regebat ac protegebat.

Cum tintinnabulo, propter eius vigilantiã.

Appingitur ei ignis, quia datum est ei patrocinium contra ignem infernalem. Hanc enim causam assignat D. Thomas Aquinas in 4. dist. 49. inquit Molanus. eumque secutus Scaliger, scriptum reliquit:

Cum igne, quia ab infernali protegit incendio, & à peste.

Magne pater, furuum defendas fortior hostem,
Sisq; metus duris ignibus igne tuo.

Quibus adijcio secundam & fortassis primariam causam, quòd multos liberet ab igne pestis. Quò spectat Collecta multarum Ecclesiarum, quæ habet, quòd Deus concedat obtentu beati Antonij Confessoris sui morbidum ignem extingui. Eamdem ob causam multis locis in ostio domus appingitur, vt obtinere dignetur à Deo, ne pestis eam domum inuadat. Addo, esse etiam aduocatum, vt à vero materiali igne protegamur.

Denique pingitur cum porco, vt plebeij doceantur, animalia sua eius intercessione à malo præseruari. Nam in huius beneficij implorationem ac protestationem, porcus

Cum porco, quia protector animalium

plerisque locis alitur à communitate, quem nominant sancti Antonij porcum, ait idem Molanus. Quia tamen ista ratio posset habere difficultatem (etsi illi refragari non sit animus) quare non potiùs appingatur aliud magis mundum honestumque animal, vt agnus, vel vitulus; ideò aliam addit rationem, quam posteà referemus.

Adhuc cum triangula cruce depingitur, quia Monachorum Pater.

Ego duplici ratione opinor pingi sanctum hunc Monachorum Patrem cum triangula cruce siue Tau in manu & penula. Primò, ad indicandum, fuisse S. Antonium insignem Monachorum Patrem. Ad huius rationis intellectum sciendum, quòd sicut in Occidentali & Latina Ecclesia Patriarchæ, Episcopi & Abbates, pro insigni suæ potestatis & muneris pastoralis, baculum in summitate retortum, quem pastoralem vocant, deferunt; ita in Orientali Ecclesia ijdem Præsules pro sui officij signo portent baculum oblongum, in cuius summitate est alius breuis transuersus, ex quibus conficitur crucia & T. Cùm itaque S. Antonius fuerit insignis Abbas, & innumerabilium Monachorum Pater (plurima enim Monachorum Orientalium caterua S. Antonium tamquam antesignanum & Patriarcham sequitur) ideò cum illo T. suæ potestatis insigni pingitur. Secundò ex nostra mente depingitur cum T. & aliquando cum alijs memoratis insignibus, ad indicandum tria superiùs explicata mysteria, in triangulari Cruce adumbrata, quòd fuerit lassitudinis fulcrum, vitæ symbolum, propriæ scientiæ liber, ac virtute illius obtinuerit alia quæ alijs additis significantur. Verè, verè inquam, sancto, atque ex assiduitate orandi defatigato seni fulcrum fuit Tau. Pro huius considerationis intellectu notandum, Monachos D. Antonij, & alios etiam Orientales, in suis Ecclesijs multas crucias siue fulcra habere, quibus in suis prolixis officijs vtuntur, pectore præsertim illis innitentes, vt psallendi laborem sufferre possint, & lasso corpori aliquantisper subueniatur. Itaque cùm sanctus ille Monachorum Pater loco fulcri in suis orationibus cruciâ secundùm consuetudinem & propter necessitatem vteretur, cum illa etiam pingitur.

Dices, hoc pacto nil dici particulare de sancto Antonio, quod de alijs eiusdem vel similis instituti viris enuntiari non possit, atque adeò ita vt ille, ita istos cum Tau pingi debere, quod tamen non obseruatur.

Et propter alia indicata mysteria.

Respondeo, quod commune est, ratione aliqua particulari alicui appropriari, vt anteà diximus de crucibus nostrorum stemmatum: ita in proposito, licet omnes indicati Monachi in suis Ecclesiasticis Psalmodijs dictis fulcris siue Tau vterentur, singulariter tamen appingitur S. Antonio, quia præ reliquis ille eo vtebatur, cùm in orationibus longior esset: dicitur enim in eius Vita, quòd *sæpissimè in oratione pernoctabat*, in qua Crux erat spirituale adiumentum, quo excitabatur ad Christi passionem, & eiusdem in Cruce orationem meditandam, eique pro corporali subsidio inseruiebat.

Secundò, Tau illo indicabat, vitam ac viam salutis iam adesse, cuius typum dicta figura erat apud Ægyptios, inter quos conuersabatur, vt diximus ex Goropio.

Tertiò, liber indicat ipsius in psallendo assiduitatem virtute Crucis, qua etiam cælestium sacramentorum cognitionem didicerat, & verbum Crucis quod pereuntibus stultitia est, vt dixit sanctus Apostolus; sibi verò ad vitam æternam electo fuisse Dei virtutem & sapientiam, quemadmodum posteà Angelicus Doctor, & Seraphicus, alijque ex Cruce doctissimi euaserunt.

Porcus impuritatis symbolum.

Denique igne & porco designatur impurus concupiscentiæ ignis, & ipsemet gehennæ, nec non & infernales dæmones, qui Sancto varijs animalium formis apparebant, qui porco designari meritò possunt, propter illorum impuritatem, & quia, vt porcus in luto volutatur, turpia incolit loca, & dæmones in impuris conscientijs & peccatorum sordibus coinquinatis sibique similibus inhabitant. Hinc aliquando ad hoc indicandum fuerunt à Christo Domino missi in porcos. Et quando olim Arianorum Ecclesia Romæ Catholica consecratione dedicabatur, porcus ex ea exijt inuisibilis quidem, sed qui omnes per quos transijt in admirationem commouebat. Quod idcircò, ait Gregorius lib. 3. Dial. cap. 30. diuina pietas ostendit, vt cunctis pateseeret, quia de loco eodem immundus habitator exiret. Igitur vt indicaretur, sanctum virum ardentes concupiscentiæ faces, & inferni flammas Crucis virtute extinxisse, dæmonisque insultus superasse (fuit enim dæmonibus tam formidolosus, vt multi per Ægyptum ab illis agitati, inuocato nomine Antonij, liberarentur) propterea meritò ab antiquo vsque ad nostra tempora cum igne & porco descriptus fuit S. Antonius. vnde Fratribus dicebat: *Mihi credite, pertimescit satanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, misericordiam & humilitatem, maximè verò ardentem amorem in Christum Dominum, cuius vnico sanctissimæ Crucis signo debilitatus aufugit.* Et hanc de porco rationem addidit etiam Molanus. Alia tradit Bosius l. 1. c. 4. Nos porrò ad alia immissæ atque quadrangularis referanda sacramenta accedamus.

Cruce concupiscentia ac gehennæ incendia extinguuntur.

In Vita S. Antonij.

CAPVT

CAPVT XXXIX.

De myſterijs in quadrangulari Cruce inuolutis.

MYſteria in ſacra quadrangulari & immiſſa Cruce recondita, multa eaque illuſtriſſima eſſe, non poteſt iuſta ratione in dubium verti, quoniam hæc præcipua, quam triangularis figurat,& in qua Dominum pependiſſe, ſuperiùs tamquam probabilius propoſuimus. Igitur ſi tot ſacramenta in præcedentibus deteximus in triangulari Cruce abſcondita, quot deliteſcere credemus in quadrangula? Verùm non eſt in animo diutiùs in illorum inquiſitione & explicatione immorari, quoniam plus æquo noſter protraheretur ſermo; præſertim quòd multa dixerimus de triangula, quorum non pauca quadrangulæ accommodari poterunt. Qui tamen plura videre deſiderat, Doctores, qui ex inſtituto de ſancta Cruce ſcripſerunt, adeat. Ne tamen præcipuam in ſe ac noſtrorum ſtemmatum Crucem ſilentio præterijſſe videar, aliqua conſiderabo ad intentum ex vnica D.Pauli auctoritate, prout ſacri Doctores eamdem interpretantur.

Gloria Dei & ſalutis animarum ſolicitus Paulus.

Sanctus Paulus Apoſtolus Dei & hominum amantiſſimus, ac ideò omnes ad illum per ſancta exercitia ducere ſatagens, quadam vice magna cum humilitate atque animi & corporis demiſſione rogauit Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt Epheſij, & in vniuerſum fideles omnes (inter alia quæ illis deſiderabat) in ſalutis noſtræ myſterijs ad plenum inſtruerentur, & in eiſdem abſcondita myſteria penetrare poſſent.Id enim illa indicant ad Epheſios verba: *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti*, &c. *vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum*, Epheſ. 3,14.

In his verbis ſanctus Apoſtolus cum dimenſionibus iungit differentias poſitionum: nam tres tantùm ſunt dimenſiones, longitudo, latitudo, craſſities; altum verò & profundum reſpondent ipſi ſurſum & deorſum, quæ ſunt differentiæ poſitionum. Craſſum ergo hìc reſoluitur in altum, & profundum quaſi in ſua extrema. Itaque hæc quatuor iungenda & diſtinguenda ſunt, non vti ſunt in corpore, ſed vti ſunt in domo, vbi profundum ſunt fundamenta, altum eſt tectum, longitudo eſt longius latus, vel paries, latitudo eſt breuius latus. Hoc ſuppoſito,quæro quid ſanctus Apoſtolus nomine latitudinis, longitudinis, ſublimitatis & profundi intellexerit.

Ita notat in hunc locum Cornelius à Lapide num. 96.

Reſpondetur, non vnum, ſed plura eaque profunda & illuſtria ſubintelligenda eſſe myſteria. Fundatur reſponſio hæc primò in doctrina S. Auguſtini, aſſerentis, Scripturas ſacras, cùm abſque reſtrictione ac limitatione inueniuntur, generaliſſimè capiendas eſſe, quia auctor earum Spiritus ſanctus vti ampliſſimum habet intellectum & conceptum, ita & locutionem. Vnde varios intendit ſenſus etiam litterales, ſi rei locoque conueniant, maximè ſi ſubordinati ſint & connexi, omneſque in vnum quaſi ſcopum conſpirent & dirigantur. Secundò, quia in Iure habetur, priuilegium Principis latiſſimè eſſe accipiendum, & non diſtinguendum vel limitandum, vbi Princeps non limitat nec diſtinguit. Scriptura diuina eſt ſingulare ſummi Monarchæ Dei priuilegium in gratiam dilectæ Eccleſiæ ſuæ promulgatum: igitur ſi abſolutum eſt, abſolutè intelligi debet. Quare cùm Apoſtolus generatim & indeterminatè dicat, *quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum*, non explicans nec determinans cuius rei intelligat longitudinẽ, latitudinem, &c. multipliciter explicari poteſt, ſicut de facto probabiliter ſancti Patres & Eccleſiæ Doctores interpretantur. Nos hìc vnam ad intentum proponimus explicationem, nonnullas deinde alias indicabimus, quæ diffusè apud Doctores videri poterunt.

Scriptura quæ determinatè non loquitur, in ampliſſima ſignificatione accipienda eſt.

Quatuor illæ poſitiones intelliguntur de quadrangula Ṣaluatoris noſtri Cruce, vt præter recentiores docent S. Hieronymus, Beda, Anſelmus, Auguſtinus pulcherrimè Serm.7. de Verbis Apoſtoli, & Gregorius Nyſſenus Orat.1. de Reſurrectione, vbi docet,Apoſtolum alludere ad quatuor cornua Crucis, ſummumque cornu dici altitudinem, imum dici profundum, & tranſuerſum vnum dici longitudinem, alterum latitudinem. Sed quæ portendunt myſteria illæ dimenſiones in Dominica Cruce? Plura, quæ partim ipſam ſanctam Crucem, alia quæ Chriſtum, & alia quæ nos homines reſpiciunt: nos pro ſingulis duo in medium proferemus.

Quatuor poſitiones, quatuor Crucis extremitates.

§. 1. *Myſteria in quadrangulari Cruce ipſam Crucem reſpicientia.*

Duo myſteria Crucem reſpicientia.

Quantum ad ea quę Crucem ipſam quadrangulam reſpiciunt, dicendum, ſignificari illa forma & quatuor extremitatibus, S.Crucem in quatuor mundi plagas extendendam, & ex omnibus Milites Duci ſuo Chriſto ſub ſe tamquam regio generaliſque vexillo colligendos. Dixerat hoc Iſaias: *Et leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſraël, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ*, Iſaiæ 11,12. Et Spi-

Primum, in vniuerſum extendendam, & ſub ſe Milites colligendos.

ritus ſanctus idem nobis per Caipham, etſi impium Pontificem, manifeſtare voluit, dum ille mortis ſententiam contra innocentem Saluatorem proferens, dixit: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*, Ioan. 11, 50. Quod vaticinium Spiritus ſancti interpres Ioannes Euangeliſta in hunc modum ad intentum fuit interpretatus verſ. 51. *Hoc autem à ſemetipſo non dixit; ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, quòd Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.* Igitur mori debuit Chriſtus, & in Crucis arbore exaltari, vt ad ſe congregaret non ſolùm gentem Iudæorum Terræ ſanctæ incolam, ſed & à quatuor terræ plagis ad ſe reuocaret profugos Iſraël, & diſperſos Iuda, vt dixit Iſaias, id eſt, filios Dei ſecundùm æternam prædeſtinationem, vt Ioannes explicauit.

Dices: Ergo abſque Crucis vexillo non potuit Dominus electos milites ſuos ad ſe pertrahere. Reſpondeo potuiſſe, quia omnium corda in manu eius ſunt, & non eſt impoſſibile apud eum omne verbum; nihilominùs ſuauis Dei prouidentia & efficax ſollicitudo ita fieri poſtulabat. Nam reliqua à Deo adhibita media vt hominem ad ſe pertraheret, etſi omnino vtilia, non tamen efficacia fuerunt, non quidem ex parte illorum & Dei, ſed ex parte hominis, nimirum propter eius duritiem & indiſpoſitionem. *Homo Deo rebellis.* *Ad Iſraël* Dominus *dicit*, ait D. Paulus poſt Iſaiam, *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem*, Rom. 10, 21. Verè expandit ſemper omnipotens & miſericors Deus manus, beneficia innumera conferendo homini, quia manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis, vnde in creatione dedit illi eſſe, non quodcumque, ſed digniſſimum, non lapidis, non plantæ vel beluæ, ſed hominis, ſibiq́ue ſimillimum; diuinam legem ei fuit elargitus, eidemq́ue tamquam peculiariter dilecto ſui cordis arcana aperuit, vt his alijsq́ue innumeris beneficijs attrahi ſe fineret: ſed ingratus, & ipſis lapidibus durior & inſenſibilior, non acceſſit, ſed contradixit, & renuens eſſe apud Deum, dicebat: *Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es*, Iſa. 65, 5. & reddidit mala pro bonis. Quid ergo? Num ſupremus Dux, Rex regum & Dominus dominantium, qui imperat vniuerſis, abſque milite erit? Num Chriſti familia, quæ terribilis eſt vt caſtrorum acies ordinata, peribit, præliatoribus carebit? Non vtique, ſed ex omnibus orbis terræ partibus ad eum & ad illius militiam congregabuntur cuiuſque ſexus ac conditionis homines. Et quomodo? Vexilli erectione, id enim eius familiæ, & noſtra conditio requirit. Chriſti conditio, quia eſt Dux & vexillifer ex millibus; familia eius, quia militia & caſtrorum acies; noſtra ſimiliter natura, quia militia eſt vita hominis ſuper terram. & ipſe Chriſtus Dominus aliquando dixit, ſe in hunc mundum veniſſe, vt indiceret bellum peccato, diabolo & mundo. Igitur cùm Duci militiæ, atque militibus conueniat vexillum, illud eleuetur in nationibus, & nationes ſub illud reducantur. *Crucis virtute reducuntur.* Vnde quemadmodum olim Romani bellum aliquod aggreſſuri, vexilla erigebant, quibus milites ad ſumenda arma inuitabantur, & ſub illis pugnandum: ita, vt homines excitentur ad bellum contra Dei & animæ propriæ hoſtes, congregenturq́ue omnes ſub Duce Chriſto, Chriſti vexillum, ſancta Crux erigatur. *Simile.* *Opus eſt vexillo, & conuolabunt*, inquit Tertullianus Attic. epiſtol. 18. & priùs militiæ dux Chriſtus: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* hoc eſt, Cùm vexillum Crucis, in quo non vmbraticus leo de tribu Iuda delineatus, ſed ipſemet leo crucifixus in Caluariæ monte, in mundi meditullio, in Crucis ſigno eleuatus erit, tunc ex omnibus mundi partibus milites ad meam adducam militiam, qui antèà ad me appropinquare renuebant.

Egregiè ac vere Euangelicus vates Iſaias hoc adhuc clariſſimè vaticinatus fuit, dicens! *Et eleuabit ſignum in nationibus procul, & ſibilabit ad eum de finibus terræ: & ecce feſtinus velociter veniet*, Iſa. 5, 26. *Vnde ſi in magnete lapide, & ſuccinis*, inquit S. Hieronymus lib. 1. Comment. in Matth. c. 9. imò in ferro magnete delinito, *hæc eſſe vis dicitur, vt annulos & ſtipulas & feſtucas ſibi copulent: quantò magis Dominus omnium creaturarum, & Crux ſancta pretioſiſſimo illius Sanguine aſperſa, ad ſe trahere poterat quos vocabat?* Ergo vexilla Regis prodeant, & tunc à quatuor plagis terræ adducentur ad Chriſti militiam fortes bellatores, qui humiles illum adorabunt, dicentes, *Aue ô Crux ſpes vnica*, & eius inhærebunt mandatis. Et hæc eſt ſanctorum Patrum obſeruatio; ſed vnum & alterum audiamus. S. Baſilius in cap. 11. Iſaiæ hoc myſterium hiſce verbis expreſſit. *Crucis partes quadrifariàm diſpertiuntur, ita vt vnaquæque ſuo annutu ſimul quatuor ſpectet mundi partes; vt hac ſignificatione omnes mundi partitiones, per eas ſanctæ Crucis partes ad ſalutem rectè diſpenſentur.* Vnde apparet, Baſilium indicare voluiſſe, quatuor crucis extremitatibus ſignificari omnes quatuor orbis plagas, atque adeò totum mundum ad Crucem ſeu

Vide Greſſerum de S. Cruce Tom. 1. lib 1. c. 3. Beſium de Triumph. Cruce l. 2. cap. 5.

perti-

pertinere seu vocari, adde & per eam sanctificari. Et Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 13. in fine ad idem dixit: *Trophæum Iesu salutare crux omnes congreganit. Hoc Persas seruire fecit, hoc Scythas cicurauit, hoc Aegyptios à cattis & canibus, & varijs erroribus ad Dei cognitionem adduxit: hoc ad hodiernum vsque diem curat morbos, dæmones fugat, & veneficiorum incantationumq; auertit impostoras.*

Secundum mysterium repræsentat quatuor virtutes communicatas.

Secundò, quatuor illis extremitatibus indicantur quatuor eximiæ conditiones à Deo sanctæ Cruci communicatæ. In longitudine contulit æternitatem, non tantùm quòd fuerit ab æterno prædestinata & electa æternæ salutis instrumentum, sed quia videtur Deum ipsam in se æternasse, nam aliquibus sæculis sub ruderibus & sordibus abscondita non computruit; quòd flammis resistat, vt pluries docuit experientia, ita vt ad comprobandum veritatem ligni sanctæ Crucis, sicut & auri, ignis adhibeatur; quòd illius inimici non tantùm illam non consumpserint, sed magis eiusdem custodes exstiterint; ac denique quoniam boni tradunt Auctores, probabiliter in trophæum erigendam esse à Christo, cùm venerit ad iudicium. In latitudine Crucis potentia designatur, & illa satis magna; quòd etsi vile instrumentum, tamen eodem contritæ sint tartareæ potestates, quòd illum deuicerit & fugauerit, cuius tanta est potestas, vt alia in terra ei nequeat comparari; quòd victus est in ligno, qui in ligno vincebat; quòd fortior sit morte, quia eius contactu ipsam destruit mortem, vt alibi explicatum est. In sublimitate illius est indicata maiestas, quæ tanta est, vt ea coronæ Regum & Imperatorum, & mitræ Pontificum exornentur, & ipsa ab omnibus in cælo & in terra adoretur. In profundo notata est sapientia, quia per Crucem, quæ stultitia creditur ab hominibus, placuit Deo saluos facere credentes, mira æquitate ac sapientia Christo satisfaciente Patri, & nos à seruitute peccati liberante.

Potentiam.

Maiestatē.

Sapientiam

§. 2. *Explicantur mysteria quadrangularis Crucis quæ Christum respiciunt.*

Duo mysteria Christum respicientia.

Inter alia mysteria Christum respicientia, quæ in immissa Cruce latent, duo sequentia noto. Primò significatur, per vnionem hypostaticam, Diuinitatem Dei & simul Christi humanitatem toti mundo innotuisse. Vt enim, si duo oblonga ligna in medio per transuersum vniantur in centro, crux efformatur cum quatuor extremitatibus, quibus quatuor orbis respicit partes; ita vnione Diuinitatis & humanitatis hypostaticæ in Verbo, velut in centro, Deus in Trinitate cum assumpta humanitate fuit mundo manifestatus, non amplius in vmbra & figura, sed in luce & manifesta veritate.

Primum, Cruce Diuinitas & humanitas Christi significat.

Christus Dominus *stella splendida & matutina* nuncupatur Apocal. 22, 16. ea arbitror ratione, quia vt stella matutina multiplicibus suis radijs totius vniuersi respicit partes, auroram illuminat, maiorisque solaris lucis nuntia est; ita per incarnationis mysterium Diuinitatem, & cum ea in Verbo vnitam humanitatem, quam significat Crux, quæ suis multiplicibus extremitatibus velut stella respicit & illuminat quatuor orbis plagas, & consequenter totum sedentem in tenebris & vmbra mortis. Vnde Ioannes ad hoc respiciens dixit de Christo: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioannis 1, 9. Et S. Lucas de Filij Dei dispensationis mysterio loquens, expressit Diuinitatem & Trinitatem personarum, nec non assumptam à Verbo humanitatem, Deum & Patrem mittentem: *Missus est Angelus Gabriel à Deo*, Luc. 1, 26. Filium missum, & illi vniendam humanitatem: *Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur*, &c. vers. 31. Spiritum sanctum, admirabile mysterium operantem: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, &c. vers. 35. Hinc in medio noctis nato Domino, noua lux oriri visa est, quæ illam die clariorem reddidit, & suo fulgore in cælo Angelos, in terra homines, diuites in Oriente Reges, & in Iudæa pauperes pastores, illustrauit, qui cognoscentes esse creatorem ac Redemptorem mundi, & ex tribus diuinis personis secundam, venerunt ad eum, & adorauerunt dicentes:

Christus stella matutina.

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & sancto Spiritu, &c.

Idipsum in eodem, sed in Cruce mortuo, luculentiùs obseruemus, quamque eximia scientia sit Crucifixi meditatio, explicemus.

Philosophia est mortis meditatio.

Socrates apud Platonem in Phædone Philosophiam asserebat esse iugem mortis meditationem. Et optima quidem ratione: quia si Philosophia est naturalium rerum cognitio, & istæ omnes in homine aliquo modo continentur (*Omnis creaturæ aliquid habet homo*, inquit Magnus Gregorius Homil. 29. in Euangelia) earumdem naturam vsque ad vltimam resolutionem in hominis obitu assiduò mente versare, magna sapientia & Philosophia est; & tantò magis, quia ei copulatur moralis benè viuendi discipli-

na, & morum in melius mutatio, quod probè intelligens Ecclesiastes dixit: *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit*, Eccle. 7, 3. Et S. Hieronymus: *Facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.*

Fructus meditationis mortis.

Crucifixi cognitio summa sapientia.

Huic veræ doctrinæ inhærendo, liceat mihi addere, Christi Iesu crucifixi assiduam meditationem, esse veram Theologiam, ac supremam rerum omnium cognitionem, siue eæ naturales sint siue morales, an supernaturales & diuinæ. Idque ita esse, tali ratione mihi persuadeo.

Ad cuiuslibet scientiæ exactam cognitionem aliud non requiritur, quàm perfecta subiecti circa quod versatur cognitio: ea enim habita, & scientia habebitur, cùm subiectum omnes veritates illius scientiæ, cuius ponitur subiectum, virtualiter continere, subtiliores affirment Theologi. Vnde Philosophus & Theologus perfectus dicetur, qui Physiologiæ ac Theologiæ subiecti optimam habuerit cognitionem. Et quodnam Theologiæ subiectum est? Res & signa, dixerunt aliqui, quoniam tractat de Deo & rebus alijs, ac de signis, id est Sacramentis. Alij Deum statuerunt; nam & vocis Theologiæ etymologia id præ se fert, quæ *Sermo de Deo* explicatur. Sed nec defuerunt qui asseruerint, Christum Reparatorem nostrum, Christum crucifixum, esse Theologiæ ac omnis perfectæ sapientiæ subiectum; & hos nunc sequamur. Numquid enim, Christo cognito, cognoscimus res & signa, Creatorem & creaturam? Quandoquidē *omnia per ipsum facta sunt*, & *quod factum est, in ipso vita erat*, Ioan. 1, 3. in quo omnia, ex quo omnia, per quem omnia. In ipso res absolutæ ac respectiuæ, diuina & humana natura, increata & creata filiatio, in ipso Pater & Spiritus sanctus, & plenitudo Diuinitatis corporaliter inhabitat. Omnia nobis in Christo, & omnia nobis Christus, vt dixit S. Ambrosius. Sunt in eo signa patentia amoris & dilectionis, vnde salutaria alia signa, quibus nos viuificamur & saluamur, Sacramenta inquam Ecclesiæ, originem traxerunt, quinque videlicet rubentia Vulnera. Vnde dilectus Christi discipulus ac supremus Theologus Christum *librum signatum* nuncupauit, vt diximus superiùs; & Doctor Gentium Paulus, non ab hominibus sed à Christo ipso educatus, dixit in illo esse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei. Cumque ipse sapientissimus esset, suam tamen sapientiam esse Christi crucifixi cognitionem affirmabat. *Non enim*, dicebat, *iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*, 1. Corinth. 2, 2. & optima sanè ratione, quia in illius cognitione tota consistit perfecta sapientia, qua illuminamur, instruimur, in Dei amorem accendimur, atque ad cælestia eleuamur.

Theologia subiectum quod.

Theologia nominis significatio.

Omnia in Christo continētur.

Amplius ex sancta nostra viuifica Cruce, ex Christo Iesu in ea pendente, circumstantiam quamdam, quæ mirabiliter excellentiam ac dignitatem ex eo procedentis cognitionis manifestat, placet hîc apponere: ex Crucifixo nimirum habemus non solùm diuinorum mysteriorum cognitionem, sed perfectam, celerem, atque dilucidam. Et hæc quidem veritas explicari posset eadem quam antè adduximus stellę metaphora: vt quemadmodum stellæ fulgore in tenebris sedentes clarè ac in momento illustrantur & illuminantur, ita virtute viuificæ Crucis habitantes in ignorantiæ tenebris & vmbra mortis, diuino fulgore & in momento illustrari & itradiari. Sed hoc, omissa metaphora, aliunde non minùs appositè explicetur.

Ex cruce clarè ac breui edocemur.

In Canticis canticorum Salomonis capite 8, 6. sponsus Iesus suam sic alloquitur dilectam & fidelem animam: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* In quibus verbis, quantum capio, duo petit Dilectus à Dilecta; alterum, vt ipsa sui imaginem in corde ac brachio suo exprimat; alterum, ne eamdem quomodocumque delineet, pictura nimirum vel scriptura, sed velut sculptura, sigillo & impressione.

Duo petit ab anima Christus.

Verùm cùm signaculum siue sigillum dupliciter accipi possit, primò pro instrumento quo vtimur ad signandum, quod *annulus* communiter in sacris & profanis litteris appellatur, quoniam annulo ad signandum veteres vtebantur; secundò pro ipsa annuli impressione, imagine ac charactere; vtro modo accipi debet signaculum in Domini verbis?

Signaculum & sigillum hic sumitur.

Respondeo, vtroque modo. Ratio est, quia cùm mens illius sit, vt perpetuò sua imago inhæreat cordi Dilectæ, hocque fieri nequeat absque instrumenti admotione, ideò ipsum assumendum est. Quare accipiendus est Christus & cordi affigendus, vt sacra illius imago in eo impressa remaneat, quemadmodum illa faciebat, quæ dicebat: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, Canticor. 2, 12. Et alij plures Christo dilecti idem præstiterunt.

Sed duplicis sponsi Crucifixi petitionis ratio aliqua inquirenda est. Et primò, quare efflagitat Dilectus illud poni in corde & brachio, & non potiùs in capite, vbi omnes

nes vigent ſenſus per quos mens noſtra intelligit, & vbi ſedes eſt ſapientiæ quam imprimit Chriſtus.

Prima petitionis ratio. *Corde vis contemplatiua intelligitur.*

Primò breuiter dici poſſet cum Theodoreto in illum Canticorum locum, per *cor* intelligi vim contemplatiuam, & per *brachium* actiuam: multum ergo abeſſe vt mens excludatur, vel caput, cuius ope ſit operatio, & quod in primis obſignandum eſt, vt clarè poſteà ex Auguſtino dicemus.

Dei cognitio affectum & opus imponit.

Secundò, Chriſti ſcientiam non eſſe ſimplicem cognitionem & intellectus operationem, ſed habere quemdam ſaporem & affectum voluntatis annexum, ideoque eſſe ſapientiam, ſed quæ, vt ſacri docent Theologi, ex corde procedit, Paulo dicente, *Corde creditur ad iuſtitiam*, Rom. 10, 10. & quæ non in ſola ſpeculatione ſiſtit, ſed opus & legis operationem dirigit, ideò enim in brachio ſe vult affigi, vt operetur conſilio manuum ſuarum.

Chriſtum in nobiliſſimo loco collocandus.

Tertiò indicatur nobiliſſimus & gratiſſimus locus in quo ſigillum hoc diuinum, tamquam pretioſiſſimus theſaurus, imprimendum ſit & collocandum, vt quanto in honore haberi debeat, intelligatur. Ob quam rationem maximus pariterque piiſſimus Conſtantinus Imperator decreto cauit, ne vlli facinoroſi cruci affigerentur, vt Crux non ampliùs horrori, ſed amori & veneration omnibus eſſet, vt ſcribit Sozomenus lib. 1. cap. 8. & Auguſtinus Serm. 18. de Verbis Domini: è contrario in pecunijs, quas omnes amant, pluriſque faciunt, Crucis figuram excudi iuſſit, vt ibidem Sozomenus refert, quod poſteà alij Principes obſeruarunt. Theodoſius ſimiliter, pietatem Conſtantini imitatus, prohibuit, ne Crux humi ſculperetur vel pingeretur, ne ſacrum ſignum pedibus calcaretur. Ita enim habetur lib. 1. Codicis, tit. 8. L. Cùm ſit nobis; & ſancta ſexta Synodus Canone 73. expreſsè mandauit, omnes Crucis imagines ſolo ac pauimento inſculptas delendas & obliterandas, ne pedibus conculcarentur; decernendo, cunctos qui Crucis imagines deinceps ſolo imprimerent, anathematis mucrone feriendos, quia victoriæ noſtræ trophæum non iniuria afficiendum, ſed honorandum eſt. Arcadius Theodoſij filius, patrem imitatus, auream monetam cum ſigno Crucis cudi iuſſit, teſte Proſpero de Prædictionibus & promiſſionibus, par. 3. cap. 34. Tiberius quoque optimus Imperator, piam hanc legem ſecutus, cùm vidiſſet in palatio humi Crucem in marmore inciſam, mox erigi iuſſit, dicens: *Cruce Domini frontem, & pectus munire* ſolent alij, *& nos eam pedibus terimus?* Teſtis Paulus Diaconus lib. 18. Rerum Roman. vbi etiam addit, ſub illo marmore repertum ingentem theſaurum ampliùs centum millium aureorum, in remunerationem videlicet pietatis tam religioſi Principis.

In nummis Crux quare cudatur.

Crucis ſignum ſolo inſculpi inuidiſſum.

Honor Crucis exhibitus remuneratus.

Quartò, vt cordis noſtri ſacrificium Deo acceptum ſit. Cor noſtrum Deo offerendum eſt, quoniam illud expoſcit, dicens: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi*, Prou. 23, 26. Sit ergo electiſſimo diuino ſigno munitum, vt Deo acceptum ſit; ſit munitum ſigillo non adulterinæ formæ, ſed legitimæ, & ſui Principis, vt Principi ſit acceptum: cor enim contritum & humiliatum memoriâ Crucifixi non deſpiciet, ſed acceptabit Deus.

Cor noſtrum Cruce munendum, vt Deo acceptum ſit.

Quintò denique, vt per Chriſtum primò viuimus vita gratiæ, ita per eumdem vitâ gloriæ tandem conſequemur. Secundùm Philoſophum cor in homine eſt primum viuens, & vltimum moriens: & ipſo illæſo manente viuit homo, ſicut offenſo, eumdem occumbere neceſſe eſt. Ita nos per Crucifixum in Baptiſmate primò renaſcimur vita gratiæ. *Conſepulti ei in Baptiſmo*, inquit Paulus Coloſſ. 2, 12. *in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis. Et vos cùm mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta*, &c. Et Chriſto labe aliqua peccati non offenſo, etiam nos incolumes vſque ad mortem perſeuerabimus, & ab iſta temporali morte ad æternam vitam per eumdem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum introducemur: quòd ſi benè non cuſtodiatur, recedet, &, vt prædixit ipſe Chriſtus, in peccatis noſtris moriemur. Ergo vt in æternum cum Chriſto viuamus, ſit ipſe perpetuum in corde & corpore noſtro ſignaculum.

Et vt æternam aſſequamur gloriam.

Secunda petitionis ratio.

Et quantum ad alteram diuini noſtri Sponſi petitionem, vt non quomodocumquè Sponſa illum ponat ſuper cor & brachium, tamquam nudam picturam vel ſcripturam, ſed vt ſculpturam & ſignaculum ſiue ſigillum; quid ea metaphora portendit? Quinque, vt opinor, myſteria.

Per Chriſtum omnia Patri offerenda.

Primò, quemadmodum ſcriptura, vel quid aliud, annulo ſignatorio ſiue ſigillo munitur, atque tum fides ei tamquam authentico adhibetur; ita omnia noſtra etſi minima, per Chriſtum finiuntur ac ſtabiliuntur, vt ab æterno Patre tamquam magnæ auctoritatis probentur. *Omne quodcumque facitis*, ait Apoſtolus, *in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum*, Coloſſ. 3, 17.

Secundò, ſigillum ſiue annulus memoriæ deſeruit; vt ergo operum Domini, & mi-

Christi beneficiorum memores esse debemus.

rabilium eius quæ pro nobis operatus est, memores simus, iubet nos se velut signaculo signari, dicens: *Pone me vt signaculum*, &c. quod posteà clarè docuit ab illo educatus Apostolus, dum dixit: *Memor esto Dominum Iesum Christum*, &c. 2. Timoth. 2,8.

Christus perpetuò nobiscum commorari exoptat.

Tertiò indicat, se optare nobiscum commorari perpetuò. Inter pictam imaginem & scripturam, & inter sculpturam hoc interest inter reliqua, quòd illa, saluo subiecto, aboleri radive possit, ista nonnisi ipsius destructione ac consumptione possit auferri. Ergo vt intelligeremus, Christum nulla omnino occasione à nobis deseri debere, vult vt illum non appingamus vel describamus, sed figamus, sculpamus, & sigillo quasi quodam imprimamus. Dilucidè hoc notauerat S. Augustinus in Psalm. 30. prope finem, dicens: *Signum suum Christus in fronte nobis figi voluit.* Et verbo & factis S. Paulus cum alijs Apostolicis viris comprobauit; id enim illa significant verba: *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis) sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*, Roman. 8, 35. Et optima quidem ratione id à nobis exposcit Christus; id Paulus, id alij sancti viri præstiterunt, & nos præstare debemus, non tantùm quia hoc est voluntas Dei, sed quoniam ipse prior in semetipso idem ostendit, vt priùs simili metaphora prædixerat, & factis tandem omnibus palàm fecit. Et hæc est eiusdem Apostoli ratio, *sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos*, antequam nos dilexerimus eum, vt alius dixit Apostolus: *Elegit* enim *nos in ipso ante mundi constitutionem*, Ephes. 1, 4. & *cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo*, Rom. 5, 10. quandoquidem semetipsum pro nobis in mortem, & mortem Crucis tradidit.

In manibus Dei quomodo scripti simus.

Explico totum. Apud Isaiam c. 49, 14. Sioni in hunc modum conquerenti, *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei*, respondit idem Dominus: *Numquid obliuiscì potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.* Posteriora verba aliqui ita vertunt, *in manibus meis sculpsi te scalpello.* Mariana non ad manus ipsas incisionem refert, sed ad annulum qui in manibus gestatur, dicens: *In annulo nomen tuum incisum gero.* Interlinearis absolutè ad memoriam, quam habet Deus Israëlis, refert, *vt semper videam, & memorem te, ne tibi arbitreris penitus derelictam.* Suffragatur Lyranus, dicens: *Ita te habeo in memoria, sicut illud quod tenetur manu.* Verùm ad ipsam incisionem in ipsis manibus factam referunt alij. Leo Castro secundùm Septuaginta Interpretum versionem, quæ habet, *Ecce super manus meas depinxi tuos muros, & coram me es semper*, ita interpretatur: *Ecce in manibus meis sunt cicatrices clauorum depictæ, quibus suffixus sum cruci*, &c. Quæ quidem interpretatio tantò magis mihi probatur, quantò euentu ipso eam confirmatam video: ob enim salutem non modò manus & pedes exciti & affixi fuerunt clauis velut scalpello, sed latus ipsum lanceæ mucrone apertum fuit, vt continuè imbi moraremur, velut in foramine petræ, & cauerna maceriæ. Atque vt id quod in manibus fertur, vel pedibus teritur, aut in pectore seruatur, è memoria dimitti non potest, nec quiescendo, nec ambulando, nec aliud quid operando; ita nostri Deus obliuisci nequit, quemadmodum in præcedentibus alijs verbis manifestè ostendit, *Numquid obliuisci potest*, &c. Quod vt tenaciùs mentibus nostris inhæreret, sigilli sculpturæque similitudine explicauit. Cùm igitur sculptura absque subiecti destructione eradi corrumpive nequeat, homo verò sit in Christi manibus pedibus & pectore profundè sculptus & incisus, consequens sit, vt numquam eius memoria à mente Dei deleri possit, quia Christus manet in æternum, & *resurgens ex mortuis iam non moritur*, Rom. 6, 9. Clarissimè Regius Vates: *In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit*, Ps. 111, 7. & alius quidam Sapiens: *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum; & quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace*, Sap. 3, 1. Et bene securus & in pace viuit, qui in Dei manibus sculptus viuit.

Non potest electorum suorum obliuisci Deus.

Sed quid Dominum per seruos suos Prophetas loquentem memoro? ipsum potiùs ore proprio verba facientem audiamus. Apud Ioannem Euangelistam de electis suis sub ouium metaphora hunc in modum ait: *Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea*, Ioan. 10, 28. non homi-

Felix præ destinatorum sors.

homines, non dæmones, non Angeli ſancti, non creatura alia, non ipſe creator poterit illos rapere de manibus Chriſti, neque perire vllo modo ipſæ poterunt, quia intimè in manibus eius ſculptæ, adeoque vnum cum illo factæ ſunt; quoniam, vt Paulus ait, *qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt*, 1. Cor. 6, 17. Et Dominus vtique Chriſtus Deus eſt, qui deficere numquam poteſt, ſed in ſæcula ſæculorum permanet: igitur vnà cum illo ſimul & felices illæ oues, electi inquam, perpetuò manebunt.

Obiectionis ſoluitio.

Neque moueat quempiam, Sionem illam, cui tam illuſtris facta eſt promiſſio, hodie omnino eſſe exciſam, & factam aceruum lapidum; Sionem etiam myſticam, electas nimirum animas, ſæpè de manibus Dei per peccatum dilapſas fuiſſe, & indies elabi: quoniam de reſtauratione illius, & de harum redemptione perpetim eſt ſollicitus. vnde tandem, *Suſcitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit: & readificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant inſtaurabo: & readificabo illud ſicut in diebus antiquis*, ipſe Dominus per Amos Prophetam cap. 9, 11. miſericorditer eſt pollicitus, & infallibiliter electos ſuos à peccato ſuſcitabit, ne pereant in æternum. Hic iam tu, quæſo, aſſiduè contemplare ac mirare peruigilem Dei de electis ſuis ſollicitudinem, vt gratus illi ſis, & quemadmodum ille te in manibus, pedibus & latere ſuo inſculptum circumfert, ita viciſſim tu eumdem ponas vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.

Iugis paſſionum Chriſti conſideratio verſetur in fideli anima.

Quartò, ideò Deus Dilectæ ſuæ mandat, ne tamquam leuem picturam vel ſcripturam, ſed vt ſculpturam & ſigillum, ponat eum ſupra cor & brachium ſuum, vt quanto labore pro ſua ſalute ab eo ſudatum ſit, conſideret, ac grata viciſſim ei exiſtat. Character & imago ope ſigilli nullo ferè negotio & in momento perfectè imprimitur, ſed ſigillum ipſum nonniſi multo igne, duriſſima celte, labore ac arte exquiſitiſſimis ſculpitur & efformatur. Haud diſſimiliter ſalus noſtra facillimè quidem in nobis perficitur, & diuina imago, anteà per peccatum deſœdata, momentaneo dolore, breui contritione, paucis lacrymis & dilectione modica (ſi tamen vera & cum perfecta peccati deteſtatione cõiuncta ſint) reſtituitur, vt ex ſacris Litteris edocemur: inſtrumentum tamen illud quo character ille reformatur & imago renouatur, multo tempore, maximo labore, plurimis lacrymis, cruento ſanguine, duriſſimis flagellis, acutiſſimis ſpinis, pungentiſſimis clauis, penetrantiſſima lancea, & ipſa denique diriſſima Crucis morte efformatum fuit. Hoc vtique attentiùs eſt conſiderandum, ne facilitas veniæ ſceleribus incrementum præbeat.

Scientia humanitus acquiſita & ex Chriſto comparata, diſcrimen.

Quintò denique pro noſtro ſcopo per metaphoricam illam locutionem inſinuare voluit Saluator noſter magnum diſcrimen, quod inter hauſtam ab eo ſcientiam, & inter humano modo acquiſitam intercedit. Hæc nonniſi multo tempore & labore, multis erroribus & imperfectionibus implicata addiſcitur, quoniam eius acquiſitio fit per deceptorios ſenſus, adeò vt non defuerint Philoſophi, qui affirmarint nullius rei haberi poſſe ſcientiam; & eſto aliqua habeatur, eam imperfectam eſſe, & plerumque imperfectos facere; item inflat, inimica eſt Deo, terrena, animalis, diabolica, quam perdet & ſtultam faciet Deus: ſed iſta quæ è Crucifixo comparatur ſapientia, deſurſum eſt. *Primùm quidem pudica eſt*, inquit Iacobus cap. 3, 17. *deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, non iudicans, ſine ſimulatione*, & breuî abſque errore, à quo longiſſimè abeſt, perfectiſſimè addiſcitur. Vnde humanam ſcientiam ſimilem dices picturæ vel ſcripturæ, quæ nonniſi labore multo & tempore efformatur, & vix abſque errore; ſed diuinam, & quam docet Chriſtus, impreſſo characteri vel impreſſo libro, qui breuî abſque errore ac clarè euditur & in lucem prodit. Vnde Dauid dicebat: *Beatus homo, quem tu erudieris Domine*, Pſ. 93, 12. Vtique beatus: quia haud ſecùs ac Beatus in patria, omnia in Verbo, in momento, vel ſine diſcurſu, vel ſaltem breuiſſimo, & clarè videt, abſque labore ac laſſitudine, imò magno cum gaudio & voluptate; quod humanæ ſcientiæ diſcipulis non datur. Vnde his occupationem peſſimam, id eſt laborioſam atque periculoſam datam fuiſſe, dixit Eccleſiaſtes. Et Gentilis quidam ac huius mundi ſapiens in eamdem ſententiam dixit:

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecitq; puer, ſudauit & alſit.

Huius rei comprobandæ gratia, duo vel tria profero exempla. Primum ſit in beatiſſimo Chriſti diſcipulo & Euangeliſta Ioanne. Et qualiſnam, quæſo, hic fuit, antequam ad Chriſti ſcholam admitteretur? an doctus, atque in huius mundi Academijs & ſcientijs inſtructus? Non vtique, ſed ſimplex piſcator, piſcationi aſſuetus, & ad reficienda retia educatus, adeò vt ſanctus Ioannes Chryſoſtomus Homilia de Ioanne Baptiſta, Tomo 3. ad indicandam illius magnam ſimplicitatem & ignorantiam,

Primum exemplum S. Ioannis.

tiam, non tantùm piſcatorem, à quo omnis humana ſapientia abeſſe ſolet, ſed *piſcatorem indoctum* appellarit. Verùm idem ſanctus Doctor poſteà eumdem Euangeliſtam Theologum per excellentiam nuncupat, & hoc eſt illius cognomen, propter ſublimem ac præcellentem eius ſapientiam ac diuinarum rerum cognitionem. Ioannes enim non ſolùm Chriſti humanitatem, vt alij fecerunt Euangeliſtæ, ſed illos ſupergrediens vſque ad Trinitatis ſolium, eiuſdem Diuinitatem reſerauit, & *Filij Dei nomen, quod aliàs infuſa ſapientia ſapientiſſimus Salomon ignorauit, ipſe expreſſit, & eiuſdem ſignificationem non ſiluit. Quare non minùs eleganter quàm verè de eodem Ioanne dixit S. Auguſtinus Tract. 36. in Ioannem: *Sanctus Ioannes Apoſtolus non immeritò ſecundùm intelligentiam ſpiritalem aquilæ comparatus, altiùs multoq; ſublimiùs alijs tribus erexit prædicationem ſuam: & in eius erectione etiam corda erigi voluit. Nam ceteri tres Euangeliſtæ, tamquam cum homine Domino in terra ambulantes, de Diuinitate eius pauca dixerunt: iſte autem, quaſi pigneret in terra ambulare, ſicut ipſo exordio ſui ſermonis intonuit, erexit ſe non ſolùm ſuper terram & ſuper omnem ambitum aëris & cæli, ſed ſuper omnem etiam exercitum Angelorum, omnemq; conſtitutionem inuiſibilium poteſtatum: & peruenit ad eum, per quem facta ſunt omnia, dicendo: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, &c.

Sed vnde tanta ei ſapientia, vt ex indocto piſcatore, Theologiæ magiſter, ac per antonomaſiam Theologus fuerit & appellatus ſit? Dices, quia ad Chriſti ſcholam admiſſus, & ab eodem educatus fuit, qui eſt diuinæ ſapientiæ magiſter. Verè quidem, ſed alij etiam Apoſtoli & diſcipuli fuerunt litteris in illius ſchola imbuti, vbi ipſemet docebat ore proprio, & quæ à Patre ſuo audierat manifeſtauit; vt fideles alios præteream, qui nonniſi Chriſti doctrina educati ſunt, qui tamen nec tantam ſapientiam, nec talem nominis ſui famam, vt Ioannes, adepti ſunt.

Dicet alius, inde Ioanni tantam obueniſſe ſcientiam, quia vidit in monte Thabor Magiſtri ſui faciem gloria fulgentem, ipſumq; totum ſplendore circumfuſum. Sed Petrus etiam, & Ioannis frater Iacobus, illius gloriæ ac magnitudinis ſpeculatores facti fuere, nec tamen proinde tam eminentem ſapientiam & celebritatem nacti ſunt, quoniam nec probè potuerunt faciem illius contemplari, ſed nimio ſplendore exterriti, ceciderunt in facies ſuas, & timuerunt valdè, & de Petro, qui in ſacro illo monte figi tabernacula deſiderabat, dixit Euangeliſta Marcus, quod neſcierit quid diceret, vt poſteà ipſe Chriſtus duobus alijs diſcipulis, qui honorem ſeſſionis ad dexteram & ſiniſtram in Regno eius petebant, dixit, *Neſcitis quid petatis*; & omnes vniuerſim poſteà diſcipuli ob ignorantiam & mentis tarditatem ad intelligendum redarguti fuerunt.

Aliter ergo dicendum, tantam eum fuiſſe nactum cognitionem & celebritatem, quia priuilegio amoris præcipui, ceteris altiùs à Domino meruit honorari, dum in vltima cœna ſupra illius pectus recumbenti ei reuelata ſunt ſecreta cæleſtia, & fluenta Euangelij de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potauit. Ita docet Eccleſia in Officio S. Ioannis, ita docent communiter Doctores. Hoc verò hac ratione perſuaderi poſſe perſuaſum habeo. Alter Ioannes, ſimiliter Chriſto dilectus, cùm adhuc eſſet in vtero matris, de Chriſto, cuius erat præcurſor, dixit: *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit*, Ioan. 1, 18. Hoc eſt, Nulla mortalis creatura Deum poteſt perfectè cognoſcere, quoniam illum numquam facie ad faciem vidit, ſed obſcurè ac tamquam per ſpeculum in ænigmate. Diuina hæc cognitio vnigenito Filio Dei ſeruatur. Et quare? quia eſt in ſinu Patris, & omnia illius intuetur arcana, ideò ipſe enarrauit. Similiter ego de Ioanne noſtro dico, Nullus fuit, qui arcana myſteria diuinitatis Chriſti expreſſerit, ſolus id præſtitit Ioannes dilectus. Et quare? quia recubuit ſupra pectus Filij Dei. Adderem tamen libentiſſimè, tunc quidem dilectum diſcipulum magnam ex Chriſti non ſolùm aperto pectore hauſiſſe doctrinam, multò tamen maiorem & clariorem, quando in Caluariæ monte, velut liber ſigillis ſeptem clauſus, fuit lanceæ ferro apertum: tunc, inquam, cæleſtes ſapientiæ & ſcientiæ Dei theſauri Ioanni reſerati ſunt, & ipſe non modò corporis, ſed multò magis ſpiritus oculis vidit. *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius*, Ioan. 19, 35. Vnde liceat mihi iure merito verba illa à D. Auguſtino de Ioanne in vltima cœna ſuper clauſum Chriſti pectus recumbente dicta, vſurpare de eodem in conuiuio Crucis ſupra Caluariæ montem celebrato, apertum Dominicum pectus contemplante: *Non enim ſine cauſa de illo in iſto ipſo Euangelio narratur, quia & in conuiuio ſuper pectus Domini diſcumbebat:* dicam ego, quia ſtabat iuxta Crucem Ieſu, videbatq; quòd vnus militum lancea latus eius aperuerit, vnde ſibi ea patebant arcana, quæ alijs, qui non viderant, abſcondita fuerunt.

Ex Chriſti pectore ſublimem hauſit ſcientiam Ioannes.

runt. *De illo ergo pectore in ſecreto biberat. Sed quod in ſecreto bibit, in manifeſto eructauit: vt perueniat ad omnes gentes non ſolùm incarnatio Filij Dei, paſsio & reſurrectio, ſed etiam quòd erat ante incarnationem vnicus Patris, Verbum Patris, coæternus generanti, æqualis ei à quo miſſus eſt.*

Thomas ex vulneribus Chriſtum cognouit.

Etſi incredulus & in infidelitate pertinax Thomas, ſimplici tactu, imò aſpectu benedicti lateris Saluatoris, tantum profecit, vt ex incredulo credens & confitens factus ſit, & Chriſti humanitatem & Diuinitatem confeſſus fuerit, dicens: *Dominus meus, & Deus meus*, Ioan. 20, 28. quid de dilecto ac fideli diſcipulo dicendum erit, qui non volatili aliquo intuitu, ſed continuis aliquot horis vidit in Cruce apertum Seruatoris latus, & Vulneris opificem attentiſſimè obſeruauit?

Vide Gregorium Hom. 26. in Euang.

Et hinc mihi videtur colligi poſſe duarum difficultatum ſolutio. Altera eſt, quare Ioannes Apoſtolus præ ceteris beatiſſimi titulo decoretur; ita enim de eo ſancta Eccleſia canit in Officio: *Hic eſt beatiſsimus Euangeliſta & Apoſtolus Ioannes, qui priuilegio amoris præcipui, ceteris altiùs à Domino meruit honorari.* ſcilicet, quia *ſupra pectus Domini in cœna recubuit.* Sanctorum beatitudo in cognitione Dei conſiſtit, ſed non quacumque, quia non in naturali illa quæ de Deo haberi poteſt; neque in reuelata, vel per ipſas infuſas ſpecies; ſed in intuitiua Verbi, quæ etiam per ipſummet Verbum habetur. Hinc vulgatum illud Theologorum proceſſit axioma, *Beati vident omnia in Verbo.* Igitur cùm ex ſpeciali priuilegio conceſſum fuerit Ioanni in Verbo ipſo quæ Dei ſunt videre, cùm adhuc in hac vita exiſteret, tamquam præcipuam beatitudinis partem aſſecutus, *beatiſsimus* iure merito appellatus eſt.

Ioannes beatiſsimus cur dictus.

Altera difficultas eſt, quare S. Ioannes ſibi fidem conciliet ex eo quòd viderit. Alij Euangeliſtæ, quantum aduerti, non requirunt ſibi dari fidem, propterea quòd ea quæ retulerint proprijs oculis viderint, vel à fide dignis viris acceperint. Et meritò, quia nullum humanũ teſtimonium firmum. Quia, vt in mentis exceſſu dixit Propheta Pſalmo 115, 11. *Omnis homo mendax.* Et ſanè nos ſacris Scriptoribus haud credimus ideò quòd viderint ea quæ narrant, ſed quia Spiritu ſancto inſpirati locuti fuere, vt dixit Apoſtolorum Princeps & eius Coapoſtolus Paulus: & eo eos modo locutos fuiſſe, ſancta Eccleſia, quæ, vtpote à Spiritu ſancto edocta, errare non poteſt, nos docuit. Hinc ille idem Apoſtolus, illorum ſermonem præfert ſuo ſenſui & humano iudicio. Et hæc vtique vera doctrina non latuit Magiſtrum Theologorum Ioannem, quare ergo ſingulariter ideò ſibi fidem dari contendit, quia viderit? In Euangelio cap. 19, 35. ait: *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium eius.* & initio primæ Epiſtolæ inquit: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ. & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam*, &c.

Cur ſibi fidem præſtari intendat.

Sacris Scriptoribus cur credendum.

Dicendum, ideò Ioannem poſtulare ſibi fidem eo nomine quòd à ſe relata viderit, quia ea vidit non tantùm oculis corporis, ſed oculis potiùs mentis, ac diuina reuelatione, Verbiſque manifeſtatione: cui cùm tota Eccleſia teſtimonium perhibeat, ideò iure ſibi oculato teſti & inſpectori præſtari fidem contendit. Et hæc de S. Ioanne Euangeliſta & primo exemplo ſatis.

Secundum S. Franciſci exemplum.

Secundum exemplum ſit illius Angeli, quem, habentem ſignum Dei viui, vidit in ſpiritu idem Ioannes antequam in mundo appareret: ſanctum Patrem Franciſcum dico. Fuit hic Franciſcus vir omnino ſimplex, in publicis mũdi huius Vniuerſitatibus & ſcientijs minimè inſtructus. *Etenim*, vt Seraphicus inquit Bonauentura in illius Vita, cap. 1. *inter vanos fuit hominum filios, iuuenili ætate nutritus in vanis; & poſt aliqualem litterarum notitiam, lucratiuis mercationum deputatus negotijs.* Humano ſtudio Scripturam ſacram & res diuinas non didicerat, & tamen de ipſis mirifice differebat. *Et quamuis*, ait idem Bonauentura cap. 11. *non habuerit ſacrarum Litterarum peritiam per doctrinam, æterna tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda miro intellectus ſcrutabatur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium myſteriorum abſcondita; & vbi magiſtralis ſcientia foris ſtat, affectus introibat amantis.* Et paucis interpoſitis ſubiungit idem Sanctus: *Interrogatus Senis à quodam religioſo viro, Theologiæ ſacræ Doctore, de quibuſdam quæſtionibus difficilibus intellectu, tanta claritate doctrinæ, diuinæ ſapientiæ patefaciebat arcana, vt vehementer ſtuperet vir ille peritus, & cum admiratione referret. Verè Theologia ſancti Patris iſtius, puritate & contemplatione, tamquam alis in altum ſubuecta, eſt aquila volans: noſtra verò ſcientia ventre graditur ſuper terram. Licet enim eſſet imperitus ſermone, ſcientiâ tamen plenus enodabat dubia quæſtionum, & abſcondita producebat in lucem.*

S. Franciſci educatio & humana ſcientia.

Supernaturalis cognitio.

Franciſci ſtudium totum in Crucifixũ, à quo ſublimem hauſit ſcientiã.

Et vnde tam altam Theologiam, ac ſublimem didicit ſapientiam ſanctus Pater? vtique ex Chriſto Ieſu crucifixo, quia *totum viri Dei ſtudium tam publicum quàm priuatum*

tum circa Crucem Domini versabatur, inquit idem Seraphicus Doctor.

Tertium S. Bonauentura exemplum.

Tertium exemplum sit S. Bonauentura, eximius ac Seraphicus Ecclesiæ Doctor, & verus S. P. Francisci filius. Celebris & admiranda planè fuit illius doctrina, & tantò magis, quòd breui illam didicerit, ac alios docuerit, vt omnibus in sancta Dei Ecclesia satis superque notum est: nec tamen cuiquam vsque adeò mirum videri debet, quoniam Christo Iesu crucifixo studuit: vnde &, ipsum esse sacræ Theologiæ subiectum, docuit, ab eoque se illam didicisse, conceptis verbis confessus fuit. Cùm Angelicus Doctor D. Thomas Aquinas, Bonauenturæ coæuus, & magna familiaritate coniunctus, aliquando Parisijs in Seraphico Doctore excellentis doctrinæ non modò vim, sed copiam animaduerteret simul ac admiraretur, ipsum conuenit, & ab eo sibi eius bibliothecam ostendi petijt, vt libros conquireret, vnde tam multiplicem atque adeò magnam eruditionis vbertatem hauriret. Is verò Christi Domini Cruci affixi imaginem demonstrauit, è quo fonte vberrimo se accipere profesſus est, quidquid vel legeret vel scriberet. Ita refert Sedulius in Historia Seraphica in Vita S. Bonauenturæ, cap. 8. n. 6. Abundantia huius mysterij Crucis, quàm volebam, longiùs traxit, & hic illius sit finis, & ad alterum calamum conuertamus.

Christus Crucifixus S. Bonauenturæ bibliotheca.

Secundum mysterium, idiomatum communicatio.

Secundò significat quadrangula Crux, præter copulatam humanitati Diuinitatem, etiam veram idiomatum communicationem, quæ obuenit Christo ratione hypostaticæ vnionis, ita vt de eo verè, quæ de Deo & homine dicuntur, enuntiari possint. Vt hoc explicem, è penetralibus Catholicæ doctrinæ nonnihil de Filij Dei incarnatione præmittendum est. Ex vnione hypostatica duo obuenerunt Christi humanitati: primum, multa dona creata & infusa, vt gratia excellentissima & summa, cum pari sapientia, potentia singularis, & alia id genus, de quibus nos anteà aliquid diximus, & posteà dicemus, quæ tamen non sunt attributa Deitatis, nisi per participationem quamdam, quomodo etiam nos participamus Dei attributa per creatas qualitates, licet minùs perfectè quàm Christi humanitas ea participet. Et in his non consistit idiomatum communicatio: ratio est, quia communicatio idiomatum est mutua, qualis illa esse non potest, quoniam ex ea donorum communicatione humanitati Christi nihil accessit, Deitati nec accedere quidquam potest.

Ex hypostatica vnione duo humanitati Christi obuenerunt. Primum, dona creata & infusa.

Secundum, idiomatum communicatio.

Secundum quod humanitati Christi ex sacra incarnatione obuenit, fuit communicatio idiomatum. Et quænam ista? Non est quidem realis respectu ipsarum naturarum, quasi ipsa Diuinitas facta sit passibilis, & humanitas realiter sit facta omnipotens; hoc enim asseuerare, hæreticum esset. *Salua vtriusque naturæ proprietate, & in vnam concurrente personam*, &c. dicitur in Concilio Chalcedonensi, Actione 5. Idem in alijs. Sed realis est respectu hypostatis vtriusque naturæ; non autem respectu ipsarum naturarum, vt expresè præter Scholasticos Theologos, docent sancti Patres, Ambrosius lib. 2. de Fide, cap. 4. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 13. Cyrillus Alexandrinus in Defensione 4. Anathem. & Damascenus lib. 3. c. 4. ait, idiomata communicari, nihil esse aliud, quàm proprietates vtriusque naturæ applicari communi hypostasi, & proinde ipsis naturis in concreto, quia concreta nomina pro supposito accipi possunt, licet formaliter naturas significent. Itaque rectè dicimus, *Deus est natus ex Virgine, passus, mortuus*, &c. quia *Deus* accipi potest pro quolibet supposito diuino, & proinde pro supposito secundæ personæ, quod est simul diuinum & humanum: quod suppositum verè ac realiter est Deus, & verè ac realiter est homo, & proinde verè ac realiter est natum ex Virgine, passum, mortuum, &c. Pari ratione rectè dicimus, *Christus homo est, omnipotens, æternus*, &c. quia *homo* in concreto est loco suppositi humani; in Christo autem suppositum diuinum & humanum vnum est, & cùm sit diuinum, consequenter est omnipotens, æternum, &c.

Quid ista.

Mysterium explicatur.

Hæc quæ hactenus explicauimus, mihi videntur adumbrati in nostra quadrangula Cruce. Hæc constat ex duplici ligno, quorum alterum alteri in medio superponitur. Illa duo ligna ante vnionem proprias suppositiones & propria prædicata habebant, sibi inuicem non communicata; vt lignum rectum, habebat quidem sursum & deorsum, non autem dextrum & sinistrum, vel latitudinem, vt satis constat, quæ tamen si vniantur, & fiat immissa Crux, huius vnionis ratione propria illa singularum partium prædicata fiunt ipsi Cruci communia. vnde S. Apostolus ipsam appellauit *latitudinem, longitudinem, sublimitatem, & profundum*. Et hoc sanè ratione partium in Cruce formaliter vnitarum & existentium: *Nam latitudo est in eo ligno, quod transuersum desuper figitur*, inquit Augustinus Epist. 220. *longitudo in eo quod ab ipso ligno vsq; ad terram conspicuum est; altitudo est in ea ligni parte, quæ ab illo quod transuersum figitur, sursum versus relinquitur. Iam verò illud ex ligno, quod non apparet, quod fixum occultatur,*

vnde

vnde totum illud exurgit, profunditatem ſignificat. Ita ſanctus ille Doctor, cui alij conſentiunt. Vt iam diximus, lignum erectum Diuinitatem, & tranſuerſum humanitatem Chriſti ſignificat; vnio verò in medio & centro, vtriuſque in diuino Verbo conuenientiam & ſubſiſtentiam. Ex illa vnione lignorum, ſingulorum proprietates ac prædicata non quidem ſibi inuicem communicãtur, ſed ex ipſis vnitis reſultanti Cruci. Simili modo ex vnione naturæ diuinæ & humanæ in Verbo, ſaluis cuiuſque naturæ proprietatibus ac prædicatis, per communicationem idiomatum omnia Verbo adſcribuntur, & de eodem prædicantur.

Diuinitatis prædicata de Chriſto enuntiantur.

Ideò ſancti Patres tam ea quæ diuinitati, quàm quæ humanitati Saluatoris conueniunt, ſignificari tradunt in quadrangulæ Crucis extremitatibus, & omnia verè de Chriſto prædicantur ratione diuinæ eius ſubſiſtentiæ qua deitas & humanitas ſubſiſtunt. Hinc aliquando ex dictis extremitatibus deducunt myſteria, quæ enuntiantur de Chriſto ratione Diuinitatis, vt S. Gregorius Nyſſenus, dum ait: *Nouit eâ figurâ diuinus Apoſtolus quatuor cornibus, è medio prouenientibus deſcripta, potentiam & prouidentiam illius qui ex ipſa pependit, declarari; & idcircò partes illius ſingulas propriis nominibus appellauit: eam enim, quæ à medio deorſum vergit, profundum vocat: quæ autem ſurſum, altitudinem; latitudinem verò & longitudinem, illas quæ vtrimque tranſuerſæ protenduntur; vt quæ hinc à medio producitur, latitudo; quæ autem illinc, longitudo nominetur.* Hæc ille Oratione 1. in Reſurrectionem Domini.

Hac ratione meritò poſſunt de Chriſto prædicari eædem ſituationes, quæ per analogiam ſanctus Iob de Deo dixit: *Excelſior cælo eſt, & quid facies? Profundior inferno, & vnde cognoſces? longior terra menſura eius, & latior mari*, Iob. 11, 8.

Et proprietates humanitatis.

S. Bernardus referauit aliqua quæ de Chriſto verè enuntiantur ratione humanitatis, dum Serm. 1. de Reſurrect. Domini dicit, Chriſtum Dominum quatuor virtutum gemmis planè inſignibus, quatuor ſanctiſſimæ Crucis ſuæ cornua exornaſſe, cùm pendens in Cruce patientiam exercuerit, humilitatem commendauerit, obedientiam adimpleuerit, charitatemque integrè perfecerit: quæ quidem in Crucis eminentiori loco ſteterit, obedientia ad dexteram, patientia ad ſiniſtram, humilitas verò, quæ virtutum eſt radix, ſteterit in profundo. *His*, ſubdit ille, *trophæum Crucis ditauit, cùm ad Iudæorum blaſphemias humilis, ad vulnera patiens, intus linguis, clauis exteriùs pungeretur: nam & charitas in eo perfecta eſt, quòd pro amicis animam poſuit; & obedientia conſummata, cùm inclinato capite tradidit ſpiritum, factus obediens vſque ad mortem.* Ad idem & alia faciunt, quæ mox ſubijciemus.

Poſitionum Crucis alia ſignificatio.

Alij referunt ad ea quæ vtrique naturæ accommodari poſſunt, vt *longitudo* ſignificet æternum Dei decretum de Filio Dei, & natura humana eidem in plenitudine temporis hypoſtaticè vnienda, Apoſtolo dicente: *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute*, Rom. 1, 4. *Latitudo* charitatem, quæ Dei Filium è cælo in terras demiſit, qua factus homo crucem aſcendit, ponens pro nobis animã ſuam, vt omnes homines ab inferni cruciatibus liberaret, & ad cæleſtia regna reuocaret: *altitudo* maieſtatem, quia quà Deus eſt & homo, eximius ei debetur honor & gloria; vnde exaltatus eſt ſuper omnes cælos, & ſedet à dextris Dei: *profundum* diuinam ſapientiam, quæ in Chriſto originaliter erat ſapientiſſima quà Deus, & in excellentiſſimo gradu quà homo; quia illa infinita, iſta ſumma. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, dicebat ipſe Chriſtus Matthæi 11, 27.

§. 3. *Enucleantur myſteria in quadrangulari Cruce inuoluta, quæ homines reſpiciunt.*

Duo Crucis myſteria homines reſpicientia.

Myſteria recondita in quadrangula Cruce quæ nos homines reſpiciunt, & ſatis ſunt moralia, duo ſimiliter adnoto, quæ benè obſeruata, nobis ſternent viam, protegent, opemque ferent ad cæleſtem patriam properantibus. Primum ſit, quòd quadrangula Crux Saluatoris ſit nobis ſcutum, gladius & haſta, quibus non ſolùm ab hoſtibus nos protegamus, ſed & eoſdem debellemus. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, dixit Rex & Dux noſter Chriſtus Matth. 11, 12. Iſta quæ infertur violentia, ex duplici prouenit capite, ex nimirum huius vitæ inſurgentibus tribulationibus, quæ ſeruos Dei præſertim circumdant, & ex dæmonibus iuratis ac potentiſſimis hoſtibus. De illis dixit S. Apoſtolus: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei*, Actor. 14, 21. de iſtis Magnus Gregorius Homil. 11. in Euangelia: *In præſenti vita quaſi in via ſumus, qua ad patriam pergimus: maligni autem ſpiritus iter noſtrum quaſi quidam latrunculi obſident.* De vtriſque dixit Regius Vates: *Qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum, iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi*, Pſal. 139. 5. & Gentium Doctor: *Foris pugnæ, intus timores*, 2. Cor. 7, 5. Qua ergo te indigemus,

Primum eſt gladius & clypeus contra hoſtes.

Vnde hominis bellum.

vt cælum rapere possimus? Armis depulsorijs siue defensiuis, & inuasorijs siue offensiuis. Clypeo, inquam, patientiæ, quo à tribulationibus nos defendamus, ne ijs succumbamus; *(Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem,* inquit Paulus Hebræor. 10,36.) *Vnde victoria.* & clypeo vel gladio virtutis Dei, quo muniti & accincti, fortiter hostem inuadamus; quia non coronabitur nisi qui legitimè certauerit, vt idem inquit. Vtriusque vicem supplebit vnica & sancta Crux nostra, si eâ nosmetipsos in fronte & toto corpore muniamus, & patientem in ea Saluatorem continua cogitatione in mente, corde ac corporis mortificatione circumferamus. Est enim turris illa Dauid, ex qua mille clypei pendent, & omnis armatura fortium. Hinc S. Cyprianus de signi Crucis virtute agens, inter alia hæc dixit Testimon. aduerſ. Iudæos lib. 2. *Hoc signo Crucis & Amalec victus ab Iesu per Moysen.* ac si dixisset: Amalec, qui transitum filiorum Israël ad Terram repromissionis impedire moliebatur, deuictus fuit à Iosue per Crucis signum, quod Moyses, expansis manibus orans, figurabat: ita fideles multò magis non figurâ Crucis, sed Cruce ipsâ, iam per Sanguinem Christi sanctificata, & efficacissimis virtutibus instructa, quoslibet profligabunt hostes, qui iter salutis & ad Terram viuentium impedire fategerint.

Manu & animo omnia Cruce signanda. S. Ephræm Syrus in Panoplia salubre hoc suggessit consilium: *Loco scuti, Crucis signo teipsum muni, signans eo membra tua omnia. Neque verò sola manu te signes, sed etiam animo; & studia tua, & ingressum tuum, & exitum tuum, & lectulum tuum, & quæcumque pertransis, signa primùm in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: validissima quippe huiusmodi armatura est; nullusq; tibi vmquam nocere poterit, si ea munitus fueris. Nam si quis terreni Regis signaculum defert, eum ladere nemo audet; quantò magis nos, qui tale cælestis Imperatoris signum ferimus, neminem metuere possumus? Hisce ergo armis, mi frater, affatim vtere; sunt enim vehementer contraria telis inimici, imò & potiùs gladio & amarissimæ scilicet grauissimæq; iracundiæ. Huiusmodi quippe velut anceps gladius, vno momento perimit eum, quem percutit; sicut scriptum est: Momentum enim furoris, ruina illius. Ideò, mi frater, numquam signare negligas, & laqueos destruas, quos tibi tetendit diabolus; scriptum quippe est: In hac via qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. Hoc igitur te signo assiduè munias, & malum non appropinquabit spiritui tuo.*

Origenes quoque, vt quanta sit huius Crucis virtus & potestas indicaret, in Tractatu de Cantico quod cecinit Moyses cum populo, & Maria cum mulieribus, sic dixit: *Quid timent dæmones? quid tremunt? Sine dubio Crucem Christi, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum & potestates. Timor ergo & tremor cadent super eos, cùm signum in nobis viderint Crucis fideliter fixum, & magnitudinem brachij illius, quod Dominus expandit in Cruce: sicut dixit, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. Non te ergo aliter timebunt, nec aliter tremor veniet super eos, nisi videant in te Crucem Christi; & nisi & tu poteris dicere: Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et lib. 6. in Epist. ad Romanos sic scribit: *Est enim tanta vis Crucis Christi, vt si ante oculos ponatur, & mente fideliter retineatur, ita vt in ipsam mortem Christi intentis oculis mentis aspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit inuidia; sed continuò ad eius præsentiam, totus ille quem suprà enumeranimus, peccati & carnis fugatur exercitus.* *Magna Crucis virtus contra dæmonem.*

Et hunc sensum habere ea Apostoli verba quæ considerauimus, indicauit ipsemet Apostolus alijs immediatè præcedentibus, *Propter quod peto,* inquit, *ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra,* Ephes. 3,13. ac si dixisset: O Ephesij mei charissimi ac desideratissimi filij, quos in visceribus Iesu Christi per Euangelium ego genui, in quo & gloriamini, timeo ne scandalum & tristitiam patiamini, quòd ex me audieritis, eos qui sæculum hoc nequam deserunt, illiusque mala opera relinquunt vt Christum immaculati sequantur, ideoque omni honore ac consolatione digni videbantur, nihilominùs multas tribulationes pati debere, vnicamque hanc eis superesse viam ad æternam gloriam perueniendi; præcipuè dum videritis, me patrem ac magistrum vestrum innocentem, maiora latronum pati supplicia, carceri traditum, vinculis circumdatum, virgis cæsum, lapidibus obrutum: sed bono estote animo, tolletur scandalum, cessabit admiratio, omniaque æquanimiter sufferetis, si alta mente consideraueritis, quòd non sit discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum; & quòd si impij me persecuti sunt, & vos persecuturi sint; & si patitur caput, pati etiam debere membra. Quin ampliùs respicite in auctorem fidei & consummatorem Dominum Iesum, innocentem, impollutum, segregatum à peccatoribus, ipsis cælis excelliorem; qui tamen innumeris, maximis atque continuis fuit tribula- *Cruce scandalum & admiratio tollitur, quòd tales patiantur.*

bulationibus circumdatus & preſſus, ac denique actus in malam crucem. Ne ergo deficiatis in tribulationibus, *flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, vt det vobis ſecundùm diuitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per ſpiritum eius in interiorem hominem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati & fundati*, verſ. 14. vosque obnixè precor & hortor, *vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei*, verſ. 18. Conſiderate, inquam, in omni tribulatione veſtra primùm *profundum*, id eſt, magnitudinem dolorum & ignominiarum Chriſti Ieſu crucifixi; deinde *longitudinem*, qua per totos continuos triginta quatuor annos, quibus vixit, imò ab inſtanti ſuæ conceptionis in vtero Virginis, vſque ad mortem, in Crucis lectulo (cuius dolores, qui vel in corpore, vel in animo, vel in ſpiritu ſibi imminerent, præuidit) paſſus fuit. Teſtatus id olim fuit, dum per Prophetam ſuum ſic ingemiſcit: *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea; exaltatus autem, humiliatus ſum & conturbatus*, Pſal. 87, 16. & manifeſtiùs, dum alta ducens ſuſpiria, proprio & benedictiſſimo ore ſuo dixit: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, Matth. 26, 38. Conſiderate tertiò *latitudinem*, quia in omnibus fuit afflictus & anguſtiatus, in omnibus, inquam, membris & animæ potentijs: à planta pedis vſque ad verticem capitis non erat in eo ſanitas, bonis fortunæ & famæ, honoris & vitæ nudatus, cùm veſtimentis ipſis exutus, fuerit flagellatus, ſpinis redimitus, inter ſceleratos reputatus & crucifixus, atque ab ipſis Angelis & Deo Patre derelictus. Quartò denique *ſublimitatem* profundiſſima cogitatione tenete, quia Chriſtus tanta paſſus eſt propter ſummi Dei graues offenſas, non quidem à ſe, ſed à nobis commiſſas: *ſublimitatem* pœnarum & cruciatuum, quæ partim illata partim inferenda adhuc eſſe diuinæ ſuæ perſonæ ſciebat; clariſſimè non ſine dolore cognoſcens, Sanguinem ſuum pro infinitis quidem mundis redimendis eſſe ſufficientiſſimum, tamen paucis, hominum ipſorummet iniuria & negligentia, profuturum. vnde benedicta Chriſti anima maiore triſtitia diſcruciabatur, dum videret tot animas, pro quarum redemptione copioſiſſimè ſatisfecerat, nihilominùs fore æterna gloria priuandas, & perpetuis gehennæ cruciatibus tradendas. Hæc, inquam, omnia, ô dilectiſſimi Epheſij, in Dominica Cruce attentè pieque contemplamini, & tantum abſit vt in tribulationibus animum amiſſuri ſitis, quin vires ad maiora pro Chriſto patienda recipietis, interioriq; gaudio & lætitia replebimini & perfundemini.

Quatuor extremitatum Crucis conſideratio.

Secundum quadrangulæ Crucis myſterium, quod nos reſpicit, eſt, quòd edoceamur in via ſalutis non ſolùm ad abſtinendum à malo, ſed etiam faciendum bonum, quia Deus noſter dabit vnicuique ſecundùm opera ſua. Vt ergo bona & meredem æternam recipiant, illius bona digna opera perficiant. Et talia erunt, ſi habebunt ſanctæ Crucis latitudinem, longitudinem, ſublimitatem & profundum. *Latitudinem*, cùm charitatis opera debeat eſſe latiſſima, quia ad Deum & homines, ad amicos & inimicos extenſa. *Longitudinem*, id eſt, perſeuerantiam, quia non ſatis eſt incipere, ſed oportet bonum opus inceptum conſummare, vt Chriſtus Saluator in Cruce conſummauit; qui & alicubi dixit, non qui inceperit, ſed *qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*, Matth. 10, 22. & perſeuerantibus vtique corona datur. *Altitudinem* ſiue *ſublimitatem*, vt omnia propter Deum & eius gloriam faciamus, ſicut faciebat ille qui dicebat: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem*, Pſal. 118, 122. & alij qui dicebant: *Propter te mortificamur tota die*, Roman. 8, 36. Denique habeant *profundum*, id eſt, Dei gratiam, ſine qua nemo videbit Deum, & ſine qua noſtra opera nihil ad æternam gloriam comparandam proſunt, Apoſtolo dicente: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*, &c. 1. Corinth. 13, 1. quæ nimirum gratia per *profundum* intelligitur: quoniam vt iſtud ab oculis hominum remotum eſt, ita & illa eorumdem cognitionem latet, Eccleſiaſte cap. 9, 1. dicente: *Neſcit homo, vtrùm amore an odio dignus ſit*, &c. & Paulo: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum*, 1. Cor. 4, 4.

Secundum myſterium, à malo abſtinendum & bonum faciendum.

Hoc myſterium reſeruit nobis S. Auguſtinus tum alibi, vt lib. de Cataclyſmo, c. 6. & Serm. 7. de Verbis Apoſtoli, tum ſingulariter Tract. 118. in Ioan. dicens: *Cruce rectè ſignificari intelligitur, quod ait Apoſtolus: Quæ ſit latitudo, longitudo, & altitudo, & profundum. Lata eſt quippe in tranſuerſo ligno, quo extenduntur pendentis manus; & ſignificat opera bona in latitudine charitatis. Longa eſt à tranſuerſo ligno vſque ad terram,*

vbi dorſum pedesq; figuntur, & ſignificat perſeuerantiam in longitudine temporis vſque in finem. Alta eſt in cacumine, quod per tranſuerſum lignum ſurſum verſus excedit, & ſignificat ſupernum finem, quò cuncta opera referuntur; quoniam quæ latitudine ac longitudine benè ac perſeueranter fiunt, propter altitudinem diuinorum facienda ſunt præmiorum. Profunda eſt in ea parte qua in terram figitur, ibi quippe & occulta eſt, nec videri poteſt, ſed cuncta eius apparentia & eminentia inde conſurgunt, ſicut bona noſtra de profunditate gratiæ Dei, quæ comprehendi ac dijudicari non poteſt, vniuerſa procedunt. Hæc ſanctus Doctor.

Attamen nos, quoniam miſeri & imperfecti ſumus, in varijs huius mundi negotijs diſtracti & occupati, magis noſtra quàm quæ Ieſu Chriſti ſunt quærimus, ac ideò opera noſtra coram illo plena & perfecta non inueniuntur. *Facti ſumus vt immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ*, vt quidam omnium noſtrûm nomine dixerunt apud Iſaiam capite 64, 6. & Chriſtus ſuis diſcipulis dixit: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus*, Luc. 17, 10. Ergo vt nos cum operibus noſtris placeamus Deo, priùs diſpliceamus nobis: ad quod faciendum nos excitat noſtra ſacroſancta immiſſa Crux. Et ſanè in iſto tropologico ſenſu intelligit quatuor illius ab Apoſtolo deſcriptas extremitates S. Anſelmus, lib. de Menſuratione Crucis, ſub finem, ita dicens: *Crux eſt cruciatus cordis quòd Deo non meliùs ſeruiamus. Debemus ergo habere cruciatum cordis, quòd non tantum* (inquit) *humiliamur, ô Domine, quantum debemus, & hoc eſt profundum Crucis; quòd non tantum laudamus & amamus te, quantum bonitas tua exigit, & hæc eſt ſublimitas; quòd non ſumus tam fideles, vt alios ad tuam laudem trahamus, & hæc eſt latitudo; quòd non ſemper continuamus laudem tuam, & hæc eſt longitudo.* Et hæc quidem hactenus myſteria, quæ ipſam ſanctam & glorioſam Crucem, tum quæ Redemptorem noſtrum, tum denique quæ nos fideles redemptos reſpiciunt, & in immiſſa Cruce latent, hîc referare placuit. Ergo noſtri Ieroſolymitani Reges & Equites ex ſuorum ſtemmatum quadrangulis cruçibus admonentur in primis, ſe virtute Crucis in vnam Eccleſiam & Militiam congregatos eſſe, & ſub vexillo Crucis præliari, & in eodem gloriari debere. Deinde, quàm iuſtè in Cruce gloriari poſſint, cùm ex Ducis beneficio eximijs ſit condecorata muneribus, quandoquidem æterna, potens, honoranda, & diuinæ ſapientiæ efficax teſtimonium ſit. Tertiò, Chriſtum, illorum primarium Regem ac Ducem, lucem eſſe, per quam fulgore doctrinæ cæleſtis totus mundus eſt illuſtratus. Quartò, ipſum Deum ſimul & hominem eſſe, rationeque diuinæ perſonæ, in qua Deitas & illius beata humanitas ſubſiſtit, per idiomatum communicationem Dei & hominis prædicata admittere, vereque dici Deum, æternum, impaſſibilem, Creatorem, &c. & ex æquo hominem, in tempore natum, paſſibilem, creaturam, &c. Quintò, edocentur noſtri Reges & Equites, ſuorum ſtemmatum Cruces ſibi eſſe ſcutum & gladium, omnemque fortiſſimam armaturam, qua ab hoſtium furore protegantur, eorumdem ſuperbiam compeſcant, eoſdemque glorioſè vel proſternant vel fugam capeſſere cogant. Sextò denique, quòd non debeant eſſe contenti ſolo Regis & Equitis nomine, ſed recordari, ſe ad Regia opera & illuſtres virtutes proſequendas & æmulandas teneri, ne capiti ſuo Chriſto diſſimiles, ſed ſimiles, & fideles eius miniſtri inueniantur. Quòd ſi aliquando ex humana fragilitate deficiant, doleant, pœniteant, lacrymas fundant, quia ex Saluatoris teſtimonio Matthæi 5, 5. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Et hæc de his ſatis, ad alia noſter conuertatur ſermo.

Quid faciendum vt opera Deo accepta ſint.

Cruces Regum & Equitum ſanctæ Ciuitatis eoſdem ſalubriter inſtruunt.

CAPVT XL.

De materia & colore ſtemmatum Regum ſanctæ Ciuitatis, & myſterijs in eiſdem contentis.

EGimus hactenus de quantitate, forma & diſpoſitione Crucium, e quibus conſtant ſtemmata Regum ſanctæ Ciuitatis, & Equitum ſanctiſſimi ſepulchri, & de myſterijs in eiſdem incluſis; agendum nunc de eorumdem materia & colore, tam Crucium quàm plani in quo exaratæ ſunt, vt ſuprà quinto loco tractare propoſuimus. Priùs verò de Regum, poſteriùs de alijs Equitum ſtemmatibus erit tractatio.

Et mihi quidem materiam & colorem ſtemmatum noſtrorum Regum Ieroſolymitanorum admirabilem planè ac ſingularem conſideranti, euenit quod olim Hebræis in deſerto accidiſſe legimus. Iſti cùm repentè & inopinatò vidiſſent rorem, ſiue panem illum delicatum è cælo ſubmiſſum iacuiſſe per circuitum caſtrorum, & totam ſuperficiem terræ occupaſſe, neſcirent verò quid illud eſſet, vel portenderet, ideoque obſtupefacti fuiſſent, dixerunt ad inuicem: *Man hu? quod ſignificat, Quid eſt hoc?* Exodi 16, 15. Et meritò quidem: quia illud erat

valdè

valdè insuetum, cùm panis è terra accipiatur, secundùm illud Regij Vatis, *Educas panem de terra*, Psal. 103, 14. ros autem siue panis ille de cælo descenderat, & ideò ab eodem Vate panis Angelorum appellatus fuit. Sustulit admirationem sanctus Moyses, dicens: *Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum*, Exod. 16, 15. Eodem modo cùm & ego aduertam in nostris Regijs stemmatibus aureas cruces in plano argenteo, audire videor simul multos qui mirentur ac quærant, *Quid est hoc?* hoc est, Quare præcipua totius mundi stemmata contra communē regulam descripta sunt, metallum supra metallum, aurum inquam supra argentum? Et cur non potiùs metallum supra colorem, vel è conuerso, positum fuit? Quibus etsi non possim ita perfectè satisfacere, vt Moyses Hebræis, quia, vt ille, Propheta non sum; nonnulla tamen proponam, prout meditanti Dominus noster Iesus Christus supremus Rex Ierusalem, ex ipsa Ierusalem suggerere dignatus est. Et illa ad tres reducam classes, quarum prior ea continebit, quæ ipsum Regem Christum respiciunt; altera, quæ successores Reges eius ministros; ac tertia, quæ ipsam sanctam Ciuitatem & Regnum Ierosolymitanum concernunt.

Manna panis Angelorum dictus.

§. 1. *Multiplex Christi Regis Ierosolymitani stemmatum conditio ex auro & argento.*

Stemmata Ierosolymitana vel ideò dici merentur singularia, quia & Reges ipsi admirabiles sunt, & alios quàm longissimè præcellunt. Christum Dominum, qui est *constitutus* à Patre *Rex super Sion montem sanctum eius*, (Psalm. 2, 6.) consideremus. Hic sanè omnino singularis & admirabilis, quia Deus & homo, Creator & creatura, immensus & paruus, glorioſus & passibilis; vt meritò filiæ Ierusalem ad eius aspectum inuitentur à Domino illis verbis: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem*, &c. Cant. 3, 11. non illum qui propter sua facinora Deo offensus fuit, sed illum, in quo æternus Pater propter illius dignitatem & merita benè sibi complacuit, cuius Regni non erit finis, longè illo Salomone maiorem, cùm Veritas ipsa dicat: *Ecce plus quàm Salomon hic*, Matth. 12, 42. Luc. 11, 31. Tam admirabilis nimirum est & singularis, vt Isaias inter omnia egregia nomina quibus indigetandum eum vaticinatur, primùm Admirabilem futurum esse prædixerit. *Et vocabitur nomen eius Admirabilis*, &c. Isaiæ 9, 6. Ideoque autum & argentum nostrorum stemmatum tria singulariter in Rege Christo singularia mihi significare videntur: primò, illius esse naturale; deinde, charitatem; tertiò sapientiam. Singula explicemus.

Stemmata singularia, quia Rex singularis.

Inter alia quæ rerum naturalium inuestigatores de auro referunt, sex potissimùm eius proprietates pro nostra intentione seligo. Primò, aurum quoad substantiam est inter omnia metalla solidius, atque ideò si igni imponatur, non euaporat, nec in pondere minuitur, sed ibi virtute caloris quidem liquescit, omni tamen sorde, si quam habuerit, depositâ, clarius & lætius prodit. Secundò, aurum dum malleis exercetur, non rumpitur, non scinditur, nec emittit sonitum vel stridorem, sed potiùs in laminas tenuissimas & minutissimas dilatatur, & inter omnia reliqua metalla est ductilius. Tertiò, aurum est inter metalla omnia ponderosius, pulchrius in colore, oculis delectabilius, in valore effieacius, ideoque omnium metallorum & colorum pulchritudo ac decor appellatur, quia verè inter metalla & colores primū locum tenet. Quartò, habet virtutem medicinalem, confortatiuam, superfluitatum in corpore coadunatarum abstersiuam, syncopis curatiuam, & à lepra præseruatiuam. Hinc cauterium aureum aptius est faciendæ in aliquo membro inustioni, quàm alterius cuiuslibet metalli, quia virtute auri custoditur locus vulneris à fœtore. Quintò, omni auro inest argentum, secundùm Plinium lib. 33. cap. 3. Sextò, quando lamina aurea argenteæ est coniungenda, summopere cauendum est ab omni humore, puluere & vento; quia si istorum quidquàm interuenerit, nullus & irritus prorsus erit omnis ferruminandi conatus, nullus boracis aut chrysocollæ erit effectus, neque metalla sibi vllatenus cohærebunt: & ideò in loco valdè mundo est huiusmodi consolidatio facienda, & hoc modo si facta fuerit, tum demum metallum metallo tam arctè copulabitur & coniungetur, vt nullâ vi separari aut disiungi possint.

Tria mysteria in auro & argento stemmatum. Berchor. Director. l. 11. c. 35.

Sex auri proprietates.

Prima, est omnium metallorum solidius.

Secunda, est ductilius.

Tertia, ponderosius.

Quarta, est medicinale.

Quinta, argentum continet.

Sexta, mundities requirit.

Paucula addo de argento. Argentum post aurum primum locum tenet, ac ideò magis quàm alia metalla participat & imitatur proprietates eius. Est autem hoc illi proprium, quòd præ alijs metallis dulciùs resonet. Iam mysteria elicio.

Argentum primum post aurum, & dulciter resonat.

Significat igitur aurum Christi Diuinitatem, & argentum eiusdem humanitatem. Quoniam sicut omnibus metallis præcellit aurum, ac deinde argentū, ita inter omnia omnino entia primum locum tenet Christi Diuinitas, & secundum eiusdem humanitas, vt ex dicendis apparebit. Omni auro inest argentum. Scio naturam diuinam nec esse compositam, nec vllatenus componi

Primum mysterium, aurum Diuinitatem, & argentum humanitatem Saluatoris significat.

aut quasi componi posse, cùm sit purissimus spiritus; nec omnes auri proprietates cogimur aut tenemur illi adaptare: nihilominùs haud temerè hanc, quam indicauimus, accommodare possumus. Semper auro Diuinitatis insuit argentum humanitatis, non quidem quantum ad esse formale & hypostaticum, sed quantum ad esse ideale & cognitum, vt Theologi loquuntur, & quoniam semper in diuino Synedrio consilium agitatum fuit de Filij Dei incarnatione aliquando effectui danda. Ad quod respicientes graues Auctores, de incarnata Sapientia intellexerunt verba illa, *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum*, &c. Prou. 8,22. Suffragatur S. Ioannes dum ait, *Quod factum est, in ipso vita erat*, Ioan. 1,3. non secundum propriam & formalem rationem, sed secundum esse quod habet in potentia Creatoris, quæ est vita Creatoris, vt interpretatur Augustinus lib. 63. Quæst. q. 26. Et quamuis verè sanctus Doctor illud intelligat de qualibet creatura, singulariter tamen intelligendum esse de Christo homine, videtur indicasse idem Ioannes, dum ad illa verba immediatè subiungit vers. 4. *Et vita erat lux hominum.* Et quænam hæc, nisi Christus, qui est verè vita & *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, vt idem testatur Ioannes vers. 9.

In Diuinitate quomodo semper fuerit humanitas.

Hoc esse cognitum & Creatoris, in plenitudine temporis recepit esse reale & creaturæ, quando *Verbum caro factum est*, Ioannis 1,14. Tunc aurum purissimum Diuinitatis vnitum fuit lucidissimo humanitatis argento, absque humore humanæ immunditiæ, absque vento puluereue carnalis impuritatis, sed immediatè, *non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis nec ex voluntate viri, sed ex Deo* diuinitus operante, & humillima purissimaque Virgine consentiente, in eiusdem sacratissimo vtero ipso empyreo cælo puriore *natus est*. Et secuta fuit eximia illa vnio Dei cum homine, Verbi inquam diuini cum humanitate adeò singularis, vt graues Theologi affirment cum D. Bernardo, excepta vnione diuinarum personarum cum diuina essentia, in rebus creatis nullam illa maiorem inueniri: adeò magna, vt semper durauerit, & in perpetuum duratura sit. Etsi enim in morte Christi esse hominis dissolutum fuerit, anima tamen & corpus à diuino Verbo numquam separata fuere, secundùm illud receptum S. Ioannis Damasceni dictum, *Verbum quod semel assumpsit, numquam dimisit*, nec creata potentia dimitti vel separari potest.

Diuinitas quomodo realiter humanitati vnita.

Ita legunt Athanas. lib 2. de Vnica Dei-tate Trin. & Tertul. lib. de Carne Christi.

Maxima vnio Diuinitatis cum humanitate in Verbo.

Non desunt Scripturæ, quæ vel in litterali vel spirituali sensu probent id quod assumpsimus, & tantò quidem efficaciùs, quantò sacrorum Doctorum auctoritate magis fulciuntur. In primis occurrit Propheta Ezechiel, qui Christum electrum vocat. *Et species eius*, inquit, *quasi species electri*, Ezech. 1,4. Verba ista ad scopum nostrum ita interpretatur S. Gregorius Homilia 2. in Ezech. *Electrum ex auro & argento est* (loquitur de electro artificiali, cuius meminit Plinius lib. 33. cap. 4.) *atque adeò dum aurum argentumque miscentur, argentum ad claritatem crescit, aurum verò à suo fulgore pallescit: illud ad claritatem proficit, hoc à claritate temperat. Igitur in vnigenito Dei Filio naturæ Diuinitatis vnita est tamquam auro, natura nostra tamquam argentum, in qua adunatione humanitas in maiestatis gloriam excreuit, Diuinitas verò à sui fulgoris potentia humanis se oculis temperauit: per hoc enim quòd humana natura clarior facta est, quasi per aurum creuit argentum; & quia Diuinitas à fulgore suo nostris est aspectibus temperata, quasi aurum nobis palluit per argentum.* Hæc S. Gregorius.

In Incarnatione claruit humanitatis argentum, & Diuinitatis aurum palluit.

Christi Regis nostri temporalem ex matre genealogiam deducunt nonnulli ex illis verbis Iob cap. 28,1. *Habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est in quo conflatur*; ita vt per argenti metaphoram beatissima semper Virgo Maria designetur: quia vt post aurum omnibus metallis præcellit argentum, ita B. Virgo post Christum omnibus creaturis pretiosior atque præstantior est. Et de isto excellentissimo argento aptè intelligi possunt illa Dauidis verba, *Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum*, Psalmo 11,7. Examinata primò igne amoris diuini, qui prohibuit ab ea omnis iniquitatis scoriam: deinde examinata fuit varijs concertationibus, vt in ea inueniretur peccatum, quod tamen inueniri non potuit, quia conflandum siue efformandum in ea erat purissimum aurum diuini Verbi. *Quæretur peccatum illius, & non inuenietur*, inquit Regius Vates Psalmo 10,15. Denique probata fuit igne tribulationis in passione Filij sui, quando doloris gladius animam eius pertransiuit, vt exploraretur eius patientia & constantia. Explorata fuit, & non est inuenta minus habens. *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas*, Psal. 16,3. Subditur porrò, *probatum terræ*, vel, vt S. Hieronymus legit, *separatum à terra*; quia semper ab ortu & conceptu suo sancta fuit: *sanctum* enim idem est, quod sine terra, aut mundum ab omni sorde, vt explicat S. Thomas 2.2. q. 8. art. 1. Ac tandem

Christi ex Virgine generatio.

Virginis puritas & dignitas examinata.

B. Maria semper sancta.

dem additur, *purgatum septuplum*, vt nobis innotescat, eam septiformi Spiritus sancti gratia ornatam ex vtero matris prodijsse. De hoc igitur purissimo argento, siue beata Maria, ait Iob: *Habet argentum venarum suarum principia.* habuit enim Deipara Maria altissima principia ac ditissimas venas natiuitatis suæ, seriem videlicet Patriarcharum, Regum ac Principum, orta de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid. Vnde S. Bernardus de Verbis Apoc. cap. 21. *In generatione Mariæ planè resplendet, quòd ex Regibus orta, quod ex semine Abrahæ, quòd generosa ex stirpe Dauid.* Et meritò quidem; quia futura erat locus, in quo virtute ex alto conflari & efformari debebat aurum Verbi Dei, argento humanitatis exornandum.

Temporalium nobilitas.

Christus per Virginem quærendus.

Hîc vnum, quod occurrit, pertransire nolo, quo edocemur, nos diuino isto auro, Maria mediante, ditari posse. Quærendum aurum est eo in loco vbi conflatur, ergo & Christus à B. Virgine, in qua humanam sortitus est naturam. *Prudentes inquisitores auri*, inquit Auicenna, *quærunt illud scutellâ eburneâ subter aquas, quia aurum naturaliter attrahitur ebore*, vt & testatur Plinius de Nat. hist. haud secùs quàm ferrum à magnete: ita nos Christum per beatissimam Virginem, vas admirabile, ac virtute eburneum, quæ attraxit Regem illum de accubitu suo in eburneum purissimi vteri sui thronum, vbi in gaudio quieuit. Quare diues ac beatus meritò dicitur, qui Virginem inuenit: quia *qui eam inuenerit, inuenietet vitam, & hauriet salutem à Domino*, vt Spiritus sanctus testatur Prouerbiorum 8, 35.

Christus Maria Virginis est ornamentum.

Ad idem aurum & argentum volunt alij Spiritum sanctum alludisse illis verbis, quibus Mariam Deiparam alloquitur, dicens: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*, Cant. 1, 10. Murenulæ illæ siue monilia, quibus collum & pectus Mariæ exornandum erat, singulari prorsus modo & præter communem morem efformanda erant, adeò vt aurum argento exornandum esset. Et numquid diuinæ dispensationis mysterium singulare omnino & peregrinum est, in quo Diuinitatis aurum argento humanitatis vermiculatum & exornatum fuit; quo tandem velut pretiosissimo monili collum pectusque Virginis condecoratum fuit?

Lilium symbolum Diuinitatis & humanitatis Christi.

Ipsemet Dei Filius non obscurè id significauit, cùm se lilium nuncupauit, dicens: *Ego flos campi, & lilium conuallium*, Cantic. 2, 1. In lilio enim duo licet considerare, folia candida argento similia, & tria grana siue fila aurea. Nónne verò vides, in foliorum candore purissimam Christi designari humanitatem, sicut in aureo granorum eiusdem Diuinitatem? Delitescunt tria illa aurea grana in Christo, quia licet solum Verbum naturam assumpserit humanam, simul tamen cum eo semper fuit Pater & Spiritus sanctus (*Ego in Patre, & Pater in me est*, Ioan. 14, 10.) & requieuit super eum spiritus Domini per circuminsessionem, vt loquuntur Theologi: & S. Paulus asserüit, quòd in Christo habitet omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Aurea illa grana intra folia inclusa tunc erumpunt, magisq; apparent, cùm folia magis explicantur. Ita sanctissimæ Trinitatis mysterium, aurum item Regiæ dignitatis, & nimiæ Christi charitatis, tunc maximè enituit, quando velut flos in Cruce se expandit: post mortem namque Christi clare prædicatum fuit Trinitatis mysterium, potentiaque & charitas Christi omnibus magis innotuit.

Item aureus & argentea columba.

Regius denique Vates, de Christo loquens sub appellatione columbæ dorsum aureum, & pennas argenteas habentis, idem significauit, dicens: *Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri*, Psal. 67, 14. Columba sine felle peccati, Christus, quem fecundissima castissimaque columba Maria peperit, dorsum aureũ habet propter Diuinitatem, pennas verò deargentatas propter humanitatem. Et meritò sanè per aureum dorsum persona Verbi, sicut per argenteas pennas assumpta designatur humanitas: nam vt illud alas sustentat, & ab ipsis operitur & vestitur, ita Verbum hypostaticè sustentat naturam humanam, à qua velut pretiosa veste operitur & vestitur, quia *cùm in forma Dei esset*, &c. *est in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, vt dixit S. Paulus ad Philippenses 2, 7. Quod de pallore auri dicit Propheta, arbitror alludere voluisse ad id quod supra notaui ex D. Gregorio, & ad ea quæ inferiùs subijcientur.

Secundum ac tertium mysterium, significantur per aurum & argentum Christi spiritualia dona, charitas & sapientia.

De naturali esse nostri Regis iam diximus, quòd sit verus ac naturalis Dei & hominis Filius & Emanuel, vt dixit Isaias, pauca nunc dicenda sunt de illius spirituali conditione, & singulariter de gratia, charitate ac sapientia; ad recte Regnum subditosque gubernandos plurimùm necessaria, vt posteà ostendemus. Fuit in Christo absque dubio omnis gratiæ, charitatis ac sapientiæ plenitudo, cùm de ea omnes nos acceperimus. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis*, dixit S. Ioannes cap. 1, 14. Auro charitas denotatur in sacris Litteris, vt communis habet sacrorum Doctorum interpretatio in illam Angeli admonitionem ad

Laodicenum Episcopum in Apocalypsi capite 3, 18. relatam. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias*; ea præsertim ratione, quòd vt aurum perfectione ac valore omnia præcellit metalla, ita charitas dignitate ac excellentia omnes virtutes excellat, secundùm illud Apostoli: *Maior autẽ horum est charitas*, 1. Cor. 13, 13. Et hæc *nimia* fuit in Rege nostro, vt eo nomine illam appellauit S. Apostolus, dicens, totum fuisse charitatem à capite ad pedes vsque. Vnde totus aureus describitur à sponsa: *Caput eius aurum optimum*, Canticorum 5, 11. *manus illius tornatiles aureæ*, vers. 14. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*, vers. 15. Vbi aduerte, prudentissimam sponsam caput, supremam corporis partem, in qua omnes residunt sensus, aurum appellare; & manus, quæ sunt nostrarum operationum instrumenta, & pedes, extremas illas partes quibus ad operandum quis mouetur, aureos nuncupare, vt indicaret, mentem, opera, & quidquid in Christo sponso est, ad charitatem ordinatum esse, ipsumque ipsammet charitatem esse, totum desiderabilem & amabilem. Vt enim eiusdem Regis dilectus discipulus dixit, *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, 1. Ioan. 4, 16.

Et hoc fuit eidem discipulo & Archiprophetæ Ioanni ostensum in persona illius qui similis erat Filio hominis, qui ipsum Christum repræsentabat, dum *vestitum podère, & præcinctũ ad mammillas zona aurea* se exhibuit videndum, vt habetur Apocalyps. 1, 13. Podèris est oblonga vestis, quæ sanctam Ecclesiam significat, vt quæ adhæret Christo sicut vestis corpori, de qua propheticè Iacob dixit in benedictione data Iuda: *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vua pallium suum*. Gen. 49, 11. vbi Origenes, *Stola*, inquit Hom. 7. in Gen. *Christi, qua lauatur in vino, eius Ecclesia intelligitur, quam ipse mundauit Sanguine suo: in huius enim Sanguinis vino, id est, lauacro regenerationis à Christo lauatur Ecclesia; in morte enim, id est, in Sanguine ipsius baptizamur.* Idem alij Doctores. Duæ mammillæ, misericordiam & iustitiam Dei significant, quæ in omnibus illius operibus elucent, vt S. Thomas Par. 1. quæst. 21. art. 4. & alij Theologi docent, iuxta illud Psalmi 24, 11. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Zona, qua vestis illa, scilicet Ecclesia, præcingitur, est aurea; nimirum illa ei ardenti charitate copulatur, ex qua misericordia & iustitia, quibus gubernatur, originem habent. Nam siue parcat siue puniat, totum ex illius amore procedit: *flagellat* enim *omnem filium quem recipit*, Hebr. 12, 6. Ad mammillas præcingitur vestis ista, sub quibus cor latet, vt indicetur, illam vnicè ab eo diligi.

Ecclesia in veste podère significata.

Misericordia & iustitia Dei.

Sed aduerte, quomodo illa zonæ præcinctione indicetur etiam, ipsum totum occupari circa suæ Ecclesiæ salutem. Qui enim opus aliquod gnauiter aggreditur, solet vestes præcingere, ne fortè impedimento sint. Christus igitur in hoc opere Ecclesiam administraturus, præceptaque & instructionem daturus Episcopis, præcingit se ad opus alacriter promptèque perficiendum. Ad mammillas autem præcingitur vbi sedes est cordis, vt Ecclesiæ administrationem ex amore proficisci intelligamus. Ita & plura alia in eum locum P. Viegas Comment. 2. in Apocalypsin cap. 1. sect. 7.

Christus obsequio Ecclesiæ totus impensus.

Sed hæc nimia charitas, amor & zelus non fuit in Christo, vt in plerisque esse solet, ignorans, sed pari scientia comitata: quod primò explico ex illo qui similis erat Filio hominis, de cuius capite ita loquitur Ioannes: *Caput autem eius & capilli erant candidi, tamquam lana alba, & tamquam nix*, Apoc. 1, 14. Vno verbo, capillos habebat argenteos, quemadmodum de venerando ac cano quodam capite dicitur esse argenteum, propter coloris similitudinem, & multò magis propter sapientiam, cuius typus est argentum (*Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum*, &c. dixit Propheta Psal. 11, 7.) & quæ in cano capite residere consueuit, quia *in antiquis est sapientia*, vt apud Iob cap. 12, 12. habetur.

Christi amor scientiâ sociabatur.

Recole nunc quod suprà diximus, omni auro in esse argentum, quod optimè quantum ad mysterium hoc in Christo licet animaduertere, non tantùm propter diuinam & humanam naturam in eo vnitam, sed etiam propter amorem cum scientia coniunctum. Vnde sicut de illius capite propter amorem dixit sponsa, *Caput eius aurum optimum*, Cant. 5, 11. ita Ioannes enatos ex illo capillos dixit argenteos siue candidos, propter illius infinitam sapientiam. Non longè abest ab ista intelligentia Rupertus in illo loco, dicens: *Capilli à capite procedunt, & multi sunt, multa enim sunt verba Dei, quæ de vno, vel per vnum Verbum, quod erat in principio, processerunt.* Et sanè quotquot tradiderunt præcepta, dogmata, sacraque mysteria, Apostoli, & alij sancti Patres & Pontifices, omnia omnes à capite, à Verbo Christo didicerunt; hinc Apostoli appellantur, id est missi, prout Christus magister, tamquam propria docens auctoritate. ideò ipse illis dixit: *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri*, Luc. 21, 15. Deinde

A Christo omnes sapientiam hauriunt.

apud

apud Isaiam hæc habentur: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus*, &c. Isaiæ 11,1. Hæc verba intelligenda esse de Christo, omnes consentiunt; vbi virgæ appellatione Virgo Maria Deipara, nomine verò floris Christus Dominus ex eadem conceptus & genitus designatur, super quem Propheta Spiritum sanctum descendisse asserit cum omni donorum suorum copia, & singulariter cum dono sapientiæ, & eorum quæ ex sapientia procedunt priùs meminit, videlicet, intellectus, consilij, fortitudinis, scientiæ, pietatis, & timoris Domini, qui initium sapientiæ esse asseritur. Denique de Christo dictum fuit: *Domine tu omnia nosti*, Ioannis 21. 17. &: *In quo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ absconditi*, Colossens. 2,3.

Christi humanitate Diuinitas magis innotuit.

Aduerto in nostris Regijs stemmatibus aurum supra argentum positum esse, vnde magis apparet atque elucet, Christi Diuinitatem, eiusdemque mysteria in aureis crucibus designata, mundo magis conspicua facta fuisse per humanitatem in argento repræsentatam. Vnde quem ante incarnationem Isaias dixit Deum absconditum, post eamdem Ioannes dixit apertissimè visibilem & gloria circumdatum. At de hoc suprà. Ex his paucis (nec enim in re satis manifesta expedit pluribus immorari) apparet supremi Regis Ierosolymitani, Christi nimirum Iesu, naturalis ac spiritualis conditio, vt quòd sit verus ac naturalis Dei & hominis Filius, omnibus quidem cælestibus & Spiritus sancti charismatibus repletus, singulariter tamen amore ac sapientia intimus, quippe quæ tanto Regi maximè sint necessaria, & typicè in auro & argento Regiorum stemmatum eius designentur.

§. 2. *Recensentur alia in auro adumbrata, & in Christo Rege nostro completa mysteria.*

Christus in sua Regis institutione inunctus triplici unctione.

Rex noster Christus Iesus, vt & alij illustrissimi Reges, ac præcipuè Ierosolymitani, inungi consueuerunt in inauguratione & coronatione sua: interfuit tamen id discriminis, quòd Christus, dum in Regem consecraretur, inunctus fuerit non materiali quidem, vt alij Reges, sed spirituali plane unctione. Et quænam ista fuit? Triplex assignatur à sacris Doctoribus. Prima fuit gratia unionis hypostaticæ, quando Verbum caro factum est, vt docent S. Athanasius lib. 2. contra Arianos, & Damascenus lib. 4. Orthod. fidei, cap. 6. Secunda, quia fuit ex purissimis sanguinibus beatissimæ Virginis Mariæ conceptus, Spiritu sancto cooperante, vt S. Gregorius lib. 9. Epistolarum Epist. 61. & Augustinus lib. Quæst. noui & veteris Testamenti, cap. 49. sentiunt. Tertiam unctionem intelligunt sancti Ioannes Chrysostomus Homil. 1. super Epist. ad Rom. & Bernardus Serm. 1. in capite Ieiunij, gratiam habitualem, variaq; Spiritus sancti charismata, quæ Christi anima recepit, cùm ad Verbi unionem assumpta fuit. Huius unctionis admirabilis & inuisibilis sæpè fit mentio in veteri ac nouo Testamento, vt in Psalmo 44,8. *Vnxit te Deus, Deus tuus*, &c. Isaiæ 61,1. *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me*. Item Actor. 4,27. *Conuenerunt verè aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti.* & cap. 10,38. *Vnxit eum Dominus Spiritu sancto & virtute*.

Inuisibilis & instantanea.

Et hæc nostri Regis unctio singularis omnino fuit, non tantùm quia inuisibilis & spiritualis, &c. atq; in eâ summa eidem perfectio collata, sed etiam quia in ipso conceptionis instanti facta fuit, adeò vt conceptus & natus Rex fuerit. Quod licet ita expressè non habeatur in adductis auctoritatibus, habetur tamen in alijs. Angelus ad Pastores dixit, *Natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus*, Luc. 2, 11. Christus idem est quod unctus, & quia talis erat cùm ex Virgine nascebatur, ideò eo nomine illum natum nuntiauit. Magi Orientales talem natum agnouerunt, cùm de illo quæsiuerunt: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Matth. 2,2. Et S. Simeon *responsum accepit à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini*, Luc. 2,26. Et vidit eum, & in vlnis suis tenuit. Hac verò triplici unctione fuisse nostrum Regem in sua incarnatione consecratum, docent communiter sancti Patres & Theologi.

Vnctio in Incarnatione facta, in Baptismo manifestata fuit.

Nec aliquem mouere debet, quòd unctio ista primùm videatur facta fuisse anno trigesimo vitæ illius, quando super eum Spiritus sanctus in specie columbæ descendit, vt indicare videtur S. Hieronymus in cap. 16. Isaiæ: in conceptione enim facta unctio inuisibiliter, visibiliter manifestata fuit in Baptismo. Et hoc voluit dicere sanctus Doctor, quemadmodum clarè indicauit in illa Isaiæ verba, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ*, &c. vbi ita loquitur: *Virgam de radice Iesse sanctam Mariam Virginem intelligamus, quæ nullum habuit sibi fruticem coharentem: de qua suprà legimus: Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Et florem Dominum Saluatorem, qui dicit in Cantico canticorum: Ego flos campi, & lilium conuallium.*

lium. Super hunc igitur florem, qui de trunco & radice Ieſſe per Mariam Virginem repentè conſurget, requieſcet Spiritus Domini: quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem Diuinitatis habitare corporaliter, &c. In quibus ſanctæ Propheræ & ſacri Doctoris verbis conſiderandum eſt, quomodo cum Incarnatione ſiue conceptione Chriſti ex virgine, coniungatur deſcenſus Spiritus ſancti ſuper Chriſtum cum omni donorum ſuorum copia. Indicatur nimirum ſupra Chriſtum nondum natum, ſed tantummodò conceptum, Spiritum ſanctum deſcendiſſe, & omni gratia eum inunxiſſe, vt priùs fuit explicatum. Et profectò ſi aliter diceretur, maximum inconueniens ſequeretur, Chriſtum Dominum Præcurſore ſuo multò fuiſſe minorem, vt qui acceperit Spiritum ſanctum anno primùm trigeſimo, cùm eius Præcurſor Ioannes eumdem acceperit in vtero matris ſuæ, vt notauit S. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 26. Plura de his habes apud Io. Lorinum in Pſal. 44,8. Toletum in Ioan. c. 1. Annotat. 71. & 75. Ioannem de Carthagena Tom. 1. Homiliarum lib. 11. Homilia 15. & alios.

Chriſtus ob ſpeciem ſuam imperio dignus.

De auro notauimus, ipſum eſſe inter omnia metalla ponderoſius, pretioſius, & in colore pulchrius, ac ideò omnium metallorum & colorum pulchritudinem & decorem appellari: ex quo excellentia naturæ, atque pulchritudinis Chriſti Regis non obſcurè inſinuatur. Fuit enim Saluator noſter non ſolùm ſecundùm diuinam, ſed etiam ſecundùm humanam naturam perfectiſſimus, & ipſius cæli & terræ perfectio ac venuſtas: pulcherrimus conſequenter, quia naturæ pertectionem ſequitur pulchritudo. Et hæc tanta fuit in Chriſto, vt facile omnes ſuperaret; erat enim *ſpecioſus forma præ filijs hominum*, Pſal. 44, 3. tanta, vt ad ſui intuitum omnes alliceret, homines & Angelos, & ad beatitudinem quodammodò ſpectare videatur. *Certè fulgor ipſe & maieſtas Diuinitatis occultæ*, inquit S. Hieronymus in cap. 9. Matthæi, *quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu.* Hinc de Chriſto dixit Eccleſia in Veſperis Natiuitatis Domini: *Rex Pacificus magnificatus eſt, cuius vultum deſiderat vniuerſa terra.* & Apoſtolus Petrus 1. Epiſtolæ cap. 1, 12. *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Imò ipſemet Chriſtus aliquando diſcipulis ſuis, qui cum eo verſabantur, & eius ſuauiſſimo aſpectu fruebantur, dixit: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis*, &c. Luc. 10, 23. Tanta fuit illius animæ & corporis pulchritudo, vt meritò in eo æternus Pater ſibi complacuerit, omnéque Regnum & poteſtatem in cælo & in terra ei tradiderit. Quare ſi Priamus ille ob ſuam, etſi vanam, corporis pulchritudinem imperio dignus habitus fuit, iuxta commune dictum, *Species Priami digna eſt imperio*; multò magis omni honore dignus fuit Chriſtus ob ſolidum non ſolùm corporis, ſed etiam animæ immenſum decorem. Et hoc aduertit Dauid, dum poſt memoratam Chriſti pulchritudinem ſtatim de eiuſdem Regno ſubtexuit ſermonem, dicens: *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſperè procede, & regna*, Pſal. 44, 3. Plura huius loci Interpretes tradunt de Chriſti pulchritudine, ſed hæc pro nunc ſatis.

Chriſtus pulcherrimus & perfectiſſimus.

Statim ac Chriſtus in ſuo Regno comparuit, vt verum ac naturalem Regem eum agnouerunt boni Angeli & homines. Angeli quidem Dei miniſtri, qui faciunt voluntatem eius, cùm id habuerint in mandatis, ſicut dicit Apoſtolus, *Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*, Hebræor. 1,6. ideò eo in Bethleem nato, *ſubitò facta eſt cum Angelo*, natiuitatis nuntio, *multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis*, Lucæ 2,13. Homines etiam eumdem adorauerunt Deum hominem factum, & tamquam Regi munera obtulerunt: Iudæi in paſtoribus, & Gentiles in Magis, vt patet in Euangelio, & alij deinceps.

Rex Chriſtus inſidiatores habuit.

Verùm nec defuerunt eidem Regi inſidiatores ac perſecutores, quemadmodum tales habuerant etiam alij Reges, Dauid, Salomon, qui eius fuerunt figura. Diogenis fuit apophthegma, ideò *pallere aurum, quia multos haberet inſidiatores.* Idem omnino in Rege noſtro non obſcurè poſſumus obſeruare, quia non minùs ac pretioſus auri theſaurus, qui multos habet inſidiatores, expertus eſt æruginem demolientem, fures effodientes & furantes, multoſque habuit in cælo & in terra, qui eius interitum ſemper machinati fuerunt, & ideò tamquam timens & pallens non ſemel deſcribitur.

Inſidiatores habuit in cælo, Luciferum & ſectatores eius. Cùm enim intellexiſſet Lucifer, vt quidem ſentit S. Bernardus, Verbum diuinum humanam naturam aſſumpturum, eamdemque, Angelicâ longè inferiorem, gratiâ tamen ſuper Angelicam ſubleuandam, Deumque hominem futurum ſupremum caput hominum & Angelorum, ægrè id tulit, inuidit, & debitum oſtenſo Chriſto honorem exhibere noluit, quin & multos alios Angelos ad ſuam allexit perfidiam, pariaque ſecum ſentire & deſi-

desiderare persuasit, qui & proinde cum illo diaboli effecti, & è cælo eiecti sunt. Posteà lapsus de cælo Lucifer hanc eamdem incarnationem impedire conatus est, dum naturam humanam in primo homine Adam peccato infecit. Hinc Dei Filius quasi timens ac pallens apparuit, dum non in maiestate, sed in humili & abiecta hominis ac serui forma, velut incognitus in hunc mundum venit, vt inquit S. Paulus; & in hac nihilominùs humili forma semper oppugnatus fuit à dæmone & eius ministris. Vixdum natus, quasi timeret, fugit à facie Herodis, & in Ægyptum secessit: posteà cùm iam factus fuisset vir & miraculis clareret, illumque perdere vellent Iudæi, quasi metueret, sæpiùs fugiendo illorum manus euasit. Cùm denique tempus mortis eius appropinquaret, cœpit pauere, & tædere, mœstus esse, & cum lacrymis orare. Ex quibus manifestissimè apparet, quàm appositè in pallido auro sit Rex noster Christus repræsentatus, quoniam non minùs ac illud semper habuit insidiatores, propter quos, qui neminem timebat, timere & pallere ad tempus visus fuit, vt assumptum humanæ redemptionis mysterium fortiter suauiterque absoluere, hostes suos debellare, & ab illis subiugatos eruere, & regno suo aggregare posset.

Diabolus incarnationis mysterium impedire nisus fuit.

Christus Medicus & medicina.

Diximus, auro medicinalem inesse virtutem, quod optimè repræsentat salutiferam Saluatoris nostri virtutem ac conditionem, ad omnes animi corporisque morbos curandos, adeò vt quidquid in eo fuerit, salutem spirauerit. Vnde ad eum appropinquantes erant publicani & peccatores, & è longinquis regionibus veniebant ad eum, vt sanarentur à languoribus suis. Imperio suo dæmones ab obsessis corporibus expellebat, & mortuos ad vitã reuocabat. Veste sua diutino sanguinis fluxu laborantem sanabat, sputo cæcos à natiuitate illuminabat, & vno verbo vt dicam, *virtus de illo exibat, & sanabat omnes*, vt Euangelica testatur historia, Luc. 6, 19.

Denique, quemadmodum aurum in igne positum, nullum patitur detrimentum, sed lucidius apparet; & percussum magis dilatatur: ita Christo Domino in ardenti camino passionum posito, nihil passa est illius diuinitas, sed magis illius enituit virtus, & per vniuersum orbem ampliùs eiusdem se extendit cognitio, quemadmodum in præcedentibus explicatum fuit.

§. 3. *Quæ in aureis Crucibus earumdemq; dispositione sint recondita mysteria.*

Quinque sunt Cruces in nostris Regum Ierosolymitanorum stemmatibus, non ex vili, sed ex pretiosa materia; non ex ligno, sed ex auro elaboratæ, quarum minores quatuor maiorem circumdant, de quarum materia & dispositionis mysterijs, præter anteà dicta, alia nunc addenda sunt.

Quare aurea & non lignea stemmatum Cruces.

Mirum alicui non immeritò videri poterat, quare Cruces in stemmatibus Ierosolymitanis è viliore materia, vel ex ligno non fuerint depictæ, ad imitationem Crucis in qua passus est Saluator, quam abiectam & ex rudi ligno fuisse, satis constat. Sed cessabit admiratio, si consideretur quinam fuerint ministri Crucis Christi, & quinam inuentores nostrorum stemmatum, & quis vtrorumque finis. Illi fuerunt Iudæi, Saluatoris hostes acerrimi, qui eum sibi imperare noluerunt, & ei non solùm Cæsarem Romanorum Imperatorem, sed ipsum Barabbam, famosum, seditiosum sceleratumque homicidam & latronem prætulerunt, illiusque nomen & memoriam non tantùm abominabilem reddere, sed omnino è medio tollere studuerunt; ideoque infamem crucem vileque patibulum, in quo perimendus esset, ei erexerunt. Isti, id est efformatores stemmatum, illius amici ac serui fuerunt, quorum mens fuit, illum celebrem & glorioſum vbique reddere, in cælo & in terra, ideoque pretiosa & aurea insignia glorioſi eius triumphi extulerunt. Accedit, quòd antequam Christus in cruce pateretur, crux maledicta & infamis fuerit, & horrendum instrumentum, in quo sontes & malefici neci traderentur, ideoque vile lignum esse debuerit: sed postquam in ea pependit Christus, ex illius sacri corporis contactu benedictionem & gloriam contraxit, quemadmodum S. Andreas Apostolus, post Christum in ea suffigendus, statim vt eam sibi præparatam eminùs conspexit, reuerenter illam salutans, hisce verbis indicauit: *Salue Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum eius margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti: modo verò amorem cælestem obtines; pro voto suscipere. Sciris enim à credentibus quanta in te gaudia habeas, quanta munera præparata.* Atque ideò deinceps, ad illius gloriam repræsentandam, & mirificos eius fructus celebrandos, quòd nimirum ex illius vilitate nobiles, ex eius dedecore honesti, ex ipsius denique pauperie diuites omnium bonorum euaserimus, non vilis, sed pretiosa fuit erigenda. Et sanè ad hæc respicientes primi Christiani, Crucis imagines non solùm ex auro & argento efformarunt, sed easdem gemmis quoque pretiosis sæpè ornauerunt, prout eæ, quæ vbique locorum extant, certam fidem faciunt: ad quarum exemplar & imi-

Crux vilis post mortem Christi pretiosa.

Ex passione S. Andreæ, per Presbyteros & Diaconos Ecclesiæ Achaiæ scripta, quæ extat apud Lipomanum Tomo 1. & apud Surium Tomo 6.

De hisce Crucibus plura Bos. de Triumphanti Cruce l. 6. cap. 12.

imitationem noſtri glorioſi ac pij Ieroſolymitani Reges in ſuis ſtemmatibus aureas Cruces pingi voluerunt.

Chriſtus in maiori ſtemmatum Cruce repræſentatus.

Vt verò aliquod diſpoſitionis Crucium in ſtemmatibus, quare ſcilicet maior in medio ſit conſtituta, & reliquæ eamdem ordinatè vndequaque circumdent (vt & anteà explicauimus) myſterium aperiam, duo priùs aduerto: alterum, maiorem Crucem, quam ſuperiùs ſignificare monuimus quemlibet Ieroſolymorum Regem, hoc in loco ſignificare Chriſtum Dominum, & potiori quidem ratione, tum quia ipſe eſt Rex Regum & Dominus dominantium; & quotquot ipſum præceſſerunt, illius extiterunt figurâ, quotquot verò ipſum ſequuntur, illius ſunt Vicarij: tum quia præter omnes alios maiorem paſſionum crucem portauit, habens principatum ſuum ſuper humeros ſuos, factus vir dolorum, & ſciens infirmitatem; ac ideò ſuper omnes in cæleſti Ieruſalem gloria & honore coronatus, ſedens ad dexteram Maieſtatis in excelſis; quoniam *quò longior pugna, hoc corona ſublimior*, vt dixit ſanctus Cyprianus Epiſtola 16. ad Moyſen & Maximum Presbyteros.

Crux & corona æquiparantur.

Alterum quod aduerto, eſt, in familia & militia Chriſti, Crucem & coronam æquiualere ac pro eodem haberi, quoniam pro Cruce corona datur, vel etiam ipſa corona eſt. Dixerat hoc Regius Pſaltes, ad æternum Patrem de eius Filio loquens in hunc modum: *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum*, Pſal. 8, 6. teſtatur namque S. Apoſtolus, hæc verba de Chriſto intelligenda eſſe, qui propter Crucem, paſſionem & mortem ſuam, gloria & honore coronatus eſt, ſic enim inquit: *Eum* autem *qui modico quàm Angeli minoratus eſt, vidimus Ieſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum*, Hebr. 2, 9. Quem locum exponens ſanctus Ambroſius, teſtatur Apoſtolum hìc oſtendiſſe, Crucem eſſe gloriam & honorem Chriſti. Et ſanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus dicebat: *Tolle Crucem, ſi vis habere coronam.* Et ad hoc ipſum indicandum veteres fideles Cruces pretioſis coronis ornatas ſculpebant ac pingebant, vt Iacobus Boſius lib. 6. cap. 11. adnotauit.

Quatuor cruciculæ quatuor Chriſti coronas.

His præmiſſis dico, quatuor aureas cruciculas, quæ maiorem circumdant, multiplices Chriſti coronas repræſentare, quæ ei multiplici titulo debentur, quà nimirum Rex, & Sacerdos, ac vniuerſorum Dominus, qui omnibus in cælo & in terra coronas elargitur. Vnde multis redimitus diadematibus apparuit aliquando dilecto ſuo Ioanni. Nos de quatuor coronis agemus, prout quatuor ſunt in noſtris ſtemmatibus minores cruces: nam quæcumque aliæ coronæ Regi noſtro deberi, excogitari poſſunt, facilè ſub hiſce quatuor comprehendi poſſunt. Igitur prima Regis noſtri corona fuit eius ſanctiſſima humanitas; ſecunda, paſſio; tertia, gloria; quarta, fideles.

Prima humanitatis.

Primam humanitatis coronam fabricauit ſacratiſſima Virgo Maria in ſui puriſſimi vteri officina, Spiritu ſancto cooperante, ac eam obumbrante; quam & capiti illius impoſuit, id eſt, Diuinitati, quia *caput Chriſti, Deus*, vt dixit S. Paulus 1. Cor. 11, 3. *Factus* nimirum eſt *ex ſemine Dauid ſecundùm carnem*, Rom. 1, 3. quia conceptus ex B. Virgine, quæ ortum habuit ex ſtirpe Dauid; quaſi ex incarnatione decorem ac glorioſam coronam ſibi comparauerit Dei Filius. Hinc cæleſtis Sponſa filias Ieruſalem, fideles animas, ad illius intuitum hortatur illis verbis: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*, Cant. 3, 11. Quæ verba intelligenda eſſe de Chriſti Incarnatione, in qua à Deipara velut corona fuit redimitus carne, docent S. Ambroſius lib. de Inſtitut. Virginis c. 16. & lib. de Iſaac cap. 5. D. Gregorius in Cantica, & S. Bernardus Serm. 2. in Epiph. qui ita loquitur: *Si Rex eſt, diadema eius vbi eſt? ſed vos verè videtis eum in diademate, quo coronauit eum mater ſua in ſacco mortalitatis, de quo reſurgens ait: Quia conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia. Egredimini virtutes Angelicæ, incolæ ciuitatis ſuperna. Ecce Rex veſter, ſed in corona noſtra, in diademate quo coronauit eum mater ſua.* Et profectò ad illum contemplandum cucurrerunt homines, & præuenerunt Angeli, ſtatim atque in ortu ſuo mundo apparuit, ac deinceps, vt ex Euangelica hiſtoria liquidò conſtat.

Dei Filius ex Incarnatione decorus.

Virtutum floribus ea contexta corona.

Iſta corona fuit contexta ex varijs pulcherrimiſque floribus donorum Spiritus ſancti, quæ in primo conceptionis inſtanti eius animæ infuſa fuerunt. quos flores recenſet hiſce verbis Iſaias: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini*, Iſaiæ 11, 2.

Secunda ex ſpinis.

Secundam coronam paſſionis intexuit noſtro Regi Synagoga, potiùs nouerca, quàm mater, non quidem ex lauro, lapide pretioſo, vel ſelectis floribus, ſed ex acutiſſimis ſpinis, quæ caput illius ſacratiſſimum terebrarunt, & exquiſitiſſimis alijs tormentis, vltrò & ſponteneè propter iniquitates noſtras ſuſceptis, excruciarunt, iuxta

ta illud Isaiæ: *Propter scelus populi mei percussi eum*, Isaiæ 53, 8. Et hanc coronationis rationem indicauit S. Athanasius in oratione de Passione & Cruce Domini, & Tertullianus lib. de Corona militis, dicens: *Quale, oro te, fertum pro vtroque sexu subijt? Ex spinis, opinor, & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abstulit autem virtus Crucis, omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens.* Ad hanc coronam respexisse Spiritum sanctum in ante adductis Canticorum verbis, senserunt Theodoretus super Cantica, Expositio trium Patrum, & D. Bernardus Serm. 5. in Festo omnium Sanctorum. Ad hanc coronam videtur respexisse Ezechiel, dum dixit: *Corona tua circumligata sit tibi*, cap. 24, 17. sed clarissimè Euangelista Ioannes: *Et milites plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius*, Ioan. 19, 2. Hanc exprobrauit Dominus apud Isaiam sub ingratæ vineæ allegoria, dicens: *Expectaui vt faceret vuas, fecit autem spinas*, Isaiæ 5, 2. In quæ verba appositè sequentia habet Ruffinus in expositione Symboli: *Imposita ei dicitur corona spinea. Audite de hoc in Canticis canticorum, super iniquitatem Ierusalem, mirantis de iniuria Filij Dei Patris vocem, dicentis: Egredimini filiæ Ierusalem, & videte coronam, qua coronauit eum mater sua. Et rursum Isaias Propheta: Coronans coronabit te tribulatione. Quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam. Ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ.*

Tertia, gloria.

Tertia nostri Regis corona, fuit corona gloriæ. Et hæc singulari ac præstantissimo modo Regi nostro debetur, iuxta illud, *Regi sæculorum immortali & inuisibili, soli Deo honor & gloria*, &c. 1. Timoth. 1, 17. quia Dei & hominis Filius est. Hac ab æterno Patre suo fuit in cælo & in terra redimitus, tum quia iure ei debetur quà Deus, tum quia passione sua eam promeruit. de qua corona Paulus: *Vidimus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum*, Hebr. 2, 9. & iterùm, *Humiliauit semetipsum*, &c. *propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. siue, vt habetur in Græco, *superexaltauit*, hoc est, miro modo exaltauit, Philippens. 2, 8.

Quarta, fidelium conuersorum.

Quartam denique coronam exhibet Ecclesia quotidie in fidelium conuersione, & eorum spirituali profectu. Et sanè boni filij gloria & corona parentum suorum appellantur. *Corona senum, filij filiorum*, dixit Sapiens Prouerb. 17, 6. & Regius Vates, inter alias viri iusti benedictiones etiam hanc recensет, quòd fecundetur in filijs, qui illum velut corona circumdarent, dicens: *Filij tui sicut nouellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ*, Psal. 127, 3. Et adolescentis Tobiæ mater de eo dicebat: *Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis*, Tob. 10, 5. Vnde de Gracchorum matre Cornelia refert Valerius Maximus lib. 4. cap. 4. quòd cùm quædam Campana matrona, quæ apud illam hospitabatur, ornamenta sua pulcherrima sæculi illius ostenderet, cum illa sermonem traxerit, quousque è schola reditent liberi, & tum, *Hæc*, inquit, *mea ornamenta sunt*: ostendens, benè educatos proboſque filios esse pretiosiorem thesaurum, honorem & coronam suorum parentum. Quantò magis igitur fideles dicentur patrum suorum spiritualium corona & gloria? *Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur*, dixit Ecclesiasticus cap. 30, 2. Vnde S. Paulus Philippenses à se conuersos, gaudium coronamq; suam appellabat, dicens: *Fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea*, Philipp. 4, 1. Christus Dominus est innumerabilium filiorum parens (*Generationem eius quis enarrabit?* Isa. 53, 8.) nam quotquot conuertuntur, & in via Dei proficiunt, merito passionis & mortis eius conuertuntur, iure Christi gloria & corona dici possunt.

Probi filij corona & decor parentum.

Hoc prædixerat olim Propheta Zacharias hisce verbis: *Sumes aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedec Sacerdotis magni*, Zachariæ 11, 6. *Quia nimirum*, ait Rupertus, *per singulas virtutes electorum suorum Dominus coronatur, imò in illis coronatis Saluator coronam accipit, quia ipsius est opus, omnium Sanctorum corona.* Et apud Isaiam cap. 62, 3. *Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* in quem locum Cyrillus Alexandrinus sic ait: *Vnamquamque animam, & vniuersam Ecclesiam, corona comparare licet ex multis floribus contexta, vel regio diademati lapidibus pretiosis & gemmis Indicis radianti.* Additur verò, *in manu Domini*, propter protectionem diuinam.

Sancti Christo Regi coronas offerunt.

In huius veritatis confirmationem scribit Ioannes Archipropheta, se vidisse in cælo Sanctos continuè Dominum glorificantes; singulariter verò procidisse viginti quatuor seniores, coronis aureis redimitos, ante sedentem in throno, & adorasse viuentem in sæcula sæculorum, & misisse coronas suas ante thronum, dicentes: *Digna es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt*, Apocal. 4, 8. *Quia tu creasti omnia,*

omnipotenti virtute, naturale esse eis impertiendo, & insuper spirituale gratiæ; per quod magis illius elucet omnipotentia, iuxta illud Ecclesiæ: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas.* cuius beneficio isti aureas gloriæ coronas gestabant, quas & in signum honoris & gratitudinis, & quia magno Regi debebantur, eidem offerebant. Vt hanc igitur considerationem absoluamus, quatuor aureæ cruciculæ nostrorum stemmatum, maiorem circumdantes, nobis ob oculos ponunt quatuor celebres coronas, quibus Rex noster Christus fuit redimitus; primam humanitatis, secundam passionis, tertiam eximiæ gloriæ, ac denique quartam electorum & fidelium.

§. 4. *Explicantur mysteria auri & argenti eorumdem stemmatum, quatenus concernunt Reges temporales, Christi Regis Vicarios.*

Mysteria in auro argentoque Ierosolymitanorum stemmatum recondita, quæ supremum ac naturalem sanctæ Ciuitatis Regem Christum Dominum respiciunt, iam ex parte attulimus, explicanda sunt & illa, quæ alios eius successores siue Vicarios respiciunt. Dicamus ergo, aurum & argentum Regiorum stemmatum præmonstrare, Ierosolymitanos Reges, quoad fieri potest, virtute & moribus imitari debere supremum Regem, qui illis tamquam exemplar, in quod respiciant, propositus fuit; ne forte ei deprehenti dissimiles, Regno & hereditate priuentur. Constent igitur & ipsi quadamtenus ex auro & argento: quia etsi per naturam Dij esse non possint vt Christus, studeant tamen imitatione & adoptione Dei esse filij, habeantque aurum solidæ virtutis & fortitudinis, nec interim careant argento humanitatis, compassione inquam ac benignitate. Fulgeant auro charitatis & amoris, & resonent argento sapientiæ & cognitionis legis diuinæ.

Ierosolymitani Reges virtute, aliis præcellere debent.

Angelus ille, qui in similitudine Filij hominis Ioanni apparuit (cuius & suprà mentionem fecimus) præcinctus erat ad mamillas zona aurea. Hæc zona, secundùm Ruperti Abbatis expositionem, significabat Christi imperantis Regiam auctoritatem, ab omni miseria & mortalitate liberam, de qua Regius Vates dixit: *Dominus regnauit, decorem indutus est; indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*, Psalm. 92, 1. *Decorem*, inquit Rupertus, *& fortitudinem, qua indutus est, qua præcinxit se Dominus regnans, regno peccati destructo & superata morte, personam auream intelligimus, qua nunc apparet ad mamillas præcinctus. Cur enim ad mamillas, quarum in medio locus est cordis, nisi vt talis præcinctura significet vitalem statum, quem Christus nunc habet, quia nimirum iam Rex est immortalis, iuxta illud ad Romanos, Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur?* Se autem in Regio habitu ostendit, vt quales debeant esse Reges alij, ex eo discant, & illius perfectionem, quantum fieri potest, imitari totis viribus contendant, & vt qui morti sunt obnoxij (quia lutea vasa portant) fiant per iustitiam cum Christo immortales, nam *in memoria æterna erit iustus*, vt Propheta dixit Psal. 111, 7. Hoc enim pacto futurum est, vt quemadmodum immortalis & beatus passionibus non mouetur, ita nec ipsi timore vel amore inordinato, aliaue passione a regimine suo commoueantur, ne forte à Regno remoueantur. Singulariter verò dilectionem, pietatem, ac sapientiam ad recte gubernandum per necessariam habeant, quemadmodum auri & argenti symbolo admonentur. Dauid & Salomon, qui primi Ierosolymorum & totius Terræ promissionis absoluti Reges, & Christi Regis figura fuerunt, auro quidem & argento ditissimi fuerunt, vt docent sacræ Litteræ, nosque alibi obseruauimus; pietate verò ac sapientia multò ditiores & fulgentiores. Et profectò Dauid vir secundùm cor Dei, super senes intellexit, atque eximia pietate ac singulari mansuetudine in primis celebris fuit. Adeò enim pietate ac mansuetudine excelluit, vt omnes vellet in viscenbus habere. Hinc *conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo: & factus est eorum princeps*, 1. Reg. 22, 2. Quid plura? infensissimos sibi hostes, Saulem & Absalonem, suaque vitæ insidiatores, non solùm non persecutus fuit vel offendit, etsi potuerit, sed eisdem benè facere studuit, illorumque interitum & mortem doluit ac fleuit, vt sacra Regum docet historia. Ideò dicebat: *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis; si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat*, Psal. 7, 4. Ideò & *virum secundùm cor suum* illum Dominus nuncupauit, Actorum 13, 22. Hinc vt Christus lucerna dicitur, *Et lucerna eius est Agnus*, Apoc. 21, 23. & eodem nomine Dauid appellatus est. *Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israël*, dixerunt ei viri sui 2. Reg. 21, 17. quia vt lucerna ardet & lucet, ita nobiles isti Reges asserunt charitate, ac sapien-

Zona aurea Regia Christi auctoritas.

Iustitia Principes immortales fiunt.

Dilectio & sapientia ad regimen necessaria.

Dauidis mansuetudo & pietas.

Salomonis sapientia.

sapientia splenduerunt. Salomon verò præfulsit sapientia, quam, vt posset clauum regni administrare sine offensa, à Deo petijt & obtinuit, dicente ei Domino: *Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit*, 3. Reg. 3, 11.

Non dubito, Deum optimum maximum hos Terræ sanctæ Reges voluisse prædictis virtutibus condecorare, & ob illas regnum illorum dilatare ac stabilire, vt successores eosdem æmularentur, & amplius in eodem firmarentur; ne, pietate, charitate ac sapientia deficientibus, deficeret pariter & Regnum, atque ab eo tamquam indigni eliminarentur; sicut earumdem virtutum defectu in successoribus factum legimus, & nunc non sine rubore ac dolore videmus, ex quo Terra sancta hostibus nostris in direptionem tradita, & hereditas nostra ad alienos versa est.

Ratio idem persuadet. Regis enim munus est, commissum sibi Regnum dirigere & custodire, eidemque de necessarijs prouidere. Sed hæc absque charitate, pietate ac sapientia præstare nullatenus poterit Rex.

Regna quadrigis comparantur.

Regna quadrigis comparantur, vt habetur Zachariæ sexto, vbi quatuor mundi imperia per quadrigas exprimuntur: qua similitudine edocemur, Reges esse veluti aurigas, qui curruum suorum, Regnorum inquam, sedulam curam habere, eorumque regimen ad salutem subditorum moderari debent. Quin currus simul & aurigas esse Reges iure dixeris, quemadmodum Eliam appellauit Eliseus, *Pater mi*, inquiens, *currus Israël & auriga eius*, 4. Reg. 2, 12. & posteà Eliseum, egregium Eliæ successorem, vocauit Ioas Rex Israel: quoniam, velut aurigæ, vterque per veram doctrinam ad veram Dei semitam populum suum dirigebat, & quasi curru eumdem in necessitatibus subleuabat, in siccitate aquam impetrando, mortuis vitam impertiendo, & bonis alijs cumulando.

Principes currus & auriga sit.

Præcepit quondam Dominus, vt in consecratione Regum Israëlitarum, cùm aurea corona capiti imponebatur, etiam liber Deuteronomij in manus eorumdem traderetur, vt patet in Deuteronomio. Vnde cùm Ioiada Pontifex Ioias filium Ochoziæ Regem proclamaret, eiusque capiti Regalem coronam imponeret, librum simul legis in manum eius dabat. *Posuit super eum diadema, & testimonium*, dicitur 4. Reg. 11, 11. quo loco per *testimonium* liber Deuteronomij, in quo lex Dei continebatur, de communi sententia intelligitur, & clarè in secundo Paralipomenon libro cap. 13, 11. explicatur. Per hoc nimirum indicare voluit Dominus, Reges dilectione ac charitate, quæ virtutum reliquarum corona est, redimiri, ac diuinæ legis cognitionem habere debere, manuque tenere, id est, opere complere, vt verbo & exemplo in Regno subditis præfulgeant, eosdemque charitate foueant. Principes passim Pastores appellantur: quoniam veluti pastores suas oues sedulò pascere, ac per vias non salebrosas ducere debent; ita Reges pietate & vera doctrina commissum sibi gregem pascere tenentur & instruere. Hinc primo totius populi Israëlitici Regi dixit Dominus: *Tu pasces populũ meum Israël, & tu eris dux super Israël*, 2. Reg. 5, 3. *Pasces*, misericorditer in necessitatibus subueniendo; *dux eris*, sapienter instruendo. Et hac singulari ratione Rex noster Christus Pastor appellatur, quoniam sibi cõmissos populos, oues nimirum eum sequentes, in viam bonam dirigit, & saluberrimis pascuis pascit, quemadmodum Dauid prædixerat illis verbis: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit*, &c. Psal. 22, 2. & per Ezechielem Prophetam se facturum pollicitus fuerat, sic inquiens: *Pascam eas in montibus Israël, in riuis, & in cunctis sedibus terræ. In pascuis vberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israël erunt pascua earum*, &c. Ezech. 34, 13.

Sapientia & opera præcedat.

Angelus ille, qui Ioanni apparuit, & Regis nostri Christi personam repræsentabat, cum mamillis adeò lacte plenis describitur, vt, ne defluerent, fascia præcingi debuerint, vt anteà notauimus. At quid Regi cum mamillis, quæ magis prægnanti mulieri & nutrici conueniunt? Appositè sanè pro nostro proposito. Inter alias vberum significationes duæ sunt præcipuæ: altera, quòd misericordiam ac pietatem significent, secundùm D. Bernardum Sermone 9. in Cantica, qua & longanimiter ad pœnitentiam nos expectat, & libenter suaue suorum donorum lac elargitur. *Longanimis, & multùm misericors*, vt dixit Propheta Regius Psal. 102, 8. Altera significatio est, per duas mamillas duo Testamenta, nouum & vetus, intelligi, id est, vtriusque doctrinam; quia vt lacte pascuntur infantes, ita fideles cælesti doctrina nutriuntur. Ita præter alios S. Ambrosius, explicans benedictionem illam, qua Iacob Ioseph filium suum benedixit: *Deus Patris tui eris adiutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, benedi-*

Misericordia ac sapientia vberibus pascant Principes subditos.

Digitized by Google

ctionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus vberum, &c. Geneſ. 49, 25. *Vbera*, inquit Ambroſius, *duo Teſtamenta dixit, quorum altero annuntiatus eſt, altero demonſtratus.* Igitur quemadmodum in teminis, appetente partus tempore, lacte vbera turgeſcunt, editaque iam prole diſtenduntur; & quia cordi & præcordijs inſident, matrem amoris admonent ad nutriendum fœtum, ſicut & in lucem editum nutrit, quoniam domina illius eſt: ita Chriſtus Rex cum turgentibus mamillis deſcribitur, quoniam omnes ſuauitate miſericordiæ ſuæ, cæleſtibus inquam beneficijs, ac ſalutari doctrina, paſcere debebat, & ad vbera portare, vt prædixerat Iſaias, qui & hortatur ad lætitiam fideles pro tam prouido Rege ab æterno Patre illis conſtituto, dicens: *Lætamini cum Ieruſalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam*, &c. *vt ſugatis, & repleamini ab vbere miſericordiæ eius: vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius*, Iſaiæ 66, 10. Apparuit autem in eiuſmodi forma, vt quales debeant eſſe, alij Reges ex ipſo diſcerent, & ſingulariter Ieroſolymitani, qui, vtpote præcipui, præ alijs Chriſtum Regem imitari, & ceteris recti regiminis exemplar & regula eſſe debent. Qui verò tales eſſe negligunt, neque de paſcendis ſibi commiſſis ouibus, ſed tantum de ſemetipſis ſunt ſolliciti, onus potiùs deponant, ne cum eo demergantur in profundum, cum Regni totius iactura & amiſſione. Nec enim luxus, non diuitiæ, non potentia proderunt illis apud Dominum, nec protegent eos in morte & iudicio. Sciant, quòd *excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij, & inſuper vniuerſa terræ Rex imperat ſeruienti*, Eccle. 5, 7. & hic *non ſubtrahet perſonam cuiuſquam, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam; quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus*, Sapient. 6, 8. & ſecundùm iuſtitiam, *Omni, cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo; & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo*, Luc. 12, 48. Quare torpentes & deſides *potenter tormenta patientur*, Sap. 6, 7. O vtinam ſaperent, & hæc intelligerent omnes mundi potentes, ac rebus ſuis modò ſtudioſiùs prouiderent, ne præoccupati die mortis, quęrant tempus pœnitentiæ, & non inueniant! Conſiderent inter alia terribilia quæ aduerſus ſocordes huius mundi Principes prolata inueniuntur in ſacris Litteris, ea quæ capite ſexto libri Sapientiæ, & capite trigeſimo quarto Ezechielis habentur: ſunt enim mirabilia, & ad quoſcumque animos commouendos efficaciſſima. Et fortaſſe propter ea, & propter alia innumera delinquendi pericula, quibus potentes ſunt obnoxij, plures ſceptra & coronas reliquerunt, alij oblatas reſpuerunt, vt plures tradunt Hiſtorici. Sed ex his duo proferamus exempla ex veteri & nouo Teſtamento petita. In veteri legimus, quoſdam Iſraëlitas cuidam familiari, quem honeſto amictu indutum videbant, dixiſſe: *Veſtimentum tibi eſt, princeps eſto noſter*, Iſaiæ 3, 6. ſed optima ratione recuſauit, dicens: *Non ſum Medicus, & in domo mea non eſt panis neque veſtimentum: nolite conſtituere me principem populi*, verſ. 7. ac ſi dixiſſet, Non ſuppetunt vires tanto oneri ſubeundo neceſſariæ, expers ſum temporalium ac ſpiritualium bonorum; non ſum Medicus, non ſunt in me compaſſionis viſcera, nec ſuppetunt opportuna medicamenta, quibus veſtris morbis mederi poſſim; non habeo panem materialem, neque ſcientiæ, quo vos corpore & mente paſcam; non habeo veſtes protectionis, quibus à periculis defendere vos poſſim: quare vana vobis, & mihi noxia eſſet hæc mei in Principem veſtrum electio. *Nolite conſtituere me principem populi.*

Duo vbera, duo Teſtamenta.

Reges omnes ſuum negligentes puniuntur.

Duo exempla eorum qui Regno renuntiarunt propter pericula.

Primum.

In nouo Teſtamento illuſtrius habemus exemplum Chriſti Domini, cui exactiſſime inerant omnia quæ optimo Regi neceſſaria ſunt. Erat Medicus, qui ab omni ſanabat infirmitate, & à morte liberabat; vnde & ſe Medicum appellabat: materiali ac ſpirituali pane doctrinæ ſuos paſcebat, & protegebat à perſequentibus, ſicut gallina protegit pullos ſuos ſub alis. Hinc cùm aliquando hoc Regium munus, ſingulareméque prouidentiam exerceret in eos qui eum ex varijs partibus ſecuti fuerant, faciendo ſigna ſuper his qui infirmabantur, loquendo de regno Dei, & abunde pane & piſcibus eos paſcendo; illi beneficio accepto grati, & Regiam in illo dignitatem aduertentes, voluerunt illum ſibi in Regem præficere: non tamen acquieuit Chriſtus, ſed *cùm cognouiſſet quia venturi eſſent vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterùm in montem ipſe ſolus*, Ioan. 8, 15. At quare Chriſtus, omni honore digniſſimus, gradum illum ſponte à turbis ſibi oblatum recuſauit? Ad aliorum ſanè inſtructionem: ne, inquam, illi qui charitate nudi, & ſapientia ſunt vacui, vllatenus regium ambiant aut acceptent diadema, quin potiùs acceptum deponant, ne ſibi & vniuerſo Regno ſint exterminio & ruinæ, quemadmodum ſibi & Ieroſolymitano Regno fuerunt ſtolidi inſipientes & vera pietate deſtituti quidam Reges, vt ex ſacris alijſque Eccleſiaſticis ac profanis hiſtorijs noſtro malo edocti ſumus.

Secundum.

§. 5. *Quid*

§. 5. *Quid aurum & argentum in ſtemmatibus Terræ ſanctæ ipſi Ieroſolymitano Regno adferat.*

Aſſumptum argumentum paucis expediendum eſt, tum quia alibi de conditione Ieroſolymitani Regni alijſque ad idem ſpectantibus diſſerùimus, tum quia iterùm alio opportuniore loco de eadem re nobis erit ſermo, vnde plura deſumi, & huic loco de ſtemmatibus accommodari poſſunt. Breuiter igitur in præſentia dicam, noſtrotum ſtemmatum aurum & argentum ipſi Regno Ieroſolymitano quinque præcipuè importare: primò, ſpiritualia bona; ſecundò, bona temporalia; tertiò, æmulationem illius poſſeſſionis; quartò, poſſidentium cuſtodiam, quintò denique, punitionem illud negligentium.

Quinque portendant Ieroſolymitano Regno aurum & argentum.

De primo iam ſuprà monuimus, aurum amoris & charitatis, argentum verò ſapientiæ ſymbolum eſſe, ac conſequenter eadem ſymbolicè ſignificare. Sed clariùs & luculentiùs hæc ipſa in ſacris Litteris explicata inuenio. Apud Iſaiam: *Dixit Dominus cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Ieruſalem*, Iſa. 31, 9. vtique ignis amoris Dei in Sion; & caminus dilectionis proximi ſuccenſus eſt in Ieruſalem, loco à Deo præleĉto, ad ſigna amoris ſui nobis exhibenda, & amoris erga ſe noſtri erigenda, cùm ipſemet dicat: *Elegi, & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum*, 2. Paral. 7, 16. Hunc ignem abſque dubio primò accendit Deus tam in lege naturæ quàm Moyſaica, & poſteà in lege gratiæ; tantùm à nobis corda exquirens, quæ velut aridiſſima & ſiceiſſima ligna iniectum illum ignem facilè conciperent, ac eumdem in ſe per bona & iuſta opera fouerent. In huius rei comprobationem & figuram legimus, Deum è cælo ſuper ſacrificia ſiue hoſtias lignis impoſitas ignem miſiſſe, vt videre eſt in Abelis, Salomonis, Eliæ, & aliorum ſacrificijs, vbi ignis à ſacrificantibus nullus omnino ſuppoſitus fuit. Ipſe enim eſt qui ait: *Ecce ego ſuccendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, & omne lignum aridum. Non extinguetur flamma ſuccenſionis: & comburetur in ea omnis facies ab Auſtro vſque ad Aquilonem. Et videbit omnis caro, quia ego Dominus ſuccendi eam, nec extinguetur*, Ezech. 20, 47. Admirabilis eſt huius ignis virtus: quandoquidem non ſolùm arida ligna, corda videlicet amicorum ſuorum ad cæleſtem ignem ſuſcipiendum diſpoſita, ſed etiam viridia, id eſt, indiſpoſita inimicorum, comburat; nec ſolùm ligna ſacrificij Eliæ, ſed puluerem & aquam, quæ erat in aquæ ductu, lambens: quia noſter Deus *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*, vt Chriſtus Matthæi cap. 5, 45. dixit. Ampliùs eumdem amorem in plenitudine temporis oſtendit, cùm pro omnium, & ſingulariter pro inimicorum ſalute Deus vnigenitum Filium ſuum miſit in mundum. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis*, inquit dilectus Chriſti diſcipulus Ioannes 1. Epiſtolæ 4, 9. *quoniam Filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc eſt charitas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.* Et quaſi id non ſufficeret, vt infinitum ſuum amorem ampliùs exerceret, miſit Pater cum Filio Spiritum ſanctum, notionalem amorem, ſuper ſanctam Deiparam, Apoſtolos, fideleſque alios pariter congregatos in cœnaculo Sion. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditq; ſupra ſingulos eorum*, inquit ſacer Textus Actuum Apoſtolicorum cap. 2, 1.

Primum, ſapientiam & charitatem.

Figura.

Deus bonis & malis benefacit.

In lege gratia in malis ſingulariter diuimus amor eius.

Dixit Dominus ad Moyſen: *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos; ſubiiciens ligna manè per ſingulos dies, & impoſito holocauſto deſuper adolebit adipes pacificorum. Ignis eſt iſte perpetuus, qui numquam deficiet in altari*, Leuitici 6, 12. Ignis quippe diuini amoris, à Domino accendendus ſingulariter Ieroſolymis, vbi ex lege ſacrificandum erat, in perpetuum quidem duraturus erat, quia arſurus vſque ad ſæculi conſummationem. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus*, inquit Saluator, *vſque ad conſummationem ſæculi*, Matth. 28, 20. ſcilicet vt ignis, quem in terras attulit, ſemper ardeat, maioribusque beneficijs & gratijs velut folle feruentius excitetur; hoc tamen pacto, vt nos cooperemur, apponendo ligna, cor nimirum noſtrum promptum ad diuina implenda mandata, & mutui amoris argumenta præſtanda exhibendo. Et ſanè ita Ieroſolymis factum fuiſſe, paucis explico. Mandauit aliquando Dominus Deus amico ſuo Abrahæ, vt vnigenitum filium ſuum Iſaac ritu ſacrificij ſibi offerret in monte quodam ſibi demonſtrando, qui fuit eo ipſo loco vbi poſteà conſtructa eſt Ieroſolyma, vt ſuo loco oſtenſuri ſumus. Poſtquam verò ſanctus ille Patriarcha grande hoc facinus exequi vellet, ab eo qui mandatum dederat impeditus, audiuit ſibi dici: *Nunc cognoui quòd timeas Deum*, Geneſ. 22, 12. hoc eſt *omnibus notum feci*, vt Diodorus Tharſenſis exponit; vel vt Auguſtinus, *Nunc noſſe te feci*; vel vt alij clariùs, *Omnibus in hoc loco notum feci tuum in me ſingularem amorem*, vt more humano loquendi

Figura.

Diuini amoris ignis ſemper conſeruandus.

Ieroſolymis conſeruatus.

vſus fuerit. Solemus enim dicere, quando inſigne aliquod amicitiæ erga nos argumentum in aliquo cernimus, Nunc verè te amicum meum eſſe noui; id eſt, licet nullum vmquam tuæ amicitiæ ſignum dediſſes, hoc vnum pro mille ſuffeciſſet. Eumdemque amoris ignem deinceps Patriarchæ poſteri, Prophetæ, alijque præſtantes viri ac mulieres vſque ad Chriſtum, & poſteà ad noſtra tempora, mirandis dilectionis operibus magis ſuccendere non deſtiterunt, imò, qui ſucceſſerunt, in amoris vehementia Patriarchas illos præcelluerunt, Chriſtus videlicet, B. Virgo Maria, Apoſtoli, Stephanus, & alij qui ſemper in ſancta Ciuitate auro charitatis ſplenduerunt, & diuini amoris igne exæſtuarunt, vt ex ſacris Eccleſiaſticisque hiſtorijs edocemur.

Aurum ſapientiæ Ieroſolymis abundauit.

Huic auro charitatis non defuit in noſtra Ieroſolyma argentum ſapientiæ, ſed adeò abundauit, vt eſſet velut totius vniuerſi Academia, ad quam omnes, vt inſtruerentur, confluerent. *Hæc dicit Dominus Deus*, ait Ezechiel, *Iſta eſt Ieruſalem, in medio Gentium poſui eam, & in circuitu eius terras*, Ezech. 5, 5. *In medio Gentium poſita eſt*, inquit Hieronymus in Ezech. cap. 5. *vt quia erat notus in Iudæa Deus, & in Iſraël magnum nomen eius, omnes in circuitu nationes illius ſequerentur exemplum*, & tamquam diſcipulæ ſcientiam apprehenderent. Et clariſſimè apud Iſaiam omnes Gentes mutuò ſe hortantur ad proficiſcendum, non quidem ad montem Sinai, vbi quondam Dominus Moyſi dedit legem, quæ neminem ad perfectum perducit, ſed ad ſanctam noſtram Ciuitatem tamquam ad domum veræ ac ſolidæ ſapientiæ, quæ non ſolùm ad perfectionem perducit, ſed vſque ad Deum & eius viſionem ac fruitionem euehit. *Et fluent ad eam omnes Gentes*, inquit Propheta cap. 2, 2. *Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Et ſanè tum veteris tum noui Teſtamenti celebres viri, Doctores, Prophetæ, atque Apoſtoli, hauſtum ex Deo ſpiritum, Ieroſolymis, & in terra Iudæa per prædicationes ſuas effuderunt.

Secundum, auro & argento eius temporalia designantur.

Secundò ſub argenti & auri metaphora deſignantur temporalia, vt ſatis conſtat, & indicauit D. Petrus Actor. 3, 6. illis verbis, quibus claudum, qui aliquam eleëmoſynam ab eo expectabat, fuit allocutus, dicens: *Argentum & aurum non eſt mihi*, hoc eſt, bona temporalia, quæ propter Chriſtum reliqui. At nec iſta defuerunt Ieroſolymæ, quandoquidem bonis ſpiritualibus adduntur, vt Chriſtus docuit. Quare cùm, vt diximus, ſpiritualia ei ſuppetierint abundè, temporalibus carere non debuit, vt verè non caruit: Ieroſolymitani enim Regni *lapides ferrum ſunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur*, vt in Deuteronomio cap. 8, 9. habetur, atque aliunde etiam illuc aduehebantur. Mirabilia ſanè & propemodum incredibilia ſunt, quæ de immenſa vtriuſque metalli copia & multitudine, quæ Dauidis & Salomonis tempore Ieroſolymis fuerit, tum alibi, tum 3. Regum 10. & 2. Paral. 7. referuntur, adeò vt Propheta Iſaias dicere iure potuerit: *Repleta eſt terra argento & auro, & non eſt finis theſaurorum eius*, Iſaiæ 2, 7. de qua abundantia nos alibi.

Nec ad præſens vſque tempus ea temporalium bonorum affluentia, vel auri argentiſque abundantia caret, quia ea propter glorioſum Domini Sepulchrum, ac alia ſancta loca, licet ſub Turcarum tyrannidem redacta, in magna ſanè copia illuc deferuntur. Qualis porrò naturalis eius ſoli olim fuerit fertilitas, alibi pleniùs ex ſacris Litteris deſcripſimus. Nec balnea & ſalubriores aquæ, ob quarum abundantiam alioquin aliæ regiones admodum celebrari ſolent, Regno Ieroſolymitano defuerunt. Vt enim omittam ſalubres Iordanis aquas, in quibus ablutus Naaman Syrus à lepra mundatus fuit, & alias Emaüs intimas apud mare Tiberiadis, quæ ad ſanandas corporis infirmitates ſaluberrimæ erant, vt ſuo loco dicam; erat Ieroſolymis Regia ciuitate, probatica piſcina, in quam qui certo quodam tempore ingrediebatur, *ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate*, vt apud S. Ioannem cap. 5, 2. legimus; vt inſuper egregios & diuina medendi arte præditos viros, quibus regio iſta abundabat, præteream: ex quibus liquet, temporalibus bonis Regnum hoc abundantiſſimè affluxiſſe.

Aquis ſalutaribus fluxit.

Tertiò, aurum & argentum noſtrorum ſtemmatum non obſcurè ſignificant, Regnum Ieroſolymitanum habiturum multos æmulatores atque inſidiatores. Defectui & interitui ſunt res huius mundi obnoxiæ. *Cuncta ſubiacent vanitati*, dixit Eccleſiaſtes cap. 3, 19. Veſtes, etſi pretioſæ, blattis & tineis ſunt obnoxiæ; metalla, auro excepto, ærugini; ſed non ideò à periculo liberatur aurum, ſed timet fures; vt fuerint qui ideò palleſcere illud dixerint, quemadmodum ſuprà notauimus, quòd multi ei inſidientur, furari illud & abſcondere cupientes. Ieroſolymitanum Regnum ſemper hoſtes habuit, qui non ſolùm clàm & per inſidias, ſed etiam palàm & manifeſte illud legitimis

Tertium, Regnum æmulos habiturum.

Temporalia defectui obnoxia.

Digitized by Google

mis dominis extorquere ſategerunt, Aſſyrios, Babylonios, Ægyptios, Romanos, ac denique Mauros & Turcas, à quibus etiamnum iniuſtè occupatur. Et verè iam, non ſine ingenti animi mei mœrore deplorare cogor, eos Chriſtiani nominis (vtinam & fidei) Principes, qui iuſtiſſimo titulo eiuſdem Regni debebant eſſe æmulatores, imò inſidiatores, tales quidem verbis ſe eſſe profiteri, factis tamen & reipsâ illud omnino negligere. Quæ cauſa? Auri ſacra fames. Quæ cauſa? mutua diſſidia, diffidentiæ, & alteri ab altero ſtructæ inſidiæ.

Quartum, diligentes cuſtodes.

Quartò indicat aurum & argentum, diligentem Regni huius cuſtodiam ab eius habitatoribus eſſe adhibendam, quemadmodum auari diuites magna ſollicitudine aurum & argentum cuſtodiunt. Refert Epiſcopus Abulenſis in cap. 2. & 14. Geneſis, hoc generale eſſe in tota India, quòd in ea aurum & argentum multum inueniatur. Sunt enim, inquit, in terra illa Chryſe & Argyria inſulæ auro argentoque refertæ, in quibus mõtes aurei eſſe dicuntur, quos gryphi & leones cuſtodiunt. de quo Iſidorus Etymol. 15. Et de terra iſta deferebat claſſis Hiran & Salomonis aurum, vocaturque regio illa Ophir, de quo libro 3. Regum cap. 9. ***Et aurum terræ illius optimum eſt***, Gen. 2,12. Ieroſolyma quoque, tamquam pretioſus theſaurus, optimè cuſtodita fuit tum naturali tum ſupernaturali cuſtodia. ***Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & vſque in ſæculum***, inquit Pſalmiſta Pſal. 124,2. Adeò, inquam, munita fuit, vt Iebuſæi ad arcis Sion & ciuitatis ſuperioris cuſtodiam ſolos cæcos & claudos ſufficere poſſe arbitrati fuerint. Tot igitur munita præſidijs, ab hoſtibus vt ſibi timeret, non habebat opus, ſed Deus dumtaxat ei timendus erat, ne ad indignationem ille laceſſitus populi peccatis, cuſtodiam ſuam ſubtraheret, & hoſtibus diripiendam relinqueret. *Niſi* enim ***Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam***, inquit Vates ille Pſalmo 126, 1. Et ſanè efficax cauſa deſolationis populi, & amiſſionis Regni, peccatum eſt. ***Regnum à gente in gentem transfertur***, inquit Sapiens Eccli. 10,8 ***propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.*** & Salomon: ***Miſeros facit populos peccatum***, Prouerb. 14,34. Ob peccata olim miſſos fuiſſe Nerones, Decios, Diocletianos, & tyrannos alios in Dei Eccleſiam ſæuientes, probant Cyprianus lib. de Lapſis, & Euſebius in Hiſtoria Eccleſiaſtica: & adeò manifeſta eſt hæc veritas, vt multa probatione non indigeat, ſingulariter tamen licet hoc in noſtra munitiſſima Ieroſolyma animaduertere. ***Peccatum peccauit Ieruſalem***, inquit Ieremias Thren. 1,8. ***propterea inſtabilis facta es***, & in direptionem ac commotionem expoſita. Et S. Tobias Ieroſolymam alloquens, ait: ***Ieruſalem ciuitas Dei, caſtigauit te Dominus in operibus manuum tuarum***, Tob. 13,11. Et per quos caſtigauit & flagellauit Deus ciuitatẽ ſuam? nónne iſti fuerunt Chaldæi, Babylonij, alijque eiuſmodi Dei hoſtes? Vtique, ſed tamquam Dei miniſtri. Subtraxit ille cuſtodiam ſuam, & immiſit in eam vltores ſuos, qui vindictam de ea ſumerent, propter opera manuum eius, peccata videlicet quæ ſola commiſit. Vnde Achior Dux filiorum Ammon dixit: ***Quotieſcumque Iudæi, præter ipſum Deum ſuum, alterum coluerunt, dati ſunt in prædam, in gladium, & in opprobrium***, Iudith 5,18. Et profectò ſi conſideremus Ieroſolymitanas ſtrages, eas omnes non ex parte ciuitatis, ſed ex abundantia peccatorum proceſſiſſe deprehendemus, vt clarè produnt ſacri & profani libri, Iudicum, Regum, Machabæorum, Ioſephi, Guillelmi Tyrij, & aliorum, ſed de his alibi. Quare optimè munitam & cuſtoditam dicere debemus, cùm ex voluntate habitantium illius ſalus & interitus pendeat. Et in præſentia, proh pudor! velut optimum aurum cuſtoditur à gryphis & leonibus, ab immundis Mahometiſtis, Chriſtiani nominis iuratiſſimis hoſtibus, idq; propter Chriſtianorum peccata, per quæ, non minùs quàm iſti, eiuſdem ſe nominis apertos hoſtes profitentur.

India auro abundans, cuſtoditur à gryphis & leonibus.

Piccatum cauſa amiſſionis Regni.

Hoſtes Dei, eiuſdem miniſtri iuſtitiæ.

Quintò denique in auro & argento Regiorum noſtrorum ſtemmatum indicatur felicitas eorum quibus in pretio & æſtimatione eſt ſancta Ciuitas, & punitio illorum qui eamdem paruipendunt, & ſuſque deque habent. Non poteſt idem agens in idem ſubiectum, ſemper vniformiter diſpoſitum, contrarios inducere effectus, exempli cauſa, ignis nequit ceram liquefacere ſimul & indurare; benè tamen idem poteſt efficere in diuerſa, adeò vt idem ignis ceram liquefaciat, & lutum conſtipet & induret; vel in idem ſubiectum diuerſimodè diſpoſitum, quemadmodum Sol in vere ex terra gignit flores, & in æſtate ranas. Ita quoque aurum poteſt diuerſos in diuerſis parere effectus, & contrarios omnino repræſentare, bonos & malos: bonos, ſi benè; malos, ſi malè quiſpiam eo vtatur. Aurum enim ex ſe malum non eſt, ſed bonum; ideò Dauidi, Salomoni & Iudaico populo, tamquam ſingulare beneficium, affatim illud ſuppeditauit Dominus, & alioqui inter bona Domini computatur, nec propter ſe, ſed propter inordinatam eius

Quintum, felicitatem æſtimantium, & punitionem contemnentium ſignificat.

Non auri, ſed cupiditas & abuſus noxius.

cupiditatem prohibetur. *Plus enim concupiſcentia mundi quàm ſubſtantia nocet*, ait S. Bernardus Serm. de Bonis deferendis, *& hæc fugiendarum cauſa diuitiarum præcipua eſt, quòd aut vix, aut numquam ſine amore valeant poſſideri.* Vnde Eccleſiaſticus non dixit, quòd aurum perdiderit omnes, ſed quòd multos, illos videlicet qui eo abutuntur; nam alios glorioſos ac beatos fecit, qui videlicet bene eo vſi ſunt, eodem dicente, *Beatus dives qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit*, &c. cap. 31, 8. Similiter dicendum de Ieroſolymitano Regno, ſicut & de eiuſdem Rege Chriſto Domino, quòd æſtimantibus illum ſit ſalutis, contemnentibus verò perditionis prognoſticum.

Chriſtus quomodo ruina ac ſalutis cauſa.

De Ieroſolymitano Rege Chriſto dixit ſanctus ille ſenex & Propheta Simeon, quòd eſſet *poſitus in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſraël*, Lucæ 2, 34. At quomodo Chriſtus, qui eſt ipſa bonitas, potuit eſſe ruinæ & reſurrectionis cauſa? Potuit vtique, non ſua culpa vel voluntate, ſed hominum malitia. Fuit cauſa ſiue occaſio ſpiritualis ruinæ Iudæis, eò quòd illum in Meſſiam ſuum recipere noluerint, & quem ante aduentum verè venturum credebant, poſt aduentum iam veniſſe credere, vt debebant, detrectauerint, adeoque fidem, quæ ſalutis eſt fundamentum, amiſerint: fuit verò verè cauſa reſurrectionis ſpiritualis & diuinæ filiationis, ijs qui eum receperunt, & in eum crediderunt, vt dixit S. Ioannes cap. 1, 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Atque ita præter alios eum locum interpretantur S. Auguſtinus lib. Quæſt. ex vtroque Teſtamento, quæſt. 105. Euthymius in cap. 2. Lucæ, & Beda: & S. Gregorius Nazianzenus Oratione ad ciues Nazianzenos ita inquit: *Chriſtus in ruinam & reſurrectionem multorum poſitus eſt: in ruinam nimirum incredulis, in reſurrectionem autem ijs qui fide præditi ſunt.* Et S. Irenæus lib. 5. cap. 27. *Chriſtus venit in ruinam & reſurrectionem multorum. In ruinam quidem non credentium ei, quibus & maiorem damnationem, quàm Sodomorum & Gomorrhæ in iudicio comminatus eſt: in reſurrectionem autem credentium, & facientium voluntatem Patris eius qui eſt in cælis.*

Quomodo item Ieroſolyma.

Quod de Chriſto Rege ex Spiritus ſancti inſtinctu dixit Simeon, eodem afflatus Spiritu de Regia ciuitate ex amore & zelo iuſtitiæ dixit ſanctus ſenex Tobias ſequentibus verbis: *Maledicti erunt qui contempſerint te, & condemnati erunt omnes qui blaſphemauerint te, benedicti erunt qui ædificauerint te*, Tob. 13, 16. & Ieſus, ille Siracides eodem ſenſu de auro & argento dixit: *Multos perdidit aurum & argentum*, Eccli. 8, 3. Diuitiarum videlicet inordinata concupiſcentia fuit pluribus corporis & animæ ruina, idque multiplici ratione. Primò, vt de corporis afflictione loquamur, quia eædem ſe diligentes illum varijs cogitationibus, qua nimirum ratione vel comparent vel cuſtodiant, torquent & diſcruciant, nec illos vel quieſcere vel dormire ſinunt. Ita enim de hiſce dixit Apoſtolus: *Inſeruerunt ſe doloribus multis*, 1. Timot. 6, 10. & Eccleſiaſtes: *Saturitas diuitis non ſinit eum dormire*, Eccle. 5, 11. Mirabile hoc eſt, quòd in alijs eſuries & vacuitas ſomnum impediat, ſaturitas eumdem conciliet, in diuite verò auaro abundantia pecuniarum contrarium operetur effectum, inquietudinem nimirum & continuas cum perpetuis vigilijs ſollicitudines. Et hoc vnde? Ex duplici capite. Primò, quia licet auarus diues tot abundet diuitijs, quibus non ſolùm explere famem poſſit, ſed etiam lautè, opipare, atq; in delicijs viuere; quoniam tamen arbitratur illas ſibi nec ad frugalem victum vitamque tranſigendam ſufficere, tamquam egenus & bonis omnibus vacuus eſt, quia, vt Eccleſiaſtes cap. 5, 9. ait, *Auarus non implebitur pecunia*, ideò pro illis porrò comparandis totus anxius ac ſollicitus eſt. Vt enim Seneca Epiſt. 2. dixit, non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Et S. Ioannes Chryſoſtomus docet, feliciorem eſſe iuſtorum pauperum quoad corpus, quàm cupidorum diuitum conditionem, dum ſic ait: *Nemo dicere poteſt, quòd pauperes ſoli egeant, diuites ſemper proſpera vtantur valetudine. Contrarium quidem videre licet, pauperes non facilè inſanabilibus morbis capi, ſed eos paſſim in diuitum corporibus prouenire.* Et anteà idem clarioribus etiam verbis prædixerat Propheta Regius, dicens: *Diuites egenerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, Pſal. 33, 11. Ideò non mirum, ſi cupidus dives, tamquam omnibus vacuus, & nullum ex ſuis diuitijs fructum capiens, quieſcere atque ſomnum capere nequeat. Secundò idem prouenit ex timore illas amittendi. Arbitror ego, aurum non tantùm dici pallere quia multos habet inſidiatores, ſed etiam quia multos pallidos facit, propter ſollicitudinem illud cuſtodiendi, quæ ſpiritus vitales ac vires extenuat atque imminuit, amatoremque diuitiarum pallidum facit, quoniam, vt Sapiens dixit Prouerb. 17, 22. *ſpiritus triſtis*, hoc eſt varijs exagitatus cogitationibus, *exſiccat oſſa*, luridumque & triſtem relinquit.

Aurum multiplicitèr perditionis cauſa.

Primò, quia inducit corporalem afflictionem.

Verè pauper quis dicendus.

quit. Quare non minori ratione dici poteſt de pecuniarum auido, quod de Venereas voluptates ambiente dixit Ouidius in libro de Arte amandi:

Palleat omnis amans, color hic eſt aptus amanti.

Amator Veneris ideò pallere dicitur, quia in illius conſideratione mentem occupatam detinet, magis in illa quàm in ſeipſo viuens, ſecundùm vulgatum illud D. Auguſtini elogium, *Anima eſt magis vbi amat, quàm vbi animat.* Eodem modo totus ſpiritus eius qui aurum amat, in illo verſatur, quemadmodum Saluator dixit: *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, Matth. 6, 21. & ideò, corpore vitalibus ſpiritibus deſtituto, ipſum pallere, ſomnoque carere neceſſe eſt. Hinc arbitror diuitem illum auarũ, qui poſt multas collectas diuitias putabat otio ac quieti vacare, dicens, *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare*, Lucæ 12, 19. ſtultum fuiſſe à Domino appellatum. *Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te*, &c. Magna ſtultitia eſt, impoſſibilia & aliena omnino de ſe ſentire, ſicut ſi homo ſe Deum vel Angelum, & pauper Regem ſe eſſe crederet: perinde magna ſtultitia eſt, quòd diues auarus putet ſe, varijs diſtractum cogitationibus, quibus cor eius quaſi ſpinis acutiſſimis configitur & pungitur, quieſcere vel dormire poſſe. Diogenes, vt in Prouerbijs Philoſophorum legitur, cuidam de nocte ſibi ſacculum cum nummis è lectulo ſubtrahere conanti, dixit: *Tolle infelix, vt facias vtroſque dormire*, ſignificans, pecuniam vtriuſque, tum poſſeſſoris tum raptoris quietem non parum interturbare, dum illi vt eam cuſtodiat, iſti vt eam ſuffuretur, non ſemel euigilandum ſit.

Notabile Philoſophi dictum.

Secundò, quia aurum mortis corporalis eſt cauſa.

Hinc ſecundò deduco, aurum & argentum non ſolùm corporalis afflictionis, ſed ipſius etiam mortis cauſam exiſtere. Vnde quemadmodum propter ſomni abſentiam vita hominis deficit, ita non ſemel diuitiæ temporali interitui occaſionem & anſam præbent. Dixit hoc Dominus memorato diuiti, & anteà dixerat Eccleſiaſtes c. 5, 12. *Eſt & alia infirmitas peßima, quam vidi ſub Sole: diuitiæ conſeruatæ in malum domini ſui. Pereunt enim in afflictione peßima*, &c. Et quot, quæſo, ex iſtis Euclionibus immatura violentaque morte è viuis ſublatos audiuimus? Sed parum hoc eſſet, niſi corporalem ac temporalem corporis afflictionem & interitum ſpiritualis & æterna animæ iactura & interitus ſequeretur.

Tertiò, quia ſpiritualis & æterna.

Tertiò itaque dico, Sapientem ideò dixiſſe, aurum & argentum multos perdidiſſe, quoniam in ſpiritualem atq; æternam mortem multos coniecit, eodem dicente: *Qui aurum diligit, non iuſtificabitur: & qui inſequitur conſumptionem, replebitur ex ea. Multi dati ſunt in auri caſus, & facta eſt in ſpecie illius perditio illorum. Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantium: væ illis qui ſectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo*, Eccli. 31, 5. Et ſanctus Apoſtolus Paulus: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem*, &c. 1. Timoth. 6, 9. Idem indicauit Dominus apud S. Lucam; & S. Auguſtinus, amorem pecuniæ totius ſpei certiſſimum venenum eſſe docuit lib. 2. de Ordine cap. 8. adoleſcentes ad vitæ perfectionem inſtruens.

Quartò, propter abuſum.

Quartò denique, pro noſtro ſcopo, multos perdidit aurum & argentum, ſicut & quibuſdam extitit ſalutis cauſa. Perdidit illos, qui eo contra eius largitorem Deum abuſi ſunt, nimirum Hebræos, quando ex eo primò ſibi vitulum, & poſteà alia etiam idola conflauerunt. vnde meritò queritur Deus apud Ezechielem, dicens: *Et tuliſti vaſa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi: & feciſti tibi imagines maſculinas, & fornicata es in eis*, Ezechiel. 16, 17. vt propterea non ſolùm captiuitate, ſed & temporali æternaque morte multati fuerint. Sed & ijſdem Iudæis fuit idem aurum & argentum in ſalutem & honorem, quando illud erogauerunt in opus tabernaculi, diuinique miniſterij, ſicut Dominus per Moyſem conſtituerat, vt in Exodo legitur; quando nimirum adeò liberales extiterunt, vt plus offerrent quàm neceſſarium eſſet. Fuit item ſaluti ſeruis illis, qui acceptis talentis à Domino benè vſi, alia lucrati fuerunt, vnde præmium & laudem reportarunt; ſed fuit etiam ruinæ, exitio & damnationi ſeruo pigro & ſcelerato, qui pecuniam domini ſui in terram defodit, & nullum ex eo lucrum apportauit, vt in Euangelio habetur.

Ieruſalem benedicentes benedicti, & maledicentes maledicti.

Ita dicendum de aureo argenteoque Regno Ieroſolymitano, quod multis extitit & adhuc exiſtit ruinæ & damnationis occaſio, illis videlicet, qui illud contra ius & fas expugnauerunt, qui ciuitatem Regiam euerterunt, locaque ſancta profanauerunt, vt & ilhs, qui cùm eadem loca ſancta debeant & poſſint recuperare, reſtaurare, & priſtino conuenientique decori & honori reſtituere, ea nihilominùs vel contemnunt, vel quò minùs alij, quibus Deus eam voluntatem inſpirauit, id efficere poſſint, nullis non modis impediunt: prout viciſſim de ſe benè meritis, & qui illud ex infidelium

lium manibus eripere ſtuduerunt, & adhuc ſtudent, ſed ab alijs iniuſtè impediuntur, fuit & erit ſalutis & omnis benedictionis cauſa. Et hoc manifeſtè voluit ſanctus Tobias indicare verbis antè adductis, *Maledicti erunt*, &c. Ac proinde maledictus Antiochus, quòd Ieruſalem deleri curauerit, altare aureum & omnia vaſa templi diripuerit comminueritque, abominandum idolum deſolationis ſuper altare Dei, id eſt, in Templo ædificauerit, ſtatuamque Ioui poſuerit. Et verè illum diuina maledictio & ruina comprehendit: nam dolore viſcerum fuit diſcruciatus, & amaris inteſtinorum tormentis; de curru lapſus, colliſus, pedicularique morbo percuſſus eſt, quo etiam infami morbo ſublatus eſt Herodes vnus apud Ioſephum lib. 17. cap. 8. & alter apud B. Lucam, Iulianus apud Sozomenum lib. 5. cap. 7. & alij ſimiles. Maledictus & condemnatus cum Antiocho fuit Coſrhoas Perſarum Rex, à quo magna ex parte Ieruſalem euerſa, loca ſancta igne diruta & incenſa, & Chriſtiani Iudæis venditi fuerunt, quorum etiam nonaginta millia impij illi trucidarunt. Maledictus Saladinus, & Magnus ille Tamur, ſiue, vt alij illum vocant, Tamurlanus: maledictus Solimus Turcarum Imperator; maledicti & alij omnes, qui eamdem ſanctam Ciuitatem contempſerunt & blaſphemauerunt, item qui neglectui eam habent, & de illius ſalute haud ſunt ſolliciti. Econtrà millies à Domino Deo ſint benedicti, qui de eadem ſancta Ciuitate benè ſunt meriti. Benedicti itaque Zorobabel, & Ieſu filius Ioſedec, Eſdras, & alij eius conſtructores, qui etiam benedicuntur apud Eſdram. Benedicti Machabæi, illius reſtauratores & expurgatores. Benedicti Magnus Imperator Conſtantinus, & eius ſanctiſſima mater Helena, qui illuſtriſſimam Baſilicam circa Sepulchrum Domini & ſanctum Caluariæ montem erexerunt, atque varijs pretioſiſſimiſq; ornamentis illuſtrarunt, & alia ſancta Palæſtinæ loca pijſſimis ac nobiliſſimis monumentis condecorarunt. Benedictus Vrbanus II. Pontifex Max. qui, amiſſa Terra ſancta, & ſub infidelium tyrannidem redacta, Mahumeticaque perfidia defœdata, tantopere allaborauit, vt Chriſtiano dominio & cultui reſtitueretur. Benedictus Godefredus Bullionius, qui à Saracenorum ſeruitute illam eripuit. Benedictus Ludouicus ſanctus Galliarum Rex, qui opulentiſſimo ſuo Regno relicto, ſemel & iterùm, nullis parcens expenſis & incommodis, ad Terram ſanctam pro illius à Mahumetiſtarum poteſtate recuperatione protectus fuit. Benedicti denique omnes, qui illam in priſtinam libertatem diuinumq; cultum aſſerere voluerunt, & in poſterum volent, ne ſit illis aurum lapis offenſionis, & petra ſcandali, potiùs verò materia, qua regia corona lapidibus pretioſis intexta efformetur, qua hîc in terreſtri ac olim in cæleſti Ieruſalem à ſupremo & iuſto Iudice condecorentur.

CAPVT XLI.

Vnde proueniat, quòd Ieroſolymitanis ſtemmatibus diadema non ſuperimponatur.

ILlud myſterio vacare non crediderim, quòd non ſolùm Imperatores ac Reges, ſed inferiores quoque Principes & alij illuſtres & Nobilitate egregij viri, ſuis inſignibus aurea diademata imponant in poteſtatis, dignitatis & proſapiæ ſuæ argumentum, noſtris verò Ieroſolymitanis, omnium dignitate ſublimiſſimis, communiter nullum imponatur, nec vmquam ea ſub corona cernantur, niſi dum alijs Regijs ſtemmatibus atque inſignibus iuncta vel mixta conſpiciuntur. Et quid, quæſo, hoc ipſo ſignificatum arbitramur, vt ſexto quæſito de hac materia propoſito reſpondeamus? Non vnum, ſed plura myſteria hîc nobis obijciuntur, quorum alia ipſorummet ſtemmatum conditionem, alia Chriſtum Dominum, alia infideles, & alia denique ipſos fideles Principes reſpiciunt: & ab ijs primò, quæ ipſamet ſtemmata & Chriſtum Regem reſpiciunt, ordimur.

Diadema non ponitur ſupra ſtemmata Ieroſolymitana multiplici de cauſa.

Non admittunt igitur Ieroſolymitana ſtemmata coronam auream, quoniam eam nec Chriſtus in hoc mundo admiſit. Vnde cùm turbæ illum vellent ſibi conſtituere Regem, *fugit in montem ipſe ſolus*, Ioan. 6, 5. & Pilato dixit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, Ioan. 18, 36. Quare ſi Rex primarius Chriſtus auream coronam reſpuit, eâdem vtique nec Regni ſui ſtemmata condecorari debent. Deinde, ideò corona ad ornatum & ſplendorem Ieroſolymitanis ſtemmatibus non imponitur, quia è crucibus conſtant, quæ ipſæ coronæ ſunt, nec aliunde ſplendorem & gloriam mutuari debent, ſed ex ipſis potiùs alia.

Primò, quia nec Chriſtus geſtauit.

Secundò, quia è crucibus efformantur, quibus alia ſtemmata decorantur.

Dices: Aliquando pretioſa ex minùs pretioſis ſplendorem aliquem & gloriam mutuantur, & per eadem magis manifeſtantur. Hinc Spiritus ſanctus fatetur, ſe pretioſa ex auro ſponſæ ornamenta velle argento exornare, pro eiuſdem decore, dicens: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*, Cant. 1, 11. Et ipſe Dominus Moyſi præcepit, vt ſuper labium vel coronam auream menſæ panum propoſitionis,

tionis, aliam coronulam ſuperimponeret, inquiens: *Faciesq́; illi labium aureum per circuitum, & ipſi labio coronam interraſilem altam quatuor digitis, & ſuper illam, alteram coronam aureolam*, Exod. 25, 24. Et nouimus, veteres fideles ſanctam Crucem, ex ſe alioquin longè pretioſiſſimam, gemmis inſuper & coronis aureis laudabiliter exornaſſe. Igitur & Ieroſolymitana ſtemmata, quamuis è Crucibus conſtent, aurea corona meritò exornari potuerunt.

Ita protectò, ſed alia melius aliter perſuadebant. Dico itaque tertiò, Ieroſolymitanum Regnum, etſi ceteris eminentius ſit, eſſe tamen Regnum humilitatis, quam facto prodere, atque, ſuperbiâ damnatâ, omnes ad illius exercitium pertrahere debet, ſicut Rex Chriſtus fecit. vnde dicebat: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*, Matth. 11, 29. Quare aureum etiam illud diadema, in hominibus ſuperbiæ & faſtus argumentum, amouet à ſuis ſtemmatibus Ieroſolymitanum Regnum.

Tertiò, quia ſunt Regni humilitatis.

Pro huius conſiderationis intellectu ſciendum, quòd antequam vana & ſuperba ambitio mortalium pectora tantopere obſideret ac premeret, corona peculiare ornamentum fuerit, & præcipuum honoris inſigne, ſoli Deo ab hominibus delatum. *Antiquitus quidem*, inquit Plinius, *nulla corona niſi Deo dabatur*. Idque non tantùm à Iudæis veram Dei cognitionem habentibus, ſed etiam ab ipſis Gentilibus obſeruabatur. At poſtquam elatæ ac ſuperbæ hominum mentes maiora de ſeiptis animo concipere cœperunt, Reges ipſi ac ſupremi Principes primi extitere, qui honorē hunc, anteà ab hominibus Deo dari ſolitum, ſibi arrogantes, aureas coronas in amplitudinis, & maieſtatis gloriæque ſuæ argumentum geſtare cœperunt; hoc pacto innuentes, ſe Dei optimi maximi viuas imagines exiſtere. Neque Ethnici tantùm & impuri, ſed pij quoque ac boni Principes, poſtquam abuſus conſuetudine honeſtatus eſt, id imitati ſunt. Igitur vt noſtrum Regnum hunc tollat abuſum, & mortalium retundat ſuperbiam, auream coronam, quamuis potiori iure ſibi debitam, à ſe abdicare voluit.

Antiquitus ſoli Deo corona offerebantur.

Quartò videtur ex hoc indicari ipſius Regni captiuitas, dum non coronâ aureâ, (quæ dominium & libertatem ſignificat) illi omni modo debitâ, deſcribitur illius ſtemma: quare *captiua filia Sion* potiùs compedibus, funibus, ferreisque catenis deſcribi debuit.

Quartò, quia ciuitas captiua.

Quintò innuitur, illud à Principibus Chriſtianis deſertum iri. Ambiunt iſti ſceptra & coronas, & vt iſta obtineant, mutuò ſe bellis inuadunt, inuicem arrodunt & conſumunt; atque adeò quia Ieroſolymæ æmulatores aut vindices non exiſtunt, ipſa, tamquam Regia coronataque ciuitas non eſſe abſque coronâ apparet. Vere ergo dixit Ieremias: *Omnes qui glorificauerant eam, ſprenerunt illam, quia viderunt ignominiam eius: ſordes eius in pedibus eius, depoſita eſt vehementer non habens conſolatorem*, Thren. 1, 8.

Quintò, quia à Chriſtianis Principibus derelicta.

Ex parte hominum non geſtat Ieroſolymitanum inſigne coronam, quia qui illam ei imponant non inueniuntur. Non Turcæ, qui captiuam tenent, & pro ſtemmate ſimplici Luna, abſque corona, vtuntur. Nec Chriſtiani, alij quidem ex pietate & humilitate, alij ex inertia & contemptu. In priorum numero præfulſit Godefredus Bullionius, qui, aſſerta in libertatem Terra ſancta, occupatisque Ieroſolymis, religioni habuit, in ea vrbe, in qua Dominus ſpinis coronatus eſſet, aureum gemmiſque infertum diadema Regiâ pompâ capiti ſuo imponi, quin potiùs eius loco ſpineo ſerto redimire voluit; quæ cauſa eſt, quòd in huius Principis pientiſſimi & Ciuitatis Regnique Ieroſolymitam ſtatuis, imaginibus & ſtemmatibus aureæ coronæ non conſpiciantur, ſed horridæ potiùs è vepribus & ſpinis. Vide Tyrium lib. 9. Belli ſacri cap. 9.

Ratione hominum, quia non eſt qui eam ei imponat.

Godefredi pietas, qui auream reuulit Ieroſolymis geſtare coronam.

Qui non ponunt ob contemptum, ſunt, qui de illius recuperatione & è ſeruitute vindicatione non ſunt ſolliciti. Lex & conſuetudo illa hic adnotanda, poſt pugnam primùm & partam gloriosè victoriam, coronam dari ſolitam. *Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit*, ait S. Paulus 2. Timoth. 2, 5. & nec Rex Dauid diademate vſus legitur, niſi poſt pugnam & obtentam victoriam. Et hic ipſe mos fuit etiam priſcis ſæculis à Gentilibus obſeruatus, vt teſtatur Tertullianus, Pherecydis Poëtæ tragici, & Diodori Siculi auctoritatibus ſuffultus: tradunt enim hi, Saturnum omnium primum, deinde verò Iouem poſt multos deuictos Titanas, corona redimitum fuiſſe. Tertulliani hæc ſunt verba lib. de Corona milit. cap. 7. *Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum; Iouem Diodorus poſt deuictos Titanas hoc munere à ceteris honoratum.* Igitur cùm poſt vltimam Terræ ſanctæ amiſſionem vix aliqui, imò nulli extiterint, qui viriliter ſortiterque contra Turcam, iniquum eius detentorem, armis decertauerint, aut de illius manibus eam eripuerint; neque etiam eidem eiusve ſtemmatibus coronam impoſuiſſe dicendi ſunt.

Poſt glorioſam victoriam corona datur.

Regnum illud à Chriſtianis ablatum propter peccata.

Secundò indicatur, ablatum fuiſſe à Chriſtianis Regnum hoc digniſſimum, ob eorumdem peccata. Certiſſimum eſt, Coronam potiſſimùm pro Regno accipi. Vnde

Corona, Regni ſymbolum.

de verè poteſt illud Threnorum 5, 16. dici: *Cecidit corona capitis noſtri: væ nobis, quia peccauimus.* Id eſt, quia peccauimus, Regnum noſtrum fuit euerſum, ereptumque Regi Sedeciæ, qui eo loco per *caput* intelligitur. Poſſumus etiam dicere cum Ezechia: *Aufer cidarim, tolle coronam: nónne hæc eſt, quæ humilem ſubleuauit, & ſublimem humiliauit?* Ezech. 21, 26. vbi Dominus loquitur cum Rege Sedecia, hoc ſenſu: Propter iniquitatem tuam auferetur ab Iſraël Sacerdotium & Regnum (eſt enim cidaris mitra Pontificia) quod contigit, cùm Ioſedech ſummus Sacerdos ductus eſt in captiuitatem cum ipſo Sedecia. *Nónne hæc eſt, quæ humilem*, id eſt Dauidem, *ſubleuauit; & ſublimem*, id eſt Sedeciam, *humiliauit?* vt Lyranus interpretatur. Et hæc eadem ad poſteriora tempora & gratiæ referentes, dicere poſſumus: Væ nobis, quoniam propter Chriſtianorum peccata, ablata fuit corona Ieruſalem, & illius Regnum à fidelibus, & infidelibus traditum. *Ruit enim Ieruſalem, & Iudas concidit: quia lingua eorum & adinuentiones eorum contra Dominum, vt pronocarent oculos maieſtatis eius*, inquit Iſaias cap. 3, 8. Vnde quod humilis ac pius obtinuit Godefredus, ſuperbus & ambitioſus amiſit Guido Luſignanus, vt pluribus alibi fuit explicatum.

Signum doloris Chriſtianorum.

Denique addo (an verè, iudicent alij) noſtra nobilitatis aurea & argentea ſtemmata, ſed Regiâ coronâ deſtituta, mihi portendere dolorem atque triſtitiam, quibus affliguntur vel ſaltem affligi deberent noſtri Chriſtiani Principes, niſi omnino humanitatis ſenſu, pietatis affectu & honoris ſui reſpectu torpe careant, dum conſiderant ſe Regni aurei eſſe dominos, & nihilominùs illius dominio priuari, Regnoque ſuo ſe auream libertatis coronam imponere haud poſſe, ſed hoſtium infidelium ſeruituti ac direptioni relinqui.

Abundare bonis, illisque haud perfrui poſſe, magna miſeria.

Inter maximas miſerias, quibus hoc in mundo mortales ſunt obnoxij, hanc eſſe dixit ſacer Eccleſiaſtes, ſi quis eximijs abundet bonis, ijſdem verò perfrui non poſſit, ſed, ea in exterorum commodum cedere, ſuis oculis intueri cogatur. ita enim loquitur: *Eſt & aliud malum, quod vidi ſub Sole, & quidem frequens apud homines: Vir, cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ, ex omnibus quæ deſiderat; nec tribuit ei poteſtatem Deus vt comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas, & miſeria magna eſt*, Eccle. 6, 1. Veteres Sapientes, ſolo naturæ lumine illuſtrati, hanc agnouerunt veritatem: volentes enim oſtendere, quàm atrociter crucientur cupidi & auari diuites, Tantalum quemdam finxerunt in inferno eſurientem & ſitientem, ad cuius licet fauces cibi eſſent appoſiti, & ad labia ſcaturirent aquæ, eis tamen fruſci nullo modo concederetur. Ita illis euenit, qui abundant quidem diuitijs, nec tamen ijſdem frui vllatenus poſſunt, quod ſanè magnum eſt tormentum.

Pœna Moyſi & Chriſtianorum Principum.

Hac pœna afflixit Dominus Moyſem Iudaici populi Principem, propter eius diffidentiam & vacillationem, cum ex ſilice aquas educere iuberetur. Deſiderio magno tenebatur Moyſes perueniendi ad Terram toties Patribus & ſibi à Deo promiſſam. Dominus in montem præaltum conſcendere illum iuſſit, ex quo Terram promiſſam à longè conſpicere, eiuſque amœnitatem & pulchritudinem eminus intueri poterat. Hinc nimirum videbat prata virentia varijs deſtincta floribus, fontes limpidiſſimos profluentes aquis viuis, pomaria miro artificio conſita, & alias eius delicias, quæ deſiderium illius ſummopere augebant. Dixit autem Dominus ei: *Hæc eſt Terra, pro qua iurani Abraham, Iſaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam*, Deut. 34, 4. Similiter mihi videtur dicendum, offerri quidem Chriſtianorum Principum oculis Heroſolymitana ſtemmata, argento & auro fulgentia, quibus omnia illius Regni bona repræſentantur, & illis tamquam dominis debentur, aurea tamen corona (quæ dominium & poſſeſſionem deſignat, à qua iuſto Dei iudicio arcentur propter mentiam & torporem, mutuaſque quibus conficiuntur diſſenſiones) deſtituta. Quare aureas noſtras Cruces dixerim ijs acutas eſſe ſagittas & aculeos mordaciſſimos, quibus corda eorum pungantur, lancinentur atque fodicentur. Sed vtinam, ô vtinam, quemadmodum vſtura vel inciſio aureo cauterio vel ſcalpello facta, ſimul eſt ſaluti & remedio, ita Chriſtiani Principes ex conſideratione Regiorum Regni Heroſolymitani ſtemmatum, ſuis afflictionibus ſalubre meditentur antidotum, efficacem inquam pro recuperatione Terræ ſanctæ expeditionem!

Salutis remedium.

CAPVT XLII.

De rubeis Crucibus in ſtemmatibus Equitum Dominici Sepulchri, & de myſterijs quæ in eiſdem adumbrantur.

DE ſtemmatibus Equitum glorioſi Chriſti Sepulchri, de quibus ſeptimo & poſtremo loco acturos nos eſſe ſuprà propoſuimus, paucis nunc agendum de rubeis Crucibus, quibus à ſtemmatibus Regum ſanctæ

Digitized by Google

ſanctæ ciuitatis differunt: de alijs enim, in quibus cum eiſdem conueniunt, abundè iam eſt dictum, nec ſunt eadem inutiliter repetenda.

Myſteria igitur in rubris Crucibus Equitum Ieroſolymitanorum incluſa, ad tres claſſes poſſunt reduci, primò ad ea quæ Chriſtum, ſupremum Equitum illorum Moderatorem & Magiſtrum; ſecundò, ad ea quæ ipſoſmet Equites; ac tertiò, ad ea quæ reliquos fideles omnes reſpiciunt.

§. 1. *Myſteria rubrarum Crucium quæ Chriſtum Dominum reſpiciunt.*

Rubra Cruces ſignificant primò Chriſti paſſionem.

In Chriſto tria, diuinitas, humanitas & paſſibilitas.

Et quantum ad primum, rubræ illæ Cruces ſymbolum ſunt paſſibilis Chriſti humanitatis, & eiuſdem in nos amoris. Paſſibilitatem priùs explico. Tria in Saluatore conſidero, primò diuinitatem, qua Deus eſt & Patri ſuo æqualis; iſta in auro ſtemmatum Regiorum, vt iam diximus, repræſentatur, de qua ſponſa dixit, *Caput eius aurum optimum*, & Apoſtolus, *Caput Chriſti Deus*: ſecundò, humanitatem illibatam, diuino Verbo hypoſtaticè vnitã, ſecundùm quam minor eſt Patre, omnibus tamen hominibus & Angelis longè ſuperior; quæ in argenteo eorumdem ſtemmatum ſcuto repræſentatur: tertiò, conſidero eamdem humanitatem non quidem impaſſibilem, vt modò eam habet Beatus, vel habuiſſet homo in ſtatu innocentiæ; ſed, vt noſtram, paſſibilem, qua mediante nos redemit, ſuumque nimium erga nos commonſtrauit amorem; & hanc in rubris ſtemmatum Crucibus repræſentari arbitramur. Ad innocentiam & paſſibilitatem Chriſti reſpexit ſponſa, cùm dixit: *Dilectus meus candidus, & rubicundus*, Cant. 5, 10. ſanctitate candidus, & paſſione rubicundus. Et quemadmodum rubrum albo permixtum, decorem affert & pulchritudinem, & Cruces rubræ in argenteo campo apertiùs conſpiciuntur & mirabiliùs apparent: ita in Chriſti puritate ac innocentia, fructus paſſionis illius eiuſdemque amor mirum in modum effulſit. Sed hoc altiùs paulò expendamus, & ampliùs explicemus.

Sanctus Archipropheta Ioannes, deſcribens Saluatorem noſtrum in ea forma & habitu, quo ei aliquando in cælo apparuerat, ſequentia habet: *Et ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis, & Verax, & cum iuſtitia iudicat, & pugnat. Oculi autem eius ſicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit, niſi ipſe. Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine: & vocatur nomen eius, Verbum Dei*, Apoc. 19, 11. Duo dumtaxat pro ſcopo hic ſunt conſideranda; alterum, quid equus albus; alterum, quid veſtis aſperſa ſanguine ſignificent. Cùm certum ſit, equi ſeſſorem eſſe Dei Filium (hoc enim indicat ipſe Ioannes, dum ait, ipſum Fidelem & Veracem, ac Verbum Dei appellari, & alia quæ non niſi Dei Filio conuenire poſſunt) dicamus conſequenter cum ſacrorum Doctorum communi expoſitione, equum album ſignificare aſſumptam humanitatem. Equus illa dicitur: quoniam vt eques prœliaturus equum aſcendit, ita Dei Filius bellum cum diabolo, morte & inferno commiſſurus, ſibi ad vnitatem ſuppoſiti humanitatem aſſumpſit. Albus dicitur, propter puritatem.

Equus, Verbum Dei

Equus Verbi, humanitas.

Candor, puritas & gratia.

Alcazar totum refert ad glorioſum modum quo Chriſtus hoſtes profligauit. *Equus albus*, inquit, *ſignificat glorioſam pugnandi rationem, & quàm ſit de victoria certus: ſiquidem triumphali vectus equo prœlium init. Qua verò parte equus albus debilitatis ſpecimen præfert, indicatur pariter Chriſti virtus & efficacitas; quandoquidem ijs inſtrumentis, quæ primo aſpectui infirmitatem oſtendunt, victoriam ſibi certam pollicetur. Et in hac imbecillitatis ſpecie obequitat ſumma virtus, cui reſiſti non poteſt.* Hæc ille. Licet verò Chriſti humanitas præcisè conſiderata, debile videatur inſtrumentum ad expugnandum non carnem & ſanguinem, ſed principes & poteſtates mundi huius; nihilominùs cùm eamdem imbecillitatem magis repræſentari arbitremur in veſte aſperſa ſanguine, per equi albedinem intelligemus puritatem & innocentiam humanitatis Seruatoris noſtri, qua diabolum hoſtesque alios deuicit, & homines Patri ſuo reconciliauit.

Gloria triumphi Chriſti.

Admiſſo itaque, Chriſtum Dominum ſola virtute & gratia vnionis hypoſtaticæ potuiſſe hoſtem debellare, vel etiam debellaſſe, nihilominùs tanta etiam fuit illius innocentia & habitualis gratiæ excellentia, vt idipſum per eam præſtare potuerit: per illam namque gratiam & nos ſimilia facimus, etſi noſtra gratia exuberantis eius gratiæ ſolùm ſit exigua portio vel particula: quandoquidem Paulo 2. Cor. 12, 9. à Domino dictum fuit: *Sufficit tibi gratia mea*, vt poſſis inimicorum inſultus ac tentationes ſuperare. & ipſe illius expertus virtutem, dicebat: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui*, 2. Tim. 4, 7. *Omnia poſſum in eo qui me confortat, non ego autem, ſed gratia Dei mecum*, Philipp. 4, 13. Et vt nos ſimilia præſtare poſſimus, ad eamdem capeſſendam potentiſſimã armaturam, qua tum ab hoſtibus nos defenderet, tum de eiſdem glonoſiſſimũ conciliaret triumphum, hortatur his verbis: *Induite vos armaturam*

Chriſtus ſua habituali gratia hoſtes debellare potuiſſet.

Virtus diuinæ gratiæ.

Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, &c. Epheſ. 6, 11. An ergo Paulus, an alij exiguâ gratiâ tantum poſſunt, quantum Chriſtus potuit ſumma? Vtique; & hoc quemadmodum in maius dæmonis cedit opprobrium, ita ampliori Chriſto eſt gloriæ & honori, quòd illum per creatam virtutem expugnauerit: ſicuti magna inde Goliæ giganti proueniebat ignominia, quòd ipſe armis vndique cinctus, deuictus fuerit ab inermi adoleſcentulo, qui contra illum pugnauit in nomine Domini, nullis alijs armis munitus, niſi quibus vel canes aut aliæ viliores beſtiæ abigi ſolent, funda nimirum & baculo. Accedit, quòd deuincendo hoſtem, ſimul offenſum nobis placauerit Patrem, noſque illi reconciliauerit. Sed hoc effecit per eximiam ſuam innocentiam: in cuius ſignum præceperat Dominus, vt in ſacrificio ſibi agnus ſine macula offerretur, vtpote qui Chriſtum ſanctiſſimum Agnum, tollentem peccata mundi, ſignificabat. Sed audi Paulum clarè de Chriſto Sacerdote & victima loquentem: *Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus: qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo*, Hebr. 7, 26. Candorem itaque equi appoſitè Chriſti innocentiam & ſanctitatem ſignificare diximus.

Veſtimentum ſanguine aſperſum, paſſibilitatem humanitatis ſignificat.

Sed quid noſtri Ducis aſperſum ſanguine veſtimentum ſignificat? ſanctiſſimam eius humanitatem, paſſionibus abſque ſua culpa obnoxiam. Fit in illo veſtimento alluſio, vt communiter Doctores docent, ad veſtes rubras, quibus eum indutum deſcribit Iſaias cap. 63, 1. in hunc modum: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ? Ego, qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcaui ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea: & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* In his verbis, ſecundùm probatos Auctores, ad litteram ſermo eſt de Chriſto ſub typo Regis victoris, qui propter multitudinem hoſtium à ſe occiſorum in prælio totus ſanguine tinctus reuertitur. Non deſunt tamen, qui per veſtimenta, Chriſti humanitatem paſſionibus obnoxiam, ſuoque Sanguine tinctam & cruentatam accipiant, in cuius aſperſione hoſtes fuerunt deuicti, placatus Pater, & peccatores eidem reconciliati. Ita inter alios interpretatur Tertullianus, dum ait lib. 4. Aduerſus Marcionem, cap. 40. *Spiritus propheticus, veluti iam contemplabundus Dominum ad paſſionem venientem, carne ſcilicet veſtitum, vt in ea paſſum, cruentum habitum carnis in veſtimentorum rubore deſignat, conculcata & expreſſa vi paſſionis tamquam de foro torcularis, quia exinde quaſi cruentati homines de vini rubore deſcendant*, iuxta illud Geneſ. 49, 11. *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum: ſtolam & amictum carnem demonſtrans, & vinum ſanguinem.* Sanctus item Gregorius Homil. 13. ſuper Ezech. *Quid veſtimentum eius eſt*, inquit, *niſi corpus quod aſſumpſit ex Virgine? Hoc veſtimentum multò antè Iſaias aſpiciens per crucem paſſionis ſanguine cruentum, dixit: Quare rubrum eſt veſtimentum tuum, & veſtimenta tua quaſi calcantium in torculari? Cui ipſe reſpondit: Torcular calcaui ſolus. Solus enim torcular, in quo calcatus eſt, calcauit, qui ſua potentia eam, quam tulit, paſſionem vicit. Nam qui vſque ad mortem Crucis paſſus eſt, de morte cum gloria ſurrexit.* In quorum Doctorum verbis habemus primò, S. Ioannem interpretari voluiſſe locum illum Iſaiæ; deinde, appellatione veſtis rubræ ac ſanguine aſperſæ, ſacratiſſimam Chriſti humanitatem in paſſione ſanguine atque ſuore cruentatam & dilaniatam intelligere voluiſſe, in qua glorioſus de morte ac diabolo victor euaſit, & nos, ſpolia illius, diripuit, & Patri obtulit. Et hæc ſymbolicè indicant noſtrorum Equitum rubræ Cruces in argenteo campo Chriſti innocentiam repræſentante delineatæ.

Secundò, Chriſti charitatem ſignificant.

Secundò ſignificant eædem rubræ Cruces nimiam Chriſti charitatem in eius paſſione manifeſtatam. Ab æterno & ſemper dilexit nos Deus. *Elegit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem*, dixit ſanctus Apoſtolus Epheſ. 1, 4. *In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miſerans tui*, dixit ipſe Dominus Ierem. 31, 3. qui & eumdem ſuum amorem varijs argumentis patefecit, creatione nimirum, conſeruatione ac prouidentia, quemadmodum eleganter ſimilitudine vineæ indicauit idem Dominus: & tamen non defuerunt ingrati, qui tantum amorem non ſolùm non agnoſcerent, ſed inſuper pernegarent. *Dilexi vos, dicit Dominus apud Malachiam, & dixiſtis: In quo dilexiſti nos?* Malach. 1, 2. Propterea idem Dominus hunc in modum ſubiecisſe putandus eſt: Summum exhibeam amoris argumentum; aſſumam mortalem vitam, eamque morti & probroſiſſimæ Cruci expo-

exponam, & ex corpore meo assumpto vndequaque sanguis diffluet, quo vestra vulnera sanabuntur, & sordes abstergentur, vt tandem omnes palàm confiteamini, dicendo: *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in Sanguine suo*, Apocal. 1, 5. vbi Richardus de S. Victore, *Non lauisset*, inquit, *nisi dilexisset*. Lauit sanè, *non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem*, Hebr. 9, 12. *Non guttâ, sed vndâ sanguinis*, inquit S. Bernardus Serm. 22. in Cantica, *quinque per partes corporis emanantis*. Non amicos, quod multum esset; sed inimicos, quod maius est. *Cùm peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*, inquit Paulus Roman. 5, 8. Et hunc amorem testantur sacra eius rubentia quinque Vulnera, quæ etiam rediuiuus & glorioſus in corpore suo seruauit, & quæ per rubras quinque nostrorum Equitum Cruces repræsentantur.

Exemplum notabile.

De Antipatre Idumæo Magni Herodis patre refertur apud Iosephum lib. 1. de Bello, cap. 8. & in Historia Scholastica lib. 2. Machab. cap. 14. quòd in obsequijs Cæsaris multis vulneribus confossus, charissimus inde euaserit Imperatori; ab æmulis verò suis apud Imperatorem de multis sceleribus, & affectatæ insuper tyrannidis accusatus fuerit. Romam itaque citatus, atque ab Imperatore coràm de perfidia redargutus, tacuit Antipater, nullumque verbum, quo crimen istud à se deuolueret, produxit, sed solùm, retecta veste, pectus denudauit, inquiens: *Ego, Cæsar, nolo me verbis apud te excusare, sed ista vulnera, quæ pro te suscepi, loquantur pro me, an ego sim fidelis, nec ne.* Euidenter tunc prudens coniecit Imperator, vulnera illa non proditionis, sed dilectionis manifestissima esse argumenta; ideoque non solùm eum non puniuit, sed insuper in illius ruens amplexus, inter præcipuos esse voluit, honoribusque ad æmulatorum eius inuidiam sublimauit. Non dissimiliter dicendum de Saluatoris nostri Vulneribus, tenerrimæ ea dilectionis, qua nos prosecutus est, esse manifesta argumenta, quæ omnium corda ad illius vicissim honorem & obseruantiam excitare meritò deberent, cùm Dominus pro ingratis seruis & inimicis talia passus fuerit. Et hoc indicant nostræ rubræ Cruces.

§. 2. *Mysteria in rubris Crucibus recondita, quæ ipsos Equites respiciunt.*

Nostrorum Militum Cruces non sunt aureæ, quo ipso cedunt locum insignibus Regum; nec sunt albæ, qui color symbolum est lætitiæ & vtilitatis, cùm hæc insignia sint propria Ioannitarum, siue Melitensium Equitum, qui meritò lætari possunt, & stemmata lætitiæ deferre, quòd nostrorum ac aliorum Equitum diuitijs ac priuilegijs à Summis Pontificibus sint ditati & condecorati, vt nonnulli dicunt; nec denique nigræ vel virides, vt sicut in formà & numero Crucium ab alijs Equestribus Ordinibus differunt, differant & in colore: sed sunt rubræ, qui profectò color illis vel maximè congruit, Primò quidem, ad indicandam illorum eminentiam, ac supra ceteros Equites præcellentiam.

Rubra Cruces Equitum significant Primò excellentiam.

Ad huius considerationis intellectum hîc obseruandum, quod refert Iacobus Bosius lib. 1. de Triumphante Cruce, cap. 11. & 14. frequentissimum fuisse apud antiquos, ea quæ spectabiliora & maioris æstimationis esse vellent, rubro colore inficere. Quod iam inde à Troiano bello in vsu fuisse, licet colligere ex Homero, qui naues illas inter ceteras decantat, quæ erant rubro colore consperſæ. Imperatores item, Reges, alijq; præstantes viri, ad suam ostendendam auctoritatem, chlamyde purpurea indui consueuerunt, vt ex continuato vsu nouimus. Antiquitas huius ex Eutropij verbis lib. 20. cap. 29. & vltimo aperte probatur; qui de Diocletiano Imperatore, deque ornatu & vestibus illius agens, sic inquit: *Nam prius Imperij insigne in chlamyde purpurea tantùm erat, reliquaq; communia.* Idem etiam ex Cicerone colligitur, qui de Lucij Scipionis statua in Oratione pro C. Rabirio Posth. ad institutum suum quoddam sic inquit: *Lucij Scipionis, qui bellum in Asia gessit, Antiochumq; deuicit, non solùm cum chlamyde, sed etiam cum crepidis, in Capitolio statuam videtis.* Porrò eamdem chlamydem induisse Reges, Imperatores, alioſque magnos Duces, iam inde à Troiani belli temporibus, ac præsertim cùm prælium ingressuri essent, fidem his carminibus Virgilius adstruit:

Spectabiliora antiquitus rubro imbebantur colore.

Inde alij Troiæ proceres: ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde, & pictis conspectus in armis.

Imò ipsi etiam librorum atque legum tituli, quò augustiores redderentur, minio conscribi consueuerunt, vt sequenti carmine innuit Ouidius:

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Et sepulchrorum epitaphia eodem colore apud antiquos inscribebantur: quod aperte innuit Plinius lib. 3. cap. 7. qui antiquos id feciſſe testatur, quia minium apud eos, ac præsertim apud Romanos, non maximæ tantùm, sed etiam sacræ auctoritatis erat. Quamobrem solemnioribus diebus instan-

Librorum tituli & sepulchra minio notata.

tibus, Iouis faciem tingere minio consueuerant, quemadmodum eodem etiam minio triumphantium vultus inficiebant, ac propterea minio tinctus Camillus triumphauit. Æthiopes quoque suorum idolorum statuas, quæ maiore veneratione colebant, minio tingere solebant, existimantes eo modo augustiorem ea referre maiestatem. Verùm sepulchrorum epitaphia minio inscribi, non Ethnicorum tantùm priscis temporibus, sed etiam ipsorum Christianorum moris erat, vt videre hodie quoque fas est in sanctorum Martyrum cœmeterijs, extra Romanæ vrbis mœnia sub terra effossis, vbi lapidibus his, qui ad sepulchrorum ora cæmento impositi sunt, defunctorum nomina rubro colore inscripta, locis quàm plurimis conspiciuntur. Ideò (vt ad scopum veniamus) ad ostendendam nostrorum Equitum singularem dignitatem & excellentiam, optimo consilio illorum stemmatum Cruces rubro colore aspersæ fuerunt.

Secundò, promptitudinem sequendi Christum, & pugnandi pro eo.

Secundò indicant rubræ illæ Cruces sacrorum istorum Ordinum promptitudinem & alacritatem in sequendo Ducem Christum, & præliando bella eius pro conquirenda tam cælesti quàm terrestri Ierosolyma. Iam diximus, rubram vestem induere, vsitatum fuisse veteribus Principibus & militibus, tunc præsertim cum hostes prælio aggressuri erant. Perinde inuictus Rex ac Dux noster Christus Iesus, atrox atque horribile prælium contra truculentissimos hostes, mortem, mundum, carnem atque diabolum ingressurus, & morte sua eos profligaturus, rubrum induit vestimentum passibilem humanitatem, de quo ante; & morte instante, diuina dispositione ad id ipsum indicandum, purpurea chlamyde indui voluit. *Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum in Prætorio, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei*; ait S. Matthæus cap. 27, 27. & in eadem maiestate eum esse venturum ad iudicium, vt quasi decretoria pugna semel omnes suos hostes, diabolum, eius sectatores Angelos apostatas, hominesque imperata diaboli facientes, finaliter in profundum inferni detrudat, legimus apud Isaiam & Ioannem, vt & antea notauimus.

Christus coccinea veste cur in passione indutus.

Aduertit autem S. Ioannes, Dei Filium, vtpote supremum suum Imperatorem atque Archistrategum, veste sanguine respersa secutum fuisse cælestem exercitum, indutum vestibus albis, & albis insidentem equis. *Exercitus*, inquit, *qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo*, Apoc. 19, 14. Quemadmodum equum album, cui insidebat Verbum Dei, diximus significare innocentem sanctamque Christi Iesu humanitatem à Verbo assumptam; ita nunc dicimus cum Magno Gregorio lib. 31. Moral. c. 12. equos albos cælestium exercituum significare illorum corpora, *quæ, tamquam iumenta, nouerunt ab illicitis continentiæ fræno restringere, & rursum charitatis impulsu exercitatione boni operis relaxare.* Albi describuntur, *quia eorum corpora & luce iustitiæ & castimoniæ candore claruerunt.* Eadem iam verba nostris singulariter Equitibus accommodantes, dicimus primò, esse eos cæli exercitus, quoniam in terra quidem ambulant, mente tamen in cælis conuersantur: deinde, quia propter regnum cælorum pugnant, strenuè decurrentes ad propositi certaminis stadia: tertiò, quia è cælo auxilium expectant, à Deo nimirum qui fecit cælum & terram: quartò, quia Christum cælestem Ducem quocumque eos duxerit promptissimè sequuntur: ac quintò denique, quia in cælo pro militantis Ecclesiæ dilatatione, quæ triumphantis typus est, & cuius ipsi Equites sunt, continuè pugnant. Byssino albo & mundo induti sunt, propter vitæ puritatem, cuius perfectioni studere debent, sicut alibi scriptum est: *Qui iustus est, iustificetur adhuc; & sanctus, sanctificetur adhuc*, Apocal. 22, 11. Et quemadmodum in candore castimoniæ puritas & sanctitas, ita in Crucium rubore feruor & promptitudo ad proprium & alienum, hostilem nimirum, sanguine Christi causa fundendum designatur, vt ab iniquis & iniustis occupatoribus Regnum eius auferatur, libertati restituatur, atque ad extremum vsque terræ extendatur. Vnde bene conuenit quod postea se vidisse scribit S. Ioannes *bestiam*, diabolum, *& Reges terræ*, Mahumetistarum Principes, *& exercitus eorum congregatos*, horum inquam sectatores & fautores, *ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, & cum exercitu eius*; qui omnes deuicti & occisi à strenuo Duce & exercitu eius, in profundum inferni barathrum proiecti fuerunt.

Equites Sepulchri cæli exercitus.

Byssino induti ob puritatem.

Crucibus vtuntur rubris ob feruorem charitatis.

Eosdem alibi Sanctorum corpora.

Tertiò, quemadmodum Ierosolymitani Reges aureis Crucibus gloriam passionis & Crucis Christi repræsentarunt, ita nostri Equites suis rubris Crucibus repræsentant viuis coloribus eiusdem passionis & crucis acerbitatem: & acceptissimum est Saluatori, suæ probrosæ Crucis recolere memoriam. Ad hæc sunt Equites Saluatoris, ideò illius vexillum purpureum ferre debent; ipsius siquidem eiusmodi fuisse, indicat Ecclesia, dicens de illo:

Tertiò, Christi passionem.

Arbor decora & fulgida,

Orna-

Ornata Regis purpura.

Et aliquando militibus contrà Mauros prælaturis rubræ Cruces in aëre apparuerunt, in ſignum victoriæ, vt boni ſcribunt Auctores.

§. 3. *Quid vniuerſim omnibus portendant rubræ Equitum ſacri Sepulchri Cruces.*

Primò, rubra Cruces omnibus ſalutem portendunt.

Pauca referemus myſteria, quæ in vniuerſum omnes reſpiciunt. Eorum primum ſit, purpureas Cruces eſſe ſalutis ſymbolum, quod, præter agni ſanguinem, quo linitæ fuerunt poſtes domorum filiorum Iſraël in Ægypto, & habitantes à cæde liberati fuerunt, indicatum fuit in funiculo illo purpureo, quem Rahab meretrix in vrbe Iericho feneſtræ domus ſuæ appendit & alligauit, quem filij Iſraël in vrbis expugnatione ac vaſtatione conſpicientes, non ſolùm benefactrici Rahab pepercerunt, ſed etiam vniuerſam eius familiam incolumem ſeruauerunt. Ita plerique docent Patres, quos adducit Boſius lib. 3. de Triumphante Cruce, cap. 17. Nos vnicum & alterum tantùm paucis myſterium appoſitè explicantem referemus. Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 66. ita habet: *Meretrix illa in Iericho, meretrix quæ ſuſcepit nuntios, & alia via eiecit, quæ præſumpſit in promiſſione, quæ timuit Deum, cui dictum eſt, vt per feneſtram mitteret coccum, id eſt, vt in fronte haberet ſignum Sanguinis Chriſti, ſaluata eſt ibi; & Eccleſiam Gentium ſignificauit.* Idem paucioribus expoſuit S. Hieronymus c. 3. ad Nepotianum, dicens: *Et Rahab meretrix, in typo Eccleſiæ, reſticulam myſterium ſanguinis continentem, vt Iericho pereunte, domus eius ſaluaretur, appendit in feneſtra.* Et Rupertus Abbas, poſtquam multa de myſtico illo coccineo egregie diſſeruiſſet, denique concluſit: *Omnes per vnum ſaluantur funiculum coccineum, per Crucis & paſſionis Chriſti ſignaculum*, in lib. Ioſue cap. 12. can. 7.

Figura alia

Huic ſymbolo alterum accedat, aſcenſus inquam purpureus ferculi Salomonis, quo ad aureum reclinatorium per illum adſcendentes ducebat, de quo ſic in Canticis canticorum dicitur: *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtranit*, Cantic. 3, 9. In hoc mihi videtur indicari, ad aureum terreſtris vel cæleſtis Ieruſalem Regnum, & ad Chriſtum Dominum, quem aureæ Cruces Ieroſolymorum Regum præfigurant, peruenirì non poſſe, niſi pugnando & patiendo, quod ſignificant rubræ noſtrorum Equitum Cruces, & Salomonicum ferculum, quemadmodum nunc explicabimus. Circa hoc ferculum tria mihi ſeſe conſideranda offerunt: vnum, quidnam ſignificet aureum illius reclinatorium, & charitas; alterum, quid aſcenſus purpureus; tertium, ad quid ferculum factum fuerit.

Secundò, pugna & paſſione ad Regnum peruenitur.

Quantum ad primum, reclinatorium aureum ferculi (ſiue vt alij, *ſtellæ geſtatoriæ*, vel *throni*) ſignificat æternam beatitudinem, ſiue ſpem illius, ait ſanctus Beda cum alijs: & optima ratione; Primò, quoniam ex labore ac difficili itinere defatigati, in reclinatorio quieſcimus; ita in cæleſti patria requieſcent fideles à laborioſa & præſentis vitæ periculis plena peregrinatione. *Gloria, & eius conditiones.* *Amodò ſpiritus iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis*, ait S. Ioannes Apoc. 14, 13. & Chriſtus Dominus: *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde; & inuenietis requiem animabus veſtris*, Matth. 11, 29. Secundò, quoniam Sancti, ſpe quietis ac beatitudinis æternæ, reſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, currunt ad ſibi propoſitum certamen. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem*, dicebat Dauid Pſal. 118, 112. quemadmodum Iſraëlitæ reliquerunt Ægyptum, horridi deſerti labores, & Maris rubri pericula contemnentes, illecti ſpe poſſidendæ Terræ lacte & melle manantis, ſibi patribuſque ſuis promiſſæ, vt in ea à miſerabili ſeruitute quieſcere poſſent.

Tertiò eſt hic thronus ſymbolum beatitudinis: quoniam veluti ille non habet in poſteriore ſui parte aliquem terminum, quia circularis eſt figuræ, ita nec beatitudo finem eſt habitura, ſed perpetua atque æterna eſt futura. *Ibunt iuſti in vitam æternam*, Matth. 25, 46. Quartò propter excellentiam, quam aurum, perfectiſſimum inter metalla, ſignificat, vt in præcedentibus notauimus. Quintò denique ex eo quòd dicitur *media charitate conſtratum.*

Sed quid hîc *charitas* ſignificat? Reſpondent aliqui, ipſummet Salomonem; quoniam alia tranſlatio habet, *Et medium tenet ipſe accenſus*, & paſſim in ſacro epithalamio *dilectus* Salomon appellatur, ſed in iſto throno amore ſuccenſus, quia maximè pulcher, amabilis, diligens erat & dilectus Ieroſolymitanis feminis, in cuius aſpectu & amore acquieſcebant. Perinde Beati, dum Filium Dei maiorem Salomone, humana carne veſtitum, in quem deſiderant Angeli conſpicere, in throno maieſtatis ad dexteram Patris conſidentem vident, multò magis amando in eo conquieſcunt. Et optimè dicitur *ſuccenſus amore*, tum quia Beatis extrema amoris argumenta exhibet, manife-

ſtando illis ſeipſum cum Patre & Spiritu ſancto; & cæleſtia alia myſteria eis reuelando, quoniam vident omnia in Verbo; tum quia, cùm in patria perfectiſſimè à Sanctis, in eius contemplationem abſorptis, toto corde, anima & viribus diligatur, ipſe viciſſim magis diligit Sanctos. *Ego diligentes me diligo*, inquit Prouerb. 8, 17. &: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum*, Ioannis 14, 21. amor enim vnius inducit alterum ad redamandum. Vnde quemadmodum cùm maiori igni minor accedit, magis ille ſuccenditur; ita Chriſti maximus amor augetur, dum à Beatis amatur. Quare optima ratione in ſolio gloriæ ſuæ *amore ſuccenſus* appellatur.

Amore augetur amor.

In charitate via, charitas patria ſtabilitur.

Alij per *media* intelligunt in ſubſtantiuo ipſum fundamentum & pauimentum throni verè charitate ſtratum, quoniam in charitate quam in via habuerunt Beati, fundatur charitas patriæ, quæ eſt ipſa gloria. Hanc ſequendo interpretationem, adderem libenter, id referendum non tantùm ad pauimentum ſuperius throni, ſed etiam ad fundamentum purpurei aſcenſus, qui, vt dicemus, labores & cruces ſignificant, quæ ſimiliter debent diuina imbui charitate, ſi ad reclinatorium gloriæ ducere debeant, Apoſtolo dicente: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, 1. Cor. 13, 3. Quare vt ex noſtris laboribus quietis gloriæque fructus colligamus, ad charitatem nos idem hortatur Apoſtolus, dicens: *Sectamini charitatem*, 1. Cor. 14, 1. &: *Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini, omnia veſtra in charitate fiant*, 1. Cor. 16, 14.

S. Crux aſcenſus purpureus.

Quantum ad ſecundum, quid nimirum aſcenſus purpureus ſignificet, dico, eum ſignificare ſanctam Crucem, quam Chriſtus aſcendens ſuo pretioſo Sanguine purpuream fecit. Ita me docuit Gloſſa ordinaria hiſce verbis: *Ipſe Chriſtus eſt aſcenſus, per quem in Eccleſiam & in cælum intratur: purpureus, quia lauit nos in Sanguine ſuo. Et nullus ingreditur Eccleſiam, niſi ſacramento Dominicæ Crucis.* Sed hunc aſcenſum, quem priùs Chriſtus ſuo purpurauit Sanguine, nos ad illius imitationem ſanguine noſtro, paſſionibus inquam noſtris, magis purpureum reddere debemus, vt ad illius reclinatorium peruenire poſſimus: quia *paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius*, dixit S. Petrus primæ ſuæ Epiſtolæ cap. 2, 21. Quod mihi præfiguraſſe videntur cortinæ & velum tabernaculi Moyſaici, & tentorium in illius atrio collocandum, quæ ex byſſo coccoq; bis tincto de præcepto Domini elaboranda erant. Tabernaculum illud, quod propter pelles hyacinthinas ipſum cooperientes, cælum à longe aſpicientibus repræſentabat, vt auctor eſt Ioſephus lib. 3. Antiquit. cap. 7. iure optimo cæleſtis gloriæ ſymbolum cenſeri poteſt, iuxta illud Dauidicum: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini*, Pſalm. 83, 2. Candor byſſi, ex quo illa eadem conſtructa erant, abſque dubio puritatem ac ſanctitatem ſignificat; purpura & coccus paſſionem. At quare bis tinctum quodlibet illorum eſſe voluit Spiritus ſanctus? Vt intelligeremus, quòd qui pertinent ad tabernaculum cæleſtis patriæ, vel ad illud admittendi ſunt, bis purpurari debeant, primò roſeo Chriſti Sanguine, & deinde proprio, ſufferentiâ ſcilicet paſſionum propter iuſtitiam, per quam illius Sanguini copulantur. De iſtis dixit in Apocalypſi cap. 1, 5. Ioannes: *Dilexit nos, & lauit nos* Chriſtus *in Sanguine ſuo.* & de eiſdem dixit in eadem Apocalypſi cap. 7, 14. quidam cæleſtis Ieruſalem Senior: *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni.* Sed ſi Chriſtus ipſe lauit, vt dixit Ioannes, quomodo lauerunt ipſi Sancti, vt dixit Senior? Verùm vterque verum appoſitè dixit: quia lauit primò Chriſtus, fundendo Sanguinem, & merendo nobis ablutionem, & quia in paſſione ſua præiuit: & hoc indicauit Ioannes. Secundò lauerunt Sancti, Chriſtum in paſſione ſequentes, Chriſtum ſibimetipſis mortificatione & ipſa ſanguinis effuſione crucifigentes: & hoc Senior ille dicere voluit. Ideo S. Iſidorus per aſcenſum purpureum loco adducto Canticorum aſſerit intelligi ſanguinẽ Martyrum, & Redemptoris paſſionem; quoniam ad æternæ vitæ conuiuium & requiem tantùm per Crucis aſcenſum atque myſterium aſcenditur. *Quis eſt*, inquit, *aſcenſus purpureus, niſi Martyrum ſanguis, & paſſio Redemptoris noſtri? quia non aſcenditur ad epulas vitæ, niſi per myſterium Crucis Chriſti.* Et adhuc in huius figuram legimus, Eliam haud peruenisſe ad montem Dei Horeb ad videndum Deum, niſi poſt Ieſabelis perſecutionem, & ſub iunipero, figura crucis, manſionem.

Figura.

Quantum ad tertium, propter quid cæleſtis Salomon fecerit artificioſum illud ferculum; reſpondetur, *Propter filias Ieruſalem*, hoc eſt, in gratiam quidem noſtrorum Equitum, & in vniuerſum omnium fidelium animarum; vt, inquam, ad ſui amorem & ſpem ſuæ poſſeſſionis alliceret, atque ſua maieſtate, gloria, & exemplo ad aſcendendum per purpureum paſſionum aſcenſum

inui-

Digitized by Google

inuitaret, vt ad aureum Regni reclinatorium in præsenti vita terrestris, & in altera cælestis Ierusalem peruenire possint. quia, vt dixit Apostolus, *si compatimur, & conglorificabimur*, Roman. 8, 17. Fertur de Lacedæmonibus, ipsos in Senatu depictas habuisse figuras & heroica illustrium hominum facinora, qui & pacis & belli tempore egregiè se gesserunt, cum gloriæ insignibus & trophæis ob illorum merita erectis. Vtq; alios ad similia operanda excitarent, & vt consimili honestarentur gloria, sub tabulis hæc posuerunt verba: *Eritis sicut isti, si feceritis sicut isti.* Ita Christus voluit vt in sacro Ecclesiæ suæ Senatu admirabile eius describeretur ferculum, vbi ipse in aureo gloriæ suæ throno residet, infra quem est ascensus purpureus, nos velut scriptura admonens, vt per illum ascendamus, vt cum illo regnare valeamus. Exemplum enim dedit nobis, vt sicut ipse fecit, & nos faciamus. Ad idem indicandum efformata fuere stemmata Regum & Equitum Ierosolymitanorum, aurea illa, purpurea ista, vt per ista perueniamus ad illa. Et hæc satis de gentilitijs & nobilitatis stemmatibus Ierosolymorum Regum, & sanctissimi Reparatoris nostri Sepulchri Equitum: quæ si fortasse aliquibus plura videantur, argumenti dignitas, & quòd Cruces sint non solùm nostrorum Ierosolymitanorum Regum & Equitum stemmata, & quòd ijsdem alij Terræ sanctæ Equestres Ordines pro insignibus vtantur, pro nobis sit apud illos excusatio. Ad alia iam quæ ad sacros nostros Milites pertinent, recurrat oratio.

Gloria pugnantibus præparata.

Egregium Lacedæmoniorum monumentum.

CAPVT XLIII.

Sacer Equestris Dominici Sepulchri Ordo in veteri ac nouo Testamento præfiguratus fuit.

VT illustria & celebria quæque suas figuras habuisse scimus, quibus non solùm adumbrata, sed ad quarũ etiam exemplar efformata fuerunt; ita illustrissimi ac celeberrimi Ordinis Equestris sanctissimi Sepulchri Domini nostri Iesu Christi, vt opinor, in veteri ac nouo Testamento præcesserunt figuræ, quibus qualis futurus esset indicabatur. Vnam ex vtroque excerpam, & ex veteri primò. Fuit hic Ordo præfiguratus in duodecim illis leunculis, quorum sex ab vno & totidem ab altero latere thronum Regium Salomonis ambiebant, de quibus in libro tertio Regum cap. 10, 18. hæc leguntur: *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus: & summitas throni rotunda erat in parte posteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile: & duo leones stabant iuxta manus singulas. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde.* Salomonicum illum thronum mysticè præfiguraſſe sacratissimum Reparatoris nostri Sepulchrum, planè mihi persuadeo, etsi hoc illo est dignius, vt figuratum præstantius est figurâ, & Salomone illustrior est Christus. Et hoc apposita ratione est dictum. Vt enim Salomon in suo throno quiescebat, mortis ac vitæ sententiam proferebat, gloriam suam ostentabat, clientelasque & munera ab his, qui ex diuersis mundi partibus Ierosolymam reuerentiæ gratia veniebant, recipiebat: ita Christus in Sepulchro suo post laboriosam passionem quieuit. *Caro mea requiescet in spe*, Psal. 15, 9. Contra mortem, peccatum & diabolum ibi protulit sententiam, iuxta illud vaticinium: *O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne*, Osee 13, 14. Mortuos ibi ad vitam reuocauit. *Factus omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*, Heb. 5, 9. vnde, vt Theodoretus appositè dixit Dial. 3. de Curandis Græcorum affectionibus, *sicut Adam descendentem ad inferos secuti sunt, qui erant naturæ eius participes; ita Christo resurgente, particeps est totum genus humanum, cum eo à morte resurgens.* Gloriam etiam animæ & corporis ibi ostendit in resurrectione sua, & ad ipsum ex omnibus mundi partibus confluunt viri & mulieres, magni & parui, ac cuiusq; conditionis homines, venerationis & pietatis ergò munera offerentes.

Equestris Ordo Sepulchri Dominici in veteri & nouo Testamento præfiguratus.

Mirabilia in Domini Sepulchro visa.

Ex ebore factus fuit Salomonis thronus. Est autem ebur elephantis os, quod ob candorem atque soliditatem, puritatis atque fortitudinis symbolum est. Purum animal est elephas, quia temperanter miscetur fœminæ, & secunda coniuge non vtitur, inquit Glossa. Tanta verò fortitudine est præditum, vt portare soleat turrim militibus & bellicis instrumentis plenam, vt in Machabæorum libris legimus. Christi etiam Sepulchrum non quidem naturâ, sed proprietate eburneum est: purum, quia nouum; purum, quia nullus in eo positus fuerat; purum, quia nullam vidit corruptionem: ac ideò à sanctis Patribus purissimo Deiparæ Virginis vtero est comparatum, vt suo loco videbimus. Et quid de illius fortitudine dicam? An non vides, tamquam munitissimo castro & fortissimæ turri, assidere Pilati Præsidis Romanorum milites, illiusque portæ lapidem magnum cum sigillo Præsidis appositum fuisse? vt Euangelica docet historia. Sed ampliùs, quia Christum Dominum, æterni Patris fortitudi-

Eboris natura & symbolum.

Elephas purum animal.

Sepulchri Domini conditio.

tudinem, in se mortuum clausit, & absque læsione viuum & glorioſum reddidit: adeò forte, vt omnium fortiſſimam mortem in se interemerit. *Mortem, non mortuum, deuorat hoc ſepulchrum*, inquit S. Petrus Chryſologus Serm. 47.

Sepulchri Domini magnitudo.

Grandis dicitur Salomonis thronus, ſed longè grandius eſt Chriſti Domini Sepulchrum, quia non puri hominis, ſed Dei hominis eſt habitatio, in ſeque clauſit quem totus non capit orbis. Erat thronus ille veſtitus auro; hoc item Sepulchrum gloria eſt condecoratum. Sex gradus habebat Salomonicus thronus; gradatim etiam peruenitur ad Chriſti Sepulchrum, & gloriam eius.

Senarius numerus perfectionis ſymbolum.

Senarius numerus perfectionem ſignificat, ſecundùm Gloſſam. *Sex diebus*, inquit, *perfecit Deus mundi ornatum, qui numerus perfectione ſua perfectionem operum ſignificat.*

Redemptio mundi in Sepulchro Domini operata.

In Dominico Sepulchro perfecta fuit noſtra redemptio. Quamuis enim Chriſtus in Cruce morte ſua perfectè peccatum deſtruxerit, vt tamen eius fructus, per quem iuſtificaremur, nobis applicaretur, non potuit niſi per viuam reſurrectionis fidem nobis applicari, quod non niſi per reſurrectionem factum fuit, ſecundùm illud Apoſtoli: *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*, Roman. 4, 25. vt boni tradunt Auctores. & Regius Vates in Chriſti perſona, dum dixit: *Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* Pſal. 29, 10. id eſt, Si in ea maneam, & non reſurgam, neminem lucrabor paſſione mea. Et S. Paulus: *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides noſtra*, 1. Cor. 13, 14.

Throni gradus ſignificant omnem creaturam Chriſto poſt reſurrectionem fuiſſe ſubiectam.

Ad hæc, ſex throni Salomonici gradus, ſecundùm alios, omnem creaturam, viſibilem & inuiſibilem, quæ ſex diebus eſt condita, & Chriſto Domino poſt reſurrectionem ſingulariter ſubiecta fuit, demonſtrant. Et ad noſtrum Reparatoris Sepulchrum, tamquam ad Dei thronum, concurrerunt reuerentiæ cauſa Angeli puriſſimi ſpiritus, & viſibiles homines ac mulieres, & indies confluere non ceſſant; & modò illius cuſtodiæ aſſiſtunt plures nationes, fideles & infideles.

Throni rotunditas gloria typus.

At quid cetera ſignificant, quæ de throno illo dicuntur? Etſi non ſit neceſſarium, ſemper omnia quæ in figura dicuntur, figurato aptari, quia pluries aliqua apponuntur ornatus gratia; hîc tamen poſſumus non immeritò illorum nonnulla referare myſteria. Dicimus itaque, rotunditatem & poſteriorem partem throni, ſecundùm Gloſſam, ſignificare requiem æternam, quæ poſt hanc vitam Sanctis dabitur, in qua à laboribus ſuis requieſcent. Et Chriſtus Dominus poſt conſummatos ſuæ mortalis vitæ labores, cùm in anima ſemper beatus fuerit, ex noſtro Sepulchro etiam corpore immortalis & glorioſus exiuit (*Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur*, ait Apoſtolus Roman. 6, 9.) & hoc ſacrum Sepulchrum patefecit. Vnde eleganter citatus antè Chryſologus, illa pertractans verba, *Angelus Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem*, inquit: *Non dixit, Voluit, ſed, Reuoluit lapidem, qui aduolutus probauit mortem, & reuolutus extitit reſurrectionis aſſertor. Beatus lapis, qui Chriſtum reuelare meruit, & velare. Beatus, qui non minùs corda aperit, quàm Sepulchrum. Beatus, qui dat reſurrectioni fidem, fideique reſurrectionem*, &c. Manus tenentes ſedile throni, ſignificant ſolatium diuinæ gratiæ, & diuinum adiutorium, ſine quo nil perfici poteſt. Quàm verò enituit diuina gratia & protectio in noſtro Sepulchro? quamuis enim pluries tentauerint Chriſtiani nominis hoſtes illud penitus deſtruere, & ſolo æquare, eiuſdemque memoriam de fidelium mentibus abolere, nihil tamen, Deo protegente, præſtare potuerunt, vt alias oſtenderitur, & adhuc poſt tot ſæcula & infidelium perſecutiones, inter ipſos hoſtes glorioſum perſeuerat.

Sepulchri Chriſti glorioſam reſurrectionem.

Diuinum auxilium ſignificatur manibus ſedilia.

Duo leones ſtantes iuxta manus throni, iuxta Gloſſam ſignificant Patres vtriuſque Teſtamenti, qui animi fortitudine ſibi & alijs dominari didicerunt. Et veteris ſanè deſiderauerunt hoc videre Sepulchrum, & non viderunt, à longè tantùm ſalutantes. Noui Teſtamenti Patres ſunt beatiores, quia illud viderunt & adorauerunt. Poſſet addi, ſignificare Angelicam & humanam naturam, atque Orientalem & Occidentalem Eccleſiam, ſacrum Tumulum venerantem.

Duo leones, veteris & noui Teſtamenti Patres. Angelicam humanamque naturam, ac vtramque Eccleſiam ſignificant.

Duodecim denique leunculi, duodecim ſignificant Apoſtolos, ſecundùm Euchetium, qui ſimul cum Chriſto iudicabunt, iuxta illud Matthæi 19, 28. *Sedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Vel, ſecundùm Gloſſam, prædicatorum ordinem, Apoſtolicam doctrinam ſequentem. Hi ſupra ſex gradus hinc atque inde ſtantes, demonſtrant bonorum operum greſſus, hinc & inde doctrinis & exemplis munire certantes.

Leunculi Apoſtoli & ordo prædicantium.

Dicamus nos ad intentum noſtrum, leunculos illos noſtri Dominici Sepulchri Equites repræſentare. Et in primis, quia vt leo dicitur Rex animalium, ita noſtri Equites dignitate & excellentia ceteros præcellunt milites. Secundò, quia *Leo*, inquit S. Hilarius in Pſal. 131. *terrori eſt feris omnibus, & hic ſolus per confidentiam & ſecuritatem dormit*

Equites Sepulchri in leunculis repræſentati.

Leonis conditio.

mit intrepidus, terror omnium vigilans est: & quòd apertis oculis dormiat, vigilantiæ symbolum est. Et nostri Equites pro custodia & defensione Sepulchri Dominici instituti fuerunt, ad quod & intrepidè se contulerunt. Leunculi, non leones appellantur; & aurei illi, qui circumstabant Salomonis thronum, & sub duobus maioribus leonibus dispositi erant; ad indicandum, nostros Equites esse subditos Regibus & Præsulibus Ecclesiæ, à quibus velut filij traxerunt originem, ab eisdemque dirigi debent. Aurei charitate, qua Deum & proximum diligere tenentur. Ornamento, decori & honori erant leunculi illi Salomonico throno: & nostri Equites Dominico Sepulchro. Leunculi illi hinc inde dispositi circa thronum, & terrori & auxilio erant: terrori, quia leones; auxilio, quia aurei, & illorum capitibus ascendens ad thronum manibus innitebatur. Et nostri Equites olim quidem terrori erant hostibus, & terribiles essent etiam hodie, si contra illos excitarentur: & subsidio erant amicis & peregrinis, qui ad Dominicum Sepulchrum veniebant, ne à persequentibus & insidiantibus in via latrombus & prædonibus detrimentum acciperent, & vt ijsdem in necessitate opem ferrent. Duodecim fuerunt leunculi illi in Salomonico throno. An & totidem tantùm erant Equites nostri? vtique multò plures, vt decor Sepulchri, & necessitas pro illius & fidelium defensione, & infidelium depressione expostulat; quorum multitudo duodenario perfectionis numero significatur: duodenarius enim numerus sacramentum est vniuersitatis, vt docet S. Augustinus in Expositione Psalmi 86. ante medium.

Equestris Ordo Sepulchri in equo albo significatus.

Sed quomodo idem sacer Ordo præfiguratus fuerit etiam in nouo Testamento, videamus. Et illius figuram fuisse equum illum album, quem se vidisse sanctus ac dilectus Christi discipulus & Euangelista Ioannes in Apocalypsi testatur, mihi persuadeo. ita verò de illo scribit: *Et vidi, & ecce equus albus; & qui sedebat super eum, habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret*, Apoc. 6, 2. Equus hic albus primus omnium apparuit: & hic noster Ordo primus origine ac dignitate apparuit in castris sanctæ Ecclesiæ, & suos olim Equites exteriùs veste alba, vt iam indicauimus, induebat, & interiùs byssina puritatis & charitatis vult esse condecoratos.

Militat Christus in Equitibus Sepulchri.

Qui supra illum equum album sedebat, arcum ad pugnandum tenebat; quia Christus Dominus, supremus nostræ militiæ Dux, suis militibus militet, in ipsisque bellum gerit & triumphat. Et vt victoria belli non equo, sed sessori adscripta fuit: ita nostrorum Equitum victoria triumphatori Christo concedenda est, dicereque debemus cum Apostolo: *Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu*, 2. Corinth. 2, 14.

CAPVT XLIV.

De progressu, multiplici conditione & statu sacri Militaris Ordinis Dominici Sepulchri.

BReui temporis spatio multùm quidem creuit numero, honore & opibus sacer iste Ordo, vt indicauimus, sicut & alij Terræ sanctæ Militares Ordines; verùm cùm iam intestinis discordijs, magno cum Catholicorum Principum dedecore & damno, Christianorum animi distraherentur, qua ex causa Ierosolyma cum tota Terra sancta sub Calipha & Soldano Saladino Mahometanorum iugo & seruituti subdebantur, domesticorum item perfidiæ cessit bellicosorum sodalium subsidijs necessarijs destituta virtus. Hinc Equites illi sacri coacti relinquere Palæstinam, alias ad regiones se contulerunt. Et primò nonnulli eorum venientes in Italiam, per aliquod tempus in Etruriæ ciuitate Perusio moras traxerunt, multaque non solùm in Italia, sed & in Galliarum Hispaniarumque prouincijs, ad quas velut coloniæ quædam concesserunt, diuitias & bona temporalia possederunt; alij verò ad propria, dum copiæ aduersus communem Christiani nominis hostem instaurarentur, remearunt. Et à primo suo exordio vsque ad id tempus, Equitum nostrorum statum à quocumque alio Ordine independentem considero.

Defectio Equestrium Ordinum ex Christianorum discordia.

Post hæc, vt tradunt iam citati Auctores cum alijs, Summus Ecclesiæ Catholicæ Pontifex Innocentius VIII. iustis de causis, & de communi Christianorum Principum consensu, Diplomate Apostolico edito anno Dominicæ Incarnationis 1484. Martij die 24. suique Pontificatus anno primo sanciuit, vt dignissimus ille Sepulchri Dominici Ordo vniretur & coniungeretur Ordini Militari S. Ioannis Baptistæ Ierosolymitani (qui nunc Melitenses dicuntur) cum omnibus bonis & prouentibus suis, & vt Ordinis nostri Milites istorum viuendi modum & Regulam susciperent, constituit; prout quoque factum est. Ad illam vsque vnionem manserat Ordo noster quantum ad statum religiosum inuariatus, ea verò facta, eius status ita considerandus venit, quatenus ab Ordine Melitensi dependebat. Quomodo verò peracta stabilitaque fuerit

Ordo Sepulchri vnitus cum Melitensi.

eadem

eadem vnio, ac per Innocentium VIII. confirmata, tradit Iacobus Bosius Parte 2. Historiæ sacræ Melitensis Religionis, lib. 11. pag. 314. quibus addo, Pium IV. in Bulla, quæ incipit, *Circumspecta Romani Pontificis prouidentia*, &c. edita Romæ anno Domini 1560. apud sanctum Marcum, pridie Nonas Septembris, Pontificatus sui anno primo, concessisse quamplures gratias & immunitates, exemptiones & priuilegia Fratribus Melitensis Conuentus & Hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, inter quæ etiam confirmat prædictam vnionem Ordinis sancti Sepulchri cum Ordine Melitensi, anteà per suum prædecessorem Innocentium VIII. confirmatam. sic enim ibidem habet §. 3.

Refertur in Bullario Laërtij Cherubini tom. 1. in Pio IV. Bul. 4.

Et Innocentius VIII. ex certis causis tunc expressis, inter alia, sancti Sepulchri Domini Ierosolymitani Ordinis S. Augustini, & Militiæ S. Lazari in Bethleem & Nazareth, nec non domum de Monte Morillon dicti Ordinis sancti Augustini Pictauensis diœcesis nuncupatum, & alia ab eis dependentia membra cum suis pertinentijs, ac eorumdem Ordinum & Militiæ Archiprioratuum, Prioratus & Magistratus generales, ac in eorumdem Ordinum Prioratibus, Præceptorijs, Domibus, membris, illorumq; quibus dominabuntur nomina, dependentias & pertinentias, de Fratrũ suorum consilio per quasdam suppresserat & extinxerat, illaq; omnia & singula per vniuersum orbem existentia Hospitali præfato pro illius membris ac domum prædictam expresse pro membro Prioratus Aquitaniæ dicti Hospitalis de simili consilio perpetuò vniuerat, incorporauerat, concesserat, & assignauerat, ac voluerat, quòd tam qui in titulum, quàm qui in commendam illam tunc obtinerent, ad aliorum Fratrum dicti Hospitalis instar iuxta tunc Magistri & Conuentus præfatorum, aut ab eis auctoritatem habentium, prouidam moderationem pro temporum qualitate, de eorumdem membrorum, quæ sic obtinerent prouentibus communi thesauro dicti Hospitalis suffragia & onera exhiberent annuatim, ac Magistri & Conuentus prædictorum mandatis obtemperarent, & quouis modo clàm, vel palàm illi qui Prioratus, beneficia, & loca Ordinum suppressorum huiusmodi tenerent, eis cederent, vel renuntiarent, aut de eis donationem facerent absque expresso consensu, licentia, & auctoritate Magistri & Conuentus præfatorum, & si secùs facerent, irritum & inane, nulliusq; roboris esse decreuerat. Et nihilominùs pœnam priuationis beneficiorum, & excommunicationis lata sententiæ, eo ipso incurrere censerentur, &c. Et circa finem præmissa, & alia, in illa satis prolixa Bulla confirmando, inquit Pontifex: *Nec non* (confirmamus) *suppressionem, extinctionem, applicationem, approbationem, concessionem per Innocentium VIII.* &c. Et hanc vnionem implicitè confirmarunt alij successores Summi Pontifices, dum omnes gratias & priuilegia sacræ Melitensis Religionis confirmauerunt, Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. in duplici Bulla, Gregorius XIV. Clemens VIII. Paulus V. vt videre est in priuilegijs Religionis Melitensis.

Ceterùm, vnio illa non diu sic illibata perdurauit: cùm enim ea occasione labefactatum fuisset continentiæ votum, nec vt antè, perfectissima, ab omni etiam licito coniugali complexu libera, sed coniugalis tantùm ab Equitibus promitteretur castitas, contigit etiam coniugatos illi Militari Ordini adscribi, prout in hunc vsque diem adscribuntur: atque insuper Alexander VI. anno sui Pontificatus quarto, & nostræ salutis 1496. apud Sedem Apostolicam residere voluit facultatem instituendi Equites eiusdem Ordinis, declarans se, & alios successores Romanos Pontifices, supremos eius moderatores; *committens* (ait Andreas Fauinus) *facultatem suo Vicario generali Guardiano sancti Sepulchri, qui semper est de Ordine Minorum S. Francisci de Obseruantia, conferendi dictum Ordinem peregrinis, & venientibus ad Terram sanctam*, siue ij essent matrimonio copulati, siue non essent, modò alia requisita haberent, & nonnulla obseruare promitterent, de quibus inferiùs.

Matrimonium suis Equitibus concedit.

Præfectus Terræ sanctæ instituit Equites Romani Pontificis auctoritate.

Porrò Philippus II. Hispaniarum Rex Catholicus, ab huius Ordinis Militibus in supremum Moderatorem & Magistrum electus (vt ex diplomate ad ipsum misso apparet, quod Lectoris in gratiam subijcimus, quoniam magnam pietatem, fortitudinem & zelum eorumdem Equitum demonstrat) hunc sacrum Ordinem denuò instaurare, & ad illustriorem splendorem & statum reducere studuit, præcipuè in sibi subiectis Belgicis & alijs Prouincijs, seque illius supremum Moderatorem reipsa præstare voluit: verumenimuerò, vt idem Fauinus scribit, eo in negotio suos habuit aduersarios, quoniam qui tunc temporis Ordini S. Ioannis Ierosolymitani titulo Magni Magistri præerat, ei se opposuit, ostendens, iamdudum dignitatem, diuitias, & omnia quæ ad militarem Ordinem S. Sepulchri pertinebant, in quibuscumque Christianitatis partibus essent, legitimè vnita & incorporata fuisse Melitensi suo Ordini S. Ioannis, proferens Bullam Pontificiam Innocentij VIII. de qua suprà.

Rex Catholicus eligitur huius Ordinis supremus Moderator, sed electioni obstitit supremus Magister Melitensium.

Varijs motus circa Ordinem S. Sepulchri.

Addit etiam idem Auctor, anno Domini 1615. voluisse Carolum Gonzagam Niuernen-

Digitized by Google

uernenſem Ducem, ex illuſtriſſima Mantuæ Ducum familia oriundum, reinſtituere, ſiue, vt meliùs dicam, priſtino decori reſtituere eum Ordinem, & nouo diademate inſignire, ideoque à Summo Pontifice Paulo V. litteras Apoſtolicas pro inito à ſe conſilio perficiendo petiuiſſe, rem tamen ad optatum finem non perduxiſſe, ſed à negotij promotione deſtitiſſe, eò quòd aduerſarium habuerit Ludouicum Menzez de Vaſconcellos Hiſpanum, qui ea de cauſa à Magno Equitum S. Ioannis Magiſtro in Galliam miſſus, coram Chriſtianiſſimo Galliarum Rege Ludouico XIII. Pariſijs menſe Iunio anni 1616. oſtendiſſet, Pium IV. petente Philippo II. Hiſpaniarum Rege Catholico dediſſe Bullam confirmatoriam vnionis Ordinis S. Sepulchri cum altero S. Ioannis. Hunc denique Oratorem nomine Magni Magiſtri & totius Ordinis S. Ioannis, deprecatum fuiſſe Chriſtianiſſimum Regem, vt perinde ipſe faceret circa commendas & bona Ordinis ſancti Sepulchri in ſuo Regno & dominio exiſtentibus; & quod petebat obtinuiſſe, adeò vt ad ſupplicationem Marchionis de Trainel eiuſdem Regis apud Sedem Apoſtolicam Oratoris, Paulus V. pro vnionis & collationis bonorum eorumdem confirmatione Diploma Pontificium indulſerit. Hæc quidem tradit Andreas Fauinus.

CAPVT XLV.

Diploma, quo PHILIPPO II. *Hiſpaniarum Regi, eiuſque ſucceſſoribus, ſumma adminiſtratio Ordinis ſanctiſſimi* SEPVLCHRI *Domini noſtri* IESV CHRISTI *ab Equitibus Ieroſolymitanis deferebatur anno* 1558.

IN nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Cùm beneficiorum omnium, quæ Deus optimus generi humano præſtitit, illud maximum ſit, quòd vſque adeò nos in dilecto Filio ſuo, cùm adhuc impij eſſemus & peccatores, dilexerit, vt illum nobis non in ſanguine hircorum aut taurorum, ſed in proprio Sanguine in illa ſacroſancta Ieruſalem pro peccatis noſtris dederit; æterna certè memoria, ſingulari animorum gratitudine, eximiæ cuiuſdam pietatis religione, tam præclarum atque excellens diuinæ erga nos benignitatis donum venerari atque ſuſpicere nos oportet. Cùm igitur pretioſiſſimo Chriſti Sanguine, & acerbiſſima eius morte tantum nobis à Deo collatum fuerit, quantum nullus vmquam aut petere aut ſperare auſus fuerit; quanta veneratione ſacratiſſimum illum Caluariæ Montem, in quo per Spiritum ſanctum, immaculatum Deo ſemetipſum pro nobis obtulit; & glorioſum illius Sepulchrum, vbi triduo quieuit, nos oportet adorare & venerari? Etſi noſtrorum ſcelerum magnitudine factum ſit, vt loca illa verè, vt vocantur, ſancta, in quibus Deus ac Dominus noſter Ieſus Chriſtus inexplicabilis ſuæ erga nos charitatis prædicta ſacratiſſima monumenta nobis reliquit, occulto ſuæ diuinæ ſapientiæ iudicio perfidorum Turcarum tyrannide oppreſſa, & ſpurciſſima Mahumetarum ſecta polluta quadammodò ſint & inquinata, non ſine magno omnium, qui Chriſtiani eſſe & dici volumus, & dedecore & probro: ad omnes tamen ſpectat hanc ignominiam depellere, & tot vndique telis atque cuniculis oppugnatam ſanctiſſimam fidem noſtram pro viribus defendere. Sed cùm hoc officium Religionis noſtræ propugnandæ & propagandæ omnes attingit, tum verò noſtrum ſingulari ratione debet eſſe proprium, quorum profeſſio & ſingulare inſtitutum defenſioni fidei eſt conſecratum; præſertim cùm ante oculos ſanctiſſimum, & æterna gloria atque memoria dignum, illuſtrium atque fortiſſimorum Crucеſignatorum ſanctiſſimi Sepulchri Militum exemplum propoſitum habeamus: qui vt Chriſti gloriam, & fidei Chriſtianæ decus longè lateque propagarent, non ſolùm fortunas ſuas, ſtatus & opulentiſſima patrimonia diſtraxerunt; verùm etiam capita, corpora, vitam & ſalutem ſuam multis periculis obiecerunt. Itaque tantum indomita virtute, atque exceſſa & infracta animi magnitudine potuerunt, vt innumeris Turcarum agminibus occiſis, Perſis compreſſis, Medis, Parthis, Aſſyrijs, Ægyptijs, alijsque barbaris nationibus edomitis, non modò illa loca ſancta, & pretioſiſſimo Redemptoris noſtri Sanguine conſecrata, turpiſſimæ ſeruitutis iugo depulſo, in priſtinam libertatem vindicauerint, ſed etiam vt in Bithynia, Nicomedia, Piſidia, Lycaonia, Cappadocia, Lycia, Pamphilia, Cilicia, Cœleſyria, Heraclea, Meſopotamia, Media, Antiochia, Laodicea, Gabula, Valalenia, Maraclea, Antarade, Archia, Phœnicia, Tyro & Sidone, Ieleſia, Thraconitide, Idumæa, vtraque Arabia ad vſque Mare rubrum, Galilæa, Samaria, Palæſtina cum Iudæa, & ſancta Ieruſalem, alijsque plurimis Aſiæ prouincijs, armorum vi ſubactis, Crucis vexillum, & præclariſſima fidei noſtræ trophæa erexerint, & cum omnium ſempiterna gloria conſtituerint. Quibus prouincijs ſua virtute partis tamdiu imperitarunt, donec

nec Christianorum Principum desidijs ac intestinis bellis res Christiana retrofluere cœpit, & tandem opibus nostris conuulsis atque accisis, Saladinus Ægypti Rex loca illa, præclarissimorum virorum sanguine comparata, nostra socordia & negligentia ipse comparauit. Etli potentia infidelium multum inualuit & corroborata est, vt sacrosanctam sanctissimi Sepulchri militiam aboleret, aut penitus extingueret, quin potiùs longissimo multorum annorum spatio tota pænè Europa ita hæc Militia efflоruit, vt Vrbanus IV. & Bonifacius VIII. per suos Legatos eius opem & auxilium aduersus Saracenos, Italiam vastantes, & Ecclesiæ Catholicæ hostes, sæpiùs implorarent, & Militum Crucesignatorum virtute Italiam seruatam faterentur. Nunc verò, etsi, peccatis nostris id promerentibus, multa eius vis collapsa est, non ita tamen, vt non multæ reliquiæ supersint, vbique inter Christianos nobilissimi & illustrissimi viri in hac gloriosa Militia perseuerant. In qua nos, licet indigni cooptati, memores eorum quæ maiores nostri summa cum gloria gesserunt, & ignauiam nostram pertæsi, cupimus in integrum reuocare, & quasi postliminiò restituere nostrum institutum, professionem, & prædecessorum nostrorum virtutem, & maculas, nostra negligentia contractas, sanguinis effusione ad Iesu Christi Domini nostri gloriam abolere. Sed cùm, vt hæc fiant, necessarium inprimis sit, vt aliquem habeamus præpotentem Ducem, cui tamquam capiti connectamur: hinc est, quòd nos, Petrus de Carato, Commissarius generalis sacrosanctæ Archiconfraternitatis sanctissimi Sepulchri, tam meo proprio nomine, quàm nominibus Illustrissimi Domini Andreæ Doreæ Principis Melphitani, D. Camilli Guasco, D. Petri de Bolonia, D. Ioannis de Ioaria, & D. Roderici de Rocas, pro quibus fortem me facio in forma Iuris valida, D. Philippus de Borre, Cantor & Canonicus Ecclesiæ D. Mariæ Antuerpiensis', Ioannes de Moxica, etiam eiusdem Ecclesiæ Canonicus, & Petrus Menneus, quilibet nostrûm pro se & nomine Ioannis van Schelden, tamquam ad id constituti, vigore certarum litterarum procuratoriarum, in papyro scriptarum, datarum die 23. præsentis mensis Martij, passatarum & recognitarum coram Petro Bauart Notario publico Antuerpiæ residente, & certis testibus: nec non præfati Philippus de Borre, & Petrus Menneus, nomine Ioannis Ouvvenborch, dicti Lauvvers, etiam ad id constituti vigore litterarum procuratoriarũ in papyro scriptarum, de data eiusdem diei & anni coram Petro Verbeck Notario publico Antuerpiæ commorante passatarum & recognitarum. Quin etiam ego idem Ioannes de Moxica, nomine Gasparis de Castro constitutus, vigore procuratorio coram Ægidio vanden Bosche Notario publico in prædicta ciuitate habitante, eodem die & anno passato. Nicolaus de Meyere residens Gandaui, tam proprio nomine, quàm Ioannis de la Rue, prout patuit per procuratorium desuper confectum, & passatum in oppido Gandauensi coram Ioanne Charon Notario publico ibidem commorante, de data diei 19. præsentis mensis Martij. Item Ioannes de Grutere, dominus de Louelde, tam nomine meo proprio, quàm nomine Iacobi Triecht, constitutus vigore procuratorio, manu ac sigillo eiusdem Iacobi subsignato, & corroborato: Gerardus de Vladerache, Dominus Geffen; Antonius de Merthen, Dominus de Esseltain; Iudocus de Bronchorst, Dominus de Rijsvvijck; Ioannes de Asperen, Dominus de Vueren; Laurentius de Vogt de Rinuelt, Antonius Absolons, Paulus de Veldvvijck, Carolus de Steenlant, Claudius Goetgebuer; Cornelius Carlard Brugis residens, Ioannes de Berecker, Ioannes de Berckenrode, Ioannes vanden Steenvveghe, & Ioannes vanden Dijcke; omnes Milites Militiæ eiusdem sanctissimi Sepulchri, volentes nostrum Ordinem Militiæ, dante Domino, propagare, & illum felici regimine gubernare; considerantesque quòd patrocinio alicuius magni Principis nobis adiuncto, meliùs res nostræ Religionis prosperabuntur, idcircò nos prænominati Milites nominibus quibus suprà, ac pro absentibus de rato, quatenus opus sit in forma Iuris valida, promittentes in Ecclesia Parochiali S. Catharinæ, villæ de Hoochstraten Cameracensis Diœcesis, ad infrascripta peragendum & pertractandum coram Notarijs publicis & testibus infrascriptis personaliter congregati, sponte & ex nostra scientia, animoque deliberato, omnibus melioribus, modo, via, iure, causa & forma, quibus meliùs, validiùs, & efficaciùs de Iure possumus & debemus, nomine dictæ nostræ Religionis & Militiæ, perpetuis futuris temporibus facimus, creamus, & solemniter eligimus, præstito priùs per nos solito ad sacrosancta Dei Euangelia iuramento, in similibus electionibus præstari solito, ac Missa Spiritus sancti celebrata, & Hymno, Veni Creator Spiritus, in eadem Ecclesia decantato, sacratissimum, potentissimum atque seremissimum Dominum nostrum Regem Philippum, in magnum & summum totius nostræ Militiæ Magistrum, & in nomine Domini nostri

Iesu

Ieſu Chriſti ſolemniter conſtituimus, erigimus & creamus; nec non Sereniſſimum & glorioſum Hiſpaniarum Principem, Dominum noſtrum, Carolum Principem, etiam eiuſdem Militiæ, & in locum Patris ſucceſſorem, in perpetuum nominamus & declaramus; petentes atque humiliter ſupplicantes, vt ſua Maieſtas hanc noſtram electionem & creationem, & totius noſtri Ordinis adminiſtrationem admittere, alioſque plurimos Milites ſanctiſſimi Sepulchri creare dignetur, vt omnes ſimul communi animorum conſenſu ad infidelium perniciem incumbamus, & Chriſti Domini noſtri gloria refloreſcat. Nos enim noſtro & noſtrorum ſucceſſorum huius Ordinis Militum nomine, eius Maieſtati tamquam magno Religionis noſtræ Magiſtro, & Sereniſſimo Carolo, tamquam glorioſo Principi, eorumque ſucceſſoribus, perpetuam obedientiam & fidelitatem iuxta noſtræ profeſſionis & inſtituti ſanctiones & formam, hoc eſt, ſumptibus noſtris ire contra infideles in bello vniuerſali, quod vulgariter dicitur *Cruys-vaert*, vel noſtro nomine idoneum aliquem eò mittere promittimus, ac inuiolabili obſeruantia præſtituros, pollicemur. Et quoniam exploratum eſt pænè orbi Chriſtiano, quòd chariſſimus frater & commilito noſter magnificus D. Petrus de Carate, ſacroſanctæ huius nouæ Congregationis ac electionis erector, ab anno M.D.XLV. multos labores & expenſas paſſus eſt per varias plagas Chriſtiani orbis, pro huiuſmodi ſanctiſſimo negotio, & adhuc præditus ſua ingenti deuotione non recuſat impendere in futurum omnem operam ſuam & auxilium; idcircò compertum habentes ad hoc dirigi totum deſiderium & animum ſuum, ipſum pari modo in Commiſſarium generalem noſtrum, & totius Ordinis & Militiæ noſtræ creamus, erigimus & ſolemniter nominamus, & obnixe ab ipſo petimus, vt noſtro nomine ea omnia faciat, & in omnibus aſſiſtat, dirigat, foueat, & gubernet, quæ ad totius Militiæ noſtræ conſeruationem & vtilitatem conducibilia aut neceſſaria ſibi videbuntur: ita tamen, vt omnia illa fiant ſine impenſis, damno, intereſſe, vel iudicio huius Ordinis Militum, quodque prætereà vllo futuro tempore nullo vlteriori grauabimur onere, cuiuſcumque rei cauſa vel ratione fuerit, quàm hactenus grauati fuimus. Et quo quidem D. Petro de Carate defuncto, vel illius officio ceſſante aut vacante, aliquis ex noſtris Confratribus communi noſtro conſenſu per nos in ipſius locum eligetur: quæ quidem electio per nos ita facta, per prælibatum Dominum noſtrum Regem eiuſque ſucceſſores prænominatos approbabitur & confirmabitur. Itaque denominatio atque ea ipſa electio erit, & manebit penes nos; confirmatio verò penes Dominum noſtrum Regem ſucceſſoresque eius antedictos. Quocircà Sanctiſſimum Dominum noſtrum D. Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ nunc & pro tempore Romanum Pontificem & Epiſcopum humiliter obſecramus, vt hanc noſtram electionem, creationem, & declarationem ratam habeat, & ſua ac Sedis Apoſtolicæ auctoritate confirmet, ac nos tamquam humiles & obedientes Apoſtolicæ Sedis filios in tutelam ac defenſionem ſuam ſuſcipiat. Nos enim ad nil aliud aſpiramus, quàm vt Dei ac Domini noſtri Ieſu Chriſti gloria reuireſcat, & vexillum Crucis vbique gentium debita veneratione erigatur & honoretur. Ita vt hoc conſequamur, obedientes Romanæ atque Apoſtolicæ Sedis filios fore profitemur, omneſque & ſingulos infideles, tam Turcas, Mauros, Tartaros, quàm eiuſmodi alios quoſcumque pro hoſtibus habemus, ijſdemque apertum ac perpetuum bellum indicimus.

O clementiſſime & omnipotens Deus, omnium bonorum largitor, generis humani Creator, luminiſque æterni; myſterium ſalutis humanæ, Saluator noſter Chriſtus, ſubijt pro nobis crucem, luit aliena commiſſa, iacuit ſepultus, vt nos vnà ſecum vitia ac ſcelera ſepeliamus. Pietas, amor incredibilis erga nos mortale genus, impulit te Chriſte Redemptor, noſtram accipere naturam, induere hominem, perpeti laborem, pendere in ligno, demum extremum Sepulchri ſubire officium. Accipe igitur hanc noſtram Militiam Clementiſſime, amplectere nos Optime, dirige & duc ad te, ne patiare per hoc mare abſque rectore nauigare. Tu regè nos Milites tuos, tuum colentes Tumulum, Veſtigia tuæ obſeruantes necis, compara nobis Principum vota, quorum corda in tua manu conſiſtunt. Effice, præſta, vt aliquando tua loca liberentur atque expientur, iampridem hoſtili fraude, noſtrâ profanata diſcordiâ. Coniunge, Deus, Magiſtratuum conſilia, Principum animos vni, vt pulſis tui nominis hoſtibus, monumenta noſtræ ſalutis populo reſtituantur fideli, iſtamq; electionem & creationé noſtri ſummi Magiſtri Principisq; Militiæ, quam te auctore & rectore famuli tui fecimus, ſanctifica, & tua clementiſſima benedictione illumina & corrobora, & tuo excelſo & glorioſiſſimo brachio animoſiores nos confortа, vt & illa ſacratiſſima & glorioſiſſima pignora noſtri Redemptoris,

effusione sanguinis nostri redimere possimus. Nam, vt Propheta prōclamat, ciuitas Sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est, domus sanctificationis nostræ. Etsi perpauci sunt, qui sinceritate cordis, & humiliato spiritu te Deum viuum venerentur, & inuocent nomen tuum, non auertas faciem tuam à nobis, & ne amplius memineris iniquitatum nostrarum, sed fac vt ad te Deum fontem viuum, fontem perennem & æternitatis, peruenire valeamus, cui est virtus & gloria, per infinita sæculorum sæcula, Amen.

In quorum fidem præsentes litteras, siue hoc præsens publicum instrumentum manu vniuscuiusque nostrûm subsignatum, coram Notarijs publicis, & testibus infrascriptis stipulati sumus, ab ijsdemque Notarijs vnum vel plura publicum siue publica instrumentum & instrumenta fieri atq; confici iussimus, fecimus, rogauimus, atque rogamus. Acta fuerunt hæc in dicta villa de Hoochstratē, in dicta Ecclesia S. Catharinæ, Cameracensis diœcesis, sub anno à natiuitate Domini M.D.LVIII. Indictione prima, die verò XXVI. mensis Martij, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri D. Pauli diuina prouidentia Papæ Quarti anno tertio, præsentibus ibidem Magnificis viris Martino Ruyz de Corate, Gerardo van Donguen, Francisco van Steenlant, & Adriano Onder de Linde, testibus ad præmissa omnia vocatis atque rogatis.

Subsignatum. ✣ Bronckhorst. ✣ Ego attestor Philippus de Borre meo nomine, ac nomine Ioannis Lauvvers & Ioannis van Schelle. ✣ Ioannes Moxica, meo nomine & nomine Gasparis de Castro. ✣ Gerard van Vladeracken. ✣ Petrus Menneus meo nomine, & nomine Ioannis Lauvvers & Ioannis van Schelle. ✣ Antonius van Merthen. Goergebuer. ✣ Ian van Berchem. ✣ Cornelius Gailliard. ✣ Carolus van Steenlant. ✣ Paulus van Veldvvijck. ✣ Antonius Absolons. ✣ Ioannes de Grutere, meo nomine, & nomine Iacobi Triecht. ✣ Laurens de Vogt van Rineuelt. Ian van den Steenvveghen. ✣ Iuan van Asperen ende van Vueren. ✣ Iuan Berckenrode. ✣ Ick Antonius Absolons in nomine Nicolai de Megere & Ioannis de la Rue. ✣ Ian vanden Dijcke.

Subscriptum.

Ego Alexander Graphæus, ciuitatis Antuerpiensis Secretarius, ac publicus Imperiali auctoritate Notarius, per Cæs. Maiest. Consilium Curiæ Brabanticæ ad Notariatus officium admissus, vnà cum Ioanne de Barlamonte, etiam Notario publico, per idem Consilium approbato, ac prædictis testibus, ad præmissa omnia & singula præsens personaliter interfui, eaque omnia & singula sic vt præmittitur, fieri vidi, sciui, & audiui, accepto priùs iuramento ad sancta Dei Euangelia super libro Missali, ab omnibus & singulis Militibus supradictis separatim, &c. quòd in huiusmodi electione non erat aliqua fraus, dolus, simonia, malitia, aut aliqua alia illicita causa, &c. ac deinde dicta electione sub debita ac perpetua obedientia, &c. ceterisque solemnitatibus requisitis, &c. in dicta Ecclesia celebratis, atque deuotè peractis, notam ac stipulationem postea sumpsi de præmissis omnibus cum dicto Notario, præsentibus dictis testibus. In quorum fidem præsens publicum instrumentum cum dicto Notario subscripsi, ac signo meo solito signaui, rogatus atque requisitus. *Subsignatum.* A. Graphæus.

Ego Ioannes de Barlamonte publicus Imperiali auctoritate Notarius antedictus, attestor me præsentem fuisse vnà cum dicto Magistro Alexandro Graphæo, Secretario & Notario publico in prædicta congregatione, electione, stipulatione, ceterisque solemnitatibus superius ad longum narratis & declaratis. In quorum fidem præsens instrumentum manu propria subscripsi, ac solito signo signaui, rogatus atq; requisitus. *Subsignatum.* I. de Barlamonte, Notarius Imp. subscripsi.

CAPVT XLVI.

Incipit modus perficiendi siue ordinandi Militem sanctissimi SEPVLCHRI *Domini nostri* IESV CHRISTI.

ANte omnia ordinandus Miles præparet se ad deuotionem, vt valeat percipere gratiam officij sacræ Militiæ, ac præmissa confessione, auditaq; Missa, & percepta Dominica Communione, intromittatur in atrium sanctissimi Sepulchri: & tunc incipiatur iuxta modum qui sequitur. Primò congregatis omnibus intra sanctissimum Sepulchrum, cantetur Hymnus, scilicet: Veni Creator Spiritus, *&c. Deinde Vers.* Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. *Resp.* Et renouabis, *&c. Versus.* Domine exaudi orationem, *&c. Resp.* Et clamor, *&c. Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus, *&c. Deinde debet interrogari à Patre Guardiano:* Quid quæris? *Responsio flexis genibus:* Quæro effici Miles sanctissimi Sepulchri Domini nostri IESV CHRISTI.

Interrogatio: Cuius conditionis es?

Resp. Nobilis genere, & parentibus generosis natus.

Interrog.

Interrog. Habeſne vnde honeſtè manutenere poſſis ſtatum & Militarem dignitatem, abſque mercantijs & arte mechanica?

Reſp. Habeo, Dei gratia, bonorum ſufficientem copiam.

Interrog. Eſne paratus corde & ore iurare pro virili militaria ſacramenta, eaque ſeruare quæ ſequuntur?

Primò: Miles ſanctiſſimi Sepulchri omni die, opportunitate habita, Miſſam audire debet.

Secundò: Cùm neceſſe fuerit, bona temporalia & vitam exponere debebit, ſcilicet quando eſt bellum vniuerſale contra infideles, & venire in propria perſona, vel mittere idoneum.

Tertiò: Eſt obligatus ſanctam Dei Eccleſiam, & eius fideles miniſtros, ab eorum perſecutoribus defendere, & pro viribus liberare.

Quartò: Debet iniuſta bella, turpia ſtipendia, & lucra, haſtiludia, duellum, & huiuſmodi (niſi cauſa militaris exercitij) omnino vitare.

Quintò: Debet pacem & concordiam inter Chriſti fideles prouocare, Rempublicam exornare & augere, viduas & orphanos protegere, iuramenta execrabilia, periuria, blaſphemias, rapinas, vſuras, ſacrilegia, homicidia, ebrietatem, loca ſuſpecta, & perſonas infames, atque vitia carnis vitare, & tamquam peſtem cauere, & ſe apud Deum hominesque irreprehenſibilem exhibere, ac etiam verbo ac facto ſe dignum tanto honore demonſtrare, Eccleſias frequentando, & cultum diuinum augmentando.

Quæratur ergo ſi eſt paratus, corde & ore hæc omnia proteſtari, iurare & facere.

Reſp. Ego N. profiteor & promitto Deo Ieſu Chriſto, & B. Virgini Mariæ, hæc omnia pro virili me obſeruaturum. *His peractis, benedicatur enſis à Guardiano ſecundùm formam inferiùs poſitam, ſi non eſt aliàs benedictus. Sed ſi benedictus eſt, vel poſt benedictionem, vocato vno ordinandorum, & genu flexo ante ſanctiſſimum Sepulchrum, Guardianus ponat manus ſuper caput eius, & dicat:* Et tu N. eſto fidelis, ſtrenuus, bonus & robuſtus Miles Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctiſſimi eiuſdem Sepulchri, qui te cum electis ſuis in gloria ſua collocare dignetur. Amen.

Hoc finito, Guardianus porrigit Militi calcaria inaurata, quæ pedibus ſuis accommodabit in terra exiſtens. Poſteà dat enſem nudum Chriſti Militi, dicens: Accipe N. ſanctum gladium in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, amen: (*ter ſignum Crucis exprimens*) & vtaris eo ad defenſionem tuam, & ſanctæ Dei Eccleſiæ, & ad confuſionem inimicorum Crucis Chriſti, ac fidei Chriſtianæ: & quantum humana imbecillitas permiſerit, eo neminem iniuſtè lædas. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Deinde enſis in vaginam reponitur, & à Guardiano prædicto enſe cingitur, dicendo: Accingere N. gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & attende, quòd Sancti non gladio, ſed per fidem vicerunt regna.

Enſe accinctus Miles ſurgit, & genibus nixis, inclinatoq; capite ſupra ſanctum Sepulchrum, à Guardiano ordinatur, percutiendo ter enſe prædicto ſcapulas Militis, & dicendo ter, videlicet: Ego conſtituo & ordino te N. Militem ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, amen, *faciens ter ſignum Crucis. Deinde oſculatur eumdem, ponens more maiorum torquem aureum cum cruce pendente, in collo eius, & ordinatus deoſculetur ſanctum Sepulchrum. Poſteà diſcedat, & reſtituat omnia. Et vocato alio, eiſdem cærimonijs in numerum Militum ſancti Sepulchri cooptatur. Ordinatus interim in atrio ſancti Sepulchri remaneat, quouſque omnes, ad hunc honorem promouendi, ſint promoti. Poſt quorum vel cuius ordinationem,* Te Deum laudamus, *&c. à Monachis decantatur, & ad ſacellum Fratrum Minorum itur, vel ibidem ſtatur, prout voluerit vel ordinauerit Guardianus: deinde dicuntur hæc in ſingulari, ſi vnus eſt; ſi verò plures, in plurali. In ſingulari dicitur;* Specioſe forma præ filijs hominum, accingere N. gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. *& ſi ſint plures, dicitur in plurali.*

Verſ. Domine exaudi, *&c.*

Reſp. Et clamor meus ad te veniat.

Verſ. Dominus vobiſcum.

Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Da Eccleſiæ tuæ, miſericors Deus, vt ſancto Spiritu congregata, hoſtili nullatenus incurſione turbetur.

Omnipotens ſempiterne Deus, ſuper hunc N. (vel hos) famulum tuum, qui eminenti mucrone circumcingi deſiderat, gratiam tuæ benedictionis infunde, eumdemque dexteræ tuæ virtute munitum, fac contra cuncta aduerſantia cæleſtibus armari præſidijs, quibus nullis in hoc ſæculo tempeſtatibus bellorum turbetur. Per Dominum noſtrum, *&c.*

Ad extremum amplectitur illum Guardianus, & alij, ſi qui volent.

Benedictio enſis.

Is, qui benedicit, teneat enſem nudum ante ſe, & dicat

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram.

Oremus.

Exaudi, quæſumus Domine, preces noſtras, & hunc enſem, quo ſe famulus tuus hic cingi deſiderat, maieſtatis tuæ dextra dignare benedicere, quatenus poſſit eſſe defenſor Eccleſiarum, viduarum, orphanorum, omniumque Deo ſeruientium contra ſæuitiam paganorum, alijſque ſibi inſidiantibus ſit terror & formido, præſtans ei æquæ perſecutionis & iuſtæ defenſionis effectum, per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Oremus.

Benedic ✠ Domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, per inuocationem nominis tui, & per aduentum Chriſti Filij tui Domini noſtri, & per donum Spiritus ſancti, hunc enſem, vt hic famulus tuus, qui hodierna die, tua concedente pietate, præcingitur, viſibiles & inuiſibiles inimicos proſternat & conculcet, victoriaque potitus, maneat ſemper illæſus, per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Miſericordia mea, & refugium meum, ſuſceptor meus, & liberator meus, protector meus, & in ipſo ſperaui, qui ſubdit populum meum ſub me. Gloria Patri, & Filio, *&c.*

Verſ. Saluum fac ſeruum tuum Domine. *Reſp.* Deus meus ſperantem in te.

Verſ. Eſto ei Domine turris fortitudinis. *Reſp.* A facie inimici. *Verſ.* Domine exaudi orationem meam. *Reſp.* Et clamor, *&c.*

Verſ. Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cuncta ſolus ordinas, & rectè diſponis, qui ad coërcendam malitiam & improbitatem malorum, & tuendam iuſtitiam, vſum gladij in terris hominibus tua ſalubri diſpoſitione permiſiſti, & militarem Ordinem ad populi protectionem inſtitui voluiſti, quique per beatum Ioannem militibus ad ſe in deſerto venientibus, vt neminem concuterent, ſed proprijs contenti eſſent ſtipendijs, dici feciſti: clementiam tuam ſuppliciter exoramus, vt ſicut Dauid puero tuo, Goliath ſuperandi largitus es facultatem, & Iudam Machabæum de foritate gentium nomen tuum non inuocantium triumphare feciſti: ita & huic famulo tuo N. qui nouiter iugo militiæ colla ſupponit, pietate cæleſti vires ac robur ad fidei & iuſtitiæ defenſionem tribuas, præſteſque ei fidei, ſpei & charitatis augmentum, & tui timorem pariter & amorem, humilitatem, perſeuerantiam, obedientiam & patientiam, cunctaque in eo rectè diſponas, vt neminem cum gladio iſto, vel alio iniuſtè lædat, & omnia cum eo iuſta & recta defendat, & ſicuti ipſe deminori gradu ad nouum militarem prouehitur honorem, ita veterem hominem deponens, cum actibus ſuis nouum induat hominem, vt te timeat, & rectè colat, perfidorum conſortia vitet, & ſuam in proximum charitatem extendat, Præpoſito ſuo in omnibus rectè obediat, & ſuum in cunctis iuſtè officium exequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

CAPVT XLVII.

STATVTA & LEGES *à* CAROLO MAGNO *Imp.* LVDOVICO VI. PHILIPPO *Sapiente*, LVDOVICO *ſancto, Franciæ Regibus, &* GODEFREDO BVLLONIO, *ſummis Ordinis Equeſtris ſanctiſſimi* SEPVLCHRI *Domini noſtri* IESV CHRISTI *Principibus ac Magiſtris latæ, quæ etiamnum in Archiuis eiuſdem Ordinis Ieroſolymitana in vrbe adſeruantur.*

ARTICVLVS I.

IN nomine, & honore Dei Patris, Filij, & Spiritus ſancti, beatæque Virginis Mariæ eius matris, Angelorum & Archangelorum, Patriarcharum & Prophetarum Dei, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, ſanctorum Diſcipulorum, & omnium Sanctorum & Sanctarum, & ſpirituum omnium cæleſtis curiæ.

ARTICVLVS II.

Sit notum, & euidenter pateat omnibus excellentiſſimis & illuſtriſſimis Principibus, Nobilibus, Militibus, & populo Chriſtiano, anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo nonageſimo nono, quòd illuſtriſſimi, inuincibiles, & ſereniſſimi Principes, ſanctus Carolus Magnus Imperator & Rex totius Franciæ, Ludouicus VI. Sapiens, dictus Pius, Philippus dictus Sapiens magnanimus & Conquerens, ſanctiſſimus atque magnanimus Ludouicus Præſes, Godefridus de Bullion, ac alij magnanimi Principes & Reges Chriſtiani, aſſecuta per eos in eorum Imperio & Regno

gno corona, ſponte Deo vouerunt ac promiſerunt, ſeſe, & eorum bona atque perſonas exponere ad militandum, & bellum gerendum vltra mare pro ſubiuganda & deſtruenda peruerſa & tyrannica natione Saracenorum infidelium, & eorum poteſtatibus & auctoritatibus, Regnum Ieroſolymitanum, eiusque terras & dominia, à dictis infidelibus occupata, ſubijciendo, pro viribus fidem Chriſtianam augendo, ſtatum Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & aliarum Eccleſiarum Chriſtianarum ab omnibus vexationibus & oppreſſionibus tuendo & defendendo, in earum protectione & tuitione Prælatos eiuſdem Eccleſiæ, pauperes, orphanos, viduas, & ceteros Chriſtianos contra quoſcumque inimicos eorumdem ponendo.

ARTICVLVS III.

Sit etiam notum, quòd nos ſupranominati circa præmiſſa vota noſtra adimpleuimus, noſtrisque diligentijs & cura, Deo inſpirante, Regnum Ieroſolymitanum, partesque Saracenorum adepti fuimus, & contra illos victorias laudabiles obtinuimus, dictamque fidem Chriſtianam duximus: propterea nomen Chriſtianiſſimi Principis iuſtò nobis impoſitum fuerit, & meritò ab alijs Principibus & populo Chriſtiano datum. Cùm feliciter in Regnum noſtrum Franciæ, terraſque & dominia ad nos ſpectantia, reuerſi fuimus, etiam omnia alia Regna Principibus Chriſtianis nobis amiciſſimis in nobis ſubueniendo, tam ſuis diuitijs quàm hominibus, vt tandem poſſemus adimplere vota noſtra, & quæ iam dudum inceperamus. Propterea, vt ipſa ratio docet, habuerunt partem honoris, prout nos ipſi habuimus.

ARTICVLVS IV.

Inſuper in honorem Paſſionis Domini noſtri IESV CHRISTI, atque reuerentiam quam nos debemus ſanctiſſimo Papæ, Sedi Apoſtolicæ, atque obedientiam Vicarijs Dei in hoc mundo, atque etiam Epiſcopis de magna ciuitate Roma, humiliter recepimus ſanctiſſimas cruces quibus nos ſignauerunt, atque milites noſtros in honorem quinque Plagarum Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt eò magis eſſemus ſolidati in huiuſmodi infideles, vt cognoſceremus nos, atque populum noſtrum Chriſtianum, tam viuum atque mortuum in regionibus infidelium. Inſuper inſpeximus atque deliberauimus fundare Ordinem ſanctiſſimi Sepulchri noſtræ ciuitatis Ieroſolymitanæ, in honorem & reuerentiam ſanctiſſimæ Reſurrectionis, noſtro nomini Chriſtianiſſimo dignitatem primariam dicti Ordinis adiunximus, & dictas quinque Cruces rubeas, eaſdem etiam in honorem quinque Plagarum Domino noſtro Ieſu Chriſto inflictarum, deferre volumus: Milites dicti Ordinis quàm plurimos creauimus, illoſque dictis Crucibus contra dictos infideles inſigniuimus, qui fugitiui ob id remanſerunt, nec non exercitu reſiſtere nequiuerunt.

ARTICVLVS V.

Et vt dicti Milites, & alij ceteri homines bellici, veagium in dictum regnum Ieroſolymitanum facere volentes, qui in noſtro ſeruitio & exercitu ſtrenuos & magnanimos in præfatos infideles ſeſe geſſerunt, & circa præmiſſa in augmentum dictæ fidei Chriſtianæ, & defenſionem Catholicæ, Apoſtolicæ Eccleſiæ Romanæ, & aliarum Eccleſiarum Chriſtianarum fauorabiliores & faciliores reddantur, his vti & gaudere poſſe auctoritatibus, præeminentijs, priuilegijs, & iuribus, quibus noſtri officiarij & domeſtici vtuntur & gaudent, permiſimus & permittimus, quodque non ſint tributarij, nec de rebus & mercaturis ab eis transferendis aliquod ſubſidium ſoluent, nec non ab omnibus oneribus & ſubſidijs, aut tributis quibuſcumque nobis, quamuis ex cauſa ſeu ratione domicilij, vel aliàs debitis, ſeu debendis, in partibus & terris nobis ſubditis, cum equis, armis, veſtimentis, aut aliàs, proficiſcendo remanebunt liberi, exempti & immunes: animúmque acuent aliorum noſtrorum ſubditorũ dictum veagium facere, & in eo nos concomitari, noſtras ſuſceptiones iuuando contra dictos infideles volentium.

ARTICVLVS VI.

Volumus præterea, & volumus quòd qui honorem dictæ Militiæ aſſequi, ac dictis franchiſijs & libertatibus vti & gaudere voluerint, dictagia & ſeruitia in gratiam & augmentum dictæ fidei Chriſtianæ defenſionem Romanæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, ac aliarum Eccleſiarum Chriſtianarum in ſe ſuſcipient, dictoque Ordini adſcribantur, & in Eccleſia D. Sepulchri Ieroſolymitani à nobis, aut nobis abſentibus, noſtro locum tenenti, ibi Cruce ſignabuntur. Poſtquam certificationibus, auctoritate Archiepiſcopi, ſeu Curati diœceſis, vel Parochiæ in qua orti fuerint, debitè expeditis, conſtiterit nobis, aut dicto noſtro locum tenenti, eos eſſe Chriſtianos, catholicos, legitimos & nõ nothos, nec vllo modo fuiſſe reprehenſos, nec aliquo crimine nefario & enormi in iudicio vel extra diffamatos & notatos. Quodque dicti Milites confeſſi à ſuis peccatis, & abſoluti die eorum

receptionis, in dicta Militia ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum à Sacerdote tunc in dicta Eccleſia diui Sepulchri Officium diuinum celebrante accipient. In qua nos, aut noſter locum tenens laures dicti Ordinis decorabit, illoſque quinque Crucibus obſignabit, Iuramento per eos, & eorum quemlibet de contentis inordinationibus dicti Ordinis per nos editis & promulgatis, fideliter obſeruandis & defendendis, præſtito, ſolutaque ſumma triginta ſcutorum coronatorum theſauro dicti Sepulchri pro eleëmoſyna, pauperibus peregrinis, & alijs ballicis hominibus in dictum locum venientibus, & ibi indies adfluentibus, & ægrotis in hoſpitalibus eiuſdem ſancti Sepulchri vrbis Ieroſolymitanæ & S. Ioannis ac ſancti Lazari iacentibus applicanda.

ARTICVLVS VII.

Quòd noſtri viatores ſubditi gaudebunt libertatibus & franchiſijs latiùs in noſtra ordinatione deſuper facta & edita declaratis, ſummamque quinque ſcutorum coronatorum dictæ eleëmoſynæ applicandam ſoluent, & ad obſeruandam dictam ordinationem ſeſe obligabunt.

ARTICVLVS VIII.

Volumus etiam & volumus, quòd in dicta ſancti Sepulchri Ieroſolymitani, & alijs Eccleſijs per nos ac alios Reges & Principes hactenus ædificatis, & in poſterum ædificandis, in dicto regno Franciæ, & alibi in eorum terris & dominijs, in honorem eiuſdem ſancti Sepulchri & deuotionem celebrabuntur Officia diuina, modo & forma ſequentibus. Scilicet quòd qualibet die Dominica menſis Presbyteros Latinos, cærimonijs, in talibus adhiberi ſolitis, adhibitis, alta vna, & quinque Miſſæ voce ſubmiſſa in honorem & reuerentiam dictarum quinque Plagarum Domini noſtri Ieſu Chriſti celebrabuntur. Huiuſmodi officio nos, ſeu nobis abſentibus locum tenens, noſtri Milites, & viatores præfati aſſiſtent.

ARTICVLVS IX.

Quòd dictus noſter locum tenens, Milites & viatores quotidie Miſſam audire, preces & Horas S. Crucis dicere, & quaſdam eleëmoſynas elargiri tenebuntur.

ARTICVLVS X.

Quòd diebus Feſtis annualibus Conceptionis, Natiuitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, alta voce verbis Latinis Miſſæ celebrabuntur, fientque Proceſſiones, quibus nos dictusque noſter locum tenens, Milites, & viatores aſſiſtere, & ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum recipere tenebimur, vt Deo acceptabiles & grati contra dictos infideles ſecurè bellum gerere, & eos ſubiugare poſſimus.

ARTICVLVS XI.

Quòd indies Miſſas celebrari procurabimus, pauperibus eleëmoſynam elargiemur: dicti autem Milites ſolùm diebus Veneris cuiuſlibet hebdomadis in honorem Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti id fieri procurabunt, Horas ſanctæ Crucis dicemus, & ſerò Veſperas mortuorum dici faciemus: Deumque optimum pro Principibus, Regibus, & populo Chriſtiano precabimur & rogabimus, & victoriam contra dictos infideles in gratiam & augmentum fidei, & defenſionem Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ concedere velit & dignetur.

ARTICVLVS XII.

Quòd nos, dictus noſter locum tenens, & alij Milites bellicoſi, & viatores dicti Ordinis, temporibus Aduentus Domini, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum anni, Rogationum, & Vigiliarum dictorum Feſtorum annualium B. Mariæ Virginis, & in contemplationem pœnitentiæ, nobis & populo Chriſtiano à Deo veniam & remiſſionem peccatorum noſtrorum obtinendam impoſitæ, ac vt tentationes diaboli euitemus, & in dictos infideles reddamur victores, ieiunabimus.

ARTICVLVS XIII.

Ex noſtra ſcientia decreuimus & decernimus, quòd die Feſto ſacroſancti Sacramenti, in Eccleſia dicti ſancti Sepulchri, vrbis Ieroſolymitanæ tres Miſſæ, ſcilicet prima in lingua Soriana, ſecunda lingua Græca, tertia verò lingua Latina alta voce, Officiumque diuinum cærimonijs ſolitis adhibitis celebrabuntur, in alijs autem Eccleſijs per nos & noſtros amicos in Franciæ Regno, noſtrisque terris, & dominijs in honorem dicti ſancti Sepulchri ædificatis, Latinè celebrabitur idem Officium. Fientque Proceſſiones in honorem & reuerentiam fidei & credentiæ in ſacroſanctum Sacramentum Euchariſtiæ, nobis & populo Chriſtiano infuſæ.

ARTICVLVS XIV.

Quòd anno quolibet die Dominica in Ramis palmarum à nobis, aut noſtro locum tenente in noſtra abſentia, aſſumatur & eligatur vnus ex Presbyteris, qui ſuper aſinum

asinum sedens in conuocatione & cœtu duodecim Presbyterorum, qui Officium diuinum in Ecclesia sancti Sepulchri celebrare solent, dictam vrbem Ierosolymitanam introibit. Cui quidem Presbytero sic electo, nos & dictus locum tenens noster, Milites, viatores, & populus Christianus eiusdem vrbis obuiàm ire, illumque benignè recipere, & in Ecclesiam dicti sancti Sepulchri magna cum humilitate concomitari tenebimur: in qua quidem Ecclesia dictus electus, & alij suprà nominati Presbyteri, Officium diuinum in honorem & reuerentiam introitus Domini nostri IESV CHRISTI, quem in dictam vrbem Ierosolymitanam sanctis eius discipulis præsentibus fecit, honestæ receptionis per habitantes dictæ vrbis, & lætitiæ ab eis ob eius aduentum & introitum factarum, solemniter celebrabitur.

ARTICVLVS XV.

Die autem Iouis sequenti Officium diuinum cum cærimonijs assuetis per electum & alios Presbyteros suprà dictos in Ecclesia sancti Sepulchri celebrabitur, & dicetur; nosque & noster locum tenens refectionem illorum in pane, vino, piscibus, in domo S. Cœnaculi dictæ nostræ vrbis Ierosolymitanæ præparabimus, in qua illos benignè recipiemus, eorum pedes humiliter lauabimus & osculabimur, cœnamque celebrabimus, illisque eleëmosynas ob charitatem elargiemur. Et postquam dicti electus & alij Presbyteri gratias Deo egerint, sanctumque Dei Euangelium, quod suis Apostolis prædicauit, nobis enuntiauerint, nos aut noster locum tenens, Milites & viatores suprà nominati, in dicto Cœnaculo nostram refectionem sumemus, eleëmosynas in auro, argento, vestimentis, victualibus, panibus, vino & alijs, dabimus omnibus ægrotis in magnis hospitalibus iacentibus; ceterisque pauperibus in indigentia & necessitate constitutis, nobis notis, in reuerentiam & commemorationem sanctæ Cœnæ, quam simili die Dominus noster IESVS CHRISTVS cum dictis suis discipulis in præfata domo sancti Cœnaculi fecit, elargiemur & concedemus.

ARTICVLVS XVI.

Quòd Electus & Presbyteri antè nominati, qui illum in dictam vrbem Ierosolymitanam, vt suprà, fuerint concomitati, in montem Oliuarum sese conferent, ibique tota nocte dictæ diei Iouis precibus & orationibus diuinis, in reuerentiam & recordationem orationis in dicto loco per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum fusæ, vacabunt.

ARTICVLVS XVII.

Die verò Veneris sancti, dictus Presbyter Electus Euangelium passionis Domini nostri Iesu Christi in Ecclesia dicti sancti Sepulchri perleget, illudque nobis, nostroque locum tenenti, Militibus & viatoribus populoque Christiano interpretabitur, Officiumque diuinum dum alijs suprà nominatis Presbyteris Latinè celebrabit, cui assistere tenebimur, nec cibo aliquo reficiemur aut vtemur, donec hora, qua Dominus noster Iesus Christus in redemptionem generis humani in Cruce pendens emisit spiritum, pulsata fuerit.

ARTICVLVS XVIII.

Quòd quatuor Milites dicti Ordinis nocte dictæ diei Veneris, vsque ad meridiem diei sequentis, in honorem & reuerentiam Domini nostri Iesu Christi, cuius corpus ab infidelibus Iudæis ibi dicta nocte custoditum fuit, fideliter custodiant.

ARTICVLVS XIX.

Quòd omnes Presbyteri Chaldæi, Græci & Latini, continuas preces tota nocte diei Veneris in Ecclesia dicti sancti Sepulchri in gratiam fidei & defensionem Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, ac aliarum Ecclesiarum Christianarum aduersus huiusmodi infideles fundent.

ARTICVLVS XX.

Insuper ordinauimus & ordinamus continuè eleëmosynas elargiendas & concedendas esse, vt à carceribus dicti Milites, viatores, & alius populus Christianus liberetur, qui tam à nostris Regni Franciæ dominijs & terris, quàm ab alijs partibus & terris Principum Christianorum, nobis amicorum, venientes, contra dictos infideles nobiscum bellum gesserunt, & illud ita prosecuti fuerunt, vt captiui & detenti ab ipsis infidelibus fuerint; necnon humiliter dictos Principes ac Reuerendos Dominos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alios Beneficiatos, tam in dictis nostris Regni Franciæ dominijs & terris, quàm in alijs, ad dictos Principes Christianos spectantibus obtinentes, supplicare & requirere, vt quartam partem tertiæ partis redditus beneficiorum suorum, pro redemptione dictorum captiuorum, in honorem Dei, & remunerationem suorum laborum circa impugnationem dictorum infidelium, in gratiam & fauorem fidei & defensionē Ecclesiarum Christianarum & Prælatorum.

Digitized by Google

ARTICVLVS XXI.

Nos quoque ſupplicauimus & rogauimus ſanctiſſimos almæ vrbis Romæ Pontifices, quatenus indulgentias omnibus Principibus nobis amicis, populoque Chriſtiano, qui pro redemptione & liberatione dictorum captiuorum & pauperum, nobis & alijs prædictis Principibus ſubiectorum, & dictum ſanctum Sepulchrum viſitare, nosq; contra dictos infideles, & ad illos impugnandos, prout ſuprà dictum eſt, concomitari voluerint, concedere & impartiri velint.

ARTICVLVS XXII.

Præterea ſtatuimus, & penſata animi deliberatione voluimus, quòd Milites dicti Ordinis ſancti Sepulchri ſub ſaluagardia Soldani Babylonienſis, aut eius locum tenentis, omnes dictos captiuos redimendi & liberandi in ſe ſuſcipient, quibus Militibus ad hunc effectum denarij dictarum eleëmoſynarum tradentur, & de his computum, rationes & reliqua noſtro locum tenenti in dicta vrbe Ieroſolymitana in communitate Militum dicti Ordinis, & viatores dicti ſancti Sepulchri reddent.

ARTICVLVS XXIII.

Quòd ex noſtra ſententia & ſponanea voluntate eligimus, nominamus & conſtituimus, & nominamus dictos Milites noſtri Ordinis ſancti Sepulchri in præceptores, & adminiſtratores reddituum, & prouentuum, fundationum & eleëmoſynarum præmentionatarum: & de eis præfati Milites, & in eorum abſentia dicti viatores, adminiſtrationem & regimen habeant. Nec non aliorum fundationum per nos, aut noſtros amicos in Eccleſijs noſtris regni Franciæ dominiorum & terrarum noſtrarum, ac aliorum Principum inſtitutarum, & eleëmoſynis datarum pro redemptione & liberatione dictorum Militum, & viatorum, ac populi Chriſtiani in poteſtate & dominio ac carceribus dictorum infidelium forſan detentorum & detinendorum, vt huiuſmodi redditus & eleëmoſynæ Presbyteris officium diuinum in dicta Eccleſia ſancti Sepulchri celebrantibus, ac pauperibus in dictis hoſpitalibus ſancti Sepulchri, ſancti Ioannis, ſancti Lazari, & alijs hoſpitalibus ab alijs Principibus nobis amicis, & ſenioribus ac populo Chriſtiano, in honorem Dei, ſanctorum Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum, tam in noſtro regno Franciæ, terris & dominijs, quàm amicorum noſtrorum fundatis & inſtitutis, affluentibus, & ibi moram trahentibus, fideliter ab eis reſpectiuè diſtribuuntur. De quibus redditibus & prouentibus ſic receptis & diſtributis, ijdem Milites & viatores anno quolibet in craſtino Feſti ſacroſancti Sacramenti, in Camera noſtri conſilij Ieroſolymitani, rationes & computa reddent, & ad hos fines ijdem præceptores & adminiſtratores ibi ſeſe repræſentare, aut de his eorum computa, ſeu verum memoriale eorum mittere tenebuntur.

ARTICVLVS XXIV.

Quòd Clericus theſauri dicti Sepulchri Ieroſolymitani bonum & fidele memoriale redditionis huiuſmodi computorum deſcribet, chartas ſeu papyros eorum conſeruabit huiuſmodi. Reliqua ſi quæ debeantur, recipiet, quitantias ac quitamenta eorum computorum, ſic à dictis adminiſtratoribus, tam præſentibus quàm abſentibus, per nos ſeu in noſtra abſentia locum tenentem noſtrum, arreſtari & ſignari procurabit.

ARTICVLVS XXV.

Voluimus etiam ac volumus, quòd centum Milites dicti Ordinis in noſtris Regni Franciæ terris & dominijs, & alijs Regnis ad noſtros amicos ſpectantes, degentes, & moram trahentes, veniant in Cameram noſtri conſilij Ieroſolymitani, & compareant, qui nos aut noſtrum locum tenentem in dicto viagio viriliter & animo alacri ac benevolo concomitare, & nobiſcum aſſiſtere, mediaque, rationes & cauſas, in dicto conſilio pro bellis gerendis contra dictos infideles in augmentum fidei, & defenſionem Eccleſiarum Chriſtianarum, tam Latinarum quàm aliarum linguarum prædictarum, adminiſtratorum, fundatorum, & eleëmoſynarum allegandas, & intelligere poſſint & valeant, vt ſuper his concluſiones validas & neceſſarias ac iuridicas aſſumamus.

ARTICVLVS XXVI.

Statuimus etiam & ordinabimus aliquem ex Equitibus dicti Ordinis eligere Oratorem apud Soldanum Babylonium, qui permittat dicto noſtro Oratori, quòd ſpatio trium annorum computorum in dicta Babylonia commoretur, & vitam ducat, vt de quibuſdam Militibus, viatoribus, & alijs Chriſtianis captiuis à dicto Soldano ſeu eius belligeris detentis, notitiam habere poſſit, pretioque auri & argenti, quod per alios noſtros Milites ſub ſaluagardia & protectione dicti Soldani mittent, liberétur dicti captiui ab huiuſmodi detentione, aut ſi maluerit ipſe Soldanus, quòd in locum infidelium à nobis aut noſtris ſubditis, in bello aut alibi, captiuorum detentorum, ſeu

seu detinendorum, quos eo casu ab huiusmodi sua captiuitate liberare intendimus, modò dicti nostri captiui liberentur.

ARTICVLVS XXVII.

Cùm autem noster Miles sit delegatus Orator de dictis captiuis à Soldano, seu eius belligeris, vt profertur, detentis, plenam habuerit notitiam, is nobis chartis veris nomina illorum, & loca in quibus detineantur significari, saluagardiam à dicto Soldano ad hos fines obtentam mitti procurabit, vt dicti Milites & viatores sic captiui securiùs ad nostras partes redire possint.

ARTICVLVS XXVIII.

Quòd dictus Orator & Milites nobis, aut nostro locum tenenti in absentia nostra, de redemptione dictorum captiuorum fidem facient, quam summam pro redemptione captiuitatis huiusmodi, cui, & in quo loco exsoluerint. Et hos fines dicti captiui, saltem copias chartarum liberationis eorumdem, nobis repræsentabunt, præmissaque omnia & singula ad notitiam aliorum Regum & Principum Christianorum, dominorumque Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & aliorum beneficiatorum nostri Regni Franciæ, terrarum & dominiorum nostrorum, & aliorum nostrorum amicorum deduci voluimus, vt fructum ex suis sanctis eleëmosynis consequantur glorioſum, ac in posterum in illis elargiendis promptiores reddantur.

ARTICVLVS XXIX.

Quòd intendimus & deliberamus quotidie dictas quinque Cruces dicti Ordinis S. Sepulchri nostris vestimentis appositas deferre. Quas dicti Milites & viatores, siue eos bellum gerere aduersus dictos infideles, & alibi adire, seu aulas Regias, & conuocationes, seu cœtus Principum, & aliorum Christianorum populorum frequentare contigerit, similiter deferre tenebuntur.

ARTICVLVS XXX.

Quòd dicti etiam Milites aduersus aliquos Principes Christianos bellum gerere minimè tenebuntur, imò illis fauorabiles erunt, casu quo sibi constiterit, dictos Principes esse excommunicatos, auctoritate Dei & Summi Pontificis ab Ecclesia Catholica exules & dispersos, eorumque regnum belligeris esse prædam: quo casu adueniente, dicti Milites pro eis contra dictos Principes arma suscipient, ad exemplumque Dei iura pauperum, orphanorum, viduarum, extraneorum defendent, & ab omnibus vexationibus & oppressionibus viriliter protegent.

ARTICVLVS XXXI.

Nos igitur præmissis & alijs legitimis causis & rationibus consideratis, animum nostrum mouentibus, præscriptas ordinationes à nobis ferri & edi, illasque de verbo ad verbum, nil de contentis in eisdem omisso, obseruari decreuimus, statuimus, sapienter deliberauimus. Et in eius rei testimonium & robur ad sancta Dei Euangelia per fidem & legem nostram in fidei, nec sponte aliquid de contentis in eisdem ordinationibus executione dignum omittere, promisimus & iurauimus illas à nostris successoribus Regni Franciæ Regibus dicti Ordinis sancti Sepulchri, ac præsentium capitibus, secundùm eorum tenorem obseruari ordinantes, & in hoc eorum conscientiam illis contraueniendo onerantes, votaque & obligationes per Milites dicti Ordinis & viatores in dictam vrbem Ierosolymitanam emitti, & factas obseruari & adimpleri, prout ijsdem ordinationibus cauetur. Quas volumus deponi & fideliter custodiri in thesauro dicti sancti Sepulchri, memoriasque illas absque diminutione continentes continentia in nostrum Franciæ Regnum, terras & dominia, tam ad nos quam ad alios Principes spectantia transferri, vt omnia & singula præmissa ab eis videri, visitari, & fideliter obseruari possint, ac si in dicto thesauro existerent: ipsos humiliter supplicantes, quatenus in his nostram intentionem & bonam voluntatem in honorem Domini nostri Iesu Christi, qui nostrorum cordium scrutator est, aliaque in eius protectione & possessione conseruat, principiumque & terminum nostræ vitæ dat & tribuit, adimplere velint & dignentur. Et vt magis ac magis dictæ nostræ ordinationes cunctis pateant euidenter, & sint notæ, ac obseruentur in perpetuum, voluimus & ordinamus eas nostri sigilli quinque Crucibus dicti Ordinis, in medio eiusdem appositis, munimine roborari. Quæ datæ & latæ fuerunt à nobis in vrbe Ierosolymitana die prima felicis mensis Ianuarij, anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi milleſimo nonageſimo nono.

CA-

CAPVT XLVIII.

Multiplex calumnia & difficultas, facta contra instituentes & institutos Milites sanctissimi Sepulchri Domini nostri, & contra nonnullos qui ipsorum gratias & priuilegia scripserunt.

ANdreas Fauinus, superiùs à nobis in hac eadem materia memoratus, Tomo 2. vbi agit de S. Ordine Sepulchri Dominici, multa impingit tum instituentibus Equites, tum institutis Equitibus sancti Sepulchri hac nostra tempestate, tum ijs qui retulerunt gratias & priuilegia, quæ illis pijssimi & Christianissimi Principes concesserunt.

Conuitia & calumnia in institutos & instituentes Equites Dominici Sepulchri. Prima est, institutendorũ ignobilitas, & negligentia Guardiani.

Et in primis insurgit contra instituentes Equites. Postquam enim egisset de auctoritate instituentium, id est Guardianorum sacri Montis Sion, addidit, illos imprudenter gerere, quòd absque delectu & diligenti examine conditionis eligendorum, sint nobiles an ignobiles, diuites vel pauperes, omnibus petentibus conferant dictum Ordinem, dummodò triginta aureos zecchinos elargiantur Conuentui in eius necessitates conuertendos; cùm sufficiens testimonium habere deberent nobilis suæ conditionis. Quo factum esse dicit, quòd Equites sanctissimi Sepulchri pro maiori parte sint ignobiles, mercatores, mechanicis vilibusque exercitijs addicti. *Qui* (ait, & est crimen quod secundo obijcit ordinandis) *suam exordiuntur militiam à periurio, quòd scilicet iurent supra sanctissimum Sepulchrum Domini, se nobiles esse, & posse absque mercantijs vitam honestè transigere, cùm ignobiles sint, & nonnisi turpibus attendentes, viuere possint.* Et addit, istos ex parte excusando, & Guardianorum ordinantium crimen magis aggrauando, id accidere, quia instituendi Milites non probè intelligunt Latinum idioma, in quo explicantur conditiones ordinandorum, & Guardianus sermone Gallico diligens examen non præmittit circa illorum conditionem. *Etenim de istis tantùm, id est Gallis, loqui intendo,* ait iste, *& non de alijs nationibus.* Sed si tam perperàm sentit & loquitur de propria & sibi dilectissima Gallica natione, quæ sentiet & euomet contra exteras? Et si suorum maximè domesticorum curam non habet, quid credemus facturum de alijs?

Secunda, eiusdem anuntia.

Tertia, infidelitas referentium gratias Equitum.

Denique Gallos nonnullos Scriptores excommaticè redarguit, qui Gallorum peregrinationes ad Terram sanctam conscripserunt. Bartholomæum in primis de Salign. Lorenensem, Antonium Regnault Parisiensem, Iacobum Villamont nobilem Britonem, qui, vbi de his agunt, retulerunt gratias à Christianissimis Regibus concessas Militibus sacri Sepulchri, & peregrinis Terræ sanctæ, quas Capite præcedenti retulimus. Sic autem ait: *Creditur S. Ludouicum dedisse magnas exemptiones & priuilegia Gallis vltra mare proficiscentibus, pro defensione Terræ sanctæ, quæ citati Auctores Galli referunt: verùm quoniam huiuscemodi non inueni in regiſtris curiæ, nec in camera computorum, & ego vidi negari magno sigillo expeditiones pro aliquibus itinerantibus de Sens, & aliorum locorum Galliæ; ego eas silentio pertransibo, & similiter horum originalia referam nostris Regibus Carolo Magno, Ludouico VII. & Philippo Augusto tributa. Ego credo esse abusum: quoniam si fuissent concessa, absque dubio in regiſtris curiæ, domus & palatij Regis, &c. essent, quæ tamen non sunt.* Et hæc quidem sunt, quæ citatus Auctor opponit, factus plus æquo rigidior censor aliorum operum, quàm veritatis inquisitor; defectus, si qui sunt, oculis lynceis contemplatus, & bona meliùs rationabiliusque consideranda, nec nyctycoracis oculis intuitus, vt statim ostendam.

CAPVT XLIX.

Calumnia & difficultas eadem refellitur.

VT propositis Capite præcedenti ineptis calumnijs respondeamus, & illarum concinnator haud glorietur, quasi egregium aliquid præstiterit illas innocentibus impingendo, neque alij eisdem assensum præbeant, duo præstabo: primò, quatuor ad intentum necessariò præcognoscenda per ordinem explicabo; secundò, obiectis respondebo. Et ex his magis etiam apparebit conditio instituendorum Equitum Dominici Sepulchri, quantaque sit eorumdem nobilitas.

Calumnia reijciuntur.

Et de primo proposito primùm enucleandum est multiplex nobilitatis descriptio; deinde, an mercatura obstet nobilitati; tertiò, quæ nobilitas communiter requiratur in Equitibus; quartò, quæ in nostris sanctissimi Sepulchri Domini nostri Iesu Christi.

Nobilitas duplex, generis & virtutis.

Quantum ad primum, dico, duplicem assignari nobilitatem tum à profanis tum ab Ecclesiasticis Scriptoribus, alteram generis, alteram virtutis. De vtraque pauca dicemus.

Generis nobilitas oritur ex alitemi.

Generis nobilitas in hominum magis opinione, quàm in solida veritate, in alienis potiùs, id est in parentum & auorum illustri

ſtri proſapia, quàm in proprijs bonis fundatur. Vnde appoſitè Ouidius l. 13. Metamorphoſeos dixit:

Et genus, & proauos, & quæ nõ fecimus ipſi,
Vix ea noſtra puto. —

Et ſapientiſſimè Plato: *Qui genus laudat, aliena laudat.* Ad quod reſpiciens Alphonſus Rex Aragonum, vt refert Antonius Panormitanus l. 2. de Rebus ab eodem Rege geſtis, cum à quodam hoc nomine plurimùm commendaretur, quòd ex antiquiſſima & nobiliſſima Regum familia originem duceret; ille contrà reſpondit, nihil eſſe in vita, quod minoris ipſe duceret, quàm quod illi tanti facere viderentur; laudem ſcilicet illam confitendo non ſuam, ſed maiorum ſuorum eſſe.

Huius nobilitatis ſæpiſſimè fit mentio in ſacris Litteris, vbi plurium generatio ex Regum & Magnatorum progenie texitur, vt in Geneſi, libris Regum, & alibi; & S. Matthæus ex iſto capite celebrat ortum Saluatoris, per Abraham, Dauid, & alios Patriarchas & Reges. Et amplius apud alios Scriptores, qui pluris illam faciunt quàm Spiritus ſanctus. De iſta dixit Ariſtoteles 3. Polit. c. 8. *Generis nobilitas apud omnes in honore habetur; eſtq; conſentaneum, ex melioribus natos eſſe meliores.*

Nobilitas generis duplex, maior & minor.

Iſta generis nobilitas adhuc diſtinguitur in maiorem & minorem, ſecundùm quam, etiam ipſi Nobiles diuiduntur in maiores & minores, vt apud Romanos alij Maiorum, alij Minorum gentium dij olim habiti & nuncupati fuerunt. Nobiles maiores, vulgò titulares, vocamus Duces, Principes, Marchiones, Comites & Barones, qui vel hereditario iure his titulis gaudent, vel, quod præſtantius eſt, ijſdem virtutis ergò à Regibus aliiſve Principibus ſummis ſunt donati. Nobiles minores cenſentur Equites aurati, Armigeri, ſiue Scutiferi, & Generoſi ſiue *Gentilhomines*, vt Itali & Galli vocant. Equites aurati (nuncupati à calcaribus inauratis, quæ pro inſigni ipſis tribuuntur) à mediæ ætatis Scriptoribus ſimplici voce *Milites* appellantur, ſuntque per vniuerſa Europæ Regna notiſſimi, nec certis legibus aut locis adſtringuntur.

Nobilitas virtutis ex proprijs, & hæc verè magnos facit.

Virtutis & propria altera nobilitas eſt, quæ excellentibus heroicisque actibus comparatur, & in virtute fundatur, multoque altera eſt excellentior; & in ſacris inſuper Litteris ac probatis Scriptoribus plurimum commendata, & alteri prælata, *cùm vera nobilitas*, ſicut Ioannes Alexandrinus apud Baronium Tom. 8. anno 620. ait, *non ex carne, & ſanguine, ſed ex virtute animi accipiat formam.* Suntque illi ridendi, qui cum mores corruptos habeant, ſola interim generis ratione ſe iactant: quia dum virtute carent quæ veræ nobilitatis forma eſt, non nobiles, ſed ignobiles ſunt appellandi. Quod ipſe Dominus non obſcure aliquando ſignificauit, cùm populum Iſraëliticum arguendo per Samuelem, dixit: *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum*, hoc eſt, faciam eum nobilem & glorioſum; *qui autem contemnent me, erunt ignobiles*, 1. Reg. 2, 31. in virtute ſola veram nobilitatem ſitam eſſe oſtendens. Sed & Seneca, homo alioqui Ethnicæ philoſophiæ ſectator, lib. 5. Epiſt. 44. inquit: *Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc ſumus nobiles. Patritius Socrates non fuit: Cleanthes aquam traduxit, & rigando hortulo locauit manus. Platonem non accepit nobilem Philoſophia, ſed fecit.* Et paulò pòſt: *Quis ergo generoſus? Ad virtutem benè à natura compoſitus. Hoc vnum eſt intuendum. Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus. Nemo ad noſtram gloriam vixit: nec quod antè fuit, noſtrum eſt. Animus faciet nobilem, cui ex quacumque conditione ſupra fortunam licet ſurgere.* Et Ouidius lib. 1. de Ponto:

Non cenſus, nec opes, nec clarum nomen auorum,
Sed probitas magnos ingenuoſq; facit.

& alibi:

Nobilitat virtus animum: virtute remotus
Migrat in exilium nobilitatis honor.
Nobilitas animi ſola eſt atq; vnica virtus.

Noë virtutis nobilitate celebris.

In libro Geneſis celebratur Noë, non à generis ingenuitate ac nobilitate, ſed à virtutis præſtantia; ſic enim ibi dicitur: *Noë vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis: cum Deo ambulauit*, Geneſ. 6, 9. Quod egregie expendens D. Ambroſius lib. de Noë & Arca, cap. 4. inquit: *Qui non generationis nobilitate, ſed iuſtitiæ & perfectionis merito laudatur. Probati enim viri genus, virtutis proſapia eſt: quia ſicut hominum genus homines; ita animarum genus virtutes ſunt. Etenim familia hominum ſplendore generis nobilitantur, animarum autem clarificatur gratia ſplendore virtutis.* Hæc S. Doctor, & vere. Quin & S. Ioannes Chryſoſtomus, conſiderans, ſolam generis nobilitatem non eſſe ſufficiens gloriæ argumentum, illa vtitur ad retundendum tumorem illorum qui de ea gloriantur, qui ex duplici fonte oriri poteſt. *Nam alij*, inquit Hom. 59. in Matth. *quoniam parentes, auos, proauos humiles ipſi habuerunt, alij quoniam claros & nobiles, efferuntur. Quomodo igitur quiſpiam vtriuſque poterit tumorem deprimere? Si ad alterum ſcilicet dixerit: Tu qui magna de nobilitate maiorum te iactas, vltra proauos atque atauos tuos progredia-*

Sola generis nobilitas non eſt ſufficiens gloriæ argumentum.

Vnde dari debeant humiliari.

grediaris; inuenies multos è genere tuo agasones forsan, aut caupones fuisse: ad alteros è contrario, progrediaris tu aliquantulum vltra parentes, & inuenies multò te clariores fuisse: hoc enim cursu genus ferè humanum, etiam à Scripturis comprobari potest. Salomon Rex erat, & Regis illustrissimi filius, cuius pater abiectus atque ignobilis, maternus etiam auus adeò vilis, vt nec gregario militi filiam collocare posset: hæc ipsa si altiùs repetas, inuenies rursum horum viltum genus illustre, ac regium. Hoc de Saul, hoc de multis alijs dici potest. Non igitur multum hinc extollamur. Hactenus aureum eloquentiæ os verè ac sapienter.

Nobilior & dignior est, in quo genus ac virtutis nobilitas reperitur.

Possunt nihilominùs in vnum copulari istæ duæ nobilitates, quoniam altera alteri non repugnat, sed possunt se mutuò perfici, & in vno vtraque reperitur. Ita nobilitatus, absolutè nobilis appellandus erit, &, ceteris paribus, vnica dumtaxat nobilitate condecorato præferendus, tum quia vna nobilitas supra alteram aliquid perfectionis addit; tum quia magis eminet virtus in viro nobili quàm in plebeio, vt gemma pretiosa in annulo aureo; tum denique quia virtute ac genere nobilis, magis pro dignitate suum exequetur munus: quia, vt S. Thomas in cap. 1. Epist. ad Hebr. lect. 2. dixit, vt facilè quis aliquam administret prouinciam, præter sapientiam ne erret in administratione, & virtutis potentiam in exequendo, generis quoque requiritur prosapia, ne contemnatur præcipiendo. Tales fuerunt quos Moyses populo præposuit. vnde ait: *Tuli de tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos principes, tribunos & centuriones, & quinquagenarios ac denarios,* Deuteronom. 1, 15.

De secundo, An veræ nobilitati obstet mercatura, aliqui absolutè respondent obstare, adeoq; vilem artem dicunt mercaturam, vt mercatores non solùm in nobilium, sed nec in ciuium albo adscribi debere asseuerent. Adducunt pro se Aristotelem 7. Politicorum cap. 4. dicentem, mercatores non debere esse ciues: *Vilis enim*, inquit, *est huiusmodi vita, & virtuti aduersa.*

Mercatura duplex, tenuis fortuna & turpis, ac magna substantia, & laudabilis & vtilis.

Respondendum nihilominùs cum distinctione. Duplex enim mercatura distingui potest, altera tenuis fortunæ, & exilis substantiæ, ac etiam turpis; altera valdè honesta, quæ circa opulentas, magnas ac laudabiles exercetur facultates. Prima vilis & triobolaris mercatura obstat veræ nobilitati, non item secunda, honesta & opulenta, vtpote multùm proficua, & à præcipuis ac nobilissimis viris exerceri solita. Ex horum namque industria prosperè agit Respublica, & summa gaudet rerum abundantia, qua alioquin careret. *Mercatura*, inquit Cicero lib. 1. de Offic. *si tenuis, sordida putanda est; sin copiosa, magna & multa vndique portans, multisq; sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda. Olim*, ait Plutarchus in Solone, *gloriosa fuit, cuius ope cum Barbaris consuetudo, amicitia cum Regibus coniungerentur, peritia multarum rerum pararetur, thesauris plurimisq; diuitijs ditabantur patria, ac nonnulli mercatores magnarum ciuitatum conditores extiterunt.* Atque ista mercatura tantum abest vt veræ obstet nobilitati, vt eamdem vnà cum experientia & sapientia pariat: & ideò à multis nobilibus ac sapientibus olim fuit exercita, & hodie vsque exercetur. Hesiodus dixit, olim exercitium nullum extitisse mercatura honestius. Solon & Thales, duo ex præcipuis Græciæ sapientibus, in iuuentute sua mercaturæ operam dederunt. Socrates quoque fuit mercator. Et Isaias cap. 23, 8. ex mercatoribus Tyri opulentissimæ vrbis dignitatem extulit, dicens: *Quis cogitauit hæc super Tyrum quondam coronatam, cuius negotiatores Principes, & institores eius inclyti terræ.* Hinc etiam moderno tempore plurimi in Italia, etiam ex his qui titulari fulgent dignitate, prout quoque alij in alijs regionibus, suos habent apud exteros contractus, & opulenta cum alienigenis commercia, vtique sine nobilitatis suæ labe. Atque ex his apparet, quænam mercatura obstet nobilitati, & quæ non, sed ei magis profit.

Nobilis mercatura nobiles parit.

Nobilitas diuersimodè requiritur in Equestribus Ordinibus.

De tertio dico, quòd quamuis in omnibus Ordinibus non sufficiat quælibet nobilitas, quia maior requiritur in Equitibus Torquis, in omnibus tamen aliqua nobilitas sit necessaria, generis vel virtutis, cum sufficienti bonorum temporalium copia; quemadmodum olim, in Equite Romano, census & probitas spectabatur, vt dixit quidam insignis Iurisconsultus, ab ipso Fauino alibi relatus, quia ista ad finem Equestris Ordinis necessaria sunt, honestè inquam se in necessario bello sustentandi. Et Sansouinus lib. 1. tradit, antiquitus eligi solitos Equites ex Principis beneficio, quicumque illi essent, & posteà si quibus ætimi, naturæ vel fortunæ bonis ditati essent. Et Franciscus Mennenius inquit: *Miles nemo nascitur, sed nostris temporibus, vti alibi delibauimus, à Principe vel eius Legato, habita aut generis, aut virtutis, fortunæ, rerum domi forisq; benè gestarum ratione, dignitatem Equestrem (quæ nonnisi cum vita tollitur aut amittitur) stricto gladio leuiter humeris percussus, & flexis genibus candidati accipere solent,* &c. Hæc ipse.

Sufficientes facultates in omni Equite requiruntur.

De quarto proposito, quæ nimirum in nostris

noſtris inſtituendis Equitibus requiruntur, iam ſuperiùs Cap. XLVI. abundè diximus, quare duo dumtaxat hìc pro intento attingemus: quorum alterum eſt, ab inaugurandis inquiri cuius conditionis ſint; & in iſta interrogatione non exprimi an ſint nobiles, alijs illuſtriores, ſed potiùs an ſint ex honeſtis parentibus progeniti: alterum eſt, quæri, habeantne vnde honeſtè manu tenere poſſint ſtatum & militarem dignitatem abſque mercantijs, turpibus videlicet, & arte mechanica; ſed non abſolute quæritur, an longè ſint ab omni mercatura, quoniam non omnis repugnat veræ nobilitati, ac fini noſtri Equeſtris Ordinis; nec iſta interdicitur in huius Ordinis ſtatutis, ſed tantùm vt ſine ea poſſint ſtatum Militarem conſeruare. Quòd ſi poſſint, & adhuc velint honeſtæ mercaturæ operam dare, vt magis habeant vnde neceſſitatem patienti tribuant, & propter alios honeſtos fines, non erit inconueniens, nec interdictum noſtro ſacro Ordini adſcribi volentibus. Confirmatur, quia in ſtatutis & gratijs ſacri huius Ordinis Art. v. vt Cap. XLVII. vidimus, liberantur noſtri Equites per pios Principes à tributis aliàs exſoluendis pro ſuis mercimonijs. Supponunt ergo iſti, poſſe illos honeſtæ mercaturæ operam dare, quorum inſuper gratias confirmarunt ipſi Summi Pontifices, vt ſuprà oſtendimus Cap. XXX.

Interrogationes fieri ſolita ab inaugurandis Ordine ſancti Sepulchri.

Honeſta mercatura licita & proficua Militibus Sepulchri.

Quòd ſi Fauinus, vel alij plus requirunt in Ordinibus militaribus, admittatur id in alijs ab iſto. Ratio eſt, quoniam alij non tam larga beneficia tribuunt vt iſte, ideò externam exquirunt nobilitatem: at noſter dat & requirit ſpiritualem, longè illa nobiliorem. Ad hæc, noſtri inaugurandi Milites propria deferunt bona, ſpiritualia & temporalia, merita nimirum ex tam laboriosa & periculis plena peregrinatione, & ſubſidium inſuper aliquod locis ſanctis ſecundùm cuiuſque conditionem & beneplacitum impendunt, promittentes maius ſe impenſuros, imò & vitam ipſam, ſi opportuna occaſio id expoſcens oblata fuerit. Et ſanè perquam mirabile eſt, nonnullos obſcuræ notæ viros, nullis egregijs operibus condecoratos, vt etiam vitijs turpiſſimis inquinatos præteream, recipi & adſcribi in alios militares Ordines, de ſimplici & externa nobilitate gloriantes, ab huius mundi Principibus, ſolo eorum beneplacito, vel ob aliquod exiguum illis exhibitum obſequium, vel Reipublicæ apparens & haud rarò futile præſtitum beneficium, vt ex hiſtorijs & quotidiana experientia edocemur, eoſque ſic clariſſimos & illuſtriſſimos effici; ægre verò ferri, quòd qui glorioſiſſimo Chriſti Sepulchro obſequium exhibuerunt, non ſuarum tantùm facultatum diſpendio, ſed ipſiuſmet etiam vitæ diſcrimine apertiſſimo, adſcribantur illius ſacræ Militiæ, & plus ceteris nobilitari. Atque ex his, ni fallor, abundè ſatis arbitror ſatisfactum omnibus calumnijs, & alijs quæ in hac obijci poſſent materia.

Multum tribuit ſuis Equitibus Ordo Sepulchri.

Verùm amplius illorum confutationem proſequamur, vt oblatrandi occaſio magis auferatur. Eſto, non nobiles genere inſtituantur Milites à Guardiano ſacri Montis Sion, ſed quales Neotericus ille deſcribit: ſed non ideò inſtitutor culpandus, vel quòd debitam diligentiam non adhibuerit, inquirendo de inſtituendorum Equitum conditione, quodque non eis exponat requiſita in Militibus ſanctiſſimi Sepulchri Gallico ſermone, cuius non tenet notitiam, ſicut nec ordinandi Latinum idioma probè calleant. Etenim hoc admiſſo, ſæpiùs tamen Italicus & Gallicus ſermo eſt omnibus communis, inſtituenti & inſtituendis Equitibus. Sed hoc relinquentes, dicimus, Ieroſolymis ſemper eſſe Fratres Gallos, aliosque in Gallico idiomate peritos, vt venientibus Gallis deſeruiant; iſtique cum illis tractant, & vt de alijs, ita de neceſſariò requiſitis adſcribi cupientibus ſacræ Militiæ, certiores reddunt, vt qui Terræ ſanctæ Itineraria conſcripſerunt, tradunt.

Præfectus Terræ ſanctæ à calumnijs liberatur.

Reſponſio ad primam calumniam

Et illud omnino falſum, Præſulem Terræ ſanctæ quemlibet abſque delectu adſcribere ſacro Ordini ſancti Sepulchri, dummodò triginta zecchini offerantur, etſi deſint alia neceſſaria. Hoc, inquam, falſum eſt: quia ordinariè & in primis, de quorum probitate & nobilitate dubitatur, inquiritur de illorum ſufficientia, & teſtimoniales litteræ exquiruntur. Et ego oculatus teſtis vidi Gallos & Italos, qui cum litteris commendatitijs acceſſerunt, quas ab illuſtriſſimis egregijsque viris ac de ſanctiſſimis locis optimè meritis acceperant, vt ſacro Ordini à Guardiano adſcriberentur, & tamen fuiſſe reiectos, quia de illorum inſufficientia conſtabat, vel certè non obſcura erat ſuſpicio: nec admiſſi fuerunt ad iuramentum, quod, abſque dubio, ſine difficultate præſtitiſſent.

Quòd ſi alij eiuſmodi Milites fuerunt inſtituti, de quorum inidoneitate minimè conſtitit, ſi tamen iuramentum præſtiterint, immunis erit à culpa Guardianus. Quare, cùm alioqui de inſtituendorum Equitum ignobilitate euidenter non conſtet, iuramento præſtito credere iure poſſunt & debent inſtituentes, honeſto loco illos natos eſſe, & bonorum temporalium ſufficientem habere copiam; præſertim ſi videant ſplendidè ſe operi iſti heroico accinxiſſe,

cinxiſſe, multa bona temporalia in peregrinationem ſacram impendiſſe, eaque pro conſeruatione locorum ſanctorum largiri & donare, quæ viles & pauperes præſtare haud poſſent; adeoque paſſionum tolerantia, necnon eleëmoſynarum elargitione ſe idoneos ad illam Militiam demonſtrant, in qua requiritur, vt Milites vel ipſimet ad bellum contra infideles proficiſcantur, vel ſuis expenſis aliquem ſuo loco mittant, ſi forte ipſimet proficiſci non poſſint; & conſequenter inculpate ſacræ Militiæ ſancti Sepulchri eoſdem adſcribere poterunt ſacri Montis Sion Præſules, qui & meritò dicere poſſunt volentibus in Milites inſtitui, quod olim Antigonus Rex dixit cuidam adoleſcentulo, petenti vt propter patris ſui claritatem ſibi præmia conferret, Plutarcho referente in ſuis Apophthegmatibus: *Ego, ô adoleſcentule, non ob parentum ingenuitatem, ſed ob proprias cuiuſque virtutes, mercedem & munera dare ſoleo.*

Et fortaſſe Summus Pontifex, cuius nomine Guardianus ſacri Montis Sion Equites ad Ordinem recipit, ſanciuit, vt ad illum recipiendi triginta aureos zecchinos ſoluant, tum vt ſubueniatur hac via locis ſanctis, tum vt de ipſorum ſufficientia aliquo modo conſtet; etſi non omnes tantum ſoluant, nec aliquis ad ſolutionem compelliatur.

Accedit, quòd ſi illi dumtaxat, de quorum nobilitate authenticè conſtat, inſtituerentur Milites, cùm eiuſmodi pauci admodum ſint, præſertim qui Ieroſolymam ſe conferunt, quibus tantum ſuppetat, pauciſſimi eſſent qui huic Militiæ adſcriberentur, quod cederet in præiudicium ſancti Sepulchri, illiuſque gloria diminueretur, quod tamen omni gloria eſſe digniſſimum, nemo eſt qui neſciat.

Sed quidquid ſit de generis nobilitate noſtrorum Equitum, illorum generatio *non eſt ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo*, Ioannis 1, 13. Sunt Crucis & Chriſti Milites; &, vt dixit ſanctus Apoſtolus, *ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius*, 1. Corinth. 1, 28. Quòd ſi ſtultum hoc dicant aliqui, ego dixerim, huiuſmodi in eorum numero collocandos, qui Crucem Chriſti ſtultitiam dicebant, de quibus idem Apoſtolus loquitur. Ex his itaque patet, quid ad priores Neoterici illius calumnias reſpondendum ſit.

Nolo tamen hîc diſſimulare, fieri poſſe, & de facto accidere, aliquos pauperes, & infimæ notæ viros, ſacræ huic Militiæ adſcribi potuiſſe, & adſcriptos fuiſſe, qui tamen in euentu, proprio corpore deſeruire poterunt. Quòd ſi aliqui etiam malis artibus ſe intrudant, quid mirandum? cùm in omnibus officijs, munijs publicis & exercitijs inueniantur abuſus ac fraudes.

Et conſideret Fauinus, an Milites aliorum Ordinum militarium, qui exigunt magnam generis nobilitatem & probitatem, ſint omnes eiuſmodi condecorati dotibus; an non plures ignobiles, vt probitatis defectum taceam, vel fraude, vel vi & potentia promoti? Denique noui, aliquando fuiſſe à Guardianis inſtitutos Milites, non ob illam, quam ipſe dicit, vtilitatem locis ſanctis prouenientem, ſed ob redimendam vexationem, ne illa Equitum inſtitutio, quæ ſecretò & de nocte ordinariè fit, ad ſchiſmaticorum & præſertim Turcarum aures perueniat, qui loca ſancta cum Fratribus malè multarent. Fuerunt enim qui comminati ſunt, quòd ſi non inſtituerentur, ſe manifeſtaturos Turcis quæ ibi fierent, & perſecutionem contra Fratres, in ſanctorum locorum præiudicium, excitaturos.

Ad ſecundam.

Sed hac calumnia ſatis confutata, ad aliam, in qua Fauinus ſimoniæ vel ſaltem auaritiæ notam inurere videtur inſtituentibus Equites, quòd inhabiles ſacræ Militiæ adſcribant, ſi tantùm, ſeclusis alijs requiſitis, triginta zecchinos elargiantur; ad hanc inquam impudentem refellendam calumniam calamum conuertamus. Hoc illius aſſertum, vt indicauimus, falliſſimum eſt: ſed eſto, quòd nonniſi qui prædictam nummorum ſummam pro locorum ſanctorum conſeruatione elargiti fuerint, in Equites Dominici Sepulchri inſtituantur; non ideò culpandi veniunt inſtituëtes, quaſi id ex proprio cerebro, ac ſine ratione, ſola permoti cupiditate fecerint. Etenim in huius ſacri militaris Ordinis ſtatutis Artic. VI. ſancitum eſt, vt Equites in ſua inſtitutione ſoluant triginta ſcuta coronata, vt Cap. XLVII. vidimus: & huius Ordinis Statuta fuerunt abſq; dubio facta antequam inſtitutus fuit Seraphicus Ordo, ex quo eliguntur Terræ ſanctę Prętecti, qui hodie iſtos Milites creant. Nec ideò mirandum, detrahendúmve inſtituentibus, ſi illud ab eis obſeruetur; quoniam idem quoque à Summis Pontificibus obſeruatur, qui quoſdam inſtituunt Milites non niſi certo perſoluto pretio, vt aduertit Sanſouinus lib. 1. dum agit de inſtituentibus Equites. Et quidem rationabiliter: quia qui ſentit commodum, ſentire etiam debet incommodum: vt taceam, quòd inde aliquatenus dignoſcatur, an ſic inſtituti ſufficientes habeant facultates ad honorificè conſeruandum ſtatum militarem.

Exigere pecuniam ab Equitibus, antiquum eſt.

Ad

Aduertium

Liberantur à calumnijs referentes gratias pro S. Sepulchri Equitibus.

Ad posteriorem obiectionem dico, Fauinum nō benè ac rationabiliter suggillare eos qui dicunt, gratias & priuilegia concessa fuisse per Christianos Principes proficiscentibus ad Terram sanctam, vt Saluatoris Sepulchrum venerarentur, alijsque de eadem Terra benè meritis. Etenim si Principes illi non solùm proprias facultates, Principatus, & omnia quæ habebant temporalia bona contempserunt, sed vitam etiam varijs incommodis & mortis periculis cum æterna laude exposuerunt pro honore ac recuperatione sanctæ illius regionis, vt produnt Guilielmus Tyrius & alij historici; ægrè quis feret, eosdem concessisse gratias ac temporalia priuilegia ijs qui de eadem Terra sancta benemeriti fuerint, paratique existant facultates & vitam profundere pro eiusdem recuperatione, si se offerret occasio? Etiam superiùs vidimus, Christianos Principes largas gratias concessisse Militibus crucesignatis, Ierosolymitanæ expeditioni adscriptis.

Quid plura? Profani Turcæ, & sacrilegi Mahumetistæ, eos qui Mecham & execrandi Mahumetis ad sepulchrum peregrinantur (nec hoc solùm, sed & camelos ipsos qui illi inseruierunt peregrinationi) pluris faciunt, ceteris præferunt, & gratijs eximijs exornant: & pijssimi Christianæ fidei addicti Principes, peregrinos Terræ sanctæ, & glorioſi Sepulchri Reparatoris nostri factos Equites, amplioribus non condecorabunt priuilegijs?

Respondet ille, non constare de illorum concessione in archiuis aulæ Regiæ. Esto ita sit, sed non ideò neganda, quia non semper omnia priuilegia, à Principibus hisce vel illis personis & locis concessa, in illorum archiuis inueniuntur, quia vel non fuerunt posita, vel si posita, sublata aliquando sunt, & non restituta: hisce enim casibus res huius mundi sunt obnoxiæ. Et profectò, si illius Scriptoris ratio aliquid valeret, necessariò negandæ essent plures gratiæ, indulgentiæ & priuilegia diuersis concessa, de quorum veritate haud dubitatur, nec tamen diplomata pro illis data Romæ aut alibi reperiuntur. Ad hoc faciunt, quæ suprà notauimus Capite 111. quando loquebamur de Terræ sanctæ indulgentijs. Et sanè si ex gratiæ & priuilegia concessa minimè fuissent, tot graues, solertes ac fide digni Scriptores haud ea recensuissent, nec posteri Principes eadem vel confirmassent vel suppressissent: quòd tamen varie factum fuisse, ex superioribus constat; quia nimirum verè ea concessa fuisse præsupposuerunt.

Nullum etiam nobis facit negotium illud, quod vltimo loco adducit Fauinus, scilicet se vidisse Equites, qui potiti non fuissent beneficio memoratorum priuilegiorum, sed tamquam vana ea essent, reiecti fuissent. Sed quæ hæc consequentia, Non sunt priuilegiorum suorum fructibus potiti Equites, ergo non fuerunt illis concessa priuilegia? Sanè non bona: nec enim sufficit, rationem & ius ad aliquid habere quempiam, vt illo potiatur, sed requiritur etiam vt iustè ei iustitia administretur. Perinde dicendum in proposito. Si ergo nostri Equites aliquando suorum priuilegiorum fructum & vsum non sunt consecuti, hoc non prouenit ex defectu priuilegiorum, sed ex cupiditate ministrorum, vel etiam necessitate Principum, qui noluerunt permittere illos concessis priuilegijs frui, quòd bellorum cladibus, vel alia ratione ad inopiam redacti essent, istis interim pace & abundantia fruentibus. Sicut etiam Principes tam Ecclesiastici quàm sæculares, diuersa eaque dignissima concesserunt priuilegia Ecclesiasticis & sæcularibus personis, quibus tamen, iustis de causis, non perfruuntur, quæ tamen quin concessa fuerint non vertitur in dubium. Ita dicendum in proposito.

Denique, haud credo, Fauinum tanti faciendum esse, nec ipsummet tam superbè de se sentire, vt illius auctoritas præferri debeat tot illustrium celebriumque virorum testimonio, qui memorata priuilegia nostris sacris Equitibus vt verè concessa retulerunt. Sed præmissis non obstantibus, ad veritatem magis stabiliendam, adhuc sequenti Capite dignissimum subijciam testimonium.

CAPVT L.

Exemplar litterarum P. Bonifacij Raguſei, quibus ostenditur, Equites Dominici Sepulchri fuisse à pijs Principibus varijs gratijs ac eximijs priuilegijs condecoratos.

Testimoniales litteræ F. Bonifacij.

PAter F. Bonifacius Raguseus, cuius alibi meminimus, & pluries aliàs mentionem faciemus, vir quidem, etsi in omnibus alijs fide dignissimus, in his tamé præsertim quæ modò tractamus: fuit siquidem egregius Religiosus, in sacro Tridentino Concilio Theologus, Concionator Apostolicus, sacri Montis Sion auctoritate Apostolica per nouennium Guardianus, ac in Terra sancta Commissarius Apostolicus, & in locis sanctis Palæstinæ optimè peritus; qui tandem propter multos labores, & egregia merita, à Summo Pontifice euectus

fuit ad Episcopalem dignitatem ciuitatis Stagnensis, atque ideò magnæ auctoritatis, & in præsenti Terræ sanctæ negotio absque præiudicio maioris quàm Fauini: qui licet fuerit Parisijs Aduocatus Parlamenti, non tamen vidit Terram sanctam, & idcò non similiter in eiusdem rebus instructus fuit vt prædictus Bonifacius, & consequenter non tantæ vt iste fidei. Is dedit sequentes litteras officij, chirographo & propria manu munitas, quarum exemplar exhibuit mihi Doctor Io. Iacobus Chiffletius, alibi memoratus.

Priuilegia Equitum Ieroſolymitanorum.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, amen. Vniuerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis, viſuris & audituris, nos F. Bonifacius de Ragusio, Ordinis Minorum Obſeruantiæ profeſſor, ſacri Conuentus Montis Sion Guardianus, aliorumq; locorum Terræ ſanctæ Apoſtolica auctoritate Vicarius generalis, necnon prædicator Apoſtolicus, in Domino ſalutem. Notum ſit, quòd nobiles & magnifici Domini peregrini, qui hoc anno Domini M. D. LIII. *viſitauerunt deuotiſſimè Dominicum Sepulchrum, & in eo honorificè Equites creati, me ſuppliciter deprecati ſunt, vt ob Ieſu Chriſti memoriam, & eius Ordinis reuerentiam, eiſdem priuilegia Militum ſanctiſſimi Domini Sepulchri exhiberemus. Quorum precibus commoti, ex antiquis panchartis & libris, à Summis Romanis Pontificibus & Regibus Chriſtianis priuilegia Equitibus conceſſa, deſcribi iuſſiſſe profitemur, quæ ſunt huiuſmodi:*

Priuilegia Equitum S. Sepulchri

Primò, quòd tales Milites præcedere debeant reliquos alios cuiuſcumque Ordinis ſeu Militiæ, exceptis ſolis, qui * *vocantur.*

* Velleris aurei.

Item, quòd ipſi Milites poſſunt legitimare eos, qui ex legitimo matrimonio non ſunt nati, & mutare nomen baptiſmale, & arma ſeu ſtemmata condere.

Item ipſi poſſunt Notarios creare.

Item bona Eccleſiaſtica pro tuenda Chriſti fide, etſi vxorati ſint, poſſint tenere ſine præiudicio Eccleſiarum.

Item à vigilijs tempore belli ſunt exempti, & ab hoſpitio Militum, & nemo eos ad hoc cogere poſſit.

Item ab omnibus gabellis & tributis ſint exempti vbicumque locorum, tam vini quàm ceruiſiæ, & aliorum.

Item quòd corpus patibulo ſuſpenſum, ſi in via repererint, exempto gladio, præcidere poſſunt, & vt ſepultura mandetur imperare.

Item quòd poſſint veſtiri ſericis, holoſericis, & huiuſmodi veſtibus vt ſolent alij Equites & Doctores.

Ideò iure optimo eos dici non immeritò & Equites eſſe, ac valere & gaudere omnibus his priuilegijs ſiue immunitatibus, prærogatiuis, præeminentijs, & alijs quibus ceteri Milites vti ac frui conſueuere, conteſtor. In quorum omnium fidem, robur & teſtimonium præſentes litteras fieri curauimus, & ſigillo ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti, noſtroq; chirographo communiri. Datum Ieroſolymæ, in Conuentu ſanctiſſimi Saluatoris Domini, anno M.D.LIII.

Nota hic.

Locus ✠ ſigilli.

Fr. Bonifacius qui ſuprà, manu propria.

CAPVT LI.

Aliæ calumniæ & mendacia à quodam hæretico Lutherano contra eumdem ſacrum Dominici Sepulchri Ordinem eructata, & eorumdem confutatio.

NOn minore animi intemperantia & odio, quàm Andreas Fauinus, in eoſdem inſtituentes & inſtitutos Equites Dominici Sepulchri inuehitur Leonardus quidam Rauchvvolfius, Medicus Augustanus, hæreticus Lutheranus, qui ſæculi ſuperioris anno ſeptuageſimo tertio Ieroſolymam peregrinationem aſſumpſit, illamq; multis mendacijs & calumnijs conſarcinatam & refertam munere typographiæ publici iuris fecit; præcipuè verò de noſtro ſacro Equeſtri ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Ordine, multa impudentiſſimè, falliſſimè & inconſideratiſſimè euomuit, cuius deliria irriſione potiùs quàm ratione refellenda erant. Quia tamen R. P. Iacobus Gretſerus, vir noſtri ſæculi ad miraculum doctus, tantillum temporis nugis illis tribuere dignatus fuit, vt lib. 1. de ſacris Peregrinationibus cap. 3. eas ſolidiſſimis veriſſimiſque rationibus refutauerit, eiuſdem veſtigijs inhærentes, eaſdem denuò producemus, & pro noſtro quoque modulo refellemus, ne hæreticus inſolescens triumphum forte ſibi temerariè adſcribat. Etenim, ſecundùm Sapientis conſilium, reſpondendum eſt ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.

Nouum Lutherani cuiuſdam contra ſacrum Ordinem Sepulchri calumnia, & eorundem confutatio.

Sunt autem in vniuerſum nouem, quæ contra prædictos Milites eorumque inſtituentes, non ex veritate & ratione, ſed ex deprauato ſuo affectu & pharmacopolico cerebro deſumpta proponit.

Primò, candidatos noſtros Equites appellari Equites Ordinis ſancti Ioannis Ieroſolymitani, ſed imperite, inquit Gretſerus: Equites enim Sepulchri Dominici non

Prima.

Digitized by Google

sunt illi, qui *Ioannitæ* seu *Melitenses* vocantur,& olim Rhodij appellabantur. Nam & coniugio obstricti creantur Equites Sepulchri Dominici, vt notum est; at Equites S.Ioannis Ierosolymitani voto castitatis se obligant, & Regulares sunt.

Nec se potest hæreticus ab imperitia & oscitantia liberare, dicendo, se vocasse Equites Dominici Sepulchri Ordinis S.Ioannis Ierosolymitani, quia illorum Ordo ab Innocentio VIII. vnitus fuisset Ordini S.Ioannis, illorumque bona & prouentus ad hunc essent deuoluta, & quòd supremus Magister Ioannitarum non solùm in hos, sed etiam in Dominici Sepulchri Milites supremum Magistratum obtineat, & vtrorumque supremus Magister in suis diplomatibus appelletur, quemadmodum ego in aliquibus obseruaui. Non potest, inquam, hoc effugio se ab imperitiæ & oscitantiæ nota liberare, tum quia, licet Ordo Dominici Sepulchri cum suis prouentibus vnitus fuerit Melitensi, nihilominùs consuetudine veteri, annuentibus & concedentibus Summis Pontificibus, continuè instituti fuerunt Equites Dominici Sepulchri tamquam distincti à Ioannitis, non Melitæ aut à Melitensibus Magistris, sed Ierosolymis in sanctissimo Domini Sepulchro à Præfectis sacri Montis Sion, vt suprà vidimus Capite XLVI. tum quia nostrorum Equitum professio, statuta & stemmata longè diuersa sunt ab insignijs & legibus Melitensium, vt constat ex dictis, & ex inferiùs dicendis amplius apparebit. Et hæc consuetudo non latuit Medicastrum, quia nimis manifesta. Credo equidem ignotam illi fuisse Bullam vnionis Innocentij, alioquin enim illam non dissimulasset. Credo etiam, ipsum non credere, in Pontifice esse potestatem faciendi illam vnionem, quoniam hæretici multum detrectant Pontificiæ potestati, nihilque illam faciunt: quare si Bullam vidit, velut infidelis contempsit.

Nec officit, supremum Moderatorem Ioannitarum, appellari etiam supremum Magistrum Ordinis Equitum Dominici Sepulchri: nam hoc fortasse faciunt ratione illius vnionis (etsi effectum verè non habuerit, nec nostri Milites illi proprie subdantur, vt clarum est) & quia horum adhuc retinent bona. Nec ordinariè eo titulo vtuntur, vt vel ex illorum Diplomatibus & ipsorummet Equitum Melitensium confessione constat. Præterea, quotnam Principes sunt, qui egregijs inaugurantur titulis, & diuersarum Prouinciarum Reges dicuntur, quæ verè tamen illis nullatenus subditæ sunt, adeò vt nudum nomen sine re, ac titulum sine prouentu possideant? Sed hæc satis in re clara, cetera istius mendacia prosequamur.

Secundò ait, cuiuis Equiti iniungi, vt quotidie quatuor vel quinque Sacra audiat. *Sed mentitur*, inquit Gretserus; *non enim aliud iniungitur, quàm vt quotidie, si occasio ferat, Missæ interfit.* Et sanè aliud non inuenitur in ijs quæ illis obseruanda proponuntur, nec in Principum Statutis, quæ pro eisdem condita fuerunt, de quibus suprà Capite XLVII. *Secunda.*

Tertiò addit, obligari Equites, vt diebus ieiuniorum neque carnes comedant, neque butyrum, neque caseum, neque oua. Sed hoc mendacij suspicione non caret: nihil enim de hac conditione alia Hodœporica, etiam Lutheranorum; & quis Catholicorum nescit, diebus ieiunij à carnibus abstinendum esse? Communis est hæc omnium Catholicorum obligatio. *Tertia.*

Inter articulos Candidato Equestris Ordinis proponi solitos, quarto loco numerat istum, vt quotannis semel Summum Pontificem adeat, & septem Ecclesias visitet. Sed hui! quàm hoc est intolerabile, quòd nullus alius, præter Medicastrum, huius articuli meminerit, qui tamen vel solus quosuis ab hac dignitate suscipienda auertere posset. *Quarta.*

Quintò ait, quemlibet Equitem obstringi, vt quotidie quadragies nouies Orationem Dominicam, & toties itidem Salutationem Angelicam recitet. Sed hoc figmentum. *Quinta.*

Sextò docet, quoscumque iam ad hæc insignia Equestria admitti, qualescumque tandem sint, dummodò pecuniam definitam persoluant. Sed hoc meritò grande commentum ducit idem Pater Gretserus, quoniam contrarium scribunt alij fide digniores, quàm sit iste sclerolycus, nominatim Illustrissimus Princeps Nicolaus Christophorus Radziuilius, qui in suo Hodœporico omnes articulos, Candidato proponi consuetos, inseruit. *Sexta.*

Paucis interpositis, in tertia causa quam ibi adducit (quare scilicet ipsi quoque hæretici Ierosolymitanam peregrinationem suscipiant, vt nimirum in Europam reuersi, Monachos, alioque Terræ sanctæ pios incolas mendacijs onerent ac traducant) in cuius confirmationem, & ad intentum argumenti quod præ manibus habemus, ponit quantitatem nummorum quam dare Candidatos Guardiano dicit hæreticus, & ex VVormbseriano Hodœporico ostendit, in quo legitur, *Præfectum Monasterij Ierosolymitani pauculis aureis inductum, Lutheranos quosdam Equestri dignitate insignisse, Equitesq; Ierosolymitanos, siue Sepulchri Dominici*

minici creasse; cùm absque auro, vt id ageret, persuaderi potuisset. Sed hoc reijcit verè Gretserus, dicens: *Quis verò tam obesæ sit naris, qui figmentum hoc non odoretur? scilicet propter quinq; zecchinos (tot enim Guardiano numeratos fabulatur) contra fidem & fidelitatem Christo & Sepulchro Christi promissam ac debitam, egit religiosus ille Pater: scilicet fidem meretur, qui capita Equestris dignitatis Candidatis proponi solita, & in quæ etiam palàm disertis verbis iurare debent, falsare, & ad Lutheranum sensum detorquere audet. Nam inter cetera hoc etiam Candidato proponitur, vt quotidie, si ita occasio ferat, Missæ interfit. Liquet hoc ex Itinerario Comitis Leonsteinij, Petri Villingeri, Melchioris Lunij, &, eius quem vel primo loco nominatum oportuit, Illustrissimi Principis Nicolai Christophori Radziuili, vt alios silentio præteream. Quid Hodæporicum VVormbserianum? Eques sancti Sepulchri debet quotidie, si occasio offeratur, audire concionem. En Lutheranum candorem, qui Missam in concionem transformat. Qua fide, nisi hæretica? Huic ne quisquam credat, cùm Monachos insectatur, quasi numorum cupiditate in præceps abrepti sacra violent, hæreticisq; ea decora & ornamenta conferant, quæ nonnisi pro Orthodoxis instituta sunt? S. Ludouicum Regem Francorum, cùm esset in locis transmarinis, orabant quidam, ait Auctor, qui Vitam Regis conscripsit. vt Nobilem quemdam Saracenum, qui recèns Sultanum interfecerat, Militem crearet. At ille respondit: Absit à me, vt vel pro seruanda vita, vel morte declinanda, quemcumque à Christiana religione alienum, baltheo militari donare velim. Si Rex pius ne militari quidem honore Saracenum insignire voluit; quis in animum inducat credere, virum religiosum vlli Lutherano aut Caluiniano sacrum illum Equestris eminentiæ honorem contulisse? creditu longè proclinius est, tales, si ad huiusmodi dignitatem euehantur, hypocrisi, simulatione & dissimulatione viam sibi munire, vt & ad testimonia aditæ Terræ sanctæ, lustratiq; montis Sinai.* Et post pauca subiungit Gretserus: *Quàm autem Monachi Ierosolymitani Lutheranis parum faueant, id Lutheranus ille Melchior à Seidlitz Silesius cum socijs eadem lue infectis, non semel lamentabiliter deplorant in descriptione sui Itineris; tantum abest, vt hos Ecclesiæ Catholicæ & Sepulchri Dominici hostes Equestribus ornamentis decoratos velint in Religionis contemptum, & graue peregrinationis Ierosolymitanæ præiudicium ac opprobrium.*

Ad hæc faciunt quæ suprà diximus in confutatione Fauini: quibus & sequentia, non modica edoctus experientia, adijcio, & testis est Deus quòd non mentiar. Quotquot Ierosolymam se conferunt, Catholici sint vel hæretici, ad Minorum hospitium se recipiunt: qui omnibus charitatis officijs tractantur à Fratribus, quantum illis fas est, omnes honorificè excipiendo, hospitando, abluendo pedes, & communiter ducendo omnes ad loca sancta. Dixi *communiter*, quia aliquando fuerunt Guardiani, qui passi haud fuerunt, hæreticos, tamquam excommunicatos, Sepulchriq́ue Dominici hostes acerrimos, ingredi eiusdem Sepulchri Templum, eligentes potius, tributum, solitum impendi Turcis à peregrinis pro sacratissimi Templi ingressu, dari ex eleëmosynis sacri Montis Sion, quàm illos idem ingredi permittere, ex propriis tributo soluto; sed hoc rarissimè accidit. Cum discrimine tamen agitur cum illis circa admissionem ad sacrum Militarem Ordinem Dominici Sepulchri; quoniam Catholici, si habent anteà indicata requisita, ad illum admittuntur, hæretici numquam. Et numquam vidi vel intellexi, aliquem ex hisce fuisse ad sactum Ordinem admissum, vt qui prorsus illorum professioni sit contrarius. Cumq́ue hoc ipsos non lateat, ambire non audent, etsi politica amicitia aliquando Fratribus sint notissimi, qui, secluso hæresis impedimento, facilè illos ad Ordinem promouerent. Quòd si aliquis è Candidatis inuentus est fuisse hæreticus, non mirandum, quoniam nullus sacer Militaris, imò nec Religiosus Ordo aliquem in fide confirmat. Et fieri potuit (quod an acciderit, prorsus me latet; nec accidisse, sine sufficienti testimonio asseuerandum est) aliquos Nobiles hæreticos, quod non semel contigit, diuinitus inspiratos, Ierosolymis hæreses abiurasse, Catholicæ Religionis veram fidei professionem emisisse, ac sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ reconciliatos, Sacramentali præmissa Confessione, sacra Synaxi refectos, & post hæc & alia veræ religionis ac Catholicæ fidei exhibita argumenta, fuisse gratis sacræ Militiæ adscriptos, & simul litteras pro his dari solitas obtinuisse. Quorum an fortè postea nonnulli, ad propria reuersi, vt canes fuerint pariter ad vomitum reuersi, me latet. Quod si accidit, non mirandum: nam & qui alioquin semper fuerant Catholici, & in perfectiori statu ac professione constituti, aliquando à fide defecerunt. Nec ob id culpandi sunt sacri Montis Sion Præsules, quòd recèns conuersos sacra Equestris Ordinis dignitate condecorauerint, quia id nec interdictum est; sed magis laudandi, quoniam eo beneficio illos magis adstringunt ad perseuerandum

dum in ſuſcepta religione; & ſecundùm Iura fides priuilegianda eſt, vt alibi notauimus. Sed ad fœtidum pharmacopolam reuertamur.

Septima. Inquit ergo ſeptimò, inter articulos Candidato proponi ſolitos, hunc vnum eſſe, vt iurent, ſe omni modo defenſuros Eccleſiam Romanam aduerſus Lutheranos, vtque Turcis & Lutheranis tamquam hoſtibus & hæreticis ſeſe opponant, dum ſpiritus regit artus. *Sed probabile eſt mentiri Rauchvvolfium*, inquit Gretſerus, *cùm ab alijs, qui Hodœporica ſcripſerunt & ediderunt, & Equeſtri dignitate inſigniti ſunt, de Lutheranis nulla prorſus mentio fiat.* Et probat, ipſum illum confinxiſſe articulum, vt gratiam apud Lutheranos ſibi conciliaret. Sed abſolutè verè mentiri Medicaſtrum, non eſt dubio vertendum, tum quia in veteri formula, in pergameno conſcripta, qua Ieroſolymis Candidati initiantur, cuius exemplar nos ſuprà exhibuimus, atque alij innumeri tradiderunt, nulla ſit mentio Lutheranorum vel Turcarum; tum quia ea fieri non potuit, quoniam antequam Turcæ, vel ſanè Lutherani prodirent, mundumque ſuis falſis dogmatibus & impudicitijs inficerent, inſtituebantur Equites Dominici Sepulchri, eo modo quo vſque hodie. Quòd ſi velit dicere, implicitè illud proponi, quandoquidem exigatur à Candidato, vt promittat ſe iturum, vel alium ſui vice miſſurum ad bellum generale contra infideles, ſi illud contra illos inſtitueretur; cùm non minùs Lutherani, quàm Turcæ infideles ſint, imò magis Lutherani, cùm magis delinquant in contemptum diuinæ auctoritatis ſibi cognitæ, quàm Turcæ; admitti poſſet. Sed cùm explicitè illud non exprimatur, quare poſuit Medicaſter?

Lutherani magis infideles quàm Turcæ.

Octaua. Octauò; reddens cauſam tam facilis multiplicationis horum Militum, dicit, Pontificem nunc egere multis defenſoribus, cùm tam multi indies à Sede Romana deficiant, & manifeſtos hoſtes eius ſeſe profiteantur; eamque ob cauſam pluribus nunc, etiam ignobilibus, ad hanc dignitatem aditum patere. Sed hæc inter friuola deliramenta annumeranda eſſe verè putat Gretſerus. Non enim tam imparatus eſt Pontifex ab omni defenſione, vt niſi quoſuis Sepulchri Dominici Equites creandos curet, iam potentia eius tam Eccleſiaſtica quàm Politica periclitetur, inque diſcrimen veniat, ne penitus collabatur. Adde, noſtros Equites non promittere ſe profecturos ad quodcumque bellum pro defenſione Romanæ Eccleſiæ, ſed tantummodò in generali expeditione. Vnde nec inuenimus, in exercitu Summi Pontificis eſſe Equites Dominici Sepulchri quà tales, & quaſi ad illud ratione muneris ſint adſtricti. Sed admittatur, teneri opem ferre Pontifici in quolibet bello contra infideles & rebelles; quare non paſſim quoſlibet ad Ordinem illum admittit, & abſque vlla eleëmoſyna, vt abſque eius expenſis Militum numerus magis augeatur? Sanè, ſi alij Principes, cùm ab hoſte premuntur, exules, & quoſcumque facinoroſos homines reuocant & abſoluunt, vt ſibi in exercitu inſeruiant contra hoſtem; quare non ſimiliter Pontifex eiuſdem quoque farinæ homines ad ſacram admittit Militiam, ſed vult eos eſſe eximia virtute ac præſtanti pietate præditos, & qui ſacra ad ſacra Ieroſolymorum loca peregrinatione illum honorem promeriti fuerint?

Nona. Nonò denique tradit, iurare quemlibet Candidatum, ſe non modò ſuis ex prouentibus largiter & opulentè vitam tolerare, ſed & præterea tres, & ſi neceſſitas exigat, plures equos pro commodo Eccleſiæ Romanæ in bellum educere poſſe. *Sed mendacia hæc manifeſtiſſima ſunt, & qui ea litteris mandant, omni pudentiæ & prudentiæ iuſtitium, vt ſic loquar*, inquit Gretſerus, *indicunt, ne vel minimo indicio ſeſe prodere audeant. Quis enim hæc refutata tam prompta publicaret, niſi pudorem omnem funditus exſtirpaſſet? Extant tot & Orthodoxorum & hæreticorum Itineraria, quæ inaugurationem Equitum, & capita ſingulis proponi conſueta, accuratè explicant; nuſquam tamen ea, quæ iſte venditat, reperies, ac proinde abſque temeritate ſtatuere queas, iſtum omnia in pharmacopoleio & Lutherano ſuo cerebro diſtillaſſe*, &c. Sanè ſi rectum ſui & obliqui iudex eſt, ex rectè politis ſuprà, quàm obliqua & vana ſint quæ à Medicaſtro proponuntur, manifeſtè apparet; & ipſum præſumpſiſſe, ſi non nouum Ordinem Equeſtrem inſtituere, ſaltem veteri nouas & vanas leges præſcribere.

Sed his relictis, proſequamur aliorum Equeſtrium Ordinum Terræ ſanctæ hiſtoriam. Et quæ dicimus de Melitenſibus, Templarijs, Teutonicis, ac S. Lazari, ad litteram ex Franciſco Mennenio hîc tibi ſubijciemus.

CAPVT LII.

De Ordine Equitum Hospitalariorum sancti Joannis Ierosolymitani, qui pòst Rhodij dicti, nunc Melitenses vocantur.

Et quare nil hic dicit de Sepulchro Dominico Mennenius, de quo tam præclara notauerat, vt anteà vidimus?

QVo tempore Terra sancta Catholicorum Principum expeditionibus celebris esse cœpit, Christianoque nomini restitui, quatuor præcipuè sacri militarium virorum Ordines Ierosolymis aut exorti, aut reparati auctique fuêre: Hospitalariorum, qui & S. Ioannis dicti sunt, à Gerardo quodam; Templariorum, ab Hugone & Gotifredo; S. Mariæ Teutonicorum, à Germanis; & Ordo S. Lazari, origine antiquissimus, & diu ante à D. Basilio conditus: quos inter semper excelluisse produnt Ordinem Militum S. Ioannis, à Ioanne Hircano Machabęo trahentium originem, aut certè à Ioanne Eleëmosynario Patriarcha Alexandrino, benignitatis cognomine in pauperes celeberrimo, licet vota Ioanni Baptistæ vt Patrono nuncuparent. Quorum ab initio sedes primaria fuit Hospitale S. Ioannis in Ierusalem (quod Militibus Hospitalariorum nomen dedit) à Girardo quodam, loca Christi pedibus calcata, & Sanguine respersa vitente, nouo seruoris genere exædificatum, attractisque in contilij societatem Nobilibus aliquot. Instituti sui & viuendi rationis approbatorem habuit Gelasium Papam II. vestem nigram, crucemque in ea candidam, commilitonibus Honorio II. Pont. Max. annuente attribuit. Leges autem auctiores attulit Raymundus de Rodio, primus Ordinis formati Magister, qui se inibi vocat Seruum pauperum Christi, & Hospitalis Ierusalem Custodem, additque se de consilio Capituli Fratrum, ibi digestas sanctiones constituisse, quæ variæ, & Christianæ pietatis plenæ, in codice Statutorum leguntur. Cœnobia Ordinis rariora sunt: bona & census in omnibus ferè prouincijs. Quod nihil mirum ei videbitur, qui sciet eos Innocentij Papæ & aliorum munitos diplomate olim, omnia Christianis ferè habitata loca obtinuisse, & pro confratrijs suis (sic Sodalitij Bulla vocat) eleëmosynis vndique Christianorum liberalitate dotatos fuisse, vti copiosè apud Tyrium lib. 18. cap. 5. Vitriacum cap. 64. & Marinum Sanutum, Torsellum lib. 3. part. 8. belli sacri Scriptores, est reperire, quibus vnanimiter placet, Equitum illorum professionis, ex voto Religionis, finem fuisse, peregrinis ad loca sacra confluentibus genus omne officij ac pietatis sollicitè exhibere; ad hæc itinera à latrocinijs & incursionibus barbarorum tuta reddere. Quòd adeò fortiter præstitere, vt Christianorum etiam Principum auxilijs subnixi, felicissimè sæpiùs exercitum in Saracenos duxerint; idque incrementi, quod hodie cernere est, sumpserunt. Christianorum portò rebus in Syria perditis, Rhodi insulæ ius omne à Clemente V. Pont. Max. ijs attributum atque confirmatum esse, testantur Paulus Æmilius, Blondus, & alij. Non rarò posteà insula illa ab infidelibus tentata, & Mahumetem quidem ipsum Turcarum Imp. victrici semper manu, anno scilicet 1460. & 1481. à se repulit. Quamuis consequentis sæculi anno vigesimo tertio à Solimanno XI. Turcarum Imperatore, non tam victa, quàm proditione (quæ fortissimos quosque perdere potest) superata, in Barbarorum manus deuenire coacta est. Melitam ad extremum, à Carolo V. & Clemente VII. dono acceptam, Rhodienses concesserc. Insula ea est non procul à Pachino promontorio, quasi Christianorum aduersus insultus Turcicos obex, & insuperabile munimentum. E quo portu cum Teutonici Ordinis Sodalibus soluentes, publicos Fidei hostes indesinenter fatigant, & à Siciliæ atque Italiæ ingressu fortissimè abarcent, honorifico adeò simul & formidabili per totum Orientem comparato nomine, vt Crucigeri ab infidelibus terroris ergò inclamentur: ab eo nimirum tempore, quo Solimannum, & nostra memoria Amurathem, claustrum illud Italiæ imò Europæ effringere conantes, memorabili clade suorũ numquam interitura gloria affecere. Præclara huius Ordinis statuta à Raymundo Rodio, ceteriſque omnibus Magistris, præscripta, & per nonnullos S. R. E. Cardinales diligenter examinata, cùm Paulus III. approbasset, eadem in Comitijs Melitensibus aucta anno 1584. & in vnum volumen redacta, sub nomine Hugonis Lupi Verdalæ Vasconis (qui Ioanni Episcopio Cassterio proximè succedens, supremum Magistratum cum Corona, quæ Principatus à Pontificibus adiecti insigne est, suscepit, & meritis suis Cardinalium Collegio posteà adscriptus) Sixtus V. anno 1586. Pontificatus sui primo confirmauit. Vetant autem statuta quemquam, nisi nobili loco natum, ad Equestris huius dignitatis fastigium promoueri, ad quem etiam feminæ, iuxta Magistri Reuelij tabulas, admittuntur: nec mirum, cùm & Agneti cuidam nobilissimæ feminæ Ordinis initia accepta referantur. Diuiduntur hodie omnes ferè in octo linguas, vt vocant, siue Prouincias, quibus singulis

datus

Digitized by Google

datus est Prior, omnibus autem præest Magister Magnus, olim Ierosolymis, nunc Melitæ post amissam Rhodon residens. Ille reliquorum Militum suffragijs Priores & Bailliuos quaquauersum constituit, Priores in suo tractu Præceptores, Consilij membra maioris: magnus Præceptor, Marescallus siue Equitum Tribunus, penes quem ius armorum est; Hospitalarius, Admiratus, qui Classi præest; Draperius, Turcupulerius, qui Bailliui conuentuales dicuntur, & Cancellarius. Atque hanc quidem Ordinis tota Europa spectatissimi rationem exquisitissimè persequuntur Iacobus Bosius, Ioannes Azorius & P. Boyssatius, Dominus Licientis, & Christianissimi Regis Consiliarius, in Historia illa, quam nuper de huius Militiæ progressu, de priuilegijs eidem à Summis Pontificibus concessis, Magistrorum seu Præfectorum generalium rebus domi militiæque præclarè gestis, vniuersè commentatus est, & Adolpho Vignacurtio, Principi Melitensi, & Gozensi inscripsit.

Ceterùm cærimonias (plenæ enim sunt Christianæ pietatis, & militaris ornamenti) quæ adhibentur cùm aliquis in Equitum Melitensium Collegium cooptatur, & quæ instar cererarum erunt, præstat hîc breuissimè ex Antonio Possevino adscribere.

Cerea fax. Ceream primò & candidam facem (quæ charitatem designat) gestans tyro, atque ante altare procumbens in genua, talarem indutus vestem (libertatis signum) minimè præcinctam, petit ab eo cui facultas sit, vt se admittat. Tum in nomine Patris, & Filij, & *Ensis deauratus.* Spiritus sancti deauratum ensem eo nomine accipit, vt Catholicam Ecclesiam tueatur, hostes abigat & domet, parcat subiectis, morti, si fuerit opus, seipsum pro fide exponat, ea omnia in virtute Crucis faciat, quæ capulus transuerso ferro significat. Deinde *Balthcus.* cingitur baltheo, vt sciat sibi castitatem *Ensis euaginatio.* esse seruandam. Euaginato ense ter percutitur in humero, vt meminerit, sibi grauia ob Christi honorem esse toleranda. Eumdem ipse mox ensem de manu Equitis capiens, ac stringens, ter aërem punctim feriens, hostes Catholicæ fidei in nomine sanctissimæ Trinitatis ijs gestibus se prouocare ostendit. *Detersio. Impositio in vaginâ.* Rursus detursum brachio ensem imponens in vaginam, indicat se fore posthac ab omnibus vitijs mundissimum, quem prudentia in cunctis rebus comitetur, iustitia compellat ad conseruandas Respublicas, fortitudo muniat, temperantia moderetur. Tum manu tradentis militarem *Excitatio.* Ordinem humeris admota excitatur, monetur, ne hi peccatis torpescat, aut dormiat, vigilet autem in fide Domini, adspiret ad verũ decus, res gerat insignes, quas strenuè tractet. Vbi aurata calcaneis calcaria à duobus Equitibus admouentur, docetur vt stimulos continenter ad quælibet laudabilia gerat in animo, aurum pedibus conculcet tamquam lutum, nec vnquam agat quidquam animo indignum liberali, quantocumque ab hostibus auro ad id inuitaretur. *Calcaria deaurata.* Cerea iterùm face accensa in manibus accepta, & diuino verbo publicè, ac secreto Missæ audito, operibus autem pietatis, *Diuini verbi auditio.* atque hospitalitate, quin etiam redemptione captiuorum ei commendata, narratis item laboribus quos in eo subiturus est Ordine, in quo suam libertatem cuilibet Equiti suo Superiori traditurus sit. Interrogatus *Interrogatio.* demum, num graui ære alieno obstrictus, vel matrimonio sit coniunctus, númve in altero Ordine regulari victurum se vouerit, aut professionem ediderit, an verò inter Rhodios equites viuere decreuerit, vt iniurias aliquas vlciscereturet, atque à sæculari Magistratu esset immunis. Vbi quæ opus sunt respondit, professionem edit, atque in aliorum Ordinem adsciscitur. Hæc vbi acta sunt, Missale, super quo solemniter tria vota professus est, portat ad altare, & deinde illud reportans ad eum à quo accipit insignia Equitum, fit particeps priuilegiorum, & condonationum siue indulgentiarum, quas Sedes Apostolica Rhodijs Equitibus concessit. Tum in dictis (quæ singulis diebus ei recitandæ sunt Orationes Dominicæ, & Salutationes Angelicæ centum quinquaginta) vel Precibus horarijs B. Virginis, aut pro defunctis totidem item Precationibus Dominicis, ac Salutationibus Angelicis, pro singulis qui ex hac vita inter eos discedunt. Pallium quo Equites indui solent, ostenditur, sublata in altum eius parte, vel limbo, ac manicis, vt asperrimæ vitæ meminerint, quam duxit Ioannes Baptista vir sanctus, quem tutelarem ideò Equites habent, vt imitentur. Manicas induens, obedientiæ leges induat. Octogonam Crucem, eamque ex pura linea tela candidam accipiens, monetur sanguinis, quem profundere libens debeat, vt à Christianorum finibus hostes repellat. Monetur item puritatis atque octo Beatitudinum, quas consequétur qui legitimè eam gestantes Crucem militauerint. Ad extremum fune collo impositio, vt Dominici iugi, quod subire debet, recordetur, in pace dimittitur. Professionis autem hæc forma est:

Ego N. voueo Deo omnipotenti, & eius Matri immaculatæ Virgini Mariæ, & S. Ioanni Baptistæ, me obseruaturum perpetuò, Deo iuuante, veram obedientiam cuilibet Superiori, qui mihi à Deo, & ab ipso Ordine dabitur,

item

item me victurum absque proprio, & castitatem seruaturum. Hæc igitur illi. De his Militibus Gretserus de sancta Cruce Tomo 3. lib.2. cap.15.

CAPVT LIII.

De Templariorum Equitum Ordine.

BElLo sacro Vrbani II. Pont. Max. auspicijs, & Godofredi Bullonij Ducis Lotharingiæ ductu felicissimè confecto, ad ea conseruanda quæ fortissimè recuperata erant, Hospitalariorum exemplo, Templariorum Ordo, cuius originem Pontacus ad Gelasij II. tempora refert, à Gallis Principibus erectus fuit, quia Gallorum maximè opera recuperata Ierosolyma fuerat; cuius instituti præcipui exstitêre Principes, Hugo de Paganis, & Gaufredus à sancto Audomaro, Equestri ambo dignitate insignes. Et quoniam iuxta templum Domini, loco à Balduino Rege concesso, commorarentur, Fratres Militiæ Templi, seu Templarij sunt appellati. Steteruntque adeò numero nouem toto nouennio, more Canonicorum Regularium (quod in manu Gaurimundi Patriarchæ Ierosolymitani ita professi essent) viuentes, & peregrinos per loca sacra contra latronum & Barbarorum insidias, ducentes ac reducentes, teste Guilielmo Tyrio lib.12. de Bello sacro, cap.7. Donec anno 1118. de mandato Honorij Papæ, & Stephani Ierosolymitani Patriarchæ, instituta est eis Regula (quam à diuo Bernardo conscriptam affirmant) & albus habitus: Eugenij demum Pontificis auctoritate Crux rubea attributa, vt scilicet vestes albas in signum innocentiæ deferentes, per Cruces rubeas martyrium ob Christi nomen non subterfugiendum designarent, eò quòd sanguinem proprium, secundùm instituta Regulæ, pro defensione Terræ sanctæ, effundere essent obstricti; & Christi Crucis inimicos viriliter expugnando à Christianorum finibus propellere. Vnde & Vitriacus inquit in Hist. Orient. cap. 65. & 66. Adeò formidabiles facti sunt fidei Christi aduersarijs, quòd vnus persequebatur mille, & duo decem millia; non quot essent, sed magis vbi essent, dum ad arma clamaretur, interrogantes. Leones in bello, agni mansueti in domo: in expeditione milites asperi, in Ecclesia velut Eremitæ & Monachi; inimicis Christi duri & feroces, Christianis autem benigni & mites. Vexillum bipartitum ex albo & nigro, quod nominant beauceant (quasi *beatseant*) præuium habentes, eò quòd Christi amicis candidi sint & benigni, nigri autem & terribiles inimicis. Crucem verò Ordinis tesseram fuisse volunt octogonam, illius instar qua hodie Equites Melitenses insigniuntur, & quali Iacobi Molæ vltimi Templariorum Magistri effigies in Gallia communiter exhibetur. Hieronymus tamen Romanus Hispanus contendit fuisse duplicem, & quasi Patriarchalem; qualem insignia antiqua præferunt Hungariæ, & in Republica sua mundi ob oculos expressam ponit. Multis tandem exantlatis pro Republica Christiana laboribus, antiquissimus iste Ordo Viennæ in Concilio Patrum decreto damnatus & totaliter extinctus est, bonaque Hospitalarijs addita; quo illi tempore Rhodum insulam Turcis eripuerunt: nec non Spathiferi, Calatrauenses, Montesiani, Christi, opimo ex ijs detracto censu, aucti fuere; iuréne an iniuria, variant Annales; fama tamen frequentior & sensus propè omnium damnat. Diuitias, quibus aucti immensum fuerant, malo fuisse, fateamur necesse est; siue virtutum indole, quibus res tantas terra marique perfecerant, voluptatibus exstincta: siue ex ea re inuidia apud populum conflata, apud Principes spe lucri excitata. Tam citò in omne improbitatis genus degenerasse, vix esset credibile, nisi Clementis V. Pont. Max. diplomata, quæ inter tabulas Ædis Toletanæ, omnium maximæ (vti Ioannes Mariana lib. 15. Rerum Hisp. cap. 10. testatur) plura extant, indicio essent: famam haudquaquam vanam fuisse affirmantis, duos & sexaginta ex eo Ordine, se coram quæstione habita, scelera nefandissima fassos, veniam petijsse. Huius porrò abolitionis disquisitionem in vtramque partem fusè admodum reperire licet apud dictum Marianam loco citato, Villaneum, Antonium, Platinam in Clemente V. Rob. Gaguinum in Philippo Pulchro, Papyrium Massonum lib. 3. Annal. Ioan. Azorium lib. 13. Institut. moral. c.6. qui de Commendis, Beneficijs, precibus horarijs, votis variorum Ordinum doctè admodum scripsit, & alios. Vide item Gretserum de sancta Cruce Tomo 3.lib.2. cap.14.

CAPVT LIV.

De Ordine Equitum Teutonicorum Hospitalis S. Mariæ in Ierusalem, qui & alio nomine Crucigeri & Mariani dicti sunt.

EAdem pænè tempestate, Friderico I. Imperatore à Gregorio VIII. litteris ac legationibus impulso, copiasque amplissimas

simas in Syriam ducente, exædificata Ierosolymis S. Mariæ æde (quæ nomen Equitibus S. Mariæ Teutonicorum in Ierusalem peperit) Ordo Teutonicorum, Cælestino III. Pont. Max. sub Regula D. Augustini approbante, aduersus fidei Christianæ hostes institutus etiam fuit. Cuius quidem instituti Milites Templariorum & Fratrum S. Ioannis normam secuti, & in vnam quasi conflatam, solemni voto professi, ad discrimen Cruces nigras albis chlamydibus appossuêre, vt fuse citatis locis edocent Tyrius, Vitriacus, & Marinus Sanutus, Torsellus Patricius Venetus in Secretis fidelium Crucis. Henricus VValpot, vir fortissimus, primus Ordini Magister datus, æquata cum Regibus potestate creandi Equites, & à dicto Cælestino Sacra in armis operandi facultate, vt de ijsdem verè dicere liceat, quod Rodericus Archiepiscopus Toletanus de suis prodit Equitibus: Qui laudabant in canticis, accincti sunt ense, & qui gemebant orantes ad defensionẽ patriæ, &c. Adeò vt religiosa quadam societate inter se deuincti non minorem orationibus quàm armis nauarent operam, & Mariam Virginem, cuius sese patrocinio deuouerant, rosarium nempe, cuius tesseram & in scuto cum dicta Cruce Mariæ Burgi posteà assumpserunt, quotidie recitando, inuocarent; vnde etiam Mariani & Crucigeri hodieque sunt appellati. Capta autem vrbe Ierosolymitana à Saladino Saracenorum duce, Sodalitium Teutonicum Aconem seu Ptolemaida translatum. Inde, vt ex tota item Syria cum ceteris Christianis expulsum, Fridericus II. in Germania collocauit, quod vbi ad Prussiæ prouinciam, à Christi fide tunc alienam, & Polonis Christianis infensam subigendam, Christique Religione imbuendam, sola interueniente Gregorij IX. auctoritate destinasset, vt late narrat Cromerus, & ex publicis actis contra Nauclerum & alios probat, inter vicinos Principes Christianos, & istos Teutonicos Milites, mirum quàm variæ simultates & contentiones, quæ ad arma prorumperent, exortæ sint. Ad quas assiduè componendas, ne Ordinis illius præclari ad fidem dilatandam progressus, quibus satan inuidebat, impedirentur, Romani Pontifices incessanter aduigilarunt: eoque factum, vt Conradus Mazouiæ Dux, à Borussis (qui hodie Prussi) tunc Christi hostibus, bello attritus, Ordinem sibi hunc coniunxerit, & Culmensi agro concesso, totam Prussiam, & omnem eam ditionem, quæ trans Vistulam ad mare Balticum porrigitur, occupandam dederit, annoq; deinceps LIII. ac salutis nostræ CIↃ. CC. LXXIX. debellata prouincia, Christi nomen à Teutonicis in ea sit constitutum, ductore Hermano Saltza Magistro, spectatæ virtutis Duce, qui primus sacræ domus vexillum in Prussiam traduxit, quo officio non plebis tantùm animos, sed etiam Principum voluntates sibi conciliarunt. Deinde ab ijsdem acerrima bella contra Lithuanos & Tartaros pro Polonis pugnata. Arctissima tunc inter illos & Poloniæ Reges amicitia coijt, donec extincta vetere Regum stirpe, & Christi nomine à Lithuanis suscepto, Iagello Lithuaniæ Princeps à Polonis in Regem acceptus est, coniuncta cum Polonia Lithuania. Eius progenies, quæ inultas tot clades à Teutonico Ordine illatas, ad suum dedecus pertinere existimabat, nihil non ab eo tempore fecit, quo Teutonicos astu seu vi antiqua professione depelleret: infelici quidem per initia successu, vti & iniusto conatu. Ingenti tandem clade affecti Equites prope Tannebergam anno 1400. x. Idus Quintiles sub VVenceslao Iagellone, amissis aliquot hominum millibus, vix tandem adducti vt quiescerent; sed pro inueterata gentis gloria, pro militari sacramenti religione, extrema potiùs tentare, quàm tot laboribus parta ignauè deserere maluerunt; donec Borussis, ac LXX. circiter oppidis & arcibus vna die, quasi conspiratione facta, deficientibus, Cazimirus Sigismundi I. parens occasionem arripuit, Ordinemque in eas angustias redegit, vt Ludouicus Erlinsusius, cùm de vniuersis fortunis periclitaretur, metu, qui in constantissimum cadere potest, adigente, nulla Cæsaris aut Imperij interueniente auctoritate, in eas conditiones cum Polono transegit, vt singuli deinceps Ordinis Prussiæ Magistri intra sextum ab inito Magistratu mensem, Poloniæ Regem adire, & eum pro supremo Domino per iusiurandum agnoscere tenerentur. Iis conditionibus posteà cùm stare nollet Fridericus Saxo, atque post eum Albertus Brandeburgicus Sigismundi sororis F. rursus graui bello se implicuit, cui gerendo cùm auxilia à Cæsare & Germanis, quorum de Maiestate & iure agebatur, exspectarentur, deterioribus longe conditionibus imminentem belli procellam, pace cum auunculo contracta, in occasionem sibi priuatim consulendi vertit. Nam ex Ordinis Magistro, à Polono, cuius se clientelæ credidit, Prussiæ Dux creatus est, statimque mutata Religione voti vinculum soluit, ducta vxore Dorotheal Friderici I. Daniæ Regis filia, & prouinciam, quam anteà vsus fructus tantùm titulo obtinebat, iure proprietatis possidendam ad heredes transmisit. Cuius filius Fride-

Lib. 7. c. 4. & 17.

Lib. 9.

Fridericus eadem qua parens cærimonia tamquam regni beneficiarius in Boruſſiæ Principem, Lublini tradito vexillo, & accepto à Rege torque aureo, inauguratus eſt ann. 1568. Adeò vt ſenſim illuſtriſſimus ille Ordo, non paruo Germanicæ nationis dedecore, in ijs partibus extinctus fuit, cùm tribus ferè ſæculis in Pruſſia, maximo Reipubicæ Chriſtianæ bono floruiſſet, magnaque inde Regnis Germanicis deceſſio facta; quod Tilmanus Bredenbachius edito ea de re libello, & Cromèrus latè exponunt. Vnde apparet, maximam huic Ordini iniuriam ab Alberto, Polonorum ope, pro quibus tot bella Crucigeri pugnauerunt, factam fuiſſe, atque adeò Cæſari & Imperio, in quorum tutela iam ab initio, continuata poſſeſſione, Equites Teutonici ſemper extitiſſent. Quamobrem Albertus iure ab Imperio proſcriptus, cauſa eius magna contentione agi cœpit in Comitijs anni 1548. inter Staniſlaum Laſcum à Sigiſmundo Poloniæ Rege miſſum, & VVolfgangum Melchingum, quem Cæſar ante quadriennium in Ordinis Teutonici Magiſtrum inaugurauerat. Re cognita, exitus illius actionis fuit, vt ſententiam contra Albertum pronuntiatam tuendam eſſe cenſerent: cetera, in quibus maior difficultas, ad Cæſarem reijcerent. Nuperus totius Ordinis Teutonici Magiſter fuit Sereniſſimus Maximilianus Auſtrius, qui inſignia Auſtriaca & Imperij cum Cruce Ordinis (quæ nigram alteram auream complectens, etiam Collegij teſſera habetur) coniunxit. Milites autem & Sacerdotes Crucem nigram limbo argenteo inſignem chlamydi adſutam, & alteram ex collo pendentem, præferre ſolent. Quæ, & alia fuſiùs apud Sebaſtianum Munſterum lib. 3. de Germania, qui ſeriem Magiſtrorum, & res illuſtriores ab ijs geſtas recenſet, & apud Belforeſtum lib. 3. de Coſmographia, & Iacobum Auguſtum Thuanum hiſtoriarum lib. 1. 5. & 43. prudens Lector reperiet.

Et quamuis Pruſſia, quam Equites annis anteactis poſſidebant, modò Regi Polonorum pareat, nihilominùs eligitur hodie magnus Magiſter, qui illius Ordinis in Germania ſita etiamnum poſſidet, quibus Germanorum pleraque nobilitas, & Principum filij deuincuntur. De iſto Equeſtri Ordine P. Gretſerus Tom. 3. lib. 2. cap. 17.

CAPVT LV.

De Ordine Equitum S. Mauritij, & S. Lazari.

INitia Ordinis S. Lazari repetunt à temporibus S. Baſilij Magni Cæſarienſis Epiſcopi, quem Gregorius Nazianzenus tradit hoc titulo noſocomium excitaſſe. Atque eius antiquitatis pariter fidem facere aiunt tot ptochotrophia, noſocomia, ſeu hoſpitalia, vt vulgò loquuntur, S. Lazari nomine per orbem Chriſtianum ſparſa. Sed prima inſtitutio cùm per barbarorum incurſiones, atque iniuriâ temporum collapſa eſſet, ea ipſa velut renata eſt felici illo ævo, quo Chriſtiani Europæ Principes Ieroſolymorum vrbem, ceteraque Terræ ſanctæ loca barbaris eripuerunt. Itaque vt Templarij, Hoſpitalarij & Teutonici, ſic & Lazarini Equites illo ſæculo, homines Chriſtianos ex Europa aduentantes, non modò hoſpitijs exceperunt, ſed & ſtrenuè Saracenis alijſque barbaris arma intulerunt. Quo factum, vt Balduinus II. Fulco, Amalricus, Balduini III. & IV. Reges Ieroſolymitani, itemque Theodora & Melſindis Reginæ, alijque Principes ipſum Ordinis Magiſtrum, & domicilia in Syria eidem dicata ac propria, non paucis beneficijs adfecerint: quorum teſtes tabellæ publicæ etiamnum Boniaci, vulgò *Boigny*, in diœceſi Aurelianenſi in Gallia aſſeruantur, quem quidem locum Equitibus ipſis Lazarinis Ludouicus Galliæ Rex adſignauit, diplomate anno Domini 1154. dato, & Hugonis Cancellarij manu ſignato, Matthæo Montmorentino Galliæ Comeſtabili præſente. Pulſis demum per Saracenos è Syria Chriſtianis, Boniaci domicilium Magiſtri Ordinis Lazarini eſt conſtitutum, ibique Comitia ſeu conuentus à Sodalibus quotannis haberi ſolent, Commendatoribus, vt vocant, ex Italia, Sicilia, Sabaudia, Anglia, Scotia, Hungaria, alijſque prouincijs eódem confluentibus; id quidem ad annum vſque ſuperioris ſæculi octauum & quinquageſimum obtinuiſſe conſtat, quo anno Boniacis comitijs interfuere Commendatores S. Eligij Londinenſis, Bandarræ in Hungaria, Agreſolij in Sabaudia, & alij complures à Ioanne Leuyo Magiſtro Ordinis euocati. Vt mirum nemini videri debeat, Philippum Auguſtum, S. Ludouicum, Philippum Pulchrum, Longum, Ioannem, Carolum VII. Ludouicum XI. Carolum VIII. Ludouicum XII. Franciſcum I. Henricum II. & Henricum III. Galliæ Reges, Henricum item Angliæ Regem, Aquitaniæ Normaniæque Ducem, Theobaldum Comitem Blæſenſem, alioſque Galliæ Principes multis Sodalitium Lazarinum vectigalibus annuis ac priuilegijs honoraſſe; vt ſuse Petrus Beloyus Conſiliarius Toloſanus in ſuo de Equeſtribus Ordinibus libello commemorat. Idem præſtitit Fridericus II. Imp. & Siciliæ Rex, qui

qui in ea ipſa inſula, itemque in Calabria, Apulia, Campania, alijſque Italiæ locis ampliſſima ijſdem prædia attribuit. Quas donationes poſteà Alexander IV. Nicolaus III. Clemens IV. Ioannes XXII. Gregorius X. alijque Pontifices Romani ſuis diplomatibus ſtabiliuerunt. Solent autem Lazarini Milites Crucem viridem pro Ordinis teſſera præferre, & S. Auguſtini Regulam profiteri, quæ omnia Gregorius IX. diplomate edito probauit. Temporum porrò decurſu, cùm inſtituti huius dignitas iaceret, Equites Rhodij ab Innocentio VIII. Pont. Max. anno 1490. impetrarunt, vt cum Rhodio ſeu Ioannitico confunderetur. Sicque paulatim Sodalitij Lazarini memoria cùm apud Gallos tum apud Italos eſt obſcurata. At Pius IV. Pontifex idipſum anno 1565. excitauit; ampliſſimisq; priuilegijs, honoribus, immunitatibus ad inſtar aliarum Militiarum dotauit, Ioanneto Caſtellionæo, viro nobili Mediolanenſi, Ordinis Magiſtro creato, & diplomate ea de re IV. Non. Maias promulgato, quod diploma Pius V. ſucceſſor altero Pontificatus ſui anno, cõſtitutione VII. Kalend. Februar. & altera III. Idus ſextileis, partim reuocauit, partim moderatus eſt. Cumque Vercellis anno 1572. eiuſdem ſæculi 1572. Caſtellionæus vitâ diſceſſiſſet, Gregorius XIII. quò maiorem huic Militiæ dignitatem conciliaret, eius Principatum ſeu Magiſterium in Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem, atque illius ſucceſſores anno proximè inſequente contulit. Philibertus autem conuentu Equitum Nicæam indicto, eos ſacramento ſolemni tamquam Magnus, vt vocant, Magiſter in fidem adegit, & nouas Ordini decorando atque amplificando leges ac ritus, eiuſdem Pontificis auctoritate confirmatos, condidit, coniunctis atque in vnum confuſis S. Mauritij & S. Lazari Ordinibus. Idem duo prætereà domicilia, ſiue hoſpitia, vnum Nicææ, alterum Auguſtæ Taurinorum, excipiendis Equitibus à fundamentis ſuo ære excitauit, ſtatuitque vt in poſterum Militia S. Mauritij & S. Lazari nuncuparetur, Equitesque Crucem viridem limbo candido concluſam, in cuius medio altera D. Mauritij ſuppoſita eſſet, in veſtibus gererent. Paulus Morigius tradit, Ciſtertienſium Regulam Benedictinam ijſdem Equitibus à Gregorio XIII. fuiſſe præſcriptam. Vide & Iacobum Auguſtum Thuanum lib. Hiſt. 38.

CAPVT LVI.

De alio Equeſtri Terræ ſanctæ Ordine, nuncupato in Syria Montis-gaudij, *in Regno Caſtellæ* de Monfrac, *in Catalaunia verò & Valentia de* Mongoia.

Capta ſancta Ciuitate inſtituti fuerunt Militares Ordines.

PRæter quinque ſuperiùs celebriores memoratos Ordines Terræ ſanctæ, ſeptem adhuc alios reperi minùs celebres & notos, & tantùm non dico ex hominum memoria deletos, de quibus pauca dicemus. Ex his primus appellatur Ordo Montis-gaudij in Syria; ad cuius hiſtoricã explicationem ſciendum, quòd cùm vltimò Terra ſancta à Chriſtianis, auſpicijs ſtrenuiſſimi Ducis Godefredi Bullionij, recuperata eſſet, ſub primis illis Latinis Regibus, qui ſanctæ Ciuitatis regimen tenuerunt, multi ſacri Equeſtres Ordines inſtituti fuerint, qui vt profeſſione & exercitijs erant aliquo modo diſcreti, ita & nominibus diſtinguebantur: alij nimirum à locis à ſe inhabitatis, alij à Sanctis tutelaribus denominabantur, vt videbimus. Iſte de quo modò agimus, prioris Ordinis eſt, à loco nomen ſumens.

Aliqui à locis, alij à Sanctis nomen acceperunt.

Aduertendum itaque, quòd capta Syria, duo oppida non longè ab Ieruſalem ædificata fuerint: alterum inter Ramam & ſanctam Ciuitatem, in montis cuiuſdam vertice, vnde peregrini Ieroſolymam proficiſcentes, ipſam primò contuentur. Hunc credo eſſe Modin ſiue montem S. Samuelis, ex dictis ſuprà ex Choppino Capite IX. Alterum oppidum à ſancta Ciuitate & monte prædicto multò remotiùs conſtructum fuit, ſupra Bethleem prope turrim Ader, ſiue locum paſtorum quibus Chriſti Natiuitas nuntiata fuit, de quo infrà Lib. VI. Cap. V. Peregrin. III. erit ſermo. (An fortè eſt mons, in cuius ſummitate ſunt adhuc ingentia ædificiorum fundamenta, nunc communiter ab indigenis *Betulia* dictus, vbi, vt fama eſt, per quadraginta annos inter infideles viriliter ſe tutati ſunt Galli poſt amiſſam Terram ſanctam?) & vtrumque oppidum communi nomine *Mont-ioye* apud Gallos, id eſt, *Mons gaudij* appellabatur, in Hiſpania de *Monfrac*, & de *Mongoia*. In duobus iſtis oppidis habitabant Milites, cuſtodiæ Terræ ſanctæ, tutelæ eò venientium peregrinorum, atque ad reſiſtendum Arabum incurſionibus deputati, & ab illorum nomine nomenclaturam & ipſi Equites acceperunt, vt dicerentur de *Mont-ioye*, id eſt, *Montis-gaudij*, in partibus iſtis Syriæ. Chlamydem rubram deferebant & ante pectus ſtellam candidam quinque radijs rutilantem. Horum Equitum

Ordo approbatus fuit per Alexandrum III. Pont. Max. anno Domini 1180. qui & illis Regulam ſancti Auguſtini obſeruandam tradidit.

Capta poſteà ab infidelibus Terra ſancta, illorumque rabie & perſecutione ingruente, cum reliquis Equitibus & hi eiecti fuerunt, &, vt habitationis commodum aliquem locum acciperent, varias Europæ prouincias peragrarunt, tandem in Regnis Caſtellæ & magnæ Valentiæ ſedem poſuerunt, vbi illorum virtute à pijs Principibus cognita, & quòd ſtudio rei bellicæ & pietatis ceteros in Syria Equites adeò laudabili zelo æmulati fuerint, multis poſſeſſionibus & bonis fuerunt aucti, & priori nomine relicto, nouum à locis ad habitandum ſibi conceſſis aſſumpſerunt. In Regno quippe Caſtellæ *Equites de Monfrac* ſunt appellati, à præcipua Conuentus ſede, vbi & optimos cenſus & prædia obtinuerunt, qualia & ipſe Alfonſus X. in tractu Maganenſi ijs attribuit, hiſce verbis, vt tradit Mennenius: *A vos Don Rodrigo Gonzales, Maeſtro de Monfrac, de la Orden de Monte-gaudio*, &c. Ex alijs monumentis, quæ in archiuo Calatrauenſi aſſeruari ait Franciſcus Radeſius apud eumdem Mennenium, colligitur hoc eos inſigniri titulo, vbi ſic habetur: *Hac eſt memoria del hauer que perdieron los Frayles de Mongoia, y los caſtillos que les tomaron los Frayles del Templo*, &c. In Catalonia enim & Valentia *de Mongoia* cognominati fuere, quod idem ſonat quod *Monsgaudij*. Anno demum 1221. Rex Ferdinandus, cognomento Sanctus, caſtrum de Monfrac conceſſit Gonſaluo Yannezio Magiſtro Calatrauenſi, docetque donationis exemplar, fuiſſe id caſtrum Ordinis *de Monfrac*, & Rex ipſe eamdem Militiam, quòd multum priſtini ſplendoris amiſiſſet, in vnam quaſi cum Calatrauenſi contrahi & vniri voluit, vt hoc pacto reſtauraretur, & non penitus interiret.

Equites de Monfrac.

Equites de Mongoia.

Hieronymus Romanus in Republica ſua, & Franciſcus Radeſius de Andrada Eques Calatrauæ, in Chronico ſuo Alcantarenſi, huius Ordinis fusè meminerunt ſub nomine Equitum de Truxillo, cognomine hoc eis indito à ciuitate Truxillo, vbi circa annum Domini 1227. ijdem ſedem habuiſſe feruntur, quibus & ſucceſſu temporis Alfonſus Rex (diplomate teſtante) oppida & prædia ditiſſima hereditario iure aſſignauit, Truxillum ſcilicet S. Crucis, Zuterolam, Gabanam & Albalam, Æra Cæſaris 1233. Quæ ſi quis pleniùs ſcire deſiderat, eos quos diximus Auctores adire poterit. Hodie omnino extinctus eſt ille Ordo, & bona quæ habuerunt in Aragonia & Valentia, tradita fuerunt Templarijs. Equites tamen de Monfrac vniti poſteà fuerunt Ordini Calatrauenſi, & illi de Truxillo Alcantarenſi.

Equites de Truxillo.

CAPVT LVII.

De ſacro Militari Ordine S. Ioannis Acconenſis.

AD principalium Terræ ſanctæ Equeſtrium Ordinum imitationem, ſucceſſu temporis alij ſimilis conditionis inſtituti fuerunt. E quorum numero vnus fuit Ordo S. Ioannis Acconenſis appellatus, quem ſeptimo loco in ordine ad alios Equeſtres Ordines collocamus. S. Ioannis appellatur, quoniam eius Equites ſanctum hunc Domini Præcurſorem in tutelarem & peculiarem Patronum ſuſceperunt: Acconenſis, ab Accone, vna ex quinque olim præcipuis Palæſtinarum ciuitatibus, quæ in ſacris Literis ſingulariter memorantur, alio nomine Accaron, vt notauit Abulenſis in c. 15. Ioſ. & 1. Reg. 6. quæſt. 22. quòd in ea ſui Ordinis iecerint fundamenta, & præcipuum ibi extiterit eorum collegium, vt tradunt Scriptores de Ordine iſto agentes. Et fuiſſe hunc Ordinem in Dei Eccleſia, quando Chriſtiani tenuerunt Terram ſanctam, citatis locis obſeruauit idem Abulenſis. Ab initio illius Commilitones infirmis & peregrinis loca ſancta viſitantibus piam operam impendere profitebantur, æmulati Hoſpitalarios Fratres S. Ioannis: mox pio operi & arma adiunxere, exindeque inter alios ſacros Militares Ordines connumerati ſunt. Regulam S. Auguſtini profitebantur, habitum nigrum cum Cruce alba quadrata deferebant.

Ratio numeri huius Ordinis.

Regnante in Hiſpania Alfonſo, cognomento Sapiente, hos Milites floruiſſe, tradit Hieronymus Romanus, quem & teſtamenti ſui tabulis eiſdem variam ſupellectilem, vt lectum & ſimilia, pecuniaſque, & loca ad habitandum aſſignaſſe ait. Addit inſuper, hunc Ordinem habuiſſe S. Thomam pro tutelari, & quòd, cùm Alexander IV. Pont. Max. Eccleſiæ præeſſet, Ordo ille titulo S. Thomæ & S. Ioannis Acconenſis coniunctim fuerit indigetatus. Quia tamen Mennenius, in Prouinciali Romano inter ceteros Militares, Ordinem S. Thomæ, quaſi ſeparatum & proprium enumerari ait, & ipſæ Pontificum Bullæ, inter alias Alexandri IV. ſat diſertè diſtinguant, ideò & nos tamquam de diſtinctis Ordinibus de ipſis tractamus. Defecit paulatim hic Ordo S. Ioannis, & illius memoria; & Abulenſis tempore nullam illius ferè

exti-

Digitized by Google

extitisse memoriam, ex eodem Abulensi in cap. 15. & 19. Iosue tradunt Mennenius & Fauinus, quod tamen, si probè memini, ibi non reperi, sed benè quod anteà notaui.

CAPVT LVIII.

De Equestri Ordine S. Thomæ martyris & Episcopi Cantuariensis.

OCtauo loco collocamus sacrum militarem Ordinem S. Thomæ Cantuariensis Episcopi & martyris. Hunc instituit Angliæ Rex Richardus post captam ab infidelibus Acconem ciuitatem, ciusque Milites erant Angli, qui Regulam D. Augustini sequebantur, habitum album deferebant, & Crucem rubram in corde cochleæ albæ insertam. Illorum Patronus fuit S. Thomas Archiepiscopus in Anglia, qui sub Henrico II. impio Angliæ Rege anno Dominicæ incarnationis 1171. die 19. Decembris glorioſum martyrium subijt, à quo & nomen acceperunt ipse Ordo & Equites. Hodie eius nulla omnino extat memoria.

CAPVT LIX.

De militari Ordine S. Gereonis martyris.

NOnò sequitur inter militares Ordines Palæstinæ Ordo S. Gereonis, qui Coloniæ Agrippinæ in Germania cum trecentis decem & octo socijs, dum impius iste Maximianus Ecclesiam Christi maxima tyrannide affligeret, anno 297. martyrij palmam adeptus fuit. Ordo iste, institutus ab Imperatore Federico Barbarossa, vel, vt alijs placet, à Federico II. ex solis Nobilibus nationis Germanicæ constabat. Profitebantur huius Ordinis Milites Regulam S. Augustini, habitum album & Crucem plenam nigram deferebant. De isto, & proximè præcedenti S. Thomæ Ordine, sequens subijcio oculatum testimonium D. Ioannis vanden Houel, viri multis Legationibus & itineribus obitis clarissimi, qui, vt Franciscus Mennenius refert, præter alia ad Equestris dignitatis illustrationem à se obseruata, in Palæstina vidit Milites diui Thomæ tuteları dicatos, & rubra Cruce decussata (*Saultoir* Galli vocant) insignes: alios item S. Gereoni sacros, Cruce Patriarchali (qualis ferè est antiqua illa in insignibus Hungariæ) triplici colliculo viridi imposita splendescente.

CAPVT LX.

De militari Ordine S. Blasij martyris.

DEcimò etiam alium Ordinem Palæstina protulit, denominatum à S. Blasio Episcopo Armeniæ, qui sub Diocletiano Imperatore, vt aliquibus placet, siue potiùs sub Licinio, anno Christi 316. vt sub hoc anno notauit Baronius, glorioso martyrio coronatus fuit. Dictus fuit etiam S. Mariæ, addit Mennenius. Huius Ordinis Equites erant Officiales & serui Regum Armeniæ. Habitum coloris cærulei deferebant, & Crucem auream super pectus. Iste Ordo in suo dumtaxat splendore perdurauit quoad Reges Armeniæ illustris Domus Luzignan suam habebant curiam & iurisdictionem in Accone ciuitate, sed illis inde per infideles electis, etiam Ordo ipse interijt.

CAPVT LXI.

De Equestri Ordine Pœnitentiæ SS. Martyrum.

PRotulit insuper Palæstina vndecimò militarem Ordinem, appellatum *Pœnitentiæ SS. Martyrum*, ait Mennenius, cuius instituti Fratres se vidisse affirmat Hieronymus Romanus, Crucem rubram præferentes, & D. Augustini Regulam profitentes. De quo, & proximè memoratis Ordinibus, mentionem faciunt Regulæ seu Practica Cancellariæ Romanæ.

CAPVT LXII.

De sacro militari Ordine S. Catharinæ virginis & martyris apud montem Sinai.

DVodecimo & vltimo loco inter sacros Equestres Ordines Terræ sanctæ cum alijs collocamus Ordinem S. Catharinæ virginis & martyris de monte Sinai. Tali est insignitus nomine, quia ad honorem huius Virginis est institutus, & qui ad illum sunt recipiendi, initiantur apud illius sacrum sepulchrum in monte Sinai, atque eodem modo, quo Equites sanctissimi Sepulchri, instituuntur. Sciendum itaque, quòd postquam nouus Miles ad sanctum Sinai montem peruenerit, ibique in monasterio Monachorum Græcorum, in quorum Ecclesia conditæ sunt Reliquiæ sanctæ Catharinæ sacro & honorato loco, manè Missæ sacrificium à Præsule Monachorum peractum, & sacræ Militiæ candidatus sacro Eucharistiæ epulo refectus fuerit,

ſupra ſepulchrum Virginis ab eodem Præſule Miles inſtituatur, præmiſſis tamen ijſdem interrogationibus, quibus examinantur Milites ſanctiſſimi Domini noſtri Ieſu Chriſti Sepulchri. Inſtituti Equites pro inſignibus deferunt ſuper veſtem in ſiniſtro humero quinque Cruces Equitum Sepulchri Dominici, intra quas eſt rota ſex radijs conſtituta, cum ſignis clauorum ex argento, Virginis martyrium referens, inquit Fauinus. Mennenius tamen tradit, mediam dumtaxat rubri coloris rotam gladio transfixo pro inſignibus præferre. Et hoc mihi probabilius, tum quia melius his S. Catharinæ repræſentatur martyrij; nam non ſolùm rotæ expoſita, ſed ab illa diuinitus liberata, tandem gladio obtruncata, immaculatum ſpiritum Deo reddidit; tum quia non videtur rationi conſonum, quòd Equites S. Catharinæ ſibi vſurpent ſtemmata Dominici Sepulchri velut propria. Fortaſſe illud dixit Fauinus, quòd viderit aliquem ex his Militibus illis ſtématibus vti. Quod ſi ita eſt, crediderim ita feciſſe, quia ille ſimul erat Eques ſanctiſſimi Domini noſtri Sepulchri, & ſimul in vno ſtemmate vtriuſque Equeſtris Ordinis inſignia copulauit. Pauciſſimos arbitror iſto inaugurari Ordine, tum quia minùs notus, tum quia rara eſt fidelium ad ſanctum Sinai monté peregrinatio. Et cùm dictus Ordo à ſchiſmatico Præfecto hodie tradatur, non credo Catholicum ſe facilè illi ſubdere velle, ſuſcipiendo ab eo Sacramenta cum Ordine. Et, quod ſciam, neminem ex eiuſmodi vidi. An ille Præfectus dictum Ordinem ſuis conferat Græcis, me latet.

CAPVT LXIII.

De ſpirituali conditione Equitum Terræ ſanctæ, & num illius Militiæ profeſſi dicendi ſint Religioſi.

HAnc quæſtionem abſolutè de omnibus vniuerſim Ordinibus militaribus proponunt noſter Rodericus Tom. 1. Quæſt. regul. quæſt. 1. art. 6. & Ludouicus Miranda Tom. 1. Manualis Prælat. quæſt. 4. art. 15. & quæſt. 10. art. 4. cum alijs ab his citatis Auctoribus: nos illam ſingulariter applicabimus militaribus Ordinibus Terræ ſanctæ, quia de iſtis tantùm hîc agimus: præcipuè propter Equites ſanctiſſimi Sepulchri Ieſu Chriſti Domini noſtri, cùm præſertim pauciores de ipſis, quod ſciam, tractauerint, & plures, etiam ex ipſiſmet Militibus, illorum ignorent conditionem & obligationem, & quia de alijs Ordinibus, quorum non modò ſupereſt memoria, ſed etiamnum floridior eſt ſtatùs, pluribus alij tractarunt; aliorum verò, quorum ferè eſt abolita memoria, & nomen obliteratum, quia finem acceperunt, non eſt tractatus neceſſarius. Ex dicendis tamen facilè quilibet poterit dijudicare conditionem, obligationem, & ſpirituales ſingulorum gratias. Et vt clarè procedamus, & varium ſtatum noſtrorum S. Sepulchri Militum explicemus, quatuor præmittemus Notabilia, & totidem Concluſiones ſubijciemus.

Primum Notandum eſt, ſtatum Religionis eſſe quemdam modum viuendi, totum hominem diuino cultui applicantem, abducendo eum à curis ſæculi, retardantibus à perfecta charitate & vnione cum Deo. Ita colligitur ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 108. art. 2. & alijs. Qui quidem ſtatus conſiſtit in obſeruantia trium votorum ſolemnium, perpetuæ inquam obedientiæ, paupertatis & caſtitatis. Hocque deducunt Doctores ex verbis Chriſti apud S. Matthæum. De paupertate quidem, dum dicit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus*, Matth. 19, 21. de obedientia, dum ſubiungit, *Sequere me*, ibidem. de caſtitate verò, dum ait ibid. verſ. 12. *Sunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum.* id eſt, amputauerunt & abiecerunt à ſe omnimodum vſum & poteſtatem venereorum, non per corpoream membri abſciſſionem, ſed per votum caſtitatis propter Deum emiſſum. Lege Rodericum Tomo 2. quæſt. 25. art. 5.

Status Religionis quid.

Conſiſtit in trium votorum obſeruantia.

Dixi, ſtatum Religionis conſiſtere in trium votorum obſeruantia: quia non ſufficit obſeruare obedientiam, paupertatem & caſtitatem, niſi ex perpetua obligatione voto firmata obſeruentur, D. Thoma aſſerente 2. 2. q. 186. art. 6. Eaque vota debent eſſe ſolemnia per profeſſionem expreſſam vel tacitam ad certam Regulam, ſiue Religionem à Sede Apoſtolica approbatam. Et qui ſic vouerunt (eorum ſtatu manente) matrimonio copulari non poſſunt, vt ait Bonifacius VIII. cap. vnico, De voti redempt. in 6. Vide Rodericum vbi ſuprà quæſt. 1. art. 1. & 2. Hæc profeſſio vt valeat, debet fieri in manibus illius, qui poteſt profitentem tali Religioni incorporare, vt cum communi ſententia tenet Panormitanus in c. Correctum. De Regulis Iuris. & Siluester v. Religio. 8. num. 14.

Vota debent eſſe ſolemnia.

Secundum Notandum eſt, Religiones vel Religioſos (quantum ad præſens negotium ſpectat) vt D. Thomas loco proxime citato art. 4. & Theologi communiter docent, eſſe dupliciter tales, quoſdam ſimpliciter & perfectè, quoſdam verò dumtaxat

Religioſi alij ſunt tales ſimpliciter, alij ſecundùm quid.

taxat ſecundùm quid. Prioris ordinis ſunt, qui ſtatum præcedenti Notabili aſſignatum profitentur: poſterioris verò, qui illum perfectè non profitentur; ſed aliqua tantùm ſectantur quæ nonnihil de ſtatu illo participant; & iſtis matrimonij ſtatus non repugnat, vt docent Theologi, & ſtatim apparebit.

Obiectio. Sed obijcies, Patres Societatis Ieſu, non modò eos qui tria ſolemnia vota, vt alij Religioſi, emittunt (de quibus non poteſt eſſe dubitatio, quin ſint verè Religioſi) ſed illos etiam qui ſimplici caſtitatis voto adſtringuntur, eſſe verè & propriè Religioſos, vt declarauit Gregorius XIII. qui & irritat matrimonium cum aliquo celebratum qui ſimplici illi voto eſſet adſtrictus: igitur non bene, vel ſaltem non verè & ſufficienter explicata eſt illa diuiſio Religionum & Religioſorum.

Solutio. Reſpondendum, eſſe illos quidem verè Religioſos, ob priuilegium & declarationem Gregorij XIII. cum differentia tamen ab alijs ſolemnia vota emittentibus; quia iſti irreuocabiliter, illi reuocabiliter Religioſi ſunt, vt ait Rodericus Tom. 1. q. 1. art. 4. & 5. vbi de hoc plura. Quod ſic explicatur, quia ſolemniter profeſſi, eſſentialiter & ex Iure diuino ſunt inhabiles ad matrimonium, tum quia illorum votum à tempore Apoſtolorum habuit iſtam vim irritandi matrimonium, nec extat aliqua lex Eccleſiaſtica, quę illam vim ei tribuat; tum etiam, quia per iſtud votum ſolemne totaliter homo Deo traditur & conſecratur per internam voluntatem, iuxta doctrinam ſancti Thomæ 2. 2. quæſt. 88. art. 7. At Religioſi Societatis qui votum ſimplex emiſerunt, ex Iure tantùm Eccleſiaſtico prædicti Gregorij ſunt inhabiles ad matrimonium; adeoque cum ijs poteſt diſpenſari per Eccleſiam ad matrimonium contrahendum: imò in dicto Gregorij decreto habetur, ex cauſa rationabili poſſe dictos Religioſos voti ſimplicis à Miniſtro generali dimitti, & à votis iſtis liberari. Si tamen iſti ſine illius licentia diſcedant, ſunt apoſtatæ, & excõmunicati, vt ibidem decernitur.

Religioſi Societatis voti ſimplicis Iure Eccleſiaſtico ſunt matrimonio inhabiles.

Obiectionis ſolutio. Nec dictis refragatur Scotus in 4. diſt. 38. quæſt. vnica, dicens, matrimonio non repugnare votum ſolemne continentiæ, ſeu Monachatus, niſi ex eo, quòd Eccleſia illegitimauerit ſic vouentem ad contrahendum. Quoniam, vt benè aduertit Flauius in illius quæſtionis reſolutione, licet ſtatutum prædictæ illegitimationis profectum ſit ab Eccleſia, ipſa tamen illegitimatio eſt à Deo, & à Spiritu ſancto aſſiſtente Eccleſiæ, & tale ſtatutum approbante, iuxta illud, *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*, Actuum 15, 28. & illud Pauli, *Congregatis vobis & meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri Ieſu*, 1. Corinth. 5, 4. Eccleſia enim illa primitiua Apoſtolorum, addit Rodericus Tom. 1. quæſt. 25. art. 1. quatenus erat organum Spiritus ſancti, immediatè poterat ius diuinum condere, &c. Quare ex traditione conſtat, Iure diuino abſolutum & perpetuum Monachatum repugnare matrimonio, non item illum qui eſt reuocabilis, & ſimplici tantùm voto caſtitatis ſtabilitus. Et ex his patet, quid reſpondendum ſit obiectioni, quæ poſitæ diſtinctioni aduerſari videbatur.

Religioſi alij ſimpliciter, alij Militares. Tertium Notandum, præcedenti perſimile, eſt ex Roderico vbi ſuprà q. 1. art. 6. Religioſorum Ordines duplicis generis eſſe. Quidam ſunt ſimpliciter & abſolutè Religioſi, quales ſunt illi primi membri diuiſionis præcedenti Notabili aſſignatæ: quidam verò ſunt Religioſi cum limitatione, id eſt, Militares, & ſunt illi qui profitentur Regulas Monachales, non ſimpliciter in ordine ad obſeruantias Monaſticas, ſed in ordine ad obſeruantias militares. Et ita, inquit, appellantur à Summis Pontificibus profeſſi Ordinum militarium; qui Pontifices per hoc innuere volunt, quòd licet ipſi profiteantur Regulam Monachorum, ipſam tamen non profiteantur cum onere obſeruandi conſtitutiones Monachales, & obſeruantias Monaſticas, ſed in ordine ad finem ad quem eorum profeſſio tendit, ſcilicet ad militiam, & ad pugnandum contra infideles, cum onere obſeruandi conſtitutiones ſuorum Ordinum, & obſeruantias Regulares militares. Et ſic Milites D. Iacobi promittunt paupertatem ordinatam ad iſtum finem, prout in Conſtitutionibus ipſius Ordinis declaratur, &c. Cui doctrinæ addere poſſumus, hos militares Ordines eſſe in duplici differentia: quoſdam dumtaxat Militares, qui præcisè ſtatuta approbatæ alicuius Regulæ ab Eccleſia, quatenus Militiæ deſeruiunt, profitentur; quoſdam verò qui etiam eſſentialia vota, & regulares Monachorum obſeruantias cúſtodiunt.

Et Militares alij ſimpliciter Militares, alij etiam verè Religioſi.

Equitum ſanctiſſimi Sepulchri triplex ſtatus. Quartum tandem Notandum, Equites ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti poſſunt quoad triplicem ſtatum conſiderari; vel ſecundùm eum quem ab initio in ſua fundatione receperunt, & retinuerunt quoadúſque vniti fuerunt Equitibus S. Ioannis Ieroſolymitani; vel ſecundùm eum quem vniti cum iſtis retinuerunt; vel denique in hoc tertio, in quo nunc ſunt ab illis ſeparati. de quo multiplici ſtatu egimus ſuprà Capite XLIV. His præmiſſis, ſint ſequentes quatuor Concluſiones.

Quatuor Concluſiones.

PRIMA CONCLVSIO. Milites S. Ioannis

Prima, Militenses sunt simpliciter Religiosi.

nis Baptistę Ierosolymitani, qui nunc Commendatores de Malta nuncupantur, sunt simpliciter & propriè Religiosi. Probatur; quia tria essentialia vota Religiosorum, obedientiæ, paupertatis & castitatis solemniter emittunt, & Regulam S. Augustini ab Ecclesia approbatam profitentur.

Hanc Conclusionem veram & indubitatam esse, cum alijs tradit Rodericus loco proximè citato, dum huic quæstioni sequentibus respondet. Dicendum est, quòd profitentes Regulam D. Ioannis, qui Commendatores de Malta nuncupãtur (nec dubium est, quòd omnes etiam Milites sæculares) sint verè Religiosi, gaudeantq; priuilegio Canonis & fori, & etiam per eorum professionem dirimi matrimonium ratum non consummatum, & alia, quæ ad verè Religiosos pertinent, ad ipsos etiam pertineant. Hanc opinionem tenet Corduba, Nauarrus & Aragonius, eamque docet Sotus in lib. 7. de Iustitia & iure, quæst. 5. art. 1. vertic. Ex his ergo Militum. Verum tamen est quod in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4. versic. Quocirca, dicit, quòd non auderet affirmare, dirimi matrimonium ratum per ingressum Religionis S. Ioannis, si fermo fiat de Militibus sæcularibus huius Ordinis; quem sequitur Sarmiento. Nihilominus tamen, quamuis hi Milites sæculares Ordinis D. Ioannis sint vere Religiosi, tria vota essentialia emittentes, vt constat ex libro Constitutionum dictorum Militum, cui titulus est, ***Stabilimenta Militum sacri Ordinis S. Ioannis Baptistæ Ierosolymitani***, præsertim ex procœmio & exordio, & ex Bulla Innocentij Pontificis. Habent tamen ex Pontificio priuilegio, ne comprehendantur sub iure aliorum Religiosorum, quantum ad odia & rigores, prout aduertit Aragonius. Et sic in Concilio Tridentino excipiuntur, ne teneantur contribuere pro Seminario. Hactenus ille.

Secunda, Iidem sunt Religiosi militares.

SECVNDA CONCLVSIO. Milites S. Ioannis Baptistæ Ierosolymitani, non solùm propriè & per se, sed etiam cum addito sunt Religiosi & militares.

Conclusio probatur ex istorum Militum fine: fuerunt enim instituti, vt essent propugnaculum contra infideles, aduersus illos dimicando pro pace inter fideles conseruanda, & Christiana fide dilatanda, vt manifestum est, & amplius apparebit infrà ex Roderico in probatione quartæ Conclusionis. Vtraque Conclusio ijsdem rationibus stabilienda est de Militibus sanctissimi Sepulchri Domini nostri secundùm eorum primum & secundum statum consideratis; & absolutè de Templarijs, & illorum similibus. Secundùm etenim duplicem consi-

Eadem veritatem habet de Equitibus S. Sepulchri, secundùm primum & secundum statum.

derationem illi, & absolutè isti tria essentialia vota emittebant, approbatam D. Augustini Regulam profitebantur, & militaria instituta pro fidelium tuitione, & S. Ecclesiæ dilatatione custodiebant, vt, dum de illorum Ordinibus speciatim ageremus, vidimus. Et hanc sententiam debere esse communem, mihi persuadeo, auctoritate & ratione præsertim, quod sciam, non refragante; quam tamen nominatim posui de Melitensibus, tum quia in suo pristino & perfecto esse perseuerant, non item alij; tum quia Scriptores alij de ijsdem illam specificè pronuntiant.

Contra primam Conclusionem, quam diximus verificari de nostris sacris Militibus, secundùm illorum primum & secundum statum consideratis, posset quis in hunc modum argumentari. Equites hi secundùm primum statum non profitebantur aliquam Regulam ab Ecclesia approbatam, ergo non erant propriè Religiosi. Consequentia est manifesta ex primo Notabili. Antecedens probatur, quia Regula Equitum sanctissimi Sepulchri, est Regula D. Augustini; sed hanc profiteri non potuerunt in primo statu, quia institutus à D. Iacobo Apostolo, ex dictis suprà, qui multo tempore præcessit D. Augustinum. Ad hæc in primo illo statu, quandocumq; inceperit, nondum erat D. Augustini Regula confirmata à Pontifice. Respondetur, in omni Religione duo inueniri, essentiam ipsam Religionis, quæ in tribus votis sita est, obedientiæ, paupertatis & castitatis; & determinationem illius essentiæ ad certum modum viuendi. Essentia in Euangelio fundamentum habet, ac proinde à Regula & particulari modo viuendi à Pontifice approbato non pendet. Modus autem ille varius, quo tria vota susci pi possunt, non ita perspicuè in Euangelio elucet, & non parum ex prudentia & directione humana pendet; quare Pontificis approbatione indigere potest. Et quidem antiquitus vsque ad tempora Innocentij III. libera erat volentibus tria vota profiteri, & Religiosos esse, electio & approbatio Regulæ, nec erat Iure diuino vel positiuo præcepta, quamuis deinceps præcepta fuerit propter ius positiuum prohibens Religiones absque approbatione. Itaque diui Antonius, Basilius, Augustinus, Benedictus, auctores Religionum fuerunt, nec vllam leguntur à Pontifice approbationem quæsiuisse, eò quòd nondum extaret Ius Ecclesiasticum id præcipiens. Condendi autem noui iuris hæc fuit occasio. Ad annũ Dõmini circiter 1170. Pauperes de Lugduno Ordinem quendam Religiosum instituerunt, sed multis admi-

Obiectio.

Soluitur.

Necessitas approbationis Religionis incepit anno Domini 1170.

stis

Digitized by Google

ſtis ſuperſtitionibus & hæreſibus: quocirca à Lucio IV. Alexandri III. ſucceſſore, hæreſeos damnati fuerunt, & ſecta eorum reprobata fuit, vt ſcribit Abbas Vrſpergenſis in Chronico ad annum 1212. Illi verò poſtmodum tempore Innocentij III. Sedem Apoſtolicam adeuntes diu inſtiterunt, vt idem Auctor ait, vt reconciliarentur, & Religio ipſorum confirmaretur, nec tamen impetrarunt. Inde igitur factum eſt, vt B. Franciſcus & B. Dominicus, volentes ſimiliter nouos Ordines inſtituere, & meuentes, ne ſibi accideret quod videbant accidiſſe VValdenſibus, noluerint confidere ſuo iudicio, ſed à Pontifice confirmationem petiuerint, & impetrauerint. Paulò autem poſt in Concilio Lateranenſi generali, conſiderans Innocentius III. periculum, quod imminebat Eccleſiæ, ſi vnicuique liceret nouam Religionem excogitare, prohibuit deinceps vllum nouum Ordinem inſtitui, nimirum ſine approbatione Apoſtolicæ Sedis, vt habemus cap. Si. De relig. domi. Quod decretum reformauit Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi, vt habetur c. vnico. De relig. domibus, in 6. atque hinc cœpit eſſe neceſſarium, quod anteà erat liberum. Ita Bellarminus Tomo 1. lib. 2. de Monachis, cap. 4. Legè Suarez Tom. 3. de Religione, lib. 2. de Religioſi ſtatus eſſentia, &c. cap. 15.

SS. Franciſcus & Dominicus primi ſuarum Regularum poterunt à Pontifice approbationem.

Ad propoſitum. Cùm noſtri ſacri Equites ante Pontificum decretum, quo noui Ordines & Regulæ à Sede Apoſtolica approbari iubentur, fuerint eſſentialiter ac vere Religioſi, ſimiles alijs qui ad exemplum Apoſtolorum tria vota eſſentialia Religioſorum obſeruabant, abſque alia certa Regula ſcripta, per Pontificem approbata, quod legatur; non illis officit, quòd Regulam aliquam approbatam haud fuerint profeſſi, ſicut nec alijs vetuſtioribus Ordinibus. Et fortaſſe illorum Regula eſt illa ſuperiùs memorata, ſed poſteà temporis ſucceſſu, vt obedientes ſanctæ Eccleſiæ filij, Regulam D. Auguſtini à Sede Apoſtolica approbatam receperunt.

Tertia, Equites ſancti Sepulchri tertij ſtatus vxores ducentes non ſunt per ſe Religioſi.

TERTIA CONCLVSIO. Loquendo de Equitibus ſancti Sepulchri Domini noſtri ſecundùm eorum tertium & præſentem ſtatum, in quo poſſunt proprium habere, & vxores ducere, non ſunt per ſe & propriè Religioſi. Idem dico de alijs, quoad hæc illis ſimilibus.

Profeſſio alicuius Regulæ in vrbe Eccleſiaſtico & nouo eſt Religioni neceſſaria.

Probatur iſta Concluſio, quia Religioſi verè vouent integram caſtitatem & paupertatem, ne rebus ſæcularibus diſtrahantur ab vnione cum Deo, quam Religioſus ſtatus expoſcit, vt diximus primo Notabili: optimè quippe S. Auguſtinus lib. 6. Octogintatrium quæſt. q. 36. ait: *Nutrimentum charitatis, eſt diminutio cupiditatis: perfectio nulla, cupiditas.* & lib. 10. Confeſſ. cap. 23. loquens idem Sanctus cum Deo, inquit: *Minùs amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Similiter vſus copulæ carnalis, etſi licitus, retrahit hominem, ne totaliter in Dei ſeruitium feratur, tùm ob vehementiam delectationis, tùm ob ſollicitudinem temporalium pro vxoris & filiorum victu. Quare ſanctus Apoſtolus dixit, huiuſmodi habituros tribulationem carnis; & clariùs dum ſubdit: *Qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt*, 1. Cor. 7, 33. Hæcque fini ſtatus propriæ & perfectæ Religionis aduerſantur. Et in cap. Cùm ad Monaſterium, De ſtatu Monachorum, dicitur, ſicut Religioni per ſe & intrinſecè annexa eſt caſtitas, ita etiam abdicatio proprietatis. Cùm igitur noſtri Equites ſancti Sepulchri, & illis ſimiles, poſſint in præſentia proprium & vxores habere, propriè Religioſi non erunt. Ita Thomiſtæ, cum Angelico Doctore 2. 2. quæſt. 186. art. 4. ad 3. contra Nauarrum, & Theologi communiter contra Iuriſperitos, vt videre eſt apud Rodericum & Azorium. Quare iſti virtute ſtatus ſui non gaudent priuilegio Capitis, Si quis ſuadente diabolo, vt ait Caietanus v. Excommunicatio. nec ijdem mutando habitum ſunt excommunicati. Verumtamen Alexander III. vbi approbat Religionem S. Iacobi de Spatha cum voto coniugali, ſtatuit, quòd qui manus violentas iniecerit in Fratres vel Sorores dicti Ordinis, ſit excommunicatus. Quo etiam priuilegio gaudent, per communicationem ſuorum priuilegiorum, alij Commendatarij aliorum Ordinum militarium.

Præſentes S. Sepulchri Equites poſſunt habere vxores & propriũ.

Aduerte hic tamen, ex hoc non ſequi, ipſos eſſe propriè Religioſos: quia aliud eſt, eſſe Religioſum; & aliud eſt, Religioſorum priuilegijs gaudere: item aliud eſt, beneficij Eccleſiaſtici priuilegio honorari; &, beneficium eſſe Eccleſiaſticum, vt bene notat Azorius. Capaces erunt aliqui beneficij ſæcularis, & Eccleſiaſticæ penſionis, cùm tamen beneficia ſæcularia Regularibus Clericis, & contrà beneficia regularia Clericis ſæcularibus Iure communi conferri nequeant, cap. Cùm de beneficio. De præbend. in 6. & c. 2. De ſtatu Monachorum. Non tenebuntur etiam diuinum Officium perſoluere, ſiue preces horarias quotidie celebrare, quia ad Chorum & tantum non ſunt deputati, quemadmodum in alijs Ordinibus ad idem non tenentur qui ad Chorum non ſunt deſtinati, & conuerſi, ſed ad recitandam aliquoties Orationem Dominicam,

Obiectionis ſolutio.

nicam, &c. Et ſingulariter vera eſſet iſta Concluſio de Equitibus ſanctiſſimi Sepulchri, ſi hodie vota Religioſorum non emittunt, ſed iurant tantum quædam ſtatuta obſeruare, vt videtur indicatum ſuprà Capite XLVI. in formula inſtitutionis ipſorum. ſed de hoc poſteà.

Obiectio alia. Sed contrà non-nemo dixit, non obſtare quòd hi Milites non ſint dicendi proprie & per ſe Religioſi, eò quòd non voueant caſtitatem ſimpliciter: quoniam, vt in quibuſdam Religionibus propriè dictis, votum obedientiæ & paupertatis ſit arctius aut laxius pro illarum varietate. Minorum enim Religionem profiteri paupertatem altiſſimam, abdicando à ſe omnem proprietatem in particulari & in communi: obedientiam ſimiliter Prælatis ſuis exhibendam non tantùm reſpectu eorum quæ in Regula continentur, ſed in omnibus quæ animæ ſaluti & Regulæ contraria non ſunt: ea tamen in pleriſque alijs Religionibus non inueniri, quæ tamen æquè propriè & per ſe Religiones ſint, quàm illa Minorum. Ergo, ſaluo ſtatu Religionis per ſe, votum caſtitatis poſſe eſſe vel maius vel minus, Igitur, &c.

Solutio. Reſpondetur, idem Iuris eſſe de voto paupertatis & obedientiæ, quod de voto caſtitatis, in hoc, quòd ſicut natura Religionis exigit vt caſtitas non tantùm coniugalis promittatur, ſed etiam caſtitas ſimpliciter, in cuius tamen voto poteſt eſſe maior vel minor promiſſio circa aliqua quæ reſpiciunt illius cuſtodiam & obſeruantiam, quemadmodum in noſtro ſacro Minorum Ordine magna eſt illius promiſſio, qualis non eſt in multis alijs, vt docent Seraphicæ Regulæ interpretes, quia in Seraphica Religione non tantùm promittitur, vt fit in omnibus alijs approbatis Religionibus, abſtinentia ab omni concubitu & immunditia carnali, ſed in illa præterea interdicuntur eius profeſſoribus ſuſpecta conſortia virorum vel mulierum, ingreſſus ad monaſteria Monacharum, eſſe compatres virorum vel mulierum, vt ſic omne ſcandalum & mali occaſio vitetur. Ita votum obedientiæ & paupertatis efficit vt Religioſus non ſit ſui iuris, ſed alienæ voluntati ſubiectus, nec propriè ſua voluntate, ſed Superioris vtatur, quamuis obediendi vſus, & proptijs vtendi data facultas, pro varietate Religionum maior minórve, arctior aut laxior eſſe queat. Ita ex Azorio.

Præſentis ſtatus ſancti Sepulchri Equites ſunt Religioſi ſecundùm quid, & Milites. QVARTA CONCLVSIO. Equites ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſecundùm illorum tertium ſtatum in quo hodie ſunt, ſunt Religioſi ſecundùm quid, & Militares. Eadem de illis ſimilibus enuntietur. Ante huius Concluſionis probationem inquirendum eſt, an dicti Milites voueant tria Religioſorum vota, obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, obſeruentque Regulam aliquam ab Eccleſia approbatam: hæc enim Religioſos efficiunt, vt anteà oſtendimus in primò Notabili. *Dubium.*

Reſponſio. Reſpondeo primò quantum ad vota, & dico duo, euidens alterum, alterum non item. Euidens eſt, Equites ſanctiſſimi Sepulchri explicitè non vouere dicta vota, ſed benè ſe adſtringere ad obſeruantiam nonnullorum ſtatutorum & legum, vt vidimus Capite XLVI. quæ fortè erunt illorum approbata Regula. Quare ſi illa tranſgrederentur, etiam naturali, Eccleſiaſtica, aliáve obligatione ſecluſa, mortaliter delinquerent contra datum iuramentum. Ineuidens verò & non ita manifeſtum eſt, eoſdem Milites implicitè promittere & vouere dicta tria eſſentialia vota in ordine ad ſtatum militarem, cum Pontificia diſpenſatione, & præter indicata ſtatuta Regulam ab Eccleſia approbatam. Quod in hunc modum explico, & primò de votis. De obedientia, quia inſtituendus Miles S. Sepulchri promittit inſtituenti Præſuli ſacri Montis Sion, ſe pro viribus obſeruaturum ſtatuta militaria huius ſacræ Militiæ. De paupertate, quia ſpondet, ſe bona temporalia & vitam ipſam traditurum, cùm neceſſe fuerit, ſi quando contra infideles generale expediatur bellum. De caſtitate verò, dum vitare promittit non ſolùm adulteria, ſed loca ſuſpecta, &c. Et quamuis aliqui ex iſtis Equitibus ducant vxorem, non obſtat; quia vxorem habentes, & nullâ aliam cognoſcentes, caſtè viuunt, vt tradit Hoſtienſis in Summa de Regular. Quòd verò illa promiſſio non fuerit ſimplex, nec tantùm iuramento, ſed voto firmata implicito, ex eo hac ratione mihi perſuadeo: Si alij militares Ordines, habentes proprietatem, & coniugalem caſtitatem ſeruantes, vouent, votumque exiſtit neceſſarium ad Religionem, etiam ſecundùm quid & militarem, qualem credimus eſſe Ordinem hunc ſanctiſſimi Sepulchri, quem & reliquis excellentiorem & nobiliorem exiſtere, Capite ſequenti oſtendemus, aliter vtique de eo quàm de alijs ſentire non conuenit. Et quamuis admittamus, illos expreſsè non vouere, ſed tantùm iurare, non ſunt tamen minùs deuincti ad promiſſorum obſeruantiam. Quamuis enim ſecundùm D. Thomam quidem 2. 2. quæſt. 89. art. 8. votum habeat maiorem vim obligandi quàm iuramentum; Ioannes tamen Maior oppoſitum tuetur in 4. diſt. 38. quæſt. 5. & Nauarrus in Manuali cap. 12. num. 32. concordans has opiniones,

Manifeſtum eſt, Equites Sepulchri non vouere tria vota & Regulam approbatam.

Non manifeſtum, ac implicitè promittere.

Iuramenti & voti diſcrimen.

nes, dicit, ſententiam Maioris tum veram eſſe, quando vtrumque principaliter ſit in honorem Dei, vel vtrumque principaliter in vtilitatem proximi; opinionem autem S. Thomæ tum eſſe veram, cùm votum principaliter ſit in honorem Dei, iuramentum autem ſit principaliter in vtilitatem proximi, vt communiter fieri ſolet. Et Michaël Medina lib. 5. cap. 22. & 23. de Continentia, egregiè probat, inquit Nauarrus, quòd obligatio iuramenti ſit firmior quàm voti, licet hæc ſanctior ſit illa, cùm per illam promittamus proximo, & per hanc Deo.

Iuramento obligantur S Sepulchri Equites.

Horum Doctorum ſententiæ inhærendo, dicendum eſt, promiſſionem noſtrorum Militum, etſi non voto ſed iuramento firmatam, magis obligare quàm votum, nec minùs eſſe ſanctam quàm ſi voto firmata fuiſſet. Fit enim principaliter in honorem Dei, & vtilitatem proximi, & coram Præſule ſacri Montis Sion, qui ea in regione eſt Vicarius Summi Pontificis & ipſius Chriſti, intra & ſupra ſanctiſſimum Chriſti Domini Sepulchrum, vt clarè videre eſt ſuprà Capite XLVI. in forma inſtituendi Equites, & in eorumdem promiſſione iuramento firmata.

Profitentur D. Auguſtini Regulam ſuo ſtatui accommodatam.

Secundò quantum ad Regulam ab Eccleſia approbatam, & conſequenter quantum ad vota, dico, noſtros ſacros Milites adhuc ſectari, vt anteà, illam D. Auguſtini, licet non ſecundùm omnes obſeruantias Monachales. Probatur, quia ex eo quòd noſtri Milites fuerunt à Summis Pontificibus à Melitenſibus ſeparati, ipſiſque indultum, vt cum Equeſtri Ordine poſſent vxores ducere, & facultates habere, quemadmodum & alijs huic ſimilibus Ordinibus fuit conceſſum, non licet inferre, alia, quæ ad eſſentiam ſtatus illorum & dignitatem pertinebant, ad quæ tenebantur ante ſeparationem ab Ordine Melitenſi, fuiſſe ſublata; ſed ea relicta fuerunt in ſuo robore, & vt in priori ſtatu. Ratio; quia quod in fauorem alicuius eſt introductum, non debet in eius damnum retorqueri, vt habetur in L. Quod fauore. C. De leg. Cùm igitur ante ſeparationem à Melitenſibus, vota emitterent, Regulamque D. Auguſtini profiterentur, licet non ſecundùm omnes obſeruantias Monachales, quod in eorum cedebat honorem; poſteà ſeparatione facta, arbitrandum non eſt, per gratiam illam & fauorem, quòd poſſint matrimonio copulari, & proprium habere, adeoque cum votis, fuiſſe etiam ſublatum nobilem & Religioſum priorem ſtatum cum poſteriori compatibilem, nec eum adeò mutatum fuiſſe, quin ſacri illi Milites adhuc virtute illius Regulæ præſentisque inſtituti debeant dici Religioſi, etſi non ſimpliciter, ſaltem ſecundùm quid. Et ex his probata manet prior pars quartæ Concluſionis, Milites S. Sepulchri Domini noſtri eſſe Religioſos ſecundùm quid.

Quæ ab inuicem neceſſariò non dependent, vno ſublato alterum non ſtatim tollitur.

Poſſet fortaſſe probabiliter dici de noſtris ſacris Militibus, quod dixit Azorius de Militibus S. Stephani, à Coſmo Medice Magno Florentiæ Duce inſtitutis, & Pij IV. auctoritate confirmatis, quòd non promittant paupertatem, ſed charitatem expreſsè, vnà cum caſtitate coniugali, & obedientiam profiteantur, vt ex Pontificia conſtitutione Pij IV. quæ incipit, *His quæ planè*, conſtat. Pollicentur charitatem, qua nimirum Dei honorem rebus omnibus præponant, ſacræ Scripturæ præceptis obtemperent, Sedis Apoſtolicæ mandata obſeruent, pro fide Catholica pugnent, iuſtitiam colant, pauperibus ſubueniant, captiuos ab infidelium vinculis ereptos recuperent, & ſeſe vltrò cuiuis periculo pro Chriſtiana Religione obijciant, & pro ea augenda non ſolùm facultates, ſed vitam exponant. Hæc in dicta conſtitutione habentur.

Forti Equeſtum S. Sepulchri profeſſio aſſimulatur profeſſioni Equeſtum S. Stephani.

Obijciunt aliqui, eos implicitè vouere paupertatem, eò quòd ſectentur Regulam S. Benedicti, confirmatam à memorato Pontifice anno Domini 1562. Sed reſpondetur, eos eam vouere non ad inſtar Monachorum, & in ordine ad prædicta, ſed vt fuit mitigata. Et quomodo, quæſo, familiæ ſuæ prouiderent, & ſuis filijs theſaurizarent patres, vt dixit ſanctus Paulus, ſi veram in coniugio paupertatem profiterentur? Perinde videbitur alicui probabiliter dicendum de Militibus ſanctiſſimi Sepulchri, non propriè eos ſcilicet vouere paupertatem, ſed charitatem, cum coniugali caſtitate, & obedientia.

Obiectionis ſolutio.

Sed illud obeſſe poſſet, quòd id de noſtris, quemadmodum de illis Pontificio diplomate non conſtet, & Regula, quam priùs promittebant, & ſtatus Religioſus, non videantur quantum ad hoc mutata, ideoque in illo perſeuerare teneri. Dico tamen probabiliter, ex quo cum illis diſpenſatum fuit in voto caſtitatis, conſequenter fuiſſe illis relaxatum alterum paupertatis, ob rationem indicatam. Hæc potiùs diſputando quàm aſſerendo propoſui.

Eſſe Religioſos & Militares, probatur.

Poſterior verò quartæ illius Concluſionis pars, quòd noſtri Equites ſint etiam Militares, probatur in primis ex fine ad quem inſtituuntur, qui eſt, materialibus etiam armis fideles protegere, & S. Eccleſiæ hoſtes exterminare. Et ampliùs cum Roderico in ſimili de alijs militaribus Ordinibus, vt ſunt de Alcantara, de Calatraua, D. Iacobi,

bi, &c. qui cum coniugali caſtitate & paupertate ad illorum finem ordinata, cum proprio, ſunt Regulares. Si enim iſti non eſſent Regulares, & paupertatis profeſſores, *ad quid*, ait Rodericus, *Pius V. omnia priuilegia teſtandi profeſſoribus Ordinum militarium conceſſa reuocauit?* Et qua ratione Papa hæc priuilegia poſſet dare & tollere profeſſoribus prædictis, ſi non eſſent verè profeſſi paupertatem? Et quomodo Regia poteſtas terret, vt tot illuſtriſſimi & nobiles viri, alioqui laici, penderent à manu Papæ quoad diſpoſitionem bonorum temporalium in ſuis Regnis ſitorum, cùm non patiatur vel minimum agricolam laicum ſuorum Regnorum pendere ab eo, etiam quoad diſpoſitionem vnius Præſulis ſæcularis? Vnde Commendatarij Militarium ſunt velut depoſitarij perpetui, ad modum quo traditur in Iure ciuili de Commendatarijs & depoſitarijs loquente, L. Commendare. de Verborum ſignificat. L. Lucius. ff. Depoſiti. Non enim eorum Commendæ ſunt verè tituli beneficiorum; tituli enim beneficiorum ipſorum Ordinum ſunt penes alios, qui in ipſis Ordinibus Rectores appellantur. Nam Commendatarij vtuntur tantummodò fructibus & emolumentis temporalibus, auctoritate ſuorum maiorum Magiſtrorum, prout tradit doctiſſimus Auendan. de Exequendis mandatis Princ. 2. par. cap. 26. Et ſic clariſſimi ingenij Gregorius Lopez in L. 1. tit. 7. part. 1. ſentent. de Ordin. hanc partem ſuo claro ingenio demonſtrat, dicens, hos Commendatarios eſſe Religioſos, eò quòd iſti Ordines ad militandum inſtituti eſſent Religiones quædam permiſſæ, &c.

Ordines inſuper iſti à Summis Pontificibus confirmati fuerunt: & ſuperiùs vidimus de ſanctiſſimi Sepulchri Ordine, quomodo illius bona, quæ in Regnis Hiſpaniæ vel Galliæ erant, auctoritate Pontificum vnita & incorporata fuerint Ordini S. Ioannis Ieroſolymitani; quod non feciſſent Pontifices, niſi tamquam Religioſi illi ad eos pertinuiſſent; nec potentiſſimi illi Reges id permiſiſſent, ſi ſimplices ſæculares eſſent. Nec per ſeparationem à Melitenſibus, illorum ſtatus fuit omnino mutatus, non ſanè quantum ad hoc, nec à ſua iuriſdictione illum Summi Pontifices exemerunt, vt ex dictis conſtat. Sed & Miranda loco ſub initium quæſtionis citato oſtendit, Milites & Equites qui ducunt vxores, & ex parte obſeruant Religioſorum inſtituta, cum diſpenſatione circa alia quæ à ſimpliciter Religioſis ſunt obſeruanda, poſſe dici Religioſos, non quidem abſolutè, ſed cum addito, Militares. Sunt igitur noſtri Milites non ſimpliciter, propriè & abſolutè Religioſi, ſed ſecundùm quid, & Militares; & ſi adulterium, quod abſit, committerent, non ſolùm adulteri dumtaxat eſſent, vt ceteri ſæculares, ſed etiam ſacrilegi, quia contra caſtitatis votum vel iuramentum delinquerent.

Nec obſtat, eos in communi vel congregatione non viuere: poſſumus enim de ipſis ratiocinari, vel ſicut de primitiuæ Eccleſiæ Religioſis, qui licet in congregatione non viuerent, imò nec profiterentur Regulam ab Eccleſia approbatam, nihilominùs erant verè Religioſi, vt Suarez Tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 4. ait; vel ſicut de Tertiarijs S. Franciſci, qui in proprijs domibus viuunt, nec abſolutè caſtitatem & continentiam promittunt, vt tradit Petrus de Peruſino apud Rodericum, quorum tamen Ordinem Pontifices confirmarunt. Ita etiam Ordinem S. Sepulchri confirmarunt, vt & alios, quod Pontificia diplomata oſtendunt. Et cùm Theologi negant huiuſmodi eſſe Religioſos, non negant de Religioſis ſecundùm quid & militaribus, ſed de ijs qui tales ſunt ſimpliciter. De Commendatarijs, eorum exemptionibus, & alijs ad eos pertinentibus, agit pluribus Rodericus Tom. 2. q. 62. art. 13. vſque ad 18.

Obiectionis ſolutio.

Reijcit hanc diſtinctionem ac conciliationem P. Franciſcus Suarez Tom. 4. de Religion. lib. 1. De varietate Religionum in genere, cap. 4. num. 25. ſed an efficaciter, iudicent alij: interim quæ dicta ſunt mihi ſatis probantur, & à viris doctiſſimis rationabiliter ſunt laudata.

CAPVT LXIV.

De Militum ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri IESV CHRISTI *præcellentia.*

IAm porrò à quibus in hac tractatione Equitum Terræ ſanctæ incœpit, ad illos noſtra recurrit oratio; & quemadmodum præcipuus ſcopus noſter fuit, agere de Militibus ſanctiſſimi Domini noſtri Sepulchri, ita in ijſdem idem inſtitutum noſtrum terminabitur; & quos initio oſtendimus origine ceteros præire, quomodo dignitate etiam & excellentia ceteros præcellant Equites, ſub finem huius argumenti explicandum eſt, vt ex his appareat, quanti noſter hic ſacer Ordo ab omnibus ſit faciendus.

Ordo S. Sepulchri ceteros omnes præcellit.

D. Andreas Fauinus Tom. 2. de Ordinibus Palæſtinæ agens, ait, Ordinem Equitum ſanctiſſimi Sepulchri origine primas tenere: ex quo mihi inferre liceat, Igitur

&

& alijs omnibus eſt dignior & præſtantior, eodem planè argumento, quo tam Galli quàm Hiſpani contendunt, ſuum cuiuſlibet Regem eſſe ceteris digniorem, ideoque ei primas deberi, & in ſolemnijs atque Concilijs honoratiorem ſeſſionem dandam eſſe; quòd tam iſti quàm illi dicant, ſuos Reges eſſe Reges Ieruſalem, & in eo omnes conueniant, Regem Ieroſolymitanum omnium dignißimum eſſe, quoniam ibi Chriſtus Dominus regnaſſet, ſecundùm Dauidis vaticinium, & ſalutis noſtræ myſteria operatus fuiſſet, vt indicauimus Libro 1. Cap. LXIV. Hoc ergo & nos nixi fundamento, ſtatuimus, noſtros ſacros Milites inter omnes primas tenere, quia ſunt Equites ſanctißimi Sepulchri Domini noſtri, ex quo idem Dominus, fortis & potens in prælio, deuicta morte, ſuperato dæmone, carceribus ſubterraneis expoliatis, glorioſum agens triumphum prodijt; & qui in Caluariæ monte ignominioſè mortuus fuerat propter delicta noſtra, ex Sepulchro glorioſus exiuit propter iuſtificationem noſtram: ex quo omnis gloria prouenit hominibus, Angelis, & ipſi Chriſto.

Probatur primò.

Sepulchri figura Salomonis lectulus, quem Equites, id eſt ſexaginta fortes, ambiunt.

Quam quidem præcellentiam & dignitatem indicaſſe mihi videtur Spiritus ſanctus in diuino illo Salomonis epithalamio, dicens: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortißimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctißimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum, propter timores nocturnos*, Cant. 3, 7. Salomonicus hic lectulus, ſi credimus veteri & grauiſſimo ſcriptori Philoni Epiſcopo Carpathio, appoſitè noſtri veri Salomonis Chriſti Domini Sepulchrum ſignificat. Lectulus iſte non plumeus, ob carnales voluptates, ſed *floridus* appellatur, propter ſpirituales delicias, & reſurrectionis florem Chriſtum Dominum: in eo ſiquidem Chriſti caro reſloruit, quæ in Caluariæ monte defloruerat. Et ſi res ita ſe habet, quid per circumſtantes fortes intelligemus? Ni ego fallor, bellè & abſque litteræ illata violentia, noſtros Equites ſanctißimi Sepulchri. Fortißimi Iſraël non tantùm fide, per quam Sancti Deum in hoc ſæculo vident, & vicerunt Regna; ſed & animi corporiſque fortitudine, omnes vtique robore præſtantes, armis inſtructi, & bellicæ rei egregiè experti, quibus noſter iſte lectulus defendi debet, vt de nulla inimica vi timeat, nec de hoſte, qui cubantem in eo Salomonem noſtrum poſſit perturbare. Fortißimi, quia ſuperata laborioſa & periculis plena peregrinatione, ad maiorem ſponte ſe accingunt prouinciam, ſic palàm omnibus facientes corporis & animi egregiam ſuam fortitudinem, vt ſtatim apparebit. Sexaginta dicuntur, id eſt, in ſufficienti & copioſo numero (poſito numero determinato pro indeterminato, ſecundùm ſacræ Scripturæ conſuetudinem) vt ad lectuli cuſtodiam & decorem ſufficiant. Quare ne deſint, non cælibes modò, ſed etiam honeſto matrimonio copulati inter eos admittuntur, vt poſteà dicemus. Electi iſti Milites ſunt ex fortißimis Iſraël, id eſt, omnium militarium Ordinum Terræ ſanctæ, imò & Chriſtianorum omnium, qui veri Iſraëlitæ ſunt ſecundùm Apoſtolum, præſtantißimi. Dicuntur tenere non gladium, ſed gladios, quaſi duos habeant, nec vnico contenti ſint, vt pro cuſtodia Sepulchri, & ad hoſtibus terrorem incutiendum vndequaque & decori & formidabiles appareant.

Duo gladij Equitum, ſpiritualis alter, alter materialis.

Sed quinam iſti gladij? An de quibus dixit ad Dominum Petrus, *Ecce duo gladij hîc*, quos & ſufficere Dominus reſpondit, & quos non incongruè interpretaberis ſpiritualem & materialem. Spiritualem tenent illum, ad quem aſſumendum nos hortatur Apoſtolus, dicens: *Galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei*, Epheſ. 6, 17. *Viuus*, vt idem ait Apoſtolus, *& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus*, &c. Hebr. 4, 12. Hunc gladium tenent noſtri Milites mente, ore & manu. Tenent mente, legem Domini meditando die ac nocte, voluntatem eius iugiter cordibus infixam habentes: ideò illorum quilibet tenetur quotidie, opportunitate habita, Miſſæ intereſſe, & alia quæ diuinum ſuggerit Eloquium, obſeruare. Tenent ore, Deum laudantes, & quod acceperunt à Domino bonum verbum eructantes, inque Dei obſequium & proximi vtilitatem impendentes: ex vi nimirum ſuæ inſtitutionis debent pacem & concordiam inter Chriſti fideles procurare, Rempublicam exornare & augere. Tenent denique manu, quia quod mente & ore profitentur, in opere per bonæ conuerſationis exemplum demonſtrant, viduas & orphanos protegendo, &c. & denique apud Deum & homines irreprehenſibiles ſe exhibendo.

Sed & altero & materiali gladio accincti ſunt noſtri ſacri Milites, cuius meminit idem S. Apoſtolus, dum loquens de huius ſæculi Magiſtratu, ait: *Non enim ſine cauſa gladium portat*, Rom. 13, 4. Iſto ſiquidem accinguntur in ſua inauguratione, vt intelligât, ſe illo vti debere pro ſanctæ Eccleſiæ defenſione, & infidelium confuſione. Inſtructi quoque & ad bella doctißimi dicuntur, quia non tyrunculi & inexperti, ſed exercitati eſſe debent in debellandis hoſtibus, ſcien-

ſcientes quibus armis & quibus modis contra hoſtes dimicandum ſit, ſiue viſibiles aut inuiſibiles, ſiue occulti aut manifeſti ij ſint. Accincti, propter promptitudinem, vtpote qui ſemper parati eſſe debeant ad congrediendum quolibet momento cum aduerſario. Vnde & cuilibet in ſua inſtitutione dicitur: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime*, Pſalm. 44. Perſimiles nempe ſunt ſtrenuiſſimis illis Iudæis, qui ſub Nehemia templum Domini, & diutos ciuitatis Ieruſalem muros reædificarunt, qui propter continuos inimicorum inſultus & imminentia pericula, manu altera opus faciebant, & altera gladium tenebant, vt in libro Eſdræ proditum eſt. Et noſtri etiam Equites propter timores nocturnos, propter quæuis pericula, quibus vel dæmones vel infideles impetere poſſunt S. Dei Eccleſiam, fideles, & ſingulariter Terræ ſanctæ peregrinos, & eiuſdem incolas, ſunt vndequaq; inſtructi & parati.

Gladius ſuper femur, carnis mortificatio.

Nec hîc prætereundum, quòd quidam interpretentur, accinctum ſuper femur gladium, carnis mortificationem ſignificare; quo nimirum egregius ille quoque miles Paulus accinctus, corpus ſuum caſtigabat, & in ſeruitutem ſpiritus redigebat. Etenim & noſtri Milites illam deſpicere non debent, quia fornicationes, adulteria, ebrietates, loca ſuſpecta, perſonas infames, ceteraque carnis vitia vitare, & tamquam peſtem cauere debent, ex ſpeciali vtique obligatione; & ſi fortè in ea impingerent, vt præhibuimus, ceteris grauiùs & turpiùs offenderent. Anne ergo dignioſſimi & inter ceteros præſtantiſſimi ſunt noſtri ſacri Milites? ſed idem amplius ex his accipe.

Probatur ſecundò multiplicitèr.

Non laudo vel ceteris præfero noſtros illuſtriſſimos Milites ob antiquitatem, vel externam nobilitatem, quòd ex generoſis parentibus nati ſint, ex his enim vel nihil vel ſanè parum ſupra ceteros extollerentur: ſed ex proprijs & ſpiritualibus bonis illos magnifacio, ex merito ſcilicet, obiecto, fine, ſtemmatibus, & ſupremo illorum moderatore.

Ex merito in primis, quoniam qui ſacro huic militari Ordini adſcribuntur, ſanctis occupantur operibus: longam etenim, periculis plenam, & inter ceteras meritoriam aſſumpſerunt peregrinationem. Non accedunt vacui, ſed cum diuitijs, vt ijs in ſubſidium locorum ſanctorum diſtributis meritum augeant, Magos illos Orientis imitantes, qui dum ad Terram ſanctam venirent, Chriſto Regi munera obtulerunt. Ad hæc ſacramentali confeſſione mundati & ſacra Synaxi refecti & ſaginati, inſtituuntur. Et qui eiuſmodi ſunt, veluti præ ceteris vera nobilitate fulgentes, pluris faciendi, Deoq; dicandi ſunt. Vnde verè appoſiteque ad intentum noſtrum dixit Summus Pontifex Gregorius IX. quòd non generis, ſed virtutum nobilitas, vitæque honeſtas, gratum Deo faciant, & idoneum ſeruitorem: ad cuius regimen non multos ſecundùm carnem nobiles & potentes elegerit, ſed ignobiles & pauperes, eò quòd non ſit perſonarum acceptio apud ipſum. Cumque ad culmina dignitatum, nedum ad præbendas, viri eminentis ſcientiæ vix valeant reperiri, exceptiones huiuſmodi non duximus admittendas. Ita refertur De præbendis & dignit. tit. 5. c. Venerabilis frater.

Nobilitas qua Deo charum reddit.

Ex obiecto laudantur, quia ſunt defenſores & cuſtodes glorioſiſſimi Sepulchri Chriſti Domini, à quo omnis gloria nominis Chriſtiani prodijt.

Ex fine, quia inſtituti ſunt ad decorem ſanctiſſimi Sepulchri, & ad tutelam eorum qui ad ipſum peregrinantur, &c.

Ex ſtemmatibus porrò, quæ eadem ſunt Eccleſiaſticorum & temporalium Principum ſanctæ ciuitatis, Patriarcharum nimirum & Regum; imò ipſius Regis Regum Chriſti Ieſu Domini noſtri, quinque inquam Cruces, quæ victricem Crucem Saluatoris, & eius ſacra rubentia ſacratiſſimo Sanguine Vulnera repræſentant. Has ponunt ſuper cor & brachium, interiùs & exteriùs; quia *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeßio fit ad ſalutem*, Rom. 10, 10. Et tandem ex ſupremo illorum moderatore celebro noſtros Milites, Summo inquam Pontifice, vt ſuprà Cap. XLIV. notauimus. Non diffiteor ipſum eſſe omnium Ordinum communem Magiſtrum; peculiarem tamen eſſe Ordinis ſanctiſſimi Sepulchri, aſſerere non dubito. Hanc dignitatem dicitur Catholicus Hiſpaniarum Rex Philippus II. affectaſſe; & ſanè alij Illuſtriſſimi viri eum appetierunt, ſed non ſunt aſſecuti, vt ſuperiùs diximus, ſublimiorem exquirebat Magiſtrum; & cùm maior in terris Summo & Romano Pontifice non exiſtat, ſupremus etiam ille ſacri huius Ordinis manet Moderator.

Dices, poſſe huius Ordinis Milites vxores ducere, & matrimonio copulari, quod videretur derogare illorum ſpirituali dignitati. Reſpondeo, hoc effici, ne ſint per ſe & ſimpliciter Religioſi, vt clauſtrales Monachi, quod iam conceſſimus: ſed non ideò ſunt culpandi, quòd abſolutè Religioſi non ſint; quia matrimonium ſanctum eſt & ex ſe immaculatum, imò etiam in caſu præceptum, eoque ſtante poteſt quis militari Ordini, cui non repugnat, Pontificis auctoritate adſcribi, ſicut accidit in iſto Ordine

&

& alijs ſimilibus. Rodericus Tom. 1. q. 23. art. 3. Et ni mea me fallit ſententia, opportunum huic Ordini eſt matrimonium, in primis, ne eius alumni in hoc ſæculo cum ſæcularibus agentes, ſæculi flammis comburantur; etenim, ſecundùm Apoſtoli placitum, *melius eſt nubere, quàm vri*, 1. Corinth. 7, 9. & Azorius lib. 13. cap. 7. quæſt. 2. ait, Pontificem iuſta de cauſa poſſe relaxare votum caſtitatis, & relaxaſſe aliquando, vt plurium peccatorum occaſionem præcideret, etiam cum adſtrictis voto caſtitatis ſimpliciter; eaque eſt doctrina communis. Potuit itaque etiam cum noſtris Militibus diſpenſare, vt (eorum ſtatu in alijs integro remanente) cũ voto vel iuramento coniugalis caſtitatis ſacræ Militiæ adſcriberentur. Secundò, ne Ordo iſte deficiat. Cùm enim noſtris hiſce calamitoſis temporibus haud vſqueadeò frequentes Ieroſolymam veniant peregrini, illique ſoli, qui cælibes eſſent, cum perpetuæ continentiæ onere eſſent creandi Milites ſanctiſſimi Sepulchri, pauciſſimi profectò eſſent, & non ſexaginta, qui lectulum Sepulchri noſtri Salomonis Chriſti Domini circumdarent. Denique expedit hos Milites matrimonio copulari, quia cùm inſtituti ſint ad pugnandum materialibus armis pro ſancta Dei Eccleſia, ne illorum familiæ deficiant, paternæ virtutis æmulos filios caſtè & ſanctè ab illis procreari conuenit, qui parentum ſuorum veſtigijs inſiſtant pro Catholicæ Eccleſiæ & fidelium vtilitate. Vt enim quidam Poëta dixit,

Opportunè coniugati etiam Equites inſtituuntur.

Horat. l. 4. Ode 4.

Fortes creantur fortibus & bonis,
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina ſed vim promouet inſitam,
Rectiq; cultus pectora roborant,
Vtcumque defecere mores,
Dedecorant benè nata culpæ.

Lege P. Franciſcum Suarium in hoc argumentum plura accuratè diſſerentem Tomo 4. de Relig. lib. 1. de Variet. Relig. in genere, cap. 4. Atque ex his patet, quàm ſublimis ſit excellentia & præcellentia Equitum ſanctiſſimi Domini noſtri Sepulchri ſupra ceteros Equeſtres Ordines.

CAPVT LXV.

Triplex obiectio contra dicta Capite præcedenti.

VT veritas præcedenti Capite explicata de præcellentia noſtrorum Militum demonſtretur ampliùs, triplex, quæ contra ipſam fieri poſſet obiectio, proponenda & explicanda eſt. In primis Franciſcus Sanſouinus in ſuo Opere Italicè conſcripto de Origine Equitum & Ordinum militarium, initio libri 2. in genere ſtatuit triplex genus Equitum & Ordinum militarium, qui noſtra tempeſtate pacis vel belli tempore in honeſtis & virtuoſis operibus ſe occupant, & cuilibet generi plures ſpecies aſſignat. Primum genus *Torquis* appellatur, ſecundum *Crucis*, & *Calcaris* tertium. hoc eſt, *Ordine di Collana, di Croce, e di Sprone*: primumque locum tamquam digniori & excellentiori, tribuit Ordini ſiue Ordinibus Torquis, ſecundum Crucis, tertium denique Calcaris Militibus. Rationem addit, quòd eos, qui priori illi Ordini initiantur & adſcribuntur, oporteat eſſe Principes, vel ex Principibus progenitos, & dominos ſtatus, non perinde eos qui alijs Ordinibus.

Triplex Equitum Ordo. Torquis, Crucis & Calcaris

Secundò dicunt alij: Vbinam eſt illa, quam iactas, virtus & fortitudo Militum Dominici Sepulchri? in domibus enim proprijs deſides, & otio vacantes, vel ſaltem rei militari minùs incumbentes, manent, nec vllam curam habent Dominici Sepulchri, nec arma contra infideles aſſumunt.

Tertiò, Si tantæ dignitatis eſſent iſti Milites, omnes magni illos facerent: ſed, vt apparet, non videntur plus æſtimari ac cæteri ſæculares. Si intus eſt virtus, foris emicet per operationem, exerant gladium; non enim conuenit illum ſemper in vagina ſeruare.

Sed enim hæc dictis non obſtant, & facilè ex præmiſſis diſui poſſunt. Et ad primum argumentum, quod fundatur in externa & temporali nobilitate, dicendum, non eſſe eam appoſitam comparationem, vt quæ ſecundùm Philoſophos debet fieri inter ea quæ ſunt eiuſdẽ ſpeciei: ſed Equites Torquis & Crucis nec in genere quidem conueniunt, cùm illorum dignitas ſit temporalis, iſtorũ ſpiritualis. Sed quidquid ſit de hoc, comparatione admiſſa, ſimpliciter dico, abſolutè maiorem eſſe dignitatem & excellentiam noſtri ſacri Ordinis, quàm aliorum, quoniam illius dignitas eſt ſpiritualis, iſtorum tantum modò temporalis: ſpiritualia verò comparatione & merito ſui ita excellunt temporalia, vt centenarius numerus vnitatem ſuperat, vt ait S. Hieronymus lib. 3. in Matth. Et glorioſa virgo & martyr Agatha verè dixit Quintiano Siciliæ Præfecto: *Multò præſtantior eſt Chriſti humilitas & ſeruitus, Regum opibus & ſuperbia.* Quare licet Sanſouini dictum admitteretur de temporali nobilitate, negandum tamen eſt omnino de vera ſpirituali &

Reſpond. ad argumenta. Ad primũ.

Spiritualia longè ſuperant temporalia.

Christiana: illa enim pendet ab ista, & consequenter noster sacer Ordo Crucis, alteri Torquis longo interuallo in vera dignitate & nobilitate præferendus est; & Torquati Christianam nobilitatem & veram gloriam suam à Cruce mutuabuntur. Et certè etiam ij qui sæcularis honoris & excellentiæ sunt cupidi, vt illam ostentent & præferant, Regia sibi statuunt vexilla, & oculis hominum exponunt illustrissima stemmata, sed quæ singulariter diuina, & omnibus astris fulgentiori Cruce condecorentur. Imò & quicumque in dignitate aliqua sunt constituti, vel alicui Ordini adscripti, post data nobilitatis suæ exterioris, & prosapiæ seu claritatis sanguinis documenta, arbitrati se Cruce illam augere posse, eamdem vel in stemmatibus depingunt, vel in vexillis describunt, vel supra vestes in pectore deferunt. Denique certatim omnes, cuiusuis conditionis existant, hoc signum assumunt, in eo gloriantur, & plurimum sibi per illud nobilitatis accedere credunt. Numquid nobilissimi illi Equites D. Iacobi & Calatrauæ rubram, D. Ioannis albam, viridem Alcantaræ Crucem, &c. honoris ergò in pectore & in vestibus gestant? An non ascendit sancta Crux ad naues, ad arcuum & turrium cacumina, vbi à fidelibus collocari consueuit? Et amplius, nónne eadem sancta Crux ascendit ad Regia diademata, ad Imperatorum coronas, ad Pontificum tiaras? Ita plurimus explicat Chrysostomus Homil. de Cruce, & Homilia Quòd Christus sit Deus. *In purpuris*, ait, *Crux, in diadematibus Crux, in armis Crux, in mensa sacra Crux, & in toto orbe Crux, & super solem fulget Crux.* Quæ, & similia, passim docentur à sanctis Patribus, & apud Catholicos omnes ipsa meridiana luce clariora sunt. Quomodo ergo Torquati Equites erunt nostris Crucis nobiliores, cùm illi, istorum præclarissimis insignibus honorem & venerationem, velint nolint, exhibere teneantur, & ab eisdem veram nobilitatem emendicare?

Nobilis mundi Cruce suam nobilitatem exornant.

Nec mirandum, in nostrum sacrũ Crucis sanctique Sepulchri Ordinem adscribi non tantùm Reges & Principes, vel ex his progenitos, sed quoscumque virtute præditos, & honesto loco natos: quoniam S. Crux est Christi & Christianorum commune vexillum, vtpote sub quo omnes saluandi & honorandi sint, vt per Isaiam cap. 11, 10. prænuntiatum fuit hisce verbis: *In die illa, radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur, & erit Sepulchrum eius gloriosum.* & vers. 12. *Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.* quod de alijs insignibus enuntiari non potest, cùm de deorsum sint, & illud de sursum; illa momentaneam, & istud æternam sortitum sit claritatem: ideò & illius Ordo clarior. Vnde non immeritò Ordo Equestris Crucis fuit collocatus in medio Ordinis Torquis & Calcaris; non quia isto sit posterior, sed quia ab vtrisque honoratur, istique ab eo splendorem accipiant, quemadmodum Sol in medio Planetarum positus, omnibus lumen impertitur, & qua ratione Ierosolyma apud Ezechielem inde commendatur, quòd habeat in circuitu suo terras. Et noster ergo Ordo, quòd in aliorum medio positus sit, commendabitur. Nec vnam dumtaxat pro insignibus Crucem defert, sed quinque, tum ob anteà indicata mysteria, tum vt à ceteris fidelibus & Equitibus distinguatur, eisque præstare intelligatur, & vt à Domino per Crucem & quinque eius Vulnera redempti, ipsum in mente, corpore & sensibus quinque deferant, secundùm Apostoli cohortationem 1. Cor. 6, 20. *Empti estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro,* in oculis, auribus, &c.

Ordo Crucis in medio cur positus.

Ad secundam obiectionem, quæ querimoniam continet, sed non iustam, dico, illam moueri posse etiam contra alios Terræ sanctæ Ordines, imò contra omnes, quorum institutum est, bellum mouere contra infideles pro sanctæ Ecclesiæ tutela & dilatatione, qui tamen non mouent. Sed pro nostris respondeamus. Dico igitur (& omisso nos loqui de ipso Ordine, & non de statutorum legumque ipsius transgressoribus) ideò quòd modò ad bellum non accedant, minimè esse culpandos tamquam suæ professionis transgressores, quia non dictum est illis, vt hostem prouocent ad pugnam, & auctoritate sua expeditionem contra infideles instituant; sed vt vadant quando est bellum vniuersale contra infideles. nec enim eos facimus caput Ecclesiasticæ militiæ, cuius officium est influere & mouere; sed membra, quorum est moueri & sequi. Igitur moueatur & indicatur bellum à supremo mundi huius Moderatore, & tunc sequentur nostri Equites. Moueat se Aminadab, & current quadrigæ eius. Surgat alter Moyses & dicat: *Si quis est Domini, iungatur mihi*, Exod. 32, 26. Et tunc congregabuntur ad eum, non quidem omnes filij Leui, sed Christi nostri sacri Milites, & euaginato gladio facient cum Dei adiutorio plagam magnam in infideli populo. Moueat exercitum fortis & strenuissimus Iudas Machabæus; & fortissimi Israël, nostri inquã Milites, ipsum comitabuntur. Accingat se gladio suo super femur suum potentissimus,

Ad secundam.

Debent à capite ad bellum moueri.

Digitized by Google

tissimus, vt exoptabat Regius Vates, & tunc nostra illustrissimorum Equitum caterua circumdabit illum. Et an sic facturos dubitas? Non ego. Si enim antequam sancto militari gladio accingerentur, diuino zelo succensi, diuitias, terræ marisque pericula, & vitæ ipsius iacturam paruipendentes, Ierosolymam venerunt, verè, vt ita dicam, absque capite & externo Duce, vt venerarentur Reparatoris nostri Sepulchrum: quid non facerent iam sancto gladio accincti, & sacræ Militiæ adscripti, celeberrimo Duci vniti, atque aliorum Principum accedente auxilio? Et profectò suam virtutem, fortitudinem & zelum Dei palàm omnibus fecerunt in diplomate ad Catholicum Regem Philippum II. quod suprà Capite XLV. adscripsimus.

Ad tertium Ad posterius denique obiectum dupliciter respondetur. Primò, nostrum sacrum Ordinem ideò non multùm laudari & æstimari, quia pauci ex Nobilibus Christianis, proprijs relictis commodis, Ierosolymam ad sanctum Sepulchrum se conferunt, vbi huic Ordini adscribantur sacri Milites. Vt enim eleganter & verè dicit S. Hieronymus ad Paulinum de Institut. Monach. *Plus laudat vnusquisque quod possidet.* Deinde mundus æstimat bona temporalia, & quæ sua agnoscit; sed hæc iam non habent nostri Milites, vtpote quæ tradita sint Melitensibus, ideò haud ampliùs eos æstimat mundus. Sanctissimum Domini nostri Iesu Christi Sepulchrum postponitur alijs Christianitatis sanctuarijs, aut, vt meliùs dicam, contemnitur, & potestati canum & porcorum permittitur. An verò propterea, quòd pessimus mundus adeò ingratus sit aduersus suæ redemptionis sacraria, etiam Christianis, Catholicis, qui mundo eiusque pompis in sacro Baptismate seriò renuntiarunt, contemnendum est Sepulchrum illud cælo & terra celebrandum atque venerandum, quod, Isaia vaticinante, scimus fuisse glorioſum, etiam antequam in petra excideretur, & humana diuinaque Saluatoris nostri præsentia honoraretur?

Ordo Sepulchri quare non æstimetur.

Ad Christianos Principes; pro dignissimi sacri Equestris Ordinis sanctissimi Sepulchri Domini nostri Iesu Christi instauratione, humilis deprecatio.

OVtinam aliquando vtriusque potestatis, Ecclesiasticæ & sæcularis, Christiani Principes verè & ex corde ad nostri sacri Dominici Sepulchri Ordinis dignitatem ac præcellentiam aspicerent, & erga illum, prout eius dignitas expostulat, afficerentur, atque de illius perfecta reparatione seriò cogitarent; vt quemadmodum tantum dignitate ceteros Equestres præcellit Ordines, quantum ipsum Domini Sepulchrum gloria & honore cetera huius mundi visibilia excellit, pro tali etiam agnosceretur, æstimaretur & haberetur, nec tanti Ordinis vana videretur institutio. *Scientia* enim *abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas vtriusque?* Eccli. 20, 31. Bonũ quidem, quòd in admirabili atque ineffabili diuini Verbi incarnatione Deus factus sit homo, quia pro hominis salute humiliatus Deus: at multò meliùs, quòd homo factus sit Deus, & ab eodem hypostaticè pendeat & sustentetur, vt à Creatore creatura, à Deo homo, & à Verbo caro, quia exaltatus homo Deus. Ita bonum quidem, quòd Sepulchri Ordo dignissimo Melitensi fuerit vnitus, ac vtriusque appelletur idem Magister supremus, Melitensis inquam; sed profectò multò meliùs, ni ego fallor, factum fuisset, si, sacro Dominici Sepulchri Ordine in pristino suo statu manente, eidem vnitus ac incorporatus fuisset Ordo Melitensis & S. Ioannis, cùm ille istum longo interuallo excellat & præcellat, & gloria & dignitas illius in istum descendat, & nullo modo ille ab isto gloriam aut splendorem mutuare possit; siquidem gloria Dominici Sepulchri est omnis gloriæ fontalis origo, quam agnouit Isaias non solùm ante cuiusque militaris Ordinis institutionem, sed antequam à Ioseph Sepulchrum ipsum excideretur in petra. Et si generosi & præstantes viri, desiderio acquirendæ gloriæ, magna & ardua quæq; aggrediuntur, nec sumptibus nec laboribus parcentes, nec pericula quælibet subterfugientes; quare modò idem gloriæ stimulus eosdem non excitaret ad reparandum nostrum sacrum Ordinem, ex cuius reparatione sibi excellentem apud Deum & homines gloriam compararent? Auctores militarium Ordinum ideò plurimùm celebrantur, quia illustrissimorum virorum parentes extiterunt, qui ex illis, velut armati viri ex equo Troiano, non tam corporis viribus, quàm animi fortitudine ac virtutibus condecorati, prodierunt. Sed multò ampliùs celebrarentur restauratores nostri sacri Ordinis, quia gigantes, magnos inquam parerent viros, non dico corporis mole, sed animi virtute, quibus alij comparati locustæ viderentur. Quòd si non multùm æstimetur, eò quòd diuitias & prouentus non habeat, sciant, si in sepulchris inueniuntur thesauri, in nostro Saluatoris omnes diuitias ac thesauros cæli & terræ inueniri posse. Hæc & alia quæ nostrum sacrum Ordinem Dominici Sepulchri respiciunt, expendant nostri Chri-

ſtiani Principes, & per viſcera Dei noſtri, quibus viſitauit nos oriens ex alto, viſitent & ipſi hunc ſacrum Ordinem, & de illius reparatione efficaciter cogitent, vt pro heroico obſequio, ſacratiſſimo Sepulchro exhibito, à Chriſto Domino, qui illud ſua præſentia illuſtrauit, bonorum laborum illuſtrem coronam in præſenti & in futura vita recipiant.

CAPVT LXVI.

Bellum inſtituendum eſſe à Chriſtianis Principibus, Eccleſiaſticis & ſæcularibus, contra Mahumetiſtas, pro recuperatione Terræ ſanctæ, peragenda per ſacros Milites. Multiplices fructus, qui ex ſacra expeditione proueniant. Item. Rationes quæ Auctorem vel retrahant vel impellant ad ſcribendum de hoc argumento.

NOn ſemel, ſed varijs vicibus, tum ore, tum iteratis epiſtolis rogatus fui ab aliquibus amicis meis, ſalutem locorum ſanctorum maximè zelantibus, ad quorum notitiam peruenerat me de eiſdem locis ſanctis nonnihil publicæ luci meditari, vt Operi iſti interſererem breuem aliquam cohortationem, qua fidelibus, & in primis Chriſtianis Principibus perſuadere conarer, ab ipſis eſſe aſſumendum bellum contra infideles Turcas, iniuſtè ac tyrannicè loca ſancta occupantes, augmentumque Chriſtianæ Religionis impedientes, quò hereditas noſtra, verſa ad alienos, ad ſuos reuertatur dominos, & præſcindantur qui ſpiritualem profectum Euangelijque promulgationem impediunt & conturbant. Neque hoc ſolum, ſed vt & modum fructuosè illud exequendi, fructusque ex ſacra & valida expeditione prouenturos, pro ingenioli mei tenuitate aperirem.

Sed enim tum me vireſque meas, tum conditionem illorum cum quibus hoc argumentum ſingulariter tractandum eſſet, conſiderans (vt magnitudinem & arduitatem argumenti prætream) rubore confuſus, & propter inſufficientiam perterritus, onus hoc ab humeris meis declinare cœpi. Quis enim ſum ego? Vilis, deſpectus, ac nullius pænè momenti homuncio, militiæ temporalis penitus inexpertus, in ſpirituali vix tyrocinium aggreſſus: atque ego vtriuſque militiæ, in ſacra expeditione neceſſariæ, ducem me ac præceptorem gerere auſim? Egóne rudis tyro, & vel lepore timidior, diſponam caſtrorum acies, vt præcedam agmina armatorum? Et quid tam remotum à profeſſione mea, etiamſi vires ſuppeterent, etiamſi peritia non deeſſet? Numquid prædicator pacis inſtigabit alios & hortabitur ad bellum?

Iam ex altera parte, cum quibus, putas, mihi erit negotium? cum omnibus quidem fidelibus, quoniam communis eſt cauſa, ſed ſingulariter cum illuſtriſſimis, ſtrenuiſſimis, & ſupremis ſanctæ Eccleſiæ Præſulibus, Eccleſiaſticis & ſæcularibus: cum eiuſmodi qui armorum peritia, belli gerendi ſcientia, & in omni virtutum heroicarum genere ſunt exercitatiſſimi & abſolutiſſimi. Ad hos, inquam, mihi ſermo eſt inſtituendus.

Verumenimuerò pia & iuſta amicorum exhortatione, alijſque rationibus honeſtiſſimis permotus, eam ſum aggreſſus prouinciam: in primis, quia charitas non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, quæ & foras mittit timorem, & in negotijs pertractandis dat ſcire & poſſe; ita vt Apoſtolus Paulus, qui ſe omnium Apoſtolorum minimum prædicabat, cæleſti hac & diuina virtute præditus, & auxilij diuini clypeo munitus, dixerit: ***Omnia poſſum in eo qui me confortat***, Philip. 4, 13. &: ***Non ego autem, ſed gratia Dei mecum***, 1. Corinth. 15, 10. Ad hæc, quia licet vilis ego ſim & deſpectus, adeoque præſentiam Maieſtatis reuerear & erubeſcam, *littera* tamen, vt vulgò dicitur, ***non erubeſcit***. Præterea eam me gratiam habiturum & inuenturum apud pios & fideles Principes confido, ne confundar vel erubeſcam loqui ſapientiam. Si enim Abraham ille, qui ſe puluerem & cinerem dicebat, pluries exorauit Dominum, familiaribuſque ſermonibus Regem gloriæ & Maieſtatis eſt allocutus, & Dominus illius ſermonibus non fuit tædio affectus, nec Abraham confuſus, ſed diuinis promiſſionibus repletus: num Chriſtiani Principes, Dei in terris vices gerentes (homines tamen) confundent faciem meam, nec vel vnum verbulum audire dignabuntur, quod procedat ex ore meo in nomine Domini? Quid? Infidelis ille & pertinaciſſimi ingenij Rex Pharao audiuit Moyſen, quamuis contra ipſum ſoquentem; & fideles pijque Principes non audient me pro ipſis rationes proferentem, vt ampliorem, nec vulgarem aliquam, ſed ſanctam & electam regionem poſſideant, faciantque ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum?

Et quamuis in vtroque bellandi genere, ſpirituali & corporali, ſim penitus imperitus, magna tamen eſt potentia Dei. Dauid etiam non aciebus diſponendis, non profligandis hoſtibus, ſed curandò gregi & paſcendis ouibus aſſuetus, nullum armorum

vſum

vſum habebat; diuino tamen fretus auxilio, ferum & immanem gigantem proſtrauit & occidit, innumeroſque Philiſthæos profligauit, & factus tandem militiæ dux, de hoſtibus ſuis varias victorias Domino opitulante reportauit. Et cur nec ego in Dei nomine potero ex his, quæ in Scriptura ſacra ad omnium inſtructionem reliquit Dominus, pauca excerpere pro præſenti argumento, vt tum mihi ipſi, tum aliorum pio deſiderio, tum denique communi omnium vtilitati ſatisfaciam?

Prætereà, quod caput eſt, leuius eſſe arbitror, *verecundia apud homines periclitari* (vt verbis vtar D. Bernardi, quibus ipſe in ſimili argumenti genere vſus eſt) *quàm condemnari apud Deum ſilentio, veri taciturnitate, & abſconſione iuſtitiæ.* Ipſe enim dicit: *Annuntia populo meo ſcelera eorum*, Iſaiæ 58, 1. Erit mihi etiam laudi ante faciem Domini, ſi dicere potero: *Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam & ſalutare tuum dixi*, Pſal. 39, 11. Ideò ſane non vereor, quamuis alioqui verecundia prohibente, pro mea ignobilitate ſcribere ad glorioſum populum, ad mundi Principes & Rectores, ſi fortè audiant, & dicendis acquieſcant. Quis ſcit ſi conuertantur ad precem pauperis qui non credunt, qui non cedunt potentium minis, nec omni armaturæ fortium? Nónne quondam in Babylone ad vocem adoleſcentuli omnis ille populus, qui à ſenibus iſtis & iniquis iudicibus ſeductus fuerat, reuerſus eſt ad iudicium, & ſic ſeruatus eſt ſanguis innoxius in die illa? Ita nunc quoque etſi adoleſcentulus ego, non quidem annorum, ſed meritorum paucitate, ſenioribus & potentioribus verba faciam; potens eſt tamen Deus dare etiam voci meæ vocem virtutis, per quam fiat, vt omnes rebus ſuis proſpiciant (ſuis dixerim, an Ieſu Chriſti? ſed meliùs ſuis & Ieſu Chriſti.) Et ſi non ſint audituri vocem meam, audient tamen, ſpero, vocem Domini: ſemper enim, quoad fieri poterit, ſententijs, verbiſque & exemplis ſacræ Scripturæ, vt quæ præ ceteris maiorem virtutem & energiam habeant; in hoc dicendi genere vſurus ſum, & non magiſtri, ſed præconis tantùm munere functurus. Quòd ſi *omnes quæ ſua ſunt quærunt*, vt dixit ſanctus Apoſtolus ad Philippenſ. 2, 21. quare non magis quærent quæ ſua ſunt, & Ieſu Chriſti, ne idem ſanctus Apoſtolus conqueratur? *Sua* dixi, quia loca ſancta ſunt hereditas fidelium, & in primis Chriſtianorum Principum. *Chriſti* dixi, quoniam templum & habitatio illius ſunt, pretioſiſſimo eius Sanguine conſperſa & ſanctificata. Et *Sacerdotes* vtique, vt dixit S. Ambroſius Epiſtola ad Theodoſium, *turbarum moderatores ſunt, ſtudioſi pacis; ſed niſi quando & ipſi mouentur iniuria Dei, aut Eccleſiæ contumelia.*

D. Bernard. Epiſt. 141. ad Roman. Tom. 2.

Si neque hoc ſatis eſt, etiam iſtud adijcio. Communis eſt cauſa, & non eſt diſtinctio puſilli & magni. Dolor nempe in capite eſt, in ſancta ciuitate Ieruſalem, quæ meritò totius ſanctæ Eccleſiæ caput dici meretur, non quia in ea illius viſibile caput Romanus Pontifex reſideat vt Romæ, ſed quia in ea Chriſti Eccleſia originem habuit, & inde velut nerui ex capite, ad nos tamquam ad membra, lex & verbum Domini proceſſit, vt S. Iſaias fuerat vaticinatus; & quia primarium Eccleſiæ caput primò ſedem ibi collocauit, ſedens vel in medio Doctorum, vel in cathedra crucis in medio latronum, vel in medio ſuorum diſcipulorum, Rex & Sacerdos ſummus Chriſtus Ieſus. Communicatur ſanè idem dolor, qui in capite eſt, reliquis membris, vt ſimul, niſi à reliquo corpore velut putrida & inutilia ſint reciſa, cum eodem langueant & doleant. Peruenit etiam vſque ad me, quamuis omnium minimum, dolor maximus iſte, quia maximus: & quia eſt capitis, non poteſt non eſſe & corporis, cuius viuum, vt ſpero, membrum ſum & ego. Numquid non dolente capite clamat lingua pro omnibus corporis membris, in capite ſe dolere, & omnia reliqua membra per ipſam ſuum & ſui capitis ſentire incommodum? Dimittite proinde, quæſo, dimittite *vt plangam paululum* apud vos *dolorem meum*, Iob 10, 20. nec meum tantùm, ſed etiam totius Eccleſiæ. Nónne ipſius vox hodie per vniuerſum mundum inſonat: *Caput meum doleo, caput meum doleo?* 4. Reg. 4, 19. Quia *domina gentium, princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo*, Thren. 1, 1. & caput ſub pedibus eſt. Mea ergo hæc ſit excuſatio, & ad eos defenſio, qui mihi hinc fortè ſuccenſendum indignandúmve eſſe putauerint, quòd de maximo argumento cum maximis ego minimus agam.

CAPVT LXVII.

Rationes, quibus permoueri ac perſuaderi debeant Chriſtiani Principes, vt generale Turcis pro recuperatione Terræ ſanctæ bellum inferant.

IN eo quod modò præ manibus habemus argumento, ſit hæc in primis ad fideles quidem omnes, ſed ſingulariter ad Chriſtianos Principes noſtra aſſertio & cohortatio: Chriſtianis Principibus, Eccleſiaſti-

Christianis Principibus expedit pro Terra sancta Turcis bellum indicere.

siasticis & sæcularibus, conuenit & expedit indicere bellum Turcis, cultum diuinum & Euangelij prædicationem impedientibus, ac sanctam ciuitatem Ierusalem totamque Terram sanctam tyrannicè occupantibus, vt extirpentur illi, hæc recuperetur, & sanctum Euangelium diuinusque cultus dilatetur.

Videantur pro hoc argumento Bellarm. de Laicis l. 3. c. 14. 15 & 16. Gregor. de Valentia Tomo 3. disp. 1. q. 10 punct 6. & disp. 3. q. 16 de Bello. Becan. p. 2. Tom. 2. Summ. Theolog. c. 25. & alij Theologi.

Hæc assertio verissima est, & fundatur in doctrina & auctoritate sanctorum Patrum & Theologorum, agentium de bello, atque recepto vsu Ecclesiæ; quare pluribus illam probare non est necesse; verumtamen nonnullis in medium propositis, eamdem explicabimus, vt efficaciter persuasum sit Christianis Principibus, atque ad hoc quatuor præmittam.

Christus potestatem suam spiritualem & temporalem in terris reliquit.

Primum sit, quòd quemadmodum Christus Dominus, vt supremum sanctæ Ecclesiæ caput, ab æterno Patre omnem accepit potestatem in cælo & in terra, vt ipse dixit; ita idem eamdem reliquerit in sancta Ecclesia hominibus ministris suis: omnis enim potestas à Domino Deo est. Ista potestas duplex est, spiritualis altera, altera laicalis, inter quas ordo est, quemadmodum in alijs Dei operibus. *Deus* enim, vt dixit Sapiens cap. 11, 21. *omnia condidit in ordine, pondere, & mensura*; & Vniuersi perfectio in ordine consistit, vt videlicet inferiores superioribus subijciantur, vt dixit Aristoteles, qui & docet, in Vniuerso inferiora corporibus cælestibus subijci, & ab ipsis regi & influxum recipere. *Mundus iste*, ait, *contiguus est lationibus superioribus, vt omnis virtus eius inde gubernetur.* Et in cælestibus spiritibus similem ordinem adnotauit Magnus Dionysius, asserens, omnes quidem Angelos illuminari à Deo, sed inferiores per superiores. Idem dicendum in proposito de Ecclesiæ & totius mundi potestate & auctoritate, ac eorum in quibus residet, Apostolo dicente: *Non est potestas, nisi à Deo: quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt*, Roman. 13. 1. & Ecclesiaste: *Excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruienti*, Eccle. 5, 7. Et cùm manifestum sit, & tunc dictum, Dei supremam esse, independentem, & absolutam auctoritatem, omnemque aliam ad eam dirigi, illique subseruire, quinam ordo est inter spiritualem ac laicalem auctoritatem, & eius ministros? Dico, spiritualem præcellere, & laicam illi subesse, & per eam regi debere. Hæc, scimirum laica, isti iuramentum fidelitatis præstat, &, si expediat, ab ea reformari aut planè mutari potest, vt non semel in Iure dicitur, è quo inter alia hæc subijcio: *Quis dubitet, Sacerdotes Christi, Regum & Principum, omniumq; fidelium patres & magistros censeri? Nónne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subingare*, &c. dist. 96. Item: *Honor & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademata, longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares*, eadem dist. Ad idem ostendendum, potestas spiritualis signatur in Sole, temporalis verò in Luna, c. Solitæ. De maioritate & obedientia. Denique, *Oues pastorem suum non reprehendant*, &c. 6. quæst. 1. c. Oues. Item 11. q. 1. c. Nemo.

Spiritualis potestas laicam præcellit.

Omnia à Deo creata sunt disposita.

Diuino mandato Sacerdotes honorandi.

Ex sacra Scriptura idem habetur. In Ecclesiastico dicitur: *In tota anima tua time Deum, & Sacerdotes illius sanctifica*, Eccli. 7, 31. Cùm post Deum præcipiatur sanctificari Sacerdotes, post Deum Sacerdotes ceteros præcellere patet. Ieremiæ dixit Dominus: *Ecce constitui te super gentes & Regna*, &c. Ierem. 1, 10. In Epistola ad Hebræos item legitur: *Sine vlla contradictione maior est qui benedicit, quàm qui benedicitur*, Hebr. 7, 7. sed spiritualem ministrum benedicere, constat. Et in veteri Testamento legimus, per spirituales ministros Reges fuisse institutos, correctos, &c. Eamdem veritatẽ docent sancti Patres & Theologi, & potest adhuc tali ratione persuaderi: Potestas illa, quæ principaliter ordinatur ad nobiliorem finem, prior & sublimior est illa quæ ad æque nobilem finem non ordinatur: talis est Ecclesiastica, quia ordinatur ad bonum spirituale & beatitudinem, sed sæcularis & Regia ad temporale, & tranquillitatem politicam, modo tamen statim explicando.

Ministrorum Dei duplex finis, communis & particularis.

Communis, honor Dei.

Secundò itaque aduerto, omnium ministrorum Dei duplicem esse finem, communem alterum, alterum proprium & particularem. Communis est Dei honor, vt debitus cultus ei ab omnibus exhibeatur, vt diligatur ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus, & super omnia, Deus enim *magis se, quàm ea quæ condidit, vult amari*, vt dixit S. Gregorius lib. 15. Moral. cap. 20. quoniam *vniuersa propter semetipsum operatus est*, Prou. 16, 4. Quare omnes Proceres, Ecclesiastici ac sæculares, ratione huius finis tenentur pro virili amouere, quantum fieri potest, omnia peccata & mala quæ diuinum impediunt honorem, vicissim verò promouere bona quæ ad illum conducunt. Finis verò particularis, cui singulariter ex peculiari munere insudare debent, Ecclesiasticorum quidem, est bonum spirituale, sæcularium verò, bonum ciuile, modo statim explicando.

Huius

Huius Notabilis vtraque pars enucleanda, & primò prima. Scribit Ioannes, se vidisse Deum in cælo, in throno Maiestatis suæ sedentem, circumdatum viginti quatuor senioribus, qui fuissent coronis aureis redimiti, & vestimentis albis amicti. Hi *procidebant ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum*, &c. Apocalyp. 4, 10. Illi viginti quatuor Seniores vniuersam Ecclesiam significant, secundùm D. Augustinum seu Ticonium, Bedam & Primasium. Et meritò: quia licet Ecclesia in omnium fidelium congregatione consistat, singulariter tamen Principibus, Ecclesiasticis & sæcularibus, per quos gubernatur & custoditur, est repræsentata. Vnde dicitur: *Conuertitq; Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israël, omnis enim Ecclesia Israël stabat*, &c. 3. Reg. 8, 14. constat verò, ibi tantùm præcipuos fuisse, vt patet ex initio illius capitis vbi hæc leguntur: *Tunc congregati sunt omnes maiores natu Israël cum Principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Israël, ad Regem Salomonem*, &c. v. 1. atque eosdem Principes ac Iudices Christus appellat Ecclesiam. *Quòd si non audierit eos*, ait, *dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, Matthæi 18, 17.

Ecclesia in Principibus singulariter residet.

Principes in Dei obsequium sua expendere tenentur.

Et fortasse etiam præsentis temporis Ecclesia *Regnum calorum* ideò appellatur à Domino, quòd in Principibus vtriusque potestatis custodiatur & repræsentetur. Igitur non isti tantùm adorant, sed etiam deponunt coronas suas ante thronum, quia videlicet non solùm coronas potestatis à Deo accepisse profitentur, sicut faciebat Dauid, qui dicebat, *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*, Psal. 2, 6. item, *Elegit me Dominus vt essem Rex super Israël in sempiternum*, &c. 1. Paralip. 28, 4. & Magi illi, dum coram Christo procidentes illum adorauerunt: sed etiam, quia potentiam, splendorem, opes, & quidquid Regnum amplum decorumq; facit, in Dei eiusque Ecclesiæ splendorem, diuinæque voluntatis complementum conferunt. Vnde in S. Birgittæ Reuelationibus habetur, Deum ideò permittere Reges coronari, vt voluntatem Dei sequantur, eumque super omnia honorent diligantque. Quod probè intelligens sanctus ille Gallorum Rex Ludouicus, dum ad bellum sacrum proficisceretur, grauissimè præcepit Philippo filio suo, Regni heredi, dicens: *Te Philippe per Deum ipsum obtestor, vt nec ipsi Regno, nec vxori, nec alij cuicumque, quantumuis charo vel familiari, parcas, quin periclitanti Ecclesiæ & fidei Catholicæ vbique & prompte succurras.* Pondera singula verba, & illa singulariter, *nec ipsi Regno parcas.* Nec hoc solum iste Sanctus verbo mandauit, sed ipse præiuit exemplo, valedicens amplissimo Regno, vt Terræ sanctæ periclitanti succurreret. Hinc ille legitimus Rex censetur, qui in suis moribus est Iob, in humilitate Dauid, in zelo legis Phinees, in mansuetudine & longanimitate Moyses. Abusus verò regiminis non est à Deo, qui dicit: *Ipsi regnauerunt, sed non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui*, Ose. 8, 4. & S. Isidorus lib. de Summo bono ait: *Reges à rectè agendo vocati sunt; ideoq; rectè faciendo, Regis nomen tuentur, peccando amittunt. Rectè ergo illi Reges vocantur, qui tam semetipsos quàm subiectos benè regendo modificare nouerunt.* & hæc amplius apparebunt in probatione secundæ partis huius Notabilis.

Reges vnde dicti.

Quòd verò Ecclesiastici Principes eumdem habeant finem, & in eumdem magis etiam incumbere debeant, præter dicta videtur præmonstratum fuisse à Domino in Lege veteri, quando præcepit, vt super tiaram Pontificiam aurea lamina poneretur, in qua hæc esset sculpta inscriptio: *Sanctum Domino.* Sic namque dixit ad Moysem Deus: *Facies laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere calatoris, Sanctum Domino. Ligabisq; eam vitta hyacinthina, & erit super tiaram, imminens fronti Pontificis*, Exod. 28, 36. addens v. 38. *Erit autem lamina semper in fronte eius, vt placatus sit eis Dominus.* Et ad quid, quæso, nomen suum tetragrammaton volebat Deus eminere supra caput & tiaram Pontificis? Vtique vt intelligerent Pontifices atque Ecclesiastici Præsules, Ecclesiasticam potestatem esse Deo in omnibus subiectam, & pro illius honore non modò spiritualia, sed etiam temporalia, si suppetant, & omnia quæ sunt in illorum potestate, impendenda esse ac floccipendenda. Et profectò si Pontifex pro Dei honore sanctæque Ecclesiæ dilatatione potest vti facultatibus Principum temporalium, eisdemque præcipere, potiori mihi ratione videtur facultatibus proprijs ad eumdem finem vti debere.

Ecclesiasticorum munus.

Quantum ad secundam Notabilis partem, explico primò, proprium munus & finem sæcularis Principis esse, studere ciuili ac temporali quieti ac tranquillitati Reipublicæ, cum æquitate iustitiam administrando, atque temporalia quæ ad vitæ conseruationem sunt necessaria suppeditando. Hoc in primis probant auctoritates sacræ Scripturæ, in quibus Reges appellantur patres, matres, nutritij, pastores, medici, & capita subditorum: quia sicut illi sibi subiectis

Finis particularis, pax Reipub. respectu sacularium.

iectis de temporalibus prospicere tenentur, ita illi suis subditis. Dixit Dominus Moysi: *Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum*, Numer. 11,12. Dauid Saulem Regem vocauit patrem. Vbi etim Samuel dixit populo, *Si non audieritis vocem Domini*, &c. *erit manus Domini super vos, & super patres vestros*, 1. Regum 12,15. vertunt Septuaginta, *super Regem vestrum*, quia Rex, vt in eum locum Expositores notant, debet esse pater, imò ad instar multorum patrum, qui pluribus subditis & prouincijs possit subuenire. Ad hæc, vbi in Isaia habetur, *Non sum medicus*, &c. *nolite constituere me principē populi*, Isaiæ 3,7. Chaldæus vertit, *Non sum dignus vt sim caput aut princeps*. Notum est illud: *Elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium: pascere Iacob seruum suum, & Israël hereditatem suam*, Psal. 77,70. & illud Isaiæ de Ecclesia loquentis: *Erunt Reges nutritij tui*, Isaiæ 49,23. sed his nominibus & muneribus indicatur consequenter, quod priùs notauimus, debere Reges de spirituali salute subditorum esse sollicitos. Nutritius enim, vel *quicumque est paterfamilias, hoc nomine agnoscat*, inquit Augustinus Tract. 51. in Ioan. *paternum affectum familiæ se debere. Pro Christo & pro vita aterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat beneuolentiam, exerceat disciplinam.* Et si tales, quales esse debere iam diximus, non fuerint, de illis capiendum est istud Apostoli in eiusmodi opprobrium, *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*, 1. Timoth. 5, 8. Addamus, maioris lucis gratia, etiam hæc. *Et nunc Reges intelligite*, inquit Dauid, *erudimini qui iudicatis terram*, Psal. 2,10. Sed & eius filius Salomon sic: *Rex, qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo*, Prouerb. 20, 8. & infrà v. 26. *Dissipat impios Rex sapiens.* Et S. Paulus de sæculari magistratu loquens, ait: *Dei minister est, vindex in iram ei qui malum agit*, Rom. 13,4. &: *Ideò enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes*, v. 6. Et propter hanc rationem præcipit S. Petrus Regibus temporalibus obedientiam præstari & subiectionem propter Deum, non modò Regi quasi præcellenti, sed etiam ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.

Respectu verò Ecclesiasticorum, salus animarum.

Dico secundò, proprium ac præcipuum finem & munus Ecclesiastici Præsulis esse spiritualem salutem animarum, vtque omnia ad gloriam Dei dirigat. Ei enim dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cælorum*, &c. Matth. 16, 18. & alijs similibus: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. Ioan. 20, 23. Et ista spiritualis potestas in Pontifice adeò eximia est, vt pro illius executione, possit & temporali vti. Vnde dicunt Theologi, esse in Pontifice duplicem potestatem, spiritualem & temporalem, in duobus gladijs præfiguratam, de quibus apud D. Lucam; differenter tamen, quia illam per se & directè exercere debet, aliam per alios & indirectè, spirituali beneficio ac necessitate interueniente.

Hoc præter alios indicant quædam sancti Bernardi verba ad Summum Pontificem Eugenium III. lib. 4. De consid. & Bonifacij VIII. in Extrau. Vnam sanctam. De maiorit. & obedientia, quæ innuunt, in potestate Papæ esse vtrumque gladium, voluntque significare, Pontificem habere per se & propriè gladium spiritualem, & quia gladius temporalis subiectus sit spirituali, posse Pontificem Regi imperare aut interdicere vsum gladij temporalis, quando id exigit Ecclesiæ necessitas. Sic enim habent D. Bernardi verba quæ Bonifacius imitatus est. *Quid tu* (Eugenium Papam alloquitur) *denuò vsurpare gladium tentas, quem semel iussus es ponere in vaginam? Quem tamen, qui tuum negant, non satis mihi videntur attendere verbum Domini, dicentis: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret & is; dicentibus Apostolis, Ecce gladij duo hic, non respondisset Dominus, Satis est: sed, Nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus est. Ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris.* Hæc S. Bernardus Epistol. 356. Tom. 2. & alibi ad eumdem Eugenium scribens, elegantissimè idipsum sequentibus verbis expressit: *Intrauerunt aqua vsq; ad animam Christi, tacta est pupilla oculi eius. Exerendus est nunc vterque gladius in passione Domini, Christo denuò patiente, vbi & altera vice passus est. Per quem autem, nisi per vos? Petri vterque est: alter suo nutu, alter sua manu, quoties necesse est, euaginandus. Et quidem, de quo minùs videbatur, de ipso ad Petrum dictum est: Conuerte gladium tuum in vaginam. Ergo suus erat & ille, sed non sua manu vtique educendus.*

Hinc Ieremias, cui dictum fuerat à Domino, *Ecce constitui te super gentes & Regna*, extendit

extendit dexteram, & dedit Iudæ gladium aureum, dicens: *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo dejcies aduersarios populi mei Israël*, 2. Machab. 15, 16. Et Pontifex in coronatione Regis ita illi dicit: *Accipe coronam Regni tui, quam sanctitatis gloriam & honorem, & opus fortitudinis intelligas significare: & per hanc te participem nostri ministerij non ignores: vt sicut nos in interioribus Pastores Rectoresq; animarum intelligimur; ita & tu contra omnes aduersitates Ecclesiæ Christi defensor existas.* Particeps Pontificij ministerij declaratur Rex, quia eidem inseruire debet in externis operibus, ad Pontificis mandatum, profundendo facultates, honorem, & vitam ipsam pro Dei gloria dilatanda. Hac ratione Reges & Principes contra infideles prælaturi, benedictum gladium & vexillum accipiunt de Summi Pontificis manu, vel alterius illius vices gerentis, quemadmodum & in expeditionibus Terræ sanctæ alias factum fuisse legimus. Hac enim cærimonia indicatur, illos singulariter moueri ad sacrum bellum à spirituali Principe Romano Pontifice.

Ad nutum Pontificis Rex debet gladium exuere.

Et hic mihi videtur vnum aduertendum: quòd si accideret (quod absit) Ecclesiasticos esse canes mutos, non valentes latrare, Pastores seipsos pascentes, & gregem negligentes, quales describuntur apud Ezechielem; si, inquam, non admonerent, nec ad sanctam expeditionem promouerent, non ideò ab obligatione liberari Principes sæculares. Quoniam licet debeant ab illis moueri in his quæ ad Dei cultum singulariter pertinent, debent nihilominùs & ipsi in hoc insurgere, dicereque: *Ecce ego, mitte me*, Isaiæ 6, 8. Quòd si non mittant, vadant ipsi: quoniam maiori Domino tenentur, quia *obedire oportet magis Deo quàm hominibus*, vt dixit Apostolorum Princeps Act. 5, 29. & eius Coapostolus Paulus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, Rom. 13, 1. Vnde nimirum ad illos descendit auctoritas. Quare magnus Pontifex Leo ad Leonem Imperatorem ita scribit: *Debes incunctanter aduertere, Regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam; vt ausus nefarios comprimendo, & quæ sunt benè statuta defendas, & veram pacem his quæ sunt turbata restituas.*

Si Ecclesiasticus negligat, ex se faciat sæculares.

Et ipsi Imperatores id aliquando testati fuerunt, & inter alios Constantinus & Irenes in Epistola ad Adrianum I. *Qui à Domino nostro Iesu Christo vero Deo nostro suscipiunt Imperij dignitatem, debent, quæ illi placita sunt, & cogitare & curare, & creditos sibi ab illo populos secundùm eius voluntatem regere & gubernare.* Item Theodosius & Valentinianus in Epistola ad Synodum Ephesinam, *Cùm magnam*, inquiunt, *rerum omnium, quæ in Republica sunt, curam habeamus, tum verò maximè illarum, quas ad pietatem religionemq; conseruandam pertinere arbitramur.* Quare sæculares Principes, si non instigentur ab Ecclesiasticis ad honorem & amplitudinem honoris Dei procurandam, ab ea ideò cessare non debent: nec tunc facient contra obedientiam, quia maiori Domino præcipienti obediunt, &, vt anteà diximus, si tales (quod nec cogitandum) reperirentur, non regnarent ex Deo, nec Principis nomen mererentur. Et hoc tantum placuit adnotare, vt quanta sit Principum sæcularium obligatio in Dei gloria procuranda, significarem.

Tertium Notandum sit, Controuersum quidem esse inter sacros Doctores, num fideles Principes teneantur compellere infideles ad Catholicam Religionem suscipiendam, atque ob hanc rationem possint illis bellum indicere, & repugnantes vel occidere, vel de propriis sedibus ejicere. Sunt qui absolute respondent teneri. Alij cum distinctione, teneri compellere eos qui sunt subditi Christianorum, non item eos qui non sunt subditi. Alij verò etiam de his negant, nisi prius per Baptismum Catholicam fidem susceperint, vt sunt hæretici & schismatici. Verumenimuerò communis omnium est consensus, posse Catholicos Principes bellum indicere illis infidelibus, qui iniustè absque legitimo iure, sed vi tantum ac tyrannide illorum regiones occupant, vel diuinum cultum & Euangelij prædicationem impediunt, ad quam ius habet Ecclesia, vt constat ex Euangelio.

Principes Christiani possunt bellum indicere infidelibus terras suas occupantibus, cultumq; Dei impedientibus.

Quartum deniq; Notandum sit, nos hic supponere Catholicã doctrinam, Christianis bellum esse licitum, & in casu necessarium, si tamen quatuor conditiones adsint, quæ illud faciunt legitimum, quarum prima, est iusta causa; secunda, legitima auctoritas; tertia, intentio recta; quarta, modus. Hic, omissis duabus posterioribus conditionibus (quæ si absint, duabus prioribus existentibus, bellum, etsi non bonum, iustum tamen erit) duas priores, quæ verè sunt in nostris Principibus, spectabimus & enucleabimus. His præmissis, facilè appareat quid nobis ad quæsitum respondendum sit. Dico igitur:

Bellum Christianis quibus conditionibus sit licitum.

Turcæ iniustè occupauerunt & iniustè possident Terram sanctam, sicut & pleraque alia loca Christianorum, & impediunt Euangelij prædicationem, & diuini cultus augmentum; igitur Christiani Principes iuste possunt & debent illis bellum indicere, illosq;

Turca iniustè occupauit & possidet Terram sanctam, & augmentum diuini cultus impedit.

illoſque inde eijcere, tum vt ſua recuperent, tum vt diuinus cultus augeatur. Antecedens eſt manifeſtum: conſtat enim ex hiſtorijs, Turcam nullo iuſto titulo inuaſiſſe, occupaſſe aut poſſidere loca ſancta & alia Chriſtianorum regna, ſed partim aſtutia, partim vi armorum illa tyrannicè ſubiugaſſe: conſtat item, eum indies occupare plura velle, vt hoc pacto Chriſtianum nomen & Religio extinguatur, & Mahumetica ſuperſtitio augeatur. Conſequentia probatur ex dictis: nam Chriſtiani Principes habent legitimam auctoritatem bellandi, & iuſtam inſuper cauſam, ſua videlicet recuperandi, Catholicam fidem propagandi, & gloriam Dei exaltandi; ad quæ ex intrinſeca ratione muneris ſui tenentur. Tenentur ergo Principes noſtri bellum Turcis indicere, &c. Eccleſiaſtici quidem præcipiendo & hortando, ſæculares verò exequendo. Agnouerunt hanc manifeſtam veritatem veteres fideles Principes, ideò etiam tanto operi tam laudabiliter inſudauerunt. Tales fuerunt

Qui laudabiliter Mauris bellum indixerunt.

Vrbanus II. ante annos quingentos, in Concilio Claramontano, & ſucceſſores eius Paſchalis II. Eugenius III. & alij multi, quos recenſet Roſſenſis: item generalia Concilia, vt Lateranenſe ſub Innocentio III. Lugdunenſe II. ſub Gregorio X. & Viennenſe, & alia, generale bellum Mahumetanis indixerunt. D. Bernardus ad ſacrum hoc bellum Principes fuit cohortatus, vt apud eum tum alibi, tum initio l. 2. de Conſiderat. videre eſt. Idipſum & alij præſtiterunt, atque eos qui bella eiuſmodi ſuſceperunt, laudauerunt. S. Gregorius Papa lib. 1. Regiſtri, Epiſt. 73. laudat Gennadium Exarchum Africæ, quòd aduerſus infideles bella gereret, qui erant hæretici & apoſtatæ, vt apparet ibidem Epiſt. 72. ad eumdem Gennadium. Et D. Auguſtinus Epiſtol. 50. ad Bonifacium Comitem, *Omnes*, inquit, *Reges, qui in populo Dei non prohibuerunt, nec euerterunt quæ contra Dei præcepta fuerunt inſtituta, culpantur: & qui prohibuerunt & euerterunt, ſuper aliorum merita laudantur.*

Et ad hunc finem ſacri militares Ordines laudabiliter inſtituti fuerunt, vt oſtendimus in præcedentibus, & electi ſunt alij Milites Cruceſignati: qui quàm laude & merito digni extiterint, vt alia omittam, hoc vnum ſufficiat, quòd Deus ipſe aliquando euidenti miraculo illos approbauerit. Scribit Rogerius in Anglorum Annalibus, quòd reconciliatis Regibus Galliæ & Angliæ operâ VVillelmi Tyrij Archiepiſcopi, Summi Pontificis Clementis III. Legati, cùm ex eius manu Crucem accepiſſent pro expeditione in Terram ſanctam, facti ſacræ Militiæ duces, in eadem hora apparuiſſe ſupra eos ſignum Crucis in cælo. *Quo viſo miraculo* (inquit Rogerius) *plures caternatim ruebant ad ſuſceptionem Crucis.* Quare meritò magnis encomijs Godofredus Bullionius & alij ſtrenuiſſimi Principes celebrati fuere, quoniam contra Turcas & Mahumetanos arma ſumpſerunt, vt, illis ſubiugatis, loca ſancta poſſiderent, & Ieſu Chriſti nomen vbique dilataretur, vt infrà notabimus.

Prodigium ſacrum approbans bellum.

Vt igitur etiam in præſentia Principes noſtri opus laudabile operentur, & diuino præcepto ſatisfaciant (*quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere*, vt Sauli dixit Samuel 1. Regum 15, 23.) arma contra Turcas aſſumant, illos de ſedibus, quas iniuſtè occupant, eijciant, deleant illos qui Chriſtianis ſunt infeſti, & Chriſti Religionem dilatent.

Qui in primis ſacrum bellum indicere tenentur.

Et ſi in caſu noſtro de Religione agitur, vt verè agitur, ſingulariter ad hoc tenetur Summus Pontifex, Chriſti in terris Vicarius, in quo maior reſidet auctoritas, vt iam diximus, ac deinde qui de dominio Terræ ſanctæ gloriantur, qui Reges Ieruſalem appellari volunt, quoniam illorum etiam cauſa peculiariter agitur, ſuppoſito, id bono modo fieri poſſe. Tempus eſt, tempus eſt, vt vterque educatur gladius, non tantùm, vt dixit S. Bernardus, in defenſionem Orientalis Eccleſiæ, ſed in recuperationem illius, & locorum ſanctorum. *Et vos cuius locum tenetis, zelum negligere non debetis. Quale eſt, principatum tenere, & miniſterium declinare? vox clamantis: Venio Ieroſolymam iterùm crucifigi. Ad quam vocem etſi alij tepidi, alij & ſurdi ſint, ſucceſſori Petri diſſimulare non licet. Loquetur & ipſe: Etſi omnes ſcandalizati fuerint, ſed non ego.* Et potentiſſimus Ieroſolymorum Rex accingat ſe gladio, vt Regnum ſuum electum ſibi aſſerat. Nec tamen interim alij Principes manus ſuas in ſinu condere debent, ſed illis auxilium præbere, præſertim cùm bellum hoc ex charitate ſuſcipiendum ſit, cuius ratione omnes ſunt vnum, vt dixit Caietanus 2.2.q.40. art. 1. quemadmodum & Abraham in gratiam fratris ſui Lot laudabiliter pugnauit contra quatuor Reges, & Rex Joſaphat contra Meſam Regem Moab pro Ioram. Quantò ergo magis idipſum facere deberent in caſu noſtro Chriſtiani Principes, cùm grauior illos ratio vrgeat?

Negligentes impedientéſve puniuntur.

Quòd ſi negligant, & operi huic ſe minimè accingant, aut ſi impediant quò minùs alij effectui dare poſſint quod piè cogitarunt, cùm non tantùm illorum propria, ſed Chriſti & totius Eccleſiæ eius cauſa agatur,

tur, quæ ſine contradictione omnium eſt grauiſſima, maximè ſanè culpæ ſe reos conſtituunt, à qua niſi reſipiſcant, Deoque & Eccleſiæ ſatisfaciant, in æternum non liberabuntur, ſed cum Principibus huius mundi, & rectoribus tenebrarum harum, potenter tormenta patientur. *Si à Deo poteſtas omnis*, inquit S. Petrus Chryſologus Serm. 26. *à Deo Rex etiam diſpenſationis Regia adeptus eſt dignitatem, rationemq; redditurus eſt, ſi in vllo credita poteſtatis exceſſerit menſuram, ſi iuſtitiam cuſtodiuit, ſi æquitatem tenuit, ſi poteſtatem moderatus eſt, ſi miſericordiam non omiſit, ſi tenuit ſic ponderis ſui libram, vt in neutram partem poteſtatis ſuæ trutina declinaret, ſi omnium curam geſſit*, denique cum S. Auguſtino lib. 5. de Ciuit. c. 24. *ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maxime dilatandum maieſtati eius famulam fecit*, &c.

Quod ſi in re hac grauiſſima defuiſſe deprehenſi fuerint noſtri Principes, à Regno Dei abſque miſeratione excludentur; neque illis proderit ad ſalutem aliorum diuinorum obtemperantia mandatorum; quoniam ſcriptum eſt: *Qui offendit in vno, factus eſt omnium reus*, Iacobi 2, 10. At hoc vnum eiuſmodi eſt, vt eius neglectu plura prætermittantur bona, & multa committantur mala, vt ſatis conſtat. Hoc vnũ dixerim cauſam eſſe quòd plurimi ſcandalum patiantur, quòd nomen Domini blaſphemetur, non tantùm ab infidelibus, ſed etiam à fidelibus, qui vel iniuſtitiæ Deum arguunt, quòd negligentes vel impedientes non puniat; vel otcitantiæ & dormitantiæ, quòd cauſam ſuam non defendat; vel impotentiæ, quod tueri & defendere illam non poſſit. Falluntur tamen, quia ſuo olim tempore iniuſtitias & iuſtitias iudicabit, & vindictam ſumet de hoſtibus ſuis, quemadmodum in parabola hominis cuiuſdam nobilis indicauit ipſe Saluator noſter apud ſanctum Lucam. Quòd ſi is qui vni ſaltem ſcandalo & offentioni fuerit (vt argumento vtar S. Hieronymi in Epiſt. ad Sufannam virginem à Diacono quodam corruptam) molari lapidi alligatus præcipitandus eſt in mare; quid de negligentibus & torpentibus Principibus pronuntiandum erit, quorum vitio omnis anima ſauciata eſt, & nomen Domini in gentibus blaſphematum? Itaque iſti vel honorem abdicent, vel cum eo ſimul eius onus portent, ne huius negleɛtu negligantur à Domino. Non mea, ſed Spiritus ſancti illa vox eſt: *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalũ in æquitate tua*, Eccli. 7, 6. Homo enim, cui vires aut virtus non ſuppetunt ad reſiſtendum potenti, aut ad ſceleratos exterminandos, non debet aliquod publicum officium iudicandi & prætidendi ſuſcipere, non debet Pontifex vel Rex eſſe, ne propriæ æquitati ſcandalum ponat, ob quod iniuſti & ſcandaloſi nomen mereatur, & vt talis puniatur duriſſimè: *quoniam iudicium duriſſimum his qui præſunt fiet*, vt dixit Sapiens cap. 6, 6.

Scandali dati magna pœna.

Ad hoc ergo animum aduertant, qui totius orbis Principes eſſe volunt, & tales quoque appellari gaudent, ſi potentis Turcæ faciem extimeſcant, ſi non dent operam vt illum exterminent, & de Chriſti fideliumque hereditate eijciant, vt glorificetur nomen Domini, non euaſuros duriſſimum Domini iudicium. Quod tamen vt euadant, obnixe & humiliter deprecor, vt quilibet ipſorum audiat, & opere implere cum Dei auxilio ſtudeat reſpectiuè, quod aliquando in propoſito argumento ſanctiſſimus ac prudentiſſimus Pontifex Innocentius III. ſalubriter dixit: *Imperialis celſitudinis erit, ſic de cetero Chriſto exuli ſubuenire, vt & obloquentium detractionem euitet, vt in vltimæ diſcuſſionis examine illud Euangelium contra ſe audire non poſſit: Hoſpes fui, & non collegiſtis me; infirmus & in carcere, & non veniſtis ad me.*

Auferetur ſcandalum, indicendo bellum.

CAPVT LXVIII.

Argumentum præcedentis Capitis amplius explicatur.

SI Chriſtiani Principes non dedignarentur adhuc verbum vnum aut alterum ex me audire, profectò ſi non ore, corde ſaltem libere confiterentur, vera eſſe quæ ſuperiori Capite explicuimus, ſeque non mereri nomen Ducis & Principis Chriſtiani, ſi pro Chriſti nomine, ſi pro eius electa hereditate, ſi pro ſanctæ Catholicæ fidei dilatatione bellum contra Turcas aſſumere negligant.

Quidnam, quæſo, ſunt Chriſtiani Principes vtriuſque poteſtatis, ſpiritualis & temporalis? quodnam illorum munus? Iam diximus. Dei ſunt miniſtri & iudices, eiuſq; in terris vices gerunt. *Ego dixi, Dij eſtis*, Pſ. 81, 1. vtique propter officium, quia non hominis ſed Dei exercent iudicium: Dei, inquam, & propter Deum aliorum cauſam in iſto inferiori mundo iuſtè iudicare debent, vt ſobriè, iuſtè ac piè viuatur in hoc ſæculo. Quare ſi in re tam graui ſuo deſint muneri, ſupremi Iudicis rigidum iudicium non effugient.

Principes ſunt Dei miniſtri.

Videmus, Præſules Eccleſiaſticos ſtatim & rigidè animaduertere in eos (& quidem meritò)

meritò) qui vel propriam illorum offendunt perſonam, vel aliquid perpetrant contra ſibi commiſſas Eccleſias, earúmve immunitatem: ſimiliter & Principes ſæculares grauiſſimè plectunt eos, quos deprehendunt crimen aliquod moliri ſuis, vel coniugum & prolium ſuarum ceruicibus, vel inſidiatos fuiſſe ipſorum ſceptris, aut noxam aliquam Regno, Statui & Reipublicæ machinatos: ſtatim expediuntur enſes, rotæ, flammæ. Si iam ſciſcitatus fueris, quare in eiuſmodi hominum genus adeò ſæuiant, & non potiùs miſericordiam & indulgentiam eis impendant, vt & ipſi aliquando miſericordiam conſequantur: audies, eos eſſe miniſtros Dei, ab eoque conſtitutos populi iudices, quibus etiam ab eodem Domino dictum ſit, *Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram*, Sap. 1, 1. &: *Beati, qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore*, Pſal. 105, 3. atque omnino iſtiuſmodi homines grauiùs ceteris puniri debere, ſecundùm aliud Domini præceptum: *Pro menſura delicti, ſit & plagarum modus*, Deuter. 25, 2. & Reges atque Principes teneri ſuo honori & ſaluti conſulere, atque in hoc eſſe ſummum pietatis genus, eſſe crudelem.

Debent non tantùm proprias, ſed multò magis Dei cauſas iudicare.

Optima ſanè & appoſita reſponſio, quamuis fortè illa in eiuſmodi reos animaduerſio magis procedat ex liuore vindictæ, quàm ex zelo iuſtitiæ; quia ad hanc communiter non ita propenſi videntur Principes & Iudices huius ſæculi in caſibus qui propriam perſonam non tangunt. Sed eſto, ſemper iuſtè & ſanctè iudicent: meminerint tamen interim, non ſe Dominico præcepto, ſuoque muneri ſatisfacere, ſi delicta in ſeipſos commiſſa tam ſeuerè puniant, honorem tamen ipſius Domini minùs æmulentur, eiuſque electum peculium non vindicent; præſertim cùm, vt dixit Fridericus Imperator, *longè maior culpa ſit aeternam, quàm temporalem offendere Maieſtatem.* Quid, quòd diuinus Præco Præſulis auribus occinat, *Miniſterium tuum impleſ?* 2. Tim. 4, 5. *Imple* dixit, quia omni ex parte muneri eſt ſatisfaciendum, nec vlla in eius conſummatione vacuitas relinquenda. Verùm quomodo miniſterio ſuo omni ex parte ſatisfaciet Princeps, aut omnes vacuitates explebit, qui proprias vindicat iniurias, Dei verò ſui impunitas relinquit? & quomodo, quæſo, pœnas iniuſto Iudici debitas euadet? Appoſitè Gelaſius Pontifex ad Anaſtaſium Auguſtum inquit: *Si contra leges publicas aliquid (quod abſit) aliquis fortaſſe tentaret, nulla pati id ratione poſſes; ad Diuinitatis puram ſinceramq; deuotionem, vt ſibi plebs ſubdita redigatur, conſcientiæ tuæ non putas intereſſe?* Et Cæleſtinus Papa ad Theodoſium Imperatorem: *Maior vobis fidei cauſa debet eſſe quàm Regni, ampliúſque pro pace Eccleſiæ Clementia veſtra debet eſſe ſollicita, quàm pro omnium ſecuritate terrarum.*

Exempla imitanda.

Quare meritò celebrantur Principes & Iudices illi, qui non ſolùm hominum, ſed multò magis Dei cauſas iudicarunt, vt Chriſtus Dominus, conſtitutus à Deo Iudex viuorum & mortuorum, qui dum in terris cum hominibus vitam ageret, non modò Magdalenam vindicauit & liberauit à Phariſæi calumnia, à murmuratione diſcipulorum, & querela Marthæ ſororis ſuæ, ſed nimio zelo ſuccenſus, ſemel & iterùm ignominiosè eiecit, qui domum orationis & templum æterni Patris faciebant domum negotiationis, & ſpeluncam latronum. Et S. Petrus Chriſti in terris Vicarius, ſupremuſque in ſancta Eccleſia Iudex, non ſolùm morte puniuit Ananiam & Saphiram vxorem eius ob fraudatum pretium agri venditi, quòd id cederet in damnum ceterorum fidelium in communi viuentium, ſed & gladio percuſſit ſeruum Pontificis, quòd temerè manus in Filium Dei iniecciſſet, vt in ſacris Litteris proditum eſt; Romæ item Simonem Magum, auertentem populum à vera Religione, & dæmonis virtute ſublimia petentem, ex aëre in terram retraxit, vt, præter Scripturam ſacram, ex plurib. probatis Scriptoribus prodit Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 68. Moyſes & Phinees non pepercerunt idololatris, ſed eos trucidarunt, & confoderunt gladio. Et hos imitati fuerunt plerique tam Eccleſiaſtici quàm ſæculares veri Principes, ne ſuo deeſſent muneri, ſed vt illud implerent, & ante ſupremum omnium Principem Deum criminis vacui inuenirentur.

Ad propoſitum iam propiùs accedamus. Si noſtri Principes iuſtitiæ gladium vibrant contra eos qui vel perſonis, vel Regno, vel Reipublicæ, vel Statui, vel conſanguineis ipſorum noxam intulerunt aut inferre moliti ſunt; quare non item eumdem ſtringunt contra hoſtes Chriſti, qui regiam & electam habitationem eius Ieruſalem profanant ac demoliuntur, qui ſpeluncam latronum eam efficiunt, qui venerandiſſima Sanctuaria Caluariæ montis, Sepulchri ac Præſepis Domini, immunditijs conſpurcant, qui totam Terram ſanctam deſolatam reddunt, & animarum ſalutem, quas Chriſtus ſuo redemit Sanguine, impediunt? Non ſanè credo mentibus fidelium excidiſſe horrendum illud ſacrilegium contra ſanctiſſimam Crucem perpetratum à Saladino, quando ab eo capta fuit Ieroſolyma (quod in hunc vſque diem inultum tranſijt) dum eam,

Grauis sacrilegium contra sanctam Crucem commissum.

eam, vt scribit Terricus magnus præceptor Templariorum, refertque Baronius Tomo XII. anno Christi 1187. è Templo ignominiosè ejici, & biduo omnium spectaculo & ludibrio, non solùm turpiter exponi, sed & fœdè fustibus cædi, atque sic per ciuitatem portari fecit. Et quare de tam abominabili facinore vindictam non sumunt Christiani Principes? Quare Mahumetanos, sceleris huius patratores, de Ierosolymis & de tota Terra sancta non ejiciunt? An qui id negligunt, dicendi sunt ministerium suum implere? an vocandi Dei ministri & Iudices, an potiùs scelerum in Deum commissorum collusores, priuatarum verò iniuriarum rigidissimi castigatores? An se putant effugere posse vindictam & castigationem diuinam?

Firmanda hæc nobis sunt testimonio omni exceptione maiori, Innocentij, inquam, III. Summi Pontificis: qui etsi omnes fideles id tangere dixerit, singulariter tamen ad Principes spectare asseuerauit, doctrinamque & gemina appositaque similitudine sententiam suam confirmat in quadam Epistola è Concilio Lateranensi scripta, quæ incipit, *Quia maior nunc instat necessitas*. sic autem ait: *Si enim aliquis Rex temporalis à suis hostibus ejceretur de Regno, ni vasalli eius pro eo non solùm res exponerent, sed personas, nónne cùm Regnum recuperaret amissum, eos velut infideles damnaret, & excogitaret in eos excogitata tormenta, quibus perderet malè malos? Sic & Rex Regum Dominus Iesus Christus, qui corpus & animam, & cetera nobis contulit bona, de ingratitudinis vitio & infidelitatis crimine vos damnabit, si ei quasi ejecto de Regno, quod pretio sui Sanguinis comparauit, neglexeritis subuenire. Sciat ergo se culpabiliter durum, & durè culpabilem, quicumque in hoc necessitatis articulo suum negauerit obsequium Redemptori. Nam si quis sibi vel modicum quid hereditatis paternæ sentiret durè ablatum, mox secundùm morem mundanum totis viribus laboraret, vt suam vindicaret iniuriam, & violentiam propulsaret, nec rebus parceret nec personis, donec ex toto recuperaret amissum. Quomodo ergo poterit excusari, qui nec mediocriter laborare studuerit pro puniendа sui Redemptoris offensa, & eius iniuria vlciscenda, dum parcendo rebus & personis, impedit, ne locus recuperetur Passionis & Resurrectionis Dominicæ, in quo Deus Rex noster ante secula salutem in medio terræ dignatus est operari? Quomodo etiam secundùm præceptum diuinum diligit proximum suum sicut seipsum, sicut scriptum est, qui scit fratres suos fide ac nomine Christianos apud perfidos Saracenos ergastulo diri carceris detineri, ac iugo deprimi grauissimæ seruitutis, & ad liberationem eorum efficacem operam non impendit, transgrediendo illius naturalis legis mandatum, quod Dominus in Euangelio declaranit. Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quid clarius & efficacius ad intentum?

Habetur Tomo 4. Concil. generali in Concil. Later. sub Innocentio III.

Sed heu heu! quàm verè exclamauit quidam, non sine magna cordis sui tristitia, ad scopum argumenti quod tractamus! *Principes nostræ fidei*, inquit, *mutuò contrariantur, pugnant ad inuicem, mordent, quod est gaudium omnium infidelium, scilicet per comitantiam, quia ab inuicem consumuntur*, ait *Apostolus ad Gal. 6. Sed & Pastores Dominici gregis, qui abiecto nomine Pastoris, nunc Principes dicuntur, qui alio in loco canes latrantes, vel etiam lingentes appellati sunt, sicut & Paulus, qui more canis perlinxit*, &c. *Et duos molares contriuit, legis scilicet & Euangelij. Hi, inquam, lingunt & curant illos, qui non egent medicamine, clamant & reclamant, prædicant & increpant, in propriis foribus maxillis rubentibus: Lazarum autem languidum foris iacentem, vulneratum, cuius refocillatio est ex mica panis, non lingunt, panem non frangunt, sicut docet Dominus, qui cognitus est in fractione panis, qui tamen in sermone cognosci non potuit. Vnde Apostolus, Euangelium, inquit, nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed in plenitudine multa.*

Auctor Epitomes bellorum factorum apud Henricum Canis. Tom 6. Antiq. lect.

Sed adhuc, quæso, ad memoriam reuocent nostri Christiani Principes, quæ de Heli memorat Scriptura diuina. Heli venerandus senex, quem D. Hieronymus, in Epistola obiurgatoria ad Iouinianum Diaconum lapsum, sanctum appellat, Sacerdos erat & Iudex populi Israëlitici, vt dicitur in libris Regum. Iudex, inquam, fuit populi, non Dei, quia non fecit iudicium eius, nec causam ipsius iudicauit. Qua verò id ratione? Quia delicta à filijs suis contra Deum & sanctam eius habitationem commissa non puniuit. Cùm enim illi, quæ Deo ex lege debebantur, iniustè sibi assumerent, ideoque plures vel Sacrificia omnino omitterent, vel multum ijs subtraherent; cùm insuper immundi ipsi è scortatione cum mulieribus quæ obseruabant ad ostium Tabernaculi, immunda etiam & execranda Domino offerrent sacrificia, illorumque peccata, vt Scriptura ait, nimis coram Domino increscerent, atque interim nimiùm indulgens pater tantum scelus seuere non puniret, venit ad eum quidam vir sanctus, interminatusque ei est in Dei nomine terribilia illa quæ leguntur primi Regum 2. & 3. capp. quæ omnia quàm fuerint ad vnguem impleta, quamque grauiter

Notandum punitionis exemplum.

ter fuerit Heli punitus cum filijs, familia ſua, & vniuerſo Iſraële, ex eodem Regum libro cap. 4. manifeſtum eſt.

Obiectionis ſolutio.

Nec officit quòd ibi capite 2. dicat Scriptura ſacta, Heli, cùm inaudijſſet quæ mala filij ſui perpetraſſent, dixiſſe ad eos: *Quare facitis res huiuſcemodi quas ego audio, res peßimas, ab omni populo? Nolite filij mei. non enim eſt bona fama, quam ego audio, vt tranſgredi faciatis populum Domini. Si peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* 1. Reg. 2, 23. Vt enim ex D. Hieronymo tradit in hunc locum Lyranus, reprehendit quidem eos, ſed nimis languidè. *Quare Heli pro iniquitate filiorum*, inquit D. Hieronymus, *damnatus eſt. Corripuit quidem eos. ſed lenitate patris, non auctoritate Pontificis: & quia eos tenebatur corripere etiam auctoritate Pontificis, & non corripuit, ideò non ſolùm pro iniquitate filiorum, ſed etiam pro ſua fuit punitus.* Et Gloſſa ordinaria in ea verba Dan. 2, 46. *Cecidit in faciem ſuam*, ex modo cadendi argumentatur, Heli fuiſſe damnatum. *Qui cadit in faciem, videt quò cadat*, ait; *qui autem retrò cadit, neſcit quò cadit. Vnde creditur quòd Heli Sacerdos Domini perditus ſit, qui retrò cecidit.* Et S. Gregorius Homil. 9. in Ezech. inquit, *In faciem cadere, iuſtorum eſt, qui reſurrecturi per pœnitentiam ex infirmitate cadunt; retrò autem cadere, reproborum, qui numquam reſurgunt.*

Zelus Pontificum pro ſancta expeditione.

Singulariter in caſu noſtro hoc intellexerunt Summi Pontifices Vrbanus II. Eugenius III. & Gregorius VIII. qui proprijs commodis ſepoſitis, quæ Ieſu Chriſti erant quærentes, exhortationibus, edictis & epiſtolis fidelibus Terræ ſanctæ recuperationem perſuaſerunt, vt poſteà videbimus. Innocentius etiam III. quæ ſui eſſent muneris oſtendit, atque ipſemet ad ſacrum bellum proficiſci paratus fuit, ſi ita vel expedire vel neceſſe viſum fuiſſet, atque omnes non ſolùm ſæculares, ſed peculiariter Eccleſiaſticos, vt talem & ipſi ſubirent prouinciam, loco antè citato inſtigauit, ſubdens: *Quid itaque faciemus? Ecce ego, dilecti fratres, totum me vobis committo, totum me vobis expono, paratus, iuxta conſilium veſtrum, ſi videritis expedire, perſonalem ſubire laborem, & tranſire ad Reges & Principes, & populos & nationes, adhuc autem & vltrà, ſi clamore valido eos valeam excitare, vt ſurgant ad Domini prælium præliandum, & vindicandam iniuriam Crucifixi, qui pro peccatis noſtris electus eſt de terra, & de ſede ſua, quam ſanguine comparauit, & in qua vniuerſa redemptionis noſtræ ſacramenta peregit. Quidquid tamen egerint alij, nos Sacerdotes Domini hoc negotium ſpecialiter aſſumamus, ſubuenientes & ſuccurrentes in perſonis & rebus, neceſſitatibus Terræ ſanctæ, ita quòd nullus omnino remaneat, qui non ſit particeps tanti operis, ne ſit expers tantæ mercedis. Nam & olim in ſimili caſu per Sacerdotes fecit Deus ſalutem in Iſraël, quando per Machabæos, vtique Sacerdotes filios Mathathiæ liberauit Ieruſalem & templum de manibus impiorum.*

Item aliorum Principum.

Sæculares etiam Principes, omnibus poſthabitis, ſanctis expeditionibus ſe accinxerunt: inter quos primus & reliquorum velut anteſignanus recenſetur inclytus & fortiſſimus ille Godofredus Bullionius, cuius auſpicijs Chriſto reſtituta eſt ſua hereditas. Cùm verò poſteà eadem propter peccata & diſcordias Chriſtianorum amiſſa fuiſſet, Bullionij fortitudinem imitati alij, pari magnanimitate, & pari cum ſpiritus feruore expeditiones ſacras inſtituerunt, quos inter velut Sol inter minora ſidera elucet Chriſtianiſſimus & ſanctiſſimus ille Galliarum Rex Ludouicus IX. qui ſemel atque iterùm non ſine maximis ſumptibus, & propriæ vitæ diſpendio bella infidelibus intulit. Et quamuis infeliciore Marte pugnauerit, nec optatum finem, vt Godofredus & alij (diuino haud dubiè iudicio) non fuerit aſſecutus, præmio tamen & corona optimo & indefeſſo Principi debita non caruit, quæ non tantùm vincenti, ſed & legitimè certanti à Deo parata eſt: & Doctor Iacobus Valdeſius, de dignitate Regum Regnorumque Hiſpaniæ cap. 19, n. 14. haud vulgari laude celebrat Reges & Proceres Galliæ, quòd pluries, imò quinis vicibus ſacram ſuſceperint militiam pro recuperatione Terræ ſanctæ. Hiſpanos quoque laudat, quòd in prima expeditione ad Terram ſanctam Alphonſus VI. Rex Caſtellæ Cruceſignatus, atque ipſemet profectus fuerit; Hiſpani inſuper ex vltimis Regnorum illorum finibus accurrerint huius rei gratia. Imitentur iſtos modò noſtri Chriſtiani Principes; Chriſti, cuius tenent vices, ſectentur veſtigia; Petri, Phineeſque & ſimilium, quorum ſunt in dignitate ſucceſſores, zelum æmulentur, ne dum proprio muneri deſunt, otioque & deſidiâ diffluunt, cum torpentibus pœnas luant. Et ſuis memorijs infixum habeant quod dixit Heli, non eſſe qui oret pro peccante in Deum: etſi enim placari poſſit Deus pro alijs peccatis, in quibus ob humanam fragilitatem viuendique libertatem Reges impliciti eſſe ſolent; quis tamen orabit pro illis quando opus Dei neglexerint?

CA-

CAPVT LXIX.

Ratio prima, quare Deus ſanctiſſimum Sepulchrum impiorum & infidelium Mahometanorum poteſtati permittat; quæ eſt, vt palàm fiat mundo, quales ſint Chriſtiani Principes.

STupent hinc perfecti, inde ſcandalizantur imperfecti, omnes verò mirantur, dum conſiderant, Deum optimum maximum, cuius ſapientiæ non eſt numerus, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum, velut abdicare ſuum ſacratiſſimum Sepulchrum, in quo mortuus iacuit, & ex quo morte deuicta glorioſus exiuit, quod victoriæ ipſius glorioſum omniſque honore & gloria venerandum eſt monumentum; Terram item ſanctam, puriſſima ſua conceptione, mirabili ortu, præſentia diuiniſſima nobilitatam, prædicatione & egregijs facinoribus illuſtratam, proprioque in ea fuſo Sanguine conſecratam; abdicare inquam & relinquere in manibus infidelium hoſtium ſuorum deſertam, deſolatam, profanatam: & cùm abſque vlla difficultate, imò vel vnico nutu eamdem poſſet de infidelium manibus & tyrannide eripere, & fidelibus amicisque ſuis tradere, vt habitatoribus frequentetur, &, vt par eſt, honoretur; tamen hoc non præſtare, ſed perpetuo quaſi dedecori addixiſſe. Quid eſt hoc, Domine Deus? Non fuiſti paſſus antiquis temporibus (vt diuina nobis teſtantur Eloquia) à pœna immunes abire Philiſthæos & Azotios illos infideles, etſi apud illos aliquando fuerit Arca ſanctificationis, glorioſi tui Sepulchri figura, quantumuis etiam in honeſtiſſimum apud ſe locum collocauerint, in templum videlicet Dagon ſui dei: ſed tum in facultatibus, tum in corporibus, tum demum in eorummet dijs illos grauiter percuſſiſti. Nimirum Arcæ præſentiam non ferens diabolus, qui ſub nomine Dagon à Philiſthæis colebatur, ſemel atque iterùm coram ipſâ corruiſſe inuentus eſt. Erectus, & in locum ſuum reſtitutus, tandem, vltione diuina, capite & manibus multatus fuit. Nec ſatis: etiam fœdis vlceribus in ſecretiori natiũ parte infeſtabantur ipſimet Azotij, & quicumque eo in tractu habitabant: ſed & in agris enaſcebantur mures, qui arroſionibus ſuis vndequaque erant moleſtiſſimi, adeò vt magna oriretur confuſio & perturbatio in ciuitatibus, tam inter Proceres quàm inter plebeios, cùm non modica paſſim per compita ſtrages ederetur, & plurimi ex fœdiſſimis illis vlceribus inſanabiliter animam exhalarent; adeò vt rugitus & vlulatus ingens auditus fuerit. Conſilio igitur inito, decreuerunt Philiſthæi Arcam Domini Iſraëlitis remittere, cum donarijs pretioſiſſimis, vt vel ſic totalem interitum euaderent. Remittunt: & cùm Arca ſacra Iudęorum territorium, vbi Bethſamitæ habitabant, applicuiſſet, & nonnulli illorum eamdem Arcam inſpexiſſent, fortè curioſiùs quàm par erat, occidit Dominus è Primoribus (mirabile!) ſeptuaginta viros, & ex promiſcua plebe quinquaginta millia. Quæ omnia latiùs referuntur quinto & ſexto libri primi Regum capitibus.

Et nunc non typicam illã, ô Deus, ſed veram ſanctificationis tuę Arcam, Sepulchrum tuum venerandum, permittis ſordidiſſimis manibus & ſacrilegæ poteſtati perditorum & immundorum infidelium, &, contrà quàm nobis mandaſti, ſanctum datur canibus, & porcis expoſitæ ſunt margaritæ; nec tamen inde eripis, ſed eiſdem relinquis; non punis iſtos, ſed exaltas; non ſtrage aliqua è medio tollis, ſed viribus illos auges, & temporalibus bonis accumulas; pauperes verò fideles tui debita priuantur hereditate, opprimuntur, vexantur, anguntur, perpetuaque laborant inopia. Quid eſt hoc, quid eſt hoc Domine Deus? An ideò non aufers ab infidelibus Turcis electam populi tui hereditatem, quòd ſcelera illorum necdum ad ſummum peruenerint; ſicut nec olim à Chananæis abſtuliſti, quòd illorum iniquitates necdum eſſent completæ? Quòd ſi modò, Deus, Turcarum ſcelera ad ſummum necdum peruenerunt, quando, quæſo, peruenient? Numquam apud illos, quàm modò, tot tantaque inuenta ſunt crimina, ſpurcitiæ & immunditiæ abſque numero. Superbia, omnium contemptus, cupiditas & auaritia, radix & fons omnium malorum limites egreſſa eſt: pauperum oppreſſio, defraudatio mercedis operariorum, & peccata omnia ad te in cælum clamantia, ibi plus quàm vllibi vigent, &, vt verbis Prophetæ vtar, apud eos *non eſt veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit*, Oſee 4, 1. Et cùm grauiſſima quælibet apud immundos iſtos abundent & ſuperabundent crimina, adhuc cum illis non facis iudicium? Ergo vox innocentium fratrum non clamat ad te de terra? Ergo clamor Sodomorũ & Gomorrhæ multiplicatus, & peccatum eorum aggrauatum nimis, non aſcendit ad aures tuas? Ergo non vides afflictionem populi tui, & clamorem eius non audis, & non deſcendis vt liberes eum de manibus eorum?

Turcarum ſcelera.

An pupilli & viduæ clamorem & vociferationem non audis? An merces operariorum, qui regiones messuerunt, ab impijs illis fraudata, non clamat, & clamor illorum in aures tuas non intrauit? Aut si intrauit, & si ascendit clamor, & si vidisti afflictionem populi tui, quare, Domine, non descendis, & non vindicas sanguinem Sanctorum tuorum? Aut tu, qui iustitiam iudicare gloriaris, iniustitias inultas abire permittes?

Scio, Domine, scio iudicia tua inscrutabilia esse, & profundum abyssum thesaurorum tuorum neminem vmquam fuisse ingressum, ac propositæ difficultatis genuinas causas latere in adytis diuini tui pectoris, quò penetrare nulli vmquam mortalium concessum est. At cùm, tua fauente gratia, te sicut es videbimus, tunc eas dilucide contemplabimur, apertissimeque dispiciemus iusta esse iudicia tua, innixa altissimarum rationum fundamento. Interim tamen quæ humana, pia & modesta mens, diuinâ præsertim Scripturâ adiuta, excogitauit, submissè ac verecundè promat in medium. Et præter eas quas alibi ex sacris Litteris & Ecclesiasticis Scriptoribus proposuimus & explicauimus rationes, duas insuper alias, mea quidem opinione non contemnendas, sed bellè proposito nostro deseruientes, hîc Lectori suggerimus, alteram quidem præsenti, alteram sequenti Capite discussuri.

Terra sancta in infidelium potestate relinquitur, vt fidelium conditio innotescat.

Prima itaque ratio hæc sit. Permittit Deus gloriosum suum Sepulchrum, & totam Terram sanctam in hostium suorum & infidelium potestate, vt omnibus palàm faciat quales sint Principes Christiani, an nimirum sint timentes Deum, pij & sinceri Catholici, & qui eius honorem zelent atque promouere satagant; an potiùs sint ficti Catholici, sancto timore, pietate vera ac zelo diuino destituti. Hoc iam deduco.

Aliquorum Principum iactantia.

Christianos Principes omnes de singulari pietate, eximia fide ac præcellenti religione gloriari videmus. Hinc in eorumdem litteris & diplomatibus, in lapidibus & inscriptionibus, in libris & monumentis publicis, præter alios illustrissimos ac gloriosissimos titulos, aliaque splendidissima epitheta, verè viris Principibus debita, etiam audiri & salutari volunt *Pijssimi, Christianissimi, Catholici, Sapientes, Iusti, Sancti*, &c. nec prædecessoribus aut maioribus suis inferiores, sed multò superiores haberi malunt. Quòd si qui eiusmodi non appareant, nec æque ac prisci heroës excellere videantur aut celebrentur, ideò esse dicunt illorum palpones, vel quòd non sit eruditus aliquis & eloquens scriptor, qui res ab ijs præclarè gestas æternis consignet monumentis, vt olim Homerus Alexandri, Virgilius Æneæ, alij aliorum illustrissima conscripserunt facinora; vel quòd non tam viuentium, quàm vita functorum celebrentur facta, cùm S. Ambrosio scriptum sit, *Ne laudaueris hominem in vita sua, lauda post mortem, magnifica post consummationem*; vel tandem, quòd æqualia vel præstantiora maioribus suis non præstiterint, ideò euenisse, quòd par egregia operandi minimè sese obtulisset occasio.

Sedenim qui nouit omnia, & renes & corda scrutatur Deus, quales illi verè & intus sint non solùm cognoscit, sed &, oblatis omni tempore occasionibus, nemini non illorum vel strenuitatem vel inertiam manifestat. Sic olim innotescere fecit mundo, qualis esset Abraham, impositio ei arduo illo mandato immolandi proprijs manibus vnigenitum quem diligebat filium. Et nónne ipsi ex semetipsis produnt suum vel zelum vel torporem, pietatem aut impietatem, religionem aut superstitionem, sanctitatem aut hyprocrisim, & duplicem iniquitatem; & ea quæ pro se adducunt, non esse vera, sed falsa, inania, & ad excusandas excusationes in peccatis conficta? Hoc porrò explicatum & comprobatum ibimus non solùm ex profanis, sed etiam ex sacris Litteris, & Ecclesiasticorum Scriptorum doctrina.

Notandus casus, quo iactantia repressa fuit.

Referunt Hispanorum historiæ, Nobiles quosdam coram Rege Castellæ Hectoris & Achillis gesta valdè extenuasse: se, si eorum ætate vixissent, re ipsa ostensuros fuisse, plus eos nudo nomine & fama, quàm virtute & robore præstitisse; illorumque temporum milites formicas fuisse, non homines, atque ideò tantam eos esse fortitudinis opinionem consecutos. Hæc cùm audisset Necromanta quidâ qui tunc fortè aderat, secretò inde discessisse, & suis incantationibus effecisse, vt in cubiculum, in quo Rex & Nobiles illi erant, Hector & Achilles armati ingrederentur, vel, vt meliùs dicam, dæmones duo sub Hectoris & Achillis figura; qui statim mutuis ictibus tanto cum impetu sese conuulneraſſent, vt Nobiles illi timore deterriti aufugerint. Arridentem Necromantam dixisse: *Hæcne vestra est fortitudo? Vósne cum ijs pugnare ausi essetis, quos ne pugnantes quidem spectare potuistis?* Fabella hæc sit an vera historia, alijs disquirendum relinquo. Hoc verè scio, appositè proposito nostro aptari posse: sed priusquam eam accommodemus, similia ex sacra Scriptura in medium proferamus.

Exempla ex Testamento veteri.

Dauid, ille quem Deus innumeris cumulauit beneficijs, ex vili opilione factus populi Dei ductor & Rex, gloriabatur aliquando

do de conſtantia & fortitudine ſua, quòd non vt Saul, beneficiorum cæleſtium immemor, Deum eſſet derelicturus, ſed nulla in perpetuum occaſione ab eo per lethalem culpam auerſus, ſemper eorumdem memor futurus. Hinc iſta ipſius iactabunda verba: *Ego dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternum*, Pſal. 29, 7. Sed obſerua mihi Thraſonem. Deus paululum ſuſpendit gratiæ concurſum, leuis offertur occaſio, & iam non fortis aut conſtans, ſed debilis, infirmus & Dei beneficiorum omnino immemor apparuit: videt nimirum Berſabeam ſe lauantem, forma eius capitur, prohibita libidine incenditur, adulterium committit, atque inſuper homicidio iniquiſſimo contaminatur: ſed & poſteà præſumptuoſa populi numeratione, aliiſque ſceleribus iram Dei in ſe prouocat. Quare ſuam poſteà hinc immodicam iactantiam, inde imbellem inconſtantiam agnoſcens, & pœnitentia tactus, culpam ſuam Deo confeſſus fuit illis inter alia verbis: *Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus*, Pſal. 20, 8. Dauidi non diſſimiles extiterunt quidam Ephraimitæ, qui pacis tempore gladios vibrabant, ſagittas eiaculabantur, & velut ſtrenui & fortes milites ſe in militaribus exercebant; verùm tempore pugnæ timidi & tremuli, hoſtibus terga vertêre, Pſalmographo id indicante. *Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli*, Pſal. 77, 9. In nouo Teſtamento ſimilia exempla reperiemus. Chriſti Domini diſcipuli antè quàm ex alto induti eſſent virtute Spiritus ſancti, nimia de ſe præſumentes, iactabant, nulla ſe perſecutione & afflictione à Magiſtro fore ſeparandos, adeoque erant in ſua opinione pertinaces, vt Magiſtro veritatis, fragilitatem illis obijcienti & caſum prænuntianti, non crederent. hinc talia iactaſſe auditi ſunt: *Eamus & nos, vt moriamur cum illo*, Ioan. 11, 16. &: *Si omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor*, Matth. 26, 33. item: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, verſu 35. &: *Tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire*, Luc. 22, 33. Verumenimuerò vltimæ illius perſecutionis Boreâ exorto, alij eum prodiderunt, alij negauerunt, omnes, eo relicto, fugerunt, & turgidas illas præſumptiones, vanas, ſeque ipſos vel euripo mobiliores & inconſtantiores fuiſſe, factis ipſiſmet prodiderunt. Quidam etiam Scribæ & Phariſæi apud S. Matthæum maximam iactabant pietatem & ſanctitatem, ſeque diſſimiles pronuntiabant ſuis prædeceſſoribus impijs, & interfectoribus Prophetarum: & vt hoc aliquo externo ſigno comprobarent, memorias & ſepulchra incruſtata & dealbata Prophetis erigebant. Sed enim Chriſtus nõ eſſe illis malitia & crudeliate inferiores, oblata opportunitate teſtatus eſt illis verbis: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum, & dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum. Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filij eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt. Et vos implete menſuram patrum veſtrorum. Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Ideò ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem: vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam*, Matth. 23, 29. Et ita euenit: quoniam propoſito illis verbo Dei per Chriſti diſcipulos & Apoſtolos, variè in eoſdem ſæuierunt, Stephanum lapidarunt, Iacobum à ſummo templi præcipitarunt, & alios flagellauerunt, vt obſeruauit S. Hieronymus lib. 4. Comment. in cap. 23. Matthæi; & S. Chryſoſtomus in Imperfecto Homil. 46. elegantiſſimè, vt ego arbitror, præmiſſam proponit & explicat doctrinam, quam, ne longior ſim, hîc non ſubijcio; tu illũ conſule.

Ex nouo.

Non diſſimiliter in caſu noſtro accidere mihi videtur. Sunt plerique Principes, Eccleſiaſtici & ſæculares, qui ſe non virtute minores, ſed maiores ſuis prædeceſſoribus, Vrbanis, Ludouicis, Bullionibus, & huiuſmodi iactitant. Ideoque de præſumpta iuſtitia & virtute ſibi blandientes, ſublimes ſibimet illuſtriſſimosque confingunt titulos, quos & oblatos tantum abeſt vt reſpuant, vt potiùs in eis mirè glorientur. Sed an verè illis conueniant, oblata occaſione palàm facit Dominus: ſiquidem magis ex heroicis operibus, quàm ex diademate & titulis, virtus & dignitas alicuius dignoſcitur; pluries enim plebei; & indigni viri purpura & diademate condecorati apparuerunt, quibus ab aſſentatoribus egregia & virtutem redolentia epitheta tributa fuerunt.

Virtus magis ex operibus quàm ex titulis cognoſcitur.

Filiæ Ieruſalem aliquando à Chriſti dilecta ſponſa, qualis eſſet dilectus ſuus, repetitis illis vocibus quæſierunt: *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?* Cant. 5, 9. Quæ interrogatio prima facie alicui ſuperflua apparere poſſet, quia quaſi de re incognita quærunt, cùm alio-

quin nouerint illum Regem esse coronatum, quemadmodum illis præostensus fuerat, quando ad eum conuuendum inuitatæ fuerunt hisce verbis: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*, Cant. 3, 11. imò nec illis incognitum fuisse, ipsiusmet interrogationis verba demonstrant, *Qualis est dilectus ex dilecto*, id est Dei Filius, ex dilecto Patre genitus, vt explicant Patres. Si enim illum Dei Filium non agnouissent, verba illa interrogationis *ex dilecto* redundarent, quod de sapientissimis illis non est opinandum.

Christus operibus cognitus.

Dicendum itaque, filias Ierusalem voluisse sibi cognitum fieri Filium Dei non solùm ex aspectu & diuina reuelatione, sed etiam ex operibus heroicis. Quod probè intelligens sponsa, respondit inter alia: *Caput eius aurum optimum*, Cant. 5, 11. hoc est, gestat in capite Regium diadema ex purissimo auro & lapidibus pretiosis contextum, & conuenit illi, quia & *manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*, vers. 14. hoc est, diuina molitur opera, in omnes beneuolus & liberalis. Cognosci vult, non in sermone, sed in opere & tractione panis. His profectò indicatum est, magis heroicis operibus, quàm pretiosa corona, vel illustri prosapia, Reges & Principes cognosci debere; & in regno Christi nonnisi legitimè certantes regia corona donantur, vt docet S. Paulus 2. Timoth. 2, 5.

Iam ad rem. Deus optimus maximus præbet occasionem nostris Christianis Principibus, vt quales verè sint, facto prodant, dum potestati canum infidelium permittit suum sanctissimum Sepulchrum & totam Terram sanctam; vt fortes, inquam, se exhibeant, eam de illorum manibus eruendo, adeoque verè fortes & strenui dici mereantur, tandemque in futuro sæculo Terræ viuentium, in ista promissionis præfiguratæ, Reges & possessores euadant: quod qui neglexerint, diuinum absque misericordia iudicium experientur. Id priùs docuerat Summus Pontifex Innocentius III. in Lateranensi Concilio, in Epistola ad Christi fideles missa, quam & Capite præcedenti citauimus, in qua hæc inter alia ad intentum dicit: *Poterat enim omnipotens Deus Terram illam, si vellet, omnino defendere, ne in manus traderetur hostiles; posset & illam, si vellet, de manibus hostium facilè liberare, cùm nihil possit eius resistere voluntati: sed cùm iam superabundasset iniquitas, refrigescente charitate multorum, vt fideles suos à somno mortis ad vitæ studium excitaret, agonem illis proposuit, in quo fidem eorum, velut aurum in fornace probaret, occasionem salutis, imò salutionis causam præstando, vt qui fideliter pro ipso certauerint, ab ipso fideliter coronentur; & qui ei noluerint in tantæ necessitatis articulo debitæ seruitutis impendere famulatum, in nouissimo districti examinis die, iustam mereantur damnationis sententiam sustinere.*

Ferdinandi Medices pium consilium.

Ferdinandus Medices, magnus Etruriæ Dux, huius nominis primus, vt grates debitas Redemptori rependeret, se à probro liberaret, & verè heroica actione sibi magni Principis nomen assereret, quodam etiam pietatis spiritu ductus, efficere decreuit, vt à solo separaretur sacratissimum Reparatoris nostri Sepulchrum, & è sancta ciuitate ad suam deferretur, collocandum in Regio ac pænè admirabili sancti Laurentij templo, vt fertur, ad hunc finem fundato; & ad opus istud perficiendum iam ferramenta, artifices & quæcumque necessaria parata erant: sed diuina voluntate detectum fuit illius consilium, omniaque euanuerunt, & re infecta, sanctum Sepulchrum rupi soloque affixum remansit. Et quamuis Magni huius Ducis consilium pium ac laudandum iudicare quis posset, non Dei tamen fuisse, mihi persuadeo, quare nec effectui datum. Arbitror enim, Deum optimum maximum hic reliquisse sanctissimum Sepulchrum suum, vt per & propter ipsum alia sanctuaria & tota simul Terra sancta recuperentur, quæ æque sanctificata & egregijs facinoribus illustrata sunt; nec enim aliter Deo & proprio muneri potest satisfieri.

Militaris antiquissimum consuetudo.

Tradunt Hebræi, & laudat Pagninus in Thesauro linguæ sanctæ, antiquam fuisse consuetudinem & calliditatem, vt quotiescumque Rex aut Dux ciuitatem aliquam obsideret, proijceret ensem, chirothecam, vel quid aliud pretiosum, quo dabatur intelligi, se non discessurum, donec quod proiecerat vnà cum ciuitate recuperaret, ne sibi dedecori esset. Dedecori enim & infamiæ Regi aut Duci adscribitur, gladium aut aliquod pretiosum pignus in hostium potestate captiuum dimittere. Efficax sanè medium & militare stratagema, ad illustrem glorioſumque de hoste referendum triumphum. Hoc optimè intelligens Posthumius ille Dictator, Plinio referente, dum bellum gereret contra Manlium Tusculanum, ne sui milites hosti terga verterent, sed maiori animi fortitudine & hilaritate cum illo congrederentur, vexillum ipsum in hostium potestatem proiecit. Quo à militibus animaduerso, magnum dedecus arbitrati illud apud hostes esse; summis viribus & constanti audacia, impetu magno in hostilem

Egregium factum.

exer-

exercitum facto, eoque debellato, cum vexillo glorioſum etiam retulerunt triumphum. Conſuetudinem hanc & aſtutiam mihi imitatus eſſe videtur Saluator noſter, quando accincto gladio ſuper femur ſuum, venit in hunc mundum, conſtitutus Rex à Deo ſuper Sion montem ſanctum eius: ſed impij agricolæ foras eiecerunt, quaſi ſancta ciuitas ſibi non deberetur. Et quid facit noſter fortis & generoſus Princeps? Proiicit (vt ita dicam) in eum ſanctam Crucem, ſanctum Sepulchrum, gladium & theſaurum ſuum, quod per Pſalmographum indicaſſe videtur illis verbis: *In Idumæam extendam calceamentum meum*, Pſalmo 59,10. ſiue, vt legit Pagninus, *chirothecam meam*. Et quid illo pretioſius, cùm in vtero ſanctificatus Chriſti Præcurſor illud ſoluere dignus non eſſet? Et an non meritò calceamenti vel chirothecæ nomine intelligere poſſumus ſanctiſſimum Sepulchrum? quoniam vt illa manus & pedes operiunt, ita hoc eoſdem in ſe clauſit & operuit. An non etiam eſt gladius quo mors interfecta fuit, & enſis quo diabolus vulnus plagamque accepit? Et ecce, proh dolor! gladius & theſaurus ſingularis in Chriſti inimicorum manibus manet. Quid igitur faciendum, ne in dedecus Saluatoris vertatur? Eripiatur vnà cum ciuitate de illorum manibus, quemadmodum ſupplex expoſtulabat Dauid, dicens: *Eripe frameam tuam ab inimicis manus tua*, Pſalm. 16,13. Sed quomodo eripi debet? vtique per Reges & Principes Chriſtianos, præcipuos duces & miniſtros ſuos in hoc viſibili mundo: non enim ſine cauſa gladium portant, vt dixit ſanctus Apoſtolus.

Diuinum Saluatoris ſtratagema

Pietas & prudentia Sixti V.

Optimè nouit ſanctiſſimus pariterque ſapientiſſimus Sixtus V. Pontifex maximus, nonniſi ſimul cum ſancta ciuitate & tota Terra ſancta comparandum eſſe ſanctiſſimum Chriſti Sepulchrum. Cùm enim Turcarum Imperator Amurathes Selimi filius anno Domini 1586. illi inter alia duo obtuliſſet, vel ſanctiſſimum Domini Sepulchrum, vel ſanctam ciuitatem Ieruſalem, recuſauit ille huiuſmodi oblationem ab infideli acceptare, non ob defectum pietatis, ſed ob magnam pietatem & zelum Dei. Noluit, inquam, ſanctum acceptare Sepulchrum, ne iram & indignationem omnipotentis Dei incurreret: nouerat ſiquidem Summus & prudens Pontifex, conſilium Dei eſſe, non ſeparanda à ſanctiſſimis locis egregia monumenta, ne ſimul auferretur memoria myſteriorum ſalutis noſtræ, & peregrinatio ad illa minueretur, cùm præcipue propter Domini Sepulchrum excitentur fideles ad ſanctum iter aſſumendum. Vt enim optimè aduertit S. Bernardus Serm. ad Milites templi, cap. 11. *Sepulchrum Chriſti inter loca deuotionis tenet quodammodò principatum, & deuotionis neſcio quid plus ſentitur vbi mortuus requieuit, quàm vbi viuens conuerſatus eſt; atque amplius mouet ad pietatem mortis, quàm vitæ recordatio.* Ne denique laboris ſui fructu carerent peregrini, ſed in eiuſdem Sepulchri optatiſſimo aſpectu & contactu cum gaudio & fructu iubilarent; quia nimirum ſimul cum alijs ſanctis locis, in quibus noſtræ ſalutis myſteria effulſerunt, poſſidendum eſt. Nec etiam acceptauit ſanctam ciuitatem, quia non ſecura ſatis eſt illius poſſeſſio; tum quia ſita eſt intra vngulas potentiſſimi hoſtis; tum quia vel ipſemet Amurathes, vel alius eius ſucceſſor, fidem de more non ſeruans, cum maiori dedecore & damno eam iterùm abſtuliſſet. Debellandus eſt igitur Turca, & tota Terra ſancta recuperanda.

Ita dixit Pontifex P. Accurſio à Quintiano, Guardiano ſacri Montis Sion, præſente P. F. Bernardino Bandena, Florentino, eius ſocio, qui hæc plures mihi retulit.

Spes liberationis Terræ ſanctæ.

Et quis ſcit, an his præſertim temporibus cogitet omnipotens Deus eripere de infidelium manibus Terram illam, & fideles ſuos è preſſuris & angustijs, quibus continuè premuntur, liberare? Ex magnis enim & inſolitis afflictionibus, quibus dum hæc ſcribo premimur, ad ita opinandum perſuademur. Profectò quo tempore Hebræi à Pharaone & Ægyptijs magis affligebantur, ſecum ſtatuit Dominus eos de illorum manibus liberare. ita enim dixit ad Moyſen: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum qui præſunt operibus: & ſciens dolorem eius deſcendi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum*, &c. Exod. 3,7. & Moyſen pro liberatione miſit. Ita cùm modò videamus, Turcas, præſertim qui Ieroſolymis habitant, plus ſolito preſſuris & perſecutionibus vexare & opprimere Chriſtianos incolas eiuſdem ciuitatis, vt plures inde ſe ſubduxerint, & validiſſimis clamoribus Dominum quaſi fatigent, deſertaque & deſolata maneat ciuitas olim plena populo; nullatenus dubitandum eſt, quin eorum clamor in aures Domini ſabaoth introierit.

Sed adhuc ideò idipſum fortè permittit Deus, vt excitentur & moueantur Principes Chriſtiani, vt priuatis diſcordijs ſepoſitis, & proprijs commodis tantiſper poſthabitis, gladios ſuos, quos in ſe mutuò ſtringunt, vibrent in hoſtes Chriſtiani nominis, theſaurum Domini & Terram ſanctam de manibus impiorum eripiant, commiſſi ſibi populi ſollicitam curam gerant, eumque de Turcarum tyrannide vindicent, ſe denique glorioſos &

verè pios oſtendant, ne eis negligentibus meritò occinatur, quod olim dixit Magnus Alexander vili & gregario cuidam militi, qui idem Alexandri nomen habebat, ſed non, vt ille, egregia moliebatur: *Aut nomen depone, aut mores muta.*

Sed heu: timeo ne Moyſes quiſpiam natus ſit, aut ſi natus eſt, ne ad Pharaonem accedere abnuat, & ad Terram promiſſionis contendere reformidet. Timeo, inquam, ne ſanctum Domini peculium, vt olim, propter rixas & contentiones Principum negligatur. Timeo, & heu nimiſquam timeo, propter nonnullorum improbitatem non niſi in plenitudine temporis, & tum demum, quando venerit Ieſus Chriſtus, & ſpiritu oris ſui interfecerit impium, recuperandam Terram ſanctam, & fideles à tyrannide liberandos, quod tamen ſua benignitate auertat Deus, & quàm citiùs mittat liberatorem.

CAPVT LXX.

Secunda ratio, quare Deus ſacrum Sepulchrum ſuum, & reliqua Terræ ſanctæ loca, Turcarum & Mahometanorum poteſtati permittat, vt eius ex liberatione vel expugnatione fideles, & in primis Chriſtiani Principes, glorioſi euadant, & à morte æterna liberentur.

Merces non pro habitibus ſed pro actibus virtuoſis datur.

ILlud compertum eſt, & apud omnes receptum, præmium & mercedem non pro habitibus, ſed pro actibus, & virtuoſis honeſtisque operationibus dandam eſſe; pro his ſiquidem illi conceduntur, vt Theologi docent, & omnis Scriptura teſtatur. Regem conſtituit Deus Salomonem, illum diuitijs, potentia & ſapientia exornauit, vt faceret iudicium & iuſtitiam, vt ad illum dixit Sabæorum Regina. Et apud Ieremiam Dominus: *Ecce conſtitui te hodie ſuper Gentes, & ſuper Regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes,* Ierm. 1, 10. Et S. Apoſtolus de miniſtris à Deo inſtitutis pro ſuæ Eccleſiæ ædificatione & conſeruatione, tradit eos in ea operari debere. *Et ipſe,* inquit, *dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti,* Epheſ. 4, 11. Et non niſi viriliter dimicantibus, & ſe in ſanctis operibus exercentibus, gloriæ corona donabitur. *Non coronatur,* ait S. Paulus, *niſi legitimè certauerit,* 2. Tim. 2, 5.

Exempla. Et ipſe quidem iuſtificantem, & Apoſtolatus gratiam habuit, & nihilominùs non illi, ſed illius exercitio adſcribit coronam gloriæ, dicens: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui; ideoq; repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ,* &c. 2. Tim. 4, 8. & *Væ mihi, ſi non euangelizauero,* 1. Corinth. 9, 16. Saul & Dauid vncti fuerunt Reges à Samuele ſuper populum Iſraël, & tamen diadema & gubernacula Regni non ſuſceperunt, niſi poſt egregias de hoſtibus reportatas victorias, vt in ſacris Litteris proditum eſt. Et Regi Salomoni, quem omni ſapientia, gloria & potentia decorauerat, comminatus fuit Deus, de eo ſe ſumpturum iudicium, niſi ſanctis in mandatis ſe exercuiſſet. In Apocalypſi vidit Ioannes innumerabilem cuiuſque generis, gentis & ſexus multitudinem, diuitum & pauperum, Principum, Dominorum, &c. qui glorioſis veſtibus induti, palmas in manibus geſtabant. Quæſitum fuit, quinam illi eſſent, & vnde venirent. Et fuit Ioanni reſponſum à ſapiente quodam & venerando ſene: *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni,* &c. Apoc. 7, 14.

Dubium. In his verbis obſeruant ſacri Doctores, geminæ interrogationi vnicam datam fuiſſe reſponſionem. Interrogatio prima fuit, *Qui ſunt iſti?* altera, *Vnde venerunt?* & tamen poſteriori tantùm videtur fuiſſe ſatisfactum, vt verba reſponſionis adducta præ ſe ferre videntur.

Soluit. Variæ ſunt Auctorum ad hanc difficultatem reſponſiones; vnicam propoſito meo inſeruientem adducam. Reſponſio ad primam interrogationem ideò ſilentio ſuppreſſa fuit, vt ſanctus ille ſenex, imò per ipſum Spiritus ſanctus nobis indicaret, ad aſſequendas palmas in domo Domini, ſicut nihil obeſt humilibus parentibus fuiſſe ortum, ita nihil prodeſſe ex illuſtri atque generoſa proſapia originem ducere. Itaque cùm per verba illa, *Qui ſunt iſti?* ſanguinis nobilitas aut ignobilitas inquiri ſoleant, idcircò priori quæſtioni minimè reſponſum fuit. Sed poſteriori ſatisfactum eſt, ideò nimirum illos eſſe gloria circumdatos, quòd laboribus illam ſibi comparauerint.

Figura. Fuit id in veteri Teſtamento adumbratum in Tabernaculo illò ſummo artificio elaborato, vbi, vt in Exodo dicitur, duo erant altaria, alterum ſanguine perfuſum, alterum verò à ſanguine & cruore purum. In primo mactabantur animalia, oues, boues & vituli; & ideò ſanguine plenum erat, & inſtrumentis ad ſacrificia neceſſarijs, ibi enim erant ſecures, caldaria, &c. in ſecundo verò altari, quod intra Sancta ſanctorum erat, nihil horum videbatur, ſed erat ibi

Arca

Arca teſtamenti, duobus Seraphim cooperta, ibi propitiatorium aureum, ſummaque pax & tranquillitas. Sed eo modo erant diſpoſita, vt ad ſecundum niſi per primum peruenirì non potuerit. Quo ſymbolo ſignificatum fuit, ad quietem, ad palmas & coronas peruenirì non poſſe, niſi per labores, ſanguinis effuſiones, & egregias operationes. & vt dixit S. Apoſtolus: *Si compatimur, vt & conglorificemur*, Rom. 8,17. &: *Sicut ſocij paßionum eſtis, ſic eritis & conſolationis*, 2. Cor. 1,7. Nec idipſum latuit veteres Romanos, etſi fidei lumine deſtitutos: iſti enim, vt referunt Valerius lib. 1. cap. 1. de Cultu Deorum, & D. Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 5. cap. 15. Virtuti & Honori, quos ſicut Deos coluerunt, duas ædes, ſiue duo templa conſtruxerunt. Et parietes quidem templi Virtutis aut Laboris, lanceis, gladijs, ſcutis, loricis, & alijs bellicis inſtrumentis adornati erant: in templo verò Honoris erant palmæ, coronæ laureæ, triumphales currus, & alia ad honorem ſpectantia. Templa verò hæc eiuſmodi ordine erant diſpoſita, vt nullus poſſet ad templum Honoris penetrare, niſi per templum Laboris aut Virtutis priùs tranſiſſet. Nec ſolùm picturis, ædificiorum ſtructuris, aut alijs ſchematiſmis id adumbrabant, ſed & in factis ipſis obſeruabant: quandoquidem penes eos Ducibus & Imperatoribus triumphales arcus non erigebantur, nec ipſi cum gloria in Capitolium introducebantur, niſi poſt partam de hoſtibus victoriam. Et neque victoriam obtinuiſſe ſufficiebat, ſed Plutarchus & Tranquillus inſuper tradunt, neminem triumphi gloria potiri potuiſſe, niſi qui quinque millia hoſtium in bello occidiſſet. Vnde aiunt, Iulium Cæſarem noluiſſe triumphando vrbis portas ingredi, antequam quinque illas inſignes obtinuiſſet victorias, primam Gallicam, ſecundam Alexandrinam, tertiam Ponticam, quartam Africanam, quintam Hiſpalenſem. Et meritò: quia, vt dixit Ariſtoteles l. 4. Ethic. c. 4. honor eſt præmium virtutis, quod ſolùm his debetur, qui in laboribus & egregijs facinoribus exercentur.

Ex labore ad requiem tranſitus fit.

Honor virtutis præmium.

Magno honori & gloriæ tribuitur, ſi Rex vel Princeps plures in comitatu ſuo habeat, & à pluribus laudetur atque honoretur; ſed quomodo id aſſequetur, niſi laude digna fecerit? Non priùs egreſſæ fuerunt Hebrææ mulieres ex vniuerſis pænè vrbibus Iſraël, canentes, choroſque ducentes in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris præcinentes, ludentes atque dicentes in laudem Dauid, *Percußit Saul mille, & Dauid decem millia*, 1. Reg. 18,6. quàm, poſtquam percuſſo Goliath, fugatisque Philiſthæis, abſciſſum gigantis caput deferret in manu. Opera nimirum bona ſunt quæ nos comitantur, & laudant ante tribunal Dei. *Opera enim illorum ſequuntur illos*, ait in Apocal. c. 14,13. Ioannes, *ſicut familia dominum*, interpretatur Hugo Cardinalis. Et S. Bernardus Sermone 2. in Feſto Omnium Sanctorum, *Opera*, inquit, *illorum ſequuntur illos. Ad quid ſequuntur, niſi vt laudent eos in portis? Ad quid ſequuntur, niſi vt multiplicentur in fructu eorum, & accipientes de fructu manuum ſuarum, ſaginentur vituli, quos ex prophetico teſtimonio cùm readificabuntur muri Ieruſalem ſuper altare Domini nouimus imponendos?* Non intrauit in gaudium Domini, qui talentum acceptum abſcondit in ſudario, ſed qui per illud alia lucratus fuit.

Opera bona comitantur ante tribunal Chriſti.

Sed non eſt quòd in re tam euidenti, & ab omnibus tam ſacris quàm profanis Scriptoribus comprobata diutiùs immoremur, cùm ipſe Chriſtus, qui erat Dominus gloriæ, illam voluerit paſſione comparare, vt poſteà diſcipulis Emauntem euntibus dixit: *Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Luc. 23, 26. Quòd ſi Dominus ipſe laboris & difficultatum iter ad gloriam inire voluit, quî gloriam & honorem abſque labore & bonis actibus ſibi polliceri audebunt famuli? *Chriſtus clamat etiam per ſe ipſum, & dicit* (ait Innocentius III.) *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Ac ſi diceret manifeſtiùs: Qui vult me ſequi ad coronam, me quoque ſubſequatur ad pugnam, quæ nunc ad probationem proponitur vniuerſis.* Eiuſdem porrò Pontificis verbis hoc Caput claudam: *Ea propter igitur, dilectiſſimi filij, diſſenſiones & æmulationes fraternas, in pacis & dilectionis fœdera commutantes, accingimini ad officium Crucifixi, non dubitantes pro illo res exponere ac perſonas, qui pro vobis animam ſuam poſuit, & Sanguinem ſuum fudit. Certi pariter & ſecuri, quòd, ſi verè pœnitentes fueritis, per hunc temporalem laborem, quaſi quodam compendio ad requiem peruenietis æternam*, &c.

Innocentius III. in Epiſt. ad Chriſti fideles per Maguntinam prouinciam conſtitutos, in Concil. Later. Habetur Tomo 4. Concil. general.

CAPVT LXXI.

Argumenta in medium adferuntur, quæ proximè præcedentibus Capitibus dicta conuellere videntur.

DOctrina illa, quam proximè præcedentibus Capitibus poſuimus & explicauimus, Chriſtianos nimirum Principes teneri bellum inferre Turcis pro recuperatione Terræ ſanctæ, & Regni Chriſti dilatatione, veriſſima eſt, & nemini, niſi vltrò

trò & data opera cæcutire volenti, non manifeſtiſſima. Verumenimuerò, quia nulla eſt veritas adeò euidens, quin ſuos patiatur æmulos; nihil tam ſolidum, quin à præſumptuoſis nonnumquam ſciolis impugnetur; etiam hanc doctrinam arietatam inuenio, non ſolùm ab hæreticis & manifeſtis ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ hoſtibus, ſed etiam à Catholicis, qui veros, legitimos & morigeros ſe ſanctæ Eccleſiæ filios eſſe profitentur. Qui omnes etſi in rationibus conueniant, diſſentiunt nihilominùs in ſcopo quem intendunt. Hæretici id agunt, vt ſancta Eccleſia, creſcentibus hoſtium viribus, quibus paulatim Catholici, & in primis Summus Pontifex ſuis ſedibus ignominiosè deturbarentur, deſtruatur & exterminetur: Catholici verò, vt opus neceſſariò aſſumendum extenuantes, à ſocordia & negligentia excuſari videantur. Sed age, rationes vtrorumque inſpiciamus.

Argumenta bellum Turcis inferendum eſſe diſſuadentia. Primum.

Lutherus apud Valentiam Tom. 3. diſp. 3. quæſt. 16. puncto 1. & Bellarminum Tom. 1. lib. 3. de Laicis, c. 16. & alios, ita argumentatur, Primò: Voluntas Dei eſt, vt à Turca tamquam flagello quodam iuſtè puniamur; quare ſicut illicitum eſſet repugnare miniſtro iuſtitiæ per quem quis punitur à magiſtratu, ita ne perperàm diuinæ Maieſtati reſiſtere videamur, contra Turcam pugnandum non eſt. Eſſe verò hanc Dei voluntatem, probat in Aſſertione Artic. 34. ab experientia, quæ docuit, hactenus nihil profuiſſe bellum Chriſtianis contra Turcas. Perſimilis eſt huic omnino ratio nonnullorum Catholicorum, qui addunt, hoc pacto adimpleri vaticiniũ Saluatoris: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, Matt. 23, 38.

Secundum. Secundò: Eccleſiæ vtilior eſt tribulatio & perſecutio, quàm victoria & tranquillitas. Vnde in ſermone de Matrimonio reprehendit Eccleſiæ conſuetudinem, qua orat pro pace & quiete, cùm potiùs pro tribulationibus orandum eſſet.

Tertium. Tertiò, odio & furore percitus, Romanum Pontificem ipſiſmet Turcis peiorem eſſe præſupponit, adeoque hoc iſtos tolerabiliores. Contendit igitur, minus malum ferendum eſſe, vt maius tollatur: hoc eſt, vult Turcis bellum non inferri, ſed optat ab illis omnia Chriſtianorum Regna occupari, vt vel illo ſaltem modo Pontificis & Pontificiorum, hoc eſt Catholicorum nomen è terra deleatur.

Quartum. Quarto: Non licet legitimum poſſeſſorem expellere poſſeſſione ſua: ſed Turca eſt legitimus Terræ ſanctæ poſſeſſor, ſi non alio titulo, vt minimùm ratione præſcriptionis quadringentorum ampliùs annorum. In Iure verò ciuili Romano etiam malæ fidei poſſeſſor, ſi dominus rem ſuam ab alio poſſideri reſciuerit, & infra decem annos inter præſentes, & viginti vnum inter abſentes, litem non fuerit conteſtatus, rem poſſeſſam licitè ſibi vindicat. Auth. Malæ fidei. C. de Præſcr. longi temp.

Quintum. Quintò denique: Moralia moraliter tractanda ſunt, habita ratione locorum & temporum. Licet enim huiuſcemodi opera ex ſe bona ſint, illa tamen nonnumquam magis expedit prætermittere, quàm exequi, quia inde, locorum temporúmve conditione ſpectata, maius malum quàm bonum ſequeretur. At bellum ſacrum, ad quod nos modò Principes hortamur, ex his vnum eſt. Etſi enim bonum & iuſtum ſit, Turcam debellare, & Terram ſanctam, tyrannicè ab eo occupatam & profanatam, eripere & Catholico cultui reſtituere; conſiderata tamen miſerabili calamitoſaque præſentis temporis conditione (quo hæc ſcribo) non videtur expedire, & tantum abeſſe vt quis hanc rem Principibus & Regibus Chriſtianis perſuadere conari debeat, vt potiùs velut rem impoſſibilem diuino cultui noxiam, ac Chriſtiano populo pernicioſam, omni modo diſſuadere teneatur.

Bellum ſacrum in præſentia non expedire, quantuliscunque probatur. Primò.

Aſſumptum probatur. Primò, Quia Principes Chriſtiani, præterquam quòd ſint ſibi inuicem ſuſpecti, manifeſtè etiam mutuis bellis ſeſe inuadunt & conficiunt: quare ſi illorum alter ſacram aggrederetur expeditionem, ab altero eiuſdem inuaderentur & occuparentur ditiones, adeoque quod tutò poſſidet, pro incerto comparando amitteret, quod vtique non expedit.

Secundò. Secundò, Eſto quòd occaſione ſacræ expeditionis Principes Chriſtiani, ad tempus ſibi inuicem reconciliati, inducias vel etiam pacem concluderent, & nihil alteri ab altero timendum eſſet, non exigua tamen exurgeret concertatio circa Regni acquirendi poſſeſſionem, quia nimirum altercarentur de exuuijs ante captam prædam, cùm Regnum Ieroſolymitanum non vnum, ſed plures habeat æmulatores, Regnum verò vnum non capiat duos. Nec etiam facilè poſſent diſſidia illa ad concordiam adduci, adeò vt eligibilius videatur illud à Turca poſſideri & inſideri, quàm ab aliquo iſtorum; quia interim dum poſſidetur à Turca, quilibet credit ſe ius ad illud habere, & ſpem conceptam habet, aliquando illud vel ſuæ vel ſucceſſorum poteſtati ceſſurum, hacque ſpe lactatus conquieſcit: ſecùs ſi cederet Principi alicui Chriſtiano.

Tertiò. Tertiò, Etſi etiam quoad hoc inter ſe conuenirent Chriſtiani Principes, non leuiter eſſet illis timendum, ne ditiones ſuæ

derentur ab hæreticis, qui videntes Catholicorum vires in exteris & remotis regionibus distractas & impeditas, impia spe impiæ libertatis arma capesserent, obedientiam detrectarent, vrbes inuaderent, munitiora loca occuparent, Ecclesiasticos violarent, sacra profanarent, omnia cædibus & sacrilegijs defœdarent, denique ipsos Principatus & Regna sibi vsurparent, Principesque & Reges legitimos excluderent; sicque incerta spe recuperandi loca sancta, propriæ ipsis perirent ditiones, quod magnum esset inconueniens.

Quartò. Quartò, Ad expeditionem sacram ritè instituendam necessariæ sunt infinitæ pecuniæ, commeatus incredibilis, naues innumeræ, annona plurima, milesque copiosissimus, præsertim pro tam longinquo itinere conficiendo. Sed modò propter continua bella, crebrasque alias calamitates Regna pleraque sunt exhausta, populusque ad inopiam redactus, vt vix habeat vnde frugalem vitam toleret & vectigalia Principibus soluat: & vnde habebit quæ ad expeditionem sacram conferat?

Quintò. Quintò, Etsi Terra sancta isto sacro bello recuperetur, non facilè conseruari aut defendi posset, quoniam à Turca potentissimo hoste vndequaque circumcluditur. Vnde & olim recuperata quidem fuit à Christianis, ijsdem verò non valentibus resistere Turcæ validissimas copias in ipsos producenti, non sine macula Christiani nominis canum iterùm potestati cessit. Perinde timendum est ne fiat modò, etiamsi contingeret eam occupari à Christianis; imò magis timendum est ita futurum, eò quòd potentior ac ditior nunc sit Turca, quàm fuerit tum cùm Terram sanctam Christianis extorsit. Quare ne idem denuò inferatur Christianis dedecus, & hosti ampliori eis insultandi præbeatur occasio, non solùm omittenda est eiusmodi periculosa expeditio, sed totis viribus impedienda & dissuadenda.

Et hæc mihi videntur esse, quæ adduci possunt contra sanctam, ad quam hortamur, Terræ sanctæ expeditionem.

CAPVT LXXII.

Respondetur argumentis Capite præcedenti contra sacram expeditionem adductis.

PLausibilia quidem nonnemini videri poterant ea quæ superiori Capite allata sunt argumenta: ijs tamen haudquaquam moueor, sed iterùm exhortor & moneo, instituendam esse expeditionem à Christianis Principibus contra Turcas pro Terræ sanctæ recuperatione, ad quam assumendam anteà efficacissimis rationibus induxerunt Pontifices & Concilia generalia, indulgentijsque & gratijs propositis indixerunt; sed & pijssimi quique Principes Christiani operam suam laudabiliter contulerunt. Et sanè præcipui Christianitatis Reges non vsque adeò contenderent de titulo & dominio Ierosolymæ & totius Terræ sanctæ, nisi intelligerent, laudabilem esse illius possessionem: quam nisi aliquando sibi asserere cogitarent, de nudo vtique titulo gloriarentur, quod de tantis Monarchis non est præsumendum. *Sacrum bellum expedire, persuadent grauia testimonia.*

Et hoc sacrum bellum, ad quod hortamur, contra Turcas pro Terræ sanctæ recuperatione, adeò placere Deo compertum fuit in illa expeditione quam indixerat Romanus Pontifex Vrbanus II. vt omnes Crucesignati vnanimiter id asseruerint, eaq; Dei voluntate animis aucti, hostem adorti, & de eodem victoriam consecuti fuerint. Docet Robertus Monachus lib. 1. Hist. sacræ, quòd postquam Vrbanus II. in Claramonte egregia cohortatione sacram expeditionem vrsisset, & finem dicendi fecisset, *ita omnes, qui aderant affectus in vnum concitauit, vt omnes acclamarint:* DEVS VVLT, DEVS VVLT. *Quod vt venerandus Pontifex Romanus audiuit, erectis luminibus in cælum, Deo gratias egit, & manu silentium indicens ait: Fratres charissimi, hodie in vobis est ostensum, quod Dominus dicit in Euangelio: Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum. Nisi enim Dominus Deus in mentibus vestris fuisset, vna omnium vestrùm vox non fuisset. Quamuis enim vox vestra numerosa prodierit, tamen origo vocis vna fuit. Propterea dico vobis, quòd Deus hanc à vobis elicuit, qui vestris eam pectoribus inseruit. Sit ergo vobis vox ista in rebus bellicis militare signum, quia verbum hoc à Deo est prolatum. Cùm in hostem fiet bellicosi impetus congressio, erit vniuersis hæc ex parte Dei vna vociferatio:* DEVS VVLT, DEVS VVLT. Et ita pro signo militariq; celeusmate quo se Crucesignati, ituri in hostem, animabant simul ac armabant, hoc assumpserunt: DEVS VVLT, DEVS VVLT. *Acclamato signo militari,* DEVS VVLT, inquit alius Auctor, *dissipatos ordines hostium inuadunt.* Alibi: *Signum Christianorum latis fragoribus ingeminant:* DEVS VVLT, DEVS VVLT. Ex quo didicimus, quàm Deo accepta sit sacra Ierosolymitana expeditio contra Turcas. VVilhelm. Malmesbur.

Ampliùs ex hoc collige magnam sacræ huius militiæ necessitatem & vtilitatem, quòd liceat ei qui ad eam idoneus est illam vouere, & deuotam implere, etiamsi lex aliqua *Quòd liceat vouere illud, lege alias naturaliter frangatur.*

aliqua particularis, naturalis vel diuina refragetur. Diuina & naturali lege tenetur vir cum ſua habitare vxore, illique ſui corporis facere facultatem. *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*, inquit Dominus Matthæi 19, 5. & Paulus: *Vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier*, 1. Corinth. 7, 4. quæ obligatio non niſi ex grauiſſima cauſa auferri poteſt, vt ex Euangelio, D. Paulo & ſacris Doctoribus edocemur; & tamen poteſt maritus ſacram peregrinationem & militiam pro recuperatione Terræ ſanctæ licitè ac fructuosè vouere, votumque implere, etiam inuita coniuge. Et ita reſpondit ac decreuit Summus Pontifex de hac re conſultus, hiſce verbis, quæ habentur cap. Ex multa. Ext. De voto & voti redempt. *In tanta quoque neceſſitate populi Chriſtiani, ne Terræ ſanctæ impediatur ſubſidium, viri, præter vxorum aſſenſum, huius peregrinationis propoſitum vouere liberè valent, & quod vouerint, liberè adimplere: vt autem conſentiant, ſunt attentiùs commonendæ.* vbi Gloſſa: *Specialiſſimus eſt caſus iſte, quòd vir poteſt emittere votum præter licentiam vxoris.* Fit nimirum hoc propter commune bonum Reipublicæ Chriſtianæ, maiorem Dei gloriam, & Eccleſiæ vtilitatem, cui meritò priuatum commodum cedit, præſertim cùm aliunde ei poſſit ſubueniri, ſicut poteſt in caſu noſtro, vt mox oſtendemus. Et votum hoc licitè voueri, docet Siluester v. Votum. 5. cum Raymundo, Innocentio, Hoſtienſi; & verba Pontificis per ſe clara ſunt, nec multa egent explicatione.

Obiectio. Doctrinæ huic aduerſari videtur S. Thomas, qui in Quodlibetis ſuis hanc quæſtionem proponens, *Vtrùm vir poſſit accipere crucem ad transfretandum extra mare, nolente vxore, ſi de eius incontinentia timeatur*, reſpondet: *Ea, quæ ſunt neceſſitatis, non eſſe prætermittenda propter ea quæ ſunt propriæ voluntatis: ex neceſſitate autem viro impoſitum eſſe, vt gerat curam vxoris, eò quòd vir ſit caput mulieris; accipere verò crucem, & mare traijcere, in cuiuſuis arbitrio conſiſtere. Hinc ſi vxor ſit talis, quæ ſequi non poſſit maritum, propter legitimum impedimentum, & de eius incontinentia timeatur, ſuadendum non eſſe, vt dimiſſa vxore accipiat crucem; ſecùs autem, ſi vxor continere voluntariè proponat, vel velit & poſſit ſequi virum ſuum.* Hæc S. Thomas.

Reſponſio. Alij tamen abſque diſtinctione docent, votum hoc inuita vxore ſuſcipere, ius fasq; eſſe: nam Dei honor, communis Eccleſiæ neceſſitas, amor quo ei obligati ſumus, & pleraque bona quæ ex ſacra expeditione expectantur, præponderant priuato nexui, quo quis obligatus eſt vxori. Et numquid mirabile eſt, quòd vel propter infirmitatem, vel propter neceſſitatem familiæ, aliſque de cauſis caſu noſtro longè inferioribus liceat viro abeſſe ab vxore, & quòd in cauſis maioris momenti velint non licere? Quid, quòd aliunde vxori ſubueniri poſſit? Et quidem, quantum ad periculum incontinentiæ, precibus ad Deum fuſis, & id genus alijs medijs, cum diuina gratia quæ omnibus præſtò eſt, omnes carnis illecebræ vitari & ſuperari poterunt. Et quamuis illi, cuius continentia periclitatur, magis expediret, ſi maritus tale votum non emitteret, Reipublicæ tamen magis expedit vt emittat. Quòd vir ſit caput mulieris, eamque dirigere, & de neceſſarijs omnibus ei proſpicere teneatur, optimè quidem; ſed hoc præſtare poterit etiam per ſalubria mandata & conſilia, etiam per litteras tranſmiſſa, quæ ad ſuſtentandum & ſe & familiam neceſſaria ſunt relinquendo, præſertim illam gratiæ Dei commendando, quæ non deerit illi qui propter Deum patriam, filios, vxorem, & ſeipſum relinquit. Imò non deſunt Doctores, inter quos Hoſtienſis, citatus à Siluestro, & Panormitanus citatus à Nauarro, & ipſe Nauarrus, qui arbitrantur, vxorem quoque, quantumuis reclamante marito, peregrinationem Ieroſolymitanam licitè ac valide vouere poſſe: præſertim ſi ea ſit conditione, vt impenſis ſuis aliquos, qui pro Terra ſancta pugnent, ſuſtentare poſſit. Faciunt ad huius veritatis confirmationem alia quæ tradit Gretſerus de S. Cruce Tomo 3. lib. 2. cap. 3.

Lutherus ipſe expedire dixit. Lutherus ipſe hæreticorum more vbilibet inconſtans, ex abſurditate & impietate oppoſitæ ſententiæ motus, poſtquam illius ardor ſiue potiùs furor nonnihil deferbuiſſet, planè oppoſitum ſcripſit in libro de Viſitatione Saxonica, vbi adeò bellum contra Turcas ſuadet, vt temerarios vocet eos, qui non eſſe reſiſtendum Turcæ clamitent: ergo temerarius priùs ipſe.

Reſpond. ad argumenta. Sed quidnam ponderis habeant oppoſitæ rationes, videamus. Ad primam reſpondemus cum Roſſenſi artic. 34. Alphonſo à Caſtro tit. Bellum Hæreſi 2. Bellarmino, & alijs communiter, licet voluntas Dei ſit, vt peccata noſtra per Turcam puniantur, non licet tamen inferre, illicitum eſſe illi reſiſtere. *Ad primã.* Quemadmodum enim peſtis, fames, hæreſis, fomes peccati, & ſimilia non minùs ſunt flagellum Dei, quàm ſit Turca; nullus tamen eſt tam ſtultus, qui putet ideò non eſſe quærenda medicamenta contra peſtem, neque terram colendam ne moriamur fame, neque hæreſi aut fomiti reſiſtendum.

Flagellis Dei occurrere licet.

dum. Ita Turcæ ſimiliter reſiſtendum eſt. Et hanc eſſe Dei voluntatem, ex fine probat Bellarminus. *Non enim*, inquit, *Deus permittit Turcam in nos ſæuire vt pereamus, ſed vt conuertamur. Tunc autem ad conuerſionem perducimur, cùm Turcæ nos oppugnanti reſiſtere conamur, reſiſtendo laboramus, laborando noſtram infirmitatem agnoſcimus, atque inde ad Deum toto corde reuertimur, & eius auxilium imploramus.* Itaque ex fine quo Deus permittit Turcam in nos ſæuire, ſequitur manifeſtè, ipſum velle nos reſiſtere Turcæ.

Exempla laudabiliter bellantium.

Hæc ſententia poteſt varijs exemplis ex ſacra Scriptura deſumptis confirmari. In veteri Teſtamento legimus, Primò, Deum non tantùm bellum permiſiſſe, ſed etiam mandaſſe. *Hoſtes vos ſentiant Madianitæ, & percutite eos*, Num. 25, 16. *Vade, & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius: non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid: ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum atque lactentem*, &c. 1. Reg. 15, 3. & alibi. Secundò, præſcripſit leges & præcepta gerendi bellum. *Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem, quàm tu habeas, aduerſarij exercitus multitudinem, non timebis eos*, Deut. 20, 1. *Appropinquante autem iam prælio, Sacerdos ſtabit ante aciem, & ſic loquetur ad populum*, &c. verſ. 2. *Duces quoque per ſingulas turmas audiente exercitu proclamabunt*, &c. verſ. 5. *Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt, ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam*, verſ. 10. & ſic conſequenter eo capite. *Quando egreſſus fueris aduerſus hoſtes tuos in pugnam, cuſtodies te ab omni re mala*, Deut. 23, 9. & alibi. Tertiò laudantur in Scriptura qui in veteri Teſtamento fortiter ſe geſſerunt in bello, vt Abraham. *Benedictus Abram Deo excelſo, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt*, Geneſ. 14, 19. Leuitæ. *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, vt detur vobis benedictio*, Exod. 32, 29. Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, Samuel, Dauid, & alij. *Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*, &c. Hebræor. 11, 33. Et in nouo Teſtamento, in Euangelio, Primò Ioannes Baptiſta rogatus à militibus, *Quid faciemus & nos?* non diſſuaſit illis militiam, ſed dixit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti eſtote ſtipendijs veſtris*, Luc. 3, 14. Hoc teſtimonio vtitur S. Auguſtinus Epiſtola 5. ad Marcellinum, vbi ait: *Si Chriſtiana diſciplina omnia bella culparet, hoc potiùs militibus, conſilium ſalutis petentibus, in Euangelio diceretur, vt abycerent arma, ſeq; omnino militiæ ſubtraherent. Dictum eſt autem eis: Neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum. Quibus proprium ſtipendium ſufficere debere præcepit, militare vtique non prohibuit.* Et lib. 22. contra Fauſtum cap. 74. *Alioquin Ioannes, cùm ad eum baptizandi milites venirent, dicentes: Et nos quid faciemus? reſponderet eis: Arma abycite, militiam iſtam deſerite, neminem percutite, vulnerate, proſternite. Sed quia ſciebat eos, cùm hæc militando facerent, non eſſe homicidas, ſed miniſtros legis, & non vltores iniuriarum ſuarum, ſed ſalutis publicæ defenſores, reſpondit eis: Neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum.*

Chriſtitenam liceret.

Secundò, Chriſtus rogatus à Phariſæis, an liceret Cæſari dari cenſum ſeu tributum pro ſtipendijs militaribus, reſpondit: *Reddite Cæſari quæ Cæſaris ſunt*, Matth. 22, 21. De quo idem Auguſtinus loco poſteriùs citato: *Sed quia Manichæi Ioannem apertè blaſphemare conſueuerunt, ipſum Dominum Ieſum Chriſtum audiant, hoc ſtipendium iubentem reddi Cæſari, quod Ioannes dicit debere ſufficere militi. Reddite, inquit, Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & Deo quæ Dei ſunt. Ad hoc enim tributa præſtantur, vt propter bella neceſſariò militi ſtipendium præbeatur.* Tertiò denique (alijs omiſſis) Chriſtus commendauit fidem Centurionis, qui dicebat: *Nam & ego homo ſum, ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites. Et dico huic, Vade, & vadit; & alij, Veni, & venit*, Matthæi 8, 9. Non reſpondet Chriſtus, Deſere militiam; ſed potiùs, *Non inueni tantam fidem in Iſraël*, ibid. Vnde Auguſtinus loco citato: *Fidem*, inquit, Centurionis *laudauit, non illius militiæ deſertionem imperauit.*

Sed quamuis hoc rectiſſimè dictum ſit (inquit Valentia) & ſatis hæc exempla oſtendant, nihil valere Lutheri argumentum; tamen oportet præterea perſpicuam rationem reddere, cur non ſequatur, illicitum eſſe reſiſtere Turcis aut morbis, & alijs huiuſmodi malis, licet per ea à Deo puniamur. Et reſpondet ipſe dupliciter, & prima reſponſio coincidere videtur cum nunc dictis ex Bellarmino. Dicit ergo, rationem huius eſſe, quia Deus non ita per Turcas & eiuſmodi mala nos punit, vt velit ipſe nos à Turcis interimi aut expoliari, & per alia eiuſmodi mala conſumi (ſicut vult Magiſtratus occidi reum per carnificem, cui id-

Duplex ratio, quare Turcæ Dei flagello reſiſtere licet.

Prima.

circò non est fas resistere) sed ita dumtaxat, vt velit nos subire quidem per ea flagella mortis & aliorum malorum discrimen (quod per se est magna pœna) & permittit quoque nos mortem & alia huiusmodi mala incurrere, quando ea ipsi à nobis non satis propulsamus. Ita fit, vt quando iure, quod alioqui habemus ad nostri tutelam, resistimus, & remedia adhibemus eiusmodi malis, minimè repugnemus diuinæ voluntati. Non enim per hæc impedimus, quò minùs & subeamus discrimen illorum malorum, & illa etiam incurrere permittamus, nisi sufficienter cauerimus. per quæ duo dumtaxat vult Deus nos punire, vt diximus. Id quod etiam inde patet, quòd Deus per Prophetam ita dicat: *Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat*, Ezech. 33, 11.

Secunda. Vel certe (& hæc est secunda ratio) quòd aliter, quàm isto modo, velit Deus per hæc flagella nos punire, minimè nobis constat. Itaque quando aliud non scimus, ius habemus ad tuendum ea in quorum possessione sumus. Hactenus ille.

Voluntas Dei duplex, signi & beneplaciti. Nos ita dicamus: Duplex est Dei voluntas, signi & beneplaciti. Illa est, quæ legibus explicatur, & vt plurimum satis constat; sed non item altera beneplaciti, neque continuò sciri potest quò illa se extendat, ideò licitè possumus nos illi opponere debitis modis: & huius generis est infidelium afflictio, & Terræ sanctæ per eosdem occupatio. Quare non bona illa consecutio, Voluntas Dei est vt oppugnemur à Turcis, ergo illis non est resistendum: quia tantum valet de voluntate signi quæ manifesta est, non autem de voluntate beneplaciti incognita. Vnde cùm nobis sit incompertum, quamdiu velit nos Deus per Turcam affligi, debemus illi pro viribus resistere; & hoc esse Dei voluntatem, credere debemus, quoniam benignus & misericors est, & *quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*, Psalm. 102, 13. secùs esset, si clarè sciremus, ipsum velle nos per illum perpetuò affligi: tunc enim, vt quondam Dauid, dixit Abisai, volenti amputare caput Semei, eò quòd Regi malediceret, *Dimittite eum vt maledicat, Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid*, &c. 2. Reg. 16, 10. & sicut sanctissimus Præsul Lupus excepit & salutauit Attilam, *Salue flagellum Dei*, quia nouerat Deum velle per ipsum Italiam flagellare; nos similiter deberemus permittere Turcam contra nos debacchari, & gratias illi agere, si talem sciremus esse illius voluntatem.

Voluntati signi haud resistendum.

Aliare-sponsio. Neque verum est, quod Lutherus ait, experientiam docere, nihil nobis prodesse bellum contra Turcas. Vt enim omittam plurimas victorias de Turcis relatas, certè cùm primùm arma illata sunt in Terram promissionis, felicissimo euentu Ierusalem à nostris recuperata fuit, & in ea regnabant Christiani annis octoginta octo, & semper plura & plura occupabant, donec oriri cœperunt inter ipsos Christianos Principes contentiones: quemadmodú & nunc Turca plura occupat ob discordiam nostrorum, quam sua virtute. Et harum discordiarum potissima causa fuit Lutherus ipse. Nam, vt ex Ioanne Cochlæo patet in Actis Lutheri anni millesimi quingentesimi vigesimi sexti, Hungaria periit, quia Germani a Rege Hungariæ vocati in auxilium, maluerunt Luthero parère tunc concionanti contra bellum in Turcas, quàm cogitare quid bonum commune postularet. Saltem hoc boni haberet bellum, quòd impediretur Turca, ne tantum noceat quantum vellet. Nisi enim hactenus cum eo pugnatum esset, iam dudum ille omnia obtineret. Hæc est Bellarmini ad illam probationem responsio: eodem etiam modo respondent Valentia & alij.

Fructuosè contra Turcas pugnatum est.

Sed breui aureaque D. Bernardi sententia satisfacere possumus illi argumento. *Numquid ideò* (inquit ad Eugenium Papam Epist. 256.) *non debet facere homo quod debet, quia Deus facit quod vult?*

Nec officit illa Saluatoris prophetia: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, Matth. 23, 38. Primò enim dicere possumus, relinquendam fore desertam Iudæis. *Vobis*, inquit; ipsi enim electi ex illa fuerunt, non tamen absolutè; per multum enim tempus viguit in ea Christiana religio, & floruerunt fideles, qui & in præsentia florerent, si ad Deum conuerterentur, vellentque sanctè viuere, vt par est, in locis sanctis. Idem enim Dominus, qui heri & nudiustertius, *ipse & in sæcula*, Hebræor. 13, 8. Et non videtur dubio vertendum, quòd si modò, dum spreta & derelicta sunt loca sancta a Christianis, nihilominus diuina ordinatione aliqui, licet pauci, in ea habitant fideles, qui ibi Deum Catholico cultu venerantur; eadem ordinatione multò plures insuper habitarent, imò omnia sancta loca replerentur à Christianis, si ea æstimarent, & ad illorum recuperationem (vt iustum est) efficaciter se disponerent. Et si ita non esset, quomodo vere dixisset Dauid de Christo, *Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum?* Psal. 71, 8. & Angelus Gabriel ad Mariam Virginem, *Et Regni eius non erit finis?* Luc. 1, 32. id est, vt appositè quidam interpretantur, Regni eius non erit li-

Ad Saluatoris prædictionem quomodo respondetur. Primò.

mites

mes & terminus. Nam de duratione priùs dixit, *Et regnabit in domo Iacob in æternum*, ibid. Quia vbique non dominaretur, nec in Ierusalem collocaret solum Regni sui, si perpetuò deserenda esset.

Secundò. Secundò dici posset, concesso, Saluatoris prophetiam non de Iudæis tantùm, sed vniuersim de omnibus etiam Christianis intelligendam esse, adhuc non officere. Ignoramus enim, an illa Saluatoris prædictio tantùm comminatoria fuerit, & respectum habuerit ad causas naturales, an verò determinata, &, vt loquuntur Theologi, reuelatoria diuinæ præscientiæ, respiciens ipsa futura contingentia in seipsis. Quæ isto posteriori modo prædicuntur, infallibiliter eueniunt; & eiusmodi sunt, quæ de Domini Incarnatione, Isa. 7, 14. de eius Natiuitate, Mich. 5, 2. de illius aduentu ad iudicium, Ioël. 3, 1. 2. & 12. prænuntiata sunt: non item quæ priori modo prædicuntur, qualia sunt quæ apud Ieremiam dicit Dominus: *Repentè loquar aduersum gentem & aduersus Regnum, vt eradicem, & destruam, & dissipem illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam; agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei*, Ierem. 18, 7. Et hoc apparuit in Niniuitis, qui propter pœnitentiam euaserunt pœnam, quam illis Ionas Propheta fuerat comminatus, Ion. 3. Prædictiones enim istæ sunt comminatoriæ, quæ, cessante causa propter quam indictæ fuerunt, non implentur. Mortem quoque prænuntiauit Isaias Ezechiæ Regi, dicens: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues*, Isaiæ 38, 1. & tamen mortem euasit, & additi sunt posteà vitæ eius quindecim anni. Et verè quidem secundùm prophetiam moriendum ei erat, spectato ordine causarum naturalium, at non respectu diuinæ præscientiæ. Lege D. Thomam 2. 2. q. 171. art. 6.

Prophetia duplex, conditionata & determinata.

Cùm ergo nobis incompertum sit, cuius generis sit illa Redemptoris de Ierosolymæ desolatione prophetia, suspicari possumus esse comminatoriam, & quæ respiciat ordinem & dispositionem causarum inferiorum, quæ per pœnitentiam & vitæ emendationem, diuino concurrente auxilio, mutari potest. Et id credere debemus, si varios circa hoc euentus considerauerimus. Quare bonis operibus attendant fideles, & bellum Turcis indicant Christiani Principes, & habitabitur Ierusalem, implebiturque quod anteà per quemdam Prophetam dixit Dominus: *Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius*, Zach. 2, 4.

Tertiò. Tertiò dicatur (& est responsio quæ magis explicat præcedentem) dictum Saluatoris habere veritatem ex suppositione: suppositis enim discordijs & peccatis alijs, Iudæorum priùs, & posteriùs Christianorum, vastanda est Ierusalem, & Terra sancta deserenda; quo etiam modo necesse est venire scandala, vt idem Saluator dixit, suppositis nimirum hominum fragilitate & malitia: ceterùm si discordijs sopitis, & peccatis omissis, concordiam & charitatem mutuam sectarentur fideles, & in primis Christiani Principes, non relinqueretur deserta, sed ab eisdem cum gaudio habitaretur, & scandala tollerentur.

Quartò. Vel dicendum Quartò, prædictionem illam Saluatoris præcisè intelligendam esse de Salomonico templo, in quo adeò gloriabantur Iudæi, quod verè in perpetuum desolatum manebit, prout etiam omnino sublata sunt Iudæorum sacrificia, & lex Moysaica abolita. Et ita locum hunc interpretatus est S. Hieronymus lib. 4. Comment. in c. 23. Matthæi, dicens: *Ecce relinquetur domus vestra deserta. Hoc ipsum ex persona Ieremiæ iam antè dixerat: Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam: facta est mihi hereditas mea quasi spelunca leænæ. Desertam Iudæorum domum, id est, templum illud, quod fulgebat augustiùs, oculis comprobamus, quia habitatorem Christum perdidit, hereditatem præripere gestiens, occidit heredem.* Nec nos dicimus fore reædificandum, nec ad illius restaurationem hortamur Christianos; tunc enim imitaremur Iudæos Christi acerrimos hostes: sed dicimus recuperandam esse Terram sanctam, quam Dominus noster tanti fecit, vt eam pro sua conceptione, natiuitate, & alijs nostræ redemptionis mysterijs in ea operandis elegerit, vt in ea Christianus Catholicusque Dei cultus floreat.

Salomonicū templum perpetuò desolatum manebit.

Quintò. Quintò dici potest cum VValfredo Abbate, Dominum nomine *Ierusalem* non tam vrbis mœnia, quàm in ea habitantes Iudæos intellexisse, qui contemnentes Dei monita, in sua perfidia & obstinatione perseuerantes, penitus de medio auferendi erant, eorum salute desperata. Expendens enim illa Domini verba Luc. 19, 41. *Et vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu*, sic ait: *Condolebat Dominus interitum perfidæ ciuitatis, quem nesciebat ipsa sibi esse euenturum. Non existimandum est, quòd fleuerit Dominus pulchra mœnia ciuitatis, aut ædificia murorum, aut altitudines turrium, sed per metaphoram habitatores deflet ciuitatis. Sicut & alibi Dominus dicit: Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt. Sicut enim ibi, ita & hic, non su-*

Comminatio contra perfidos Iudæos.

per Ierusalem fleuit, sed super habitatores eiusdem ciuitatis, quibus à flente Domino dicitur: Quia si cognouisses, & tu fleres, &c.

Ad secundum. Persecutio propter periculum non expetanda.

Ad secundam rationem Primò respondet Bellarminus, tribulationem & persecutionem esse quidem vtilem, sed periculosam, & ideò non expetendam, sed tolerandam, cùm aliter fieri non possit. Vnde Matthæi 6, 13. iubemur orare: *Et ne nos inducas in tentationem.* & 1. Timoth. 2, 1. Apostolus iubet orari pro Regibus, vt quietam & tranquillam vitam agamus. Et S. Augustinus ait lib. 10. Confess. cap. 28. miserias esse tolerandas, non amandas, nec desiderandas & petendas.

Simplex pœna tolerando, non qua culpam annexam habet.

Adderem Secundò, simplicem, pœnalem & afflictiuam tribulationem, patienter toleratam, vtilem esse, non similiter illam quæ connexam vel concomitantè culpam habet, aut ad eam inducit, diuinumque cultum & fidei augmentum impedit, cuiusmodi est ista quæ mouetur à Turca, cui amplius subijcientur & succumbent Christiani, si illius conatibus non resistant, & eum de medio tollere non satagant.

Tribulatio grauis propulsanda.

Tandem leuis, mediocris breuisque tribulatio patienter tolerata vtilis est; sed grauis & diuturna, qualis est de qua loquimur, periculosa est, ac ideò propulsanda, ne cum salutis detrimento ei succumbamus. Qua ratione pijssimus Dominus ab huiuscemodi tribulationibus electos suos liberat, vt Regius Propheta testatur: *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas*; Psal. 124, 3. Et S. Paulus Corinthium illum, quem ob execrandum incestum cum propria patris coniuge, curandum tradiderat Satanæ, vt eius spiritus saluus fieret: verùm illius videns pœnitentiam, & periculum timens desperationis ex nimia dæmonis & aliorum afflictione, à malo spiritu eum liberauit, Corinthiosque exorauit, ne amplius illi molesti essent, vt graues deducunt Doctores ex verbis illis Apostoli ad eosdem Corinthios, *Sufficit illi*, fornicario videlicet, *qui eiusmodi est, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus, ita vt è contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est. Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in illum charitatem.* Ita pius ac prudens Pastor Paulus 2. ad Corinth. 2, 6. Vnde appositè S. Bernardus lib. 1. de Considerat. dixit: *Vexatio dat intellectum auditui, ait quidam: verum est, sed si nimia non fuerit, nam si sit, non planè intellectum dat, sed contemptum. Denique impius cùm in profundum malorum venerit, contemnit.*

Ad tertiũ.

In tertia ratione omnino mentitur Lutherus, nec suis calumnijs causam suam meliorem facit, sed quam ineptus ipse & importunus sit ostendit, quia ex verarum rationum defectu, more insipientium hæreticorum ad conuitia recurrit. Quare abeat ipse cum suis conuitijs, & Catholica proposita veritas retineatur.

Ad quartum.

Ad quartum dicendum, legem illam ciuilem abrogatam fuisse ab Alexandro III. cap. Vigilanti. & Innocentio III. in Concilio Lateranensi cap. fin. de Præscript. Et ita possessorem malæ fidei nullo tempore præscribere, docet textus & Glossa, & alij Doctores, regula Possessor. de Regulis Iuris, in 6. Quare Turca cùm iniustè loca sancta sibi vsurpauerit, per nullum, quantumuis longum tempus, legitimè præscribere potuit. Quòd si in illa habitantes ei tamquam legitimo domino parent, & tributa soluunt, hoc non fit ex iustitia, sed ex necessitate, ad redimendam vexationem.

Possessor malæ fidei numquam præscribit.

Obiectio.

Contra hanc solutionem fortasse quispiam obijciet, ipsam non satisfacere argumento, Pontificum enim potestatem non se extendere ad politicas ciuilesque Imperatorum leges. *Habent hæc infima & terrena Iudices sues*, inquit ad Eugenium lib. 1. de Consid. S. Bernardus, *Reges & Principes terræ. Quid fines alienos inuaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis?* Item: *In criminibus, non in possessionibus potestas vestra.* Non potuisse igitur Pontifices illam Imperatoriam constitutionem abrogare, cùm terrena respiciat. Respondetur, quòd Pontifices non possint se terrenis immiscere, potest intelligi dupliciter: vno modo per se & principaliter, alio modo ex accidenti & casualiter, vt loquitur Innocentius III. quando videlicet terrenæ leges sunt diuinis contrariæ. Primo modo non potest, secundo modo tenetur. Et ita inquit Innocentius III. cap. Per venerabilem. Qui filij sint legitimi. Et citata Glossa ad cap. Possessor. regulam assignat, qua cognoscitur, quando possit Pontifex se ingerere in ciuilibus Imperatorum, & quando non. Quando de eadem re contrariæ inueniuntur leges Imperatoriæ & Pontificiæ, si materia legis est res quæ animarum periculum concernit, abrogatur lex Imperatoria per Pontificiam: at quando materia legis est res temporalis, non concernens animarum periculum, non potest lex Pontificia abrogare legem Imperatoriam, sed vtraque seruanda est, illa in foro Ecclesiastico, ista in foro ciuili. In casu nostro lex illa Imperatoria de præscriptionibus triginta vel quadraginta annorum, etiam cum mala fide, quia non poterat seruari sine mortali peccato, iustè iureque fuit

Solutio.

per

per Pontificiam contrariam conſtitutionem abrogata.

Ad quintũ. Ad quintum argumentum. Propoſitio illa omnino vera eſt, cùm Spiritus ſanctus dicat: *Iuſtè quod iuſtum eſt exequere*, Deuteron. 16, 20. Quantum ad ea quæ pro aſſumpti probatione adducuntur, an ſufficientia ſint vt à iuſto bello retrahere debeant, iudicabit Dominus; huius enim cauſa cetera omittenda eſſent: interim quæ occurrunt proponam.

Ad argumẽtum, quòd in præſentia ſacrum bellum non expediat. Primò, cauſam, quam tractamus, adeò iuſtam, piam & neceſſariam eſſe arbitror, vt inculpatè prætermitti non poſſit, niſi efficaci ratione, cauſaque maioris boni exiſtente, quàm ſit hereditatis Domini recuperatio, & in eadem diuini cultus propagatio, cuiuſmodi non video: nec rationes illæ adductæ ad excuſandas excuſationes in peccatis, mihi ſatisfacere videntur. Non prima & ſecunda, quia ſi ſibimet ab inuicem timent, ſi priuatas lites habent Chriſtiani Principes, deponant eas, & pacem componant, vt ſuo muneri ſatisfacere poſſint: & cùm rationis compotes ſint, rationes à ſupremo omnium Moderatore, Patre, ac Pontifice accipiant, illis acquieſcant & ſe ſubmittant: quæ, ſi fortè non ſatis ipſis videantur plauſibiles minúſve amplexandæ, reſpectu alicuius terreni commodi impediti; ſaltem propter iuſtitiam, cuius ipſi loco Dei ſunt adminiſtri, acceptari debebunt. Sic nimirum fecerunt etiam Principes inclytiſſimi in ſimilibus difficultatibus, & pro maiore Dei gloria nonnihil ſua priuata cæleſtibus poſthabuerunt, optimè ſcientes, veriſſimum eſſe quod Summus Pontifex Cæleſtinus Theodoſio Imperatori dixit, maiorem Principibus fidei cauſam debere eſſe quàm Regni, ampliusque pro pace Eccleſiæ illorum clementiam debere eſſe ſollicitam, quàm pro omnium ſecuritate terrarum. Quòd ſi ſanctam pacem, neceſſariamque concordiam neglexerint, ac ideò ſacram expeditionem non ſuſceperint, non ſolùm à culpa apud Altiſſimum immunes non erunt, ſed inſuper accuſabuntur magis, quòd, neglecto ſuo munere, diſcordias fouerint, & ſcandalis vniuerſam Dei Eccleſiam repleuerint. Fieri tamen poterit, vt alter tantùm culpam incurrat, qui nimirum pacem acceptare detrectat, ſubterfugiſque friuolis & inanibus eludit, adeoque directè ſanctam militiam impedit, à qua culpa immunis erit quicumque tolerabiles pacis conditiones admittere paratus fuerit.

Ad primũ & ſecundum.

Secundò reſpondeo, hac ſaltem occaſione facilè poſſe vel debere inter ſe vniri diſcordantes Chriſtianorum Principum animos contrà Turcam, & vt hoc fiat, ſacram expeditionem indicendam eſſe. Hoc didici ex S. Catharina Senenſi. Cùm enim hæc ſacra Dei ſponſa & virgo (vt refert Raymundus Generalis Ordinis Prædicatorum, & ex ipſo Ambroſius Catharinus in eius Vita) Summos Pontifices Gregorium XI. & Vrbanum VI. anno Domini 1375. & ſequentibus acriter ad bellum Turcis inferendum extimularet, Pontifexque opponeret, illud in tot inteſtinis Principum Italiæ aliarumque regionum diſſidijs importunum videri, inſtitit illa: *Imò verò nunc magis opportunum eſt, adeoq; nullum efficacius remedium ad diſſidia hæc tollenda ſuppetit, quàm ſi fœdus ſanctum ſanciatur, quo omnes paribus animis in communes Chriſti & Chriſtianorum hoſtes conſpirent. Ibi ſuos animos & impetus, ſuos pugnandi ardores iraſq; effundent, eaq; ratione priuatas ponent lites & odia.* Vt alios taceam, Rogerius & Boëmundus fratres, Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ Principes, continuè inter ſe de Principatu digladiantes, ab Vrbano II. fœdere belloque ſancto conciliati, arma fraterna in Saracenos verterunt. Boëmundus enim occupata Melphi, cupiditate gloriæ incenſus, cum duodecim millibus ſelectiſſimis Italiæ iuuenibus in Terram ſanctam profectus, ſua hac virtute animique præſtantia adeò fratrem Rogerium permouit, vt poſitis armis dixerit, ſibi omnia cum fratre deinceps fore communia, ac ſtatim Tancredum filium, pugnandi cupidum, belli comitem fratri tradiderit, vt refert Platina in Vrbano II. Pari modo acerba Germanorum, Bauarorum, Belgarum & Polonorum diſſidia ſopita fuiſſe per expeditionem in Terram ſanctam, duce Conrado Imper. narrat Otto Friſingenſis lib. 1. de geſtis Frederici I. Imper. cap. 29. Sapienter Liuius lib. 2. dixit: *Bella externa ſedant domeſticas ſeditiones. Externus timor, magnæ concordiæ vinculum.* Quod optime intelligentes Chriſtiani nominis hoſtes, totis viribus ſtudent ſeminare inter Chriſtianos Principes lites & diſſidia, & eadem fouere & augere: quæ dum vigent, ipſi non timent. Vidi egomet quomodo expaueſcant animoque concidant, cùm Chriſtianos inter ſe concordes eſſe audiunt vel ſuſpicantur, quandoquidem ſciant, illorum in diſcordia ſuorum Regnorum ſecuritatem & felicitatem conſiſtere.

Per ſacram expeditionem pax componetur.

Ad tertiũ. Ad tertiam probationem dicerem Primò, hæreticos priùs debellandos eſſe, qui etiam haud ita difficulter poterunt debellari, modò ſuis relictis viribus aliorum Catholicorum Principum armis non fulciantur: quibus deſtituti haud adeò ſunt potentes, quin facili negotio reprimi poſſint.

Digitized by Google

Quòd si hoc præstari nequeat, tententur ad tempus inducias. Quòd si nec istæ obtineri possint, dico tertiò, occasione sacræ expeditionis non ita viris & defensoribus destituendas esse Catholicorum regiones, vt à bestijs, hæreticis inquam, occupari vastarive possint, sed necessaria præsidia ibi esse disponenda ex illis qui longis itineribus ad bellum sacrum non sunt idonei, vel qui eidem adscribi noluerint, vel vt magis opportunum Principi visum fuerit. Et vt olim in Dauidis exercitu alij bellabant bella Domini, alij sarcinas custodiebant: ita in exercitu nostrorum Principum alij Turcam aggrediantur, alij proprias ciuitates & arces custodiant. Præterea nō crediderim, Deum intereà oscitando vel dormitando neglecturum ciuitates & facultates illorum qui pro ipso sua & seipsos reliquerint, vt sanctam recuperarent hereditatem. Quòd si fortè aliquid illis inde proueniret damni ex prouentu, qui ex sacra expeditione certò ipsis accedet, facillimè resarciri poterit.

Ad quartum. Ad quartam respondeo, quòd si ea quæ insumuntur in bella intestina & non necessaria, destinarentur bello sacro, facilè sumptus qui requiruntur colligi posse. Et fortè promptius subsidium suppeditaretur. Sed de hoc posteà. Addo, quòd si illi qui militiæ sacræ adscribendi sunt, vitam tolerent ex prouentibus suis, quos domi & in patria habent, qua ratione non possent ex eisdem & hostium spolijs vitam transigere in regione peregrina, ad quam armati proficiscuntur?

Ad quintum. Ad quintam denique probationem dico, etsi sacra militia sit ordinata singulariter pro Terræ sanctæ recuperatione; ea si occupata fuerit, non propterea esse cessandum, sed hostem pressiùs & pressiùs vrgeri debere, vt, si possibile sit, cū diuino auxilio etiam vicinis prouincijs exuatur, eo præcipuè fine, vt, viribus eius acciſis, nostris verò auctis, vbique Euangelium prædicetur, & Terra sancta non tam facilè ab eodem inuadi & sub iugum reduci possit. Scio hæc faciliùs dici & scribi, quàm opere compleri: quòd si tamen diuini amoris glutino vniti fuerint Christiani Principes, illudipsum ad Dei gloriam, sui honorem, & eximium Ecclesiæ prouentum, Dei cum adiutorio perficerent.

CAPVT LXXIII.

Vnde necessaria ad sacram expeditionem colligi possint.

MIrabile profectò videtur, quòd Capite LXXI. in argumento quodam contra sacrum bellū assertum fuit, ideò non expedire sacrum bellum instituì, quòd Turca, contra quem assumendum est, facultatibus & milite excedat Christianos Principes, quorum Regna essent diuitijs & militibus exhausta propter tot alia bella. Certè si quis hæc de Principibus Christianis, alijs fortè occasionibus, tam absolutè pronuntiaret, illorumque potentiam, comparatione instituta, præ Turcæ viribus & diuitijs extenuaret, Deus bone, quàm malam apud eos iniret gratiam! Nollent profectò eo æstimari tenuiores, sed multò insuper superiores. Quòd si ostentanda esset Regia magnificentia in conuiuijs, luxibus, torneamētis, & similibus ludicris & vanis, è terra, imò è subditorum viscеribus eruerentur pecuniæ, quibus non tam liberalitatem & magnanimitatem, quàm fastum & prodigalitatem proderent: at dum de subsidio agitur Terræ sanctæ, & de recuperatione hereditatis Domini, extrema omnes laborant egestate, & ne obolus inuenitur. Haud secùs quàm dues ille Euangelicus, qui pluribus quidem abundabat, vt indueretur purpura & byſſo, & epularetur quotidie splendidè; micas tamen non habebat, quibus pasceretur pauper & famelicus Lazarus vlceribus plenus. *Pro mundo & vanitatibus omnia abundant, pro Deo summa vbique est egestas.*

Fateor & ego, absque sufficientibus facultatibus & militibus non esse tam grauem assumendam prouinciam, quia consulit Ecclesiasticus: *Ne coneris contra ictum fluuij*, Eccli. 4, 32. & Saluator noster in Euangelio duplici apposita similitudine id explicuit. *Quis enim ex vobis*, inquit, *volens turrim adificare, non priùs sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum; ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit edificare, & non potuit consummare? Aut quis Rex iturus committere bellum aduersus alium Regem, non sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt*, Lucæ 14, 28. Cæterùm non admitterem ex alia parte, minores esse Christianorum facultates, & tenuiorem militem; imò dicere ausim, eos superare infidelium hostium vires, præsertim cùm Deum habeant adiutorem, cuius iustam tuentur causam. Et quantum ad militem, quamuis in eius numero Mahometani excedant, non tamen excedunt in virtute, prudentia & peritia, quæ multitudini omnino longè præferenda est. Sed quoad militum multitudinem, sapienter occurrit egregius ille Princeps Iudas Machabæus, *Facile est*, inquiens, *concludi multos in manus paucorum: & non est differentia* *Omnia prudenter facienda.* *Infidelium viribus maiores sunt vires fidelium.*

rentia in conſpectu Dei cæli liberare in multis, & in paucis; quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt, 1. Machab. 3, 18. & Regius ille Vates, dum ait: *Non in gladio, nec in haſta ſaluat Dominus*, ſed omnipotenti virtute ſua, cui nullus hominum vel Angelorum reſiſtere poteſt. Sic contigit, dum Pharao numeroſo milite perſequeretur Hebræos, & cùm nauali prælio Chriſtiani Turcas ſub Pio V. Pontifice maximo ſuperarent, vt pleraque alia exempla ex ſacris ac profanis litteris omittamus, in quibus, fauente Numine, innumeri à pauciſſimis debellati fuerunt. Sed non eſt prætereundum quod refertur de militibus Cruceſignatis, qui ceperunt Ieroſolymam, qui pauciſſimi erant, hoſtium infidelium numero ſpectato. *Dicitur* enim, inquit Tyrius lib. 8. cap. 5. *fuiſſe aduenientium Ieroſolymam numerus promiſcui ſexus, ætatis & conditionis, quaſi ad quadraginta millia, inter quos expeditorum vix poterant eſſe viginti millia peditum, equites autem mille quingenti. In vrbe verò dicebantur virorum fortium & optimè armatorum quadraginta millia.* Et quomodo pauciſſimi de innumeris extulerunt triumphum? Quia Dominus de cælo ſancto ſuo miſit plures cæleſtium militum ſuorum legiones, quemadmodum ipſe Dominus diuina viſione aliquando oſtendere dignatus fuit. Factum deſcribit Robertus Monachus l. 5. in hunc modum: *Erat quidam Admiraldus de genere Turcarum in illa ciuitate regia, cum quo Boamundus plurima & priuata pacis tempore habuit colloquia. Hic inter cetera quodam die requiſiuit ab eo, vbinam caſtra poſuerit ille candidatorum exercitus innumerabilis, quorum in omnibus bellis fulciebantur auxilio: dicebat enim, quòd aduentum illorum numquam poterant ſuſtinere, ſed ſtatim vt viderint, illos incipiebant pauere, illi ipſos vt ventus turbinis opprimerent, & iſti vulnerabant, iſti obruebant, & iſti occidebant. Cui Boamundus ait: Putas alium exercitum eſſe quem vides noſtrum? Cui ille: Per Mahometem meum præceptorem iuro, quoniam ſi hic adeſſent, tota eos planities non caperet. Omnes habent equos albos miræ celeritatis, & veſtimenta, & ſcuta, & vexilla eiuſdem coloris. Sed forſitan ideò abſconduntur, ne virtus veſtra nobis manifeſtetur. Sed per fidem quam habes in Ieſum, vbi caſtra eorum locata ſunt? Boamundus itaque ſpiritu Dei illuſtratus illicò ſentit, hanc, quam viderat, Dei viſionem eſſe, nec quod quærebat ex tentatione, ſed ex bona voluntate procedere; & reſpondens inquit: Licet ſis extraneus à lege noſtra, quia video te bona erga nos voluntate, bonoq; ſpiritu animatum, aperiam tibi aliquod fidei noſtræ ſacramentum. Si tantum profundi intellectus haberes, gratias Creatori omnium referre deberes, qui tibi oſtendit exercitum candidatum, & ſcias, quia in terra non conuerſantur, ſed in ſupernis manſionibus regni cælorum. Hi ſunt qui pro fide Chriſti martyrium ſuſtinuerunt, & in omni terra contra incredulos dimicauerunt. Horum præcipui ſunt ſigniferi, Georgius, Demetrius, Mauritius, qui in hac temporali vita militaria arma geſtauerunt, & pro Chriſtiana fide capite plexi ſunt. Hi, quotiens nobis expedit, iubente Domino Ieſu Chriſto nobis ſuffragantur, & per hos inimici noſtri præcipitantur. Et vt me verùm cognoſcas profiteri, inquire & hodie, & cras, & in die altera, an in tota regione hac eorum caſtra poterunt inueniri. Quòd ſi inueniuntur, redarguti in conſpectu tuo à mendacio erubeſcemus. Et cùm in tota regione nequiueris illos inuenire, ſi nobis neceſſe erit in craſtinum, videbis adeſſe. Vnde igitur tam citò veniunt? niſi à ſupernis ſedibus in quibus morantur.*

Exempla.

Deus in ſuorum ſubſidium cælites mittit.

Diuina viſio Turcæ facta.

Ad hoc ipſum facit, quod alij referunt Scriptores de his quæ acciderunt poſt captam Ieroſolymam. Regnante Ieroſolymis Balduino IV. huius nominis, qui Almarico patri ſucceſſit, cùm vix annorum tredecim eſſet, res Chriſtianorum ob noſtrorum Principum diſſenſiones, & Saladini potentiam indies maioribus atque maioribus incrementis augeſcentem, ſenſim collabi, & ad interitum tendere cœperunt: cuius ingruentis ruinæ cauſas reddit ſatis probabiles Tyrius lib. 21. cap. 7. Affulſit tamen Eccleſiæ Ieroſolymitanæ interdum lux de cælo, qua Deus indicabat, ſi incolæ ad cor redirent, & viam patrum ſuorum inſiſterent, fore vt ex cunctis periculis incolumes euaderent. Perſpicuè id declaratum eſt ad Aſcalonem, vbi Rex Balduinus cum pauciſſimis ſuorum, præuio viuificæ Crucis ligno, quod dominus Albertus Eremita Epiſcopus geſtabat in manibus, partim deleuit, partim in fugam vertit Saladini exercitum, teſte Tyrio, viginti ſex millia equitum expeditorum, exceptis ijs qui * ſummarijs *inſidebant, & camelis, ex quibus erant octo millia egregiorum, reliqua verò decem & octo millia erant gregariorum.* Qui omnes vel trucidati vel diſſipati ſunt, ita vt Saladinus vix centum equitibus ſtipatus in Ægyptum peruenerit. *De noſtris autem*, inquit Tyrius, *in primo conflictu quatuor aut quinque occubuerunt equites, pedites autem ad certum, quem nos ignoramus, numerum.*

Signum diuinæ reconciliationis.

*ſagmarijs.

Rogerius in Annalibus Anglicanis longè numeroſiorem facit Saladini exercitum: ait enim fuiſſe plus quàm quingenta millia militum & peditum. Addit & hæc duo,

Visiones in gratiam fidelium infidelibus factæ.

1. visum esse paganis, quòd militia cælestis exercitus quasi per scalam descenderet in similitudinem militum armatorum, & congressum cum illis faceret in adiutorium Christianorum: 2. ad confusionem Paganorum & Christianorum fidei confirmationem, visum esse Paganis, quòd summitas ligni Dominicæ Crucis, quod Episcopus Bethleemiticus portabat, cælum attingeret, & quòd brachia illius totum amplexarentur orbem: & inde territos fuisse, Christianos autem, glorioſa potitos victoria, cum gaudio reuersos in Ierusalem, & repleuisse terram spolijs interfectorum. Vide in Gestis Dei per Francos & alios Ierosolymitanos cap. 22. Ecce quomodo Deus auget suorum debiles vires, & fortes hostium diminuit & conterit, & istis debellatis, glorioſam illis largitur victoriam.

Respondetur difficultati ex defectu pecuniarum proueniente.

Quantum verò ad diuitias longæ nauigationi & numeroſo militi necessarias, dico, illas non deesse in Christiano populo. Esto enim quòd multi propter bella, & immoderatam vectigalium solutionem sint ad inopiam redacti, alij tamen etiam sunt ditati, nec euanuerunt, aut in fumum abierunt pecuniæ. Quare si olim tot inutilia bella gesta fuerunt, pecunijs ad ea necessarijs exhausto populo partim vi partim astu extortis, quare hoc vnum tam necessarium geri non posset, pecunijs à ditionibus mutuo acceptis? Ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterùm fluant, vt Ecclesiastes cap. 1, 7. dixit. Præterea, indies aduehuntur ab extremis mundi partibus diuitiæ ad Europæos Christianos Principes: & si olim sub Godefrido collectus fuit numeroſus exercitus, quo feliciter recuperata fuit Terra sancta, antè quàm ditissimæ Indiarum regiones inuenirentur, & Christianis Principibus subderentur, qui inde priscis Regibus euaserunt potentiores; quare modò, tot à Deo ditati thesauris, non poterunt commodè parem instruere militem pro eiusdem Terræ sanctæ recuperatione à Turcarum tyrannide?

Obiectio.

Dicet aliquis: Sunt quidem in Christiano populo diuitiæ, sed vnde accipi possent non facile est scire, quia quæ apud sæculares sunt, sunt reconditæ; illas verò quæ Ecclesiasticorum sunt & Deo sacræ, quis sine magno piaculo auferret? Verumenimuerò, etsi meum non sit Mineruam instruere, nec instituti mei ratio id exigat, nihilominùs quia hoc argumentum pertractandum assumpsi, proponam & explicabo mentem meam duabus Distinctionibus, & pauculis additis Propositionibus.

DISTINCTIO PRIMA. Omnes Christianorum diuitiæ pertinent vel ad sæculares vel ad Ecclesiasticos. Ea quæ sæcularium sunt, pertinent vel ad dominos Reges & Principes, vel ad subditos, diuites vel pauperes.

SECVNDA DISTINCTIO. Diuitiæ, tam sæcularium quàm Ecclesiasticorum, vel sunt necessariæ illis ad vitam conseruandam & statum, vel sunt superfluæ. His præmissis, sit

PRIMA PROPOSITIO. Principes & alij Domini, quibus incumbit, & apud quos est legitima auctoritas bellum indicendi, tenentur in primis ex proprijs facultatibus honestæ status sui conseruationi superfluis conferre pecunias pro stipendio militi soluendo. Ratio est, quia ad eos id pertinet ex officio, & ad hoc à Deo sunt ditati, & eum in finem subditi præstant tributa. Vide suprà Cap. LXVII.

SECVNDA PROPOSITIO. Si superflua Principum & aliorum Dominorum non sufficiant, excipiantur superflua subditorum diuitum, vel etiam vtrorumque minuatur & accidatur viuendi modus. Ratio est, quia commune bonum & Dei honor, priuato commodo & honori præferenda sunt, atque pro illo tuendo possunt Principes & Magistratus de rebus maximè superfluis subditorum disponere, & legitimus vsus hoc comprobauit. In casu autem nostro agi de communi bono temporali & spirituali, & præcipuè de Dei honore, satis constat ex alibi dictis, & porrò dicendis, nec hîc vacat idem fusiùs explicare. Quare sit

TERTIA PROPOSITIO. Si sufficiant Principum, Dominorum, & ditiorum subditorum facultates militiæ sustentandæ, nullatenus molestia inferenda est Ecclesiasticis, nec expoliandæ Ecclesiæ, nec onera & grauamina imponenda pauperibus. Et quantum quidem ad Ecclesias & Ecclesiasticos, patet; quia pro illorum defensione & decore pugnatur, non ergo sunt expoliandi. Similiter quoad pauperes, quia eorum salus præferenda est locis materialibus: qua ratione nemini extorqueri debent quæ necessaria sunt sustentationi & vitæ tolerandæ, vt militi soluatur, vel quæcumque loca inde comparentur: quoniam, vt in sacra Machabæorum historia dicitur, *non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit*, 2. Mach. 5, 19. In quo sensu verè dixit Petrus Blesensis: *Non de spolijs Ecclesiarum, non de sudoribus pauperum. Quæ enim ratio est, vt qui pro Ecclesia pugnant, Ecclesiam spolient, quam inimicorum spolijs triumphalibus augere debuerant? Putántne insipientes & miseri, quòd Christus, qui summa iustitia est, velit sibi de iniurijs & sacrilegio exhiberi sacrificium? aut* Epist. 112.

Digitized by Google

ſuſtineat commiſſa ex his ſpolia proſperari? Si enim teſtimonio veritatis in ignem æternum mittitur, qui ſua pauperibus non dedit; vbi, quæſo, mittendus eſt, qui bona pauperum vel Eccleſiæ rapuit aut fraudauit? Pro his & conſimilibus filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli. Numquam pauperum, numquam Eccleſiæ ſpolia proſperum habuerunt euentus auxilium. Verè igitur dixit Eccleſiaſticus: *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata.* Eccl. 34, 21. &: *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui*, verſ. 24. Nec verò ideò Eccleſiaſtici & pauperes, vt fructus ſacri belli & ipſi participes fiant, erunt eidem omnino inutiles, ſed multum ſuis proderunt orationibus, ſacrificijs, exhortationibus, ſimilibusque ſanctis exercitijs. Hoc non latuit celebrem ac pium Imperatorem Theodoſium: qui cùm aliquando pro expeditione contra Maximum tyrannum inſtituenda, ad bellorum expenſas indixiſſet noua tributa, poſteaque cogitaret, ſe magis precibus pauperum, quàm ipſorum ſudore, ſanguine ac pecunijs, à Deo poſſe auxilium & victoriam promereri; cum iterùm incundum eſſet bellum contra Eugenium tyrannum, non ſolum abſtinuit à ferendis nouis exactionibus, ſed recens edictum Præfecti Prætorio Tatiani, nouo dato reſcripto, omnino remiſit: & præterea omnia proſcriptorum bona, quæ fiſci nomine quibuſlibet Tatianus eripuerat, vel ipſis qui gladio acerbiorem ſtylum paſſi, ærumnas ſuas nuditate fleuerunt; vel eorum filijs ac propinquis, qui cruentas exceperunt ſententias, reſtitui iuſſit.

Iuuent Eccleſiaſtici & pauperes ſacrificijs & precibus.

Baron. ad ann. Chriſti 393.

Simili conſideratione Henricus Rex Germanorum ſeu Romanorum ſemel conſtitutus in anguſtijs, cùm proficiſceretur contra Hunnos in Hungariam, nec videret quomodo ſatisfaceret militibus, ſic illos affatus eſt: *Theſaurum diuinis officijs ſanctificatum tollámne, & dabo pro noſtra redemptione inimicis? An verò addam cultui diuino pecuniam & honorem, vt ab ipſo potiùs redimamur, qui verè noſter extat Creator & Redemptor?* Ad quæ populus voces leuauit in altum, inquiens, ſe à Deo viuo ac vero redimi omnimodis deſiderare, quia fidelis ac iuſtus ſit in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Operam ſuam deinceps promittens Regi contra gentem acerrimam, dextris in cælum eleuatis, pactum firmauit.

Luitpran. lib. 4. c. 15. & 16. de Hentic. Imper.

Cladium exercituum cauſa.

Hinc multi ſancti & docti viri ſæpè exercituum clades imputarunt, quòd militum ſtipendia de Eccleſijs & pauperum bonis collecta eſſent, & meritò: nam non ſolùm maiori auxilio ſpirituali, orationibus videlicet, deſtituti, & ampliùs offenſo Numine egentium deſperationibus & imprecationibus, retundit gladios fidelium Deus, acuitque gladios & lanceas infidelium hoſtium, vnde victoriam de illis conſequantur. Gregorius Magnus adſcripſit nimiæ exactioni & oppreſſioni pauperum, quòd Bari Romano Imperio prævalerent; & Petrus Bleſenſis, quòd Ludouicus Rex Franciæ infeliciter pro recuperanda Terra ſancta pugnauerit contra Turcas.

Sed hæc iudicio Dei ſunt relinquenda: & cùm multa illa ſint & inſcrutabilia, eiuſdemque euentus plures poſſint eſſe cauſæ, velle in particularibus ſe ad vnam determinare, tutum non iudico. Propono indicata ab alijs, & ſalubre S. Gregorij conſilium ſubjicio. *Ego ſuggero* (inquit Summus Pontifex ad Imperatores) *vt etſi minus expenſæ tribuatur, à ſuo tamen Imperio oppreſſorum lacrymas compeſcant. Nam idcirco fortaſſe tantæ expenſæ in hac terra minùs ad vtilitatem proficiunt, quia cum peccati aliqua admixtione colliguntur. Præcipiant ergo Sereniſſimi Domini, nihil cum peccato colligi*, &c.

QVARTA PROPOSITIO. Si Principum diuitumque bona non ſufficiant ad ſubueniendum ſacræ militiæ, addenda ſunt bona Eccleſiaſticorum & Eccleſiarum. Probatur aſſertum ratione, auctoritate atq; exemplo. Ratione quidem Primò, quia Eccleſiaſtici ſunt præcipua pars & caput Eccleſiæ, ergo ſi bona habent, debent corpori & partibus ſuis communicare. Secundò, quia ſi Prælati debent corporalia miſericordiæ opera de ſuis facultatibus in hoſpites exercere, Apoſtolo dicente, *Oportet Epiſcopum eſſe hoſpitalem*, 1. Tim. 3, 2. multò vtique magis & primariò ſpiritualia, corporalia verò ſecundariò, quæ ad ſpiritualia ordinantur, proſequi debent. Sed in iſta expeditione ſingulariter Dei honor attenditur, Eccleſiæ dilatatio, multarum animarum ab infidelitate ad fidem, & à diabolo ad Deum conuerſio: igitur in eam incumbere, opemque ferre tenentur Eccleſiaſtici. Tertiò, quia hunc vnum in finem tot bonis temporalibus ditata & cumulata eſſe videtur Catholica Eccleſia à tempore Magni Conſtantini vſque ad moderna noſtra, imò etiam poſita in ſuperbiam ſæculorum, quod dicitur in Iſaia, vt bona ſua pro Dei honore & ſubditorum ſalute impendat: alioqui enim ad quid tantæ diuitiæ? benè potuiſſet ſimplicem Chriſti & Apoſtolorum ſectari paupertatem, nec opus erat ditari, vt Eccleſiaſtici ſolùm lautiùs & delicatiùs viuerent. At qui maior honor, quæ maior animarum

Vtilitas magna ſacra expeditionis.

ſalus

ſalus excogitari poteſt, quàm ea quæ ex ſacra expeditione ſperatur, & certò prouentura eſt?

Secundò probatur auctoritate D. Ambroſij, addita egregia eiuſdem ratione. Cùm ſanctus hic Antiſtes confregiſſet vaſa myſtica, vt captiuos redimeret; hocque aliquibus diſplicere aduertiſſet, dixit lib. 2. Offic. cap. 28. *Quis eſt tam durus, inimitis, ferreus, vt agrè ferat quòd homo redimatur à morte, femina ab impuritatibus Barbarorum, quæ grauiores morte ſunt? Adoleſcentulæ, vel pueruli, aut infantes ab idolorum contagijs, quibus metu mortis inquinantur? Multò melius fuit, quòd animas Domino, quàm aurum ſeruaremus. Qui enim ſine auro miſit Apoſtolos, etiam Eccleſias ſine auro congreganit. Aurum Eccleſia habet, non vt ſeruet, ſed vt eroget, & ſubueniat in neceſſitatibus. Numquid dictum eſt S. Laurentio: Non debuiſti erogare theſauros Eccleſiæ? vaſa Sacramentorum vendere?* &c. & concludit, quòd ad faciendum opera miſericordiæ, *vaſa Eccleſiæ, etiam initiata, confringere, conflare, vendere licet.* Si ergo ſanctus hic Doctor iudicabat expedire, bona Eccleſiæ, etiam vaſa ſacra, non tantùm pro liberando aliquem à peccato, vel eiuſdem periculo, ſed etiam pro operibus miſericordiæ corporalibus expendi; quantò magis ſenſiſſe credendum eſt, eadem inſumenda eſſe in ſacra verſus Terram ſanctam expeditione, è qua multò plura ſequerentur bona? Suffragatur ratio Saluatoris, quæ ſic habet: *Quid enim maius eſt, aurum, aut templum quod ſanctificat aurum?* Matthæi 23, 17. &: *Quid maius eſt, donum, an altare quod ſanctificat donum?* verſ. 19.

Vaſa ſacra confringenda pro captiuorum redemptione & pauperum ſubuentione.

Exemplum. Hinc Rex Ieroſolymorum Balduinus, huius nominis I. vir in litteris probè eruditus, Alberto Aquenſi referente Hiſtor. Ieroſol. lib. 7. cap. 58. & 61. cùm neceſſitate ſoluendi ſtipendia militibus premeretur, ne à ſe dilaberentur cum dedecore Dominici Sepulchri, & damno Chriſtiani populi, meritò petijt à Ieroſolymitano Patriarcha ſubſidium ex eleëmoſynis quas fideles ſancto Sepulchro obtuliſſent, quibus idem Patriarcha cum ſuis ad epulas, ad conuiuia, ad luxum, ad delicias abutebatur. Cumque Patriarcha nollet Regis poſtulationi acquieſcere, atque ab eo reprehenſus de lautiore viuendi modo, cùm interim honor Dei & fidelium ſalus tam extremè periclitarentur, dicere auderet, ſe iuſte facere, quòd qui altari ſeruit, de altari viuere debeat, &c. reſpondit Rex appoſitè: *Videte, ne facilè hanc mihi ſapiùs obijciatis occaſionem, vt qui altari ſeruiunt, de altari viuant, cùm ſumma neceſſitas exigat, vt de altari potiùs Chriſtiani milites paſcantur, quàm Saraceni vi de Sepulchro munera fidelium aſportent & diuidant, & non miles noſter vel Sacerdos contingat. Viuit Dominus, non ſolùm oblationes fidelium comedam, militibusq; noſtris diuidam; ſed etiam aurum de Sepulchro Domini & altari euellam, quò milites & defenſores Chriſtianæ plebis Regnig, Ieruſalem ſuſtentari poſſent. Poſt hæc cùm Domino Deo placuerit, & ſuperbia ſeu minæ de Regno Babyloniæ ceſſauerint, & terra ſilnerit, cuncta reſtaurabimus. Eccleſiam etiam eiuſdem Sepulchri, ſicut dignum eſt, theſaurizare nos non pigebit, & auro ditiore gemmis vel opere exaltare.*

Si igitur aurum, & dona templi atque altarium æſtimantur propter templum & altare, meritò pro eorumdem conſeruatione vel redemptione inſumi debent, & ſingulariter pro omnium illuſtriſſimo templo & altari ſacratiſſimi Sepulchri Dominici, & Caluariæ montis, & aliorum Terræ promiſſionis locorum. *Ad charitatem igitur clericorum* (vt loquar cum Cardinali Turrecremata lib. de Error. Mahum. c. vltimo) *ſpectat, in Chriſtiani populi neceſſitatis articulo de bonis Eccleſiaſticis ad expenſas armatorum profuſè largiri. Si enim animam pro ouibus & ſubditis ſuis, multò ampliùs Prælati ſubſtantiam dare tenentur.* Quare non ſatis piè ab Eccleſiaſticis eiuſmodi onera reijciuntur in populum, pauperibus interea ſub onere gementibus, & Clericos ac Religioſos diris execrationibus ſcandalo cum maximo deuouentibus, cùm illorum præcipuè res agatur, & ipſorum diuitijs inſidiæ ab hoſtibus ſtruantur.

Verùm ſæculares Principes, cùm neceſſitate coacti, bona petunt Eccleſiaſtica, vt ſuam indicarent pietatem laudabiliter, illa poſſent accipere cum propoſito reſtituendi quando fuerint ad pinguiorem fortunam euecti, ſicut intendebat facere Balduinus, & alij Principes pij cum laude fecerunt, vt ſtatim dicam.

Tertiò idem confirmatur aliquibus exemplis. In primis Ezechias dedit Regi Aſſyriorum *omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini, & in theſauris Regis*, 4. Reg. 18, 15. *Confregit* etiam *valuas templi Domini, & laminas auri, quas ipſe affixerat, & dedit eas Regi Aſſyriorum*, verſ. 16. vt, inquam, ſanctam ciuitatem à vaſtatione, & ſacrum templum à profanatione liberaret. Et ponderanda ſunt Scripturæ verba. *Dedit*, inquit, *omne argentum*, non ſolùm *quod repertum fuerat in domo Domini*, ſed etiam *in theſauris Regis*. Indixerat enim Rex Aſſyriorum Ezechiæ trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri. Et cùm tantam pecuniæ ſummam in Regijs

Exempla: Ezechiæ Regis Iudæ.

theſau-

thesauris pius Rex non inuenisset, vt se cum sancta ciuitate & populo ab iniqua vexatione liberaret, ad Templi diuitias & ornamenta confugit. *Hæc fecit*, inquit Lyranus, *necessitate compulsus, quia non habebat alinnde, vnde posset soluere tantam summam. Ex quo habetur argumentum, quòd Principes in necessitate possunt accipere de thesauris Ecclesiæ pro conseruatione Reipublicæ.* Adde, haberi ex eodem exemplum, non esse ad dictos thesauros recurrendum, quoadusque arcæ Principum pecunijs sunt refertæ, & aulæ auro & argento plenæ. Ac similiter, non extorquenda esse subsidia temporalia ab Ecclesia & pauperibus, vt ea pecunia in non necessarios vsus inutiliter profundatur.

Heraclij Imperatoris. Surius 23. Ianuar.

Secundò, Heraclius Imperator accepit multa candelabra & vasa ministerialia Ecclesiæ magnæ, & aliorum templorum per Imperium varios thesauros, quibus conflatis, cudi fecit nummos aureos & argenteos, vt Persas coërceret. Et hoc medium, quo fuit vsus Heraclius, tamquam iustum ac licitum sequentibus victorijs, ac singulari miraculo Deus probasse videtur. Cum enim Ioannes Patriarcha se opponeret, putans id sine sacrilegio fieri non posse; Nicetas autem Patritius, qui in hunc finem missus erat Alexandriam, non obstante iudicio Patriarchæ exequeretur voluntatem Heraclij; Deus respiciens ex vna parte zelum Patriarchæ, & ex alia intentionem Imperatoris, sic permisit per Nicetam pecunias ab Ecclesia auferri, vt dignatus fuerit parem ablatæ summam Angelico ministerio refundere Patriarchæ: volens, vt creditur, significare, sic acceptam & concessam pecuniam nec deficere concedenti, & mutuo accipienti prodesse. Ita patuit profuisse Heraclio, qui inter alias victorias, illa tam illustri potitus est, qua fides restituta, & Crux Christi Saluatoris nostri recuperata fuit. Verùm iustus ille Imperator post victoriam, Ecclesijs pecunias fidelissimè restitui voluit: & cùm illæ, quas primò ad satisfaciendum miserat, fuissent submersæ, constituit vt è fisco ipsi Ecclesiæ & Clero annua pecunia penderetur.

Ferdinandi Regis Catholici.

Heraclium fuit imitatus Ferdinandus Rex Catholicus, qui anno Domini 1477. bellum gesturus aduersus Alphonsum Lusitanum, obtinuit à Clero, vt media pars auri quod esset in templis sibi daretur mutuo, peracto bello bona fide reddenda. Et similiter possent alij Christiani Principes facere, quando ex proprijs ærarijs sufficiens pecunia non suppeditaretur, aut ab auaris sæcularibus impetrare non possent, præsertim occasione salutiferæ ac pernecessariæ expeditionis in Terram sanctam.

Et profectò mihi persuadere non possum, quin Ecclesiastici promptissime daturi essent quæ in illorum essent potestate, absque alijs etiam conditionibus, quando sese talis offerret occasio. Cùm enim Ministri Ecclesiæ sugant eius vbera, illiusque dulcissimo lacte nutriantur, vt dixit Dominus Catharinæ Senensi, quia viuunt de rebus Ecclesiæ; vice versa ei vbera & lac præstare tenentur, ac ex eis membra Ecclesiæ alere debent, præsertim in casu nostro pijssimo & iustissimo, vbi agitur de redemptione Ecclesiæ sanctæ Sion, matre omnium Ecclesiarum, vt in sua diuina Missa illam appellauit primus sanctæ ciuitatis Antistes Iacobus Apostolus, frater Domini dictus. Et ita verbo & exemplo suo Clerum docuit supremum vniuersalis Ecclesiæ caput Innocentius III. dicens: *Ne in humeros hominum onera grauia & importabilia imponere videamur, quæ digito nostro mouere nolimus*, &c. *Ecce, nos de his, quæ vltra necessarias ac moderatas expensas potuimus reseruare, triginta millia librarum in hoc opus concedimus & donamus: præter nauigium, quod Crucesignatis de vrbe, atque vicinis partibus conferimus: adsignaturi nihilominùs ad hoc ipsum tria millia marcarum argenti*, &c. *Nos autem & fratres nostri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales plenariè decimas persoluemus*, &c. *Sciant omnes ad hoc fideliter obseruandum per excommunicationis sententiam ligatos.* Nec dubitandum, quin simili zelo ac pietate idem præstiturus esset etiam hodie Sanctissimus Dominus noster Vrbanus VIII. Pontifex Maximus cum suis Eminentissimis ac Reuerendissimis S.R.E. Cardinalibus, & alijs Episcopis, Abbatibus, &c. si sancta ad Terram sanctam promoueretur expeditio.

Pontificis & aliorum Ecclesiasticorum libertas. Innocentius III. ad Clerum.

Sed numquid pro sacra expeditione sunt onerandi pauperes, vel subsidium ab eisdem extorquendum? Fortasse aliquis credet vtrumque licere, tum quia & pauperes sunt pars Reipublicæ Christianæ, atque ideò debent eidem suppetias ferre; tum quia, si longè minoribus occasionibus subsidia ab illis petuntur, & communitatis onera ferre coguntur, multò magis tenebuntur pro tam insigni ac heroico opere.

Duplex difficultas.

Respondeo, & quoad primum dico, nullatenus propter sacrum bellum vrgendos vel premendos esse pauperes, quia alioqui nimium id esset scelus: atqui, vt dixit sanctus Paulus, *non sunt facienda mala, vt veniant bona*, Rom. 3, 8. Præterea, si viri sancti tempore magnæ necessitatis non solùm pepercerunt pauperibus, sed & conflarunt calices, sacra vasa vendiderunt, & suis ornamentis

Responsio ad primam.

namẽtis exuerunt Ecclesias, vt indicauimus, & ex pluribus historijs constat; pro eadem Ecclesia amplianda vel etiam Terra sancta redimenda, licitum erit egentes & in necessitate constitutos vectigalibus grauare?

Pro sacro bello non sunt pauperes defatigandi.

Denique, quid potest à non habentibus exigi, etsi multùm affligantur? Si partes sunt Reipublicæ, proderunt eidem, vel proficiscendo ipsimet pro honesto stipendio ad bellum, vel qui ad id inepti sunt, pro expeditionis felici successu Deum deprecãdo. Quòd si pauperes aliquando vi compellantur ad soluendum vectigalia, & supellectili sibi extreme necessaria, vanis de causis, expolientur, non solùm abusus est maximus, sed & iniquum & tyrannicum, à quo regula communis non est desumenda.

Obiectionis solutio.

Scio, Dominum laudasse viduam, quòd tribuerit in donaria Dei omnem victum suum. Sed non obstat, tum quia sponte & gratis dedit, tum quia dedit victum vnius diei tántùm; neque enim duobus minutis (tot enim misit in gazophylacium) dici poterat sustentari: sed in nostro casu continuè vexarentur miseri pauperes, qui & magis de soluendis vectigalibus quàm de proprio victu deberent esse solliciti, vt non semel, licet alia de causa, non sine admiratione obseruaui.

Responsio ad secundam.

Quantum ad secundum, an liceat extorquere subsidia pauperibus pro sacra expeditione, nonnemo fortasse iudicabit absolutè ita expedire; quoniam simpliciter melius est honorare Deum in seipso, quod fit dum attenditur redemptioni & honori domus ipsius, quàm in pauperibus: nam Dei charitas semper charitati proximi anteponenda est. Respondendum, quòd quamuis adducta ratio vera sit, tamen quia Deus nulla re indiget, & quæ illi offerimus, vult nobis vtilia esse, non sibi: ideò tunc Deus magis honoratur, & fit illi res gratior, quando quod illi offertur est hominibus vtilius.

Necessaria non sunt pauperibus subtrahenda.

Dico igitur pauperes esse duplices, alios qui laborant extrema inopia, alios qui mediocriter & tenuiter viuunt. Si primum, dico, non debere illis extorqueri quod impendatur in subsidium pro Ierosolymitana expeditione, vel simili sacro cultu; dicit enim Dominus, *Misericordiam volo, non sacrificium*, Osee 6, 6. Et Saluator noster reprehendit aliquando Pharisæos, qui docebant filios familias, vt offerrent templo donaria, etiamsi fieret cum detrimento parentum pauperum, huiusmodi enim pauperum curam vult nobis cordi esse; vnde ait per Isaiam: *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagos, induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris*, Isaiæ 58, 8. Et vsque adeò hoc officium æstimat, vt tamquam sibi factum remuneret, quemadmodum dixit ipse Dominus apud S. Matthæum.

Sed si pauperes extrema necessitate non laborent, ex altera verò parte Terra sancta cum suis templis vastetur & profanetur ab infidelibus, melius est locis sanctis subuenire. Ratio est, quia ex illius subuentione, præter maiorem Dei gloriam, maior etiam proueniet hominibus salus: boni enim meliores euadent, & infideles fideles, & in omnibus pietas augebitur. Quid, quòd indigentia Terræ sanctæ sit spiritualis, eiusmodi verò pauperum temporalis, & paucorum bonum (etiam quod ex subuentione Terræ sanctæ prouenit) durabilius sit, & ampliorem mercedem consequatur, quàm bonum ex eleëmosyna pauperibus distributa promanans, & quia magis immediatè datur Deo? Hinc cùm Iudas ægrè ferret, quòd Magdalena in vnctione capitis Domini tantos sumptus faceret, ideoque diceret: *Vt quid perditio ista vnguenti facta est? Poterat enim vnguentum istud venumdari plus quàm trecentis denarijs, & dari pauperibus*, Marc. 14, 4. Sed respondit Dominus: *Bonum opus operata est in me*, vers. 6. quasi melius fecisset, quàm si pauperibus vnguenti illius pretium distribuisset, non solùm non prohibuit, sed sancto operi detrahentes corripuit & compressit, dicens: *Sinite eam.* &: *Quid molesti estis huic mulieri*, Matth. 26, 10. Si ergo laudabilius Magdalena, prætermissis pauperibus, instituit Dominico obsequio, quare non similiter prætermitti poterunt in casu, & ad modicum tempus, pauperes in extrema necessitate haud constituti ad subueniendum Terræ sanctæ?

Magna vtilitas ex Terra sancta expeditione.

Hæc quidem proposui, iustitiæ atque rationis apices secutus; verùm mihi persuadere non possum, Christianitatem ad tantam egestatem deuenisse, vt pro subsidio Terræ sanctæ debeant Christiani Principes vel suos exhaurire thesauros, pecunias à subditis diuitibus auferre, ab Ecclesiasticis & Ecclesijs diuitias tollere, vasaque sacra comminuere, vel necessaria pauperibus & egenis subtrahere: suppetunt namque alia quàm plura media, multò suauiora, Deo magis accepta, & fidelibus vtiliora. Et quænam ista? Plura sunt; septem subijciam Capite sequenti.

CA-

CAPVT LXXIV.

Septem alia magis expedita media ad colligenda ſubſidia pro ſacra expeditione in Terram ſanctam.

MEdia hactenus enumerata ſufficere quidem poterant, vt omnem tergiuerſationem excluderent: addam nihilominùs ſeptem alia, vt omnem apparentem prætextum radicitus præſcindam.

Primum medium. Primò, Præferantur publica priuatis, æterna temporalibus, neceſſitas & vtilitas Eccleſiæ, recuperatioque Terræ ſanctæ, omni mundano faſtui: omittantur ſuperflui ſumptus in conuiuijs, veſtitu, ædificijs, & alijs vanis. Subtrahant igitur Chriſtiani illa cum fructu, & conuertant illa in ſalutarem expeditionem, ne bona illorum auferat Dominus cum dedecore ac pœna, ſicut ſe ablaturum comminatur per Prophetam hiſce verbis: *Auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murænulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola*, &c. Iſaiæ 3, 18. Hæc & ſimilia, phalerati equi, margaritis onuſtæ quadrigæ, rhedæ aureæ, ſupellex onychina & argentea, quæ omnia ad ſolam vanitatem & ſuperbiam deſeruiunt, vtique ſuperflua ſunt, ſed Domino neceſſaria pro Terræ ſanctæ ſuæ redemptione.

Secundum. Secundò, Canonicorum Collegia, Religioſorum Conuentus, Abbatiarum palatia concedant ad tam iuſtum, ſanctum, neceſſarium, omnibusque proficuum bellum, totum illud, ſine quo, iuxta conditionis ſuæ exigentiam, & Canonum ac Concilij Tridentini præſcriptum, poſſent frugaliter ſuſtentari. Si qui pluribus opulentis beneficijs abundant, vno ſufficienti ad tempus contenti viuant. Quæ enim eſt ratio, vt qui mundo valedixiſſe credi volunt, tot millenis viuant, tot famulis ſtipati incedant, & Regum Principumque inſtar rhedis deuehantur?

Tertium. Tertiò, Præcedant Principes & Primates, tam ſæculares quàm Eccleſiaſtici, verbo & opere in negotio tam heroico ac neceſſario, vt abſque vi & grauamine, imò ſponte & magna cum ſuauitate ſubditi & inferiores ſequantur. *Sit Rector operatione præcipuus, vt vitæ viam ſubditis viuendo denuntiet*, ait Magnus Gregorius Part. 2. Paſtoralis, cap. 3. *& grex, qui paſtoris vocem moresq; ſequitur, per exempla melius quàm per verba gradiatur.* præſertim cùm ratione muneris debeant ceteris præcellere, dicente eodem Gregorio ibid. cap. 1. *Tantum debet actionem populi actio tranſſcendere Præſulis, quantum diſtare ſolet à grege vita paſtoris.*

Prælati virtus quanta.

Exempla Iudæorum. Dedecori ſibi ducant noſtri Chriſtiani Principes, liberalitate & pietate inferiores eſſe Iudæis & gentilibus Romanis. Numquid ſinguli Iudæorum Principes, vt in libro Numerorum proditum eſt, obtulerunt in ornatum tabernaculi immenſa donaria auri & argenti? & numquid hanc ob cauſam populus adeò fuit in ſuppeditandis neceſſarijs profuſus, vt Moyſes præconis voce coactus fuerit præcipere ne plus offerret, vt alibi ex libro Exodi notauimus? Dauid pārauit in ſumptus templi tantum auri & argenti, & lapidum pretioſorum, vt incredibile videatur. Lege 1. Paral. cap. vlt. & pænult. & lib. 2. cap. 3. 4. & 5.

Romanorū. Noluit olim Senatus Romanus noua ciuibus aut ſocijs tributa imperare pro temporalis Reipublicæ ſuſtentatione, ſed, teſte Liuio, Senatores præceſſerunt exemplo, & fecerunt huiuſmodi decretum: *Omne aurum, argentum, & æs ſignatum ad Triumuiros menſarios deferamus, vt voluntaria oblatio, & certamen adiuuandæ Reipublicæ, excitet ad æmulationem animos, primùm Equitum, ac deinde reliquæ plebis.* Itaque, inquit idem Plinius, *Senatores tanto certamine in publicum contulerunt, vt prima inter primos nomina ſua vellent in publicis tabulis eſſe: vt ne Triumuiri menſarij accipiendo, nec Scribæ referendo ſufficerent.* Hoc modo non ſolùm parta conſeruauerunt, ſed inſuper auxere; & tandem adeò potentes euaſerunt, vt toti mundo imperitauerint.

Sit ſimilis zelus & liberalitas in noſtris Principibus & Superioribus pro Terræ ſanctæ recuperatione, & Regni Chriſti dilatatione: nolint ipſi humeros ſuos robuſtiſſimos oneribus ſubtrahere, & debiles pauperum & tenuiorum ſubditorum artus ſubſtituere: cedant ſuis, ſi quæ habent, priuilegijs propter tam illuſtrem prouinciam; tuncque augebitur ſacrum ærarium non ex illorum auro & argento tantùm, ſed etiam ex aliorum ſubditorum ære, cum magno ſuo honore & fructu: tuncque abundè poterit facer inſtrui exercitus, quo, Deo cum illo pugnante, nedum Ieroſolyma & tota Terra ſancta recuperabitur, ſed omnia Turcarum & aliorum infidelium regna ſubiugabuntur, Regnoque Chriſti aggregabuntur, & fiet vnum ouile & vnus Paſtor.

Quartum. Quartò, multùm prodeſſet ſanctæ expeditioni promouendæ, mittere Concionatores viros Apoſtolicos & doctos, qui tum

Magnates & populum ad ſanctam expeditionem & ad gratuita elargiendum ſtipendia excitarent, tum & ijs qui ſacræ Militiæ adſcribi, aut ſuis ex opibus auxilium præſtare voluerint, gratias ſpirituales, indulgentias & peccatorum remiſſiones auctoritate Apoſtolica promerendas debitè annuntiarent; quemadmodum alias in ſimili cauſa pluries factum fuit per ſapientes Pontifices & Imperatores, vt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ tradunt, & ex inferiùs dicendis magis apparebit, cuius rei vnum tantùm vel alterum exemplum proferam.

Exempla: Alphonſi III. Luſitania Regis:

Alphonſus huius nominis Tertius Luſitaniæ Rex, cùm ſponte ad occurrendum extremis Syriæ malis ſe pararet, petijt à Clemente Pontifice, vt legata in pios vſus indiſtinctè relicta ſeu relinquenda in Regno & alijs dominijs ſuis per triennium poſſet percipere, & in hanc expeditionem conuertere: vt ſimiliter ſibi cõcederentur bona per vſuras, rapinas, aliosque modos illicitos acquiſita, ſi perſonæ, bona huiuſmodi tenentes, ea ſponte elargiri vellent, illi verò, quibus reſtitutio fieri deberet, edictis publicè propoſitis in locis competentibus, omnino inueniri aut ſciri non poſſent. Quin hoc petijt, vt per Concionatores excitarentur ad hanc expeditionem Luſitani. Ad quas petitiones Clemens IV. per quinque diplomata auctoritatem ſuam commiſit Prioribus duobus Ordinis Prædicatorum, Portugalenſi, & Sanctaranenſi ſeu Scalabitano; Guardianis item duobus Ordinis Minorum, Elborenſi & Gardianenſi Egitanenſis diœceſis, per quos quatuor Regni terminos complexus eſt.

Lucas VVading. Tom. 2. Annal. Minorum an. Chriſti 1268.

Nicolai Papa V. B. Ioan. à Capiſtrano excitat Germanos contra Turcas.

Summus item Pontifex Nicolaus V. bellum commiſſurus contra Turcas, ſub ſanctæ Crucis teſſera excitauit Germanos, concionante B. Ioanne Capiſtrano, qui & inter præcipuos Germaniæ Apoſtolos numeratur. Et de huius ſancti viri miſſione ſequentia leguntur in hiſtorijs Hungaricis:

Antonius Bonfin. Rer. Hungar. Dec. 3. lib. 8.

Nicolaus Pontifex maximus, ſtudiorum & Catholicæ plebis Paſtor pientiſſimus, cùm Pannonijs admodum Myſijſq; timeret, quibus amiſſis, iam de Chriſtiana Republica actum eſſe rebatur, ſacroſanctæ militiæ ſaluberrimum promulgauit edictum. Quin & Ioannem Capiſtranum, D. Franciſci ſacris initiatum, præterea virum ſanctiſſimum, & ad excitandos ad id populos dicendi copia & vitæ probitate nimis idoneum, in Alemannos, Hungaros Polonosq; miſit, qui ad ſalutarem expeditionem ſacris declamationibus homines hortaretur.

Quietem.

Quintò, efficacibus iam declamationibus per Apoſtolicos Prædicatores excitatis fidelibus, adhuc multum prodeſſent probi Confeſſarij pijs ſecretisque inſtructionibus, quibus ſuaderent rei excellentiam ac dignitatem, ex qua Deo ingens gloria, hominibus ſalus, Eccleſiæ dilatatio, & vniuerſo populo Chriſtiano propè infinitum commodum, prouentura ſint. Non dubitandum, quin huiuſmodi multùm proficerent. Si enim per tales inducuntur crebriùs fideles ad pauperibus & locis alijs pijs diſtribuendas eleëmoſynas, quantò fortiùs mouerentur ad ſubueniendum Chriſti & communi honori & vtilitati quæ ex ſacra expeditione proueniret? Nec incommodum erit, ſi ad eumdem finem in Eccleſijs menſæ vel capſulæ pro eleëmoſynis colligendis exponerentur, vt alias fuit obſeruatum.

Sextum.

Sextò, cùm ſubſidium neceſſarium ſit non tantùm pro inchoando, ſed multò magis pro continuando bello, & non ſit dubitandum, quin facer exercitus, aggreſſus ditiones inimicorum, aliquas ſit deprædaturus; earum ſpolia in communem exercitus vtilitatem ſunt conuertenda, nec militum Capitaneorúmve libidini & rapacitati relinquenda, quemadmodum ſæpiùs in alijs bellis fieri aſſolet: omnia potiùs ea lege & ordine, & modis ſunt diſponenda, vt & ipſis ſatisfiat, & ex ijs, quibus ipſi non indigent, nec eis debentur, in futuros euentus prouidè conſulatur. Sint illa anathema Domino, in obſequium videlicet exercitus Domini conuertenda. *De præda hoſtili*, inquit Petrus Bleſenſis, *bella Chriſti conficiant: non enim eſt abbreuiata manus Domini; vt qui magna fecit in Iſraël, etiam in populo acquiſitionis brachium magnificentiæ ſuæ non exaltet. Certè in exitu Iſraël de Aegypto, Dominus de ſpolijs Aegyptiorum ditauit Hebræos. Ingreſſus autem terram Chanaan, de prædis hoſtilibus innumerabiles ſibi diuitias aggreganit. Imò bellorum lex publica eſt, vt munificentia Principalis ſuis commilitonibus de caſtrenſi obuentione ſtipendia largiatur.*

Septimum.

Septimò, vel prædæ hoſtili, vel eleëmoſynis, alijsque bonis donationibus quomodolibet in Terræ ſanctæ ſubſidium collatis, præficiantur fideles & iuſti miniſtri, qui eadem fideliter diſpenſent, & ſecundùm merita & indigentiam cuiuſlibet diſtribuant; ad imitationem Apoſtolorum, qui, vt ex bonis à fidelibus in cõmune Eccleſiæ commodum traditis omnibus debitè prouideretur, *elegerunt viros boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto & ſapientia*, Act. 6, 3. Ecce quot honeſta & vberrima media ſuppetunt ad recte commodeque inſtruendam ſanctam expeditionem: quibus denique alia prudentes pijque Politici & Oeconomi

adij-

adijcient, loco & tempori conuenientia, quibus communi bono consulatur. Vide Gretserum de S. Cruce Tom. 3. lib. 2. c. 5. Dicam tandem, me nullatenus dubitare de felici sanctæ expeditionis euentu, considerata iusta causa quæ tractatur, & fidelium religione: qui sicut recuperationem Terræ sanctæ desiderant, ita necessaria dabunt media. Si namque olim excitati fuerunt, nullo prævio exemplo, & necdum per experientiam hostium vires, astutias & fraudes edocti, promptissimi ad opus hoc inuenti fuerunt fideles, inprimis Principes, qui omnes facultates suas cum vita sua Christi obsequio manciparunt, vt historiæ tradunt; modò vtique, quando de his omnibus melius instructi sumus, paria, imò multò maiora, Deo fauente, essent facturi.

CAPVT LXXV.

Difficultas altera contra sacram expeditionem.

ALter scrupulus, qui Christi fideles ab indictione & executione sanctæ expeditionis excusare videtur, in euentu fundatur, hoc iam Capite proponendus & diluendus.

Excusatio pro Christianis Principibus. Nullus Christianorum Principum sacræ, ad quam hortamur, militiæ se accingit, quam tamen assumerent, si necessariam & salutarem iudicarent, quoniam Christianissimi & Catholici sunt, atque illustrissimis alijs titulis condecorati; illosque propterea quòd omittant, dicere velle perperàm facere, eosque damnare, impium temeriumque videtur, cùm præsertim penes se habeant in vtroque iure sapientes Consiliarios, piosq; & eruditos Theologos, cum quibus de agendis non solùm pro regni opportuno regimine, sed & pro animæ spirituali salute tractant; qui sanè continuis stimulis excitarent ad sanctam expeditionem, si illam vel expedire, vel hos ad illam teneri iudicarent. Et Reges vtique & Principes illam procul dubio assumerent, ne contra stimulum & Spiritus sancti inspirationem calcitrare viderentur; & tamen non assumunt.

Confutatio multiplex. Respondendum, quod diximus verissimum esse, quoniam est omnium rectè sentientium communis animi conceptus. Suaserunt & persuaserunt illud pijssimi & sanctissimi olim Summi Pontifices, & pijssimi & prudentissimi Principes opere, sedulò compleuerunt, vt iam vidimus, & inferiùs ampliùs videbimus, ac ideò iusta dubitandi ratio subesse non videtur. quare ad obiecta breuiter quidem, sed simul multipliciter respondeo.

Primò. Primò, quia loca sancta longiùs fortè ab illorum ditionibus absunt, ideò minùs ea considerant. Quare cùm haud cognoscant, nec expendant illorum excellentiam & dignitatem, neque ad rationem sui muneris satis attendant, credantque satius esse si infideles alios impugnent, ditiones & dominia sua tueantur & dilatent, Dei interim hereditatem terramque desiderabilem nihili faciant, nec pro illius redemptione sint solliciti, ideò meritò de ijs potest Saluator dicere: *Oblitioni datus sum tamquam mortuus à corde*, Psalm. 30, 13.

Secundò. Secundò, admisso, nostros Principes debitè circa ea loca affici, & ad quid ratione muneris sui teneantur probè expendere, fortè tamen non vt Salomon sapientes & senes consiliarios in Regni & animæ negotijs pertractandis adhibent, sed vt Roboam consilia iuuenum sequuntur. Sed hoc vlcus non tangimus, ne forte nobis succenseant, quasi illis detrahere videamur, quòd non sint æqui consiliarij.

Tertiò. Tertiò, fortean quidam etiam Principes similes sunt Achab Regi Israël, qui nolebat audire Prophetas Domini, quia non prophetabant quod illi bonum, hoc est iucundum & delectabile videbatur, sed illos potiùs audiebat, in quibus erat spiritus mendax, qui loquebantur mendacia, & sermones prurientes auribus, quibus Nobiles & Potentes valdè delectantur.

Quartò. Quartò, An & fortè Consiliarij illi & Theologi, qui Regum palatia frequentant, potiùs sunt dediti sapientiæ mundanæ, & in Politicorum Machiauellistarúmve gymnasijs enutriti & imbuti? num fortè sunt canes muti, non valentes latrare? num veritatem, etiamsi eam dicere proponant, metu supprimunt, eò quòd veritas odium pariat, & quòd vereantur Principis odium incurrere, ne fortè verum dicentes illi inimici fiant, vt S. Paulus factus est Galatis; vel etiam ne sicut Michæas in maxillam percutiantur, in carcerem mittantur, & pane tribulationis & aqua angustiæ sustententur, vel etiam de medio tandem crudeliter tollantur, vt Isaias, Ieremias, Ioannes, & præter innumeros alios ipse Christus Dominus?

Veritas odium parit, ideò tacetur.

Quintò. Quintò, an non etiam subinde (quod à varijs Theologis & Principum Consiliarijs intellexi) Reges Consiliarios suos de huiusmodi negotijs non consulunt, aut si consulant, sequuntur non quæ ritè & rectè sunt proposita, sed quæ ipsis arridenr, & quæ cerebris illorum (quandoque nimiùm vanis & temerarijs) sunt placita? O vtinam Christiani Principes omnia cum consilio agerent, Deum semper ante oculos habe-

rent, omniaque illorum consilia in eo permanerent! ô vtinam sapientes, pios & coronatos viros, quales in Apocalypsi sua vidit S. Ioannes, sibi haberet adstantes, & eisdem gratum præstarent auditum! tunc vtique, quod sancte persuademus, magna cum alacritate magnoque cum emolumento exequerentur. Quod vt fiat, humiles ad Deum pro illis preces fundo. Qua porrò ratione id exequi debeant vel possint, in sequentibus explicandum est.

CAPVT LXXVI.

Quali bello, & quo Duce Terræ sanctæ possessio recuperari posse videatur.

TAlis est diuinæ prouidentiæ ordo in rebus quæ hic in terris, vel etiam in cælo, extra se circa creaturas Deus optimus maximus operatur (vt habet recepta sanctorum Patrum & Theologorũ doctrina) vt non nisi ad intentum ab agenti finem per propria & ordinata media reducãtur; adeò vt qui sine his ad illum peruenire contendit, oleũ & operam perdere necesse habeat, haud secùs quàm & homo ille frustrà laborat, qui ab imo in altum absque scalarum vel graduum vsu se transferre satagit. Quare meritò Theodoretus, & prisci alij Theologi, diuinam prouidentiam significari asserebant in scala illa quam vidit in somnis Patriarcha Iacob, quæ in Genesi describitur. Hæc cælum terramq; attingebat, & in eius summitate Dominus innitebatur, quoniam ille sua prouidentia copulat cælum cum terra, & vtriusque curam habet: sed per scalam illam ascendebant & descendebant Angeli, quia per debita media, in scalæ gradibus, per ministros in Angelis præfiguratos, rebus omnibus consulit, quarum curam suscepit. Et quemadmodum id in alijs rebus obseruatur, ita idem licet animaduertere in illis quæ bello comparantur, spirituali, corporali, & mixto ex vtroque: (tot enim sunt bellandi modi, vt posteà ex D. Bernardo singulariter explicabimus:) in quibus omnibus præmium & corona proponitur, quæ absque legitimo bello non conceditur. *Non coronatur*, inquit Apostolus, *nisi* qui *legitimè certauerit*, 2. Tim. 2, 5. & mixto quidem bellandi genere Terram sanctam recuperandam esse, monstrandum iam nobis est.

Dei prouidentia per media completur.

Bellum triplex, corporale, spirituale, & mixtum.

Bello Terra sanctæ comparanda.

Quemadmodum igitur aliorum Regnorum possessio, ita & istius non nisi bello comparanda est, in quo singularem Ducem Deum statuimus. Et vt intentum clariùs appareat, ab alijs, quæ eodem modo acquiruntur, ordiamur: & primo à bonis spiritualibus, quæ spirituali comparantur certamine. In hac spirituali quidem militia, in qua militibus cælestes epulæ & Regnum cælorum proponitur, pugnandum est contra vitia, peruersas inclinationes, & contra peccatores, iis compatiendo, eosdemque commouendo & incitando ad virtutem verbis & factis, prout cuique datum fuerit.

Bello spirituali cælũ comparatum.

De spirituali bello, & primo quod in orbe gestum est, inuenies in Apocalypsi Ioan. cap. 12, 7. *Et factum est prælium magnum in cælo: Michael & Angeli eius prælisabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius*, &c. Et hoc bellum intelligendum esse de illo, quod inter Michaëlem & Luciferum, & vtriusque sectatores Angelos, in cælo empyreo fuit excitatum, communis est Scholasticorum sententia, cum Magistro in 2 Sent. dist. 6. & D. Thoma 1. p. q. 63. art. 9. Sed quodnam fuit illud prælium? spirituale, dicunt, per intellectum nimirum & voluntatem; quod secundùm dicta sic explicarem. Pugnarunt Angeli sancti non quidem contra vitia in seipsis existentia, quia talia numquam fuerunt, vt apud omnes Theologos manifestum est; sed quæ esse potuerunt, & sese illorum voluntati offerebant, non assentiendo, vt mali angeli assenserunt, sed contra eorum dẽ inclinationem & affectionem commodi, qua appetere potuissent maiorem gloriam quàm illorum merita & natura exigebant, & ipsam Dei æqualitatem, etsi voluntate inefficaci, nisi affectione iustitiæ illi restitissent; quod mali non fecerunt, extollentes se supra omne id quod dicitur Deus. Deinde, resistendo malis exemplo, & argumentis ostendendo, omnem reuerentiam & subiectionem Deo & Christo eius esse exhibendam, à quo esse & benè illorũ esse dimanabat. Qui cùm pertinaciùs & obstinatiùs restitissent, in malo scilicet firmati, ab illis, diuino fretis auxilio, vi proiecti sunt de cælo in profundum laci. Adeoque quemadmodum isti, quia inferiores fuerunt in prælio, debitas pœnas dederunt; ita illi, quoniam victores in pugna illa extiterunt, corona gloriæ donati fuere, ad mensam Magni Patrisfamilias admissi, secundùm Dominicum decretum: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei*, Apoc. 2, 7.

Angelorum quale.

Casus malorum Angelorum, & beatitudo bonorum.

De illo item spirituali bello, quo nos pugnare in terris debemus pro acquisitione Regni cælestis, loquitur manifestè Saluator noster, dicens: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. 11, 12. qui præliantur scilicet animo suo fortiter, subijciendo proprias passiones & sensum rationi & intellectui, & intellectum captiuando in obsequium Iesu Christi. Et isto bellandi genere sibi comparauit coronam iustitiæ S. Apostolus, ipsomet dicente: *Sic pugno, non quasi*

quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, 1.Cor.9,26. &: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*, &c. 2.Tim.4,7. Et sancta hæc nostra Ecclesia dicitur hac ratione *militans, & terribilis vt castrorum acies ordinata*, Cant.6,9. quoniam non nisi militando ad brauium supernæ vocationis peruenit.

Ecclesia nostra quare militans dicta.

Sed de corporali prælio loquamur, in quo vincenti corruptibilis corona proposita est, quam non nisi fortiter & strenuè se gerentibus dari, adeò clarum, & quotidiana experientia comprobatum est, vt alia probatione non opus sit. Pro maiori tamen explicatione vnum & alterum ex sacra Pagina profero testimonium. Saul, qui constitutus fuerat à Deo Rex super populum suum, Regni tamen gubernacula non suscepit, nisi postquam strenuè Ammonitas debellasset, 1.Reg.11,12. Nec Dauid factus est gener Regis, & magnus in Israel, nisi post victoriam de gigante & hostibus alijs partam, vt eadem sacra Regum testatur historia. Quare de isto & præcedenti bellandi genere dicit S. Paulus: *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*, 1.Cor.9,25. Similiter discurrendum erit de mixto bello, spirituali & corporali, quod spiritualibus & materialibus armis, cum Dei peculiari auxilio exercendum est; quale fuit illud, quo filij Israel, egressi de Ægypto, sibi Terram sanctã compararunt, quo etiam modo recuperari à Christi fidelibus posse arbitramur, & non alio. Quare Deus, subcuius patrocinio in omni iusto bello præliamur, vt generalis Dux, appellatur *Omnipotẽs, vir pugnator*, Exod.15,3. *Dominus exercituum*, Isaiæ 6,3. & *Dominus fortis, & potens in prælio*, Psal.23,8. Illius palatium, ad instar militum, non sericis tapetijs ornatum, sed vexillis & armis est insignitum, vt sub colli metaphora de eo loquens Spiritus sanctus, dixit: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ adificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, Cant.4,4. Si lectulum, in quo noster hic cælestis Dux quieuit, spectes, expeditissimis militibus stipatum & custoditum inuenies. *En lectulum Salomonis*, dicitur in eisdem Canticis, *sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos*, Cant.3,7. Si tabernacula, in quibus rudi vel in campestribus, vel, vt ita dicam, in venatione pernoctatur, contemplatus fueris, militiæ ideam inuenies, vt eodem libro dicitur, *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, Cant.1,4. Appositè autem illa comparauit tabernaculis Cedar, quoniam Cedareni ex Ismaele descendentes bello & militiæ dediti erant, &, prout faciunt etiam Arabes, in tentorijs & tabernaculis habitabant. Simili ratione dixit, *Sicut pelles Salomonis*; quoniam Salomonis tentorium, quo in venatione vtebatur, ex pellibus animalium confectum, eorumdemque cruore adspersum & illitum erat, hinc pedibus inde capitibus ferorum animalium, quæ in venatione & bello capi solent, dependentibus. Quæ omnia ostendunt, Dominum nostrum esse militiæ ductorem, eademque plurimùm delectari.

Bello corporali terrena comparantur.

Bello mixto Terra sancta recuperanda.

Deus ipse Dux.

Et quamuis in omni iusto bello Deum (vt diximus) præcipuum ducem agnoscamus, singulariter tamen eum eligimus in nouo isto bellandi genere, quod sibi præ ceteris eum elegisse credimus, & vnum esse ex illis de quibus dixerunt Debora & Barac, *Noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit*, Iudic.5,8. Et ad hoc egregiè mihi spectare videntur suauissima mellitissimi Bernardi verba, quæ initio Sermonis eius ad milites Templi leguntur. *Nouum*, inquit, *militiæ genus ortum nuper auditur in terris, & in illa regione, quæ olim in carne præsens visitauit Oriens ex alto: vt vnde tunc in fortitudine manus suæ tenebrarum princeps exturbauit, inde & modò ipsorum satellites, filios diffidentiæ, in manu fortium suorum dissipatos exterminet, faciens etiam nunc redemptionem plebis suæ, & rursum erigens cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Nouum inquam militiæ genus, & sæculis inexpertum, qua gemino pariter conflictu infatigabiliter decertatur, tum aduersus carnem & sanguinem, tum contra spiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Et quidem vbi solis viribus corporis corporeo fortiter hosti resistitur, id quidem ego tam non indico mirum, quàm nec rarum existimo. Sed & quando animi virtute vitijs siue dæmonijs bellum inditur, ne hoc quidem mirabile, etsi laudabile dixerim, cùm plenus Monachis cernatur mundus. Ceterùm cùm vterque homo suo quisque gladio potenter accingitur, suo cingulo nobiliter insignitur, quis hoc non æstimet omni admiratione dignissimum, quod adeò liquet esse insolitum? Impauidus profectò miles, & omni ex parte securus, qui vt corpus ferro, sic animus fidei lorica induitur. Vtrinsque nimirum munitus armis, nec dæmonem timet, nec hominem*, &c. Hæc S. Bernardus.

Mixtum bellum sanctum plus corporali vel spirituali præstat.

Et hæc profectò magnam fiduciam & certam spem de comparanda victoria, etiam de potentissimis hostibus, cordibus Christianorum Principum & huius sacræ militiæ

Spes inde certa victoriæ.

tiæ militum ingerere deberent, cùm in ea pugnet Deus pro ipſis. Ipſe, ipſe eſt qui de terra iſta benedicta Turcas & alios infideles eiecturus eſt, veluti quondam, extincto Pharaone, Regibus quamplurimis internecioni datis, & gentibus Chanaan interfectis, eamdem poſſidendam tradidit Iudæis; ita & modò, interemptis canibus illis Mahometanis, eorumque viperina progenie extincta, electum ſuum populum, Chriſti nimirum Saluatoris veros cultores, in hereditatem ſuam, licet apri iſtius impijſſimis dentibus admodum deuaſtatam, eſt introducturus. Quare meritò dicere poſſumus cũ Dauide: *Manus tua gentes diſperdidit, & plantaſti eos; afflixiſti populos, & expuliſti eos. Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos. Sed dextera tua, & brachium tuũ, & illuminatio vultus tui; quoniam complacuiſti in eis*, Pſal. 43, 3. Extimuit quondam Rex Ioſaphat Moabitas & Amorrhæos, propter ipſorum exercituũ multitudinem, quibus contra populum Dei in aciem progrediebantur. Sed Deus per Prophetam dixit illi: *Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinẽ; non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei*, 2. Par. 20, 15. & iterùm v. 17. *Non eritis vos qui dimicabitis, ſed tantummodò confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos.* Iſta aduertere debebũt Principes & milites noſtræ huius ſacræ militiæ, & non minora, prout & alias, videbunt mirabilia. *Reſpicite filij nationis hominum* (dixit Eccleſiaſticus cap. 2, 11.) *& ſcitote quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt.*

Hæc eſt pugna Dei, ideò non timendam.

Et quoniam, vt iam diximus, mixtum futurum eſt noſtrum bellum, nec cum vno aut viſibili hoſte congrediendũ eſt, ſed cum pluribus, iiſque inuiſibilibus, &, vt S. Apoſtoli verbis vtar, *non* tantùm erit *nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*, Ephes. 6, 12. Etiam miſceri arma neceſſe eſt, vt nõ ſolùm igneis globis, pharetra & arcu, gladijs, & huiuſcemodi ferreis & materialibus armis; ſed & ſpiritualibus, lorica iuſtitiæ, ſcuto fidei, galea ſalutis, gladio ſpiritus, quod eſt verbũ Dei, vt dicitur ibidem: *vt in carne ambulantes, non ſecundùm carnẽ militemus.* (2. Cor. 10, 3.) id eſt, tantùm; ſed quemadmodum olim populus Iſrael, qui in deſerto, dum ad hanc promiſſionis Terram pergeret, Ioſue contra Amalec pugnante gladio materiali, Moyſe verò ſpirituali, id eſt oratione, victoriam conſecutus eſt, vt Exodi 17. refertur. Pugnam hanc expendens Origenes Hom. 11. ſuper Exodum, ait: *Nobis etiam pugna eſt aduerſus Amalech, hoc eſt aduerſus principes & poteſtates, & rectores tenebrarum harum: eleua & tu manus ad Deum; imple mandatum Apoſtoli, Sine intermiſſione orate, & tunc fiet quod ſcriptum eſt Numerorum 22. Quia ſicut vitulus oblingit in campis herbam virentem, ita oblinget populus hic populum, qui ſuper terram eſt. Per quod, vt à maioribus accepimus, indicatur, populum Dei non tam manu & armis, quàm voce & lingua pugnare, id eſt orationem ad Deũ fundendo.* Cui expoſitioni accedit quod ſcribit S. Paulus ad Rom. 15. & idem Origenes in eadem Epiſtola.

Armis materialibus & ſpiritualibus pugnandũ.

Arripite igitur arma, ô fideles, (vt verbis vtar S. Auguſtini Epiſt 194. ad Bonifac.) *oratio aures pulſet Auctoris. Vtinam & vos, ô Reges* (inquit S. Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſt. c. 1.) *in his prælia, in quibus parentes veſtri, exercerentis, vt gentes veſtra pace contentæ, veſtris viribus præmiarentur.*

CAPVT LXXVII.

Octo conditiones, quæ à militibus militiæ ſacræ, antequam cum hoſte congrediantur, obſeruari debent, recenſentur: quarum tres priores hoc Capite enumerantur & enucleantur.

ACturi de his quæ à Principibus & Chriſtianis militibus in ſacra expeditione neceſſariò obſeruãda eſſe iudicamus, ne plus æquo longiores ſimus, ea omittemus quæ à Doctoribus Scholaſticis præcipuè tractantur, nimirum quomodo gerendum ſit bellum, à quibus geri debeat, quæ obſeruanda ſint ante conflictum, in conflictu, & poſt partam victoriam, & quæ communiter obſeruari conſueuerunt à rei militaris gnaris in quolibet bono ac iuſto bello: & ex ſacro Eloquio nonnulla tantũ proponemus, quæ obſeruarunt filij Iſrael egreſſi de Ægypto, vt poſſeſſionem Terræ ſibi promiſſæ adirent. Si enim hæc obſeruauerint noſtræ militiæ bellatores, feliciùs ſanè ac citiùs, quàm illi, ſacrorum Palæſtinæ locorum ſe Dominos, exacto Turca & Mahomete, & victores experientur. Hoc & duobus proximè ſequentibus Capitibus notabimus & explicabimus ea, quæ obſeruanda cenſemus ante cõgreſſum cum hoſte, in ſequentibus deinde quæ obſeruanda ſint in ipſo conflictu, & poſt quæ poſt partam victoriam; excellentiam porrò huius ſacræ militiæ, & multiplices ex ipſa prouenientes fructus, deinceps referabimus.

Octo obſeruanda à ſacris militibus cum hoſte congreſſuri.

Quantum ad primum dico, octo obſeruanda eſſe à Chriſtianis Principibus & ſacris militibus, antequam cum Turca, ipſum debellaturi, & Terram ſanctam recuperaturi, congrediantur: primum, vt à Deo mo-

uean-

ueantur; secundum, vt propter Deum hoc bellum assumant; tertium, vt Deo adiutore prælientur; quartum, vt caueant ab omni malo & suspicione mali; quintum, vt ab omni immunditia, auaritia & superbia alieni sint; sextum, vt habeant secum in exercitu viros eloquentia & prudentia præstantes; septimum, vt dignè, quantum quidem in ipsis erit, suscipiant sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum; octauum denique, vt omnes inter se sint concordes & vnanimes. Singula iam singulatim explicemus, & tria priora præsenti Capite.

Primum, milites à Deo mouentur.

Primum obseruandũ diximus hoc esse, vt sacræ militię Dux & Princeps à Deo excitetur & moueatur, & pet ipsũ milites. Probatur, quia si ex ipso & per ipsum omnia faciẽda sunt, si ex nobis nihil boni tamquã ex nobis cogitare possumus, sicut docet diuinus Apostolus; quantò magis præuijs diuinis auspicijs & inspirationibus erit hæc assumenda prouincia à fidelibus, ad quam, propter difficultatẽ, non se conuertit humana mens, nisi desuper moueatur? Et hoc est quod primò accidit in eductione Israelitici populi de Ægypto per sanctũ Ducem Moysen ad Terram patribus repromissam. Hic enim primò fuit à Deo vocatus, vt sacra Exodi refert historia illis verbis: *Veni, & mittam te ad Pharaonem*, &c. Exod. 3. 10. Ipse enim est *qui*, vt dixit Dauid, *docet manus ad bellum, & digitos ad prælium*, Psal. 143, 1. nouitque omnia ad propositum finem reducere, & vires in se sperantibus augere. Et hoc faciebat Dauid quando sibi erat cum hostibus congrediendum, quare & de illis victoriã consequebatur. Et ne multa alia congeramus, vnum illud Godofredi Bullionij præclarum exemplum erit loco omnium. Cùm enim eius tempore moueretur bellum contra Turcas pro sanctæ ciuitatis & totius Terræ sanctæ recuperatione, nónne Principes Ecclesiastici & sæculares ad illud moti fuerũt inspiratione diuina, quæ à Deo ipso immediatè fiebat Petro Eremitæ cuidam in Ecclesia sanctissimi Sepulchri Ierosolymis, & mediatè per ipsum alijs? Ita certè tradit Tyrius de Bello sacro lib. 1. c. 12. &c. Et ideò, vt apud eumdem videre est, post varios casus variaque rerum discrimina, desideratum finem obtinuit bellum illud. Patem finem, audacter dico & promitto, cõsequetur illud, ad quod modò omni modo hortamur & instigamus, si ab eodem Deo exordium capiatur: non quòd ab ipso nouam reuelationem expectandam dicam, (nec enim est necessaria) sufficit aliàs esse factam; & quæ iam toties præmisimus, satis ostendunt diuinum hac in re beneplacitũ; sed vt quod necessariò faciendum est, vniuscuiusque mente consideratio, in nomine & ordinatione Dei compleatur. Et ô ne audeant bellum illud absque tali Dei ordinatione vel suscipere, vel eidem resistere, ne, tamquam diuinæ voluntati repugnantes, corruant in bello. Reuocent in memoriam, Saulem Regno suo ideò priuatum, & ab hostibus cum populo suo deuictum fuisse, quòd non obediuerit voci Domini; & Iosiam, alioquin iustissimum & pijssimum Regem, in bello, Deo permittente, corruisse, quòd non obedisset voci Domini, præcipientis ne pugnaret contra Nechao Regẽ Ægypti, vt refert Iustinus Martyr Resp. Quæst. Gen. resp. 79. & Israelitæ, quando voluerunt contra Dei voluntatem ire ad promissam Terram, fuerunt ab hostibus percussi, & in fugam acti.

Inobedientia punita.

Non exspectanda miraculosa motio pro bello.

Secũndum obseruandum est, vt hoc bellum, quod Deo inspirãte assumitur, propter Deum etiam geratur, non ex aliquo liuore vindictæ, sed zelo iustitiæ, vt Deus magis, vt par est, honoretur; non propter vanam gloriam, diuitias aut temporalia bona. Si enim in rebus peragendis (vt Morales docent) potior circumstantia est finis, vt si bonus ipse sit, & res quæ ex ipso procedunt, bonæ sint, & econtrà, si malus: optimum erit huiusce modi bellum & meritorium, & optatum assequetur finem, si propter solum Deum assumatur. En, diuinus ille Moyses populum ex Ægypto eduxit non propter honorem suum promouendum, non vt aucuparetur gloriolã, non vt sibi thesauros & diuitias inde corraderet, sed propter Deum & illius honorem, vt nimirũ illi sacrificium offerret in deserto, vt populum introduceret in Terram tantò antè promissam, & vt perpetuo & inuiolabili cultu tantum Dominum veneraretur, vt patet in Exodo. Et superioribus sęculis nónne eodem fine moti Illustrissimus & fortissimus Dux Godofredus Bullionius & alij strenuissimi Principes, feliciter & laudabiliter eamdem Terram è Mahumetistarum tyrannide extortam diuino cultui restituerunt? Ideò claudendi sunt oculi ad quaslibet difficultates vel in ipso bello vel in eius consideratione occurrentes, ne ab illius prosecutione auertamur: difficultatibus verò, mente & oculis ad solum Deum sublatis, sepositis, optimoque fine spectato, omnia feliciter & prosperè succedent. *Deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum* (vt S. Apostoli verbis vtar) *per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet*, Heb. 12, 1. In Auctorem fidei & consummatorem Iesum dixit esse

Secundum, vt propter Deum pugnetur.

Oculi difficultatibus claudendi, & Deo aperiendi.

reſpiciendũ, & nõ in pericula, cruces, mortem, &c. ad imitationem Moyſis, qui, vt in eadem Epiſtola loquitur idem Apoſtolus, *magis* elegit *affligi cũ populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem*, Heb. 11, 24. ſiue, vt alij legunt, *in remuneratorem*. Et alibi idem Apoſtolus ad eamdem veritatem reſpiciens, ait: *Debet in ſpe, qui arat, arare: & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi*, 1. Cor. 9, 10. His iam ſubijcit S. Bernardus ad Milites templi cap. 2. *Quis ergo, ô Milites, hic tam ſtupendus error, quis furor hic tam non ferendus, tantis ſumptibus ac laboribus militare, ſtipendijs verò nullis, niſi aut mortis, aut criminis?* Et vniuerſim de Patribus veteris Teſtamẽti dixit Dauid: *In te ſperauerunt patres noſtri, ſperauerunt, & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi*, Pſal. 21, 5. Hæc ſi defuerit, neque Deus adiuuabit, neque naturalia media quidquã prodeſſunt. Ideoque Hanani Propheta dixit ad Aſa Regẽ Iuda, qui in Rege Syriæ & in potentia regni eius confidebat: *Quia habuiſti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco euaſit Syriæ Regis exercitus de manutua*, 2. Par. 16, 7. Deus enim permiſit vt hic Rex ab illo deficeret. Ob diffidentiam, pluriimi Hebræorum perierunt in deſerto, & pauciſſimi ex illis qui de Ægypto exierant Terram ſibi promiſſam ingreſſi fuerunt: imò omnes ſimul ab illius ingreſſu, in deſerto ad plures annos circumducti, abarcebantur, vt in pluribus ſacræ Scripturæ locis paſſim videre eſt. &, quod mirabilius eſt, etiam ipſi Deo dilecti Moyſes & Aaron, quòd dubitaſſent num petra, prodigioſâ illâ virgâ iuxta verbum Domini percuſſa, datura eſſet aquas, ab eiuſdem Terræ ingreſſu omnino prohibiti fuere. *Quia non credidiſtis mihi* (dixit ad illos Dominus) *vt ſanctificaretis me coram filijs Iſrael, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis*, Num. 20, 12. Quare Principes & milites ſanctæ huius militiæ iactent cogitatum ſuum in Domino, ſperent in eius miſericordia; & omnia quæcumque facient proſperabuntur. Egregios & fideles illos Caleb & Ioſue imitentur, & tunc, quemadmodum iſti ad realem optatæ Terræ poſſeſſionem peruenerunt, ita & ipſi eamdem amiſſam recuperabunt. *Nullus certè ſperauit in Domino, & confuſus eſt?* Eccli. 2, 11.

Diffidentia punita.

Tertiũ, Deo adiutore pugnent.

Tertium quod obſeruari à noſtris ſacris militibus debet, eſt, vt non ſolùm Deo inſpirante, & per ipſum, id eſt propter ipſum, ſed etiam cum ipſo, id eſt, ipſius adiutorio, & ſingulari patrocinio bellum iſtud aſſumatur, & tunc dubitandum non erit, quin certiſſima victoria ſit ſecutura. *Dominus nobiſcum eſt, nolite metuere*, dixerunt pro timili expeditione ad trepidantes Iudæos Ioſue & Caleb, Num. 14, 9. & Regius Vates: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo*, Pſ. 117, 6. & v. 14. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* Idem alibi frequenter repetit, ideoque immanem gigãtem & innumeros alios hoſtes deuicit & fugauit. Quamuis verò Deum in omni noſtra operatione auxiliatorem habere debeamus, ſingulariter tamen in bello iſto eius opem nobis conciliare debemus, vbi non aduerſus carnem & ſanguinem tantummodò, id eſt, contra potentiſſimum iſtum Turcam & eius aſſeclas, bellum eſt ineundum, ſed aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, aduerſus dæmones & infernales ſpiritus ipſos, vtpote de quorum extirpando imperio agitur: vt ſicut aliquando in morte Chriſti princeps huius mundi inde fuit eiectus, nunc iterũm propter noſtra peccata eò reuerſus cum ſuis ſequacibus procul penitus abigatur. Hanc Dei opem, hoc adiutoriũ ſi nobis propitium fecerimus, non timebimus hoſtem illum fortiſſimum, cùm Principem àparte noſtra habeamus infinities fortiorem & potentiorẽ. *Non timebo millia populi circũdãtis me*, inquit Dauid, tu modò *exurge Domine, ſaluũ me fac Deus meus*, Pſal. 3, 7. Amplius dico, de victoria certi quodãmodò erimus: quoniã, vt ipſemet Saluator Chriſtus dixit, *cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuũ, in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si autẽ fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet*, Luc. 11, 21. Et ſic Dauidi accidit, quando cepit arcem Sion. De Magno Alexandro narrat Frontinus, quòd cùm bellum inſtaret, ipſe ſemper adhiberit in acie, vt primus hoſtilem diſſringeret; &, vt dicit Titus, vbi hoſtes fortiſſimos eſſe conſpiciebat, eò ſe ingerebat, magis proprium quam militum periculum eligens. Vnde meritò de eodem potuit dicere Iuſtinus lib. 2. quòd cum nullo vmquã hoſte pugnauerit, quem non vicerit; nec vllam gentem adierit, quam non calcauerit; nec vrbem obſederit, quam non expugnauerit. Quare tantam fiduciam ſuis militibus ingeſſerat, vt ipſo præſente nec hoſtem nec arma timerent. Et dubitabimus nos de victoria contra Turcas? ad ingentem illorum numerum trepidabimus? illorum arma & vires expaueſcemus? cùm Deus pugnet pro nobis, cui in virtute & potentia non eſt ſimilis, & qui ipſemet eſt *refugium & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis?* Pſal. 45, 2. Nec immeri-

Euertidum diaboli regnum.

Alexandri Magni exemplum.

tò hîc dicere poſſumus quod aliquãdo dixit Dominus per quemdã Prophetam Iudæis: *Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem, non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei*, 2.Par.20,15. qui & aderit inuocantibus ſe in veritate. *Clamabit ad me* (ait ipſe) *& ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*, Pſal.90,15. Quare & oratione opus erit, vt poſteà dicemus: quæ ſi aderit, exurget Dominus, apprehendet arma & ſcutum, & exurget in adiutorium noſtrum, vt non præualeat homo, & confuſus abigatur dæmon. *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom.8,31. Non ignarus fuit huius rei Iſraelitici populi Dux Moyſes, qui adduci non potuit vt ſuſciperet onus Iſraelem educẽdi de Ægypto, & introducendi in Terram promiſſionis, niſi dum audiuiſſet à Domino, *Ego ero tecum*, Exod.3,12. hoc eſt, in auxilium tuum in omnibus rebus tuis. Poſteà item in deſerto, cùm iuſtè indignatus Dominus propter duritiem & peccata populi, nollet cum eo ad Terram ſanctam aſcendere, ſed ſuo loco Angelum ductorem ſuffeciſſet, idque intelexiſſet Moyſes, dixit ad Dominum: *Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto*, Exod.33,15. Sed quid ais, Ducum ſtrenuiſſime? túne impoſitum onus ſubire detrectas, Angelo Domini tibi ſuffragante? An ignorabas quanta ſit vnius Angeli potentia? Ecce vnus Angelus cum trecentis tantùm Gedeonis militibus infinitam propè Madianitarum multitudinem profligauit. Vnus item Angelus, nullo alio ſibi auxiliante, vna nocte centum octoginta quinque millia Aſſyriorum interfecit in exercitu Sennacherib, vt ſacra Regum teſtatur hiſtoria. Et vt alia mirabilia, quæ miniſterio & virtute Angelorum effecta perhibentur in ſacra Scriptura & Eccleſiaſticis Scriptoribus omittam, vnus Angelus, vt tam Philoſophi quàm Theologi docent, ingentem cæli molem continuè & indefeſsè mouet & circumagit. Si ergo tanta eſt vnius Angeli potentia, quare, illius diffiſus auxilio, ad Terram electam & deſiderabilem, lacte & melle manantem pergere vltrà detrectas, cùm ille quoſuis fortiſſimos bellatores, immaniſſimoſque gigantes, qui in itinere vel ipſo terræ aditu ſe poſſent opponere, ſit euulſurus, proſtraturus, atque à facie tua tamquam puluerem ante faciem venti proiecturus?

Moyſes abſque Deo non vult ad Terrã ſanctam ire.

Angelorum ſingulorum maxima virtus.

Sed enim ſapientiſſimè, & non ſine maxima conſideratione dixit prudentiſſimus Dux, *Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto*; quoniam tantas præſentiebat illo in itinere difficultates ſibi occurſuras, vt ad illas ſuperãdas Angelica virtus, etſi magna, non ſufficeret, ſed maior & diuina neceſſaria eſſet. Etenim pugnandum erat non tantùm contra viros, ſed multò magis mulieribus reſiſtendum erat; non ſolùm contra carnem & ſanguinem dimicandum erat, ſed aduerſus ſpirituales & tartareas poteſtates, de quarum duce dicitur, quòd non ſit poteſtas in terra, quæ comparetur ei, & quem principem huius mũdi appellauit Dominus, cuius virtutem tum aliàs tum in afflictione ſua oſtendit S.Iob, vt præteream tormenta, quibus ſemper afficit degentes in inferno, & tentationes quibus non modò peccatores, ſed ſanctiſſimos quoſq; infeſtat. Audeo dicere, ſecluſa peculiari Dei aſſiſtentia, minorem eſſe quadamtenus virtutem bonorum Angelorum quàm malorum, præſertim ſi prauorum hominum malignitas acceſſerit, ſicut minor eſt peditum inermiumq; quàm equitum armatorum in acie virtus. At quis non videt, Angelos bonos ſolos, eſſe velut inermes pedites, malos verò vnà cum impijs hominibus & mulieribus eſſe velut armatos equites. Sunt nimirum mulieres potentiſſima arma diaboli, & in vniuerſum tam ipſæ quàm alij peccatores, diaboli equi, vt dixit S.Ioannes Chryſoſtomus: & filij huius ſæculi prudentiores ſunt filijs lucis in generatione ſua, vt Saluator dixit. Quare ſi Moyſes cum ſolo Angelo proceſſiſſet vlteriùs abſque ſingulari Dei aſſiſtentia, ad bellum vtique inermis & pedeſtris proceſſiſſet contra callidiſſimum exercitum expeditorum equitum armatorum; atque ita viribus longè inferior, non polliceri ſibi potuiſſet victoriã, ſed potiùs offenſionem & totalem exercitus ſui iacturam meritò timere: atque vtiq; de eo dixiſſent hoſtes eius, quod poſteà Dauidis inimici dixerunt, arbitrati eum à Deo fuiſſe derelictum: *Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat*, Pſal.70,11. quia ab eiuſmodi hoſtibus nulla ſe creatura abſque Deo efficaciter potuiſſet expedire & liberare. Quare Saul à Deo derelictus, nec ab exercitu ſuo, nec à ſancto Vate & Sacerdotes Samuele potuit ab hoſtibus ſuis liberari. Ac ideò ſapienter Moyſes Dei ſingularem aſſiſtentiam in opere illo expoſtulauit: & ad eius imitationem Principes noſtri, & ſacræ militiæ milites ad prælium contra Turcas pro recuperatione Terræ ſanctæ accingere ſe non debent, niſi ſingulari Dei auxilio fulti; ad quod obtinendum proderit, ſi, quod ſtatim ſequenti Capite ſubijciemus, obſeruauerint.

Diaboli cũ malis hominibus Angelis ſunt fortiores.

Magnæ difficultates ſe offerunt.

CA-

CAPVT LXXVIII.

Quarta & quinta conditiones, Militibus ſacris obſeruandæ, referuntur.

Quartum obſeruandum, vt à peccatis ſe cuſtodiant milites.

QVartum quod obſeruare debẽt Principes & milites ſacræ militiæ, antequam ad manus cum hoſte veniant, eſt, vt quantum permittit humana fragilitas, caueant ab omni malo, imò & ſuſpicione mali, viuant ſine querela apud Deum & homines, ambulent in vijs eius, & mandatis illius obediant: hoc enim pacto Deum ſemper propugnatorem & auxiliatorem habebũt. Hoc in primis perſuadetur ex ſententia Saluatoris, dicentis: *Si quis diligit me, ſermonẽ meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, Ioan. 14,23. Quod poſteà dilectus eius diſcipulus conceptis verbis expreſſit, dicens: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, 1. Ioan. 4,16. Sicut econtrà longè abeſt à peccatoribus & contemnentibus mandata ſua, Dauide dicente: *Longè à peccatoribus ſalus, quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt*, Pſal. 118,155. Quare innocentiam cuſtodiant noſtri milites, taleſque eſſe ſatagant, quales deſcribit S. Bernardus in Sermone ad Milites Templi, viuantque ſicut præſcribitur in Regulis ſacrorum militarium Ordinum Terræ ſanctæ, ſanctiſſimi Sepulchri, S. Ioannis Baptiſtæ, Templariorum, &c. & de diuino auxilio & victoria nullatenus dubitent. Ecce enim *vir obediens loquetur victorias*, ait Salomõ Prou. 21,28. *Obediens*, non modò diuinæ ſuggeſtioni & inſpirationi de bello ſacro aſſumendo, vt in primo Notando diximus, ſed & diuinis præceptis: quia nimirũ, vt interpretatur S. Hieronymus in Commentarijs eiuſdem loci, *dum quis per obedientiam deſideria ſua vincere ſatagit, per inſtitiam Iudicis poſteà victoria palmam percipit.* Quam expoſitionem totidem verbis, vt ſolet, tranſtulit Ven. Beda in ſuos Commentarios Prouerbiorum. Quòd ſi diuina mandata contempſerint, non modò victoriam polliceri ſibi non debent, ſed de certiſſima clade & internecione certiſſimi eſſe poterunt. Huius rei non vnum exemplum nobis dederunt Iudæi: dum enim in mandatis Dei ambulabant, etiam pauci de multis hoſtibus triumphabãt; dum verò ab ijſdem declinaſſent, plures ipſi à paucis hoſtibus iuſto Dei iudicio ſuperabantur, quemadmodum in celebri illo Cantico cecinit Moyſes hiſce verbis: *Quomodo perſequatur vnus* (ſcilicet aduerſariorum) *mille* (nimirum Iudæos) *& duo fugent decem millia? Nónne ideò quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos*, &c. Deut. 32,30. Legantur, quæſo, quæ vigeſimo ſexto Leuitici capite ſat prolixè narrantur.

Dat victoriam mandatorum Dei obſeruantis.

Non poſſum, quin memorabile è Scriptura exemplum proferam, è quo, puto, noſtri milites haud parũ emolumenti capient. Legimus in vigeſimo libri Iudicum capite, quòd, cùm aliquando vniuerſæ populi Iſraelitici tribus contra vnam Beniamiticam conueniſſent, vt vrbem Gabaa in eorum ditione ſitam oppugnarent atque funditus deſtruerent, vindictam iuſtiſſimam ſumptum de turpiſſimo & crudeliſſimo ſcelere, quo vxor cuiuſdam Leuitæ compreſſa & oppreſſa fuerat; quamuis etiam diuino oraculo bellum illud proſequi iuſſi fuiſſent, nihilominùs innumera illa vndecim tribuũ multitudo (excepta Leuitica) à paucis ſemel & iterùm non ſolùm magna cum ſtrage & cæde, ſed & maximo cum bellatorum dedecore in fugam coniecta fuerit. Vnde hoc, bone Deus? An iniuſtum fuit & iniquum bellum illud? Minimè equidem. Aderat iuſta bellandi cauſa, vt nimirum vindicta ſumeretur de enormiſſimo ſcelere: aderat legitima auctoritas, quia ex tua voluntate & conſilio bellum illud fuit initum: aderat recta bellantium intentio, zelus videlicet iuſtitiæ, ne tantum ſcelus inultum remaneret: ingens porrò bellum inferentium erat numerus, atque ideò prudenter vtique fuit aſſumptum. Et nihilominùs pauci, ijque ſceleſtiſſimi, in primo & ſecundo conflictu victores extiterunt, & duo fugarunt decem millia.

Obpræſumptionem & pœnam multi ſæpe à paucis debellati ſunt.

Nicolaus de Lyra duplicem cladis illius adfert rationem, quarũ alteram eſſe ait nimiam Iſraelitarum confidentiam de proprijs viribus; alteram, quòd iniuſti fuiſſent, quippe qui delictum alioquin iſto grauius impunitum & inultum abire permiſiſſent. *Sciendum*, inquit, *quòd licet filij Iſrael haberent iuſtum bellum, tamen nimis confidebant in ſua multitudine & fortitudine: ideò Dominus permiſit eos bis in principio debellari, vt humiliarentur, & ad Deum recurrerent, magis confidentes de virtute diuina, quàm de ſua. Hebræi autem dicunt, quòd contingit eis, eò quòd negligentes erant de punitione idolatriæ in domo Michæ, & in tribu filiorũ Dan: quod quidem factum contigerat immediatè ante illud, vt dicunt Hebræi, & fuerat notorium: propter quod filij Iſrael tenebantur illud corrigere, quia fuit ita graue, & grauius illo: ſicut & communitas populi Iſrael voluit ire ad præliũ contra Ruben & Gad, & dimidiam tribum Manaſſe, eò quod credebant eos ædificaſſe altare ſacrilegij, vt habetur Ioſ. 22. Satis conuenienter poteſt dici, quòd vtrumque dictorum fuit in cauſa debellationis populi Iſrael per*

per filios Beniamin in principio, vt ſic peccatum prius priùs puniretur quàm ſecundum. Hactenus ille.

Priorem reſponſionem dedit etiam Petrus Bleſenſis. Hoc enim factum conſiderans Epiſt. 112. ait: *Plures à paucioribus ſuperati ſuerunt, quia de ſua fortitudine & multitudine præſumebant. Primò & ſecundò victi & humiliati ſunt, vt per humilitatem denuò vincerent, qui per ſuperbiã victi erant*, &c. Poſteriorem cauſam extendit Gloſſa ex S. Gregorio non ſolùm ad iniuſtitiam, ſed ad omnia peccata; ſupponitque, quòd iſti qui volebant alios pro delicto punire, peccatores ipſimet fuerint, atque ideò, donec ſe correxiſſent, & delicta ſua fluentis lacrymarum eluiſſent, alios vincere vel corrigere non potuerint. Quare S. Gregorius optimè dixit: *Reuocentur ad conſcientiam, vt priùs corrigant propria, & tunc reprehendant aliena.* Peccata igitur Iudæorum illorum fuerunt in cauſa, vt prima & ſecunda vice victi etiam à paucis fuerint, quamuis alia ad iuſtum bellum requiſita non deeſſent: rectum enim & iuſtum rectè & iuſte perficiendum eſt.

Alios corripiens ſit à culpa liber.

Vnius peccatum toti Iſraelitico exercitui obfuit.

In libro Ioſue legimus, quòd pro peccato vnius Achan, qui tranſgreſſus fuerat mandatum Domini, furripiens de anathemate, Iſraëlitæ, qui anteà diuino auxilio egregias de hoſtibus victorias retulerant, ipſiſque terrori erant, ab eiſdem poſteà percuſſi, & non valentes illis reſiſtere, in fugam verſi fuerint. Sed ne diutiùs eiuſmodi exemplis producendis immoremur, ſolùm dicamus, Iſraëliticum populũ eius rei præmonitum fuiſſe à Moyſe in eductione ſua de Ægypto ad Terram promiſſionis. A quibus autem peccatis ſingulariter cauere debeant noſtri milites, ſequenti Notabili explicamus.

Quàtum. Cauẽdum in primis ab omni impuritate, auaritia & ſuperbia.

Quintò igitur caueant, quantum fieri poteſt, ab omni impuritate, auaritia & ſuperbia. Si enim de his maioribus hoſtibus victores fuerint, alijs minoribus non ſubijcientur. Reuocent ad memoriam noſtri ſacri milites, quod ſuperiùs diximus, bellum, quod aſſumere debent, non eſſe ſimplex, ſpirituale vel materiale tantùm, ſed mixtum ex vtroque: quoniam non ſolùm contra viſibiles hoſtes, infideles Turcas, pugnandum, ſed etiam contra inuiſibiles. Et iſti tantò crudeliùs & fortiùs pugnabunt, quantò res, pro qua pugna inſtituitur, maioris ponderis eſt, & quantò maius ex noſtra victoria dedecus maioremque iacturã ſunt habituri. Caro itaque, mundus, & dæmones diuerſa eis mouebunt prælia, vt Magni Gregorij verbis vtar, quæ præfigurata fuerunt in diuerſis bellis, quibus Iſraëlitæ pergentes ad Terram ſibi promiſſam oppugnati fuerunt. Quare ne ſuccumbant, ſed Deum adiutorem habeant & eius cum adiutorio victores euadant, quantum fieri poteſt, à peccatis immunes ſe conſeruent, nec ſolùm ab illis quibus plerumque obnoxij videntur eſſe milites, & à quibus ipſos abſtinere præcepit S. Ioannes Baptiſta, dicens, *Neminem concutiatis, neque calumniã faciatis, & contẽti eſtote ſtipendijs veſtris*, Luc. 3, 14. ſed etiam ab illis quibus totus inuoluitur mundus, de quibus S. Ioannes, luxuria inquam, auaritia, & ſuperbia: nec ab actibus ſolùm illorum abſtineant, ſed etiam affectus omnino præcidant, quia valdè ab ijs impeti ſe ſentient, eò quòd ad peculiarem Dei ſeruitutem accedant: & eos qui hac in re fuerunt incautiores, turpiter fuiſſe expugnatos, ex ſacris & profanis hiſtorijs, & quotidianis euentibus nouimus. Quare multùm inuigilent, & fortiter contra inuiſibiles & internos hoſtes pugnent, vt ijs expugnatis, etiam de externis triumphent. Cõſiderent, non ſe eſſe debere de vulgo aut de numero imperfectiorum: quia cùm ad heroicum opus ſe accingãt, ad ſanguinem ſcilicet pro Chriſto fundẽdum, quomodo eumdem profuſuros credere poterimus, ſi in minoribus conflictibus ſe vinci ſinant, vt alibi in ſimili ex D. Bernardo argumentamur.

Multi multa mouerunt prælia Iſraëlitis, ne ad promiſſionis Terram peruenirent: præcipuè tamen, vt Pharaonis & Ægyptiorum perſecutionem prætereã, tres maximi mométi aſſultus ſuſtinere & propulſare coacti ſunt, quibus edocemur, cõtra carnis vitia, turpem ſcilicet & carnalem libidinem, contra gulam, auaritiam & ſuperbiam vel maximè perfectioribus decertandum eſſe.

Tria præcipua bella Iſraelitis mota.

Prius itaque ſæuius certamen, quod filijs Iſrael, dum, egreſſi ex Ægypto, ad Terram promiſſionis pergerent, ſubeundum fuit, illatum eis eſt ab Amalec, vt habetur Exod. 17. Incognitus quidam explicans verba illa Pſalmi 82, 8. *Amalec, & alienigenæ cum habitantibus Tyrum*, ait, quòd *Amalec* idem ſit quod *gens bruta*. Contra Amalec igitur primò bellum geritur, qui & difficulter ſuperari poterat, quia primò contra gentem brutam, quæ magna cum difficultate vincitur, in illa expeditione pugnandum eſt. Sed quidnam myſticè ſignificat hęc gens bruta, quæ, ne noſtram faciamus promiſſionis Terram, ſeſe obijcit? vtique ſenſualitatis noſtræ paſſiones, & carnis rebelles motus, qui rationi obedire nolunt. Et hæc gens bruta continuè nos oppugnat, quia ſemper *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*, vt dixit S. Apoſtolus Gal. 5, 17.

Primum carnis.

Haud abſimile huic fuit alterum bellum quod

quod gerendum fuit contra Seon Regem Amorrhæorum, de quo Deut. 2. & 3. & Psal. 134, 11. dicitur, *Seon Regem Amorrhæorum*, &c. vbi iterùm Interpres quidam adTentatio in oculis. uertit, quòd *Seon* perinde valeat quod *tentatio oculorum*. Et hic Rex regnat in Amorrhæis, quia *Amorrhæus*, nihil aliud sonat quàm *amor reus*, amor inquam turpis & carnalis, in quo tentatio oculorum regnat, quia fere semper (vt quidam dixit) oculi sunt in amore duces, & per illos quasi per feneſtras amor inhoneſtus ad radicem mentis noſtræ labefactandam ingreditur. Et quantum aſpectus impudicarum mulierum labefactauerit populum Dei, quem fortiſſimi milites numeroſiſſimiq́ue exercitus expugnare non valuerunt, tum ex alijs, tum ex nunc dicendis apparebit.

Balaam per mulieres Iſraelitas expugnat. Cùm impius ille Balaã diuinitus impeditus, nequiret maledicere populũ Dei, prout ab eo fieri petierat Rex Balac; & hic nec vi nec armis illi reſiſtere aut impedire valeret, ne vlteriùs pergeret ad Terram promiſſionis, eiuſmodi dedit conſilium Regi Pſeudopropheta, vt mitteret puellas pulchras, nobiles & ornatas ad exercitum Hebræorum, quæ tum pulchritudine tum mellitis verbis ad ſui amorem illos allicerent. Quæ cùm viderent illos in libidinem exarſiſſe, corporum ſuorum vſuram concedere noluerunt, vt ed octæ erant, niſi priùs illi comediſſent de idolothytis, & idola adoraſſent quæ ſecum aſportauerant; vt ſic Deo offenſo, populus Iſraël ab eodem percuteretur, & in hoſtium ſuorum manus traderetur. Secutus Rex Balac impium & perniciosum hoc conſilium, effecit vt electus populus, de fortiſſimis alioquin hoſtibus victor, victus, peſſum datus & humiliatus fuerit per mulieres. *Morabatur eo tempore Iſrael in Settim*, dicitur Num. 25, 1. *& fornicatus eſt populus cum filiabus Moab: quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua. At illi comederunt & adorauerunt deos eorum. Initiatuſq́; eſt Iſrael Beelphegor.* Addit Ioſephus, quòd non ſolùm vulgus, ſed aliqui ex Primoribus Iſraëlitarum acceperint ſibi vxores de illis: idq́ue fidem meretur, cùm Principes & alij de plebe puniti fuerint, vt habetur proxime citato Numerorum capite.

Alij ſimili modo decepti. Et quoties, bone Deus, ſimile accidit in Chriſtianorum exercitibus, in quibus ſtrenuiſſimi Duces, & fortiſſimi milites, qui feros expugnarunt hoſtes, munitiſſimas ceperunt arces, ſoloq́ue æquarunt ampliſſimas ciuitates, ſenſuali turpiq́ue amore mulierum excæcati & faſcinati, præda hoſtium euaſerunt, Deum & patriam abnegantes. Hoc non ſolùm ex profanis & Eccleſiaſticis hiſtorijs conſtat, ſed & in ore vulgi decantatur. Et profectò mirabile eſt, quòd ij qui ſe ab infimo muliebri ſexu ſuperari ſinunt, victoriam de fortiſſimo hoſte expectent: quòd qui Deo terga vertere, atque ipſum ſingulis pænè momentis ad iracundiam prouocare non verentur, ab eodem victoriam ſibi polliceri auſint. Abſtinendum eſſet à licitis amplexibus, quantò magis ab illicitis? Cùm Moyſes, impleturus verbum Domini, ex Madian proficiſci vellet in Ægyptum, portans virgam Dei in manu ſua, vt inde Iſraelem educeret, & induceret ad promiſſam regionem, & iam eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Qui vt mortem declinaret filio circumciſo, vxorem cum filijs reliquit, vt in Exodo habetur. Quare hoc? An minimè licebat habere vxorem & filios in opere illo? Nouerat ille, eſſe voluntatis diuinæ, vt dux & miles fideliſ non niſi militaribus rebus attendat, non delicijs; & non ſolùm ab illicitis, ſed etiam à licitis amplexibus abſtinendum, & à rebus domeſticis animũ auocandum eſſe ſciat. Vt enim dixit S. Apoſtolus, *nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus*, 2. Tim. 2, 4. Quare optimè S. Moyſes, vt etiam occaſionem amoueret quæ debitam muneris ipſius executionem impedire quoquo modo poterat, coniugẽ & filios dilectiſſimos dimiſit. *Ab ipſis vxoribus eſſet abſtinendum.*

Quæres: Illicitúmne erit in Chriſtianorum caſtris permittere ſcorta & meretrices? Reſpondeo: Memoriæ poſterorum litteris conſignauerũt, Henricus Huntindonienſis, Vincentius, & Robertus Monachus, Chriſtum Dominum conqueſtum fuiſſe apud quemdam Sacerdotem de impuritate militum ſacræ expeditionis ſub Godofredo, à qua niſi ſe corrigerent, pœnas eſſent daturi. Rem ex aliorum ſcriptis hunc in modum Vincentius in Spec. Hiſtor. lib. 25. c. 100. commemorat: *Cuidam Sacerdoti apparuit Dominus cum beatiſſima Genitrice ſua, & Petro Apoſtolo, cruce ſuper caput reſplendente, exprobrans beneficia quæ Chriſtianis contulerat, & ingratitudinem eorum cum mulieribus fornicantium. Cumq́; minaretur ſe vindicaturum de illis, & mala ſua illis redditurum, Mater miſericordiæ, & beatus Petrus ceciderunt ad pedes eius, ſupplicantes, ne pro peccatorum culpis cunctis iraſceretur. Qui precibus eorum acquieſcens, dixit Presbytero: Vade, & dic populo meo: Lupanar, & proſtibulum, & omnem à vobis remouete abuſum, & infra quinque dies, ſi reuerſi fueritis ad me, reuertar ad vos, & oppertunum vobis prouidebo auxilium; & interim quotidie cantetur: Congregati ſunt inimici noſtri, & gloriantur in virtute ſua: contere fortitudinem illorum Domine*, &c. Hæc Vincentius, & alij. Et inter

mulie-

mulieres cum quibus fornicabantur Chriſtiani erant Saracenæ, vt retulit Lyranus. Huic relationi fidem facit quod ſcribit Tyrius ex communi Principũ ad Antiochiam decreto. *Fatuas & leues mulierculas ab exercitu ſequeſtrarunt, adulteria, & omne fornicationis genus ſub pœna mortis inhibentes. Comeſſationes & ebrietates, & periculoſum alearum ludum, incauta iuramenta, in pondere & menſura fraudem, & omnem circumuentionem, furtum & rapinam interdicentes, conſtitutis quoque iudicibus, qui in huiuſmodi quoque interdicti violatores animaduerterent.* Eadem auctor Anonymus, qui huius ipſius expeditionis tempore viuebat. Quorum exemplum ſecutus Henricus Angliæ Rex, inter alia ſaluberrima ſtatuta, quæ militibus ſanctæ expeditionis obſeruanda propoſuit, hoc præcipuum fuit: *Nullus aliquam mulierem ſecum ducat in peregrinatione, niſi forte aliquam lotricem peditem, de qua nulla habeatur ſuſpicio.* Ita refert Baron. Tom. 12. ſub anno Chriſti 1188. num. 5.

Abuſus exercituum Chriſtianorum.

Sed prô dolor! ad tantam miſeriam & cæcitatem deuenerunt res Chriſtianorum, vt ad caſtra ſecum ducant, non dico legitimas vxores, ſed viliſſima ſcorta & meretrices impudiciſſimas, quarum obſcœno & turpiſſimo abuſu ſacra caſtra contaminant, Deumque, quem ſibi omnibus modis propitium reddere debebant, ad iracundiam & vindictam prouocant. Et vtinam hîc ſiſteretur! Non tamen id fit, ſed immundi & ſceleratiſſimi milites in locis ad quæ diuertunt, non honeſtis matronis, non adoleſcentulis & virgunculis parcunt, ſed vi eaſdem comprimunt & violant, atque ipſas inſuper Deo ſacratas virgines ſacrilegè deturpant, & omnia vbique non calamo, non cogitatu exprimendis obſcœnitatibus & contumelijs complent, vt ſilentio præteream execranda facinora, blaſphemias, periuria, furta, iniuſta homicidia, rixas, æmulationes, &c. quibus continuè Deum optimum maximum ad iuſtam vindictam de illis ſumendã prouocare non ceſſant. Et ab hoc ſperabũt victoriam? Quę maior, quæſo, ſtultitia & inſipientia excogitari poteſt?

Carnis mortificatione ac oratione cuncta domanda.

Quid ergo? Contra libidinem tamquam contra ferociſſimum hoſtem, vt illam deuincant, arma aſſumant ſobrietatem, carnis mortificationem & orationem, quantum illorum ſtatus permittit, quemadmodum faciebat ſtrenuus ille Eccleſiæ propugnator Paulus, qui de ſeipſo ait: *Caſtigo corpus meũ, & in ſeruitutem redigo*, 1. Cor. 9, 27. & : *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ*, &c. 2. Cor. 12, 7. *propter quod ter Dominum rogaui*, verſ. 8. Moyſes id ipſum ſuo exemplo docuit, dum aſcendit in montem ad orandum, Ioſue interim pugnante contra Amalec, & vi orationum iſtius hoſtem proſternente. Nec eſt dubitandum, quin orationi abſtinentiam & ieiunium addiderit, quemadmodum etiam poſteà fecit: tunc enim efficacior eſt oratio, quando ieiunium habet comitem. Aduertebat ſcilicet ſanctus ille Dux, in illo bellandi genere non modò corporalia, ſed multò magis ſpiritualia arma neceſſaria eſſe; ſicut & in bello noſtro, in quo agitur non tantùm cum viſibili, ſed etiam cum inuiſibili hoſte.

Abſtinendũ à vanitate & iactãtia.

Præter abſtinentiam & orationem, proderit etiam reſecare à ſe omnem nimium corporis in veſtitu ornatum, vt & alios geſtus vanitatem & iactantiã præ ſe ferentes; huiuſcemodi enim res cauſam non meliorem, ſed deteriorem faciunt, quoniam dæmon per illa eos inuoluit, & ad terram proſternit.

Et ſicut Moyſe ab oratione ceſſante vincebat Amalec; ita etiam cùm ſe crapulæ dediſſet populus, ſacrilegũ idololatriæ peccatum commiſit. *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere*, dicitur Exo. 32, 6. Hic verò *ludere*, pro idololatriam committere accipiendum eſſe, plures docent: quemadmodum & in illo Gen. 21, 9. *Vidit Sara Iſmaelem ludentem cum Iſaac*, id eſt, adorantem idolum, illudq; Iſaac oſtendentem vt veneraretur. Verè enim de Hebræis dixit Dominus: *Cùm comederint & ſaturati fuerint, auertentur ad deos alienos*, Deut. 31, 20. & per Oſeam: *Saturati ſunt, & eleuauerunt cor ſuum, & obliti ſunt mei*, Oſeæ 13, 6. Quare & non ſemel, dum adhuc eſcæ eſſent in ore eorum, ira Dei deſcendit ſuper eos, ac ideò exterminati, & ab ingreſſu Terræ promiſſionis ſunt prohibiti.

Ludere, pro idololatriã committere.

Noſtri igitur ſacri milites gulæ habenas injiciant, ne in nefanda incidant facinora, & derelicto Deo, derelinquantur & ipſi, & hoſtium gladijs deuorentur. Non ſint alijs militibus ſimiles, quorum plures non ſolùm ſtatutis ab Eccleſia diebus non ieiunant, ſed nec à carnibus abſtinent, illis abſque neceſſitate vlla veſcentes, haud ſecùs ac ſi Turcæ & hæretici eſſent, & Eccleſiaſticis ſtatutis minimè ſubiecti.

CAPVT LXXIX.

Sexta, ſeptima & octaua conditiones, à ſacris militibus ante congreſſum cum hoſte obſeruandæ, ſubnectuntur.

Sextum. Sintin exercitu proli & eruditi Oratores.

SExtum obſeruandum in ſacra noſtra expeditione eſt, vt ſupremus illius Dux habeat in ſuo exercitu viros pietate, ſapientia, eruditione & facundia præſtantes, à quibus

robur militibus ſuggeratur,& ſpirituales vires tum ſacris exhortationibus, tum Sacramentorum adminiſtratione ſuppeditentur.

Eloquentiæ virtus magna.

Multùm autem prodeſſe ſapientiam & eloquentiam in hoc negotio, vt rem omnibus compertam paucis explicabo. Sapiens ille Eccleſiaſtes hoc ipſum egregiè demonſtrat, dicens: *Ciuitas parua,& pauci in ea viri: venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam, extruxitq́; munitiones per gyrum, & perfecta eſt obſidio. Inuentusq́; eſt in ea vir pauper & ſapiens,& liberauit vrbẽ per ſapientiã ſuam,* Eccle 9,14. Huc ſpectat ſalubre illud conſilium quod Iethro Moyſi dedit: *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas,& qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos,& centuriones, & quinquagenarios,& decanos,*&c. Exo. 18,21. Et in huius rei confirmationem affert ſancta Mater Eccleſia illuſtriſſimum Magni illius Pontificis Leonis exemplum. Cùm enim Rex Hunnorum Attila,cognomento Flagellum Dei, Italiã inuadens, Aquileiam triennij obſidione captam diripuiſſet & incendiſſet, Romam verſus ardenti furore proficiſcebatur. Cumq́ue iam copias ſuas eo in loco vbi Mincius Pado miſcetur, traijcere pararet, ſapiens & eloquens Pontifex, malorum Italiæ impendentium commiſeratione permotus, diuina ſua eloquentia perſuaſit Attilę vt reuerteretur. Nec à propoſito alienum eſt, quòd Phariſæorum miniſtri, ab ijſdem ad comprehendendum Saluatorem miſſi, diuiniſſimis eius concionibus permoti, eo dimiſſo domum redierint: quòd item iram Saulis Regis ſedauerit oratio Prophetarum, cùm iam in itinere eſſet,vt iret in Naioth Ramatha,caperetq́ue & occideret Dauidem: quòd item Dauid ipſe ſuis ſermonibus repreſſerit animos ſuorum militum, ne Saulem perſecutorem interficerent: quòd etiam ſapiens illa Abigail Dauidis iram placauerit, ne ab eo maritus ſuus ex improuiſo obrueretur & occideretur: quòd inſuper ſapiens illa mulier prudenti ſuo ſermone perſuaſerit ciuibus ſuis, vt caput Sebæ, qui contra Dauidem rebellionem concitauerat, à ceruice eius reciſum, in caſtra Ioabi per murum demiſerint; Ioabo verò, vt motis caſtris, Abelæ ciuitati, in qua iſte Seba latitabat, pepercerit: quòd denique totus mundus Apoſtolorum aliorumq́ue Apoſtolicorum & eruditorum virorum prædicatione à diaboli tyrannide erutus,& Deo vero reconciliatus fuerit. crediderim enim, hos non tam virtute ſermonis ſui, quàm Spiritus ſancti adiutorio, eiuſmodi operatos fuiſſe prodigia.

Philiſthiim (vt ex improborum etiã claſſe exempla petamus) dum præliaturi eſſent contra Hebræos,& propter eorum iubilum & exultationem, quòd Arca Domini in caſtra delata eſſet, admodum timerent, veriti ne ad vnum vſque internecioni darentur, ideoq́ue ingemiſcerent,dicentes, *Va nobis; non fuit tanta exultatio heri & nudiuſtertius: va nobis. Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum?* 1.Reg.4,8. inuenti ſunt viri ſapientes, qui populo pænè exanimato dicerent:*Confortamini, & eſtote viri, Philiſthiim:ne ſeruatis Hebræis,ſicut & illi ſeruierunt vobis: confortamini, & bellate,*verſ.9. tantumq́ue valuit illa exhortatio apud milites,vt animis reſumptis non ſolùm itereuè pugnauerint, ſed & illuſtrem victoriam obtinuerint. *Pugnauerunt,*inquit Scriptura verſ.10.*Philiſthiim,& caſus eſt Iſrael,& fugit vnuſquiſque in tabernaculum ſuum, & facta eſt plaga magna nimis,*&c. Inter alia quæ de eloquentiſſimo M. Antonio tradunt Hiſtorici,memorabile eſt quod ſcribunt Valerius Maximus & Plutarchus in Vita Marij, ipſum aliquando turmam quamdam militum armatorum, ad comprehendendum eum miſſorum, ſua oratione ita inflexiſſe, vt liberum eum dimiſerint.

Minerua quare armata depicta.

Ex his duæ mihi diluuntur difficultates. Altera eſt,quare veteres Mineruam Deam ſapientiæ, quamuis ad pugnas armis præliatura minimè proceſſerit, armatam depinxerint. Vt videlicet intelligeremus,quòd tanta ſit virtus ſapientiæ & eloquentiæ, & tantæ eminentiæ, vt per eam velut armis validiſſimis ab hoſtium impugnationibus liberemur,& de ipſis victores euadamus,& quòd *melior ſit ſapientia,quàm arma bellica,* vt Salomon dixit Eccle 9,18. cùm abſque labore vel animi perturbatione de hoſtibus triumphet.

Moyſes quare eloquentia defectus renuerit ire ad Pharaonem.

Altera difficultas eſt, quòd Moyſes, electus à Deo vt educeret Iſraëliticum populum de Ægypto,& introduceret per medios hoſtes, & ad hoſtes in Terram promiſſionis, eiuſmodi prouinciam ideò præciſè ſubire detrectauerit, quòd non eſſet eloquens. ita enim dixit ad Dominum:*Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius,*&c. Sed quid ais,bone vir? An linguâ tuâ debes populum educere, & illâ velut gladio interficere hoſtes? Validiſſima eſt manus tua, qua paucos ante annos oppreſſorem Ægyptium pro fratris liberatione interfeciſti: hac ipſa dilectum liberabis populum. Sapientiſſimè verò locutus es: noueras ſiquidem, Dux prudentiſſime, in bello linguam, id eſt eloquentiam, ad victoriam comparandam efficaciorem eſſe ipſo gladio vtraque ex parte acuto; atque ideò annuit Dominus, & ſuam tibi pollicitus eſt præſentiam,

Digitized by Google

tiam, fratriſque Aaronis eloquentis adiunxit adiutorium. *Perge* (dixit ad te Dominus) *& ego ero in ore tuo: docebóq; te quid loquaris*, Exodi 4,12. item: *Aaron frater tuus Leuites, ſcio quòd eloquens ſit: ecce ipſe egreditur in occurſum tuum, videnſq; te lætabitur corde. Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius: & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & oſtendam vobis quid agere debeatis. Ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent*, verſ. 14. Hoc auxilio eduxiſti populum de Ægypto, & in deſerto à multis periculis liberaſti: & niſi incredulitas peccataque alia obſtitiſſent, introduxiſſes etiam in Terram promiſſionis. Simili etiam clypeo ſtrenuus dux Iudas Machabæus ſuos muniuit milites, & glorioſum de fero & potenti hoſte retulit triumphum, vt in ſecundi Machabæorum libri capite decimo quinto legitur.

Eadem porrò Terra promiſſionis, quando poſtremùm ſub Godofredo per Chriſtianos de manibus infidelium erepta fuit, nónne eam expeditionem primùm vrſit Petrus Eremita vir eruditus, ſumma dicendi facundia præditus, ſi fidelibus illorum temporum Hiſtoricis, Guilhelmo Tyri Archiepiſcopo & Paulo Æmilio credere volumus? Et numquid eamdem expeditionem plurimùm diſertiſſimis ſuis concionibus promouit doctiſſimus & facundiſſimus Pontifex Maximus Vrbanus II? Certè in Reuelationibus S. Birgittæ lib. 8. cap. 43. inuenimus, præceptum fuiſſe Regibus proficiſcentibus contra paganos, vt habeant duo vexilla, alterum paſſionis, alterum iuſtitiæ Dei, & vt ſecum ducerent Clericos & Religioſos diuerſorum Ordinum, litteratos, virtutibus & pietate inſignes, qui in difficultatibus emergentibus poſſint infidelibus, præſertim in his quæ ſunt fidei, ſufficienter reſpondere. In Concilio item Lugdunenſi ſub Innocentio IV. coacto propter Cruciatam, eiuſmodi viri docti præſupponuntur, dum ſequentia ait Pontifex: *Sacerdotes autem, & alij Clerici, qui fuerint in exercitu Chriſtiano, tam ſubditi quàm Prælati, orationi & exhortationi diligenter inſiſtant, docentes eos verbo pariter & exemplo, vt timorem & amorem Domini ſemper habeant ante oculos, ne quid dicant aut faciant, quod æterni Regis maieſtatem offendat. Et ſi quando in peccatum lapſi fuerint, per veram pœnitentiam mox reſurgant, gerentes humilitatem cordis & corporis, tam in victu quam in veſtitu mediocritatem ſeruantes, diſſenſiones & æmulationes omnino euitando, rancore & liuore penitus relegatis; vt ſic ſpiritualibus & materialibus armis muniti, aduerſus hoſtes fidei ſecuriùs prælientur, non de ſua præſumentes potentia, ſed de diuina virtute ſperantes*, &c. Quod priùs in Iſraëlitico exercitu iuſſu Domini nouimus obſeruatum, quando præceptum fuit Sacerdotibus vt clangerent buccinis, & militibus animum adderent: & ex omnibus hiſtorijs, quantum in bellis profuerint huiuſcemodi viri, manifeſtum apparet.

Et quemadmodum horum præſentia militi robur, animos & vires addit, ita è contrario eorum defectu & abſentiâ iactura magna timenda eſt, & deſperanda omnis ſalus. Prædicens Dominus per Iſaiam vniuerſalem Ieroſolymæ deſolationem, inter cetera quæ comminatur, hoc vnum veluti præcipua cauſa eſt, quòd ablaturus ſit ſapientes & eloquentes. *Auferet*, inquit, *prudentem eloquij myſtici*, Iſaiæ 3, 3. id eſt, vt ex Hebræo legunt alij, *intelligentem eloquij*, eloquentem inquam Oratorem, quia huiuſmodi præſentia multùm prodeſt ad conſeruationem, vt dictum eſt. Simile eſt etiam illud quod idem Deus comminatus fuit per Ezechielem, dicens: *Et tu fili hominis, ecce data ſunt ſuper te vincula, & ligabunt te in eis; & non egredieris de medio eorum. Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir obiurgans: quia domus exaſperans eſt*, Ezech. 3, 25. Ecce vincula, carceres & deſolatio, ex alloquij defectu. *Defectus Oratorum noxius.*

Hoc ipſum eleganti parabola mihi videtur Demoſthenes explicuiſſe. Fertur, quòd cùm Philippus Macedonum Rex obſideret Athenienſes, eiſdem promiſerit, ſe ab obſidione receſſurum, ſi decem Oratores à ſe eligendos ſibi concederent. Demoſthenes calliditatem Regis intelligens, velle nimirum ob abſentiam ſapientum Oratorum Athenienſes ſibi penitus ſubijcere, eiuſmodi propoſita parabola reſponſum dedit. Lupi aliquando dixerunt paſtoribus: Vnica cauſa quòd inimicitiæ ſint inter nos & vos, ſunt canes. Poteſtati noſtræ permittite canes, & erimus poſthac amici. Quo facto, lupi nocturno tempore, cùm paſtores ſomnum capere cernerent, gregem inermem inuaſerunt, & ouiculas dilacerarunt. Ita quoque illi Reipublicæ & exercitui, à quibus abſunt vel ablegantur Oratores, qui tam in ſacris quàm profanis litteris nomine canum intelliguntur, certa imminebit pernicies: quæ ne ſequatur, ſemper iſti in promptu debent haberi.

Septimò, quod ab huius ſacræ militiæ Ducibus & militibus obſeruari velimus, eſt, vt vera pœnitentia concepta, & Sacramentali confeſſione facta, pro viatico tam laborioſæ & moleſtæ peregrinationis deuotè ſa- *Septimum. Euchariſtiam dignè ſuſcipiant.*

crosanctum ac venerandum Eucharistiæ Sacramentum percipiant, & incruentum Sacrificium offerant. Vt enim quondam Elias subcinericio pane (qui huius Sacramẽti fuit figura, gustato, à deserto Bersabeæ ad Horeb vsque montem vegetus peruenit; ita isti huius cælestis cibi fortitudine hilares ascendent ad montem sanctum Sion, & electam ciuitatem Ierusalem, eodemque velut gladio profligabuntur & trucidabuntur hostes, haud secùs quàm olim subcinericio pane prosternebatur validissimus ille Madianitarum exercitus, vt Israëlitæ victores euaserint, vt in libro Iudicum legimus. Et profectò, si Numa Pompilius tantam virtutem inesse credebat gentilibus sacrificijs, vt dicenti sibi, *Hostes contra te, ô Numa, bellum comparant*, responderit, *At ego sacrifico*; ac si dixisset, Præstò mihi sunt arma, quibus hostium retundam conatus, sacrificium & oratio: quantò magis id credere debent nostri milites de vero ac augustissimo Eucharistiæ sacrificio, & de humili ac fideli oratione? Quis enim non speret contra quoscumque se præualiturum, si in se panem viuificum, panem fortium, ipsamque Dei fortitudinem receperit? Equidem huiuscemodi tamquam leones ignem spirantes, à sacra mensa recedunt, ipsimet diabolo facti terribiles, vt Chrysostomi verbis loquar. Et quis offerendo Patri vnigenitum Filium suum, dubitabit se consecuturum ab eo id quod in nomine eiusdem Filij petierit?

Eucharistiæ virtus.

Perpulchram & elegantem huius veritatis figuram habemus in primi Regum capite 17. vbi legimus, Dauidem adolescentulum non alijs armis quàm lapide (Eucharistici panis figura) de immani gigante retulisse triumphum. Congressurus nimirum cum fortissimo hoste inermis adolescens, *tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus*, inquit sacer Textus, *& elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit aduersum Philisthæum*, 1. Regum 17, 40. Philo Hebræus in suis Bibliis antiquitatibus tradit, Dauidem in quinque illis à se collectis lapidibus descripsisse nomina hominum magis celebrium, qui vmquam in mundo fuerint, in primo Abrahæ nomen, in secundo Isaac, in tertio Iacob, in quarto Moysis, in quinto denique nomen fortissimi, id est Iosue, quod in Hebræo idem est quod nomen IESV. Et quonam ex istis lapidibus percussit & deiecit Dauid Philisthæum? vtique illo in quo erat nomen IESV descriptum, quia ille vltimò in peram missus fuit, igitur primò fuit extractus & proiectus, atque eodem gigas fuit percussus. & ita ipse ad gigantem dixit: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum*, 1. Reg. 17, 45. quia in albo illo & limpidissimo lapide nomen IESV exaratum erat, qui expresè sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum repræsentabat, prout baculus sanctam Crucem, lapidis candor candida sancti panis accidentia, nomen IESV præsentiam Saluatoris. Ac ideò prudens & sapiens adolescens illum posuit in *pera*, vbi pastores panem recondunt, ac si manifestiùs dixisset, Hic est panis fortium, cuius virtute roboratus triumphum referam de hostibus meis. Quod alibi, eius iam virtutem expertus, manifestiùs dixit: *Parasti in conspectu meo mensam, aduersùs eos qui tribulant me*, Psal. 22, 5. Sed illud in Apocalypsi clarius: *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptũ*, Apoc. 2, 17. Per album inscriptumque lapidem aliud non intelligitur, niti sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod datur illis, qui de proprijs passionibus alijsque animæ hostibus glorioſum referunt triumphum, inquit Hugo Cardinalis. Si ergo Dauid sola Crucis & Eucharistiæ figura animatus & armatus, impauidus & de victoria securus, processit contra immanem ac ferum hostem, illumque contra aliorum spem interfecit, & triumphum retulit; quantò magis nostri sacri milites, veræ Crucis vexillo protecti, & vero Corpore Domini pasti & roborati, securi incedere poterunt contra Turcam superbissimum hostem, & non minùs quàm Dauid de Philisthæo, de illo victoriam consequentur? sed de Cruce statim.

Virtute Eucharistiæ Dauid Goliam deiecit.

Recipiant insuper à Summo Pontifice omnium peccatorum suorum indulgentiam plenariamque remissionem, & sacra Ecclesiastarum exhortatione animati, vexillo Crucis interiùs & exteriùs assumpto (secundùm Redemptoris nostri consilium, dicentis, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, Matth. 16, 24. & secundùm promissum Isaiæ, qui dicit, *Leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israël*, Isaiæ 11, 12.) in Christi nomine, sub Duce illius vices gerente, bella Domini aggrediantur. Hæc præfigurata inuenio in his quæ acciderunt in eductione Hebræorum de Ægypto per Moysen & Aaron, vt ad Terram sanctam introducerentur. Priùs enim Moyses, accepto à Deo legationis mandato, & populi Israëlitici Dux constitutus, per virgam illam prodigiosam explicatâ sanctæ Crucis figurâ, vt sancti Patres docent, velut

Remissionem peccatorum & crucem suscipiant.

vexillo,

Digitized by Google

vexillo, perrexit ad Pharaonem, & filios Iſraël in Ægyptum: quos etiam inde eduxit, quod liberationem à peccato; poſt afflictiones varias, quæ pœnitentiam; poſt eſum agni, qui Euchariſtiæ ſumptionem præfigurabant. Ioſue item, quando oppugnauit Regem Hai, vt regionem ab illo infeſtam populo Dei aſſereret, ex Dei mandato clypeum, Dominicæ Crucis figuram, vt Doctores ſacri docent, in ſublime erexit, vt poſteri intelligeremus, eleuandum eſſe vexillum ſanctæ Crucis pro eiuſdem Terræ è manibus impiorum recuperatione. Et hæc omnia quidem ipſo facto completa fuerunt, quando eadem per Chriſtianos ſub Godofredo ab infidelium poteſtate erepta ſunt, vt pluribus videre eſt in Guilielmo Tyrio lib. 1. de Bello ſacro, cap. 15. Et dubio procul etiam modò à noſtris recuperaretur, ſi quæ propoſuimus fideliter & piè exequerentur.

Octauum. Cuſtodiatur pax & concordia.

Octauum denique, quod in ſacra militia obſeruari vel potiùs conſeruari optarim, eſt mutua Principum & militum pax atque concordia. Stent ſimul iunctis animis, pari voluntate, pari conſilio; & nemo illis poterit reſiſtere, deque numeroſiſſimis hoſtibus, etſi pauciores, cum Dei auxilio triumphabunt; adimplebiturque quod olim cecinit Anna Samuelis mater: *Arcus fortium ſuperatus eſt*, id eſt, peccatorum & infidelium, humanis viribus pollentium, *& infirmi*, id eſt pij fideles, *accincti ſunt robore*, id eſt virtute Dei, & victores euaſerunt, 1. Regum 2, 4.

Vbi pax, ibi Deus.

Ratio huius eſt manifeſta; quoniam hæc eſt Domini noſtri ſententia: *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum* ego ipſe Dominus cum Angelorum exercitibus *in medio eorum*, pro tutiſſimo propugnaculo, Matth. 18, 20. Quare ergo timebunt faciem potentis? Nec Turca, nec quiuis alij mundi & inferorum hoſtes prævalere ijs poterunt. *Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me*, dicebat quidam, qui hominum & dæmonum furorem & rabiem in ſe expertus fuerat, ſanctus nimirum Iob, cap. 17, 3. & quidam alius: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos*, Pſalmo 117, 6. & iterùm: *Dominus ſuſcepit me. Non timebo millia populi circumdantis me*, Pſal. 3, 6. & 7. Ideò optimè Eliſeus, cùm Dothan ciuitas equitibus, curribus & omni robore exercitus Regis Syriæ eſſet circumdata, & propterea admodum ſibi timeret Rex Iſraël, ad eum dixit: *Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis*, 4. Regum 6, 15. quia Deum cum Angelis eius præſentem habebat, qui & ciuitatem illam ab exercitu hoſtili liberauit, vt pluribus explicatur eodem quarto Regum cap. 6. Egregiè, & magno noſtro militumque noſtrorum ſolatio dixit quidam Propheta: *Dominus Deus auxiliator meus, ideò non ſum confuſus: ideò poſui faciem meam vt petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar. Iuxtà eſt qui iuſtificat me, quis contradicet mihi? Stemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis eſt qui condemnet me? Ecce omnes quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos*, Iſaiæ 50, 7. & ſeqq.

Apoſtoli præmittuntur concordiæ muniendæ.

Saluator etiam noſter miſſurus Apoſtolos ſuos inermes, & ſicut agnos inter lupos, ad expugnandum mundum, illumque à diriſſimis interni hoſtibus & diaboli ſeruitute liberandum, & ſuo ſuaui iugo ſubijciendum, Patrem ſuum rogabat, vt charitate & concordia eſſent vnum, ſicut & ipſe cum Patre vnum eſſet: & S. P. Dominicus, qui ad debellandum mundum vnà cum Seraphico P. Franciſco electus fuit, vt videlicet à diaboli laqueis, quibus totus erat implicitus, liberaretur, quoniam cum viſibilibus & inuiſibilibus hoſtibus erat dimicandum, cùm Franciſcum aliquando in Eccleſia vidiſſet, in oſcula ſancta & ſinceros amplexus ruens ei dixit: *Tu es ſocius meus, tu curres pariter mecum: ſtemus ſimul, & nullus aduerſarius prævalebit.* Ita ſcribit S. Antoninus Part. 3. Hiſt. cap. 16. & habetur in Chronico Minorum Part. 1. lib. 1. cap. 46.

S. Dominicus ad vnionem hortatur ſanctum Franciſcum.

Sed ne à ſcopo receſſiſſe videamur, aduerto, id nobis indicatum fuiſſe in duobus illis exploratoribus, miſſis à Ioſue ad explorandum vrbem Iericho & eius campeſtria: qui non diſcordes, vt fuerant alij duodecim anteà à Moyſe miſſi, de quibus Numerorum cap. 13. ſed concordes fuerunt, in recte referendo quæ vidiſſent, & exhortando populum ad tranſitum Iordanis, terræque illius acquiſitionem; quorum etiam beneficio & concordia factum fuit, vt illam ſibi comparauerint Hebræi. Igitur & noſtri Chriſtiani Principes, & omnes huius ſanctæ militiæ bellatores, ad horum & ſimilium imitationem mutuam pacem conſeruent, & concordiam ad inuicem perpetuò ſectentur, & Dominus in manus eorum tradet Turcam, ſanctam ciuitatem Ieruſalem, & totam Terram ſanctam.

CAPVT LXXX.

Obiectio diluitur quæ fieri posset contra ea quæ dicta sunt Capite LXXVIII. *in quinto Notabili.*

OBijciet fortasse quispiá contra ea quæ suprà Cap. LXXVIII. in quinto Notando obseruauimus: quo tempore bellum hoc sacrum geritur à fidelibus contra infideles, à Prælatis Ecclesiasticis indicuntur ieiunia, orationes & supplicationes, vt compertum est, & ratio exigit, & videre licet in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & apud Baronũ Tom. 12. sub anno Christi 1187. & 1188. & nos suprà in Bullis Pontificum ostendimus, vt hoc pacto, si fortè milites, ob alios itineris & belli labores & molestias, ita perfectè, quàm deberent, non possint eisdem sanctis operibus vacare, pro ipsis satisfaciat sancta mater Ecclesia, vt scripsit S. Augustinus Epist. 207. ad Bonifacium: *Alij pro vobis orando pugnent contra inuisibiles inimicos, vos pro eis pugnando laboratu contra visibiles barbaros.* Et tamen res illa non semel malè successit, multiúque frequenter ex nostris à paucis hostibus superati sunt, vt in historijs videre est. Numquid ergo cum Iudæis poterimus conqueri, & dicere: *Quare ieiunauimus, & non aspexisti, humiliauimus animas nostras, & nescisti?* Isaiæ 58, 3. Et: *In his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta,* Isa. 5, 25. *Quàm patienter interim* (ait D. Bernardus lib. 2. de Consider.) *adhuc audit voces sacrilegas, & Aegyptios blasphemantes, quia callidè eduxit eos, vt occideret in deserto?* Et quot perierunt media, fame, gladio, & alijs incommodis in bello illo gesto sub Bullione, vt alia omittam? *Et quidem iudicia Dei vera, quis nesciat?* Subdit S. Doctor: *At iudicium hoc abyssus tanta, vt videar mihi non immeritò pronuntiare beatum, qui non fuerit scandalizatus in eo. Quomodo tamen humana temeritas audet reprehendere, quod minimè comprehendere valet? Recordemur supernorum iudiciorum, quæ à sæculo sunt, si fortè sit consolatio. Nam quidam ita dixit: Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo Domine, & consolatus sum. Rem dico ignotam nemini & nunc nemini notam. Nempe sic se habere mortalium corda, quòd scimus cùm necesse non est, in necessitate nescimus. Moyses educturus populũ de terra Aegypti, meliorem illis pollicitus est terram. Nam quando illam aliter sequeretur populus solam sapiens terram? Eduxit, eductos tamen in terram quam promiserat non introduxit. Nec est quòd Ducis temeritati imputari queat tristis & inopinatus euentus. Omnia faciebat Domino imperante, Domino cooperante, & opus confirmante sequentibus signis. Sed populus ille, inquis, dura ceruicis fuit, semper contentiosè agens contra Dominum, & Moysen seruum eius. Eenè illi increduli & rebelles. Hi autem quid? ipsos interroga. Quid me dicere opus est, quod fatentur ipsi?* Hæc ex D. Bernardo.

Quare, tùm tempore belli ieiunetur, oretur, &c. nihilominùs plurimi fideles expugnentur.

Scimus quando necesse non est, & non quando oportet.

Quæ porrò subiungit idem Sanctus, postea adducemus pro ornamento & sigillo propositæ difficultatis, & præsentis Capitis coronide: interim prosequemur quod superiùs incepimus. Non sat est, hostem vnum expugnare cum qui à pluribus oppugnatur. Non prodest ad victoriam, fortissimos superare hostes, & posteà à debili vinci & superari. Quid profuit Sisaræ retulisse victoriam de populo Dei, & se extulisse ob fortitudinem & numerositatem cõpiarum suarum, cùm actus fuerit in fugam ab infirmiori exercitu, & cuius dux erat in bellis femina, atque ipse insuper ab imbelli femina, clauo tabernaculi per caput eius adacto, interfectus fuerit? Quid profuit Abimelech, tot aduersarios interfecisse, tot hostium strages edidisse, toties fortiter pugnasse, cùm ipse posteà à vili femina vnius molæ fragmine oppressus & interemptus fuerit? A nemine vinci, & omnes superare debet, qui gloriosam vult referre victoriam.

Responsio. Omnes omnino hostes expugnandi sunt ei qui victoriam consequi vult.

Cùm igitur sacri nostri milites non contra vnum, sed contra plures hostes bellum assumant; cùm, inquam, non tantùm contra Turcam, sed etiam contra carnis vitia, & peruersas sensus inclinationes, cõtra auaritiam, superbiam, honorum & aliarum rerum temporalium appetitum illis pugnandum sit; nisi cum illo & hos superent hostes, numquam integra victoria de hostibus eis adscribenda est, numquam ad Terræ promissæ possessionem deuenient, sed ab eadem magno cum damno, infamia, ignominia & dedecore excludentur.

Et hæc doctrina confirmari potest ex responsione Domini ad illam quam suprà ex Isaia adduximus Iudæorum querimoniam. Dixerant illi Domino: *Quare ieiunauimus*, &c. Respondet ille: *In die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra*; ecce superbia: *& omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè*, &c. ecce cupiditas & auaritia, quibus cum viriliter non restiterint, sed victi ab eisdem fuerint, non mirum si illos Dominus non exaudiuerit.

Placet eamdem doctrinam insuper explicare illa Saluatoris nostri de decem virginibus parabola, secundùm auream S. Ioannis Chrysostomi interpretationem. Legimus, quinque ex illis fuisse à nuptijs exclusas, quoniam licet de maiori hoste, id est, de

Fatua virgines à nuptijs quare exclusæ.

Digitized by Google

de ſenſualitate triumpharint, quia virgines perſtiterunt, omnes tamen à minori hoſte, id eſt, auaritia & inhumanitate, adde & cum D.Gregorio,iactantia, ſuperatæ fuerunt. Inquit igitur Chryſoſtomus Hom.79. in Matthæum,poſt initium: *Quoniam igitur & magna res erat (virginitas) ac de ea apud multas magna erat exiſtimatio; ne quis ea perfecta, ſe totum perfeciſſe putaret, ac cetera negligeret, hanc parabolã propoſuit, vt oſtenderet, virginitatem, quamuis cetera habeat, ſi miſericordiæ bonis caruerit, cum fornicatoribus eijci. Ac meritò quidem inhumanum & miſericordia carentem cum illis collocat. Fornicator enim corporum, iſtæ verò pecuniarum cupiditate vincuntur. Non eſt autem corporum & pecuniæ par cupiditas, ſed acrior multò atque vehementior illa corporum eſt. Quantò igitur cum imbecilliore luctantur, tantò minùs venia dignæ ſunt, ſi vincantur. Idcircò etiam fatuas appellauit: quoniam maiori certamine ſuperato, in faciliore totum perdiderunt*, &c. Et D.Gregorius, *Ecce*, inquit Homil.12.in Euangelia, *Redemptoris voce decem virgines, & omnes dicuntur virgines, & tamen intra beatitudinis ianuam non omnes receptæ ſunt: quia earum quædam dum de virginitate ſua gloriam foris expetunt, in vaſis ſuis oleum habere noluerunt*, &c. Perinde Hebræis de Ægypto egreſſis euenisſe nouimus, vt intrarent in Terram ſuis patribus repromiſſam. Submerſo namque licet Pharaone in Mari rubro, & Amalecitis gente bruta expugnatis (quibus diabolum & prauos ſenſualitatis motus poſſumus intelligere) quia tamen non ſimiliter de alijs forte minoribus hoſtibus triumpharunt, omnes ferè illi qui ex Ægypto egreſſi fuerãt, ab ingreſſu illius Terræ prohibiti, omnes inſuper in deſerto nati detenti fuerunt, vagiq́ue quadraginta annis per deſertum oberrarunt, interim ab hoſtibus ſuis pluries oppugnati & expugnati.

Iſraelitæ quare ad Terram promiſſam haud peruenerint.

Sed vnum & alterum tantummodò de ſuperbia, ambitione & cupiditate exẽplum proferamus, ne in his plus æquo orationem protrahamus. Prius habemus in libri Numerorum cap.16.de Core, Dathan, Abiron, & Hor, qui ſuperbè ſe extulerunt contra Moyſen & Aaron cum alijs ducentis quinquaginta viris Synagogæ Proceribus, qui omnes ſibi arrogabant Sacerdotalem dignitatem: at repreſſi fuerunt igne de cælo emiſſo, & terra eos cum vxoribus, filijs, tabernaculis, & omnibus ad illos pertinentibus deuorante: & præter hos ſtatim percuſſi fuerunt quatuordecim millia hominum & ſeptingenti.

Exemplum ſuperbiæ.

Poſterius exemplum de rerum temporalium cupiditate accipe ex libri Ioſue cap.7. Cùm aliquando Ioſue cum multis Hebræis contra pauciſſimos hoſtes pugnaſſet, terga cum ſuis vertere coactus fuit; vnde nimius terror Iſraëlitas inuaſit, & animus illorum planè concidit. Ioſue verò de ſalute populi admodum ſollicitus, ſciſſis veſtimentis ſuis, pronus cecidit in terram coram Arca Domini vſque ad veſperam (quod & cum eo faciebãt pleriq; Primores populi) & ad Deum conuerſus dicebat: *Mi Domine Deus, quid dicam, videns Iſraëlem hoſtibus ſuis terga vertentem? Quid facies magno nomini tuo? Dixitq́; Dominus ad Ioſue: Surge, cur iaces pronus in terra? Peccauit Iſrael, & prænaricatus eſt pactum meum, nec poterit ſtare ante hoſtes ſuos, eoſq́; fugiet, quia pollutus eſt anathemate*, Ioſue 7.e verſibus 8,9,10,11, & 12. Ecce cupiditas, quæ populum vicit, & hoſtibus dedit victoriam. Hæc verò dixit Dominus, cùm vnus dumtaxat à Iſraëlitarum pallium coccineum, & ducentos ſiclos argenti, regulamq́ue auream, quæ in hoſtium caſtris ſupererant, ſibi collegiſſet, & in terram abſcondiſſet. Res quidem conſideratione & attentione digniſſima, videre miſericordiarũ parentem Deum (quamuis alioqui in exercitu illo multi viri probi eſſent) propter vnius tamen cupiditatis peccatum, auxilium ſuum & fauorem omnibus denegaſſe. Atque vt ſcelus magis exaggeraretur, cùm vnus tantùm deliquerit, nihilominùs omnem Iſraëlem deliquiſſe Dominus dixit. Ac denique propter furtum ab vno commiſſum, omnis exercitus ſuperatus fuit. Iudicia quidem hæc Dei ſunt incomprehenſibilia, & multùm formidanda. Ad idem mirabiliter facit quod legitur 2.Mach.12,40.

Cupiditas.

An non ſimile aliàs etiam accidit in Chriſtianorum exercitibus, & noſtris hiſce calamitoſis temporibus idem in caſtris noſtris euenire cernimus? Tot olim fuerunt & ſunt modò adhuc in Eccleſia Catholica pij ac religioſi viri, tot Sacerdotes ſancti, tot Monachi multis virtutibus ornati, tot puriſſimæ virgines, tot denique ſancti coniuges, cælibes item vtriuſque ſexus, qui omnes ieiunijs, orationibus, alijſq́ue bonis operibus Deum offenſum placare ſtudent, eiuſq́ue implorant auxilium; & tamen illud negat Deus, & inexorabilem ſe præbet. Et prædantes prædantur, & diuitias quas deuorarunt euomunt, & de ventre eorum extrahit eas Deus. Et quare? Non propter vnius Achami furtum, ſed propter plurium militum latrocinia, ſtupra, ſacrilegia, & alia cuiuſcumque generis flagitia, quibus (ſecluſa fide) non dubito quin impietate ipſos infideles ſuperẽt, quæ ſimul cum oppreſſis pauperibus clamant ad Deum pro vindicta: ex-

Sceleta peccatorum orationes Sanctorum impediunt.

audienſque Dominus, facit illos à vilibus & deſpectis vinci & expugnari.

Vtinam hæc Principes Chriſtiani ſaperent, intelligerent, ac delinquentes puniendo, prouiderent ne ipſi vnà cum illis magno cum dedecore, & damno Chriſtianæ Reipublicæ, punirentur à Domino! Vtinam prudentiſſimum pariterque ſanctiſſimum Ducem Ioſue imitarentur, qui vt Deum placaret, delinquentem militem accerſiuit; & vt crimen ſuum vltrò confiteretur, blandis & amorem præ ſe ferentibus verbis in hunc modum cohortatus eſt: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid feceris*, Ioſue 7, 19. Confeſſus eſt ille peccatum, punitus fuit, & Deus placatus eſt.

Altera cauſa, quare non ſemel Chriſtianorum exercitus, etſi numeroſiſſimi, à minori numero infidelium ſuperentur & fugentur, ita vt videatur Dominus contra illos facere iudicium ſine miſericordia, eſt Principum Chriſtianorum diſcordia. Hanc cauſam præfiguratam video non ſolùm in contentione illa quam excitarant olim Dathan & Abiron, de qua ſuprà; ſed & in alia populi Iſraelitici, quando egreſſus ex Ægypto, proficiſcebatur ad promiſſionis Terrã, & ſingulariter in illis duodecim Principibus viris ad contemplandum Terram Chanaan a Moyſe iuſſu Domini miſſis, quorum fit mentio in libro Numerorum. Hi enim impleta legatione ſua reuerſi ad Moyſen & populum in deſertũ, diſſentione & ſchiſmate ſuo, dum nempe pauciores ex illis ad Terram promiſſam inuadendam populum ſunt exhortati, potior verò pars, ſummis difficultatibus propoſitis, idem diſſuaſit, in cauſa fuerunt vt omnes à Deo puniti fuerint, &, Ioſue & Caleb exceptis, nullus ex ijs qui ex Ægypto profecti erant Terram promiſſam intrauerit.

Diſcordia Chriſtianorum Principũ victoria infidelium.

Hanc rationem didici ex D. Bernardo initio libri 2. de Conſideratione, vbi de ſimili euentu agit hiſce verbis: *Non pepercit populo ſuo, non ſuo nomini. Nonne dicunt in gentibus, Vbi eſt Deus eorum? Nec mirum: Eccleſiæ filij, & qui Chriſtiano cenſentur nomine, proſtrati ſunt in deſerto, aut interfecti gladio, aut fame conſumpti. Effuſa eſt contentio ſuper Principes, & Dominus errare fecit eos in inuio, & non in via. Contritio & infelicitas in vijs eorum. Pauor & mœror, & confuſio in penetralibus Regum ipſorũ. Quàm confuſi ſunt pedes euangelizantium pacem, annuntiantium bona! Diximus pax, & non eſt pax: promiſimus bona, & ecce turbatio.* Hæc S. Bernardus. Sane Spiritus ſancti gratia in die Pentecoſtes non venit ſuper diſperſos Apoſtolos, ſed ſuper vnanimes & concordes, cùm nimirum eſſent omnes pariter in eodem loco; & ſic demum de mundo & diabolo victoriam retulerunt. Igitur & Principes, & milites noſtri, ne confundantur, ſed gloriam & honorem reportent, omnia deteſtentur ſcelera, & pacem & concordiam ſectentur.

CAPVT LXXXI.

Dubium nonnullum opponitur & diluitur. Item de quinque conditionibus, quas obſeruare debent ſacri milites in ipſo cum hoſtibus infidelibus congreſſu.

DVbium hìc oriri poſſet, Num Chriſtiani Principes, antequam Turcis pro Terræ ſanctæ recuperatione bellum inferant, debeant illos præmonere, vt, ſi velint pacificè reſtituere, cædibus & plurimorum etiam innocentium ſanguini parcatur; aut ſin minùs, bellum ei legitimè denuntiare.

Et videbitur alicui quòd ſic, idque ob triplicem rationem. Primò, quia ſic videtur Dominus præcepiſſe, dum ſic ait: *Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit, & apernerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt, ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & ceperit contra te bellum, oppugnabis eam*, &c. Deut. 20, 10.

Secundò, quia S. Auguſtinus Epiſt. 205. ad Bonifacium Comitem ait: *Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas*, vel, vt refertur apud Gratianum c. Noli. 23. q. 1. *Pacem habere, voluntatis eſt; bellum autem debet eſſe neceſſitatis.*

Tertiò, quia ita videntur ſentire Theologi, dum docent, Principes non debere ſtatim inferre bellum offenſiuum, etiamſi conſtet de iuſtitiæ cauſa; ſed priùs debere condignam ſatisfactionem exigere: quæ ſi offeratur, à bello abſtinere debere. Ita Caietanus, Ioannes Maior, Driedo, quos ſequuntur Molina, & alij.

Diſtinctione præmiſſa, & duplici poſita Concluſione, dubio huic reſpondebimus.

DISTINCTIO eſt. In caſu propoſito vel loquimur de tempore præcedente exercitus inſtructionem, vel de ſequenti, quando omnia parata ſunt, & aliud non remanet niſi vt cum hoſte confligatur.

Loquendo de priori tempore, ſit

PRIMA CONCLVSIO. Chriſtiani Principes non tenentur nec debent ante exercitus inſtructionem hoſtem præmonere, an abſque bello & ſanguinis effuſione Terram ſanctam, quam contra iuſtitiam retinet, reſtituere velit. Probatur multipliciter. Primò, quia certiſſimò ſibi perſuadere debent noſtri Principes, tantum abeſſe vt Turca ſit

Ante exercituum inſtructionem nulla eſt admonitio hoſtium.

Ter-

Digitized by Google

Terram ſanctam reſtituturus, vt potiùs eos ſit ludibrio & deſpectui habiturus, tum quia putat ſe illam iuſto bello acquiſiuiſſe, tum quia ſuperbus eſt, nimiùm confidens in potentia ſua, & ſe extollens in multitudine exercituum & theſaurorum ſuorum. Secundò, quia optimè ſciunt fideles Principes, Turcam aſſiduè conari inuadere & occupare reliquas Chriſtianorum terras, atque ipſo facto inuadere: quomodo ergo ſperare poſſunt, eum reſtituturum eas quas ſecurè & pacificè poſſidet? Tertiò, quia quando alias pro ſimili cauſa bellum illi indictum fuit, ſemper ad ſanguinem vſque reſtitit; nec legimus, quando in eum motũ fuit bellum, priùs fuiſſe admonitum: & in moralibus prudentium ſapientiumque facta imitari debemus. Quartò, ſi de his Turca certior redderetur, ſe magis muniret, quod in maius damnum noſtrorum vergeret. Denique, ſi in iuſto bello vti inſidijs licet, ſecluſo mendacio & perfidia, vt docent Doctores, & ex Scriptura ſuppetunt exempla (Ioſue enim ex mandato Dei vſus eſt inſidijs contra vrbem Hai, & Iudith contra Holofernem) igitur & ſilentio rem agere poſſumus, ne detegentes hoſti noſtra conſilia, arma eidem ſuggeramus. Ergo non debent noſtri Principes ante expeditionẽ ſanctam Turcam admonere; atque ideò huius mentionem non fecimus, cùm ſuprà de obſeruandis ante congreſſum cum hoſte ageremus.

Loquendo de tempore ſequenti ordinatam expeditionem, quando videlicet iam conſerendæ eſſent manus, ſit

Inſtructo exercitu, priuſquam hoſtem aggrediantur, debet quærere quod ſunum eſt.

SECVNDA CONCLVSIO. Principes Chriſtiani iam inſtructi ab hoſte expoſcere debent iuſtam ſatisfactionem, & rei ſibi iniuſtè ablatæ iuſtam reſtitutionem: quam ſi exhibeat, ab vlteriori bello abſtineant, ſi non, continuò arma inferant.

Hanc Concluſionem mihi probare videntur argumenta priùs in contrarium adducta. Et profectò ſi Turca quod peterent concederet, & Chriſtiani nihilominùs bellum ei inferrent, contra charitatem & contra iuſtitiam facerent. Et hæc ſit prima conditio ex his quas ſeruandas exiſtimamus à noſtris Principibus & ſacris militibus poſt ordinatam expeditionem. Quod, præter præceptum diuinum, obſeruatum etiam nouimus non ſolùm à Chriſtianis, ſed ab ipſis Ducibus gentilibus, vt Alexandro & alijs, vtpote rationi & humanitati valdè conſentaneum, quemadmodum experientia & hiſtoriæ docent.

Secunda conditio ſit, vt noſtri ſacri milites habeant timorem Domini, non confidentes in potentia exercitus & militum numeroſitate, ſed in virtute Dei. Ratio eſt in promptu: quia, vt ſuprà notauimus, bellum hoc bellum eſt Domini, ideò ſingulari eius virtute gerendum. Et, vt ex ſacris & profanis hiſtorijs edocemur, non ſemel multi à paucioribus expugnati & in fugam acti fuerunt. Hinc ſapienter Rex Iſrael dixit Regi Benadad de ſua potentia inſolescẽti: *Ne glorietur accinctus æquè vt diſcinctus*, 3. Reg. 20, 11. ſiue, vt elegãter legit Chaldæus, *Ne laudet ſe expeditus, & deſcendens in prælium, ſicut vir qui vicit, & aſcendens ex eo.* Quod bellè ſequentibus verbis explicauit Abulenſis: *Ille qui nondum obtinuit victoriam, ſed adhuc eſt in bello, non tantum glorietur, ſicut ille qui iam obtinuit, & ceſſauit ab illis; eò quòd quamdiu bellum durat, res eſt in periculo cui parti victoria faueat: quia ſæpè deſperatis ſolet victoria euenire. Vocatur autem accinctus, id eſt paratus ad bellum: diſcinctus verò, id eſt, qui iam depoſuit arma bellica, quibus accinctus erat, propter victoriam obtentam: quia non eſt iuſtum, quòd æqualiter glorientur de victoria, qui nondum vicerunt, ſicut qui eam obtinuerunt.* Hæc Abulenſis. Igitur cum timore & fiducia procedant noſtri milites, & victoriam dabit illis Dominus omnipotens.

Non æquè gloriandum ante victoriam, vt poſt.

Tertia conditio ſit, vt habeant patientiam & perſeuerantiam, nec terreantur tribulationibus, aduerſitatibus, hoſtiúmve audacia, contra quam à Deo ipſi precibus obtinere ſatagant fortitudinem: ne ſimiles facti filijs Ephraim, in die belli conuertantur. Non enim incipientibus, ſed vſque in finem perſeuerantibus, corona datur. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*, &c. dicitur in Apocalypſi cap. 2, 7. & S. Paulus, volens oſtendere ſibi debitam eſſe coronam iuſtitiæ, non dixit ſe cœpiſſe curſum & certamen, ſed conſummaſſe. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui; ideoq; repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*, &c. 2. Tim. 4, 7.

Perſeuerantia neceſſaria.

In titulo Pſalmi 4. & aliorum etiam appoſita fuit talis inſcriptio: *In finem.* pro qua Hebræus habet, *Victoria* ſeu *Ad victorem*, Septuaginta verò, *In finem* ſeu *In perpetuum* tranſtulerunt. Vt, inquam, indicaretur, victoriarũ præconia, de quibus in illis Pſalmis agitur, non conuenire niſi illi qui perpetuò & vſque in finem vicerit. Quod intelligens Iſraelitici populi Dux Ioſue, in oppugnanda vrbe Hai non contraxit manum quam in ſublime porrexerat, tenens clypeum ex præcepto Domini, donec interficerentur omnes habitatores Hai, vt refertur Ioſue 8. quia numquam à prælio ceſſandum eſt, donec de omnibus hoſtibus ſit obtenta victoria: ex huius etenim patientiæ & perſeuerantiæ defectu nihil proſperè ſuccedit. Filij Iſrael ſint exemplo, quorum alij prohibiti ſunt

terram

terram promiſſionis intrare, alij ab eiuſdem ingreſſu retardati, vtique ob patientiæ defectum: & qui eam ingreſſi fuerunt, hoſtibus viriliter & patienter cum Dei auxilio reſiſtere debuerunt.

Salubertimum hoc documentum S. Vates Eliſeus externo quodam ſigno demonſtrauit. Cùm enim ad eum acceſſiſſet Ioas Rex Iſraël, vt ei auxilium præberet contra Syriam, præcepit ſanctus Propheta Regi, vt cum afferret: & impoſitis manibus ſuis ſuper manus Regis, iuſſit vt aperta feneſtra verſus Orientem ſpectante, eiacularetur per eam ſagittas. Quo præſtito, dixit Eliſeus: *Sagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam: percutieſq; Syriam in Aphec, donec conſumas eam. Et ait: Tolle ſagittas. Qui cùm tuliſſet, rurſum dixit ei: Percute iaculo terram. Et cùm percuſſiſſet tribus vicibus, & ſteriſſet, iratus eſt vir Dei contra eum, & ait: Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam*, 4. Reg. 13, 17. Quo facto voluit indicare vir Dei, intrepide & vſque ad partam victoriam pugnandum eſſe, vt illius palma comparetur.

Iacob in lucta perſeuerando benedictus fuit.

Melius ſanctus Iacob ſe geſſit, qui luctans cum Angelo vſque manè, etſi ab eo percuſſus, & claudus effectus, noluit tamen dimittere illum, donec benedictionem ab eo impetraſſet, qui & benedixit eum in eodem loco.

Imperitia Chriſtianorum victoria infidelium.

Et ob huius perſeuerantiæ defectum non ſemel noſtri expugnati fuerunt ab exteris. Ita docuit S. Bernardus lib. 2. de Conſideratione, hiſce verbis: *Dico ego vnum. Quid poterant proficere, qui ſemper reuertebantur cùm ambularent? Quando & iſti per totam viam non redierunt corde in Aegyptum? Quòd ſi illi ceciderunt, & perierunt propter iniquitatem ſuam, miramur iſtos eadem facientes, eadem paſſos? Sed numquid illorum caſus aduerſus promiſſa Dei? Ergo nec iſtorum. Neque enim aliquando promiſſiones Dei iuſtitiæ Dei præiudicant. Et audi aliud. Peccauit Beniamin; accinguntur reliquæ tribus ad vltionem, nec ſine nutu Dei. Deſignauit denique ipſe ducem præliaturus. Itaque præliantur, freti & manu validiori, & cauſa potiori, & quod his matus eſt, fauore diuino. At quàm terribilis Deus in conſilijs ſuper filios hominum? Terga dedere ſceleratis vltores ſceleris, & pauciores plures. Sed recurrunt ad Dominum, & Dominus ad eos. Aſcendiſte, inquit. Aſcendunt denuò, denuoq; fuſi & confuſi ſunt. Ita Deo primùm quidem fauente, ſecundò & iubente, iuſti iuſtum certamen ineunt, & ſuccumbunt. Sed quò inferiores certamine, eò fide inferiores inuenti ſunt. Quid putas de me facerent iſti, ſi meo hortatu iteratò aſcenderent, iteratò ſuccumberent? Quando me audirent monentem tertiò repetere iter, repetere opus in quo ſemel etiam ſecundò fruſtrati forent? Et tamen Iſraëlitæ vnam & alteram non reputantes fruſtrationem, tertiò parent, & ſuperant.* Hactenus S. Bernardus.

Et profectò non niſi magna perſeuerantia, patientia, & noſtrorum media, cædibus, alijsq; incommodis ſub Godofredo Bullione recuperata fuere loca ſancta, vt ex Tyrio & alijs Hiſtoricis apparet. Quæ & denuò Deo fauente ſimili perſeuerãtia, & fortè minoribus ſuperatis incommodis, recuperarentur à Principibus noſtris. Conſiderent noſtri præcipuum Ducem Chriſtum, ſub cuius tutela militantes, de victoria dubitare non debent, ipſe enim eſt qui per Iſaiam dicit: *Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam*, Iſaiæ 45, 2.

Capta Ieroſolyma patientia paſſionum toleranda.

Hoſtes non multi faciendi.

Quarta conditio ſit, vt noſtri ſacri milites non multi faciant, imò potiùs nihili faciant aduerſarios. Hoc enim pacto magis de victoria confiſi, non de fuga, ſed de illis veluti nullius pretij exterminandis cogitabunt. Suppeterent ad huius documenti confirmationem plura ex ſacris & profanis litteris exempla, ſed vnum & alterum dumtaxat ex illis in medium proferamus.

Mirabile eſt, & omnibus notum, quod 1. Reg. 17. legimus. Dauid opilio & puer erat; non in bellando, ſed in minando gregem vſum habebat; & nihilominùs Dei fretus auxilio, contempto immaniſſimo gigante Philiſthæo, qui agminibus Iſraël exprobrabat, & totum Dei populum timere faciebat, tamquam contra canem, non arcu, gladio, aliiſve bellicis armis, ſed funda & lapide inſtructus proceſſit, eoque percuſſo, de toto ſimul Philiſthinorum exercitu triumphum retulit.

Cùm alio tempore Philiſthæi vidiſſent optimè inſtructum exercitum Iſraëlitarum, eoſdemque propter Arcæ Dei aduentum ſummè lætari audiuiſſent, initio quidem conſternati multùm timuerunt; animis tamen reſumptis audaciores facti, & quaſi ſeruos & mancipia ſua Iſraëlitas æſtimantes, aciem ſuam in ipſos direxerunt, in fugam coniecerunt, & multos ex illis trucidarunt.

Hos, & ſimiles, imitentur noſtri ſacri milites: ſpernant Turcam, & viliſſimi canis loco habeant: perſuadeant ſibi eum artem bellandi non callere, & armis omnino eſſe deſtitutum; impetum in eum faciant velut contra imbellem, & ſic demum ipſi, armis optimè inſtructi, terribiles & formidabi-

dabiles illi erunt, & Deo fauente illum expugnabunt, & omnia auferent in quibus habebat fiduciam, adeoque auferetur à populo Dei opprobrium, & Deus glorificabitur.

Ceſſandum à bello ſatisfactione data.

Quinta denique conditio hæc eſt, vt, ſi poſt bellum illatum, & victorias aliquas cum Dei adiutorio relatas, Turca offerat æquam ſatisfactionem, Terramque ſanctam ſine vlteriore bello reſtituat, ab vlteriore etiam bello abſtineant Principes noſtri, & porrò ad ſanguinis profuſionem non procedant. Scio, quoad hoc non eamdem eſſe omnium Doctorum ſententiam: Caietanus quippe, Maior & Driedo putant, Principem ad illud non teneri. Ratio illorum eſt, quòd aduerſarius, qui ante bellum inchoatum noluit præſtare debitam ſatisfactionem, ſua ſe culpa conſtituerit extra ſtatum ſatisfaciendi, & ſe poſuerit in ſtatum executionis iuſtitiæ vindicatiuæ: eo enim ipſo, quòd bellum inchoatum ſit, incipere executionem iuſtitiæ vindicatiuæ, ac proinde poſſe Principem eam perficere, ſi velit, & non teneri acceptare ſeram illam ſatisfactionem. Quod aliqui limitantes, addunt, non teneri, ſi ſit in actuali conflictu; teneri tamen, ſi ceſſauerit conflictus actualis.

At contrariam ſententiam ſequuntur Molina & Becanus, nimirum teneri acceptare ſemper, quando offertur certa & condigna ſatisfactio, non ſolùm pro iniuria ante bellum, ſed etiam in ipſo bello illata; quòd aduerſarius eo momento quo offert talem ſatisfactionem, ceſſet ab vlteriori iniuria; & pro præterita iniuria nihil amplius poſſe Principem exigere quàm quod offertur. Conſule citatos Auctores: nec enim opus eſt, vt ſemper omnia tranſcribamus. tutiùs ipſorummet ſcripta leguntur, cùm, vt vulgare illud habet,

Puriùs ex ipſo fonte bibantur aquæ.

Ad hos ergo Lectorem, bona eius cum venia, ablegamus.

Quidquid verò ſit de horum Doctorum ſententijs, ego in caſu noſtro non auderem dicere, teneri Chriſtianos ad plane ignoſcendum infidelibus Turcis, etſi traderent Terram ſanctam; ſed, vt dixi, acceptare deberent ſatisfactionem, & ceſſare à bello, ex pietate, non ex iuſtitia. Nec video, quomodo Turca poſſit iuſtam dare ſatisfactionem. Pro hoc vltimo Notabili arbitror obſeruanda eſſe quæ dicemus Capite ſequenti, Notabili quarto.

Ceſſandum verò non ex iuſtitia, ſed ex pietate.

CAPVT LXXXII.

Quid agendum ſit ſacræ Ieroſolymitanæ militiæ militibus poſt obtentam de hoſtibus victoriam, & Terram ſanctam acquiſitam.

SI Turca, iniquus Terræ ſanctæ occupator, iuſtè Dei auxilio à noſtris ſacris militibus glorioſa victoria iam ſuperatus, & eadem Terra à veris dominis recuperata fuerit, quid poſt hæc noſtri facere debent, ne illam iterùm amittant, ſed laudabiliter, pacificè & perpetuò regnent in ea? Non enim minùs inſudandum eſt pro eius conſeruatione, quàm pro recuperatione fuerit pugnatum; quoniam, vt quidam Sapiens verè dixit,

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Cùm ergo iam per plures hypotheſes in præcedentibus explicauerimus, quòd Chriſtiani Principes, & in vniuerſum fideles omnes, iuſtè, ſobriè ac piè viuere, Deum timere, & operibus bonis eum glorificare, concordiamque & pacem perpetuò ſeruare debeant, quippe cuius defectu aliàs non ſemel Chriſtianorum manibus ereptam fuiſſe Terram ſanctam ſciamus. (ea enim poſita, erit *Dominus* protector *in* medio & *circuitu populi ſui, ex hoc nunc & vſque in ſæculum*, Pſalm. 124, 2. quia *factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in* ſancta *Sion*, Pſ. 75, 3.) hoc loco ſex puncta ſingulariter obſeruanda eſſe arbitror ad imitationem Iſraëlitici populi, qui & ipſe ea obſeruauit, quando de aliquo hoſte triumphum adeptus fuit, vel dum Terram ſanctam acquiſiuit, vel denique dum eamdem, propter ſua facinora deperditam, ſingulari Dei miſericordia recuperauit.

Terra ſancta recuperata vt conſeruetur, ſex obſeruanda.

Primum punctum eſt, gratiarum actio; ſecundum, à peccatis purificatio; tertium, locorum ſanctorum emundatio & reſtauratio; quartum, infidelium obſtinatorum exterminatio, & impedimentorum ablatio; quintum, Regis electio; ac ſextum denique, iuſtitiæ diſtributiuæ conſeruatio. Singula iam enucleatiùs propono.

In primis pro accepta gratia, & obtentis in ſacra expeditione beneficijs, ſanctam ciuitatem ingreſſi, debitas Deo referant gratias noſtri ſacri milites, ne omittentes, ingrati animi vitio notati, beneficijs, quibus donati fuerant, priuentur. Vt enim dixit S. Bernardus Serm. 15. in Cant. *eſt ingratitudo inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſſipatio, beneficiorum perditio: ingratitudo ventus eſt vrens, ſiccans ſibi fontem*

Gratia Deo pro felici ſucceſſu ſunt agenda.

Ingratitudinis damna.

tem pietatis, rorem misericordiæ, fluentá gratiæ. Quare meritò boni opinantur Auctores, Deum permisisse malos angelos & primos parentes nostros in peccatum cadere, atque acceptis beneficijs priuari, pœnæq; addici, quòd acceptorum beneficiorum immemores, & in eorum auctorem ingrati, debitas gratias ei non reddiderint. Nostri igitur Principes & sacri milites, acquisitâ iam electâ regione, ne eâ iterùm priuentur, sed ad vlteriora munera disponantur, debitas Deo reddant gratias: nam *quemadmodum exiguum pharmacum*, ait Ioannes Damascenus in vita Barlaami, *à magnis plerumque malis hominem eripit: sic ob res parvas Deo gratias agere, ingentia bona conciliat.* Imitentur filios Israël, qui post demersum Pharaonem cum exercitu eius in Mari rubro, ab illius iam persecutione liberati, pro gratiarum actione statim epinicium cecinere. *Decantauerunt Domine* (inquit de his Sapiens cap. 10, 20.) *sanctum nomen tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter.* & pluribus in Exodo explicatum habes, & in diuersis sacræ Scripturæ locis tanti beneficij memoria consignata reperitur. Ad hæc ijdem Israëlitæ, expugnato Amalec, Deo laudes reddiderunt, & victoriæ memoriam altaris erectione posteris consignarunt, Exod. 17. Ingressi quoque Terram sanctam, siccis pedibus Iordane pertransito, tanti beneficij memoriam retinuerunt, vt pluribus patet Ios. 4. 5. & 6. Et Bethsamitæ propter Arcam Domini recuperatam è manibus Philisthinorum, obtulerunt hococausta, & immolauerunt victimas in die illa Domino, vt dicitur 1. Reg. 6. Quin & ijdem ipsi Israëlitæ reuersi à captiuitate Babylonica in Ierusalem & Iudæam, perinde fecerunt, 1. Esdr. 3. & memoria beneficiorum diuinorum, & pro ijsdem gratiarum redditio, in sacris Litteris sæpissimè commendatur. Idem fecerunt Christiani, quando sanctam Ciuitatem recuperarunt. Quare & nostri sacri milites gratos se exhibeant pro victoria de hoste comparata, & Terra sancta recuperata, Dominum benedicendo, & omnia mirabilia eius enarrando.

Mali angeli, & primi parentes ob ingratitudinem in peccatum lapsi.

Secundum. Delictorum pœnitentia.

Secundò, cùm eiusmodi sit nostræ præsentis vitæ conditio, vt pluribus casibus sit obnoxia, adeò vt etiam de iusto dixerit Salomon, *Septies in die cadit iustus*, Prouerbiorum 24, 16. nostri milites, quantum fieri potest, ab offensis contra Deum & proximum commissis se mundent, & pro debitis, quæ ex humana fragilitate in sacra illa peregrinatione & expeditione fortè contraxerunt, satisfaciant. Hoc præfiguratum video in circumcisione illa Israëlitici populi, quam iussu Domini fecit Iosue post Iordanis transitum, & ingressum in Terram promissionis, de qua Iosue 5. illa etenim corporalis circumcisio alteram spiritualem peccatorum portendebat, cuius meminit S. Apostolus Paulus. *Quid aliud significat circumcisio vetustate exuta, nisi naturam renouatam?* rogat alicubi S. Augustinus in libris de Ciuit. Dei. &, *Omnia resonant nouitatem*, respondet. Eadem etiam purificatio à peccatis fuit in multiplicibus sacrificijs præfigurata, quorum aliqua singulariter pro peccatis offerebantur, quæ obtulerunt filij Israël post reditum in Ierusalem à Babylonica captiuitate, vt habetur 1. Esdr. 3. & alibi. Suo exemplo instruxerunt nostros sacros milites Israëlitæ, vt post recuperatam Terram sanctam, per veram contritionem Sacrificium acceptabile contriti & humiliati cordis Deo offerant.

Tertiò, loca sancta impijs ritibus & superstitionibus infidelium profanata purificabunt, mundabunt, orationibus & diuinissimo Eucharistiæ sacrificio dicabunt, & destructa reædificabunt. Ita, quatenus illis licebat, fecerunt Israëlitæ Terram eam primò ingressi, elegerunt Silo, vbi Tabernaculum Domini collocarunt: & posteà ab exilio & captiuitate Babylonica in solum patrium restituti, profanatum ab infidelibus & destructum templum cum vrbe purificarunt, reædificarunt, dedicaruntque, vt libro citato Esdræ & alibi videre est, Deum ibi cum omni cordis imbilo & exultatione continuè benedicentes: quoniam in æternum misericordia eius; & cathedrale statim templũ est adornandum. Sic fecerunt olim Christiani, quando sub Godofredo capta ab illis fuit Ierosolyma, vt apud Guilielmum Tyrium videri potest. Lege Reuelationes S. Birgittæ lib. 8. cap. 46. vbi tractatur quid agere debeant fideles post adeptam contra infideles victoriam.

Tertium. Locorum sanctorum purificatio.

Quartò, præcepit Deus filijs Israel, vt ingressi Terram promissionis, exterminarent omnes infideles, qui oblatam pacem noluissent recipere, ne essent illis aduersarij, & tam quam claui in oculis, lanceæque in lateribus, &c. Num. 33. & alibi. & de hoc nos supra lib. 1. Illo mandato arbitror indicatum esse nostris militibus, quid illis faciendum sit cum Turcis aliisve infidelibus, qui oblatam pacem benignè noluerint recipere: vt nimirum omnes illos exterminent, ne sint illis in ruinam; simul etiam omnes hæreticos & schismaticos, obedientiam vero Pastori præstare recusantes, ne vniti aliquando hostes periculosam possessionem reddant. Faciant Terram nouam, vt sit cælum nouum. Et ad hoc facit, quod citato

Quartum. Obstinatorum infidelium delictio.

loco

loco Reuelationum S. Birgittæ cap. 40. legitur. Vbi oſtendens Chriſtus Birgittæ, infidelibus expugnandis primò pacem benignè offerendam eſſe, ait: *Dicitur, quòd nemo inuitus compelli debet ad Regnum cælorum. Reſpondeo, quòd vbi flores boni impediuntur à zizania, numquid non eſt melius quòd ſuccidantur zizaniæ, ne flores aſcendentes impediantur? Propterea qui vadunt ad terras infidelium, offerant primò eis pacem, & fidem, & libertatem. Et ſi infideles non recipiunt conſilia eorum, & admonitiones, tunc zelus & manus ſunt coërcendi.* Idem cap. 42. & 43.

Circa hoc Notandum oriri poteſt difficultas. In Terra ſancta ſunt variæ nationes, fideles & infideles, & in his viri & mulieres, paruuli, iuuenes & ſenes, & cuiuſcumque conditionis homines: num eodem modo cum omnibus procedendum eſt? omnes, fidelibus exceptis, exterminandi? Et videtur quòd ſic, quoniam Iſraëlitæ in veteri Teſtamento occidebant etiam mulieres & infantes. *Ceperuntq; ciuitatem, & interfecerunt omnia quæ erant in ea, à viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem*, Ioſue 6, 21. & alibi dictum eſt Sauli in nomine Domini: *Vade, & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius: non parcas ei & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid, ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & parunlum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & aſinum.* Igitur & noſtri milites, cùm ſimiliter ac illi pugnent cum infidelibus, ſimiliter in bello agere debebunt, omnia demoliendo.

Diſtinctione præmiſſa, duabus Propoſitionibus reſpondeo. Exiſtentes in ſancta ciuitate & tota Terra ſancta, aliiſve locis Turcæ ſubiectis, qui putantur innocentes ſecundùm leges, & ceteri deuicti, vel ſunt eiuſmodi, de quibus timeri non poteſt rebellio, proditio, vel quid aliud, vergens in præiudicium acquiſitæ poſſeſſionis; vel probabiliter timeri poteſt, poſſuntque eſſe cauſa vel occaſio amiſſionis illius, quod iuſtè multo labore & ſanguine comparatum eſt.

Si periculū timetur amiſſionis acquiſitæ poſſeſſionis, nemini parcitur.

PRIMA CONCLVSIO. Si malum aliquod timetur, omnia licet demoliri, etiam mulieres, paruulos & iumenta, & quotquot innocentes cenſentur. Tales ſunt primò infantes & mulieres, deinde Monachi, Conuerſi, & Preſbyteri; tertiò ruſtici ad agriculturam euntes, inde redeuntes, & in agro laborantes; quartò Legati & Oratores; quintò peregrini & exteri ſextò mercatores accedentes & abeuntes (c. Innouamus. De tregua & pace. & c. Paternarum, 24. q. 3.) Hi omnes tamdiu præſumuntur innocentes, quamdiu contrarium de illis non conſtat. His adduntur primò multi è populo, qui nihil hoſtile moliuntur, deinde ſponte dedititij, tertiò obſides, niſi etiam contrarium conſtet.

Qui innocentes cenſeantur.

Probatur; quia aliquando per accidens, & præter intentionem, licitum eſt in iuſto bello interficere innocentes. quod tunc fit, quando victoria obtineri, aut ciuitas expugnari non poteſt, niſi cum nocentibus interficiantur ſimul aliqui innocentes. Vnde quando ciuitas iuſtè oppugnatur, in qua permixti ſunt innocentes cum nocentibus, licitū eſt globos in eam mittere, aut ignem ſupponere, etiamſi probabile ſit aliquos innocentes perituros. Item licitum eſt, quando oppugnantur triremes Turcarum, in quibus aliqui remiges ſunt Chriſtiani & innocentes, eos occidere. Ita Valentia & Molina, quos ſequitur & adducit Becanus.

Bonū publicum primato præferendum.

Ratio eſt, quia bonum publicum, quod ſperatur ex victoria vel expugnatione, tale eſt, cui meritò poſtponi debeat aliqua innocentium interfectio. Igitur & hæc licita erit pro conſeruatione, & multò magis; pro iſta enim pugnatur, qua habita maius ius ad eam habetur, & conſequenter magis elaborandum pro illa conſeruanda.

Deus quare inſerit aliquando mulieres & infantes mortalitati.

Et huc arbitror Dominum reſpexiſſe, quando præcepit vt non ſolùm hoſtes & viri bellatores interficerentur, ſed etiam mulieres, ne occaſio eſſent ruinæ, victores milites pelliciendo, & per luxuriam ad ſe pertrahendo, quo fieret, vt hi à Deo derelicti, ipſorum iterùm potentiæ cedere cogerentur, quemadmodum nouimus feciſſe Moabitas cum filijs Iſrael, Num. 25. aliquando præcipit Deus interfici pueros & iuuenes, ne, poſtquam adoleuerint, vindices ſint cædium parentum ſuorum. Ac fortaſſe ideò aliqui dixerunt (quamuis falsò) Amalechitam illum iuuenem, qui interfecit Saulem, fuiſſe vnum ex illis quibus contra præceptum Domini Saul pepercit. Aliquando etiam præcepit omnia vaſtare & demoliri, ne redeuntes hoſtes, & fortaſſe victores exiſtentes, habeant vnde ſe muniant, vel etiam vnde vitam tolerare poſſint, & propter alia quæ Deus non manifeſtauit.

Quòd ſi nihil mali timeatur, ſit SECVNDA CONCLVSIO: Innocentes non ſunt interficiendi. Ita citati Auctores. Et probatur: quia vbi culpa non eſt, nec pœna eſſe debet. Et quantum ad hoc eſt lex diuina Deut. 20, 13. *Percuties omne quod in ea generis maſculini eſt in ore gladij* (quia iſti nocentes cenſentur, & ſunt) *abſque mulieribus, & infantibus, & iumentis*, quoniam iſti innocentes habentur.

Si nihil mali timetur, innocentes haud occidendi ſunt.

Si dicatur, Et iſti ſunt hoſtes, quia ſunt membra Reipublicæ contra quam iuſtè hoſtiliter bellum geritur, igitur in illos licebit animaduertere: Reſpondetur, ex hoc habe-

ri, posse victores milites spoliare illos bonis temporalibus, quantum necesse est ad compensationem faciendam, quia ista sunt subiecta dispositioni & iurisdictioni Reipublicæ & Magistratus: non autem licet vitam auferre, quæ quatenus innocentium est, solius Dei iurisdictioni subiecta est. Lege Becanum vbi suprà q. 12. & quos citat Auctores. Ex his patet quid ad argumentum dicendum sit. Sed & secundò respondetur ex memoratis Auctoribus, legem vniuersalem & absolutè obseruandam, esse illam Deuteronomij. Si verò aliter Deus præceperit, obediendum, quia tunc Dei iussio pro lege est, vt ex Augustino notat Serarius in cap. 6. Iosue, q. 36. & volens Dominus ostendere se esse super omnem legem, & omnia suæ potestati esse subiecta, aliquando præcepit solos viros interficere, vt Deut. 20. aliquando etiã paruulos & mulieres quæ nouerunt viros in coitu, non verò virgines & puellas, vt Num. 31. aliquando præcepit omnia deuastari, vt in oppositione dictum est.

Deus quomodo omnia Dominum sè ostendat.

Diuersitas religionis amorē minuit.

Vnum hîc addo. Infideles, qui sunt in Terra sancta, siue sint de corpore hostilis Reipublicæ, siue non, nocentes vel innocentes, si permanere velint in infidelitate, non sunt in ea relinquendi, non tam vt auferatur timor proditionis & rebellionis, quæ facilè potest accidere (quoniam vbi non est religionis vniformitas, nec verus amor & voluntaria subiectio potest intercedere) quàm ob sanctæ regionis conditionem. Sancta à sanctis tractari, & loca sancta nonnisi à sanctis hominibus inhabitari debent. Huc spectat quæ infrà dicemus Lib. III. Cap. XXVII.

Admittendi vt omnes Catholici euadant.

Verum non vno modo cum dictis infidelibus agendum est, quia non omnes sunt eiusdem ordinis: infideles enim qui in Terra sancta habitant, partim non sunt baptizati, vt Hebræi & Mahometani; partim baptizati, vt schismatici & hæretici.

Non baptizati compellendi haud sunt directè.

Si sermo sit de prioris generis infidelibus, dicimus, non esse directe compellendos ad Baptismum & Christi fidem suscipiendam. Ita D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 8. & alij passim. Ratio est, quia vel essent compellendi ab Ecclesiasticis, vel à sæcularibus Principibus. Non possunt cõpelli ab Ecclesiasticis, quia ad illorum forum non pertinent, quia non sunt per Baptismum in Ecclesiam introducti. & ita colligitur ex illo 1. Cor. 5, 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos iudicatis? nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit.* vbi per *eos qui foris sunt*, intelligit infideles non baptizatos; & per eos *qui intus sunt*, intelligit fideles, qui sunt actu in Ecclesia, vel etiam, qui esse deberent ratione Baptismi suscepti, vt postea dicemus.

Non possunt etiam compelli ad fidem à Principibus sæcularibus, quia horum potestas & iurisdictio temporalis est, & directè tantùm ordinatur ad finem politicum & naturalem, nec extendit se ad ea quæ sunt ordinis spiritualis & supernaturalis, inter quæ est fidei susceptio. Quare nec vnita spiritualis & temporalis potestas in vno vel pluribus, poterit exerceri in non baptizatos, ad eos directè compellendum ad Christi fidem suscipiendam, quia, quantum ad hoc, non pertinent ad forum Christianorum.

Obiectio.

Dices: Ergo relinquendi sunt, quod vergeret in præiudicium dignitatis locorum sanctorum; vel expellendi sunt contra fidem (supponamus ita) datam in illorum deditione vel expugnatione, vt possint manere in natiuo solo, Christianis Principibus subiecti. Respondendum, omnino alterum

Solutio.

ex duobus obseruandum esse, & quidem inculpatè. Hoc verò poterit fieri duplici modo: cùm directè non possint, vt probatum fuit, indirectè saltem idem præstabunt, Primò, si eiusmodi fides data eis non sit, negando illis ius habitandi in sanctis locis, nisi audiant Euangelij prædicationem, & sanctum Baptisma suscipiant. Ratio, quia quod quis absolutè & sine conditione negare alicui iustè potest, hoc multò magis negare potest sub honesta aliqua conditione: at Christiani Principes, iustè comparatâ Terrâ sanctâ, poterunt absolutè negare dictis infidelibus ius in ea habitandi; ergo poterunt etiam negare sub dicta conditione. Secundò, si fides data sit, vt remanere possint in Terra sancta, tum ea non est violanda, sed imponenda illis sunt grauiora tributa quàm alijs subditis Christianis (manendo tamen intra limites iustitiæ) vt hac ratione alliciantur vel ad Christianam fidem suscipiendam, videndo maiori charitate agi cum Christianis quàm cum ipsis; vel cogantur ad alias se conferre regiones, vt iugum & onus graue à se excutiant. Nec deerunt bonis & prudentibus Principibus media, quibus vel inducantur non baptizati ad Baptismum, vel eos qui hunc spernunt, iustè cogantur alias adire regiones. De hac re videatur Gratianus cap. Iam verò 23. q. 6.

Modus illos adducendi.

Si verò agendum sit cum secundi generis infidelibus, id est, baptizatis, dicendum, illos esse compellendos, directè quidem ab Ecclesiasticis, indirectè verò à sæcularibus Principibus. Ratio est, quia cùm per Baptismum ingressi sint Ecclesiam, iure pertinent ad eam; ac ideò possunt Ecclesiastici iudices in delinquentes animaduertere, & quoquomodò illos cogere ad suscipiendam Catholicam fidem, non tantùm Ecclesiasticis, sed etiam temporalibus pœnis. Quod

Infideles baptizati directè compellendi.

ex

ex parabola quadam Euangelica probatur, Luc. 14. in qua Paterfamilias præcepit ſeruo ſuo, vt exeat in vias, & compellat intrare quoſcumque inuenerit: quos inter referendi ſunt hæretici & ſchiſmatici, non Turcæ vel alij non baptizati, ſecundùm Auguſtinum Epiſt. 50. ad Bonifacium; quia iſti ratione Baptiſmi pertinent ad iuriſdictionem Eccleſiæ, ac ideò cõpelli debent vt redeant ad vnionem corporis Chriſti. Quòd ſi renuant, puniantur in ære & etiam corpore, nec permittantur in ſanctis locis inter fideles & ſanctos viuere. Communis eſt hæc Catholicorum ſententia.

Quotuplex obſeruandi Idonei Regis electio.

Quintò, idonei Regis fiat electio, qui cunctis imperet prudenter, & iuſtè gubernet ſubiectos, hoſteſque propulſet ac terreat. Et hoc faciendum mandauit Dominus Iſraëlitico populo Terrã repromiſſionis ingreſſuro, dicens: *Cùm ingreſſus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaueriſq; in illa, & dixeris: Conſtituam ſuper me regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes: eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit*, Deut. 17, 14. Regem dixit, vnum ſcilicet, non plures, indicans, Terram ſanctam optimo & monarchico regimine gubernandam eſſe, vt pax & concordia, qua res paruæ creſcunt, maximè vigeat & floreat. Summè enim cauendum eſt à diſcordia, qua etiam res maximæ dilabuntur, & quæ facillimè poteſt contingere à parte infidelium, propter diuerſitatem linguarum, regionum, complexionum & morum. Soldanus Babyloniæ (Sanuto referente lib. 3. par. 15. cap. 17.) aliquando ſe comparauit ſerpenti habenti plures caudas, & caput vnum quod caudas omnes ad libitum poſt ſe trahit: Chriſtianos verò comparauit ſerpenti habenti caudam vnam, & plura capita. Et profectò non poteſt vna cauda ſequi multorum capitum contrarios appetitus, Chriſto teſtante: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire*, Matth. 6, 24. Eligi quoque debet in Regem non quem caſus aut præcipitantia obtulerit, ſed quem Dominus Deus noſter elegerit, qui nimirum praua odiſſe, virtutibus florere, vtilia eligere, ſcelera deteſtari ſit compertus: fiatque omnino in eius electione, quod factum fuit dum in Regem conſtitueretur Dauid, qui maturo & præuio conſilio, & in præſentia vniuerſarum tribuum, id eſt, capitum & Principum vniuerſarum tribuum, vt dicitur in ſecundo libro Regum (qui in Paralipomenis *Patriarchæ* vocantur, & *cognationum Principes*) electus fuit: quibus acceſſerunt etiam ſeniores Iſrael, id eſt, Sanedrim, ſeu ſeptuaginta illi Iudices, quos Moyſes Num. 11. iubente Deo ex toto Iſraële ſelegit, qui & vnanimiter vnxerunt eum Regem in Hebron ſuper totum Iſraëlem; & tum primùm excuſſit iugum tributi quod pendendum erat Philiſthæis, prælioque ſuperauit Moabitas, eoſque Iſraëlitis ſub tributo ſeruire coëgit, &c. Fiat cum illo quod factum eſt circa Salomonem, cuius vultum deſiderabat vniuerſa terra; qui & famam vincebat virtutibus, adeò vt obtinuerit (vt habetur 3. Regum 4.) omnem regionem trans flumen, & cunctos Reges illarum regionum; & habuerit pacem ex omni parte in circuitu, habitaueritque Iuda & Iſraël, vnuſquiſque ſub vite & ficu ſua. Sit porrò Rex ille alter Ezechias qui auxit cultum Domini, muniuit ciuitatem, induxit in eam aquam, fodit ferro rupem, & ædificauit puteum, 2. Paral. 32. & Eccli. 48. Denique ſit Ioſias, qui directus eſt diuinitus in pœnitentiam gentis, & tulit omnes abominationes, & in diebus peccatorum corroborauit pietatem, 2. Paral. & Eccli. 49. Talis inquam eſſe debet Rex Ieruſalem, vt populus Chriſtianus inibi merito & numero augeatur. Nam, vt pulchrè ait Claudianus,

——— *Componitur orbis*
Regis ad exemplum; nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regẽtis.

Taliter captis Ieroſolymis electus & dilectus à Deo fuit Godofredus, & aliqui alij qui poſt ipſum ſacri Regni gubernacula tenuerunt, vt Guilielmus Tyrius & alij Hiſtorici de his ſcribunt. Plura habet citatus Sanutus de conditionibus requiſitis Ieroſolymitanorum Regum, à c. 17. vſque ad 24. & hoc vt ita fiat, ſupplicationibus continuis Deus defatigandus eſt.

Sextum.

Sextò denique electus iam Rex ceteriſque Principes ac Proceres iuſtitiã diſtributiuã ſibi commendatã habeant, retribuẽdo ſingulis quæ iuſtitia præceperit. Ingreſſis filijs Iſrael, poſt varios trãſactos labores in deſerto, & innumera ſuperata pericula, in Terrã ſibi toties promiſſam & repromiſſam, nõ vnico tantùm homini, familiæ vel tribui aſſignata ea fuit, ſed vt iuſtitia exigebat, ſingulis tribubus & familijs fuerunt proportionatæ partes attributæ (vt alibi retulimus) ne iurgia & contentiones inter illos orirentur, quæ in cauſa eſſe poſſent, vt ipſi iam victores ab exteris hoſtibus expugnarentur. Ita etiam noſtri Principes ad horum imitationem, Dei ſingulari beneficio admiſſi ad electam ſummi Regis habitationem & hereditatem, hoſtibus ex ea fugatis, non vnus vel pauci eam ſibi vſurpent, ſed Regi primùm, ac deinde ceteris partes congruæ, & ſecundùm cuiuſque laborem & merita tribuantur: tunc enim pax inter eos, ad illius conſeruationem neceſſaria, conſeruabitur; quoniam

Aequa recuperata terra diſtributio.

Iuſtitiã diſtributiuã ſeruandã.

iuſtitia & pax oſculatæ ſunt, Pſ.84,11. Quod obſeruatum etiam fuit, quâdo eadem terra ſub Godofredo recuperata fuit, ne iuſtitiæ defectu rupto charitatis vinculo, ciuilibus odijs & diſcordijs expugnati Chriſtiani, denuò cum ſuo dedecore & dâno ab hoſtibus inde expellerentur, ſicut aliàs nouimus accidiſſe; fieretque, vt qui omnia iniuſtè poſſidere voluit, omnibus iuſtè priuetur; quod pro ſua pietate auertat Ieſus Chriſtus Dominus noſter.

CAPVT LXXXIII.

Excellentia noſtræ ſacræ militiæ demonſtratur, ea tum in ſe conſiderata, tum & alijs comparata.

AGimus nunc de præſtantia & præcellentia noſtræ ſacræ militiæ, & multiplici fructu ex eadem proueniente: in quo argumento pertractando optarim vt à Deo optimo maximo daretur mihi, non quidem Salomonis, ſed Cherubinorum ſapientia; non Demoſthenis, Ciceronis, alteriuſue mortalis Rhetoris in dicendo eloquentia, ſed Seraphinorum feruor, & Angelorum facundia. Optarim Spiritum ſanctum, ſpiritum ſapientiæ & fortitudinis, ſpiritũ conſilij & pietatis mihi adeſſe cum tanta plenitudine, quanta in die ſancto Pentecoſtes in linguis igneis venit in Sion ſuper Sanctos Apoſtolos: vt quemadmodum illi, ita ego in dicendo vel ſcribendo eſſem verbis profluus, & charitate feruidus; vt aſſumptum argumentũ poſſem pro dignitate explicare, & illius excellentiam mentibus fidelium imprimere. Tunc enim mihi certiſſimè perſuaderem, quòd ipſi omnibus poſthabitis, illius excellentiâ moti, & vberes fructus capiendi deſiderio illecti, etiam de ipſa morte ſecuri, ad illam intrepidi totis animi & corporis viribus ſe diſponerent, hoſtem potentiſſimum debellarent, Terram electiſſimam recuperarent, vt ſic vbique terrarum ſanctum Dei Euangelium euulgaretur, & cultus Dei abundantiùs propagaretur. Faciam tamen quod poſſum pro ingenioli mei tẽuitate, Dei fretus auxilio, à quo mihi ſapientiam & eruditionem, & omnibus deſideratos fructus expecto & exopto, quos & colligent, ſi auribus audiant, & corde percipiant. De excellentia verò ſacræ militiæ diuerſimodè conſiderata præſenti Capite dicemus, deinceps de alijs.

Huius argumenti dignitas.

Comparatiuè & abſolutè tractari poteſt.

Quemadmodum cuiuſcumq; rei dignitas & excellentia poteſt dupliciter conſiderari & pertractari, ita & noſtræ ſacræ militiæ: comparatiuè, hoc eſt cum alijs comparata; & abſolutè, & in ſe conſiderata: quamuis priori modo cognita, poſterior modus ſponte eluceſcat, vt ſtatim videbimus.

Bellum triplex.

Vniuerſim tria inuenio bellandi genera: vnum purè corporale, alterum purè ſpirituale, & tertium denique mixtum ex vtroque, quemadmodum & ſuprà Cap. LXXVI. attigimus ex D. Bernardo.

Corporale quid.

Bellum purè corporale eſt illud, quod inter viſibiles hoſtes, & corpora ipſa, vel horum paſſiones exercetur: adeoq; conſequenter & hoc duplex erit, extrinſecum & intrinſecum.

Extrinſecũ.

Intrinſecũ.

Quid ſit extrinſecũ, manifeſtum eſt, quod nimirum inter hominẽ & hominem, exercitum & exercitũ geritur: intrinſecum verò, & non ita euidens, eſt quod intercedit inter ipſaſmet hominis affectiones, ſenſibiles potentias, interiores & exteriores: has enim non ſolius animæ, ſed totius compoſiti eſſe manifeſtum eſt. Huiuſmodi verò bellum intercedere inter illas & ipſum compoſitum, inde colligo, quòd non ſemel mutuò ſe impediant, iraſcibilis ſcilicet concupiſcibilem, & è conuerſo, & quòd ſingulæ ad ſuos actus tendentes, non poſſint eos ſimul perfectè producere, iuxta commune dictum,

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus;

& in ſuis exercitijs alias alijs cedere neceſſe ſit. Et de his fortaſſe locutus eſt S. Iacobus in ſua Epiſtola Catholica, dicens: *Vnde bella & lites in vobis? Nónne hinc? ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris?* &c. Iacob. 4,1. & D. Petrus: *Chariſſimi, obſecro vos tamquam aduenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam*, 1. Pet. 2,11. Sed, omiſſo illo intrinſeco, vtpote quod non eſt huius loci, externum multiplex eſt, vtpote quod committatur vel inter infideles & infideles, vel inter fideles & fideles, vel denique inter fideles & infideles.

Externum multiplex.

Spirituale quid.

Bellum purè ſpirituale eſt, quod inter ſpirituales naturas excitatur; & hoc ſimiliter eſt intrinſecum & extrinſecũ. Intrinſecum eſſe poteſt inter portionem ſuperiorem & inferiorem, iſta vnum, illa alterum eligente. Et tale creditur fuiſſe in Chriſto, quando in horto Patrem orabat, vt ſi fieri poſſet tranſiret ab eo calix paſſionis, hoc nimirum volebat inferior portio: ſed obſiſtebat ſuperior, dum oppoſitum, id eſt, Patris voluntatem fieri eſſlagitabat, dicens: *Verũtamen non mea voluntas, ſed tua fiat*, Luc. 22,42. Huiuſmodi eſſe poteſt inter affectionem iuſtitiæ & commodi in anima noſtra, vel natura alia intellectuali: & hoc etiam fuiſſe in Angelis ab initio, docẽt Theologi in 2. Sentent. & nos aduertimus ſuprà Cap. LXXVI. externum eſt, quod intercedit inter duas vel

Intrinſecũ.

Extrinſecũ.

plu-

plures intellectuales naturas, vt inter animam & animam, Angelum & Angelum. & de hoc dicitur Apoc. 12, 7. *Et factum eſt prælium magnum in cælo: Michaël & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius.* Et de ſimili Daniel. 10, 12. vbi legimus Gabrielem dixiſſe Danieli: *Ego veni propter ſermones tuos; Princeps autem Regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus*, &c. Hunc autem Principem Regni Perſarum fuiſſe Angelum, omnes Doctores fatentur, etſi inter eos ſit diſſenſio, an bonus vel malus fuerit. Fuiſſe malum, dicunt Caſſianus Collatione 8. cap. 13. Rupertus lib. 9. de Victoria verbi Dei, cap. 6. & pauci alij; bonum verò fuiſſe autumant D. Hieronymus in Comment. in Danielem (quamuis in ſuam ſententiam illum trahere nitatur Rupertus; ſi enim non fuiſſet bonus, non fuiſſet illi tradita Perſidis prouincia cuſtodienda) diuus Gregorius lib. 17. Moral. cap. 8. Theodoretus in Comment. in Danielem, D. Thomas 1. Part. quæſt. 113. art. 7. & alij. Sed quidquid ſit de hoc, parum facit ad propoſitum noſtrum. Eiuſdem porrò belli fit mentio in Epiſtola Canonica Iudæ, illis verbis: *Cùm Michaël Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus*, verſ. 9.

Princeps Regni Perſarum bonus Angelus fuit.

Bellum mixtum eſt, quod inter ſpiritum & corpus ſpiritualibus & corporalibus armis exercetur, idque iterùm vel intrinſecè vel extrinſecè. Illud eſt, quod inter ſenſum & rationem, motus ſenſuales & ſpiritum excitatur. Et de iſto poteſt intelligi illud Cant. 1, 5. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*, hoc eſt, corporis facultates, quæ velut filij ex parentibus accipiunt ſuum eſſe, ita illæ virtutem ex anima, contra quam tamen non ſemel militant. Clariſſimè id innuit S. Apoſtolus Rom. 7, 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* & Galat. 5, 17. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.* & Thren. 3, 51. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam*, &c. Externum verò voco, quod ab externo cietur, ſiue id fiat immiſſa interiùs ſuggeſtione, vel mediantibus ſpeciebus obiectorum ſenſibilium, vel alio modo. Tali bello pugnat Deus, vel dæmon, & ille vel per ſe vel per Angelos ſuos: cuius rei plura ſuppetunt in ſacris Litteris exempla & teſtimonia, vt quando Deus confudit gigantes turrim Babel ædificantes, Geneſ. 11. & quando Omnipotens vir bellator currum Pharaonis & exercitum eius deiecit in mare, Exod. 15. & frequentiùs per Angelos ſuos, qui executores & miniſtri ſunt ſuæ voluntatis. Pſalmo 33, 8. inquit ſacer Vates: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* quo loco pro *immittet* Septuaginta tranſtulerunt *caſtrà metabitur*; & diuus Hieronymus, *circumdat in gyro.* Inſtruit enim acies Dominus fortis & potens in prælio, ad ſuorum defenſionem, & aliorum confuſionem. Quare cùm aliquando Iacob Angelos vidiſſet, dixit: *Caſtra Dei ſunt hæc*, Geneſ. 32, 12. Et in acie diſpoſitos monſtrauit Eliſeus, vt videre eſt 4. Reg. 6. & legionis nomine, quod militare eſt, tam boni quàm mali appellantur; omnes enim Dei ſunt miniſtri. De bonis dixit Chriſtus ad Petrum: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?* Matth. 26, 53. De malis verò, *Legio mihi nomen eſt*, Marc. 5, 9. & Luc. 8, 30. Eiuſmodi bello oppugnabitur & expugnabitur Antichriſtus, vt ex capite 12. Danielis & 2. Theſſal. 2. deducunt ſacri Doctores.

Mixtum bellum quod. Intrinſecè.

Externum.

Deus acies inſtruit pro ſuorum tutela.

Antichriſtus quomodo expugnabitur.

De eodem externo bello, quod à dæmone mouetur contra homines, & iuſtos præſertim, plura habemus in Scripturis teſtimonia, vt Geneſ. 3. Iob 4. & 45. atque ideò ad ſobrietatem & vigilantiam nos hortatur S. Apoſtolus illis verbis: *Sobrij eſtote, & vigilate; quia aduerſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: cui reſiſtite fortes in fide*, 1. Pet. 5, 8. & denique, aliis omiſſis, clariſſimè S. Paulus: *Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cæleſtibus*, &c. Epheſ. 6, 11. Et è poſteriori hoc genere exiſtimamus eſſe bellum, quod aſſumendum eſſet à Principibus Chriſtianis contra Turcas pro recuperatione Terræ ſanctæ, quemadmodum etiam ſuprà indicauimus.

Bellum dæmonis contra homines quale.

Bello mixto Terræ ſanctæ comparanda.

Et hæc bella iuſta vel iniuſta erunt, bona vel mala, ſecundùm varias circumſtantias, ex quibus illorum iuſtitia vel iniuſtitia, bonitas vel malitia pendet.

Bella iuſta & iniuſta, bona & mala.

Sunt autem duæ conditiones iuſti belli, & totidem boni, ex quarum defectu iniuſtum & malum redditur. Conditiones iuſti belli, ſunt auctoritas legitima, & cauſa iuſta; boni verò conditiones ſunt, bona intentio, & modus bellandi conueniens. Fateor, has à Doctoribus ſtatui conditiones iuſti belli, in explicatione tamen memoratam ſequuntur diſtinctionem; ita vt ſi omnes quatuor conditiones adſint, bellum iuſtum & bonum dicatur: ſi verò altera ex

Belli iuſti & boni conditiones.

Digitized by Google

duobus prioribus desit, iniustum erit; si ex posterioribus, malum; si ex his & illis omnes vel aliquæ desint conditiones, iniustum & malum appellabitur. De tribus prioribus scripsit eleganter S. Augustinus, & ex ipso alij, quos citat Valentia Tom. 1. disp. 3. quæst. 16. puncto 2. & Bellarminus etiam de quarta, lib. 3. de Laicis, cap. 15. Sed breuiter & resolutè de his Becanus cap. 25. quæst. 1. de Bello.

Prima, auctoritas legitima. De prima conditione, legitima scilicet & absoluta auctoritate, quæ residet apud Principes, Magistratus & Respublicas, agit in hunc modum S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 75. *Ordo naturalis mortalium*, inquit, *paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes Principem sit: exequendi autem iussa bellica ministerium milites debeant paci salutiq; communi.*

Secunda, causa iusta. De conditione secunda, & vt causa belli sit iusta, agit idem Augustinus quæst. 10. in Iosue, dicens: *Iusta bella definiri solent, quæ vlciscuntur iniurias, si qua gens, vel ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per iniuriam ablatum est.* Et loco prius citato contra Faustum vtramque conditionem hisce verbis complexus est: *Interest quibus causis, quibusq; auctoribus homines gerenda bella suscipiant.*

Tertia, intentio recta. Tertia conditio iusti belli, siue potiùs boni, est intentio recta, vt nonnisi propter pacem, vel alium iustum finem illud assumatur. Ita idem Sanctus loco proximè citato cap. 74. *Nocendi cupiditas*, inquit, *vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia, hæc sunt quæ in bello iure culpantur.* & Epist. 207. ad Bonifacium, *Pacem*, ait, *habere debet voluntas, bellum necessitas.* Et didicit ex quodam Domini præcepto Deuteron. 20, 10. vbi dicitur: *Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem*, &c. Et in Reuelationibus S. Birgittæ lib. 8. cap. 39. Dominus præcipit Regibus, qui se parant ad pugnandum contra paganos, vt faciant intentione recta, scilicet propter charitatem Dei, & animarum salutem, & vt contendant habere vasallos & milites voluntarios & correctos.

Quarta, modus debitus. Quarta qualitas, id est modus debitus, in eo præcipuè consistit, vt nulli innocenti noceatur. Hanc docuit milites S. Ioannes Baptista Luc. 3, 14. *Neminem concutiatis, nulli calumniam faciatis*, &c. Et hæc pauca pro instituti nostri ratione sufficiant: qui plura de his scire desiderat, citatos à nobis consulat Auctores.

Corporale bellum quando iniustum. Hæc iam ad propositum meum applico, & dico, bellum prius, corporale scilicet, tunc esse iniustum, quando mouetur à sensu contra rationem, ab inferiori potentia contra superiorem. A mente desumenda est regula: quæ si absit, vel bellum absque respectu ad ipsam consideretur, nec culpandum, nec vituperandum, ex defectu rationis & libertatis. Sed isto omisso, externum aliud, si sit inter infideles ipsos, vel fideles & fideles, potest esse iustum vel iniustum, bonum vel malum, secundùm diuersos respectus: etiam inter infideles & fideles iustum esse potest ex parte infidelium: quare etiam Deum aliquando iuuasse infideles contra alios infideles, & quandoque contra ipsos fideles, historiarum fides nos edocet.

Si verò bellum geratur à fidelibus contra infideles, tunc quidem iustum & bonum erit, si memoratas habeat conditiones: & ita iustè sæpè pugnauerunt filij Israël contra Philisthæos, & Machabæi contra Antiochum, à quibus iniquè inuasi fuerunt; & Theodosius aduersus tyrannos. Quære apud Theodoretum lib. 5. cap. 23. Illum laudat S. Damasus, eaque laude eum stimulat, vt impunitos eos non relinquat, qui in ipsa Ecclesia repugnant Christi legibus. Similia bella tam in sacris quàm profanis scripturis leguntur, in quibus etiam Deus miraculosè opem tulit. Sed si aliquæ conditiones ex illis absint, iniustum erit, vel non bonum. Iustum etiam bellum potest esse inter fideles ipsos, vt si aliquis alteri bellum indicat, quoniam illius res iniustè retineat. Et sic iustè Dauid bellum mouit contra Isbosethi filium Saulis pro Regno Israël, diuinitus illi concesso, 2. Regum 2. Similiter discurratur in bello spirituali, vel etiam mixto quomodolibet.

Sacrum bellum cetera præcellit. Nunc si bellum hoc nostrum ceteris comparetur, omnia illa præcellere dignitate clarè apparebit. Et vt iniusta & mala omittamus (certum est enim, cum illis non esse conferendum; quæ enim conuentio lucis ad tenebras, Christi ad Belial, iusti ad iniustum, & boni ad malum?) si illud alijs bonis & iustis comparauerim, dico, ab illo quoad excellentiam & meritum longè superari tam purum corporale, quàm purum spirituale; quoniam ex his illud coalescit, & vtriusque includit perfectiones, & imperfectiones ablegat; quandoquidem hoc liberum est ab iniustitiæ & mali suspicione, quod non ita euidenter in alijs licet animaduertere; de quibus frequenter dubitari potest, an causa sit iusta, cùm omnes rationem pro se habere iactent, & tamen duo contraria bella non possint simul esse formaliter & materialiter iusta, vt docent Theologi, forte

fortè ex parte altera ſit iuſta belligerandi cauſa, deerit aliquando auctoritas: & ſi tam iſta quàm illa adſit, deerit nonnumquam recta intentio, & bellum geretur ex odio & ira, & propter fines qui malum ipſum reddant. Non item in iſto, quoniam ſi illius conditio optimè expendatur, non ſolùm liberum ab omni iniuſtitia & malo, ſed & ab eiuſdem ſuſpicione iudicabitur.

Adeſt in eo auctoritas ampliſſima. Auctoritas illud gerendi ampliſſima eſt apud vtriuſque poteſtatis Principes, Eccleſiaſticos & ſæculares. Iuſtiſſima etiam cauſa, quoniam recuperatio tum propriæ tum præcipuè hereditatis Dei prætenditur, quam iniuſtè & tyrannicè occupat & poſſidet Turca, Dei & Chriſtiani nominis hoſtis iuratiſſimus. *Cauſa iuſta.*

Intentio recta. Intentio eſt optima, vt nimirum Mahometica ſuperſtitione extincta, Euangelium Chriſti prædicetur, & diuinus cultus augeatur, præſertim in ſanctiſſima illa regione, quam Chriſtus Sanguine proprio & Sanctorum ſuorum præſentia conſecrare dignatus eſt. Et quamuis non me lateat, non humana modò, ſed creata quæque, à creata voluntate corrumpi, & per conſequens etiam bellum hoc vitioſum reddi poſſe, ſicut aliàs defectibus ſuis non caruiſſe nouimus, quando primùm occupata fuit ea Terra ſancta à Iudæis, & poſteà à Chriſtianis; minùs tamen, ſi præſcripto modo geratur, vitioſum erit ceteris. & hoc ſatis eſt. *Obiectionis ſolutio.*

Belli fines. Fines belli plures, boni vel mali. Fines boni ſunt pax, eiuſque ſtabilitas; iuſtitia, vt quod ſuum eſt quis recuperet; de malo iniuſtè illato iuſta vindicta, &c. Ariſtoteles lib. 7. Polit. cap. 14. vbi bellum numerat inter ea agibilia, quæ vitæ humanæ vtilia & neceſſaria ſunt, ex verſione Ioachimi Perionij ſic inquit: *Omnis vita in partes duas diſtributa eſt, in negotium & otium, in bellum & pacem.* & paulò pòſt: *Bellum quidem pacis causâ expetendum eſt, negotium autem ad otium conferendum eſt, at officia neceſſaria & vtilia, honeſtorum causâ expetenda ſunt.* & eodem lib. cap. 15. *Bellum ſuſcipiatur ob eam cauſam, vt in pace & negotium, vt in otio viuatur.* & D. Auguſtinus Epiſt. 207. ad Bonifacium Comitem: *Patem habere debet voluntas, bellum neceſſitas.* & eadem Epiſtola, *Non pax quæritur*, inquit, *vt bellum excitetur; ſed bellum geritur, vt pax acquiratur. Eſto ergo etiam bellando pacificus, vt eos quos expugnas, ad pacis vtilitatem bellando perducas.* Iuſta alicuius iniuriæ vindicta poteſt eſſe bonus finis iuſti & boni belli. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 74. *Aduerſus violentiam*, inquit, *reſiſtentium, ſiue Deo, ſiue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipſa bella ſuſcipiuntur à bonis.* & quæſt. 10. in lib. Ioſue, *Iuſta*, inquit, *bella definiri ſolent, quæ vlciſcuntur iniurias, ſi qua gens, vel ciuitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere quod per iniuriam ablatum eſt.* Poſſunt etiam eſſe plures alij particulares fines iuſti belli.

In noſtro bello ſacro intenditur quidem pax, ſed ea quæ verè pax eſt, quæ nimirum Domino homines reconciliat, non ea quam mundus dat: hoc ſiquidem bello mediante reconciliabuntur Deo Chriſtiani Principes, quos alioquin ob neglectum ſanctorum locorum à Dei amicitiâ longiùs receſſiſſe, adeoque, niſi aliunde, vt ſuprà haud ſemel innuimus, efficaciter excuſentur, pumendos eſſe, mihi perſuaſum eſt. Reconciliabuntur Deo multi, qui, relicta Mahumetica ſuperſtitione & immunditia, vanijſque hæreſum perfidijs abdicatis, ſoli, vni & veræ Chriſtianæ Catholicæ Religioni adhærebunt. ſed de his poſteà. *Sacri belli finis.*

Et quænam, quámve grauis iniuria noſtro quod ſuademus bello vindicabitur? Adeò ſanè grauis, vt eâ grauior excogitari nõ poſſit, quippe quæ in Chriſti Domini & ſponſæ eius ſanctæ Eccleſiæ contemptum cedat. Longè abeſt à ſuſpicione cupiditatis & auaritiæ, tum quia non aliena, ſed propria quæruntur; tum quia regio iſta hoc tempore pauperrima eſt, adeoque omnem prædæ ſpem excludit, ita vt nullus efficacior finis ad illam conquirendam eſſe poſſit, quàm illius vindicanda ſanctitas, Deique honor reſtituendus. Certum enim habeo, in bello iſto plures pecunias impendi debere, quàm tota illa regio, ex ſe nudè conſiderata, digna ſit: interim etiam certus ſum, quòd ſi terrenis facultatibus non parcatur, & regio ſancta, quamuis paupercula, reſtituta fuerit, multò plura commoda inde ſint prouentura, quàm quis fortè cogitet, Deo nimirum ſuis proſperitatem largiente. Nec enim mentiri poterit, qui dixit: *Quærite primùm Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*, Luc. 12, 31.

Sed quid? Anteponendum eſt hoc bellandi genus ipſo bello ſpirituali? Scio dictum fuiſſe à Sapiente: *Melior eſt patiens viro forti; & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium*, Prouerb. 16, 32. adeoq; ſpirituale bellum merè corporali longè præferendum eſſe: non tamen propterea præferendum eſt noſtro mixto, in quo non tam materialibus quàm ſpiritualibus armis pugnandum eſt, vt anteà diximus. Neque huius ſententiæ ego primus auctor & aſſertor ſum, ſed antea id docuit mellitiſſimus Bernardus Sermone ad Milites Templi

cap. 1. cuius verba ſuprà retulimus Capite LXXVI. quæ tu, ſi placet, ibi vide.

Præcellit denique hoc noſtrum cetera bella ratione finis: quia in iſto ſingulariter honor diuinus, & verus Dei cultus, & electæ terræ, in qua omnis vera Religio & lex originem ſumpſit, poſſeſſio prætenditur. Sed quod propoſuimus, amplius in ſequentibus apparebit.

CAPVT LXXXIV.

Eadem militiæ ſacræ præ alijs eminentia oſtenditur ex militum eius præcellentia, quorum ſtrenuiſſimi fortiſſimique mores explicantur.

EX parte militum & pugnatorum iam præcellentiam noſtræ ſacræ militię conſideramus. Non arbitramur noſtros milites vniuerſim futuros, quales pro maiori parte ſcimus eſſe pleroſque aliorum caſtrorum milites, ſuperbos, elatos, latrones, corruptores, quibus nominibus etiã non ſolùm vulgò cenſentur, ſed ipſa etiam Scriptura ſic eos appellat. Primi Regum libri cap. 13, 17. vbi verſio S. Hieronymi legit, *Egreſſi ſunt ad præliandum de caſtris Philiſthinorum tres cunei*, Vulgata noſtra habet, *Egreſſi ſunt ad prædandum.* cui conſpirant non ſolùm textus Græcus, vbi habetur vox διαφθορεων, ſed & ipſa Paraphraſis Chaldaica, vbi ſic legitur: *Et exiuit vaſtator*, &c. Quarti item Regum libri c. 13, 20. vbi noſtra lectio habet, *Latrunculi autem de Moab venerunt*, &c. alij tranſtulerunt, *Milites*. E quibus vides, quibus plerumque nominibus ſæcularis exercitus milites appellentur in ſacris Litteris, fures nimirum, prædones, latrones, & corruptores; quaſi inter illos & milites nullum interſit diſcrimen, ſed ad eamdem claſſem vtrique referendi ſint. Quò item ſpectat tritum illud, quod in ore omnium verſatur,

Nulla fides pietaſq; viris qui caſtra ſequuntur.

Quare optimè S. Ioannes Baptiſta, ad improbam hanc militum conditionem & mores reſpiciens, vt à malo abſtinerent eos admonuit, dicens: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti eſtote ſtipendijs veſtris*, Luc. 3, 14. Militum porrò eiuſmodi iactantiã & vanitatẽ ſequentibus redarguit S. Bernardus loco citato in fine præcedentis Capitis: *Operitis equos ſericis, & pendulos neſcio quos panniculos loricis ſuperinduitis: depingitis haſtas, clypeos & ſellas: frena & calcaria auro & argento gemmiſq; circumornatis: & cum tanta pompa pudendo furore & impudenti ſtupore ad mortem properatis. Militaria ſunt hæc inſignia, an mu-*

Vulgarium militum malitia.

Nomina.

S. Bernardus aduerſus depranatos militũ mores.

liebria potiùs ornamenta? Numquid fortè hoſtilis mucro reuerebitur aurum, gemmis parcet, ſerica penetrare non poterit? Denique quod ipſi ſæpiùs certiusq; experimini, tria arbitror eſſe neceſſaria prælianti, vt ſcilicet ſtrenuus induſtriusq; miles & circumſpectus ſit ad ſe ſeruandum, & expeditus ad diſcurrendum, & promptus ad feriendum. Vos per contrarium in oculorum grauamen femineo ritu comam nutritis, longis ac profuſis crinibus, ac camiſijs propria vobis veſtigia obuoluitis, delicatas ac teneras manus amplis & circumfluentibus manicis ſepelitis. Super hæc omnia eſt, quod armati conſciemiam magis terret, cauſa illa nimirum ſatis leuis ac friuola, qua videlicet talis præſumitur & tam periculoſa militia. Non ſanè inter vos aliud bella mouet liteſq; ſuſcitat, niſi irrationabilis iracundiæ motus, aut inanis gloriæ appetitus, aut terrenæ qualiſcumque poſſeſſionis cupiditas: talibus certè ex cauſis, neque occidere neque occumbere tutum eſt. Hæc S. Bernardus.

Tria bellatori neceſſaria.

Quare appoſitè & verè hiſce militibus, non tam Deo quàm diabolo militantibus, noxium interitum comminatus eſt, dicens eodem loco: *Quis igitur finis fructúſve ſæcularis huius non dico militiæ, ſed malitiæ, ſi & occiſor letaliter peccat, & occiſus aeternaliter perit? Enimuerò vt verbis vtar Apoſtoli, & qui arat, in ſpe debet arare; & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Quis ergo, ô milites, hic tam ſtupendus error, quis furor hic tam non ferendus, tantù ſumptibus ac laboribus militare, ſtipendijs verò nullis niſi aut mortis aut criminis?* Hæc ſanctus ille Pater.

Finis mundanæ militiæ.

Eiuſmodi verò ſcelera non ſunt exſpectanda à noſtræ militię bellatoribus. Quis enim adduci poſſet vt credat, illos vltrò ſe velle pro Chriſto morti exponere, vt corona gloriæ præmientur ab ipſo, & vt ipſi conregnent, atque interim eumdem velle continuè offendere, eaque committere propter quæ æternaliter damnarentur ab ipſo? velle ſanguine ſuo cælum mercari, & nihilominùs laſciuijs & voluptatibus, quæ velociſſimè tranſeunt & diſpereunt, animam perdere? Relinquere propter Deum patriam, domos, & priuata ſua commoda; quibus licitè vti potuiſſent cum benedictione Domini, & tamen velle ijſdem contra Dominum, extra patriam iniuſtè in propriam perniciem abuti?

Singularis ſacrorum militum conditio.

Quid ergo de noſtris ſacris militibus dicemus? quid in ſacra militia contemplabimur? vtique admirandum illud, quod in Sunamite viſum fuiſſe memoratur Cant. 7, 1. *Choros caſtrorum*, quòd nimirum non ſolùm materialibus, ſed & ſpiritualibus armis, precibus videlicet & virtutibus pugnare ſoleat. Quare hîc accommodari poteſt, quod in eum

Sunt chori caſtrorum.

Digitized by Google

eum locum obſeruauit Theodoretus. *Videntur*, inquit ille, *ea verba inter ſe contraria. quid enim caſtris cum choris, quippe cùm chori pacatis & lætis rebus, caſtra autem bellicis & turbulentis conueniant? Ceterùm myſterio non vacat, quia nimirum ſponſa multis ex ſanctis conflata, cùm propter fortitudinem, atque excelſum animi robur, armaq; militaria, caſtris eſt ſimilis: tum etiam chorus exiſtit, diuinas laudes in ore gerens, per quas videlicet de ſuis hoſtibus triumphat. Neque verò dictum eſt, caſtra chororum, ſed, choros caſtrorum, vt ſignificetur Eccleſia de ſuis hoſtibus victoria, quam laudes diuinæ conſequuntur. Itaque ex caſtris chori fiunt: cùm enim in caſtris vicerint virtutis milites, pæana canentes reuertuntur, & choros ducentes, victoria præconium laudibus celebrant.* Hæc Theodoretus.

Fortibus Machabæis aſſimilantur,

Similes ſunt noſtri milites Machabæis illis, de quibus ita legimus: *Inuocato Deo, per orationes congreſſi ſunt; manu quidem pugnãtes, ſed Dominum cordibus orantes, proſtrauerunt non minus triginta quinque millia, præſentia Dei magnificè delectati*, 2. Mach. 15, 26 Et quemadmodũ Hebræi, dum poſt reditum in patriam à Babylonica captiuitate ſanctam ciuitatem reædificarent, altera manu trullam, altera gladium tenebant, vt dicitur 2. Eſdr. 4. Ita noſtri ſacri milites altera manu enſem ſtringunt, alteram bonis operibus exequendis occupant pro Terræ ſanctæ recuperatione. Quod ipſum priùs præfiguratum aduerto in ijſdem Hebræis, quando primò ad eiuſdem Terræ poſſeſſionem deuenerunt, dum, inquam, vrbem Iericho ceperunt, non armorum modò ſtrepitu, ſed buccinarum inſuper, quarum in iubileo vſus erat, clangore; quoniã eam non materialibus tantùm armis, ſed multò magis ſpiritualibus, id eſt, actibus & exercitijs virtutum & bonorum operum, comparandam eſſe indicabatur. Tales eſſe debẽt, & tales futuros ſperamus ſacræ noſtræ militiæ bellatores, quales deſcribit S. Bernardus Serm. ad Milites Templi c. 4. vbi, repudiatis militibus militiæ ſæcularis, de noſtris ſequentia ſubdit: *Sed iam ad imitationem, ſeu ad confuſionem noſtrorum militum non planè Deo, ſed diabolo militantium, dicamus breuiter Chriſti equitum mores & vitam, qualiter in bello domiue conuerſentur: quò palàm fiat, quantum ab inuicem differant Dei ſæculiq; militia. Primò quidẽ vtrolibet diſciplina non deeſt, obedientia nequaquã contemnitur: quia, teſte Scripturæ, & filius indiſciplinatus peribit, & peccatum eſt ariolandi, repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Itur & reditur ad nutum eius qui præeſt: induitur quod ille donauerit: nec aliunde veſtimentum ſiue alimentum præſumitur. Et in victu & veſtitu cauetur omne ſuperfluum, ſoli neceſſitati conſulitur. Viuitur planè in communi iucunda & ſobria conuerſatione, abſque vxoribus & abſque liberis. Et ne quid deſit ex Euangelica perfectione, abſque omni proprio habitant vnius moris in domo vna ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Dicas vniuerſæ multitudinis eſſe cor vnum, & animam vnam: ita quiſque non omnino propriam ſequi voluntatem, ſed magis obſequi ſatagit imperanti. Nullo tempore aut otioſi ſedent, aut curioſi vagantur: ſed ſemper dum procedunt (quod quidem raro contingit) ne gratis comedant panem, armorum ſeu veſtimentorum vel ſciſſa reſarciunt, vel vetuſta reficiũt, vel inordinata componunt, & quæ poſtremò facienda magiſtri voluntas, & communis indicit neceſſitas. Perſona inter eos minimè accipitur: defertur meliori, non nobiliori. Honore ſe inuicem præueniunt: alterutrum onera portant, vt ſic adimpleant legem Chriſti. Verbum inſolens, opus inutile, riſus immoderatus, murmur, vel tenue ſuſurrium nequaquam ibi deprehenditur inemendatũ. Schachos & aleas deteſtantur, abhorrent venationem: nec ludicra illa auium rapina (vt aſſolet) delectantur. Mimos, & magos, & fabulatores, ſcurriles ſq; cantilenas, aut ludorum ſpectacula tamquam vanitates & inſanias falſas reſpuunt & abominantur. Capillos tondent, ſcientes, iuxta Apoſtolum, ignominiam eſſe viro, ſi comam nutrierit. Numquam compti, rarò loti, magis autem neglecto crine hiſpidi, puluere fœdi, lorica caumate fuſci. Porrò imminente bello, intus fide, foris ferro, non auro ſe muniunt, quatenus armati, & non ornati, hoſtibus metum incutiant, non prouocent auaritiam. Equos habere cupiunt fortes & veloces, non tamen coloratos aut phaleratos: pugnam quippe, non pompam, victoriam, ſed non gloriam cogitantes, & ſtudentes magis eſſe formidini, quàm admirationi. Deinde non turbulenti, aut impetuoſi, & quaſi ex leuitate præcipites, ſed conſultè, atque cum omni cautela & prudentia ſeipſos ordinantes & diſponentes in aciem, iuxta quod de patribus ſcriptum eſt. Veri profectò Iſraelitæ procedunt ad bella pacifici. At verò vbi ventum fuerit ad certamen, tum primùm priſtina lenitate poſtpoſita, tamquam ſi dicerent, Nónne qui oderunt te Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? irruunt in aduerſarios, hoſtes velut oues reputant; nequaquam, etſi pauciſſimi, vel ſæuam barbariem, vel numeroſam multitudinem formidantes. Nouerunt ſiquidem non de ſuis præſumere viribus, ſed de virtute Domini ſabaoth ſperare victoriam: cui nimirum facilè eſſe confidunt, iuxta ſententiam Machabæi, concludi multos in manibus paucorum, & non eſſe differentiam in conſpectu*

& Hebræis à captiuitate reuerſis.

Deſcribuntur à S. Bernardo, eſſe

Obedientes:

In victu, & veſtitu & ſenſualitate temperantes:

Concordes:

Solliciti:

Nullam perſonam accipientes:

Ludicra omnia abdicantes:

In acie benè diſpoſiti:

Zelantes honorem Dei:

In Deo confidentes:

ctu Dei cœli liberare in multis, & in paucis: quia non in multitudine exercitus est victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Quod frequentissimè experti sunt, ita vt plerumque quasi persecutus sit vnus mille, & duo fugarint decem millia. Ita denique miro quodam ac singulari modo cernuntur, & agnis mitiores, & leonibus ferociores: vt panè dubitem quid potiùs censeam appellandos, monachos videlicet an milites: nisi quòd vtrumque forsan congruentiùs nominarim, quibus neutrum deesse cognoscitur, nec Monachi mansuetudo, nec militis fortitudo. De quare quid dicendum, nisi quod à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Tales sibi elegit Deus, & collegit à finibus terræ ministros ex fortissimis Israel, qui veri lectulum Salomonis, sacrum scilicet sepulchrum vigilanter fideliterq; custodiant, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Huc vsque vere & eleganter S. Bernardus de præstãtia nostrorum militum. Ibi portò cap. 5. alia addit, ex quibus liquidò apparet, quantum nostra hæc militia alijs præstet.

Monachi & militis fortitudinem sortiuntur.

CAPVT LXXXV.

Duplex obiectio contra asserta duobus præcedentibus Capitibus de præcellentia militiæ Ierosolymitanæ.

DVobus proximè pręcedentibus Capitibus attigimus, & ex parte explicauimus excellentiam militiæ Ierosolymitanæ supra ceteras, ratione finis, & ratione militum ipsius: quæ vt manifestiora appareant, duplicem propono & explico difficultatem, ex duplici capite, quo ordine scilicet illam laudauimus, prouenientẽ. Et primùm quoad finem. Æquè multum merentur, qui vel in proprijs Regnis & prouincijs manentes, vel ad alias infidelium partes proficiscentes, eosdem oppugnant, quò illos Catholicæ Ecclesiæ vel subijciant, vel si restiterint, & molestias vlteriores intulerint, de medio tollãt, quàm si ad bella sanctæ Terræ sanctæ proficiscerẽtur: huiusce modi namque bellum, quo hostes fidei à patria repelluntur, iustum esse, Ius ipsum iamdudum statuit c. Fortitudo, cum alijs, 23. q. 3. & D. Eulogius in Memoriali Sanctorũ lib. 1. *Ita*, inquit, *magni meriti esse credo, subuertere impios, & Ecclesiæ hostibus contraire, bellum parare in incredulos.* Vnde in c. Pessimã, 23. q. 8. ab Innocentio statuitur, vt incendarijs pœnitentia imponatur, vt ad bellum sacrum Sepulchri proficiscantur, vel in Hispano bello aduersus Saracenos operam præstent, cùm æquale meritum iudicetur. Ita neotericus Scriptor ratiocinatur. Cùm ergo Christianis Principibus non desint infideles vel in proprijs Regnis, vel in vicinis, præter Syriam & Palæstinam, contra quos commodiùs bellum assumerent cum eodem præmio & pari merito, dimissa Terra sancta, ad illos se conuertere poterunt.

Prima obiectio.

Iacobus Valdesius de dignitate Regum Regnorumque Hispaniæ c. 14. n. 51.

Sed, ni ego fallor, fallitur qui taliter ratiocinatur, & redargui facilè possit ex dicendis infrà Lib. III. Cap. III. & alijs: nunc alia ratione assertum nostrum comprobemus, & aduersę ratiocinationi respondeamus. Opus illud, quo plura & magis eximia bona comparantur, quodque plures honestos fines complectitur, meritò præferendum est illi, quo tot bona non comparantur, & quod tot honestos fines non habet: ex his enim capitibus dignoscitur operis excellentia & præcellentia, vt de se manifestum est. Quòd Iacob in Mesopotamiam peregrinatus sit, vt declinaret Esau fratris sui indignationem; & iunior Tobias in Rages ciuitatem Medorum, vt à debitore debitũ repeteret, vtrimque quidem ex se bonum opus fuit; vtrumque tamen melius redditum est, cùm vterque profectus sit ex obedientia, & vterque cum vxore & diuitijs in patriam redierit. Item (vt alia missa faciamus) benè quidem fecit Dauid, quando, vt fieret gener Regis, gigantem Goliath prostrauit, & Philisthæos Dei hostes occidit; meliùs verò, quando arcem Sion cepit, & alias ciuitates occupauit, hostibus inde profligatis, vt sic diuinus honor augmentum caperet & Regnum, atque iurisdictio electi populi Israëlitici dilataretur, quoniam in his plura bona acquiruntur, & plures laudabiles concurrunt fines. Ita dico, bellum indicere infidelibus alibi quàm in Palæstina existentibus, laudabile quidem esse & meritorium, sed tunc nihil aliud proficiscitur, quàm vt vel propriæ cuiusque ditiones expurgentur; exempli gratiâ, si Reges Galliæ & Hispaniæ hæreticos è suis Regnis eijcerent, nihil consequerentur aliud, quàm vt propria ipsorum Regna & prouinciæ à seditioso isto hominum genere exonerentur: vel pugillum quidem honoris acquiri, adeò tamen exigui momenti, vt Regias illorũ maiestates pænè dedeceat; exempli causa, si ijdem Hispaniæ & Galliæ Reges exteris infidelibus indicerent bellum pro sanctæ fidei dilatatione, non statim noua sibi semper Regna comparare poterunt, aut si fortè comparent, tantilli erunt pretij, vt nihil aut parum inde ipsis honoris, vel reliquo orbi Christiano commodi accessurum sit. Sed si gereretur bellum Domini pro recuperatione Terræ sanctæ, tunc non solùm infideles Mahumetani, inimici Crucis Christi, profligarentur, Regnum Filij Dei dilata-

Responsio.

Operis excellentia vnde sumatur.

Exemplo.

Bellum sacrum quomodo alias bellacontra infideles excellat.

In eo Terra desiderissima comparatur.

Digitized by Google

lataretur, & Terra illa, quæ est egregia inter omnes terras, Ezech. 20, 6. omnibus affluens bonis, & quam in peculiarem hereditatem & habitationem sibi elegit Dominus, iustè acquireretur; sed hac insuper ratione Turcarum tyrannidi frenum injceretur, terror eorum, qui toti Europæ reliquoque Christiano orbi imminet, reprimeretur, & hæreticorum furor & audacia, non parum in infensissimi istius hostis potentia confidens, omnino retunderetur. Et profectò ex hoc vno capite dicendum est hoc bellum sacrũ alijs quibuscumque præcellere; nisi fortè quis tantæ sit impudentiæ, vt Terram sanctam, quam tanti fecit ipse Dominus, omnibus alijs regionibus inferiorem, ideoque nihili faciendam esse, rabidè imò blasphemè dicere velit.

Puriorem redolet zelum.

Accedit, quòd nostrum hoc sacrum bellum puriorem redoleat zelum, & merum Dei honorẽ, non item alia, quia ea frequenter nudum temporalem finem respiciunt, proprias regiones securas reddere, vel earumdem dilatatio, proprios & Christi hostes debellando. Ad hæc, semper nostrum cum maioribus vitæ incommodis & certioti vitæ discrimine peragitur, non ita vniuersim alia: quæ causa est, quòd qui minùs zelant honorem Dei, sed semetipsos potiùs amant, illo neglecto, reliquis occupentur. Et quis non videt, hęc augere meritum operis? Quare iure merito expeditio in Terram sanctam ab omnibus semper pluris facta fuit, alijsque expeditionibus prælata, & à Summis Pontificibus, alijsque sæcularibus Principibus, indulgentijs & peculiaribus priuilegijs condecorata.

Quæ in contrarium adducta fuerunt, nihil nostræ, vel potiùs communi sententiæ officiunt. Non prior auctoritas ex Iure & Eulogio desumpta, quia aliud non euincit, quàm bellum, quod contra propriæ ditionis proditores ac seditiosos hæreticos, siue vicinos infideles suscipitur, iustum & meritorium esse, quod ambabus sanè manibus vltrò concedimus; nec hoc à nobis controuertitur, sed quodnam inter omnia bella sit magis iustum & meritorium: vbi nos asserimus, solum illud eiusmodi esse, quod pro Terræ sanctæ & ciuitatis Ierosolymæ recuperatione suscipitur; aduersarij verò volunt, quodlibet contra infideles quoscumque assumptum bellum æquè ac illud iustum & meritorium esse, adductis pro se auctoritatibus, quæ illud nullatenus probant, vt manifestum est cuilibet eas consideranti. Nec officit posterior locus Innocentij: ex illo enim potiùs deducitur oppositum, estque mera indulgentia & benignitas Pontificis, dum incendiarijs, quibus non suppetit facultas vel voluntas proficiscendi ad Terram sanctam, concedit vt satisfaciant operam suam præstando in bello contra Saracenos in Hispania, vt sic periclitanti illi regno subueniretur, ne fideles in illo habitantes temporis successu ab infidelibus peruerterentur & opprimerentur. Agitur ergo ibi tantùm de satisfactione, nõ de merito: quia de pœnitentia incendiarijs imponenda Pontifex loquitur in hunc modum: *Pœnitentia autem ei detur, vt Ierosolymis aut in Hispania in seruitio Dei per annum integrum permaneat.*

Secunda obiectio.

Contra alterum caput, quo ex militum generositate monstrabatur nostræ sacræ militiæ præcellentia, ita nonnemo argumentatur. Fieri non potest, quin ea in militia sint aliqui defectus, & in tanta militum multitudine plures varijs sceleribus commaculati; sicut & in Ecclesia Catholica bonis plures mali intermixti sunt, vt ex se manifestum est. Et nónne, dum à Christianis sub Godofredo Bullione Ierosolyma caperetur, inter eosdẽ fuerunt odia, rixæ, discordiæ, regnandi æmulationes, & alia innumera mala? Quomodo ergo militia illa ex militum præcisè virtutibus, pietate, probitate, continentia, temperantia, alijsque bonis operibus commendari, & alijs militijs præferri, & longè præstantior illis esse dici poterit?

Solutio.

Respõdemus, nos non negare, in Bullionis militia fuisse, vel in nostra futuros esse defectus: nec enim illam meliorem fecerim ipsa sancta Dei Ecclesia, vel piorum cõgregationibus, in quibus tamẽ, velut in agris optimo tritico seminatis, superseminata etiam inueniuntur zizania. Verùm quemadmodum Ecclesia, aliæve in ea congregationes, propter malos bonis admixtos non appellatur mala, deformis & despicienda, sed pulchra, formosa, suauis & decora tamquam Ierusalem, & sicut tabernacula Cedar, & sicut pelles Salomonis; & quemadmodum inter bonos mali diuina dispositione relicti sunt, vel vt ipsi corrigantur, vel vt iusti exerceantur. *Omnis enim malus* (ait S. Augustinus) *ideò viuit vt corrigatur, aut vt per eum bonus exerceatur*: ita licet in nostra militia scelerati & vitiosi admittãtur & inueniantur milites, duo tamen inde sequuntur bona. Præterquam enim quòd Christianorum prouinciæ à fæce & sordibus expurgentur, ipsis malis obuenit inde beneficium, sacroque exercitui & locis Sanctis subsidium. Quare quemadmodum plures ex infidelibus illis Gabaonitis, qui cautè ad Iosue confugientes, quò minùs ab Israëlitis communi clade inuoluerentur, vera Israelitarum religione suscepta, animabus suis consuluerunt, & simul inter eos commorantes, eisdem in

Duo beneficia ex malis sacra militia adscriptis.

varijs

varijs miniſterijs obeundis inſeruierunt, vt legitur Ioſue 9. ita mali admiſſi ad exercitum ſacrum, Dei in eis operante gratia ſibi poterunt eſſe ſaluti, & alijs adiutorio.

Chriſtianitas malis purgatur.

Didici hanc reſponſionem & doctrinam ex D. Bernardi Sermone ad Milites Templi cap. 5. vbi Sanctus ille loquitur de illis qui ſuo tempore Ieroſolymam proficiſcebantur, cuius verba ipſiſſima tuo, Lector, commodo hîc adſcribo: *Quodq́*, ait, *cernitur iucundiùs, & agitur commodiùs, paucos admodum in tanta multitudine hominum illò confluere videas, niſi vtique ſceleratos, & impios, raptores, & ſacrilegos, homicidas, periuros, adulteros: de quorum profectò profectione ſicut duplex quoddam conſtat prouenire bonum, ita duplicatur & gaudium; quandoquidem tam ſuos de ſuo diſceſſu lætificant, quàm illos de aduentu, quibus ſubuenire feſtinant. Proſunt quippe vtrobique, non ſolùm vtique iſtos tuendo, ſed iam etiam illos non opprimendo. Itaque lætatur Aegyptus in profectione eorum, cùm tamen de protectione eorum nihilominùs lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iuda. Illa quidem ſe de manu eorum, iſta magis in manu eorum liberari ſe meritò gloriatur. Illa libenter amittit crudeliſſimos ſui vaſtatores, iſta cum gaudio ſuſcipit ſui fideliſſimos defenſores: & vnde iſta dulciſſimè conſolatur, inde illa æquè ſaluberrimè deſolatur. Sic Chriſtus, ſic nouit vlciſci in hoſtes ſuos, vt non ſolùm de ipſis, ſed per ipſos quoque frequenter ſoleat tantò glorioſiùs, quantò & potentiùs, triumphare. Iucundè ſanè & commodè, vt quos diu pertulit oppugnatores, magis iam propugnatores habere incipiat: faciatq́ de hoſte militem, qui de Saulo quondam perſecutore fecit Paulum prædicatorem. Quamobrem non miror, ſi etiam ſuperna illa curia, iuxta teſtimonium Saluatoris, exultat magis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper plurimis iuſtis, qui non indigent pœnitentia, dum peccatoris & maligni tantis proculdubio proſit conuerſio, quantis & prior nocuerat conuerſatio,* &c.

Terra ſancta ſubuenitur, & ipſi corrigantur.

Dei mirabilis prouidentia.

Et ſanctiſſimus ac doctiſſimus Papa Innocentius III. hanc ex hac ſacra expeditione prouenientem expendens vtilitatem, in Epiſtola pro Concilio Lateranenſi ſuper hoc negotio dixit: *O quanta iam prouenit vtilitas ex hac cauſa! quàm multi, conuerſi ad pœnitentiam, pro liberatione Terræ ſanctæ mancipauerunt ſe obſequio Crucifixi, & quaſi per agonem coronam gloriæ ſunt adepti, qui fortè in ſuis iniquitatibus perijſſent, carnalibus voluptatibus & mundanis illecebris irretiti! Vetus eſt hoc artificium Ieſu Chriſti, quod ad ſuorum ſalutem fidelium diebus iſtis dignatus eſt innouare.* Hæc Pontifex Innocentius.

Habetur Tom. 4. Concilior. General.

CAPVT LXXXVI.

Eadem porrò ſacræ Ieroſolymitanæ militiæ præcellentia demonſtratur ex multiplici fructu, & primùm eo, qui prouenit ex ipſiuſmet militiæ natura.

AMpliùs excellentiam ſacri belli explicamus ex multiplici fructu inde proueniente: & præter eum quem indicauimus Capite præcedenti duos inſuper elicimus, alterum ratione ipſiuſmet belli vel pugnæ, alterum ratione finis ſeu victoriæ. Peculiare cuilibet explicando Caput dicabimus, hoc quidem iſti, ſequens verò huic.

In ſacro bello viuat quis vel occumbat, ſemper miles bonè.

Sacra iſta militia ex ſe profectò admodum eſt fructuoſa; quoniam ſiue in ea intereat miles hoſtili gladio, ſiue hoſtem ſuo interimat, viuat vel moriatur, vndequaque bonum ipſius agitur, quod non item in alijs bellis cernere licebit, vbi frequenter *occiſor letaliter peccat, & occiſus æternaliter perit:* vbi ferè ſtipendium nullum, *niſi aut mortis aut criminis*, vt ait S. Bernardus Serm. ad Milites Templi, cap. 2. Et vt quidam alius dixit, referente Compilatore Bibliothecæ Patrum Tom. 5. *in certaminibus improbitatis miſerior eſt qui vicerit, propterea quòd peccatis onuſtior diſcedit.* Et Antonius Monachus in Meliſſa Serm. 68. hanc cuiuſdam Sapientis ſententiam recitat: *Præſtat honeſtè vinci, quàm periculosè & iniuſtè vincere.* Non ita agitur in noſtro: ſiquidem iuſtum bellum ob mortem nec culpatur, nec prætermitti debet. *Quid enim culpatur in bello?* (verba ſunt S. Auguſtini lib. 22. contra Fauſtum) *An quia moriuntur quandoque morituri, vt dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere, timidorum eſt, non religioſorum.* quæ verba referuntur à Gratiano 23. q. 3. can. Quid culpatur. Et Philo Carpathius in ea verba Cant. 1. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*, ſic inquit: *Sancta atque honeſta pugna, eſt longè humanæ paci præferenda.* Cùm hoc igitur prælium ſanctum, honeſtum, imò neceſſarium ſit, ſiue euadat, ſiue gladio in eo cadat miles, ſemper fructum ex eo colliget, & maiorem dixerim ex morte colliget, tum quia oſtendit ſuum erga Chriſtum amorem, cui in æterna gloria copulabitur, tum quia liberatur ab infamia & dolore, quo afficitur humanus & fidelis animus ex Dei offenſa, & tribulatione charorum. Hinc iuſtus ille Simeon, cuius laus eſt in Euangelio, cùm in vlnis ſuis Iſraëlis & totius vniuerſi cerneret Redemptorem, mori magis quàm viuere exoptabat, vt illa eius verba demonſtrant: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundùm verbum*

Sancta atque humana pace præferenda.

bum tuum in pace, &c. Luc. 2, 29. Cuius ſanctum deſiderium conſiderans S. Ambroſius, dixit: *Vide iuſtum, velut corporeæ carcere molis incluſum, velle diſſolui, vt incipiat eſſe cum Chriſto. Diſſolui enim, & eſſe cum Chriſto, multò melius eſt.*

Apes pugnant pro rege ſuo.

Idem porrò Doctor in libris ſuis quos inſcripſit Hexaëmeron, dicit, quòd apes pro rege ſuo bella gerant, & non pro ipſo glorioſum arbitrantur. At multò glorioſius exiſtimare debent noſtræ militiæ milites, pro Chriſto capite & Rege noſtro pugnare, & ſanguinem fundere, vt ſic vices rependant illi, qui pro nobis animam ſuam poſuit; eiúque egregium dilectionis ſuæ teſtimonium exhibeant, cùm ipſemet dixerit: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, Ioannis 15, 13. vnde ob tam plenam oblationem & holocauſtum, omnium peccatorum remiſſionem conſequentur, & nouo proprij ſanguinis baptiſmate dealbabunt ſtolas ſuas in Sanguine Agni, & gloria laureolaque Martyribus debita donabuntur.

Sacri militis amorem Chriſto oſtendunt.

Nedum in bello ſacro morientes, ſed alibi eadem adſcripti Martyres dici poſſunt.

Et hæc arbitror intelligenda non ſolùm de illis qui ipſo in certamine ſanguinem ſuum fundunt, ſed etiam de illis, qui omnibus periculis ſpretis, huic militiæ adſcribi voluerunt, & pro Terræ ſanctæ recuperatione ſanctum iter aggreſſi, ob varia incommoda interim è vita deceſſerunt. Firma ſiquidem & vera eſt D. Auguſtini ſententia, non mortem vel pœnam, ſed eius cauſam martyrem facere. Cùm igitur iſti ob Dei vindicandum honorem decertauerint deſudauerintque vſque ad mortem contra hoſtes viſibiles & inuiſibiles, quid prohibet aſſerere, illis paratam eſſe gloriam laureolamque vſque in finem decertantibus præparatam, ſi mortem obierint gladio vel alio incommodo?

Vidit quondam S. Ioannes in triumphanti Ieruſalem, quemadmodum ipſe ſcribit Apocal. 7. innumerabilem Sanctorum multitudinem, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis collectam, ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amictos ſtolis albis, & palmas in manibus eorum, &c. & à diuino oraculo audiuit, eſſe eos qui veniſſent de tribulatione magna, & lauiſſent ſtolas ſuas, & dealbauiſſent eas in ſanguine Agni, &c. Ecce quomodo veluti glorioſi victores albis induantur, & palmas in manibus geſtent, non ſolùm qui ſanguinem fuderunt, ſed etiam qui venerunt de magna tribulatione. Explicatio hæc tantò erit verior, ſi credamus D. Gregorio Homilia 7. in Ezech. & alijs grauiſſimis Doctoribus, in illa reuelatione agi non de ſolis Martyribus qui ſanguinem pro Chriſto fuderint, ſed vniuerſim de fidelibus ſingulis, qui per multas tribulationes intrarint ad Chriſtum in Regnum Dei Patris.

Ipſe Chriſtus Dominus id indicaſſe videtur, quando cum diſcipulis ſuis aſcendens Ieroſolymam, vt pro gloria Patris ſui & hominum ſalute crucifigeretur, illis dixit: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam*, &c. *& tertia die reſurget*, Matth. 20, 18. quòd qui ad eius exemplum aſcenderint per crucem & tribulationem Ieroſolymam, ſimili reſurrectionis gloria eſſent donandi, qua ſanè non fuit priuatus dilectus eius diſcipulus Ioannes, etſi ſanguinem vt alij non fuderit, quoniam cum Chriſto in Caluariæ monte cordis martyrium ſuſtinuit, ac denique per multas ſui Apoſtolatus tribulationes ad optatum ſibique paratum brauium peruenit cum alijs, vt tenet Eccleſia. In quorum confirmationem mirabile exemplum habemus apud Tyrium lib. 8. Belli ſacri c. 22. quod affert Archiepiſcopus Florentinus 2. part. Hiſt. tit. 6. cap. 13. §. 8. hiſce verbis: *Die autem captionis ciuitatis*, id eſt Ieruſalem, *dominus Ademandus, vir venerabilis, Podienſis Epiſcopus, Domini Papæ Legatus, qui apud Antiochiam vita deceſſerat, à multis in ſancta viſus eſt ciuitate, ita vt multi viri venerabiles & fide digni, cum ſuper ciuitatis murum primum omnium aſcendiſſe, & ceteros ad ingreſſum vrbis animaſſe, oculis corporeis ſe vidiſſe aſſererent. Multiq. alij, qui in dicta via in Dei obſequio diuerſis caſibus occubuerant, in dicta ciuitate apparuerunt cum alijs loca venerabilia viſitantes. In quo manifeſtè dabatur intelligi, quia etſi vita deceſſerant corporali, ad æternam tamen vocati beatitudinem, non ſunt fraudati à deſiderio ſuo; ſed quod pio expetierant ſtudio, pleno ſunt effectu conſecuti.*

Ioannes martyr, etſi gladio vitam non finierit.

Notanda viſio illorum qui in ſacro itinere obierunt.

Sed, quod amplius, vehemens affectus liberandi loca ſancta de infidelium manibus, liberat ab æterna morte, & ad cæleſtem gloriam perducit. Et talem affectum adduxit Angelus contra diabolum ante tribunal Chriſti pro liberatione Caroli militis, filij S. Birgittæ, qui alioquin extiterat effrenis iuuenis, & mundi delicijs admodum implicitus. Vt enim legitur in Reuelationibus pijſſimæ eius matris lib. 7. c. 13. inter alia quæ pro eodem Carolo dixerat Angelus eius tutelaris, etiam hæc fuerunt: *Ipſe enim* (Carolus) *theſaurum congreganit, ſicut illi peregrini, qui quotidie caduca bona commutant in æternales diuitias. Et quia ipſe ſic fecit, ideò gaudium & honorem perpetuum obtinebit. Et ſpecialiter pro illo ardenti deſiderio quod habuit peregrinandi ad ſanctam ciuitatem Ieruſalem, & pro eo quòd deſideranit feruenter vitam ſuam libenter bellando exponere,*

Deſiderij liberandi loca ſancta ab infidelium manibus, ab æterna morte liberat.

ponere, vt Terra ſancta reduceretur ad dominium Chriſtianorum, ad hoc, vt illud glorioſum Dei Sepulchrum in debita haberetur reuerentia, ſi ad opus tantum ſufficiens extitiſſet. Et ideò tu diabole nullam iuſtitiam habes illa ſupplere, quæ ipſe perſonaliter non perfecit. Hæc Angelus ad diabolum de valore deſiderij liberandi loca ſancta ab infidelium tyrannide.

In ijſdem etiam Reuelationibus lib. 8. cap. 40. de his qui in bello contra infideles pro Chriſto occumbunt, ſic loquitur Chriſtus ad Birgittam: *Omnes enim qui in charitate mortui fuerint, ego Deus ipſa charitas reddam eis centuplum. Et etiam ipſi infideles ad minora ſupplicia peruenient, quàm ſi diutiùs viuerent, & in pace morerentur; quia ſi ampliùs viuerent, ampliùs peccarent. Tantum enim bonum eſt charitas, quòd nec minima cogitatio erit ſine remuneratione, quantò magis opus bonum?* Quare S. Bernardus Ser-

D. Bernardi exhortatio ad milites.

mone iam ſæpiùs in materia iſta citato capite 1. ad hæc reſpiciens, dicit: *Impauidus profectò miles, & omni ex parte ſecurus: qui vt corpus ferro, ſic animum fide lorica induitur. Vtriſque nimirum munitus armis, nec dæmonem timet, nec hominem. Nec verò mortem formidat, qui mori deſiderat. Quid enim vel viuens vel moriens metuat, cui viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum? Stat quidem fidenter libenterq; pro Chriſto, ſed magis cupit diſſolui, & eſſe cum Chriſto: hoc enim melius. Securi igitur procedite, milites, & intrepido animo inimicos Crucis Chriſti propellite, certi quia neque mors neque vita poterit vos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Illud ſanè vobiſcum in omni periculo replicantes: ſiue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. Quàm glorioſi reuertuntur victores de prælio! quàm beati moriuntur martyres in prælio! Gaude fortis athleta, ſi viuis & vincis in Domino; ſed magis exulta & gloriare, ſi morerìs, & iungeris Domino. Vita quidem fructuoſa, & victoria glorioſa: ſed vtrique mors ſacra iure præponitur. Nam etſi beati qui in Domino moriuntur, non multò magis qui pro Domino moriuntur. Et quidem ſiue in lecto ſiue in bello quis moritur, pretioſa erit ſine dubio in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Ceterùm in bello tantò profectò pretioſior, quantò & glorioſior. O vita ſecura, vbi pura conſcientia! O inquam vita ſecura, vbi abſque formidine mors expectatur, imò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum deuotione! O verè ſancta & tuta militia, atque à duplici illo periculo prorſus libera, quo id hominum genus ſolet frequenter periclitari, vbi dumtaxat Chriſtus non eſt cauſa militandi. Quoties namque congrederis tu qui militiam militas ſæcularem, timendum omnino, ne aut occidas hoſtem quidem in corpore, te verò in anima. Ex cordis nempe affectu, non belli euentu, penſatur vel periculum vel victoria Chriſtiani. Si bona fuerit cauſa pugnantis, pugnæ exitus malus eſſe non poterit: ſicut nec bonus iudicabitur finis, vbi cauſa non bona, & intentio non recta præceſſerit. Si in voluntate alterum occidendi, te potiùs occidi contigerit, morieris homicida. Quòd ſi præuales, & voluntate ſuperandi vel vindicandi fortè occidis hominem, viuis homicida. Non autem expedit ſiue mortuo, ſiue viuo, ſiue victori, ſiue victo, eſſe homicidam. Infelix victoria, qua ſuperans hominem, ſuccumbis vitio! Et ira tibi aut ſuperbia dominante, fruſtrà gloriaris de homine ſuperato. Eſt tamen qui nec vlciſcendi zelo, nec vincendi typo, ſed tantùm euadendi remedio interficit hominem: ſed ne hanc quidem bonam dixerim victoriam, cùm de duobus malis in corpore quàm in anima mori leuius ſit. Non autem quia corpus occiditur, etiam anima moritur, ſed anima, quæ peccauerit, ipſa moritur.*

Capite item 3. ad idem propoſitum, poſtquam Capite 2. egiſſet de mala conditione militiæ ſæcularis, addit: *At verò Chriſti milites ſecuri præliantur prælia Domini ſui, nequaquam metuentes aut de hoſtium cade peccatum, aut de ſua nece periculum: quandoquidem mors pro Chriſto vel ferenda, vel inferenda, & nihil habeat criminis, & plurimum gloriæ mereatur. Hinc quippe Chriſto, inde Chriſtus acquiritur, qui nimirum & libenter accipit hoſtis mortem pro vltione, & libentiùs præbet ſeipſum militi pro conſolatione. Miles inquam Chriſti ſecurus interimit, interit ſecurior. Sibi præſtat cùm interit, Chriſto cùm interimit. Non enim ſine cauſa gladium portat, Dei etenim miniſter eſt, ad vindictam malè factorum, laudem verò bonorum. Sanè cùm occidit malefactorem, non homicida, ſed, vt ita dixerim, malicida, & planè Chriſti vindex in his qui malè agunt, & defenſor Chriſtianorum reputatur. Cùm autem occiditur ipſe, non periiſſe, ſed perueniſſe cognoſcitur. Mors ergo, quam irrogat, Chriſti eſt lucrum, quam excipit, ſuum. In morte pagani Chriſtianus gloriatur, quia Chriſtus glorificatur. In morte Chriſtiani Regũ liberalitas aperitur, cùm miles remunerandus educitur*, &c. Hæc ad verbum placuit hîc adſcribere ex mellitiſſimo Bernardo, quoniam eleganter & vere explicant & confirmant quæ de aliquibus fructibus ſacræ noſtræ militiæ diximus.

Mors ſacrorum militum vitâ eligibilior.

Mors ſacrorum bellis ni criminis habet, ſed multum victoria.

Hîc non eſt omittendum quod ſcribit Albertus de alacritate, qua Cruceſignati ſpe cæleſtis gloriæ muniti, etiam de morte ſecuri, contra infideles Chriſtiani nominis hoſtes

Sacrorum militum procedentium ad bellum alacritas.

ſtes procedebant. *Præfectus ciuitatis Rametis* (erat hic Saracenus, ſed Chriſtianis fœderatus) *videns populum in tibijs, citharâ muſicorumq; ſonis, ac voce exultationis iucundari, & pſallere*, &c. *admiratus eſt vehementer, & Ducem ſuper his ſciſcitatur, dicens: Miror, & ſufficienter mirari nequeo, vnde populus hic in tanta latitia & voce exultationis glorietur, quaſi ad conuiuium iturus, cùm hodie mors illi præſens ſit, & præſens mors vniuerſos præſtoletur*, &c. *Ad hæc Dux fide plenus*, &c. *ſciſcitanti viro ſuper his ſapienter expoſuit, cur in ſpe hodiernæ mortis præſentiſq; prælij ingenti gaudio dulciq; melodia Chriſtianus populus delectaretur. Dicebat enim: Populus hic, quem vides & audis in voce exultationis aduerſus inimicos properare*, &c. *ſcito quòd certus eſt hodie de corona regni cælorum*, &c. *Idcircò non timemus mortem*, &c. *Hîc verò ſignum ſanctæ Crucis, quo munimur & ſanctificamur, proculdubio ſpiritale nobis ſcutum eſt contra iacula inimicorum, & in eodem ſperantes, tutiùs aduerſus pericula cuncta ſtare ardemus. In hoc vtique ligno ſanctæ Crucis redempti ſumus de manu mortis & inferni, ac poteſtate angeli nequam*, &c. Sed ad aliorum fructuum ſacri belli enarrationem & explicationem accedamus.

CAPVT LXXXVII.

Ex ſacra expeditione pacifica mors, honor & gloria obuenit militibus, & à dedecore liberantur, ſi in ea illos contingat occumbere.

Eligibilius in honeſto bello occumbere, quàm cum dedecore viuere.

ADeò laudabile & fructuoſum eſt ſacrum quod vrgemus bellum, vt niſi cum damno, & abſque dedecoris & infamiæ nota prætermitti non poſſit, quippe quod decedentes in eo milites gloriosos reddat, & honore numquam marceſcibili exornet. Communis enim eſt omnium rectè ſentientium conſenſus, eligibilius eſſe in bello pro laudabili cauſa occumbere, quàm cum infamia & tædio viuere. At quænam laudabilior cauſa bellandi excogitari poteſt, quàm qua mouentur noſtri huius ſacræ militiæ commilitones? Ea ſcilicet eſt ſanctorum locorum recuperatio, noſtræ hereditatis poſſeſſio, diuiniq; cultus dilatatio: porrò quam ſi diutiùs neglexerimus, & canum Mahometanorum poteſtati permiſerimus, tantam certè nobis inuremus infamiam, vt non niſi cum tædio & afflictione animi vitam & ſpiritum ſimus ducturi.

Deus optimus maximus, qui electos ſuos cuſtodit ſicut pupillam oculi, protegitq; ſub vmbra alarum ſuarum, illos tamen etiam nonnumquam in bello occumbere permittit, ne viuendo cum mœrore & triſtitia viderent Dei offenſas, mala propriæ gentis & Sanctorum. De pio ac iuſto Ioſia Rege Iuda, Deo & hominibus plurimùm dilecto, traditur 4. Reg. 23. & 2. Paralip. 35. fuiſſe cum in bello occiſum à Pharaone Rege Ægypti, & tamen anteà dicitur collectus fuiſſe ad ſepulchrum ſuum in pace. At quî fieri poteſt, vt violenta morte ab hoſtibus in acie interemptus, dicatur in pace occubuiſſe? Alijs omiſſis reſponſionibus, propoſito noſtro accommodabimus illam Abulenſis in 4. Reg. 22. quæſt. 20. ſacram Scripturam ideò dicere, Ioſiam mortuum fuiſſe in pace, etſi in bello occubuerit; quia moriendo non vidit illa mala, quæ Deus inflicturus erat Iudæis. Hoc patet ex ipſo tenore contextus qui ſic habet: *Colligêris ad ſepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum*, 4. Reg. 22, 20. & mors illa violenta dicitur pax, reſpectu tantorum malorũ quæ ventura erant ſuper Hebræos, quanta numquam euenerant, ita vt fierent in ſtuporem & maledictum; & quæ multò erant grauiora, quàm in bello mori. à quibus, & ab illorum intuitu, per mortem illam liberatus fuit Ioſias, atque ideò dicitur mortuus in pace: iſta enim fuit poſitio (inquit Abulenſis) omnium rectè ſentientium, quòd melius ſit alicui mori fortiter in bello, quàm videre deſtructionem gentis ſuæ, & religionis ſuæ. Sic enim dixit Iudas Machabæus viris ſuis: *Melius eſt nobis mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ, & ſanctorum*, vt patet 1. Machab. 3, 59. Imò melius eſt aliquem mori viriliter in bello, quàm perdere aliquid de honore ſuo. Et hoc dixit idem Machabæus, cùm milites ei fugam ſuaderent, quod pauciores eſſent reſpectu hoſtium. *Abſit*, inquit, *iſtam rem facere, vt fugiamus ab eis: & ſi appropiauit tempus noſtrum, moriamur in virtute propter fratres noſtros, & non inferamus crimen gloriæ noſtræ*, 1. Machab. 9, 10. & ſanctus Apoſtolus Corinthijs dicebat: *Bonum eſt mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet*, id eſt, honorem meum auferat, 1. Corinth. 9, 15. Quòd ſi Ioſias vidiſſet mala quæ Iudæis poſteà euenerunt, debuiſſet & ipſe captiuus in Babylonem duci, & in carcere detineri, prout contigit Ioakim & Sedeciæ Regibus Iuda, qui incarcerati fuerunt in Babylone. Quare multò ei melius fuit mori in bello, quam omnia iſta videre.

Exemplum. Ioſias quomodo in pace occubuit, cùm in bello vulneratus vitam finiuerit.

Melius eſt in bello mori, quàm honoris iacturam facere, &c.

Nec propter iſta modò, ſed multò magis propter deſtructionem, combuſtionem & deſolationem ſacri templi, propter quod ſolum (ne, inquam, illud vſque ad terram

dirutum videret) melius erat Iosiæ mori in bello; & violenta illa mors, perpessioni vel visioni tantarum calamitatum comparata, pax dici potuit. Romanorum Imperator Titus, etsi Gentilis, huius tamen omnino erat sententiæ. Cùm enim, capta Ierusalem, concremaret templum, & sacerdotes, mori timentes, & laboribus ærumnisq; fatigati, sibi vitam donari peterent, Titus illos occidi iussit, dicens, eos esse nimis quam degeneris animi, qui templo & Numine pereuntibus, cuperent viuere, vt ait Iosephus lib. 6. de Bello Iudaico. Et antiquus ille Troianus Anchises, Æneæ pater, dixit ad filium, volentem illum de vastatione Troiana liberare,

Templi sacerdotes occidi iussit Titus, quòd illo conflagrato ipsi viuere desiderarent.

Absit, ô: excisa vitam producere Troia.

Ita de Iosia ratiocinandum est.

Ad propositum nostrum reuertimur. Nónne donec Terra sancta occupatur ab infidelibus, sanctuarium Dei profanatur, eius serui opprimuntur, Catholicus cultus & veræ fidei dilatatio impeditur? nónne, inquam, magna diuino Numini irrogatur iniuria, & gens nostra, & sancti ibi summis angustijs premuntur; & nos voluptati operam dabimus? Domus Domini deserta iacet, & nos interim in domibus deauratis habitabimus? Locus vbi sua sacratissima olim vestigia posuit & impressit Saluator, ab impuris porcis & canibus Mahometanis contaminatur, & nos tam erimus delicatuli, qui nostra vestigia vix loco mouere velimus, vt spurcissimas & fœdissimas istas bestias abigamus? Quietè & commodè viuemus, an potiùs rubore & pudore suffundemur? Suffundamur pudore, Christiani, suffundamur, & omnino nobis persuadeamus, nos non posse vitam transigere à culpa & dedecore immunem, nisi viriliter correptis armis, honoris Dei vindices existamus, nisi de locis sanctis exturbentur infideles, nisi fideles illuc coloniæ adducantur, nisi Deo debitum honorem & gloriam reddi satagamus. Nostrum tantùm est viriliter bellare prælia Domini, sed Domini est dare victoriam, quam facientibus quod in nobis est, non denegabit.

Fidelium dedecus, loca sancta à Turcis occupari.

Turcæ, & alij infideles non ideò præcisè Christianos, quin & Christum ipsum, desides & ignauos vocant, vel potiùs blasphemant, quòd illa non curent, & pacificam possessionem, aut, vt melius dicamus, profanationem permittant illis qui Christum non nouerunt, & nomen eius non inuocauerunt; sed quia, lapidum instar immobiles, pro illorum recuperatione arma minimè capessunt, quasi nihil interesset eis, possideant, nec ne, terram illam electissimam: vnde demum de summa Christianorum negligentia sat mirari nequeunt, & non semel dicere auditi sunt mihi, se millies vtique pluris facere Mecham, vbi Mahometis extat sepulchrum, quem tamen ipsi non Deum, vt nos Christiani Christum, sed eximium saltem Dei seruum fuisse credant: & si contingeret eam ciuitatem in manus deuenire Christianorum, nullum se fugituros laborem, nullis sumptibus parcituros, imò vitam & animam libentissimè impensuros, nec omnino cessaturos, donec illam eorumdem potestati eripuerint.

Fideles nil facere loca sancta æstimant infideles.

Generosus ille ac strenuissimus miles Vrias Hethæus olim indecens existimabat, voluptuosè viuere in domo sua, dum Arca Dei in castris velut in exilio constituta esset, & sub inculris & rudibus tentorijs detineretur. Quare Dauidi sibi dicenti, *Vade in domum tuam, & laua pedes tuos*, &c. respondit: *Arca Dei & Israël & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum vxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc*, 2. Reg. 11,11. Et Christiani videntes sanctuarium Dei profanatum & dirutum, fratres suos tribulationibus pressos, id non semel seriò considerabunt, otio interim & voluptatibus indulgentes?

Vrias Hethæus nobile, dictum.

Abraham indixit bellum quatuor Regibus, in gratiam Lot fratris sui, quem illi expoliauerant, & captiuum abduxerant. Et Dauid bellum intulit Hanoni Regi Ammonitarum, quòd nuntios suos iniuria affecisset, dum mediam barbæ illorum partem abrasit, & vestes fœdè & ignominiosè præscidit. Idem Dauid bellum mouit in Seba filium Bochri, quòd populum ad defectionem sollicitasset. Et Principes Christiani non accipient arma contra infideles Turcas, quos vident captiuos penes se tenere Christianos fratres suos, spoliasse propria hereditate, iniuria insuper afficere, & ne Christus, sed Mahumetes suscipiatur efficere?

Magna victoria fas in sacro bello.

Denique ex duplici adhuc fructu vel fine, vno proximo altero remoto, animari deberent Principes nostri ad hoc sacrum bellum. Proximus est victoria, quæ in omni bello spectatur: ideò namque bellum gerimus, vt de hoste victoriam comparemus. Ea verò certiùs in hoc bellandi genere speratur, quàm ex alijs castris, quia castra nostra castra sunt Domini, ideoque Deum singularem patronum habemus. Optimè enim S. Augustinus in Epist. 194. ad Bonifacium Comitem: *Graui de pugna conquereris. Dubites nolo. Vtile tibi tuisq; dabo consi-*

Digitized by Google

conſilium. Accipe arma, oratio aures pulſet auctoris: quia quando pugnatur, Deus ſpectat, & partem quam inſpicit, iuſtam ibi dat palmam. Finis remotus eſt, quia præter recuperationem propriæ hereditatis, & alia à nobis indicata, aperietur oſtium ad prædicationem Euangelij in partibus iſtis, ad conuerſionem animarum, & vt fiat vnum ouile & vnus Paſtor: quod profectò (mihi credant Chriſtiani Principes) numquam conſequemur abſque ſacro bello. Quæ enim ratio perſuadere poteſt animo vel leuiter ſapientis, gentes iſtas ad Chriſtum adduci poſſe, dum ſub tyrannide manent hoſtium Chriſti? Quomodo recipient ij verbum Chriſti, quibus mortis pœnâ præceptum eſt, in rebus religionis ne verbo ſed ferro depugnent, niſi priùs ab illis auferatur ferrum?

Aperitur oſtium Euangelio.

Igitur vt Chriſtiani Principes tot colligant ſacræ militiæ fructus, exurgant, & gladio & ſcuto, ſpiritualibus & materialibus armis, procedant aduerſus beſtias illas vineam Domini ſabaoth euertentes, & certi ſint, ſe, Deo opitulante, non maiori cum difficultate, ac iuuenis & inermis Dauid immanem gigantem proſtrauit & occidit, de illis victoriam conſecuturos. *Securè proinde* (vt verbis vtar S. Bernardi Sermone ad Milites cap. 3.) *diſſipentur gentes quæ bella volunt, & abſcindantur qui nos conturbant, & diſperdantur de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem: qui repoſitas in Ieroſolymis Chriſtiani populi inæſtimabiles diuitias poſſident, ſancta polluunt, & hereditatem & ſanctuarium Dei occupant. Exerat gladium vterque fidelium in ceruices inimicorum, ad deſtruendam omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, quæ eſt Chriſtianorum fides; ne quando dicant gentes: Vbi eſt Deus eorum? Quibus expulſis reuertetur ipſe in hereditatem, domumq; ſuam, de qua iratus in Euangelio: Ecce (inquit) relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Et per Prophetam ita conqueritur: Reliqui domum meam, dimiſi hereditatem meam: implebitq; illud propheticum: Redemit Dominus populum ſuum, & liberauit eum, & venient, & exultabunt in monte Sion, & gaudebunt de bonis Domini.*

O vtinam verè addere poſſem, quæ idem S. Bernardus addidit, dicens: *Lætare Ieruſalem, & cognoſce iam tempus viſitationis tuæ. Gaudete & lætamini ſimul deſerta Ieruſalem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Ieruſalem, parauit Dominus brachium ſuum ſanctum in oculis omnium gentium. Virgo Iſraël corrueras, & non erat qui ſubleuaret te. Surge iam, excutere de puluere virgo captiua filia Sion. Surge, inquam, & ſta in excelſo, & vide iucunditatem, quæ venit tibi à Deo tuo. Non vocaberis vltrà derelicta, & terra tua non vocabitur ampliùs deſolata; quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: hoc tibi auxilium miſſum de ſancto. Omnino per iſtos tibi iam iamq; illa perſoluitur antiqua promiſſio. Ponam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in generationem & generationem, & ſuges lac gentium, mamilla Regum lactaberis. Et item: Sicut mater conſolatur filios ſuos, ita & ego conſolabor vos, & in Ieruſalem conſolabimini,* &c.

CAPVT LXXXVIII.

Recenſentur Principum variorum in Terram ſanctam expeditiones, vt ampliùs moueantur noſtri Principes ad inferendum de nouo bellum Turcis pro eiuſdem recuperatione.

PRæter hactenus à nobis propoſita, & Pontificum exhortationes in eorumdem Bullis recenſitas, magnam etiam haberent efficaciam ad commouendum fidelium animos pro ſacro bello aſſumendo, & Terra ſancta recuperanda, ſi attentè legerentur quæ ſub Coſrhoë Perſarum Rege in Terra ſancta paſſi fuerunt Chriſtiani, quando per eumdem ſubiugata & vaſtata fuit, acerbiſſimè ea deflente Antiocho monacho Palæſtino, viro ſanctitate ac doctrina celebri, Homilia 107. tum quæ Petrus Bleſenſis habet in publica Declamatione de Ieroſolymitana expeditione acceleranda, cuius exordium eſt, *Quis dabit capiti meo aquam*, &c. tum quæ idem ſcripſit Epiſtola 121. ad Decanum Rothomagenſem, & tandem ea quæ tradit de ſacris Cruciatis & expeditionibus in Terram ſanctam P. Iacobus Gretſerus de ſancta Cruce. Verùm vt ampliùs ſuadeamus & perſuadeamus fidelibus, & in primis Chriſtianis Principibus, ſacri belli ſuſceptionem, proderunt ante omnia heroica & illuſtria illa illuſtriſſimorum Heroum exempla, & inſtitutæ ſacræ expeditiones, quæ faciliùs atque efficaciùs mouere ſolent, quàm ornatu quocumque phalerata verba. Cùm enim homo, ſicut Seneca docet, plerumque potiùs credat oculis quàm auribus, ex conſuetudine vtique quam habet cum viro virtutibus prædito, ad earumdem virtutum imitationem non parum incitatur. Indicauerunt hoc illa Ezechielis animalia, quæ ſe mutuò alis percutiebant, & ad volandum incitabant. *Is planè ala ſua me percutit*, inquit Magnus Gregorius, *qui exemplo ſuo*

Exempla efficaciora verbis.

Digitized by Google

me ad benè viuendum prouocat: virtutisque iter, quod per præcepta longum apparet, per exemplа breue ac facile demonſtratur. Sic ait citatus Seneca: *Zenonem Cleanthes non expreſsiſſet, ſi eum tantummodò audiſſet. Vitæ eius interfuit, ſecreta perſpexit, obſeruauit illum an ex formula ſua viueret, & ad viuum expreſsit.* Pictoriam quis non facilè ſolis documentis addiſcet, quam tamen propoſito ſchemate faciliùs & perfectiùs aſſequetur. Veriſſimum ſanè tritum illud prouerbium, *Plus mouent exempla quàm verba.* Exempla ergo & nos proponamus, vt acriùs & calidiùs ſtimulentur & excitentur generoſiſſimi noſtri Principes, dedecorique ſibi ducant, tantorum virorum, quorum ipſi ſucceſſores ſunt, veſtigijs non inſtitiſſe.

Doctor Iacobus Valdeſius, ſcriptor Hiſpanus, in ſuo Opere de Dignitate Regum & Regnorum Hiſpaniæ, &c. cap. 9. ex diuerſis Scriptoribus quinque vel ſex Gallorum Regum & Principum ſacras expeditiones recenſet & laudat, & meritò: nam in iſto bellandi heroico genere ſingularia pietatis argumenta demonſtrarunt Chriſtianiſſimi Galliarum Principes. P. Iacobus Gretſerus generales in Terram ſanctam expeditiones tam Gallorum quàm aliorum Principum decem memorat, & pluribus explicat, cum prodigijs quæ in ipſis contigerunt; quas hic tantum recenſebimus, & compendiosè explicabimus.

Decem Principum expeditiones generales pro ſacro bello.

Sub Heraclio capta Paleſtina à Saracenis.

Poſtquam anno Domini 636. Heraclij Imperatoris anno 27. Saraceni ciuitatem Ieroſolymam poſt biennij obſidionem cepiſſent, populumq; Chriſtianum ſeruitutis Mahometanæ duriſſimo iugo oppreſſiſſent; nec id exiguo aliquo tempore, ſed vſque ad annum 906. inuicta Occidentalium Principum dextera tam diuturnæ tyrannidi Saracenicæ finem impoſuit, Vrbano II. qui tum temporis Catholicæ Eccleſiæ clauum moderabatur, ſuggerente, & Petro Eremita Gallo (quem tamen quidam Hiſpanum fuiſſe volunt, inquit Gretſerus) ſuadente, ſed fortiùs eodē Summo Pontifice pluribus ſermonibus in Concilio Claramonte in Gallia congregato perurgente, prima ſub ſtrenuo Godofredo Bullionio Gallo expeditio in Terram ſanctam inſtituta fuit, operam ſuam conferentibus pluribus Principibus & innumerabili populi frequentia, qui incredibili feruore ſacræ militiæ nomen dabat. Accidit tum, vt poſt multa pericula & tribulationes plurimas diuino adiutorio ſuperatas, recepta fuerit ſancta ciuitas anno Domini 909. decima quinta die menſis Iulij, circa horam diei nonam, anno tertio, ex quo fidelis populus tantæ peregrinationis onus ſibi aſſumpſerat, præſidente ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Domino Vrbano Papa ſecundo.

Prima, Vrbano II. excitante, ſub Godofredo Bullionio.

Secunda generalis expeditio inſtituta fuit anno Domini 1101. milite ſat copioſo, & quoad numerum primæ pænè ſimilis, ſed non æquè proſpero ſucceſſu; quandoquidem omnis ille exercitus diuerſo tempore à Turcis funditus propemodum deletus fuit, præter paucos qui fuga ſibi & vitæ ſuæ conſuluerunt. *Secunda.* *Infelix eius ſucceſſus.*

Ratio infelicis euentus duplex adducitur: prima fuit defectus pietatis & religionis, inquit Tyrius; ſecunda, fraus & proditio Græcorum, ſemper felicitati Latinorum inuidentium. Vnde quemadmodum in prima expeditione Alexius Comnenus Græcus Imperator Conſtantinopolitanus, qui licet initio, vt ſcribit Abbas Vrſpergenſis, Summum Pontificem Vrbanum ſæpius rogauiſſet, vt totum Occidentem contra Barbaros pro defenſione Orientis concitaret; vbi tamen ſeriò rem agi animaduertit, Græcum ſe eſſe nequaquam oblitus (vt idem Abbas, Tyrius & alij non ſemel teſtantur) fideli exercitui Latinorum inſidias ſtruxit, & quæcumque potuit mala ei inferre non omiſit; vnde quidquid calamitatis extra Bulgariam in Thracia & Bithynia factæ militiæ euenit, id huius dolo, technis, verſutia, ſummoque applauſu euenit. Conuenienter nimirum ſuo ingenio egit, cui propterea, vt ſcribit Nicetas Choniates, propria vxor iam iam animam exhalaturo acclamauit: *O marite, tu viuens omnibus dolis inſtructus fuiſti, aliud dicere aliud ſentire ſolitus; & nunc è vita diſcedens, à conſuetudine iſta non diſcedis.* Ita & Alexius ille, qui ei in Imperio & impietate ſucceſſit, proditione & fraude ſua ſecundæ cladis cauſa exſtitit, vt ijdem Auctores & alij tradunt. Quare verò ita Deus permiſerit, ipſe nouit. Accidit iſta expeditio primo Balduini I. coronati Regis anno. *ob pietatis defectum, & Græcorum proditionem.* *Nequitia Alexij Græci Imperatoris.*

Tertia generalis expeditio fuit Conradi Romanorum Regis, & Ludouici Regis Franciæ. Cauſa huius inſtitutionis hæc fuit. *Anno Dominicæ Incarnationis* M. C. XLV. *incipiente, in ipſa ſacroſancta Natiuitatis Chriſti ſolemnitate, lugubre & miſerabile ex peccato Chriſtiani populi accidit in Oriente piaculum*, inquit Otto Friſingenſis. *Sanguinus enim quidam Halapenſis Syriæ ac Meſopotamiæ (excepta Antiochia & Damaſco) Princeps, Perſarum verò & Medorum Regis ſeu Soldani ſubditus, Edeſſam, quæ nunc Rohas dicitur, vnicum Ieroſolymitanæ Eccleſiæ pro magnitudine ac abundantia ſui refugium, cum infinita Saracenorū multitudine circumdedit, ac in ipſa, vt dixi, Natiuitate Domini irrupit, cunctis ibidē cum Epiſcopo vrbis Chriſtianis* *Tertia ſub Conrado Imperatore & Ludouico Rege Francia.* *Huius inſtitutionis cauſa.* *Edeſſa capitur, & Chriſtiani occiduntur.*

ſtianis in ore gladij occiſis, vel miſerabili captiuitate inſeruitutem redactis, Eccleſias Chriſti, & præcipuè B. Mariæ ſemper Virginis Baſilicam, & eam in qua Reliquiæ S. Thomæ Apoſtoli recondita ſunt, ad Saluatoris noſtri ignominiam intrò ferens ea quæ non licebat, fœdè polluit, Chriſtianisq; penitus exterminatis, vel tributo ſubactis, Saracenos ibi ad habitandum collocauit.

Rumor Edeſſana vaſtationis in Occidentem penetrauit.

Capta igitur vrbe Edeſſana, inquit Tyrius, *rumor lethalis memoriæ plenius perſonuit, & crebra fama diuulgabatur per Occidentem vniuerſum, quòd impia gens Turcorum non ſolùm vrbem prædictam, ſed populum amplius ſolito Chriſtianum prælijs & crebris nimiùm inuaſionibus affligerent. Erant qui verba huiuſmodi longè lateq; in populis & nationibus diſſeminarent, & deſides ex longa pace diſſolutas ad tantarum vltionem iniuriarum ſollicitarent prouincias.* Inter hos præcipuus fuit Eugenius Papa III. vir Deo plenus, qui, teſte Tyrio, *litteras efficaces & commiſeratione plenas ſcripſit ad Ludouicum Regem Galliarum, & omnes Regni illius Principes, pro Orientalis Eccleſiæ labentis & Ieroſolymitanæ periclitantis ſubſidio.* Et vt quod intendebat efficaciùs aſſequeretur, miſit etiam virum eximium, & omni exceptione maiorem, S. Bernardum, qui Principes fidelesque alios ad ſacram militiam excitaret, quod ille etiam fideliter & feliciter executus fuit & conſecutus.

Compatitur Eugenius Papa, atque pro ſubſidio laborat.

Idem quoque rumor peruaſit in Germaniam, vbi excitatus fuit Conradus Imperator cum ſibi ſubiectis populis, qui ſacræ expeditioni nomen dederunt. Conuentione inter eoſdem Principes facta ad ferendum auxilium Terræ ſanctæ, quoniam copioſiſſimum vterque ducebat exercitum, vt commodiùs illis prouideri poſſet, nec rixæ & diſſenſiones inter ipſos orirentur, ordinatè proceſſerunt. Primò Conſtantinopolim verſus profectus fuit Imperator, quem poſtea eadem via fuit Rex ſecutus; ſed non proſperè, quod piè volebant, obtinuerunt, imò, re infecta, maxima cum clade domum redire ſunt coacti. Cladis verò huius potiſſima cauſa fuit Manuel Græcus Imperator, qui, fatente Niceta Chomate, Scriptore Græco, tranſeunti Latinorum exercitui locis opportunis & anguſtis tramitibus inſidias ſtruxit, quibus non pauci interierunt. Græci item, occluſis portis ciuitatum ſuarum, Germanos, qui neceſſaria emptum venebant, admittere noluerunt, ſed funibus de muris ſuſpenſis, pecuniam priùs attraxerunt, & tum quantum vel panis vel aliarum rerum libebat, demiſerunt; imò ſæpiùs nihil prorſus demiſerunt, ſed auro argentoque attractis, e mœnibus ſe ſubduxerunt, atque inſuper famentes milites Chriſti dicterijs, ſannis, ſcommatibus, cauillationibus & iniurijs ad ſummum ludibrium vſque oneraruntur. Sed nec hoc ſatis, calcem immiſcuerunt farinæ quam Germanis ſat carè vendebant, atque eo modo plurimos interemerunt. Etſi autem Nicetas addat, neſcire ſe, vtrùm hæc commiſſa ſint iuſſu Manuelis, non eſt tamen dubitandum, addit Gretſerus, quin eo & imperante, iubente, volente, omnia iſta geſta ſint; quæ facilè credet, quiſquis ſequentia perpenderit. Fatetur enim idem Nicetas, Manuelis iuſſu ex improbo argento monetam eſſe cuſam, quæ ijs daretur qui ex Italico exercitu aliquid vendituri eſſent. Quo ſcelere quid atrocius? Fatetur porrò, nullum mali genus fuiſſe, quod Imperator non vel ipſemet Germanis intuliſſet vel alijs inferri auctor fuiſſet. Fatetur denique, Turcas eiuſdem Manuelis litteris inſtigatos, Germanis bellum intuliſſe, & circa Bachym, Pamplano quodam duce, plurimos ex ijs trucidaſſe: quamuis illa Germanici exercitus pars quæ per Phrygiam iter faciebat, aggreſſores Turcas ſtrenue ſuperauerit, multis illorum millibus cæſis, ipſo Nicera fusè ſtragem Turcarum & victoriam noſtrorum deſcribente. Hæc egerunt Græci contra Germanos. Imperatorium exercitum ſecutus fuit Galliæ Rex Ludouicus cum ſuo, & eamdem etiam cladem paſſus fuit: vnde irriti fuerunt illorum conatus, & propter peccata, & propter fraudes Græcorum, & potentiam inimicorum. Plura de his collegit Gretſerus capite 18. 19. & 20.

Diſſipatur exercitus Chriſtianorum dolo Imperatoris Græcorum.

Fraudes Imperatoris & Græcorum.

Quarta generalis expeditio, & quidem tripartita, fuit Friderici I. Imperatoris, Philippi Regis Franciæ, & Richardi Regis Angliæ, excitantibus Vrbano III. Gregorio VIII. & Clemente aſſumpta. Cauſa fuit, quòd Saladinus Turcarum Imperator anno Domini 1187. eamdem ſanctam ciuitatem occupaſſet. Verùm optatum non fuit conſecuta intentum. De hac plura citatus Gretſerus cap. 22. 23. 24. & 25.

Quarta imo Friderico Imperatore, Philippo Franciæ & Richardo Angliæ Regibus.

Quinta generalis in Terram ſanctam expeditio facta fuit *anno Dominicæ Incarnationis* 1193. inquit Otto de S. Blaſio, quando *multi de Ciſmarinis regionibus cruce peregrinationis accepta, ad auxilium tranſmarinæ Eccleſiæ accenduntur*, &c. mouente Cæleſtino ſummo Pontifice. de qua ſic Platina: *Mortuo Saladino, Cæleſtinus* (Pont. Rom.) *in magnam recuperandæ Ieroſolymæ ſpem veniens, Henricum Imperatorem, qui, mortuo Tancredo, Regnum Siciliæ occupauerat, ad bellum Aſiaticum adhortatur: quod cùm ipſe obire non poſſet, eò Moguntinum Archiepiſcopum, & Saxoniæ Ducem cum magnis*

Quinta indicitur à Cæleſtino.

copijs properè mittit, &c. Sed & iſta optato fine fruſtrata eſt. Plura citatus Gretſerus cap. 27.

Sexta ab Innocentio III.

Sextam expeditionem generalem poſt obitum Cæleſtini excitauit ſanctiſſimus & doctiſſimus Innocentius III. Pont. Max. & magna ſollicitudine, vt perficeretur inſtitit, nec iſta tamen optatum finem eſt aſſecuta. De iſta plura idem Gretſerus cap. 28.

Septima ſub eodem & Honorio III.

Septimam expeditionem idem Innocentius propoſuit, ſed morte præuentus ad exitum perducere non potuit: conatus quidem id eſt ſucceſſor eius Honorius III. ſed irrito & ipſe molimine. Gretſerus cap. 29.

Octaua ſub Friderico II. Romanorum Imperatore.

Octaua in Terram ſanctam expeditio à Friderico II. Romanorum Imperatore ſuſcepta fuit. Hic Imperator ab Innocentio III. quidem Cruce fuerat ſignatus, ſed diu nimis diſtulerat, etſi ſæpe à Summis Pontificibus Honorio III. & Gregorio IX. officij promiſſique ſui admonitus, interim nihilominùs tempore Honorij ius & titulum Regni Ieroſolymitani adeptus. nam, vt Platina ſcribit, *Ioannes Rex Ieroſolymitanus Friderico filiam ex Iole vxore ſuſceptam in matrimonium locat, eiq; ius illud condonat dotis nomine, quod ſibi hereditario iure in Regno Ieroſolymitano competebat. Hinc eſt quòd omnes Siciliæ Neapolitaniq; Reges titulum Ieroſolymitani Regni verbis, non etiam armis ſibi venditant.* Dum ergo non tantùm dies diem, ſed anni annos traherent, Honorius muneris ſui memor, non deſtitit Chriſtianos ad peregrinationem tranſmarinam exſtimulare. Hinc anno 1223. *miſſis prædicatoribus*, inquit Gotefridus, *circumquaque crucem prædicare fidelibus iterùm iubet, denuntians omnibus, vt poſt biennium, in natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ cum glorioſo Imperatore Friderico parati ſint mare tranſire.* Collectæ quidem fuerunt Principum & aliorum fidelium copiæ non negligendæ, ſed Friderico profectionem differente, diſſipatæ ſunt; vnde & à Gregorio Summo Pontifice excommunicatus fuit anno 1227. Tandem anno 1228. etſi non approbante Pontifice, nec ab excommunicatione abſolutus, profectus eſt ad Terram ſanctam, vbi inducias fecit cum Soldano Babyloniæ, *& reddita ſunt Chriſtianis*, inquit Epitome bellorum ſacrorum, *ciuitates ſcilicet Ieruſalem & Nazareth, & tenuerunt eas annis quindecim. Fluxerunt autem à captura Ieruſalem facta per Saladinum, vſque quò fuit reddita Chriſtianis ab Olequemel Soldano, anni quadraginta & vnus.* Et Vrſpergenſis inquit: *Fit compoſitio in Quadrageſima inter Imperatorem & Soldanum, Ieruſalem quoque & Nazareth, & Ioppe cum terris adiacentibus, & alijs quibuſdam locis Imperatori reſtituuntur, & tregua inter Chriſtianos & Saracenos vſque ad decem annos ſtatuitur.* His peractis, ad Chriſtianorum partes redijt Imperator.

Friderius inducias cum Saladino facit.

Ieruſalem & Nazareth ciuitates datur Chriſtianis, qui eas annis quindecim tenuerunt.

Diſcordijs Chriſtianorum deperditur Ieroſolyma, & eadem truncidantur.

Fortunata cenſeri potuiſſet hæc expeditio ob Ieroſolymam receptam, inquit Gretſerus, niſi domeſtica diſſidia & ciuilia bella hanc tantam felicitatem obſcuraſſent, vel potiùs corrupiſſent, data occaſione Saracenis recuperandæ Ieroſolymæ anno 1248. vt ait bellorum ſacrorum Epitome, *cæſis Chriſtianorum quinque millibus.*

Huic alteram expeditionem annecti poſſe, de qua Platina in Gregorio IX. inquit citatus Gretſerus cap. 30. vbi de his plura.

Nona à S. Ludouico Galliæ Rege.

Nona in Terram ſanctam expeditio ſuſcepta fuit à S. Ludouico Francorum Rege, incitante Innocentio IV. Summo Pontifice: ſed infeliciter ſucceſſit: nam ipſe cum pluribus Nobilibus à Saracenis captus, poſteà redemptus, ad ſuos redire coactus fuit. Plura Gretſerus cap. 31.

Decima expeditio ab eodem Sancto ſuſcepta.

Decima denique generalis in Terram ſanctam expeditio ſuſcepta fuit ab eodem S. Ludouico, & ab Eduardo Regis Angliæ filio, anno 1269. Hæc quoque expeditio non eſt adepta finem illum, quem ſibi propoſuerant Crucеſignati, licet adepta fuerit finem illum quem ſpectabat Deus, qui & ipſis Crucеſignatis procul dubio propoſitus fuit: neque enim hac in re quidquam ſpectabant, niſi id quod voluntas diuina aut volebat, aut permittebat. Poſt hanc expeditionem, inquit Gretſerus cap. 32. non inuenio aliam publicam, & quæ ſe generali nomine commendaret, rebus Chriſtianorum in Palæſtina ad occaſum tendentibus, Saracenorum autem proſperis ſucceſſibus in dies magis, occulto, ſed iuſtiſſimo Dei iudicio inualeſcentibus. Et quamuis non receperint Terram ſanctam fideles, non ideò mercede viriliter pro Deo certantibus priuati erunt, ſed illam à Domino cumulatiſſimè recipient, quoniam tribuet vnicuique ſecundùm proprium laborem.

Placuit has ſacras expeditiones recenſere, vt & modò noſtri Chriſtiani Principes, intuiti eximios illos Heroas (quorum priores, nullo præuio exemplo, tam intrepidè & viriliter tantas tanti itineris moleſtias ſubierunt; poſteriores verò, etſi viderent, prioribus ſæpè ſuos conatus improſperè ceſſiſſe, non propterea à debito munere præſtando fuerunt deterriti, ſed magis illorum heroicis exemplis velut calcaribus incitati, eamdem viam aggreſſi fuerunt) illis non ſint diſſimiles, præſertim tot iam ſtimulis tot calcaribus incitati. De Themiſtocle Athenienſe ſcribit Plutarchus, quòd lauda-

Opuſc. de Profec. vir. ſeu mor. non longè à fine.

tas

tas apud omnes Athenienſes Milthiadis res per virtutem geſtas adeò imitari ſtuduerit, vt dicere conſueuerit: *Milthiadis trophæa è ſomno me excitant, & quietem capere non ſinunt.* Et noſtri Principes modò excitari ſe patiantur ſimiliter non quidem vnius Milthiadis exemplo, ſed innumerabilium Principum cùm Eccleſiaſticorum tum ſæcularium zelo, munificentia, & rebus alijs pro Terræ ſanctæ recuperatione egregiè geſtis, quò & ipſi ſimilia aggrediantur, de diuino auxilio confidentes; ſicque facti alienis periculis cauti, quod alij non obtinuerunt, ipſi feliciter aſſequentur.

Ioui exemplificatur.

Huic iam Capiti, materiæ & Libro coronidem impono verbis Summi Pontificis Innocentij III. quibus ipſe in eodem argumento vſus fuit in Concilio Lateranenſi Sermone 1. nomine afflictæ Ieroſolymæ & ſuo: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus. Ergo tranſite ad me omnes qui diligitis me, vt à tanta miſeria me liberetis. Ego enim, quæ ſolebam eſſe domina gentium, modò facta ſum ſub tributo: quæ ſolebam eſſe plena populo, modò ſedeo quaſi ſola. Viæ Sion lugent, eò quod non ſint qui veniant ad ſolemnitatem. Facti ſunt hoſtes eius in capite, loca ſancta profanata ſunt vniuerſa, & Sepulchrum Domini eſt inglorium, quod ſolebat eſſe glorioſum. Vbi colebatur vnigenitus Dei Filius Ieſus Chriſtus, modò colitur filius perditionis Mahometus. Inſultant mihi filij alieni, & impròperant lignum Crucis, dicentes: Confidebas in ligno: ecce nunc adiuuet ſi poteſt. O quantus pudor, quanta confuſio, quantum opprobrium, quòd filij ancillæ vilißimi Agareni, detinent matrem noſtram, matrem vniuerſorum fidelium, ancillatam! Illam vtique de qua dicit Pſalmiſta: Mater Sion dicet, Homo & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altißimus. Vbi Deus Rex noſter ante ſæcula, ſalutem in medio terræ dignatus eſt operari.* Cui, ſemper & vſquequaque benedicto, ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Innocentij III. exhortatio.

HISTO-

HISTORICÆ THEOLOGICÆ AC MORALIS ELVCIDATIONIS TERRÆ SANCTÆ

LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM.

AGITVR de multiplici peregrinatione, externa, honesta siue profana, ac interna spirituali; & illam ad loca sancta Terræ promissionis, in eisdemq; mansionem licitam, vtilem atque plurimùm meritoriam esse, pluribus explicatur. Quibus illa peregrinatio ac mansio conueniat, & quomodo instituenda sit, aperitur. De assensu exhibendo ijs quæ de sanctis locis referuntur, deq; eorum veneratione disseritur. Ac denique, pios fideles opem ferre debere sanctis locis, pro illorum honesta conseruatione, ostenditur.

CAPVT I.

Variæ peregrinationum differentiæ adducuntur, inter quas externam, honestam ac religiosam in se quidem, sed in primis ad loca sancta Palæstinæ, homini Christiano licitam, vtilem ac meritoriam esse, sacræ Scripturæ testimonio comprobatur.

INITIO Libri primi huius Operis de Terra sancta verbis Spiritus sancti cohortabamur pios fideles, vt relictis spretisque fallacis huius sæculi curis, corporalibus & spiritualibus gressibus, vel si illis non concederetur, istis saltem accederent ad sacram repromissionis Terram, vt in ea, peculiaribusque illius locis, contemplarentur miranda Dei opera, & nostræ salutis mysteria in eisdem patrata, quæ occulta etiam vi memoriam eorumdem suggerunt, & affectum ad diuina inflammant; & horum gratiâ ipsa loca religioso cultu veneraremur. Vt id efficaciùs consequamur, eorumdem locorum historicam elucidationem, & alia ad idem argumentum spectantia, in isto tertio & vltimo primæ Partis Libro nostri Operis enucleare placuit, de varijs inquam peregrinationibus, & honesta ac religiosa Ierosolymitana, quàm vtilis ac fructuosa ea sit, vt & in sanctissimis locis mansio, deque alijs nonnullis scitu & obseruatione dignissimis. His enim præstitis & obseruatis, maiore affectu & studio accendentur fideles, vt piè laudabilem ad loca sancta peregrinationem assumant, atque in eisdem aliquamdiu maneant; illi videlicet, qui à Deo ad hoc vocati & destinati sunt, quorum animus magis exstimulabitur, si quæ de eisdem sanctis locis insequentibus secundæ Partis huius Historicæ Terræ sanctæ Elucidationis Libris dicturi sumus, attentiore mente perlegerint. In hoc primo Capite, præmissa explicataque multiplici diuisione peregrinationis, ex ipsis Scripturis sanctis explicare aggredimur laudem

dem & commendationem honestæ exterioris Ierosolymitanæ, idem argumentum in sequentibus copiosiùs & vberiùs prosecuturi.

Peregrinatio duplex, externa & interna.

Inter alias diuisiones peregrinationum duplicem inuenio proposito nostro admodum inseruientem, esse nimirum alteram externam, alteram internam seu spiritualem. Illa consistit in discessu & absentia à propria patria in huius vitæ statu, & propriè *peregrinatio* appellatur, cuius naturam & conditionem egregiè hisce verbis explicauit Ioannes Climacus: *Peregrinatio est omnium quæ sunt in patria constantissima desertio, quibus à pietatis destinatione atque exercitatione impedimur. Peregrinatio est omni confidentia noxia vacuus affectus, ignota sapientia, publicum fugiens prudentia, secreta via, inuisibilis destinatio, occulta cogitatio: vilitatis appetitus, angustia desiderium, diuini affectus argumentum, amoris copia, inanis gloriæ abnegatio, silentij profundum.* Ita Climacus, qui & plura alia obseruatione digna de hac peregrinatione refert.

Externa quid.

Climacus Gradu 3. refertur Tom. 5. Biblioth. veterum Patrum.

Interna.

Interna seu spiritualis peregrinatio dicitur secundùm quamdam analogiam ad exteriorem, in qua (velut in illa externa peregrini, proprijs relictis ædibus, diuersas obeunt regiones) spirituales peregrini affectu & desiderio se à terrenis proprijsque abducunt, & affectibus, cùm effectibus haud detur, se transferunt quò gressibus corporis eunt corporales peregrini.

Vtramque hanc peregrinationem breuiter & eleganter descripsit simul & distinxit S. Augustinus in Psalmum 119. dicens: *Corpus peregrinatur loco, anima affectibus.*

Vtraque duplex, sacra & profana.

Vtraque hæc peregrinatio diuidi potest non incongruè in sacram seu religiosam, & non-sacram seu profanam, idque ratione finium. Sacra erit, quæ finem sacrum ac cælestem spectat: profana, cui finis temporalis propositus est. De externa & sacra peregrinatione, vtpote præcipua, & ad quam singulariter pios hortamur fideles, plura dicemus, pauciora de spirituali & profana.

Sacra externa peregrinatio valdè est meritoria.

Dicimus igitur, peregrinationem externam religiosam quamcumque, præsertim tamen eam quæ instituitur ad Terram sanctam, licitam, vtilem, meritoriam, Deoque acceptam plurimùm esse. Hoc quòd asseramus, mouemur non tantùm quia inter ea recensentur quæ sunt consilij, sed etiá quia nostra Palæstinæ aliquando ab ipso Deo præcepta, & ob illius obseruantiam digna mercede compensata, & à præstantibus quà doctrina quà pietate viris cum laude obita & frequentata fuit, vt ex sacris Litteris atque alijs Ecclesiasticis Scriptoribus edocemur.

Reijciuntur illam damnantes.

Sunt qui qualibet ad quæuis loca sancta peregrinationes damnent, causati eas à Deo non esse præceptas, ideoque frustrà, & fortè etiam perperàm assumi sibi persuadent. Sed præposterè hi ratiocinantur: non enim solùm opus præceptum, sed & quodlibet aliud honestum parit meritum, & cum laude ac fructu perficitur. Ecce enim consilia Euangelica non sunt vtique præcepta, & tamen illorum obseruantia laudabilis admodum ac meritoria est, ex testimonio ac pollicitatione Saluatoris. At ex horum numero est peregrinatio. Hoc verò nostra Terræ sanctæ amplius habet, quòd inueniatur aliquando fuisse præcepta, & in lege naturæ, scripta & Euangelica laudabiliter frequentata.

Peregrinatio Terræ sanctæ aliquando præcepta:

In lege naturæ.

In primis in lege naturæ, antequam Dominus sua corporali præsentia, & salutis nostræ mysterijs Terram promissionis sanctificasset, peregrinari ad eam præcepit Abrahæ, dicens: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in Terram, quam monstrauero tibi*, Genes. 12, 1. id est in terram Chanaan. Et tamquam operi bono ac meritorio mercedem addixit Dominus, dum subiunxit: *Faciamq; te in gentem magnam.* Omitto, quod ex quadam recepta antiquitus traditione docuit S. Basilius, protoplastes nostros, cùm propter diuinum mandatum violatum mortis & æternæ damnationis rei effecti, è terrestri paradiso, in quo tamquam domini positi fuerant, fuissent eiecti, & in hanc miseriarum vallem amandati, vt offensum Numen sibi conciliarent, & ab æterno interitu liberari mererentur, magno cũ labore mundum hunc peragrasse, & venisse in Iudæam terram, vbi tandem misericordiam obtinuerunt. Præter Abrahamum peregrinati fuerunt ex eo progeniti Isaac & Iacob, vt patet ex Genesi; sic etiam reliqui Israëlitæ, qui ex præcepto Domini egressi ex Ægypto duce Moyse, per deserta Arabiæ peregrinati, ad Terram sanctam properarunt, atque ad eamdem tandem per Iosue introduci meruerunt, vt pluribus tum alibi, tum singulariter Exodi, Numerorum, Deuteronomij & Iosue libris videre est.

Primi patres ad hanc terram peregrinati.

Abraham, Isaac, Iacob, & Hebraei alij.

In lege scripta.

Deinde in lege scripta præcepit Deus filiis Israël, vt ter quotannis ad Tabernaculum, vel Templum Domini peregrinationem instituerent. *Tribus vicibus per annum*, dixit Dominus in Deuteron. 16, 16. *apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit: in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum.* Locus verò quẽ sibi elegerat Dominus, est Terra sancta, & ciuitas Ierusalem, vt dixit idem

Iudæi ex præcepto Domini ad Terram sanctam peregrinari iubebantur.

idem Dominus Salomoni: *Elegi, & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum, ibi cunctis diebus*, 2. Paralip. 7, 16. Pluries verò volebat Deus Israëlitas in anno visitare locum sanctum, propter plura in illos collata beneficia. Primò, pro memoria celebranda suæ liberationis de manu Pharaonis & Ægyptiorum, tenebantur conuenire ad solemnitatem Phase siue Paschæ; secundò propter acceptam legem conueniebant ad solemnitatem Pentecostes; tertiò tandem pro sua in deserto conseruatione conueniebant ad festum Tabernaculorum. Et de his tribus festis loquitur eo loco Dominus.

Diuersa Iudæorum festa pro diuersis beneficiis.

Ratione verò aliorum à Deo acceptorum beneficiorum alios insuper dies festos habuerunt. Hoc tamen clementissimus Deus indulsit, vt qui longè habitarent ab Ierusalem, non tenerentur conuenire ad festum Pentecostes vel Tabernaculorum, quamuis ad primum, nimirum Paschæ, conuenire omnino tenerentur, vt in adductum Deuteronomij locum adnotauit Lyranus, etiamsi procul à Ierosolymis habitarent. Et mandatum hoc fideliter à Iudæis obseruatum fuisse, docent varia exempla tum veteris tum noui Testamenti. In veteri Elcana cum vxore sua Anna proficiscebatur de sua ciuitate statutis diebus, vt adoraret & sacrificaret Domino exercituum in Silo. Samuel & populus ad eumdem finem ibant frequenter in Galgala, & posteà ædificato Ierosolymis Templo, crebertimè illuc itare, ac peregrinationibus id frequentare solebant Iudæi, vt in libris Regum & alibi legimus.

In lege gratiæ fuit frequentata.

Sed & in nouo Testamento, & tempore legis gratiæ, non fuit intermissa laudabilis illa consuetudo peregrinandi. Maria & Ioseph cum puero Iesu venerunt à Nazareth in Ierusalem ad Templum Domini, facturi secundùm consuetudinem diei festi: & magnus ille comitatus redeuntium ex Ierusalem versus Galilæam, in quo eumdem Iesum amissum requirebant parentes eius, testimonium perhibet propositæ veritati. Et sanè quod verbo non præcepit Christus, suo exemplo consuluit: quandoquidem de eo frequenter legamus, ipsum ascendisse è Galilæa in Iudæam ad Templum. Et quidnam fuit eius vita, nisi continua quædam in Terra sancta peregrinatio? Egressus enim de sinu Patris à sedibus æternitatis, venit in vterum Virginis, ex Virginis vtero venit in præsepe, de præsepi iuit ad Templum, à Templo in Nazareth, è Nazareth fugit in Ægyptum, ex Ægypto redit Nazareth, & inde ad Templum: & assiduè toto vitæ suæ spatio statutis temporibus, spreto etiam mortis periculo, itabat ad Templum in Ierusalem, vt quod lex præcipiebat adimpleret; vt non immeritò, ad eius peregrinationem respiciens Ieremias, dixerit: *Exspectatio Israel, Saluator eius in tempore tribulationis: quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* Ierem. 14, 8. Et peregrinus aliquando per excellentiam nuncupatus fuit. Cui respondet quod ipsemet Christus aliquando hisce verbis testatus fuit: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*, Matth. 8, 20. Eadem Ierosolymam peregrinandi consuetudo etiam post gloriosam Christi in cælos Ascensionem deinceps obseruata fuit, vt in Actibus Apostolorum reperimus scriptum hisce verbis: *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est*, Actorum 2, 5. Quare optime Cyrillus Episcopus Ierosolymitanus Catechesi 17. *Non tunc incepit Ierosolymitana peregrinatio*, hoc est, vel quando Christus passus fuit, quando innumerabilis Iudæorum multitudo conuenerat Ierosolymis ad festa Paschalia, vel posteà: *huc enim*, inquit, *externarum gentium multitudo vndique congregari; sed iam olim & deinceps continuata fuit. Etenim quando postremò per Titum Romanorum Imperatorem fuit obsessa & capta Ierosolyma, innumera peregrinorum multitudo eò conuenerat*, vt videre est apud Iosephum lib. 5. de Bello Iudaico cap. 14. &c. Et exinde semper frequentata fuit etiam cum magnis incommodis & periculis, ipsiusquemet vitæ discrimine, vt posteà videbimus.

Peregrinatio Ierosolymitana antiquitus.

Christi vita, peregrinatio.

Si igitur, vt dixit Magnus Gregorius, *omnis Christi actio nostra est institutio*, & sanctorum ac probatorum virorum egregia facinora ad similia patranda nos prouocant; cùm Christus Dominus ac Magister noster ad hanc Terram & in eadem peregrinatus fuerit, & alij præstantes ac laudati viri, vt æterno Patri rem gratam & sibi proficuam facerent, pro acceptisque beneficiis gratias agerent, idem fecerint; quare & alij Christiani, illi inquam quibus conuenit peregrinatio, eamdemque exequendi facultas suppetit, propter similes & easdem rationes cum Christo & Sanctis eius semel saltem in vita non peregrinentur ad Ierusalem terrestrem, vt posteà cum eisdem quiescant & sine fine lætentur in cælesti? &, vt argumentatur sanctus Hieronymus, si filij Israël pluries in anno pro acceptis à Deo beneficiis se ad Templum Ierosolymitanum conferebant, quare maioribus ditati Christiani, liberati nimirum non à tyran-

Exemplo Christi, & aliorum exhortamur ad Terra sancta peregrinationem.

nide

nide Pharaonis, & Ægyptiorum ſeruitute, ſed à dæmonis ac peccati captiuitate; donati non lege graui & timoris, ſed ſuaui & amoris, ſub vmbra alarum eius, & in gremio ſanctæ Catholicæ ſponſæ eius protecti; quare, inquam, non ſemel ſaltem in vita ſanctam Ieroſolymam & alia ſancta Palæſtinæ loca viſitabunt? Et ex his manifeſtè apparet, pias verſus Terram ſanctam peregrinationes licitas, vtiles, meritorias ac aſſumendas eſſe à piis Chriſti fidelibus. Videndus P. Iacobus Gretſerus, inſignis Societatis IESV Theologus, in Opere à ſe conſcripto de ſacris Peregrinationibus, in quatuor libros diſtributo, in quo plura vtilia & ſcitu digna, magno ſtudio congeſſit. Hic lib. 1. cap. 2. vere tradit, peregrinationem in Terram ſanctam primas inter omnes peregrinationes obtinere.

CAPVT II.

Eamdem ad loca ſancta peregrinationem, præcipuè verò Ieroſolymitanam, vtpote laudabilem & meritoriam, omnino obeundam eſſe, auctoritate, ratione, atque ſanctorum illuſtriumque virorum ex lege Euangelica deſumptis exemplis comprobatur.

ADeò laudabilis, fructuoſa & commendabilis eſt omnis ſacra peregrinatio, & præſertim ea quæ ad ſancta Palæſtinæ loca inſtituitur, vt omnis probandi ratio ei ſuffragetur, auctoritas inquam, ratio, & exempla.

Auctoritas nobis ad manum eſt multiplex, Conciliorum, Summorum Pontificum, Academiarum & Eccleſiaſticorum Doctorum.

Peregrinationes laudabiles eſſe, probatur auctoritatibus.

Ex Conciliis, quæ diſertis verbis peregrinationes laudant, præter alia, ſunt duo præcipua, Cabilonenſe & Tridentinum: quorum illud ſub Carolo Magno celebratum, Can. 45. docet, eorum deuotionem omnibus probari debere, qui pœnitentiæ cauſa ad limina Apoſtolorum vel alia loca ſancta peregrinantur; hoc verò patrum noſtrorum memoria habitum, ſeſſ. 25. huiuſcemodi peregrinationem piam ac ſanctam eſſe rectiſſime decernit.

Summi Pontifices approbarunt, dum vel ſanctam hanc peregrinationem laudauerunt, vel pœnitentibus pro admiſſis ſceleribus in ſatisfactionem iniunxerunt, vel loca ſancta viſitantibus indulgentias conceſſerunt, vel denique dum illius voti diſſolutionem ſolis ſibi reſeruarunt. Cletus Pontifex, referente Platina, aſſeruit, hominem plus mereri, ſi ſemel viſitet Romæ limina ſanctorum Chriſti Apoſtolorum Petri & Pauli, quàm ſi per duos integros annos ieiunaret; & ne quis aliquem à tam ſancto opere impediret, anathematis fulmine interdixit. Quòd ſi tantopere commendatur peregrinatio religioſa ad loca Apoſtolorum & aliorum Sanctorum, quantò magis commendari meretur noſtra ad loca ſanctiſſima, & ad electam Dei hereditatem?

In Confeſſione Catholica Academiæ Louanienſis de articulis controuerſis artic. 28. dicitur: *Sanctè & religiosè faciunt, qui loca Sanctis dicata, vnà cum ipſorum Reliquiis, religioſa pietate viſitant, & hoc modo ab ipſis opitulationem quærunt.* Academia Pariſienſis in artic. 14. declarationis fidei & religionis Chriſtianæ hæc habet: *Religiosè faciunt, qui loca Sanctis dedicata ex deuotione viſitant.*

Suffragantur denique plerique Eccleſiaſtici ſcriptores, quorum nonnullos infrà, dum exempla adducimus, referemus.

Ratio etiam aſſerto noſtro adſtipulatur, quæ nunc duplex occurrit, communis altera, altera particularis. Communis eſt, quia peregrinatio propter Deum & Sanctos eius aſſumpta, non eſt opus ex ſe malum vel in malorum claſſem referibile, ſed bonum; quia in ea debitus Deo honor & Sanctis veneratio defertur. eſt etiam opus valdè pœnale, honeſtum igitur, vtile, ac, diuina accedente gratia, meritorium; quæ ſi non adſit, ad illam ſaltem & ad pietatem deuotionemque peregrinos diſponit. Particularis hæc eſt. Peregrinus is eſt, qui à patria recedens, ad eamdem, exteris peragratis regionibus, redire ſatagit: itaque patria eſt terminus à quo & ad quem peregrini; vereque debet peregrinus ad patriam reuerti, tamquam ad ſuæ generationis principium, & ab omnibus naturæ ductu dilectũ, cùm in ea quilibet quòd ſit acceperit. Hinc ſecundùm ſapientis cuiuſdam placitum, pugnare pro ſalute ipſius, honeſtum, vtile ac laudabile eſt. Multò verò magis quilibet Chriſtianus Terram ſanctam, & à Deo præelectam, potiori amore quàm propriam patriam diligere deberet, quoniam ex illa nobilius ac ſublimius eſſe ei acceſſit, gratiæ videlicet, ſine qua eſſe naturæ nihil illi profuiſſet; imò obeſſet generatio, ſi regeneratio non adeſſet, quia per illam inimici, per hanc amici Dei conſtituimur. Quapropter fideles contendere deberent ad Terram ſanctam, & ad electam Ieruſalem properare tamquam ad proprium ſolum, vnde illis eſſe longè dignius, quòd videlicet Chriſtiani ſint & dici poſſint, prouenit.

Ratione.

Peregrinus quis dicatur.

Ieroſolyma magis quàm patria diligenda.

Exemplis suadetur Sanctorum.

Suppetunt denique in eiuſdem veritatis confirmationem exempla Sanctorum, quæ ſunt optima explicatio Scripturæ, rationis, laudabilium conſtitutionum ac conſuetudinum. De ſanctiſſimâ Deipara ſcribit S. Hieronymus: *Quamuis in ſpiritu eſſet, tamen cùm in carne viuebat, carneis mouebatur ſenſibus, & ideò locorum ſanctorum Ieruſalem delectabatur viſitationibus.* Sed de hac viſitatione beatiſſimæ Virginis aliàs recurret ſermo. Paulus in itinere feſtinabat vt in Ieruſalé faceret Pentecoſten, Act. 20, 16. quem locum præter alia exempla adducit Hieronymus in Epiſtola 17. ad Marcellam, vt oſtendat, bonum eſſe ad loca ſancta peregrinari. Sanctæ illæ mulieres, quæ Chriſtum viuentem comitabantur, poſt eius mortem & reſurrectionem ſedulò illius Sepulchrum viſitabant, vt Euangeliſtæ tradunt.

Gentilium.

Etiam Gentiles veniebant vt adorarent in Ieruſalem, propria regione relicta, vt S. Ioannes ſcribit. Eunuchus Æthiops è longinqua regione veniebat adoratum in Ieruſalem, & Baptiſmi gratiam promeruit. Et hæc quidem exempla, præter alia ſuperiùs ex ſacra Scriptura relata, quę nullo modo reprehendi poſſunt, ſatis indicant, non eſſe inanem, ſed valde vtilem ac laudabilem ad loca ſancta peregrinationem.

Aliorum exemplis ex Eccleſiaſticis Scriptoribus acceptis.

Sed ex Eccleſiaſticis inſuper Scriptoribus hæc accipe. Bachiarius, vir Philoſophiæ Chriſtianæ, nudus & expeditus vacare Deo diſponens, etiam peregrinationem pro conſeruanda integritate aſſumpſit: & in quodam Opuſculo ſatisfacit Epiſcopis vrbis aduerſus querulos & infamatores peregrinationis ſuæ, indicans, ſe non timore hominum, ſed Dei cauſa peregrinationem ſuſcepiſſe, vt exiens de terra ſua & de cognatione ſua, coheres fieret Abrahæ Patriarchæ.

Alexander illuſtriſſimus martyr, quem ob antiquitatem (vixit enim centum annis ante tempora Conſtantini) pluris faciunt etiam ipſius Eccleſiæ Catholicæ hoſtes, *Ieroſolymam adorandi, & locorum ſanctorum videndorum gratia properauit*, vt Euſebius lib. 6. Hiſtor. cap. 9. & D. Hieronymus lib. de Viris illuſtribus, in Alexandro, tradunt.

S. Nicolaus adoleſcens, qui & ipſe vixit ante Conſtantini Imperium, voti cauſa peregrinatus eſt in Ieruſalem, & in ſignum quòd eius peregrinatio Deo eſſet grata & accepta, ab Angelo ei oſtium templi, quod ſummo manè inuiſere volens clauſum repererat, apertum fuit, auctore Simeone Metaphraſte.

Gaudentius Epiſcopus Brixianus ſcribit in Sermone de Dedicat. templi, ſe peregrinatum fuiſſe in Ieruſalem, & in itinere, cùm tranſiret per Cæſaream Cappadociæ, accepiſſe dono à duabus ſanctis mulieribus, neptibus Magni Baſilij, Reliquias Quadraginta Martyrum.

Caſſianus lib. 4. cap. 31. de Inſtitutis Monachorum mentionem facit Monachorum, qui orationis cauſa ad loca ſancta pergebant. *Quidam*, inquit, *Fratrum ad loca ſancta de Ægypti partibus orationis cauſa conuenerant.*

Palladius ſcribit in Hiſtoria Lauſiaca cap. 113. Philoromum Presbyterum bis voti cauſa peregrinatum fuiſſe Ieroſolymam, & item ex voto peregrinatum Romam ad limina Apoſtolorum, & Alexandriam ad Reliquias S. Marci.

Hîc non prætereunda Henrici Leonis, Saxoniæ & Bauariæ decantatiſſimi Ducis, peregrinatio in Terram ſanctam, de qua Godefridus in Annalibus ita ſcribit: *Ipſo anno* (id eſt, 1173.) *Henricus Dux Saxonum Ieroſolymam cum quingentis ferè militibus tetendit, felici prorſus vſus & honeſta per terram profectione & reditu: nam in eundo nullas Turcarum paſſus eſt inſidias, & à Rege Conſtantinopolitano honorificè ſuſceptus, & magnificè dimiſſus eſt.* In reditu quidam Paganus Rex *eum honorificè ſuſcipiens, plura & magnifica dona obtulit, omnesq; captiuos Chriſtianos, qui ſub Regno eius exulabant, interuentu Ducis abſoluit.* De eiuſdem Ducis peregrinatione ſcribens Arnoldus Lubecenſis lib. 2. Chronici Sclauorum, inter cetera hoc non reticendum monumentum pietatis ei ſtatuit: *Obtulit ad ſanctum Sepulchrum pecuniam multam, & Baſilicam, in qua lignum Domini repoſitum eſt, ornauit muſiuo opere, & oſtia eiuſdem Baſilicæ veſtiuit argento puriſſimo. Deputauit etiam reditus annuos ad cereos comparandos, iugiter ad ſanctum Sepulchrum arſuros.*

Nobilium mulierum.

Nec tantùm viri, ſed & illuſtriſſimæ nobilesq; mulieres quædam in noſtrum computum veniunt, quæ tanta pietate erga loca ſancta ferebantur, vt fragilis conditionis, ætatis, vel etiam dignitatis oblitæ, magno feruore ad illa peregrinatæ fuerint. Helena Imperatrix, Conſtantini Imperatoris pij pia mater, iam ingraueſcente ætate (erat enim octogenaria) vt ſcribit Theodoretus lib. 1. Hiſtor. cap. 18. velut dignitatis ſuæ oblita, contempto etiam ſexu femineo, adijt Ieroſolymam, loca ſancta viſitauit, & ibidem multas extruxit Eccleſias, perpetuum ſuæ pietatis ac nominis monumentum, quare miris effertur laudibus à ſacris Doctoribus, Euſebio lib. 3. de Vita Conſtant. D. Ambroſio de obitu Theodoſij, & alijs.

Melania illuſtriſſima femina, Româ Ieroſo-

rosolymam profecta, ibi occupabatur in suscipiendis peregrinis ex toto orbe venientibus, vt auctor est Palladius in Historia Lausiaca cap. 118.

Socrates scribit lib. 7. cap. pænult. Eudociam, Theodosij Iunioris vxorem, ex voto Ierosolymæ peregrinationem susceptisse.

Omitto nunc nobilissimam ac sanctissimam Paulam Romanam, eius filiam Eustochium, aliasque præstantes mulieres quę pietatis ergò ad loca sancta peregrinatæ fuerunt, quoniam de his alibi opportuno loco incidet sermo. Et quod magis mirere, addo, tantum fuisse Sanctorum veterum vtriusque sexus zelum studiumque erga horum locorum, quæ suis vestigijs Saluator mundi consecrauit, venerationem, vt eò se turmatim ex remotissimis orbis angulis contulisse tradantur. Chronica quædam manuscripta apud Ratisponenses Monachos ad consecrati Petri memorant, ex vna Synodo per S. Patritium in Hibernia celebrata, eiusque mandato, incredibilem numerum sanctorum virorum Ierosolymam peregrinatum, eorumque plures martyrio, vel inedia & laboribus viarum inter infideles gloriosè obijsse. Ad quam velut ab antiquo genti illi inditam pietatem alludit VValafridus Strabo, antiquus Auctor, in Vita S. Galli Abbatis Hiberni, dicens, his peregrinationum sacrarum studium conuersum fuisse quasi in alteram naturam. Et Andreas Brunnerus è Societate Iesu in Annalibus Boiorum Part. 2. lib. 9. pag. 686. *Colomannus Hiberniæ Regum sanguinis, auitam propriamq; gentis suæ pietatem æmulatus, purpuram centone mutauerat, vt Deo, ad cuius cunas properabat, similior iret, eiusq; paupertatis vestigia confidentiùs adoraret*, &c. Hæc ille de S. Colomanno martyre Austrio, & Viennæ metropolis Tutelari.

Ex Hibernia plurimi Ierosolymam peregrinati.

In ijsdem etiam Chronicis Ratisbonensibus legitur, S. Macarium Monachum cum trecentis sacræ peregrinationis socijs & confratribus Ierosolymam profectum, fortassis tunc, cùm anno 1064. memorante Mariana Scoto, *Sigefridus Maguntinus Episcopus, Traiectensis Episcopus, Bambergensis Episcopus, & Ratisbonensis Episcopus cum multis alijs numero septem millibus Ierosolymam peregrinati sunt.*

Sanctum Cathaldum etiam, Tarentinorum in Italia nostra Episcopum & Apostolum, ex Ierosolymitana peregrinatione peracta eò reuersum, monente Angelo, memorant Moroni Fratres in eius Vita, quam satis eleganti carmine & prosa olim Romæ ediderunt ex antiquissimis illius vrbis monumentis.

Ex mulieribus eiusdem gentis, inter alias quæ sanctam Ierosolymorum peregrinationem obierunt, recensentur sanctæ virgines & martyres Brigida & Maura sorores, & Hispadius frater, pariter & martyr, quarum commemoratio in Beluacensis diœcesis Breuiario alijsque Scriptoribus celebris est; quibus etiam in eadem diœcesi Ecclesia Parochialis dedicata est haud diu post ipsarum martyrium, imò pænè ipsis adhuc viuentibus, hoc est circa annum Domini quingentesimum, quæ *Nongentum virginum* nuncupatur, quam postmodum S. Ludouicus Galliæ Rex ampliauit & instauauit, vbi etiam earum Reliquiæ miraculis hodieque claræ asseruantur, & singulis annis illarum festiuitas magna populi frequentia celebratur; pars præmij obitæ peregrinationis: post reditum etenim à peregrinatione Ierosolymitana, ibi simul martyrium passi fuere, & ad meritum sanctæ peregrinationis, aliorumque bonorum operum, duplicatam virginitatis ac martyrij palmam addiderunt.

Mulieres Hibernæ Ierosolymam peregrinatæ.

Prolixior texi posset catalogus Sanctorum, etiam celebriorum, qui ex vnius huius remotissimæ insulæ incolis loca sancta magno feruore inuisisse traduntur, præsertim in Opere de Sanctis Hiberniæ per Patrem F. Hugonem Vardeum, Hibernum Minoritam Theologum, peruigili studio conscripto. De huius insulæ Sanctis, & alijs in vniuersum qui Terræ sanctæ peregrinationem susceperunt, videri possunt Surius & Baronius tum alibi, tum singulariter Tom. xi. ad annum Christi 1002. num. 21. & ad annum 1064. num. 33. & sequentibus, vbi ostendit, quantum olim ista peregrinatio frequentata fuerit ab ipsis etiam Principibus & Episcopis.

Quæ hactenus diximus robur accipiunt à grauissimo duorum grauissimorum Patrum testimonio, vt alios nunc præteream. S. Bernardus Sermone ad Milites Templi cap. 9. ostendit, suo tempore, post captam videlicet à Godofredo Ierosolymam, fuisse ex omnibus mundi partibus magnum ad eam peregrinorum concursum. *Hæc*, inquit, loquens de his quæ Ierosolymis tunc agebantur, *Ierosolymis actitantur, & orbis excitatur. Audiunt insulæ, & attendunt populi de longè, & ebullunt ab Oriente in Occidentem, tamquam torrens inundans gloriæ gentium, & tamquam fluminis impetus lætificans ciuitatem Dei.* S. Hieronymus mira & plura scripsit in huius argumenti, quod tractamus, confirmationem. In primis in aurea illa iam commemorata Epistola, quam nomine Paulæ & Eustochij filiæ eius, commorantium apud Bethleem

Antiquitatis & frequentia Ierosolymitanæ peregrinationis duo testimonia.

tis omnibus caducis, Deo magis per charitatem & amorem vniatur. Sed in peregrinatione locorum ſanctorum, & in eiſdem manſione, plura & perfectiora concurrunt bona quàm in aliis; multa enim in ea impedimenta ſalutis & occaſiones peccandi tolluntur, & alia commoda afferuntur, quæ non tam facilè in aliis dignoſcuntur, igitur præcellit ceteras.

Aſſumptio in hunc modum probatur. Vera eſt doctrina Ariſtotelis, & ab omnibus recepta, quam docuit lib. 2. Ethicor. cap. 3. & lib. 8. Ethicor. cap. 2. tria eſſe bonorum genera, quibus homines ad operandum mouentur; aliud quod vtilitatis, aliud quod honeſtatis & dignitatis, tertium quod delectationis ſpeciem habet. Quæ omnia in hac peregrinatione, & præſertim ſi eidem copuletur manſio in ſanctis locis, ſingulariter concurrere arbitramur, quæ non ita facilè in aliis inueniemus. Ita enim fermè comparatum eſt, vt quæ ſalubria ſunt, eadem amara & inſuauia guſtatu videantur; quæ verò dulcia & iucunda, rarò cum dignitate coniuncta ſint. Sed cùm hoc, de quo loquimur, bonum ſpirituale ſit, nulla boni parte ſiue ratione vacabit.

Tria bonorum genera, vtilitatis, honeſtatis, & delectationis.

Et vt ab honeſto bono Ieroſolymitanæ peregrinationis noſtra ordiatur oratio, honeſtum eſt, loca parentum noſtrorum inuiſere, eorumdemque curam habere, eaque venerari, præſertim conſignata illuſtriſſimis atque heroicis illorum operibus. Et ex hoc præſertim capite videtur habuiſſe originem peregrinatio, non ſolùm apud fideles, verùm etiam apud infideles ipſos. Olim enim cùm fides apud Iudæos vigeret, ibant illi Ieroſolymam, qui longè aberant, vt terram à ſuis Patribus, Abraham, Iſaac, Iacob, &c. propriis pedibus calcatam, cæleſtibus reuelationibus illuſtratam, nec non illorum heroicis actibus celebrem viſitarent, quod & nunc faciunt, etſi à fide naufragauerint. Viſere memorias patrum, opus adeò honeſtum, & ab omni mali ſuſpicione alienum arbitratus fuit proditor ille proprij parentis Abſalom, vt eo vſus ſit ad tegenda ſua contra patrem machinamenta. Dixit enim ad Dauid: *Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron*, 2. Regum 15, 7. Limina Apoſtolorum Romæ viſuntur à Chriſti fidelibus, quoniam ibi fides propagata, ipſaque vrbs martyrio & prædicatione ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & aliorum Sanctorum, perilluſtris, & toto mundo celebris reddita eſt.

Honeſtas Ieroſolymitanæ peregrinationis.

Exempla fidelium.

Calliditas palliata Abſalom.

Quin infideles ipſi fana idolorum adorant, & loca in quibus habitarunt quos coluerunt. An non populus Iſraël, qui à Deo & domo Dauid defecit, & adhæſit Ieroboam, aſcendit ad adorandum vitulum, quem erexerat impius ille Rex? Quid? Gentiles & Mahometani ipſi, fidei lumine prorſus deſtituti, loca quædam Palæſtinæ inuiſunt, vt Ieruſalem propter templum Salomonis, Sepulchrum Dauidis in monte Sion, & mauſolea Patriarcharum apud Hebron; quoniam hos, & Prophetas eius terræ incolas, veluti ſuos parentes venerantur; Mecham verò ſupra omnia, quoniam ibi Pſeudoprophetam ſuum Mahometem humatum eſſe arbitrantur, quamuis non niſi maximis periculis ac ſumptibus, propter Arabum incurſiones, aquæ defectum, itineris prolixitatem & arduitatem.

Exempla infidelium.

Gentiles ipſi, vel ſaltem proſelyti Iudæorum, propria regione relicta, ſpretis ſimiliter itineris laboribus, veniebant ex longinquis ad adorandum in Ieruſalem. Certè de iſtis ſcribit Ioannes: *Erant quidam Gentiles, ex his qui aſcenderant, vt adorarent in die feſto*, Ioan. 12, 20. inter quos fuit Æthiops Eunuchus Reginæ Candacis, vt dicitur in Actis Apoſtolorum, qui & ad Eccleſiam recipi meruit.

Proſelytorum.

Philo lib. 1. de Legatione ad Caium, parte 2. narrat, Agrippam, maternum auum C. Caligulæ, templum inuiſiſſe & honoraſſe: & Auguſtum Cæſarem per litteras iuſſiſſe vndecumque illuc mitti primitias, inſtituto etiam ibi quotidiano ſacrificio: & Tiberium per viginti tres annos, quibus imperauit, antiquiſſimam templi religionem incolumen immotamq; modis omnibus ſeruaſſe. Qua ſanè viſitatione declarabant, illa loca præſentiâ Chriſti illuſtrata & ſanctificata, maiori religione frequentanda & colenda eſſe tam à Iudæis quàm à Gentibus Chriſti fidem agnoſcentibus, vt facto euenisſe compertum eſt, & ſuperiùs comprobatum. Igitur & nos quod honeſtiſſimum eſt faciemus Terram ſanctam viſitando, & in eadem commorando, cùm fide teneamus, in ea habitaſſe antiquos illos Proceres patres noſtros, Patriarchas, Prophetas, ſanctos Apoſtolos Chriſtique diſcipulos, alioſque illuſtriſſimos & in omni virtutum genere præcellentiſſimos viros, Chriſtum inſuper Dominum ex Virgine in Nazareth eſſe conceptum, in Bethleem natum, ibi prædicaſſe, miracula feciſſe, ac denique noſtram ſalutem operatum fuiſſe, & nullam eius terræ partem eſſe, quæ non fuerit præcipuis conſignata prodigiis. Accedit, hanc peregrinationem ex religionis virtute procedere, & ex ipſo Deo: igitur honeſta. Ac denique eſt opus meritorium & pœnale, vt ex dictis manifeſtum eſt, quo nimirum peccata delentur, quam etiam ob

Guilliam.

cauſam loco pœnitentiæ iniungitur: ergo bona eſt & honeſta.

Obiectionis ſolutio. Sed dices fortaſſe, hæc dici poſſe de qualibet peregrinatione ſacra, & non peculiariter de Ieroſolymitana. Non equidem abnuo, ſpeciali tamen quadam ratione de noſtra veriùs adſtrui affirmo. Recolat ſaltem probus Lector, quæ ſuperioribus Capitibus adſtruximus, vbi ritè probauimus, eam aliquando præceptam fuiſſe, ſemper item frequentatam ab inſigniſſimis viris ac mulieribus; quæ ſanè non parum ſingularem eius dignitatem & honeſtatem arguunt. Et vbinam, quæſo, terrarum corporaliter & viſibiliter conuerſatus fuit Chriſtus, beata Virgo, & tot alij celebres Sancti; aut vbi locorum æterna ſalus noſtra procurata fuit, quàm præcisè in Terra illa ſancta? An non ibi loquebatur Sanctis illis Dominus, veluti loqui ſolet amicus ad amicum? Quare vt Deo rem gratam facerent veteres illi Patres, modò Silo, modò Ieruſalé, modò Hebron, modò alia loca ſancta inuiſebant. Quid? Nónne ad Terram illam ſanctam per prodigia ac portenta varia Dominus ipſe ex Ægypto perduxit filios Iſrael, antequam, carne aſſumpta, gloria & honore coronatus habitaret in nobis? Et quid de ea ſtatuendum exiſtimatis, poſtquam in ea viſus & cum hominibus conuerſatus eſt Filius Dei? Spectat huc quod infrà, dum de Iordane agemus, dicturi ſumus, quemdam ſcilicet ſanctorum Patrum, qui orationis gratia ire volebat ad montem Sinæ, diuinitus fuiſſe admonitum vt ibi maneret vbi Chriſtus corporaliter habitauit, ad maiorem & ſpiritualem ſuum prouentum. Et in lectione veterum Patrum, & præſertim Hiſtoricorum, nihil occurrit crebrius, quàm Principum & Prælatorum, ſanctorumque virorum frequentes Ieroſolymam profectiones. Pontifices etiam ipſi vota peregrinationis Ieroſolymitanæ, vtpote quæ ſit ceteris honeſtior & vtilior, rariſſimè irritant, commutant, vel in eis diſpenſant; quin potiùs eam aliquando grauibus de cauſis fieri præcipiunt. Vnicum en proferamus exemplum.

Gulielmus Dux Aquitaniæ Ieroſolymam pœnitentiæ cauſâ profectus iubetur. Gulielmus Dux Aquitaniæ temporibus S. Bernardi fuit, ſi quis alius, in tuendo Anacleto ſchiſmatico Pontifice, & Innocentio legitimo oppugnando, obſtinatus & pertinax: exturbauerat ex ditione ſua Epiſcopos Catholicos omnes, & iureiurando ſeſe obſtrinxerat, numquam pacem cum illis ſe habiturum. Et quia omnes nouerant obduratum cor eius ad malum, & ferociam ac ſuperbiam hominis verebantur, nemo erat qui eum admonere auderet. Placuit Domino per ſeruum ſuum Bernardum cor huius obdurati hominis viſitare, & ſcintillam non paruam diuini amoris in pectore ipſius accendere. Continuò igitur ex leone agnus, ex ſuperbo humilis, ex pertinace obedientiſſimus factus, ad vnum S. Bernardi verbum Epiſcopum Pictauienſem amicè complexus, in Sedem ſuam manu ſua repoſuit. Et quod omnem admirationem ſuperare videtur, cùm quæſiuiſſet à quodam Eremita remedium animæ ſuæ ob admiſſa peccata, & ille iuſſiſſet, vt loricam æream ſuper nudam carnem indueret, & clauis ferreis ita claudi & conſtringi ſineret, vt numquam illam exuere poſſet, continuò paruit: & miſſus ab Eremita ad Summum Pontificem pro abſolutione recipienda, dicto obediuit. Cumque Summus Pontifex ſuſpicaretur, eum non ex corde pœnituiſſe, vel vt patientiam eius experiretur, iuſſit illum Ieroſolymam peregrinari, & à Patriarcha ciuitatis illius abſolutionem petere. Gulielmus mox iter arripuit, & mandatum Pontificis adimpleuit. Ecce quàm magni æſtimatur Ieroſolymitana peregrinatio, vt quæ poſt aliam ad limina Apoſtolorum, & alia pœnitentiæ ſigna, præcipiatur in teſtimonium veræ pœnitentiæ ac patientiæ? Quis igitur de eius honeſtate ſupra ceteras iam porrò dubitabit?

Hinc iam ad bonum vtile, quod ſecum affert, gradum faciamus. Præter dicta quæ ad id faciunt, placet ſubijcere vtilitatem, quam idem Gulielmus Princeps huius peregrinationis beneficio conſecutus eſt. Ex potentiſſimo nimirum Principe humilis Monachus factus eſt: tantumque in regulari diſciplina profecit, vt vix vllus eius ætatis Monachus eſſet, qui demiſſione, patientia, paupertate, deuotione & pietate eum ſuperaret. Ecce vtilitas huius peregrinationis. Vin' aliud bonum vtile? Per illam peccatorum remiſſio acquiritur, patientiæque, humilitatis, fidei, aliarumque virtutum actus ſtrenuiſſimi exercentur: vt taceam, plura inſuper addiſci vtilia, præſertim ad clariorem & vberiorem ſacræ Scripturæ intelligentiam. Quantum verò vtilitatis & emolumenti percipiant ibidem permanentes, dicent ij qui experti ſunt, ſed & nos quædam in ſequentibus, quæ huc ſpectant, in medium adferemus. *Vtilitas.* *Gulielmus Dux fit Monachus.*

Reliquum nunc eſt vt oſtendamus, honeſtati & vtilitati huius peregrinationis delectationem & iucunditatem coniunctam eſſe. At verò hoc tandem creditu videtur difficile & pænè impoſſibile. Quæ enim delectatio, vbi tot terræ mariſque pericula, facultatum, imò & ipſius ſalutis & vitæ diſpendia? Quot enim, dum ſunt in itinere, vel in mari ſubmerguntur, vel à piratis intercepti ad triremes abripiuntur, vel caſu aliquo *Delectatio.*

Digitized by Google

aliquo occiduntur, vel alijs ex cauſis, nimirum ob aëris mutationem, & ob continuam omnium ferè rerum inopiam, illi præſertim qui delicatioris ſunt complexionis, è vita tolluntur?

Finis peregrinationis eam ſuauem facit.

Sed enim hæc non officiunt: omnia enim iſta iucunda & ſuauia redduntur ex fine quem ſibi proponunt huiuſmodi viatores, non modò primario, qui eſt vnio cum Deo & ipſius honor, ſed & ſecundario, videre videlicet oculis corporis & fidei loca illa, intueri egregia Chriſti & Sanctorum in eiſdem geſta: ſic enim omnia pericula & labores paruipenduntur, omnis amaritudo & triſtitia in dulcedinem & gaudium vertitur, vt in ſexto Libro de via, quæ ex Ieruſalem ducit Bethleem, dicemus. Seruire alteri, in ſe quidem iniucundum & inſuaue eſt; at iucundiſſimum & ſuauiſſimum, propter ſpem mercedis, & amantis amorem. Hinc Patriarchæ Iacobo, quamuis (vt inquit ſacer Textus Gen. 29, 20.) pro ſpecioſiſſima Rachele ſeptem integris annis ſeruierit, *videbantur pauci illi dies præ amoris magnitudine*. Apoſtoli quamuis fuſtibus cæſi, lapidati, carceribus recluſi, pericula maris & terræ perpeſſi, *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*, Actor. 5, 41. Sancti Martyres ad crates, flammas, equuleos, cruces, & alia tormenta raptati, quaſi ad ſuauiſſimas epulas traherentur, propter Chriſtum læti incedebant. Iuſti denique omnes in vigilijs, laboribus, aduerſitatibus & tribulationibus, quæ in ſeruitio Dei eis obueniunt, gloriantur, quoniam nouerunt, ſeruire Deo, regnare eſſe. Ita & qui ad loca ſancta Ieroſolymæ peregrinationem inſtituunt, in laboribus & periculis exteriores ſenſus & corporis oculos occludentes, illos verò interiores, mentis nimirum fidei lumine illuſtratæ, aperientes, vident ſe comitem Chriſtum habere, qui eos in itinere gratia ſua non ſit derelicturus, ſed poſt præſentis vitæ terreſtriſque Ieruſalem peregrinationem, æterna præmia, & eam quæ ſurſum eſt Ieruſalem largiturus. Quare cum Abraham de terra & cognatione ſua egreſſi, lætabundi in tribulationibus ac periculis gloriantur, præſtolantes optatiſſimam viſionis Terram, cuius ſola conſideratio quemlibet excitat ad dicendum cum Propheta: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Ieruſalem*, Pſal. 121, 1.

Paula Romana mirabilis conſtantia & affectus exemplum.

Hoc deſiderio, hac ſpe incenſa illuſtriſſima & numquam ſatis laudata Paula Romana, mundo quidem celebris, ſed Chriſto celebrior; fulgens naturalibus parentibus, & filijs: at longè virtutibus & Chriſtiana pietate fulgentior, hoc inquam deſiderio & ſpe videndi loca ſancta, & adorandi in loco vbi ſtetiſſent pedes Domini, Româ abiens, omnibus poſthabitis nauem conſcendit, in ſolum auctorem fidei & conſummatorem Ieſum reſpiciens. Et mirabile quidem & ſingulare in femina eſt, quod de ea ſcribit S. Hieronymus ad Euſtochium virginem, in Epitaphio Paulæ eius matris: *Deſcendit ad portum* (inquit) *fratre, cognatis, affinibus, & (quod his maius eſt) liberis proſequentibus, & clementiſſimam matrem pietate vincere cupientibus. Iam carbaſa tendebantur, & remorum ductu nauis in altum protrahebatur. Paruus Toxotius ſupplices manus tendebat in littore. Ruffina iam nubilis, vt ſuas expectaret nuptias, tacens fletibus obſecrabat: & tamen illa ſiccos tendebat ad cælum oculos, pietatem in filios pietate in Deum ſuperans. Neſciebat ſe matrem, vt Chriſti probaret ancillam. Torquebantur viſcera, & quaſi à ſuis membris diſtraheretur, cum dolore pugnabat: in eo cunctis admirabilior, quòd magnam vinceret charitatem. Inter hoſtium manus & captiuitatis duram neceſſitatem nihil crudelius eſt, quàm parentes à liberis ſeparari. Hoc contra iura naturæ plena fides patiebatur, imò gaudens animus appetebat, & amorem filiorum maiore in Deum amore contemnens, in ſola Euſtochio, quæ & propoſiti & nauigationis eius comes erat, acquieſcebat. Sulcabat interim nauis mare, & cunctis qui cum ea vehebantur littora reſpicientibus, ipſa auerſos tenebat oculos, ne videret quos ſine tormento videre non poterat. Fateor, nulla ſic amauit filios, quibus, antequam proficiſceretur, cuncta largita eſt, exheredans ſe in terra, vt hereditatem inueniret in cælo.* Hæc de Paula S. Hieronymus. Simile de S. Melania ſcribit idem Sanctus Epiſt. 25. ad Paulam de obitu Bleſillæ filiæ. Quare, vt concludamus, cùm quod honeſtum, vtile & delectabile eſt ſingulariter reperiatur in iſta Ieroſolymitana peregrinatione, ſingulariter etiam ceteras præcellere dicendum eſt.

CAPVT IV.

Eadem porrò peregrinatio Ieroſolymitana ceteris præfertur ratione finis.

SEd ex altero capite, id eſt, ex fine ſiue termino ad quem ducit noſtra hæc peregrinatio, ceteris præferenda videtur. Receptus tum Philoſophis tum Theologis eſt canon, quòd media, viæ, & motus ad terminum ſiue finem aliquem ab eo dimenſionem & denominationem ſuam accipiant. Hinc via quæ ducit ad S. Iacobum, Iaco-

Optationis ex fine denominantur.

bæa; & quæ Romam, Romana appellatur. Sic & paupertas, humilitas, caſtitas, &c. quoniam media ſunt & viæ ad cæleſtem beatitudinem aſſequendam, Beatitudines appellantur à Saluatore, *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, &c. Matth. 5,3. Quare ſi terminus ſiue finis perfectus & excellens fuerit, etiam media ſiue viæ quæ ad illum ducunt & dirigunt, illius perfectionis & excellentiæ participes erunt. At quis non videt, Ieruſalem, & cetera loca ſancta Palæſtinæ, à Domino ſua corporali præſentia conſecrata, omnia loca mundi præcellere, ſiue Romæ ea ſint ſiue Compoſtellæ, &c. haud ſecùs quàm Dominus præcellit hominem, Creator creaturam, & palatium ſummi Regis tuguriolum ſerui. Cùm igitur loca Palæſtinæ ſint palatium ſummi Regis, & alia loca mundi ſint velut ſeruorum tuguriola, quæ non niſi propter Dominum (cuius ſerui ſunt illorum in habitatores) honorantur & æſtimantur; peregrinatio etiam ad illa ceteras alias omnes dignitate & merito præcellet. Quare ſi meritò Romam anhelant homines, & affectu eam inuiſunt, & limina venerantur, quia ibi fuerunt, & martyrio obierunt duo illa Eccleſiæ fundamenta, & fidei noſtræ magiſtri Petrus & Paulus; multò maiori ratione ſuſpirare debent ad videndum & adorandum locum, vbi pedes Magiſtri ac Domini Apoſtolorum illorum ſteterunt. Et ſi Cletus Pontifex ſuprà capite 2. relatus, dixit, plus mereri hominem, ſi ſemel viſitet Romæ limina Apoſtolorum Chriſti Petri & Pauli, quàm ſi per duos annos integros ieiunet; multò magis merebitur, qui Præſepe, Caluariæ montem, & ſepulchrum Domini Apoſtolorum, imò hominum & Angelorum, viſitauerit, &c.

Adhæc, ſi (experientia comprobante) quælibet loca ſancta ſanctum quemdam horrorem incutiunt, reuerentiam excitant, ac deuotionem pariunt in animis ea viſitantium, quantò illuſtriùs & efficaciùs eoſdem parient effectus loca Palæſtinæ totius mundi ſanctiſſima, in quibus natus, conuerſatus & mortuus eſt Dominus, quæ ſanctiſſima Deipara, Apoſtoli, & alij præſtantiſſimi viri ac mulieres præſentia & heroicis actibus perluſtrarunt & illuſtrarunt?

Felicitas habitantium in Terra ſancta.

Verùm multò excellentiùs hæc impleri inueniemus in his qui Ieroſolymis laudabiliter commorantur: iſti enim in miſericordiæ & pietatis operibus frequenter ſe exercent, excipiendo peregrinos, abluendo eorum pedes, comitando ad loca ſancta, monita ſalutis ac pia conſilia eis præbendo, & in omnibus neceſſariis opem eis ſuppeditando: vbi fideles paſcuntur duplici pabulo, prædicationis & Sacramentorum; infideles permouentur ad fidem, plures vnitati Eccleſiæ Catholicæ adiunguntur, vbi denique fides per fratres ibidem commorantes magnum recipit incrementum. Vnde quidam pius & doctus huius Terræ peregrinus verè dixit: *Certè delectabile eſt ad hanc Terram aſpirare, delectabilius eſt eam viſitare, ſed ſuper omne mel & fauum dulcius eſt in ea commorari, & oculis corporeis intueri, & mentis intuitu reuoluere, quomodo in locis ſingulis in ea noſtram ſalutem Dominus ſit operatus.* Quæ etiam cauſa eſt, quòd Summi Pontifices pluribus extulerint laudibus & encomiis Fratres in iſtis partibus commorantes, peculiaribus eos gratiis & indultis donando, vt in illorum priuilegiis & Bullis Apoſtolicis videre eſt; & Fratres multi hac ipſa ratione libenter in iſtis partibus commorantur: & quantum diiudicare poſſumus, vberiores fructus ex ſacris concionibus, piis exhortationibus, ac familiaribus collocutionibus ibi quàm in aliis fidelium partibus colliguntur, vt experti cum gratiarum actione fateri poſſunt.

CAPVT V.

Ampliùs eiuſdem peregrinationis præcellentia demonſtratur ex meritorum circumſtantiis, quæ in ea ſingulari modo reperiuntur.

LIbenter equidem aſſumptum proſequor argumentum, aliis atque aliis mediis explicando ſingulares fructus, qui ex Ieroſolymitana peregrinatione, & in ſanctis locis manſione colliguntur, ne fortè quiſpiam propter itineris pericula & labores ab ea deterreatur, quin potiùs, maximis & præſtantiſſimis eius commodis, prouentibus & fructibus allectus, lætiſſimè & lubentiſſimè eam ſuſcipiat; & Religioſi in primis, quibus ſanctorum locorum cura concredita eſt, ad commorandum in eiſdem magis accendantur. Præſenti Capite illud comprobare & explicare eſt animus, adductis quibuſdam circumſtantiis ad meritum requiſitis, quas ſingulariter in noſtra peregrinatione apparere, manifeſtabo.

In opere meritorio quatuor requiruntur.

Multa requiri ad meritum, omnes fatentur: quæ quantò excellentiori modo in opere inueniuntur, tantò illud Deo eſt acceptius, & operanti vtilius. Nos hîc de quatuor propoſito noſtro deſeruientibus agemus. Primum eſt, libertas operantis; ſecundum, ſpes; tertium, opus ipſum bonum; quartum denique, finis ſiue intentio operantis: quæ omnia ex melliflui Bernardi auctoritate oſtendemus.

Requi-

Digitized by Google

Libertas operantis, primum in merito requisitum.

Requiritur in primis in opere meritorio operantis libertas: ex ea enim ſicut demeritum, ita & meritum pendet, vt habet recepta D. Auguſtini doctrina. Quin & Dominus id oſtendiſſe videtur, dum irato & turbato facie Cain dixit: *Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne ſi benè egeris, recipies? ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit?* Gen.4,6. At quia potuiſſet Cain dicere, ſe rectè operari non poſſe, ac ideò nec mercedem inde recipere, ſubiecit Dominus, hoc refellendo: *Sed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Hoc eſt, manet in te principium benè operandi, libertas, quæ diuinâ gratiâ adiuta, opus operari poterit cui merces debeatur. Ecce quomodo ex libertate voluntatis, quæ integra manet in homine poſt peccatum, pendere opus meritorium Dominus indicauit.

D. Bernardus Serm. 81. in Cantica, vbi ex arbitrij libertate oſtendiſſet animæ cum verbo diuino ſimilitudinem, id hiſce verbis explicauit: *Arbitrij libertas hæc eſt planè diuinum quiddam præfulgens in anima, tamquam gemma in auro. Ex hac nempe ineſt illi inter vitam & mortem, ſed & nihilominùs inter lucem & tenebras & cognitio iudicij, & optio eligendi: & ſi qua ſunt alia, quæ ſimiliter circa animi habitum ſeſe è regione reſpicere videantur, nihilominùs inter ipſa cenſorius quidam arbiter is animæ oculus diiudicat & diſcernit: ſicut arbiter in diſcernendo, ita in eligendo liber. Vnde & liberum nominatur arbitrium, quòd liceat auerſari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis. Omne etenim quod feceris, bonum malúmve, quod quidem non facere liberum ſit, meritò ad meritum reputatur. Et vt meritò laudatur, non is tantùm qui potuit facere mala & non fecit, ſed & qui potuit non facere bona & fecit; ita malo non caret merito tam is qui potuit non facere mala & fecit, quam qui potuit facere bona & non fecit. Vbi autem non eſt libertas, nec meritum.* Hæc & ſimilia S. Bernardus vbi ſuprà. Et lib. 8. capite 39. Reuelationum S. Birgittæ, Chriſtus reddens rationem ſponſæ ſuæ, quare voluerit proficiſcentes ad bellum contra paganos eſſe voluntarios, dixit: *Si Rex ire voluerit ad paganos, conſulo, non præcipio: quia maioris meriti eſt facere ſecundùm conſilium, quàm ex præcepto*, &c. Sed quomodo hoc debeat intelligi, videbitur infrà Cap. XXIV. in reſponſione ad primum argumentum.

Bellum contra paganos quare liberum.

Spes operantis, ſecundum requiſitum.

Secundò requiritur ad opus meritorium ſpes in operante, vt confidat de diuino adiutorio, & iuſta Dei retributione, quam dabit ſperantibus in ſe: *Eſt enim Dominus protector omnium ſperantium in ſe*, Pſal. 17, 31. & ſaluos facit ſperantes in ſe, vt alibi dixit idem Regius Pſaltes. Ad quam quidem ſpem frequentiſſimè nos hortatur, certos reddens de diuina retributione: & præſertim Pſal. 36, 3. *Spera*, inquit, *in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſcêris in diuitiis eius.* Hoc eſt, omnem ſpem, omnes tuas cogitationes, omnes curas tuas iacta in Dominum, & benè facies, illiuſque mercedem recipies, quia paſcêris in diuitiis eius: beatus etenim qui ſperat in eo. Hinc Iudas ille proditor, etſi poſt Chriſtum venditum, bonum opus fecerit, dum Chriſti innocentiam conteſſus eſt, malum quod fecerat accuſauit, & malè comparatam pecuniam reſtituit; nihilominùs propter ſpei defectũ (deſperauit enim de diuina miſericordia) ſuſpenſus crepuit medius, & damnatus eſt. Et hoc docet S. Bernardus Serm. 15. in Pſalmum *Qui habitat*, expendens ea verba, *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum*; & pluribus illuſtrat ſanctæ Scripturæ teſtimoniis. *Hoc enim*, inquit, *totum hominis meritum, ſi totam ſpem ſuam ponat in eo qui totum hominem ſaluum facit. In te ſperauerunt Patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt. In te ſperauerunt, & non ſunt confuſi*, &c.

Opus meritorium debet eſſe moraliter bonum, tertium requiſitum: & quartum, vt fiat propter Deum.

Tertiò requiritur, vt opus ipſum ex genere ſuo & moraliter ſit bonum; & Quartò, vt propter Dominum noſtrum vltimum finem perficiatur. Hæc duo ad meritum requiri, colligunt Doctores ex verbis Moyſi Geneſ. 4, 4. vbi loquens de ſacrificio Abel, dixit: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad munera*, ecce opus ex natura ſua bonum: *ad Abel*, ecce finis, & offerentis intentio. Quæ duo indicauit etiam S. Bernardus eleganter ſatis Serm. 40. in Cantica, expendens verba illa Canticorum, *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis*, quibus cæleſtis ſponſus ſponſæ ſuæ vultus pulchritudinem & elegantiam commendat. Intelligit verò per faciem, animæ intentionem quæ per genas exprimitur, ſed & opus ipſum. *Cogita*, inquit, *animæ faciem, mentis intentionem; ex qua nimirum rectitudo operis, ſicut ex facie pulchritudo corporis æſtimatur.*

Difficultatis ſolutio.

Sed quare, dum ſponſæ pulchritudinem, quæ ex facie præſertim dignoſcitur, deſcribit, non dicit eam eſſe pulchram facie, ſiue decoram facie; ſed, *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis?* Non ſanè otioſe aut ſine myſterio. quale autem id ſit, ex ſententia ſua ſequentibus verbis explicat ſanctus ille Doctor. *Duo quædam*, inquit, *in intentione, quam faciem animæ eſſe diximus, neceſſaria requiruntur, res & cauſa, id eſt, quid intendas, & propter quid. Et ex his ſanè duobus*

anima

Digitized by Google

anima vel decor vel deformitas iudicatur, vt (verbi causa) anima quæ ambo ista recta atque pudica habuerit, illi meritò veraciterq; dicatur: Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. Quæ verò altero horum caruerit, non poterit dici de ea quòd pulchræ sint genæ eius sicut turturis, propter eam quæ adhuc erit deformitatem. Multò autem minùs illi hoc poterit conuenire, quæ neutrum horum habere laudabile inuenitur. At id totum fiet planius in exemplis. Si (verbi causa) intendat quis animum inquirendæ veritati, atque id solo veritatis amore, nónne is tibi videtur & rem & causam habere honestam, meritoq; sibi vendicare quod dicitur, Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis; quippe cui in neutra genarum næuus reprehensionis appareat? Quòd si minimè quidem veritatis desiderio, sed aut inanis gloriæ, aut alterius qualiscumque commodi temporalis obtentu in veritatem intenderit, iam etsi vnam genarum videatur habere formosam, non tamen (vt arbitror) dubitabis iudicare vel ex parte deformem, cuius alteram faciem causa turpitudo fœdauerit. Si autem videris hominem nullis honestis studiis intendentem, sed carnis illecebris irretitum, ventri & luxuriæ deditum, quales sunt illi quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt; quid istum, nónne ex vtraque parte fœdissimum iudicabis, in cuius vtique intentione & res & causa reproba inuenitur? Ergo intendere non in Deum, sed in sæculum, secularis animæ est, nec vllam prorsus genarum speciosam habentis. Intendere autem quasi in Deum, sed non propter Deum, hypocritæ planè animæ est: cuius etsi vna facies decora videtur, quòd ad Deum qualicumque intentione respiciat; ipsa tamen simulatio omne decorum in ea exterminat, & magis per totum ingerit fœditatem. Si autem vel solùm vel maximè ob vitæ præsentis necessariæ ad Deum conuerterit intentionem, non quidem fœce hypocrisis putidam, pusillanimitatis tamen vitio dicimus subobscuram & minùs acceptam. Porrò, è contrario intendere in aliud quàm in Deum, tamen propter Deum, non otium Mariæ, sed Marthæ negotium est. Absit autem, vt quæ huiusmodi est, quidquam illam dixerim habere deforme, nec tamen ad perfectum affirmauerim peruenisse decoris, quippe quæ adhuc sollicita est, & turbatur erga plurima, & non potest terrenorum actuum vel tenui puluere non respergi; quem tamen citò facileq; deterget vel in hora sanctæ dormitionis casta intentio, & bonæ conscientiæ interrogatio in Deum. Ergo solùm inquirere Deum propter ipsum solum, hoc planè est vtramque bipartitæ intentionis faciem habere pulcherrimam: atque id proprium ac speciale sponsæ, cui meritò singulari prærogatiua audire conueniat: Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.

In peregrinatione Ieroſolymitana eluceſcunt quatuor meriti conditiones.

Primò libertas.

Videamus modò, quomodo ista quatuor mirè eluceant in operibus illorum qui proficiscuntur in Terram sanctam, in eaque laudabiliter religionis ac pietatis studio commorantur. In primis libertatem ampliùs quàm in aliis actionibus, licet inuenire: non enim coguntur ad eam peregrinationem fideles, sed ad eam illi dumtaxat admittuntur à Pontifice, qui obnixè profectionis expostulauerint facultatem, & pietatis ac deuotionis zelum ostenderint: & Franciscani Fratres, qui tenentur obedire suis Prælatis in omnibus quæ contra Regulam & animam non sunt, nisi diuina inspiratione moti, voluntarieque ad illas infidelium partes ire voluerint, mitti non debent. Ire enim vel non ire liberum illis est, vt in ipsorum Regula habetur. Et Summi Pontifices in suis diplomatibus, in quibus de Fratribus ad Terram sanctam mittendis loquuntur, *voluntarios* eos appellant, de quibus inferiùs Cap. XXVII. Quare vt in profectione, ita & in aliis operibus summa in eis erit spiritus libertas.

Reg. Min. cap. 12.

Secundò spes.

Spem verò de diuino auxilio & remuneratione in illis magis prælucere, quàm in aliis ad alias fidelium regiones proficiscentibus, in ipsisque manentibus, quod erat secundum in merito requisitum, in hunc modum ostendo. Quamuis semper verus fidelis speret in Domino à quo omne bonum, tunc tamen tantò magis, quantò ampliùs creatis bonis caruerit quibus subuenitur hominibus: tunc enim ardentiùs sperat in Domino? At verò verè euenit vt pluribus bonis careant ad Terram sanctam proficiscentes, & multò magis ibidem habitantes: nec modò temporalibus, sed etiam nonnullis spiritualibus, quibus alibi abundant: igitur magis spem suam in Deo eos collocare credendum est. Assumptum sic explico. Quantum quidem ad bona temporalia, illa non ita abundè & commodè quàm domi suppeditari, est ex se manifestum: & maiori in periculo versari qui in Terra sancta habitant, quis non videt? Christiani namque Principes, Ecclesiæ sanctæ protectores, longiùs inde absunt, quàm vt præsentia sua & subsidio illis subuenire promptiùs queant; nec vel minima eorum sollicitudine infideles isti canes tanguntur; nec mandata Imperatoris Turcarum, quæ in Fratrum aliorúmve fidelium gratiam & fauorem obtinuerunt Christiani Principes, æstimantur aut obseruantur à pessimis illis Turcis Ieroſolymitanis, eò quòd longè absit Curia Constantinopolitana, adeoque difficilis imò pænè impossibilis ad eam sit recursus.

Digitized by Google

recurſus. Quantum verò ad ſpiritualia bona, ſecluſa ſanctitate locorum, infideles ſanè illi impedimento ſunt quò minùs publicè multa faciamus, quæ alioqui faceremus, & alibi fieri ſolent. Longiſſimè abſumus à Summo Pontifice & Romana Curia; rarior ibi verbi Dei prædicatio & Sacramentorum adminiſtratio, propter fidelium paucitatem. Vtraque hæc ſi vtriſque adeſſent, maiorem profectò fiduciam concipere poſſent de felitiore itineris proſperitate; at verò vtriſque iam deficientibus, nihil eis eſt reliquum, niſi vt totum cogitatum totamque ſpem ſuam collocent in Deo, diuinoque illi reſponſo, *Sufficit tibi gratia mea*, aures præbeant.

Tertiò operis bonitas, & quartò intentio recta.

Tertiam & quartam conditiones, hoc eſt, operis ipſius & finis ſiue intentionis merita optimè in peregrinis Ieroſolymitanis reperiri, ſic expliço. Opera multiplicia ſunt, item & fines multi eſſe poſſunt. Opera quædam ſunt, quibus proximè ad Deum dirigimur, vt oratio, contemplatio, Sacramentorum vſus, virtutum exercitatio, ſcilicet charitatis, humilitatis & pœnitentiæ, qua vel animum contritione, vel corpus aliquo maceramus cruciatu. Alia ſunt officia vel opera quodammodò externa, quæ in actione, ſicut priora in contemplatione, conſiſtunt, vt concionari, præbere aures peccata confitentibus, adhortari alios ad pietatem, dare conſilium petentibus, ac non petentibus etiam ſæpè, vt monet Apoſtolus, *opportunè importunè* ingerere, denique in quocumque officio proximorum cauſa verſari. In his omnibus quæ ex natura ſua bona ſunt (prioribus enim illis immediatè, poſterioribus mediatè & diſpoſitiuè vnimur Deo benedicto) ſe exercent tam qui proficiſcuntur ad Terram ſanctam, quàm qui in eadem habitant: & optima ſanè intentione, quia diuino ſpiritu affla ti, eſt enim res ardua, nec ita facilè ob humanos reſpectus, vtpote propter temporale aliquod lucrum, vel terrenos honores, vt alibi, contingit fieri. En igitur ambas genas faciei peregrinantium ad Terram ſanctam, opus ſcilicet ipſum bonum, & ſanctam intentionem: quare illorum cuilibet meritò ſingulariterque dici poteſt: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis*. Ex ratione igitur etiam meriti conſtat quantum ceteras peregrinationes præcellat noſtra Ieroſolymitana.

CAPVT VI.

De alio in Terram ſanctam proficiſcentium & in eadem commoratium ſpecialis merito ex deſiderio martyrij prouenient, & quòd Deus illud peculiariter gratum habeat.

Multiplex finis proficiſcentium ad Terram ſanctam, vt in ea maneant.

FIdeles qui ad Terram ſanctam ab infidelibus Chriſtiani nominis hoſtibus occupatam proficiſcuntur, aut in eadem commorantur, varios fines honeſtos & meritorios ſibi propoſitos habere poſſunt. Et ne tangam nunc primarium, qui eſt Deus opt. maximus, & cum eodē per fidem & charitatem vnio, in ſecundario triplicem potiſſimùm reſpectū conſidero, quorum vnus eſt deſiderium martyrij, qui & communis eſſe poteſt alijs ad aliorum infidelium oras proficiſcentibus. Alter poteſt eſſe conſeruatio locorum ſanctorum: & hic eſt proprius illorum qui de Familia noſtra illuc mittuntur. Tertius denique, iuuare in fide Chriſtiana & pietate fideles ibidem commorantes, vel eò ſe transferentes, verbi Dei prædicatione, & Sacramentorū adminiſtratione. Et quoniam fideles, quocumque horum finium moueantur, ſemper multum merentur, ideò de merito, ex iſto triplici fine prouenient, nunc agendum eſt: de illo quidem quod prouenit ex ſecundo & tertio fine, in ſequentibus, de illo verò quod prouenit ex primo, id eſt, ex deſiderio martyrij, acturi ſumus Capite præſenti.

Primus finis, deſiderium martyrij.

Inter omnia Chriſtianorum opera, nullum laudabilius, nullum Deo acceptius, nullum ipſis fidelibus eſt vtilius quàm martyrium. Ratio eſt, quia homò in martyrio, quod charius habet, vitam inquam, magno cum affectu & feruenti charitate magnis cruciatibus exponit & morti offert pro Chriſto, vt proinde ipſe Chriſtus apud S. Ioannem dixerit: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, Ioan. 15, 13. Præterea in martyrio elucet etiam ſingulare certamen, cui ex iuſtitia reſpondet ſingulare meritum & corona. *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael*, dixit idem Saluator Luc. 22, 28. &: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, Matth. 10, 32. & Apoſtolus Iacobus: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem; quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*, Iacob. 1, 12.

Martyrij dignitas.

Quare iure merito Chriſtiani plures, Chriſti

Desiderium fidelium moriendi pro Christo.

Christi amore succensi, vt illum testatum facerent, & acceptum obsequium redderent Saluatori, temporalique morte eidem in æterna iungerentur vita, omnibus quibus potuerunt vijs sanguinem & vitam profundere studuerunt. Andreas dignus Christi Apostolus, & inter Christianos primus, pendens in Cruce, cernens populum velle suam passionem impedire, ne impedirent, ipsum & Deum precabatur, vt in eius passione, quam Presbyteri & Diaconi Achaiæ scripserunt, videre est.

Quid dicam de Ignatio martyre, & post D. Petrum tertio Antiochenæ Ecclesiæ Episcopo? Hic cùm pro Christi nomine è Syria Romam vinctus à pessimis militibus, pessimè illum tractantibus, duceretur, dicebat, D. Hieronymo referente: *Vtinam* *De Script. Eccles.* *fruar bestijs, quæ mihi sunt præparatæ: quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne, sicut & aliorum martyrum, non audeant corpus attingere. Quòd si venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo, vt deuorer. Ignoscite mihi filioli: quid mihi prosit, ego scio*, &c. Apollonia virgo Alexandrina, ab infidelibus capta vt combureretur, nisi eiurato Christo idola coleret, rogo iam succenso, ac sæuientibus flammis, ex illorum manibus elapsa, alacris in ignem sibi paratum, maiori Spiritus sancti flamma intus accensa, se iniecit. Ita recitat Ecclesia in eius festo. Pauca hæc ad intentum sufficiant, singula enim Sanctorum exempla, & peculiares modos quibus pro Christo pati studuerunt, recensere, longum nimis & operosum esset, & à nostro instituto alienum. Fateor tamen, non omnes qui id desideraverunt, per infidelium manus obtruncatos fuisse, Deo aliter disponente; martyrij tamen coronâ, propter patiendi desiderium sibi debitâ, minimè defraudati fuerunt, eosque velut incruentos Martyres veneratur Ecclesia. De S. Martino Turonensi Episcopo, qui vnus ex illis fuit, ita canit: *O sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrij non amisit.* De sancto Francisco dicitur: *O Martyr desiderio!* & perinde de alijs ratiocinandum. At hoc paucis explicare, non arbitror iniucundum fore.

Ioannes dilectus Christi discipulus, quid in cælo per reuelationem viderit, sic narrat: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum*, Apoc. 7, 9. vbi per turbam illam magnam, secundùm plurium Doctorum illius loci interpretationem, intelliguntur non modò martyres, sed vniuersæ congregationes fidelium ex Iudæis & Gentibus collectæ, qui etsi sanguinem pro Christo ipso actu non fuderint, vt tamen fundere possent, ardens desiderium habuerunt, eidem Christo pro virili seruiendo. Fauet Ecclesia, quæ hanc visionem publicè recitat in solemnitate Omnium Sanctorum. *In Martyre enim*, vt scitè dixit S. Hieronymus lib. 2. aduersus Iouinianum, *voluntas, ex qua ipsa mors nascitur, coronatur.* Si igitur par sit voluntas patiendi in alijs qui actu non fuderunt sanguinem, similiter vtique coronabuntur. Idem D. Hieronymus de S. Paula in eius Epitaphio ad Eustochium, ad hoc fortè desiderium & pietatem eius respiciens, dixit: *Secura esto Eustochium, magna hereditate ditata es. Pars tua Dominus: & quò magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est. Non solùm enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed deuota quoque mentis seruitus immaculata quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis & violis plectitur, ista de lilijs. Vnde & in Cantico scribitur canticorum: Fratruelis meus candidus & rubicundus, & in pace & in bello eadem præmia vincentibus tribuens.*

Voluntas in Martyre coronatur.

Sed quomodo isti portant in manibus palmas? quomodo de illis dictum fuit Ioanni, *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni?* vers. 14. huiusmodi enim videntur propria esse eorum qui pro Christo sanguinem fuderunt. Omitto, palmas illis deberi in signum victoriæ quam de dæmone, mundo, morte & vitijs omnibus reportarunt. Sed arbitror ego, eos palmas gestare quasi Martyres & lotos in Sanguine Agni, propter sanctas operationes & patiendi pro Christo desiderium: cui licet defectu alicuius tyranni satisfactum non fuerit, non tamen palma & corona Martyrum caruerunt, Deo affectum magis quàm effectum respiciente. Corona igitur & palma martyrij non fraudabuntur illi, qui eiusmodi accensi desiderio ad istas se transferunt terras, etsi pro Christo sanguinem per manus infidelium actu non effundant.

Difficultatis solutio.

Sed vt rem altiùs expendamus, ostendamusque, quomodo huiusmodi merito & corona martyrij non priuentur nostri Terræ sanctæ peregrini & incolæ, sed multò excellentiùs eam obtineant quàm alij, qui alibi existentes simili desiderio flagrarunt, quibus itidem vt illis gladius persecutoris defuit (ceteris tamen paribus) duo nobis supponenda sunt. Alterum est, tria martyrij genera distingui à Doctoribus: primum, quod in solo, sed efficacissimo patiendi pro Christo

Martyrij genus triplex. Primum desiderij.

Christo consistit desiderio. Tale fuit sancti Francisci, qui sæpiùs idcircò ad infidelium regiones profectus fuit: sancti item Antonij Abbatis, & alterius Antonij dicti de Padua, & aliorum. Alterum martyrij genus est, cùm quis non tantùm habet voluntatem patiendi, sed etiam certissimæ iam morti expositus, quam humanitus euadere non potest, diuinitus tamen seruatur. Huiusmodi fuit martyrium trium puerorum, qui coniecti in fornacem Babylonicam, diuinitus erepti fuerunt: item Danielis, qui à leonibus, quibus obiectus fuerat, non fuit deuoratus; & aliorum plurium. de quibus ita Cyprianus lib. 3. Epist. 1. ad Lucium Papam Romanum: *Neque enim in tribus pueris minor fuit martyrij dignitas, quia morte frustrata, de camino ignis incolumes exierunt: aut non consummatus Daniel extitit in suis laudibus, quia qui leonibus missus fuerat ad prædam, protectus à Domino, vixit ad gloriam. In Confessoribus Christi dilata martyria non meritum confessionis minuunt, sed magnalia diuinæ protectionis ostendunt.* Similiter de S. Ioanne Euangelista dicit diuus Hieronymus in Commentario super 20. cap. Matthæi. *Quæritur*, inquit, *quomodo calicem martyrij Ioannes biberit. Nam Iacobum ab Herode truncatum capite, Scriptura narrat: Ioannes autem propria morte finiuit vitam. Sed si legamus historias Ecclesiasticas, in quibus fertur ipsum propter martyrium esse missum in feruentis olei dolium, statimq; relegatum in Patmos insulam, videbimus martyrio animum non defuisse, & bibisse Ioannem calicem Confessionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt: licet persecutor non fuderit sanguinem.* Et tales vere martyres dici possunt, quoniam in eorum passione tria ad martyrium requisita inueniuntur, illatio nimirum mortis, libera voluntas mortem subeundi, & iusta moriendi causa, id est, protestatio fidei & iustitiæ propter Deum. Tertium martyrij genus, in quo eius perfecta ratio consistit, est, cùm voluntati patiendi, & certæ existimationi mortis accedit actualis ipsius mortis perpessio. Cùm enim in ipsa mortis perpessione acerbissimus sit sensus, & maximus cruciatus animi à corpore (cui amore naturali copulatus est) ægerrimè discedentis, censuerunt Theologi, ad perfectam martyrij rationem mortem pertinere. Lege D. Thomam 4. dist. 49. & in 2. 2. quæst. 124. art. 1. D. Bernardus etiam in Sermone de sanctis Innocentibus distinguit tres martyrij gradus: vnum appellat martyrium voluntate, sed non opere, quale fuit in Ioanne; alterum opere, sed non voluntate, quale fuit SS. Innocentium; tertium tam voluntate quàm opere, cuius martyrij gloriam Stephanus adeptus est. Alia possent dici de martyrio ex doctrina Sanctorum Patrum, quæ, ne longior sim, lubens omitto. Lege D. Gregorium Homil. 35. in Euangelia, D. Augustinum Serm. 250. de Tempore, & alios.

Secundum, quando quis certa morti obiectus ab ea liberatur.

Tertium, consummatum.

Mors in perfecto martyrio requisita.

Alterum quod supponimus, est doctrina quædam ex Theologiæ canonibus deprompta, nimirum, ad meritum non esse necessariam actualem in operante intentionem, sed habitualem, vel saltem virtualem sufficere, vt videlicet quis in principio operis, vel ante, statuat operari propter Deum, & quo potest meliori modo, si posteà oppositum actum non producat. Ideò Religiosi, & omnes vniuersim fideles, qui aliquando secum statuerunt Regulam & legem Dei obseruare, etsi postea in eius obseruantia id non considerent, merentur tamen. Ita docent Gabriel in 2. dist. 41. quæst. vnica, Nauar. de Horis Canonic. cap. 6. num. 14. sed clarissimè ante istos insignis Theologus Seraphicus Bonauentura in 2. Sent. dist. 41. art. 1. quæst. 3. hisce verbis: *Notandum est, quòd ad hoc quòd aliqua actio sit meritoria, non oportet quòd semper quis eam referat actualiter in Deum, sed sufficit relatio habitualis. Habitualem autem relationem voco, non quia habeat charitatem, per quam sit habilis ad referendum, sed quia in primordio operationis illius vel alterius, ad quam illa consequenter se habet, intentionem habet ad Deum directam. Vnde si aliquis intendit dare pro Deo centum marcas, & incipit dare, & cogitat de Deo in prima marca, & in alijs non cogitat, nihilominùs omnes dationes illæ sunt ei meritoriæ & fructuosæ. Si autem opus alterius operis inciperet, oporteret quòd intentio renouaretur ad hoc vt opus esset meritorium. Per hunc etiam modum intelligitur esse in viris religiosis, qui in principio ex charitate deuouerunt portare Religionis pondus: quidquid enim faciunt quod ad suæ Religionis obseruantiam spectat, ex prima intentione est eis meritorium ad salutem, nisi fortè (quod absit) contraria intentio superueniat.*

Ad meritum sufficit recta intentio habitualis vel virtualis, si actualis absit.

His iam subinfero: Si ex simplici proposito benefaciendi aliquando emisso, opera, quæ ex illo posteà sequuntur, censentur meritoria Religioso, vel fideli operanti, actu etiam ad ea non aduertenti; multò magis meritoria erunt, si efficacitet & actu media procuret, quibus se in actibus virtuosis exerceat. Vt enim habet Regula Philosophica, *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum.* Vt si Concionator & Propheta ex officio paratus sit prædicare populis Dei voluntatem, munus suum exercendo quotiescumque sibi præcipitur, meretur: at multò magis mere-

Se ad bona opera prouocare, multum laudabile.

bitur, ſi ſe vltrò offerat, & nullum lapidem immotum relinquat, ne à tali munere exercendo retardetur, & dicat Domino cum Propheta: *Ecce ego, mitte me*, Iſa.6, 8.

Ad propoſitum nunc deuenio, & dico: Si martyrij coronâ donaretur ille, qui ſolo propoſito moriendi pro Chriſti fide concepto, poſteà, etiam nihil minùs cogitans, aliquo caſu à fidei perſecutore occidatur; multò ſanè magis ſimili corona donabitur, qui data opera & actualiter, ſolo Chriſti amore ductus, inter perſecutores fidei habitatum abit, vt (ſi fieri poſſit) cum Dei gratia ab illis paſſionem mortemque pro Chriſto & fide ſuſtineat. Huiuſmodi verò magis videntur eſſe, qui intuitu martyrij peregrinantur ad Palæſtinæ loca ſancta, & in illis habitant: ſperant enim, ab infidelibus illis Chriſtiani nominis & Catholicæ Eccleſiæ hoſtibus probra, iniurias, flagella & mortem ipſam pro Chriſto ſibi illatam iri. Cùm enim actu eligant media ad finem, quis dubitabit eoſdem ſimul cogitare de fine? Quare tales meritò ea corona martyrij donabuntur, qua Martyres primi generis (ſuperiùs commemorati) coronantur; imò & ſæpè qua ſecundi generis, cùm pluries carceribus traditos, fuſtibus cæſos, inedia & aliis pœnis afflictos fuiſſe ibidem habitantes Fratres, nimis certò ſciamus; quibus & proinde dici poſſunt verba illa Saluatoris: *Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes, propter me: gaudete, & exultate: quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos*, Matth.5,11. Et quot etiam nouimus actu à perſecutoribus fuiſſe occiſos, ideoque martyrij coronam Martyribus tertij generis debitam reportaſſe? Sub Iuliano Apoſtata Ieroſolymis paſſus legitur in tabulis Eccleſiaſticis Cyrianus Epiſcopus, dum ex more ſancta inuiſeret loca, &c. Ita notauit Baronius Tom.4. ſub anno Chriſti 363. num. 20. D. Antoninus 2.parte Hiſtor.tit.16.cap.7.§.6. anno Chriſti 1050. ex Sigeberto ſcribit, multos fideles, ad ſeptem vſque millia, orandi cauſa ex voto Ieroſolymam petiiſſe, & ab Arabibus in Paraſceue in quodam caſtello obſeſſos, ibique ex iiſdem tot occiſos & vulneratos fuiſſe, vt de ſeptem & ampliùs millibus vix bis mille reuerſi ſint. Et aliàs idem pluries aliis acciditſſe, tempore præſertim perſecutionis, non eſt dubio vertendum, idque Alexander IV. in quadam Bulla indicauit, & nos aliquos ſpecialiter recenſebimus, cùm ad particularium locorum explicationem acceſſerimus. Lege VVillelmum Tyrium lib.1. de Bello ſacro.

Peregrinorum Terræ ſanctæ perſecutiones.

Vera martyria.

Multò plures nouimus ſublatos fuiſſe epidemiæ morbo, qui in locis illis eſt admodum frequens. Ego quidem anno Domini 1619. cùm morbus idem ibi deſæuiret, Dei benignitate cum aliis tunc ibi degentibus incolumis euaſi; ſed qui poſt nos venerunt, omnes ferè interierunt. Nec metuunt noſtri eo mortis genere in Chriſti cauſa vitam finire, vt ſi non datur à perſecutore interimi, ſaltem pro amore Chriſti (quod ei gratius eſt & acceptius) vitam ſuam in piis & ſanctis operibus profundant. *Multi peſtilentia & media ſublati.*

Verumenimuerò, pro Chriſto huiuſcemodi morbo tolli, martyrij genus eſſe, tum ſanctæ Eccleſiæ, tum virorum prudentium eſt iudicium. S.Eccleſia in Romano Martyrologio die 28. Februarij pro hoc ſequentia ſcribit: *Alexandriæ commemoratio Sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cùm peſtis ſæuiſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes, libentiſſimè mortem oppetiere, quos velut Martyres religioſa piorum fides venerari conſueuit.* Idem confirmat S.Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus in Epiſtola quam ſcripſit ad Hieracem Epiſcopum, in qua eorumdem Martyrum res geſtas multis laudibus proſequitur. Extat ea apud Euſebium Hiſtor. lib.7. cap.16. & 17. vbi in fine hæc leguntur, vt refertur in Notis Martyrologij: *Ex Patribus, qui virtute erant præſtantiſſimi, in hunc modum mortem oppetiuerunt, quorum nonnulli erant Presbyteri, alij Diaconi, quidam è populo virtutis ergò multùm laudati; adeò vt iſtud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem & robuſtam fidem ſuſcipiebatur, nihil à martyrij ſplendore abeſſe videretur.* *In peſtiferorum obſequio decedentes, Martyres ſunt.*

Denique ibi commorantes Religioſi communi & perpetuo verorum Religioſorum martyrio, paupertatis nimirum, humilitatis & caſtitatis, continuè affliguntur. Vitam verò regularem ſub Prælatorum obedientia quoddã martyrij genus eſſe, docent Doctores. Vnde Pambo, inter veteres illos Patres magnæ auctoritatis & nominis Abbas, cùm ad eum quatuor Monachi veniſſent, variis quiſque dotibus inſignes, vnus ieiuniorum rigore, alter paupertate ac nuditate, tertius charitate in proximos, quartus qui iam duos & viginti annos in Præpoſitorum obedientia tranſegerat, non dubitauit poſtremum hunc omnibus aliis præferre, quoniam alij virtutem, quam haberent, propria voluntate retinuiſſent, ille autem ſuam omnino voluntatem abdicans, alienæ ſe voluntatis ſeruum effeciſſet. Quod cùm diceret, illud etiam adiunxit, eos qui hoc facerent, martyres eſſe, ſi ad finem vſque in eo virtutis curſu perſiterint. *Obedientia & ſubiectionis magnum meritum.*

Digitized by Google

rint. Tali martyrio (vt dixi) non carent in Terra ſancta habitantes Religioſi, cùm frequenter neceſſe habeant cum euidenti vitæ ſuæ periculo obedire Præſuli Terræ ſanctæ, eundo pro animarum eidem concreditarum cura in Ægyptum verſus Cairum & Alexandriam, modò in Cyprum, modò in Sidonem, modò in Tripolim Syriæ, modò in Aleppum, denique etiam in Scandaronam, quo poſtremo loco ob magnam aëris intemperiem, aquæ corruptionem, & alia incommoda, Fratres noſtri vt plurimum ſtatim è vita abeunt, vel ſaltem, grauibus atque inſanabilibus morbis exhauſti, lenta & continua morte paulatim extinguuntur. Cùm ego Aleppi verſarer, breui temporis ſpatio ſex illuc miſſi Fratres ad alterum conuolarunt ſæculum. Quod cùm pij quidam & ſapientes viri aduertiſſent, dicere non dubitarunt, Fratres, qui propter Deum ex Superiorum obedientia Scandaronam proficiſcuntur, ibique ob loci intemperiem & alia incommoda è vita decedunt, Martyres nuncupandos eſſe; eo fortaſſe moti argumento, quod S. Cyprianus Epiſt. 37. vellet, corpora eorum qui in carcere defuncti eſſent, perinde ac Martyrum, qui ſanguinem ipſo actu profudiſſent, curari debere. Sic enim ad Clerum Carthaginenſem ſcribit: *Corporibus etiam omnium, qui etiamſi torti non ſunt in carcere, tamen glorioſo exitu mortis excedunt, impertiatur & vigilantia & cura propenſior. Neque enim virtus eorum aut honor minor eſt, quò minùs ipſi quoque inter beatos Martyres aggregentur. Quod in illis eſt, tolerauerunt: quidquid tolerare parati & prompti fuerunt. Qui ſe tormentis & morti ſub oculis Dei obtulit, paſſus eſt quidquid pati voluit: non enim ipſe tormentis, ſed tormenta ipſi defuerunt.* Legantur etiam reliqua.

Religioſorum martyrium.

In carceribus infidelium mortui æquè ſunt Martyres, vt qui ferro cæſi.

Et ſancta Eccleſia Catholica catalogo Martyrum adſcribit ſanctos Pontifices, Marcellum, Ioannem, Siluerium, Martinum & Pontianum, qui tamen gladio vel ſimili pœna ſanguinem non fuderunt, ſed tantùm ſtabuli fœtore, carceris ſqualore, exilio, inedia, vel aliis ærumnis confecti ſpiritum in Domini confeſſione exhalarunt. Cùm igitur plerique qui Scandaronam mittuntur, aëris intemperiem & alia incommoda propter Deum & animarum ſalutem libenter perpetientes, mortem ſubeant, iure merito illos pij viri Martyres eſſe nuncupandos cenſuerunt.

Accedit ad illorum meritum, quòd diuturnitate pœna eorum fiat productior, quod pleriſque aliis, qui perſequentium gladiis ſanguinem fundunt, non contingit: de quibus verè dici poteſt, quòd facti ſint velut oues occiſionis, & propter Deum morti deſtinati. Superat verò horum martyrium, martyrium illorum, qui ſimili intuitu ad terras aliorum infidelium proficiſcuntur: quoniam in eo plura alia innectuntur bona, vt infidelium conuerſio, fidelium inſtructio & gubernatio, & ſanctorum locorum conſeruatio; quare & Deo acceptiſſima erit ad Terram ſanctam profectio, & in eadem manſio, eo præſertim intuitu aſſumpta, vt pro Chriſto mors obeatur. Et cuilibet eorum dici poſſunt verba illa ſponſi ad ſponſam, quibus eius genas commendauit: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Cantic. 1, 10. Verè pulchræ genæ, & decora facies, quoniam non erubuit in medio nationis prauæ coram Chriſti hoſtibus nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti confiteri. Cur verò ſicut turturis? Reſpondet S. Bernardus Serm. 40. in eum locum: *Pudica auicula eſt, & conuerſatio eius non cum multis, ſed ſola degere fertur, contenta compare; ita vt ſi illum amiſerit, alterum non requirat, ſed ſola deinceps conuerſetur.* Verè qui eiuſmodi eſt, ſolitarius eſt, quia ſe ſoli Deo ſeruat, & ſedet in puluere & cilicio: eſt gemebunda auicula, quoniam deflet propria & aliorum peccata, & Chriſto, qui vt nos ab illis redimeret, in Terra ſancta ſanguinem fudit, compatitur.

Maiora bona habitantium in Terra ſancta, quàm in aliorum infidelium terris.

Turturis natura.

CAPVT VII.

De gemino fine peculiari Ieroſolymitanæ peregrinationis, componendi ſcilicet in melius vitam ſuam, & alios ad idem alliciendi.

VAriis ex cauſis moueri homines ad ſacras obeundas peregrinationes, & in primis ſingulariſſimam & ſupra ceteras digniſſimam Ieroſolymitanam, compertum eſt ex dictis ſuperiùs, & ampliùs apparebit ex dicendis inferiùs: ſed non videntur hîc ſilentio inuoluendi duo ſingulariſſimi fines, quibus complures ad illam cum fructu & laude obeundam ſeſe excitant, & cum Dei gratia ad finem vſque perducunt. Alter eſt deſiderium proficiſcendi in via Domini; alter eſt, vt, expleta ſacra peregrinatione, exemplo ſuo prouocent alios ad corrigendam in melius anteactam vitam, & vt à Deo auerſi, per ſancta exercitia eidem ſe coniungant. Et profectò Ieroſolymitanos peregrinos ex pia & ſacra locorum Terræ ſanctæ viſitatione fructum vberem bonorum operum colligere, & poſt illam ad vitæ maiorem perfectionem tendere, præter quotidianam experientiam, perſuadent tum probati & eruditi viri teſtimonium, tum ſan-

Fidelis ex Ieroſolymitana peregrinatione meliores euadunt.

ctorum laudatorumque virorum exempla.

Testis sit Bernardus Bredembachius, Canonicus & Decanus Moguntinus, qui peregrinationem Ierosolymitanam anno Domini M. CCCC. LXXXIII. iniit, qui priuata experientia edoctus, hæc litteris consignauit: *Sacrorum locorum deuota visitatio ad emendatioris vitæ propositum concipiendum, hauriendamq; suorum compunctionem criminum, nonnihil confert pio & fideli peregrino: ita vt, meo quidem arbitratu, atque plurimorum mecum consentientium censura, nullus pænè sit, vel perrarus, qui non melior inde regrediatur, quàm antè fuerit ingressus. Neque ob id hoc in loco gentili concesserim Poetæ dicenti: Cælum, non animum mutat qui trans mare currit. Esto, in curiosis id locum habeat, qui vanitatis ducti spiritu, scrutandorum locorum causâ eò pergunt, nullum referentes fructum ex tanto labore & sumptu, nisi quòd, veterum more exploratorum, quos Moyses miserat, Terræ sanctæ terræq; promissionis detrahere non cessant. At non sic in his, qui deuotionis veneration isq; gratia illò proficiscuntur, per varios casus, per mille pericula rerum. Quis equidem Christicola has ingressus terras sacratissimas, non mox amaras solnetur in lacrymas? quis compunctionis non præ se feret indicia, etiam si adamantino esset pectore; vbi & petræ scissæ sunt, & saxa ingentia diruta (quæ hodie sub aspectum ibi monstrantur) atque terra tota funditus mota, Christo moriente in Cruce? Quis non alterum mutaretur in virum, perditus quantumuis antè fuisset, quandoquidem (vt de plenissimis illic remissionibus & indulgentiis copiosissimis taceam, quas consequi quisque ibi potest, mox vbi mare egreditur, & pedem Terræ sanctæ infigit, ac deinceps quàm sæpè multis in locis) quando inquam (quod pluris facio) veneranda Saluatoris sui vestigia, ac omnium pænè passionum, ceu victoriarum suarum erecta ibi vexilla, terramq; suo pretioso rubricatam & perfusam Sanguine, copia sibi datur, sub oculis conspicere, deosculariq; ore, terere pedibus, manibus & corpore toto complecti? Quando licet in villulam Christi ingredi, intrare Mariæ diuersorium, atque præsepe illud dignissimum contingere: adorare paruum hoc terræ foramen, in quo cælorum conditor natus est, in quo Deus immensus infans factus vagiit, in quo inuolutus pannis, visus à pastoribus, stellâ demonstratus, à Magis fuit adoratus, &c.*

Exempla Abbatis Adolij.

Exempla multa idem confirmant, è quibus sequentia sat tibi sint. De Abbate Adolio Palladius Heliopoleos Episcopus in Historia Lausiaca cap. 104. sic ait: *Rursus noui Ierosolymis quemdam, nomine Adolium, genere Tarsensem: qui cùm venisset Ierosolymam, ingressus est viam valdè inimitabilem, non quam multi ingressi sunt, sed lecto sibi quodam nouo vitæ instituto. Se enim super hominem exercuit, vt etiam ipsi dæmones horrentes eius austeritatem, ne ad eum quidem auderent accedere. Propter summam autem exercitationem & vigiliam, existimatus est esse spectrum. In Quadragesima enim comedebat post quinque dies, toto autem alio tempore, vno die interiecto. Hæc autem fuit eius res magna. A vespera vsque ad illud tempus quo congregabatur fraternitas in oratoriis, in Olineto, in colle Assumptionis vnde ascendit Iesus, perpetuò stabat psallens & orans, & ieiunabat; & siue pluebat, siue grandinabat, manebat immobilis. Impleto autem tempore, consueto excitatorio malleo pulsabat cellas omnium, eos congregans ad oratoria, & in vnoquoque oratorio vnà cum eis psallens vnam aut duas Antiphonas, & vnà cum eis orans; & sic die appropinquante ibat in cellulam, & reuerà fratribus eum exuentibus, & vestes exprimentibus tamquam eas lauaturi, eum aliis induebant. Et cùm quieuisset vsque ad horam tertiam, psalmodiâ excitatus, erat ei intentus vsque ad vesperam. Hæc est ergo virtus Adolij Tarsensis, qui fuit consummatus Ierosolymis, & ibi dormiit.*

Idem Palladius loco citato cap. 113. scribit, religiosissimum Presbyterum Deiq́ue amantissimum Philoromum, postquam semel & iterùm inuisisset sacra Palæstinæ loca, dixisse: *Dignus autem sum habitus, qui voti gratia bis propriis pedibus venirem Ierosolyma ad honoranda loca sancta, & ipse mihi suppeditaui impensas.* Pergit: *Dicebat autem nobis, vt vtilitatem ex eo caperemus: Non memini me vmquam animo à Deo meo recessisse. Huius beati Philoromi talia sunt certamina, & in his est inuicta victoria, & beatorum laborum ei redditur finis, corona gloriæ immarcescibilis.* Redditur initiatiuè modo peculiari, vt quemadmodum in altera vita Beati numquam cessant à visione ac dilectione Dei, ita ille merito laboriosæ suæ ac piæ Ierosolymitanæ peregrinationis, ne diuelleretur à Deo per peccatum vel humanam distractionem & aduersitatem, sed eidem semper maxime coniunctus esset charitate & contemplatione, ita vt dicere potuerit cum Apostolo Paulo: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Rom. 8, 35. *Philoromi.*

Quantum profecerunt Ierosolymis sanctus Hieronymus, Paula, Eustochium, & alij sancti viri ac mulieres, qui patrio relicto solo, loca sancta adiuere? De sancta ac præclarissima Melania seniori, quæ Româ profecta in Ægyptum, inuisit sanctos Patres, eisque facultatibus subuenit; atque inde Ierosolymam, vbi in multis se humilitatis *Hieronymi. Paulæ. Eustochij. Melaniæ.*

tatis ac pietatis operibus se exercuit, cuius res præclarè gestas conscripsit idem Palladius cap. 117. Baronius anno Christi 372. & S. Hieronymus tum alibi, tum in Chronico anno 10. Imperij Valentis, vbi sequentia leguntur: *Melania nobilissima mulierum Romanarum, & Marcellini quondam Consulis filia, vnico Prætore tunc Vrbano filio derelicto, Ierosolyma in nauigauit, vbi tanto virtutum, præcipuèq; humilitatis, fuit miraculo, vt Theclæ nomen acceperit.*

Qui loca sancta viderunt, profana inspicere non debuerunt.

Et quidem Deo inspirante, & ratione docente, qui digni habiti sunt oculis videre, & pedibus terere sancta loca, deberent totis viribus studere, ne vanis rebus inficerentur: deberent se puros & immaculatos custodire ab hoc sæculo, auertendo oculos ne videant vanitatem; & ex quo semel pœnitentia & lacrymis affectuum prauorum pedes lauerunt, ampliùs eos non coinquinare, sed cùm sint iusti, adhuc sanctis operibus iustificari. Prætereo quosdã Mahometistas suo exemplo id ostendentes, qui peregrinatione ad sepulchrum Mahumetis absoluta sibimet oculos eruerunt, ne inde regressi, & in patriam reuersi, ijsdem oculis, qui contemplati & intuiti fuerant sepulchrum illud (etsi verè execrandum, nihilominùs apud illos sacrum) alia contingeret inspicere, quorum visione inficerentur. Alij post illam peregrinationem austeriores & seueriores se exhibuerunt in legis suæ obseruantia, atque ideò sancti appellantur apud suos, studentque re ipsa tales haberi & esse. Sed solidiora propono.

Quando Moyses vidit Dominum in ardenti sed incombusto rubo, abscondit faciem suam; Elias similiter operuit vultum suum pallio, cùm intellexisset, eumdem Deum esse in sibilo auræ tenuis: in hoc mysticè significare volentes, admissum aliquando ad diuinorum visionem, & ad loca à Deo peculiariter sanctificata, debere terrenis oculos claudere, & se totos à caducis & ludicris abducere.

Legimus etiam in Genesi, quòd cùm orta fuisset fames & annonæ caritas in terra Chanaan, Isaac, qui in ea habitabat, vt sibi & familiæ suæ consuleret, abierit ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara, vt inde transiret in Ægyptum. cui apparens Dominus dixerit: *Ne descendas in Aegyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi*, &c. Gen. 26, 2. Inquirunt sacri Doctores, quare Deus noluerit Isaac ire in Ægyptum, quòtamen anteà ire voluit patrem eius Abraham, & posteà filium eius Iacob. Theodoretus q. 76. in Gen. pulchram adducit rationem, dicens: *Per omnia Deus demonstrat sapientiam ac prudentiam suam. Etenim permisit Abraham ex Chananæa propter famem ire in Aegyptum, non quòd eum illic non posset alere, sed vt Aegyptijs ostenderet viri pietatem & religionem, eosq; prouocaret ad imitandam eius virtutem. Filium autem eius illuc ire prohibuit, eiq; rerum necessariarum copiam in terra sterili suppeditauit, demonstrans vtique, quòd hæc patri largiri potuisset, quæ filio abundè præbuit. Cùm enim omnes eius regionis incolæ in summa inopia & rerum necessariarum penuria versarentur, & terra nihil produceret, multiplicem ille fructum accepit.*

Dei prouidentia.

Hebræi, referentibus Abulensi & Lyrano, ad intentum dicunt, quòd Isaac in Terra sancta Deo specialiter consecratus fuerit, dum ei in monte oblatus fuit, atque ideò non decuisse, vt Terram promissionis exiret; & propterea remansisse in Geraris, quia tota Palæstina continetur intra terminos Terræ promissionis. Ita qui se specialiter dedicarunt Deo in Terra sancta, non debent descendere per prauas operationes in confusionis & mundi Ægyptum, sed sancta conuersatione, si non corporali, spirituali vt minimùm præsentia in sancta promissionis terra habitare, & vitæ probitate alijs salutis semitam ostendere. Quod probè intelligentes nostri Terræ sanctæ peregrini, cum Dei auxilio huc totis viribus connituntur, &, si facultas detur, exequuntur quæ notamus inferiùs Cap. xxxv.

Qui fuerunt in Terra sancta, ibiq; Deo se dicarunt, in Ægyptum reuerti non debent.

CAPVT VIII.

De speciali merito proficiscentium ad Terram sanctam, proueniente ex desiderio conseruandi & gubernandi loca sancta.

ET si nos, qui toti Deo consecrati, eiq; innumeris rationibus obligamur, teneamur ei vt humiles serui supremo Domino in omnibus obtemperare, quamuis alia ex illo opere speranda non esset merces (seruire enim Deo, quod regnare est, sufficiens atque superefluens merces esset) tanta tamen est Dei in nos liberalitas & munificentia, vt ex operibus alioquin debitis præter mercedem proprij obsequij, aliam supereffluentem impertiri dignetur, dando vnicuique secundùm proprium laborem. Hoc in præsentia singulariter de illis explicare est animus, qui ei seruiunt in Terra sancta in loco quem elegit & sanctificauit Filius eius Dominus noster Iesus Christus, dum eadem loca sancta custodiunt, die ac nocte diuinas laudes ibi persoluentes, incruenta inde Filij Dei, inde suorum corporum mortificatorum offerentes sacrificia, facti alij

Dei in seruos suos liberalitas.

Obededones, & de numero illorum, de quibus per Isaiam Dominus dixit: *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & nocte in perpetuum non tacebunt laudare nomen Domini*, Isaiæ 62, 6. Et quoniam in veneratione, & multò magis in custodia locorum sanctorum, magnam testantur dilectionem, magnam etiam expectare possunt remunerationem & mercedem. Dixit Simeon Priscus, vnus ex sanctis Patribus, apud Theodoretum in Religiosa historia: *Ii qui ardenter amant, non solùm eos qui amantur desiderant, sed etiam illis loca grata sunt & iucunda, in quibus ij fuere præsentes, & in quibus versati sunt.* Magnum ergo erga Deum ostendunt amorem Fratres illi qui loca sancta custodiunt. At quænam erit illorum pro custodia & amore merces? eximia profectò & singularis; ipse nimirum Dominus cui seruiunt, & optimum quodlibet quod Deo debetur.

Simeonis Prisci dictum.

Signum est diuini amoris, loca sancta inhabitare.

Ratio longo vsu comprobata persuadet, quòd maior habeatur domesticorum & seruorum quàm extraneorum prouidentia & sollicitudo. Prouident quidem huius sæculi Principes de necessarijs omnibus in eorum regnis habitantibus; at opulenter singulariqúe modo suis filijs & domesticis; horum enim maximè, secundùm Apostoli præscriptum, cura habenda est: & plerumque tanta est, vt, eorum comparatione, ceteri derelicti & despecti videantur. Non dissimili modo ratiocinandum est de Deo optimo maximo & Filio eius Iesu Christo, qui vniuersorum quidem est Rex, Dominus & Pater, suaque prouidentia omnibus prospicit, vt in libro Sapientiæ proditum est; sed opulentè & singulari quodam modo, &, vt ita dicam, de mensa sua Regia pascit domesticos, & qui ei in domo sua seruiunt die ac nocte, ita vt alij horum comparatione derelicti videantur. Quibus proinde dici potest quod Dominus per Isaiam: *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis*, Isa. 65, 13. Hinc legimus, Christum Dominum turbas quidem communibus & hordeaceis panibus, pauciſque piscículis, pauisse in solitudine; at dilectos Apostolos suos cælesti Angelicoque pane, propria Carne & Sanguine, in Regia Dauid ciuitate, in cœnaculo lautè parato cibasse: ita opinamur singulari modo illos à Deo tractandos esse, qui illi continuè in Terra sancta, quæ eius est regia, inseruiunt, nimirum non vt hospites & aduenæ, sed vt ciues sanctorum & domestici ipsius.

Custodientes loca sancta magna manet merces.

Diuersimodè diuersis prouidet Deus.

Hoc adumbratum videò in primitijs, quæ Leuitis & Sacerdotibus, tabernaculi templique custodibus, in legè veteri assignabantur, & in portione illorum, quæ erat ipse Dominus, & pretiosa quæque magisque opulenta quæ eidem Domino offerebantur; at multò ampliùs in Obededone, cui multa bona ideò addidit Dominus, quòd tribus mensibus apud eum Arca Domini hospitio excepta, decenterque ac reuerenter custodita fuerit: quæ & causa fuit quòd optimus ac pijssimus Rex Dauid, vt rem Deo gratam sibique proficuam præstaret, magna cum festiuitate ingentique iubilo eam inde abduxerit, & in dilectam suam ciuitatem Sion inuexerit, multis ministrorum ordinibus ad illius honorificam custodiam destinatis. Quid iam ergo obstat, quò minùs iure dicere possimus, multò maiora bona parata esse vel Franciscanis Fratribus, qui non tribus mensibus, sed supra tres annorum centurias, magna cum diligentia, & non sine euidenti propriæ vitæ discrimine, non typicam Arcam Domini, sed verum Christi Sepulchrum & alia sancta loca custodierunt & custodiunt; vel alijs, qui anteà eadem loca simili modo sarta tecta seruauerunt?

Sed nec addere vereor, peregrinationem ad loca sancta & mansionem in eisdem, argumentum esse acceptæ à Deo præcedentis seruitutis, & artham æternæ gloriæ tribuendæ. Apud æquos & beneuolos Principes & Magnates illa inoleuit consuetudo, vt qui in regimine & gubernatione alicuius ciuitatis, prouinciæ vel domus Regiæ rectè & laudabiliter se gesserit, pro grati obsequij mercede ad custodiam cubiculi Regij vel ipsiusmet Regis assumatur: ita qui in sancta Dei Ecclesia in minoribus officiis strenuè ac laudabiliter se gesserint, ad maiora deinde assumentur, in quibus Deo immediatiùs seruiant: vt qui fideliter in subdiaconatus vel diaconatus Ordinè se exercuerint, ad Presbyterium & Episcopatum ipsum posteà assumentur, facti commensales, secretarij & cubicularij diuinæ Maiestatis. Et hoc præfiguratum arbitror primò in filijs Leui: hi enim cùm fortes & zelantes se exhibuissent in Dei honore vindicando, non parcentes cognatis, consanguineis & amicis, qui, Deo contempto, vitulum adorauerant, omnes eos trucidando, vt sacra Exodi fatetur historia, in ministros & Sacerdotes tabernaculi & templi præ omnibus alijs tribubus electi & selecti fuerunt. Secundò in Israëlitis illis, qui Salomonis lectulum custodiebant, de quibus in libro Cantici dicitur quòd fuerint fortissimi, ad bella doctissimi, & tenentes gladios in manibus suis, eò quòd priùs egregiè ac indefessè se exercuerint in gubernanda & custodienda ciuitate: de quibus fortè Sponsa illa cælestis eodem capite priùs dixit, *Inuene-*

Locorum sanctorum gubernatis, bonorum operum merces est, & artha gloria.

runt

Digitized by Google

runt me vigiles qui custodiunt ciuitatem, Cant. 3, 3. qui posteà pro mercede ad custodiam cubiculi Regis admissi fuere. Denique in illis, qui in sancta Dei militante Ecclesia electáq; ciuitate fortiter pro Christo tuenda strenui atque vtiles inuenti fuerunt, qui pro præmio *sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius*, Apocal. 7, 15. Ita in proposito dicere audeo, quòd nostri Fratres, & alij pij fideles, pro mercede suæ dilectionis & bonorum operum, & pro æternæ gloriæ pignore, destinentur ad peregrinationem versus loca sancta Palæstinæ. Dixerat hoc Propheta Regius illis verbis: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*, Psalm. 121, 1. Quare verò ibimus illuc? Quia *stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem.* Idem posteà sanctissima Deipara insinuauit S. Birgittæ, dum ei sic dixit: *Attende filia, ego sum Regina cæli: & quia tu me diligis tam immenso amore, ideò annuntio tibi, quòd tu ibis in sanctam ciuitatem Ierusalem peregrinando, quando placuerit Filio meo: & inde ibis ad Bethleem, ibiq; ostendam tibi in loco proprio totum modum, qualiter ego peperi eumdem Filium meum Iesum Christum, quia sic placuit ei.* Dicere porrò nullus timeo, illos ex Ordine Minorum Religiosos, qui laudabiliter in Religione vixerint, in signum quòd illorum obsequium Deo gratum sit, & quòd in altera vita commensales futuri sint cælestis conuiuij, & de illorum numero qui seruiunt Deo die ac nocte, eodem inspirante ab eiusdem Ordinis Prælatis ad custodiam locorum Terræ sanctæ destinari: ij enim soli, iubente Regula, mittendi illuc sunt.

S. Birgitta in Reuel. lib. 7. cap. 1.

Loca sancta pro mercede Minoritis data.

Hanc ego crederem vnam esse ex potioribus rationibus (de quibus Lib. 1. egimus) quare Terræ sanctæ loca, in quibus est non typicus, sed verus veri Salomonis lectulus, sanctissimum scilicet Domini nostri Iesu Christi Sepulchrum, tradita sint custodiæ Fratrum Minorum, quia videlicet verbo & exemplo, gladio prædicationis & mortificationis, egregia facinora pro Dei gloria, animarum salute & sanctæ Ecclesiæ exaltatione operati fuere, vt toti mundo compertum est, & ex diplomatibus Pontificum & Chronicis S. Francisci comprobatur; ita vt eorum Ordo hac potissimùm ratione ab alijs non superetur. In qua quidem custodia & regimine vtinam semper bonos Deoque debitos reddant fructus, & fideles inueniantur, ne desides & infideles effecti, ejiciantur cum illis torpentibus & ingratis vineæ agricolis, à quibus regnum & vinea ablata fuit, dataque genti reddenti debitos fructus; sed vt cum alijs fidelibus seruis tandem supra multa bona constituantur, intrentque in gaudium Domini. Et hæc (ni fallor) efficacissima sunt media ad animos Fratrum commouendos, vt patienti animo, omnibus spretis incommodis, locorum sanctorum peregrinationem assumant, in eorumdemque custodia hilariter & studiosè commorentur, quoniam illorum merces multa est in cælis.

CAPVT IX.

Obiectio, quæ contra dicta Capite præcedenti fieri posset, diluitur.

Argumentum pro Ierosolymitana desertione.

SEd obijciet fortasse quispiam contra dicta proximè præcedenti Capite, Deum loca illa omnino dereliquisse ob malitiam incolarum, & regnum atque sacerdotium inde transtulisse; ac propterea Ierosolymam Metropolim totius Terræ sanctæ pluries fuisse euersam, vastatam, templum à radicibus vsque euulsum, ipsas Terræ sanctæ ciuitates exustas & consumptas, ipsammet denique Terram prorsus vastatam: quæ vtique signa esse viderentur voluntatis diuinæ, eamdem similiter ab aliis fore relinquendam. Et num Christus aliquando mulieri Samaritanæ, dicenti ex sententia Iudæorum, Ierosolymis locum esse vbi adorare oporteat, responderit, diuinum cultum non ad solam Ierosolymam esse restringendum, eò quòd Pater suus vbique locorum adorandus esset in spiritu & veritate. Hæc adeò vera esse, vt nullo modo negari possint, nisi patentes ad oculum euentus negentur.

Argumentum in contrarium.

Sed enim alibi in contrarium etiam habemus, Ierusalem perpetuò esse duraturam, ibidemq; Deum perpetuo cultu colendum. Apud Ezechielem dicit Dominus: *Quòd & si quatuor iudicia mea pessima, gladium, & famem, ac bestias malas, & pestilentiam immisero in Ierusalem vt interficiam de ea hominem, & pecus: tamen relinquetur in ea saluatio educentium filios & filias*, cap. 14, 21. Etsi enim bis fuerit destructa, semel à Babylonijs, iterùm à Romanis; semper tamen fuit reædificata, primò sub Zorobabele, deinde sub Hadriano Ælio, à quo etiam Ælia appellata fuit; & sic ædificata adhuc hodie supereſt, quoniam elegit ciuitatem illam Dominus ad suum cultum, inquit Rabbi Salomon in eum locum, referente Lyrano. Et hæc magis stabiliuntur ex dictis superiùs Libro 1. & ex inferiùs dicendis magis firmabuntur. Quomodo ergo Scripturæ loca, quæ inter se contraria esse videntur, conciliabuntur? Facili vtique negotio, neque vno modo.

Triplex conciliatio. Prima & ſecunda.

Primò itaque dico, cultum Dei Ieroſolymis perpetuò duraturum, non tamen Moyſaicum, ſed Chriſtianum. Secundam conciliationem, quæ ferè in idem recidit, ſuppeditat Auctor Operis imperfecti Homil. 29. in cap. 12. Matthæi, vbi explicat, quomodo concilianda ſint loca, in quibus dicitur Dominum dereliquiſſe Iudæam, & non dereliquiſſe. *Legimus*, inquit ille Auctor, *in Scripturis, & derelictam Iudæam, & non derelictam. Derelictam quidem, ſicut Iſaias dicit: Et derelinquetur filia Sion, ſicut vmbraculum in vinea. Non derelictam autem, ſicut dicit Dauid: Quia non repellet Dominus plebem ſuam, & hereditatem ſuam non derelinquet. Hanc quæſtionem ſoluit nobis Apoſtolus, dicens: Non excidit verbum Dei. Non omnes qui ſunt ex Iſraël, hi ſunt Iſraëlitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij, ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Ergo non qui filij carnis, hi filij Dei, ſed qui filij promiſſionis æſtimantur in ſemine. Vides ergo, quia Iudæa illa derelicta eſt, quæ ſecundùm carnem erat Iudæa: quæ autem ſecundùm ſpiritum fuit Iudæa, non ſolùm derelicta non eſt, ſed magis electa eſt. Nam ſicut in homine duplex eſt homo (eſt enim homo exterior carnalis & corrumpendus, & eſt homo ſpiritualis incorruptibilis) & ſicut in lege duplex eſt Circumciſio, à foris quidem carnalis & reſcindenda, ab intus autem eſt ſpiritualis, & adimplenda; vt puta hoc reciſum eſt in lege, quod erat à foris membrum; illud autem quod fuit ab intus vt circumcideretur cor, non eſt reciſum: ſic & in Iudæa, & à foris quidem Iudæa videtur, qui ex carne Abrahæ nati ſunt. Ergo populus in populo erat clauſus.*

Chriſtianus cultus perpetuò Ieroſolymis conſeruabitur.

Tertia.

Tertiò etiam dici poteſt, derelictam eſſe Terram ſanctam pro maiori parte, ſed non in toto, quoniam adhuc ſeruauit ſibi Dominus ibi viros qui nõ curuauerunt genua ante Baal, Chriſtianos ſcilicet ibidem habitantes, & qui ad illorum cuſtodiam frequenter deſtinantur.

Argumentum diſſoluitur.

Nec aliud dicere voluit Dominus Samaritanæ, quàm quòd non eſſet in poſterum adorandus Deus carnalibus ſacrificijs & cærimonijs Iudæorum & Samaritanorum, ſed abſque illis, in ſpiritu & mundo corde, vt ibi docet D. Thomas. Quare firmiſſimè tenendum eſt, magnum meritum, quin & præmium eſſe, cuſtodire loca ſancta ab infidelibus occupata, vt iam dictum fuit. Vide quæ diximus in explicatione ſimulachri Terræ ſanctæ, & quæ dicentur inferiùs Cap. XVI. & plura alia habes ad idem in primo Libro.

CAPVT X.

De ſpeciali merito proficiſcentium ad Terram ſanctam, & in eadem manentium, proueniente ex adminiſtratione Sacramentorum & prædicatione Euangelij; & quàm meritorium ſit huic operi incumbere, auctoritate gemina docetur.

VT oſtendamus, quàm accepta ſit Deo, & Religioſis meritoria, profectio in Terram ſanctam, & in eadem commoratio, orta ex deſiderio procurandæ ſalutis animarum ibidem exiſtentium, vel eò ſe transferentium; per prædicationem Euangelij & Sacramentorum adminiſtrationem, primò explicandum eſt, quàm excellens & meritorium opus in ſe ſit, vacare ſaluti animarum: hoc enim oſtenſo, clarè apparebit, quantum commodi accedat illis, qui, vt tanto incumbant operi, proficiſcuntur in Terram ſanctam, ibique manent. Explicabo verò triplici fundamento, auctoritate, ratione, & exemplo.

Admodum meritorium eſſe, ſaluti animarum ſtudere, duplici auctoritate probatur. Prima.

Et quantum ad auctoritatem (in qua explicanda hoc Capite occupabimur) ea quidem multiplex eſt, ſed nos vna vel altera contenti erimus. In primis eſt auctoritas Archangeli Gabrielis, dicentis: *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*, Daniel. 12,3. In cuius dicti ſenſu eliciendo, licet inter ſe diſcrepent interpretes, in eo tamen omnes conueniunt, indicari, eos, qui magiſtri fuerint & doctores exemplo & doctrina, alioſque ad Dominum adduxerint, præcipuo quodam & ſingulari gloriæ ſplendore ceteris eminentiores futuros. Audiamus Hieronymum: *Magiſtri*, inquit, *habebunt ſimilitudinem cæli, & qui alios erudierunt, ſtellarum fulgori comparabuntur. Non enim ſufficit ſcire ſapientiam, niſi & alios erudias: tacituſq; ſermo doctrinæ alium non ædificans, mercedem operis recipere non poteſt, iuxta illud Sapientis in libro Eccleſiaſtici, cap. 20. Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſq;?* Quare, ſecundùm dicti Hieronymi ſententiam, auctoritas Prophetæ copulatiuè accipienda eſt in hunc modum. Vt aliquis ob ſcientiam habeat in cælo ceteris maiorem gloriam, non ſat eſt habere ſcientiam, niſi etiam in ea ad aliorum vtilitatem ſe exerceat.

Ad maiorẽ gloriam non ſufficit habere ſcientiam, ſed eiuſdem exercitium neceſſarium eſt.

Hæc interpretatio ſi legitima eſt, veritatem habebit non ſolùm in Prælatis, Concionatoribus & alijs perſonis in docendo & inſtruendo, ex officio & iuſtitia ſe exercenti-

centibus, ſed etiam in ijs quibus eiuſmodi munus non incumbit niſi ex charitate. Ideò D. Hilarius in Comment. ſuper Matthæi cap. 26. in fine, inquirens, quiſnam ſit fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt dicitur in Euangelio; reſpondet: *Quamquam in communi ad indefeſſam vigilantiæ curam adhortetur, ſpecialem tamen populi principibus, id eſt, Epiſcopis in expectatione aduentuq; ſuo ſollicitudinem mandat*, &c. Omnibus quidem, etenim *vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo*, vt dixit Eccleſiaſticus c. 17, 12. etſi præcipuè Præſulibus & Paſtoribus, quibus oues concreditæ ſunt. Igitur & ſolitarius ſapiensque Monachus, cui licet ex officio alios docere, purgare, illuminare, & perficere non conueniat, vt dixit magnus Dionyſius, quia, ſi D. Hieronymo fidem habemus, *Lugere potiùs, quàm docere, Monacho conuenit*: ſi tamen in docendo & alios inſtruendo ſe occupet, neceſſitate, iuſtitia vel charitate ita expoſtulante, ſingularem mercedem Doctoribus debitam conſequetur. Nam merces actibus non habitibus debetur, vt apud omnes eſt in confeſſo, id ſæpè Scriptura ſacra inculcante. Cui interpretationi adſtipulatur verſio Theodotionis, & Græca editio vulgata, quam ſequitur Theodoretus, & refert D. Hieronymus, quæ ſic habet: *Et intelligentes fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, & à iuſtis multis quaſi ſtellæ in ſæcula, & vltra.*

Doctrina magis Epiſcopis conuenit.

Monachi munus eſt lugere, non docere.

Arbitror verò, non ſolùm eos gloria maiori accidentali, illa nimirum quam laureolam Doctorum appellant Theologi, futuros glorioſiores, verùm etiam eſſentiali, ſuppoſito quòd docti æquè ac indocti aliqua opera legis exercuerint. Et ratio eſt manifeſta; quoniam ſecundùm gratiam & merita dabitur præmium. Dabit enim Dominus vnicuique ſecundùm proprium laborem. Cùm igitur Doctores, qui alios inſtruxerunt, plus quàm ſimplices idiotæ, laborauerint, & conſequenter plus meruerint, neceſſariò fatendum eſt, maiori gloria, etiam eſſentiali, fore donandos. Quod inde etiam comprobatur, quia in docendo præ ſe ferunt maiorem charitatem. inquit enim D. Auguſtinus: *Ille in charitate Dei eſt perfectior, qui ad eius amorem plures conuertit.* At hæc ad augmentum meriti & præmij excellentiori quodam modo conducit.

Doctores maiori gloria non modò accidentali ſed eſſentiali donabuntur.

Auctoritas ſecunda eſt omni exceptione maior, nimirum Saluatoris, qui ſic diuino ore ſuo effari dignatus fuit: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*, Matth. 5, 19. Quæ auctoritas non tantùm de maioritate beatitudinis accidentalis, ſed etiam eſſentialis videtur intelligenda; quoniàm docere, genus actionis eſt cui præmium eſſentiale reſpondet, etſi quatenus tale, ei reſpondeat etiam & accidentale aureolæ. Hoc & D. Bonauentura videtur indicaſſe, quem inferiùs Capite XII. adducemus.

Secunda auctoritas.

Suffragatur huic ſententiæ idem Dominus alibi, vbi ſic ait: *Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris*, Ierem. 15, 19. Ac ſi clariùs dixiſſet: Si animas pretioſo meo Sanguine redemptas à vilitate & ſcoria peccati ſeparaueris, & ad iuſtitiam perduxeris, à me impenſiùs diligêris, eriſque apud me vt os vel pupilla oculorum meorum. Et D. Iacobus ab hac ſententia non diſſentit, dum ait: *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*, Iacob. 5, 20. Sed quam multitudinem peccatorum operiet, conuertentis, an conuerſi? Scio pleroſque dicere, conuerſi, & veriſſimum eſt; ſi enim illius ſaluatur anima, etiam illius operiuntur peccata: verùm ego cum Origene Homil. 2. in cap. 1. Leuit. & alijs, arbitror etiam conuertentis operienda eſſe peccata, quæ per fragilitatem commiſſa fuere, & in quibus perſeuerandi non habet voluntatem. Vt enim poſteà dicemus, qui ſaluti animarum incumbit, non alijs modò, ſed & ſibi prodeſt. Credo enim, ſi ei ex animo inuigilet, etſi fortè in peccatis ſit, ad illorum tamen remiſſionem à Deo diſponendum eſſe: quid enim prohibet, quò minùs verbum Dei, tamquam acutus gladius, feriat cor ipſius prædicatoris, ſicut & auditoris?

Suam operatur ſalutem, qui aliorum ſaluti ſtudet.

De Origene tradunt non infimæ notæ Auctores, ſecuti Epiphanium in Panario Hæreſi 4. quòd cùm ex fragilitate turpiter Chriſto renuntiaſſet, & idola adoraſſet, rubore confuſus, Alexandriâ relictâ Ieroſolymam venerit, vbi de eius peccato idololatriæ nihil dum auditum fuerat, ibique rogatus & compulſus à populo vt concionem haberet, ſuggeſtum conſcenderit, recitatoq; Pſalm. *Deus deorum Dominus locutus eſt*, &c. poſtquam ad illum verſiculum peruenisſet, *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* tanto interiùs dolore tactus & compunctus fuerit, vt plicatum librum reddiderit, & in plura verba ſe diffundere nequiens, vultu dimiſſo, plenus lacrymis, & facti ſui admodum pœnitens abierit. Ob hoc, qui benè de eo ſentiunt, non temerè aut ſine ratione aliqua arbitrantur, eum à Deo ſui peccati veniam impetraſſe.

Ob iſta Seraphicus Bonauentura non iniuriâ dicere ſolebat, ſe velle contendere vt animam

S. Bonauentura propoſitum & notabile dictum.

animam Christo lucrifaciat, eò quòd ex tali lucro de sua salute adeò se certiorem quodammodò fecisset, vt Christus ad perpetuas gehennæ flammas illum non condemnauerit. Et quomodo, dicebat, Christus illum condemnabit, qui animam, rem ei tam charam & dilectam, lucratus fuerit?

Pœnæ peccatorum & ipsa venialia delentur studendo animarum saluti.

Quòd si de culpis mortalibus non placet intelligere dictam Iacobi auctoritatem, absque hæsitatione poterit intelligi vel de venialibus, vel de pœnis quæ peccatis debentur: *Vniuersa* enim *delicta operit charitas*, vt dicitur Prouerb. 10, 12. Et sanè, vt in ea Iacobi verba argumentatur D. Gregorius lib. 19. Moral. cap. 12. *si magnæ mercedis est à morte eripere carnem quandoque morituram, quanti est meriti à morte animam liberare, in cælesti patria sine fine victuram?* Glossa ordinaria ibidem, *Verè*, inquit, *qui errantem corrigit, per hoc ampliora gaudia vitæ cælestis sibi conquirit.* Accedit S. Ioannes Chrysostomus, cuius Homil. 5. super 1. Cor. 1. hæc sunt verba: *Etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si vnam conuerteris animam.* Denique Magnus ille Dionysius de Cælesti hierarchia cap. 3. *Omnium diuinorum*, inquit, *diuinissimum est, cooperari Deo in salutem animarum.*

CAPVT XI.

Idem porrò argumentum ratione probatur.

RAtione etiam, & sanè efficaci, ostenditur, quàm dignum sit, Christo cooperari ad salutem animarum. Operatio illa pluris facienda atque plurimùm meritoria censenda est, qua res pretiosissima & magni momenti acquiritur. Sed verbi Dei prædicatione, Sacramentorum administratione, excellentissimum quid acquiritur: igitur præstantissima & multùm meritoria operatio erit. Maior argumenti manifesta videtur: ex fine namque & obiecto, secundùm Philosophos & Theologos, artium & scientiarum æstimatur dignitas & excellentia. Theologia enim, quæ est rerum cælestium ac supernaturalium cognitio, dignitate Philosophiam, & quamlibet terrestrium & naturalium rerum scientiam excellit, quoniam per hanc rerum naturalium & creatarum, per illam verò creatoris & rerum supernaturalium acquiritur scientia, vel saltem ad possessionem illarum dirigimur. Hinc negotiatio regni cælorum, & Euangelica lex in qua pij fideles se exercent, excellit legem & mercaturam hominum huius mundi; quoniam istâ caduca & terrena bona, illâ æterna & cælestia comparantur, quæ illa infinito interuallo antecellunt.

Prædicatione & Sacramentorum administratione anima acquiritur.

At quodnam est hoc excellentissimum, quod prædicatione & Sacramentorum administratione acquiritur, vt minor argumenti probetur? Est aliquid quod omnia terrena excedit, nimirum animæ rationis compos, cuius dignitatem & excellentiam fateor me non posse ex eius causis intrinsecis cognoscere, sicut nec alia creata substantia potest ex se hoc modo sub propria ratione cognosci in statu isto naturæ lapsæ, in quo sensibus & sensibilibus in cognoscendo indigemus. Ita docet Scotus in prima quæstione Prologi, cum alijs Philosophis & Theologis. Ideò si dixero, animam rationalem esse substantiam spiritualem per se existentem, intellectu, voluntate & memoria præditam, humanæ naturæ specificam formam, qua à brutis seiungitur, & Angelis dignitate assimilatur; si Deiformem, ad imaginem & similitudinem Dei factam, & beatitudinis capacem, & alia quæ cùm à Philosophis tum à Theologis enuntiantur, in eius commendationem dixero; quidquid horum dixero, semper obscura mihi erit illius cognitio. Quare vt eius aliquo modo percipiam excellentiam, ex extrinsecis signis illa erit exposcenda, & ex illo cui illius natura & proprietas latere non potest.

Anima dignitas melius ab externo, quàm ex illius essentia inquirenda.

Agri alicuius, margaritæ, adamantis, vel alterius monilis pretium & excellentia meliùs cognoscetur ex solutione magni pretij, quod pro illo sapiens & prudens soluit mercator, quàm ex studio & lectione proprietatis illius. Hinc Saluator noster post multa egregia in sacris Litteris tum ore proprio, tum Prophetarum suorum prolata, quibus excellentia regni cælorum explicata est, vt eam magis mentibus hominum imprimeret, similitudinibus expressit apud S. Matthæum, dicens: *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Iterùm simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam*, Matth. 13, 44. His enim similitudinibus nobis ostendere voluit, Regnum cælorum tanti esse pretij & excellentiæ, vt pro illius possessione omnia terrena nihili faciẽda sint; quemadmodum homo ille Euangelicus nihili fecit omnia, modò sibi comparare posset agrum in quo tantus thesaurus erat absconditus; & mercator ille spreuit omnia bona sua, vt sibi acquireret pretiosam margaritam.

Plutar-

Digitized by Google

Plutarchus in ſuis Apophthegmatibus ſcribit, quamdam Romanam matronam à Zeuxi inſigni pictore petijſſe ſibi imaginem aliquam, ex multis ab eo depictis, donari: optionem dediſſe illum, vt quam mallet acciperet; at ipſam reſpondiſſe, melius eſſe vt ipſe, qui pingendi arte peritior eſſet, vnam ſeligeret. Quod cùm Zeuxis facere renuiſſet, illam hoc vſam eſſe artificio, vt exploraret quamnam imaginem pluris æſtimaret. Subornaſſe nimirum quemdam illius famulum, qui Zeuxi mendaciter diceret, omnes eius imagines, igne repentè ſuborto, conflagrare. Detuliſſe nuntium illud ſeruum, & confeſtim, illo audito, exclamaſſe Zeuxim, *Seruate mihi Adonidem*: quibus è verbis intellexerit cauta illa matrona Adonidis imaginem maximè omnium ab illo æſtimari, & ceteris eſſe artificioſiorem, vtpote quam ſolam voluiſſet ab incendio incolumem ſeruari, etiamſi reliquarum iactura eſſet facienda.

Similibus parabolis & nos dijudicare & explicare poſſumus animæ dignitatem; aſſerimus namque non mendaciter, ſed verè, peccati igne omnia, quæ ſupremus omnium artifex Deus optimus maximus delineauit & condidit, denigrata & ferè conſumpta eſſe; peccatum enim *ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina*, Iob 31, 12. An non combuſſit in cælo Angelos, in quibus Deus reperit prauitatem, adeoque in profundum laci proiecit? An non denigrauit & incendit vniuerſum genus humanum, & cetera quæ propter hominem condita fuerunt, deteriora effecit? Vnde de iſto igne dicere poſſumus, quod vnus ſeruorum Iob dixit: *Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues puerosq; conſumpſit*, Iob 1, 16. Sed quid mauult Dominus ab iſto vniuerſali incendio liberari? An res terrenas? Sed illæ non propter ſe, ſed propter hominem conditæ ſunt. Hominem vt ſaluaret ſe veniſſe, ipſemet Saluator dixit. Verè ad hominem ſolum, quaſi ad vnicam ouiculam, quæ in deſerto huius mundi perierat, quærendum & ex incendio peccati eripiendum de ſupernis venit, relictis ibi nonaginta nouem alijs, Angelis videlicet. Prophetas item, Apoſtolos, & alios Apoſtolicos viros deſtinauit, eis dicens: Seruate mihi hominem, ſeruate mihi hominem, ne peccati igne & inferni flammis abſumatur, vt videre eſt in nouo & veteri Teſtamento. Maximi igitur pretij eſt homo, maximi pretij eſt anima rationalis.

Anima rationalis pretio omnia terrena excellit.

Sed quantum valet? An quantum voluptates, diuitiæ & terrena omnia? Longè ſanè pluris valet. Intellexit hoc ſapiens ille Rex Sodomorum, qui ſpretis quæcumque pretioſa eſſe poſſent, pro ſolis animabus ſollicitus fuit, ideoque dixit Abrahæ, in cuius poteſtate vtraque erant: *Da mihi animas, cetera tolle tibi*, Gen. 14, 21. Et ſatanas, multò illo quoad hoc ſapientior, omnia contemnenda eſſe præ anima recte iudicauit. dixit enim ad Dominum: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua*, Iob 2, 4. Sed quid profero ſapientem aliquem Regem Sodomorum, vel eo ſapientiorem ſatanam? Verbum Patris, æterna Dei ſapientia, à quo omnis ſapientia eſt in cælo ſurſum, & in terra deorſum, idipſum conceptis verbis aperuit apud ſanctum Matthæum. *Quid prodeſt homini*, inquit, *ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Matth. 16, 26. Mirabilis ſane ſententia ex ore Dominico profecta, quæ diligenter conſiderata, bellè intentum noſtrum exponit. Conſidera verò prius, quòd in priori eius parte dicatur, animam detrimentum pati poſſe. Diſcrimen videtur eſſe inter detrimentum, & conſumptionem ſiue mortem: illud enim detrimentum pati dicitur, quod, integra manente ſubſtantia ſua, aliquid accidentale, vel ad eius eſſe non neceſſarium deperdit; vt cùm homo infirmatur, vel ei manus abſcinditur, vel huiſmodi quid ei accidit. At illud dicitur deperdi & conſumi, quod ſuum eſſe eſſentiale amittit: & hoc modo in morte homo conſumi dicitur, cùm ab eius corpore anima, qua viuebat, mouebatur, & erat, ſeparatur, humanumque eſſe deperdit. Suo etiam modo, etſi non naturaliter, moraliter tamen, æquè ac homo, anima deperdi & conſumi dici poteſt. Vt enim homo per ſeparationem animæ à corpore conſumi & mori dicitur; ita ex ſeparatione gratiæ ab anima, ipſa anima ſecundùm D. Auguſtinum dicitur conſumi & mori; & *quæ in delicijs eſt*, id eſt in peccatis, *viuens mortua eſt*, vt de vana muliere dixit ſanctus Apoſtolus 1. Timoth. 5, 6. Sed & detrimentum pati poteſt abſque ſui morte, id eſt abſque gratiæ amiſſione, cùm nimirum ad pœnam temporalem ſeruatur, vel veniali culpa vitiatur, vel ob fomitem, quem iuncta corpori ſentit, ob quem non poteſt liberè bonum illud, quod vellet facere, vt dixit S. Paulus. Hunc fomitem vulneris nomine, ſicut gratiæ amiſſionem per inquinationem, explicuit S. Bernardus Serm. in Cœna Domini: *In caſu primi hominis*, inquit, *cecidimus omnes. Cecidimus autem ſuper aceruum lapidum, & in luto: vnde non ſolùm inquinati* (intelligelabe & rubigine peccati) *ſed etiam vulnerati & graniter quaſſati ſumus*; nimirum

Detrimenti & conſumptionis diſtrimen.

Anima mortali culpa mori ac deperdi dicitur.

Detrimentum patitur veniali vel pœna obnoxia.

cupi-

cupiditatis fomite, & incentiuo peccati. Vel possumus etiam aliter hoc detrimentum animæ explicare cum eodem D. Bernardo Serm. 37. in breuibus. Expendens enim ille illa Psalmistæ verba, *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis*, sic inquit: *Habet anima corruptionem suam, habet & corpus suum. Corruptio animæ tripartita est, quadripartita est corporis. Corpus siquidem constat ex quatuor elementis, anima verò in triplici vi subsistit; est enim rationalis, concupiscibilis, irascibilis. Rationalem, cuius sanitas est cognitio veritatis, corrupit superbia. Corrupta autem fallitur duobus modis, in cognitione sui, & cognitione Dei: concupiscentiam corrupit vana gloria, iram inuidia.*

Alia interpretatio detrimenti animæ.

Quomodocumque sumatur detrimentum, siue hoc posteriori modo, siue priori, pro peccato veniali, pro pœna vel pro fomite, cùm per vtrumque anima detrimentum patiatur, semper maius malum erit, ipsam tale detrimentum pati, quàm bonum & vtile sit totius mundi cum omnibus eius diuitijs acquisitio. quid enim ista omnia proderunt animæ detrimentum patienti?

Nil creatum cum anima commutabile.

Hoc idem iam confirmatur amplius ex altera parte eiusdem sententiæ Saluatoris, *Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* quasi nihil in rebus creatis sit quod iustè cum ea commutari possit. *Nec totus mundus sufficeret*, inquit idem sanctus Pater Epist. 54. & Sapiens: *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ*, Eccli. 26,20. An tantum valet anima, quantum ipse Christi Sanguis, qui quoniam suppositi est infiniti, videtur quemdam valorem infinitum habere? Ex hoc sanè capite D. Bernardus eodem loco expendit animæ magnitudinem, dicens: *Magna res est anima, quæ Christi Sanguine redempta est. Grauis animæ casus, quæ non nisi Christi Cruce potuit reparari.* Idem fecit virgo illa sacra & sponsa Christi Catharina Senensis, quæ tantam à Deo obtinuit gratiam, vt animarum pulchritudinem cognosceret. Cùm enim aliquando vnam, corporeis vinculis solutam, & corruptibili hac mortalitatis veste exutam, argentea verò gratiæ, & aurea gloriæ varijs luminibus rutilantem, ad cælos volantem vidisset, illius pulchritudine capta, ad suum sponsum IESVM conuersa, dixit: *Non amplius mirabor, ô mi amor, videndo te Sanguinem sudantem, flagella sufferentem, spinea corona redimitum, Crucem proprijs humeris baiulantem, opprobrijs saturatum, in Cruce inter sceleratos emittentē spiritum. Si enim tot laboribus ac passionibus alia merces data non esset, hæc sola anima sufficiens extitisset, vt meritò pro hac vna tot passus sis.*

Ex Christi Sanguine & ipso Christo, qui pro anima se tradidit, anima valor metiendus.

D. Catharina Senensis notabile dictum.

Dicam amplius, tantum valet anima, quantum ipsemet Christus Deus & homo. Hyperbolica sanè locutio, sed à mente Spiritus sancti nullatenus aliena, quam hunc in modum explico: Si hominem ad triremes damnatum, vel in carcere vinculis constrictum videres, pro cuius liberatione filius magni cuiuspiam Regis se obsidem daret, vel eisdem etiam vinculis & carceribus se traderet; nónne illum eximium aliquem hominem, vel Regem magnum esse crederes? Ita sanè; nam rei emptæ valor, ex solutione pretij prudentis viri dignoscitur, vt iam diximus. Ecce, homo propter peccatum diaboli mancipium effectus est, ac eius tyrannidi subiugatus. *A quo enim quis superatus est, huius & seruus est*, 2. Pet. 2, 19. Pro isto mancipio, pro isto homine Rex Regum, & Dominus dominantium, Filius Dei, sapientia Dei Patris, venit in hunc mundum, se eisdem legibus, quibus hic deuinctus fuerat, subiecit, vt ipsum à lege & graui iugo dæmonis liberaret. Expressis verbis docuit D. Paulus, à Spiritu sancto edoctus. *At vbi venit*, inquit, *plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus*, Galat. 4, 4. Et in Symbolo Nicæno dicitur de Filio Dei: *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis*, &c. Quin idem ille Apostolus Paulus tam confidenter de sua salute loquitur, quasi pro se solo redimendo Christus in mundum venerit, vt dicere non erubuerit: *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. innuens, tanti pretij esse vnam solam vnius hominis animam in oculis Dei, vt propter solam ipsam, etiamsi reliqui homines non peccassent, fuisset mortem subiturus. Huc spectat quod olim Carpo sanctissimo martyri fuit reuelatum, de quo vide Areopagitam Epist. 8. ad Demophilum monachum. Ex quibus omnibus collige, plus animam, quàm totius mundi diuitias & delicias valere. Plus valet quàm Angelus, quoniam non pro Angelis mortuus est Filius Dei: non enim Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit, vt ait Apostolus. Plus quàm mundus totus; plus quàm Christi Sanguis, quatenus ille pro eius salute profundendus fuit. Valet ergo tantum quantum anima ipsa: valet quantum anima Christi, *qui animam suam posuit pro ouibus suis.* Vno verbo, tantum valet, quantum totus Christus, quia pro ea se totum tradidit. Animarum ergo saluti operam dare, opus est tam eximium tantique meriti, vt etiam ipse Christus ideò potissimùm videatur pro animabus nostris animam suam posuisse, qui à Patre

Pro anima vna Christus venisset ac se meriti obtulisset.

Anima quantum anima valet quantū Christus.

Digitized by Google

Patre ſuo redamaretur. dixit enim: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam*, Ioan. 10, 17. Recte igitur D. Ioannes Chryſoſtomus Serm. de B. Philogonio & de Natiuitate Domini, obſeruat, & veluti rem magni ponderis expendit, quòd Chriſtus trinæ D. Petri ad interrogationem reſponſioni ſemper adiecerit, *Paſce agnos meos, paſce oues meas*. quaſi dixiſſet: Oſtende hunc tuum in me amorem, procurando animarum, quas Sanguine meo comparaui, ſalutem; quia, vt idem D. Ioannes Chryſoſtomus Homil. 3. & 40. in Geneſim inquit, *nihil ita gratum eſt Deo, & ita curæ, vt animarum ſalus*. Vt propterea actiones illæ, quæ ad ipſam diriguntur, Deo acceptiſſimæ ſint, & ipſiſmet illas exequentibus maximum meritum adferant, inter quas vel primum locum habet peregrinatio ad loca ſancta, ſi eo quo diximus fine aſſumpta fuerit.

Operando pro animarum ſalute animarum erga Deum amor oſtenditur.

CAPVT XII.

Ratione & exemplis monſtratur, quàm inſigne opus ſit, relicta ſolitudine ſe occupare in procuranda ſalute animarum: & concluditur, valdè meritoriam eſſe eo intuitu profectionem in Terram ſanctam.

Actiua vita in caſu contemplatiuæ præfertur.

QVamuis ſimpliciter & abſolutè, ceteris paribus, vita contemplatiua actiuæ præferatur obiecto, dignitate ac merito, vt communi conſenſu ſancti Patres & Theologi docent; eorumdem tamen ſententiâ, actiua aliquando & ſecundùm quid melior & maioris meriti cenſetur quàm contemplatiua, veluti ſi attendatur neceſſitas vitæ præſentis, præcipuè verò ſpirituale animæ beneficium, tum præſertim, ſi Superioris accedat imperium: hiſce namque concurrentibus, actiua contemplatiuæ præferenda eſt. Ratio eſt manifeſtiſſima. Si enim ex charitate vel maiore vel minore fit de ipſius operis & meriti præcellentia iudicium, contingit ſanè non ſemel vt ob illam relinquatur ſanctum otium, & aſſumatur laborioſa operatio, præſertim ſi ſpirituale proximi commodum procurandum ſit: quoniam nullum ſacrificium Deo eſt acceptius quàm animarum ſalus. Vnde S. Gregorius dixit Homil. 12. & 3. in Ezech. *Sine vita contemplatiua intrare poſſunt ad cæleſtem patriam, qui bona, quæ poſſunt, operari non negligunt: ſine actiua autem intrare non poſſunt, ſi negligant operari bona quæ poſſunt.* Et S. Auguſtinus lib. 19. de Ciuit. Dei c. 14. aſſignans modum ex charitate operandi, ſequentia tradidit: *Otium ſanctum quærit charitas, negotium ſanctum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus nobis imponit percipiendæ atque intuendæ, vacandum eſt veritati; ſi autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem. Sed nec ſic omnino veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuauitas, & opprimatur iſta neceſſitas.*

Hanc veritatem exemplo ſuo Deus & Sancti eius teſtatam reliquerunt. Deus optimus maximus in primis qui non vult mortem peccatoris, ſed *vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat*, Ezech. 18, 23. quique *omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, 1. Tim. 2, 4. antè quàm in terris viſibilis appareret, ſemper in mundum miſit ſapientes ac pios viros, Patriarchas & Prophetas, qui verbo & exemplo homines ad veram ſalutis viam diſponerent & perducerent; qui etiam adinſtar Moyſis (qui cùm populo Iſraëlitico, propter vitulum adoratum, magnum immineret exitium, de monte, vbi orationi, contemplationi & diuino colloquio vacabat, Deo præcipiente deſcendit, vt eidem ſubueniret) contemplationem deſeruerunt, & actioni, vt populum adiuuarent, ſe tradiderunt. Poſtea ipſemet Dominus, quaſi hiſce non contentus, in terras venit, factusque ex homine homo cum hominibus conuerſatus eſt, vt faceret voluntatem Patris ſui, & non tam prædicatione, quàm patrandis operibus, Sanguinis effuſione, & ſui ipſius oblatione animas eidem acquireret. Poſtquam verò, conſummato quod Pater ei iniunxerat opere, cælos conſcendiſſet, & de præparato ſibi habitaculo homines intuitus, à via, quam eis inambulandam commonſtrauerat, auerſos, Deoque & Angelis abominabiles factos, & propter inopiam panis vitæ & aquæ ſalutaris, cæleſtis inquam doctrinæ, vt exaruiſſe & defeciſſe animaduertiſſet; vt in fame ſua illos paſceret, & à morte animas eorum erueret, iterùm ſanctos & doctos viros miſit, qui verbo & exemplo cibarent eos pane vitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potarent, cæleſti nimirum imbuerent diſciplina, & Sacramentorum adminiſtratione confirmarent: quales fuerunt Antonius, Baſilius, Benedictus, Auguſtinus, Dominicus, Franciſcus, &c. qui & quantum profecerint, toti iam mundo conſtat. Tanti nimirum faciebant lucrum animarum, vt propterea priuatam & optatam ſolitudinem & quietem reliquerint, & illi procurando ſe totos accinxerint, actionem, quæ reſpicit lucrum animarum, contemplationi anteponentes.

Dei & Sanctorum exempla.

Vas electionis S. Paulus de ſe dicebat: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratri-* *Pauli.*

fratribus meis, Rom. 9, 3. quia, vt ait ſanctus Ioannes Chryſoſtomus lib. 1. de Compunctione cordis, *tantus amor Chriſti & ſalutionis proximi D. Pauli mentem demerſerat; vt hoc etiam ipſum, quod ei erat præ ceteris rebus omnibus amicabilius, ſcilicet eſſe cum Chriſto, pro fratribus contemneret, quia ſciebat, quòd ita placeret ipſi Chriſto.* Et plures poſtea Eremitas & Monachos, ſolitudinis amantiſſimos, ex eremis & cellulis ſuis egreſſos fuiſſe perſecutionis tempore, vt fidelibus afflictis ſubuenirent, eos ſolarentur, & in fide firmarent, legimus in Hiſtorijs Eccleſiaſticis.

Magni Antonij, Sic nimirum Magnus Antonius, qui Conſtantini Magni tempore floruit, quamuis omnibus ſtuderet ignotus eſſe, & in ſolitudine deliteſcere, aduertens tamen ciuitatem Alexandrinam ab Arianis oppugnari falſis dogmatibus, è ſolitudine egreſſus, eò ſe contulit, vt proximis in neceſſitate conſtitutis ſubueniret, vt auctor eſt Sozomenus lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 13.

Aphraatis Monachi, Sed ſingularius exemplum, quo ſcopus noſter amplius illuſtratur, accipe ex Theodoreto lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 25. *Aphraates Monachus*, inquit ille, *ſalutem ouium ſuæ ipſius tranquillitati anteponens, gurguſtio, in quo vitam monaſticam excoluerat, relicto, labores paſcendi gregis Dominici ſibi impoſuit, & ad bellicum gymnaſium, quò ſanctis omnibus conuenientem curationem adhiberet, contulit. Valens Imperator in Chriſtianos magnam exercebat impietatem & crudelitatem: lege enim ſanciuerat, vt illi non ſolùm à templis & ciuitatibus, ſed etiam à montibus, in quibus Proceſſiones faciebant, Pſalmos & hymnos, aliaſq; diuinas laudes Deo decantabant, arcerentur. Hunc à ſolitudine egreſſum, Imperator* (inquit Theodoretus) *oculis de ſublimi ex portica regia deiectis, vidit pallio vili ac ſordido indutum, & cito gradu, licet confectum pænè ætate, incedentem. Ac cùm quidam dixiſſet, Hic eſt ille Aphraates, ex cuius nutu pendet ciuitas vniuerſa, ibi tum Imperator, Cedò, inquit, quò te conferas. Ille tum ſapienter ſanè & appoſitè, Pro tuo, inquit, regno precaturus. Tum Imperator, At domi, inquit, tibi manendum eſt, & intra cellam, vti lex monaſtica poſtulat, orandum. Cui diuinus ille vir, Præclarè admodum, inquit, dicis, ô Imperator: iſtud ſanè mihi faciendum eſt, & hactenus feci, dum oues Seruatoris pace fruerentur; verùm quoniam iam magnopere conturbantur, & multum illis impendit periculi, neceſſe eſt omnes vias perſequi, non modò ne à feris capiantur, ſed etiam vt conſeruentur incolumes. Nam dicito mihi (quæſo) ô Imperator: ſi filia alicuius eſſem, & ſederem in conclaui vt ades curarem, atque deinde cernerem flammam in eas incidiſſe, ædeſq; paternas iam conflagrare; dicito mihi, inquam, quid me oporteret facere? intúſne manere, & ædes incenſas negligere, expectareq; donec flamma impetus longiùs pernaderet; an relicto conclaui, ſurſum deorſumq; curſitare, & aquam afferre, qua flammam extinguerem? Hoc certè te reſponſurum confidat: nam hæ ſunt partes filiæ prudentis & pronidæ. Atque hoc ipſum nos agimus, ô Imperator. Etenim, cùm tu iam in patris noſtri ades flammam iniecerit, nos circumcurſitamus, quò eam maturè poſſimus extinguere.*

Simile.

Apoſtolicus & Seraphicus ille Franciſcus optimè nouerat, quantum fructus ex ſolitudine, oratione & contemplatione percipiatur, & viciſſim quantum rigor diſciplinæ regularis & pœnitentiæ relaxetur, dum prædicationi animarumque conuerſioni incumbitur; ideoque, cùm eſſet pœnitentiæ amantiſſimus, libentiùs ſolitudini & contemplationi ſe totum dediſſet; at quia etiam nouerat, maximum opus eſſe conuerſionem animarum pro quibus Dominus in hunc mundum venit, & quia ſimul ſciebat omnia ex diuino conſilio facienda eſſe, ſuper hac re conſuluit Dominum, vt cuinam exercitio, cum Ordine ſuo, ſe traderet, ſolitudini & contemplationi dumtaxat, an etiam prædicationi & ſaluti animarum, certior fieri poſſet. Reſponſum igitur accepit à Domino, ſe ſuumque Ordinem electum fuiſſe, non vt ſoli contemplationi vacaret, ſed & actioni, quæ animarum ſalutem reſpicit, incumberet. Franciſcus accepto hoc oraculo, voluntati diuinæ obediens, tum ipſemet iuit, tum Fratres ſuos per vniuerſum mundum ad ſalutem animarum procurandam diſtribuit, & Regulam peculiarem quoad hoc ipſum Spiritu ſancto dictante reliquit. *S. Franciſci.*

Quare numquam ſanctis viri actionem ſaluti animarum ſimplici contemplationi prætulerint.

Et meritò quidem ſanctiſſimi iſti viri diuinitus afflati cenſuerunt, actionem, quæ ad lucrum animarum dirigitur, ſolitudini, quieti ac contemplationi anteponendam eſſe: quamuis alioquin ex ſe minùs perfecta pars ſit vitæ ſpiritualis, contemplationique vt meliori poſtponatur à Domino. Primò, quia huiuſmodi operatio actionem & contemplationem continet: qui enim docet, alijs quæ meditatus & contemplatus fuit miniſtrat. Hoc ex D. Bernardo docet D. Bonauentura in Meditat. Vitæ Chriſti, c. 45. *Eſt igitur*, inquit, *vita actiua quæ deſignatur per Martham. Sed actiuæ vitæ (ſicut ex dictis Bernardi colligere poſſum) duæ ſunt partes. Prima pars, qua quis ſe exercet ad ſuam principaliter vtilitatem, corrigendo ſe, emendando à vitijs, & informando virtutibus. Et id idem ſecundariò fit ad vtilitatem etiam proximi per opera iuſtitiæ, & obſequia pietatis*

Qua actiua vita contemplatiua præferatur.

Vita actiua duas partes.

tis & charitatis. Secunda pars eius eſt, quando quis principaliter ſuum exercitium confert in vtilitatem proximi, quamuis ad ſuum etiam maius meritum, vt alios regendo, docendo & adiuuando in animarum ſalutem, ſicut faciunt Prælati & Prædicatores, & huiuſmodi: & inter has duas partes vitæ actiuæ, eſt vita contemplatiua: vt iſte ſit ordo, quòd primò quis ſe exerceat & laboret in oratione & ſacrarum ſtudio Litterarum, & alijs operibus bonis & obſequijs in conuerſatione, quaſi corrigendo ſe à vitijs, & acquirendo virtutes, ſecundò quieſcat in contemplatione, ſolitudinem mentis quærens, & ſoli Deo vacans toto poſſe; tertiò per prædicta duo exercitia, virtutibus, & vera ſapientia imbutus, & illuminatus, & feruidus effectus, ad aliorum ſalutem intendat. Primò igitur (vt tetigi) oportet, quòd in prima actiua parte mens expurgetur, depuretur & roboretur per exercitia virtutum, deinde in contemplatiua informetur, illuminetur & inſtruatur; poſteà confidenter poteſt ad aliorum profectus exire, vt eos poſſit adiuuare. Hactenus S. Bonauentura, quæ in ſequentibus magis explicat. Hanc doctrinam ſanctiſſima Deipara docuit S. Birgittam, vt in eius Reuelationibus lib. 4. cap. 128. videre eſt. Lege etiam Ludouicum Mirandam Tom. 1. ſui Manualis Prælat. quæſt. 9. & quos citat.

Actiua qua dirigitur ad animarum ſalutem magis fructuoſa.

Secundò ſimplici contemplationi hæc actio præfertur, quoniam plurium ſalus & perfectio, quàm in contemplatione, comparatur; etenim contemplatio in ſe conſiderata, ſolius contemplantis lucrum intendit & operatur; at prædicatio, aliáve actio ad ſalutem animatum directa, non propriam modò, ſed & aliorum intendit & operatur lucrum. Quod Chriſtus indicaſſe videtur, dum ſe, ſuoſque in operanda ſalute animarum imitatores, luci comparauit. *Ego ſum lux mundi*, Ioan. 8, 12. & : *Vos eſtis lux mundi*, Matth. 5, 14. quoniam vt lux non modò ſe, ſed & alios lumine illuſtrat, ita qui docendo aut Sacramenta adminiſtrando occupantur, non ſibi modò, ſed & alijs fructus acquirunt. Idem etiam alibi demonſtraſſe mihi videtur, quando nimirum, cùm Samaritanam doceret, & ad ſe conuerteret, diſcipulis poſtulantibus vt manducaret, reſpondit: *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem Patris mei*, Ioan. 4, 34. quaſi diceret: Operari ſalutem animarum, meus eſt cibus, meus eſt potus. quoniam, vt hic in vtilitatem ſuſcipientis conuertitur, ita tunc Chriſtus Dominus meritum ſibi, ſi eius capax fuiſſet, comparaſſet, ſed & tunc Samaritanæ & Samaritanorum ſalus procurata eſt. Ac ob hanc ipſam rationem arbitror eum in illius conuerſione petiſſe aquam, & viciſſim promiſiſſe aquam viuam, & manſiſſe duos dies apud Samaritanos, vt ſcilicet paſceretur & paſceret. Duplicem hunc inſuper fructum myſticè indicauit, quando, cùm Matthæus ex publicano factus eſſet Apoſtolus, in domo eius ad prandium aſſidere voluit; & quando, dum conuertenda eſſet Maria Magdalena, Phariſæi in ædibus cibum capere non detrectauit, nimirum *ibat*, vt D. Hieronymus lib. 1. Comment. in Matth. cap. 9. loquitur, *Dominus ad conuiuia peccatorum, vt occaſionem haberet docendi, & ſpirituales inuitatoribus ſuis præberet cibos.*

Chriſtus & Apoſtoli quare lux mundi appellati.

Operari ſalutem animarum. Chriſti cibus eſt.

Sed amplius etiam ex alijs vtrumque hunc fructum conſidera. Regius Pſaltes, poſtquam egiſſet de Chriſti Sacerdotio ſecundùm ordinem Melchiſedech, indicans Chriſtum Dominum verum Sacerdotem futurum, qui prædicatione & Sacramentorum adminiſtratione paſturus eſſe populum; cùm item egiſſet de turbulento ac amaro paſſionis torrente, quo noſtram ſalutem conſummauit; agit ſtatim de gloria & exaltatione illam comitante, dicens: *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput*, Pſal. 109, 7. Quam gloriam dilucidiùs expreſſit S. Paulus ſequentibus verbis: *Cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, &c. Philippenſ. 2, 6. Iſaias Propheta, poſtquam de paſſione aliiſque operibus Saluatoris, quibus noſtram ſalutem fuit operatus, egiſſet, ſubiecit: *Generationem eius quis enarrabit?* Iſai. 53, 8. vbi *generationis* nomine grauiſſimi Patres, veteres & recentiores, intelligunt multiplicem imò infinitam ſpiritualium filiorum ſobolem, quam verbo, exemplo & paſſione genuit. Quod ex ſequentibus eiuſdem Prophetæ verbis amplius declaratur, vbi ſic ait: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*, verſ. 10. Vtrumque denique huius operis fructum D. Paulus hiſce explicuit verbis: *Attende tibi, & doctrinæ; inſta in illis. Hoc enim faciens, & te ipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt*, 1. Tim. 4, 16.

Sibi & alijs acquiris actum.

Operantibus prima pars datur.

Hinc etiam actui huic præcellenti, & ampliora merita cumulanti, primus gradus attribui videtur à Domino. Apoſtoli enim & Prælati, & qui eis ſunt ſimiles, excellentiorem locum & illuſtriores ſedes adepti ſunt in regno cælorum, cùm, *qui fecerit, & docuerit, hic magnus* vocandus ſit *in regno cælo-*

rum, vt ſuperiùs ex D. Matthæo diximus. Ad quod etiam facit auctoritas Eccleſiaſtici, prout exponitur à D. Bernardo, *Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens*; cuius expoſitionem habes inferiùs Capite XXIV.

Diei, temporis nobilior pars, actioni ſaluti animarum ad ſcripta.

Sed vlteriùs idipſum ex hoc conſidera, quòd vniuerſum tempus, quo hæc noſtra decurrit vita, in duplicem partem diuidatur, in diem & noctem, quibus ille potior & dignior eſt: quemadmodum verò plerumque nox contemplationi, ita dies actioni animarum ſalutem procurandi dedicata eſt. Quando æternus Pater venit ad Adam, vt eum, qui à gratia & innocentiæ iam ſtatu exciderat, priſtino decori reſtitueret, dies erat, & poſt meridiem, vt Scriptura loquitur: quando verò eius vnigenitus Filius, factus homo (non per Rachelem, quæ contemplationem ſignificat, ſed per Liam, quæ actionem, trahens originem) in horto ſpecialiter pro ſe orat, nocte orat; cùm pro Lazaro, pro crucifixoribus, vel pro alijs, de die orat. Quin & aliàs plerumque orationes ſuas noctu faciebat, dicente Luca, quòd in oratione pernoctauerit; diem verò prædicationi & ſaluti animarum curandæ inſumebat. Hora diei erat quaſi ſexta, quando Samaritanam conuertit; prandij, vt creditur, quando Magdalenæ peccata remiſit: & diurno ſanè tempore Matthæum ceteroſque Apoſtolos, vt & peccatores alios, ad ſe traxit. An non etiam magnum illud opus redemptionis noſtræ in ipſa meridie conſummauit? quia circa horam nonam emiſit ſpiritum, vt dixit S. Matthæus. Sponſa ad hoc opus meridianum reſpiciens, dixit: *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Verè tunc cæleſti doctrina & gloria paſcebat homines, & ſimul paſcebatur & quieſcebat ipſe. Quare per Iſaiam dixit: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum*, Iſaiæ 65, 2. *Tota die*, quia meliorem temporis partem prædicationi & animarum ſaluti impendebat. Sed quid plura? quadraginta ſaltem diebus ſolitudini vacauit, tribus verò annis prædicauit, & toto illo reſiduo vitæ ſuæ tempore cum hominibus conuerſatus eſt. Quæ omnia indicant, prædicationem, orationem, & alia quæ ſalutem animarum reſpiciunt, eſſe contemplationi ſimilibuſque rebus anteponenda. Et Doctores, Concionatores, & veri animarum Præſules Chriſtum imitati, nocte orationi, contemplationi & ſtudio ſacrarum Litterarum ſe præparant, quod in die conſummant, arbitrantes, quòd ſicut opus & finis excellit diſpoſitionem & media ad ipſum, ita & opportunius tempus & excellentius ei concedendum ſit.

Locus item nobilior actioni tribuitur.

In omni denique re, quod medium eſt, nobilius cenſetur & excellentius, iuxta illud vulgare, *Medium tenuere beati.* At in pleriſque noſtræ redemptionis myſterijs, medium ſibi Chriſtus delegit: in medio duorum animalium in præſepio reclinabatur, in medio Doctorum inueniebatur: *operatus* etiam *eſt ſalutem* noſtram *in medio terræ*, in medio duorum latronum pependit, & poſt mortem denique glorioſus *ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum*, vt eos conſolaretur & in fide firmaret. Igitur, vt concludamus, ſi cooperari Deo in ſalute animarum, tam inſigne & excellens opus eſt & meritorium; quantum credemus illos mereri, qui illud exercent magno cum vitæ diſcrimine, vbi multa eſt neceſſitas, vbi meſſis multa, & operarij pauci? & qui ad illud omnem cogitatum, omnes itineris labores, omnes denique conatus ſuos dirigunt? Si magnam mercedem conſequentur, qui in operibus miſericordiæ corporalibus ſe exercent, dicente Saluatore, *Quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam*, Matth. 10, 42. quantò maiorem & ampliorem recipient, qui propter Chriſtum non ſolùm corporalibus, ſed & ſpiritualibus ſe occupabunt operibus, non vni tantùm, aut calicem aliquem aquæ frigidæ, ſed pluribus, aquam ſapientiæ, & intellectus pabulum, prædicationibus & Sacramentorum adminiſtratione ſuppeditando.

CAPVT XIII.

Difficultas nonnulla diluitur, atque oſtenditur, etiam illos qui prædicationi Sacramentorúmve adminiſtrationi non incumbunt, fieri poſſe participes meriti illorum qui prædicant & Sacramenta adminiſtrant.

QVia contigit vt qui ad Terram ſanctam proficiſcuntur Religioſi, non omnes ſint Confeſſarij, Concionatores & Sacerdotes, eiuſce denique conditionis, vt ſalutem animarum concionando, & Sacramenta adminiſtrando, eo modo quo diximus proximè præcedentibus Capitibus, promouere valeant; ſed quidam ſint Fratres laici, alij etiam omnino ſæculares, quibus illicitum & prohibitum eſt eiuſmodi munijs ſe ingerere, ideoque à profectione in Terram ſanctam poſſent vel deterreri omnino, vel fortè retardari aut detineri, eò quòd præciſam ſibi videant ſpem meriti ex prædicatione vel Sacramentorum adminiſtratione

proue-

prouenientis; vel saltem id effici, vt si aliunde persuasi proficiscantur, non tanta animi promptitudine alacritatéve proficiscantur, qua vident proficisci alios, vtpote quòd minores fructus ex laboriosa & periculosa hac profectione in se refundendos arbitrentur: propterea mihi incumbere ratus sum hisce pusillanimibus ostendere (ne fortè se deterreri vel detineri patiantur, quin potiùs animo hilari lætoque fructuosissimam Ierosolymitanam peregrinationem assumant, & in locis sanctis permanere alacriter disponant) etiam istos qui alijs, quàm salutis animarum procurandæ, operibus bonis in eadem Terra sancta se occupant, participes fieri posse meriti, quod acquirunt qui eiusmodi munijs vacant.

Proficiscentes ad Terrã sanctam etsi non Pastores & Doctores, horum tamen posse fructus percipere, multipliciter probatur. Primò.

Hoc verò probo tripliciter. Primò ratione communi. Quotquot Religiosi ad Terram sanctam proficiscuntur, Prælati vel subditi, Concionatores, Confessarij, simplices Sacerdotes & laici, vnum morale corpus efficiunt, & singuli sunt eiusdem velut membra, quæ omnia tum ad sui conseruationem, tum ad alia opera adiuuare se inuicem debent, cùm quodlibet alterius ope indigeat: quod ex doctrina D. Pauli, quam omnibus fidelibus accommodat, explicatur. *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus* (inquit ad Romanos scribens) *omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes, secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes*, Rom. 12, 4. Et ad Corinthios similiter communem omnium necessitatem sic explicat: *Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterùm caput pedibus: Non estis mihi necessarij*, 1. Cor. 12, 21. Eodem modo nec Prælatus subdito, nec subditus Prælato potest dicere, Opera tua non indigeo. Quare sicut in animali corpore omnia membra eumdem spiritum, idem nutrimentum participant; ita in mystico & spirituali omnia membra, id est omnes fideles, eadem bona spiritualia eademque merita participabunt: & vt partes inferiores superioribus, capiti in primis subseruiunt, ita caput influet in inferiores. Quod alia similitudine indicauit idem Apostolus, dicens: *Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra*, 1. Corinth. 12, 26. Quem Scripturæ locum (vt assolet) magna cum facundia sic explicat D. Ioannes Chrysostomus Serm. 30. & 31. *Sed dicamus sic, vt Medici dicunt, capitis tremores, vertigines, apoplexias, ex grossioribus vaporibus corporis, qui ad ipsum ascendunt, procedere; & similiter turbato capite, non cetera membra quiescunt, iuxta commune dictum: Cùm caput dolet, cetera membra languent: ita Concionatores, Prælati, qui in Ecclesia Dei sunt velut caput, turbantur & cruciantur ex defectibus subditorum, qui velut corporis tetri vapores ad illos velut ad caput vsque pertingunt, cruciant & infestant. Quare magnus ille Concionator & Ecclesiæ Antistes non ab hominibus, sed à Deo vocatus & electus Doctor gentium Paulus Apostolus, dicebat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Ita defectus Prælatorum defluunt ad subditos, vt noxij humores capitis ad alias corporis partes. Ideò & populus Israël à Deo punitus fuit peste propter Dauidis Regis peccatum. Quare magnum supplicium subditorum est, Præsulem malum habere, vt in Ecclesiaste dicitur: Væ tibi terra, cuius Rex puer est.* Quod ideò accidit, quia priuantur fructu bonorum operum, qui omnibus communis esse deberet, propter corporis vnitatẽ (secundùm illud Dauidis: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*, Ps. 118, 63.) ex defectu eorumdem operum; sicut è conuerso propter eamdem mystici huius corporis partium vnionem & communionem, ex bono & gaudio vnius alter participat. Itaque sicut in humano corpore ex partium pluralitate & diuersitate pluralitas officiorum & munerum dignoscitur, ita ex vnitate, quoniam vnum corpus sunt, par omnium dignitas. Non dissimiliter accidit in mystico Ecclesiæ vel alterius religiosæ familiæ corpore: ex diuersitate nimirum ministrorum, Præsulum, Concionatorum, subditorumque, diuersitas gratiarum & munerum demonstratur: ita ex vnitate, par omnium dignitas & participatio meriti, si æqualiter tamen omnes suo incumbant ministerio, quod posteà magis explicabimus.

Inepta Rex supplicium Reipub.

Secundò probatur & confirmatur idem haud dispari ratione. Eadem prorsus contingunt in bello spirituali fidelium cum mundo & dæmone, quæ contingere solent in alijs mundi prælijs, vt propterea Ecclesia comparetur exercitui optimè instructo. *Terribilis, vt castrorum acies ordinata*, dicitur in Canticis canticorum cap. 6, 9. Sed in exercitu mundano non omnes ipso actu pugnant, sed dum alij contra hostes dimicant, alij sarcinas custodiunt, &c. & tamen omnes prædæ & victoriæ participes existunt, tam qui custodierint sarcinas, quàm qui corpora sua gladijs hostilibus obiecerint. Et hæc fuit sapiens Dauidis Regis sententia: *Aequa pars*, dixit, *erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter dividendent*, 1. Reg. 30, 24. subditque Scriptura

Secundò.

Exercitus constitutio.

Æquali mercede pugnantes & sarcinas custodientes remunerantur.

verſ. 25. *Et factum eſt hoc ex die illa, & deinceps conſtitutum & præfinitum, & quaſi lex in Iſraël vſque in diem hanc.* Et rationabiliter quidem Dauidis ſententia, vt lex poſita fuit: etenim tam qui abit ad pugnam, quàm qui cuſtodit ſarcinas, vnius ſunt exercitus membra, nec plus in exercitu ille pugnando, quàm iſte cuſtodiendo præſtat. Quomodo enim commodè pugnaret ille, niſi iſte pararet & cuſtodiret quæ ad victum & pugnam ſunt neceſſaria? Hinc D. Auguſtinus loquens de S. Paulo qui cuſtodiebat veſtes lapidantium Stephanum, ſic inquit Serm. 14. de Sanctis, id eſt de Conuerſione S. Pauli: *Quando lapidatus eſt Stephanus primus martyr pro nomine Chriſti, euidentiùs erat ibi Saulus, & ſic aderat lapidantibus, vt non ei ſufficeret ſi tantùm ſuis manibus lapidaret. Vt enim eſſet in omnium lapidantium manibus, ipſe omnium veſtimenta ſeruabat; magis ſæuiens omnes adiuuando, quàm ſuis manibus lapidando.* Si de malo ſic dicere licuit S. Auguſtino, potiori ratione è conuerſo nobis licebit de bono. Dicamus itaque nos idem de ſanctæ Eccleſiæ fidelibus, & ſpecialiter nunc de familia Ieroſolymitana, in qua plures ſunt, & diuerſi generis Religioſi, Sacerdotes, Confeſſarij, Concionatores, Prælati & ſubditi, qui contemplatiuæ & actiuæ vitæ, vel vtrique vacare poſſent, vt infrà Cap. XXVII. dicemus; qui cùm eiuſdem corporis ſint, & ſeſe ipſos mutuò in ſalute animarum promouenda adiuuent, quidam Sacramenta miniſtrando & prædicando, quidam hiſce deſeruiendo & neceſſaria ſubminiſtrando; conſequens eſt, vt ſecundùm rationem laboris, æquè inter ipſos laboris & conuerſionis fructus & meritum diuidatur.

Tertiò. Tertiò dicimus, ſimplices Sacerdotes, & laicos ipſos, etſi non Sacramentorum adminiſtratione & publicis concionibus, bono tamen exemplo, familiaribus ſermonibus, & ſpiritualibus confabulationibus, munuſculis etiam, orationibus, & alijs medijs quæ cæleſtis Pater dignatur paruulis ſuis reuelare, non ſolùm mediatè, ſed & immediatè ſalutem animarum operari, & peccatores ad viam ſalutis perducere poſſe. *Duplici via animarum ſalus procurari poteſt.* Nouimus enim, duplici via hæreticos, infideles & peccatores alios poſſe ad viam veritatis, ad ſanctam Catholicam Eccleſiam & ad viam ſalutis conuerti: altera doctrinæ, altera diſputationum: quarum iſta ſit modo plano & efficaciori; ardenti videlicet charitate, comitate, affabilitate; hæc moroſis diſputationibus & acutis controuerſijs in medium productis. Per hanc nonniſi docti & in controuerſijs fidei benè inſtructi Theologi incedere poſſunt, per iſtam verò etiam Religioſi, & qui ſunt mediocris litteraturæ. Quare licet ſimplices & indocti per priorem viam ad optatum terminum conuerſionis infidelium & peccatorum peruenire non poſſint, poſteriori tamen, vtputa faciliori & tutiori, illum attingent, & hoc illis ſufficit ad coronam. Quare quemadmodum erant olim in tabernaculo phialę & cyathi, vaſa item alia maiora, alia minora, quæ tamen omnia tabernaculo inſeruiebant & Deo; ita in familia Ieroſolymitana (quod de ſancta Eccleſia docet S. Gregorius Homil. 6. in Euangelia) quidam maiores ſunt & ſapientiores, alij minores, qui tanta ſapientia non pollent, omnes tamen oportet tabernaculo, id eſt, Eccleſiæ, eiuſque membris, & Deo inſeruire. *Scimus*, inquit ſanctus ille Doctor, *quòd in tabernaculo non ſolùm phialæ, ſed, præcipiente Domino, etiam cyathi facti ſunt. Per phialas doctrina exuberans, per cyathos parua deſignatur ſcientia. In Dei tabernaculo, id eſt, Eccleſia, poſiti, ſi per doctrinam ſapientiæ miniſtrare phialas minimè poteſtis, in quantum ſufficitis, proximis veſtris boni verbi cyathos date, etiam vobiſcum alios trahite, in via Domini ſocios habere deſiderate: ſi ad Deum tenditis, curate ne ad Deum ſoli veniatis.*

CAPVT XIV.

Accurata adhuc piáque ratiocinatione oſtenditur, tanti meriti æquè fieri poſſe participes illitteratos & ſimplices ſuis exercitijs intendentes, quàm Prælatos & Prædicatores regimini animarum & prædicationi Euangelij inſiſtentes; & nodus quidam diſſoluitur.

DVo adhuc præſenti Capite ſubijcienda ſunt ad conſolationem plurium, maximè ſimplicium, quibus nec confeſſiones peccatorum audiendi, nec concionandi gratia fuit conceſſa à Domino, oſtendendumque, eos non priuandos laureola concionatorum vel paſtorum animarum, ſed ſuo quoque modo eadem eſſe redimiendos, vel ſaltem æquiualenti, ſi in ſuo tamen miniſterio fideles ac ſtudioſi inueniantur. Hoc in hunc modum explico.

Dominus opus quærit ſecundùm cuiuſque conditionem. Dominus à nobis non exigit quæ noſtram virtutem excedunt, ſed vt quæ facimus, ſecundùm acceptam ab eo virtutem magna cum diligentia & ſtudio faciamus, ſtudium potiùs & affectum, quàm opus & effectum reſpiciens. Hoc in pulchra illa parabola talentorum Saluator noſter indicaſſe videtur. Cùm duo illi ſerui acceſſiſſent ad Dominum, reddituri rationem de talentis acceptis,

acceptis, ille qui duo talenta lucratus fuerat, pari honore & præmio fuit honoratus, quo ille qui lucratus fuit quinque; tam illi etenim quàm isti dixit: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*, Matth. 25, 24. Circa hæc Domini verba inquirunt sacri Doctores, an primus & secundus seruus eamdem omnino acceperint retributionem. Eamdem accepisse, verba ipsa, eadem ad singulos, indicare videntur; ex verbis enim de sententia & sensu Domini iudicare debemus. Cùm igitur non diuersificentur, sed eadem prorsus sint, quæ ad primum & secundum seruum dicuntur, idem etiam erit prorsus vtriusque præmium, & retributio non diuersa.

Merces iuxta laborem dabitur.

Sed arbitrabitur quis oppositum, quoniam Deus dabit vnicuique secundùm proprium laborem: at plus laborauit qui lucratus est quinque quàm qui duo. Item, *Qua seminauerit homo, hæc & metet*, Galat. 6, 8. hoc est, qui plus laborabit, plus & colliget, & largius præmium accipiet. Igitur cùm laborauerit, & plus seminauerit, qui quinq; quàm qui duo lucratus est talenta; consequens est, vt isto plus ille colligat, & maiorem mercedem recipiat. Et hac ratione varij gradus beatitudinis in sancta Scriptura assignantur. *Alia est* (inquit Apostolus) *claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum*, 1. Cor. 15, 41. Idem habetur in Daniele, & alibi: quoniam diuersa sunt Beatorũ merita, vt proinde qui plus meruit, plus recipiat; & qui minus, minores similiter beatitudinis fructus lucretur.

Dici posset Primò, in hac parabola Saluatoris mentem esse, reddere nos cautos, vt parati semper simus ad reddendam rationem de talentis, id est muneribus à Deo acceptis, quoniam eam rigidè exiget Dominus cùm venerit ad iudicandum; & quæ propter hoc in parabola considerantur, esse posita ad eius complementum, non vt specialem doctrinam vel instructionem ex ipsis eruamus.

Si verò omnia doctrinam & instructionem continere dicantur, respondendum est Secundò, etsi verba Domini ad vtrumq; seruum sint eadem, non tamen idem, id est æquale significare meritum, sed simile; & æquale secundùm proportionem, non secundùm quantitatem: ita vt intret vterque in gaudium Domini sui, at in maius qui plus, & in minus qui minus lucratus est. *Dici potest* (inquit Euthymius) *quòd æqualiter serui laudantur, & æqualiter introducuntur, sed diuersimodè remunerantur, iuxta proportionem lucrorum quæ ab ipsis facta sunt.* In qua sententia est Abulensis super Matth. 25. quæst. 150. cum alijs.

Deus affectum magis quàm centum respicit.

Tertiò, Alij dicunt, æquale fuisse meritum & præmium, quia æquale in operando & cooperando diuinæ gratiæ fuit studium: nam ab vnoquoque quæretur prout datum fuerit. *Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo* (inquit Christus Lucæ 12, 48.) Ita sentiunt Caietanus, Iansenius, Theophylactus. & D. Hieronymus ait: *Duos seruos simili gaudio recepit Dominus, non considerans lucri magnitudinem*, &c. *Oblata Deo, non pretio, sed affectu placent*, inquit Saluianus lib. 1. ad Eccles. Cathol. Tom. 3. Biblioth. Sanctorum. & D. Gregorius ait: *Dominus non respicit quantum, sed quale*. Quod viduæ illius exemplo, quæ duo minuta misit in gazophylacium, declarauit Dominus apud D. Lucam. Et D. Ioannes Chrysostomus Homil. 41. in Genes. propositæ difficultati sic respondit: *Meriti augmentationem & imminutionem non vel huius diligentia, vel illius negligentia fecit, sed concreditorum quantitas. nam quoad intelligentiam ambo pares fuerunt, perinde & eamdem dignitatem nacti sunt*, &c.

Æquali studio in vilibus ac in magnis exercitijs se occupantes, æquali donantur præmio.

Etsi ergo, vt ad propositum reuertamur, ea quæ diximus ex sententia Saluatoris, tantùm deseruirent pro parabolæ intelligentia, doctrina tamen & sententia est sanctorum Doctorum auctoritate firmata & explicata, cui & nos inhærentes, ad simplicium consolationem dicimus, tantumdem præmij habituros qui in vilioribus officijs se occupant, quantum qui in nobilioribus, si pari tamen affectu & studio, vt isti, opera sua perfecerint. Et sic simplex Sacerdos & laicus, in suis orationibus & officijs æquè multum merebitur, quàm Confessarius in audiendis hominum peccatis, vel Concionator suis concionibus: quod magno simplicibus est solatio, qui & hæc attentè pro materia diuinæ laudis considerare deberent.

Sed non omnis prorsus ablatus est scrupulus; maior enim (vt anteà diximus) Doctoribus merces, quàm simplicibus, in regno cælorum adscribitur. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*, inquit Christus Matth. 5, 19. quoniam plus laborauit, & vnicuique dandum est secundùm proprium laborem. Præterea, nónne etiam ex parte subiecti operis attendenda est maioritas mercedis? Nónne plus lucrabitur quis circa aurum quàm circa terram operando, quoniam aurum pretio terram excedit? Itaque cùm prædicare, & cetera agere quæ salutem respiciunt animarum, sint anteponenda alijs exercitijs corporalibus (*Vt anima*, ait Chrysostomus Homil. 3. in Genesim, *corpore melior est; ita his,*

qui indigentibus pecunias & facultates ſuppeditant, maioribus præmiis digni ſunt ij, qui admonendo & continuè docendo, in viam rectam ſupinos & deſides inducunt, monſtrando eis diuinarum virtutum fragrantiam, & vitiorum maleuolentiam. & D. Gregorius Homil. 6. in Euangelia: *Fortaſſe panem, vt indigenti eleëmoſynam porrigat, non habet, ſed maius eſt, quod tribuere valeat qui linguam habet. Plus eſt, verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quàm ventrem morituræ carnis terreno pane ſatiare*, &c.) conſequens eſt, Concionatores & Paſtores animarum, qui mentem paſcunt, vt alij ventrem, plus meriti conſecuturos, & conſequenter maiorem mercedem recepturos.

Doctores habent maius accidentale præmium, id eſt laureolam.

Dicam Primò, Doctores ratione operis excellentioris, circa quod occupantur, manere quidem maius præmium accidentale, id eſt, laureolam, quam non perinde habebunt ſimplices (vt apud omnes eſt in confeſſo) non tamen maius eſſentiale, niſi maiori ſtudio in ſuo munere ſe exercuerint, quàm ſimplices in proprio.

Maior occaſio magis operari facit.

Dico ſecundò, maius præmium eſſentiale ſupra alios eſſe eos conſecuturos, quia propter maiorem occaſionem, maiori etiam affectu & ſtudio laborare potuerunt: ita enim euenit, vt tantum laboremus, quantum laborandi occaſionem habemus. Quod ex eadem Domini parabola comprobari poteſt, vbi vidimus eum qui plura talenta accepit, id eſt quinque, plus laboraſſe quam qui pauciora, id eſt duo; eum verò qui vnum tantùm, omnino ſpreuiſſe & nihili feciſſe: quoniam verè quantò plures benefaciendi occaſiones habemus, tantò maiora bona facimus, & maiori ſtudio affectuque, diuina cooperante gratia, laboramus. Quare cùm affectum reſpiciat Dominus, eumque maiorem ſæpe inueniat in Doctoribus, qui quandoque etiam plus præſtant quàm ab illis requirat Dominus, ideoque maius etiam præmium eſſentiale recipient.

Hoc ex ſimili parabola Saluatoris colligitur apud D. Lucam de homine illo nobili, qui iturus in regionem longinquam, *vocatis decem ſeruis ſuis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio. Et factum eſt vt rediret accepto regno: & iuſſit vocari ſeruos, quibus dedit pecuniam, vt ſciret quantum quiſque negotiatus eſſet. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquiſiuit. Et ait illi: Euge bone ſerue, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſuper decem ciuitates. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu eſto ſuper quinque ciuitates*, Luc. 19, 13. Vbi expende, ſub metaphora plurium ciuitatum, diuerſitatem præmiorum deſignari, quæ reſpondent diuerſitati meritorum & laborum. *Vnuſquiſque* enim *propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem*, &c. inquit D. Paulus 1. Corinth. 3, 8. Et ex iiſdem gratiis, vel ſimilibus, ſecundùm diuerſam cooperationem, poſſe alterum plus altero mereri, ſi maiori feruore negotietur, & maiora faciat quàm inſſerit Dominus dum gratiam donaret. Sicut in parabola hac videmus, vbi ſingulis mna vna datur, id eſt æqualis gratia, & tamen cùm haud æqualiter omnes mnâ illâ lucrati fuerint, nullus tamen ob exiguitatem lucri reprehenditur, ille tamen qui plus laborauit & plus lucratus fuit, præfertur illi qui minus reliquis vel operatus vel lucratus eſt.

Idem ex D. Paulo confirmatur. Inquit ipſe: *Nam ſi euangelizauero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt*, 1. Corinth. 9, 16. Sed quid ais Paule? Non habebis gloriam quòd euangelizaueris? An non dixiſti, *Curſum conſummaui, fidem ſeruaui: ideóque repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*, &c. Igitur gloriam ex prædicatione Euangelij tibi concredita percipies, ſicut & mercedem ſuam receperunt hi qui talenta & mnas acceperunt, & in eiſdem fideliter negotiati fuerunt. Dicendum, non voluiſſe Paulum dicere, nullam ſe omnino mercedem vel gloriam habiturum ex prædicatione Euangelij, ſed quòd non peculiarem & ſingularem, ſi in illo munere dumtaxat ſe exercuiſſet quantum ei præceptum erat; ſed ſi aliqua ſupererogationis adieciſſet, vt laborare in eo vſque ad vincula, prout verè laborauit: ſi cùm pro labore ſuo poſſet mercedem & vitæ alimenta recipere (quoniam *dignus eſt operarius mercede ſua*, 1. Timoth. 5, 18.) non reciperet tamen, & nihilominus Euangelium, tamquam ſi eſſet opus non præceptum, maiori affectu & ſtudio quo poſſet prædicaret. Ex hoc iam ampliorem mercedem ſibi pollicetur Apoſtolus, vt ea quæ ſubiungit verba demonſtrant. *Quæ eſt ergo merces mea? Vt Euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Euangelium, vt non abutar poteſtate mea in Euangelio. Nam cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem*, 1. Corinth. 9, 18. Et ſane ad tot præſtanda non obligabatur. quare cùm alibi dicit, *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*, &c. loquitur de mercede ſibi debita ex impletione ſimplicis præcepti prædicationis, & alterius cuiuſlibet, quæ erit perſimilis mercedi

Videatur D. Chryſoſt. Serm. 12. in c. 9. 1. Cor.

Digitized by Google

cedi aliorum qui in munere ſuo fideliter ſe exercuerint (ſequitur enim, *quam reddet mihi Dominus*, &c. *non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt aduentum eius.*) Verùm ſi alij, quibus prædicatio ex officio non incumbit, ſimili vel etiam maiori affectu muneri ſuo ſatisfecerint, par illis, & amplius etiam, meritum & præmium habebunt, ſecundùm prædictam Doctorum ſententiam.

Eleganter hæc inſuper confirmari poſſent doctrina S. Bernardi in Sermone de S. Clemente Papa & martyre, vbi oſtendit, pauca feruidè Domino oblata, valdè ab eo probari, & magna reddi. Sic ergo dicamus: *Omnes ad* Regias *nuptias Agni* in ſancta ciuitate Ieruſalem celebratas *vocati ſumus, & in conſpectu illius vacuos apparere non licet. Diligenter ergo conſideremus quæ apponuntur nobis, quoniam talia oportet nos præparare.* Det quilibet quæ accepit: ſi multum, multum; ſi parum, parum. Quibus donatum eſt pro Chriſto pati, exhibeant vinum optimum, proprij ſanguinis effuſionem, vel ſe in heroicis operibus prædicationis occupent. Quibus verò talia donata non ſunt, non ideò excludentur. Si pauperes ſunt, & vinum ſanguinis vel doctrinæ non poſſunt exhibere, afferant aquam, hoc eſt, in minoribus ſe occupent exercitijs: nam & hanc menſæ ſuæ appoſitam acceptat Dominus. inquit enim: *Implete hydrias aqua*, Ioan.2,7. & in optimum vinum conuertet. Atque ita accidit in myſtico illo conuiuio, in quo miniſtris dictum fuit, *Implete hydrias aqua.* Cùm illi enim hydrias aquâ ad ſummũ vſque impleuiſſent, addit Scriptura, quòd aqua illa iuſſu Domini hauſta, & Architriclino allata, inuenta ſit in præſtantiſſimum vinum mutata fuiſſe. Quo in facto myſticè ſignificatum habemus, exigua opera, per aquam ſignificata, Deo & propter Deum ex bono cordis affectu oblata, velut vinum ab ipſo acceptari, id eſt, velut magna ab eo compenſari. Id quod manifeſtiſſimè ipſe Saluator teſtatus fuit illis verbis: *Quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam*, Matth.10,41. Venit enim Chriſtus *non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine*, 1.Ioan.5,6. ſanguinem igitur & ſimul aquam admittit.

Bellè etiam ad hoc facit, quod in Chronicis Fratrum Minorum Parte 1. lib. 7. cap.14. hæc in verba legitur: *Dixit quadam die ecſtaticus Frater Aegidius, S.Franciſci ſocius, S. Bonauenturæ, tunc Ordinis Generali Miniſtro: Pater mi, Deus optimus maximus vos doctos ditauit pluribus gratiis, quibus eum laudare poteſtis: at nos ignari & ſimplices, qui nullam habemus ſufficientiam, quid faciemus vt æternam ſalutem conſequi poſſimus? Ad quem Seraphicus Doctor: Si Deus aliam hominibus gratiam non dediſſet, quàm vt eum amare poſſint, hæc ſufficeret: nam in hoc magis quàm in quacumque alia re, melius illis feciſſet. Cui iterùm beatus Aegidius: Poteſtne tantum ſimplex, quàm litteratus homo Chriſtum diligere? Et S Bonauentura: Poteſt ſimplex & paupercula vetula magis Chriſtum, quàm quicumque doctus Theologus, diligere. Quibus auditis, ductus fuit in hortum à ſpiritu, & conuerſus ad ciuitatem, dixit magna voce: Vetula paupercula ſimplex & idiota, Dominum tuum Ieſum Chriſtum ama, & meritis excedes Fratrem Bonauenturam. Quibus dictis in ecſtaſim actus, tribus horis in ea permanſit, quaſi approbante Domino illius ſententiam.* Lege etiam quod de Fratre Venantio laico in eiſdem Chronicis Parte 2. lib.4. cap.25. narratur. Ex quibus omnibus clarè patet, quomodo ſimplices & illiterati proficiſcentes ad Terram ſanctam, poſſint merito æquari doctis & litteratis, & eoſdem etiam præcellere; & quomodo meriti ex lucrò animarum prouenientis participes fieri poſſint: ac ideò omnes à Spiritu ſancto vocati, hilari animo ſanctam aſſumant peregrinationem, & maiori quo poſſunt ſtudio Deo in locis ſanctis exhibeant famulatum, & ſupereffluentem ab eodem mercedem recipiẽt.

Magna gratia, Deum amare poſſe.

Tantum, & amplius, ſimplex vetula, quàm magnus Theologus Deum diligere poteſt.

CAPVT XV.

Quæ hactenus pluribus deducta & expoſita fuerunt, variis exemplis ſtabiliuntur.

HIſtoriæ exemplis plenæ ſunt eorum, qui non ſubtili doctrina, ſed ſimplici ac benigno ſermone, & feruenti charitate peccatores, etiam infideles, ad Chriſtum conuerterunt. Medium omnino idoneum & efficax. Vt enim Magnus Gregorius Petro Epiſcopo Tarraconenſi ſcribit, *eos qui à religione Chriſtiana diſcordant, manſuetudine, benignitate, admonendo, ſuadendo, ad vnitatem fidei neceſſe eſt congregare: ne quos dulcedo prædicationis & prætentus futuri iudicij terror ad credendum inuitare poterat, minis & terroribus repellantur*, &c. Sed, multis omiſſis, vnum atque alterum ex recentioribus exemplis in medium proferamus. In Aleppo, præcipua Syriæ, ciuitate erat Frater quidam officio laicus, vir ſimplex, deuotus ac probus, qui haud ſecùs quàm quondam Andreas Petrum, & Andreas cum Philippo Gentiles quoſdam duxerunt

Infideles quomodo conuertendi.

Digitized by Google

xerunt ad Chriſtum, duos Caluinianæ hæreſi in deuium abreptos, ſermonibus & charitatis officijs reduxit, vt verbo veritatis, cui anteà aures claudebant, aperirent, & errore relicto, Catholicam veritatem amplexi, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ reconciliati fuerint: cui actui & ego interfui.

De S. Didaco, qui ſimiliter laicus erat, refertur, quòd verbo & exemplo multos ad Chriſti fidem perduxerit.

Ieroſolymis alius quidam Frater laicus ſimiliter munuſculis & amico beneuoloque colloquio Turcam quemdam catechizauit, & ad Chriſtum perduxit.

Quadraginta & amplius iam ſunt elapſi anni, quòd Maria quædam Luſitana, Tertij Ordinis S. Franciſci Religioſa, pietatis ergò Ieroſolymis habitans, bonam famam ſibi acquiſierit etiam apud ipſos Turcas. Hæc ergo, contracta cum Turcarum feminis conſuetudine, familiariter admodum cum eis agebat, eaque occaſione ſecretò Chriſtum eis prædicabat, eiſdem in infirmitatibus & neceſſitatibus alijs ſubueniebat, & earum pueros, quos mortem euadere non poſſe videbat, ſacro Baptiſmatis fonte lauabat, vt Chriſto ſuauiter plures lucrifaceret. Iudæorum tandem in ſe concitata inuidia, martyrio è viuis ſublata fuit, vt infrà Lib. IV. Peregrin. II. Cap. VI. pluribus referemus. Et ſimile quid alibi contigiſſe, fide dignorum aſſertio perſuaſit. Quin & dicere auſim, ſimplices & paruulos in oculis ſuis, orationibus, ſupplicationibus & ſuſpirijs ſuis multò fortè plures ad Chriſti fidem & in ſalutis ſemitam conuertiſſe, atque indies conuertere, quàm inflatos & elatos iſtos Rhetores Eccleſiaſticos, pietatis operibus deſtitutos, prolixis ornatiſque concionibus ſuis. *Sunt* nimirum, vt ait S. Gregorius lib. 1. Dialogorum, circa initium, *nonnulli, quos ad amorem patriæ cæleſtis plus exempla quàm prædicamenta ſuccendunt.* Non expendunt hoc inflati illi in præſenti, arbitrantes, quotquot vident ad Chriſtum conuerti, conuerti ſuis clamoribus, & eſſe filios ab ipſis per Euangelium Chriſto genitos: contrà intelligent in die iudicij. Hoc Seraphicus & humilis Pater S. Franciſcus perpetuò in ore habebat, & huic ſenſui verſiculum illum ex Cantico Annæ, *Donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt*, 1. Reg. 2, 5. ſecundùm myſticam interpretationem coram Fratribus, ad terrorem ſuperbientium & conſolationem humilium enarrare ſolebat. Sterilis, inquiebat, eſt Frater pauperculus, qui generandi in Eccleſia filios officium non habuit. Hic pariet in iudicio plurimos: quia quos nunc priuatis orationibus conuertit ad Chriſtum, eius gloriæ tunc Iudex adſcribet. Quæ multos habet filios, infirmabitur: quia prædicator vanus & loquax, qui multis nunc quaſi ſua virtute genitis gaudet, cognoſcet tunc ſe nihil proprij habere in eis. Quare de quolibet ſimplicium precibus conuerſo dici poteſt, quod de Chriſto dixit Lucas: *Vt putabatur, filius Ioſeph*, Lucæ 3, 23. quia verè eius filius non erat, vtpote qui nullam in eius ortu partem habuerit; ſed Mariæ, quæ Spiritu ſancto illum concepit. Ita plures inuenientur, qui filij quidem inſignium concionatorum putabuntur, verè tamen non erunt; quia non illorum vanis & elatis declamationibus fuerunt conuerſi, ſed ſimplicium humilibus precibus & ſuſpirijs. Vt enim dixit Dauid, *deſiderium pauperum exaudiuit Dominus*, Pſalmo 9, 17. & iterùm: *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet*, Pſalm. 144, 19. Quare Frater humilis pluribus affluet bonis quàm credidiſſet, & iucundabitur in filijs, & dicet in corde ſuo: *Quis genuit mihi iſtos? ego ſterilis, & non pariens, tranſmigrata, & captiua: & iſtos quis enutriuit?* Iſaiæ 49, 21.

Efficaciùs exempla quàm verba conuertunt.

Cùm in Germania Nobilis quidam primæ claſſis, ſed hæreticus, quemdam Theologum & inſignem Concionatorem ad prandium domi ſuæ inſtructum inuitaſſet, & ille annuiſſet, poſt prandium diſputari cœptum eſt de fidei dogmatibus. Dum hæc aguntur, Frater laicus, Theologi illius ſocius, in angulum ſe recepit domus, Dominum rogans pro hoſpitis conuerſione, & exauditus fuit. Ceſſit enim Nobilis ille Theologo, illius rationibus annuit, & Catholicam fidem amplexus fuit; ſimul tamen Theologo dixit: Non tuis ſermonibus & rationibus perſuaſus, vt tu fortè tibi perſuades, ſed exemplo illius ſimplicis Fratris motus, Catholicam fidem amplector.

Non priuabitur ergo Frater humilis, proficiſcens ad Terram ſanctam, merito ex lucro animarum prouenientè: quoniam attendens ipſe die ac nocte officio ſuo, domeſticis munijs ſe occupans, & Dominum vigilijs & orationibus pro animarum conuerſione obſecrans, exaudietur, & debitam ſui laboris mercedem recipiet. *Lætare* ergo *ſterilis quæ non paris*, Iſaiæ 54, 1. *erumpe, & clama, quæ non parturis: quia multi filij deſertæ, magis quàm eius quæ habet virum*, Galat. 4, 27. Non eſt quòd à profectione ad Terram ſanctam, & in eiuſdem manſione deterreri ſe quis patiatur, eò quòd prædicatione attendere non poſſit conuerſioni animarum: quoniam oratione & alijs bonis operibus eidem inſiſtere poterit, & abſque periculo reddendæ rationis de alijs, à quo

quo Confeſſarij & Concionatores non liberantur; adeoque præmij ſecurior erit & mercedis.

CAPVT XVI.

Septem aliæ vtilitates, ex Ieroſolymitana peregrinatione prouenientes, enumerantur: & ratione duplicis cærimoniæ, luminum ac palmarum, peregrinorum Terræ ſanctæ præcellentia indicatur.

POſtquam ea quæ in præcedentibus de præſtantia Ieroſolymitanæ peregrinationis, & manſionis in locis ſanctis, dicta ſunt ſcripſiſſem, incidi in eruditiſſima Commentaria R. P. Salmeronis è Societate Ieſu doctiſſimi Theologi, qui Tomo 1. Prolegom. 47. pag. 519. in fine recenſet ſeptem alia commoda huius peregrinationis: quæ ſi compendiosè hîc accenſerentur, non iucundum nec inutile Lectori futurum arbitratus fui.

Prima Terræ ſanctæ peregrinationis vtilitas.

In primis igitur per hanc peregrinationem imitamur Sanctos, ipſum Sanctum Sanctorum, & eius ſanctiſſimam Matrem, qui olim certis ſtatiſque diebus ter in anno plus minúſve aſcendebant ad adorandum in Ieruſalem, vt pluribus nos antè explicuimus.

Secunda.

Alter fructus eſt confeſſio ac proteſtatio fidei per opera ipſis viuis: *Qui me confuſus fuerit*, inquit Chriſtus (*coram hominibus* additur apud S. Matthæum, id eſt incredulis & infidelibus, qui homines dicuntur non viri) *& verba mea, in generatione iſta adultera & peccatrice: & filius hominis confundetur eum, cùm venerit in gloria Patris ſui cum Angelis ſanctis*, Marc. 8, 38. Hinc D. Hieronymus Epiſtola 144. ad Deſiderium aſſerit, partem fidei eſſe, adorare vbi ſteterunt pedes Chriſti. Ipſa ſiquidem tam longa peregrinatione proteſtamur fidem noſtram, qua credimus, Filium Dei illis in locis pro noſtra redemptione crucifixum, ſepultum atque ſuſcitatum fuiſſe.

Tertia.

Tertiò implemus Scripturas, quæ dicunt: *Adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius*, Pſalm. 131, 7. & illud Iſaiæ: *Et erit Sepulchrum eius glorioſum*, Iſai. 11, 10.

Quarta.

Quartò, per illam grati animi noſtri ſignificationem Chriſto reddimus.

Quinta.

Quintò, vtilis eſt iſta peregrinatio ad multarum rerum experientiam capiendam.

Sexta.

Sextò, conducit ad gratiam Dei copioſiùs in ſe deriuandam.

Septima.

Septimò & poſtremò, peregrinationes locorum ſanctorum inter opera perfectionis meritò computantur, & pro ſatisfactionibus à Sacerdotibus olim imponebantur: habentque fructus indulgentiæ plenariæ, quam religiose accedentes aſſequuntur.

In libro ſeptimo Reuelationum S. Birgittæ cap. 14. vbi agitur de indulgentia quam aſſequuntur peregrini Terræ ſanctæ, hæc quæ propoſito noſtro deſeruiunt dixit Chriſtus ad S. Birgittam, dum & ipſa peregrinando inuiſit templum Dominicæ reſurrectionis in ſancta ciuitate. *Quando intraſtis templum meum dedicatum Sanguine meo, ſic mundati eſtis ab omnibus peccatis veſtris, ſicut ſi tunc lauati eſſetis de fonte Baptiſmatis. Et propter labores & deuotionem veſtram, aliquæ animæ conſanguineorum, quæ erant in purgatorio, hodie liberatæ ſunt, & intrauerunt in cælum in gloria mea. Nam omnes qui veniunt ad locum iſtum cum voluntate perfecta ſe emendandi iuxta meliorem conſcientiam ſuam, nec volentes recidiuare in priora peccata, his omnia peccata priora totaliter dimittuntur, & augetur eis gratia proficiendi.* Et niſi mea me fallit opinio, Terræ ſanctæ peregrinos ſuorum peccatorum remiſſionem aſſequi arbitror, non tam per modum indulgentiæ, & ob Chriſti & Sanctorum ſatisfactiones & merita, ex quibus theſaurus indulgentiarum S. Eccleſiæ coaleſcit; quàm per viam ſatisfactionis, propter opus egregiũ, quòd propter Deum domum & patriam reliquerint, & ſe diſcrimini vitæ amittendæ commiſerint, ſi tamen, vt decet, bene diſpoſiti, & in Dei gratia eam aſſumant peregrinationem. Quemadmodum & Religioſus in ſua ſolemni profeſſione, ratione operis heroici, quòd videlicet ſe totum abdicet à mundo, & Deo dedicet per tria eſſentialia Religionis vota, obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, aſſequitur omnium ſuorum delictorum remiſſionem, non verò per modum indulgentiæ, quo ęam obtinet in Religionis ingreſſu, vel aſſumptione habitus, indultu & beneficio felicis recordationis Pauli V. Pontificis maximi. Ita docet D. Thomas 2. 2. quæſt. vlt. art. 3. cum alijs. Eadem commoda eoſdemque fructus noſtræ Ieroſolymitanæ peregrinationis pluribus porrò citatus Salmeron explicat, quæ nos partim contraximus, partim omiſimus, ne plus æquo longiores ſimus, præſertim quòd plura de hoc ipſo argumento dixerimus in præcedentibus, & alioqui omnino clara & indubitata videantur.

Fideles qui templum Reſurrectionis piè veneranter, ab omni peccato mundantur, & animas à Purgatorio liberant.

Si igitur tot ſunt huius peregrinationis bona, digniores quoque & præſtantiores ceteris erunt noſtri peregrini. Et ſane reipſa alijs ſunt digniores, ac proinde exterioribus ſignis honorantur: quæ licet aliquibus non deferantur, vel etiam contemnantur, immeritò tamen id fit; quoniam, vt

Ieroſolymitani peregrini, vt poteſt præcellentes, externis cærimonijs honorantur.

pulchrè

Fides vilia facit pretiosa.

pulchrè à D. Leone dictum est, *Quæ per se sunt vilia, fides efficit pretiosa.* atque ideò etiam illa honoris signa, nostris peregrinis exhiberi solita, pretiosa & magni æstimanda erunt, quæ iam explico.

Accensis luminibus excipiuntur peregrini.

Statim atque ad sanctam ciuitatem, terminum suæ peregrinationis, peruenerint peregrini, primò in sacra Æde S. Saluatoris Fratrum D. Francisci excipiuntur cum accensis cereis, quos & ipsi vnà cum Fratribus deferunt in Processione, quæ ob illorum aduentum fit: quod ipsum obseruatur quando ad sacrum Dominicæ Resurrectionis templum introducuntur, vt suo loco explicuimus. Et quare, putas, eiusmodi cærimonia excipiantur? Vtique (vt omittamus gaudium, quod Minoritæ luminibus illis præ se ferunt ob illorum aduentum) vt indicetur eis magnum deberi honorem ob laboriosam, laudabilem meritoriamque peregrinationem. Didici iamdudum hanc rationem ex sacris Litteris & ex sanctis Patribus: lumen quippe, virtutis & boni operis symbolum est, vt in Euangelio pluries videre est. quare hortans nos Dominus ad bona opera, inquit: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*, Lucæ 12, 35. *Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cùm per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus*, inquit Magnus Gregorius Homil. 13. in Euangelia. *De quibus profectò operibus Dominus dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* De prudentibus illis virginibus, quæ ad Agni nuptias intrauerunt, dicitur, quòd ei priùs obuiauerint cum accensis lampadibus, id est, pietatis operibus: propter quæ Apostoli à Christo appellati fuerunt *lux mundi*, & Ioannes Baptista *lucerna ardens & lucens.* Hinc præstantibus virtuteque eminentibus viris, in virtutis illorum testimonium, & ob honorem qui virtutis præmium est, accensæ præferuntur faces. Sic cum Sanctis facit Ecclesia, quod in hoc mundo in medio nationis peruersæ velut luminaria luxerint, nunc verò ex isto caliginoso loco eleuari sint ad locum claritatis æternæ, vbi Agnus, qui in medio throni est, eos illuminat. Vnde Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in eruditissima illa Epistola, quæ citatur Actione IV. Concilij Nicæni II. *Neminem*, inquit, *offendat, quòd ante Sanctorum imagines lumina & suauè olentia thymiamata accenduntur. Symbolicôs enim ista fieri in honorem illorum, opinandum est, quorum cum Christo requies, quorum honor ad ipsum recurrit, hoc ipsum testante sapiente Basilio, quòd erga conseruos bonos honor erga ipsum Dominum commune beneuolentiæ signum exhibet. Sensibilia enim lumina symbolum sunt immaterialis illius & à Deo dati luminis: aromatum autem incensio, sincerum & totum sancti Spiritus afflatum significat.* Idem ante Germanum dixit D. Hieronymus aduersus Vigilantium. Et Theodoretus in Historia lib. 5. cap. 36. testatur, in translatione Reliquiarum S. Ioannis Chrysostomi plurima accensa lumina prælata fuisse, quod passim ad Sanctorum honorem fit in Dei Ecclesia in similium Reliquiarum delatione & solemnitate. Cùm igitur simili cærimonia excipiantur nostri peregrini, vt nimirum odoriferæ herbæ & flores in aquam inspergantur, qua eorum abluuntur pedes, & thus præferatur in Processione, & luminibus excipiantur & deducantur, indicatur illorum insignis virtus & pietas, quòd scilicet sint bonus Christi odor in omni loco, ac per heroica opera lucernæ ardentes in Dei Ecclesia, & quòd non solùm bonis & probis, sed etiam in caliginoso infidelium ac perditorum hominum loco virtutis suæ lumen diffundant.

Lib. 1 v. cap. 1. peregr. 11. & cap. x. peregrin. 1.

Lumen bonis operis symbolum.

Virtus peregrinorum.

Quòd si iam domum, aut ad alias regiones reuersi fuerint, alia insuper externa cærimonia tamquam glorioſi victores condecorantur. In solemnibus enim Ecclesiæ Processionibus incedunt palmas in manibus gestantes, quo honore non perinde digni æstimantur alij peregrini. Neque hoc nouum est, aut vana quadam superstitione introductum, sed mos ille est valdè antiquus, summorum item Pontificum indultu & auctoritate approbatus, & piorum laudabili consuetudine hucusque continuatus. Scribit in Annalibus Anglicis Rogerius, & refert in Annalibus Ecclesiasticis Tom. 12. Cardinalis Baronius, quòd cùm anno Domini 1191. Philippus Francorum Rex Romam venisset ad Cælestinum Pontificem huius nominis III. Papa eum omni honore venerationeque suscepe-rit, & per octiduum necessaria ei ministrauerit: pro amore insuper Domini & Regis nouum indultum concesserit peregrinis, eum, & omnes qui cum eo venerant, vel post eum venturi essent, absoluendo à voto suo, & ab itinere profectionis Ierosolymitanæ: quòd item, quamuis voto non plenè satisfeciſſent, palmas eis distribuerit, & cuiuis de collo gestare permiserit, cum decreto quòd verè essent peregrini. Addit posteà Baronius, Rogerium hîc referre priscos ritus, vt nimirum qui votum Ierosolymitanum implessent, Romam redirent, palmas à Summo Pontifice acciperent, & crucem ad collum suspensam deferrent. Eumque solemnem ritum impleri rogasse

Cum palmis in Processionibus incedant.

Regem

Regem Francorum circa ſuos, licet immeritos, eò quòd haud perfectè votum compleſſent, vt qui tam citò reuerſi fuerint.

Malmeſburienſis etiam de Balduino qui Edeſsâ, & de Boamundo qui Antiochiâ Ieroſolymâ pietatis ergò adierant: *Poſt Circumciſionem Domini, ſumptis in Iericho palmis (quod inſigne peregrinantiũ antiquitas inſtituit) ſedes quiſque ſuas raptim repetere properarunt.* Hinc ſæpe legas illud: *Palmares redierunt Ieroſolymis.* Ex Malmeſburienſis relatione colligo, non fuiſſe neceſſarium, vt Ieroſolymitani peregrini, abſoluta peregrinatione, venirent Romam, accepturi palmas à Pontifice, vt licitè illas poſſent deferre, prout fortè quis ex recitatis e Baronio poſſet ſuſpicari; nam nec Balduinus, nec Boamundus, nec alij poſt completam Ieroſolymorum peregrinationem Summum Pontificem acceſſerunt, & nihilominùs laudabiliter ſecundùm ritum veterem palmas detulerunt: & meritò, quia hic honor illis prouenit ex Ieroſolymitana & non ex Romana peregrinatione. Etiamnum in Gallia & Germania hunc ritum obſeruari, à fide dignis accepi; & ego poſteà Antuerpiæ in Belgio publicè deferri vidi etiam ab his qui Romam poſt reditum ex ſancta ciuitate non adierant.

Poſt Ieroſolymitanam peregrinationem pro palma Romam ire haud neceſſe eſt.

Quare palmas deferant.

Palmas verò deferunt noſtri peregrini non ſolùm in ſignum obitæ Ieroſolymitanæ peregrinationis, ſed etiam in teſtimonium inſignis virtutis & victoriæ, cuius palma ſymbolum eſt: & quidem triplici ratione, ſecundùm Bedam. In primis, quia palma, cùm ei pondus imponitur, non ſuccumbit, ſed potiùs in morem fornicis ſeſe erigit: ſic vir iuſtus ad terrenam concupiſcentiam incuruari deſpicit, & totum ſe ad cæleſtia promerenda ſuſtollit, ſecundùm Apoſtoli conſilium: *State in fide, viriliter agite*, 1. Corinth. 16, 13. Secundò, quia palma in inferioribus aſpera videtur, in ſummo autem pulchritudinem & fructus ſuauitatem oſtendit: ſic & virtute præditus ac probus aſperos in terra portat pro Domino labores, ſed mercedem à Deo gratiſſimam accepturum ſe ſperat in cælo. Aſpera eſt palma iuxta terram, quia paſſionem patiuntur propter iuſtitiam electi: pulchra eſt & dulcis in ſummo, quia gaudent in preſſuris, & exultant, ſcientes quòd merces ſua copioſa ſit in cælis. Tertiò, quia palma manus victricis ornamentum eſt; vnde & apud antiquos, quicumque in certamine viciſſent, palmâ coronabantur: & iuſti, erecti in amorem ſuperiorum, in acie conſiſtentes, meditantur brauium illud, quo victores finito agone donandi ſunt. Hinc in Apocalypſi ſcribit Ioannes, vidiſſe ſe in cæleſti Ieruſalem qui palmas geſtarent. *Et palmæ*, inquit, *in manibus eorum*, Apoc. 7, 9. Quæ verba non tantùm de Martyribus, ſed de omni Sanctorum genere explicauit S. Gregorius, dicens Homil. 17. in Ezech. *Palmas in manibus tenere, eſt victorias in operatione tenuiſſe, cuius operationis palma ibi retribuetur, vbi iam ſine certamine gaudebit.* Et meritò, quandoquidem non ſolùm Martyres contra tyrannos, ſed Sancti etiam ceteri contra dæmonem alióſve hoſtes viriliter dimicarunt, victoriamq; de vitiis omnibus reportarunt. Omnibus enim dixit Chriſtus: *Non veni pacem mittere, ſed gladium*, Matth. 10, 34. Et de lectulo Salomonis, qui vniuerſam Eccleſiam repræſentat, dicitur: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum*, Cantic. 3, 7. Cur enim Eccleſia militari præſidio vndique cingitur, niſi quia ex omni parte bella conſurgunt, quæ non ſolùm fidem, ſed etiam reliquas omnes virtutes oppugnant?

Beda in illud Cant. 7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ.

Dum igitur palmas in ſolemnibus Eccleſiæ Proceſſionibus deferre conceditur noſtris Terræ ſanctæ peregrinis, indicatur, illos ſingulariter de illorum numero eſſe, qui contemptis terrenis cæleſtia meditantur. Et quamuis modò haud multum apud huius mundi ſectatores æſtimentur, imò & ab iiſdem contemnantur, quòd non ſat cognita eis ſit excellentia Ieroſolymitanæ peregrinationis; interim tamen ipſi dulces vbereſque bonorum laborum ſuorum fructus percipiunt, & tamquam in medio Eccleſiæ & myſticæ Ieroſolymæ de inuiſibilibus ac viſibilibus hoſtibus glorioſi victores eruti de maris ac piratarum faucibus, in manibus ſuis victoriæ palmas deferunt, & ſuam inter cereros præcellentiam omnibus notam faciunt.

CAPVT XVII.

Sanctorum locorum peregrinationem non omnibus expedire; non mulieribus, non Religioſis omnibus, non Prælatis, nec coniugatis.

HActenus abundè (ni fallor) oſtendimus, licitam, vtilem ac meritoriam eſſe ad ſancta loca peregrinationem: porrò videndum eſt, an ea omnibus vtilis & meritoria ſit, an aliquibus tantùm, & quibus. Quod vt diſtinctè intelligamus, tria Notabilia præmittemus, poſteà quatuor Aſſertiones ſubiungemus, è quibus quid ſtatuendum ſit apparebit.

In Eccleſia plures ſtatus in diuerſis ordinatè occupati.

NOTANDVM PRIMVM. Varij in Eccleſia Dei ſunt hominum ſtatus, virginum, cælibum, coniugatorum, eorum qui perfectionem exercent vt Epiſcopi, eorum qui illam nituntur acquirere vt Religioſi, & eorum qui incipiunt per illam incedere vt Nouitij, & qui in ſæculo communem viuendi rationem ſectantur. Et ex his quidam actioni, alij contemplationi, & alij denique vtrique incumbunt; quorum tamen omnium vnus & idem finis eſt Deus benedictus, eiq́ue ſeruire in præſenti ſæculo, vt in altero eodem perfruantur. Sicut in palatio magni Regis plures ſunt qui Regi exhibent famulatum, non tamen omnes eodem funguntur officio, ſed varijs ſunt ordinibus diſcreti, cùm quidam ſint Magiſtri domus, quidam Procuratores, alij Cubicularij, à ſecretis alij, alij qui muſicis cantionibus, cymbalis & melodijs illum exhilarant, alij denique alijs muneribus occupati; nec alter alterius ſe ingerit miniſterio, niſi à Rege aliter fuerit imperatum. Huiuſcemodi mirabilem ordinem obſeruauit Regina Saba in regia domo ſapientiſſimi ac potentiſſimi Regis Salomonis, vbi diuerſi erant miniſtrorum ordines, officijs & veſtibus diſtincti, vt ſacra tertij libri Regum teſtatur Hiſtoria. Similem ordinem in Eccleſia ſancta, Chriſti Saluatoris regia, per Salomonicam illam præfigurata, debemus agnoſcere: in ea ſiquidem varij ſunt hominum ſtatus, in quorum quolibet ſecundùm vocationem ſuam vnuſquiſque ſe continere debet, donec ad altiora vocetur à Domino. *Diuiſiones* enim *gratiarum ſunt, idem autem Dominus. Et diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus*, 1. Corinth. 12, 4. cui & ſeruiendum eſt: *ipſe* namque *dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti*, &c. Epheſ. 4, 11. ideoq́ue *vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes erunt, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei*, 1. Petri 4, 10. Hanc ob rationem non conuenit vt virgines, cælibes & Religioſi ſe immiſceant ſæcularibus negotijs, ſed ſibi, orationi & contemplationi attendere debent: ſicut & coniugati & patresfamilias non ſemper vacare debent contemplationi, ſed actioni & miniſterio vel priuatæ domus, vel rei publicæ. Epiſcopi ſimiliter & Præſules non ſuo tantùm, ſed & ouium ſuarum commodo & ſaluti inuigilare debent, vtpote de quibus aliquando ſint Deo rationem reddituri.

Quare, vt decor & pulchritudo Eccleſiæ appareat, quæ conſiſtit in congrua partium vel miniſtrorum diſpoſitione, quilibet in ſuo ſe ordine contineat: Prælati in procurando ſubditorum bono, ſubditi in obediendo, &c. Si verò alterum ad alterius munus tranſire contingat, id non niſi præuia diuina vocatione fiat.

Aliquorum profeſſio cæleſtis eſt, ſed vita terreſtris.

NOTANDVM II. Sunt nonnulli homines, qui etſi corpore habitent in terris, conuerſatione tamen habitare deberent in cælis, propter profeſſionem quam in aliqua Religione emiſerunt; non ſunt tamen à mundo ſemoti, nec ab hominum conuerſatione & ſæcularibus negotijs alieni, ſed ijſdem implexi, ſenſui, non ſpiritui ſubijciuntur; imò ſpiritui repugnantes ſenſibus carnalibus omnino obſequuntur, quorum cor (quoniam terrenis adhæſit) receſſit à Deo: ſicut ex oppoſito alij ſunt, qui manentes in ſua vocatione Deo gnauiter ſeruiunt vt eorum expoſcit profeſſio, in carne non viuentes ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum ſuam in cælis conuerſationem habentes.

Præcipuus Ieroſolymitanæ peregrinationis finis, locorum ſanctorum viſitatio, &c.

NOTANDVM III. ac poſtremum. Præcipuus finis Ieroſolymitanæ peregrinationis eſt, inſpectio & viſitatio ſanctorum locorum, quæ Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuo contactu & pretioſiſſimo Sanguine ſuo pro hominum ſalute fuſo conſecrauit: vt inde excitati, nil aliud cogitemus, nil aliud velimus, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. ex quo, omnibus caducis ſpretis, ſequitur carnis mortificatio, multarum paſſionum perpeſſio, ſanctaq́ue curioſitas coràm videndi loca ſancta, quorum ſacra meminit Scriptura, vt quæ in ea continentur, veriùs ac affectuoſiùs intelligantur, vt alibi ex D. Hieronymo notauimus. His ſic præmiſſis, quatuor iam Aſſertionibus explico, quibus minùs conueniat ad ſancta Ieroſolymorum loca peregrinatio; vnde & conſequenter apparebit, quibus eadem expediat & vtilis ſit, quod poſteà Capite ſequenti clariùs explicabo.

Ieroſolymitana peregrinatio mulieribus ſimpliciter non expedit.

ASSERTIO PRIMA. Peregrinatio hæc de qua agimus, abſolutè non eſt expediens virginibus, nec ſanctimonialibus, & vniuerſim nullis omnino mulieribus, niſi in peculiari aliquo caſu, & concurrentibus eiuſmodi circumſtantijs, quæ pericula amoueant: non enim inexpediens eſt illis peregrinatio hæc ratione peregrinationis in ſe conſideratæ (hæc enim vtilis, bona ac meritoria eſt, vt iam probauimus) ſed ratione periculorum quibus ſe exponerent mulieres, præſertim pudicitiæ amittendæ, & ne ſint alijs ſcandalo. Probamus hæc ratione & exemplo. Ratio eſt iſta: Quando plura ſuppetunt media ad eumdem finem aſſequendum, & vnum ex illis tutum ſit, alterum verò

verò eas difficultates annexas habeat, quibus operantem à fine elongari contingat, prius illud eſt eligendum, poſterius verò dimittendum, ne dum ſponte ſubimus periculum, in illo pereamus: at ſic ſe res habet, quòd pluribus medijs poſſit mens noſtra Chriſto crucifixo vniri, altera quidem ex parte per ieiunia, eleëmoſynas, carnis macerationes, orationem, contemplationem, & ſimilia, quæ ſine aliquo periculo perfici poſſunt; ex altera per peregrinationem, quod medium quidem eſt idoneum ad vniendum nos Deo, in mulieribus tamen vitiari poteſt, vel ob ſexus fragilitatem, vel ob hominum peruerſitatem & malitiam, & alia, quæ non Chriſto, ſed diabolo & carni vnirent. Igitur dimiſſo medio hoc adeò ancipiti, alia tutiora eligere debent, orationem, &c. præſertim ſi longa ſit peregrinatio, nec voto debita, aut abſque neceſſitate ſuſcepta. Quæ ratio ampliùs militare videtur pro adoleſcentulis & Monialibus, quæ ſolemne votum clauſuræ emiſerunt, vt patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 5.

Solitudo in mulieribus laudatur.

Exempla hæc ſunt. Caſta illa & pudica vidua Iudith laudatur in Scriptura ſacra, non quòd è ciuitate ſua Bethulia Ieruſalem excurreret, ſed quia *in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter ſabbata, & Neomenias, & feſta domus Iſraël*, Iudith 8, 5. Propheta Regius ex ſolitaria vita laudat bonam mulierem viri timentis Dominum, dicens: *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*, Pſal. 127, 3. Et D. Lucas eodem nomine celebrat Annam viduam, filiam Phanuelis, caſtitate & prophetiæ ſpiritu fulgentem: quæ cùm poſt viri ſui obitum Deo ſe conſecraſſet, *non recedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus Domino ſeruiens die ac nocte*, Luc. 2, 36. Idem aliæ virgines, præſertim tempore legis gratiæ, præſtiterunt, quæ poſt Virginem virginum Mariam Domino adducuntur: hæc enim ante deſponſationem non receſſit à templo: & iam deſponſata, etiam nec à domo ſua, vbi ab Angelo inuenta fuit ſola, ſine comite, ſine teſte, ne quo degenere deprauaretur affatu, vt inquit S. Ambroſius. Et quare, quæſo, aliæ mulieres prudentes tam ſtudioſæ fuerunt & ſunt ſolitudinis? Vtique vt caſtitatem conſeruent, vel alijs eam conſeruandi exemplum præbeant, quippe quæ diſcurrendo facilè deperditur. Eſt mulier velut cerua (huic enim comparat illam Sapiens in Prouerbijs, dicens: *Lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ, cerua chariſſima*, Prouerb. 5, 18.) quoniam ſicut cerua, dum intra ſpecus & antrum ſuum, vel intra denſiſſimum aliquod nemus ſe continet, à canibus non vrgetur aut agitatur; inde verò egreſſa, hac illacque errans, incidit in illorum dentes, & quæ antè libera erat, canibus & venatoribus ſubijci compellitur: ita feminis contigit; quamdiu ſolitariæ manent, quamdiu in clauſura ſe continent, viri aut libidinoſi eas non facilè infectantur, manentque ſuorum corporum dominæ; ſimul ac verò vagæ hac illacque diſcurrunt, in manus laſciuorum venatorum incident, factæ eorum præda, & illuſores dominabuntur eis, magna cum illarum iactura, vt quæ ea ratione amittant honorem & Dei gratiam: ſicut contigit Dinæ filiæ Iacob (vt alias miſſas faciam) quæ quoniam egreſſa eſt è domo, vt videret mulieres Sichem, conſtuprata fuit à Sichem filio Hemor.

Diſcurſu poteſt violari caſtitas.

Mulier cerua ſimilis.

Dina ob diſcurſum corrupta.

Et quamuis diſcrimen ſit inter peregrinationem ſacram, & curioſam euagationem, vtrobique tamen ſummum imminere feminis periculum videmus, propter laſciuorum hominum malitiam. Ideò D. Bernardus optimè in Dinam ſic inuehitur: *O Dina, quid neceſſe eſt vt videas mulieres alienigenas? qua neceſſitate? qua vtilitate? An ſola curioſitate? Quòd ſi tu otiosè vides, ſed non otiosè videris. Tu curiosè ſpectas, ſed curioſiùs ſpectaris. Quis crederet tunc illam tuam otioſam curioſitatem, vel curioſam otioſitatem fore paulò pòſt non otioſam, ſed tibi, tuis, hoſtibusq; tam perniciosam?* Ad memoriam etiam reuoca, legem illam Deuteronomij 16. ſuperiùs Cap. 1. commemoratam de conueniendo ad templum, non fuiſſe datam mulieribus, ſed viris. *Tribus vicibus per annum omne maſculinum in conſpectu Domini apparebit. Omne maſculinum*, dixit, non femininum, vel vtriuſque ſexus homines; quoniam magnum periculum videbat Dominus imminere mulieribus, ſi perinde ſicut viri peregrinatæ fuiſſent. Et Illuſtriſſimus Princeps Radziuilius in ſua Ieroſolymitana peregrinatione Epiſt. 2. pag. 58. tradit, Gregorium XIII. Pont. Max. ſub excommunicationis pœna interdixiſſe, ne mulieres Ieroſolymam proficiſcerentur, propter ſcandala quæ in ſanctis locis cuiuſdam mulieris occaſione commitebantur. Et ſanè ex Europæis pauciſſimæ Ieroſolymam ſe conferunt, ex Aſiaticis tamen plurimæ, præſertim ſchiſmaticæ. Quare ſatius erit mulieribus, vt ſint ſicut vites in lateribus domus, in eiuſque penetralibus maneant, ac velut ceruæ in antris & ſpeluncis, ſolitarijs inquam locis latitantes, ſe contineant; hac enim ratione maiori cum fructu ſponſo Ieſu vnientur. Imitentur Iudith, quæ corpus ſuum vigilijs, cilicijs & orationibus

Obiectionis ſolutio.

Interdictum Ieroſolymitana peregrinatio mulieribus.

in ſeruituſtem ſpiritus redigebat, in ſecreto cubiculo domus ſuæ manens: vel alteram illam Annam, quæ à templo numquam diſcedebat poſtquam maritus eius obiiſſet: vel denique, & potiùs, benedictam & glorioſam Virginem Mariam, quæ ſola manens à conſortio hominum ſeparata, Angelico colloquio dignata, & vt eſſet Mater Dei, electa fuit. Sint ſpiritualiter peregrinæ, orantes Dominũ vt ſuo eas ſolatio perfundat: conſtruant vel in proximis ſibi Eccleſiis, vel etiam in priuatis ædibus, loca Terræ ſanctæ, in quibus ſalutis noſtræ myſteria ſpiritu contemplentur, & voluntatem earum faciet Dominus, deprecationemque earum exaudiet: & pari, quo viſitantes loca ſancta, gratia & gaudio recreabuntur. Lege quæ infrà dicimus Cap. XXXV.

Secunda. Bono religioſo, niſi in caſu, haud expedit peregrinatio.

ASSERTIO SECVNDA. Religioſis, qui in clauſtris, non diſtracti ſæcularibus curis, carnalibus ac vanis cogitationibus, ſed piè ac religioſè viuentes, cum Chriſto conuerſantur, eique glutino ſpiritus & charitatis copulati ſunt, non eſt expediens ad ſancta loca peregrinatio, niſi aliqua vrgente ratione. Hæc Concluſio ratione ſimiliter & exemplo probatur. Ratio duplex eſt: altera deſumitur ex fine peregrinationis, in hunc modum. Habito fine, non quæruntur media ad finem; at Religioſi, de quibus loquimur in concluſione, habent finem (ſunt enim cum Deo, qui eſt finis peregrinationis præcipuus, vt ſuperiùs diximus, ſpiritu vniti:) igitur non eſt illis aſſumenda peregrinatio velut medium ad illam vnionem, cùm præſertim (vt manifeſtum eſt) poſſit in itinere relaxari eorum diſciplina regularis, & ipſi à fine ſuo elongari.

Altera ratio ex natura ipſius peregrinationis accipitur. Vitæ contemplatiuæ exercitium actiuæ præſtat, ita tamen ne omittatur exercitium actiuæ in neceſſariis; quia etſi hoc bonum & neceſſarium, illud tamen melius eſt & magis meritorium, vt obſeruauit S. Gregorius lib. 6. Moral. c. 27. dum expendit ea verba Saluatoris ad Martham, *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, Lucæ 10, 42. *Magna ſunt actiuæ vitæ merita*, inquit, *ſed contemplatiuæ potiora.* & figura ex Ezechiele deſumpta ampliùs confirmat: qui cùm intuitus fuiſſet myſtica illa quatuor animalia, dicit, *& ſimilitudo manus hominis ſubtus pennas eorum erat. Quid enim*, inquit D. Gregorius, *per pennas animalium, niſi contemplationes poſſumus ſentire Sanctorum, quibus ad ſumma tranſuolant, & terrena ſeſe cæleſtibus librant? Quid per manus, niſi operationes accipimus? Quia cùm in proximi amore ſe dilatãt, bona, quæ præualent, etiam corporaliter adminiſtrant; ſed manus eorum ſub pennis eorum, quia actioni ſuæ opera contemplationis veniunt.* Et hoc apud omnes eſt in confeſſo: actio enim circa media, contemplatio verò circa finem optimum verſatur. Cùm igitur peregrinatio in actione, & monachorum vita in contemplatione, vel in vtraque conſiſtat; iſta præ illa vtique non erit omittenda.

Contemplatiua vita merita actiua potiora.

Dixi verò in concluſione, *niſi aliqua vrgente ratione*, quia ratione obligationis ad obedientiam, vel huiuſmodi, contingere aliquando poteſt vt magis expediat peregrinari, quàm in clauſtro manere, vt poſteà dicemus, dum verba facienda erunt de Fratribus S. Franciſci ex obedientia ad cuſtodiam ſanctorum locorum miſſis. *In caſibus magis expedit peregrinatio.*

Auctoritate etiam probatur Concluſio. Primò Gregorij Nyſſeni in quadã Oratione (ſi tamen illius eſt) in qua diſſuadet Monachis & Virginibus (loquitur de Sanctimonialibus) peregrinationem, quaſi non alia ſuperſit via perueniendi ad perfectionem: ſunt enim aliæ plures, & aliquando meliores, quæ per peregrinationem non debent impediri. Deinde D. Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum, de Inſtitutione Monachi, multis argumentis probat, non expedire peregrinationem ad loca ſancta ſuſcipere, & loquitur de Monachis, vt exempla, quæ ad id probandum aſſumit, ſat oſtendunt, Antonij videlicet & aliorum Monachorum, qui licet in vicinia ſanctorum locorum habitauerint, numquam tamen ad ea iuerunt. *Antonius*, inquit, *& cuncta Aegypti & Meſopotamiæ, Ponti, Cappadociæ, & Armeniæ examina Monachorum, non videre Ieroſolymam, & patet illis abſque hac vrbe paradiſi ianua. Beatus Hilarion, cùm Palæſtinus eſſet, & in Palæſtina viueret, vno tantùm die vidit Ieroſolymam, vt nec contemnere loca ſancta propter viciniam, nec rurſus Deum loco claudere videretur.* Atque efficaciſſimè Ruſtico diſſuadet peregrinationem, quietem Monaſterij illi anteponens.

Dubij ſolutio.

Confirmari id poteſt ex Iona Abbate libro 3. reſpondente ad calumnias Claudij contra Abbatem Theodemirum. Dixerat Claudius ille Abbati laudanti peregrinationes ad Vrbem: Quare tu Monachos tuos retines in Monaſterio, & non mittis omnes Romam? Reſpondit Ionas pro Abbate: *Quia peregrinatio eſt bona, ſed non conuenit Monachis; ſicut & nuptiæ bonæ ſunt, ſed non conueniunt profeſſoribus continentiæ.*

Prælatis non expedit peregrinatio, longa præſertim.

ASSERTIO TERTIA. Epiſcopis, Prælatis, & quibus animarum cura commiſſa eſt, non eſt expediens peregrinatio, longa præſertim,

sertim, qua cõtingat illos abesse à sibi commisso grege, cui bona spiritualia ministrare tenerentur. Probatur dupliciter. Primò, Consilia non sunt adimplenda, vbi ex eorum obseruantia sequitur diuini præcepti violatio: at peregrinatio est consilium; non enim præcipitur, sed voluntariè assumitur, personalis verò residentia Episcopis & aliis Prælatis præcipitur. siue enim sit de Iure diuino siue Ecclesiastico, certum est, ad eam obligari Prælatos sub pœna peccati mortalis. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit Sanguine suo*, inquit sanctus Paulus Actor. 20, 28. Et Christus Petro omnium Prælatorum capiti dixit: *Pasce oues meas*, Ioan. 21, 18. At quomodo attendent gregi, quomodo illum pascent, si peregrinentur?

Secundò, Vir non debet ab vxore sua recedere, sed propter ipsam debet relinquere patrem & matrem. Episcopus est vnius vxoris, id est, Ecclesiæ vir, vt indicauit Apostolus ad Titum, D. Ambrosio interpretante in libro de Dignitate Sacerdotali, qua etiam ratione Ecclesia sponsa *Vxor* appellatur ab eodem Apostolo in Apocalypsi, & in Cantico canticorum. Et in Concilio Lateranensi sancitum est, ne Ecclesiasticum ministerium committatur, nisi ei qui residere in loco, & curam Ecclesiæ per se ipsum valeat exercere. Quam ob causam arctissimè ibi inhibetur, ne quis duas parœcias, quibus per se præesse non possit, retineat, aut fructus earum percipiat. Igitur non debet à sua Ecclesia, longo præsertim tempore, recedere Episcopus, nisi forte ratione maioris spiritualis prouentus, & concurrentibus circumstantiis, de quibus Doctores agunt, & secundùm quod determinatur in Concilio Tridentino Sess. 15. cap. 1. de Reformat. Quare si sancti quidam Præsules peregrinationem aliquam assumpserunt, illa fuit vel breuis, & ad modicum tempus durauit, vel ratione maioris instituta boni, non relictis tamen ouibus sine debito Sacramentorum & verbi Dei ministro.

Vxoratis non expedit peregrinatio, longa in primis.

ASSERTIO QVARTA. Vxoratis & legitimo matrimonio copulatis non conuenit peregrinatio, præsertim si in ea multum tempus insumendum sit, vt pluries contingit in Ierosolymitana. Probatur: nam tenetur vir cum vxore sua habitare vi diuini præcepti, exceptis casibus de quibus Doctores agunt, relinquere enim debet homo patrem suum & matrem, & adhærere vxori suæ, vt dicitur in Genesi. Quare si absque vrgenti causa non cohabitet vir cum vxore sua, graue peccatum committit, vt tradunt Scholastici in quarto Sent. Canonistæ, & sacræ Scripturæ interpretes. Nam sicut vxor sui corporis potestatem non habet, sed vir; ita nec sui corporis potestatem habet vir, sed vxor, vt docet S. Paulus. At si longo tempore peregrinatetur vir, non cohabitaret cum vxore, sed subtraheret ab ea proprij corporis potestatem, & propter consiliũ & opus voluntarium transgrederetur id quod præceptum & necessarium est, quod non licet. Igitur vxorati, si peregrinari volunt, id faciant de vxorum suarum consensu; vel si commodè fieri potest, ad euitanda mala, eas secum ducant, vt duxerunt Abraham, Isaac, Elcana, & alij in suis peregrinationibus, vxores suas.

Diuino præcepto tenetur vir cum sua vxore habitare.

Ad hanc & præcedentem Assertionem spectat, quod Illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum Scriptor recenset Tom. XI. sub anno Christi 1099. num. 37. *Hoc anno, receptis Ierosolymis, quod sequitur memoria dignum ibidem accidit S. Petro Episcopo Anagniæ, qui suos pertæsus, à quibus plurima indigna passus esset, cum Boamundi exercitu nauigauit in Orientem. Ierosolymam cùm peruenisset, cum proposito ibidem manendi, visio ad eum facta fuit, quæ ab illo deterruit, & ad suum Episcopatum redire compulit, vt sanctus Bruno Signiæ Episcopus, illius temporis celebris Scriptor, in Vita eiusdem Petri, quam scripsit, litteris consignauit, vt sequitur. Petro in proposito manente, non amplius scilicet ad Anagninam Ecclesiam redeundi, sed permanendi Ierosolymis vsque ad mortem, beatus Magnus, eiusdem Ecclesiæ Anagninæ patronus, ei adstitit in habitu peregrini. Qui à B. Petro, quis esset, & vnde veniret, interrogatus; Peregrinus, respondit, Italus ego sum, iugalis consortia fugiens, huc salutionis meæ causa, quoad vixero, moraturus accessi, fugiens debitum ipsi reddere postulatum. Tuum peto consilium: Ne saluabor? Petrus inquit: In obscœnitate criminalis propositi saluationem hîc expetis contra vinculum coniugale? Quod Deus coniunxit, homo non separet, originaliter Domino statuente. Cur ergo (beatus Magnus intulit) Ecclesiam iugaliter tibi meis interuentionibus desponsatam contra propriæ salutis consilium & Dei voluntatem temerarius abdicasti? vbi iam vota tuæ peregrinationis impleuisti, tuam in Dei nutu Ecclesiam repetens, regredi non moreris. His dictis euanuit. Cùm Petrus his acceptis monitis, dicto tempore ad suam est reuersus Ecclesiam. Hucusque Brunus.* Quare vt hoc Caput concludam, peregrinatio, quamuis in se sit vtilis ac meritoria, non est tamen mulieribus, Monachis, Præsulibus & vxoratis expediens, & in vniuersum dissuadetur omnibus, qui probabiliter maiora mala peregrinando committerent, vel maiora omitte-

Exemplum, & diuina reuelatio.

rent bona, quàm si se domi continerent, & cum Maria contemplationi operam darent.

CAPVT XVIII.

Religiosis, quibus commissa est sanctorum locorum gubernatio, nec non aliis solutis hominibus, vtilis est & meritoria ea de qua agimus peregrinatio.

SVperiori Capite quatuor Assertionibus ostendimus, quibus non sit expediens sanctorum locorum peregrinatio ad loca sancta Palæstinæ, nimirum non mulieribus, nec omnibus Monachis, nec Episcopis & Prælatis, ac denique non vxoratis: in præsenti vice versa quatuor aliis, quibus sit expediens & conueniens, aperiemus.

Peregrinatio ad loca sancta Religiosis, quibus eadem loca concredita sunt, necessaria est.

ASSERTIO PRIMA. Peregrinatio ad loca sancta conuenit, & est expediens, imò necessaria Religiosis illis, quibus illorum regimen demandatum est, si sint probatæ vitæ, ac boni nominis. Probatur. Quoniam Iure diuino naturali, qui constitutus est super aliquam familiam & domum, illius curam habere debet: si igitur religiosis viris commissa est sanctorum locorum custodia, etiam ad illa custodienda, licitè, meritoriè & necessariò proficiscí tenebuntur. Ad hæc, si iidem vel alij Religiosi licitè & cum merito proficiscuntur ad alia loca inhabitanda & custodienda, quare non licebit potiori ratione ad horum custodiam proficiscí, cùm cetera omnia sanctitate & dignitate superent? Denique licet eis ex virtute obedientiæ ex vno loco ire ad alterum; quare ergo ex eadem obedientia non licebit ex aliis locis ire ad loca sancta? bonum enim publicum Ecclesiæ quieti particulari monachorum anteponendum est. Sed de hoc plura inferiùs dicemus, ac similiter de conditione mittendorum: vbi difficultatibus, quæ contra hanc Conclusionem fieri possent, respondebimus.

Expedit peregrinatio Religiosis distractis Deo se vnire volentibus.

ASSERTIO SECVNDA. Eadem peregrinatio expediens est Religiosis illis, qui sæcularibus negotiis nimis irretiti, facilè ab illis extricari nequeunt, nisi amotis occasionibus, & loco habitationis mutato; si tamen proponant in posterum religiosiùs vitam instituere, Deoque pro gratia eius ad id meliùs perficiendum impetranda intensiùs supplicare satagant. Hæc Conclusio ratione, auctoritate & exemplo probatur. Ratione primò. Si quis existat in periculoso loco, vbi propriæ salutis iacturam facilè pati posset, tenetur eum deserere, & alium, in quo de salute sua esset certior, inquirere: verùm, vt suppossuimus, in periculoso loco constituti sunt Religiosi illi, quibus ille occasio est perseuerandi in operibus suo statui repugnantibus, præsertim si illis nimis quàm par est inhæresçant; igitur expediens & necessarium illis est, vt illo relicto alium sibi eligant, vbi commodiùs ad proprij instituti obseruantiam reducantur. Secundò auctoritate S. Bonauenturæ, qui in Speculo disciplinæ ad Nouitios Parte 1. cap. 2. sic ait: *Valet quoque interdum conuersis, pro animæ salute mutatio loci. Plerumque enim dum mutatur locus, mutatur & mentis affectus. Valet pro mentis tentationibus impulsæ præsidio; valet pro morum citiùs ac perfectiùs assequendo peculio, extra cognationem & patriam vel ad tempus secedere. verùm, quia per se nullo modo sufficerent ad machinamenta diaboli repellenda, ad Christum, propter quem omnia contempserunt, qui est tentatorum refugium, & debilium fortitudo, qui se fideliter inuocantibus facit cum tentatione prouentum, vt valeant sustinere, crebris supplicationibus & deuotis recurrant, vt qui eos dignatus est de fornace Babylonis eripere, bonum in eis perficiat quod incepit. Frequens & feruens oratio dissipat omne malum. Ollæ feruenti muscæ non incident.*

Loci mutatio conuersis prodest.

Et hoc etiam præcipit Fratribus suis S. Franciscus cap. 11. suæ Regulæ. Et quænam alia, quæso, loca magis idonea aut congrua erunt iis qui huiusmodi sunt, quàm loca sancta, tum ob illorum sanctitatem, tum propter illorum maximam distantiam ab illis, in quibus poterant viscosis illis terrenarum & caducarum rerum compedibus illaqueari? An non ibi exardescet cor eorum in amorem Dei? numquid amputantur quæcumque occasiones Dominũ offendendi, & aliæ eidem seruiendi afferuntur? Ac propterea iure merito ad eiusmodi peregrinationem videtur cohortari Ioannes Climacus Gradu 3. dum de peregrinatione loquens dicit: *Sit autem nostra secessio ad eas partes quæ humiliores sint, & minùs celebres, & ab omni consolatione sæculi remotiores: & Ierosolymitanæ quidem partes, pompâ sæculi consideratâ, humiliores sunt aliis, & minùs celebres.* Nec vlla est ibi euagandi occasio, præsertim si Religiosi iidem vadant cum Familia Ierosolymitana, quæ tertio quoque anno ordinatè sanctam perficit peregrinationem. Idem Climacus appositè ad intentum dicit: *Qui peregrinationem amplecti instituis, canes gyrouagum & studiosum voluptatis damonem.* solet enim quandoq; peregrinatio ei occasionem præbere: in ista autem Ierosolymitana viuunt Fratres sub Prælati obedientia, ac ferè eo modo, quo in Monasterio. Ex absentia etiam rei ad quam inclinabat affectus, & ex cor-

corporis afflictionibus, multum minuentur, imò omnino euanescent illorum vanæ cogitationes. Tertiò eamdem Assertionem multa persuadent exempla: vnum, aliis prætermissis, sufficiat. Pelagia illa Antiochena, vitæ meretriciæ pertæsa, vt asperam atque molestam pœnitentiæ viam feruentiùs inambularet, habitu monachali suscepto Antiochiâ Ierosolymam abiit, vbi sperabat, ob loci mutationem, etiam vitam suam in melius commutandam esse. Et verè mutata fuit: omnibus enim hominibus ibi incognita degens, plurima sanctitatis exempla edebat; & vt magis etiam soli Deo vacaret, se in quoddam antrum Oliuarum montis inclusit, vbi tandem immaculatum spiritum Christo reddidit, quemadmodum Libro IV. vbi de eodem antro agemus, clariùs explicabimus.

Obiectionis solutio. Neque dum hoc adstruimus, aduersamur menti S. Francisci, nec Summorũ Pontificũ constitutionibus vim inferimus, quæ meliores tantùm ac magis probatos ad has partes mitti debere volunt; nec etiam quæ suprà asseruimus destruimus: si enim hi, quos modò peregrinationi destinamus, bonum emendationis propositum habeant, vtique id experiri debent Prælati, vt illorum vocationi & saluti cooperentur: & alioquin simpliciter hi idonei iudicandi sunt, quia pœnitentes sunt, de quibus, quin verè emendandi sint, spes certa habenda est, credendumque, Dominum Deum, qui ad tam bonum & arduum opus eos intus mouet, opem suam præbiturum, vt à studio & stadio salutis non abhorreant. Experimento enim didicimus, & seniores nostri nobis retulerunt, post hanc sanctorum locorum peregrinationem bonos plerumque meliores euasisse, & malos in melius vitam suam commutasse.

Expedit pius viris matrimonio solutis. Assertio tertia. Si loquamur de sæcularibus, peregrinatio sanctorum locorum vtilis & meritoria est hominibus solutis, qui zelo pietatis & religionis eam assumere intendunt. Probatur ex dictis de eorum licita peregrinatione: est siquidem opus bonum & meritorium, & in illis non est impedimentum; igitur licitè & magno cum fructu eam assumere poterunt. Quare à probatis viris laudantur, qui ex omnibus mundi partibus ad visendum loca sancta accedunt.

Expedit peccatoribus à Deo inspiratis. Assertio qvarta. Crediderim hanc peregrinationem expedire illis, qui propriæ salutis videntur obliti, & adeò terrestribus rebus affixi, vt numquam oculos ad cælum eleuent; si ad eam incitentur à Deo: hoc enim pacto propter diuturnos itineris labores, propter pericula, & passiones necessariò sustinendas, conuertentur ad Dominum, & virgâ tribulationis saxea eorum corda percussa, fundent lacrymarum fontes, quibus illorum spirituales sordes abluentur. Valet ad huius Assertionis confirmationem exemplum Mariæ Ægyptiacæ, vt alia præteream. Hæc enim ex Ægypto Ierosolymam profecta (etsi non pietatis, sed turpitudinis exercendæ causa, vt Sophronius & Nicephorus tradunt) ibi cor suum mutari sensit à Domino, vt & ex inimica amica, ex magna peccatrice magna pœnitens effecta fuerit. Et quantò magis simili gratia illos donabit Dominus, qui zelo salutis eò se conferent? Ad hoc faciunt dicta in secunda Assertione.

Necessaria est omnibus qui eam vouerunt. In vniuersum illis conuenit Ierosolymitana peregrinatio, qui illam vouerunt, nisi illorum votum irritetur, commutetur, vel dispensetur, Psalte dicente: *Vouete & reddite*, Psal. 75, 12. & Ecclesiastico: *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim Deo infidelis & stulta promissio. Sed quodcumque vouero redde. Multoq; melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere*, Eccli. 5, 3.

CAPVT XIX.

Occurritur obiectioni, qua probatur, Ierosolymitanam peregrinationem non expedire.

NVlla fuit vmquam veritas tam manifesta, nulla vel fidei lumine vel ratione naturali adeò euidens, quin fuerit aliquando impugnata ab impudentium hominum sophisticis argumentis & cauillationibus. Impugnata, inquam, sed non expugnata. Vt enim splendidissimæ solis luci frustrà se densæ nubes & tenebræ opponunt, cùm ab illa dissipentur & repellantur: ita errores fulgentissimæ veritati oppositi profligantur & disturbãtur. Deum esse veritas est, non fide modò, sed & lumine naturali cognita: de ea tamen dubitauit vel saltem quæstionem proposuit Pythagoras, & librum composuit, cui titulum dedit, *An Deus sit*, quam ob causam Athenienses illum vrbe expulsum eiecerunt in exilium, tamquam hominem qui de eo dubitaret, quod certissimum haberetur. *Insipiens* etiam *dixit in corde suo: Non est Deus*, Psalm. 13, 1. & quidam vel hodie reperiuntur, qui non solùm Deo non credunt, sed nec Deum esse omnino sibi persuadent, vnde & Atheistæ vocantur. Verùm omnes isti *corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis*; & quemadmodum Pythagoras ob eam impietatem à patria in exi-

Omnis veritas impugnationibus obnoxia.

lium pulsus fuit, ita ab æterna & cælesti patria arcebuntur, & in perpetuum inferni carcerem detrudentur quicumque illi sunt similes, vbi Dominum esse illorum Iudicem, velint nolint, confitebuntur. Pari quoque modo etsi luce ipsa meridiana clarius sit, quòd peregrinatio ad sancta Palæstinæ loca instituta, bona, licita & meritoria sit, non tamen defuerunt qui varijs non dico rationibus aut argumentis, sed cauillis & sophismatibus, diuersis è capitibus anxiè conquisitis, eam veritatem obscurare conati sunt: quorum temeritatem, Dei cum adiutorio, dignè, vt par est, redarguemus, & floccos vanissimarum argumentationum difflabimus, vt, veritatis lumine excelsiore in candelabro posito, quilibet ineptissimorum hominum illorum sordes videat, & nemo propter futilia & nullius momenti argumenta sanctam & vtilem hanc peregrinationem intermittat.

Non expedire Ierosolymitanam peregrinationem ex parte finis, duplicitèr probatur. Primò.

In primis ergo S. Hieronymus, vir ob sanctitatem, facundiam ac doctrinam toti orbi celeberrimus, in pulcherrima illa Epistola, quam ad nobilissimam Marcellam Romæ adhuc habitantem scripsit nomine Paulæ & Eustochij, postquam eidem prolixè suasisset, vt, relicta Roma, sancta Ierosolymorum loca peteret, eò quòd inde tot sancti Patriarchæ, Prophetæ ac Martyres prodijssent, quòd in illis Christus Dominus natus & passus esset, quòd nomen ipsum Ierusalem sanctum sit, & alijs plurimis rationibus in medium allatis, obijcit sibi ipsi, ex mente improborum ostendens, non esse modò assumendam eam peregrinationem, ratione termini ad quem ducit, id est Ierusalem. sic autem inquit: *Respondebis quippe, & dices, hoc olim fuisse, quando dilexit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob, & fuerunt fundamenta eius in montibus sanctis; licet & hæc possint altiùs interpretari. Postquam verò consurgentis Domini vox illa pertonuit; ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, & ruinam eius flebiliter prophetauit, dicens: Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce dimittetur vobis domus vestra deserta; & postquam velum templi scissum est, & circumdata ab exercitu Ierusalem, & Dominico cruore violata, tunc ab ea Angelorũ præsidia & Christi gratiam receßisse. Deniq; etiam Iosephum, qui vernaculus scriptor est Iudæorum, asserere illo tempore, quo crucifixus est Dominus, ex adytis templi virtutum cælestium erupisse voces, dicentium: Transmigremus ex his sedibus. Ex quibus & alijs apparere, vbi abundauit gratia, ibi superabundasse peccatum. Et postquam audierunt Apostoli: Euntes docete omnes gentes; & ipsi Apostoli dixerunt: Oportebat quidem vobis primùm annuntiare verbum Dei; quoniam autem noluistis, ecce transimus ad gentes, tunc omne sacramentum Iudææ & antiquam Dei familiaritatem per Apostolos in nationes fuisse translatam.* Aliud argumentum hoc erat: Nihil possumus Ierosolymis & in tota Terra sancta inuenire, quod in nostra regione non habeamus; nam Deus non magis est ibi quàm alibi, vt patet ex eo, quod homines regionis illius non sint meliores ceteris, sed fortè peiores. Porrò res Dei, id est, templa & altaria vbique inueniri possunt. *Secundò.*

Responsio ad primum.

Ad primum respondet idem sanctus Doctor, non fuisse deletam ciuitatẽ, quasi illam odio prosequatur Dominus, sed vt puniret in ea habitantes peccatores, ciuitatem enim vnicè dilexisse, cùm ex sola destructionis eius præuisione in lacrymas solutus fuerit; & quia propter mysterium cum noua Ecclesia, noua lex & Sacrificium nouum erat instituendum, auferendam fuisse figuram, & typum delendum, cuiusmodi erant materialis illa Ierusalem & templum è saxis conditum: ceterùm augustiorem eam nunc esse quàm antè fuerit, propter loca Christi Sanguine consecrata. *Valida quidem quæstio*, inquit sanctus Doctor, *& quæ posset etiam eos, qui Scripturarum aliquid attigerunt, concutere; sed perfacilè soluitur. Numquam eam fleret Dominus corruentem, nisi diligeret. Fleuit & Lazarum, quia amabat eum. Et hoc tamen prima fronte cognoscito, non loci, sed hominum fuisse peccatum; verùm quia interfectio populi captiuitas ciuitatis est, propterea vrbem deletam, vt populus puniretur, idcò templum subrutum, vt typicæ hostiæ tollerentur.*

Optima solutio, quam suggerit etiam Epistolâ 150. ad Hedibiam, quæst. 8. eiusq; veritas ampliùs manifestatur Hieronymi exempla considerantis. Quòd Angelicæ voces auditæ fuerit, *Transmigremus ex his sedibus*, id duplici potissimum ratione fieri conueniebat: primò, vt ibi Deum laudarent, qui factus homo sua corporea substantia locum illum voluit honorari; secundò, vt illorum locorum, id est populorum in illis habitantium curam habere ostenderent. Vtrumque enim officium Angelos exercere, liquet ex sacra Scriptura & sacris Doctoribus. Dico igitur, Angelos discessisse quidem ab Ierusalem, id est à custodia populi Ierosolymitani, quia se Angelica custodia indignam reddebat, sed non absolutè, aut secundùm suam existentiam, ac si ibi Dominum minimè venerarentur. An non post maximum illud patratum scelus contra Dominum, postquam Christum Regem *Angelorum officia.*

Regem crucifixiſſent Iudæi, ſæpiùs apparuerunt Angeli, & ad Domini Sepulchrum, & ad Oliueti montem; ac ſi locum illum minimè deſerere poſſent? Quare dicendum, diſceſſiſſe quidem ſecundùm poſteriorem rationem, quia curam illius populi reliquerunt: quod maximè verum eſſet ſecundùm illorum ſententiam, qui dicunt, Angelos eſſe in loco per operationem, & quia cuſtodiendo non operabantur, diſceſſiſſe meritò dici. At non diſceſſerunt ſecundùm priorem rationem, quia perpetuò in locis illis Dominum laudabunt.

Locus vbi iacuerunt corpora Petri & Pauli, ab Angelis honoratus & cuſtoditus.

Et mirandum profectò, quòd Romæ olim quidem ſordidus locus, nunc mundiſſimus & pulcherrimus, S. Sebaſtiani ad Catacumbas vocatus (in quo per ducentos quinquaginta duos annos in puteo ſubtus altare latuerunt corpora ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli) ab Angelis cuſtoditus & in veneratione habitus fuerit: quia ſicut ager ille diligentiùs excolitur, vbi roſæ & plantæ ſeminandæ ſunt, ſic iſte locus Catacumbæ diu anteà præparabatur & honorabatur, de quo Angeli & homines lætarentur, dixit Filius Dei ad S. Birgittam, vt in eius Reuelationibus lib. 4. cap. 107. habetur. Quantò ergo magis dicendum eſt, ſanctam ciuitatem Ieruſalem & vniuerſam Terram ſanctã cuſtodiri & honorari ab Angelis, vbi ipſorum & Apoſtolorum Dominus viuus & mortuus ſtetit, & virtutem potentiæ ſuæ oſtendit? Vnde Angelicæ illæ voces non odij, ſed diuinæ patientiæ & benignitatis argumentum extiterunt.

Apoſtoli quare ex Ieroſolymis diſceſſerint.

Similiter quòd ſancti Apoſtoli, relicta Ieroſolyma & Iudæa, in alias orbis partes abierint, non fuit quòd odiſſent Ieruſalem & Terram ſanctam, ſed vt mandato Dominico obedirent, quo eis præceperat, vt irent in mundum vniuerſum, & prædicarent Euangelium omni creaturæ. Charitas Chriſti eos vrgebat, & ibant ſecundùm impetum ſpiritus. Sed verè eos dilexiſſe Ieruſalem, conſtat, tum quia ibi primum celebrarunt Concilium, tum quia illi Epiſcopum præfecerunt Iacobum fratrem Domini; tum quia Paulus, ſpretis periculis quæ ſibi certò imminebant Ieroſolymis, eò tamen ſe contulit. *Ecce* (dicebat) *alligatus ego ſpiritu vado in Ieruſalem, quæ in ea ventura ſint mihi ignorans; niſi quòd Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicens, quoniam vincula & tribulationes Ieroſolymis me manent. Sed nihil horum vereor*, &c. Actor. 20, 22. Sed nec Paulus Ieroſolymam ſe contuliſſet, nec Apoſtoli eam Epiſcopali dignitate ſublimaſſent, ſi non dilexiſſent, & ſi de ea omnino actum fuiſſe iudicaſſent. Quid? nónne Ieroſolymis manſit ſanctiſſima Dei Mater & Virgo vſque ad ſuum feliciſſimum tranſitum, vnà cum Ioanne, quem in filium adoptauerat, ſibi miniſtrante. At hoc, non quòd odio? ſed quòd amore digna ſit Ieruſalem, cuidens eſt argumentum.

Contra hanc ſolutionem ex improborum mente inſurgit ſanctus Doctor, probatque non ſolùm gentem, ſed & ciuitatem ipſam eſſe malam, ac Deo odibilem. In Apocalypſi Ioannis legimus: *Et occidet illos* (haud dubium quin Prophetas) beſtia quæ aſcendit ex abyſſo. *Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt*, Apocalyp. 11, 7. Si enim, ait, ciuitas magna, in qua crucifixus eſt Dominus, ſpiritualiter Sodoma appellatur & Ægyptus, vtique Ieruſalem Sodoma eſt & Ægyptus, cùm in ea crucifixus ſit Dominus. Sed reſpondet ſanctus Doctor, quòd per magnam illam ciuitatem, quæ Sodoma & Ægyptus appellatur, non intelligenda veniat Ieruſalem illa de qua loquimur, ſed mundus ipſe, ideò ſic appellatus, quia totus in maligno poſitus eſt; & quia, ſicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ ciuitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes, Dei iudicio tandem concremandus erit. Concludit denique, quòd ſi loca, in quibus Martyres pro Chriſto ſanguinem fuderunt, honoranda ſunt, multò magis illa honoranda eſſe, in quibus Deus Martyrum, & totius vniuerſi, Sanguinem proprium pro omnium ſalute fudit, Propheta præcipiente, vt adoremus *in loco, vbi ſteterunt pedes eius*, Pſal. 131, 7.

Obiectio.

Reſponſio.

Ceterùm hæc reſponſio vel explicatio videtur à veritate & à mente ſancti Doctoris aliena. A veritate quidem, quoniam in loco illo Apocalypſeos, per ciuitatem magnam, in qua Chriſtus crucifixus eſt, quæ ſpiritualiter vocatur Sodoma & Ægyptus, non mundum in ſe, ſed Ieruſalem eſſe intelligendam, docent communiter ſacri Doctores, veteres ac recentiores: & deſcriptio S. Ioannis id oſtendit, dum ciuitatem magnam appellat, & in qua Dominus eorum crucifixus eſt. Ad quid tot circumlocutiones, ſi per eam mundum in ſe intelligere voluiſſet? Nec eſt inconueniens, dicere, Ieruſalem ſanctam, & Sodomam & Ægyptum, ad diuerſa comparatam: imò propter diuerſam comparationem tantùm bona vel mala dicenda eſt. Etenim ciuitas in ſe nec bonitatis nec malitiæ moralis aut ſpiritualis eſt capax (de hac enim bonitate & malitia hic noſter eſt ſermo) ſed bona vel

Confutatio

Ciuitatis nomine, in qua Chriſtus crucifixus dicitur, Ieroſolyma intelligitur.

mala

mala ex habitatoribus dicetur, qui si boni erunt, & bona ciuitas; si mali, mala dicetur. Ecclesia sancta dicitur nigra & formosa; formosa propter iustos, nigra propter peccatores: vel, vt inquit S. Augustinus Serm. 201. de Temp. *nigra per naturam, formosa per gratiam.* Et secundùm D. Hieronymum in eadem Epistola, Roma à Ioanne in Apocalypsi appellatur Babylon, & purpurata meretrix, propter Ethnicos Imperatores; & tamen ipse eam sanctâ appellat propter Ecclesiam Christi, & sepulchra Petri & Pauli Apostolorum eius. Ita Ierusalem sancta dicitur, imò sanctissima propter Christum Dominum, beatissimâ Virginem eius Matrem, Apostolos, Prophetas, & alios Sanctos qui in ea floruerunt, & nunc propter illorum memoriam, sepulchrum Domini, montem Sion, & alia sancta loca: Sodoma verò & Ægyptus, propter peccata peruersorum hominum qui Dominum crucifixerunt, Prophetas occiderunt, & quia omnis generis flagitiis, quibus Sodoma & Ægyptus abundarunt, coinquinata est. Quare de Terra sancta, & præsertim de Ierusalem, hæc dicuntur ab Esdra Iudæis: *Terra ad quam vos ingredimini vt possideatis eam, terra immunda est, iuxta immunditiam populorum, ceterarumq; terrarum, abominationibus eorum qui repleuerunt eam ab ore vsque ad os in coinquinatione sua*, 1. Esdr. 9, 11.

Idem diuersimodè bonum & malum dicitur.

Hieronymus ad Marcellam non suo nomine, sed Paulæ & Eustochij scripsit.

Dixi etiam, illam secundam responsionem & interpretationem videri alienam à mente D. Hieronymi. Ad cuius intellectum duo animaduerto: alterum, D. Hieronymum in illa Epistola non scribere proprio nomine, sed Paulæ & Eustochij; alterum, fungi in ea Oratoris munere, persuadere enim volebant illæ sanctæ mulieres omni quo poterant affectu Marcellæ, vt Roma relicta commigraret in Terram sanctam, quare omnes congesserunt quas potuerunt rationes, quibus illi persuaderent illam peregrinationem, & quoquomodo refellerent difficultates quæ ab illa deterrere eam possent. Nec ideò culpandæ sunt, sed ignoscendum affectui, ac etiam pietati indulgendum. Difficile enim & durum videbatur sanctis illis mulieribus, dilectam à Deo ciuitatem, toties sanctâ à Spiritu sancto appellatam, dicere Sodomam & Ægyptum; quare maluerunt nomine illius magnæ ciuitatis Sodomæ & Ægypti mundum hunc innumeris flagitiis commaculatũ intelligere, quàm Ierusalem. Nec mirandum, D. Hieronymum sententiam à veritate & mente sua alienam in suis scriptis retulisse: fuit enim sancti Doctoris consuetudo, aliorum vulgarem referre sententiam, quatenus proposito suo deseruire videtur, quamuis non ex proposito eam pertractaret, vt patet (inter alia) de interpretatione nominis Israël, quod idem esse dixit ac *Videns Dominum*, vt Osee 8. Ioël. 3. Amos 4. quia viderat illam esse multorum interpretationem: verùm in Quæstionibus Hebraicis eem efficaciter reiicit, & Israël idem esse, ac *Princeps Dei*, demonstrat. Ita in proposito dicendum est, locutum eum fuisse secundùm sententiam Paulæ & Eustochij, pro quibus scribebat; aliàs enim ciuitatem Ierusalem propter malitiam inhabitantium contemptibili nomine appellat. In Epistola ad Rusticum Monachum de forma viuendi, damnat Ierusalem ex proprio capite, dicens, *Non Ierosolymis fuisse, sed Ierosolymis benè vixisse, laudandum est. Illa expetenda est ciuitas, non quæ occidit Prophetas, & Christi sanguinem fudit, sed quam fluminis impetus latificat, quæ in monte sita est, celari non potest, quam Matrem Sanctorum Apostolus clamitat: in qua se municipatum cum iustis latatur habere.* Sed clariùs ad propositum lib. 6. Comment. in Ieremiæ cap. 32. *Sunt qui contentiosè*, inquit, *illud quod scriptum est, Locus, in quo crucifixus est Dominus atque Saluator, spiritualiter Gomorrha & Aegyptus vocatur, ad ipsa loca referant; alij verò vniuersum mundum sub nomine Aegypti & Gomorrhæ significari putant. Vt enim Gomorrha diuino igne deleta est; ita & mundum iudicio Dei concremandum.* Ex quibus constat, aliorum eum referre sententiam. Quare prior illa responsio retinenda est, nempe derelictam esse Iudæam, id est habitatores eius, quia diuina custodia se indignos fecerunt, non autem loca ipsius.

Prima responsio retinenda.

Si dicas, Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit, vt dicitur in lib. 2. Machabæorum; si igitur abs se repulit habitatores Ierusalem, vtique nec ipsam Ierusalem custodiet. Respondeo, non custodit pro Iudæis, sed pro Christianis, qui sunt veri Israëlitæ, imò pro se ipso Deo-homine. Et quamuis sit deserta ac diruta, non officit: qui enim stabulum & præsepe natiuitati elegit, non abhorret in locis istis desertis honorari: cor enim contritum & humiliatum Deus non despicit, & oblationes & holocausta incruenti altaris sacrificij, & vitulos labiorũ acceptat, ad regias vrbes & sumptuosa palatia minimè respiciens. Sancta ergo electaque est Ierusalem, & in veneratione habenda. Ad secundũ respondet Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Cultu Sanctorũ cap. 8. Nihil est Ierosolymis, quod non possit alibi inueniri, si agamus de rebus essentialibus & necessariis ad religionem: Deus est vbique; Sacramenta etiam, templa & altaria vbique inueniri possunt: negari

Obiectio.

Solutio.

Ieroſolymis aliquid eſt quod non alibi, quo deuotio iuuatur.

gari tamen non poteſt, quin aliquid ſit Ieroſolymis quo deuotio iuuari poſſit, quod alibi non inuenitur, nimirum Sepulchrum Domini, & loca illa ſancta, quæ toties Dominus calcauit, & in quibus tot mirabilia operatus eſt. Et, vt dixit ſanctus Hieronymus, Bethleem non niſi in Bethleem inuenitur; ita Ieroſolyma & alia ſancta loca non niſi in Ieroſolymis & Terra ſancta inueniri poſſunt.

CAPVT XX.

Soluitur aliud argumentum, quod ſanctam Ieroſolymitanam peregrinationem improbat: rationes aliquæ adducuntur, quare libera omnibus eam aſſumendi non ſit conceſſa facultas.

ADhuc alij probant, non expedire ad loca ſancta peregrinari, huiuſmodi argumento. Si Ieroſolymitana peregrinatio eſſet vtilis & meritoria, omnibus permitteretur, non prohiberetur: at non omnibus permittitur, & excommunicationis ſententia feriuntur euntes Ieroſolymam abſque Summi Pontificis facultate.

Argumenti ſolutio.

Reſpondeo: Quænam illa conſecutio, Peregrinatio Ieroſolymitana eſt bona, igitur ab omnibus aſſumenda abſque licentia? Bonum eſt vinum, igitur ab omnibus, etiam febricitantibus, bibendum? Bonum erat lignum ſcientiæ boni & mali, igitur licitè comedi potuit à primis parentibus, diuino prohibente mandato? Ita etſi licita & meritoria ſit hæc peregrinatio, non tamen omnibus, quia non infirmis in moribus, ſed quibus aſſumere expediens eſt, atque vt decet aſſumant, Spiritu ſancto dicente: *Iuſtè quod iuſtum eſt perſequêris*, Deut. 16, 2.

Quatuor rationes quare omnibus libera non ſit Ieroſolymitana peregrinatio.

Sed quæret aliquis: Si tam vtile ac meritorium eſt ad Terram ſanctam peregrinari, quare non niſi de Summi Pontificis licentia, ni fortè excommunicationem incurrere velit, eam aſſumere conceditur? Reſpondeo, Multiplici de cauſa id præſtitum fuiſſe. Prima eſt, ad euitandum periculum hominum ſimplicium, qui accedentes ad infideles, facile poſſent ſcandalum pati, & à vera fide ad praua dogmata peruerti. Vnde ſi laicis ſub excommunicationis pœna diſputare cum hæreticis de fide interdictum eſt, vt habetur in cap. Quicumque. De hæreticis, in 6. multò magis inhibitum eſſe debet eiſdem ne vadant ad terras infidelium, vbi maiora ſunt pericula, & vbi maior cautela eſt adhibenda, cap. Vbi periculũ. De elect. lib. 6. Confirmatur. Si enim Religioſis, qui ex ſtatus, quem profitentur, perfectione ſæcularibus anteponuntur, non permittitur ad infidelium terras proficiſci, niſi Superiorum licentia obtenta, quæ & non niſi iis, quos pios ac timoratos Prælati cognouerint, conceditur, vt infrà Capite XXVII. dicemus, quantò magis erit ſæcularium, ad eaſdem terras ire volentium, conditio & idoneitas à Superioribus diiudicanda & approbanda?

Secunda cauſa illius prohibitionis ab aliquibus hæc adducitur, ne hac occaſione Chriſtianæ fidei hoſtes magis ditari atque potentiâ augeri contingat, quod non conuenit. Argumentum in cap. Ad liberandam, & cap. Ita quorumdam. De Iudæis. Fideles enim qui ad terras infidelium proficiſcuntur, multa tributa & iniuſtas exactiones ſoluere coguntur, ex quibus illi ampliùs ditantur ac muniuntur. Sed hanc rationem haud multum valere, hoc ipſo Libro infernùs Cap. XLIV. oſtendemus.

Tertia dictæ prohibitionis cauſa eſſe poteſt locorum ſanctorum dignitas & excellentia. Ex hoc namque dignitas loci alicuius deprehenditur, quòd non liberè ad illum quicumque admittantur, vt in Salomonico Templo licet obſeruare, in quo quatuor præcipuæ aſſignantur partes, ordine & dignitate diſpares. Prima pars dicebatur *Sancta ſanctorum*, ſiue *Oraculum*: ſecunda dicebatur *ſanctum*, & aliquando *Sancta ſanctorum*, *domus exterior*, & *atrium Sacerdotum*: tertia pars dicebatur *atrium Iudæorum*, ſeu *veſtibulum interius*: quarta denique pars eiuſdem templi erat *atrium gentium*, alio nomine *atrium exterius* dictum. Et harum partium ſiue locorum Templi dignitas dignoſcebatur ex his qui ad ea admittebantur. Sanctum ſanctorum ceteras partes excedebat, quoniam in ipſum ſolus Summus Pontifex ingredi, & ſemel in anno, poterat. Sanctum verò, & ſecunda pars Templi, præcellebat duas alias poſteriores, quoniam ad eam ſoli Sacerdotes admittebantur. Atrium verò Iudæorum erat atrio gentiũ & poſtremæ partis Templi nobilior locus, quoniam permiſſus erat ingreſſus ſolis Iudæis, & non alienigenis. Sed atrium gentium ceteris ignobilior locus, quoniam omnes mundi & immundi, Iudæi & Gentiles ipſum ingredi poterant. Ita intelligimus ex Pontificia prohibitione, quanta ſit ſanctorum locorum dignitas, quoniam non indifferenter omnibus eundi facultas ad ea conceditur, ſed illis dumtaxat, qui idonei iudicati fuerint.

Quatuor præcipuæ Salomonici Templi partes.

Quarta denique ratio eſſe poteſt, quia ſic placuit Papæ: nec omnium, quæ per Principem ordinantur ratio reddi poteſt. L. Non omnem. ff. De legibus.

CAPVT

CAPVT XXI.

Argumentum contra primam Assertionem Capitis XVII. *quòd mulieribus non expediat ad sancta loca peregrinari, refellitur, aliaque nonnulla scitu digna adferuntur.*

IN Capite XVII. huius Libri quatuor Assertionibus monstrauimus, quibus non expediat peregrinari ad Terram sanctam. In prima Assertione diximus, peregrinationem virginibus, Monialibus,&omnibus vniuersim mulieribus haud expedire. Verùm eam Assertionem improbare videntur exempla illustrissimarum feminarum, quas totus orbis terrarum semper celebrauit, & quæ laudabiliter peregrinatæ dicuntur. In primis sanctissima Virgo Deipara, omnium illustrium & sanctarum mulierum primiceria, peregrinata dicitur, dum post arcanum Incarnationis Filij Dei mysterium ex sua ciuitate Nazareth cum festinatione abiit versus Montana in ciuitatem Iuda, vbi inuisit & salutauit cognatam suam Elisabeth, vt inquit Lucas: profecta fuit priùs ad templum in Ierusalem, secundùm Clichtoueum, posteà inde reuersa in Nazareth, iter fecit versus Bethleem, ex Bethleem in Ierusalem, & ex Ierusalem rediit Nazareth: inde in Ægyptum profecta, denuoque in terram Iuda reuersa fuit. Quin plures alioquin nouimus eam ad templum properasse, & post mortem Filij sui loca sancta frequenter inuisisse. Quis ergo huiusmodi peregrinationes damnabit? imò quis non laudabit? cùm & ab Euangelista mulieres illæ, quæ à Galilæa fuerant Christum secutæ, celebrentur.

Exempla laudatarum mulierum quæ peregrinatæ fuerunt.

Luc.1,39.

Anna mater Samuelis non culpatur, quòd cum viro suo Elcana statutis diebus iter assumpserit, vt sacrificaret Domino exercituum in Silo, vbi tum erat Arca Domini. Quin peregrinatio illa tam Deo grata fuit, vt exaudierit orationes eius. Helena Constantini Magni mater optimè fecit proficiscendo Ierosolymam: vnde & à Patribus summis attollitur laudibus. Eudoxia item Theodosij Imperatoris vxor Ierosolymitanam peregrinationem magna cum laude suscepit. Quid dicam de nobilissima Paula & eius filia Eustochio, quæ, Roma relicta, abierunt in Terram sanctam? quæ insuper per sanctum Hieronymum hortantur Marcellam, vt eamdem assumat peregrinationem, illis Scripturæ verbis vtæ: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & vade in terram quam monstrauero tibi*, Genes.12,2. An non illa vox Domini est: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum?* Psalm.44, 6. & illa: *Egrediamur foras in agrum, commoremur in villis*, Cantic.7,11. & hæc: *Lactabo eam, & ducam in solitudinem*, Oseæ 2,14. S. Birgitta item, & nobilis Hortulana, S.Claræ mater, laudantur, quòd eamdem obierint peregrinationem. Igitur expediens & laudabilis erit etiam mulierum peregrinatio.

Laudanda sanè harum & similium mulierum exempla, sed non inde lex vniuersalis constituenda, omnibus expedire mulieribus peregrinationem, quia non omnes eodem ducuntur spiritu, nec omnes sunt eiusdem virtutis. Respondeo ergo ad obiecta, Primò, multa Sanctorum facta esse admiranda, at non propterea promiscuè imitanda; è quibus vnum esse dico sanctarum mulierum peregrinationes. Ad cuius responsionis vberiorem intellectum inquiro, an liceat negligere famam suam, an peccata sua publice manifestare: an se interimere, in ignem proiicere, vel aquis præfocare. Si ais, sese opponit ratio & diuina auctoritas. Malum est, diuitias contemnere; igitur multò magis, honorem & vitam, quæ altioris ordinis sunt. Vnde & monemur, imò iubemur curam habere de bono nomine, vt à malo & ab omni specie mali abstineamus. Maledictum eum hominem dicit Spiritus sanctus, qui famam suam negligit, & eum leges crudelem vocant. At non homicidium lege diuina interdicitur? quòd si aliorum, multò magis sui, quod natura magis abhorreat; quoniam (vt inquit Apostolus) *nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam*, Ephes. 5, 29. quia *nolumus exspoliari, sed superuestiri*, 2.Corinth.5,4. An licet viro ab vxore sua discedere eâ inuitâ, & matrimonium dissoluere? Verumtamen exempla Sanctorum contraria his habemus, quæ à sacris Doctoribus non modò, non vituperantur, sed vel maximè laudantur.

Responsio.

Non omnia Sanctorum facta imitanda sunt.

De Simeone Abbate, qui propter Christum cognominatus est *fatuus*, mirabile est quod scribit Surius Tom.4. in eius Vita. Hic aliquando arborem conscendebat, & prætereuntes mulieres illinc nucibus lapidabat. Cùm vxor cuiusdam cauponis esset sola in lecto, ille finxit se vestem suam exuere, vt illa vim inclamante, tamquam sceleratissimus à viro eius expelleretur. In medio foro coram omnibus ventrem exonerabat. Ingressus domum Nobilium, simulabat se coràm ancillas deosculari. Inuitatus ad balnea, nudus per viam incedebat, & relicto balneo virorum, ingressus est

Admiranda Sanctorum exempla.

Digitized by Google

eſt mulierum. Choreas ducebat, hinc tenens vnam ſcenicam feminam, & illinc alteram; & ſic in medio totius populi ludebat, adeò vt impudicæ mulieres in eius ſinum ſæpè manus iniicerent. Meretricem inueniebat, eiqúe dicebat: Viſne te habeam amicam, & dabo tibi centum aſſes? Dabat quidem, ſed illas cuſtodiebat, ne peccarent: & vna ex iis eum per ciuitatem portabat, & altera eum cædebat loris. Hæc & ſimilia faciebat iſte vir ſanctus. At non culpandus, quoniam virtus Spiritus ſancti mirabiliter operabatur. Agnoſcebat hominum cogitationes, & virtute miraculorum ita corrigebat illos qui ſcandalum patiebantur, vt eius ſanctitatem corde venerarentur, & eo viuente non auderent illa publicare. Quid de B. Franciſco? quid de B. Iunipero & aliis dicam, qui vt populārem auram declinarent, ea faciebant vnde propter Chriſtum ſtulti haberentur, mala quæ non fecerant ſibi adſcribentes, vel ſe ab eis non defendentes. an ergo imitandi?

Alij vel oculos euulſerunt ſibi, vel nares & linguam præciderunt. An non virgines quaſdam Antiochenas laudat D. Ambroſius lib. 3. de Virgin. quæ, ne periclitaretur puritas, vel publicè earum corpora exponerentur, in fluentem ſe præcipites dederunt? An non S. Apollonia ſe in ardentem rogum coniecit, & ad duplicem virginitatis & martyrij coronam euolauit? quod & alij fecerunt Martyres. Samſon ille fortiſſimus, quem D. Paulus in catalogo Sanctorum annumerauit, nónne zelatus honorem Domini ſe ipſum interfecit? & eum non peccaſſe, docent D. Auguſtinus lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 21. D. Thomas 2. 2. quæſt. 64. art. 5. & alij: quoniam latenti inſtinctu Spiritus ſancti id fecit. Et idem de aliis, qui à Doctoribus laudantur, dicendum.

Poſt conſummatum matrimonium non licet vxorem dimittere, vt docet Eccleſia ex verbis Chriſti: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*, Matth. 19, 6. & Apoſtoli: *Iis qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere*, 1. Corinth. 7, 10. Sed in contrarium habemus exemplum Theonæ Abbatis, de quo Caſſianus Collatione 21. cap. 9. ſcribit, eum, cùm per quinque iam annos cum vxore vixiſſet, ac deinde Monachus fieri vellet, & ab vxore licentiam impetrare non poſſet, illa inuita matrimonium ſoluiſſe, & Monachum factum fuiſſe. Et cap. 10. ſcribit idem Caſſianus, non debere hoc factum reprehendi, cùm iſte Theonas Apoſtolicis miraculis poſteà claruerit, & à plurimis magnis Patribus factum eius collaudatum fuerit. Si dicas, ipſum male feciſſe, ſed poſteà egiſſe pœnitentiam, poſtquam floruit miraculis; obſtat auctoritas ſanctorum Patrum, qui factum illud laudarunt. Quid ergo? hic & alij ſimiles ſúntne imitandi? Non ſanè, quia non ex ſe ipſis, ſed impulſu Spiritus ſancti fecerunt; qui verò Spiritu Dei ducuntur, non ſunt ſub lege. Quare dicendum cum D. Hieronymo in Vitis Patrum, D. Auguſtino, D. Thoma, & aliis, non omnia Sanctorum facta eſſe imitanda, ſed quædam imitanda, admiranda alia; & ſic ea obſeruanda eſſe quæ lex diuina vel humana præcipit. Oppoſitum verò legi datæ facere aliquando præcipit Dominus, vt omni legi ſuperiorem ſe eſſe oſtenderet; vel vt oſtenderet, caducis rebus non eſſe innitendum, quoniam contemptibiles ſunt. Nouit enim Dominus, homines pluris facere honorem & vitam, mulieres pulchritudinem, virum vxorem, & vxorem virum; ideò imperauit quibuſdam ſeruis ſuis vt contrarium facerent, vt nimirum contemnerent alij propriam famam, alij ſe mutilarent deturparentque, alij ſe interficerent, imò vt coniugum alter, altero inuito, ab altero diſcederet.

Aliquando facere contra legem mandauit Dominus, vt ſe illi ſuperiorem oſtenderet.

Hæc ratio confirmari poteſt reſponſione D. Auguſtini ad illam difficultatem, qua quæritur, quare, cùm iuramentum ſit licitum, dixerit Chriſtus: *Ego autem dico vobis, non iurare omnino. Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt, Non, non?* Matth. 5, 34. Reſpondet ſanctus Doctor, quòd cùm homines ſint faciles ad peierandum, atque etiam dum verum iurant, multipliciter peccent, Deus optimus maximus, vt ab illis peccatis abſtineatur, & vt videatur quàm graue ſit peccatum periurium, dixerit omnino non eſſe iurandum, extra caſum ſcilicet neceſſitatis; nam iurare ex ſe eſt licitum, imò in multis caſibus neceſſarium. Ita dicendum quoque in propoſito. Oppoſitum legi iuſſit aliquando Deus fieri, ne nimio affectu hiſce caducis rebus inhæreremus. Et quin ſanctæ illæ mulieres Spiritu ſancto afflatæ peregrinationem illá ſuſceperint, præſertim aliquibus concurrentibus cauſis, quibus poſitis, licitam & vtilem eam eſſe affirmauimus, haud eſt ambigendum. Et quidem ſi de ſancta Dei Genitrice loquamur, quis dubitabit, eam, quæ Spiritu ſancto plena & ſuperplena fuit, in omnibus ſuis actionibus ab eodem inhabitante Spiritu fuiſſe motam? Et ſanè S. Ambroſius rationem aſſignans itineris B. Mariæ verſus montana, inſtinctum Spiritus ſancti aſſignat, dicens: *Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia.* Vrgebat eam charitas erga prægnantem cogna-

Quare iuramentum interdictum.

Maria Virgo inſtinctu Spiritus ſancti fuit peregrinata.

cognatam Eliſabeth, quæ non quærit quæ ſua ſunt: & ſi forte in illa peregrinatione aliqua fuit culpa (quod abſit tamen cogitare) eam extinxit charitas, quæ operit multitudinem peccatorum. Illam igitur, quin exhiberet cognatæ pietatis officium, quæ ante ſola in penetralibus verſabatur, non à publico virginitatis pudor, vt inquit idem D. Ambroſius, non à ſtudio aſperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit. Sed pondera, Virginem non moras trahere, ſed cum feſtinatione abire in montana, ſeram in domo, feſtinam in publico. Deinde quia iam in Dei gratia confirmata erat virginalis eius pudor, periclitari minimè poterat. *Deus in medio eius, non commouebitur*, inquit Pſalmiſta Pſal. 45, 6.

Vt obſeruaret legem.

Quòd etiam ad templum profecta fuerit poſt purificationem, fecit, vt obſeruaret legem puerperis à Moyſe promulgatam: & tum iuit cum ſponſo ſuo Ioſeph, ad exemplum, non ob neceſſitatem; quia ex Spiritu ſancto conceperat, & poſt partum virgo permanſerat. Quòd abierit in Ægyptum, & poſteà redierit, non ſine Dei monitu factum fuit, vt declinaret Herodis perſecutionem. An non poſteà diſcipulis ſuis dixit Dominus, *Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*? Matth. 10, 23.

Alia ſimiliter ſancta mulieres iuſtis ac neceſſarijs de cauſis peregrinata fuerunt.

Anna illa cum ſacrificij cauſa aſcenderet in Silo, iam prouectæ erat ætatis, ac boni nominis, & proficiſcebatur cum viro ſuo. Helena ſimiliter iam ingraueſcente ætate, quia octogenaria erat, conquirendæ Crucis ſtudio, in ſomnis diuinitus monita, Ieroſolymam petijt, vt docent Euſebius in Chronico, Ambroſius, Rufinus, Paulinus, Sulpitius, & alij, & Eccleſia in Breuiario. Eudoxia voti cauſa venit; at vota Deo reddenda ſunt: & hæ omnes magnæ erant auctoritatis, nec periculum erat circa eas, haud magis quàm in domibus proprijs, quod de alijs adductis in exemplum afferendum eſt. Et S. Birgitta iuſſu Domini peregrinata eſt, vt patet in eius Reuelationibus l. 7. c. 6. & 9. erat etiam ætate & moribus grauis, ſpectatæ & probatæ ſanctitatis. Et de matre S. Claræ ſimiliter cogitare poſſumus. Sanctiſſimæ mulieres Paula & Euſtochium meritò hortatæ fuêre Marcellam pijſſimam feminam (cuius caſtitatis firmum propoſitum nulla ratione mouendum nouerant) ad Ieroſolymitanam peregrinationem, vtpote de qua S. Hieronymus ad Principiam ſequentia ſcribit: *Orbata patris morte, viro quoque poſt nuptias ſeptimo menſe priuata eſt. Cùm eam Cerealis, cuius clarum inter Conſules nomen eſt, propter ætatem & antiquitatem familiæ, & inſignem, quod maximè viris placere conſuenit, decorem corporis, ac morum temperantiam, ambitioſiùs peteret, ſuaſq; longæuus polliceretur diuitias, & non quaſi in vxorem, ſed quaſi in filiam vellet donationẽ transfundere, Albinaq; mater tam clarum præſidium viduatæ domus vltrò appeteret, illa reſpondit: Si vellem nubere, & non æternæ me cuperem pudicitiæ dedicare, vtique maritum quærerem, non heredstatem. Illoq; mandante, poſſe & ſenes diu viuere, & iuuenes citò mori, eleganter luſit: Iuuenis quidem poteſt citò mori, ſed ſenex diu viuere non poteſt: qua ſententia repudiatur: exemplo ceteris fuit, vt eius nuptias deſperarent.* Ecce probata inſignis mulieris pudicitia, ſingulare alijs mulieribus eiuſdem ſeruandæ exemplum, quare potuit moneri, vt, relicta Roma, peteret Ieroſolymam: & quando perrexit, optimè fecit, quippe cui dictum ſit: *Obliuiſcere populum. Egrediamur foras*, &c. Perfecta erat, & inſuper à Domino admonita, ideoque ei obedire debuit. Sed ex perfectis, & à Domino admonitis, non licet legem ſtatuere pro omnibus etiam imperfectis, & diuinitus non vocatis: alioquin enim imperfectis magno cum detrimento eueniet, quod & Dinæ filiæ Liæ, vt iam notauimus.

Marcella notandum pudicitia ac conſtantia exemplum.

Beatus ille Ægidius, ſancti Patris noſtri Franciſci chariſſimus ſocius, vir contemplatiuus, & ecſtaticus (vt legitur in Chronicis S. Franciſci) cuidam dicenti, ſe decreuiſſe Romam pergere ad limina Apoſtolorum, & ad aliorum Sanctorum Reliquias viſitandas, reſpondit: Inquire priùs, vt bonam ab adulterina moneta dignoſcere poſſis. Quibus verbis innuere voluit, non omnibus peregrinationem expedire, ſed illis dumtaxat, qui bonum nouerunt, & malo reſiſtere idonei ac parati ſunt. peccata enim & mala exempla, adulterinam monetam; bona verò, bonam monetam nuncupabat.

Alia argumenti ſoluti.

Aliter etiam reſpondetur in particulari de peregrinatione Ieroſolymæ: multò aliter nunc ſe res habet Ieroſolymis quàm D. Hieronymi tempore: tunc enim loca ſancta à fidelibus habitabantur, erant monaſteria multa, & quatuor à ſola S. Paula ædificata, vt docet S. Hieronymus in illius Epitaphio, quædam pro viris, quædam pro Deo ſacratis mulieribus, in quibus tutò poterant habitare & habitabant virgines, omnaque tunc optimè ſecundùm vota ſuccedebant. *In Chriſti villula* (inquiunt Paula & Euſtochium ad Marcellam) *tota ruſticitas, & extra Pſalmos ſilentium eſt, quocumque te verteris, arator ſtiuam tenens Alleluia decantat, ſudans meſſor Pſalmis ſe euocat, & curua attondens vitem falce vinitor aliquid Dauidicum cantat. Hæc ſunt in hac prouincia carmina; hæ, vt vulgò dicitur, amatoriæ cantiones, hic paſtorum ſibilus, hæc*

arma

arma culturæ. Verùm quid agimus, nec quid deceat cogitantes, ſolùm quod cupimus, hoc videmus. At noſtris hiſce calamitoſis temporibus, quod nolumus habemus: exceptis locis ſanctis, nulla remanent ſolatia, ſed vbique perturbationes, vbique tribulationes & pericula, quibus fragilis ſexus non facilè reſiſtere ſolet. Et quid tandem? In medio nationis prauæ habitamus. Quare compertum eſt, non conuenire ſanctorum locorum peregrinationem, noſtris præſertim afflictiſſimis temporibus, omnibus in vniuerſum mulieribus, ſed perfectis ſolùm & ad illam diuinitus vocatis.

CAPVT XXII.

Alterum argumentum contra aſſerta à nobis Capite XVII. *non licere eam peregrinationem Religioſis in clauſtro degentibus & Prælatis, diſſoluitur.*

Licere Monachis peregrinari, probant quidam.

POſtquam D. Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum Monachum de inſtitutione Monachi, ei perſuaſiſſet, vt ſolitudini intentus, vt Monachum decet, de Heroſolymitana peregrinatione nollet eſſe ſollicitus, eò quòd non Heroſolymis fuiſſe, ſed Heroſolymis benè vixiſſe laudandum eſſet, ſed potiùs aliam expectandam eſſe ciuitatem, quam matrem ſanctorum appellet Apoſtolus, in qua ſe mancipatum cum iuſtis lætatur habere, hæc ſubiecit verba: *Neque verò hoc dicens, memetipſum inconſtantiæ redarguo, damnoq; quod facio, vt fruſtrà videar ad exemplum Abraham, & meos & patriam reliquiſſe.* Si D. Hieronymus, Monachus & Monachorum pater, non damnat ſe, quòd relicta Roma Heroſolymam petierit; nec etiam damnandi ſunt Monachi, qui ad exemplum eius, relictis alijs vrbibus, commigrant Heroſolymam. Prætereà idem S. Hieronymus Epiſt. 46. ad Ruſticum Monachum, ipſum hortatur ad perficiendam Heroſolymorum peregrinationem.

Licere item Epiſcopis.

Quòd Epiſcopis expediat peregrinatio, exemplis ſimiliter probant nonnulli. Gaudentius Epiſcopus Brixienſis, inquiunt, peregrinatus eſt Heroſolymam, vt ipſe teſtatur in Sermone de Dedicatione templi. Alexander etiam Epiſcopus in regione Cappadocum priùs, & poſteà Heroſolymorum, peregrinus venit Heroſolymam, vt ſcribit Euſebius lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ c. 9. Idem & alij Epiſcopi, Cardinales & Eccleſiæ Prælati præſtitere; & aſſidue Religioſi, præſertim Franciſcani, eò ſe conferunt, qui tamen non damnari, ſed laudem meteri dicendi ſunt.

Reſponſio ad primum, de Monachis.

Ad priorem obiectionem ex D. Hieronymo dico, ipſum diſſuaſiſſe Paulino profectionem Ieruſalem, eò quòd ille arbitraretur eos ſolos laudandos eſſe qui ibidem fuiſſent, & non poſſe Monachum ad perfectionem pertingere, niſi viſitet loca ſancta, quaſi verò haud æquè benè alibi Dominus honorari poſſit: nam quem totus non capit orbis, non eſt exiguo terræ loco coarctandus, vt ibi adoretur. Poſtquam enim Dominus in carne viſibiliter apparuit, veri adoratores neque Heroſolymis neque in monte Garizim Patrem adorant, quia Dominus ſpiritus eſt, & adoratores eius in ſpiritu & veritate adorare oportet. *Spiritus autem vbi vult ſpirat, & Domini eſt terra & plenitudo eius*, dicit eo loco S. Hieronymus.

In quibus filij tenentur parentes imitari.

Dicis, Patrẽ laudabiliter in rebus honeſtis imitantur filij. Dico & ego, laudabiliter imitari filios patrem in his quæ ipſum vt patrem reſpiciunt, vt in obſeruantia Regulæ ac Regularis diſciplinæ, at non ſemper in omnibus alijs quæ à Deo peculiariter ei conceſſa fuere, & illi, quatenus pater, ſunt acceſſoria. Elias erat ſpiritualis Pater Eliſei, & dux Iſraëlitici populi. vnde illi dicebat Eliſeus: *Pater mi, Pater mi, currus Iſraël, & auriga eius.* An ergo, ſicut ille in curru igneo aſcendit in paradiſum, etiam hic cum populo Iſraëlitico in eodem illum ſequi debet? Minimè verò, quia in eo non fuit præpoſitus vt exemplum ad imitandum. Seraphicus Pater S. Franciſcus aſcendit in ſacrum Aluerniæ montem, vbi accepit in corpore ſuo ſtigmata Saluatoris: an igitur & ſpirituales eius filij eamdem ob cauſam eò ſe conferre debent? Non, ſed in tam peculiari gratia eum admirari & venerari debent, in vitæ verò auſteritate, ſanctitate, Regulæ obſeruantia, & in alijs quæ perfectionem reſpiciunt, poſt aliarum exercitium virtutum, in quibus ſe exercere debent Religioſi, imitari tenentur. Ita dicendũ, Paulinum & alios Monachos debuiſſe imitari D. Hieronymum in obſeruantia regularis diſciplinæ, quam in illo, vt patre, contemplari & ſequi debebant, non verò quòd Ieruſalẽ profectus fuerit: quòd ſi qui in hoc eum imitari vellent, id fieri deberet non à tyronibus, ſed ab ijs, quorum probata iam ſanctitas eſſet. Accedit quod Dei ductu D. Hieronymus adierit loca ſancta, tamquam enim ſibi dictum fuiſſet à Domino, *Cùm vos perſequentur in vna ciuitate, fugite in aliam*, Matth. 10, 23. credidit, adeoque cùm Romæ multas pateretur perſecutiones, ea relicta, abijt Heroſolymam: & propterea dicit ſe cum Abraham ſuos reliquiſſe; hoc eſt, ſicut Abraham à Deo admonitus patriam reliquit, & profectus fuit in Terram ſanctam, ita ego diuinitus inſpiratus eamdem

adij, meis & patria mea relictis. Præterea D. Hieronymus erat in ſtatu perfectionis acquiſitæ, & in ea admodum exercitatus; Paulinus verò in ſtatu acquirendæ, & adoleſcens, qui non facilè diſtractionibus & euagationibus reſiſtere potuiſſet. Denique (alijs omiſſis) D. Hieronymus petijt Ieroſolymam monaſticæ ac ſolitariæ vitæ ſtudio; ſed cùm expertus eſſet, quòd latentem ibi quoque inueniſſet inuidia, & de toto orbe terrarum eò confluerent homines, quod magnæ diſtractionis cauſa potuit eſſe Monachis, incipientibus præſertim; ideò quod in ſe non damnat, in Paulino Monacho adoleſcente non laudat.

Ad ſecundum, de Epiſcopis & Monachis.

Ad alia dicendum, licitè tam Ruſticum quàm Gaudentium peregrinatos fuiſſe, quoniam vouerant, & quia vota Domino exſoluenda ſunt. De Ruſtico patet ex illa diui Hieronymi Epiſtola, vbi ait: *Redde quod præſente Domino ſpopondiſti: incerta eſt vita mortalium, ne antè rapiaris, quàm tuam impleas ſponſionem.* De Gaudentio idem alij arbitrantur. Alexander etiam nonniſi voti cauſa, diuina actus inſpiratione & diſpoſitione (vt euentus poſteà monſtrauit) ſe contulit Ieroſolymam, vt hiſce verbis indicat Euſebius: *Alexander alterius Eccleſiæ* (ab Ieroſolymitana) *Epiſcopus, diuina prouidentia per reuelationem, quæ noctu ipſi ſecundùm quietem apparuiſſet, vt cum Narciſſo* (ingraueſcentis ætatis Epiſcopo Ieroſolymitano) *in miniſterio Eccleſiæ fungendo coniungeretur, accerſitus eſt: vnde Alexander cùm tamquam diuino quodam oraculo ex Cappadocum regione, vbi primùm in Epiſcopatus gradu fuiſſet locatus, Ieroſolymam, tum voti tum locorum viſendorum cauſa contenderet, illius Eccleſiæ Fratres eum excipiunt benigniſſimè, & non amplius domum reuerti permittunt, idq; propter aliam reuelationem ipſis itidem noctu viſam, quæ quidem voce euidentiſſima profuſa, eis, qui erant inter illos ob virtutem ſpectatiſſimi, perſpicuè ſignificauit, vt extra portas ciuitatis egreſſi, eum Epiſcopum admitterent, qui ipſis à Deo antè deſignatus erat. Quo ad hunc modum geſto, Ieroſolymitani communi Epiſcoporum conſenſu, qui finitimas Eccleſias procurabant, neceſſariò illum apud ſe manere coëgerunt.* De Fratribus S. Franciſci proximè binis ſequentibus Capitibus ſpecialem exegeſim ſcribimus.

CAPVT XXIII.

Argumenta, quibus nonnulli probare nituntur, peregrinationem ad loca ſancta, & manſionem in eiſdem, non expedire Franciſcanis Fratribus.

ÆGrè aggredior præſentem difficultatem, quoniam videor in controuerſiam trahere, quod ab omnibus rectè ſentientibus vbique laudatur & approbatur, & de quo ne dubitetur, longa iam conſuetudine omnis occaſio ſublata fuit, nimirum Franciſcanos Fratres licitè, ac laudabiliter meritorieque deſtinari ad locorum ſanctorum cuſtodiam: verumtamen quoniam ipſemet ego audiui & vidi quoſdam, neſcio quo ſpiritu (certè non ſancto) agitatos, qui etſi peregrinationem ad ſancta loca damnare vel improbare non audebant, ne fortè in hæreticorum claſſe haberentur, & pœna eiſdem debita ferirentur, illam tamen non expedire Franciſcanis Fratribus, ſed perniciosam potiùs eis eſſe affirmabant; & alios etiam, qui ob moleſtiam itineris & difficultatem cuſtodiæ ſacrorum locorum, ſecum ſtatuerunt, atque etiam Ordinis noſtri Præſulibus ſuggeſſerunt, vt eamdem cuſtodiam à ſe abdicarent, malentes, quàm momentaneum aliquod incommodum ſuſtinere, ipſam Terram deſiderabilem dimittere, & Seraphicam noſtram Religionem tam eximio theſauro & honore priuare (quem tamen multis ipſa ſibi laboribus & meritis comparauit) eamque mundo vilem & contemptibilem reddere. In quo enim magis gloriari debet ſacratus Minorum Ordo, vnde maior ei accedere poſſet honor, quàm quòd loca ſancta, loca Saluatoris ac Reparatoris noſtri ſacratiſſimis veſtigijs percalcata, & roſeo eius Sanguine conſecrata, eius curæ & cuſtodiæ ſint concredita & demandata? Quàm ſtrenuè pro ſacro Templo & ciuitate ſancta Ieruſalem decertarunt ſancti Machabæi? & quàm amantes Terræ ſanctæ fuerunt veteres Patres, qui tamen non viderunt in ea quæ nos vidimus fidei oculis, ſed ſolùm à longè ea ſalutarunt? & nos ea negligemus? Profectò non hæc fuit mens S.P. Franciſci: de Eccleſia namque ſanctæ Mariæ Angelorum, quæ *Portiuncula* dicitur, dicebat Fratribus ſuis Seraphicus ille Pater: *Videte, ô Terram Filij, ne vnquam hunc locum relinquatis. Si ab vna parte foras pelleremini, per aliam reintrate. Nam locus iſte ſanctus eſt, & habitatio Chriſti & Virginis Matris eius. Hîc, cùm pauci eſſemus, augmentauit Altiſſimus. Hic luce ſapientiæ ſuæ illuminauit animas pauperum*

S. Franciſci circa templum Portiunculæ & ſanctam intentio diindicatur.

rum ſuorum. Hîc igne amoris ſui noſtras voluntates accendit,&c. Si ergo S. Frâciſcus nolebat locum illum vllo modo deſeri à Fratribus ſuis, ſed vt electi ex vna parte, per aliam intrarent, quoniam ſanctus erat, quoniam habitatio Chriſti & B. Virginis; quoniam ibi ſua Religio ſumpſerat augmentum, & ſapientiæ luce fuerat illuminata, igneque charitatis accenſa,&c. quantò magis habitare voluiſſet Fratres ſuos in Terra ſancta, vbi non modò in viſionibus, ſed verè & perſonaliter corporalique præſentia per plures annos Chriſtus, B. Virgo, Apoſtoli aliique innumeri Sancti habitarunt? vbi non ſolùm Franciſcana, ſed tota Chriſtiana religio, initium & incrementum ſumpſit, miraculis & prædicatione propagata fuit (*De Sion* enim *exibit lex,& verbum Domini de Ieruſalem*, Iſa. 2, 3.) vbi denique æterna ſalus noſtra perfecta & conſummata fuit? Atque hæc & alia non Sancti alicuius, ſed Spiritus ſancti teſtimonio credimus. Præſcindantur itaque & abigantur prorſus qui talia vel ſuggerunt vel conſulunt: faceſſant ignaui illi, quibus ad ſancta loca peregrinari diſplicet, & qui pauca pro Chriſto pati detrectant, pro quibus tamen ipſe tam multa & grauia paſſus eſt: relinquant ea piis & honoris Chriſti zelantioribus Religioſis, qui numquam in ſacro Minorum Ordine deerunt, & libentiſſimè & gaudenter propter Dominum, ſpretis omnibus difficultatibus, eorum gubernationem ſuſcipient. Audiamus nihilominus horum quas pro ſua ſententia adducunt rationes, & digna eas caſtigatione muneremus.

Quinque argumenta contraria. Primum. Sic ergo primò argutantur: Opera voluntaria minoris ſunt meriti quàm præcepta, ſecundùm omnes Theologos: at profectio ad Terram ſanctam eſt voluntaria Franciſcanis Fratribus, vt videre eſt in eorum Regula & Bullis Pontificum, quia tantùm mittuntur qui volunt; igitur non tam eſt meritoria, quàm ſunt alia opera quæ ex obedientia ſuorum Prælatorum in aliis Monaſteriis faciunt Religioſi.

Secundum. Secundò: Opera ſpiritualia quæ contemplationem reſpiciunt, in merito & acceptatione excedunt corporalia & quæ actionem; ideò enim Chriſtus Mariæ contemplationem antepoſuit actioni Marthæ: at in illis partibus actioni plurimùm vacandum eſt, vt fatentur qui ad illorum locorum cuſtodiam deſtinati fuerunt; igitur non tantum merebuntur ſicut alij; nec perfectè inſtituto monaſtico ſatisfaciunt, quod in contemplatione magis quàm in actione verſatur.

Tertium. Tertiò: In Religioſis damnatur mentis diſtractio & euagatio: at multa eſt euagatio in peregrinatione, vt ex Ioanne Climaco conſtat, & multò maior in locorum ſanctorum cuſtodia, quia modò huc modò illuc ire oportet prædicandi vel Sacramenta adminiſtrandi gratia, & propter continuos labores & timores; & ob hanc euagationem D. Hieronymus diſſuaſit Paulino Monacho Ieroſolymitanam peregrinationem.

Quartum. Quartò: Qui proficiſcuntur ad illas partes, & præſertim qui in illis commorantur (cùm verſentur inter infideles, & ſubſint iuratiſſimis Chriſtiani nominis hoſtibus) exponunt ſe vitæ & fidei amittendæ periculo, propter infidelium tyrannidem & perſecutionem: ſed id non licet, quia *qui amat periculum, in illo peribit*, Eccle. 3, 27. & multos in tormentis Chriſto renuntiaſſe, ex hiſtoriis nouimus. Quidam ex Pachomij familia (vt vnum ex multis proferamus exemplum) cùm importunis precibus ab eo extorſiſſet, vt in occaſionem quamdam martyrij captandi dimitteretur, miſerè cecidit, & ad monaſterium rediens, damnum illud ingens, quod ex inordinata martyrij cupiditate paſſus fuerat, diſciplinâ Religionis reſarciit. Quàm flebiliter Cyprianus in Sermone de Lapſis multos luget, qui etiam ante aciem victi, & ſine congreſſione proſtrati erant, qui ſcilicet edicto tyranni propoſito, vltrò in forum procurrerant ad renuntiandum Chriſto; & cùm à Magiſtratibus vrgente veſpera differrentur, ipſi tamen inſtiterunt vt eorum impia profeſſio quàm primùm reciperetur. Accedit etiam, quòd martyrium non ſit in noſtra poteſtate, ſed ſit merum donum Dei; neque nos nobis ipſis manus afferre poſſimus, nec alios laceſſere vt ipſi afferant, tum quia id nimiæ eſſet confidentiæ, tum quia, vt ait D. Thomas 2. 2. quæſt. 124. art. 1. alteri occaſio daretur impiè agendi; quod repugnat charitati. Itaque non merendi, ſed potiùs demerendi in hac Ieroſolymitana peregrinatione & manſione in ſanctis locis datur occaſio; & D. Petrus præcepit, ne ambularemus in feruore.

Nonnulli in periculis fidem negarunt.

Martyrium donum Dei eſt. Phil. 1, 29.

Quintum. Quintò: Ob nullum quantumuis honeſtum finem facienda ſunt peccata mortalia; quia, vt inquit ſanctis Apoſtolus, non ſunt facienda mala vt eueniant bona: at multæ Regulæ tranſgreſſiones committuntur quæ ſunt peccata mortalia, vt equitare, pecunias expendere, curam gerere animarum,&c. & multò peiores quidam redierunt quàm abierint; non ergo licet huiuſmodi peregrinatio Franciſcanis Fratribus. Et hæc ſunt vel eſſe poſſunt elanguidorum iſtorum argumenta vel potiùs effugia.

CAPVT XXIV.

Licitam & vtilem esse Franciscanis Fratribus ad loca sancta peregrinationem, & eorumdem gubernationem, asseritur, & argumentis in contrarium adductis respondetur.

VErùm, propter hæc vel huiusmodi argumenta peregrinatio ad loca sancta, eorumdemque custodia Franciscanis Fratribus relinquenda non est. Cùm enim pro Dei honore & proximorum vtilitate assumatur, si quis in ea sit defectus, charitate, quæ multitudinem peccatorum operit, tegitur: & cùm Summus Romanus Pontifex, Christi in terris Vicarius, Pater quidem sit omnium, at Fratrum Minorum nihilominùs specialis, vt dixit Nicolaus III. & Minores ipsi specialem Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ promittant obedientiam, vt dicitur cap. 1. Regulæ ipsorum, tenentur illi præ ceteris obedire in rebus ad diuinum cultum spectantibus. Sed huius generis est locorum sanctorum gubernatio. Perperámne ipse, & ceteri tam Ecclesiastici quàm temporales Ecclesiæ Præsules fecerunt, dum ad id munus præ aliis Monachorum Ordinibus sacrum Minorum delegerunt, an potiùs optimè? Et num Patres nostri, & nos, qui toti Deo consecrati sumus, & obedientes Ecclesiæ filij, male facimus, ex obedientia ad loca sancta peregrinantes, & illa custodientes? Nos, qui nec domum, nec locum, nec aliquam rem possidemus, sed sumus tamquam peregrini & aduenæ in hoc sæculo, ad alias infidelium terras licitè & meritoriè peregrinamur, concurrentibus cautis quæ in Ierosolymitana peregrinatione; & non licebit magno cum merito etiam hanc suscipere quæ ducit ad loca sancta, & est omnium peregrinationum præcipua? Præterea, verum sit Antecedens illud, non licere aliis Monachis, &c. quæ consecutio, Ergo nec Franciscanis? An eadem est de aliis & de istis ratio? Aliisne, sicut nobis, est sanctorum locorum commissa cura? Eamdémne nobiscum Regulam profitentur? Quid plura? Vsque adeò Fratribus nostris ad sancta loca Ierosolymorum peregrinari, & in eisdem commorari, licere existimarunt Summi Pontifices, vt Indulgentias illis & priuilegia concesserint, quò eos ad libenter assumendam illam peregrinationem, & in locis sanctis vsque in finem vitæ habitandum allicerent, quemadmodum suprà Libro 11. in priuilegiis Pontificum locis & Fratribus Terræ sanctæ concessis dictum fuit. Sed age illorum argumentis respondeamus.

De Verborum signific. c. Exit. §. Ad hæc.

Licitè Minorita peregrinantur ad Terram sanctam, & eiusdem curam habent.

Ad primum, quod ex defectu meriti desumptũ erat, respondeo tripliciter. Primò, explicando maiorem, quæ absolutè & in omnibus non est vera, in illis præsertim vbi omnia non sunt paria, vt in facto nostro arbitramur. Dico igitur, opera nostra dupliciter differre; quædam enim præcepta sunt diuino mandato, quædam saltem diuino consilio proposita, quæ & supererogationis dicuntur: & hæc adhuc distingui possunt in ea quæ magnæ sunt excellentiæ & arduitatis, & ea quæ non item. Item dico, in operibus consilij & supererogationis excellentibus maius est meritum quàm in præceptis, non quia cadunt sub consilio, sed propter operis excellentiam & arduitatem. Meliùs siquidem facit virgo seipsam conseruando castam mente & corpore, vt Christus & Apostolus consulunt, quàm nupta reddendo debitum viro suo ad quod ex præcepto tenetur, quia sui corporis potestatem non habet, sed vir, vt dixit idem Apostolus: & ipsi coniuges meliùs faciunt, de consensu abstinendo, quàm officio coniugali vacando; continentia enim meriti est amplioris; & reddere debitum coniugi, nullius est criminis, inquit D. Augustinus libro de Bono coniug. cap. 7. quoniam hîc non omnia sunt paria, cùm cælibatus vel virginitatis status, & continentia coniugalis, præferantur nuptiis & officio coniugali, quæ sunt obseruatu difficiliora, non enim omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est; quare nec præcipiuntur. Vbi tamen cetera sunt paria, opus præceptum præfertur consilio. Exemplo coniugatorum idipsum explicemus. Coniuges ex præcepto tenentur ad reddendum debitum, abstinere verò eis consulitur, vt vacent orationi. Ceterùm si alter coniugum petat debitum, alter meliùs faciet reddendo, quàm non reddendo, quia illud præceptum, hoc consilium. Vel clariùs: Magis meretur quis ieiunando ieiunium præceptum ab Ecclesia, quàm voluntarie obseruando alterum non præceptum. Ad propositum. Etsi ex præcepto non pendeat maioritas meriti in Ierosolymitana peregrinatione, pendet tamen ab operis arduitate & excellentia, quæ ob alias circumstantias illam concomitantes (de quibus in præcedentibus) plurimùm crescit.

Responsio ad argumenta.

Ad primum.

Opera alia necessaria, alia supererogationis.

Opera excellentia non præcepta, magis meriti.

Secundò respondeo ad minorem, profectionem ad Terram sanctam non esse explicitè & in particulari præceptam, benè tamen implicitè & in communi, id est Ordini Minorum: implicitè quidem, quoniam cùm Fratres vi Regulæ Minorum in solemni

Peregrinatio locorum sanctorum quomodo præcepta Minoritis.

Digitized by Google

ni profeſſione ſua promittant obedientiam & reuerentiam Domino Papæ & Eccleſiæ Romanæ, & Pontifex & Eccleſia Romana ductu Spiritus ſancti eorum Ordini tradiderit locorum ſanctorum gubernationem, illò proficiſci tenentur. Arbitror ergo, in genere tantùmodò, non in ſpecie eam peregrinationem præceptam fuiſſe, propter operis arduitatem, & puſillorum ſcandalum, & quia non omnes ſunt idonei; qui verò ſint nouit ſolus Dominus qui illuminat, tum quia ad omnium ſalutem eſt noſter Ordo inſtitutus, fidelium & infidelium; tum quia de Fratrum ad terras infidelium mittendorum conditione fit mentio in Regula; at non facta fuiſſet, niſi mittendi eſſent. Et ſanè ea fuit S. Franciſci intentio; quare & ipſemet iuit, & alios ad infidelium oras miſit, vt illos Chriſto lucrifaceret.

Scio Antonium Cordubam in cap. 12. quæſt. 1. Polit. ibidem n. 3. & cap. 1. n. 16. cum aliis aſſerere, non eſſe præceptum, ſed conſilium „informationem illam & prædictionem propheticam ſancti Patris, eò quòd Clemens V. non computauerit inter obligatoria æquipollentia, quemadmodum alia poſuit; quorum ſententiæ libenter ſubſcribimus: nihilominùs, qui præceptum eſſe aſſereret, fortaſſe à veritate non aberraret, poſſetque rationi in oppoſitum reſpondere, Clementem ideò inter obligatoria illud non poſuiſſe, quia tantùm explicitè & non implicitè poſita in Regula recenſuit. Itaque ſi præceptum placet dicere, eius erit generis, quale illud Domini de multiplicatione datum primis parentibus, *Creſcite, & multiplicamini*, Gen. 1, 28. quod, vt inquit D. Thomas 2. 2. quæſt. 152. art. 2. ad 1. datum eſt multitudini, non cuilibet de multitudine; & ad eius obſeruantiam ſufficit, vt ab aliquo de multitudine obſeruetur. Similiter in Regula noſtra ſunt plura, quæ cuilibet profeſſorum præcipiuntur, vt tria eſſentialia vota, & alia; ſed & quædam ſunt quæ Ordini in ſe præcipiuntur, vt quòd petat à Papa vnum de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit gubernator, protector & corrector iſtius Fraternitatis; quòd in Pentecoſte in Capitulo Generali eligatur Miniſter Generalis: &, vt optimè Regulæ expoſitores interpretantur, ad horum obſeruationem non quilibet, ſed quidam ex Fratribus tantùm tenentur; qui ſi id faciunt, ea obſeruantur præcepta. Ita dicerem de miſſione Fratrum ad loca infidelium, eſſe eam præceptũ huius poſterioris Ordinis, quod obſeruatur quando aliqui mittuntur. At hæc potiùs per modũ diſcurſus quàm determinatè à me dicta ſunto.

Præceptum de multiplicando hominibus datum quale.

Tertiò dicatur, etſi huiuſmodi peregrinatio non ſit præcepta, ſed omnino voluntaria, vt Cap. xxvii. huius Libri dicemus, non diminuitur tamen meritum operum quæ in ipſa à Religioſis exercentur, quia fiũt ex obedientia: tenentur enim illi Prælatis ſuis obedire in omnibus quæ contra animam & Regulam non ſunt, & æquè dum hæc eis peregrinatio iniungitur, quàm dum aliæ. Ingreſſus in Religionem non eſt præceptus, ſed liber: ſi tamen quis liberè Religionem ingreſſus fuerit, tenetur poſteà ex præcepto ad eius Regulam, & ſi probè obſeruauerit, præmium obſeruantiæ operis præcepti debitum ei datur. Ita propter opera in peregrinatione & cuſtodia locorum ſanctorum, præmium operi præcepto debitum dabitur Fratri Minori, qui tamen ſimul & conſilij præmium conſequetur.

Ad ſecundum, concedo maiorem, quæ vera eſt, ceteris paribus. Poteſt tamen aliquando contingere opus exterius & corporale, ex perfectiori intentione & maioris neceſſitatis tempore factum, anteponi interiori & ſpirituali: exempli gratia, melius eſt in neceſſitate cõſtituto ſubuenire, quàm Deum orare, eique ſacrificia offerre. Ideò Chriſtus Dominus, qui Magdalenæ contemplationem prætulit actioni Marthæ, aliquando tamen Samaritanum, qui corporale opus operatus eſt, ſubuenendo tempore neceſſitatis illi qui in latrones inciderat, & ab illis vulneratus fuerat, antepoſuit Leuitæ & Sacerdoti, qui illo relicto, orationi & Templi miniſterio vacabant. Quin grauiter increpauit Scribas & Phariſæos, qui ideò prohibebant filios auxilium dare parentibus in neceſſitate conſtitutis, vt Dominum ſuis opibus honorarent, eique ſacrificia offerrent: quia licet tam cultus diuinus quàm honor parentum, imò magis ille quàm iſte fuerit à Domino præceptus; tamen parentibus in neceſſitate exiſtentibus, & externo opere indigentibus, præcipuè ſubueniendum eſt, Deo ipſo prætermiſſo, ſi, dum externo operi incumbimus propter Deum in parentum neceſſarium ſubſidium, Deum tunc relinqui dicere conueniat.

Vtilius in caſu pro actione contemplatio dimittitur.

Cùm quodam die S. Franciſcus ob nimios dolores infirmitatum ſuarum quieſcere non poſſet, videretque Fratres ideò plurimùm diſtrahi & defatigari, magis diligens animas Fratrum ſuorum quàm corpus proprium, timebat ne fortè ex moleſtiis, quas occaſione ipſius ſubibant, in impatientiam aliquam aut Dei offenſam ruerent. Dixit itaque eis magno pietatis affectu: Chariſſimi Fratres & filioli mei, non vos tædeat has ſubire moleſtias propter me, quoniam Dominus pro ſeruulo ſuo repen-

S. Franciſcus conſolatur ſibi ſeruientes.

det vobis mercedem laborum veſtrorum, & in hoc ſæculo & in futuro. Etſi enim per impedimenta infirmitatis meæ vobis ipſis operari non valetis, credite vos hoc modo ampliùs lucrari, quàm ſi vobis laboraretis: quia qui adiuuat me, adiuuat totam Religionem, & vitam Fratrum. Dico etiam vobis, pro expenſis quas mea occaſione facitis, Dominus erit debitor veſter. Hæc dicebat ſanctus Pater, erigere volens ſpiritus eorum, timens ne propter moleſtias illas inter ſe murmurarent, dicentes, ſe non poſſe orare, vel exercitijs alijs intendere; ſicque per tædium & impatientiam amitterent magnum fructum exigui laboris ſui. Sic refert Speculum 1. Parte cap. 99. & VVadingus Tomo 1. Annalium Minorum anno Chriſti 1226. num. 19. Si igitur ex mente S. Franciſci plus lucrabantur Fratres illi inſeruiendo, proprijs deuotionibus ad tempus omiſſis, quàm ſi eiſdem attendiſſent, quoniam in eo totum tuuabant Ordinem; vtique Fratres qui ſeruiunt in Terra ſancta prout cuique conuenit, plus merebuntur, quàm ſi ſuis voluntarijs ſpiritualibus exercitijs vacarent; quoniam hoc pacto in Terra ſancta Catholica Eccleſia & Chriſtianus cultus conſeruatur.

Si tamen exceſſus eſſet in actione, ita vt plus æquo in ea ſe exerceret quis quàm opus eſſet, omittendo contemplationem, & opus Deum immediatè reſpiciens, tunc veritatem haberet quod in argumento aſſumitur; at hoc non contingit neceſſariò in euntibus ad Terram ſanctam, & in eadem manentibus, & abuſus eſſet, à quo non eſt argumentandum. Vnde Chriſtus non reprehendit Martham, nec ei contemplationi vacantem Mariam antepoſuit, propter ipſum opus, ſed quia nimiùm erat ſollicita, & circa plurima turbabatur, cùm vnum eſſet neceſſarium, id eſt, vt quidam interpretantur, vnum ferculum ſufficeret, quod ſine tanta diſtractione potuiſſet ad manus haberi. Quod Maria aduertens, ſecus pedes Domini audiebat verbum illius, & ratione contemplationis fuit Marthæ præpoſita; at non fuiſſet, ſi charitatis oblita, tantùm auditioni verbi Domini attendiſſet, quia tunc illud fuiſſet præceptum: & certum eſt, quòd etiamſi quis nouerit myſteria omnia, & charitatem non habeat, nihil id ſit profuturum, vt docet ſanctus Paulus.

Quare Chriſtus Martham reprehendit.

Quod aſſumitur in Minori argumenti propoſitione, plus in illis Terræ ſanctæ partibus actioni quàm contemplationi attendi, non videtur omnino verum: ſunt enim hic, ſicut & in alijs Conuentibus Religionis noſtræ per orbem Chriſtianum, munia & officia diſtributa, ita vt modò actioni, modò contemplationi, modò vtrique attendant Fratres, vt in noſtra præcipitur Regula. Si dicatur, Oportet varia itinera cõficere, tum propter gubernationem locorũ ſanctorum, tum propter regimen animarum, tum & ad prædicandum Dei verbum; dico, quòd & in alijs Chriſtianitatis regionibus itinerandum ſit. Accedit, quòd ſi hic quidam Fratres plus actioni attendere videantur (quia ipſi omnia præſtare debent quæ ad vſum Conuentus ſunt neceſſaria, vt purgare triticum, molere, pinſere & coquere panem, & alia) alibi maior contingat in conquirendis eleëmoſynis actio & euagatio, quod non fit in his partibus, vbi eleëmoſynæ, alijs in regionibus collectæ, atque illuc miſſæ, ſolùm diſpenſantur; atque ſic compenſatur tempus quo vacare licet contemplationi, & quæ per piam meditationem, Spiritu ſancto intus operante, inſpirantur, alijs tradere, vt faciunt Concionatores. Et numquid Prælati, actioni ſimul & contemplationi attendentes, plus merentur quàm ſi ſoli attenderent contemplationi? Sanè ſecundùm doctrinam D. Thomę 2. 2. q. 188. art. 6. ea Religio quæ ad prædicandum verbum Dei inſtituta eſt, alijs, quæ eiuſmodi non ſunt, præferenda eſt, eò quòd attingat contemplationis ſupremum gradum, qui eſt, ea quæ per contemplationem quis didicit, alijs tradere, cuius ratione propiùs Apoſtolorum ſtatui accedit. Qui igitur in iſtis partibus prædicationi operam dant, magis, quàm ſi otio contemplationis attenderent, merebuntur. An non ſancti Chriſti Apoſtoli, quoniam iuerunt in vniuerſum mundum ad prædicandum Euangelium, facti Eccleſiæ Paſtores & Principes, anteponuntur ceteris Prophetis & Anachoretis ſoli contemplationi vacantibus? Lege quæ ſuperiùs Capp. X. XI. & XII. notauimus ad huius doctrinæ maiorem explicationem.

Religio ad prædicandum inſtituta primas tenet.

Dicant mihi etiam iſti, qui tantopere de contemplatione contendunt, an ipſi pares ſint Angelis Dei, vel alios omnes eiuſmodi eſſe æſtiment, vt ſemper eſſe poſſint actu in Dominum eleuati? An non habemus corruptibile corpus quod aggrauat animam, & deprimit ſenſum multa cogitantẽ? Vel num iſtiuſmodi contemplatores numquam comedunt aut bibunt? An nõ habent è ſuis qui parent cibos? &c. Nec mens fuit S. Franciſci, vt filij ſui continuè contemplationi attenderent; quoniam probè nouit id in hac mortali vita fieri non poſſe; ſed vt modò actioni modò contemplationi incumberent, adeò vt qui contemplationi per aliquod tempus attenderunt, ad actionem redirent, & qui actioni, ad contemplationem reuerterentur.

Ex

Ex his patet, quid ad tertium dicendum ſit: quibus addimus, ſi argumentum illud aliquid concludat, concludere contra eos quorum inſtitutum ſolam reſpicit contemplationem; non contra nos, qui etiam actionem amplectimur. Et quamuis aliqua accideret diuagatio in gubernatione locorum ſanctorum, non exinde minuitur meritum, tum quia aliunde compenſatur, obedientiâ nimirum quam Romano Pontifici præſtamus, qui vult loca ſancta à Franciſcanis Fratribus gubernari, & alijs plurimis pietatis operibus; tum quia propter loca ſancta omnia alia videntur poſtponenda; tum deniq; quia *melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens*, vt dicitur in Eccleſiaſtico 42, 14. hoc eſt, vt docet D. Bernardus Serm. 13. in Cantica, meliores ſunt illi qui in actiuæ vitæ procellis verſantur (vt ſunt Epiſcopi, Prælati, & ceteri) quàm illi qui reſides toti vacant Rachelis amplexibus: quòd ſi illi ſuum munus implere non poſſunt abſque aliqua iniquitate, id eſt, abſque quadam inæqualitate vitæ atque conuerſationis ſuæ, memento, inquit S. Bernardus, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Paulinus verò ille, cui D. Hieronymus diſſuaſit peregrinationem, erat alterius inſtituti quàm nos ſumus, & ad hoc quid dicendum ſit, patet Capite ſuperiori. Sed (vt verum fatear) qui hîc multum conantur obſtrepere, perſimiles mihi videntur frementibus illis diſcipulis, qui bono operi à Maria Magdalena in Chriſti obſequium præſtito detraxerunt, dicentes: *Vt quid perditio hæc? potuit enim iſtud vnguentum venumdari multo, & dari pauperibus*, Matth. 26, 9. Quibus reſpondit Chriſtus: *Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me: nam ſemper pauperes habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum ad ſepeliendum me fecit*, verſ. 10. 11. 12. Ita illi videntur damnare opus Fratrum quod præſtatur in obſequium Sepulchri Chriſti Domini, eò quòd perperàm arbitrentur, melius eſſe externum, etiam opus bonum, relinquere, & ſe internis occupare. Quibus tamen dici poteſt, Fratres illos bene facere, eò quòd circa ea loca occupentur, quæ Chriſtus Ieſus ſacratiſſimi corporis ſui veſtigijs conſecrare dignatus eſt, nec defuturos tum in noſtra tum in alijs Religionibus viros, qui alibi ſe in omni virtutum genere occupent. Vnum tamen quæro, num diſtractio vitioſa vocanda eſt ea operatio quæ Chriſtum reſpicit, an magis virtuoſa? an nos, qui velut operarij in Dominicam meſſem vocati ſumus, ſolùm otio contemplationis vacabimus? An minùs meruiſſe dicendus eſt Ioannes Baptiſta, quando ad vocem Domini egreſſus ex antris deſerti, venit ad Iordanem prædicans & baptizans, quàm quando in eiſdem deliteſcens, orationi & contemplationi deditus erat? Idem de Apoſtolis & alijs Euangelicis viris dicendum. Et ſanè diuina reuelatio certiorem fecit S. Franciſcum, ſe & ſuum Ordinem non pro ſe ſolo, ſed pro aliorum vtilitate fuiſſe inſtitutum; non vt perpetuò in nemoribus & clauſtris contemplationi attenderẽt Fratres, ſed vt foras prodirent ad excolendam vineam Domini, vnde maior reſultaret prouentus; quoniam proprio & priuato commodo, commune meritò ab omnibus anteponitur.

Diuagatio obedientia compenſatur, & charitatis operibus.

Ad quartum dico, incerto & vano quodam impetu martyrio ſe offerre, non ſolùm temerarium, ſed & damnabile eſſe, eò quòd (hîc nimirum militat ea aduerſariorum argutatio) martyrium non ſit in noſtra poteſtate, ſed merum donum Dei; ſed interno Spiritus ſancti ductu, atque eiuſdem inſpiratione ea eligere è quibus martyrium ſequi poſſet, non eſt temerarium aut vituperabile, ſed laudabile & meritorium, qualia ſunt, ire (ſicut agnos inter lupos) ad terras infidelium pro Dei verbo diſſeminando, ire ad ſolatium fidelium inter infideles habitantium, ire ad loca ſancta cuſtodiendum, &c. vbi ſi Deo placeret eos martyrij corona donare, pergratum illis foret: neque ſic faciendo, ambulant in proprio, ſed Spiritus ſancti feruore. Quare non damnatur S. Franciſcus, S. Antonius, & alij, qui martyrij deſiderio petrexerunt ad terras infidelium, ſed plurimùm eorum feruor & zelus ab Eccleſia laudatur. Iam ſi ob periculum renuntiandi Chriſto non expedit ire ad terras infidelium, quomodo prædicabitur Euangelium omni creaturæ? quomodo fiet vnum ouile & vnus paſtor? quomodo ſemper mittet Chriſtus agnos inter lupos? Illis ergo qui idonei iudicantur, vt eum ob finem ad infidelium partes proficiſcantur, tamquam pro heroico actu Paulus V. Pont. Max. bis plenarias peccatorum ſuorum indulgentias conceſſit, ſemel, quando è Conuentibus ſuis egrediuntur, iterùm, quando iam ad partes infidelium peruenerunt, vt annotauit quidam Regulæ S. Franciſci expoſitor in caput illius vltimum. Nec enim (ſciant hoc aduerſarij) promiſcuè quilibet ad hoc opus deſtinatur, ſed ij ſolùm, de quorum in fide conſtantia (diuina præſertim gratia adiutante) non dubitatur. Quòd ſi aliquando contingat aliquem ex illis à fide deficere (quod Dominus auertat) vel ob nimia tormenta, vel alias ob cauſas; vilius profectò & turpius alibi deficiunt nonnulli

Quomodo licet eligere media vnde poſſit ſequi martyriũ.

nulli à charitate & fide. Et sanè, quòd aliquis aliquando in illis vel aliis partibus fidei renuntiarit, contigisse potuit, non enim facio sacrum Minorum Ordinem totâ Ecclesiâ perfectiorem, à qua tamen multi, etiam quos constantissimos quis credidisset, apostatarunt: plures verò è nostris vice versa propter Christum martyrio fuisse coronatos, optimè noui. Ideò verò opus tam bonum prætermittendũ non est, quòd ex ipso contingenter aliquod malum sequi possit: sicut nec ideò omittit agricola seminare semen bonum, quòd simul vel paleam vel zizania certò habiturum se cognoscat.

Quintum, quod simplicioribus videtur esse maximi ponderis, nullo negotio soluitur. Transgressiones ipsius Regulæ nullatenus probamus aut permittimus; dispensationes verò Pontificias, ob maius bonum, vtiles quandoque & necessarias esse iudicamus, in his quæ rigorem Regulæ concernunt: nec qui illis vtuntur, transgressores Regulæ dicendi sunt, modò alia Regulæ instituta obseruent. Quare Hugo in cap. 2. Reg. Minor. dixit optimè: *Vbi cogit necessitas, non minùs calceatus quàm discalceatus seruat Regulam. Quidam in niue & glacie sine calceis perdurantes, grauia incurrunt incommoda. Melius est beneficium Regulæ cum humilitate recipere, quàm periculum ex superstitione incurrere.* Hæc ille. Ita in nostro ego casu repono illis, qui dicunt, non esse facienda mala vt eueniant bona. Quænam verò sunt ista, quæ ipsi sibi somniant, mala? Numquid non tota Regula nostra est in manu Pontificis? numquid nos illius sumus subditi? Quare, quæso, non liceat meritoriè vti, quæ, vt melius, commodiùs & fructuosiùs in locis illis sanctissimis deseruiremus, ab eodẽ ad eorumdem custodiam & gubernationem necessaria esse iudicata, ideoque maturo consilio & benignissimâ prouidentiâ indulta atque concessa sunt? An non finis præcepti charitas? & quæ maior charitas, quàm gubernare loca sancta, & frangere esurientibus panem verbi Dei & Sacramentorũ, paruulis præsertim, quibus nõ suppetit qui frangat & porrigat? Quare si quæ inueniantur præcepta quæ impediant charitatem, non sunt obseruanda. Recursus ad pecuniã interdicitur quidem Fratribus Minoribus, dispensantur tamen, vbi vrget charitas pro infirmis curandis, vel vestiendis Fratribus, & similibus.

Hoc confirmatur eleganter ex D. Bernardo in Tractatu de Præcepto & dispensatione, post principium. *Porrò* (inquit) *inuenta atque instituta fuerunt* (scilicet Regulæ & statuta) *non quia aliter viuere non liceret, sed quòd ita magis expediret, nec planè ad aliud quàm ad lucrum & custodiam charitatis. Quamdiu ergo charitati militant, immobiliter fixa sunt, mutariq; omnino ne ab ipsis quidem præpositis sine offensa possunt; at si è contrario, contraria forte aliquando charitati visa fuerint, his dumtaxat quibus hoc posse videre datum est, & prouidere creditum est: nónne iustissimum esse liquet, vt quæ pro charitate inuenta fuerunt, pro charitate quoque, vbi expedire videtur, vel omittantur vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur? sicut è regione iniquum proculdubio foret, si statuta pro sola charitate contra charitatem tenerentur.*

Notanda D. Bernardi sententia.

Respondent quidam D. Bernardi auctoritati, statuta quæ ordinata sunt pro charitate, si eidem aduersari videantur, dispensanda quidem esse, sed non in eo qui ad ea tenetur sub culpa lethali; ideoque numquam licere Fratri Minori de Obseruantia pecuniam recipere vt subleuet pauperes in magna inopia constitutos. Confirmant hoc exemplo S. Patris nostri Francisci, de quo prima Parte Chronicorum Ordinis lib. 1. cap. 32. hunc in sensum legitur: Cùm sanctus vir in Apulia prope Barium pertransiret, in medio viæ vidit magnam crumenam, quæ plena pecuniis videbatur. Socius illius, succensus zelo pietatis vt pauperibus subueniret, eum sollicitabat, vt sibi concederet facultatem eam tollendi, vt nummos pauperibus dispensaret. Renuit Sanctus, nec illius precibus, quamuis importunis, acquiescebat. Socio tamen (quem diaboli fraus vrgebat) nimis importunè vt illam accipere posset, instante, annuit tandem Sanctus, vt diaboli fallacia detegeretur. Quare vnà cum quodam iuuene occurrente, ad locum bursæ iacentis reuersi sunt: vbi postquam vir Dei aliquamdiu orasset, dixit tandẽ socio vt bursam tolleret. At ille veritus latentem dæmonis fallaciam, non audebat illi appropinquare, sed iam facti pœnitens, cum obedientia potiùs quàm propria ex voluntate illam voluisset apprehendere; & ecce ex illa prodit ingens vipera, quæ simul cum bursa disparuit: & Sanctus ad Fratrem illum, veniam indiscreti sui zeli & nimiæ importunitatis petentem dixit, seruis Dei pecuniam aliud non esse quàm dæmones & serpentes venenosos; ideò ab illa omnino cauendum esse.

Quorundam explicatio.

Verùm nec responsio, nec responsionis confirmatio, nostræ officit sententiæ. Non responsio; quia dispensatio præcepti vel statuti numquam fit nisi pro illis qui ad eius obseruantiam tenentur; & qui illi non subsunt, non indigent Prælati dispensatione. Et quidem negamus omnino, in casu necessitatis non licere Franciscano Fratri pecuniã

Confutatio.

cuniâ ſubuenire pauperi extrema inopia laboranti, præſertim ſi alia non ſuppetat via, cùm tali in caſu pauperi ſubuenire, ſit mandatum lege diuina: *mandauit* enim Deus *vnicuique de proximo ſuo*, vt dicitur in Eccleſiaſtico cap. 17, 12. at recipere pecuniam vt in pauperes vel egentes diſtribuatur, non ſolùm Minoritarum Regulâ, ſed nec vlla (vt in primo libro diximus) lege politiua prohibetur, cùm Frater Minorita ex pecuniæ diſpenſatione eius non fiat dominus. Non reſponſionis confirmatio, aut exemplum S. Franciſci, Primò, quoniam ille non prohibuit Fratrem tollere pecuniam in pauperes diſtribuendam, tamquam rem prohibitam in Regula, cùm de hoc Fratrem nec monuerit nec reprehenderit, neque etiam veriſimile ſit, Fratrem illum voluiſſe Regulam ſuam tranſgredi, & ſalutem animæ ſuæ periculo exponere pro alterius ſubuentione corporali: ſed ideò illum redarguit, quòd ex alienis vellet pauperum inopiam ſubleuare, quod non licet. Deus enim in paupere eſt de propria ſubſtantia honorandus, vt faciebat ille; qui iam ad Deum conuerſus, Chriſto dicebat: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus*, Luc. 19, 8. *bonorum meorum* dixit, non alienorum.

De ſuo pauperi ſubueniendum.

Vel ſecundò illud forte fecit ad euitandum ſcandalum quod oriri potuiſſet, & quia Spiritus ſancti lumine illuſtratus nouerat diabolicam fallaciam, & Fratrem curioſitate potiùs quàm zelo actum licentiam petere; & quia pro pauperum ſubuentione alij non deerant fideles, qui illorum inopiæ abſque ſcandalo & cum merito conſuluiſſent. Accedit denique, quòd ſanctus Pater illo facto voluerit oſtendere, in exordio præſertim Ordinis ſui, quantum cauere deberent Fratres à recurſu ad pecuniam, quem tamen non interdixit prorſus, ſed conceſſit pro infirmis ſubueniendis, pauperibus Fratribus induendis, & ſimilibus caſibus, vt patet ex eius Regula, & Pontificum aliorumque Doctorum interpretationibus. Vt igitur concludamus, non erit alienum à Regula Minoritarum, & mente ſancti Patris noſtri Franciſci, ſi Fratres in partibus illis in fidelium vtantur pecunia, eamque adminiſtrent, Pontificum priuilegiis vel ipſa lege naturali freti, vt ea exequantur, quibus charitas & Dei cultus conſeruatur & augetur. Et vbi, quæſo, eſt tranſgreſſio aliqua? nónne æque in illis partibus, ſicut in aliis, ad tria eſſentialia vota tenentur Religioſi? nónne in itinere & in termino viuunt ſub obedientia Prælati? Quòd ſi ob defectum fidelium miniſtrorum aliqui ex Fratribus pecuniam pertractent, faciunt id nomine Pontificis, qui ſupremus bonorum Eccleſiaſticorũ dominus eſt, & ſicut in aliis partibus procuratores ſuos ſæculares inſtituit, quia poteſt commodè, ita in iſtis ad idem munus vtitur Fratribus, quia idonei non inueniuntur ſæculares, præſertim Ieroſolymis: in aliis tamen locis Ieroſolymæ ſubiectis ſyndici Apoſtolici ſæculares ſunt, vt Cairi, Aleppi, & alibi. Quod dicitur ibi eſſe pericula, gratis dicitur. vbi enim ea non ſunt? & facile crediderim maiora eſſe alibi, vt euentus oſtendunt. Dixit quidam vir pius & doctus de ſtrictiori Obſeruantia, tutiùs poſſe in Terra ſancta viuere Fratres Minores quàm in aliis partibus, conſideratis his quæ in iſtis & in aliis partibus contingunt.

Minorita multum à contrectatione pecuniæ cauere debent.

Quod poſtremò obiicitur, plures peiores redire quàm abierint, hoc facilè admitto; dico tamen id fieri per accidens, quia iſtiuſmodi nec vere boni fuerunt, quales eſſe debebant, dum eò proficiſcerentur; loca verò ſancta neminem ex ſe conuertunt, vel meliorem reddunt, vel in gratia confirmant aliquem. Certum eſt alioquin, quàm plurimos meliores inde rediiſſe, quàm ante profectionem fuerint. Recole quæ diximus ſuprà Cap. XVI. Fructu 8. peregrinationis Ieroſolymitanæ. Denique, ab abuſibus non eſt capiendum argumentum, alioquin omne exercitium, omnis ſtatus, omnis hominum conditio abſolute damnanda eſſent, quia vbique defectus committuntur. Lege quæ ſuprà primo Libro cap. LXVII. & aliis quatuor ſequentibus diximus pro hac materia.

Alterius argumenti ſolutio.

Vtinam ego, qui aliquando admiſſus fui ad felicitſſimam illam regionem, ad locum habitationis Chriſti, ad dilecta tabernacula Domini virtutum, iterùm ad illa admittar, quæ ingemiſcens concupiſco, & ex illis proficiſcar ad alia quæ præparauit Deus diligentibus ſe, illis inquam qui talenta accepta fideliter diſpenſarunt, & domum ſuam cuſtodierunt! Vtinam nunc eſſem ibi cum Fratribus meis, variis tribulationibus afflictis, vt & eorum conſolationis particeps fierem! *Quis mihi tribuat videre vos, meq; pariter in montibus paſci* (vt verbis vtar melliflui Bernardi) *vnà cum illis nonaginta nouem quæ illic relicta leguntur, cùm paſtor illarum dignanter ad vnam deſcendit, qua erranerat?* Serm. 33. in Cantica. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea*, Pſalm. 119, 5. *Indica mihi* Domine, vel deduc me *vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum*, Cant. 1, 6. Deduc me Domine in locum paſcuæ ſimul & pacis, ſed quietis,

quietis, ſed ſaturitatis, ſed exultationis, ſed admirationis, ſed ſtuporis. Me miſerum, adhuc longè agentem, & eminus ſaltem ſalutantem! En ipſa eius recordatio ad lacrymas me vocat, iuxta affectionem planè & vocem eorum, qui dicebant: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, cùm recordaremur Sion*, Pſalm. 136, 1. Libet exclamare cum ſponſa pariter & cum Propheta: *Lauda Deum tuum Sion, quoniam confortauit ſeras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te*, Pſalm. 147, 12. Quis non illic vehementer cupiat paſci, & propter pacem, & propter adipem, & propter ſatietatem? *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*, Pſalm. 25, 8. Ideò *vnam petij à te, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, & viſitem templum eius*, Pſalm. 26, 4. *Elegi* enim *abiectus eſſe* ad limen domus tuæ, *quàm habitare in tabernaculis peccatorum*, Pſalm. 83, 11. Feſtinemus, fratres, feſtinemus ad locum tutiorem, ad paſtum ſuauiorem, ad vberiorem & fertiliorem agrum: feſtinemus, vt habitemus ſine metu, abundemus ſine defectu, epulemur ſine faſtidio; vt denique in monte illo pingui & coagulato, vbi Dominus exercituum fecit omnibus conuiuium grande, & ipſe conuiuantibus miniſtrat, omnibus benedictionibus repleamur.

Admonitio. Antequam huic Capiti finem imponam, placet exhortari eos qui proficiſcuntur ad Terram ſanctam, præſertim pro illius cuſtodia, ne admodum angantur aut ſolliciti ſint de reditu ad propria, neſcio quæ vana & inania ſibi perſuadentes: nam & periculis animæ & corporis ſe exponent, & quod ex reditu ſperabant non aſſequentur, & iterùm redire ad loca ſancta (quod vehementiùs optabunt) non concedetur, vt ego iam expertus cum aliis affirmare poſſum. Quare, vt verbis vtar Ioannis Climaci Gradu 3. *neque hîc fallaciæ furum modus te velim lateat. Suggerunt plerumque nobis, vt à ſæcularibus non ſeparemur, mercedem inde maximam nos conſecuturos aſſerentes, ſi videntes feminas, nos ipſos contineamus, ac reluctando concupiſcentiam ſuperemus. Cùm annos aliquot remoti à patria egerimus, parumq; Religionis aliquid vel compunctionis vel continentiæ nobis ipſis acquiſierimus, tunc iam cogitationes vanitatis acriùs incumbunt. Vtq; iam reuertamur in patriam importunè ſuggerunt ad ædificationem, formamq; & vtilitatem plurimorum, qui actus noſtros & opera illicita nouerunt. Quòd ſi quam docendi facultatem aut tenuem ſcientiam fuerimus adepti, tunc iam, vt animarum ſeruatores & magiſtros ad ſæculum redire perſuadent, vt quæ in portu benè aggregata ſunt, peſſimè in pelago diſpergant. Non vxorem Lot, ſed ipſum imitari ſtudeamus. Anima quippe, quæ illuc vnde exierat conuerſa fuerit, vt ſal infatuabitur, iamq; immobilis manebit. Fuge Aegyptum, atque ita fuge, vt numquam illuc reuertaris. Corda enim quæ illuc reuerſa ſunt, pacatiſſimam quietiſſimamq; Terram Ieruſalem non aſpexerunt.* Addit verò: *Illicitum tamen non eſt, vt hi, qui in initio conuerſionis, ob tuendam ſpiritualem infantiam ſuam, omnia patriamq; reliquerunt, cùm perfectè purgati fuerunt, ad eam vtiliter redeant, ea ſcilicet intentione, vt cùm ipſi ſalute potiti fuerint, nonnullis etiam cauſa ſalutis fiant: ſi quidem & Moyſes ille, qui Deum viderat, ad ſalutem gentis ſuæ à Deo miſſus, plurima Aegypti pericula videlicet in mundo tenebras pertulit. Vtilius eſt parentes mœrore afficere, quàm Deum: ille enim nos formauit ſimul & redemit, illi verò quos dilexerunt nonnumquam perdiderunt*, &c.

CAPVT XXV.

Quibus conditionibus ornati eſſe debeant Fratres, qui ad cuſtodiam locorum Terræ ſanctæ, vel ad alias infidelium regiones deſtinandi ſunt: nimirum eos à Spiritu ſancto moueri debere; & quibus indicijs dignoſcere poſſint, motionem, quam in ſe ſentiunt, à Spiritu ſancto prouenire.

PRæſcius Seraphicus Pater S. Franciſcus, ſuum ſacrum Ordinem à Deo deſtinatum, vt non modò fidelibus, ſed etiam infidelibus verbo & exemplo prodeſſet, & omnes Chriſto lucrifaceret, non ſolùm ipſemet ad infideles profectus fuit, ſed etiam ad meſſem Dominicam, in qua fideles & induſtrios operarios deſiderari videbat, Fratres ſuos miſit, vt ex omnibus fidelibus & infidelibus multos manipulos colligeret, & in aream Domini reconderet. Veritus tamen, ne temporis lapſu ex defectu idoneorum operariorum debiti Deo non reportarentur fructus, diuino afflatus Spiritu, in Regula ſua præſcripſit conditionem Fratrum ad Saracenos & alios infideles mittendorum, dicens: *Quicumque Fratrum diuina inſpiratione voluerint ire inter Saracenos & alios infidelium, petant inde licentiam à ſuis miniſtris Prouincialibus. Miniſtri verò nullis eundi licentiam tribuant, niſi eis quos viderint eſſe idoneos ad mittendum.* Et quamuis non me lateat, in adductis verbis loqui

Regula Minor. cap. 12.

ſanctum

ſanctum Patrem de Fratribus generatim mittendis ad quaſlibet infidelium partes, vt verba ipſa & Regulæ expoſitores docent; arbitror tamen, ſanctum Patrem præcipuè reſpexiſſe eos qui mittendi eſſent in Terram ſanctam, tum quia in ea ſunt Saraceni & alij infideles, (& ſanè nullam regionem eſſe credo, quæ tam anguſtis limitibus circumſcripta tot contineat infideles, legibus & moribus à ſe differentes: in hac enim ſunt infideles baptizati & non baptizati, Græci, Armeni, & ceteri Orientales hæretici, & aliqui ex Occidentalibus; ſunt Saraceni, Mauri, Arabes, Turcæ & Iudæi:) tum quia Terra iſta præcipua eſt inter omnes terras, ideoq; maiori ſollicitudine gubernanda, & conſequenter idoneis miniſtris inſtruenda. tum denique, quia (vt aliàs diximus) Terra illa promiſſa fuit S. Franciſco & Ordini eius, cui rei euentus ipſe teſtimoniũ reddit, cùm Ordo hic præ ceteris Eccleſiæ Dei Ordinibus ibi habitet, & curam illius gerat. Ex his itaque S. Franciſci ſiue Regulæ verbis, addita etiam ſacrorum Doctorum, & inprimis Summorum Pontificum explicatione, indicabimus, quales eſſe debeant Fratres, qui ad infideles, & præſertim ad Terram ſanctam, nunc ab infidelibus occupatam, mitti debent.

Reſpexit S. Franciſcus in ſua Regula ad Fratres ad Terram ſanctam mittendos, vbi ſunt Saraceni & alij infideles.

Tria in adductis Regulæ verbis obſeruanda.

Tria præcipua in eiſdem verbis obſeruo: primum, mororem, & inſpiratorem, qui Fratres ad eundum excitet, debere eſſe Spiritum ſanctum; *Qui diuina inſpiratione fuerint inſpirati*, &c. Alterum, quod auctoritatem mittentium innuit, à quibus facultatem eundi petere debeant, qui iam diuina inſpiratione moti ire decreuerunt; *Petant inde licentiam à ſuis Miniſtris Prouincialibus:* tertium & poſtremum, conditionem & qualitatẽ illorum à Prælatis examinari debere; *Miniſtri verò nullis eundi*, &c.

Primum, ſimul ad Terram ſanctam, debens à Spiritu ſancto moueri.

Quantum ad primum (quod præſenti Capite explicamus, alia duobus proximè ſequentibus Capitibus reſeruantes) omnia quidem quæ propter bonum finem fiunt, fieri deberent ductu Spiritus ſancti, cùm ex nobis non ſimus ſufficientes boni aliquid cogitare, adeò vt ſenex ille Tobias meritò dixerit filio ſuo, *Omnia conſilia tua in ipſo permaneant*, Tobiæ 4, 20. at vel maxime id obſeruandum venit in actionibus ſupernaturalibus & meritoriis, cùm longè excedant facultatem noſtram naturalem, ſicut docet ſanctus Apoſtolus 1. Cor. 12. & 2. Corinth. 3. cuius generis eſt profectio ad terras infidelium ad cuſtodiam locorum ſanctorum, & eiuſdem profectionis deſiderium: non enim opus tam arduum ex proprio cerebro, ex animi leuitate, ex vano mentis impetu, vel ob correptionem & caſtigationem effugiendam, vel ſimplici ex deſiderio externa videndi regna, aſſumendum eſt (ſic enim facilè diuinus honor & propria ſalus contemptui exponeretur) ſed zelo honoris diuini & ſalutis animarum, vt loca illa ſancta diuinis nocturniſque officiis frequententur, diligenterque, vt decet, cuſtodiantur; vt fidelibus quoad neceſſaria ſubueniatur, vt infidelibus veritas Chriſtiana & Catholica annuntietur & perſuadeatur, & propter ſimiles à Deo inſpiratos fines, ad opus ſe debent parare Fratres.

Spiritus ſancti motio quomodo cognoſcenda.

Sed quæret nonnemo, Quomodo poterit quis hanc Spiritus ſancti inſpirationem dignoſcere? valde enim difficilis & ardua ſemper habita eſt cognitio cæleſtium illuminationum, & ſpirituum diſcretio, quoniam, vt dixit Chriſtus, *ſpiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat*, Ioan. 3, 8. tantò ampliùs, quoniam, vt inquit Apoſtolus, frequenter *angelus ſatanæ transfigurat ſe in Angelum lucis*, 2. Cor. 11, 14. vnde nec omni ſpiritui credere oportet.

Spirituum diſcretio difficilis.

Certò quidem ac indubitanter ex nobis ſcire non poſſumus Spiritus ſancti illuminationes, diiudicare tamen eas conceſſum eſt ex quibuſdam ſignis. Vt enim ſpiritus, id eſt venti exiſtentia dignoſci poteſt, etſi non ſtatim eius origo vel terminus deprehendatur; ita etiam coniectamus conſilium aliquod eſſe à Spiritu ſancto, etſi non ſtatim ipſum auctorem, nec finem, cuius gratiâ tale conſilium datur, cognoſcamus. Reſpondeo itaque, tres tantùm eſſe fontes ſiue origines noſtrarum cogitationum & internorum affectuum; ſpiritum bonum, ſpiritum malum, & ſpiritum humanum, vt docet Abbas Moyſes apud Caſſianum Collatione 1. cap. 19. cum Theologis: non enim niſi ſignis in hac vita communiter cognoſci poteſt, cogitationem prouenire à Spiritu ſancto & bono. Tria verò ſigna præcipua inuenio apud ſacros Doctores, quibus poſitis & intellectis, cognoſcitur, conſilium & inſpirationem aliquam eſſe à Spiritu diuino. Primum eſt, ſi ea quæ inſpirantur, ab omni ſuperbia & vanæ gloriæ ſuſpicione aliena ſint, qualis eſt inſpiratio de oratione, eleëmoſyna, & ieiunio in abſcondito faciendis, & cum hilaritate, ne videamur ab hominibus. *Attendite* (inquit Dominus) *ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, Matth. 6, 1. Secundum, ſi id quod inſpiratur, arduum ſit & difficile, quale eſt illud de relinquendis omnibus propter Chriſtum, de ignoſcendo inimicis, &c. Tertium denique, quando mens tanta cæleſtis luminis copia illuſtratur, vt certiſſimè conſilium Dei credat, magis quàm quod-

Origo noſtrarum cogitationũ triplex.

Tria ſigna motionis Spiritus ſancti.

cumque euidens,& delectationem in opere inueniat. Hinc Dauid dicebat: *Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vſque in finem*, Pſalm.15,11. & iterùm: *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me*, Pſal.118,66. alia lectio habet, *Bonum guſtum*, quia à Deo illuminatus cum gaudio operatur, & lumine Spiritus ſancti mens illius perfunditur, vt certò aſſenſum præbeat, quemadmodum naturale lumen mouet intellectum ad aſſentiendum primis principiis. *Sancti viri* (ait S. Gregorius libro 4. Dialog. c. 48.) *inter illuſiones atque reuelationes, ipſas viſionum voces & imagines quodam intimo ſapore diſcernunt, vt ſciant quid à bono ſpiritu percipiant, & quid ab illuſore patiantur. Nam ſi erga hæc mens hominis cauta non eſt, per deceptorem ſpiritum multis ſe vanitatibus immergeret. Dæmon enim nonnumquam ſolet multa vera prædicere, vt ad extremum valeat animam ex vna aliqua falſitate laqueare.* Pulchrum horum exemplum ſuppetit ſacra Scriptura in Abraham, cui Deus inſpirabat vt immolaret filium. Inprimis opus nõ difficile modo, ſed difficillimum fuit: ille tamen certus intra ſe de voluntate diuina, haud diu moratus fuit, ſed promptiſſimè mandatum executus eſt, vt patet ex operis circumſtantiis & diuina acceptatione; quia opus illud ita acceptauit Deus,ac ſi id re ipſa conſummaſſet ſanctus Patriarcha. Idem poſſemus explicare de peregrinatione Chriſti in Ægyptum, de profectione eiuſdem in deſertum, & aliis.

Signa ſpiritus mali.

At ex oppoſito ſenſui delectabilia, vana & ſuperba ſuadent dæmon & humanus affectus; vt cùm diabolus Euæ pomum vetitum comedere ſuaſit,quò diuinitatis æqualitatem conſequeretur, humanus verò affectus Adamo vocem vxoris audire ſuggeſſit, ne delicias ſuas triſtitia afficeret. Non fuit etiam mens primorum parentum illuſtrata, quia non verè expenderunt quæ pollicitus fuerat dæmon, nec crediderunt, cùm vir non fuerit ſeductus: rubor etiam & verecundia,& alia oſtendunt eorum in facto illo dolorem,non delectationem.

Deſiderium eundi in Terram ſanctam eſſe à Spiritu ſancto, dijudicari poteſt.

Eadem obſeruare poſſumus in illis qui deſiderio flagrãt eundi in Terram ſanctam, ſi culpa aliqua notati non ſint, ſed bonum nomen habeant apud homines. Deſiderium, inquam, eundi ad loca ſancta, non eſſe à ſpiritu malo vel humano, ſed à Spiritu ſancto, inde conſtat, quòd vterque ille ſpiritus, malus ſcilicet & humanus, res ſenſui proponat delectabiles, vanas tamen & caducas, vt de diuitiis comparandis, de honore conſequendo, & ſimilibus; non arduas aut ſenſui humano difficiles, vtpote quibus eorũ regnũ deſtruitur,ſed abſiis quæ hiſce ſunt cõtraria,vt à carnis mortificatione,à paupertate,à ſubiectione & abiectione animum conãtur auertere. Sed Ieroſolymitana peregrinatio, & manſio in locis ſanctis, eſt res ardua: in ea enim non imus ad amicos & parentes noſtros, ſed ad inimicos & infideles,facultates & ſanguinẽ Chriſtianorum ſitientes: in ea animus à voluptatibus terreniſq; omnibus abdicandus eſt. In itinere verò & termino quanta patiantur peregrini, poſſunt ij qui ſunt experti teſtari,qui verò non ſunt experti,facilè cogitando aſſequi. Opus eſt à ſuperbia & vana gloria alienum: quæ enim poſſet eſſe in remotiſſimis illis & deſertis partibus? quòd ſi tamen adſit,diuino auxilio amouenda eſt, ſicut & in aliis bonis operibus, ſi interueniat eſt præſcindenda. Quanta verò cum delectatione ad iter ſe inſtruant, quibus eundi facultas conceditur,eſt dictu difficile. Moræ dies vna millium annorum ſpatium illis excedere videtur; anxij ſemper ſunt, & mira ſollicitudine afficiuntur, quoad nauem conſcendant: tanto verò cum animi gaudio in naui hærent, vt tardi illis interim ſint venti, & omnis velocitas pigra appareat. Quare piè cogitare poſſumus; huiuſmodi, in quibus talia dignoſcuntur ſigna, à Spiritu ſancto eſſe illuminatos; non verò, ſi talia abſint, ſicut in pluribus fuit obſeruatum.

Diabolus quidem nonnumquã ſe transfigurat in Angelum lucis; quando tamen id facit,ſemper aliquid interuenit vnde dubitari poſſit de opere propoſito,quod homo ſapienter eruditus meliùs diſcutiet.

Si dicatur, ex bonitate & arduitate Ieroſolymitanæ peregrinationis non ſumi euidens argumentum, illam eſſe à Spiritu ſancto, quandoquidẽ bonum & arduum opus ſubinde ſuadet dæmon,vt in maius malum & grauiorem damnationem præcipitet; reſpondetur,ex bonitate,arduitate, & aliis ſimul,etſi non neceſſarium,valdè tamen probabile ſumi argumentum, an opus inſpiratum ſit à Spiritu ſancto. Nec tamen facilè illud admittimus,alioquin dicere poſſemus, diabolum excitare infideles ad Chriſtianam Religionem ſuſcipiendam, & fideles ad ingrediendum aliquam Religionem, vt anſam habeat maiorem eis ruinam parandi, quod non eſt credendum. Et ſanè nimis tunc ſuſpenſos relinqueret Spiritus ſanctus Prælatos Eccleſiæ, quandoquidem omnis vocatio ad bonum eſſet ſuſpecta: & nimis ſtolidus eſſet diabolus,dum quod in ſua iam poteſtate tenet,vel certò habiturum ſe probabiliter ſperat, è manibus dimitteret, vt

cum

cum maiori ſed incerto fœnore illud poſſideret. Conſtat itaq; eos qui modo indicato mouentur, fuiſſe à Spiritu ſancto inſpiratos. Interim iſti non vſque adeò ſibi fidere debent, vt abſque facultate Prælatorum ad Terram ſanctam proficiſci velint: quod enim rectum eſt, rectè perficiendum eſt; ideoque à Prælatis eundi facultatem habere debent. Humiliter igitur petant licentiam ab illis, exponendo ſuum deſiderium vel per ſe, vel per alios, ſecundùm opportunitatem, vt cum ſalutaris obedientiæ merito iter illud ſanctum aggrediantur. Prælati verò, cognito illorum deſiderio, diligenter examinent & ſcrutentur, an ſit ex Spiritu ſancto, an ex leuitate, curioſitate, alióve impertinenti fine proficiſcatur, quod illis verbis indicat S. Franciſcus: *Quicumq; Fratrum diuina inſpiratione voluerint ire inter Saracenos & alios infideles, petant inde licentiam à ſuis Miniſtris Prouincialibus.* Et hoc eſt ſecundum quod in aſſumptis Regulæ verbis obſeruauimus. Sed de hoc Capite ſequenti copioſiùs.

CAPVT XXVI.

Quare ij qui à Spiritu ſancto moti ſunt ad aſſumendam Ieroſolymitanam peregrinationem, facultatem petere debeant à Prælatis; & quinam ij ſint, qui mittendi facultatem habent, & quomodo circa mittẽdos ſe gerere debeant.

PErcontabitur fortaſſe aliquis, cur ij quos Spiritus ſanctus illuminauit ad eundum in Terram ſanctam, ſubmittere ſe debeant Prælatis, vt ſine illorum obedientia ire nequeant. Num Prælati poſſunt aliquid præcipere vel diſponere contrà vel aliter quàm fuit à Spiritu ſancto inſpiratum? An non Spiritus ſancti inſpiratio eximit à lege cuiuſlibet inferioris? *Qui* enim *ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei*, Rom. 8, 14. Dominus autem ſpiritus eſt: *vbi autem ſpiritus Domini, ibi libertas*, 2. Cor. 3, 17.

Triplici de cauſa Religioſi licentiam petere debent.

Reſpondeo, propter multa petendam eſſe licentiam Prælatorum. Primò, quia Religioſi non ſunt ſui iuris, nec ad propria vadunt, ſed ad loca Fratrum viuentium ſub obedientia ſuorum Prælatorum: eiuſmodi enim loca ſancta fuere concredita non apoſtatis, quales eſſent qui irent ſine obedientia: illis enim particulariter non præcipitur in Regula ire ad infideles, at ire ſine licentia horum Prælatorum humiliter petita, inhibetur in Iure, cap. Quàm ſit. De Iudæis & Saracen. & cap. Cum ex iniunct. De hæret. nam etſi idonei ſint, & diuinitus inſpirati, apoſtatæ tamen eſſent, ſi irent ſine ſuorum Superiorum licentia; quoniam Spiritus ſanctus, ſtante lege, communiter non inſpirat quidpiam agi contra legem, aut contra aliqua præcepta diuina vel humana, dum vtrumque, diuina ſcilicet inſpiratio & præceptum, æquè impleri poſſunt. Ideò veri Religioſi ſine licentia ſuorum Prælatorum nihil agere debent, cùm nec velle habeant, nec nolle, cap. Si Religioſus. De elect. lib. 6.

Inſpirati à Spiritu ſancto ſine Superiorum licentia eundo eſſent apoſtata.

Secundò, Vt eorum profectio ſit magis meritoria ac Deo accepta. Quæ enim ex obedientia Superiorum fiunt, maioris meriti ſunt apud Dominum, quàm quæ ex proprio cerebro aut inſtinctu peraguntur, vt docent communiter Doctores.

Tertiò, Eiuſmodi Fratres petere debent & obtinere licentiam à ſuis Prælatis habentibus facultatem mittendi, vt ipſi videant & diiudicent, an à Spiritu ſancto vel potiùs à ſatana moueantur; quoniam, vt inquit Apoſtolus Ioannes, probandi ſunt ſpiritus an ex Deo ſint. Talis verò probatio pertinet ad paſtores & doctores, quorum eſt pro ſe & pro aliis cognoſcere, vt quidam interpretes docent in eum locum; quorum etiam iudicio ſtandum eſt, nec propriæ prudentiæ innitendum, vt nos docet Spiritus ſanctus. Et ſanè obediendo Prælatis, quando vt Prælati præcipiunt, non poſſumus errare; quoniam expreſſum præceptum Domini eſt, *Obedite Præpoſitis veſtris*, Hebr. 13, 17. non proprio ſenſui vel inſpirationi, quia eam eſſe à Spiritu ſancto, fide non ſcimus, ſed tantùm probabili quadam coniectura, quæ formidini coniuncta eſt. Quare ſi quis tentet contra voluntatem ſuorum Prælatorum, vel ſine eorumdem facultate, ire ad loca ſancta, non à Spiritu ſancto, ſed à ſpiritu diabolico & proprio ſenſu moueri credendus eſt, niſi miraculo oppoſitum monſtretur, quod vix contingit.

Probare ſpiritus, Prælatis commit.

In Prælatis maior Spiritus ſancti illuſtratio quàm in ſubditis.

Prætereà, maior Spiritus ſancti gratia in Prælatis quàm in ſubditis reperitur, quia duplex ſpiritus requieſcit in eis, & *melior eſt obedientia quàm victimæ*, 1. Reg. 15, 22. quoniam illa præcipitur, iſta conſulitur; illa neceſſaria, iſta voluntaria, inquit S. Gregorius. Itaque melius erit, imò neceſſarium, obedire Præpoſitis, ne proprio ſenſui innixi, infructuosè in perniciem propriæ ſalutis, ſe velut victimã exponant laborioſę & periculoſæ Ieroſolymitanæ peregrinationi. Ideò meritò dixit S. Franciſcus: *Quicumque diuina inſpiratione voluerint ire inter Saracenos & alios infideles, petant inde licentiam à ſuis Miniſtris Prouincialibus.*

At quare non à Miniſtro Generali, qui maioris eſt auctoritatis, vtpote Fratrum omnium Pater? Ob hanc crediderim rationem,

quia Prouinciales meliùs cognoſcunt Fratres, meliùs illorum idoneitatem & conditionem perſpectam habent, quia inter ipſos commorantur, & cum eiſdem conuerſantur; non item Generalis, qui frequenter longè abeſt, nec ita cum eis viuit, & conſequenter non ita perfectè, vt Prouinciales, cognoſcit Fratres. Imò ſi Generalis vult mittere, inquirere debet à Prouincialibus de conditione mittendorum. Hinc Clemens V. in facultate, quam Generali concedit mittendi Fratres ad Terram ſanctam, inquit: *Habita priùs informatione à Miniſtris Prouincialibus dicti Ordinis, vnde Fratres ipſi aſſumentur deputandi, eosq; ad partes illas deſtinandi*, &c. Et Iulius II. in ſuis Conſtitutionibus cap. 12. ordinauit, ne Miniſtri Generales vel Prouinciales concederent Fratribus facultatem eundi ad partes infidelium, etiam cauſa prædicationis, niſi priùs habito ſufficienti certorum probatorumq; virorum teſtimonio, & ne etiam repellant idoneos deuotionis cauſa ire volentes. Propterea Guardiani ſacri montis Sion, quibus nunc eſt conceſſa facultas ducendi vel mittendi Fratres ad Terram ſanctam, inquirant à Prouincialibus de eorum vitæ probitate, vt præcipit Clemens V. in quadam Bulla, quæ habetur ſuprà Libro 11. (ſi aliàs non nouerunt) vel ab alijs probatis viris, qui poſſint fideliter talium mittendorum rationem reddere. Et ſignis de illorum idoneitate deprehenſis, miracula non expectent, vt amplius teſtificentur: is enim eſt diuinæ prouidentiæ ordo, vt morali certitudine in huiuſmodi contenti ſimus, quod in maioribus apparet, vt, nos eſſe baptizatos, Sacerdotio initiatos, &c. igitur idoneis inuentis prompte facultatem eundi concedant.

Licentia eundi non danda, niſi priùs mittendorum informatione habita.

Cauent miniſtri, ne ſuo commodo conſulentes dicant bonum malum, & malum bonum.

Aduertant autem huiuſmodi Miniſtri, ne proprio commodo conſulentes, falſum teſtimonium reddant, dicentes bonum malum, & malum bonum; ne bonos ſibi retineant, inidoneos verò, inobedientes, refractarios & indiſciplinatos obtrudant pro bonis, vt illorum peruicaciam non ſentiant, & ſe exonerando impiè alios onerent, cum maximo Ordinis & animarum dedecore ac præiudicio. Nam, vt aduertit Corduba in cap. 12. Regulæ, quæſt. 1. & Politius in eamdem Regulam q. 1. n. 7. Miniſtri Iure diuino tenentur mittere idoneos, & inidoneos prohibere; & aliter facientes mortaliter peccant: nam, vt notat Manipulus Parte 2. cap. 26. §. 22. Salmantic. c. 12. & Vallisol. 1593. non niſi idoneos mittendos eſſe, præcipitur in noſtri ſacri Ordinis Statutis generalibus: *Sancta ſanctis*. Ad loca ſancta ſunt ſancti Fratres mittendi. Quòd ſi aliter fecerint, diuinam maledictionem incurrent. *Nemo ſit qui prohibeat*, inquit S. Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtochium, quæ Bethleem nobili Monaſterio ſe concluſerat, *non mater, non ſoror, non cognata, non germanus. Quòd ſi voluerint impedire, timeant flagella Pharaonis, qui populum Dei ad colendum Deum nolens dimittere, paſſus eſt ea quæ ſcripta ſunt. Maledictus doloſus (inquit Dominus per Malachiam) qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens, immolat debile Domino, quia Rex magnus ego, dixit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in Gentibus.* Illis verò, de quorum idoneitate conſtat, facultas neganda non eſt, ne videantur Spiritui ſancto reſiſtere. Quòd ſi idoneis negetur petita licentia ſine rationabili cauſa, poſſent illi, modò à Deo inſpirati ſint, ſine licentia ire. Verùm cautè hoc præſtandum, quia difficulter in aliquo omnes conditiones neceſſariæ inuenientur. Ita docent Doctores & expoſitores Regulæ S. Franciſci.

Facultas mittendi Fratres ad loca ſancta quibus conceſſa ſit.

Sed quibuſnam conceſſa eſt facultas mittendi Fratres ad Terram ſanctam, & ad aliorum infidelium regiones, quod fuit ſecundo loco propoſitum? Ex adductis Regulæ verbis liquet, quòd Miniſtris Prouincialibus, & multò magis Generalibus. Poſteà tamen iuſtis de cauſis adempta eſt Prouincialibus, & ſolis Generalibus permiſſa. Mittendi verò ad Terram ſanctam licentia eſt Pontifici reſeruata, ſed conceſſa Generali, vt patet ſuprà ex Clemente V. Et meritò quidem, quoniam ille eſt totius Ordinis Prælatus, ideò poteſt Fratres ſuos ad loca ſuæ curæ commiſſa mittere. Eadem facultas etiam non eſt negata Commiſſario Generali Ciſmontanæ Familiæ, ad quam pertinet Cuſtodia Terræ ſanctæ. Ceteris verò eiſdem inferioribus Prælatis eadem eſt ſublata facultas, nec etiam peregrinationis gratiâ, vti habetur in Seraphici Ordinis Romanis Conſtitutionibus, vbi dicitur: *Nullus autem Generali Miniſtro, vel Commiſſario item Generali inferior, Fratres Ieroſolymam etiam peregrinationis cauſâ mittere poſſit.* Eadem tamen facultas ex Summorum Pontificum priuilegio conceſſa eſt Guardiano S. Montis Sion, in illis partibus Commiſſario Apoſtolico. Ita habetur in quadam Bulla Calliſti III. quæ incipit: *Calliſtus Epiſcopus, Dilectis filijs Guardiano Montis Sion, ac vniuerſis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum, in partibus Ieroſolymitanis, & per totam Aſiam commorantibus, præſentibus & futuris*, &c. vbi infrà: *Concedimus quoque, vt voluntarios Fratres eiuſdem Ordinis ad eaſdem partes ducere & aduocare poſſis.* Quam auctoritatem adeò firmam eſſe volunt Pius II. vt abſque

Miniſtro Commiſſario Generali.

nisi Guardiano S. Montis Sion.

absque illa nec Pontificiam facultatem voluerit suffragari, vt in Bulla super hoc edita videre est, quæ refertur à Roderico in Bullario magno. sic enim dicit: *Pius Episcopus*, &c. *Ad conseruationem itaque Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia nuncupatorum, eiusq; Regularis Obseruantiæ, vt vagantibus & fugitiuis Fratribus, atque alijs spiritum libertatis exquisitis medijs quærere satagentibus, omnis vagandi tollatur occasio, & malitijs hominum obuietur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus & ordinamus, atque decernimus, quòd omnes & singuli eiusdem Obseruantiæ professores, qui à Sede Apostolica visitandi Sepulchrum Dominicum, & alia loca sancta Ierosolymitana, seu alia loca vltramarina, hactenus licentiam obtinuerunt, vel in posterum obtineant, nisi ad id eorum Prælatorum consensus accedat, & iuxta ipsius Ordinis regularia instituta ad hoc reputantur idonei, licentia huiusmodi minimè vti possint, nec illius obtentu ad partes Ierosolymitanas aut loca prædicta transfretare, sed eos subijci volumus regularibus disciplinis. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Domini* 1462. 11. *Calend. Februarij, Pontificatus nostri anno* 15.

Minorita licentiam habentes à Pontifice debent etiam superiorum Superiorum habere consensum.

Et quicumque sine subrum Superiorum obedientia veniunt ad has partes, Pontificiæ subijciuntur excommunicationi, vt videre est in Extrauag. Ioannis XXII. lib. 3. cap. Ad nostram. De Reg. & transeuntibus ad Religion. in 6. Ibi enim Summus Pontifex præcipit Superioribus, ne quibusuis sui Ordinis Fratribus, nisi dumtaxat viris litteratis, prouidis, & expertis, licentiam impertiri præsumant eundi ad partes vltramarinas. *Nos enim*, inquit, *quoscumque præsumentes contrarium quouis modo excommunicationis subiacere sententiæ volumus ipso facto, à qua nullus ab alio quàm à Romano Pontifice, nisi dumtaxat in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere possit.* Meminit huius excommunicationis Manipulus loco antecitato, §. 27.

Sine Superiorum licentia ad has partes venientes Pontificiæ excommunicationi subijciuntur.

De facultate concessa Ministro Prouinciæ Candiæ mittendi Fratres de alienis prouincijs, in sua deseruientibus, ad sanctam ciuitatem, visum fuit Lib. 11. Cap. XIII.

Idem etiam Guardianus potest ad alias partes destinare Fratres pro colligendis eleëmosynis, & pro alijs ad conseruationem locorum sanctorum necessarijs, vt constat ex priuilegijs à Summis Pontificibus concessis, quæ asseruantur in Archiuo Conuentus sacri Montis Sion, de quibus Libro 11. Capite XIV. dictum fuit. Atque ex dictis apparet, qualiter mittendi ad Terram sanctam facultas resideat dumtaxat in Seraphici Ordinis Prælatis Ministro ac Commissario Generali Cismontano, & Terræ sanctæ Præfecto, & quòd, quantum ad alios quoscumque Prælatos, illam sibi reseruauerit Papa.

Dubium exoritur, num dicta facultas æqualiter reperiatur in omnibus prædicti Ordinis Prælatis, & an singuli possint mittere vel ducere quoscumque voluntarios & idoneos Fratres quacumque ex causa.

Respondeo negatiuè, & intentum explico tribus propositionibus. PRIMA. Auctoritas mittendi Fratres ad Terram sanctam in Generali residens, absoluta est respectu omnium Fratrum Ordinis, eique competit duplici titulo, primò naturali Iure, quia cùm sit totius Ordinis Præfectus, tenetur iure naturæ omnibus locis suæ curæ commissis de idoneis Fratribus prouidere, igitur & locis sanctis, secundò Iure Pontificio, ex dictis.

SECVNDA. Commissarius generalis potest mittere Fratres ad Terram sanctam, sed tantùm Cismontanæ Familiæ, Ordinis auctoritate, quia illi commendata & subiecta est Terræ sanctæ custodia, ideò de suis Fratribus illi prouidere poterit, non similiter de alijs: quæ auctoritas cum alijs statutis Ordinis à Sede Apostolica confirmata fuit. Hæc euidens est, & ex dictis manifesta.

TERTIA. Guardianus sacri Montis Sion Pontificis & Ordinis auctoritate potest vocare & secum ducere quoscumque Ordinis Fratres, siue Cismontanæ, siue Transmontanæ Familiæ sint. Quòd auctoritate Pontificis, liquet ex nunc dictis, & Lib. 11. Cap. XIV. quòd Ordinis auctoritate, praxis indicat, & vidimus suprà eodem Libro Cap. XII.

Sed numquid omnes prædicti Prælati possunt mittere, vel ducere vel aduocare Fratres ad libitum, non tantùm ad custodiendum loca sancta, sed etiam vt illorum deuotioni satisfaciant?

Respondeo, & quantum ad Guardianum Primò, ipse non potest ducere vel vocare Fratres, nisi vt inseruiant locis sanctis, & ad hunc finem illi dantur eleëmosynæ, & concessiones intentioque Pontificis & Ordinis aliud non indicant vel sonant.

Quantum ad Generales verò, dico duo. Primum. Credo ipsos de facto posse mittere Fratres, ex sola deuotione proficisci ad loca sancta volentes, vt absoluta peregrinatione ad suas reuertantur Prouincias. Ratio est, quia si aliud non obstat, possunt liberè de suis subditis disponere in his quæ non sunt contra animam & Regulam, & debent spirituali consolationi eorumdem satisfacere, & nihil obstare credo. Confir-

matur Primò ex adductis verbis Constitutionum Ordinis, in quibus interdicitur facultas Ordinis Prælatis mittendi Fratres etiam peregrinationis causa, exceptis dictis Ministro & Commissario Generalibus, adeoq; indicatur, facultatem mittendi peregrinationis gratia in ipsis residere. Secundò idem praxis demonstrat. Secundum. Proficiscentes ad Terram sanctam ex deuotione, vel possunt Regulam obseruare, ita vt sine vsu pecuniæ possint ire, vt si ab aliquo pio ac diuite viro suis expensis ducerentur; vel necessariò debent contra professionem vti pecunia. Si primum, possunt licitè mittere, quia ex dictis non constat de prohibitione; & Fratres, sicut in proprijs Conuentibus, ita in itinere possunt ex eleëmosynis sustentari, præsertim in tam salutari peregrinatione. Si secundum, dico non posse inculpatè mittere, sicut nec licitè tales ire, sed grauiter peccare, & peccato mittentes cooperari. Ratio est, quia non sunt facienda mala vt eueniant bona, vt inquit Paulus; nec pro consilio & deuotione vel curiositate præceptum violandum est; at in hoc casu quare violaretur? si ex deuotione inculpatè ac cum merito ire volunt ad Terram sanctam, debent à Summo Pontifice auctoritatem obtinere, cum dispensatione rigoris Regulæ de non habendo pecuniam.

Hoc notandum.

CAPVT XXVII.

De conditione Fratrum mittendorum ad partes infidelium, & præcipuè ad Terram sanctam.

EGimus iam de interno motore Fratres excitante ad sanctorum locorum peregrinationem, ac de mittentium auctoritate, reliquum est, vt in præsentia sermonem instituamus de mittendorum Fratrum conditione, vt tertio loco proposuimus ex S. Francisci Regula. Quales ergo isti erunt? Dico, ante omnia mittendos Fratres debere esse voluntarios; non enim possunt vel debent inuiti cogi à Superioribus ad eundum in Terram sanctam, cùm clarè loquatur S. Franciscus, *Si qui diuina inspiratione voluerint ire inter Saracenos*, &c. Dum enim iubet mittendos tantùm esse, qui diuina inspiratione moti ire voluerint, sequitur non esse in potestate illorum quoscumq; voluerint mittere. Et sanè, vt dixit B. Ioannes Capistranus, *non tutum esset sub tanto periculo ponere renitentem, & inuoluntarium ad martyrium sub obedientiæ vinculo obligare, nec cum manifesto propriæ salutis periculo Superioribus obediendum est.* Et, vt dixit Hugo de Olignamo, *ne vnde spirituale commodum quæritur, inde salutis dispendium subsequatur; melius est enim in paruis proficere, quàm in magnis deficere.* At verò possunt dispendio salutis exponi propter mortis ne dicam martyrij periculum, qui illuc inuiti mittuntur, vt iam diximus; igitur nec illi cum salutis suæ periculo ire debent, nec à Prælatis compelli vt eant. Et hæc est communis sententia expositorum Regulæ nostræ, & Pontifices idem indicant, dum Fratres mittendos *voluntarios* appellant.

Fratres ad Terram sanctam mittendi primò voluntarij esse debent.

Isti verò voluntarij Fratres quas debent habere conditiones? quæ in eis requiritur idoneitas? Dico, non parem rationem esse in omnibus: alia enim requiritur in Sacerdotibus, alia in laicis; & in omnibus secundùm officia ad quæ sunt destinandi. Aliæ enim conditiones requiruntur in his quibus animarum cura imponenda est cum munere prædicationis, & alia quibus talis cura non est committenda, sed vti sanctis ministrent, & speciosos euangelizantium pedes lauent: in omnibus tamen vitæ sanctitas tanta, quoad fieri potest, exquirenda est, vt puritas & obseruantia disciplinæ regularis in eis splendeat. Non enim omnes, vt diximus in præcedentibus, ob eumdem finem vadunt ad Terram sanctam. Quidam enim patiendi pro Christo desiderio, quidam vt ex pietate & deuotione deosculentur & venerentur loca vbi steterunt pedes Domini, alij vt quæ ex Scriptura didicerunt clariùs & dilucidiùs intelligant (*Multò enim plus intelligitur*, inquit S. Hieronymus ad Fabiolam, *quod oculis videtur, quàm quod aure percipitur*:) alij vt custodiant loca sancta, & fidelibus verbo & exemplo præluceant, & necessaria ad salutem administrent; alij denique destinantur ad Terram sanctam, vt præter deuotionem locorum sanctorum, occupentur laborando & seruiendo in omnibus ad regimen domus necessarijs, & vt magis cum Martha quàm cum Magdalena gratum Domino exhibeant famulatum. Quod intelligens S. Franciscus, non vnam solùm expressit causam eundi, sed absolutè dixit, *Qui diuina inspiratione voluerint ire inter Saracenos*, &c. sanctus enim Spiritus ad varia munia excitat mittendos, vt sibi placet, & expedit vt omnibus opportunè prouideatur. Quare cùm in varijs exercitijs se debeant exercere Fratres, eiusmodi eligantur, qui ea possint debitè & congruenter exercere.

Secundò, habere debent vitæ sanctitatem.

Varia idoneitas in Fratribus requiritur.

Idonei Concionatores, Confessores, animarum rectores, &c. in tanta quantitate mittantur, vt omnibus locis commodè Guardiani prouidere possint, ne ex defectu operariorum multa pereat messis, debitiq; Deo intereant fructus, præsertim cùm plu-

res

Digitized by Google

res intereà è vita decedere contingat, & ex ijs alij mittantur ad Christianorum & etiam infidelium alias partes, secundùm occurrentia negotia, nec facilè ad manum sint qui eisdem substituantur. Ego vsque ad septuaginta Fratres mitti desiderarem, & hos *graues & idoneos*, vt Calistus III. in quadam Bulla, & Martinus V. in suis Constitutionibus sanxerunt.

Fratres graues & idonei qui censeantur.

Sed quinam graues & idonei censendi sunt? Dico, posse responderi vel secundùm Iura communia, vel secundùm particularia, & vt locorum sanctitas & dignitas requirit. Si secundùm Iura communia, dici potest, quòd illi dicantur graues & idonei, qui sunt bonæ famæ, & quibus nullum crimen obijci potest, argumento ex cap. Constitutus. De purg. Canon. & ex cap. Testimonium, De test. qui sunt bonæ vitæ, licet fortè nõ sint magnę sanctitatis. Nimia enim indagatio siue inuestigatio in Iure prohibetur, dist. 34. cap. Fraternitatis. Si secundùm particularia Iura, & prout locorum sanctitas expostulat, loquamur; meliores, qui sunt in toto Ordine, sunt mittendi. Clemens V. ordinat, idoneos & deuotos Fratres de toto Ordine de consilio seniorum dicti Ordinis eligendos esse, qui mittantur. Callistus III. districtè prohibuit dari licentiam eundi in huiusmodi partes, nisi grauibus & idoneis. S. Bonauentura inquit: *Idonei sunt robusti corpore, constantes in fide probati, & semper irreprehensibiliter conuersati.* Et clariùs Pisanus: *Idoneitas attendenda est in litteratura, in personæ sanctitate, religiositate & vita, fidei zelo & feruore, mundi abnegatione, sui perfecta mortificatione*, &c. In statutis generalibus Ordinis nostri de conditione Fratrum mittendorum Ierosolymam hæc habentur: *Qui verò delecti & missi fuerint, eius probitatis & sanctitatis exempla præbeant, quæ eos vel maximè decet pro instituto quod sanctè profitentur; vt sua innocentia & Christiana fidei testimonia mundo perhibeant, splendentes in omni opere bono, etiam in medio nationis praua atque peruersa, tamquam luminaria magna posita super candelabrum, vt luceant omnibus qui in domo sunt: vt boni videntes opera eorum bona, & conuersationem inter gentes inculpabilem, glorificent Dominum & Patrem Domini nostri Iesu Christi, & mali in ijs quæ detrectant de nobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus eos considerantes, vel & ipsi glorificent Dominum, & quem misit Seruatorem Iesum Christum, vel saltem obmutescant: vt si non velint glorificare Dominum, saltem desinant blasphemare nomen sanctum eius; vt muta fiant labia dolosa, & loquentium iniqua: ne contra nos audiatur antiqua & grauis illa querela, & censura verè Apostolica: Quia propter nos blasphematur nomen Dei*, &c. *magis autem dicatur, quòd Christi bonus odor sumus in omni loco, & in omni gente, etiam praua & peruersa natione.* Si mentem S. Francisci circa hos Fratres attentiùs considerare & inuestigare vellemus, recurrendum esset ad ea quæ dicebat de Fratribus qui habitare debebant apud sanctam Mariam de Portiuncula prope Assisium, & de modo quo ibidem viuere debebant, quæ certè singularia sunt, vt videre est in Conformitatibus. *Noluit B. Franciscus*, inquit Pisanus, *quòd in dicto loco carnes comederentur vllo modo. Vnde dum esset semel infirmus, & oporteret eum carnes comedere, vocatis socijs dixit: Fratres mei, iste est locus reuerentior qui sit in mundo, saltem citra mare, & plus ipsum diligo, & ideò non est conueniens, vt in isto tam sancto loco viuamus sicut in alijs locis, & quòd hìc carnes comedantur, quia multi Fratres forenses transeunt, ne deædificentur. Vnde nolo esse hìc modò ad præsens, cùm me oporteat vita lautiori viuere, propter infirmitatem meam. Et iuit ad Episcopum Assisij qui libenter fecit sibi expensas, donec fuit sanus effectus.* & aliquibus interpositis, sequentia refert sanctum Patrem dixisse: *Videte ô filij, ne vmquam hunc locum relinquatis. Si ab vna parte foras pelleremini, per aliam intrate. Nam locus iste sanctus est, & habitatio Christi & Virginis Matris eius. Hìc cùm pauci essemus, nos augmentauit Altissimus. Hìc luce sapientiæ suæ illuminauit animas pauperum suorum. Hìc igne amoris sui nostras voluntates accendit. Hìc qui orauerit corde deuoto, quod petierit obtinebit, & offendens grauiùs punietur. Propter quod, ô filij, habete hunc locum omni reuerentia & honore dignissimum, tamquam verè habitaculum Dei, ab ipso & eius Matre singulariter prædilectum; atque ibidem toto corde in voce exultationis & confessionis confitemini Deo Patri & Filio Domino Iesu Christo in sancti Spiritus vnitate. Amen.*

Quales voluisset S. Franciscum esse Fratres Terræ sanctæ.

Si itaque tam singularem viuendi modum requirebat à Fratribus illis, quoniam apud illam Ecclesiam S. Mariæ Angelorum Christus, beata Virgo & Angeli sancti apparuerunt, & quia ibi Religioni Fratrum Minorum principium datum est; multò maiorem requisisset in illis qui habitare deberent in locis sanctis, in quibus conceptus & natus est Christus, & alia nostræ Religionis mysteria patrata fuère. Vide B. Ioannẽ de Capistrano in suis Constit. cap. vlt. & Regulæ expositores. Quare antequam mittantur Fratres, diligens illorum præcedat examen, ne inidonei mittantur, qui fidem nostram, Religionẽ, & se ipsos contemptui exponant.

Admonitio.

Placet hìc vnum quid dicere: Cùm tantùm voluntarij mittendi ſint, & non facile ſit tantum numerum perfectorum inuenire, vt particularia Iura requirunt; non malè faceret Guardianus, ſi ſecum duceret bonos ſecundùm communia Iura, qui humiles præſertim & patientes ſint animo, parati ad ſanguinem pro Chriſto fundendum, occaſione ſeſe offerente, qui & proficere poſſint & velint, etſi perfectionis culmen necdum attigerint; ſi enim tales non exiſtant, in Religionis Chriſtianæ dedecus, & propriam ipſorum ruinam, naufragium in fide Catholica facere poſſent. Optimè enim S. Bernardus in Sermone de S. Clemente Martyre quorumdam obiectioni reſpondet, qui dicebant, ſe poſſe bibere cum Martyribus paſſionis calicem, ſi ſe offerret occaſio, ſed deeſſe opportunitatem, perſecutionis tempus ceſſauiſſe. *At ego fateor* (inquit) *non ſatis crediderim ita dicentibus. Quid enim? quotidie cedítis punitioni acus vnius, & mucroni vos arbitramini poſſe reſiſtere? In minimis probate conflictibus, quàm viriliter in maiori certamine ſtare poſſitis. Ecce enim vobis non dicitur: Sacrificate idolis, & viuite: aut ſi hoc non vultis, oportet vos diuerſis ſupplicijs interire. Nouit Dominus figmentum noſtrum, nec dat nobis tam forte certamen. Beato Clementi certamen forte dedit, vt vinceret & diſceret, quoniam omnium potentior eſt ſapientia. Veſtrum autem certamen quale eſt, fratres mei? Quotidie vobis ſuggeritur in cordibus veſtris: Frange Ordinem tuum, murmura, detrahe, age remiſsiùs, infirmitatem ſimula, reſponde ei qui fortè duriùs locutus eſt, vt ſatisfacias deſiderio tuo: nec dicitur cuiquam, Niſi hæc feceris, morieris: ſed vt multum, cum difficultate & labore reſiſtes animo tuo. Et quis ſuſtineret tanta? Hæc enim intus audire, hæc reſpondere conſueuimus exhortantibus nos, aut foris homini, aut intus Spiritui ſancto. Si ergo in huiuſmodi certamine periclitamur, ſi vix reſiſtimus, ſi interdum etiam ſuccumbimus; quid in illo tam graui certamine faceremus? Si iuncis fragilibus cedit infirmitas noſtra; quomodo telis reſiſteret?*

CAPVT XXVIII.

Quæ obſeruanda ſint Præſuli ſacri Montis Sion, & Duci familiæ Ieroſolymitanæ, antequam iter cum familia ſibi commiſſa aggrediatur.

MVlta diximus in præcedentibus, quibus abundè ſatis oſtendimus honeſtatem, vtilitatem & meritum Ieroſolymitanæ peregrinationis, & quibus eadem conueniat, quibuſque non; ex quibus fidelis ac deuotus accendi facilè potuit ad aſſumendum aliquando pro Dei gloria & ſuo ſpiritali profectu huiuſmodi peregrinationem, & cum Dei auxilio ad finem vſque perducendum: reliquum eſt, vt aliqua proponamus quæ obſeruanda veniunt ante, in ipſa, & poſt hanc peregrinationem. quæ ſi quis rite obſeruauerit, facilè illius ſufferet incommoda, & cum gaudio & fructu peregrinationem abſoluet.

Plurima vtilia & ſalutaria documenta inuenio apud eos qui hiſtoriam ſuarum peregrinationum ad Terram ſanctam cõſcripſerunt, vnde ij qui & ipſi eam perficere cogitant ſatis erudiuntur, vt quæ longo ac laborioſo itineri ſunt neceſſaria, maturè parent: multa tamen ex illis, ob temporum viciſſitudines & mutationes, hodie nullius ſunt momenti, adeoque vix vel omnino non obſeruanda; ideoque ex his quæ diuerſis temporibus modò vni modò alteri contigerunt, non poſſumus certam præſcribere Regulam neceſſariò & perpetuò obſeruandam. Quæ enim firmitas aut ſtabilitas in tot varietatibus? Cautela ſaltem & prudentia adhibenda eſt, & illa ferè omnia, quæ cuilibet nauali longoque itineri communiter præſcribuntur, in noſtra Ieroſolymitana prætermittenda non ſunt. Iis itaque dimiſſis, ex verbo Domini quod in æternum manet, ex illis inquam quæ Deus obſeruanda præcepit filiis Iſraël, cùm eos de terra Ægypti vellet introducere in Terram promiſſionis, canones quaſi quoſdam & documenta annotabimus, è quibus euidens fiat, quomodo ibi allegoricè præmonſtrauerit Dominus, quæ obſeruare debeant Chriſtiani, quando ad Terram ſanctam proficiſci volunt. Ea verò plura ſunt & diuerſa: quædam nimirum Præſulem, quædam familiam, quædam vtrumque reſpiciunt. Quædam ſunt obſeruanda ante peregrinationem, alia in ipſa, & alia denique poſt ipſam, cùm iam ad Terram ſanctam peruentum, in ea habitatum, vel etiam ex illa ad propria reditum fuerit; de omnibus enim iſtis, diſtinctis Capitibus, multa notatu digna obſeruabimus: in præſenti verò Capite ea præcipuè tractamus, quæ à Præſule Terræ ſanctæ ante profectionem obſeruari debent.

Deus ſex ſingulariter mandauit Moyſi Iſraelem in Terram ſanctam introducturo.

Volens clementiſſimus Dominus ex Ægypto de populo barbaro educere populum ſuum Iſraël, eumque introducere in terram fluentem lac & mel, in terram illorum patribus repromiſſam, multa ſanciuit, quibus obſeruatis, tuti ad eam peruenirent. Poſſunt verò ea ad tria capita reduci, ita vt quædam itineris apparatum reſpiciant, alia

iter

iter ipſum, & alia denique obſeruanda ſint cùm ad Terram ſanctam peruenerint.

Quantum ad priora, ex quibus documenta ad præſens Caput ſpectantia deſumemus, ſequentia ſunt notanda. Primò,

Primum. Apparuit Dominus famulo ſuo Moyſi, oues in deſerto Sinai ad montem Horeb paſcenti, in ſpecie flammæ ignis de medio rubi, vt dicitur in Exodo: qui cùm calceos ſuos de pedibus ſuis exuiſſet, vt ei præcepit Dominus, mandatum ab eodem accepit educendi in manu forti populum & primogenitum ſuum de Ægypto, vbi laboribus exercebatur, ad terram Hethæi, &c. in terram fluentem lacte & melle.

Secundum. Secundò, Etſi primò Moyſes diuinum hoc mandatum humiliter à ſe conaretur deuoluere, cognita tamen diuina voluntate, promptè acquieuit; quoniam ei repugnare, peccatum ariolandi eſt.

Tertium. Tertiò, Dei Legatus & Vicarius iam conſtitutus, accepit diuinæ auctoritatis litteras, ſigillo Regio munitas, dum ex Domini præcepto virga, quam manu geſtabat, in terram proiecta, verteretur in colubrum, & manus eius in ſinum miſſa lepra reſpergeretur, & educta priſtino candori & ſanitati reſtitueretur.

Quartum. Quartò, Cùm diuinum mandatum executioni mandare vellet, vndique ſe difficultatibus circumuallatum ſenſit: quia verò non eſt qui diuinæ poſſit reſiſtere voluntati, ab illis omnibus expeditus, ad opus ſeparat.

Quintum. Quintò, Adſcito ſibi Aarone fratre ſuo, viro prudenti ac eloquenti, congregatis item ſenioribus Iſraël ex Domini mandato denuntiat, liberandos eos eſſe cum reliquo populo à ſeruitute Ægyptiorum, & introducendos in terram fluentem lacte & melle: populumque inſtruxit, vt omnia ad iter illud arduum terrâ mariquè conficiendum neceſſaria compararent. De tam felici nuntio gaudentes Iudæi, proni Deo gratias reddiderunt.

Sextum. Sextò, Poſt multa à Deo per Moyſen & Aaron coram Pharaone & vniuerſo Iudæorum & Ægyptiorum populo patrata prodigia, in principio anni ſacri præcepit Dominus, vt Iudæi obtenta ab Ægyptiis abeundi facultate, pretioſa ab eiſdem ſupellectili mutuata, ſe domi continerent, quoad tempus diſcedendi adueniſſet.

Denique nocte illa quæ profectionis diem præcedebat, agnum cum lactucis agreſtibus, & aliis cærimoniis obſeruatis, comederunt ex Domini præcepto Iſraëlitæ. Quibus omnibus abſolutis, itineri ſe dederunt, & poſt multa, quæ in deſerto & itinere viderunt mirabilia, ad optatum Terræ promiſſæ terminum peruenerunt, vt patet in libro Ioſue. Hæc ſummatim ex libro Exodi deſumpta ſunt; ſingula iam propoſito noſtro aptemus, prout etiam ego ipſo facto obſeruaui.

Sex ſimiliter obſeruanda à ductore familiæ Ieroſolymitanæ.

Primò, Præſul Terræ ſanctæ non debet ſe intrudere ad tale munus, ſed officiis aliis detentus, debet velut alter Moyſes à Deo eligi, cui veluti typo ductoris familiæ Terræ ſanctæ, debet eſſe in pietate, manſuetudine, & electione perſimilis. De cuius electione & conditione noſtri ſacri Ordinis Patres in Spiritu ſancto in Generali Capitulo congregati ſtatuerunt, vt *Religioſus ætate quidem grauis, doctrina & eruditione inſignis, prudentia clarus, verum agendarum vſu peritus, vitæ innocentia & moribus caſtiſſimis vndequaque probatus, ſacri Montis Sion Guardianus, ac Terræ ſanctæ Cuſtos & Commiſſarius in Generalibus Comitiis communi Patrum conſilio & conſenſu inſtituatur & eligatur.* Mitiſſimus ſit Præſul Terræ ſanctæ, ac zelum Dei habeat, vt debilibus compatiatur, ſuperborũ (ſi tales aliquos eſſe contingat) tumorem atque peruicaciam retundat ac cohibeat, deficienteſque à via Dei, iuxta qualitatem delicti puniat, ne ipſi in malo foueantur, nec ipſe contemptui habeatur. Nullum tamen ſuperbè & durè tractet, ne eorum ſalutem euidenti periculo exponat, quod ſemper auertat Dominus. Hoc notat ſacra Scriptura in Moyſe, quem omnium prædicat fuiſſe mitiſſimum: miſertus enim populi, modò aquam, modò carnes, modò manna, modò veniam à Deo impetrabat; ſed & ſancto zelo ſuccenſus, idololatras trucidauit, & delinquentes puniuit.

Primum, ſit vir mitis & manſuetus.

Humano affectu ſit nudatus.

Soluit Moyſes calceamenta de pedibus ſuis, quoniam locus ille, ad quem accedere volebat, ſanctus erat. Quo ſignificatur, ductorem familiæ Terræ ſanctæ debere exui & expoliari à rebus omnibus temporalibus & affectu illarum, in calceamentis pedum præfigurato, quoniam eundum ei eſt ad locum ſanctiſſimum, vbi non Angelus, ſicut in illo Moyſis, ſed Angelorum Dominus humana carne veſtitus viſibiliter apparuit glorioſus & humilis. Hoc ipſum etiam alio modo in illo facto Moyſis præſignatum inuenio. Cùm enim iam in itinere eſſet, vt ſibi impoſitam adiret prouinciam, effetque in diuerſorio cum Sephora vxore ſua & duobus filiis ſuis, occurrit ei Angelus Domini, qui eũ interficere volebat. Hoc videns Sephora, & ſuſpicata (quod res erat) ideò marito ſuo imminere mortem, quia vnus filiorum ſuorum adhuc erat incircumciſus; vt eum à periculo liberaret, illicò arrepta acutiſſima petra, circumcidit filium:

Moyſes quare mortis incurrerit periculum.

filium : eoque facto, receſſit Angelus, & Moyſen illæſum dimiſit. Creditur enim in eo deliquiſſe Moyſen, & ideò ab Angelo eum fuiſſe interficiendum, quòd vtrumque non circumciderit filium. Cauſa delicti eſſe potuit, quòd cùm iturus ad fratres ſuos in Ægyptum, operæpretium duceret circumcidere filios ſuos more gentis ſuæ, altero circumciſo, alterum importunis vxoris ſuæ precibus incircumciſum reliquerit, ac propterea mortis metu perterrefieri meruerit, quam tamen euaſit vxoris ſuæ filium ſuum celerrimè circumcidentis prudentia. Animaduertens verò, vxorem ſuam omnia lamentis & querimoniis complere, & ſubinde filiolo, quem inuita circumciderat, dicere, *Sponſus ſanguinum tu mihi es*, Exod. 4, 26. idque moleſtiùs accipiens, ne deinceps aduerſantem in via Dei haberet, & vt hiſce domeſticis impedimentis ſolutus, liberiùs poſſet Domini iuſſiones implere; mutato in melius conſilio, vxorem liberoſque domum remiſit, vt neceſſariò infert S. Auguſtinus Serm. 86. de Temp. & quæſt. 12. in Exodum, ex collatione loci huius cum his quæ poſteà dicuntur in eodem Exodi libro cap. 18. de cognato ipſius Moyſi. Cùm enim Iethro ſocer Moyſis audiuiſſet Moyſen cum populo Iſraelitico ex Ægypto peruenisſe ad monté Sinai, reduxit ad eum vxorem ſuam cum filiis. Ergo neceſſe eſt, quòd Moyſes in Ægyptum proficiſcens remiſerit eos in terram Madian, ipſe verò ſine ipſis proſecutus fuerit iter ſuum. Ex hoc Moyſis exemplo colligimus, ductorem peregrinorum ad Terram ſanctam à ſe abdicare debere omnem affectũ, etiam parentum, & quidquid ipſum impedire vel ab impoſiti muneris executione retardare poſſet; quem in hoc ceteri porrò peregrini imitari deberent. Qui enim propter Deum peregrinatur, omnes ſæculi affectus deponat neceſſe habet, ne perturbationibus ludibrio ſit. *Qui à ſæculo peregrinatur, mundum iam nullatenus attingat*, inquit Climacus.

Secundum, Habeat facultatem in ſcriptis.

Secundò, His omnibus expeditus, etſi arduum ſit munus ad quod eſt electus, debet tamen illud humiliter ſuſcipere, ne Spiritui ſancto reſiſtere videatur; & vt alter Moyſes debet ſuæ auctoritatis ſignum accipere, litteras videlicet obedientiales à Superioribus, vt eas quibuſcumque, oblata occaſione, oſtendere poſſit, quò cuncti intelligant eum à Deo fuiſſe miſſum, eique tamquam Legato Dei in omnibus eſſe obtemperandum: haud ſecùs quàm per prodigioſam virgam, Moyſen Dei nuntium fuiſſe, comprobatum fuit.

Tertium,

Tertiò, Moyſes accepta auctoritate elegit operis coadiutorem Aaron fratrẽ ſuum, virum prudentem & eloquentem. Præſul etiam Terræ ſanctæ in munere ſuo (non enim nullius momenti eſt) ſollicitus ſit de prudenti ac prouido viro, qui in neceſſariis ſit illi adiutor. *Habeat adiutorem & vicarium.*

Quartum, De multis idoneis miniſtris prouideat.

Quartò, Aduertat Præſul Terræ ſanctæ, pluribus ſe viris ad omnia ferè exercitia indigere in gubernatione familiæ & locorum ſanctorum, qui non ſolùm contemplationi, ſed & actioni, imò vtrique incumbant, prædicando, confeſſiones peccatorum audiendo, &c. vt Capite ſuperiori diximus. Quare cùm ex ſe non poſſit omnium perfectam habere notitiam, conſulat Ordinis Miniſtros, & alios prudentes ac timoratos Fratres, à quibus certior reddatur de conditione Fratrum ducendorum. Quod ſuo exemplo indicauit Moyſes, quando, accepta legatione, cum Aaron fratre ſuo in Ægypto congregari fecit cunctos ſeniores filiorum Iſrael, quibus Domini voluntatem, ſignis & prodigiis comprobatam, patefecit, vt omnes actus ſuos ex illorum conſilio & prudentia diſponeret: quorum etiam opera poſteà in deſerto vſus fuit, prout conſuluit ſocer eius Iethro; & denique ſingulariter miniſterio Ioſue. At quare tot adhibuit miniſtros? Reſponſionem accipe ex verbis Philonis in illius Vita. *Rex*, inquit, *erat Moyſes, legiſlator, Pontifex, & Propheta. Multis indiget miniſtris, qui multis imperat.* Quomodo poterunt vnius hominis manus, pedes, oculi, aures, numeroſæ multitudini deſeruire? Pluribus indiget miniſtris, qui ſint velut illius animata inſtrumenta, vt pluribus poſſit ſatisfacere. Scitè enim dixit Ariſtoteles, *Miniſter in artibus inſtrumenti locum obtinet*, eſtque inſtrumentum animatum. Quare cùm Præſul Terræ ſanctæ plurium curam & ſollicitudinem habere debeat, plures etiam auxiliatores & miniſtros habere debet, eoſque (vt dixit S. Bonauentura de mittendis inter infideles) robuſtos corpore, in fide conſtantes, & in virtute probatos.

Quintum, Patientiam non deſerat.

Quintò, Patientia & ſollicitudine magna indiget, quemadmodum etiam Fratribus cum eo profecturis patientia eſt neceſſaria & conſtantia. Sollicitudo inquam Præſuli & ſubditis eſt neceſſaria & conſtantia, propter multas quæ ex omnibus partibus ſe offerent difficultates, quæ Fratres facilè à cœpto propoſito deterrere poterant: ideò ſollicitudine & dexteritate Prælati animandi ſunt, & certiores reddendi, omnes eos diuina miſericordia ſine dubio ab omnibus terræ mariſque periculis liberandos eſſe, eò quòd Dominus ductor & protector illorum præcipuus ſit. Nec fruſtrà illos ſic animabit;

Digitized by Google

mabit; cùm enim à trecentis & ampliùs annis, quibus loca ſancta noſtri ſacri Ordinis curæ & regimini commiſſa fuerunt, ſinguli triennis familia per mare eò ducta fuerit, numquam tamẽ auditum eſt, vel vnam ex omnibus periiſſe, quamuis eodem ſimul tempore haud rarò plures naues aliæ, vel naufragium paſſæ, vel vndis ſubmerſæ, vel à piratis captæ fuerint; quia non deſeret Dominus populum ſuum, & plebem ſuam non derelinquet. Quin, quantum ego quidem obſeruaui, & longæua traditione ab aliis accepi, non eſt memoria, quòd aliquis peregrinorum Aleppo Syriæ, vel Damaſco, aut Cairo, aliiſve circumuicinis partibus, pietatis ergò Ieroſolymam venerit, qui à tribulatione, quam paſſus ſit, non fuerit diuino beneficio erutus. Eiuſmodi curam & ſollicitudinem, propter multas difficultates quæ occurrerunt in eductione populi Iſraël de Ægypto, obſeruare licet in Moyſe illius populi Duce. Huic enim iam vxoris & filiorum faſtidio ſuperato, reſtiterunt Pharao, magi, aruſpices & arioli, imò & ipſi Iudæi, qui cùm gratias priùs egiſſent ob felix nuntium liberationis ſuæ, poſteà exire tergiuerſabantur; educti verò & liberati, toties in Ægyptum redire volebant, toties in ipſum inſurrexerunt, toties de eo conqueſti fuerunt, vt paſſim in Exodo legitur. Verùm ille ſua prudentia, longanimitate ac ſollicitudine omnibus difficultatibus ſapientiſſimè obuiauit. Et ſanè omnem hunc euentum colligere poterat Moyſes ex circumſtantiis ſuæ vocationis, quando in latere illo Montis Sinai, quod dicitur Horeb, vidit rubum, qui in flammis manebat illæſus. In ea enim mirabili viſione portendebantur, quæ breui populo Iudaico obuentura eſſent, diuinum inprimis auxilium, quo ex omnibus tribulationibus & anguſtiis liberandus erat. Ita viſionem illam explicat diſertiſſimus Iudæorum Philo. Cùm enim rubus frutex ſit admodum debilis, ac ſeipſum ſuſtinere non valens, inſuper etiam adeò ſenticoſus, vt pænè ſolo contactu vulnera infligat; præmonſtrabat, Iudæorum debilitatem diuina virtute adeò validam breui futuram, vt multis plagis, veluti ſpinis, Ægyptios eſſet vulneratura, ipſa indemnis euaſura; quamuis hæc non ſtatim intellexerit Moyſes.

Ieroſolymitana familia incolumis ſemper permanſit.

Ob hanc ipſam rationem voluit Dominus Hebræos quatriduo in domibus ſuis ſeruare agnum, quem quarta die ſacrificaturi erant, quando videlicet diſceſſuri erant ex Ægypto; quia, vt inquiunt Iudæi inter alias rationes huius cærimoniæ, voluit eos Dominus in diuina protectione confidere, nec Ægyptios formidare. Licet enim Ægyptij hoſtili odio inſectarentur eos, qui vel ad eſum, vel ſacrificij cauſa occidebant oues & boues, quibus animalibus ipſi diuinũ honorem & cultum adhibebant, adeò vt eos lapidibus obruerent, vt docent expoſitores in caput 8. Exodi: Dominus tamen, vt oſtenderet, Hebræis, ſuo munitis præſidio, nihil nocere poſſe Ægyptios, mandauit vt non modò agnum immolarent, ſed vt quatuor antè diebus palàm in domos ſuas ducerent, & inſpectantibus Ægyptiis toto illo tempore ad immolationem præparatum haberent. Pari modo qui cum ſacri Montis Sion Præſule ad Terram ſanctam proficiſcuntur, confidant ſe diuino beneficio ab omnibus periculis liberandos, cùm anteà iam alij à ſimilibus ſemper liberati fuerint.

Sextò, Tempus eligat nauigationi opportunum, ne fortè tempore minùs congruo nauigans, ventis procelliſq; agitati ipſe & tota illa ſacra familia periculo exponantur, & timore mortis cõtinuo detineantur: nõ enim miracula à Deo expectanda ſunt, quando naturali via commoditas datur de neceſſariis prouidendi. Tempus verò opportunum erit vel in æſtate, vel in vere. Hoc documentum colligo ex quodam Domini præcepto facto Iſraëlitis in ſua ex Ægypto profectione. Præcepit Dominus filiis Iſraël per Moyſen & Aaron, vt iter ſuum inciperent circa principium menſis Niſan, qui reſpondet noſtro Martio, & à tempore liberationis poſteà dictus fuit primus menſis anni ſacri, & primus menſis verni temporis & menſis nouorum, hoc eſt menſis nouarum frugũ, vt in Exodo & Deuteronomio clariùs explicatur, eò quòd circa illum menſem in illis regionibus, vtpote calidioribus, ſegetes matureſcere incipiant. Pererius in c. 12. Exodi diſp. 1. n. 4. id refert ad regionem Paleſtinæ, *vbi* (inquit) *ſegetes eo menſe matureſcere incipiunt*. Verùm ego arbitror ad Ægypti eſſe referendum regionem, in qua tunc erant Hebræi, vbi citiùs ſegetes quàm in Palæſtina matureſcunt, quoniam calidior & feracior terra. Et ſanè hiſce noſtris temporibus non id vidimus in Palæſtina. Non inficior tamen, etiam aliàs in terra Chanaan in menſe Niſan non ſolùm incepiſſe matureſcere ſegetes, ſed etiam maturas colligi: quare Niſan menſis appellatur tempus meſſis; & in feſto azymorum, quod incidit in decimamquintam diem menſis primi, id eſt Niſan, ex præcepto de nouis frugibus iam maturis offerebantur manipuli in farinam conuertendi: & denique Iſraelitæ tranſierunt Iordanem, quando veneruntin terram Chanaan, die decima huius menſis, & poſt dies quinque, hoc eſt decimoquinto die, comederunt Iudæi de frugibus

Sextum, Tempus nauigationi opportunum eligat.

nouis

nouis eiuſdem anni, & ceſſauit Manna. Vide Abulenſem quæſt. 35. in cap. 3. Ioſue. Et hæc de obſeruandis à ductore & Præſule familiæ Ieroſolymitanæ, quando proficiſci parat ad Terram ſanctam.

CAPVT XXIX.

Documenta nonnulla, ab omnibus ad Terram ſanctam proficiſcentibus obſeruanda.

Sex generalia præcepta omnibus peregrinis communia.

Primum, ſint à Deo inſpirati.

PRimum documentum, Nemo aſſumere debet ad ſancta Ieroſolymorum loca peregrinationem, niſi à Deo fuerit inſpiratus, vt pluribus iam explicuimus Cap. xxv. quod indicauit Dominus Moyſi, cùm illi in ardenti & incombuſto rubo apparuit, & in mandatis dedit, vt filios Iſraël de Ægypto in terram fluentem lac & mel educeret; & ipſi Iſraëlitæ ſimiliter à Deo per Moyſen intellexerunt.

Secundum, magnam Dei gratiã cõſiderent.

Secundum, Diligenter attendant quicumque à Deo vocati ſunt, quibus gratiis & priuilegiis donentur: quia non velut exteri, ſed vt dilectiſſimi primogeniti Dei æſtimantur, introducendi in domum Patris, & in cubiculum Genitricis, quod ſuprà Cap. viii. monſtrauimus. Quare & populus ille Iudaicus, in Terram ſanctam introducendus, dictus eſt populus Dei & eius primogenitus, voluitque Deus profectionem illam ſpeciali ſolemnitate celebrari, & pluries in ſacris Litteris illius memoriam fieri. Intelligant ergo, velut primogenitos ſe à Deo regendos & gubernandos, & ipſos viciſſim velut primogenitos erga tantum Patrem ſe gerere debere.

Tertium, ſint in tribulationibus conſtantes.

Tertium, Qui illuc proficiſci contendunt, non otio, ſed laboribus ſint aſſueti, & qui tribulationes forti animo ſuſtinere ſciant; quoniam multa aduerſa ſeſe offerunt, vel ſaltem ipſi ſe aduerſis in illo itinere exponunt, quæ inexpertum & tyronem facilè poſſent à cœpto ſuo auertere. Ideò enim Deus voluit populum ſuum priùs multis laboribus & tribulationibus exercere, antequam eum in Terram ſanctam introduceret, vt pluribus in Exodo explicat Moyſes. Fortiori verò conſtantia opus eſt illis, qui eò ſe conferunt vt ibi permaneant: ſi enim impatientes ſint, ſibiipſis & locis ſanctis præiudicium facient, ideoque, vt inutiles regimini locorum ſanctorum, relinquendi ſunt.

Quartum, terminum peregrinationis conſiderent.

Quartum, Conſiderent, quantæ ſint ſpirituales deliciæ, & quàm vberes fructus, qui ex illa profectione colligi poterunt, quia illa loca calcabunt, vbi Chriſtus de Virgine Maria conceptus & natus eſt, &c. Ex huiuſcemodi enim conſideratione timor, quem ex infidelium barbarie concipere poterant, omnino tolletur, vel ſaltem iter non retardabit: ſpes enim rei digniſſimæ aſſequendæ vel tollit, vel ſaltem mitigat omnem moleſtiã, vt hilariore animo toleretur quicumq; ſubeundus eſt labor. Ideò Dominus poſtquã dixerat Moyſi, populum Hebræum introducendum eſſe in terram Hethæi aliorumque ferociſſimorum populorum, addidit etiam terram illam fluere lacte & melle; vt ex huius dulcedinis conſideratione allecti, iſtorum feritatem & barbariem minùs formidarent.

Quintũ, pro tali electione Deo gratias agant.

Quintum, Qui à Deo ad hoc ſanctum iter illuminati & vocati ſunt, ei debitas reddant gratias. Si enim in omnibus & pro omnibus gratias agere debemus Patri per Filium (vt dixit S. Apoſtolus) quantò magis pro tam digna vocatione, quæ argumentum (niſi mea me fallit opinio) eſt ſingulare diuinæ dilectionis? Hoc documentum nobis ſuo exemplo reliquerunt Iudæi. hi enim *vt audierunt quòd viſitaſſet Dominus filios Iſraël, & quòd reſpexiſſet afflictionem illorum, proni adorauerunt*, Exod. 4, 31.

Sextum, ſpiritualibus ac temporalibus bonis munitis eant.

Sextum, Sciant, quibuſcumque ad Terram ſanctam proficiſci eſt animus, non eundum eſſe illuc manu vacua, ſed plena bonis ſpiritualibus & temporalibus. Spiritualibus quidem, vt gratia & bonis operibus fulgeant, ne tantus labor, quem Dei gratia aſſumunt, mercede debita careat; quod contingeret, ſi illum in mortali peccato ſuſciperent. Quare vt hæc peregrinatio illis ad præmium vitæ æternæ proficiat, & pleni gratia bonisque operibus incedant, præmittant ſuorum peccatorum veram ac ſinceram confeſſionem, ac ſacratiſſimum Euchariſtiæ ſuſcipiant Sacramentum, quod eſt panis, in cuius virtute & fortitudine peruenient vſque ad ſanctam Dei habitationem. Et ſanè pro Fratribus Minoritis hoc in Seraphici Ordinis Statutis generalibus decernitur. Videantur Statut. gener. Salmant. ad c. 12. Reg. Min. & Vallifolet. 1393. §. Et de communibus eleëmoſynis. & §. Quo autem die. Eant etiam cum ſufficienti bonorum temporalium apparatu, tum vt in longo & arduo itinere ſibimet ſubuenire poſſint, hoc enim exigit diuina prouidentia, & prudentia humana; tum vt munera Deo in Ieruſalem pro illius cultu ac locorum conſeruatione offerre poſſint. ipſe enim dixit: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*, Exod. 23, 15.

Pecunia, patientia, fides Terræ ſanctæ peregrino neceſſaria.

Et hæc communi ac vulgari illo dicto indicari arbitror, proficiſcenti ad Terram ſanctam tria plena marſupia neceſſaria eſſe, alterum pecuniæ, patientiæ alterum, tertium

Pecunia, patientia, fides Terræ ſanctæ peregrino neceſſaria.

tium denique fidei. Ecce temporalia & ſpiritualia bona. Hoc præfiguratum video in eo, quod Dominus præcepit Moyſi & Hebræis, ne egrederentur de Ægypto vacui, ſed pretioſa quæque mutuarent, quæ ipſis poſteà vſui eſſent. Ecce ab Ægyptijs, à mundo accipiendæ ſunt diuitiæ pro illo itinere. Agnum cum quibuſdam cærimonijs comedi præcepit Dominus Iſraëli, quo præfiguratum fuit, ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum ante ipſum iter dignè eſſe ſuſcipiendum.

Quinque alia obſeruanda, à Chriſto Domino S. Birgittæ reuelata.

Non erit ab inſtituto noſtro alienum, nec pio Lectori iniucundum, hîc ex Reuelationibus S. Birgittæ ſubſcribere quæ obſeruanda ſint abeuntibus ad terras infidelium. Filius enim Dei ſic B. Birgittæ locutus eſt: *Omnis qui terras infidelium viſitare deſiderat, debet habere quinque. Primò, exonerare conſcientiam ſuam contritione & confeſſione vera, tamquam ſtatim moriturus. Secundò, debet deponere omnes leuitates in moribus & veſtibus, non attendendo ad conſuetudines nouas, ſed ad illas laudabiles à prædeceſſoribus ſuis inſtitutas. Tertiò, nolle habere aliquid temporale niſi ad neceſſitatem & honorem Dei; & ſi ſciuerit aliquid iniuſtè acquiſitum, vel per ſe, vel à parentibus, velle reſtituere, quantumcumque paruum vel magnum. Quartò, laborare ad hoc vt infideles veniant ad fidem veram, non concupiſcendo diuitias eorum, nec iumenta eorũ, ſeu alia, niſi ad ſolam corporis neceſſitatem. Quintum eſt, velle libenter mori pro honore Dei, & ſic ſe antè diſponere in laudabili conuerſatione, vt ad pretioſam mortem mereatur peruenire.*

CAPVT XXX.

Quæ obſeruanda ſint in ipſo ad Terram ſanctam itinere.

Octo in itinere obſeruanda.

QVæ à proficiſcentibus ad Terram ſanctam in ipſo itinere obſeruanda veniant, octo enumero.

Primum, cum gaudio & timore peregrinationem aſſumant.

Primum, Cum gaudio & timore Domini nauem conſcendant. Hoc documentum exemplo ſuo reliquerunt nobis filij Iſraël. Hi enim cùm iuſſu Moyſi in Rameſſe in vnum congregati, & benè de omnibus quæ facere deberent in ſuo diſceſſu à duce ſuo Moyſe inſtructi eſſent (teſte enim Ioſepho 2. Antiquit. cap. 5. prope finem, & ipſo ſacro Eloquio docente, certum eſt, Moyſen diuino monitu prædixiſſe omnia populo ſuo quæ ventura erant, & quæ facere debebat, vt videlicet, ſtatuto tempore Paſcha celebrato, diuinaque ope implorata, ad exitum de Rameſſe prompti paratique inuenirentur, vt turmatim ordinateque incederent, ſecum deferentes omnia quæ ad ipſos pertinebant, cum pretioſis vaſis & alijs quæ priùs ab Ægyptijs mutuauerant; vt item ſecum exportarent oſſa Ioſeph Patriarchæ, prout ipſe morti proximus adiurauerat filios Iſraël; vt denique ſimul deferrent oſſa aliorum Patriarcharum, vt, quando de Sichem agemus, dicemus cum D. Hieronymo) cum pauore & lætitia diſceſſerunt ex Ægypto. Ita Fratres noſtri, & quicumque velut veri Iſraëlitæ ad eamdem Terram commigrare volunt, ſi de omnibus priùs benè inſtructi fuerint (vt diximus) & certo in loco, qui ordinariè Venetijs eſſe ſolet, conueniant. Hic *Miſſa* (vt dicitur in Statutis generalibus Ordinis Salmant. ad c. 12. & Valliſol. 1593.) *per Guardianum Ieroſolymitanum, Terræ ſanctæ Commiſſarium & Cuſtodem, ſolemni ritu decantetur, & omnes eius familiæ Sacerdotes celebrent, ac reliqui laici omnes, ſacra peccatorum confeſſione præmiſſa, deuotè communicent.* Poſteà *Guardianus S. Franciſci de Vinea, cum vniuerſa eius loci familia, proceſſionaliter ad nauem* peregrinos deducant. In Proceſſione autem eiuſmodi Pſalmi ac Hymni, *qui ad rem magis facere videntur, religioſè quidem ac piè decantentur.* Nec tamen ſine pauore & timore ſint eiuſmodi ſigna lætitiæ, ſed gaudium & timor ſimul copulentur, vt diximus. Adſit gaudium & lætitia, quæ eos ad promptè eundum prouocent, vadunt enim ad loca ſancta; ſed & adſit timor, ob multa mortis pericula, quibus ſe exponunt: vt ſemper ſint parati occurrere Domino venienti, per aſſiduam mortis meditationem. Hoc docuerunt filij Iſraël, qui lætitiam præ ſe ferebant, quòd liberi iam à ſeruitute peſſima, exirent tot diuitijs onuſti ad Terram lacte & melle manantem; ſed & pauorem & timorem, dum oſſa mortuorum, quæ continuè eis moriendum eſſe ad memoriam reuocabant, ſecum detulerunt. Ad hanc lætitiam Iudæorum reſpiciens Dauid, dixit: *Et eduxit populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia*, Pſ. 104, 42. ad timorem verò ipſe Dominus, dum de obſeruandis in menſe nouarum frugum, qui fuit is in quo egreſſus fuit populus Iſraël de Ægypto, per Moyſen dixit: *Non comedas in eo panem fermentatum: ſeptem diebus comedes abſq; fermento afflictionis panem, quoniam in pauore egreſſus es de Aegypto*, Deut. 16, 3. Niſi forte dicere velimus (quod etiam propoſito noſtro deſeruit, & facit ad concilliationem illorum Scripturæ locorum, apparenter ſibi aduerſantium) id, quòd populus Iſraël exierit cum lætitia & pauore, non tam referendum eſſe ad exitum Iſraëlitarum de Rameſſe, vbi nihil ei

Locorum ſacræ Scripturæ conciliatio.

timendum occurriſſe apparet, quàm ad exitum de finibus Ægypti: tunc enim primùm maximo concuſſi ſunt pauore, quando ad Mare rubrum derepentè eos inſecutus & pænè aſſecutus eſt Pharao armatus. Et licet, Domino eis mirabiliter mare aperiente, per medium eius ſiccis veſtigijs incederent, non tamen ſine metu eſſe poterant, cùm viderent Ægyptios eadem ſe via inſequentes. Sed quando iam mari feliciter tranſuadato, viderunt Ægyptios fluctibus obrutos, & cadauera eorum ad littus eiecta, tunc magna cum exultatione ac lætitia iter ſuum proſecuti ſunt, & læti propter liberationem, tam viri quàm mulieres laudes & gratias Domino dederunt, vt legimus in Exodo. Quare reſpectu diuerſorum temporum pauore perculſi & lætitia perfuſi Iudæi dicuntur. Ita & peregrini noſtri Ieroſolymitani triſtes aliquando & dolentes in anguſtijs & periculis à tempeſtate & piratis deprehenduntur, ſed ab illis diuino beneficio liberati, & deſideriorum ſuorum compotes effecti, gaudio & lætitia perfuſi, Deo debitas grates reddant.

Secundum, cogitent ſe grauia in via paſſuros.

Ex hoc iam ſecundo loco aduertant, ſe multa terra mariſque paſſuros, famem, ſitim, aliaque incommoda, quæ longam nauigationem plerumque conſequuntur; à quibus diuina miſericordia liberandos ſe eſſe confidant, & pluribus gratijs cumulandos, ſicut contigit Iudæis poſt plura terræ mariſque ſuperata diſcrimina.

Tertium, à peccatis caueant.

Caueant tertiò, ne Dominum in itinere offendant, ne ab eo arceantur à Terra promiſſionis, ſicut pluribus contigiſſe nouimus, qui etſi iter aggreſſi fuerint, nõ tamen illuc peruenerunt; quoniam *multi ſunt vocati, pauci verò electi*, Matth. 20,16. Quòd clariſſimè priùs fuit in Iſraëlitis præmonſtratum, quorum pauciſſimi ex his, qui de Ægypto egreſſi fuere, ingredi vel videre meruerunt Terram ſanctam, idque propter eorum peccata. Idcircò ſemper cum metu & tremore incedant, ſalutis iter operantes.

Quartum, prudenter tractent cum infidelibus.

Quartò, aliquando (etiam inuitò) contendendum erit cum infidelibus hæreticis, Iudæis, & ſimilibus, qui ſeſe tum in mari tum in terra offerent. Quare cautè & ſapienter, diuino implorato auxilio, cum eis agendum eſt, non ab indoctis, ſed ab his quibus dedit Dominus ſpiritum ſapientiæ & intellectus, ne nos & fides noſtra irriſioni tradamur, ſed vel conuertantur illi, vel conturbantes præſcindantur, & abeant confuſi. Nam & pugnatum fuit ab Hebræis cum pluribus infidelibus qui ſe illorum itineri oppoſuerunt: ſed Moyſe feruentiùs orante, & Domino pro populo ſuo cum illis pugnante, victores glorioſi euaſerunt, vt in Exodo & pluribus ſacræ Scripturæ locis apparet.

Quintum, concordiam ſectentur.

Quintò, Omnes pacem & fraternitatem inter ſe pro virili conſeruent. Stent ſimul, & quis poterit præualere? Fratrum enim & familiarium diſcordia pernicioſior eſt quacumque externa aduerſitate. Verè enim & ſapienter dixit S. Ioannes Chryſoſtomus: *Nemo leditur, niſi à ſe ipſo.* Huius charitatis & concordiæ defectu Iudæi murmurauerunt, idola conſtruxerunt, & alia perpetrarunt ſcelera: è quibus ideò plures in deſerto coacti ſunt mortem oppetere, plures item ab hoſtibus ſunt occiſi, omnes verò à Terræ illius ingreſſu prohibiti fuerunt, vt ex pluribus ſacræ Scripturæ locis liquet.

Sextum, orationes ac ſacrificia Deo offerant.

Sextò, Sicut Iſraëlitæ in deſerto ſacrificia obtulerunt, & Dominum deprecati ſunt; ita & noſtri in naui ea obſeruent, quoad fieri poteſt, quæ in proprijs Conuentibus, ita vt ſimul Officium diuinum perſoluant, & conſuetas orationes faciant. Cùm ad portum vel ciuitatem aliquam appuleriut, incruentum Deo altaris Sacrificium offerant, conciones ſpirituales ad populorum ædificationem habeant, laici verò deuotè communicent.

Septimum, ob prolixitatem temporis de reditu cogitent.

Septimò, Secum cogitent, quòd quemadmodum Iſraëlitæ, tum in pœnam ſuorum ſcelerum, tum ad eorum exercendam patientiam, diutiùs in deſerto detenti & circumducti fuerunt quàm viæ ſpatium exigebat, ita nõ ſemel ipſis obuenturum ſit, vt iter quod breuî, vento flante proſpero, perficeretur, ob contrarios ventos, non niſi longo tempore abſoluatur: id quod frequenter contingit vel propter peccata, vel vt patientia eorum probetur; imò haud ratò, quia tempus nauigationi incongruum elegerunt. Quòd ſi aliquibus contingat, nolim tamen eos ideò de reditu cogitare, prout ſuo cum damno cogitabant Iſraëlitæ. Perſeuerantibus enim corona datur.

Octauum, errata in itinere corrigant.

Octauò denique, Cùm ad confinia Terræ ſanctæ, vel ad ipſam peruenerint, ſecum diligenter expendant, an quid contra Deum deliquerint, & prævia confeſſione Sacramentali ſatisfaciant, nec peccati labe inquinati penitiora eius ingredi præſumant; recolentes, præceptum fuiſſe Moyſi, cùm accedere vellet ad locum ſanctum, vt ſolueret calceamenta de pedibus ſuis; & poſteà idem Ioſue fuiſſe imperatum. Quòd ſi S. Hieronymus non niſi ab omni peccato purus, & ab omni paſſione immunis, Martyrum Baſilicas intrare audebat. (*Quando*, inquit, *iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitauero, & me nocturnum phantaſma diluſerit, Baſilicas Martyrum intrare non audeo: ita totus & corpore & animo pertremiſco.*)

tremiſco.) potiore ratione animæ tranquillitas & puritas procuranda eſt ijs, qui electam domum Dei & ſanctam eius habitationem intrare volunt. Indecens eſt enim, domum Dei & tabernacula eius ingredi abſque nitida fulgentique veſte nuptiali diuinæ gratiæ, aut non ſolutis calceis paſſionum & affectuum terrenorum. Et hoc præfiguratum video in Iſraëlitis, qui vixdum Terram ſanctam ingreſſi, eos qui adhuc præputium habebant circumciderunt; ſicque Deo gratijs redditis, poſſeſſionem Terræ capeſſierunt. In illa enim corporali circumciſione portendebatur ſpiritualis peccatorum circumciſio, facienda ab ijs qui intrare volunt Terram ſanctam, de qua dicitur: *In quo* (id eſt Chriſto) *circumciſi eſtis circumciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti*, &c. Coloſſ. 2, 11. Atque ſic tandem benè diſpoſiti, cum gratiarum actione Terram ſanctam ingreſſi, loca ſancta venerabuntur magna cum lætitia & ſpirituali prouentu.

Tertium, vitia tollant.

Tertiò, Quemadmodum Iſraëlitæ (vt ſibi fuerat à Domino imperatum) debebant totis viribus debellare hoſtes illos infideles, Terram ſibi promiſſam inſidentes; ita fideles ad Terram ſanctam venientes, omni conatu, diuina gratia adiuti, vitia, noxiaſque ac rebelles paſſiones, in infidelibus idololatris præfiguratas, euellere, vel ſaltem ne præualeant, ſupprimere debent.

Quartum, Sacrificia offerant.

Quartò, Sacrificia obtulerunt filij Iſraël Terram ſanctam ingreſſi; ita noſtri incruentum Dominici Corporis Sacrificium, & cum eo cor contritum & humiliatum Domino offerant in holocauſtum.

Quintum, ſint in Dei obſequio feruentes.

Quintò, Omnia denique diligenter exequantur quæ diuinum cultum reſpiciunt, à quo nulla prorſus occupatione alia impediri ſe vel retardari patiantur, ne à Domino percutiantur; ſed potiùs cognoſcant & guſtent, quàm ſuauis & benignus ſit Dominus. Sed de fide, credulitate, ac veneratione locis ſanctis exhibenda, plura inferiùs dicemus.

CAPVT XXXI.

Quæ fieri debeant à peregrinis, poſtquam ad Terram ſanctam peruenerint.

Quinque obſeruanda in Terra ſancta.

CVm peruenerint ad ſanctam ciuitatem peregrini Ieroſolymitani, benignè à Præſule & familia ibidem commorante ſuſcepti, & ab eodem Præſule pedibus illorum ablutis, meminerint ſibi hæc quæ ſequuntur obſeruanda eſſe.

Primum, Deo pro beneficijs acceptis gratias agant.

Primò, Deo gratias agant, quòd ad optatum eos finem perduxerit; ideoq; læti ſimul cum Fratribus, de eorum incolumi & expectato aduentu gaudio perfuſis, accenſos deferant cereos, & *Te Deum laudamus*, vel alias diuinas laudes decantent. Pio verò ac graui Sermone ab vno Fratrum habito explicantur noſtræ ſalutis myſteria, quorum memoria in ſingulis locis celebratur, & ad pietatem, deuotionem, & eorumdem myſteriorum meditationem peregrini excitantur. Perinde fecerunt Iſraëlitæ, cùm iam, Iordane tranſuadato, Terram promiſſam ingreſſi, Deo debitas gratias perſoluerunt oblato Sacrificio, vt indicat Ioſephus lib. 5. Antiq. cap. 1. & ex libro Ioſue quodammodò deduci poteſt.

Secundum, loca ſancta & in eiſdem patrata myſteria conſiderent.

Secundò, Conſiderent diligenter loca illa ſancta, & myſteria in eiſdem patrata ruminent, illaque tenaciter memoriæ ſuæ imprimant, quoniam in poſterum mentes eorum excitabunt ad myſteria noſtræ Religionis penitiùs conſideranda. Ita fecerunt Iſraëlitæ cùm Terram Chanaan iuſſu Ioſue diligenter perluſtrarunt.

CAPVT XXXII.

Quæ iiſdem peregrinis facienda ſint, dum, peregrinatione abſoluta, & deuotione in locis ſanctis peracta, domum reuertuntur.

Quatuor in reditu obſeruanda.

TAm peregrini quàm Fratres, qui completa Ieroſolymorum & Terræ ſanctæ peregrinatione, ad propria reuertuntur, ſequentia totis viribus exequi contendant.

Primum, conceptam pietatem conſeruent.

Primò, Studeant in primis ſpiritum ac pietatem, quam ſibi in locis ſanctis comparârunt, conſeruare & augere: parum enim prodeſſet ingredi perfectionis viam, niſi perficiatur: ſicut non profuit vxori Lot, egreſſam fuiſſe ex Sodomis ad montem vbi ſaluaretur, quia reſpexit. Finis coronat opus: & ex ſententia Saluatoris, non qui inceperit, ſed *qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*, Matth. 24, 13. Ad hoc autem proderit, ſæpiùs memoria recolere ſingularia beneficia, quæ illis contulit Dominus, dum eos conduxit incolumes ad videndum illa ſanctiſſima loca vbi ſteterunt pedes Domini, & quòd videre meruerint ea quæ multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, & non viderunt: repetantque verba illa corde & ore frequenter cum Regio Vate: *Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Ieruſalem*, Pſal. 121, 2. Non recedat vmquam ex eorum mentibus, quæ bonus Ieſus Dei & hominis Filius, pro ipſis & totius mundi ſalute in ſanctiſſimis illis locis ope-

Diuina beneficia recolenda.

Digitized by Google

rari dignatus est ; dicantque cum Iudæis illis, qui in Babylonica captiuitate detenti, reuoluentes continua memoria egregia bona iam degustata sanctæ ciuitatis, dicebant: *Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ*, Psal. 136, 5. & similia ; sicque ad alia etiam suscipienda beneficia se disponant. Ab omni peccato caueant, Deum præ oculis semper habentes, ne à reditu ad propria impediantur, inopinatoque euentu retardentur.

Secundum, simul ad propria reuertantur peregrini.

Secundò, In omnibus quidem peregrinis qui in comitatu & societate venerunt, quàm maximè verò in Fratribus nostris exopto, vt, quando aliud non obstat, vnanimes concorditer reuertantur ad proprias regiones, & cum suo Præsule isti ad suas prouincias, vel saltem ad fidelium oras: hoc enim pacto melius illis consultum & prouisum erit, multaque euitabuntur incommoda. Verè enim id à Sapiente apertis verbis dictum est: *Melius est duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ: si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. væ soli: quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se. Et si dormierint duo, fouebuntur mutuò: vnus quomodo calefiet? Et si quispiam præualuerit contra vnum, duo resistunt ei: funiculus triplex difficile rumpitur*, Ecclesiastæ 4, 9. Et pro Fratribus hoc determinatum est in eorum Statutis generalibus Statut. Salmant. ad c. 12. Reg. & Vallisol. 1593. Quare non semel contingit, vt hanc vnitatem & liberam sanctamque subiectionem paruifacientes, multa cogantur experiri incommoda. Soli enim quidã abeuntes, capti fuerunt à Turcis & piratis, alij naufragarunt, & alij denique aliis inuoluti fuere incommodis, quibus numquam audiuimus expositos fuisse illos, qui vnanimes cum proprio redierunt Præsule. Non tamen me latet, illa posse illis aliis de causis accidisse, vt quòd non eo spiritu, quo venerunt, recessernnt ; vel quia renuunt modicum sufferre laborem liberè seruiendo locis sanctis, coguntur seruire illis qui non permittunt eis requiem nec die nec nocte ; vel etiam ad maiorem illorum spiritalem prouentum, vt tribulationibus exercitati, per patientiam, quæ opus perfectum habet, perfecti euadant.

Tertium, Deo pro acceptis beneficiis gratias agant.

Tertiò, A tam longa periculisque plena peregrinatione domum ad amicos & cognatos reuersi, primùm omnium Deum adorent, templum ingrediantur, ibique gratias agant, quòd sua eos protectione sospites & incolumes duxerit ad sancta loca, & ad propria reduxerit. Consuluit hoc Angelus Tobiæ adolescentis ductor in eiusdem peregrinatione ad ciuitatem Rages, cùm incolumis cum vxore & aliis bonis ditatus ad parentes suos reuerteretur. *Dixitq; Raphael ad Tobiam*, ait sacer Textus, *At vbi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum, & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & osculare eum*, Tob. 11, 7. Vbi vides, ante osculum patris gratias esse Deo persoluendas ; & meritò : quia primùm Dei regnum quærendum est & iustitia eius, ac consequenter Deus parentibus præferendus. ait enim Christus: *Qui amat patrem suum aut matrem suam plus quàm me, non est me dignus*, Matth. 10, 37. quod suo exemplo ipse Christus ostendit, quando à suis parentibus in medio Doctorum inuentus, illis dixit: *Nesciebatis, quia in iis quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Luc. 2, 49. Et quandocumque Ierosolymam veniebat, Templum ingredi consueuerat, vt Euangelistæ commemorant. Igitur & nostri peregrini ad propria reuersi, consilium Angeli & Domini exemplum lectentur.

Quartum, de gratia non superbiant.

Quartò denique de acceptis beneficiis non superbiant, nec credant se ideò in gratia confirmatos, peccareq; non posse. Nam & filij Israel à Deo plurimùm dilecti, & plures alij qui propriis pedibus Terram sanctam inambularunt, & spirituales ibi fructus decerpserunt, in pluribus posteà deliquerunt, factaque sunt nouissima eorum peiora prioribus: sed humiles Deo semper pro acceptis beneficiis gratias agant, & continuè in sanctis operibus se exerceant, quemadmodum fecerunt Hebræi post reditum ad patriam ex Babylonica captiuitate ; vt post terrestris Ierusalem & huius vitæ peregrinationem ad cælestem, quam inquirimus, Beatorum patriam peruenire possimus.

CAPVT XXXIII.

De externa profana, sed honesta ac laudabili peregrinatione.

HActenus egimus de externa siue corporali sacra Terræ sanctæ peregrinatione, pluribusque explicuimus quæ ad illius religiosam laudabilemque assumptionem videbantur necessaria: superest vt nunc agamus de eadem externa, sed profana peregrinatione, quoniam & ista nonnumquam à pluribus assumitur. Paucioribus tamen agemus, quia vt illa assumatur, non est nostræ intentionis fidelibus persuadere.

Primo Capite huius libri distinximus peregrinationem in genere in sacram & profanam : & sacram diximus illam, cuius

finis

finis ſacer & purè ſpiritualis eſt, Deus ſcilicet & cæleſtis patriæ conſecutio; profanam verò, quæ quemuis alium finem ab iſto habet.

Duplex profani nominis ſignificatio.

Iam hoc in loco aduerto, nomen hoc *profanum* dupliciter vſurpari poſſe: vno modo ſecundùm nunc indicatam ſignificationem; profanum enim dicitur quaſi procul à fano, id eſt templo, hoc eſt, procul à rebus ſacris & Deo dicatis. Vnde etiam ſecundùm Iura cauſa profana dicitur, quæ de rebus ſæcularibus, non Eccleſiaſticis aut ſpiritualibus ordinatur. Et ſic ſumitur apud Ezechielem, vbi de Iudaici populi ſacerdotibus dicitur, quòd inter ſanctum & profanum non habuerint diſtantiam. Alio modo accipitur profanum ſecundùm ſacræ Scripturæ conſuetudinem, prout dicitur de homine magnis & horrendis ſceleribus irretito; & in hunc ſenſum accipitur apud eumdem Ezechielem, vbi dicitur: *Tu autem profane, impie dux Iſraël*, &c. *aufer cidarim, pone coronam*, Ezech. 21, 25. &: *Profana autem & vaniloquia deuita*, 2. Tim. 2, 16. &: *Ne quis fornicator, aut profanus, vt Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primitiua ſua*, Hebr. 11, 16. Et alibi frequenter in hac ſignificatione vſurpatum inuenitur. Et *profanum* hoc modo, non ſolùm opponitur ſacro & ſpirituali, ſed etiam profano honeſto ac laudabili.

Pater Gretſerus lib. 1. Sacrarum peregrin. c. 1. accepit ſacrum primo modo, dum peregrinationem diſtinxit in genere in ſacram & profanam. Nos aliqua dicemus de peregrinatione profana, quatenus profanum opponitur ſacro, ſed non honeſto; & etiam de profana, id eſt ſacrilega & turpi: de illa præſenti Capite, de iſta ſequenti.

Profana honeſta peregrinatio quid.

Profana ſed honeſta peregrinatio eſt, quæ licet non habeat finem ſacrum, alium tamen habet honeſtum ac laudabilem, qualis eſt quæ aſſumitur gratia addiſcendi varias linguas ac ſcientias, cognoſcendi varias nationes & diuerſos viuendi ritus, inuiſendi doctos celebreſque viros, ob diuitias licitè comparandas, & ob alium ſimilem finem. Huius peregrinationis, quæ vſitatiſſima eſt, innumera habemus teſtimonia, & exempla. Nos vnico D. Hieronymi teſtimonio, & paucis additis exemplis, honeſtatem & vtilitatem huiuſce peregrinationis explicabimus.

Sanctus ille Doctor in Epiſtola ad Paulinũ de eiuſmodi inſtituentibus peregrinationẽ, peculiariter verò de iis qui, propriis ædibus relictis, valde diſſitas peragrarunt regiones, vt celebres viros inuiſerent, ingeniique opibus diteſcerent, ſequentia ſcripſit. *Legimus in veteribus hiſtoriis, quoſdã luſtraſſe prouincias, nouos adiiſſe populos, maria tranſiſſe, vt eos quos ex libris nouerant, coràm quoq; viderent. Sic Pythagoras Memphiticos vates, ſic Plato Aegyptum & Architam Tarentinum, eamq; oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laborioſiſſimè peragrauit; vt, qui Athenis erat Magiſter & potens, cuiuſq; doctrinam Academia Gymnaſia perſonabant, fieret peregrinus atque diſcipulus, malens aliena verecundè diſcere, quàm ſua impudenter ingerere. Denique cùm litteras quaſi toto fugientes orbe perſequitur, captus à piratis, & venumdatus, etiam tyranno crudeliſſimo paruit, captiuus, vinctus, & ſeruus: tamen, quia philoſophus, maior emente ſe fuit. Ad Titum Liuium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de vltimis Hiſpaniæ Galliarumq; finibus quoſdam veniſſe nobiles legimus: & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus ſeculis celebrandumq; miraculum, vt vrbem tantam ingreſſi, aliud extra vrbem quærerent. Apollonius, ſiue ille magus (vt vulgus loquitur) ſiue Philoſophus, vt Pythagorici tradunt, intrauit Perſas, pertranſiuit Caucaſum, Albanos, Scythas, Maſſagetas, opulentiſſima India regna penetrauit, & ad extremum, latiſſimo Phiſon amne tranſmiſſo, peruenit ad Brachmanas, vt Hiarcam in throno ſedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos diſcipulos de natura, de motibus ſiderum, ac dierum curſu audiret docentem. Inde per Aelamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Aſſyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæſtinos reuerſus Alexandriam, perrexit Aethiopiam, vt gymnoſophiſtas, & famoſiſſimam Solis menſam videret in ſabulo. Inuenit ille vir vbiq; quod diſceret, & ſemper proficiens, ſemper ſe melior fieret.*

Exemplum Reginæ Sabæ.

Egregium ad hoc ipſum habemus exemplum in diuinis Litteris, quod velut notabile adduxit ipſe Saluator, de Regina Saba, quæ à finibus terræ venit Ieroſolymam vt audiret ſapientiam Salomonis, tentaret eum in ænigmatibus, &c. Ita habetur in tertio libro Regum, & apud Euangeliſtas Matthæum & Lucam. Alios ſimili de cauſa diuerſis temporibus, ex variis mundi partibus confluxiſſe Ieroſolymam, dubio vertendum non eſt, cùm in ea viguerit ſtudium ſacrarum Litterarum, floruerint ſapientes & Prophetæ, & alij docti & ſpectabiles viri; licet modò, dum redacta eſt ſancta ciuitas ſub Turcarum tyrannidem, & ferè in deſertum conuerſa, non inuenientur qui eo intuitu ad eam peregrinentur.

Ob ſcientias comparandas aliqui varias laſtrarit fuere prouincias.

Alij peregrinationem aſſumpſerunt auri ſacra fame illecti, de quibus ſequentia Horatius:

Impiger extremos curris mercator ad Indos,

Per mare, pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Peregrinantur alij propter diuitias.

Quòd etiam olim plures ob comparandas diuitias ad Terram hanc promiſſionis venerint, & ſanctam inuſerint ciuitatem, mihi videtur à dubitatione alienum, conſiderata conditione huius regionis ſatis mercaturæ idonea: ideò enim dicta eſt *terra Chanaan*, *Chanaan* autem mercaturam vel mercatorem ſignificat. Lege quæ de iſto nomine notauimus Lib. 1. Cap. 11. & in primis Ieroſolymam, totius regionis metropolim, mercaturæ accommodam fuiſſe arbitramur, præcipue tempore florentiſſimorum Regum Dauidis & Salomonis, quandoquidem illuc ex pleriſque orbis partibus deferretur quidquid opulentam & felicem eam reddere vrbem potuerit, tantaq; ibi fuerit argenti & auri copia, vt pro nihilo haberi videretur, vt in non vno Scripturæ loco videre eſt. Etſi verò noſtro iam tempore ad hanc regionem mercimoniorum cauſa aliqui accedant, vt Sidonem, Aconem, &c. pro tritico, ſerico & goſſypio, & pro ſmegmate ſiue ſapone Ieroſolymam; pauciſſimi tamen ij ſunt, tum quia triticum, ſericum, goſſypium & ſmegma illud, licet ſint optima, in exigua quantitate reperiantur, & alioquin Turcæ ipſi & incolæ Ieroſolymitani, illa inde ad vicinas regiones deuehunt, vt, mercatorum ſanctæ ciuitatis paucitate conſiderata, dicere poſſimus hodie impletum eſſe illud quod habetur apud Zachariam, *Non erit mercator vltrà in Ieruſalem*, Zach. 14, 21. ac conſequenter rariſſime temporale aliquod lucrum, quod ex ſancta ciuitate prouenire poſſit, facere Ieroſolymitanos peregrinos.

In Terra ſancta mercatura parum exercetur.

Alij ex neceſſitate peregrinantur.

Alios non prona voluntas, ſed dura neceſſitas peregrinari fecit, fames videlicet, & rerum ad vitam tolerandam neceſſariarum penuria. Sic nimirum Pater fidei noſtræ, & magnus ille Patriarcha Abraham, fame Terram promiſſionis, vbi habitabat, vrgente, deſcendit in Ægyptum vt peregrinaretur ibi. Sic Iſaac illius filius propter famem ſimiliter peregrinatus fuit. Sic Iacob Iſaaci filius, & Abrahæ nepos, cum ſuis filijs in Ægyptum perrexit, vt vitam ſuſtentaret ſuam, magna in terra Chanaan exiſtente annonæ caritate. Sic & in ſequentibus temporibus Elimelech famis vitandæ cauſa *abijt de Bethlehem Iuda, vt peregrinaretur in regione Moabitide cum vxore ſua ac duobus liberis*, Ruth 1, 1.

Alij ob barbarorum perſecutiones.

Quòd etiam perſecutio, barbarorum incurſus, & hoſtilis gladius nonnullis peregrinandi cauſa extiterit, non eſt dubitandum. Conſule Illuſtriſſimum Baronium Tomo 1. Annal. ſub anno Chriſti 85. & Tom. 6. anno 440. & alibi. Nos pauca ex ſacra Scriptura proferamus exempla. Moyſes, ne occideretur à Pharaone, relicta Ægypto, profectus eſt in terram Madian. Dauid pluries relictis Ieruſalem & Bethleem ciuitatibus, alia Terræ promiſſionis & extera etiam luſtrabat loca, vt hoſtium ſuorum perſecutionem declinaret, vt primo Regum libro à cap. 19. vſque ad finem eiuſdem libri videre eſt. Ieroboam ſeruus Salomonis fugit ab Ieruſalem in Ægyptum, quoniam Rex Salomon voluit illum occidere. De Elia dicitur, quod vt impiæ Iezabelis perſecutionem euaderet, relicta Samaria, vbi habitabat, abierit quocumque eum caſus ferebat, & quòd venerit in Berſabee Iuda, indeque perrexerit in deſertum, & ex deſerto ad montem Dei Horeb. Etiam Chriſti fideles, & Apoſtoli (ſecundum Domini mandatum, *Si perſecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*, Mat. 10, 25.) tempore perſecutionis varias fidelium peragrarunt regiones. De illis dicitur, quòd exorta Ieroſolymis prima perſecutione in Chriſtianos, quando B. Stephanus lapidatus fuit, varia effugia quæſierint. *Facta eſt autem in illa die*, inquit Scriptura, *perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apoſtolos*, Act. 8, 1. De iſtis verò, id eſt Apoſtolis, dicendum eſt cum Illuſtriſſimo Eccleſiaſticorum Annalium Scriptore, Tom. 1. ſub an. Chriſti 44. quòd excitata ſecunda aduerſus Eccleſiam perſecutione, occiſoque Iacobo Apoſtolo, & Petro ad id ſupplicium condemnato, ſed diuina virtute elapſo, facta fuerit Apoſtolorum diſperſio, ſeu potiùs diuiſio. Cùm enim, perſequente illos Agrippa, quo loco in Iudæa conſiſtere poſſent, non haberent, à Iudæis pulſi, ad exteras gentes, vt diuina reuelatione S. Petro demonſtratum fuerat, ſunt profecti. Vnde Ioannes Chryſoſtomus Homil. 20. in Matth. cap. 22. *Apoſtoli*, inquit, *prædicauerunt Iudæis, longoq; temporis ſpatio caſi & flagellati in Iudæa manentes, ac demum ab ipſis propulſi, in Gentes profecti ſunt.*

Apoſtolorum diuiſio quando facta.

Pro euitanda perſecutione vix aſſumetur Ieroſolymitana peregrinatio.

Rarò tamen arbitror aſſumpſiſſe Ieroſolymitanam peregrinationem fideles ob euitandam aliquam perſecutionem, quin potiùs ideò, ea neglecta, ad alias profectos eſſe regiones, vt ex nunc & alibi dictis facile eſt intelligere. Et hodie etiam pauciſſimos, imò nullos eſſe puto, qui vt tyrannorum infeſtationes euadant, Ieroſolymam ſe conferant, eò quòd & ibi ſemper fuerint, & adhuc ſint Chriſtiani nominis acerrimi hoſtes, qui fideles, quoad poſſunt, facultatibus & vita priuare non ceſſant. Videtur ergo imple-

impleri quod aliquando Christus dixit quibusdam primoribus Ierosolymitanis: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem*, Matthæi 23, 34.

Vt quietiùs viuatur, peregrinatio nonnunquam assumitur.

Alter finis huius peregrinationis est, vt quietiùs viuatur. Sunt multi, qui in patria varijs distrahuntur occupationibus vanis & inutilibus, amicorum vel parentum visitationibus, quæ nō patiuntur seruos Dei quietè ac tranquille viuere, sanctisque & honestis exercitationibus vacare. Vt itaq; ab illis liberentur, & in pace Deoque dormiant & requiescant, proprijs relictis, exteras petunt regiones. Ad hunc finem sanctus Simeon Priscus, vnus ex veteribus Patribus, vt scribit Theodoretus in Religiosa Historia, *amans quietis, ad montem Sinaum voluit peruenire. Cùm autem id sciuissent multi viri optimi, & qui eamdem persequebantur philosophiam, simul accurrerunt, cupientes esse socij eius peregrinationis*, &c. S. Hieronymus Pontifici Damaso charus, & ab eodem Ierosolymis Romam reuocatus pro sacris libris conscribendis & interpretandis, mortuo eodem Pontifice, & in eius locum subrogato Siricio, qui non, vt Damasus fecerat, in conscribendis eiusmodi litteris Hieronymi opera vtebatur, neque eum, vt ille, fauore aliquo speciali amplectebatur atque prosequebatur, adeoque Pontificis Romani destitutus præsidio, acerbissimos pati cœpit persecutores, illos scilicet Clericos, quorum mores improbos scriptis editis sugillauerat. Quamobrem vt se à concitato turbine expediret, tranquillum cogitans portum, nempe tutam Ierosolymæ mansionem, ad Romanum portum se contulit, nauem conscendit, & Ierosolymam abijt, vt refert Baronius. Sed & alij plurimi eadem de causa peregrinati fuere.

De hac profana, sed honesta laudabilique peregrinatione plura videri possunt apud Doctorem Petrum Andream Canonherum Tom. 1. lib. Medicarum & Politic. interpretationum in primum Hippocratis Aphorismum, pag. 347. sed præmissa pro instituto nostro sufficiant.

CAPVT XXXIV.

De externa profana, sed detestabili ac vitiosa peregrinatione.

Profanam vitiosam peregrinationem sectatis assumunt.

DIximus aliqua de peregrinatione externa laudabili, restat vt nonnihil dicamus de externa vitiosa & execranda, vt proposuimus. Dicimus itaque, quòd sicut olim non defuerunt qui vitioso ac malo fine assumerent hanc peregrinationem, ita nec esse hodie: sed huiusmodi peregrinos non reperias nisi hæreticos, vel perditos ac sceleratissimos homines.

Ob sex causas.

Singulariter autem sex sacrilegæ huius peregrinationis inueni causas, quarum tres priores adducit R. P. Gretserus de hæreticis loquens, quare nimirum Caluiniani, Lutherani, alijque sectarij Ierosolymitanam peregrinationem obierint vel obeant (quandoquidem ipsi omnes peregrinationes Catholicorum superstitiosas esse & verbo Dei aduersari blaterent) ne notam superstitionis, quam Catholicis inurunt, ipsimet incurrant. Gretser l. 1. de Sacris peregrin. cap. 9.

Prima, vt antiquitates lustrent.

Prima itaque causa est, vt antiquitates lustrent, & quidem solum more Antiquariorum, absque vllo pietatis aut religionis gustu; tantùm vt iactare possint, se Ierosolymam, & montem Sinai, & alia peregrina loca vidisse. Et ita esse, ego non semel vidi; & talem esse suæ peregrinationis finem, nec ipsi diffitentur. Hic tamen non dissimulabo, me etiam obseruasse, aliquos ex istis sancta loca exosculatos fuisse, & in eisdem preces fudisse. Sed an verè & ex corde, an potiùs simulatè, vt possent habere testimoniales litteras, in quibus contineatur illos sancta loca deuote visitasse, diiudicare nescio. Hoc posterius crediderim, quoniam hypocritæ & politici sunt.

Secunda, vt Catholicorum pietatem irrideant.

Secunda causa, vt Catholicorum pietatem in locis sanctis obeundis & colendis irrideant. Notum est, quanta veneratione Orthodoxi singula locorum sacrorum monumenta inuisere, & quanto religionis affectu exosculari soleant, etiam spe consequendæ indulgentiæ, quæ huiusmodi peregrinis singulis ferme in locis à Sede Apostolica conceditur. Et non solùm Catholici, sed ipsi Orientales schismatici & hæretici, similibus actibus eadem venerantur loca, vt infrà Cap. XLII. quando de locorum sanctorum religiosa veneratione agemus, explicabimus. Quid verò nostri, Occidentales videlicet hæretici? Ab vno disce omnes, inquit P. Gretserus. Ab vno, inquam, Leonardo Rauchvvolfio Medico Lutherano (cuius alibi mentionem fecimus) qui anno Domini 1573. peregrinationem in Orientales prouincias, atque adeò Ierosolymam instituit, & postea anno 1582. iter suum typis euulgandum curauit, non absque multis mendacijs, & in Catholicos Ordines & ritus conuitijs: nam Parte 3. c. 4. vbi de monte Sion, deque sacris eius locis, & de Indulgentijs, quas peregrini in singulis obtinent, agit, sic inter cetera Lutheranis suis canit: *Vt autem omnes qui conue-*

Calumnia hæretici Lutherani & earundem confutationes.

niunt, indulgentiarum illarum digniùs fieri poſſint participes, Monachi eoſdem cohortantur peregrinos, vt ante quemuis locum, genibus poſitis, cum deuotione dicant Pater noſter vnum, & Aue Maria: qua quidem oratione facta, nullo pacto dubitent, quin indulgentias à ſanctiſſimo Domino noſtro illi loco conceſſas ſint conſecuti. Cùm igitur pluribus in locis ſuas illic expleſſent orationes, latabantur ex his quidam, & fatebantur quòd dehinc ſancti eſſent, adeoq; innocentes, vt ſi ex hac vita mox diſcederent, eò eſſent beatiores, imò ipſorum animam ex ore in cælum & vitam æternam rectà euolaturam. Vbi vides, quàm ſcurriliter peregrinos iſte ſcurra traducat, quaſi vllus ſit aut fuerit, qui ſeſe ob adeptionem indulgentiarum ſanctum prædicet; cùm nemini certò conſtet, ſe indulgentias adeptum eſſe, quandoquidem certò & euidenter ei non conſtet, ſe non hærere in aliquo mortifero peccato, quod indulgentiarum adeptioni obſtet.

Quid ampliùs Rauchvvolfius? Ecce in ipſo monte Sion derepentè in Prædicantem transformatus concionari cœpit, & ne tam inſignem concionem ignoraremus, litteris eam mandauit, quam ex Germanico idiomate in Latinum tranſtulit P. Gretſerus, vt ad exteros quoque redundet; ſed ne obſtet, illam etiam reijcit. Audiamus. *Intereà rurſus diſertis verbis publicè proteſtabar, me in nullius alterius, niſi in ſolo Chriſti nomine remiſſionem peccatorum conſequi poſſe.* Atqui, ô Prædicantice Medice, etiam illi qui indulgentijs lucrandis ſtudent, in nullius alterius niſi ſolius Chriſti nomine, remiſſionem malè commiſſorum ſperant, aut ſibi pollicentur, cùm ipſarum indulgentiarum nonniſi in nomine Chriſti ſeſe participes fieri poſſe, exploratum habeant. Pergit: *Neque me veniſſe, vt peregrinatione mea, ſicut ipſi exiſtimant, aliquid merear.* Rectè profectò dicis; nihil penitus peregrinatione tua aut impetraſti aut meritus es. Iuxta fidem tuam tibi factum eſt. Lutherana tua fides omni te ſpoliauit merito. Vix quidquam in toto libro tuo verius ſcripſiſti, quàm te nihil meruiſſe, vel mereri voluiſſe. *Aut lapides & ligna viſitem.* Quid ergo? An non lapides & ligna in montibus Sion & Caluariæ, quæ tu viſitaſti? Quid aliud eſt templum Caluariæ, quod tu ipſe mirabiliter prædicas, quàm lapides & ligna? Quid ipſe mons Caluariæ, niſi petra? *Aut indulgentias illorum conſequar.* Non conſecutus es; ne metue, liber es ab indulgentijs. *Aut propiùs ad Chriſtum accedam.* Quæ ergo cauſa te impulit, vt Ieroſolymam peteres? An veniſti tantùm vt herbarius & pharmacopola, viſum herbas & frutices Terræ ſanctæ? Atqui nihil, opinor, attinebat, vt in tam longinquas regiones te idcircò conferres, quandoquidem in Germania ſat herbarum & fruticum ſupereſt, quarum tibi virtus ignota, quibus cognoſcendis minore impendio & maiore fructu operam nauare poteras. *Quia hæc omnia aduerſantur Scripturæ*, Lutheranæ nimirum & Geneuenſi, vel Lutherano & Geneuenſi modo intellectæ, *ſicut ipſe Dominus teſtatur: Venit tempus, cùm neque in monte hoc neque Ieroſolymis Patrem adorabitis.* Impleta eſt hæc Scriptura ab hæreticis inſigniter, quia neque in monte Samaritanorum, neque Ieroſolymis, neque Geneuæ, neque VVittembergæ, neque alibi Patrem ampliùs adorant. *Monet præterea nos Chriſtus, vt caueamus illos qui dicunt, Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic eſt Chriſtus, ecce in ſolitudine eſt, ecce in penetralibus: neque credamus, neque exeamus, ſed potiùs promiſſionis illius memores ſimus, quâ ſe vſque ad finem ſæculi nobiſcum futurum pollicitus eſt. item illius: Vbicumque duo vel tres in nomine meo congregati fuerint, in medio illorum ibo.* Haud reor, eiuſmodi verba hæretico huic in vllius loci oſtenſione Terræ ſanctæ dicta eſſe, *Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic*; ſed, Ecce hîc eſt Sepulchrum Chriſti; hic eſt locus vbi Crux ſtetit; hic locus eſt vbi Chriſtus ſupremam cœnam cum diſcipulis cœnauit: hîc Lazarum excitauit, hîc in cælum aſcendit, hîc natus eſt, hîc à Magis adoratus. quæ, vt & his ſimilia, longè differunt ab illo, *Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic*; quibus inuitamentis nemo magis vtitur quàm hæretici, perpetuò clamitantes: Ecce hîc eſt Chriſtus, in Tomis Lutheri, Melanchthonis, Brentij. Ecce illic eſt Chriſtus, in Operibus Zvvinglij, Caluini, Bezæ. Ecce in ſolitudine eſt, in paucitate & obſcuritate Anabaptiſtarum & Svvenckfeldianorum. Nolite credere, nolite exire; ſeductores ſunt, & impoſtores. Quòd ſi promiſit Chriſtus, ſe vſque ad conſummationem ſæculi cum ſuis manſurum, ſiue in medio duorum ſuo in nomine congregatorum adfuturum ſe ſpopondit, num propterea licebit quaſi intento digito dicere: *Ecce hîc eſt Chriſtus? aut Chriſtus, cùm ipſe ſuis ſemper ſit præſens, nullo eget vicario, qui hanc poteſtatem & gloriam ſibi vendicet; & indulgentias arbitratu ſuo diſtribuat, cùm hæc omnia ſoli Deo competant?* At quid diceres, ſi aſſereremus, eum hanc ipſam ſuam præſentiam ſuis nec promiſiſſe nec præſtare niſi per Vicarium, in quo vtique Eccleſiæ ſuæ præſens eſt vſque ad finem ſæculi, aut eos qui in nomine Chriſti collecti ſunt, Chriſtum in medio ſui habere, non aliter niſi quatenus cum Vicario Chriſti communione

nione ſociantur? qua ſi careant, ea communione, minimè in nomine Chriſti conuenire aut conueniſſe exiſtimandi ſunt. Sed pergit hæreticus:

Sed cùm hac mea cohortatione parum apud peregrinos efficerem ac proficerem, miſſos illos faciebam cum opinionibus ſuis: luſtrabam tamen omnia loca hinc inde ſedulò, reuocans in memoriam quid Chriſtus in vnoquoque geßiſſet. Quando igitur peregrini ad ſupradictorum locorum aliquem in monte Sion veniebant, fuſis precibus propiùs accedebant, contemplabantur, procidebant in genua, & oſculabantur magna reuerentia & deuotione. Cur non, ô peruicax, imitatus es hæc talia reuerentiæ & deuotionis exempla? An non ſinebat Lutherus, quem tuo in pectore concluſum circumferebas? *Proferebantq; varia, vt roſaria ex arboribus montis Olineti confecta, textiles limbos, ligulas in faſciculos colligatas, quibus ſacra loca contingebant; de quibus, vbi poterant, fruſtilla etiam defringebant, vt tamquam reliquias ſacras ſecum deferrent, domumq; regreßi amicis & cognatis diſtribuerent.* Rectè ac religiosè omnia hæc tui in peregrinatione ſocij. Si enim olim flores Reliquijs S. Stephani admoti tantam vim contraxerunt, vt cæcum illuminarent; ſi tunica Presbyteri ad memoriam eiuſdem Martyris delata, & inde relata, ægroque impoſita, omnem ægritudinem depulit; ſi rurſus flores aræ S. Stephani impoſiti, & poſteà ægrotanti, quamuis neſcio, ſuppoſiti, tantum efficaciæ quaſi imbiberunt, vt mentem infirmi illius à fide & Baptiſmo Chriſti planè alienam, ad fidem & Baptiſmum conuerterent, & ſalubriter reflecterent; ſi tunica Sanctimonialis cuiuſdam memoriæ S. Stephani illata, & poſteà reportata, & iam mortuæ Sanctimoniali iniecta, vitam defunctæ reddidit; ſi veſtis alterius iam exanimis puellæ, in memoria S. Stephani eam vim adepta eſt, vt mortuam reſuſcitarit, quorum omnium teſtis eſt Auguſtinus lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8. ſi porrò ſudarium admotum feretro, in quo ferebantur Reliquiæ SS. Geruaſij & Protaſij, adeò efficax ex contactu illo effectum eſt, vt oculos cæci aperiret, vt idem D. Auguſtinus ſcribit lib. 9. Confeſſ. cap. 7. mirari non debet Medicus, ſi religioſi peregrini exiſtiment, roſaria & cetera huius generis ſanctificari, ſi admoueantur illis locis quæ Chriſtus præſentia corporis ſui dedicauit ac conſecrauit. Patere, hæretice, vt peregrini iſti agant quod olim actum ſcribit S. Ambroſius in tranſlatione SS. martyrum Geruaſij & Protaſij. Certatim omnes veſtem Sanctorum contingere geſtiebant. Nec inaniter. *Vidiſtis plurimos*, inquit S. Ambroſius, *vbi veſtem Sanctorum manibus contigerunt, ijs quibus laborabant, debilitatibus abſolutos. Quanta oraria iactitantur? Quanta indumenta ſuper Reliquias ſacratiſſimas, vt tactu ipſo medicabilia repoſcantur? Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit, ſaluus erit.*

Poſſemus nos hìc ex ſacra Scriptura vnum & alterum egregium exemplum contra Medicum calumniatorem adducere. In primis ex veteri Teſtamento habemus, quòd quidam proiecerint cadauer demortui hominis in ſepulchrum Eliſei: *quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſei, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos*, 4. Reg. 13, 21. Ex Nouo etiam habemus, quòd mulier illa, quæ fluxum ſanguinis paſſa fuerat annis iam duodecim, & pro ſanitate comparanda omnia ſua in Medicos conſumpſerat, nec quidquam tamen profecerat, ſed magis deteriùs habebat, cum pietate & fide tetigerit fimbriam veſtimenti Chriſti, confeſtimque ſiccatus fuerit fons ſanguinis eius, ipſaque ſenſerit corpore, ſanatam ſe eſſe à malo iſto. Hoc pluribus explicant tres priores Euangeliſtæ. Et ob ſalutarem illum tactum adeò non reprehenſa fuit, vt potiùs laudata fuerit à Chriſto, qui diuino ſuo ſuffragio ſanitatem, quam conſecuta fuerat, confirmauit. Et quare, quæſo, non laudandi ſunt pij peregrini, qui ſimili pietate ac fide tangunt loca ſacra Terræ ſanctæ, vel ad ea quidquid penes ſe habent admouent; cùm illa ſuâ corporali præſentiâ contrectauerit vel inhabitauerit idem Dominus, & proprio ea Sanguine conſecrare, noſtræque ſalutis inſtrumenta, & ſuæ de hoſtibus victoriæ glorioſa trophæa eſſe voluerit? Perperàm ergo Medicus hæreticus pio operi fidelium peregrinorum detrahit.

Paucis inde interpoſitis ad præmiſſa proſequitur Gretſerus recenſere & refellere eiuſdem Medici calumnias, dicens: Part. 3. cap. 2. ridet excommunicationem latam in eos qui abſque Sedis Apoſtolicæ facultate Ieroſolymam proficiſcuntur: additque illuſtre mendacium, videlicet, Guardianum Ieroſolymitanum quoſdam, qui excommunicationem iſtam incurrerant, abſoluiſſe his verbis: *Ego abſoluo vos ab omnibus peccatis veſtris in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Quis rei Catholicæ tam rudis & imperitus eſt, qui neſciat, hanc non eſſe formam abſolutionis ab excommunicatione; cùm excommunicatio non ſit peccatum, ſed pœna ſeu cenſura.

Ne quis verò putaret, Lutheraniſmum mundo prorſus infructuoſum eſſe, nonnulla eius commoda Medicus exponit, inter cetera etiam hoc, quòd *poſt natum Lutheri*

Euan-

Euangelium pauciores Ieroſolymam peregrinantur. Ex quo multiplex vtilitas : nam inde primò *Turcicum vectigal multis partibus imminutum eſt, raris iam peregrinis Ieroſolymam confluentibus:* Quis tam ingratus ſit, qui Lutheraniſmo grates non agat & habeat ob Turcam penuria vectigalium ad mendicitatem redactum ? Secundò, *inde etiam imminuti ſunt prouentus Monaſterij Ieroſolymitani Franciſcanorum.* Quis non gaudeat, quando Lutheraniſmus Monaſteriis reditus aut penitus eripit, aut ſaltem circumcidit? Tertiò, *inde factum eſt, vt tanti ſumptus non ſubminiſtrentur amplius conſeruandis lampadibus coram Sepulchro Domini perpetim ardentibus, Regibus Occidentis nihil amplius aut parum aris Ieroſolymam ſubmittentibus ad perpetui & inextincti luminis conſeruationem.* Quis ab omni humanitatis ſenſu adeò derelictus ſit, qui hoc inſigne facinus Lutheraniſmo non gratuletur pleno ore, ac ſonora voce ? Quid præclarius, quàm Sepulchrum Domini ſpoliare honore debito, oleumque ibi conſumendum ad alios vſus transferre ?

Procedit deinde Gretſerus referre & refellere calumnias conictas à Medico cõtra Equites ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti : ſed has nos adduximus & reiecimus ſuprà Lib. 11. Cap. XXXVII. cùm de eiſdem ſacris Equitibus ageremus. Poſt illa ſubdit Gretſerus: Sub finem Hodœporici ſui denuò induit Medicus perſonam Prædicantis; ridet enim nautas & alios, qui ſæuiſſima tempeſtate exorta, *ſacratiſſimam Virginem Mariam, S. Petrum, S. Paulum, & inprimis S. Nicolaum inuocauerant, quamuis ſanctè teſtatos, ſe ope S. Nicolai, aliorumque Calitum non ſemel ex huiuſmodi diſcriminibus incolumes euaſiſſe.* Dignus protectò, qui à nauclero cum Iona, maris placandi cauſa, in profundum mitteretur, qui tempore tam periculoſo precantium, opemque cæleſtem implorantium pietatem irridere & criminari auſus fuerit ; præſertim cùm dicat, *ſe precibus nautarum magis fermè perterrefactum fuiſſe, quàm ſæuiſſimis concitati maris procellis.* Vnde verò hic tantus terror tuus ? *Quia*, inquis, *quarebant ſalutem extra Chriſtum, Saluatorem & opitulatorem verum.* Tu verò facis quod hæreticis cõuenit, mendaciter nimirum criminaris & calumniaris; nam qui à D. Virgine alióve Sancto opem efflagitat, non ab alio quàm ab ipſo Chriſto efflagitat ; quandoquidem non aliter ab illis quidquam petimus, quàm vt Chriſti Deique beneuolo permiſſu nobis ſuccurrant, hancque permiſſionem ſua interceſſione apud Deum obtineant, vel vt ipſum Chriſtum ad ſubſidium nobis per ſe immediatè mittendum inclinent : nam & per ſe & per Sanctos auxiliari poteſt, & vtrumque Sanctorum interceſſione inductus.

At obiicit Prædicanticus Medicus: *Sancti nihil ſciunt de noſtris rebus : non ergo inuocandi ſunt.* Antecedens probat ex claris Iſaiæ verbis cap. 63. *Tu es enim Pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſraël ignorauit nos.* Reſpondeo, Antecedens non eſſe confectum in Gymnaſio Theologico, ſed in rancido pharmacopoleo, diſertis igitur verbis negari debere, cùm nihil ex Iſaia fulcimenti ei accedat. Non enim ignorare debebat Medicus, qui in Theologicam meſſem contra profeſſionis ſuæ inſtitutum falcem immittit, quid Catholici ad hunc locum ex ſanctis Patribus reſpondere ſoleant. Nam primò cum S. Hieronymo dicunt, locum hunc intelligi debere de ſcientia approbationis, vt ſenſus ſit : *Abraham neſciuit nos*, id eſt, non habet nos pro filiis, non diligit nos, contemnit nos ; quia intelligit nos à te receſſiſſe. Secundò, admiſſo, locum illum Iſaiæ intelligi debere de ſcientia propriè dicta, dicunt cum ſancto Auguſtino lib. de Cura pro mort. cap. 13. Abraham, & Iſraëlem, & alios Patres veteris Teſtamenti non cognouiſſe poſteros ſuos viuentes, quia nondum beati erant, & mortui non ſciunt naturaliter quid viuentes agant. Et ita etiam reſpondet Bellarminus lib. 1. de Sanctis cap. 20.

Sed ecce aliud argumentum longè ſubtilius. *Deipara Virgo triduo illo, quo Chriſtum amiſerat, neſciuit vbi Chriſtus eſſet, ergo iam in cælo cum Filio regnans, neſcit quid nos agamus in terris.* Languidiſſima conſequentia, quam Medicus iſte non ſanauerit omnibus herbis quas in Oriente vidit. Quæ enim inter ſtatum huius & alterius vitæ connexio, vt ab hoc ad illam validè argumentari liceat ? Neſciuit tunc, quia adhuc mortali corpore circumdata erat ; at nunc ſcit quid rerum circa nos geratur, quia in cæleſti beatitudine videt illum qui nihil non videt, & in quo Sanctis omnia, quæ ad ipſos pertinent, tamquam in ſpeculo relucent.

Necdum ſubtilium argumentorum finis eſt. *In nuptiis*, inquit, *in Cana Galilææ miſit miniſtros opem à ſe poſcentes ad Chriſtum, nolens nimirum vt ſuam interceſſionem expeterent; ergo iam quoque in cælo non cupit vt inuocetur, ſed vt rebus in arctis ſubſidium à Filio poſtuletur.* Mirificus ſanè Medicus iſte conſequentiarum architectus eſt; nam apud S. Ioannem cap. 2. nihil habetur aliud, quàm quòd B. Virgo, miniſtrorum rogatu, ſuas apud Chriſtum preces interpoſuerit; tantùm enim ait Euangeliſta, Deiparam, cognita vini penuria, dixiſſe: *Vinum non habent.*

bent. Sed fac eam hoc dixiſſe impulſu & rogatu miniſtrorum, quid tum poſteà? An reſpondit D. Virgo, ſe non poſſe aut nolle intercedere? Ad Filium potiùs ſeſe conferrent, viniq́ue defectum explicarent? An non Chriſtum monuit? An non, vt ſuccurreret, monendo poſtulauit? Nam quod dixit, *Quodcumque dixerit vobis, facite*, hoc itidem quiuis Sanctus ei, à quo inuocatur, quaſi tacite ſubiicit, cùm Sanctis nihil magis ſit in optatis, quàm vt iuſſa Dei exequamur. Sicut ergo falſum eſt, D. Virginem in nuptiis illis non interceſſiſſe pro illis qui vini penuria laborabant, (ſiue rogata interceſſerit, ſiue ſponte ſua) ſed miniſtros à ſe amandatos ad Chriſtum miſiſſe; ita falſum eſt, eam nunc in cælis cum Chriſto regnantem homines abs ſe ablegare: quin potiùs quemadmodum in nuptiis Filio neceſſitatem expoſuit, & exponendo interceſſit, ita & iam in cælo facit, non tantùm rogata, ſed & ſponte ſua.

Tertia cauſa, vt ad propria reuerſi Catholicos mẽdaciis onerent.

Tertia cauſa, cur ſectarij Ieroſolymam peregrinentur, videtur eſſe, vt reuerſi in Europam, Monachos, alioſq́ue Terræ ſanctæ pios incolas mendaciis onerent ac traducant. Et hoc colligit Gretſerus ex calumniis quibus afficiunt Guardianum ſacri Montis Sion, Equites ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti inſtituentem, & quibus proſcindunt ipſos Candidatos, de quibus iam indicauimus Lib. II. Cap. XXXVII. Et hæc ferè ex P. Gretſero.

Quarta, vt reiuſtitiam fugiant.

His tribus cauſis profanæ & vitioſæ peregrinationis tres aliæ addi poſſunt. Prima, & in ordine ad alias quarta, vt effugiant ſententiam contra ſe ob ſua ſcelera pronunciatam. Exempla huius peregrinationis adduximus Lib. I. Cap. LXXXI. ex Brocardo & Gamaliano. Lege etiam exemplum huius peregrinationis apud Illuſtriſſimum Baronium Tom. I. Annal. Eccleſ. ſub anno Chriſti 75. num. 9.

Quinta, vt luxui libertius ſe dedant.

Quinta cauſa huius peregrinationis eſt, vt profuſiùs interim indulgeant voluptatibus, & licentiùs ſenſui laxent habenas. Ob hanc cauſam filius ille prodigus, relicto patre, dimiſſa patria, accepta portione hereditatis quæ illum contingebat, peregrè profectus eſt, & abiit in regionem longè diſſitam, ne aliquis ex domeſticis & amicis eum videret & corrigeret, aut correptione velut freno furentem laſciuiam eius cohiberet. Vnde & ibi diſſipauit cum meretricibus omnem ſubſtantiam ſuam, viuendo luxuriosè. Non diſſimili de cauſa olim Maria illa Ægyptiaca, famoſa primùm meretrix, poſteà verò celebris pœnitens, parentibus & patria relictis, abiit Alexandriam Ægypti (garrula quippe erat & vaga, & quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, vt de ſimili dixit Salomon) vt magis magiſq́ue in cœno luxuriæ ſe volutare liceret: eademq́ue de cauſa inde venit Ieroſolymam, prout ipſa, iam diuina præuenta gratia, propter peccata ſua pœnitentiam agens, non ſine verecundia, dolore & lacrymis faſſa eſt Zoſimo venerabili & ſancto Abbati Monaſterij S. Ioannis in Palæſtina prope Iordanem, ſuæ pœnitentiæ ſpirituali directori, vt in illius Vita ſcribit Sophronius Epiſcopus Ieroſolymitanus, capite 13. & 14. Opinor tamen, hoc præſertim tempore, rariſſimos inueniri qui ob iſtum præciſè finem Ieroſolymam proficiſci velint aut ambiant, tum quia non eſt tanta ibi frequentia peregrinorum, vel copia indigenarum, vt cum illis operari turpitudines poſſint; tum quia ſi id aduerterent Turcæ, grauiſſimè in vtroſque animaduerterent, tum quia alibi maior eſt libertas & licentia viuendi quàm Ieroſolymis; tum denique, quoniam Ieroſolymitana peregrinatio non niſi magnis expenſis, corporis afflictionibus, & ipſius vitæ diſcrimine perfici poteſt, quæ omnia ſenſum & affectum, etſi aliàs valdè deprauatum, à vanis longè abducunt, & ad pœnitentiam potiùs quàm voluptatem impellunt, cùm vexatio det intellectum, atque ita ſciamus accidiſſe filio prodigo, Mariæ Ægyptiacæ, & aliis.

Hac tamen de cauſa hodie pauciſſimi Ieroſolymam proficiſcuntur, & quare.

Sexta, vt ſponſiones lucrentur.

Sexta denique cauſa huius profanæ peregrinationis eſt, quòd multi ex vltramontanis populis, & ex iis præcipuè hæretici Belgæ, Germani, &c. faciant ſponſiones duorum, quandoque decem & ampliùs millium aureorum, ſe profecturos ad Orientis regiones, & ſingulariter Ieroſolymam, & inde ad ſolum patrium reuerſuros. Quò ſi reuertuntur, lucrantur; ſin minùs, cum facultatibus etiam vitam amittunt. Et iſtiuſmodi peregrinationes frequentiùs ſuſcipiuntur: ipſi tamen peregrinantes prout ſine ſpirituali aliquo affectu illuc ierunt, ita & ſine ſpirituali fructu reuertuntur, illiſq́ue ſufficit habere teſtimoniales litteras ſe fuiſſe Ieroſolymis, quas, reuerſi in patriam, producant, & ſic eam pecuniam, pro qua ea ſponſio facta fuit, lucrentur. Profana certè, impia & contemnenda hæc eſt peregrinatio, quia ſuo fine caret. Ieroſolymitana enim peregrinatio non niſi ob ſanctum vel ſanè honeſtum finem aſſumi debet: at quæ ſanctitas vel honeſtas in hac quam taxamus, cùm turpis lucri ſaltem gratia obeatur, quod ipſi vitæ, pro qua conſeruanda cuncta eſſent exponenda, præfertur? Et hæc de externa profana peregrinatione ſatis.

CA-

CAPVT XXXV.

De peregrinatione ſpirituali.

Spiritualis peregrinatio vnde dicta.

EGimus iam pluribus de externa peregrinatione ſacra & profana, reliquum eſt vt paucioribus agamus de peregrinatione ſpirituali. Spiritualis peregrinatio dicitur in ordine ad externam. Vnde quemadmodum in externa peregrinatione peregrinus in alieno ſolo haud diu commoratur, ſed illud ſolùm pacificè tranſit, omnes cogitationes ſuas intentas habens, vt ad optatum terminum pertingere poſſit: ita accidit in ſpirituali peregrinatione, in qua ſpiritualis peregrinus, etſi non corporeis greſſibus, ſpiritualibus tamen affectibus ſatagit peruenire ad amatum finem, pro quo reipſa conſequendo & poſſidendo neceſſaria adhibet media. Et credo hanc peregrinationem ſpiritualem ſimiliter vt altera externa, poſſe diuidi in ſacram & profanam. Sacra poteſt eſſe ea, in qua mens fertur ad Deum & ad ſuperna. Hanc peregrinationem peregrinatus eſt Vates Regius (quem imitati ſunt alij ſancti Patres) ſic ad Deum conuerſus loquens: *Aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei*, Pſal. 38, 13. Quanto verò affectu anhelauerit ad Deum & ad cæleſtem patriam peruenire, indicant hæc illius verba: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini*, &c. Pſal. 83, 2. &: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus*, &c. Pſal. 41, 2. Spiritualis peregrinatio profana eſt, in qua peregrini terrena concupiſcunt. *Nam ſi amaueris terram, peregrinaris à Deo*, inquit S. Auguſtinus in Pſal. 119. Et idem Sanctus conſiderans ſe talem aliquando fuiſſe peregrinum, dicebat: *Apud diabolum cùm eſſem, inquilinus eram; ſed malum dominum habebam.* & hanc peregrinationem ingreſſi fuerunt illi qui *dixerunt cogitantes apud ſe non rectè: Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis*, &c. Sap. 2, 1. Et hos peregrinos ſe iudicaturum minatur Dominus, dicens: *Viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina*, Sophon. 1, 8. hoc eſt, peccato, & affectu verſus terrena, quæ homines à Deo peregrinos faciunt, vt aliqui illum locum interpretantur. Nos de hac profana ſpirituali peregrinatione nihil omnino dicemus, cùm ex dictis de profana externa, & dicendis ſtatim de ſacra interna ei aduerſa, facilè innoteſcat quid dicendum ſit.

Eſt ſacra & profana.

Sacræ huius & ſpiritualis internæ peregrinationis peregrinos binas in claſſes conſtituo. In prima eos qui ad cæleſtem Ieruſalem peruenire omni modo ſatagunt, parum vel nihil de terreſtri Ieroſolyma cogitantes. S. Paulus de ſe & de hiſce peregrinis ita locutus fuit: *Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſolnatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cælo eſt, ſuperindui cupientes: ſi tamen veſtiti, non nudi inueniamur. Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati: eò quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri; vt abſorbeatur quod mortale eſt, à vita. Qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus ſpiritus. Audentes igitur ſemper, & ſcientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino: (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. Et ideò contendimus, ſiue abſentes, ſiue præſentes, placere illi*, 2. Cor. 5, 1.

Spirituales peregrini ſunt in duplici differentia.

S. Iacob Patriarcha ſe prædictis peregrinis accenſuit, dum Pharaoni à ſe ſciſcitanti quot ætatis annos haberet, reſpondit: *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum ſunt, parui & mali*, Gen. 47, 9. Et S. David, qui dicebat: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitaui cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea*, Pſal. 119, 5. Et in vniuerſum quotquot Deo placuerunt. *Iuxta fidem*, inquit S. Paulus, *defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram*, Heb. 11, 13.

Omnes fideles ſpirituales peregrini eſſe debent.

Ad huiuſce generis peregrinos, quales debent eſſe omnes fideles, hîc in terris agentes, quia & *viatores* appellantur, reſpexit Saluator noſter, cùm in formula orandi, quam nobis reliquit, dixit: *Sic ergo vos orabitis: Pater noſter qui es in cælis*, Matthæi 6, 9. Quæ verba expendens S. Bernardus, ad intentum dixit: *In his verbis duo nos docere voluit: alterum eſt, nos in hoc eſſe admonitos adoptionis diuinæ, dum dicimus: Pater noſter: alterum verò, quòd ſequentibus verbis, Qui es in cælis, admonemur, nos indigere diuino auxilio, quia peregrini ſumus, & fiduciam petendi concipiamus, quia filij Dei ſumus.* Vtinam quilibet verè huius conditionis peregrinus ſit, bonam voluntatem habeat, magis peregrinari à corpore, hoc eſt, mori, & præſens eſſe ad Dominum; clametque cum ſancto Rege: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitaui cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea.*

S. Bernard. Ser. in Natal. B. Mariæ, qui inſcribitur, De aquæductu.

Alios

Alios ſpirituales peregrinos conſidero, qui ſimiliter ac præcedentes ſuſpirant ad Beatorum patriam Ieruſalem cæleſtem, ſed quoad differtur illius poſſeſſio & affecutio, & hîc in terris peregrinari neceſſe eſt, vellent Ieruſalem terreſtrem illius figuram adire, & hinc velut per tutam viam ad cæleſtem peruenire. Vellent inuiſere, oculis videre, pedibus calcare, ore lambere ſancta illa loca, in quibus Dei Filius conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus, reſurrexit à mortuis, aſcendit ad cælos, &c. Quòd ſi iuſtis de cauſis illis id non concedatur, accedunt mente & corde, & ſpiritualibus greſſibus, ſanctis exercitijs & meditationibus recolentes noſtræ ſalutis myſteria in eiſdem patrata, & ſi beati eſſe non poſſunt cum ſanctis Apoſtolis, & alijs qui ea viderunt, beati ſint cum illis qui non viderunt, & crediderunt.

Daniel ſpiritualis peregrinus.

Hiſce peregrinis meritò adſcribi poſſunt S. Propheta Daniel, qui cùm eſſet in Babylone cum alijs captiuis Iudæis, & illi non daretur ad ſolum patrium reuerti, Deumq; in Ieroſolymitano templo adorare, *ingreſſus eſt domum ſuam: & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo, contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturq; coram Deo*, Dan. 6, 10. alij item Iudæi, qui in Babylonica illa captiuitate detenti, cùm ab ea liberari & ad patriam ſuam redire nequirent, ſemper mente voluebant ſanctam ciuitatem, flentes & dolentes ab ea elongari, quemadmodum ſub illorum perſona indicat Regius Vates illis verbis, *Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, cum recordaremur Sion*, &c. Pſalm. 136, 1. Sacratiſſima item Deipara, omnibus omnis perfectionis exemplar, non-numquam fuit corporaliter peregrina, vt quando venit ex Nazareth Ieruſalem ad montana Iudææ, ad ciuitatem Bethleem, in Ægyptum, & quando, vt alibi dicimus, viſitauit loca ſancta ſalutis noſtræ myſterijs conſignata: ſed & fuit ſpiritualiter peregrina, eadem loca mente frequentiùs viſitando, quemadmodum tradit S. Vincentius Ferrerius Sermone de Aſſumptione, dicens: *Duodecim annis vixit poſt Aſcenſionem (ſecundùm alios 24. annis) & quolibet die viſitabat iſta loca Paſſionis & Sepulchri; ſed iſta viſitatio erat ſpiritualis & contemplatiua. O benedicta peregrinatio ſine periculo! de qua dicit Apoſtolus ad Galat. 6. Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. Dicatur contra homines & mulieres, qua peregrinando frangunt ſibi collum, & efficiuntur peiores; quia aliquoties vadunt virgines & caſtæ, & redeunt meretrices. Etiam vltra pericula corporalia, multa ſunt pericula animarum Religioſis & Clericis euntibus Ieruſalem, quia non poſſunt dicere Officium, neque Miſſam: ideò ſpiritualiter fiat illa peregrinatio. Hodie & quolibet die poteſtis ire Ieruſalem.* Hæc ille, & verè, ſi intelligantur ſecundùm ſuperiùs dicta, prout intelligere ſanctum illum Patrem haud dubito. Et in vniuerſum peregrini ſpirituales huius generis ſunt & fuerunt omnes, quibus animus fuit vel eſt corporaliter & ſpiritualiter viſitare loca ſancta, ſed vel ſexus vel ſtatus ratione, quia mulieres, Moniales, vel Religioſi ſunt, vel ſimili præpediti impedimento, ire Ieroſolymam corporaliter non poſſunt, mente & ſpiritu eò proficiſcuntur, & in priuatis ædibus illa vel ſimilia faciunt, quæ peregrini actu proficiſcentes in Terram ſanctam exequuntur, quos Deus pro ſua benignitate, præter illis paratam in altera vita mercedem, etiam in præſenti ſecundùm cuiuſque diſpoſitionem conſolatur, vt ſequenti exemplo quilibet cognoſcere poteſt, quod eò libentiùs adſcribo, quoniam ex ipſo, vt ſpero, non modicam voluptatem & fructum colligent Sanctimoniales, aliæque piæ mulieres, & alij omnes ſpirituales peregrini, quibus iuſtis ex impedimentis denegatum eſt Ieroſolymitanam obire peregrinationem.

Deipara corporalis & ſpiritualis peregrina.

P. Bernardinus Britto Part. 1. lib. 6. c. 34. Chron. Ciſtercien. ſic ſcribit: *In Regno Portugalliæ iuxta Conimbriam, in Conuentu de Loſuan Monialium S. Bernardi, fuit Religioſa quædam conuerſa, Monialibus dicti Monaſterij inſeruiens, qua antequam Religionem ingrederetur, optimis moribus decorata erat, & benè de illa omnes ſentiebant, & inter alia illius bona opera, votum emiſit proficiſcendi ad Terram ſanctam, & glorioſum Domini noſtri Ieſu Chriſti Sepulchrum venerandum. Quod cùm, Monaſterium ingreſſa, implere non poſſet, dolore diſcruciabatur. Sed Deus eam conſolatus fuit, quòd eius in terris Vicarius & Pontifex Maximus Iubileum vniuerſale & ampliſſimum conceſſit, in quo elargiebatur facultatem ſupra huiuſmodi vota diſpenſandi. Quare hac nacta occaſione, cum ſuo Patre ſpirituali & Confeſſario animi ſui propoſitum aperuit, vt à voto, quo ſe grauari exiſtimabat (non enim ad illud amplius tenebatur, ob aliud maius ſolemne votum Religionis, cuius virtute ceſſant omnia alia, ſiue peregrinationum, ſiue mortificationum, ſiue quorumcumque aliorum bonorum operum, vt tenent omnes Doctores, & habetur in Iure Canonico c. Scriptura. De voto, & voti redemptione. & nõ tantùm ex profeſſione, ſed etiam in anno probationis ad illud non tenebatur. Lege Ludouic. Mirand. Tom. 1. Manual. Prælat. p. 25. art. 7.) & à ſcrupulis, quibus cruciaba-*

Exemplum notandum.

ciabatur, liberaretur. Prudenter ille illud commutauit in aliud pium opus & ſpirituale peregrinationem, vt, inquam, in ſuo monaſterio in peculiaribus locis deſignaret myſteria noſtræ ſalutis, eaq́, ac ſi eſſet Ieroſolymis, inuiſeret, in eisq́, recoleret ea quæ pro omnium ſalute Saluator noſter operari dignatus eſt, per vnius anni circulum, ſingulis quoque diebus. Obtemperauit præcepto, & petita licentia ab illius Abbatiſſa, &c. magno affectu & pietate illud abſoluit. Anno cum ſancto illo exercitio abſoluto, vltima nocte inuenta eſt orans ante tremendum ac venerabile Sacramentum, & in ecſtaſim abſorpta: quam cùm altera Monialis attendiſſet, credens illam dormire, excitabat vt ſurgeret, quia iam dies aduenerat, & ad Eccleſiam fideles veniebant. Verùm cùm immobilis & abſque ſenſu appareret, frigidaq́, ad tactum inuenta, pallidaq́, ſed ſplendenti facie, ex ſuauiſſimo illo ſomno, in quo (vt ſtatim dicemus) loca Terræ ſanctæ inuiſit, ad cælum euolauit, vt pium eſt credere; & mortua tandem deprehenſa, & vt ſancta habita, à confluentibus populis ex ad eam deuotione veſtes illi præciderunt, tamquam ſacras Reliquias, quibus Deus optimus maximus illius meritis & interceſſione plures gratias operari dignatus eſt, & honeſtæ ſepulturæ tradita, vt ſancta ſanctè in dicto Monaſterio veneratione habetur. His peractis, non poſt multum temporis peregrinus quidam, qui tunc à Terra ſancta venerat, acceſſit ad dictum Sanctimonialium Monaſterium, & petijt ab oſtiaria, quidnã eſſet de Sorore Maria Minz (tali enim nomine appellabatur) dicta venerabilis & ſancta Monialis, quæ cum ipſo fuit in Terra ſancta, & vnà cum illa inuiſerat ſanctum Domini Sepulchrum, Calvariæ montem, & alia ſancta loca, & veneratione ſanctorum locorum expleta, dixit ſibi recedendum, & ante ipſum ad Portugalliæ regnum peruenturã, addiditq́, vt poſt ſuum reditum de illa inquireret; vt fecit. Moniales inquirentes de tempore, quo loca ſancta cum dicta Maria Minz veneratus fuerat, intellexerunt, tunc accidiſſe quando in fine anni ſancti illius operis, & in ecſtaſi inuenta fuit, Deumq́, pio ancillæ ſuæ deſiderio ſatisfeciſſe, & qua (quoniam religioſa & clauſtralis erat) corporea præſentia viſitare non poterat loca ſancta, & adorare in loco vbi ſteterunt pedes Domini, maiori cum fructu & gaudio in ſpiritu inuiſit & adorauit. Et hæc quidem ex dicto Auctore, ad conſolationem illorum, quibus iuſtis de cauſis non conceditur ad loca ſancta peregrinari.

Laudabilis quorundam peregrinorum conſuetudo.

Alij Ieroſolymis reuerſi, domi poſteà ſuæ & in natali ſolo imaginem quamdam locorum Saluatoris noſtri veſtigijs ac miraculis illuſtrium effinxerunt ac efformarunt, vt quoniam ſacratiſſima illa loca perpetim coràm intueri ac venerari non licebat, id ſaltem tam ipſi quàm alij in effigie quadam præſtare poſſent. Et magna quidem cum ratione, naturali & ſupernaturali lumine, quo fidelium corda illuſtrantur, dictante, vt monumenta eius, quem amamus, colimus, alijsque anteponimus, præſentia ſemper habeamus, ſi minùs in ſe, at in imagine & ectypomate.

Multi patria electi, alibi terrarum ſimiles patrij ſoli vrbes conſtruxere, idemque nomen impoſuere, vt patriam, quam coràm intueri non dabatur, in quodam ſimulacro intuerentur; hocque aſpectu deſiderium ſuum leuarent, amoremque ſuum teſtarentur. Sic Æneas apud Virgilium in ipſa Epiro ædificatam ab Heleno

—— paruam Troiam, ſimulataq́, magnis
Pergama, & arentem Xanti cognomine riuum
Agnoſcit, Scææ complexus limina portæ.

Et Ezechieli in Babylone conſtituto dixit Dominus: *Et tu fili hominis, ſume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo ciuitatem Ieruſalem. Et ordinabis aduerſus eam obſidionem, & ædificabis munitiones: & comportabis aggerem, & dabis contra eam caſtra, & pones arietes in gyro*, Ezech. 4, 1. Vult Deus, vt ſanctus Propheta exul à ſancta ciuitate, in crudo latere velut in mappa illam pingat atque delineet, tamquam à Babylonijs obſeſſam & oppugnatam, vt eiuſmodi pictura ſibi & alijs repræſentaret conditionem dilectæ ciuitatis, quam obſeſſuri & oppugnaturi erant Babylonij; vt hac ratione magis refricaretur Ieruſalem memoria, conditio, & imminens illius caſus, vt metu perterriti Iudæi reſipiſcerent, ſceleribus nuntium remitterent, animos pœnitentia expiarent, virum quærerent qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra Deum pro terra, ne diſſiparet eam, & non perirent, vt ipſe Dominus exoptabat. Igitur & pij peregrini, ad propria reuerſi, magna cum ratione & laude, vt loca, quæ Chriſtus ſua præſentia, ſuo Sanguine, ſua item paſſione, morte & ſepultura, alijſq; noſtræ ſalutis myſterijs dedicauit ac conſecrauit, quæ & adire cuiuis non eſt integrum, nec ei qui vidit ſemper obuerſantur, piorum oculis in imagine ſubijciant, hoc illóve loco ectypon quoddam ſtatuunt & erigunt, foouendæ & amplificandæ Chriſti amantium deuotioni, piæque erga Redemptorem noſtrum affectioni. Exemplum vnum & alterum damus.

S. Petronij exemplum.

Petronius Bononienſis Epiſcopus, qui tempore Theodoſij Iunioris floruit, & ſacra Palæſtinæ loca piè inuiſit, ad propria reuerſus, *Omni cura & cogitatione*, inquit in eius

eius Vita Surius die 4. Octobr. *defixus in ſanctiſſimis Chriſtianæ fidei inſtitutis, quò magis in dies contemplatione accenderetur, Aegypti ſolitudine iam peragrata, Ieroſolymam peregrinari ſtatuit: vbi peractæ redemptionis noſtræ impreſſa veſtigia Chriſtus reliquit, verus Deus & homo. Itaq; cùm ad eam vrbem venit, totus meditationis ſtudio exardeſcens, Domini Sepulchrum in primis, & reliqua illius ſacra rerum geſtarum monimenta, ac ſingula loca, quæ abſens intima animi pietate coluerat, præſens veneratus eſt ſanctè & religiosè. Cumq; omnia tandem perluſtraſſet incredibili quodam mentis ardore; quò tamen magis ad contemplationem fixa in animo illa hærerent, ſingulari etiam diligentia eorum ſitum ac rationem notauit. Domum reuerſus, templa duo, non longo inter ſe interuallo diſiuncta, magnis rerum diuinarum ſignificationibus dedicauit: vnum Stephano Protomartyri, alterum Ioanni Euangeliſtæ. In hoc quod in monte ex tumulo terræ de induſtria aggeſto conſtruxit, religiosè effinxit montem Oliueti, vbi Chriſtus Dominus, poſtquam reſurrexit à mortuis, ſtans, diſcipulis videntibus aſcendit in cælum: in illo quod S. Stephano dicatum, cum Eccleſia SS. Petri & Pauli, à B. Ambroſio conſecrata, coniunxit, diligenter expreſſit imaginem & montis, vbi in ara Crucis Dominus Sanguinem pro generis humani ſalute effudit, & Sepulchri, in quo idem mortuus conditus eſt. Quæ verò inter hæc duo templa planities loco ſubmiſſiore intercedit, eius ſitu celebrem illam, quæ Ioſaphat vocatur, vallem repræſentauit. Vt autem ſollicitus paſtor gregis ſui mentes vehementiùs etiam excitaret ad ardentem Dei charitatem, propoſitis, quas colerent, imaginibus ad ſimilitudinem eorum locorum, quæ ipſe iam præſens Ieroſolymis veneratus erat, in Eccleſia S. Stephani hæc ſanctè exprimenda atque effingenda curauit: columnam, ad quam Chriſtus Dominus flagellis eſt verberatus; crucem, cui eſt affixus; triclinium, in quo idem cum diſcipulis diſcubuit; locum item, quo Petrus Apoſtolorum Princeps, poſtquam ſe Chriſti diſcipulum eſſe negauit, peccati ſui pœnitens ſeceſſit; cubiculum præterea, in quo Gabriel Angelus, de cælo miſſus, Deiparam Virginem ſalutauit. Quæ omnia ſanctiſſimæ religionis monimenta adhuc magna Bononienſis populi pietate coluntur, auguſtioremq; reddunt ipſam S. Stephani Eccleſiam, quam ille Ieroſolymæ nomine appellauit, eamq; ob cauſam vicus nunc etiam eidem Eccleſiæ coniunctus, Ieruſalem nominatur.* Hactenus Surius.

Hoc ſancti Petronij exemplum poſteri quoque imitati ſunt, locorumque ſanctorum quaſi ectypa & imitamenta ſtudiosè ſimul ac religiosè repræſentarunt. Et ſæpè Chriſtianorum pietatem ac religionem hac ſua pietate ac religione mirum in modum auxerunt, loca anteà ignota peregrinorum accurſu, & miraculis diuinitus patratis luce quodammodò donarunt, & vt omnium ſermone celebrarentur, effecerunt. Teſtis eſt B. Pater Bernardinus Caimus Mediolanenſis, qui abſoluta Ieroſolymitana peregrinatione, & poſtquam Guardianatus officio in ſacro Monte Sion laudabiliter functus fuiſſet, & propriam Mediolani Prouinciam repetijſſet, quæreretque anxius aliquem locum repræſentandis Dominicæ Crucis myſterijs ad Terræ ſanctæ inſtar idoneum, incidit in montem Varallium. Quem penitiùs contemplatus, cùm magis magisque arrideret, eum ab eius dominis dono ſibi dari petijt. Et voti compos effectus, optatum opus aggreſſus fuit, & temporum ſucceſſione feliciter abſolutum, & nouam quaſi Ieruſalem condidit. Vnde illius cacumen muro incluſit, & ſupra amplum oſtium, quà intratur, duos ſequentes adſcripſit verſus:

Hæc noua Ieruſalem vitam ſummoſq; labores,
Atque Redemptoris omnia geſta refert.

Hinc factum eſt, vt locus ſuperioribus ſæculis vix de nomine notus, clariſſimus redditus ſit, & populorum & peregrinorum ex proximis & longinquis partibus cõcurſu celebris, vt præter alios qui de illo ſcripſerunt, notauit Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Franciſcus Gonzaga Part. 2. Hiſtoriæ Franciſcanæ Religionis, vbi agit de Prouincia Mediolanenſi. Sed teſtẽ non vulgarem audi Auctorem illum, qui Caroli Borromæi, Cardinalis optimi & ſanctiſſimi Antiſtitis res geſtas litteris conſignauit. *Varallum vici nomen eſt,* inquit, *qui Nouaria & Vercellis æquo ſpatio diſtat ad paſſuum millia circiter viginti quinque. Ibi mons, quoniam ferè ſub Alpibus eſt locus, ex piorum hominum etiam longinquorum votis, & omnino religionis cauſa frequenter viſitur. Nam Religioſus vir Ordinis Minorum ex Mediolanenſi nobili familia Caima, ante annos ferè centum, cùm ex Iudæa, ſanctiſſimo Domini Sepulchro religiosè inſpecto, redijſſet, eius imaginem aliquo loco ponere conſtituit; quæ pijs hominibus, cùm Iudæam petere non poſſent, ad pietatem venerationemq; erga Sepulchrum ſanctaq; Ieroſolymæ loca exercendam, aliquo modo valeret; ac eo loco monteq; delecto, Eccleſiam monaſteriumq; ſui Ordinis, piorum hominum ſumptu ædificauit, & Sepulchri ſpeciem decorè collocauit. Ea res adeò feliciter euenit, vt locus maximè celebris euaſerit, & varijs temporibus ædiculæ multæ fuerint conſtructæ; vbi pulchris imaginibus ac ſtatuis ea*

in primis referuntur, quæ in affligendo morteq́, afficiendo Saluatore acta sunt; tum aliæ quoque res ex diuinis historiis ad nostram salutem pertinentes. Ita iam in summo monte, quasi sacer quidam vicus plurimarum ædium factus est: quas ordine certisq́, viis frequentes peregrini salutaribus cogitationibus supplicationibusq́, intenti adeant, & religiosè contemplentur. Neque tantùm sacra loca maiorum nostrorum pietas expressit, sed & variis locis ipsam longitudinem viæ, qua Redemptor noster ex ædibus Pilati ad crucem ductus est, accuratè descriptam fidelibus non modò inspiciendam, sed & piè pertranseundam proposuit. Liquet hoc ex aliquibus Terræ sanctæ Itinerariis. Et de hac via Crucis Adrichomius in Descriptione Vrbis num. 118. & nos Lib. 4. Cap. 1. VI. Peregrinat.

CAPVT XXXVI.

Qua fide aut quo assensu credere debeamus ea quæ de locis sanctis dicentur in sequentibus Libris.

QVandoquidem rerum spiritualium & diuinarum cognitio & consideratio non in sola speculatione consistit, sed vlteriùs ad opus, amorem & affectum dirigit cognoscentem, vt grauissimi docent Theologi (est enim illa velut ad hunc dispositio & medium; quia, vt habet vulgatũ D. Augustini axioma, *nihil volitum nisi præcognitum, & inuisa diligere possumus, incognita nequaquam*. & Magnus Gregorius, *Quis enim*, inquit, *amare valeat quod ignorat?* & secundùm cognitionẽ qua res cognoscimus & eisdem adhæremus, dirigitur affectus ad illas. quare si illarum cognitio sit perfecta, apprehensiua & adhæsiua, vt Scholastici loquuntur, affectus quoque erga illas perfectus erit, & contrà. Porrò *fide titubante*, inquit D. Augustinus, *charitas etiam ipsa languescit. nam si à fide quisque ceciderit, à charitate etiam necesse est cadat; non enim potest diligere, quod esse non credit)* & noster scopus & finis sit tractare de locis sanctis maiori qua possumus claritate & distinctione, vt ex illorum consideratione, & mysteriorum, quæ in ipsis patrata fuere, meditatione, ad ea mens nostra afficiatur, & Domino per affectuosam contemplationem vniatur; necessarium iudicauimus tractare de fide atque assensu exhibendo iis quæ de sanctis locis dicturi sumus. Hæc fides & assensus non est omnino eiusdem rationis & firmitatis respectu omnium quæ tractabimus, vt Deo fauente apparebit, ac ideò nec æqualis ad eadem affectus. Vt verò quod proposuimus clarè explicemus, duo præstabimus: primò Notandum vnum præmittemus, deinde quinque Propositiones subiiciemus.

Cognitioni affectus respondet.

Quantum ad primum, aduerto, ea quæ à nobis explicabuntur, triplicis esse ordinis. In primo illa reponuntur, quæ explicitè vel implicitè in sacra Scriptura continentur, vt, Verbum Dei carnem ex Virgine Maria assumpsisse, ex eadem fuisse natum, crucifixum, à mortuis ad vitam resurrexisse, & huiusmodi. In secundo ordine collocantur ea quæ his annectuntur, & respiciunt personarum, locorum vel temporis circumstantias: quæ licet non explicentur in Scriptura, tamen verè contigisse credendum est. Cùm enim plurima, quæ contigerint, enarrentur, necesse est addere tales personas interuenisse, taliq́ue tempore & loco facta fuisse: vt, hunc Christum esse ex hac Virgine natum, noctis tempore, in hoc vel illo loco; in hoc monte Christum fuisse crucifixum, in illo sepulchro sepultum. Cùm enim hæc verè, vt Scriptura testatur, contigerint, oportet quòd etiam contigerint cum circumstantiis concomitantibus, quas vagè saltem ex Scriptura (quia eas certò non addit) ex traditione verò determinatè nouimus: vt, Christum natum esse in Bethleem, reclinatum in præsepio, docet quidem Scriptura; at hunc præcisè esse natiuitatis locum, hoc præsepe vbi fuit reclinatus, scimus ex perpetua traditione. In tertio denique ac posteriori ordine ea ponimus, quæ nec in Scriptura expresè leguntur, qualia sunt ista ordinis primi; nec in ea habent fundamentum, vt sunt illa secundi ordinis, sed tantùm ex nuda pia traditione & probabili congruentia, probatorumq́ue Scriptorum auctoritate asserantur: vt, Christum Dominum post suam resurrectionem Virgini Mariæ matri suæ apparuisse, & in hoc vel illo loco; eidem Virgini Angelum triduo antè quàm moreretur detulisse palmam; eam obiisse in monte Sion, & in Valle Iosaphat fuisse sepultam, & similia: quorum, vt vides, nullam inuenis mentionem in sacra Scriptura. Cùm igitur huiusmodi propter diuersa fundamenta credantur, diuersi etiam erunt assensus, quos illis exhibemus. Hoc posito, pro secundo sint sequentes Conclusiones.

Triplex ordo eorum quæ de sacris locis dicuntur: quædam implicitè vel explicitè in sacra Scriptura continentur, alia his sunt annexa, & tertiò alia non item.

Quinque Conclusiones.

PRIMA CONCLVSIO. His quæ dicentur, & in aliquo ex tribus assignatis ordinibus reponuntur, non adhibemus eumdem assensum, quem primis principiis, vel illis quæ ex ipsis immediatè educuntur. Probatur primò, quia cognitis terminis primorum principiorum, & illorum complexione, statim illis credimus. At non sic de propositis. cognito enim quid sit Christus, quid Maria,

Maria, quid incarnari, quid nasci, quid Bethleem, quid nox, quid præsepium, quid mors & resurrectio, & similia incomplexa, & eorumdem cognita complexione, non ex ipsis assensum eisdem præbet intellectus, vt quòd Christus conceptus sit à Virgine Maria, quòd ex ea in Bethleem media nocte natus sit, quòd in tali præsepio sit collocatus, quòd post mortem glorioſus resurrexerit, & Mariæ Virgini apparuerit; tunc enim quilibet intellectus similiter instructus, crederet quod falsum est, quoniam etsi hæc proponantur infidelibus, & ab ipsis apprehendantur, non tamen propterea statim acquiescunt. Secundò, prima principia sunt ex communibus, hæc ex particularibus; illa euidentia, ista neuidentia; illa necessaria, hæc contingentia & merè ex diuina voluntate pendentia, vt manifestum est: illis assentitur intellectus necessariò absque voluntatis operatione, at istis nunquam nisi sit lumine fidei illustratus, supposito pio volũtatis affectu erga Dominum reuelantem, quia hæc non mouent naturaliter sicut illa. ideò dixit S. Paulus, omnem intellectũ captiuandum esse, & redigendũ in obsequium Christi, & actum credendi, qui est intellectus, cordi & voluntati adscripsit, dicens: *Corde creditur ad iustitiam*, Rom. 10,10. quia videlicet actus credendi procedit à voluntate illum imperante. Et D. Augustinus: *Cetera potest homo nolens, credere non nisi volens*.

Fides quare cordi tribuatur.

Secvnda conclvsio. Huiuscemodi non assentimur assensu illo quo assentimur Conclusionibus demonstratis, tum propter pleraque adducta pro præcedenti Conclusione, & quia illa clarè cognoscuntur, at pleraq; ex istis per speculum in ænigmate; tum quia conclusionibus assentio propter principia: sed creditis æquè credo, tam illis quæ concluduntur, sicut illis quæ assumuntur: æquè enim credo huic, *Nos resurgemus*, sicuti isti, *Christus resurrexit*, etsi per hanc illam probare videatur sanctus Paulus. Non tamen otiosè S. Paulus, vel alius Canonicus scriptor, propositionem creditam probauit per aliam creditam, quoniam vel ista clarior erat, vel certè illi cum quibus argumentabatur, assumptam credebant, non item alteram. Lege Scotum in 3. dist. 24. q. vnica.

Tertia conclvsio. Quæ in primo ordine reponũtur, & explicite vel implicite in sacra Scriptura continentur, credimus assensu fidei reuelatę, cui nullo modo falsum subesse potest: qui quidem assensus maximus est, illumque, qui ex sensibus vel ex necessariis causatur, tantum excedit, quantum diuina virtus naturalem superat. Prior pars Conclusionis clara est, quoniam quæ in sacra Scriptura continentur, diuina reuelatione & fide credimus. *Omnis* enim *Scriptura diuinitus inspirata est*, 2. Tim. 3,16. id est, quæ habetur in sacris Biblis, vt dicit sanctus Paulus; & Coapostolus eius Petrus: *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*, 2. Pet. 1,21. qui *olim loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio*, Hebr. 1, 1. Posterior eiusdem Conclusionis pars, assensum videlicet ex fide infusa procedentem, quemlibet alium excedere, probatur, quia cuilibet alteri, præterquam isti, falsum subesse potest, cùm vel sit à sensu vel ex sensibilibus; distinguitur enim cognitio nostra in sensitiuam & intellectiuam: sed illi falsum subesse potest, cùm sensus decipi possint, vt constat, quia credunt terram maiorem esse sole, quod falsum est. Adam fidem præbens sensibus, deceptus est, & violauit diuinum præceptum. Cùm enim dictum fuisset ei à Domino, *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*, Genes. 2,17. vidisset verò vxorem suam ex eo comedisse, nec periisse, deceptus est, arbitratus Deum fuisse mentitum; & se similiter non moriturum, si ex illo comederet, ratiocinatus fuit, vt ex sacris Doctoribus docet Bellarminus Tom. 3. lib. 3. c. 6. de amissione gratiæ & statu peccati. quare magis credens sensui proprio quàm Deo, deceptus mortem sibi & nobis incurrit. Isaac sensibus est illusus, credens Iacob esse Esau. Si igitur sensus illuduntur, & decipiunt, consequenter non erit perpetua firmitas in scientia intellectiua, quæ ex sensibus originem trahit. Quoniam *nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu*, etiam *omnis nostra cognitio ortum habet à sensu*, vt Philosophus docet: ob quam rationem Academici & alij abstulerunt scientiam omnium illorum quæ sub sensum cadunt, licet perperàm. Sed quæ fide credimus, ex Deo habemus, qui nec decipi, nec hallucinari, nec decipere potest, cuius verbum manet in æternum. Quare & Adam mortuus fuit, & alia quæ dixit Dominus euenerunt, & euenient. Totum hoc tali illustratur exemplo. In Sacramento altaris Hostia consecrata sensibus placentulam panis repræsentat, cum suis in proprio subiecto accidentibus; & hoc ipsum persuadent sensus intellectui, nec aliter vmquam solo naturali lumine quis credet: sed falsum sic sentiendo credit, quia fides docet ibi non esse panem, sed Corpus Christi; nec accidentia illa hærere in subiecto, sed sine sub-

Sensui & intellectui falsum subesse potest.

Fidei falsum subesse nequit.

iecto subsistere; quare multò certior & firmior est assensus fidei quocumque alio. quod Apostolus Paulus Ecclesiæ Thessalonicensium scribens, docuit hisce verbis: *Cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei* (scilicet per fidem) *accepistis illud, non vt verbum hominum, sed* (sicut est vere) *verbum Dei*, 1. Thess. 2, 13. His enim verbis indicauit, non qualemcumque fidem exhibendam esse his quæ ab ipso dicebantur, sed maximam, quia verba erant non hominis, quibus falsum subesse potest, sed Dei, à quibus omnis falsitas & falsitatis suspicio abest. *Cælum enim & terra transibunt, verba autem eius non præteribunt*, Matth. 24, 35.

Pulchre etiam D. Petrus de gloriosa Christi Transfiguratione loquens, id indicasse videtur, dicens: *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiusce modi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam; cùm essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem*, &c. 2. Pet. 1, 16. Ac si dixisset: Quæ vobis de gloriosa Christi Filij Dei Transfiguratione & diuina filiatione annuntio, ex visu & auditu enuntio, quare mihi credere debetis; at multò magis propter firmiorem propheticum sermonem, qui cùm Deo innitatur, omnem habet certitudinem, & omnem dirimit hæsitationem.

Igitur vt concludamus, his quæ in primo illo superiori ordine collocantur (licet inevidentia sint) de Christo, eius sanctissima Matre, vel de aliis, cùm in Scriptura sancta contineantur, firmissimo assensu, omnem dubitationem auferente, adhæremus.

QVARTA CONCLVSIO. Si loquamur de illis quæ collocantur in secundo ordine, quæ circumstantias determinatas respiciunt illorum quę dicuntur in primo ordine temporis & loci præsertim, vt Christum natum fuisse in ista ciuitate quæ Bethleem vocatur, in isto speeu, in hoc præsepio reclinatum, & huiusce modi; istis non assentimur propter euidentiam quam de seipsis faciunt, neque propter certitudinem fidei, sed morali quadam certitudine. Triplicem partem habet ista Conclusio. Prior, ea non esse nobis nota certitudine euidentiæ. Hæc manifestissima est ex iam dictis. Si enim essent ita euidentia, æqualiter omnes, fideles & infideles, crederent, quia æqualiter ab ipsis mouerentur: at non credunt infideles. Præterea quòd hæc credam, sit, quia ex Scriptura sacra videntur habere fundamentum, & propter traditionem: at Scriptura sacra & traditio est ineuidens, igitur euidentiam non dabit.

Altera pars Conclusionis est, illis non adhiberi fidem, assensu fidei omnem ambiguitatē auferente. Probatur primò, quia hæc non ponuntur in Scriptura. Etsi enim dicatur Christum esse in Bethleem natum, in præsepio reclinatum, &c. tamen illam ciuitatem esse Bethleem, vel locum illum natiuitatis Domini esse Præsepium vbi reclinatus fuit Christus, non dicit.

Sed dices, non fuisse necessarium Euangelistam dicere, ciuitatem vbi natus est, dici Bethleem, quia clarum id erat omnibus. Verum est: tamen nec locum, quem nos ex traditione illius natiuitati vel reclinationi assignamus, illum ipsum esse dicit. Idem dicatur de aliis particularibus locis. Secundò, quia hæc non proponuntur nobis ab Ecclesia tamquam de fide credenda. Tertiò denique, quia, vt dixit insignis Theologus Henricus Gandauensis, *Fides nostra non de signatis, sed est de indiuiduis vagis, quia de particularibus indeterminatis nobis in hac vita. Vt aliquis vnus homo est Christus, aliqua vna femina est Maria, & aliqua vna natura singularis est Deitas: sed nihil indeterminatum in re, vel in nobis fide percipimus, sed hoc in visione expectamus. Et de illo signato, quod tunc videbimus, est propriè fides, quod modò non cognoscimus nisi indeterminate. Et in hoc consistit ænigma fidei.* Hoc ipsum docuit prius S. Thomas, quod apposito exemplo explicuit. Asserere, quòd in Hostia rite consecrata sit Corpus Christi, est de fide: quòd autem in hac vel illa, non est de pertinentibus ad fidem; quia non est de pertinentibus ad fidem, me credere, illum rite consecrasse.

Fides est de indeuidus vagis. Ita refert Scotus in 3. d. 24. nec in hoc illum refellit.

Notandum tamen, quòd sicut Sacerdos Euangelicus, qui scit se rite consecrasse, & tamen non credit, in Hostia à se ritè consecrata esse Corpus Christi, esset hæreticus (quia, etsi hoc non sit de se pertinens ad fidem, tamen quoad ipsum benè pertinet ad fidem. Huius ratio esse potest, quia ea tantùm dicuntur ad fidem pertinere, quæ habent obiecta communia omnibus credenda. Quòd si scirent de particulari illa Hostia, esse ritè consecratam, quia sub obiecto communi contineretur, ad illud credendum teneretur fidelis: sicut credere tenetur, sub illis speciebus panis, quem in vltima cœna Dominus consecrauit, fuisse verum suum Corpus, sicut credendum proponitur ab Ecclesia. Sacerdos autem, qui rite consecrauit, scit se rite consecrasse, ideò & credere tene-

Ad fidem spectantia quæ.

tenetur sub illa Hostia esse Christi corpus. Item, quòd Christus & Messias futurus esset Filius Dauid, oriundus ex Virgine, erat de fide: at hunc hominem, qui dicitur Iesus Nazarenus, fuisse Messiam & Christum, non fuit de fide, nisi postquam prædicatum fuit & propositum vt de fide.) ita in proposito Christum natum esse in Bethleem, in præsepio reclinatum, in Golgotha crucifixum, & huiusmodi, omnibus proponuntur vt de fide: at in hoc loco esse natum, in illo mortuum, solùm illis, qui viderunt, & de fide sciuerunt Iesum esse Christum, assensu fidei credenda sunt proposita; non autem nobis qui non vidimus. Ideò si illi his non credidissent, peccassent peccato infidelitatis, non autem nos. Igitur vt propositum concludamus, quæ in illo secundo ordine collocauimus, cùm sint singularia non vaga, sed signata & determinata, non eis assensu fidei assentiemus.

Tertia & postrema Conclusionis prædictæ pars est, quòd certitudine & euidentia morali, eaque maxima, illis secundi ordinis credamus. Probatur primò, quia, quæ asseruntur facta in hoc vel illo loco, de fide sunt; igitur cùm alicubi facta esse certum sit, & alia loca ab his quæ collocantur in secundo ordine non assignentur, verè illa esse, probabilissimum est credere. Secundò, quia qui credunt ea quæ in priori ordine numerantur, credunt contigisse vt in secundo ordine collocantur, non fideles modò, sed etiam infideles, vt Turcæ, qui credunt Christi natiuitatem, credunt esse natum in Bethleem, in loco quem & nos fideles credimus natum fuisse, & idem de aliis, ea tenent omnes Nationes Orientales. Et sanè tot testimonijs se opponere absque sufficienti ratione vel auctoritate, quoniam Scriptura non dicit, vel non proponitur ab Ecclesia, vt de fide credendum, vel nos non vidimus, valdè temerarium esset, & signum obstinati animi: tunc enim paucissima crederentur, & omnia ferè verterentur in dubium. Sed *absit* (inquit S. Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 12.) *vt scire nos negemus, quæ testimonio didicimus aliorum; alioquin esse nescimus Oceanum, nescimus esse terras, atque vrbes quas celeberrima fama commemorat. Nescimus fuisse homines, & opera eorum quæ historica lectione didicimus. Nescimus quæ quotidie vndequaque nuntiantur, & indicijs consonis contestantibus firmantur. Postremò nescimus, in quibus locis, vel ex quibus hominibus fuerimus exorti, quia hæc omnia testimonio credidimus aliorum.* Et profectò plurimum valet communis hominum opinio & auctoritas, si quidem Philosophorum Princeps non in morali modò & rationali disciplina, sed in naturali & diuina Philosophia plurimum ei tribuit: ex communi enim omnium sententia plerumque erui solent argumenta. S. Thomas, eximius inter Theologos, affirmat 1. 2. quæst. 5. art. 3. communem opinionem aut omnino veram esse, aut verò non omnino falsam. Iuris quoque periti tanti faciunt id quod communiter asseritur, vt qui illud sequitur, & ad labefactandam oppositam sententiam, & ad confirmandam stabiliendamque propriam, efficacissima afferre videatur argumenta. Igitur cùm illa quæ in secundo collocantur ordine (vt plurimum) communi opinione asserantur; etsi citra fidem, magna tamen firmitate asseruntur, & consequenter magnus erit illorum assensus.

Communis consensus plurimum ad persuadendum valet.

QVINTA CONCLVSIO. Iis quæ in tertio ordine collocantur, quæ explicitè vel implicitè non continentur in sacris Litteris, sed ex traditione habentur, non assentimur assensu euidentiæ vel fidei, sed quadam certitudine morali credimus, non tamen tanta, quantum ea quæ in secundo ordine collocantur.

Tres habet partes ista Conclusio, vt manifestum est. Prima patet ex dictis, quæ etiam euidentius hanc probant. Secunda pars probatur. Primò, quia traditione illa habemus, illâ porrò credunt nationes Orientales. Secundò, sunt de pietate fidei. Tertiò, non sunt validæ rationes vel auctoritates quæ illis refragentur, sed magis suffragantur: quare meritò illis assentimur firmiori morali certitudine, quàm aliis humanis historijs. Tertia eiusdem Conclusionis pars ex eo liquet, quia præmissa non continentur in Scriptura, nec tot habent rationes vel patronos vt illa quæ in primo vel secundo ordine reponuntur. Sed de illis alia in sequentibus.

Dubitatio iam, quæ suboriri posset contra duas posteriores Conclusiones, diluenda est. Traditio debet habere fundamentum ab his qui viderunt. *Auritu credimus, qui audierunt à fide dignis, qui oculis suis rem se vidisse testificarentur*, inquit Augustinus. At post Christi passionem non solum fideles, sed & omnes Apostoli electi fuerunt ab Ierusalem: quomodo ergo fide digna aliqua ad nos peruenire potuit traditio? quis, illis sic pulsis, alijs narrauit, hæc vel illa istic vel alibi facta fuisse? Respondet S. Ioannes Chrysostomus, expulsos ab Oriente, receptos fuisse in Occidente, ibique narrauisse omnia. Et quamuis Occidens tum bello arderet, fuisse tamen alicubi pacem, vbi relata conservari potuerint. Credo etiam, non ita fundatus exterminatos & profligatos fuisse fideles, quin semper nonnulli Ierosolymis

Traditiones Terræ sanctæ quomodo conseruatæ.

lymis & in alijs Terræ ſanctæ locis remanſerint, quos penes illorum locorum cognitio & diſtinctio permanſerit, & qui alijs ea monſtrauerint, & ſigillatim, quid vbilibet contigiſſet, enarrauerint. Imò non abhorreo credere, Iudæos ipſos, licet inuitos, Deo tamen diſponente, ad fidelium conſolationem, & ſanctæ Eccleſiæ vtilitatem, plurium rerum ad noſtram Religionem ſpectantium memoriam conſeruaſſe, vt ex hiſtorijs patet, & nos alibi oſtendimus.

CAPVT XXXVII.

De multiplici genere traditionum: & cuius generis ſit illa, cui fidem adhibemus quoad ea quæ dicuntur de locis ſanctis.

QVoniam non vnus omnis veritatis pertractandæ eſt modus; ſicut nec omnis veritas eiuſdem eſt conditionis, cùm alia ſit neceſſaria, alia contingens, ideò diuerſis modis vtraque explicanda eſt, neceſſario videlicet aut contingenti medio. Sicut enim res ſe habet ad eſſe, ita & ad cognoſci. Si enim veritas erit neceſſaria, medijs, quæ aliter ſe habere non poſſunt, & neceſſarijs; ſin contingens, cõtingentibus explicabitur. Nec verò contingentium veritas eſt expectanda ex neceſſarijs: vt enim à Philoſopho 1.Ethic. c. 2. optimè dictum eſt, *Diſciplinati hominis eſt, tantum de vno quoque fidem cupere tentare, quantum natura rei permittit.* igitur indiſciplinati erit, maiorem fidem exquirere, quàm natura ipſa, quæ pertractatur, expoſtulat. Addo cum Boëtio lib. 1. de Trinitat. cap. 7. neceſſe eſſe, noſſe priùs, quis modus poſſibilis ſit ad veritatem propoſitam manifeſtandam, quàm ad eam explicandam quis accedat. Cùm ea quæ à nobis de locis ſanctis tractabuntur, neceſſaria non ſint, & conſequenter nec modis neceſſarijs explicanda; modus præcipuus eſt aperiendus quo explicabuntur, qui eſt traditio. Accedent etiam rationes, congruentiæ, coniecturæ & Auctores ad ea quæ dicentur ampliùs ſtabilienda. Fortaſſe dices: *Traditio eſt, nihil quæras ampliùs*, olim dicebat D. Ioannes Chryſoſtomus Homil. 4. in 2. Epiſt. ad Theſſal. ergo, ſi dicenda ſunt fulcienda traditionibus, ſuperuacaneum erit ad eadem congerere coniecturas, rationes & auctoritates.

Dicenda de locis ſanctis qua methodo explicanda ſint.

Reſpondere poſſumus primò, quòd exiſtente vera traditione, nihil ampliùs quærendum ſit quod fidem faciat, quaſi ſola traditio non ſufficiat; interim tamen non officit, ad maiorem explicationem & comprobationem traditæ veritatis adducere rationes & Auctores: non enim eſt inſolens, idem pluribus medijs probari, etſi vnum ſufficientiſſimum ſit. Reſpondeo ſecundò, & ad propoſitum argumentum venio. Obſeruandum maximè, traditiones eſſe in triplici differentia: quædam enim ex diuina procedunt reuelatione, quæ ore tenus à Prophetis & alijs Spiritu ſancto afflatis viris ad nos peruenerunt: quædam nituntur teſtimonio hominum, qui non aliqua paſſione moti, ſed à re ipſa, quam proprijs oculis viderunt & auribus audierunt, & à ratione edocti, alios ſubſequenter docuerunt: aliæ denique traditiones illorum ſunt, qui aliqua paſſione permoti vel ob lucrum, vel ob aliam aliquam cauſam, abſque vera ratione, ſed ea potiùs refragante, quædam poſteris tradiderunt. Triplicis huius traditionis facile eſt in ſacris Litteris & Doctoribus adinuenire exempla.

Traditio eſt triplex, diuina, humana rationabilis & vana.

De primi generis traditionibus, non ſcriptis, ſed diuinitus factis, intelliguntur ſecundùm Epiphanium Hæreſi 61. illa D. Pauli verba: *Laudo autem vos fratres, quòd per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*, 1. Corinth. 11, 2. & poſt alia: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur*, &c. ibid. v. 23. & de ſimili traditione idem Apoſtolus alibi ſic: *O Timothee, depoſitum cuſtodi*, 1. Tim. 6, 20. & iterùm: *Bonum depoſitũ cuſtodi*, 2. Tim. 1, 14. Apoſtolicum verò depoſitum eſſe traditiones Apoſtolicas, docet Irenæus l. 3. c. 3. De huiuſcemodi item traditionibus loquitur idem Apoſtolus, vbi Theſſalonicenſes ſuos ad illas memoria retinendas hortatur, dicens: *Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram*, 2. Theſſal. 2, 14. ad quæ Chryſoſtomus inquit: *Hinc perſpicuum eſt, quòd non omnia tradiderunt per epiſtolam, ſed multa etiam ſine ſcriptis, & ea quoque ſunt fide digna. Quamobrem Eccleſia quoque traditionem cenſeamus eſſe fide dignam. Eſt traditio? nihil quæras ampliùs.* Quibus ſimilia alij dixerunt.

Earum diſcrimen ex ſacris Litteris.

De altero genere traditionis, quod teſtimonio humano nititur vero tamen & ſancto, videtur intelligendum quod dixit ſanctus Petrus: *Non doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, vece delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite*, 2. Petr. 1, 16. Quòd verò in hiſce verbis loquatur ſanctus Apoſtolus non tantùm vt amanuenſis Spiritus ſancti,

cti, ſed vt hiſtoricus & auctor humanus qui viſa & audita referat, conſtat ex verbis eius immediatè ſequentibus: *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem*, v. 19. indicatur enim, non tantùm vt Prophetam locutum fuiſſe in verbis præcedentibus, ſed vt oculatum Scriptorem, cui fides tamen præſtanda ſit, eò quòd in ſua narratione non ſecutus fuerit doctas fabulas, ſed viſa & audita, & multò magis, quia ad relatorum confirmationem habet propheticum ſermonem. Ita ſentit Gloſſa ordinaria in hunc locum. Ioannes etiam Euangeliſta ad eiuſmodi teſtimonium humanum reſpiciens, dictis ſuis poſtulauit fidem adhiberi, quòd ea quæ ſcribit viderit ipſe & pertractauerit. *Quod fuit*, inquit, *ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*, 1. Ioan. 1, 1. Et iterùm loquens de his quæ in morte Chriſti contigerunt, & vt credantur ad ſalutem neceſſaria ſunt, vt ipſe eiſdem ipſis locis docet, dicit: *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium eius. Et ille ſcit quia vera dicit, vt & vos credatis*, Ioan. 19, 35.

Obijcies fortaſſe: Igitur ijs, quæ Marcus vel Lucas ſcripſerunt de Chriſto, non credemus, quia non viderunt vt Petrus & Ioannes; & non vera erit Theologica doctrina D. Gregorij Homil. 1. in Ezechielem, qua manifeſtè oſtendit, nos non credere Scripturis ſacris, ideò præcisè quòd qui ſcripſerunt in ea contenta, viderint, ſed quòd Spiritu ſancto inſpirati locuti ſint ſancti Dei homines. Quòd ſi verò tantùm viſa à Scriptoribus ſacris credenda eſſent neceſſitate ſalutis, magna ſacræ Scripturæ pars periclitaretur, vt conſtat. Et quid excellentiæ haberet ſacra Scriptura ſupra alias humanas ſcripturas, ſi vt illæ tantùm humano niterentur teſtimonio? & cùm hoc fallibile ſit, ipſæ firmæ non eſſent; quod abſurdum & hæreticum eſt dicere.

Credimus credenda, non quia à Scriptoribus viſa, ſed quia revelata.

Reſpondeo, Optimè hanc nouerunt doctrinam primi illi Theologiæ Magiſtri Petrus & Ioannes, nec ſuis verbis oppoſitum indicare voluerunt, ſed tantùm, ea quæ ipſi dicebant, non modò diuino teſtimonio fulciri, ſed etiam vero humano; ideoque non tantùm credenda eſſe eo nomine quòd à Spiritu ſancto dicerentur, ſicut alia quæ in ſacro canone continentur, ſed etiam quòd à Scriptoribus fide dignis, qui ea viderint & audierint, relata fuerint. Ideò ſi alijs hiſtorijs humana fides adhibetur, quia à fide dignis Scriptoribus, qui à ſe deſcripta viderunt & audierunt, referuntur; eadem ratione humana fides eorùm ſcriptis adhibenda erat, præter diuinam. Idem de ſimilibus Auctoribus dicendum eſt. Et iſta credere, &, ſi bona, obſeruare, laudabile ac meritorium eſt. Exemplum habes apud Ieremiam, qui loquens de Rechabitis dicit, eos gratiam promeruiſſe, & præmiatos fuiſſe propter obſeruantiam paternæ cuiuſdam traditionis de non bibendo vinum, & non ædificandis domibus ad habitandũ, &c. ex hoc enim videtur Dominus approbare humanas traditiones ſuis legibus non aduerſantes. De huiuſmodi traditionibus videtur mihi intelligenda vulgata illa & recepta D. Hieronymi ſententia: *Traditiones, Eccleſiaſticæ præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſeruandæ ſunt, vt ſunt à maioribus traditæ.* Et ſanè de prioris generis traditionibus non loquitur, quoniam illæ non poſſunt obeſſe fidei, quia ſunt de fide; & multò minùs de alijs tertij generis, vt conſtat: & nimis temerarius ac ſuperbus cenſeretur ille, qui ſuo capiti innitens, quod piè & ſemper à ſanctis & doctis viris fuit receptum, negare veller.

Boni mores tantùm velata, ſed ab homine rationabiliter tradita, cuſtodienda.

Tertij generis traditiones illæ ſunt, quæ abſque ſolido fundamento, alicuius tantùm paſſionis impulſu, malè contra veram rationem, Theologicas regulas, & ipſam legem Dei, introductæ ſunt. De illis dixit Pſalmographus: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua*, Pſ. 118, 85. De eiſdem Chriſtus dixit Scribis & Phariſæis: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Matthæi 15, 3. In quam ſententiam idem Dominus, citans Iſaiam dicit: *Benè prophetauit Iſaias de vobis hypocritis, ſicut ſcriptum eſt: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me: in vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, baptiſmata vrceorum, & calicum, & alia ſimilia his facitis multa. Et dicebat illis: Benè irritum facitis præceptum Dei, vt traditionem veſtram ſeruetis*, Marc. 7, 6. De ſimilibus porrò traditionibus, legi Dei repugnantibus, loquitur S. Paulus, dicens: *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum*, Col. 2, 8. Et Apoſtolorum Princeps loquens de ſuperſtitioſa quadam traditione Iudæorum, per quam ſpecie pietatis irrita reddebant mandata Dei, vt loco iam adducto exprobrauit illis Chriſtus, dixit: *Scientes, quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de*

Digitized by Google

de vana vestra conuersatione paterna traditionis, 1. Pet. 1, 18. Aduerte tamen, non omnes humanas Iudæorum traditiones fuisse malas, quamuis multas, vt in illorum Thalmud videre est.

Ex his colligimus, omnes prædictas traditiones non eumdem producere assensum, sed diuersum. Qualem verò quæuis? Respondeo tribus sequentibus Conclusionibus.

PRIMA CONCLVSIO. Traditiones prioris generis assensum generant infallibilem, ipsis Scripturis Canonicis parem, quia tam hæc quàm illæ ex eodem principio, id est Deo, qui fallere non potest, originem trahunt. Hæc communis sanctorum Patrum & Theologorum sententia est. Et sanè si traditio scripturâ antiquior est, & huic firmiter creditur propter illam: quare non simili ratione eidem credam, & multò magis? Recepta enim est illa Philosophi sententia: *Propter quod vnumquodque tale, illud magis est tale*. Patet ex dictis. Et Christus Dominus ait: *Qui vos audit, me audit*, Luc. 10, 16. at nefas est nolle audire Deum; igitur & nefas est non audire eos qui eius nomine loquuntur. Et D. Augustinus in Epist. ad Casulanum: *In his rebus, de quibus nihil certi statuit diuina Scriptura, mos populi Dei & instituta maiorum pro lege tenenda sunt, & sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticorum consuetudinum coërcendi sunt.* Et rursùm lib. de Fide Christiana: *Catholica Ecclesia per orbem terrarum diffusa tribus modis probatur existere. Quidquid enim in ea tenetur, aut auctoritas est Scripturarum, aut traditio; sed auctoritate Scripturæ constringitur, vt vniuersali traditione maiorum nihilominùs tota, priuatis verò constitutionibus & propriis informationibus vnaquæque pro locorum varietate, prout cuique visum est, & subsistit & regitur.* Hæc Augustinus, quæ reperiuntur in can. In his. & can. seq. dist. 11. De huiusmodi traditionibus loquitur Chrysostomus suprà adductus, dum dicit: *Est traditio? nihil quæras amplius.*

SECVNDA CONCLVSIO. Traditionibus secundi generis moralis fides est adhibenda, & tantò maior ac firmior, quantò pluribus auctoritatibus & rationibus firmantur (vnde quæ asseruntur, communiter negari nequeunt, quin superbiæ & temeritatis nota incurratur) nec eam tamen fidem, vt constat, generant quam prioris generis traditiones; quare optimè ad eas magis persuadendas adduntur auctoritates, rationes & congruentiæ; quæ cùm singulæ suam causent fidem, & iam simul credulitatem maiorem causabunt, quàm si solæ adducerentur. Vt enim habet commune dictum. *Singulaque non prosunt, simul collecta iuuant.* Et ecce secunda responsio ad difficultatem initio Capitis propositam, meritò adducere nos rationes, congruentias & auctoritates Doctorum ad traditiones, quibus pro potiori parte fulcientur ea quæ à nobis dicenda sunt: quoniam non omnes erant traditiones primi generis. Quo verò genere traditionum asseruntur & creduntur ea quæ de locis sanctis dicemus in sequentibus Tractatibus? Dicimus, quòd traditionibus plerumque secundi generis, quæ vt firmiùs credantur, eas nonnumquam aliis auctoritatibus, rationibus & congruentiis, prout materiæ dignitas expostulabit, roborabimus: nec enim omnia æqualem habebunt credulitatem.

Hîc vnum aduerte, nos ideò minùs credere, aut id quod traditione faciendum proponitur prætermittere, quòd originem vel rationem eius sciamus vel etiam nesciamus, vt sequentibus verbis bene docuit Origenes Homil. 5. in Num. *Sed & in Ecclesiasticis obseruationibus*, ait, *sunt nonnulla huiusmodi quæ omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quòd (verbi gratia) genua flectimus orantes, & quòd ex omnibus cæli plagis ad solam Orientis partem conuersi orationem fundimus, non facilè cuique puto ratione compertum. Sed & Eucharistiæ sive perficiendæ, sive eo ritu quo geritur explicandæ, vel eorum quæ geruntur in Baptismo, verborum, gestorumq́, & ordinum, atque interrogationum & responsionum, quis facilè explicet rationem? Et tamen omnia hæc operta & velata portamus super humeros nostros, cùm ita implemus ea, & exequimur, vt à Magno Pontifice atque eius filiis tradita & commendata suscepimus.* Hæc ille. Et quod Origenes de prioris generis traditionibus docet, nos similiter de aliis secundi generis asseueramus, tantò magis, quòd non tantam, vt illæ, exquirant fidem. Quare etsi ratio vel origo illarum aliquando non appareat, non propterea minùs veræ sunt, nive fides deroganda, si tamen Scriptura vel manifesta ratio oppositum non doceat, sed humiliare debemus nosmetipsos, & captiuare intellectum in obsequium pietatis, dicentes, illarum originem & rationem absconditam esse ab oculis nostris, ad quam propter sui imbecillitatem non potest pertingere intellectus.

TERTIA CONCLVSIO. Tertij generis traditiones Scripturæ sactæ, vel veræ Theologiæ rationique aduersantes, prorsus abiiciendæ sunt. Probatur ex Apostolo in hunc modum: *Rogamus autem vos fratres per aduentum*

uentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtra congregationis in ipſum: vt non citò moueamini à ſenſu veſtro, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Ne quis vos ſeducat vllo modo, 2. Theſſ. 2, 1. Hæc ſanctus Apoſtolus ea occaſione dixit, quoniam quidam pſeudo-Apoſtoli, videntes Theſſalonicenſes magno cum affectu ab Apoſtolo Euangelium ſuſcepiſſe, quò magis promptiores redderentur ad ſua illis dilargiendum, dicebant inſtare diem Domini nouiſſimum, quod & eiſdem cælitus reuelatum dicebant. Eos igitur admonet, vt ab huiuſmodi doctrinis, præceptoribus ac traditionibus caueant. Huius generis traditiones, introductæ turpis lucri gratia, & ſolo priuato nonnullorum ſpiritu confictæ (quales ſunt, quas de igne ſancto ſanctiſſimi Sepulchri ſpargunt iſtarum partium ſchiſmaticæ nationes, vel de illo qui Chriſto alapam dederit in Annæ domo, quem adhuc viuere dicunt, & quòd ictus flagellorum, qui Chriſtum ceciderunt, audiantur, de quibus fabuloſis relationibus ſuo loco dicemus) apponi in Scriptura ſacra prohibet Spiritus ſanctus, non alias quæ vtiliſſimæ ſunt, & pietatem adiuuant, quidquid blaſphement & oblatrent hæretici. Et hæc de traditionibus pro noſtro inſtituto ſufficiant: qui plura deſiderat, legat eos qui ex profeſſo de eis ſcripſerunt, Caſtro Aduerſus hæreſes, Cardinalem Bellarminum Tomo primo ſuarum Controuerſ. & Cardinalem Baronium Tomo 1. & alios Patres & Theologos.

CAPVT XXXVIII.

Ex vniuerſalis Eccleſiæ conſenſu, particularium Eccleſiarum traditione, probatiſſimorum virorum ſententia, ceterorumque hominum communi opinione oſtenditur, quantus ſit aſſenſus exhibendus his quæ dicentur de locis ſanctis.

Catholica Eccleſia ad perſuadendum magna auctoritas.

ECcleſiam vniuerſalem magnæ eſſe auctoritatis, poſſeque ea quæ controuertuntur diffinire, & diffinita ſecurè amplecti, eaque alios docere, nullus Catholicorum dubitauit vmquam: ad quam reſpiciens antiquiſſimus Tertullianus de Præſcriptionibus aduerſus hæreticos, dicit: *Si enim tanta eſt Eccleſiæ auctoritas, vt quod longioris temporis ſpatio dixiſſe vel feciſſe videtur, id ipſum vt diuinum conſtitutum haberi debeat, ſatisq; ſit ad conuincendos omnes hæreticos; quantò magis hæc immunitas à Catholicis probanda eſt, & inuiolabiliter cuſtodienda?* & D. Bernardus Epiſt. 174. ad Canonicos Lugdunenſes inquit: *Ego, quæ accepi ab Eccleſia, ſecurus teneo, & trado.* Et non vniuerſalem modò, ſed & particulares Eccleſias reſpectiuè multum valere, eiſque multum tribuendum, teſtantur grauiſſimi Theologi, etſi ea quæ proponunt, non tamquam de fide tenenda proponantur, vt, Virginem Mariam abſq; peccato originali conceptam fuiſſe, corpore & anima in cælum fuiſſe aſſumptam, & huiuſmodi; ſed inter ceteros Angelicus Doctor id teſtatur hiſce verbis 2. 2. q. 110. art. 1. & in Quodl. 2. art. 3. *Dicendum eſt, quòd maximam habet auctoritatem Eccleſiæ conſuetudo, quæ eſt in omnibus amulanda, quia & ipſa doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia auctoritatem habet. Vnde magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quàm Auguſtini, Hieronymi, vel cuiuſcumque Doctoris.* Et S. Gregorius Nazianzenus: *Ritus Eccleſiæ, mores & traditiones non tam humanis ingeniis, quàm vi diuina & temporis firmitate vigorem obtinuerunt.* Quare refragari, & ſe opponere his quæ ab Eccleſia vniuerſali vel particulari reſpectiue proponuntur, vel vt de fide, vel etiam vt piè tenenda, videtur eſſe animi obſtinati, præfracti & indocilis. At credit Eccleſia vniuerſalis, credunt præſertim & docent Eccleſiæ particulares in Oriente, loca iſta Palæſtinæ, de quibus agemus, eſſe ſancta illa loca, in quibus noſtræ ſalutis myſteria ſunt facta, & quæ dicemus, cùm ad illorum explicationem acceſſerimus; vt talia enim proponunt fidelibus veneranda. Quod vt auidiùs & affectuoſiùs præſtent, Pontifices, Chriſti in terris Vicarij, varias & ampliſſimas conceſſerunt indulgentias, gratias & priuilegia, quas non conceſſiſſent illo intuitu, niſi talia credidiſſent, ne fideles decipere viderentur, falſa pro veris proponendo. Et nos Fratres Minores, Catholicæ Eccleſiæ Romanæ & vniuerſalis fidelium Matris particulares filij, eius nomine diurnis & nocturnis pariter officiis, rogationibus, viſitationibus, magno cum pietatis affectu eadem veneramur, & eo intuitu quòd loca ſancta ſint, quorum Scriptura mentionem faciat, cuſtodimus. Et id ipſum faciunt ſuo ritu Eccleſiæ particulares, Græcorum, Armenorum, Iacobitarum, &c. non tantùm à vera Catholica Romana Eccleſia diuiſæ, ſed etiam aliæ; & multò magis faciebant, cùm eidem vnitæ & ſubiectæ erant, vt factum fuit tempore D. Hieronymi, & nos ſuperiùs ex ipſo docuimus, dum loqueremur de licita & vtili ad loca

ſancta

ſancta peregrinatione. Et nónne tempore Magni Conſtantini, celebrato Nicæno Concilio, plures Eccleſiarum Epiſcopi ob id conſecrarunt inſigne Templum Dominicæ Reſurrectionis, quod Martyrion nuncuparunt? vt ſuo loco dicemus. Pluris verò faciendum credo illorum Orientalium traditionem, quoniam ſtudioſiſſimi ſunt antiquitatis, quam & in habitu, victu & aliis conſeruant. Cùm igitur & ipſi teneant ea quæ dicemus, nec ſit aliquid quod efficaci ratione vel firma auctoritate refragetur, credenda erunt.

Orientales antiquitatis ſtudioſi.

Accedit etiam particulare teſtimonium ſanctiſſimorum nec non doctiſſimorum vetuſtate celebrium virorum, vt recentiorum, qui eos ſecuti ſunt, auctoritatem præteream. Et quis dubitabit, illud plurimum non valere? ſi communis vulgarium hominum conſenſus valet, quantò magis ſanctitate, doctrina & antiquitate illuſtrium & celebratiſſimorum proderit teſtimonium? Eccleſiaſticus enim ait: *Anima viri ſancti enuntiat aliquando veſta, quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum*, Eccli. 37, 18. & beatus Ioannes: *Vnctio eius docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium*, 1. Ioan. 2, 27. & ſancto magis, quàm non ſancto deferendum eſt. Deferendum eſt etiam antiquitati, non quòd rei æſtimatio à ſolis annis ſumenda ſit (hoc enim ſtultiſſimum eſſet, cùm hac lege oporteret etiam vitia comprobare quæ antiquiſſima reperiuntur) ſed quòd antiquitas vitæ & doctrinæ accedens magnum pondus efficiat. Nam qui virum per multa ſæcula laudatum contemnit, eo ipſo contemnere videtur eos omnes à quibus ille laudatus fuit, & in pretio habitus. Igitur ſi multum tribuendum eſt viro ſancto, docto, & antiquo, multò magis pluribus, non ſolùm veteribus, ſed etiam recentioribus. Sed plures eſſe huiuſmodi, qui ea loca vt ſancta & myſteriis plena prædicarunt, & venerati ſunt peregrinationibus & ſcriptis, manifeſtum eſt, vt diximus, vbi de ſanctorum locorum peregrinatione egimus, & dicemus inferiùs de eiſdem verba facientes.

Cui antiquitati deferendum.

Sed quid? quamuis non faueret vniuerſalis Eccleſia, quamuis non particulares, quamuis non conſpirarent viri ſanctitate, doctrina & antiquitate celebres, dicerent, quamuis non iuuarem inſcriptiones in lapidibus, lignis vel aliis rebus, num propterea omnis fides deroganda? minimè verò; quoniam ſufficientiſſimam aliam ſcripturam viuam haberemus, communem videlicet populorum omnium conſenſum, de quo D. Paulus ad Corinth. *Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus: manifeſtati quòd epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis; & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*, 2. Cor. 3, 2. & Regius Pſaltes: *Dominus narrabit in ſcripturis populorum*, &c. Pſalm. 86, 6. ſiue vt ex Hebræo tranſtulit D. Hieronymus, *Dominus ſcribet populos*. quaſi populi ſint diuini teſtes, diplomata Regia, quibus ea quæ aſſeruntur firmantur. Ideò in communi prouerbio dicitur, *Vox populi, vox Dei*; quæ communis ſententia, & populorum conſenſus, tanti ſit à ſapientioribus, vt vel aliquandò propriam illi contrariam ſententiam præferre, vel ſaltem illam communem reiicere non audeant, ne voci & Scripturæ Dei reſiſtere videantur. Ideò D. Hieronymus, vir ſanctiſſimus pariterque doctiſſimus, & in cognitione locorum illorum verſatiſſimus, aliquando propriam deſerit ſententiam, vel eam reticet, aliorum communem adducens. Sufficiat vnicum illius exemplum. Dum commentatur in cap. 27. Matthæi, negauit Adamum ſepultum fuiſſe in Caluariæ monte; vt verò vidit, populos oppoſitam ſententiam ſequi, non audet illam damnare in Commentario ſuper Epiſtol. ad Epheſ. cap. 5. & in Epiſtola ad Marcellam, vbi enarrat loca ſancta, loquens de monte Caluariæ, dicit, ibi fuiſſe primum hominem ſepultum, vbi Chriſtus Sanguinem pro omnium ſalute fudit, quæ eſſet communis ſententia. Sed omnes populi non iſtarum partium modò, ſed exteri ex omnibus mundi partibus illuc, non aliò ſe conferunt ad inuiſenda incunabula Saluatoris, Caluariæ montem, Sepulchrum Domini, & alia ſancta loca; igitur eiuſmodi erunt vt communiter prædicantur, & conſequenter de illorum veritate dubitare nefas videtur. Si enim hæc non ſunt, quænam erunt? Sanè alibi non aſſignantur loca, vbi facta dicantur quæ Saluator noſter, beata Virgo Maria, & alij operati fuere, vt Scriptura ſancta docet.

Communis conſenſum quanti fecerit ſanctus Hieronymus.

Omnes locis ſanctis teſtimonium perhibent.

CA-

CAPVT XXXIX.

Infideles inimici Crucis Christi, dæmones denique ipsi conteſtantur ea quæ de ſanctis locis dicuntur.

COmmuni ergo hominum conſenſu comprobatur veritas eorum quæ dicuntur de locis ſanctis, vt nunc vidimus; illi enim ſunt epiſtola digito Dei viui exarata. Ex quo colligo, ea omnibus obuia eſſe, atque adeò manifeſta, vt non ſit opus vlteriore aut diligentiore indagine. Propter hoc enim S. Paulus, de Euangelica lege in cordibus hominum deſcribenda loquens, dixit eam abſque doctore, id eſt abſque doctoris diligentia addiſcendam & cognoſcendam eſſe. *Hoc eſt*, inquit, *teſtamentum, quod diſponam domui Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum: & non docebit vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum; quoniam omnes ſcient me à minore vſque ad maiorem eorum*, Hebræor. 8,10. Et hac fortaſſe ratione S. Ioannes Chryſoſtomus dixit, hominem omnis legis cognitione expertem amplexurum legem Chriſtianam potiùs quàm alias, ſi illa & iſtæ eidē proponerentur, quoniam naturali legi conformior, quam in humano corde inſcripſit Deus, Propheta dicente, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, Pſal. 4,7. Ita in propoſito, quotquot interrogantur qui Chriſti nouerunt facta, vbi ea geſta fuerint, reſpondent: In Iudæa, Samaria, Galilæa, in iſto vel illo loco, quemadmodum & nos dicimus. Quæ cùm ita ſe habeant, quid mirum, ſi infideles Chriſti hoſtes, dæmones ipſi (vt mox explicabimus) veritati teſtimonium perhibeant? ſicut & aliquando, veritate compulſi, Chriſtum eſſe Filium Dei, legem eius ſanctiſſimam ac veriſſimam eſſe, confeſſi ſunt.

Christi lex cordibus hominum inſcripta.

At percunctabitur fortaſſe quiſpiam: Si quæ proponuntur de locis ſanctis, ſunt ita clara, communiq; hominum conſenſu recepta; quare adeouſque laboras ad oſtendendum quæ ſit fides eiſdem accommodanda? Reſpondeo primò, vt hac occaſione multa dicantur in laudem locorum ſanctorum, & noſtra mens magis erga illa afficiatur. Secundò, vt diſtinctior illorum habeatur cognitio, quam plures deſiderant. Tertiò denique propter hæreticos ad ea ſe conferentes, qui, quia nolunt intelligere, variè ijs detrahunt: quare vt conuincantur, plura diximus & dicemus, etiam propter aliquos Catholicos, qui cùm loca ſancta non viderint, nonnulla contra receptam veterem traditionem ſcripſerunt, eadem mordicus defendentes. Quæ cauſa eſt vt nos, qui eam, quantum licuit, explicare & defendere propoſuimus, pro eadem explicatione ac defenſione plura de his dicere operæ pretium duxerimus. Quapropter non mirum, ſi in probatione vel explicatione non ſemper videamus litteralem ſequi ſenſum, ſed & ſpiritualem amplecti; quoniam non ſolùm infidelibus, ſed etiam fidelibus loquimur. Non probamus modò, ſed & laudamus; & ſpirituales ſenſus, hiſtorico non repugnantes, plurimùm valent ad veritatem aliquam perſuadendam, vt tradunt Doctores. Accedit, quòd non omnia quæ tractamus eius conditionis ſint, vt vel ſacræ Scripturæ euidenti teſtimonio vel clara demonſtratione probari poſſint.

Non ſolùm fideles ſed & infideles, & dæmones ipſi teſtimonium perhibent aſſertis de locis ſanctis.

Infideles, non modò Orientales & Occidentales hæretici, ſed etiam ipſi Turcæ, qui Chriſtum tantùm hominem & ſanctum quempiam Prophetam fuiſſe perperàm credunt, ſingulariter locum illum Bethleemiticum, in quo Saluator ille mundi pro hominum ſalute naſci dignatus eſt, ſolutis de pedibus ſuis calceamentis accedunt, &, contra ſuum morem & conſuetudinem, inſtar Chriſtianorum, detecto capite, flexis genibus, & cum lacrymarum profluuio ſanctum locum exoſculantur & venerantur. Et, velint nolint, ducti vel credulitate, vel opinione, vel ipſorummet locorum occulta quadam maieſtate, veritati teſtimonium perhibent: &, ſicut illi qui Chriſtum crucifixerant, dolentes reuerſi, & pectora ſua percutientes, mortem Saluatoris plangebant; ita iſti, quamuis deſtituti lumine fidei, Saluatoris incunabula ingemiſcentes & ſupplices adorant. In quibus impleri video illud Prophetæ vaticinium: *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes ſeruient ei*, Pſal. 71, 11. & alterum: *Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent*, ibid. v. 9. Quid? quòd quidam ex illis vota loco illi fecerint, & pro accepta gratia grati, oleum ad fouendas lampades, quæ illic continuè ardent, detulerint. Lampades etiam & thus accendunt ad Eccleſiam paſtorum, & locum illum adeò venerantur Mauri, vt nec oleas illic plantatas euellere vel concidere audeant. In Ieruſalem famuli Gubernatoris ciuitatis oſtendunt nobis locum peculiarem Coronationis Dominicæ, quem ſemper vt talem pia antiquitas venerata eſt. Sed & alia ſancta loca commonſtrant. Nec hoc nouum eſt, ſed antiquiſſimum: nam & tempore Origenis oſtendebant infideles locum vbi

Notauit hoc Vitriacus in Hiſtoria Ieroſol. c. 67.

Christus, quem Christiani adorant, natus esset, vt dicemus inferiùs, quando de eodem loco natiuitatis Domini agemus. Recole modò quæ retulimus Libro 1. Capite LXXXIV.

Sed ampliùs ex conuersione nonnullorum infidelium in locis sanctis, ipsa loca esse sancta, comprobatur: accidit enim non semel aliquibus infidelibus eò se conferentibus, quod olim Genesio Martyri contigisse legimus. Hic primùm sub Ethnicismo mimus, cùm in theatro, spectante Diocletiano Imperatore, mysteriis Christianorum illuderet, à Deo inspiratus repentè conuersus ad fidem & baptizatus est, & propter fidei constantiam, iussu eiusdem Imperatoris grauissimis tormentis cruciatus, tandem martyrio coronatus est. Ita quidam ex infidelibus hæreticis ad loca sancta peregrinantibus non dissimile accidisse vidi, dum in eisdem locis commorarer, qui primò illudentes pietati Catholicorum, postea verò resipiscentes, & facti pœnitentes, loca sancta proni exosculabantur, in ipsis coram Altissimo preces fuderunt, & prioribus repudiatis atque abdicatis erroribus, Catholicæ Ecclesiæ reconciliati, & communioni fidelium aggregati fuerunt. In quibus adeò Catholicæ fidei feruor & religionis ardor creuit, vt pro ea (si sese obtulisset occasio) millies vitam fundere non dubitassent. Et tanta mutatio nónne ex sanctis locis Saluatoris processit, quæ inuisibiliter suam influunt virtutem, & visibiliter in electis demonstrant?

Dæmones ipsi, qui olim à Christo è locis sanctis in barathrum abacti sunt, ibi esse non sustinent, sed fugiunt, adeoque qualia ea sint indicant. Hostis qui locum non suum timet & perhorrescit, indicat esse aduersarij sui: ita diabolus, Christi hostis acerrimus, fugiens ab obsessis corporibus dum sunt in illis locis, eis testimonium perhibeat. Et ita esse, indicat hisce verbis S. Hieronymus, de Sepulchro Domini loquens ad Marcellam: *Si nobis non credimus, credamus saltem diabolo & angelis eius, qui quotiescumque ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes, contremiscunt, rugiunt, & serò dolent crucifixisse quem timeant.* Et alibi de sepulchris Prophetarum Eliśei & Abdiæ, & illius quo maior inter natos mulierum non fuit, dicit, quòd cùm ad ea peruenisset Paula, *multis fuit consternata mirabilibus: namque cernebat varijs damones rugire cruciatibus, & ante sepulchra Sanctorum vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentium, mugire taurorum; alios rotare caput, & post tergum terram vertice tangere, suspensisq; pede feminis vestes defluere in faciem.* Quibus quidem actibus ostendebant, ea esse vera sanctorum corporum sepulchra, quæ nec sufferre poterant, vtpote quòd ab illis se fuisse superatos recordarentur. Ad hæc etiam lege Hieronymum aduersus Vigilantium, post medium.

Feruidam orationem in primis odit dæmon.

Sed & non leue huius veritatis testimonium est, quòd dæmon non tam molestus sit in orationibus illis qui ibi habitant, quàm qui alibi, vt meritò ipsum inde aufugisse credendum sit. Certissimum est, diabolum humano generi infensissimum esse: ipse enim circumdat & perambulat terram, & tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Et quamuis omne opus bonum disturbare & impedire contendat, vnde & tentator appellatur; magis tamen sanctam & feruidam orationem quouis modo irritam reddere satagit, quoniam nouit, in ea fideles apud sublimissimam Dei maiestatem suas pro se contra ipsum agere causas, in ea omnia nobis bona donari, & mala quæque à nobis arceri. Ideò quando Christus secessit in desertum, vt ieiunaret & oraret, accessit simul ad eum tentator. S. Antonius, S. Franciscus, & alij sancti viri & mulieres, numquid frequentissimè à dæmone percussi, flagellati, lapidibus impetiti, & terribilibus laruis atque spectris inuasi fuerunt, vt ab oratione disturbarentur? At non perinde facere potest, vel saltem magis impeditur in istis, quàm in alijs locis.

Affectus peregrinorum ad loca sancta.

Sufficiat testimonium eorum qui olim illuc peregrinati fuerunt, atque ibi habitarunt. Ego cùm anno 1616. die 3. Martij Ierosolymam prima vice vnà cum familia mihi commissa, post plura terræ marisque pericula, Deo fauente peruenissem incolumis, fui cum alijs Fratribus ad habitandum admissus in augustissimo templo sanctissimi Sepulchri Christi Domini, vbi frequenter die noctuque visitabamus illius Sanctuaria, illud circumeuntes, ingredientes etiam Christi (vt aiunt) carcerem, visitantes capellas vel diuisionis vestimentorum Christi, vel improperiorum, adeuntes locum inuentionis sanctæ Crucis, descendentes & ascendentes ad Caluariæ montem, intrantes sanctissimum Domini nostri Iesu Christi Sepulchrum, & alia denique loca sancta venerantes; & (testis est Dominus quòd non mentiar) numquam satiari poteramus, nec nos tædebat diutiùs in oratione perdurare, sed semper promptiores eramus, spiritusque & affectus, diuina gratia adiutus & corroboratus, corpus subleuabat, & ad quælibet aptius reddebat. Experientiâ etiam compertum habemus, plures, qui alibi admodum

dum metuunt, nec audent nocturno tempore ſine lumine ſoli incedere, vel in Eccleſiis pernoctare in oratione, in ſanctiſſimo illo loco ſolos, & quandoque ſine lumine ambulaſſe, & dum in oratione conſtituti erant, nullo timore vel metu correptos fuiſſe. Cumque ego aliquando mirabilia, quæ olim ibi operatus eſt Dominus, & quæ ad præſens operari non ceſſat, & quæ in me ipſo expertus eſſem, ad Dei gloriam conſodalibus meis enarrarem, eadem contigiſſe ſibi affirmabant. Quod & accidit in aliorum ſanctorum locorum veneratione tam intra quàm extra ſanctam ciuitatem: nam nec labor, nec timor, nec Turcarum infeſtationes, nec quodlibet aliud retrahit ibi habitantes ab illorum pia viſitatione. Sed cur hæc præcipuè contingunt in iſtis ſanctis locis, & non alibi? Crediderim ego (alijs cauſis omiſſis) quòd Chriſtus Dominus virtute ſua dæmonem ex locis illis ſibi plurimùm dilectis fugauerit, quòd ibi mortem iugulauerit, mundumque, diuitias & omnia terrena contempſerit, & fideles ſuos contemnere docuerit: quod cùm ſtrenuè & gnauiter faciant, rubore confuſus dæmon ſuperbus abſcedit. Sol à ſe & ab vniuerſo mundo tenebras abigit, quem etiam ſuo lumine illuſtrat, propinquiores tamen partes magis quàm remotiores Chriſtus ſol iuſtitiæ, lucens in virtute ſua, à ſe omnes fugauit tartareas tenebras, & ab vniuerſo orbe dæmonem ambulantem in tenebris. An non fugauit à ſe, quando iſte acceſſit eum tentaturus in deſerto? An non fugauit à viris & mulieribus innumeris, quos mente & corpore iſte occupabat? dixit enim Chriſtus: *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quidquam*, Ioan. 14, 30. & in morte ſua omnino eum è mundo expulit, vt anteà prædixerat: *Nunc iudicium eſt mundi; nunc princeps huius mundi eijcietur foras*, Ioan. 12, 31. Ergo eum diſpulit priùs à ſe & propinquioribus ſibi locis, quales ſunt Ieruſalem, Bethleem, ſacer Caluariæ mons: in huiuſmodi enim priùs ſuæ virtutis radios diffudit, qui & ideò priùs & perfectiùs illius virtutem ſentire debuerunt. Non ergo mirum, quòd ibi nec timor, nec metus, nec laſſitudo ſentiatur, quæ in alijs locis experiuntur non pauci.

Expaueſcit dæmon loca ſancta.

Cùm ſapientiſſimus Rex Salomon, Regij Prophetæ dilectus filius, cogitaret ædificare templum nomini Dei ſui, ſicut mandauerat ei pater ſuus; illud ideò ædificandum eſſe dixit, quia *requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum, & non eſt ſatan, neque occurſus malus*, 3. Reg. 5, 4. Perinde dicere poſſunt in Terra ſancta habitantes fideles, Ædificandum eſt templum Domini, conſtruendum eſt ſpirituale ædificium, in quo offeratur ſacrificium laudis, quemadmodum hortatur D. Petrus, inquiens: *Tamquam lapides viui ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum*, 1. Petr. 2, 5. Sed quænam ſunt iſtæ ſpirituales hoſtiæ? ſanctæ orationes, ad quas Domino offerendas quilibet poteſt eſſe Sacerdos. Ita dudum dixit Propheta quidam: *Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum; & reddemus vitulos labiorum noſtrorum*, Oſeæ 14, 3. Id ipſum alius Propheta hiſce verbis Deum alloquens dixiſſe videtur: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ieruſalem. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta; tunc imponent ſuper altare tuum vitulos*, Pſal. 50, 20. At quodnam eſt altare hoc? an cor noſtrum? Melius Caluariæ ſacratiſſimus mons, in quo Chriſtus Deus & homo, Sacerdos & hoſtia ſe ipſum, vt hominum peccata deleret, Patri obtulit Sacrificium, noſque Sacerdotes conſecrauit. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo, & fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & Patri ſuo*, inquit in Apocalypſi cap. 1. S. Ioannes, non quòd omnes Chriſtiani ſint ſacerdotali dignitate præditi, qua corpus Chriſti conficere & miniſtrare poſſint, quia ſolis Sacerdotibus fuit talis conceſſa facultas à Chriſto in vltima cœna. Sed quia Chriſti virtute ſacrificium laudis Domino offerunt, ipſum fide, ſpe & charitate colentes, & (ſicut dicit Apoſtolus) *corpora ſua hoſtiam viuentẽ, ſanctam, Deo placentem*, Rom. 12, 1. Ad hoc altare obtulit Chriſtus vitulos labiorum, cùm Patrem pro crucifixoribus ſuis exorauit, & ſeptem illa ſanctiſſima & acceptiſſima verba protulit: offerimus & nos, dum continuè magna cum ſpiritus tranquillitate Dominum ibi deprecamur; quia Dominus in circuitu populi ſui habitantis Ieruſalem, non eſt ſatan neque occurſus malus diabolicarum tentationum, non curæ ſæculi, non amicorum inutiles confabulationes, propinquorum denique querimoniæ longè abſunt; quia fugatus eſt inde dæmon omnium malorum ſuggeſtor, quando Chriſtus ſe hoſtiam Patri obtulit. hinc ei meritò poſſumus dicere cum Eccleſia:

Orationes ſunt ſpirituales hoſtiæ.

Caluariæ mons altare ſacrificiorum.

O vera cæli victima,
Subiecta cui ſunt tartara,
Soluta mortis vincula,
Recepta vitæ præmia.

CAPVT XL.

Ipſa loca ſancta occulta vi demonſtrant vera eſſe quæ de ipſis aſſeruntur.

PLerique homines, vt iam diximus, à proprijs abeunt laribus, patriaque relicta omnibus inſuper ſpretis incommodis, ad remotiſſimas regiones ſe conferunt, vel vt ſuperba & ingentia ædificia, turres, antiquitates, naturæ mirabilia videant, vel vt mercando diuites euadant, vel vt amicos parentesque chariſſimos inuiſant. Non iſdem de cauſis proficiſcuntur ad Terram ſanctam, aut Ieroſolymam adeunt. Non vt magnifica ſpectent ædificia, quia nulla ibi ſunt amplius, ſed illorum tantùm rudera, quæ magnam commouent miſerationem. & quæ mirabilia viderent in terra deſerta, inuia & inaquoſa? Non vt diuitias ſibi comparent; quia nulla ibi mercimonia, ideoque potiùs ſuas diuitias ibi dilapidarent. Non propter amicos & parentes; ſunt enim ibi hoſtes iuratiſſimi nominis Chriſtiani, qui facultates & ſanguinem Chriſtianorum auidiſsimè ſitiunt. Quare ergo cum tot periculis, impendijs & diſpendijs illuc vadunt peregrini? Non propter aliud, niſi vt lapides illos exoſculentur, locaque illa ſanctiſsimo Sanguine Chriſti conſperſa viſitent. Hæc ſunt quæ inſita vi & occulta virtute eos attrahunt. *Non aliter* (inquit Paulinus Epiſt. 34. ad Macarium) *affectus homines ad Ieroſolymam rapit, niſi vt loca, in quibus corporaliter Chriſtus præſens fuit, videant atque contingant, poſſintq; & de ſuo fructu edicere: Introibimus in tabernaculum eius, & adorabimus vbi ſteterunt pedes eius.* Lapides igitur ipſi, loca ipſa ſancta, ſuam indicant virtutem, & vera eſſe quæ de ipſis enuntiantur.

Occulta vi loca ſancta trahunt peregrinos.

Liceat nobis ad id explicandum pulchram ex ſacra Scriptura adferre hiſtoriam. Propheta quidam ex Domini mandato veniebat de Iuda in Bethel, & obiurgabat Ieroboam ſtantem ſuper altare & thus iacientem, mortiſque ei denuntiabat ſupplicium, quod de eo ſumpturus eſſet Dominus. Et vt conſtaret, quòd in nomine Domini loqueretur, & vera diceret, addebat: *Hoc erit ſignum quod locutus eſt Dominus: Ecce altare ſcindetur, & effundetur cinis qui in eo eſt*, 3. Reg. 13, 3. & poſt pauca: *Altare quoque ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis de altari, iuxta ſignum quod prædixerat vir Dei, in ſermone Domini*, verſ. 5. Simili modo nunc dico, in teſtimonium eorum quæ dicuntur de Chriſto Redemptore noſtro, & de eius ſanctiſsimis locis, in quibus mira planè pro hominum ſalute operatus eſt. Altare illud Caluariæ montis, in quo non carnes vitulorum & hircorum, ſed Agnus immaculatus Chriſtus Ieſus fuit immolatus, ſciſſum eſt, cuius ſciſſura vſque in hodiernum diem cernitur & venerationi habetur, & cinis de eo effuſus eſt. nam ille, cui dictum fuerat à Domino, *Puluis es, & in puluerem reuertêris*, Gen. 3, 19. in eo altari tumulatus (vt communis habet ſententia, & nos ſuo loco dicemus) cum Chriſto ſurrexit, eique dictum videtur: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*, Eph. 5, 14. Præterea, nónne etiam in morte Chriſti *terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt; & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis?* Matth. 27, 51. Ex his verbis habemus (iuxta probabilem grauiſſimorum Patrum ac doctiſſimorum Theologorum ſententiam) multos cum Chriſto ſurrexiſſe, qui ampliùs ſua corpora non depoſuerunt, teſtes reſurrectionis Chriſti. Quare & ipſum Dominicum Sepulchrum, aliaque circa Ieruſalem vacua & patentia monumenta perhibent teſtimonium veritati eorum quæ de locis ſanctis dicuntur. Idem iudicium de alijs ſanctis locis faciendum eſt. Et numquid in ſanctæ Crucis & Dominici Sepulchri inuentione terra illa benedicta miracula edidit pro veritatis teſtimonio?

Mirabilem magnetis vel electri virtutem cognoſcimus, dum videmus illam ferrum, hoc paleam ad ſe quadam occulta vi trahere; neque hoc modò, ſed & ferrum magnete illitum, ad ſe trahere aliud ferrum, vt cum experientia docet D. Auguſtinus. Non diſſimili modo Chriſtus Dominus, velut magnes & electrum (*Et ſplendor eius quaſi ſpecies electri*, dixit de eo Ezechiel cap. 1, 4.) virtutem ſuam oſtendit, cùm in Caluariæ monte omnia ad ſe traxit, iuſtos & peccatores, qui velut palea terræ inhærebant, Dauide dicente: *Adhæſit pauimento anima mea*, Pſalm. 118, 29. Cælum enim & terra in eius morte ſigna diuini tractus dederunt, & adimpletum fuit quod anteà ipſe Chriſtus prædixerat, *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*, Ioan. 12, 32. omnia enim, velut ferrum magneti, & palea electro, ei vnita fuere virtute diuina. Verùm enimuerò non ſibi ſoli reſeruauit Chriſtus hanc attrahendi virtutem, ſed eamdem communicauit lapidibus illis Sanguine ſuo pretioſiſſimo illitis, quemadmodum inuncto à ſe ferro tribuit ſuam virtutem magnes. An non verum, non

Magnes virtus.

Terra ſimilis magnetis cordium.

Digitized by Google

non iuſtos modò, ſed & peccatores, quorum ſunt ferrea corda, & ſicut incus malleatoris ad ſe traxiſſe ac trahere loca illa ſancta? teſtes ſunt Ægyptiaca illa peccatrix Maria, & Antiochena Pelagia (vt tot alios hiſce perſimiles prætermittam.) Nónne has traxerunt lapides illi rudes, ſed quolibet Orientali adamante pretioſiores? loca inquam illa diruta, at rupe Tarpeia, Babylonica turri, & quolibet excelſo mundi ædificio ſanctiora & illuſtriora. Verè ergo Cardinalis Vitriacus in hiſtoria Ieroſolymitana cap. 63. inquit: *Quæcumque loca Dominus pedibus ſuis calcauit, ſancta & conſecrata, & pro pretioſis Reliquiis à fidelibus habentur. vnde non immeritò Terra illa promiſionis lacte & melle fluens, & omnium aromatum ſuperans fragrantiam, non ſolùm Religioſos Clericos, ſed etiam laicos, tam milites quàm alterius conditionis, vt in ea, relictis parentibus & propriis patrimoniis, regulariter viuerent, incitauit, attraxit & illexit: quorum quidam Hoſpitalarij, ſiue Fratres Hoſpitalis S. Ioannis*, &c.

Hæc cùm frequenter animo mecum voluerem, & propriis oculis ſuiſſem intuitus, nimirum non tantùm homines pios & religioſos, ſed ſceleratos, & obſtinatos refractarioſque peccatores, qui poſuerant cor ſuum vt adamantem, & faciem ſuam vt petram duriſſimam, loca ſancta adiſſe, affectu & compaſſione tenerrima ibi ingemuiſſe, lingua ea allambiſſe, lacrymis humectaſſe, pectora ſua percuſſiſſe, veniam ſuorum criminum poposciſſe, nec vna vice huiuſmodi feciſſe obſequia, contentos, ter, quater, pluries repetiſſe atque iteraſſe, ita vt inde diuelli non poſſe viderentur: hæc, inquam, cùm vidiſſem, non ſemel dixi, terram iſtam benedictam eſſe humanorum cordium magnetem; quia cùm temporalia non ſint (vt diximus) quæ illuc trahant, erit vtique ſpiritualis aliqua & diuina, ſed latens & occulta virtus, à Sanguine & contactu Saluatoris ei communicata, quæ tum ſeipſam prodit, dum homines ad ſe trahit.

CAPVT XLI.

Diſpellitur nubecula, quæ dictis de hiſtorica veritate locorum ſanctorum opponi, & aliquam obſcuritatem inducere poſſet.

CONtra ea quæ diximus hactenus de veritate hiſtorica locorum ſanctorum, poſſet quis obiicere: Si ea quæ dicta ſunt veritatem habent, adeò vt maximè æſtimanda ſint loca ſancta, quare Apoſtoli, vel Euangeliſtæ, horúmve Diſcipuli, vel probatus aliquis ex antiquioribus Auctor, qui proximus fuiſſet temporibus Apoſtolorum, quando adhùc recens erat in mentibus hominum memoria factorum Chriſti, B. Virginis Mariæ, & aliorum quorum meminit Scriptura, & conſequenter locorum vbi geſta dicuntur, non compoſuerunt ſpecialem tractatum de illis, vt tenaciùs hærerent cordibus hominum, & quouis euentu aboleri non poſſet illorum memoria? An dignitas materiæ id non expoſtulabat? An potiùs deſides & torpentes fuerunt in tam graui negotio, qui in leuioribus pro Dei honore & hominum ſalute ſolertiſſimos ſe oſtenderunt?

Præſulũ diligentia in conſeruanda memoria myſteriorũ Chriſtiana Religionis.

Abſit hoc opinari de veteribus illis ſanctis viris: materia enim dignißima eſt, & de Scriptorum Prælatorúmve ſolertia in conſeruandis & deſcribendis rebus ad Dei gloriam & Eccleſiæ commodum ſpectantibus, non eſt dubitandum: ſi enim diligentes non fuiſſent, tot Euangelia, Epiſtolas Catholicas, Acta Apoſtolorum, Concilia, aliaque ſimilia non haberemus. Quàm fuerunt diligentes Pontifices illi veteres, Clemens, Fabianus, & alij, in deſignandis Notariis, qui res geſtas Martyrum aliorumque Sanctorum perpetuis monimentis conſignarent? Lege Baronium cap. 1. Præfationum ad Martyrologium Romanum. Si igitur diligentes fuerunt in ſeruorum egregiè geſtis memoria conſignandis, quantò magis eorum Domini, quæ infinito interuallo illorum excellunt facinora, ſicut ipſe Creator & Dominus creaturas & ſeruos? Quî ergo ſit quòd ſcriptam eorumdem non habeamus memoriam? Difficultati huic multipliciter reſponderi poteſt. Primò, id factum eſſe ideò, quòd ea quæ in præcedentibus dicta erant de Chriſto & operibus eius, ac conſequenter de locis in quibus illa fuerat operatus, manifeſtiſſima eſſent, adeoque peculiari deſcriptione vel explicatione non indigerent. Profectò Chriſti natiuitas, eiuſdem in templo præſentatio, prædicatio, doctrina, vita, mors, reſurrectio, & alia myſteria omnibus cognita fuerunt. Manifeſtiſſima fuit natiuitas, tum quia contigit in via iuxta ciuitatem Bethleem, cùm ex mandato Cæſaris Auguſti Imperatoris deſcriberetur vniuerſus orbis, & tantus eſſet tunc hominum concurſus, vt cùm omnes domus plenæ eſſent hoſpitibus, neceſſe habuerit Virgo Maria diuertere in ſemirutum quoddam ſtabulum, ibi in ſumma egeſtate parere Filium, eumdemque, quòd cunæ atque alia puerperis neceſſaria deeſſent, in præſepiũ reponere. Et quibus, quæſo, tum non innotuit

Saluatis noſtræ myſteria manifeſtiſſima fuerunt.

Saluatoris natiuitas, & ipſius natiuitatis locus? Nouerunt nobiles & ignobiles, ſenes & iuniores, viri & feminæ, denique nullum non hominum genus, idque ex variis prodigiis & portentis. Innotuit, inquam, pauperibus paſtoribus per prædicationem Angelicam, Magis per ſtellam & prophetiam, Herodi Regi per Sapientes, per Scribas populi, & ipſos Magos; iuſto Simeoni & Annæ Prophetiſſæ, quia videre, brachiis ſuis ſuſcipere, & labiis ſuis deoſculari meruerunt Salutare Dei: multa denique prodigia in cælo, terra marique manifeſtaſſe Chriſti natiuitatem, docent fide digni Hiſtoriographi.

Eiuſdem in templo præſentatio innotuit omnibus ex ſingulari lætitia Simeonis & Annæ, quam oſtenderunt verbis & ſignis, dum mundi Redemptorem oculis ſuis inſpicerẽt. In templo Ieroſolymitano inter tot Doctores inuentus eſt Chriſtus eos audire differentes de Lege Dei, & de eius difficultatibus eos interrogare. Integro triennio publicè docuit, numquam conuenticula coëgit, ſed palàm coram omnibus ſuam doctrinam aſſerüit. Miracula eius adeò manifeſta erant, vt non ſolùm clarè eius diuinitatem & humanitatem teſtificarentur, ſed & nulla poſſent tergiuerſatione celari. vnde fiebat, vt cùm ea negare nequirent ipſius hoſtes, modum ea patrandi calumniarentur.

Ignominioſa eius mors ignota eſſe non potuit, quandoquidem illata ei fuit in frequentiſſima Metropolitana & Regia ciuitate Ieruſalem, eo præcipuè tempore, quando ex omnibus mundi partibus illuc confluere ſolebant homines ad Paſchæ ſolemnitatem celebrandam, vt paſſim docent ſancti Patres, Leo Serm. 7. & 14 de paſſione Domini, D. Hieronymus in Matth. 26. ad ea verba, *Tunc congregati ſunt*, &c. D. Cyrillus Ieroſolymitanus Catech. 13. Epiphan. Hæreſi 70. & Origenes eleganter Hom. 2. in Cantica ex quatuor, in illa verba, *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie*, & alij paſſim.

Iudæorum magna cæcitas.

D. Gregorius Homil. 10. in Euang. demiratur Iudæorum incredulitatem & cæcitatem, qui Chriſtum ab vniuerſo mundo monſtratum & agnitum, agnoſcere, eidemque credere noluerint. *Omnia quippe elementa*, inquit, *auctorem ſuum veniſſe teſtata ſunt. Vt enim de eis quiddam vſu humano loquar Deum hunc cæli eſſe cognouerunt, quia ſtellam protinus miſerunt. Mare cognouit, quia ſub plantis eius calcabile ſe præbuit. Terra cognouit, quia eo moriente contremuit. Sol cognouit, quia lucis ſuæ radios abſcondit. Saxa & parietes agnouerunt, quia tempore mortis eius ſciſſa ſunt. Infernus agnouit, quia hos quos tenebat mortuos, reddidit. Et tamen hunc, quem omnia inſenſibilia elementa Dominum ſenſerunt, adhuc infidelium Iudæorum corda, Deum eſſe minimè cognoſcunt, & duriora ſaxis, ſcindi ad pœnitentiam nolunt.* Ideò ergo Sanctis illis & primitiuæ Eccleſiæ Patribus non fuit viſum neceſſarium illa minutiſſimè recenſere, præſertim quantum ad locorum circumſtantias; quippe quòd ſcirent, parentes egregia iſta Chriſti facinora filiis ſuis enarraturos, & hos iterùm ſuis, ne gratiam fideiuſſoris ſui obliuiſci viderentur, qui tam promptè pro illis poſuiſſet animam ſuam, ſicque celebritatem eorum locorum propagandam eſſe à progenie in progeniem: aliorum verò Sanctorum paſſiones & opera, cùm tam illuſtria, egregia & manifeſta non fuerint, ne mentibus fidelium exciderent, debuerunt ad illorum exemplum perpetuis peculiaribus monimentis memoriæ conſignari.

Priorum ac poſteriorum diuerſa ſcribendi ratio.

Secundò reſpondetur, multum diſcriminis eſſe inter Apoſtolos, Euangeliſtas, eoſque qui eis contemporanei fuerunt, & inter poſteriores Sanctos Eccleſiæ Præſules & Doctores, Clementem, Fabianum, Ambroſium, & ſimiles. Illi enim, vt præcepto Domini obtemperarent, orationi & prædicationi inſiſtebant, vniuerſum mundũ peragrabant, ſanctum Euangelium & Fidei Chriſtianæ myſteria, Dei Vnitatem & Trinitatẽ, Chriſti Diuinitatem & humanitatẽ in diuino ſuppoſito hypoſtaticè vnitas, Verbi diuinam incarnationem, & ex illibata Virgine natiuitatẽ, paſſionem, mortem, reſurrectionem, ad cælos aſcenſionem, aduentum ad iudicium, & huiuſmodi populis annuntiabant, atque ideò non poterant ſe particulari explicationi & deſcriptioni hiſtoricæ locorum ſanctorum impendere, præſertim cùm id non iudicarent neceſſarium, ob rationem paulò antè adductam. Sed enim quod ab illis prætermiſſum fuit, firmiùs conſtabilita iam & optimè inſtructa de neceſſariis Eccleſia, abundè præſtiterunt eorum ſucceſſores, qui data opera texuerunt hiſtorias locorum ſanctorum, non quidem ex neceſſitate, ſed ad maiorem pietatem in cordibus fidelium excitandam, & vt doctiores parati eſſent ad reddendum de omnibus rationem poſcentibus, & ne loca ab infidelibus iam occupata, nec tam celebri, vt olim, frequentia à fidelibus culta, ex horum mentibus exciderent. Quare vel ex particulari inſtituto, vel geſta Saluatoris, B. Mariæ Virginis, & aliorum Sanctorum recenſentes, de ipſis etiam ſanctis locis obiter mentionem fecerunt. Ex his

Tertia ſit reſponſio, ſanctos Euangeliſtas Mat-

Digitized by Google

Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem, ſcriptis mandaſſe, quatenus eo tempore illis fuit poſſibile, & nobis neceſſarium, illa quæ ad hiſtoriam neceſſaria erant, ex illis verò, quæ expreſsè dixerunt ipſi, alia ad lucidiorem intelligentiam decerpſerunt poſteriores, quemadmodum nos de Bethleem, Caluariæ monte, & Sepulchro Domini oſtendemus ex D. Hieronymo, Cyrillo, Origene. Nec etiam fuit neceſſariũ, quod poſteà fecerunt recentiores, in tabulis Geographicis delineare & deſcribere cum ſuis menſuris & ſitibus loca illa quæ omnibus conſpicua erant. Et dic ſodes, quis vmquam dubitauit, Terram Chanaan eſſe Terram ſanctam? Ieruſalem eſſe Ieruſalem? Bethleem eſſe Bethleem? & ſic de aliis locis ſanctis. Ita nec dubitare debet aliquis, ea quæ commemorantur eſſe geſta in iſto vel illo particulari loco, præſertim ſi alius eiuſmodi locus non extet aut oſtendatur nec ſcriptura aliqua vel ratio contradicat: & qui contrà facerent, certè temeritatis & ſuperbiæ arguerentur, nec cum eis eſſet contendendum, cùm omnibus rectè ſentientibus ſe opponant, quin potiùs longè eſſent amandandi.

Quartò, ſi diſtinctiùs & exactiùs quæcumque ſcribi & deſcribi potuiſſent, minutim recenſere voluiſſent, eorum vtique ſcripta in infinitum excreuiſſent: ſi enim totus mundus non poſſet capere libros qui ſcribendi eſſent de operibus Saluatoris, vt dixit S. Ioannes, quid futurum putas, ſi etiam diſtinctè omnes locorum circumſtantias enarrare voluiſſent?

Quintò denique dico, veteres Chriſtianos, poſtquam, reddita Eccleſiæ pace, loca ſancta ad illorum manus peruenerunt, & quando recens adhuc erat memoria geſtorum Chriſti & aliorum ſanctorum, eximiis ea templis, ſumptuoſis ſtructuris ad perpetuam memoriam nobilitaſſe; quorum ruinæ, quæ & nunc vſque cernuntur, illorum dignitatem geſtorumque Chriſti & Sanctorum memoriam referunt, quæ continuè conſeruatur in mentibus ibidem habitantium fidelium: & quamuis vix appareant ruinæ vel modicæ ædificiorum illorum, memoria tamen ſitus eorumdem & geſtorum Chriſti retinetur, de quibus ſuo loco, & Cap. XLIII. huius libri, vbi oſtendam, quanti fecerint fideles inſtrumenta paſſionis Chriſti, vel ea loca in quibus aliquid memoria dignum effectum fuit.

Hæc dixiſſe volui, non quòd viderim vmquam à pio ac prudente aliquo viro ad illas partes profecto, vel in illis habitante, generaliter de omnium locorum veritate dubitatum fuiſſe, quamuis nonnulli aliquando ſcrupulum mouerint de hoc vel illo, quorum nimirum nullam Scriptura ſacra facit mentionem; & propter aliquos, qui ea ipſimet non viderunt, conſtanter tamen & mordicus aliqua pernegarunt, quæ inibi accidiſſe, antiqua receptaque in partibus illis traditione aſſeruntur.

Nos igitur hunc aſſumpſimus laborem, vt oſtenderemus quàm firmiſſimis rationibus perſuadeamur ad credendum ea quæ dicuntur de locis ſanctis, & vt dilucidior eorumdem haberetur cognitio, & vt ad maiorem deuotionem ac pietatem erga illa accenderentur fideles; & quia, qui ore vel calamo alios inſtruit, debet eſſe paratus reſpondere propoſitis difficultatibus, vt eiſdem firmiùs mens noſtra inhæreat. Quòd ſi quis adhuc trepidat, vel credere formidat, vel pertinaciter neget, accedat ad terram illam rubentem mixtamque Sanguine Saluatoris; & ſicut olim incredulus Thomas, qui nullo modo potuit perſuaderi à mulieribus vel diſcipulis, Magiſtrum ſuum reſurrexiſſe, inſpectis tamen ac manu ſua contrectatis rubentibus ac patentibus Magiſtri cicatricibus, humiliter confeſſus eſt, Dominum noſtrum Deum & hominem à mortuis proprio virtute ſurrexiſſe, dicens: *Dominus meus, & Deus meus*, Ioan. 20, 28. fortioribus longè argumentis, & ex lapidibus ipſis edocebitur, vera eſſe quæ de locis ſanctis dicuntur. Ingreſſus enim Bethleemiticam ſpeluncam, gaudio perfuſus, lacrymabundus, loco natiuitatis & præſepij infigens deuota oſcula, dicet: Scio, & credo hîc natum eſſe Saluatorem meum Ieſum, hîc in præſepio reclinatum, hîc honoratum à paſtoribus, hîc adoratum à Magis. Ingreſſus verò ſanctam Ieruſalem, & Templum ſanctiſſimæ Reſurrectionis, prouolutus primò ad petram vnctionis, dicet: Hîc inunctum fuit aromatibus corpus Saluatoris mei. Aſcendens inde ſacratiſſimum Caluariæ montem, pronus & plenus lacrymis dicet: Hîc crucifixus eſt, hîc in cruce eleuatus fuit, hîc ſemetipſum pro me tradidit Dominus meus Ieſus Chriſtus. Inde deſcendens, & ſacratiſſimi Sepulchri ſacellum ingreſſus, eadem faciens quæ in aliis locis, quamuis parum credulus accedens, parem faciet confeſſionem; & cum Regina illa, quæ ex Sabæis veniens Ieroſolymam audire ſapientiam Salomonis, & videre, an quæ de Salomone mirabilia dicebantur, ita ſe haberent; veritate cognita, dixit ad Salomonem: *Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea, ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probaui quòd media pars mihi nuntiata non*

Accedens incredulus ad loca ſancta, firmiter credet iis quæ de eiſdem enuntiantur.

fuerit. Maior eſt ſapientia & opera tua, quàm rumor quem audiui. Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam, &c. 3. Regum 10, 6. ſublata omni dubitationum nube, dicet: Vera ſunt quæ de ſanctiſſimis locis audiui & legi, quin mediam partem eorum, quæ modo video & deguſto, non intellexi, ſolùm edoctus à Præceptore illo interiùs, qui exteriùs verbo & exemplo, vel de præſepio, vel de cathedra Crucis in Caluariæ monte omnes nos docuit. O millies *beati qui habitant in domo tua Domine! in ſæcula ſæculorum laudabunt te*, Pſalm. 83, 5. Melius eſt vilem, abiectum, paſſiombus circumdatum hîc tibi ſeruire, quàm honoratum, bonis affluentem, habitare in tabernaculis peccatorum. Hîc cum omni cordis iubilo in præſenti ſæculo laudes tuas perſoluent, ô Deus, quas in futuro in æternum cantabunt.

CAPVT XLII.

De cultu & veneratione quæ locis ſanctis ſunt exhibenda.

PLuribus iam egimus in præcedentibus de credulitate & aſſenſu exhibendo his quæ de locis ſanctis Palæſtinæ dicuntur, paucioribus nunc agemus de cultu & adoratione interiùs vel exteriùs, mente vel corpore eiſdem exhibendis; vt ſicut ex dictis intellectus illuſtratus fuit in illorum cognitione, ita ad eadem ex dicendis afficiatur & inflammetur affectus & voluntas. Et quamuis non me lateat, pios Catholicos omni tam animi affectu quàm exteriori effectu hæc ſancta, vt decet, venerari loca, in ipſis recolendo myſteria noſtræ Religionis, opera Saluatoris, beatæ Mariæ Virginis, Apoſtolorum, nec non aliorum Sanctorum, ſuper ea nudis incedendo pedibus, preces fundendo, eadem lambendo, exoſculando, & lacrymis lauando, pro magnitudine amoris, quo erga Chriſtum Dominum & erga Sanctos ſeruos eius afficiuntur: placuit tamen hîc aliqua dicere de illorum ſacra veneratione, tum ne quod præcipuum eſt in noſtro inſtituto deſideraretur, tum propter ſciolos quoſdam nebulones Occidentales hæreticos, qui ſæpiùs veniunt Ieroſolymam non pietatis & religionis gratia, ſed noxiæ curioſitatis ergô; non vt fructum ſpiritualem ſibi comparent à Deo, ſed vt cum detrimento animarũ, frequenter etiam corporum & facultatum, aliquod incertũ temporale lucrũ ex laborioſo profectu & periculoſo reditu ab hominibus acquirant, ſacras Catholicorum cærimonias irrideant. Iſti cùm Ieroſolymam peruenerint, humaniſſimè excipiuntur, & ab ibidem commorantibus Fratribus vt amici tractantur, pedes eis lauantur, ac quæ illorum pietas & conſuetudo Catholicis impendit, eis quoque, licet hoſtibus, exhibentur (exemplo Chriſti Saluatoris, qui non modò ſanctos Apoſtolos amicos ſuos dixit, ſed & proditorem Iudam amicum nominauit, nec tantùm illorum, ſed & huius lauit pedes) vt ſaltem iſto humilitatis & humanitatis actu eorum dura corda emolliantur. Iſti verò, inſtar Iudæ proditoris duriores & peiores effecti, bonis illorum operibus detrahunt, & quotquot vident exoſculantes vel præſepe Domini, vel eius ſanctum Sepulchrum, vel Caluariæ, Sion Oliuetique montes, & alia ſacra loca, & in ipſis Deo debitas perſoluere preces, eos, ac ſi magnum ſacrilegium & execrandam idololatriam committerent, execrantur, irridٍent & ſpernunt, ipſimet potiùs execrandi, irridendi & aſpernandi; & præ malitia excæcati, arbitrantur nos in illis aliquod diuinum numen & inhærentem ſanctitatem agnoſcere, & quæ petimus, à lapidibus illis impetraturos confidere.

Humaniter à Minoritis hæretici Ieroſolymis tractantur.

Hæretici quare ad loca ſancta peregrinantur.

Verùm enimuerò toto cælo aberrant, & dum ſe omni antiquitate ſapientiores eſſe autumant, næ ſtulti nimis facti ſunt. Quare vt horum contundantur & obturentur ora maledica, & quæ pia ſunt piè effectui dentur, ad id quod propoſuimus noſtra recurrat oratio; explicabimus nimirum, licitam eſſe locorum ſanctorum veneration em, & qualis ea eſſe debeat oſtendemus, breuiter tamen & ſuccinctè: eum verò qui plura de adoratione videre deſiderat, ablegamus ad Doctores in 3. Sentent. diſt. 9. & alios fusè de hac materia tractantes, ex quibus nihilominùs pauca quædam adducimus. Duo verò præſtabimus: primò ſex Notanda præmittemus, deinde quatuor adiiciemus Propoſitiones.

Primò itaque ſciendum, nomen *adoratio* vel *adorare*, apud Latinos non ſignificare determinatum cultum qui Deo vel creaturæ exhibeatur, ſed vtrumque indeterminatè. Docuit hoc S. Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 1. dicens, Latinos non habere proprium nomen, quo rigidè debitum Deo cultum explicent: & hoc ipſum obſeruari apud Hebræos, docent Linguæ ſanctæ periti. Cùm itaque adoratio generatim ſignificet venerationem alicui naturæ debitam propter aliquam excellentiam, illaque duplex ſit, increata & creata, poteſt adoratio primò diuidi in illam quæ ſoli Deo debetur, & in illam quæ creaturæ, quæcumque tandem illa ſit, Angelica vel humana. Hæc diſtinctio colligitur ex Matthæo

NOTANDVM *primum. Vox adoratio eſt polyſema.*

Adoratio alia creatori, alia creaturæ debita.

Digitized by Google

thæo Euangelista, 22. vbi secundùm distinctionem præceptorum primæ & secundæ tabulæ, alius honor Deo, alius proximo assignatur. Hanc distinctionem obseruauit D. Augustinus quæst. 61. in Genesim, ponderans ea Scripturæ verba, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, Deuter. 6, 13. inquit enim, non esse dictum, *Dominum Deum tuum solum adorabis*, sicut est dictum, *illi soli seruies*, per latriam scilicet siue religionem. *Quoniam*, inquit, *adoratio etiam hominibus inuenitur tributa, vt quando Abraham adorauit populum terræ.*

Adoratio aliquando actum religionis, aliquando ciuilem significat venerationem.

Secundò adoratio adhuc communiter accepta, dupliciter sumi potest. Vno modo, prout dicit actum religionis internum vel externum; alio modo, prout dicit ciuilem quamdam venerationem, qua parentes vel Principes nostros reueremur. Sed de hac non loquimur, quia ad propositum non facit. Propter hanc multiplicem huius nominis *adoratio* significationem, Scriptura sacra & Patres aliquando adorationem Deo & creaturis concedunt, aliquando denegant creaturis, pro varia nimirum acceptione. Ad ambiguitatem itaque & contrarietatem tollendam, & propter latrantes hæreticos, Theologi & Patres commoda adinuenerunt nomina, quibus debitus cuique cultus peculiariter explicaretur. Adorationem igitur eam qua Deum propter eius infinitam dignitatem adoramus, latriam appellarunt, illam verò qua Sanctos, in quibus est limitata perfectio, veneramur, duliam vel hyperduliam vocarunt, secundùm gradus limitatæ perfectionis: vbi enim est excellentissima creata perfectio, hyperdulia debetur; vbi non item, dulia. Cùm igitur Scriptura & Patres Deo concedunt adorationem, & negant competere creaturis, id intelligunt de latriæ adoratione; cùm verò creaturæ concedunt, loquuntur de dulia vel hyperdulia.

Latria adoratio soli Deo, dulia vel hyperdulia excellenti creatura tribuitur.

Sed quomodo dignoscetur, in quo sensu accipiendum sit adorationis nomen in Scriptura vel apud Patres? Respondeo, ex ipso obiecto adorationis. Si enim de Deo loquuntur, latriam; si de creaturis, duliam vel hyperduliâ significabit. Exemplum latriæ: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, Deuter. 6, 13. &: *Adorent eum omnes Angeli eius*, Hebr. 1, 7. &: *Soli Deo honor & gloria*, 1. Timoth. 1, 17. & quod de Ioanne dicitur: *Cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum*, scilicet Angelum, *& dicit mihi: Vide ne feceris: conseruus tuus sum*, &c. Apoc. 19, 10. quod expendens S. Augustinus quæst. 61. super Genesim, inquit: *Talis apparuerat Angelus, vt pro Deo posset adorari: & ideò fuerat corrigendus adorator.* Exempla alterius adorationis, id est latriæ vel hyperduliæ, hoc est, quando nomen *adoratio* reuerentiam creaturæ exhibitam vel exhibendam significat, habemus, cùm Balaam pronus in terram adorauit Angelum, & Iosue virum stantem euaginato gladio, qui Princeps erat exercitus Domini, & cùm D. Paulus ait: *Gloria & honor omni operanti bonum*, Rom. 2, 10. certè ab his, qui inferiores sunt.

Si tamen de adoratione humanitatis Christi vel eius sanctissimæ Matris loquantur Sancti, intelligendi sunt loqui de adoratione hyperduliæ; quoniam illorum dignitas, etsi increatâ inferior sit, omnem tamen creatam excedit: quare licet adoratio, quæ Deo datur, eis non tribuatur, maior tamen est quàm cuicumque creaturæ debeatur, id est hyperdulia.

Secundum NOTANDVM, *in re qua adoratur, ratio & terminus adorationis considerari possunt.*

Secundum Notandum. In re quæ adoratur duo possunt considerari, vel terminus vel ratio adorationis; & tam hæc quàm ille potest dicere illimitatam vel limitatam perfectionem, secundùm quam variatur etiam adoratio. Sit exemplum in Christo Domino. Si enim ratio adorationis est eius diuinitas, & terminus est Verbum, id est persona diuina, adoratur adoratione latriæ, propter infinitam vtriusque perfectionem: si verò ratio adorationis sit illius sanctissima humanitas, & terminus eius natura singularis creata, quoniam limitatam dicit perfectionem, etsi summam, tunc suprema finita adoratione, id est hyperdulia adorabitur: ita docent Theologi in 3. Sentent. dist. 9. Idem in aliis naturis intellectualibus considera.

Tertium NOTANDVM, *aliquid adorari potest per se & per accidens.*

Tertium Notandum est, aliquid posse dupliciter honorari, prout ad præsens spectat, primò per se, secundò per accidens. Per se adoratur suppositum naturæ intellectualis, in quo est vera ratio adorationis: per accidens adoratur quod ei coniunctum est, nec includit propriam rationem adorationis. Primo modo Rex adoratur, secundo modo adoratur eius purpura. Sed quod per se adoratur, dupliciter adorari potest; vno modo propter se, alio modo propter aliud. Primo modo adoratur id quod habet in se propriam rationem adorationis, non aliunde pendentem; & hoc modo tantùm natura intellectualis adoratur. Secundo modo, id est propter aliud honoratur, quod habet in se causam adorationis, sed aliunde petitam; hoc modo res sacræ, vt sacræ imagines, & loca sacra, quæ res sacras repræsentant vel contigerunt, adorantur: huiusmodi enim per se adorantur, quoniam in ipsis potest sistere adorationis actus. Si enim per se adorandæ non essent, sed tantùm

tantùm per accidens, poſſemus ſimpliciter dicere, non eſſe adorandas; quod enim eſt tantùm per accidens & impropriè tale, negari poteſt & reiici ab arte; ſed hoc eſt contra Concilium VII. art. 7. Propter aliud verò adorantur, quia vel aliunde habent perfectionem, vt corpus ſanctum dicitur propter inhabitantem animam Deo gratam, & crux in qua pependit Chriſtus, propter Dominici corporis contactum; vel quia repræſentat aliud, vt quælibet crux Chriſtum, & aliæ imagines Chriſtum vel Sanctos.

Quartum NOTANDVM, *res ſacræ poſſunt eſſe per ſe terminus adorationis, & tantùm ſignum.*

Quartum Notandum. Cùm res ſacras veneramur, vel in ipſis ſiſtimus, ita vt ipſæ res ſacræ & diuino cultui dicatæ, ſint per ſe adorationis terminus tantùm; vel ſunt tantùm ſignum rei quæ adoratur. Si priori modo adorentur, tunc per ſe quidem adorantur, vt ſuprà ex Concilio diximus; at minori adoratione quàm ipſum cuius gratiâ adorantur: vt vera Crux Chriſti, propter contactum eius, per ſe quidem, ſed minori adoratione quàm Chriſtus ipſe. Si verò poſteriori modo adorentur, tunc non alia adoratione quàm prototypum adoratur: & ſecundùm hanc conſiderationem quælibet Crux, vt Chriſtum repræſentat, eadem adoratione qua Chriſtus, id eſt latriâ adoratur. talis tamen adoratio non eſt propriè ſed analogicè adoratio.

Quintum NOTANDVM, *adoratio vniuocè & analogicè accipi poteſt.*

Quintum Notandum. Quælibet adoratio poteſt adhuc ſumi dupliciter: vno modo propriè & vniuocè, alio modo ſecundùm quid & analogicè. Adoratio propriè, eſt, quæ tantùm naturæ intellectuali debetur, in qua eſt propria perfectio & ratio adorationis, non aliunde emendicata. Adoratio verò impropriè & analogicè, eſt per ſimilitudinem illorum quibus conuenit adoratio vniuocè; hoc modo ſacræ imagines, & aliæ res ſacræ adorantur analogicè, ea adoratione qua adorantur res quas repræſentãt, proportione tamen. Si enim res quæ repræſentatur, latriâ propriè & vniuocè adoratur, quæ repræſentat latriâ impropriè & analogicè adoratur, ſi duliâ, duliâ ſimiliter adoratur, &c.

Sextum NOTANDVM, *ad venerationem actus voluntatis requiritur.*

Sextum & vltimum Notandum eſt, ad venerationem requiri actum voluntatis interiorem, quo ſecundùm actum intellectus præcedentem, quo apprehendimus perfectionem rei adorandæ, erga ea afficimur, ſecundùm perfectionem ſuam, & actu interiori vel exteriori illius proteſtamur excellentiam, & ſecundùm varietatem excellentiæ variatur etiam affectus & adoratio, etſi exteriùs non appareant diſtincti actus; huiuſmodi enim non videntur determinati. diuerſiſſimo enim affectu veneror Chriſtum, B. Virginem, & alios Sanctos, & tamen æqualiter (excepto Miſſæ ſacrificio, quod ſoli Deo offertur) genua flectimus Chriſto, B. Virgini, & Sanctis, & ſimilia pietatis externa officia eis exhibemus. Vnde Abraham eodem actu incuruationis vſque ad terram adorauit Deum, & Angelos & homines, etſi aliter ſentiret de Deo, aliter de Angelis, aliter de hominibus, ſicut nos aliter ſentimus de Chriſto, aliter de ſanctiſſima eius Matre, & aliter de Sanctis, quibus tamen æquè genua flectimus. His præmiſſis explico, quod ſecundo loco propoſui, honoranda eſſe loca ſancta, & modum venerationis appono ſequentibus quatuor Propoſitionibus.

Exteriores adorationis actus non ſunt determinati.

PRIMA PROPOSITIO. Loca ſancta vt aliæ res ſacræ in ſe conſiderata, cultu non ciuili propriè, ſed religioſo, per ſe honoranda ſunt, non tamen propter ſe, ſed propter aliud. Tria dico in iſta Propoſitione: primum, loca ſancta in ſe conſiderata eſſe in veneratione habenda; ſecundum, non cultu ciuili propriè, ſed religioſo; tertium, non propter ſe, ſed propter aliud. Explico & probo ſingula.

Loca ſancta ſunt religioſo cultu per ſe, ſed non propter ſe honoranda.

Primum: Loca ſancta in ſe conſiderata, & non tantùm vt repræſentant (quia poſteà de eiſdem ſecundùm hanc conſiderationem dicemus) per ſe & non per accidens, id eſt, verè & propriè terminant actum adorationis.

Qualibet perfectio eſt adorationis ratio.

Probatur ratione, auctoritate & exemplis. Ratione ſic: Quod habet in ſe aliquam perfectionem, abſolutam vel reſpectiuam, poteſt terminare actum adorationis vel venerationis, & poteſt eſſe illius ratio: quælibet enim perfectio, ſiue abſoluta ſiue reſpectiua, eſt ratio venerationis; ſanctiſſima enim Virgo Maria non ſolùm propter inſignem ſuam iuſtificantem gratiam, quæ perfectio abſoluta eſt, & alias virtutes, ſed etiam propter maternitatem diuinam, quæ eſt reſpectiua perfectio, adoratur, vt docent Doctores ſacri. At loca ſancta habent aliquam perfectionem in ſe, aliquod ſacrum, hoc eſt, ſimilitudinem ad rem ſacrã, & inſtitutionem; vnde & ſacra dicuntur, tum propter contactum ad Chriſtum & Sanctos eius, tum quia Sancti eam inhabitarunt: hac enim ratione D. Bernardus Sermone 1. in Dedicatione templi, docet templum venerandum eſſe, quoniam ſanctiſſimum eſt, non quidem propter ſe & inexiſtentem lapidibus ſanctitatem, ſed propter homines ſanctos qui templum inhabitant, quorum gratia ipſum dicitur ſanctum. Idem, & ſingulari modo, de locis ſanctis dicendum eſt. Igitur per ſe honoranda ſunt loca ſancta, quæ Chriſtus, beata

Templa quare honorentur.

beata Virgo, Apoſtoli, alijque Sancti & Sanctæ inhabitarunt.

Auctoritate idem probatur. Primò, Concilium VII. art. 7. anathema dicit his, qui negant imagines eſſe venerandas, & ea veneratione, qua Euangelia & ſacra vaſa. Si igitur veneranda ſunt ſacra vaſa & Euangelia, vt ſupponit Concilium, & quidem per ſe, vt omnes fatentur, quoniam alterius perſonæ vicem non gerunt; igitur idem de locis ſanctis, propter ſimilem rationem, enuntiandum erit. Secundò, Concilium Gangrenſe, cap. 5. *Si quis docet*, inquit, *domum Dei contemptibilem eſſe, & conuentus, qui in ea celebrantur, anathema ſit.* & ſimile ibidem cap. 6. Tertiò, *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt*, dicit Pſalmus 98, 5. quo in loco S. Hieronymus per locum ſcabellum pedum Domini, Corpus Chriſti, eius animam, & ſanctam eius Crucem, vbi ſteterunt pedes Domini, arbitratur cæleſti vaticinio intelligendum. quam ſententiam idem Propheta alibi repetit, & nos ſtatim adducemus. Quartò, Hieronymus lib. 2. Apologiæ contra Ruffinum dicit: *Veni Bethleem, præſepe Domini, & incunabula viſitaui.* Quintò, Apoſtolorum Eccleſias apud ipſos infideles in magna habitas fuiſſe veneratione, docet Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, die 18. Nouembris, quantò magis eſſe debent in veneratione loca magiſtri & Domini? Alia quæ ſtatim pro aliorum dictorum confirmatione adducemus, idipſum amplius confirmabunt.

Chriſti humanitas & ſancta Crux ſcabellum Domini dicta.

Exemplis idem probatur. Iacob in loco vbi vidit mirabilem illam ſcalam, erexit altare, fudit oleum, quæ ſunt ſigna venerationis, quod etiam hac ratione in templorum conſecratione Eccleſia obſeruat; & locum illum vocauit terribilem. Propheta item Gad iuſſit à Dauide in loco vbi apparuerat ei Angelus percutiens populum, altare fieri, & victimas immolare: & ex hoc deducit Abulenſis in eum locum quæſt. 35. illum fuiſſe Angelum bonum, quia ſi fuiſſet malus, non fuiſſet ibi factum altare. Auguſtinus contra Creſconium Grammaticum lib. 4. cap. 40. inquit: *In Muſticana poſitus ciuitate Felicianus, Deo omnipotenti parietes conſecratos, Eccleſiam venerandam quaſi quadam obſeſſione credidit retinendam.* Ecce quomodo Eccleſiam venerandam, & parietes ſacros, communem Eccleſiæ obſeſſionem appellet: quantò magis id de Terræ ſanctæ locis, Chriſti Sanguine ab ipſo Chriſto conſecratis, dicendum eſt? & de loco Romæ *Catacumbas* dicto, cuius alibi mentionem fecimus, in quo iacuerunt corpora ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli & aliorum Martyrum, qualiter ſcilicet ab ipſiſmet Angelis in veneratione habitus fuerit, retulit Dominus S. Birgittæ, vt habetur lib. 4. Reuelationum eius, cap. 107. vbi indicauit fructum, quem ex pia illius viſitatione fideles percipiunt, hiſce verbis: *Ideò ſicut homo infirmus ex bono odore & cibo reficitur, ſic homines venientes ad hunc locum mente ſincera, recreantur ſpiritualiter, & recipiunt veram remiſſionem vnuſquiſque ſecundùm vitam & fidem.*

Fructus ex locorum ſanctorum veneratione percipiunt.

Secundum primæ Propoſitionis membrum erat, loca ſancta non honorari propriè ciuili ſed religioſo cultu. Probatur, quia quæ ciuilitas eſſe poteſt inter nos homines ratione præditos, & inter loca inſenſata? Non conuerſamur cum illis, neque vlla ratione illis vt dominis, vel parentibus, vel magiſtris obligamur: honorantur igitur religioſo cultu, propter eorum ſanctitatem, haud aliter quàm olim propter honorem Arcæ fœderis nemo poterat ingredi ſancta Sanctorum, vbi illa erat, niſi Summus Pontifex ſemel in anno, qui & ipſe honor non ciuilis & vrbanus, ſed religioſus erat. Theodorus Studites, vetus & Græcus Auctor, relatus Tom. 3. Biblioth. SS. Patrum in Dogmatico de honorandis imaginibus, ſic inquit: *Loca in quibus natus eſt Chriſtus, ſancta ſunt, & habenda venerationi, & ſi quis illinc acceperit ſiue puluiſculum, ſiue lapidem, eum adorat atque complectitur quaſi peculiarem theſaurum, aut ſacras quaſdam reliquias.* S. Auguſtinus denique lib. 20. contra Fauſtum cap. 22. dicit: *Memorias Martyrum populus Chriſtianus religioſa ſolemnitate concelebrat.* Lege Bellarminum Tomo 1. Controu. lib. 1, de Sanctis, cap. 13.

Tertium primæ Propoſitionis membrum fuit, loca ſancta non propter ſe, ſed propter aliud honorari. Probatur, quia non habent in ſe propriam & inde pendentem rationem venerationis, ſed ea tota ab extrinſeco eis accedit, ideò & adorari debent propter id à quo perfectionem ſuam recipiunt. Probatur auctoritate & exemplo. Auctoritate: *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt*, ait Pſalmus 98, 5. vbi ad litteram per *ſcabellum pedum* Domini intelligitur Arca teſtamenti. de qua dixerat Dauid: *Cogitaui vt ædificarem domum in qua requieſceret Arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri*, 1. Paral. 28, 2. Sed quoniam non propter ſe, ſed propter aliud adorandum erat, additum fuit, *quoniam ſanctum eſt.* Explicatur etiam magis ratio & cauſa adorationis illius quæ ex Deo Arcæ prouenit, ſi cum Septuaginta & D. Hieronymo legamus, *Quoniam ſanctum eſt*, nimirum propter Dei ſanctitatem, qui eam

Arca ſcabellum pedum Domini dicta.

eam ſibi elegit & ſacrauit, religioſa veneratione honorandam eſſe Arcam. Quòd verò peculiari ſibi veneratione adoretur, non ea qua Dominus Deus, probatur, quia priùs de adoratione Deo debita dixerat Propheta, *Exaltate Dominum Deum noſtrum*; & poſteà de veneratione exhibenda creaturæ, ſcabello ſcilicet pedum Domini, ſubiecit: *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.* Eamdem Arcam Domini hac ratione coli à Iudæis, docet S. Hieronymus Epiſt. 17. ad Marcellam, vbi & alia de ſanctorum locorum veneratione dicit. *Venerabantur*, inquit, *quondam Iudæi Sancta ſanctorum, quia ibi erant Cherubim, & Propitiatorium, & Arca Teſtamenti, manna, virga Aaron, & altare aureum. Nónne tibi venerabilius videtur Sepulchrum Domini? quod quotieſcumque ingredimur, toties iacere in ſindone cernimus Saluatorem: & paulùm ibidem commorantes, rurſum videmus Angelum ſedere ad pedes eius, & ad caput ſudarium conuolutum. Cuius Sepulchri gloria, multò antè quàm excideretur à Ioſeph, ſcimus Iſaiæ vaticinio prophetatum, dicentis, Et erit requies eius honor: quòd ſcilicet Sepulturæ Domini locus eſſet ab omnibus honorandus.*

Crux adoranda propter contactum Domini.

Simili ratione propter contactum pedum Domini Crucem adorandam eſſe, docet Caſſiodorus in ea verba Pſalmi 131. *Introibimus in tabernaculum eius; adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius.* vbi poſt allegoricam eorum expoſitionem ſubiecit: *Quòd ſi hoc & ad hiſtoriam piè velis referre, ſignificat fortè ſanctam Crucem vbi corporaliter ſtetit, quando in ea confixus apparuit. In qua ſtetiſſe rectè dicitur, vbi corpus eius infixum fuiſſe monſtratur. Meritò ergo hunc locum Propheta dicit adorandum, qui nobis & fidei ſignum præſtitit ad ſalutem.* Damaſcenus item lib. 4. de Fide orthodoxa, cap. 12. de veneratione, ratione contactûs Domini Cruci & aliis locis ſanctis exhibenda hæc dicit: *Ipſum nimirum pretioſum & perquam verè venerandum lignum, in quo ſemetipſum in hoſtiam pro nobis Chriſtus obtulit, vt ſanctificatum tactu ſancti Corporis & Sanguinis decenter adorandum, clauiq́, & lancea, & indumenta & ſacra ipſius tabernacula, quæ ſunt præſepe, ſpelunca Golgotha ſalutaris, viuificum Sepulchrum, Sion Eccleſiarum propugnaculum, & ſimilia, vt Dei parens, ait Dauid: Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. Quòd autem Crucem dicat, oſtendit quod ſequitur, Reſurge Domine in requiem tuam. Sequitur enim crucem reſurrectio. Si enim amatorum deſiderabilis domus, & amictus, & lectus, multò magis Domini & Saluatoris noſtri, per quæ & ſaluati ſumus.* Euthymius ea etiam de ſacro Caluariæ monte intelligit, dum ait: *Scabellum verò pedum Chriſti, vt hominis, montem Golgotha eſſe dicemus, in quo fuit crucifixus; vel ipſam Crucem, in qua illius pedes clauis confixi ſunt.*

Naaman honoris cauſa detulit portionem Terræ ſanctæ in regionem ſuam.

Legimus in ſacra Scriptura, quòd Naaman Syrus, poſtquam ex mandato Eliſei ſepties in Iordane lauaſſet, & à lepra ſua mundatus fuiſſet, tanti fecerit terram quam Eliſeus pedibus ſuis calcauerat, vt duo inde onerari iumenta & in patriam ſuam deferri iuſſerit. Et ad quid? vt terram, quam ſanctam eſſe putabat (reſpondet Lyranus) propter vnius Dei vigentem in ea cultum, in domum ſuam inferret, atque ex illa aram excitaret. Cùm enim lege Moyſaica non teneretur, poterat extra Iudæam erigere altare, in eoque victimas Deo offerre, ſicut Iobo & alijs ex gentibus iuſtis ante legem & in ipſo legis tempore permiſſum fuit: Naaman enim ad vnius Dei adorationem, non ad Iudaicos ritus, poſt recuperatam miraculo valetudinem acceſſit. Gloſſa extuliſſe eum ait Terræ ſanctæ partem, vt ipſe ſuper eam, in idolorum templum illatam, poſitus, Dominum, cuius illa erat, adoraret; atque eo modo, dum Rex Syriæ falſis diis honorem deferret, ipſe ſine cuiuſquam offenſione illi miniſtraret, vt ſolebat, & ſimul à nefando cultu cogitationem auerteret. Extulit igitur terram illam Naaman, vt & Dei, cuius cultui erat dedicata, & Eliſei Prophetæ ſancti, cuius fuerat pedibus conculcata, recordaretur.

Quin & ſanctiſſima Deipara, totius Catholicæ Eccleſiæ archimagiſtra, exemplo ſuo hanc nobis ſuppeditauit doctrinam, dum prima omnium ipſa ſanctiſſimũ Filij ſui venerata eſt Sepulchrum, vt D. Bernardus Serm. de Planctu Virginis, ſequentibus verbis indicauit: *Terminato ſepulturæ, id eſt, Chriſti Ieſu officio, ſacrum ſaxum ſepulchri materna complectebantur brachia, rigabant oculi, oſculabantur labia, & totus geſtus corporis inter ſua præcordia abſorbere videbatur Sepulchrum.* Lege P. Caniſium lib. 5. cap. 1. de Maria Deipara.

In Conformitatibus etiam S. Franciſci in Vita B. Leonis, quarti ſocij ſancti Patris, hæc propoſito noſtro deſeruientia habentur: *Semel dum eſſet D. Franciſcus in monte Aluernæ & Frater Leo, & ad inuicem loquerentur, oſtendit ei B. Franciſcus quemdam lapidem, quem cum magno cordis gaudio & lætitia extollebat, dicens: Frater Leo pecorone, laua iſtum lapidem cum aqua. Quod cùm feciſſet, dixit: Laua ipſum cum vino. Quo facto, ait Sanctus: Laua ipſum cum oleo; quod &*

& fecit. & B. Franciſcus ait: Lauа ipſum cum balſamo; & Frater Leo ait: Et quomodo poſſum hîc balſamum inuenire? Reſpondit ſanctus Franciſcus: Scias Frater pecorella Dei, quòd ille eſt lapis, in quo ſemel ſedebat Dominus, quando apparuit mihi, & ideò dixi tibi, vt ipſum quater lauares, quia tunc quatuor mihi pro Ordine repromiſit: primum, quòd quicumque diligeret Fratres ex corde & Ordinem, benedictione præuentus diuina, benè finiret; ſecundum, quòd notabiliter punietur iſtius Ordinis perſecutor iniuſtus; tertium, quòd malus Frater, & in malitia perſeuerans, diu non poterit durare, quin dimittat Ordinem, vel confundatur; quartum, quòd iſta Religio vſque in finem ſeculi durabit. Hic lapis ſiue tabula lapidea honorificè aſſeruatur & monſtratur in ſacro Aluerniæ monte, & ego eum vidi & veneratus ſum. Si ergo lapidem illum, in quo ſemel tantùm Chriſtus ſedit, voluit honorari S. Franciſcus; quantò magis honorari voluiſſet loca illa, in quibus Chriſtus fuit natus, quæ triginta trium annorum curriculo ſuo incolatu ſacrauit, vbi mortuus eſt, & tandem aſcendit ad cælos? Ampliùs. Si ſudaria & ſemicinctia S. Pauli tanti æſtimabantur propter Paulum, quantò magis Crux Chriſti, Caluariæ mons, Sepulchrum Domini, &c. in veneratione habenda erunt propter Chriſtum, & alia loca ſancta propter ſanctiſſimam Virginem, beatos Apoſtolos, & alios Sanctos? Ideò optimè Biel Lect. 50. in Canonem inquit: *Dici poteſt, quòd Crux & cetera ſalutis noſtræ arma, quia res quædam ſunt ad Chriſtum pertinentia, (ipſa enim, vt loquitur Anſelmus, ſunt inſtrumenta fortiſſima, quibus omnipotens virtus & inueſtigabilis ſapientia Dei reſtaurationem mundi potenter ac mirificè operata eſt) à tactu membrorum Chriſti dedicata, & tamquam pretioſiſſimis margaritis ornata ſunt, & ideò adoranda.* Hinc S. Hieronymus Epiſt. 126. grauiter obiurgat Sabinianum Diaconum, quòd Suſannam virginem Deo dicatam multis inſidijs & illecebris impulerit ad ruinam, præſertim quòd non reueritus fuerit ſacra Crucis Dominiciſque præſepis ſacraria, ſed apud ipſa ſanctuaria ſingulariter veneranda, illam de ſacrilegio & ſtupro tentauerit.

Lapis in Aluernia monte, vbi Chriſtus ſedit.

Delinquere in ſanctis locis grauius peccatum.

SECVNDA PROPOSITIO. Si, dum eximus in locis ſanctis, in ipſis conſideramus Chriſtum vel ſanctam Virginem Mariam, & illa conſideratione Chriſtum vel beatam Virginem veneramur, ita vt ſimpliciter adorationis terminus ſit Chriſtus vel B. Virgo, tunc non alia adoratione adoratur loca ſancta quàm Chriſtus & B. Virgo, ſed Chriſtus & B. Virgo per ſe, loca autem ſancta per accidens; quemadmodum & qui Regem in ſolio adorat, Regem quidem per ſe, ſolium verò in quo ſedet, & purpuram quam induit, per accidens adorat. Eſt communis Doctorum ſententia, dum loquuntur de Crucis adoratione.

Dum in ſanctorum locorum veneratione Chriſtus & B. Virgo ſunt adorationis terminus, eadem adoratione adorantur, ſed iſti per ſe, illa per accidens.

TERTIA PROPOSITIO. Eadem veneratione qua Chriſtus & B. Virgo honorantur, etiam honorantur ea quæ Chriſtum vel B. Virginem tetigerunt, & quæ ad ipſos pertinent, analogicè tamen & impropriè; non autem vniuocè & propriè. Probatur: nam ex contactu, vt omnes concedunt, debetur quidem illis honor, at non alius quàm qui rei tactæ: non tamen talis; quia ſunt res inanimatæ, & propriam independentem perfectionem non habent: igitur alterius rationis, adeò vt ſicut Chriſtus latriâ adoratur propriè, & B. Virgo hyperduliâ; ita quæ Chriſtum tetigerunt, latriâ, & quæ beatam Virginem, hyperduliâ analogicè honorentur.

Eadem adoratione, ſed analogice, adorantur quæ Chriſtum tetigerunt, ac ipſe Chriſtus.

Nec te moueat, quòd partes illæ, quæ Chriſtum vel B. Virginem Sanctóſve alios contigerunt, pænè abraſæ ſint; quoniam ſuperſtites pro ijſdem ſemper cenſentur per æquiualentiam & participatam ex aliis ſanctitatem: ſicut Iordanis aquæ omnes ſanctæ habentur, & ſanctificatæ dicuntur à Chriſto per contactum ſuæ mundiſſimæ carnis, quamuis quæ ipſum tetigerunt dilapſæ ſint, per æquiualentiam tamen & participatam ſanctitatem, moraliſque æſtimatione, aliæ non diſſimiliter æſtimantur ſanctificatæ. Vt etiam ſancta Crux, claui, lancea, ſpinæ, quæ Chriſtum contigerunt, etſi ſolùm ex parte, & in ſuperficie, honorantur tamen, ac ſi omni ex parte tetigiſſent, & quia inſtrumenta ſalutis noſtræ, latriâ vt Chriſtus, etſi analogicè. Hinc piè ac verè Cardinalis Baronius Tomo 1. anno Chriſti 34. numero 140. de terra Dominico Sepulchro adiacenti dixit: *Terra ipſa, qua Domini adiacet Sepulchro, diuinam quamdam ex Dominico corpore proximè poſito virtutem hauſit, vt meritò fideles illuc peregrinantes auidè ſolerent accipere, qua tum ad morbos curandos, tum etiam ad damones perfugandos vti conſueuerint.* S. Ambroſius lib. de Incarnationis Dominicæ ſacramento, cap. 7. ait, eadem adoratione coli Diuinitatem Chriſti, & eius Crucem. *Num, cùm in Chriſto,* ait, *imaginem Chriſti & Crucem adoramus, diuidimus eum?* & D. Hieronymus ad Euſtochium de Paula matre, *Proſtrata,* inquit, *ante Crucem, quaſi pendentem Dominum adorabat.* Ideò ſicut cùm ſalutantes Crucem dicimus, *O Crux aue ſpes vnica,* ad Chriſtum patientem mentem erigimus, eumq; adoramus; ita cùm loca ſancta ſalutamus,

Terra Sepulchri ex Chriſti corpore diuinam hauſit virtutem.

dicendo, *Salue Bethleem domus panis, in qua natus est ille panis qui de cælo descendit*, &c. vt illustris illa Paula dicebat, ad Christum nascentem, & in sinu Matris quiescentem erigimus mentem, eumque sic adoramus.

Non æquali analogica veneratione omnia sacra honorantur loca.

QVARTA PROPOSITIO. Analogica illa veneratione non æqualiter veneramur omnia loca, sicut nec æquali adoratione vniuoca Dominum & Sanctos veneramur, sed differenter, prout intellectus ostendit variè fuisse ab illo æstimata, vt colligitur ex sacris Litteris, in quibus legimus elegisse Bethleem natiuitati, Ierosolymam passioni, &c. & alia pro Sanctis.

Terra sancta dupliciter considerari potest.

Antequam Propositionem hanc probem, noto, quòd Terra sancta dupliciter considerari possit: vno modo in se tota, quatenus electa & sanctificata à Domino, & tunc tota æqualiter honoratur, quoniam æqualis ratio venerationis in tota terra consideratur. Ad quod respiciens doctus ac pius Pater Ludouicus Sotomaior Dominicanus, P. Pantaleoni Franciscano ad Terram sanctam proficiscenti, & ab eo quærenti, ex quanam parte Terræ sanctæ sibi particulam deferri vellet, respondit: Primum lapidem qui tibi occurret deferes; tota enim illa Terra sancta est. Alio modo potest considerari, quatenus in diuersis partibus patrata fuere diuersa mysteria, Christi, B. Virginis, vel Sanctorum; & in isto sensu intelligenda est Conclusio nostra.

Probatur. Voluntas sequitur operationem intellectûs: sed intellectus ostendit, non æqualiter omnia loca habere participatam perfectionem, vel eadem æqualis perfectionis mysteria referre, vt constat; igitur nec voluntas illa æquè venerabitur. Ideò in maiori veneratione habenda sunt loca quæ suo contactu decorauit Saluator noster, vt Natiuitatis, Præsepis, Sepulchri, &c. deinde minori quæ B. Virgo, vt domus in qua obiit, sepulchrum eius; ac denique minori amplius alia in quibus Sancti aliquid passi vel operati fuere, vt locus in quo fuit lapidatus Stephanus, alius vbi Apostoli composuerunt Symbolum, &c. & sic suo modo de aliis: & pluris facienda sunt illa, quorum sacra Scriptura meminit, quàm quorum nullam fecit mentionem.

In imaginibus Sanctorum nec in sanctis locis fiducia collocanda.

Notandum vlteriùs, quòd quemadmodum imagines Sanctorum veneratione licet, dummodò in ipsis non collocetur fiducia, vt in Concilio Tridentino Sess. 25. declaratur, nec ab eis aliquid petatur, nec aliquid Diuinitatis latere in ipsis credatur, sed propter dicta, quia scilicet sunt res Deo dicatæ, & Sanctos repræsentant; ita loca sancta honoranda sint, non petendo aliquid ab ipsis, credendoque aliquid Diuinitatis latere in eisdem, sed quoniam ea elegit & dicauit sibi Dominus, & quia nos ad considerationem mysteriorum Christi & Sanctorum eleuant.

Quibus actibus exterioribus honoranda sint loca sancta.

Sed quibus actibus, quóve ritu hæc sacra loca venerari debemus? Dicendum, quòd, cùm non sint actus externi determinati, qui internæ eis debitæ veneration prècisè respondeant, sicut nec in aliarum rerum veneratione reperiuntur, omni reuerentia honorari debeant, depositis calceamentis ad ea accedendo, ea exosculando, in ipsis orationes & sacrificia offerendo, & huiusmodi pietatis actibus. Hoc auctoritate, ratione & exemplo monstratur.

Auctoritate quidem; dicit enim Prophetа: *Adorabo ad templum sanctum tuum*, Psal. 5, 8. & alibi: *Adorate scabellum pedum eius*, Psal. 98, 5. In his locis pro *adorate* vox Hebræa sonat, *incuruate vos*, siue, *prosternite vos ad templum*, & *ad scabellum pedum eius*. Alio item loco, vbi fit sermo de Magis illis qui ad Christum natum adorandum ex Oriente Bethleem venerunt, dicitur: *Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent*, Psalm. 71, 9. & alibi: *Vultu in terra demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*, Isaiæ 49, 23. Ex his ergo locis colligimus, adorationem locorum sanctorum faciendam esse cum prostratione ad terram, & eius deosculatione; & gesta Sanctorum, quæ veræ sunt interpretationes Scripturæ, statim adducenda; id manifestè indicant. Sed rationem priùs videamus.

Omnis locus Deo dicatus, similibus actibus honorandus est vt consuetudo, quæ in veneratione omnium Ecclesiarum seruatur, demonstrat: at Terra sancta est locus Deo specialiter dicatus, Domino dicente, *Elegi & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus*, 2. Par. 7, 16 & consuetudo est vt honorentur genuflexionibus, nudis pedibus, orationibus & sacrificiis, igitur, &c. Minor probatur Sanctorum exemplis. Moyses ex Domini præcepto soluit calceamenta, cùm accessit ad videndum incombustum rubum, quoniam in terra sancta erat; ibi enim apparuit Angelus Moysi de medio rubi ad montem Horeb.

Idem eadem ratione dictum fuit Iosue iam ingresso terram promissionis. Quantò ergo magis à fidelibus, religionis ergò, deponenda sunt calceamenta, dum accedunt ad Deum venerandum in locis hisce, vbi non Angelus, sed Angelorum exercitus, & eorum Dominus, gloria & honore coronatus, humana carne vestitus apparuit, vbi denique

nique pro nobis ſanguinem & animam fudit? Inoleuit ergo conſuetudo excalceandi pedes, dum accedimus ad locum natiuitatis Domini, & ad eius præſepe, dum aſcendimus Caluariæ montem, & Dominicum Sepulchrum intramus. Sanè magnum eſſet Catholicis dedecus, ſi tali reuerentia non venerarentur loca ſancta, cùm tali ea venerentur Orientales ſchiſmatici & hæretici, antiquitatem ſectantes, & cùm Turcæ ſuas meſquitas oſculentur, eaſque non niſi nudis pedibus ingrediantur. Hinc rectè Lirenſis: *Quia modus erat antiquorum, & ſpecialiter Hebræorum, non ingredi loca ſancta pedibus calceatis; & inde eſt, quòd Saraceni non audent intrare locum orationis, niſi diſcalceati.*

Oſculantur loca ſancta, vt alia ſacra, in reuerentiæ ſignum.

In ſignum reuerentiæ deoſculanda ſunt loca ſancta, quo item ritu oſculo delibantur cruces, altaria, Euangeliorum Codices, ſiue Miſſalia: hæc enim cærimonia antiqua eſt, vt videre licet in omnibus Liturgiis, Græcis & Latinis. Oſculi meminerunt antiqui Patres, Iuſtinus in fine Apologiæ 2. Tertullianus, &c. Lege Bellarminum Tomo 2. lib. 2. de Miſſa, cap. 15. Quare D. Hieronymus epiſt. 17. ad Marcellam nomine Paulæ & Euſtochij, *Ergòne*, ait, *erit illa dies, quòd nobis liceat ſpeluncam Saluatoris intrare, Crucis deinde lambere lignum?* Et ſuperiùs eadem Epiſtola redarguit negligentes Dominicum Sepulchrum, dicens: *Et Martyrum vbiq; ſepulchra venerantur, & ſanctam fauillam oculis apponentes, ſi liceat, etiam ore contingimus: & monumentum, in quo Dominus conditus eſt, quidam exiſtimant negligendum?*

Quòd ſi dicas, loqui D. Hieronymum nomine illarum mulierum, lege ipſum earumdem præceptorem latiùs & doctiùs eadem aſſerentem in lib. contra Vigilantium.

D. Ildefonſus de ſanctiſſima Deipara ſic loquitur Serm. 5. de Aſſumptione B. Mariæ: *Virgo ſine dubio loca Dominicæ natiuitatis, paſſionis, ſepulturæ & reſurrectionis frequenter circumiens, inuiſere cupiebat, deinde ad Apoſtolicum contubernium poſt intuitum Dominicorum locorum cum gaudio remeabat.* Idipſum dixit ipſa B. Virgo Maria ad S. Birgittam, vt in eius Reuelationibus habetur l. 6. c. 61. & in aliis Auctoribus idem legitur. Quare abeant Caluiniſtæ & alij Occidentales hæretici, qui huiuſmodi pietatis ſigna contemnunt: nos enim, qui anima & corpore conſtamus, & totum à Deo accepimus, corpore etiam & anima, totiſq; viribus Dominũ, in iſtis præſertim ſanctiſſimis locis, venerabimur. *Quia ex viſibili & inuiſibili conſtamus*, inquit S. Damaſcenus lib. 4. de Fide c. 13. *duplici quoq; adorationis genere rerum omnium parentem afficimus. Quemadmodũ videlicet & mẽte & corporis labiis pſallimus, & aqua ſimul ac ſpiritu baptizamur*, &c.

Quia anima & corpore conſtamus, quæ à Deo accepimus, iiſdem Deum veneramur.

Fundendas ibi eſſe orationes, & offerenda ſacrificia, non eſt dubitandum: ſi enim in omni loco, in illis vtique ſanctiſſimis ſingulariter, etiam propter commodum noſtrum.

Orandum & ſacrificandum in locis ſanctis.

Scio iam veniſſe horam, in qua non tantùm in monte Garizim, vel in Ieroſolymis, ſed vbique in ſpiritu & veritate eſt adorandus Pater, vt ad Samaritanam mulierem dixit Chriſtus, & ab ortu Solis vſque ad occaſum magnum eſſe in gentibus nomen Domini, vt dicitur apud Malachiam, quia videlicet ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium (de eo enim loquebatur Dominus, quemadmodum ratione & auctoritate oſtendit Bellarminus), non in vno tantum loco, ſed vbique offerendum erat, vt dictum eſt ex Malachia.

Deus magis in vno quàm in altero loco diuina elargitur munera.

Grauiſſimi tamen viri, experientia & ſacris Litteris edocti, dicunt, Deum magis in vno quàm in altero loco, cum æquali etiam diſpoſitione, pro ſua bonitate influere, orationes exaudire, & diuina munera elargiri: quare & magis in templo quàm in foro preces ad Deum funduntur; & pro gratiis conſequendis potiùs ad hunc quàm ad alium locum ſe conferunt fideles, vt ad domum Lauretanam, ad limina Apoſtolorum, &c. Et hoc etiam manifeſtum erat de templo Dei, pro quo rogauit Salomon vt ibi exaudirentur precantes. In probatica piſcina, & non alibi, vnus infirmus ſanabatur. Et Iacob Patriarcha reſpiciens ad diuinam hanc Dei bonitatem, ſe magis in vno quàm in altero loco communicantem, de quodam ſingulari loco, vbi diuinas conſolationes perceperat, dixit: *Verè Dominus eſt in loco iſto: non eſt hîc aliud niſi domus Dei, & porta cæli*, Geneſ. 28, 16. & 17. Terram verò ſanctam locum eſſe ſingulariter electum à Domino, præter ſacræ Scripturæ teſtimonia, quæ aſſerunt, elegiſſe Dominum Sion, elegiſſe eam in habitationem ſibi, Chriſtus nos ſuo exemplo docuit, qui in illa pernoctabat in oratione, in ipſa primò inſtituit incruentum Corporis ſui ſacrificium, & Miſſam celebrauit, ac deinde in ara Caluariæ ſe cruento modo obtulit Patri pro totius mundi ſalute, ibi oſtium cæli aperuit, & cæleſtia munera hominibus conceſſit. In ipſis orationes fundebant B. Virgo, ſancti Apoſtoli, & alij ſancti, & Sacrificia ibi incruenta Dominici Corporis omnipotenti Deo offerebant. Quare & nos, vt Chriſti diſcipuli, Apoſtolorum ſectatores videamur, die nocteque orationes & ſacrificia in iſtis ſanctiſſimis locis offerre de-

bemus, ad Dei gloriam animarumque salutem. S. Augustinus lib. 12. de Ciuitate Dei, cap. 8. agens de terra quæ adiacet sanctissimo Domini nostri Iesu Christi sepulchro, quam auidè & deuotè accipiebant huc venientes fideles, vt illorum mos est, tum pietatis gratia, tum ad morbos & dæmones pellendos, hæc de Hesperio viro tribunitio ait: *Acceperat autem ab amico suo Terram sanctam de Ierosolymis allatam, vbi sepultus Christus die tertio resurrexit, eámque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur. At vbi domus eius ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret dubitabat, quam diutiùs in cubiculo suo reuerentiæ causa habere nolebat. Fortè accidit, vt ego, & collega meus Episcopus Sinicensis Ecclesiæ Maximus, in proximo essemus. Vt veniremus, roganit; & venimus. Cumq; omnia nobis retulisset, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret, vbi etiam possent Christiani ad celebranda quæ Dei sunt congregari.*

Terra sepulchri Domini magnam in veneratione habita.

Idem Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. scribit, ad Terram sanctam ex monte Caluariæ allatam in Africam, miracula fieri solita, & se cum alio Episcopo eam infodisse, & orationis locum super eam constituisse. Ex quibus apparet, non solùm loca ipsa, sed puluerem & terram inde in alias partes translata in veneratione haberi à fidelibus, & per ea Dominum mirabilia operari. Certè gradus scalæ sanctæ, terra Caluariæ, & alia sancta quæ Helena Romam detulit, magna ibi asseruantur veneratione, & religioso cultu & pietate auidè à Christi fidelibus honorantur, vt gradus illos non nisi genibus flexis ascendant.

Terra Caluaria miracula operatur.

Ex eadem terra, aquâ admixtâ, tortulas quasdam formari, easdemque per diuersas mundi partes transmitti consueuisse, ad morbos curandos aliasque diuinas gratias impetrandas, testatur Gregorius Turonensis lib. de Gloria Martyrum, cap. 7. & sanctus Paulinus Epist. 34. ad Macarium ait: *Religiosa cupiditas est, loca videre in quibus Christus ingressus & passus est, & resurrexit, & vnde conscendit; & aut de ipsis locis exiguum puluerem, aut de ipso Crucis ligno aliquid saltem festucæ simile sumere & habere, benedictio est.*

Ex Terra sancta & aqua tortula fieri solita.

Ex dictis patet, quomodo loca sancta honoranda sint diuersimodè secundùm diuersam ipsorum considerationem. Ego optimum esse arbitror, honoranda esse eo intuitu, quòd à Christo sint sanctificata, & eius sacratissimo contactu sublimata, & quòd nobis ipsum in memoriam reducant; & ita cultu latriæ modò explicato, & etiam aliquando per se, quatenus Deo sacrata.

CAPVT XLIII.

De diuina prouidentia, & diligentia fidelium, in custodiendis sacris Reliquiis, quæ Christum Dominum præcipuè tetigerunt, & eorumdem erga easdem pietate.

VEteres Christi fideles, qui vel ipso in carne degente, vel temporibus Apostolorum, vel dum nascentem & coalescentem Ecclesiam infideles & tyranni persequebantur, vixerunt, meritò excusandi essent, etiamsi distinctè scriptis, vel nobilibus templis ac egregiis monumentis minimè conseruassent memoriam locorum, in quibus nostra salus procurata fuit, vel instrumenta, quæ eidem inseruierunt, haud custodissent; tum quia contemplationi potiùs quàm scriptioni intenti erant, tum quia ea in tabulis cordium suorum velut incisa habebant; tum præsertim, quia propter continuas Iudæorum aliorumque infidelium persecutiones, illis vetitum erat egregia templa sacrasq; memorias erigere, tum denique propter alia superiùs Capite XXXVIII. commemorata. Verùm, quia horum memoria & conseruatio diuinam attingit prouidentiam, honorem & gloriam, statuendum est, eosdem veteres fideles haud omnino oscitantes aut negligentes fuisse in prædictis conseruandis, sed, quantum illis permissum, ac diuina gratia concessum fuit, diligenter loca sancta, salutis nostræ mysteriis condecorata, ac eorumdem instrumenta conseruasse, & posterorum memoriæ commendasse; optimè scientes, Deum suorum mirabilium memoriam perpetuis monimentis in hominum mentibus conseruari velle, quamuis alioquin mentem humanam ita esse corruptam, vt rerum, sacrarum præcipuè, mox obliuiscatur, idem nouerit Dominus. Et hanc Dei voluntatem, & promptam fidelium executionem, possumus ex sacris Litteris, aliisque Ecclesiasticis Scriptoribus venari, sed ab illis priùs.

Singulare illud beneficium eductionis filiorum Israël de Ægypti seruitute, ac eorumdem prodigiosus per mare Rubrum primò ac secundò per Iordanem transitus, voluit Deus non solùm scriptis recenseri, sed etiam aliis monumentis manifestari. Et quantum ad maris Rubri transitum, placet non infimæ notæ Auctoribus, & habet vetus Orientalium traditio, adhuc extare diuisionis maris signa in loco vbi Israëlitæ transierunt, sed de hoc Libro VIII. aliquid dicemus. Quantum autem ad Iordanis transitum,

Mirabilis transitus filiorum Israël per mare Rubrum & Iordanem notabili modo conseruatus.

Digitized by Google

Ioſ.4.3.9. tranſitum, Ioſue iuſſu Domini poſuit in Iordane, quo loco Iſraëlitæ tranſierunt, duodecim lapides, & duodecim inde abſtulit, & poſuit in Galgalis in memoriam diuini miraculi, quòd Sacerdotes Arcam Domini geſtantes, cum aliis Iordanem tranſierint ſiccis pedibus: qui lapides non ſolùm tempore diui Hieronymi adhuc extabant, & à Paula Romana inuiſebantur, vt docet idem ſanctus Doctor, ſed etiam poſteà ab aliis viſi & inſpecti fuerunt. S. Arculfus poſt duo ſæcula, circa annum videlicet 690. illos inuiſit, vt ex ipſo retulit Adamnanus libro 2. De locis ſanctis, cap. 12. cuius verba hîc placet exſcribere, quoniam diligentiam fidelium in illis conſeruandis eorumdemq; conditionem optimè exprimunt. ſic verò habent: *Arculfus memoratus grandem Eccleſiam in Galgalis fundatam vidit, in eo loco conſtructam, in quo filij Iſraël, Iordane tranſgreſſo, caſtra metati, primam in terra Chanaan manſionem habuere. In qua videlicet Eccleſia idem Arculfus illos conſiderauit duodecim lapides, de quibus ad Ioſue Dominus poſt tranſitum Iordanis locutus eſt, dicens: Elige duodecim viros, ſingulos per ſingulas tribus, & præcipe eis vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi Sacerdotum ſteterunt pedes, duodecim duriſſimos lapides, quos deponetis in loco caſtrorum, vbi fixeritis hac nocte tentoria. Hos inquam Arculfus viderat, è quibus ſenos in dextera parte Eccleſiæ, in pauimento iacentes, & alios eiuſdem numeri in Aquilonari, omnes impolitos & viles, conſpexit, quorum vnumquemque, vt ipſe refert Arculfus, huius temporis duo iuuenes viri fortes vix poſſent de terra ſubleuare. Ex quibus vnus, quo caſu accidente neſcitur, in duas confractus partes, iterùm ferro condenſatus manu artificis coniunctus eſt. Galgal itaque, vbi ſuprà memorata fundata eſt Eccleſia, ad Orientalem antiquæ Iericho plagam, cis Iordanem eſt, in ſorte tribus Iuda, in quinto milliario ab Iericho, vbi & tabernaculum fixum multo tempore fuit. In quo loco, vt traditur, conſtructa ſuprà dicta Eccleſia, in qua illi duodeni ſuprà memorati habentur lapides, ab illius regionis mortalibus miro cultu & honorificentia habita honorificatur.* Hæc ille.

Lapides in Galgalis poſiti, & eorum conditio.

Ad hæc, prodigiola Moyſis virga, tabulæ legis, vas mannæ, aſſeruata fuerunt in Arca Domini, vt eſſent perpetuum monumentum beneficiorum Dei, quæ in deſerto Iſraëliticus populus receperat. Et quid altarium erectio, mutatio nominum locorum, quorum non infrequens memoria eſt in ſacris Litteris, ſignificat? Vtique quod indicauimus. Locus in quo Abraham ex mandato Domini filium ſuum Iſaac ſacrificare voluit, in ſignum obedientiæ ſancti Patriarchæ, & diuinæ liberationis, appellatus fuit, *Dominus videt. Vnde vſque hodie dicitur: In monte Dominus videbit*, Geneſ. 22, 14. Et hodie quoque celebris eſt illius memoria, vt infrà lib. v. Pereg. III. c. III. oſtendemus. In loco vbi mirabilem illam ſcalæ & Angelorum viſionem habuit, *erexit* Iacob lapidem *in titulum, fundens oleum deſuper, appellauitq; nomen vrbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur*, Geneſ. 28, 18.

Virga Moyſis, tabulæ legis, & vas manna conſeruata fuerunt.

Locus ſacrificij Abraham monimento conſignatus.

vt & ille vbi Iacob ſcalam vidit.

Et quamuis hæc vmbra figuraque fuerint eorum quæ accidere debebant poſterioribus temporibus in lege gratiæ, vt S. dixit Apoſtolus, veritas nihilominùs ſecuta eſt. Chriſti enim fideles maioribus quàm Iſraëlitæ cumulati beneficiis, liberati à dæmonis mortiſque tyrannide, tranſlati per mare Rubrum ſanguinis, & Iordanem paſſionis Filij Dei, in eiuſdem Regnum, non ſolùm repromiſſæ Terræ Chanaan, ſed terræ viuentium, militantis ac triumphantis Eccleſiæ, ſalutis inſtrumenta conſeruarunt, & loca diuinorum myſteriorum egregiis atque illuſtriſſimis monumentis conſignarunt, vt Dei honor, & ipſorum animi gratitudo requirebat. Honor enim & gloria victoris eſt, equum, arma & alia victoriæ inſtrumenta illæſa ſeruare, ac diligenter in tuto loco cuſtodire, vt Dauidem & Iudith feciſſe narrat Scriptura diuina: alioſque ſtrenuos Duces idem facere videmus, dum vexilla, quæ à deuictis hoſtibus tulerunt, velut glorioſum victoriæ trophæum ſacris templis appendunt, vt in illis perpetuò conſeruentur. Ita crux, claui, &c. quæ fuerunt inſtar gladij & vexilli, quibus noſter Dux Chriſtus de ſuis noſtriſque hoſtibus triumphauit, noſque de illorum eripuit poteſtate, debuerunt perpetuò conſeruari ad illius honorem, & vt in nobis perpetua benefactoris conſeruaretur memoria, qui pro nobis dedit animam ſuam, vt noſtram ab æterna morte liberaret, atque ſempiterna felicitate donaret. Et verè cuſtodita fuerunt, adeò vt Crux & ſacra lintea à carie & incendio, claui à rubigine ſeruata fuerint. Ne etiam ſacrum deſtrueretur ſepulchrum Saluatoris aliaque memorabilia loca, diuinitus factum fuit, vt alibi dicemus. Sed quomodo in hoc diuina prouidentia & fidelium diligentia enituerit, videamus. Præter illa quæ apud noui Teſtamenti Eccleſiaſticos ſcriptores leguntur, ſunt & alia toti mundo conſpicua. Ex his ergo, & ex iis quæ dicemus, dum loquemur ſigillatim de locis ſanctis, Dei prouidentiam & diligentiam ad huc fidelium in conſeruanda memoria locorum, vel aliorum quæ noſtram ſalutem quomodolibet reſpiciunt, intelligere licet.

Inſtrumenta victoriæ ad victoris gloriam conſeruanda.

Christi præputium à Deipara seruatum, & in eius obitu Ioanni traditum.

Beata Virgo Maria particulam præputij Filij sui, tamquam sui corporis pretiosissimas reliquias, apud se semper asseruauit, vt absque dubitatione à piis creditur: quam instante morte sua S. Ioanni Euangelistæ dedit, vt ipsa B. Virgo reuelauit S. Birgittæ, vt in eius Reuelationibus legitur. D. Bonauentura eam in Basilica Lateranensi asseruari scribit, & adhuc ibi custodiri, communis traditio est.

Fascia Seruatoris seruata, & ad illarum honorem Ecclesia erecta.

Panni, siue fasciæ quibus B. Virgo inuoluit & circumdedit Filium suum Iesum, admirabili quadam & occulta dispensatione ad tantæ rei memoriam futuris temporibus seruatæ creduntur: quo factum est, vt earum honori nobilissima Basilica erecta, & anniuersaria festa dies à Christiano populo pridie Kalendis Septembribus obeunda, instituta fuerit, prout significant Patrum encomia ea die in Ecclesia recitari solita, Germanus & Euthymius in Oratione de Fasciis Domini, apud Lipomanum Tom. 6. die 31. Augusti. Lege Nicephorum lib. 14. cap. 2.

Deipara & Ioannes Christi Sanguinem seruauerunt.

De B. Maria Virgine & S. Ioanne Euangelista, qui cruci adstabant cùm in ea Christus penderet, idem Nicephorus lib. 1. c. 30. sequentia scribit: *Sanguinemq; & aquam è latere eius quasi adhuc viuentis recèns profluentem, religiosè simul & honorificè admodum vasculo exceperunt.* Hic nostris temporibus inter pretiosiora thesauri Venetorum inuentus, honorificè in augustissimo illorum templo, D. Marco sacro, asseruatur. Ad hæc Venetiis in Ecclesia Patrum Minorum Conuentualium in vitrea ampulla asseruatur eiusdem pretiosi Sanguinis, qui ostenditur magna cum solemnitatè in Dominica Passionis, quam & ego vidi. Mantuæ item in Ecclesia S. Andreæ habetur nonnihil Sanguinis qui fluxerit de latere Christi Saluatoris (non de latere imaginis crucifixæ in Syria in Beryto ciuitate) eumque verum esse Domini Sanguinem, declarauit Summus Pontifex Leo III. ante annos octingentos, vt notat Bellarminus: & Baronius asserit, extare Romæ diplomata Pontificis, in quibus Sanguinis illius veritas confirmetur. Matthæus quoque Parisiensis scribit, missum fuisse ab Ierosolymitano Patriarcha vasculum cum vero Christi Sanguine ad Henricum III. Angliæ Regem, susceptumque cum incredibili celebritate, prædicantibus Episcopis, & rationem reddentibus veritatis illius Sanguinis. In Galliæ Narbonensis vrbe S. Maximini seruatur verus Sanguis Christi Domini, phialà vitreà conclusus, qui quotannis die Veneris sancto, dum passionis Dominicæ Officium recitatur, maximo miraculo cernitur per se attolli & ebullire. Sixtus IV. in Opusculo de Sanguine Christi affirmat, verum eius Sanguinem & imaginem conspici in sindone Camberiensi, quod laudat & amplectitur Iulius II. in Bulla, qua anno Domini 1506. sindoni illi festum diem ac proprium Officium constituit. Ac denique in spinis, in clauis, ligno Crucis, sudario, & aliis, aliquam particulam effusi à Christo Sanguinis superesse, fatetur Vasquez. Quare si hæc vera, licet Christus in sua resurrectione resumpserit Sanguinem ad sui corporis perfectam compositionem necessarium, non tamen totum qui aliquando in ipso fuit; quia, vt benè dicit Suarez, corpus humanum tantæ copiæ capax non est, &, vt addunt alij, si totum assumpsisset, imperfectum apparuisset, vnde Pius II. in Bulla ad Abbatem S. Mariæ Xantonensis Diœcesis dixit, non esse contra fidem, asseuerare, Christum in resurrectione totum quem anteà fuderat Sanguinem non assumpsisse. *Nos*, inquit, *qui de prædictis certam notitiam habemus, attendentes, quòd veritati fidei nullatenus repugnet, affirmare, Redemptorem nostrum de Sanguine præfato, ob ipsius passionis memoriam, aliquam partem in terris reliquisse, &c.*

Verum in diuersis partibus reperiri, fama est.

Plura etiam sudaria & lintea, contactu Christi tam viuentis quàm mortui sanctificata, seruantur magna veneratione in diuersis Christianitatis Ecclesiis, de quibus in secundo huius Operis Tomo erit sermo; nunc dumtaxat agam de linteo, quo Christus præcinctus pedes discipulorum tersit, quod igne probatum, incorruptum mansit: ita enim de eo scribit Leo Ostiensis, & refert Baronius ad annum 1014. *His diebus*, inquit Leo, *Monachi quidam ab Ierosolymis venientes, particulam lintei, cum quo pedes discipulorum Saluator extersit, secum detulerunt, & ob reuerentiam sacri huius loci* (Cassinensis Monasterij) *hìc deuotissimè obtulerunt sexto Idus Decembris. Verùm cùm plurimi fidem derogarent, illi fide præditi, particulam istam ardentibus imponunt prunis, quæ mox in colorem ignis versa est, amotis tamen carbonibus, ad pristinam speciem admirabiliter rediit. Cumq; cogitarent quomodo vel vbi pignora tanta locarent, dispositione Dei contigit, vt eodem die mitteretur huc loculus ille mirificus, vbi nunc condita est lintei ipsius particula, argento & auro gemmisq; opere Angelico subtiliter & pulcherrimè decoratus.*

Plura Christi & alia sacra sudaria à fidelibus seruata.

Chron. Cass. l. 1. cap. 31.

Vas etiam illud pretiosum smaragdinum, *catinus* vel *scutella* nuncupatum, in quo Christus in vltima cœna Paschalem agnum comedit, vel, vt alij sentiunt, Nicodemus Christi Sanguinem in illius passione collegit, fuit à fidelibus seruatum, & etiamnum Genuæ in Cathedrali Ecclesia in magna de-

Vas in quo agnus Paschalis comestus fuit.

uotione

uotione cuſtoditur. Ita ſcribit Reuerendiſſimus Auguſtinus Iuſtinianus Epiſcopus Nubienſis in ſuis Genuenſis Reipublicæ Annalibus, lib. 2. anno 1101.

Calix Euchariſtiæ.

Item ſeruatus fuit Calix ille pretioſus, in quo Redemptor noſter ſacratiſſimam Euchariſtiam conſecrauit: & S. Arculfus vidit Ieroſolymis, & retulit Adamnano, & Adamnanus & Beda id ſcriptis conſignarunt. *In platea, quæ Martyrium & Golgotha continuat, exedra eſt, in qua calix Domini ſcriniolo reconditus, per operculi foramen tangi ſolet & oſculari: qui argenteus calix hinc inde duas habens anſulas, ſextarij Gallici menſuram capit, in quo illa eſt ſpongia Domini potus miniſtra.* Hæc Beda lib. 1. De locis ſanctis, cap. 2. Qui calix in præſentia Valentiæ in Hiſpania in Cathedrali honorificè aſſeruari perhibetur.

Gregorius Turonenſis agit de inuolucro ſanctæ Crucis reuerenter ſeruato, lib. De gloria Martyrum, cap. 6.

Linteum Chriſti & Apoſtolorum imaginibus condecoratum.

De linteo à S. Deipara contexto, Chriſtique Domini & Apoſtolorum imaginibus condecorato, ſequentia ſcribit Adamnanus lib. 1. De locis ſanctis, cap. 7. *Aliud quoque linteamen maius (abillo quod poſitum fuerat ſuper caput Ieſu in monumento) Arculfus in eadem Ieroſolymitana ciuitate vidit, quod, vt fertur, ſancta Maria contexuit, & ob id magna reuerentia in Eccleſia habitum totus veneratur populus. In quo videlicet linteo duodecim Apoſtolorum formulæ habentur intextæ, & ipſius Domini imago figurata: cuius linteaminis vna pars rubei coloris, & altera è regione in altero latere viridis habetur.* Ita Adamnanus.

Chriſti lintea ſubucula.

Bedæ etiam linea ſubucula, quam eadem Virgo puero Ieſu conſuit, Romæ in S. Ioannis Lateranenſis Eccleſia aſſeruari dicitur.

Veſtis inconſutilis.

Veſtis inconſutilis Saluatoris poſt illius mortem aſſeruata fuit, & cum magna reuerentia cuſtodita, primò ab ipſo Pilato, vt inter alios refert Incognitus, enarrans etiam prodigioſum euentum, illius gratia circa Pilatum factum, dicens: *Legitur de Pilato, quòd cùm propter mortem Chriſti à Tiberio Cæſare Romam fuiſſet vocatus, nec vindictam ſubiret tanti furoris (quia contra ipſum Tiberius furebat vehementer) Pilatus ſe induit tunicam Chriſti inconſutilem. In qua cùm præſentatus eſſet Cæſari, Cæſar ei aſſurrexit, & ipſum multùm honorauit, nihil mali ei facere volens, aut dicere. Cùm autem hic honoratus receſſiſſet, iterùm Imperator vehementer inflammatus, indicauit ſe miſerum, quòd ſuum furorem non aperuiſſet in vltionem, reuocatusq; eſt Pilatus ad Cæſarem, & eodem modo receptus eſt. Tertiò reuocatus Pilatus, cùm dicta tunica eſſet exutus, & ſic præſentatus, accepit ſententiam capitalem*, &c. Hæc tunica poſteà honorificè à fidelibus in ciuitate Galatheæ fuit collocata, vt alibi notabimus.

Ioannes Iacobus Chiffletius in ſua Hiſtoria de ſacris Reliquiis à fidelibus diligenter cuſtoditis aliqua proponit, & inter alias illarum meminit, quibus Theodoſius II. donauit Veſuntinam Eccleſiam, vt præter S. Stephani Protomartyris brachium, *B. Mariæ pectinem, & tantillum de capillis eius; cingulum quoque Dominicum, nec non ſanctorum Martyrum corpora, Epiphanij & Iſidori, & caput S. Agapiti.* Et ſuffragatur Hymnus perantiquus, qui ſic habet:

Pecten & crines Virginis, & cingulum Filij.

Magnificemus Virginem,
Cuius habemus pectinem,
Crines, cingulum Filij,
Seri cumulum gaudij.

Spineæ coronæ, ſpongiæ, & fimbriæ veſtimentorum Chriſti.

Ibi etiam aſſeruatur aliqua particula *ſpineæ coronæ, ſpongiæ & fimbriæ veſtimentorum Chriſti.*

Veſtis Virginis.

Item veſtis vna B. Mariæ Virginis diu poſt eius tranſitum ad cælos ſeruata fuit, quam Ieroſolymis allatam, Leo I. Imperator in magnificentiſſima Eccleſia, Ad fontes dicta, Conſtantinopoli ædificata collocauit. Eius meminerunt Nicephorus lib. 15. cap. 24. Metaphraſtes die 15. Auguſti, Procopius eadem die, & Baronius anno Chriſti 474. Quidam tamen è Nazareth allatam dicunt. Sed num diuerſæ? Et ſi eadem, num ex Ieruſalem Nazareth allata, vbi poſtquam per aliquod tempus manſit, inde Conſtantinopolim tranſlata, ac ideò vtriuſque ciuitatis Ieruſalem ac Nazareth mentio fit?

Claui Chriſti, lancea, &c.

Item S. Nicodemus, vt Auctor Supplementi Chronicorum lib. 8. aſſerit, clauos, lanceam, linteamina, ac reliqua paſſionis inſtrumenta quàm diligentiſſimè ſeruauit, & ad exemplar imaginis Chriſti in linteaminibus ſepulchralibus relictæ, ipſe è ligno Chriſti imaginem ſculpſit, in cuius medio ampullam Chriſti Sanguine plenam cum aliquibus paſſionis Chriſti inſtrumentis incluſit. Quæ imago, illa eſſe creditur, quæ Lucæ in Tuſcia in eius maiori Eccleſia maximo confluentium populorum concurſu colitur.

Cathedra S. Iacobi minoris.

Prætereundum non eſt, quod antiquus ſcriptor Euſebius Cæſarienſis lib. 7. Hiſtor. cap. 14. in fine de Cathedra S. Iacobi minoris, Ieroſolymitani Epiſcopi, diligenter à fidelibus inter tot illorum temporum anguſtias cuſtodita, ſcribit, dicens: *Iacobi Apoſtoli cathedram (qui primus erat ad Ieroſolymitana Eccleſia Epiſcopatum à Saluatore & ceteris eius Apoſtolis delectus, quemq; fra-*

trem Christi nuncupatum diuina perhibent Eloquia) ad istud tempus seruatam, Episcopi, qui illic ordine successerunt, permagni æstimant. Vnde declarant perspicuè, quemadmodum veteres Patres ad nostram vsque ætatem sanctis viris, ob eorum veram erga Deum pietatem, debitam venerationem & tribuerint, & adhuc tribuere non cessent. Hæc Eusebius de S. Iacobi Episcopali cathedra.

Cathedra S. Marci Euāgelistæ.

Item Cathedra D. Marci Euangelistæ in qua primùm Alexandriæ Ægypti sedit, vel Aquileiæ, Venetiis asseruatur, vt tradit Ioannes Stringa in sua Venetia lib. 1. c. 112.

Altare ligneum vbi S. Petrus celebrauit.

Prætereà altare ligneum, in quo S. Apostolum Petrum Missam celebrasse creditur, Romæ reuerenter custoditur, vt in Romano Breuiario habetur in Officio Dedicationis Basilicæ Saluatoris.

Imago Christi à Iudæis crucifixæ.

Imaginis prodigiosæ à Iudæis crucifixæ in Syriæ vrbe Beritho, quæ sanguinem fudit, meminit Athanasius in libello De passione Domini, & nos de eadem plura, cùm agemus de Beritho: nunc tantùm dicam, quomodo illa cum alijs Christianæ Religionis monumentis in obsidione Ierosolymitana seruata fuerit. Quadragesimo & tertio anno post Ascensionem Domini Saluatoris ad cælos, sed biennio antequam Titus & Vespasianus eamdem subuerterent vrbem, admoniti sunt à Spiritu sancto fideles atque discipuli Christi, vt relicta vrbe ad Regnum se transferrent Agrippæ Regis, quia ipse tunc Agrippa Romanis fœderatus erat. Qui egressi ab vrbe, omnia quæ ad cultum nostræ Religionis vel fidei pertinere videbantur, secum auferentes, in hanc regionem transmigrarunt. Quo tempore etiam icon, cum ceteris rebus Ecclesiasticis exportata, vsque hodie in Syria permansit, &c. Ita ex illo libello.

Ampulla illius miraculosi sanguinis Venetiis inter alias sacras Reliquias Ecclesiæ S. Marci asseruatur. Ioannes Stringa lib. 1. cap. 100. & tribus sequentibus.

De libro Euangeliorum S. Marci, ab eodem Euangelista conscripto, in eademque Ecclesia asseruato, cap. 133. & de aliis Reliquiis alibi in eodem libro.

Catena quibus ab Herode & Nerone fuit vinctus Petrus.

Etiam Ecclesia in festo sancti Petri ad Vincula docet, catenas, quibus ab Herode & Nerone vinctus fuit Apostolorum Princeps, fuisse à fidelibus diligenter custoditas. sic enim ait: *Theodosio iuniore imperante, cùm Eudocia eius vxor Ierosolymam soluendi voti causa venisset, ibi multis est affecta muneribus. Præ ceteris insigne donum accepit ferrea catenæ auro gemmisq; ornatæ, quam illam esse affirmabant, qua Petrus Apostolus ab Herode vinctus fuerat. Eudocia catenam piè venerata, eam posteà Romam ad filiam Eudoxiam misit, quæ illam Pontifici Maximo detulit, isq; vicissim illi monstrauit alteram catenam, qua Nerone Imperatore idem Apostolus constrictus fuerat*, &c. At quomodo sacra illa munera Eudociæ donata, & catenæ illæ honorificè asseruatæ fuissent, nisi pia antiquitas de illis sollicita fuisset?

Nec hîc prætereundum arbitror, quod scribit Gregorius Turonensis lib. 1. Miraculorum, cap. 12. agens de martyrio sancti Ioannis Baptistæ, his verbis: *Ioannes Baptista ætu Herodis per Herodiadem vxorem fratris, in carcerem colligatur. Tunc temporis à Gallijs matrona quædam Ierosolymam abierat, pro deuotione tantùm, vt Domini & Saluatoris præsentiam mereretur: audiens autem quòd B. Ioannes decollaretur, cursu illuc rapido tendit, datisq; muneribus supplicat percussori, vt eam sanguinem defluentem colligere permitteret. Ille autem percutiente, matrona concham argenteam præparat, truncatoq; Martyris capite cruorem deuota susceptit, quem diligenter in ampulla positum, patriam detulit, & apud Vasatensem vrbem adificata in eius honore Ecclesia, in sancto altare collocauit.* Hactenus ille, qui plura alia eodem libro docet ad hoc argumentum & ad venerationem sanctorum locorum & Reliquiarum spectantia. Sed quid pluribus immoror? si veteres illi magna diligentia, pietate & reuerentia sacras Reliquias, & alia ad nostram Catholicam Religionem spectantia non custodissent, quomodo nunc ea possideret & veneraretur Ecclesia?

Ampulla sanguinis Ioannis Baptistæ.

CAPVT XLIV.

Locis sanctis subueniendum esse per eleëmosynas, ostenditur ab exemplis, & argumenta contrà militantia subruuntur.

SVperuacanea non immeritò videri poterant iis qui rectè sentiunt, ea quæ nunc tractanda proposuimus. Quis enim fidelis vmquam dubitaret, quin gratijs & priuilegiis condecoranda sint loca sancta? quis vmquam Catholicus negaret, quin eleëmosynis eisdem subueniendum sit, cùm in ipsis salus nostra procurata sit? quis Christianorum deferenda credat loca ista, quæ tanti fecit Deus, vt temporali suæ conceptioni, natiuitati, peregrinationi & morti ea elegerit? Verùm ea est nonnullorum vel stupiditas vel malitia, vt etiam lucidissimos Solis radios nescio quibus oppositis contrà centonibus obscurare confidant, & nihil non, quod alioquin bonum & necessarium est, vellicare præsumant: quo ipso, licet aliud nihil effecerint, hoc saltem assecu-

tos

tos se iactant, vt quæ aliàs superuacanea erant futura, necessariò ad incudem reuocari, & nouis rationibus confirmari, atque sic tempus propè inaniter consumi debeat.

Sciendum itaque, quòd cùm P. Frater Bernardinus de Aratia, Commissarius generalis locorum Terræ sanctæ in Regnis Hispaniæ intellexisset, me de locis eiusdem Terræ sanctæ commentarium meditari, miserit ad me litteras, quibus amicè cohortabatur, vt in Opere feliciter conscribendo pergerem, & suo loco datâ operâ confutarem tria argumenta, quæ sibi oppositа fuissent à nonnullis, à quibus eleëmosynas pro locorum sanctorum conseruatione petiisset. Rationes verò illas, quibus isti egregiam se rem præstitisse arbitrati sunt, quamuis reuerà sint nullius momenti, impiæ, adeoque contemptu potiùs & indignatione reijciendæ, quàm ratione confutandæ, ratione tamen confutabimus, tum quia apud aliquos imperitos valent in locorum sanctorum præiudicium, tum quia inquit Sapiens *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur*, Prouerb. 26, 4. hoc est, vt Lyranus interpretatur, Ne respondeas stulto stultè, sicut stultè locutus est, ne ei sis similis in stultitia: respondè verò secundùm stultitiam eius, id est rationabiliter, vt per hoc eius præsumptio confundatur, & alij ab eius imitatione retrahantur. Ac denique, ne tacendo approbare iniquitatem videamur: nam, vt habetur in Iure, *error cui non contradicitur, approbatur; & veritas, cùm minimè defensatur, opprimitur. Negligere* (*nempe, cùm possis perturbare peruersos, nihil est aliud quàm fouere: nec caret scrupulis societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare*). Ad hæc, *Consentire videtur tacenti, qui ad resecanda quæ corrigi debent, non occurrit.*

Tria argumenta, non esse locis sanctis subuenendum.

Errores refellendi sunt.

Primum argumentum est: Non sunt faciendæ eleëmosynæ locis sanctis, quoniam cedunt in præiudicium Christianitatis; eo ipso enim dum illuc mittuntur, ditantur Christiani nominis hostes: & perinde est, ac si eis arma suppeditarentur vt dimicent contra nos: at hoc non licet, vt habetur in Iure.

In Decret. Greg. c. Ad liberandã. & c. Ita quorumdam. De Iudæis.

Secundum argumentum: Ex tali eleëmosynarum missione, Hospitalibus, alijs locis piis Christianitatis, & pauperibus qui apud nos sunt, subtrahuntur debita subsidia: quæ enim ad loca sancta mittuntur, in horum solatium expendi non possunt. & iuxta sententiam Saluatoris, *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*, Matth. 15, 26.

Tertium denique argumentum, quod præcipuè respicit Catholicum Regem Philippum huius nominis Quartum, aut, vt meliùs dicam, cupiditatem & auaritiam quorumdam ministrorum eius, à quibus aliquando humillimè petitæ fuerunt eleëmosynæ, hoc est: Ea quæ ex iustitia fiunt, præferenda sunt iis quæ fiunt ex pietate & deuotione, vt manifestum est; & qui hæc illis præferri atque priùs fieri velit, iustitiam euertit, & iniquitatem inducit. At verò, Regem Catholicum debita, à pio eius patente contracta, soluere, iustitiæ est; eleëmosynas verò locis sanctis elargiri, pietatis & deuotionis: ergo Rex Catholicus potiùs tenetur satisfacere debitis patris sui, quàm locis sanctis per eleëmosynas subuenire, cùm alioqui per nimias illas eleëmosynas creditores suo iure priuari, adeoque iustitiam violari, contingere possit.

Ecce tibi, Lector, argumenta illa insolubilia, ecce difficultates inexplicabiles & insuperabiles, quibus cupidi ac pietate destituti homines se excusant, ne sitienti Christo dent potum aquæ frigidæ: ecce rationes apparentes, quæ tamen veram ac solidam rationem, pietatem ac iustitiam omnino destruunt & euertunt. Contra auctores earum plura forent dicenda, nisi Christiana pietas & Religiosa modestia prohiberet. Ne tamen ob illas ratiunculas relinquatur pietas, & iustitia opprimatur, & vt auctores iniquitatis redarguantur, & resipiscant, pauca, vt promisimus, hic subijciemus.

Vt verò quam pertractamus materiam clarè intelligamus, tria ordinatè ostendemus: primò, non esse imitandos hos peruersè zelosos, qui tam cruda & indigesta eructant, *habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*, vt inquit S. Paulus 2. Tim. 3, 5. & rationibus illorum pro virili respondebimus; secundò, aliam quamdam difficultatem obiter explicabimus; & tertiò denique ex quadruplici capite monstrabimus, locis sanctis à fidelibus, & singulariter à Rege Ierosolymitano, ab eo videlicet, qui se Terræ sanctæ Regem gerit & nominat, subueniendum esse.

Quantum ad primum, non sunt imitandi illi qui talia ratiocinantur, quoniam dum se aliorum magistros, & ceteris oculatiores esse demonstrare volunt, stolidiores, & velut cæcos palpare se in meridie ostendunt; quos si sequeremur, cum illis in foueam cadere necesse haberemus, vt Saluator noster dixit. Notandum itaque, eos qui locorum sacrorum subuentioni se opposuerunt (obscuræ sanè notæ viri sunt, vt ex dicendis apparebit) non esse prudentio-

Audiendi non sunt qui ita loquuntur.

res,

res, pientiores & Christianæ Religionis zelâtiores, quàm fuerint alij piissimi, omni virtutum genere exculti, & vbique terrarum celebrati viri, qui tamen eleëmosynis & grætiis, quibus potuerunt, locis Terræ sanctæ, & fidelibus in iisdem habitantibus, opem tulerunt; ex istis ergo, non ex illis exemplum sumendum est. Sed ex his aliquos dumtaxat consideremus.

Sollicitudo piorum de locis sanctis.

Pauli & Barnabæ.

Nónne vas illud electionis Paulus Apostolus, cum Barnaba & aliis Apostolicis viris hunc in finem colligebat eleëmosynas, vt subueniret in necessitate pauperibus Christianis, qui Ierosolymis & in aliis Terræ sanctæ locis sub infidelium Iudæorum tyrannide habitabant?

Volens omitto Illustrissimam Imperatricem Magni Constantini Imperatoris piissimam matrẽ, quæ vnà cum filio suo fuit de sanctissimis locis, & fidelibus in eisdem habitantibus, optimè merita, quoniam de ea alio in loco occurret sermo.

Ioannis Eleëmosynarij.

Ioannes Eleëmosynarius singularis imitator extitit Pauli Apostoli in subueniendo fidelibus qui Ierosolymis in necessitate constituti degebant, vt sequentibus ostendit Leontius, quem refert Baronius, *Cùm Persæ populati essent vniuersam Syriam, qui eorum manus potuerunt effugere, tum laici, qui Magistratum gerebant, & priuati, tum Clerici cum Episcopis, confugerunt Alexandriam. Quibus omnibus dines ille, & minimè angustus coniunator* (Ioannem Eleëmosynarium intelligens) *quotidie suppeditabat quæ erant ad vsum necessaria, non ad indigentium aspiciens multitudinem, vt aliquid faceret quod esset sordidi & illiberalis animi, sed ad eum qui aperit manum, & omne animal implet benedictione. Cùm autem Rasmizsus Dux exercitus Cosrhoë vastasset & depopulatus esset veneranda loca Ierosolymorum, postquam hoc audiuit ille homo Dei, & quòd omnia sancta fuissent igni tradita, deflet quidem non secùs ac Ieremias, id quod factum fuerat. Non hactenus autem constitit eius commiseratio, sed mittit etiam Chrysippum quemdam virum pium, tradens ei multum auri, frumentumq; & alia alimenta, & indumenta, & ad ea vehenda iumenta plurima, tum vt aspiceret vastitatem, tum etiam vt eos qui remanserant ex captiuitate, satis per ea quæ ducta fuerunt recrearet. Præterea autem Theodorum quoque Amathuntis Episcopum, & Anastasium præfectum magni montis Antonij, & Gregorium Episcopum Rhinocurorum emittit ad eos recipiendos, qui abducti fuerant in captiuitatem.* Hucusque Leontius.

Tom. 8. anno Christi 614.

Permansit verò ea pia consuetudo in Ecclesia Catholica (inquit Baronius) vt, maiorum exemplo, Christiani ex omnibus locis ad eos, qui Ierosolymis in egestate viuerent, mitterent eleëmosynam. Quam quidem laudabilem consuetudinem ad Theodosij tempora perdurantem, nequissimus Vigilantius conatus est euertere: quem ardenti zelo D. Hieronymus redarguit, qui & inter alia, *Hac in Iudæa* (inquit) *vsque hodie perseuerante consuetudine, non solùm apud nos, sed & apud Hebræos, vt qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & partem non habent in terra nisi solum Deum, synagogarum & totius orbis foueantur ministeriis.*

Consuetudo colligendi eleëmosynam pro fidelibus Ierosolymitanis.

Tom. 1. anno Christi 44.

Carolus etiam Magnus dona ad loca sancta misit, & pro restauratione Ecclesiarum Ierosolymorum collectam more maiorum indixit. Est ea de re titulus in eius Capitulationibus, lib. 4 in Appen. c. 31. his verbis inscriptus: *De eleëmosyna mittenda in Ierusalem, propter Ecclesias Dei restaurandas proximo Natali Domini.* Ipsum verò decretum siue Capitulum excidit. Ita idem Cardinalis Baronius ex Annalibus Francorum Tom. 9. Annal. sub annum Christi 799. num. 15. Ad hoc spectant quæ de Amalphitanis dicemus intrà ex D. Antonino & Tyrio.

Caroli Magni.

Amalphitanorum.

Sed nec posterioribus temporibus eadem laudabilis consuetudo intermissa fuit. Rex Siciliæ & Ierusalem Robertus cum pia vxore Regina Sancia, nónne magna summa auri (vt alibi fuit dictum) emerunt loca sancta, eaque vt reuerenter custodirentur, tradiderunt auctoritate Apostolica Fratribus S. Francisci, cum intentione eos honestè sumptibus propriis sustentandi?

Roberti & Sancia Regum Siciliæ.

Pari pietate & liberalitate in hodiernum vsque diem Catholici Principes, & alij fideles, largas semper eleëmosynas ad loca sancta miserunt, quò ea tutiùs & commodiùs conseruarentur: præ reliquis verò semper in liberalitate & beneficentia ista eminuerunt, & adhuc eminent, Catholici Hispaniarum Reges, atque Regnorum eorumdem deuotissimi incolæ, adeò vt semper illic, qui eleëmosynas datas colligerent, & Ierosolymam transmitterent, Ordinis totius nomine alendi fuerint: & adhuc nostris temporibus tam pio & necessario operi summè laudabili zelo dat operam in Regnis Hispaniarum, Superiorum auctoritate, pius & Apostolicus vir P. Martinus de Aratia: qui licet sit confectus senio & infirma valetudine, tanta tamen sollicitudine commissum sibi munus exequitur, vt adinstar alterius Martini Turonensis ciuitatis Episcopi Christum vestiat & alat in pauperibus Ierosolymis habitantibus, vel ad eam peregrinantibus, dum illuc eleëmosynas à fidelibus collatas fideliter transmittit.

Regnum Hispaniæ.

Possem hîc in medium afferre illustre pieta-

pietatis & liberalitatis exemplum veterum Iudæorum, qui cùm essent in deserto, pro tabernaculo fabricando tot obtulerunt dona, vt artifices compulsi fuerint adire Moysen, eique dicere: *Plus offert populus quàm necessarium est*, Exod. 36, 5. & Moyses per præconem publicè proclamari iusserit: *Nec vir nec mulier quidquam offerat vltrà in opere Sanctuarij*, v. 6. sed nostræ tempestatis Iudæi, à quibus tamen vera pietas & religio abscessit, qui vel in Italia vel in aliis mundi partibus sunt, mittunt ad Terram sanctam eleëmosynas, vel pro his qui in Sephet legi & Prophetis studeant, vel pro sustentatione illorum qui Ierosolymis vel in aliis Palæstinæ partibus habitant, vel pro soluendis iniustis exactionibus Turcis.

Iudæi etiãnum Iudæis Terrã sanctam inhabitantibus eleëmosynas mittũt.

Quid dicam de schismaticis & hæreticis Orientalibus, qui etsi pro maiori parte pauperes & despecti sint, quippe non minùs quàm Hebræi Turcico iugo iniustaque tyrannide pressi, vt omnibus compertum est, quanto tamen feruore, quanto labore, quantisque sumptibus, tam Præsules quàm subditi, studeant conseruationi & augmento locorum sanctorum eisdem concreditorum, mirabile est, & vix credibile: præter eleëmosynas sponte oblatas, vel laboriosa mendicatione in Græcia, superiori Armenia, & in aliis partibus infidelium (imò etiam fidelium, dolo apud quos se fideles & Catholicos simulant, cùm sint à Catholica Religione remotissimi, & Romanæ Ecclesiæ acerrimi hostes, & fidelium eleëmosynis contra fideles pugnent) acquisitas, vectigalia & gabellas imposuerunt mercibus, ex quarum solutione locis sanctis subuenitur, & Christi Saluatoris nostri memoria in eisdem conseruatur. Placuit etiam hæc aduertisse, vt Catholici intelligerent, schismaticos istos, etsi Turcæ subditos, & instar mancipiorũ deditos non gratis in locis sanctis habitare, aut ea custodire: nam vt nos, ita & illi multa exoluere coguntur pro sanctorum locorum conseruatione, imò haud rarò plus quàm nos, vt propterea necessariæ corporis sustentationi subtrahere debeant.

Schismatici & hæretici Orientales plurimùm saluti locorum sanctorum student.

Num ergo Catholici, pro quibus præcipuè & efficaciter in mundum venit, & mortem oppetiit Christus, velut derelicta & instar nihili habebunt loca sancta, in quibus tamen eorum salus sumpsit originem, & inter quos omnia deberent esse communia, maximè necessitatis & egestatis tempore? Ergo filij tenebrarum verè prudentiores erunt filiis lucis in generatione ista? Ergo infideles humanitate, sapientia & pietate superabunt fideles? Ergo iudices nostri erunt in tremendo iudicio?

Ab istiu pietate ac religione Catholici vinci non debent.

Sed quid roboris habeant illa argumenta initio Capitis huius adducta, videamus. Prius falso inprimis & inani nititur fundamento, quare & ipsum corrui necesse est. Supponit illud, ex eleëmosynis Ierosolymã missis Turcarum Imperatorem ditari, & vires sumere ad oppugnandum Christianos: at hoc falsissimum est; nullam enim ex ipsis vtilitatem habet, quandoquidem eæ vel expendantur in Præfectos & ministros Ierosolymitanos, vel in alimenta pauperum, vel in necessitatem Hospitalis eorum Ierosolymis exstructi, vel in sustentationem Fratrum & peregrinorum, vel in reparationem ædium sacrarum in locis sanctis constructarum. Quare cùm omnes vel pæne omnes Ierosolymis consumantur, à ratione alienum est, dicere, quòd eleëmosynas ad loca sancta mittere, sit arma submittere Turcarum Imperatori, quibus nos Christianos oppugnet.

Præterea, etsi omnes istæ eleëmosynæ ærario vel thesauro Turcici Imperatoris accederent, quid inde? dato enim, quotannis decem vel viginti aureorum persolui millia, an hæc summa tanta est, vt Turcæ vires inde augeri dici queat? quid, quæso, hæc pro ærario tanti Monarchæ? aut quid tantillum pecuniarum efficeret ad Christianos oppugnandum? Et quamuis aliquid efficeret, num Deus aliunde neruos illi præcidere, potentiamque eius minuere, Christianorum verò augere posset, qui pro illius gloria & honore tuendo se propriis priuarunt diuitiis?

Magnus Turcæ nomen datur ex eleëmosynis Ierosolymã transmissis.

Sed quandoquidem tam teneræ conscientiæ sunt isti, vt non dandas esse locis sanctis eleëmosynas contendant, ne hostibus nostris arma dentur, quibus Christianam Religionem oppugnent, dicam verbum vnum. Optarim vt Principes Christiani, & eorum ministri attentiùs inuigilarent, nec permitterent ex suis statibus & Regnis tantam & propè incredibilem auri copiam ad regiones infidelium absportari: stupendum enim est videre, omnes nummos, qui vel Cairi, vel Aleppi, aut aliis Turcarum frequentioribus ciuitatibus expenduntur atque teruntur, esse monetas Principum Christianorum? Hem! quot auri & argenti myriades quotannis Massilia, Venetijs, ex Sicilia, aliisque Christianorum Principum oris (quia vidi, confidentiùs loquor) deferuntur Aleppum, vel Cairum, vt alia loca præteream? quorum respectu vix oboli instar sunt eleëmosynæ Ierosolymam missæ vel mittendæ: & tam stupidi sunt isti argutatores argutuli, vt non considerent, quantum inde diuitiarum atque facultatum accedat Turcæ contra Christianos? plus sanè, quàm si

Ex multo auro & argento à Christianis transmisso ad has partes Turca ditatur.

ad

ad eum plenis nauibus mitterentur tormenta bellica, enſes, plumbum, ferrum, & ſimilia prohibita, quibus bellum geritur. Vt enim bellatores viri teſtantur, nummi, argentum & aurum ſunt neruus belli, quibus tum incipitur tum conſummatur. Id nos edocet Spiritus ſanctus: legimus enim, S. Iacobum Patriarcham, morti proximum, partem quamdam hereditatis donaſſe Ioſeph extra communem partem filiorum, hiſce verbis: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*, Geneſ. 48, 22. Quæ verba expendens D. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis, inquit: *Dabo tibi Sichimam, quam emi in fortitudine mea, hoc eſt in pecunia, quam multo labore & ſudore acquiſiui.* vbi vides, pecuniam, fortitudinem & arma idem eſſe.

Pecunia neruus belli.

Armati quomodo Iſraëlita ex Ægypto aſcenderint.

Ad idipſum clariùs etiam legimus in Exodo, vbi loquens Moyſes de exitu filiorum Iſraël de Ægypto, inquit: Et *armati aſcenderunt filij Iſraël de terra Ægypti*, Exod. 13, 18. At quomodo armati aſcendere potuerunt, cùm arma habere eſſet illis ab Ægyptiis interdictum, quòd nimirum metuerent, ne aliquando, ipſis fortiores effecti, iiſdem in ſuam perniciem abuterentur, ideoque ipſos velut ſub iugo oppreſſos tenebant? Scio varias eſſe loci huius verſiones & interpretationes, tamen à veritate hanc non arbitror eſſe alienam, ideò dici armatos aſcendiſſe, quòd aſcenderint vaſis aureis & argenteis & ſupellectili pretioſa, ab Ægyptiis mutuo accepta, onuſti, vt dicitur in eodem Exodi libro: quia enim cum huiuſmodi poſſumus bella mouere, ideò armorum nomine nuncupantur. Manifeſtiùs hoc poſteà dixit Dauid, de eorum egreſſu verba faciens: *Et eduxit eos cum argento & auro*, &c. Pſal. 104, 37.

Reſponſio ad ſecundum.

Alterum argumentum eſt perſimile querimoniæ illi Iudæ de Maria Magdalena, quæ vnxit pedes Ieſu vnguento pretioſo, cuius obſequio detrahens proditor, dixit: *Quare hoc vnguentũ non venit trecentis denariis, & datum eſt egenis?* Ioan. 12, 5. At ſubdit Euangeliſta: *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebãtur, portabat*, verſ. 6. Et Saluator ſua reſponſione litem dirimit, inquiens: *Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud. Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis*, verſ. 7. Ita & iſtis dicendũ eſt obſequium exhibendum eſſe ſacratiſſimo ſepulchro Chriſti, quia id vnicum eſt, ideoque maximi æſtimandum. Pleriſq; Hoſpitalibus de ſufficientibus mediis prouiſum eſt, & pauperes alij aliunde eleëmoſynas colligere poſſunt: nec ſanè Hoſpitalia aut pauperes iſti Chriſto & pauperibus eius in ſanctis locis habitantibus anteponendi ſunt. Præterea non tanta auri copia pro locorum ſanctorum conſeruatione expetitur, vt propterea adeò imminuendæ ſint pauperum & piorum locorum eleëmoſynæ, vt detrimentum aliquod inde eis ſit acceſſurum: & quamuis accederet, minus tamen id malum eſſet, quàm ſi loca ſancta deſererentur.

Vtinam darentur catellis pauperibus micæ, quæ de opulentiſſimis & Regiis menſis dominorum ſuorum cadunt! Optarim vt ſubtraherent iſti nonnihil immodicis ſumptibus, quo Hoſpitalibus & pauperibus Chriſtianitatis ſubueniatur, non verò imminuerent eleëmoſynas erogandas locis ſanctis. Deinde, num Conuentus noſter S. Saluatoris in Ieruſalem hoſpitale non eſt, vbi, quotquot ex omnibus mundi partibus eò veniunt peregrini & aduenæ, excipiuntur ſumma, quàm eis exhiberi poſſit, charitate, vt experti teſtari poſſunt; de omnibus enim illis prouidetur. Et ſi contingat illis deeſſe neceſſaria ad redeundum in patriam ſuam (quod non rarò contingit) prouidetur eis à Fratribus de viatico. Quòd ſi iam non ſubueniretur noſtris aliunde, vnde, quæſo, ſubuenirent illi pauperibus? & numquid pauperes illi recurrerent ad Turcas vel alios infideles? Omnium quidem cura habenda eſt, maximè tamen domeſticorum fidei. Eleëmoſynæ vtique locorum ſanctorum non extorquentur vi, ſed omni ſuauitate & humanitate quæruntur oſtiatim. Neque enim, vt vetuſtiſſimi Tertulliani verbis vtar, quibus ipſe in Apologia cap. 39. vſus eſt, *pretio vlla res Dei conſtat, etiam ſi quod arcæ genus eſt, non de ordinaria ſumma, quaſi redemptæ religionis congregatur: modicam vnuſquiſque ſtipem, menſtrua die, vel cùm velit, ſi modò velit, & ſi modò poſſit, apponit: nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt: nam inde non epulis nec potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis*, &c.

Conuentus Minorum Ieroſolymitanus hoſpitium & hoſpitale peregrinorum eſt.

Tertium argumentum, quod ſub nomine quidem, ſed non ex mente Catholici Regis, nec vera ratione proponitur, mihi quidem videtur inſulſiſſimum. Si enim ex Regiis facultatibus aliquæ darentur eleëmoſynæ locis ſanctis, ſicut dantur aliis pauperibus, imò etiam quandoque Eccleſiaſticis minùs egentibus, aliiſve piis locis, non minùs ſatisfieret debitis Catholicæ Maieſtatis p. m. Sed quare mouent iſti hanc difficultatem circa eleëmoſynas locis ſanctis erogandas, & non potiùs circa alias maiores & omnino ſuperfluas expenſas? Ergo loca ſancta erunt fæces & excrementa

Reſponſio ad tertium.

mundi

mundi (horreo) & nihili facienda? Igitur Catholicus Rex, à prædeceſſoribus ſuis piiſſimis, qui ſemper erga ſancta loca liberaliſſimi fuerunt, eaque ſemper ſubſidiis & gratiis ſuis fouerunt, degener erit? Abſit id de tanto Monarcha, & Religionis Catholicæ vnico propemodum fulcimento, cogitare.

Prætereà, quæ Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo reddenda ſunt, vt dixit Saluator, & Deus Cæſari anteponendus eſt; vtique, dum debetur Cæſari, id eſt hominibus, & ſimul debetur Chriſto in locis ſanctis, priùs Deo in locis ſanctis ſoluendum erit. Titulo & inſignis Regni Ieroſolymitani vtitur Rex Catholicus, & domus ac Regiæ ſuæ, in his quæ ad eum ſpectant, curam non habebit? Tantis vtriuſque orbis diuitiis atque theſauris ditauit Regem Catholicum prouidentia diuina, vtique in bonum Religionis; & ſanguiſugæ nonnulli dicent, pro Terræ ſanctæ conſeruatione vix obolum, vt ita dicam, expendendum?

Iuſtitia pro gratuita pietate deferenda non eſt.

Scio Phocionem Athenienſem laudari, quoniã rogatus (vt Plutarchus in Apophthi: ſcribit) vt pro ſacrificiis faceret eleëmoſynam, reſpondit: *Iniurius & impudens profectò ſim, ſi ad rem diuinam vobis depoſcentibus, aliquid dare animum induxero, huic autem Callichi* (qui eius creditor erat, & quem digito monſtrabat) *nihil dedero.* Satius enim iudicabat ſapiens iſte, creditori ſatisfacere, quàm hoſtiam diis immolare. At diſſimilis eſt caſus noſter. Ex iuſtitia tenebatur ille creditori, at non perinde ad eleëmoſynam faciendam, quare meritò pro creditore prætermiſit eleëmoſynam. Sed non ſic eſt in propoſito: ſi enim aliis debet Rex Catholicus, debet etiam Chriſto in locis ſanctis, qui vtique iure prælationis gaudet.

Regula Theologica.

Non aduerterunt, vel ſaltem aduertere neglexerunt ſcioli illi communem illam & ab omnibus receptam Theologorum doctrinam: Quando duo ſe offerunt præcepta ſimul obſeruatu incompoſſibilia, quod maius & præcipuum eſt, in alterius præiudicium obſeruari debet. Ecce caſus. Catholicus Rex (quem Deus pro ſua miſericordia diu incolumem ſeruet) tenetur ſatisfacere propriis debitis Deo & debitis patris ſui: ſed quis non videt, ex his duobus debitis prius poſteriori præferendum eſſe? Debet Rex Ieruſalem, & Protector fidei, priùs domui ſuæ ſollicitudinem gerere, & quæ ad Deum ſpectant curare, poſteà aliena & quæ homines reſpiciunt; itaque etiam priùs ſatisfaciet locis ſanctis, & prouidebit pauperibus ibi habitantibus; & quod ſupererit, in alios diſtribuet.

Legimus libri tertij Regum capite 17. eo tempore, quo ob diuturnam ſiccitatem magna terram Iſraëliticã premeret fames, miſſum fuiſſe à Deo Eliam Sarephtham Sidoniorum, vbi pauperculæ cuidam viduæ præceptum erat vt ſanctum Prophetã paſceret. Quò cùm peruenisſet Elias, inuenit viduam, quæ panem omnino non habebat, niſi parum farinæ quantum pugillus capere poſſet, & pauxillum olei; quæ & colligebat ligna, vt domum regreſſa ſibi & filio pararet quod comederẽt, & poſteà morerentur. Videns hoc Elias, diuino ſpiritu actus dixit: *Noli timere, ſed vade, & fac ſicut dixiſti: verumtamen mihi primùm fac de ipſa farinula ſubcinericium panem parunlum, & affer ad me: tibi autem, & filio tuo facies poſteà*, 3. Reg. 17, 13. Sed bone Deus, vt quid præcipitur indigentiſſimæ viduæ, vt paſcat Eliam? Nónne ſatius fuiſſet, id ipſum commiſſum fuiſſe Regi, vel alteri diuitiis affluenti, qui habuiſſet vnde commodè ſibi & patienti neceſſitatem tribueret? Et quomodo præceptum fuit, vt illa primò paſceret Eliam, deinde ſeipſam & filium ſuum ad horam ſuſtentaret?

Reſpondent aliqui, ideò ad exhauſtam & indigentiſſimam illam viduam miſſum fuiſſe Eliam, illique præceptum fuiſſe datum paſcendi Prophetam (hoc eſt, vt quidam explicant, Deum mouiſſe cor viduæ per amorem & charitatem) vt non iuſſa, nec coacta, ſed libens & hilaris Dei & Prophetæ mandatum impleret; & quantò maior erat ipſius inopia, tantò magis eiuſdem charitas & pietas effulgeret.

Dei ſerui aliis præferendi ſunt.

Præcepit verò, vt de exiguo farinæ, quod vix ſibi & filio ſuo ſufficere videbatur, priùs Prophetam paſceret, & ſi quid ſupereſſet, ſibi & filio ſuo ſatisfaceret, vt intelligeremus, priùs ſubueniendum eſſe Dei ſeruis, qui in ſpiritualibus & in his quæ ad Deum ſpectant ſe exercent, deinde aliis, etſi intimiſſimis, ſuccurrendum. Qua etiam ratione in veteri lege præceptum fuit, vt primitiæ Deo & Sacerdotibus offerrentur. Nec ideò viduæ timendum erat, quin de reſiduo poſſet ſibi & filio ſuo ſatisfacere poſteà; quoniam quæ in pauperes Deique ſeruos diſpenſantur, non perduntur, ſed cuſtodiuntur; non conſumuntur, ſed velut ſemina, vt in magnas ſegetes vberiùs & abundantiùs accreſcant, fertiliſſimæ terræ, manibus pauperum committuntur, vt centuplum ibi & vitam æternam producant. Quare Cyrillus lib. 3. in Ioannem cap. 18. *Quantò plura dabis liberaliter ac miſericorditer, tantò tibi plura largiùs confluent.* Sicut ex quinque hordeaceis panibus, in eos qui Chriſtum Dominum ſecuti fuerãt diſtribu-

Liberè dantibus Deus bona multiplicat.

tis, duodecim cophinos superfuisse nouimus, & quinque hominum millia saturata. Verè itaque Basilius Homilia in Diuites auaros: *Quemadmodum frumentum in terram cadens, lucrum proiicienti parit, sic & panis in esurientem proiectus, multam in posterum tibi reddet vtilitatem*, &c. *Date, & dabitur vobis*, dicit Saluator Lucæ 6, 38. Ideò & Elias vi luæ dixit: *Hydria farinæ non deficiet, & lecythus olei non imminuetur vsque ad diem in qua Dominus daturus est pluuiam super terram*, vers. 14. Adhæc datâ operâ iussit Propheta prius sibi coqui subcinericium panem, vt abundantiam ex illa charitate prouenisse intelligeremus.

Ita & ego dicerem, Deum præcepisse Catholico Regi, vt pasceret seruos Dei Ierosolymitanos, & primò pauxillum farinæ suarum diuitiarum in eorum & locorum sanctorũ sustentationem distribueret, postea aliis satisfaceret.

Pauper misericors magis commendatur.

Esto item, pauperior iam sit, & ære alieno grauatus: sed si eo in statu subueniat locis sanctis, magis illius apparebit pietas, & commendabitur misericordia, quòd sibi necessaria subtrahat pro subuentione locorum sanctorum: quemadmodum & paruula illa vidua, quæ duo æra minuta misit in gazophylacium, multùm fuit à Christo Domino commendata, & ditioribus mittentibus munera lautiora prælata, quòd plus quàm omnes miserit; quia alij ex abundanti, illa autem ex eo quod deerat illi, omnem victum suum, quem habuit, miserit, vt dicitur in Euangelio.

Ob eleëmosynas non minuuntur sed magis augentur facultates.

Nec ob id Regnum vel facultates eius diminuentur, sed augebuntur potiùs. *Hydria farinæ non deficiet*, &c. dixit Propheta. Et vnde, quæso, Austriaca Domus adeò sublimata est, vt Principes, Reges & Imperatores pariat? Profectò, vt plures fide digni testantur Historici, ob eximiam illius erga Deum pietatem. Quare & semper magis exaltabitur, si ab ea non deficiet, præcipuè à subuentione locorum sanctorum, in quibus Christus natus & mortuus est, vbi nostram operatus est salutem, vbi ianuas cæli & beatitudinis thesauros aperuit. Et quòd Regnum ipsius quotidie dilatetur, credo cum pluribus piis & prudentibus, fieri propter eximiam eius in Deum & sponsam eius Ecclesiam pietatem. Est enim fidelis & munificus Deus, nec liberalitate patietur se ab hominibus vinci, sed pro vno centuplum, & vitam æternam donabit. Ad hoc faciunt quædam notata suprà Cap. XXXIV. in secunda causa profanæ peregrinationis.

CAPVT XLV.

Amplius explicatur præcipuorum Principum Christianorum pietas, feruor & zelus in subueniendo sanctissimis Terræ sanctæ locis, & quomodo suis in ea collatis beneficiis tum se tum alios ad illis subueniendum prouocauerint.

VT quod assumpsimus argumentum magis ac magis explicetur, & propter egregia heroicaque opera Christiani Principes, ac pij fideles, de sanctis locis bene meriti, laudentur, laudataque virtus semper magis in posterum crescat, ad similia desides excitentur, ac perperàm de illis sentientes confundantur, vel, vt melius dicam, corrigantur, placuit & hoc eiusdem argumenti Caput addere, oculis nimirum omnium subiicere aliquorum Christianorum Principum & fidelium pietatem, zelum & feruorem in subueniendo sanctis Palæstinæ locis.

Hoc verò dum mecum considero, videtur mihi accidere locis sanctis, & in eisdem post Christum natum habitantibus fidelibus, præcipuè hisce posterioribus sæculis, quod eisdem contigit ante illius felicissimum ortum. Tunc scilicet plures vtriusque ordinis, tam Ecclesiastici quàm sæculares, in summa dignitate constituti viri illorum salutem sibi commendatam habebant, vnus quidem hoc, alius alio modo. Et quamuis singuli tantùm singula, omnes tamen omnia quæ illorum bono necessaria erant, secundùm à Deo sibi datam gratiam præstiterunt, implentes quod posteà constituit Apostolorum Princeps, dicens: *Vnusquisque sicut accepit gratiam illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*, 1. Petr. 4, 10. Nostris posterioribus temporibus tum Ecclesiastici tum sæculares Principes, & alij pij & fideles homines diuersis modis suam erga eadem loca munificentiam & liberalitatem ostenderunt, implentes in seipsis, quod in illis fuerat adumbratum.

Ecclesiastici ac sæculares Principes semper de sanctis locis bene meriti.

Summi olim Sacerdotes, & alij inferioris ordinis, cum ceteris è tribu Leui ortis scribis & Pharisæis templo Ierosolymitano, & toti Terræ sanctæ in spirituali illius temporis ministerio inseruiebant: nunc item Summi Pontifices & alij Ecclesiastici Euangelicæ legis ministri, eadem sacrosancta loca gratiis & peculiaribus priuilegiis condecorarunt & exornarunt, vt tum alibi tum in primis Libro II. qui fuit de priuilegiis Terræ sanctæ, abundè explicuimus. Et cuiusuis

iuſuis generis Chriſtiani eadem peregrinationibus, ſacrificus aliiſque diuinis Officiis & orationibus frequentant & venerantur, & pro viribus operam & ſtudium impendunt & impenderunt, vt alibi ſimiliter fuit dictum.

Olim per Ioſue, Iſraëlitici populi Ducem, fuit Terra illa occupata, per Iudices & Reges ab inuaſoribus defenſa, per Dauidem & Salomonem Reges plenæ libertati aſſerta, pluribus inſuper eximiis atque magnificis ſtructuris & ædificiis, opibus quoque & diuitiis in immenſum aucta, vt ſilentio prætream qui eis ſucceſſerunt Machabæos & alios, qui priſcis illis temporibus facinora multa in gratiam eiuſdem regionis ediderunt. Poſterioribus ſæculis à Chriſtianiſſimis Principibus, & ſingulariter à Gallis, fuit è manibus infidelium eruta, ex profano ſacrilego cultu, pio & Catholico reſtituta, templorumque erectione & reparatione mirifice nobilitata, vt ex alijs dictis & dicendis interiùs liquidò apparet. Nolo hic prætetire, quod pacis fœdere facto inter Henricum IV. Galliarum Regem & Hamat Turcarum Imperatorem anno Domini 1604. in gratiam eiuſdem Regis decreuit Imperator ille pro peregrinis ad ſanctam Ciuitatem diuertentibus, & pro Religioſis in eadem habitantibus, in hanc modum dicens: *Volumus & iubemus, vt Galliarum Regi ſubditi & amici, ſub vexillo ſuæ protectionis poſſint liberè ire & inuiſere loca ſancta Ieroſolymorum, nullúmque nocumentum illis detur. Deinde ob honorem & amicitiam eiuſdem Regis, volumus, vt Religioſi ibi commorantes, Eccleſiæq; ſanctiſſimi Sepulchri inſeruientes, poſſint ſtare, ire, venire ſecurè abſque moleſtia & detrimento, & benè recipiantur, protegantur & adiuuentur conſideratione ſupradicta.* Et ipſorum Chriſtianiſſimorum Regum, eorumque Oratorum operâ, ab Imperatore Turcarum, & eius miniſtris multa obtinent Franciſcani Fratres pro locorum ſanctorum conſeruatione neceſſaria.

Galliarum quoque Reges & Principes.

Priuilegia ad inſtantiam Regis Chriſtianiſſimi à Turcarum Imperatore peregrinis Fratribus Terræ ſanctæ conceſſa.

Quid de Catholicis Regibus dicemus? Diuina olim prouidentia factum fuit, vt S. Ioſeph, magni Iacob Patriarchæ dilectiſſimus filius, tempore magnæ famis eſſet in Ægypto Princeps, vt collectas fruges tempore vbertatis ſapienter diſpenſaret tempore caritatis, prout verè diſpenſauit, quare & Saluator mundi fuit appellatus: qui quamuis omnibus profuerit, nihilominùs pro fratrum ſuorum filiorum Iacob ſalute fuit ſingulariter deſtinatus, vt idem ipſemet fratribus ſuis timore perculſis hiſce verbis ſignificauit: *Nolite pauere, neque vobis durum eſſe videatur, quòd vendidiſtis me in hic regionibus: pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Aegyptum*, &c. *Præmiſit q. me Deus, vt reſeruemini ſuper terram, & eſcas ad viuendum habere poſſitis*, &c. Genes. 45. 5. Ita arbitror Deum optimum maximum imperſcrutabili & infinita prouidentia ſua effecille, vt Catholicus Hiſpaniarum Rex eſſet magnus inter omnes Europæ Principes, vt opibus affluceret, Imperium ſuum vſque in vtraſque Indias procul extenderet, & Regis Ieroſolymitani dignitate frueretur, omnibus quidem Eccleſiis & Catholicis eſſet adiumento, ſed præcipuè Terræ ſanctæ, & magni Patriarchæ Franciſci filius, regimini locorum ſanctorum deputatis, opem ferret, prout vere affert, ab ære illos alieno, ab iniuſtis exactionibus & angariis, quibus grauantur ſubleuans, aliaq; honeſtæ conſeruationi & decori locorum ſanctorum neceſſaria ſuppeditans.

Reges Catholici pro adiumento locorum ſanctorum diuinitus ordinati.

Nec prætereunda eſt piiſſima & Sereniſſima Venetorum Reſpublica, quæ ſanctiſſima loca plurimis ſemper gratijs ac fauoribus eſt proſecuta. Hebræi olim propter ſua diſſidia & peccata è Terra ſancta electi, & in captiuitatem Babylonicam abducti merunt, Ieremia cum paucis alijs in ea ad excolendam terram relictis, vt ſacra Regum teſtatur hiſtoria. Noſtris etiam ſæculis propter diſſenſiones Chriſtianorũ Principum, & propter ſcelera populi, ex eadem electi fuerunt magno cum dedecore Chriſtiani, ablatũ ab illis Regnum Dei, & datum genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, Mauris inquam & Turcis, vt omnes tradiderunt Hiſtoriæ, noſque iam oſtendimus, & in præſentia non ſine lacrymis intuemur: verùm diuina prouidentia diſpoſitum eſt, vt relictum ſit in ea modicum adhuc ſemen, modicos dico & pauperes colonos Franciſcanos Fratres, vt ibi excolerent vineam Domini ſabaoth, ſanctamque Eccleſiam & loca ſancta venerarentur & cuſtodirent.

Reſpublica Veneta.

Et quemadmodum illo tempore relictum inter infideles & barbaras gentes attritum & afflictum Iudæorum genus, morti & ruinæ proximum, aliquando Nehemiæ beneficio gratiam apud Regem inuenit, aliquando Eſther Reginæ gratia ab interitu liberatum eſt: ita & puſillus Chriſtianorum grex, habitans, velut in tuguriis & caulis, in deſertis locis Terræ ſanctæ, inter acerrimos hoſtes inimicos Crucis Chriſti, fuiſſet de illis penitus eliminatus, niſi adfuiſſet per miniſtros egregios, velut alter Nehemias, Venetorum Dux, & velut altera Regina Eſther, Sereniſſima pariterque piiſſima illa Reſpublica. Vt enim Nehemias inuenit gratiam apud Longimanum Arta-

In Eſther Regina præfigurata.

xerxem, vt Ieruſalem & templum Domini reædificandi facultas ei daretur, vt ſacra Eſdræ prodit hiſtoria: ita Sereniſſimi Ducis beneficio, qui gratiam apud Turcarum Imperatorem obtinuit, factum fuit, ne templum ſacratiſſimi Sepulchri Domini Ieroſolymis excitatum, & alia ſancta Palæſtinæ loca, ſolo ab infidelibus æquarentur. Et ſicut Regina Eſther inuenit gratiam in conſpectu Aſſueri Regis præ omnibus aliis feminis, Deo ita diſponente, pro ſalute populi Dei (in hunc enim modum de ea loquitur diuina Scriptura: *Et adamauit eam Rex pluſquam omnes mulieres, habuitq; gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres*, &c. Eſther 2,17. & ad eam dixit poſteà auunculus eius Mardochæus: *Ne putes, quòd animam tuam tantùm liberes, quia in domo Regis es præ cunctis Iudæis: ſi enim nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi, & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis nouit, vtrùm idcircò ad Regnum veneris, vt in tali tempore pararetis?* cap.4,13.) ſic & clariſſima ſpiritualibus & temporalibus bonis Venetorum Reſpublica, vt altera Regina Eſther præ ceteris Rebus publicis, Regnis & Imperiis apud Turcarum Imperatorem videtur inuenisſe gratiam.

In adiutorium Sanctorum locorum ordinata.

Loca ſancta commendata à Duce ac Senatu Veneto ſuis Oratoribus Conſtantinopolitanis.

Reticeo in huius probationem ea, quæ fortè aliquos offenderent, à Deo tamen obliuioni minimè tradentur. Memoria tamen publica dignum eſt, quòd Sereniſſimus Venetorum Dux, ac Illuſtriſſimus ille Senatus, ſuis Oratoribus ſiue Baiulis, vt ipſi eos appellant, Conſtantinopoli apud Turcarum Imperatorem degentibus mandauerit, vt ſemper omnem operam impenderent, nec parcerent laboribus & ſumptibus pro ſalute ſanctorum locorum, vt ſatis conſtat. Vnde S. R. E. Cardinales pro tam illuſtri & heroico opere illis gratias rediderunt. Omitto, quòd pleraque mandata, quæ vel à Magno Turca vel eius Viſiro mittuntur in fauorem locorum ſanctorum & Fratrum, pia illorum inſtantia & cura procurentur, vt expertus ſum ipſe, & oculis meis vidi. Non poſſum quin ſubiiciam illuſtriſſimum excellentiſſimi Hieronymi Capelli factum, perpetuis monimentis conſignandum, & à nobilibus Scriptoribus decantatum. Retulit illud Bonifacius Vannozius Doctor Piſtolenſis, & Apoſtolicus Protonotarius Tom.2. ſuarum Miſcellanearum Epiſtolarum pag.498. prout accepit ex litteris D. Ioan. Petri Ayroldi Marcellini, quæ eodem Tomo inſertæ ſunt, quarum fragmentum, noſtro inſtituto inſeruiens, quod legitur ibidem pag.500. ſic habet: *Sed vt verum fatear, nulla me res alia ſolet adeò ſollicitare, quantum officij ratio & obſeruantia, quam illuſtriſſimo & amplißimo Senatori Hieronymo Capello Aloyſij filio, propter eius in me ſumma non dico merita, ſed beneficia debeo. Hinc tuo aureo, Vannozi diſertißime, mihi ornes præter ceteros velim in tuis litteris, quantum potes, potes autem quantum hac ætate nemo. Deuinxeris autem tibi, omitto Marcellinum tuum, quem ſemper habes, vt noſti, vehementer obſtrictum, verùm deuinxeris tibi non potentem Senatorem, ſed & omnibus virtutibus ornatißimum virum, à quo, tamquam omnium gratißimo, ſumma omnia expectare poßis, quem tot ac tanta circumſtant cùm ſua propria tum ſuorum laudes, vt quidquid ornando dixeris, id planè ſuum eſſe videatur. Is igitur plurimas res olim, cùm legationibus operam dabat, pro ſua patria geßit. Vnam commemorabo tantùm, ex qua de reliquis coniecturam facito. Erat hîc Bizantij Reipubl. ſuæ Legatus (Veneti Baiulum appellant) apud Meemetem Turcarum Regem, eo ſanè tempore, cùm ille Tyrannus acriter edixerat, vt Chriſti Seruatoris noſtri Sepulchrum in ſancta ciuitate funditus demolirentur, & locum illum prorſus obruerent, & ne vllo vnquam tempore id inſtaurari poßit; aliud Turcicum templum (Moſcheam appellant illi) magno ſumptu ſuperædificarent. Quæ quidem res ingenti mœrore Chriſtianos omnes tum affecit: corruebat enim vnà cum illo ſanctißimo Sepulchro tota Chriſtiani nominis exiſtimatio. Summũ dedecus inſtabat, lugebant omnes, ac illius loci parietes exprobrare nobis inertiam videbantur. Quid igitur agendum? Nemo rem hanc attentare, nemo calamitatem deprecari tum audebat. Regis Gallorum Legatus negabat impetrari quidquam ab impio pertinaciq; poſſe, diffidebant omnes. Solus in tanta omnium deſperatione Hieronymus Capellus Chriſti defenſionem & Reipublicæ Chriſtianæ patrocinium ſuſcepit. Adiit igitur audacter ad ſummum Imperatoris Præfectum (primum illi dicunt Viſirum) eloquentiæ ſuæ vires excutit omnes & explicat, Præfectum alloquitur, terret, impellitq; non ſolùm vt edictum illud reuocandum curet, ſed etiam efficit, vt alteri edicto, magnis propoſitis pœnis cauetur illi Sepulchro, ne quis in poſterum ea de re verba faciat. Quamobrem vnius viri Hieronymi Capelli operâ factum eſt, vt Sepulchrum Chriſti, quod in perpetuum veneremur, haberemus ſartum tectum ab omni ſcelere. Obſtupuerunt hac tanta re perfecta Principes omnes, & ij præcipuè, quos vehementer ea res attingebat, Cardinales Romani, quorum extant ad ipſum litteræ, de tanta re geſta gratias agentes. Habes igitur paucis ſummam hominis prudentiam. Velim vt non minor ſit in te voluntas & ardor*

Hieronymi Capelli Baiuli Veneti virtute ſeruatum Dominicum Sepulchrum.

huius

huius exprimendi tuis litteris pulcherrimi facti, quàm in ipso fuerit eo tempore in redimendo sanctißimo Sepulchro pietas & industria. Hoc egregium factum accuratiùs te docebit, si plura scire cupies, D. Galeotus Anfaducius, huius Pontificis Maximi Pauli V. Camerarius secretus, & participans: is enim tum cum Illustrißimo Capello Bizantij fuit, & huic negotio, sicut & pluribus aliis interfuit. Te valere opto, & nos amare. Venetiis decimo Cal. Decembris 1606.

Io. Petrus Ayroldus Marcellinus.

Eximiorum virorũ exempla proponuntur, vt ad similia facienda alij excitentur.

Et ad quid hæc, quęso, commemorantur? vtique vt alij ea considerantes, ad similia facienda prouocentur, & vmbræ veteris Testamenti veritas in nouo succedat. Magnus Pontifex & militantis Ecclesiæ Doctor S. Gregorius l. 2. Moral. c. 1. reddens rationem, quare Scriptura diuina nobis referat aliorum gesta, dicit: *Scriptura sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, vt interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi enim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus: ibi sentimus quantum proficimus, ibi à profectu quàm longè distamus. Narrat autem gesta Sanctorum, & ad imitationem corda prouocat infirmorum: dumq; illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra confirmat: fitq; verbis illius, vt eò mens minùs inter certamina trepidet, quò ante se positos tot virorum fortium triumphos videt.* Et idem Homil. 10. in Ezechielem post med. Tom. 2. expendens illa Prophetæ verba, *Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram*, supposito alis animalium significatas esse virtutes Sanctorum, quemadmodum ipse explicuit alibi apud eumdem Vatem, & Homil. 4. 7. 8. & 24. ait: *Quomodo ergo vnumquodque animal alas suas excutiens, alteram ad alteram percutit; nisi quòd aperiè datur intelligi, quia si sancta animalia efficimur, virtus in nobis virtutem excitat, dum vna alteram ad perfectionem pulsat?* &c. Et infrà (quod etiam instituto nostro deseruit) reddens rationem, quare non cuilibet datæ sint omnes virtutes, sed vna vni altera alteri tributa sit, vt S. Paulus docet; respondet, ob humilitatem & charitatem inter electos suos conseruandam. *Mira itaque dispensatione*, inquit, *omnipotens Deus sic in electis suis sua dona dispensat, vt & isti det quod illi denegat, & alteri maius, quod alteri minus tribuit: quatenus dum vel iste habere illum conspicit, quod ipse non habet: vel ille hunc maius accepisse considerat, quod sibi minus adesse pensat, dona Dei aliter in altero, id est, vicißim omnes admirentur, atque ex hac ipsa admiratione, humilietur alter alteri; & quem videt habere quod non habet, eum diuino iudicio sibi prælatum putet. Alis ergo suis vicissim se animalia feriunt, cùm sancta mentes alternis se virtutibus tangunt, & tangendo excitant, atque excitata ad profectum volant,* &c. Cùm itaque præclara ex Scriptura sacra sint proposita exempla sanctorum illustriumque virorum, & extra eam similia aliorum Principum heroicis factis & virtutibus præstantium, quibus palàm omnibus fecerunt pietatem & zelum suum erga sanctissima Terræ promissionis loca; illa omnes contemplentur, & ad similia & maiora facienda inuicem excitentur, vt tandem de bonis operibus in præsenti vita summis præconiis extollantur, & in altera glorioſis meritis & coronis ab illo, qui loca sancta consecrauit, condecorentur.

Quare omnes virtutes vnicuique data non sunt.

CAPVT XLVI.

Alius quidam nodus circa eamdem materiam dissoluitur, & rationes nonnullæ afferuntur, quare maiores expensæ factæ sint nostris posterioribus quàm prioribus temporibus, pro conseruatione locorum Terræ sanctæ.

NOn contenti inepti zelatores illi, de quibus Cap. XLIV. fideles & Catholicos fictis & nullius momenti ratiocinatiunculis auertere ab eleëmosynis pro conseruatione locorum Terræ sanctæ faciendis, canino insuper dente admordent eleëmosynarum dispensatores, quasi infideles sint in illarum administratione. Et vt suspicioni suæ plausibile aliquod præstruant fundamentum, dicunt, superioribus annis non tot fuisse eleëmosynas transmissas ex Hispaniis Ierosolymam, vt hisce posterioribus. Ab anno enim 1615. vsque ad annum 1626. quo tempore Commissarij officio pro locis sanctis in Regnis Hispaniæ functus est suprà nominatus P. Martinus de Aratia, ampliores vberioresque fuisse collectas, & Ierosolymam transmissas eleëmosynas quàm anteà, & tunc tamen æquè fuisse loca sancta conseruata, nec tot, vt modò, querimonias auditas. Et cùm ignorent causas maiorum expensarum, incusant de infidelitate ministros, vel quòd colligentes eas, fideliter non mittant Ierosolymam; vel quòd fideliter missæ ibi infideliter & inconsideratè dispensentur. Fuit hæc ratio obiecta dicto P. Martino, vt ex eius litteris accepi: quare bonus Pater rubore suffundebatur simul & cruciabatur, aduertens propter huiusce modi, in præiudicium locorum sanctorum, refrigerari ac ferè charitatem extingui.

Calumnia in ministros eleëmosynarũ Terræ sanctæ.

In bonis operibus impedimenta, quæ in malis tolluntur.

Sed diabolica hæc est tentatio,& euidens calumnia, quæ tot suggerit incommoda, quando locis sanctis & illorum fidelibus incolis subueniendum est: quæ tamen silentur, si gulæ, libidini, luxui, ludis, aliis voluptatibus vacandum sit; & omnia plana,copiosa & superefluentia suggeret pestilens dæmon. Eleganter huc aptari possunt quæ aureum illud os eloquentiæ Ioannes Chrysostomus scripsit Hom. 19.in 2. Epist. ad Corinth. *In ventrem*, inquit, *& intemperantiam insumens, nullius paupertatis memor es; vbi autem paupertatem iuuare oportet, omnibus es pauperior. Et parasitos quidem pascens & adulatores, quasi ex largis fontibus fouens, gaudes: si autem pauperem alicubi videas, tunc tibi paupertatis metus incidit*, &c. De his merito conqueritur Deus apud Isaiam illis verbis,*Ponitis fortunæ mensam*, Isaiæ 65, 11. quoniam fortunæ ludorumque casui, & similibus, argenti & auri copiam sine difficultate offerunt, at pro locis sanctis,& in illis habitantibus egenis,vel obolum expendere negligunt.

De nemine perperàm sentiendū.

Illorum nihilominùs querimoniæ respondeamus,& dissoluamus nodum. An infidelitas committatur in administratione eleëmosynarum Terræ sanctæ, inquirere nolo, iudicabit Dominus causam suam; iudicat tantùm homo quæ foris patet. Quare cùm mihi non constet de infidelitate ministrorum, ne graui labe inficiar,& tamquam temerarius & detractor redarguar, ab huiuscemodi censura abstineo, præsertim quòd à pia mellitissimi Bernardi doctrina recedendum non iudicem, quæ prohibet esse aut curiosum exploratorem, aut temerarium iudicem. *Etiam*, inquit sanctus Doctor Serm. 40. in Cant. *si perperàm actum quid deprehendas, nec sic indices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quòd si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominùs ipse tibi, & dicito apud temetipsum: Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?* Quare nec ego ministros & dispensatores eleëmosynarum Terræ sanctæ de infidelitate reprehendam, præsertim cùm de ea mihi non constet, sed fideles esse ministros,alia persuadeant.

Aliter ergo & multipliciter respondeo difficultati.

Primò: Plures mittuntur & expenduntur nunc eleëmosynæ, quàm aliàs, pro locorum sanctorū conseruatione, ob temporis, Gubernatorum, & aliorum ministrorum ciuitatis Ierusalem variam & crebram mutationem, quemadmodum ob similem rationem hodie etiam maiores consumuntur diuitiæ,quàm aliàs,in partibus fidelium. An non maiores gabellæ, & magis onerosa vectigalia vel tributa exsoluunt nunc Christiani ipsis Christianis Principibus naturalibus, quàm exsoluerint olim? In Italia certè Nobilis,vel mercator, qui non multos ante annos quinquaginta nummis satisfaciebat Principi, modò nec quingentis satisfaciet; atque idipsum accidere etiam in Hispaniæ Regnis,testatus est idem P. Martinus Commissarius. Quid ergo mirandum, si subditi non naturales & alienæ Religionis, tyrannis & non naturalibus Dominis maiores exsoluant nunc, quàm aliàs, expensas, cùm fideles & liberi subditi maiores his temporibus, quàm olim,persoluant naturalibus & Christianis Principibus?

Ministri Terræ sanctæ à calumnia liberantur.

Quare tot expensa fiant in Terra sancta.

Et qui fieri potest, vt potentissimus Catholicus Rex nunc præcipuè sit grauatus ære alieno, non item aliàs? Temporum, inquis,& euentuum varietas est in causa. Dico & ego, temporum & euentuum varietas facit vt modò maiores expendendæ sint, quàm aliàs, eleëmosynæ pro conseruatione locorum Terræ sanctæ, vt patet in libris expensarum & eleëmosynarum.

Quinque peculiares rationes maiorum expensarum nostri temporis.

Sed quinque peculiares adhuc suppetunt rationes, quare ab anno Domini 1615. ac deinceps loca sancta maiorem egestatem ac necessitatem passa sint, propter quam subleuandam ad maiores eleëmosynas recurrere necesse fuit. Prima, quòd aliquando debuerint Terræ sanctæ Fratres pro aliis magnas pecunias Turcis soluere, quibus postea nulla compensatio facta fuit. Et inter multos casus vnum satis vulgatum hîc subiicio. Anno salutis nostræ 1600. non longè à Damiata, nauis Gubernatoris Gazæ sapone onusta à Christianis piratis capta fuit. Anxio ac cogitabundo Gubernatori, quomodo illatum damnum sarcire posset, Turca quidam, qui anteà Melitæ captiuus fuerat, & libertate donatus ad has partes redierat, eiusmodi dedit consilium, vt mitteret Ierosolymam, & à Francis, hoc est à Franciscanis Fratribus, passi detrimenti satisfactionem exigeret. Non fuit is surdus auditor, sed praui consilij diligens executor. Misit itaque Ierosolymam, & à Guardiano, qui tunc erat P. Franciscus Marerba Prouinciæ Brixiensis, restitutionem exegit. Renuit ille, quòd ad id minimè teneretur? & quamuis iste sæpiùs instaret, nihil vnquam obtinuit; nec Guardiano tamen nocere poterat, eò quòd Ierosolyma alterius iurisdictionis est. Non ideò à cœpto destitit Gazensis,sed captata occasione perfecit. Anno nimirum Domini 1603. mense Septembri, cùm iam alius cum noua familia adue-

Digitized by Google

aduenisset Guardianus, P. Cæsarius à Trino nuncupatus, Prouinciæ Romanæ, Guardianus prior cum sua familia discessit ad Christianorũ partes abiturus. Cùm verò Ramam peruenisset, quæ ciuitas subest iurisdictioni Bassæ Gazensis, idque illi innotuisset, illicò ibi detentus fuit, & sub graui pœna ei mandatum est, ne inde discederet, eò quòd Bassa sibi ad vltimum vsq; quadrantem vellet satisfieri. De his certior redditus nouus Ierosolymitanus Præfectus, incunctanter cum Anna Interprete descendit Ramam, quem cum omnibus Fratribus accersiri iussit Gubernator. Adsunt omnes; & ecce grauiter à Tyranno obiurgantur, qui & toruo vultu grauissima quæque minabatur, & non permissurum se palàm edicebat vt inde discederent, nisi damno passo integrè satisfecerint; idque tantò magis (& hoc multùm vrgebat) quòd sciret, Christianorum Pontificem prohibuisse à Christianorum piratis Terræ sanctæ proxima maria infestari, ne inde Terræ sanctæ ac eiusdem peregrinis malum aliquod obueniret. Cùm ergo Christiani mandatum illud violauerint, volebat sibi ab ipsis omnino satisfieri. Nullam prorsus admisit excusationem, sed facta damni supputatione, dixit esse quatuor millium zechinorum: concessit tamen, vt promitterent solutionem, si tunc satisfacere non possent. Vtilius iudicatum fuit acquiescere, quàm inutiliter sæuitiæ ac iniustitiæ tyranni resistere. Promiserunt itaque Fratres se tantum pecuniæ exsoluturos, vt euitaretur maius malum, quod tum sibi tum aliis venientibus ex Christianitate Fratribus & peregrinis, quos sæpiùs Gazam vel Ramam transire contingit, obuenire posset. Tunc adferri iussit Gubernator quatuor sacculos quatuor zechinorum millia continentes, iussitque singulorum Fratrum atque interpretis manibus tangi in ratæ promissionis signum.

Modus promittendi apud Turcas.

Data & accepta solutionis fide (mirabile dictu) ingens quædam piscina, quam toto iam triennio in sui palatij horto fodi curauerat, necdum tamen absoluta erat, subitò corruit, & omnis tot annorum labor & sumptus redditus est inutilis, atque insuper operarij omnes, tam qui inferiùs fabulum effodiebant, quàm qui superiùs illud auehebant, omnes, inquam, cum instrumentis suis, cum ea obruti fuerunt, ad quadraginta & vnum vsque homines, quos inter erant schismatici 34. & Turcæ 7. Palatium quoque ex parte crepuit. Hunc euentum miratus quidem fuit tyrannus, sententiam tamen non mutauit. Quare Fratres graui fœnore accepta pecunia, Gubernatori eam numerarunt. Ita accepi à P. Francisco Cnapio Antuerpiensi, qui ipsemet interfuit, & cum veteri familia ad Christianorum oras reuertebatur. Sæpiùs posteà aliquam saltem compensationem à piratis ex charitate petierunt Fratres, sed nihil obtinuerunt nisi reprehensiones. Respondebant namque perperàm eos talem pecuniæ summam soluisse, & potiùs mori debuisse: quasi quatuor mille zechini sint multorum Fratrum vitæ ac Terræ sanctæ commodo præferendi. Propter huiusmodi solutionem, & soluendas vsuras, maximum damnum passa fuit Terra sancta, quare insolitis eleëmosynis eidem consulendum fuit.

Vnus & quadraginta operarij subitanea fabuli obruuntur.

Circa idem tempus venit Constantinopoli Ierosolymam Illustrissimus quidam dominus cum magno comitatu, visendi gratia sanctum Reparatoris nostri Sepulchrum, habens secum mandata magni Turcarum Imperatoris, quibus singulis locorum Gubernatoribus, per quæ ipsum in itinere transire contingeret, strictè admodum præcipiebatur ne non solùm illum non offenderent, sed honorificè insuper tractarent, atque solitas solutiones & tributa ab huiusce modi persolui solita ei & comitatui eius condonarent. Exactissimè hoc Ierosolymis fuit obseruatum: interim tamen obseruarant Turcæ quot essent in illo comitatu homines, & post illorum discessum à Fratribus vectigal, quod ab illo Domino & familia eius pro accessu & ingressu sanctæ ciuitatis ac Dominici Sepulchri expectabant, summo cum rigore extorserunt, & pro damno illo nihil restitutum est locis sanctis.

Posteà alius euentus priori similis successit. A Melitensibus Equitibus capti Melitamque ducti fuerant quidam Turcæ, inter quos erant aliqui ex ipsorum Religiosis, quod magis Turcas torquebat. Propter hoc quid passi fuerint Fratres, quot sumptus faciendi fuerint, experti nouerunt. Et similes casus in dies occurrunt: qui vt accessorij sunt & insoliti, ita eis etiam insolitis mendicationibus & eleëmosynarum collectionibus consulendum est.

Secunda, quia opportuno tempore non mittuntur eleëmosynæ.

Secunda, quòd opportuno tempore non mittantur eleëmosynæ: hinc enim fit, vt cùm eò perueniunt, non in Fratrum vel peregrinorum necessitates, non in necessarijs pro conseruatione locorum sanctorum exactionibus, & annuaiis, vt vocant, Turcarũ; sed in vsuris exsoluendis consumantur. Hoc sanè verissimum est, quòd ab anno 1616. vsque ad 1620. exclusiuè nullæ omnino ex Christianitate ad Terram sanctam missæ fuerint eleëmosynæ, & tamen intra illud tempus multæ expensæ ex nummis maximo fœnore acceptis, & in ipsis vsuris exsoluendis factæ fuerint.

Tertia, quia modò in infidelium terris eleëmosynæ non colliguntur.

Tertia, ideò tantæ eleëmosynæ non mittebantur Ieroſolymam ex Chriſtianitate, quoniam pleræque in partibus illis infidelium colligebantur, à fidelibus nimirum mercatoribus Aleppi, Cairi, &c. habitantibus, & à peregrinis venientibus. At modò tot non colliguntur: etſi enim illi valdè liberales ſint, quia tamen non tot ibi ſunt, vt olim, mercatores, nec mercimonia æquè frequentia, eò quòd in alias partes diſtracta; & quia non tam frequens eſt modò, vt olim, peregrinorum concurſus, ideò & eleëmoſynæ ibi defecerunt, & maiores ex Chriſtianitate neceſſariò colligi debent.

Quarta, quia neceſſaria victui cariùs venduntur.

Quarta, quia, vt in aliis mundi partibus, nummi iam viliùs æſtimantur, ea verò quæ ad victum neceſſaria ſunt, cariùs venduntur, ita euenit & ibi. Scio tamen, ex hoc ſolo capite non ſubijci debitis loca ſancta, quamuis opulentus eſſet victus, & delicatus veſtitus Fratrum, vt frugalis & vilis eſt.

Quinta, æmulatio conſeruandi locorum ſanctorum iuriſdictionem.

Quinta denique, ſi maiores poſterioribus temporibus factæ ſunt expenſæ, fuit propter rixas & iurgia exorta inter nos Catholicos & ſchiſmaticos pro tuenda locorum ſanctorum iuriſdictione, ne, creſcentibus illorum viribus, loca ſancta noſtræ curæ commiſſa nobis auferrentur (ſicut aliquando de aliquibus accidit noſtro cum dedecore) & apud infideles contemptibiles eſſemus. Poſſem plures peculiares euentus referre, quos breuitatis gratia omitto. Inexpertus non hæc percipit, at capit expertus. Quare non mirum, ſi inſolitæ emendicantur eleëmoſynæ, & plures quàm aliàs mittantur Ieroſolymam; hoc enim neceſſarium eſt. Vnde ſicut olim erant in Eccleſiis menſæ & gazophylacia, in quibus colligebantur eleëmoſynæ in pios vſus conuertendæ, vt ex ſanctis Patribus habemus; & nouis emergentibus occaſionibus, plures exponebantur menſæ, & plures exquirebantur eleëmoſynæ, vt videre eſt apud Cyprianum Epiſtola 60. & poſteà ſemper fuit in Eccleſia obſeruatum, vt nunc experientia docet; & ſicut Principes ſæculares propter noua bella, extructiones ciuitatum, vel earumdem munitionem, ſuis ſubditis noua tributa, grauia onera & gabellas imperant: ita in propoſito noſtro, propter nouas in Terra ſancta exurgentes occaſiones neceſſe eſt aliquando nouas & inſolitas inquirere eleëmoſynas in ſubſidium locorum ſanctorum mittendas.

Qui tribuit, tribuat in ſimplicitate.

Pro huius Capitis coronide dico, *qui tribuit, tribuat in ſimplicitate*, vt Romanis cap. 12, 8. conſulit ſanctus Apoſtolus, certus quòd mercedem à Domino recipiet, ſiue fideliter ſiue infideliter (quod Deus auertat) diſpenſentur eleëmoſynæ. Vt enim Theodoretus & Chryſoſtomus aiunt, explicantes ea Pauli verba 2. Corinth. 8, 2. vbi agit Apoſtolus de pietate fidelium Macedoniæ, dicens: *Altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum*; inexhauſta virtus, & abundantia miſericordiæ, eſt inſtar putei, qui quò magis hauritur, nouas accipit & continet aquas; & quò altior eſt, eò copioſior; & quaſi materna vbera, quæ quò magis lactant filium, eò vberiore lacte redundant. Sed his omiſſis, ad peculiares quaſdam rationes accedamus, quibus probatur locis ſanctis à fidelibus ſubueniendum eſſe.

CAPVT XLVII.

Ex iuſtitia ſubueniendum eſt locis ſanctis.

Fideles omnes, & in primis Principes & Ieruſalem Reges, locis ſanctis ſubuenire tenentur.

QVantum ad id quod tertio loco propoſuimus de obligatione fidelium ad ſubueniendum locis ſanctis, dico, omnes quidem Chriſti fideles teneri ſubſidium ferre, quoniam ad illos pertinent, & ſunt ipſorum Saluatoris propria hereditas, ſed ad idem in primis teneri Chriſtianos Principes, quibus plura talenta dedit Dominus, & inter hos illum ſingulariter, qui ſe credit & gerit Terræ ſanctæ Regem, quicumque ille ſit; & ſi tales plures ſint, omnes ad idem ſingulariter tenebuntur. Hoc ex quadruplici capite probo, primò ex iuſtitia, ſecundò ex miſericordia & pietate, tertiò ob maximum meritum, & quartò denique ex temporali ipſa gloria ex eiuſmodi ſubuentione proueniente.

Ex iuſtitia primò.

Et vt à primo capite ordiamur, tenentur fideles Principes, & in primis Rex Ieruſalem, ex iuſtitia, ſubuenire quibus poſſunt gratijs, priuilegijs & eleëmoſynis, locis ſanctis. Vt enim ſacri docent Doctores, ideò Deus optimus maximus diuites quoſdam alios pauperes eſſe diſpoſuit, vt illi iſtis ſubuenirent, piis operibus inſudarent, hocque pacto vitam æternam ſibi compararent. Igitur ſi iſto fine diuitibus diuitiæ datæ ſunt, ex iuſtitia in pios & pauperum vſus, quæ ſuperſunt honeſto & moderato victui, conuertere debent, ne iniuſti & aliorum bonorum raptores dicantur. *Cur tu dines es, ille pauper?* (inquit Magnus Baſilius Homil. in Diteſcentes auaros) *profectò non ob aliam cauſam, niſi vt tu benignitatis ac fidelis adminiſtrationis mercedem accipias, ille verò patientiæ maximis præmijs honoretur*, &c. Et iterùm Homil. in illud Lucæ 12. *Deſtruam*, &c. *Cur tu abundas, ille verò mendicat? Niſi vt tu bona diſpenſationis mercedem conſequaris, ille verò patientiæ brauijs decore-*

Diuites & pauperes quare ſint in mundo.

ceretur? Eſt panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclaui conſeruas; diſcalceati calceus, qui penes te marceſcit; egentis argentum quod poſsides inhumatum. Quocircà tot iniuriaris, quot dare valens es. Lege D. Thomam 2. 2. q. 32. art. 5. & alios.

Et Chriſtus Dominus, poſtquam reprehendit Phariſæos, quòd intus pleni eſſent rapina & iniquitate, ſubiunxit: *Verumtamen quod ſupereſt date eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*, Luc. 11, 41. Quibus verbis oſtendit, diuites ſub præcepto peccati mortalis obligari ad faciendum eleëmoſynam de ſuperfluis ſaltem, vt graues docent Doctores & ſacri interpretes. Quare & ſecundùm eoſdem eleëmoſyna in ſacra Scriptura iuſtitia appellatur, quoniam à diuitibus ex iuſtitia in pios vſus & egenorum ſubuentionem eſt conuertenda. Ita Iſaiæ 58, 8. *Et anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te.* Et quæ iuſtitia? Illa vtique, de qua priùs dixit idem Propheta: *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſq; induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris*, verſ. 7. Illis enim diuitibus, qui in hiſce iuſtitiæ operibus ſe exercent, æterna Domini gloria promittitur. Et in loco illo Danielis 4, 24. vbi Vulgata habet, *Peccata tua eleëmoſynis redime*, Pagninus ex Hebræo tranſtulit, *Peccata tua iuſtitia redime*, id eſt debita ſubuentione. Et Matthæi 6, 1. vbi Vulgata legit, *Attendite ne iuſtitiam*, &c. Græcè habetur, *ne eleëmoſynam*, &c. quòd ex iuſtitia debeatur. Et pauperem, cui eleëmoſyna debetur, illius dominum appellari volunt ijdem Doctores: ideò vbi Prouerbiorum 3, 27. legimus in Vulgata, *Noli prohibere benefacere eum qui poteſt*; alij habent, *Ne prohibe beneficium à domino ſuo*, id eſt ab eo qui eget. Vbi vides, pauperem dominum appellari eleëmoſynæ, quaſi ei ex iuſtitia debeatur. vnde Lucæ 16, 9. appellantur diuitiæ *mammona iniquitatis*; quia, vt inquit Alenſis Part. 3. q. 38. iniquè retinerentur, ſi non darentur. Et hîc adduci poteſt ratio vna Hammonij, quam cum alijs adducit Gloſſa ordinaria in cap. 15. Epiſtolæ D. Pauli ad Romanos, quare diuites fideles debitores ſint fidelibus pauperibus Ieroſolymis degentibus, quia inquam vnius fidei ſunt, & vnum Deum Patrem habent, fratres ſunt in fide. Omnes enim Chriſtiani, qui fratres ſunt in fide, debitores ſibi ſunt, vt alter alterius onera portet. Igitur qui affluunt diuitijs, tenebuntur ex iuſtitia ſubuenire pauperibus Ieroſolymis degentibus, tum quia pauperes, tum quia vnius fidei cum illis ſunt.

Diuites pauperibus ſubuenire ex iuſtitia tenentur.

Eleëmoſyna iuſtitia dicitur.

Pauper eleëmoſynæ dominus nuncupatur.

Sed dicent ſcrupuloſi illi, hæc quidem vera eſſe, ſed non inde inferri, diuites teneri expendere ſuas facultates, vel pro conſeruatione locorum ſanctorum, vel pro ſuſtentatione Fratrum illorum curam habentium, pauperúmve peregrinorum ad ea venientium; ſatisfacere enim ſi eas in alios pios vſus expendant. Cùm enim, vt docet ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 66. art. 9. multi ſint neceſſitatem patientes, nec poſſit ab vno omnibus neceſſitatibus communibus ſubueniri, commiſſa eſt arbitrio vniuſcuiuſque diſpenſatio propriarum rerum, vt ex eis ſubueniat aliorum communibus neceſſitatibus, prout ipſe faciendum eſſe iudicauerit.

Optima quidem doctrina, quæ tamen priùs à nobis adductæ non officit. Quamuis enim, pluribus neceſſitatem patientibus, non poſſit ab vno omnibus ſatisfieri, ideoque liceat diſpenſatori cui voluerit elargiri eleëmoſynam; veriſſimum tamen eſt, expedire oculos conijcere in eos quibus facienda eſt eleëmoſyna, & vbi & quando fiat aduertere: huiuſcemodi enim circumſtantiæ à viro prudenti & pio obſeruandæ ſunt. Cæleſtis ſponſi & Regis Regum manus oculatæ deſcribuntur in Canticis (*Manus illius tornatiles, aureæ, plena hyacinthis.* alij legunt, *Manus eius cauda pauonis*, Cant. 5, 14.) quia videlicet centum oculis, quorum figuram exprimit cauda pauonis, prouidentia eius diſpicit, quibus cæleſtia & terreſtria munera conferat, operans conſilio manuum ſuarum; docens nos ſimili modo operari, vt egentibus potiùs quàm non egentibus, ſecundùm eorum exigentiam, & Religioſis, verbo & doctrina, Sacramentorumque adminiſtratione in vinea Domini laborantibus, magis quàm ſimplicibus ſæcularibus, & eiuſmodi opera non facientibus, ſubueniamus; & illos magis ſubleuemus, quibus non tot ſuppetunt auxilia, quàm qui in noſodochiis habitant, vel vicatim eleëmoſynam quærunt, quoniam hiſce numquam deficient neceſſaria ſubſidia.

Eleëmoſyna prudenter diſtribuenda.

Sanctus Apoſtolus, qui viſceribus charitatis omnes amplectebatur, nihilominùs pro fidelibus Ieroſolymis habitantibus ſollicitior erat, allata ratione oſtendens illis debitas eſſe Iure eleëmoſynas, vt hæc eius indicant verba: *Nunc igitur proficiſcar in Ieruſalem miniſtrare ſanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facerem in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Ieruſalē. Placuit enim eis, & debitores ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare eis*, Rom. 15, 25. *Quia*, inquit Gloſſa citata, *illi die ac nocte pro ſalute illo-*

Sollicitudo S. Pauli pro Ieroſolymitanis pauperibus.

rum orationibus insistebant, vt fides Christi in eis corroboraretur. Ita & modò dicendum, sanctis Ierosolymis habitantibus pro spiritualibus deberi subsidia temporalia.

Exemplo Domini.

Porrò, quòd præcipuè Terræ sanctæ subueniendum sit, suo exemplo indicauit Dominus, qui eam semper inuisit, vt dicitur in Deuteronomio, omnibusq; spiritualibus & temporalibus bonis ditauit, vt in pluribus sacræ Scripturæ locis videre est; in ea denique regiam suam posuit. *Cuius ignis est in Sion, & caminus in Ierusalem*, dicit Isaias cap. 31, 9. Ratio ipsa persuadet, singulariter ea in honore conseruari debere loca, in quibus nostræ salutis mysteria peracta fuêre, & illorum memoriam obliuioni non tradendam: quod sanè fit, dum subuenitur Religiosis FF. Franciscanis in celsitudine altissimæ paupertatis pro eorumdem custodia ibi vitam vix vitam degentibus. Et hoc mysticè indicatum arbitror in querulis illis Ieremiæ vocibus: *Recordare paupertatis & trãsgressionis meæ, absinthij & fellis*, Isaiæ 3, 19. quibus verbis præmittit Propheta litteram Hebraicam *Zain*, quæ *oculum* significat, vt docent Linguæ sanctæ periti; vt intelligeremus, oculos misericordiæ coniiciendos esse in eum, qui pro hominum salute, cùm omnium ditissimus esset, paupertimus est factus; & qui erat deliciis affluens, felle & aceto potatus, opprobriis saturatus, crucis mortem sustinuit. Quod vt meliùs fiat, oculi mentis à sanctis locis amouendi non sunt, sed illa semper in memoria retinenda.

Locorum sanctorum conseruanda memoria.

Idipsum iterùm in Canticis à Sponsa indicatum videtur illis verbis, quibus dilectam sibi fidelem animam alloquitur: *Sub arbore mala suscitaui te, amica mea, ibi corrupta est mater tua*, &c. Cant. 8, 5. Cùm enim (vt sequamur cuiusdam neoterici vestigia) cælestes illi sponsi, quadam die, animi recreandi gratia, hortum suum perambularent, versus omnem partem respicientes, casu arborem quamdam pulcherrimam offenderunt: tunc sponsus figens pedem ad sponsam conuersus, dixit: Vides, ô charissima, arborem istam, libenter illam respice, nam non nisi magno perfusus gaudio illam contemplor: etenim sub ea genita fuisti, & sub ea parturiuit te mater tua, ibi erat vmbraculum conceptionis & partus tui; quare tu mecum in eam oculos coniice, quoniam pergratum mihi est: vt enim sub ea vitam recepisti, ita sub eadem mihi desponsata fuisti. Ecce mysterium, cælestis sponsus, & sponsa fidelis anima, vnà quidem deambulant, contemplantes omnia Christianitatis templa, velut amœnissimi viridarij loca: sed figit ille pedes in Ierusalem in Terra sancta, ibi steterunt imò crucifixi fuerunt pedes eius, dilectamque hortatur vt eam cum locis suis lustret, &, si nõ corporalibus, saltem spiritualibus mentis obtutibus contempletur; singulariter verò illum electissimum locum, vbi genita per Christi mortem fuit, sibique per fidem desponsata. Igitur quælibet fidelis anima, quantum ei conceditur, figere debet mentis oculos in loca sancta, & oculatas & plenas hyacinthis manus, id est opportuna subsidia admouere, vt Christo dilecto suo morem gerat, tantique fideiussoris gratiam, qui posuit pro ea animam suam, non obliuiscatur.

Quanta Principum obligatio ad loca sancta.

Deinde, illa nobis facta obiectio nihil suffragatur Ierosolymitano Regi, quia ille non de superfluis modò & in sua potestate relictis, sed etiam ex aliis tenetur ratione muneris sui opem ferre locis sanctis, sibi à Deo peculiariter commendatis: quare & si alia sint loca pia, alij pauperes, non tamen nisi magno cum piaculo præferrentur locis sanctis ac pauperibus ibi habitantibus: *Qui enim suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*, vt dixit S. Apostolus 1. Tim. 5, 8.

Dixi, in primis teneri Christianos Principes, & singulariter Ierosolymorum Regem, qui constitutus est à Deo super Sion montem sanctum eius; quia sunt protectores, fautores & defensores sanctæ Catholicæ Ecclesiæ respectiuè secundum talentum à Domino acceptum, atque ideò pro illius defensione ac exaltatione non solùm facultates suas, sed & ipsum sanguinem fundere tenentur. Sed quomodo nomen rei respondebit, si negligant subuenire locis sanctis, vnde vera fides ac Euangelica lex processit, sanctaque Catholica Ecclesia originem & augmentum habuit? *Quomodo enim* (vt Chrysostomus loquitur Homil. 53. ad populum) *sanguinem suum profundet, qui pecunias suas pro Christo effundere timet?* Et quomodo totius Ecclesiæ diligentiam habebit (vt Apostoli argumento vtar) & protector verè dicetur, qui domus suæ, & singularis habitationis Dei curam non habet?

CAPVT XLVIII.

Ex pietate locis sanctis subueniendum est.

NOn ex iustitia modò, vt Capite superiori ostendimus, sed etiam ex pietate, misericordia & religione locis sanctis subueniendum est, quod fuit secundo loco superiùs propositum, & nunc explicandum. Pietas est, opem ferre egentibus, & à prædonibus expoliatis, etiam exteris & alterius profes-

Exteris etiam subueniendum.

professionis. Hinc in Euangelio celebratur pietas & misericordia cuiusdam Samaritani, qui cùm in via inuenisset quemdam, qui descendens ab Ierusalem in Iericho, inciderat in latrones, à quibus non solùm omnibus rebus exutus, sed insuper vulneribus deformatus, & à Sacerdote & Leuita pertranseuntibus immisericorditer neglectus fuerat, illac & ipse iter faciens, & miserè confectum hominem videns, misericordia motus curam illius in se suscepit, vt pluribus explicat S. Lucas Euangelista. Fideles & Fratres Franciscani qui Ierosolymis habitant, sunt quidem viatori illi similes, quia quotidie à latronibus istis, infidelibus inquam Turcis, expoliantur, vapulant, & carceribus fatigantur. Et quare, quæso, similis erga illos non exercenda esset pietas & misericordia, non dicam à Samaritanis & exteris, sed à domesticis fidei? S. Paulus, qui tam studiosus fuit pro colligendis & transmittendis Ierosolymam ad pauperes fideles eleëmosynis, isto vsus est medio, quòd Christiani Ierosolymitani à contribulibus suis, Iudæis scilicet acerbissimis Christi hostibus, bonis suis erant spoliati, & valdè afflicti. vnde in Concilio Ierosolymitano ita Gentium demandatâ sibi curam curæ habuit, vt tamen pauperum Iudæorum memoriam non deponeret. Hinc studiosè collectas pro eis fieri mandat. Perdurauitque ea pia consuetudo in Ecclesia Catholica, vt maiorum exemplo Christiani ex pluribus locis ad eos, qui Ierosolymis essent egentes, mitterent eleëmosynam vsque ad Theodosij tempora, vt suprà innuimus. Et hodie non solùm Christiani pro Christianis, sed etiam Hebræi pro Hebræis, hæretici pro hæreticis collectas in Terram sanctam mittunt.

Pium est, quibus suis Ecclesiis & pauperibus subuenire.

Amplius, opus quidem magnæ pietatis, misericordiæ & religionis est, subuenire per eleëmosynas quibuslibet Ecclesiis Mendicantium, egenorumque Monasteriis, & pauperibus vagis; maioris tamen pietatis & misericordiæ est, subuenire locis sanctis vnde omnis Religio traxit originem, & pauperibus illorũ custodiæ insistentibus, vel peregrinationis gratia illuc venientibus: & nil est magis impium, & à vera Christi religione alienius, quàm tale opus contemnere vel impedire. Infideles ipsi, dum vident Christianos diuites, Regum Principumque Christianorum famulos & aulicos innumeris diuitiis & honoribus cumulari, deauratas domos & Regia planè habitare palatia, & plura ipsis habentibus plura quotidie dari, illa verò loca quæ credant esse sancta, quæ fateantur esse Dei sui vestigiis percalcata, tam fœdè ab iisdem contemni, nec (vt par est) pluris fieri, Christi item pauperes & seruos necessariis carere, & nonnumquam præ inopia deficere, admodum offenduntur, & propterea contemptui & despicatui habent Religionem nostram, quam à Magnatibus ipsis Christianorum vilipendi vident. Hoc me docuit experientia, quæ notabili hoc exemplo confirmatur.

Euentus notabilis.

Tradunt Historici qui res à Carolo Magno gestas scriptis consignarunt, eo tempore, quo strenuus hic Imperator Saracenis acre bellum mouebat, vt eos funditus exterminaret, venisse illorum nomine nuntium & Oratorem, Goliandum nomine, vt cum Imperatore de pace & conuersione ad Christi Religionem ageret. Hunc benignè & honorificè ab Imperatore, vt par erat, exceptum, & cum illo ad mensam considentem, contemplatum fuisse hinc regum mensam pretiosis epulis onustam, vasa aurea & argentea, sellas sericas & deauratas, variamque supellectilem diuitiis & splendore rutilantem, ordinem item & multitudinem ministrorum, quorum quilibet suo vacabat muneri; inde verò pauperculos quosdam, laceris indutos vestibus, nudè humi discumbentes, tenui ac pauperrima mensa contentos; ideoque à Rege quæsiuisse quinam illi essent, qui ab aliis segregati, frugalem cibum in terra caperent. Respondisse Regem, illos esse seruos Dei Christianorum, & à se propter eum ali. Hoc audito multùm miratum, & graui scandalo offensum, Regi dixisse: Serui domus & aulæ vestræ splendidis & diuitibus induuntur vestibus, opiparè epulantur, omnibusque affluunt bonis; & serui Dei vestri vix habent vnde nuditatem tegant, vix victum quo transigere vitam possunt, vt propemodum fame pereant? Hoc sanè euidens argumentum est, vos parum vestrum Deum diligere, cùm eius seruos non honoretis, sed contemnatis; non æstimetis, sed pro nihilo habeatis, adeoque re infecta cum scandalo abiisse. Ita scandalum patiuntur modò infideles, illi præsertim qui in Christianorum regnis aliquando fuerunt, quòd sciant ab illis tot diuitias in luxus, comessationes, vanitates & Dei offensam insumi, & Ierosolymis domum Dei pænè corruere, loca sancta solatiis suis destitui, & seruos Dei, qui illa custodiunt, tam parui ab illis fieri. Sed *væ illi per quem scandalum venit*, Matth. 18, 7.

Ex defectu pietatis fidelium infideles scandalizantur.

CAPVT

CAPVT XLIX.

Præcellentia meriti, quod locorum ſanctorum egeſtati ſubuentione acquiritur, mouere debebat Chriſtianos.

EX tertio capite, videlicet ex magnitudine & eminentia meriti ex ipſa locorum ſanctorum ſubuentione prouenientis, quod dicimus ampliùs comprobatur. Et vt miſſa faciam temporalia bona, quæ nobis propter duas eleëmoſynas ſuppeditantur, *(eſt enim eleëmoſyna ars omnium artium quæſtuoſiſſima*, vt dixit S. Chryſoſtomus Homil. 13. ad populum) aduerto tria eſſe operum genera, quæ Theologi ſatisfactoria pro peccatis, & vitæ æternæ, necnon bonorum etiam temporalium meritoria (ſi expediat) appellant, ieiunium, orationem & eleëmoſynam: alia enim, vt Euangelij prædicatio, Sacramentorum adminiſtratio, peregrinatio ad loca ſancta, opera miſericordiæ, & ſimilia, facilè ad illa tria reduci poſſunt. Igitur qui ſe in his exercet, vbicumque id fiat, multũ ſatisfacit & meretur: ſed multò magis, ſi hæc faciat in locis ſanctis, & pro iiſdem, vt liquidò patere poteſt ex inferiùs dicendis, & manifeſtiùs ex iis quæ per plura Capita explicuimus ſuperiùs Libro iſto, dum de præcellentia meriti proficiſcentium ad Terram ſanctam, vel commorantium in eadem pietatis ergô ageremus, quæ ibi videri poſſunt. Sed illa merita applicantur iis qui benemerentur de locis ſanctis, & qui erogant eleëmoſynas habitantibus in illis pro eorumdem honorifica ſuſtentatione: igitur benè meriti de locis ſanctis plus lucrantur ſubueniendo illis, quàm ſi in alios pios vſus diuitias diſpenſarent, & ſe in aliis honeſtis exercitiis occuparent.

Eleëmoſyna virtus.

Opera meritoria in genere tria, ieiunium, oratio & eleëmoſyna.

Sed in primis in gratiam Terræ ſanctæ facta.

Minorem huius argumenti me docuit Saluator noſter, dicens Apoſtolis quos ad prædicandum mittebat: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; & qui recipiet iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet*, Matth. 10, 41. & meritò, quoniam, vt ait Magnus Gregorius Homil. 20. in Euang. illum iuuat ad euangelizandum. *Vides*, inquit, *quanta ſit eleëmoſyna poteſtas: ſi quem vis alueris tuis impenſis, proinde tibi eius actiones adſcribuntur, ac ſi illa omnia tuis operibus perfeciſſes. Si enim ſuadens & imperans ea, quodammodò agere dicitur quæ præſtare ſuadet aut imperat, longè meliùs id ipſum de eo qui alitur enuntiare licet. Qui ergo alit Prophetam, vtique prophetat. Concionatorem cibans, concionatur; Religioſum alimentis donans, quodammodò etiam Religioſus eſt. Quid ſi aliis fabrum? Quid ſi iuſtum? mercedem iuſti accipies.* Et Euthymius duplicem illius loci propoſito noſtro affert interpretationem. *Mercedem Prophetæ*, vel *iuſti*, vel *diſcipuli accipiet*, id eſt, tantam mercedem accipiet, quantam ipſe iuſtus, vel Propheta, vel diſcipulus accipit, & æqualis erit ipſi in præmio, iuxta illud, *Æqua pars erit deſcendentis in prælium, & remanentis ad ſarcinas*, &c. Vel *mercedem Prophetæ accipiet*, id eſt, erit iuſtus, vel quòd æqualibus cum his honoribus dignus habebitur.

Eleëmoſynarius quantum lucretur.

Audiamus etiam Epiphanium, aliam adferentem rationem excellentiæ meriti ex tali eleëmoſyna prouenientis. ſic verò ſcribit in ea verba Lucæ 14, 13. *Si facis conuiuium, voca pauperes, debiles ac cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum: Tu quidem vitam & beatitudinem pro tali merito accipies, interim verò arrhabonis loco tantumdem pretij capies, quantum illi quos ſubleuas, quia laborare non poſſunt, reciperent ſi laborarent.* Igitur vt paucis concludamus à ſimili, qui piis eleëmoſynis ſubuenit locis ſanctis & in ipſis habitantibus, mercedem recipiet operum in illis habitantium, ac ſi ipſi eademmet operarentur, mercedem inquam recipiet cuſtodiæ locorum ſanctorum, prædicationis Euangelij, peregrinationis ad diuerſa loca, adminiſtrationis Sacramentorum, orationum, ieiuniorum, continuæ hoſpitalitatis peregrinorum, aliorumque bonorum operum, in quibus tum alibi, tum præſertim in locis ſanctis ſe exercere conſueuerunt Franciſcani Fratres.

Miſericordia Dei in diuites.

Sed ô immenſam Dei in diuites & potentes miſericordiam & prouidentiam, quæ illorum ad cælum iter, cùm difficillimum ſit propter difficultates ex diuitiis prouenientes, vt Saluator manifeſtè dixit, adeò facile reddidit, vt niſi deſint gratiæ Dei, maiori facilitate ad propoſitam coronam Chriſti pauperibus, Concionatoribus, animarum paſtoribus, & in locis ſanctis poſt Chriſtum crucem geſtantibus peruenire poſſint; ſi videlicet de ſuperfluis eleëmoſynas in ſubſidium & conſeruationem locorum ſanctorum dederint. Cùm enim ab incunabulis in deliciis enutriti ſint, &, vt terrenorum Principum ſplendor & magnificentia expoſtulat, vitam molliſſimam & delicatiſſimam communiter viuant; non facilè adduci poſſent ad carnis macerationes, ieiunia & orationes, & fortè eos, ob continua negotia, tempus deficiet.

Diuites facilè magis coronam eleëmoſynis comparare poſſunt.

Daniel quare Nabuchodonoſor eleëmoſynam ſuaſerit.

Sanctus & prudens Propheta Daniel magno Nabuchodonoſor, vt Deum placaret, &

& iuſtam indignationis pœnam ab ſe auerteret, non ieiunium & orationem, opera licet meritoria & ſatisfactoria, ei tamen plurimùm difficilia, propoſuit; ſed eleëmoſynam rem illi admodum facilem, atq; etiam ſimul ſalutarem ſuaſit, dum illi dixit: *Quamobrem Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleëmoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis*, Dan. 4, 24. Nouerat enim S. Propheta Spiritu ſancto docente, molliſſimum ac delicatiſſimum Regem, in deliciis enutritum, Imperij amplitudine ac victoriarum felicitate ſuperbiſſimum, & in Regni negotiis diſtractum, non facilè adducendum vt ſuo conſilio obtemperaret, ſi ieiunium & orationem conſuluiſſet; at factilè obtemperaturum, ſi eleëmoſynam propoſuiſſet; quoniam multis affluebat diuitiis. Intelligebat inſuper, abſconditam eleëmoſynam in ſinu pauperis pro largiente orare, vt dicitur in Eccleſiaſtico. Atque hoc pacto diuitem & in regiis deliciis enutritum, adimplere poſſe quod conſulit Apoſtolus 1. Theſſ. 5, 17. *Sine intermiſſione orate.* quem adimplendi modum verbo & exemplo explicuit Abbas Lucius in Vitis Patrum, vt ſcilicet ex acquiſitis facultatibus diſtribuerétur eleëmoſynæ pauperibus Chriſti, quæ orarent pro largiente in aliis operibus diſtracto, vt & ipſe faciebat de his quæ opere manuum lucrabatur. & vlteriùs promereri ea quæ à recipiente fiunt, quæcumque illa ſint inſignia & excellentia opera, vel valdè meritoria, vt dictum eſt.

Virtute eleëmoſynæ quomodo implentur conſilium de ſemper orando.

CAPVT L.

Qui de locis ſanctis benè merentur, etiam in ſæculo glorioſi euadunt. Et quædam Apoſtoli argumenta adduntur.

EX quarto denique capite, id eſt humana & temporali gloria locis ſanctis ſubueniendum eſſe oſtendo: ea etenim eſt eleëmoſynæ virtus & conditio, vt vbique famoſum & celebrem reddat eleëmoſynarium. Ideoque ſapienter de huiuſcemodi viro dixit Eccleſiaſticus: *Eleëmoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum*, Eccli. 31, 11. & nonnullis interpoſitis addit: *Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & teſtimonium veritatis illius fidele*, v. 28. quia non ſolùm ille cui dantur eleëmoſynæ, eleëmoſynarij viri celebrabit laudes, ſed ipſo etiam ſilente, omnes iuſtorum congregationes illius pietatem & laudes mille benedictionibus decantabunt.

Eleëmoſyna celebrem facit.

Et ex hoc quidem capite non tantùm terrenorum Regum liberalitas & celebre nomen oſtenditur, ſed & ipſius Dei, quemadmodum ſub eleganti manuum metapho-ra, quibus liberalitas deſignatur, tam ex profanis quàm ex ſacris Litteris teſtatum habemus. Artaxerxes ille Longimanus (vt Plutarchus in Apophthegmatibus ſcribit) cuius dextera longior erat ſiniſtrâ, nonnullis, qui id ei vitio vertebant, dixit: *Gratis me taxatis: natus ut Rex eſſem, longam manum nactus ſum, vt omnibus largè effuſeq; donarem.* Quod ſapiens conſuluit Eccleſiaſticus, dicens: *Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta*, Eccli. 4, 35. Etenim ex ſententia Saluatoris, quam in Actibus Apoſtolorum retulit S. Apoſtolus, *beatius eſt magis dare, quàm accipere*, Act. 20, 35.

Manus liberalitatis ſymbolum.

Cùm cæleſtis illa Sponſa, de qua Salomon in Canticis, vellet filiabus Ieruſalem dilecti ſui ac Saluatoris Ieſu illuſtrem exprimere conditionem, poſtquam Regem eum eſſe declaraſſet, eò quòd capiti illius impoſuiſſet cæleſtis Pater coronam auream ex lapidibus pretioſis contextam (*Caput eius aurum optimum*, dixit Cant. 5, 11. ſtatim de illius manibus ad largiendum porrectis verba ſubiecit: *Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis*, v. 14. quaſi illæ firmum euidenſque teſtimonium eſſent Regiæ illius dignitatis & honoris. Certè tunc acclamauit ei turba, quòd ipſe eſſet expectatus in lege Propheta, eumque in Regem coronare voluit, quando liberaliter illam pauit in ſolitudine. *Illi ergo homines cùm vidiſſent quòd Ieſus fecerat ſignum*, inquit Ioannes Euangeliſta, *dicebant: Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum. Ieſus ergo cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent Regem, fugit iterùm in montem ipſe ſolus*, Ioan. 6, 14. quia *ſplendidum in panibus benedicent labia multorum.* Illi qui ex Oriente venerunt adorare Chriſtum in Bethleem natum, appellantur ab Euangeliſta Magi. *Ecce Magi ab Oriente venerunt*, Matth. 2, 1. quos Eccleſia Reges appellat. & vnde eos Reges fuiſſe cognouit? Dicerem ego, ex Regiis donariis, quæ ornato Iudæorum Regi obtulerunt, quia *apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Et dudum ante hos Ioſeph ille Prorex Ægypti, quando ſplendidus erat in panibus, & frumenta diſpenſabat indigenis & exteris, glorioſus apparuit. vnde tunc dixit fratribus ſuis: *Nuntiate patri meo vniuerſam gloriam meam*, &c. Geneſ. 45, 13.

Chriſti liberalitas Regia dignitatis argumentum.

Magos Orientales Reges fuiſſe, ex muneribus illorum cognoſcitur.

Et vnde, quæſo, innotuit fama Catholici Regis, & vnde celebratur nomen eius in regionibus illis Orientis? ſcio, vbique terrarum magnum & celebre eſſe nomen eius,

Catholicum Rex ex Regijs muneribus celebratur in Oriente.

Digitized by Google

eius, propter potentiam & virtutem ipsius: sed scio etiam Turcæ & eius assectis eum esse inuisum & exosum, quòd non velit, iuxta Apostoli præscriptum, iugum ducere cum infidelibus. Quamuis & ex hoc capite ab eisdem plurimùm celebretur: audiui enim egomet non semel ab ipsis Turcis, etiam primæ notæ, Turcarum Imperatorem consueuisse dicere, Philippum Hispaniarum Regem maximum sibi videri inter Christianos Principes, quòd solus ipsum non timeat, nec pacem aut fœdus cum illo contrahere, nec aliquem in aula ipsius Oratorem alere velit. Et hæc mihi causa videtur, quòd plerique Principes, qualescumque tandem sint, qui cum Turcis & infidelibus pacem colunt, ideò præcipuè in Regem Hispaniarum inimicissimo ferantur odio, vt Turcæ rem gratam præstent, non quòd, vt prætendunt, iniuriam ab eo vllam patiantur. Quamuis verò hæc Regis Catholici magnanimitas laudatissima celebrem & famosum eum faciat, magis tamen id facit insignis eius pietas quam in pios & fideles exercet, & profusa & vere Regia in Ecclesiasticos liberalitas. Et vel ex hoc vno capite singulariter in Ierosolymitano tractu, imò in toto Oriente æstimatur & timetur Rex Catholicus, quòd intueantur longas illius & liberales manus in Regiis donariis exhibitis sanctissimo Sepulchro, in quibus fulgent illius stemmata: adeoque Catholicorum Regum fama celebratur in medio Ecclesiæ, cum admiratione & stupore non solùm fidelium, sed etiam infidelium. Quare cuilibet illorum aptari possent verba illa D. Ioannis Chrysostomi in Genesim: *Sic enim singuli dicturi sunt, Hunc misericordem, hunc benignum, hunc mansuetum, hunc suauem, hunc tam largum dispensatorem. Dispersit, & dedit pauperibus, dicitur; sed audi quod sequitur: Iustitia eius manet in sæculum sæculi: scilicet vno die diuitias dispersit, & iustitia eius manet in sæculum, & memoriam fecit immortalem.* Quare eos qui humanis & futilibus vti rationibus impedire vel auertere satagunt Catholicum Regem vel alios ne eleëmosynas ad loca sancta mittant, eos debito honore & immortali fama priuare velle, cogimur credere. Igitur ne iustitiæ & pietati deesse videantur, ne egregiis meritis & honore priuentur huius sæculi potentes, neque ab infidelibus & schismaticis pietate vincantur, qui pro locorum sanctorum sibi concreditorum conseruatione non modò diuitias & facultates suas, sed proprios liberos, & ipsam denique vitam, omni re chariorem, lubentissimè exponerent: subueniant, quantum in ipsis est, eleëmosynarum largitione locis sanctis. Quòd si, defectu debitæ subuentionis, loca illa sancta, custodiæ Catholicorum commissa, ad manus schismaticorum deuenirent, quæ non infamia inde redundaret in Christianos Principes?

Inuidi hominis eleëmosynas dissuadentis.

Sed aliquot media & rationes, quibus vsus est D. Paulus cũ Corinthiis, vt colligeret ab eis eleëmosynas pro pauperibus fidelibus Ierosolymitanis, videamus. Sciendum itaque, quòd cùm fideles Ierosolymis habitantes, venditis omnibus, pretia deferrent ad Apostolos, vt singulis inde distribueretur quantum opus habebant, atque alioqui propter Christum omnium fortunarum suarum iacturam fecissent, vt antèa monuimus; constituerint Apostoli, vt fideles qui in aliis ciuitatibus & regionibus habitabant, nec ita rerum possessionem abdicabant, nec tot passi fuerant clades & persecutiones vt Ierosolymitani, illos iuuarent suis eleëmosynis: quarum collectioni præfecerant Paulum & Barnabam, vt in Actis habetur. Itaq; S. Paulus vt muneri suo satisfaceret, & tam pio debitè incumberet operi, agens cum Corinthiis, ad largã eleëmosynarũ collationẽ eos vrget quintuplici medio.

Quintuplex ratio S. Paulus suadet eleëmosynam pro pauperibus Ierosolymitanis.

Primò exemplo Macedonum, qui licet calamitatibus pressi, quorum & ipse Apostolus particeps fuerat, nihilominùs ex superstitibus sibi facultatibus munifici & liberales fuerant in fideles Ierosolymitas, & hæc ratio hisce verbis ab Apostolo explicatur: *Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ: quòd in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit, & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum: quia secundùm virtutem testimonium illis reddo, & supra virtutem voluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam & communicationem ministerij, quod fit in Sanctos. Et non sicut speranimus, sed semetipsos dederunt primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei, ita vt rogaremus Titum: vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam. Sed sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientiâ, & omni sollicitudine, insuper & charitate vestra in nos, vt & hac gratia abundetis. Non quasi imperans dico, sed per aliorum sollicitudinem, etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans*, 2. Cor. 1, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8.

Secundò exemplo Christi, qui cùm esset diues, pro ipsis sponte pauper factus fuisset, vt sua inopia ipsorum sublęuaret paupertatem. *Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi*, inquit, *quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopiâ vos diuites essetis*, v. 9.

Ter-

Digitized by Google

Tertiò ex ipſorum tacita promiſſione vrget, vt iam quiſque reipſa eam præſtet pro facultate ſua. *Et conſilium in hoc do: hoc enim vobis vtile eſt, qui non ſolùm facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore: nunc verò & facto perficite: vt quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta eſt ſecundùm id quod habet, accepta eſt, non ſecundùm id quod non habet*, verſ. 10, 11, 12.

Quartò, quòd per eleëmoſynam fiat æqualitas diuitum & pauperum, qui pro temporalibus bonis rependunt ſpiritualia. *Non enim vt aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate. In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, vt fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt: Qui multum, non abundauit; & qui modicum, non minorauit*, v. 13, 14, 15.

Quintò denique, quòd Titum alioſque Apoſtolos ad eam colligendã præmiſerit, nè ſi parciores fortè aut illiberaliores fuerint, ipſo adueniente verecũdari aut pudefieri eos contingeret. *Gratias autem Deo, qui dedit eamdem ſollicitudinẽ pro vobis in corde Titi, quoniam exhortationem quidem ſuſcepit: ſed cùm ſollicitior eſſet, ſua voluntate profectus eſt ad vos. Miſimus etiam cum illo fratrem, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias*, &c. v. 16, 17, 18.

Iiſdem rationibus etiam modò excitari deberent fideles vbique terrarum habitantes, ad erogandas eleëmoſynas pro fidelibus Ieroſolymis degentibus. Sed ſi hæc & alia omitterentur, latis ſuperque efficax argumentum eſſe deberet ad quoſlibet excitandos fideles, vt ſint munifici, quòd hæc loca ſint loca ſancta.

Nolo præterire, quod nunc occurrit, quòd ex Ieroſolymis nulli colligantur temporales prouentus, ſed tribulationes & vincula ibi habitantes maneant, ideoque non ſint in hominum memoria loca ſancta.

Loca ſanctæ quare obliuioni tradita.

Pleraque ſanctuaria Chriſtianitatis ſunt plena diuitiis. quæ non ibi vaſa aurea & argentea? quæ non pretioſæ ſupellectiles? Rutilant auro parietes; ad ea frequens hominum eſt concurſus: Principes ſereniſſimos ac illuſtriſſimos Præſules protectores habent, qui & de protectione eorum gloriantur. At non perinde dicere poſſumus de Ieruſalem & locis ſanctis, an verò propterea minùs facienda quàm illa? Ergo fonti anteponetur riuulus? Non quidem, ſi ratione ducerentur homines. At, vt videtur, loca ſancta Chriſtianitatis, quæ vt riuuli à fonte ſanctitatis ſanctitatem & æſtimationem à Ieroſolymitanis traxerunt, iſtis præferuntur. & vnde hoc? Iam indicata eſt ratio, quam eleganti Scriptura explico.

In ſecundo Regum libro legimus, quòd cùm Dauid vellet introducere Arcam Domini è Gabaa de domo Aminadab in ciuitatem ſuam, & vidiſſet Ozam, quando portabatur, ad tactum eius fuiſſe interfectum, extimuerit, dicens: *Quomodo ingredietur ad me Arca Domini? & noluit diuertere ad ſe Arcam Domini in ciuitatem Dauid: ſed diuertit eam in domum Obededom Gethæi. Et habitauit Arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus menſibus: & benedixit Dominus Obededom & omnem domum eius. Nuntiatumq; eſt Dauid, quòd benedixiſſet Dominus Obededom, & omnia eius, propter Arcam Dei. Abiit ergo Dauid, & adduxit Arcam Dei de domo Obededom in ciuitatem Dauid cum gaudio*, &c. 2. Reg. 6, 9. Quid eſt hoc, noluit introducere Rex Arcam Dei de domo Aminadab in domum ſuam, & cum gaudio introduxit eam de domo Obededom, & curam eius ſuſcepit? Vtique, quia cùm ducebatur de domo Aminadab, interficiebat homines; at quando educta fuit de domo Obededom, eiſdem benedicebat: ideò vt vitaret incommoda & pericula, non introduxit Rex Arcam de domo Aminadab in domum ſuam, ſed vt benedictionibus repleretur, voluit eam eſſe apud ſe, quando erat in domo Obededom. Simili ratione dicendum eſt, quando loca ſancta ſine timore à Chriſtianis poſſidebantur, florebat Terra promiſſionis, & vberes fructus dabat; nec dubitandum, tunc plures eam habuiſſe protectores & fautores: at modò dum nil tribuit niſi vincula, tribulationes & mortem, non eſt qui cogitet de ea. Quod non diſſimili, pulchra tamen comparatione explicuit, & futurum prædixit Iſaias illis verbis: *Et derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas quæ vaſtatur*, Iſa. 1, 8. quia quemadmodum, finitâ vindemiâ, collectiſq; cucumeribus & aliis fructibus, vinearum hortorumq; cuſtodes diſcedunt; ita Ieroſolyma, & tota Terra ſancta derelicta abſq; cuſtodibus manet, quia iam ex ea fructus collecti ſunt. Curam, quæſo, Terræ ſanctæ habeant Chriſtiani Principes, eamq; apud ſe habere contendant, & videbunt, quòd quemadmodum nunc Turca benedicitur & proſperatur à Domino, ita benedictionibus ipſi replebũtur Chriſtiani, ſi eam apud ſe & in poteſtate & cura ſua habuerint, quod pro ſua miſericordia quàm citiùs faciat, qui eam benedixit, & proprio Sanguine conſecrauit, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit honor & gloria per infinita ſæcula. Amen.

Terra ſancta derelicta, quia deſerta.

AD LIBRVM SECVNDVM APPENDIX CONSTITVTIONVM ET LITTERARVM APOSTOLICARVM

Quas in gratiam TERRÆ SANCTÆ dederunt Summi Pontifices, BONIFACIVS VIII. CLEMENS VI. INNOCENTIVS VI. VRBANVS V. GREGORIVS XI. EVGENIVS IV. PAVLVS II. SIXTVS IV. & VRBANVS VIII.

I.

BONIFACIVS VIII. Italus, ex ciuitate Anagniæ in Prouincia Campaniæ, Benedictus anteà vocatus, Lutifredi de Caietanis filius, S. R. E. Presbyter Cardinalis Tit. SS. Syluestri & Martini, die 23. Decembris 1294. in ciuitate Neapoli dictæ Prouinciæ Summus Pontifex pronuntiatus. Sedit in Petri Cathedra à 24. Decembr. ann. 4. mens. 9. dies 18.

I.

Multùm laudat nobiles mulieres Genuenses, earumdemque socias & sequaces, in subsidium Terræ sanctæ proficiscentes: iubet, vt illarum exemplo populus Ianuensis, & in Ianuensi Prouincia consistens, ad idem laudabile opus promoueatur. Ex Regest. Vatic. in Append. an. 7. Epist. 57. apud VVading. Tom. 3. Annal. in Regest. Pontif. anno Domini 1301. & est 53. Bonifacij VIII.

Dilecto filio Fratri Porchetto Spinolæ, Administratori Ecclesiæ Ianuensis. En quod expectabamus inuenimus, vidimus, mulieres scilicet fortes, se per pietatis & virtutum opera exercentes, suorum pœnitentiæ & laborum panem portantes de longè, de exilio scilicet præsentis peregrinationis ad Patriam, & surgentes de nocte mundialium tenebrarum, vt domesticis fidei Crucis aduersarios dent in prædam, & quasi non habentes hîc manentem ciuitatem, futuram inquirant, accinxerunt fortitudine lumbos suos, brachium suum virilibus operibus roborarunt; quorum lucernæ non extinguentur in nocte; manus suas miserunt ad fortia, & palmas suas aperuerunt inopibus, impendendo subuentionis auxilium exulibus, Terræ sanctæ pauperibus, à frigoribus niuis suis domibus non timebunt, cùm sint vestitæ duplicibus, dabitur eis de fructu operum suorum, & in portis earum opera laudabuntur: Quæ sunt hæ? & laudabimus eas, in vita sua mirabilia facientes. Istæ sunt nonnullæ nobiles Ianuenses, & ipsarum sociæ ac sequaces. Quæ diuinitus inspiratæ, in sexu fragili viriles animos induerunt, exurgentes in dictæ Terræ sanctæ succursum, vt stent cum Christo constanter in acie aduersus malignantes, & aduersus operantes iniquitatem, qui, proh dolor! terram inhabitant memoratam. O miracula! ô prodigia! feminæ præueniunt viros in sæpè dictæ Terræ succursum. Hæ amictæ sole temporalia sub pedibus suis sternunt, significata per lunam; Reges & Principes mundi succurrere

rere etiam inuitati effugiunt, feminæ imbecilles vltrò se offerunt. Vnde hoc? desursum vtique à Patre luminum, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendit. An non in mulieribus istis innouata sunt signa, & mirabilia immutata? Accepimus namque, quòd prædictæ mulieres & ipsarum socia & sequaces decreuerunt suorum largitione bonorum per viam marini stoly prædictæ Terræ statui subuenire sub ductu dilectorum filiorum nobilium virorum, Benedicti Zachariæ, Iacobi Lomellini, Lanfranci Tartari & Ioannis Blanci, ciuium Ianuensium: & nonnulla ipsarum femineos animos supergressæ, ad perfectiora feruntur, disponentes personaliter in particulari quasi passagio transfretare, ad exhibendum obsequia bellatoribus Crucifixi, per quos Christianitatis hostes auxiliante Deo poterunt impugnari, & in ipsa terra morari, ad calcandas huius mundi passiones, potiùs eligentes affligi cum populo Dei, quàm temporalis vitæ iucunditatem habere, aspicientes in remunerationem, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascendit. Cùm igitur tam luminosa opera non sint ponenda sub modio, sed super candelabrum, vt ea quæ sunt in domo Dei videant, & prouocentur ad imitationem ipsorum, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus congregato Clero & populo Ianuens. ad eorum deducas notitiam supradicta, & ad imitandum tam salubria opera, secundùm à Deo tibi concessam prudentiam, inducas eosdem, & tam in ciuitate Ianuensi quàm in eius Prouincia, Riparia, & districtu, per te vel alium seu alios ea denunties, & denuntiari facias, prout videris expedire. Ceterùm nolumus te latere, quòd in adiutorium tam fructuosi negotij porrecta sunt nobis nonnulla petitiones pro parte virorum & nobilium mulierum prædictarum, quas, prout expedire ipsi negotio vidimus, duximus liberaliter admittendas, prout in nostris aliis litteris continetur, & volumus, quòd hoc etiam per te vel alium seu alios deducas in publicam notitiam diligenter, in præmissis te taliter habiturus, quòd exinde retributionis æternæ præmium consequaris à Deo, & nos tuam prudentiam meritò commendare possimus. Qualiter autem processeris in præmissis, & vtilitatem & fructus, quos prouenturos ex his Deo auctore confides, nobis seriosiùs rescribas. Datum Anagniæ quinto Idus Augusti, anno 7.

II.

Earumdem mulierum Ianuensium commendat virtutem; concedit gratias & Indulgentias transfretaturis, vel aliàs subsidium de bonis suis pro eodem negotio allaturis. Ibid. Epist. 58. apud VVading.

Eidem.

IN Concilio Generali Lugdunen. & postea sæpiùs extitit laboratum, vt generale passagium fieret in Terra sanctæ succursum contra perfidos Saracenos, quos hucusque diuersis occasionibus siue causis extitit impeditum, & adhuc ad ipsum generale passagium via prompta, vt noster desiderat animus, non apparet: verùm altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cuius incomprehensibilia sunt iudicia, & inuestigabiles eius viæ, nec humanis limitibus clauditur, nec arctatur. Vnde non multos sapientes secundùm carnem, non multos potentes, non nobiles multos, sed quæ stulta sunt mundi Deus elegit, vt confunderet sapientes, & infirma mundi elegit, vt confunderet fortia & ignobilia mundi & contemptibilia Deus elegit, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu ipsius: & hoc præsentis temporis videtur esse parabola, vt O reuoluatur ad A, dum, potentibus atque nobilibus & sapientibus deficientibus in Terra sanctæ prædictæ succursum, in sexu debili, stulto quodammodò, ac infirmo & contemptibili, Terræ memoratæ succurritur, Omnipotente Deo in manu feminæ faciente salutem, nobilibus mulieribus Ianuen. aliis sociabus & sequacibus earumdem inspiratis diuinitus, vt per marinum stolium Terræ succurrerent memoratæ suorum largitione bonorum, sub ducatu dilecti filij Benedicti Zachariæ, Lanfranci Tartari, Iacobi Lomellini, & Ioannis Blanci, nobilium ciuium Ianuen. nonnullis ex mulieribus ipsis disponentibus transfretare, bellatoribus Crucifixi obsequia impensuris: quarum deuotionis feruorem & charitatis incendium sanctumq; propositum commendantes, dictorum nobilium & mulierum precibus inclinati, infrascripta, vt incitentur ad animi imitandum sanctum propositum, duximus concedenda. De Omnipotentis igitur Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum meritis & auctoritate, ac illa, quam nobis, licet immeritis, ligandi atque soluendi tribuit, potestate confisi, omnibus de ciuitate, Diœcesi, Prouincia, Riparia, & districtu Ianuen. & de ciuitatibus & terris ipsis ad duas legales dietas vicinis, verè pœnitentibus & confessis, qui signo viuificæ Crucis assumpto, & à te vel ab aliis, quos ad hoc duxeris deputandos, in propriis personis & expensis, aut in expensis alienis in personis propriis, illis etiam qui secundùm facultatum suarum vires, sine fraude in expensis suis mittendo alium vel alios bellatores, ad expugnationem processerint prædi-

prædictorum, & in huiuſmodi expugnatione perſeuerauerint congruo tempore: illis inſuper, qui occaſione proſecutionis huiuſmodi mortem incurrerent illam, ſuorum omnium remiſſionem concedimus peccatorum; quæ dudum in Generali Concilio transfretantibus in dictæ Terræ ſanctæ ſubſidium per Sedem Apoſtolicam eſt conceſſa. Inſuper concedimus, vt illi vel illæ, quæ de prædictis ciuitate, Diœceſi, Riperia ſeu diſtrictu, ciuitatibus & terris, vt præmittitur, ipſis vicinis, quæ in memoratæ Terræ ſanctæ ſubſidium aſſumpſerunt hactenus lignum Crucis, illuc perſonaliter profecturi, poſſint huiuſmodi ſignum reſumere, & cum dicto ſtolio ſeu paſſagio transfretare, & Domino reddere vota ſua, illam indulgentiam habituri, quam haberent, ſi in paſſagio generali tranſirent. Si qui verò fuerint, qui licet perſonaliter ad huiuſmodi expugnationem ire non velint, ſeu ire non poſſint, aliàs tamen aliquid de bonis ſibi collatis à Deo obtulerint, vel offerrent in ſubſidium negotij ſupradicti, vel naues, vel galeas faciendo, aut alio quouis modo in ipſo negotio præſtabunt auxilium, conſilium vel fauorem, eos huiuſmodi remiſſionis gratiæ volumus eſſe participes, ſecundùm quantitatem ſubſidij & deuotionis affectum. Datum vt ſuprà.

III.

Laudat eaſdem Heroinas, annuit illarum & ductoris earumdem honeſtis petitionibus, &, vt ſolerter intendant ſubſidio Terræ ſanctæ, hortatur. Ibid. Epiſt. 59.

NObilibus viris Benedicto Zachariæ, Lanfranco Tartaro, Iacobo Lomellino & Ioanni Blanco ciuibus Ianuen. Receptis litteris veſtris per dilectum filium Fr. Philippum Saonen. Lectorem Ordinis Fratrum Minorum, ipſarumq; conſiderato tenore, ac diligenter auditis quæ dictus Frater nobis expoſuit oraculo viuæ vocis, exultauit cor noſtrum in Domino, magna nobis ex iis lætitiæ materia præbita admirationis & laudis. Sanè attendentes deuotionis feruorem, charitatis incendium, ſanctumq; propoſitum nobilium mulierum, A. de Carmedino, I. de Ghiſulphis, M. de Grimaldis, C. Franatæ, A. de Auria, S. Spinolæ, S. & P. de Cibo, P. de Caris, & multarum aliarum mulierum, ſociarum & ſequacium Ianuen. quæ diuinitus inſpiratæ, ordinauerunt per ſuccurſum marini ſtolij, ſub veſtro ducatu Terræ ſanctæ ſtatui miſerabili ſubuenire per particulare paſſagium, celeriter auctore Domino faciendum, petitionibus quibuſdam per eumdem Fratrem pro veſtra & ipſarum nobilium mulierum parte porrectis, ſicut decuit, & expedire vidimus tanto negotio, duximus annuendum, prout hoc expreſsiùs in aliis noſtris litteris continetur. Nobilitatem itaque veſtram monemus, rogamus, & hortamur, attentè obſecrantes in Filio Dei Patris, quatenus cum dictarum mulierum ſubſidio aperiatis viſcera pietatis ad dictæ Terræ ſuccurſum, ſicut athletæ ſtrenui Crucifixi, vt in præſenti diuinam conſequamini gratiam, & in futuro gloriam ſempiternam; & ſic diuina vobis & mulieribus ipſis aſſiſtente virtute, in inſtanti autumno poſſit huiuſmodi particulare paſſagium fieri, quod multum nobis eſſet acceptum. Tu Benedicte Zacharia, qui fuiſti nobis familiarior ab antiquo, cum vno ex prædictis nobilibus tuis conſocijs in hoc facto ad præſentiam noſtram accedas, præcedens dictum ſtolium aliquibus diebus, vt tu & ſocius per nos poſſitis ſuper agendis pleniùs informari, & circa Romaniam vel Terræ laboris plagiam iungi ſtolio memorato. Datum vt ſuprà.

IV.

In eodem perſiſtit argumento, & circa idem ſubſidium alia præſcribit. Ibidem Epiſt. 60.

Eiſdem.

MArino Stolio, quaſi particulari paſſagio, ſub veſtro ducatu duce Deo in ſubſidium Terræ ſanctæ contra Soldanum Babylonicum, hoſtes fidei, ac perfidos Saracenos, fautores & adiutores eorum, maximè contra illos impios Chriſtianos, qui ad terras dicto Soldano ſubiectas contra prohibitiones Apoſtolicæ Sedis accedunt, & redeunt ab eiſdem, profecturo cum ſubſidio nobilium mulierum Ianuen. quæ diuinitus inflammatæ cum ſuis ſociabus atque ſequacibus, de bonis propriis negotio tam pio ſubueniunt; quarum nonnullæ diſponunt in huiuſmodi paſſagio perſonaliter proficiſci, ad exhibendum humanitatis obſequia bellatoribus Crucifixi. Nobilitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur, attentè obſecrantes per viſcera miſericordiæ Dei noſtri Patris, vt huiuſmodi negotium proſequamini propter Deum & animarum veſtrarum ſalutem, & prædictæ Terræ ſuccurſum fideliter & feruenter; & ad hoc ipſum eos qui in paſſagio prædicto tranſibunt & alios inducatis, ſecundùm gratiam quam Filius Dei Dominus Ieſus Chriſtus cælitus vobis dabit, quærentes quæ eius ſunt, non quæ veſtra. Ad hæc nobilibus viris & aliis qui vobiſcum in dicto ſtolio ſeu paſſagio tranſfretabunt, ac illis etiam qui vobis in iſto negotio Deo auctore ſe iungent, per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ad readificationem & reparationem alicuius caſtri, ciuitatis, vel loci muniti, ſitorum

in dicta Terra ſancta, vel quauis parte Syria, præſertim maritimorum occupatorum & deſtructorum per hoſtes fidei à tempore vltimi Concilij Lugdunenſis, celebrati ſub felic. recordat. Gregorio Papa X. predeceſſore noſtro, ſub quouis titulo, vel quæſito colore, ad vtilitatem veſtram, vel quarumcumque ſingularium ſæcularium perſonarum, aut cuiuſuis vniuerſitatis vel communitatis, maximè Tripolitanæ ciuitatis, nullatenus procedatis, abſq; Apoſtolicæ Sedis licentia ſpeciali per eius patentes litteras apparente. Nos enim de talibus, auxiliante vobis diuina potentia, opportuno tempore diſponemus, ac etiam Cathedralibus Eccleſiis dictarum Terræ ſanctæ & Syriæ de Paſtoribus idoneis prouidere curabimus, prout videbimus expedire. Datum vt ſuprà.

V.

Laudat viriles & egregios earumdem mulierum conatus, & gratias concedit. Ibid. Epiſt. 61.

Dilectis in Chriſto filiabus, nobilibus mulieribus, A. de Carmedino, I. de Ghiſulphis, M. de Grimaldis, C. Franatæ, A. de Auria, S. Spinolæ, S. & P. de Cibo, P. de Caris, & aliis earum ſociabus & ſequacibus Ianuenſibus. Ex veſtrarum & dilectorum filiorum nobilium virorum, Benedicti Zachariæ, Iacobi Lomellini, Lanfranci Tartari, & Ioannis Blanci, ciuium Ianuenſium, litterarum tenoribus, & relatione dilecti filij Fratris Philippi Saonen. Lectoris Ordinis Minorum percepimus, quòd vos & alia quàm plurimæ mulieres ciuitatis Ianuenſis, diuino ſpiritu inflammatæ, prouidè attendentes, quòd Caſanus, magnus Tartarorum Imperator, cum multitudine ſui exercitus, licet Paganus, regnum Ieroſolymitanum intrauerat, ad expellendos de Terra ſancta Soldanum Babylonicum eiusq; ſequaces incredulos, & ea Chriſtiano cultui reſtituta, cantica Domini decantarentur in ipſa exultationis & laudis; quodq; Reges, & Principes, & alij Chriſtiani potentes, & ad arma doctiſſimi, ad ſubueniendum dictæ Terræ pietatis quodammodò viſcera clauſiſſe videntur, obturantes aures ſuas clamoribus exulum, qui terram ipſam hactenus habitarunt; quorum rauca facta ſunt fauces, in expetendo lacrymabiliter Terra ſæpè dicta ſuccurri, induitis mente viros in corpore fragili, decernentes ſibi veſtrorum largitione bonorum per viam marini ſtolij ſubuenire ſub ducatu nobilium prædictorum, & nonnullæ veſtrûm femineos animos ſupergreſſæ ad perfectiora feruntur, diſponentes in ſingulari quaſi paſſagio transfretare, &c. vt in Bulla 13. Vt reformato corpore humilitatis earum, conformentur Chriſti corporis claritati ſecundùm operationem, qua poteſt etiam ſubijcere ſibi omnia, qui in cælis ſedens ad dexteram Dei Patris interpellat pro nobis, vt exaudiatur pro ſua reuerentia: non enim Pater æternus denegare quidquam poteſt Filio coæterno. Deuotionem igitur veſtram, & charitatis incendium, ſanctumq; propoſitum dignis in Domino laudibus commendantes, deſideriis veſtris libenter occurrimus, & nonnullas petitiones ad robur & inuamen negotij pro parte veſtra petitas à vobis, ad exauditionis gratiam, prout decet, & expediens vidimus, liberaliter duximus admittendas, prout in aliis noſtris litteris ſuper hoc confectis pleniùs continetur; ſperantes in Domino, quòd multiplicabit vobis ſocias, & alia tribuet incrementa, per quæ recuperabitur dicta Terra, & reſtituetur cultui Chriſtiano, quam Dominus proprio Sanguine conſecrauit; & ipſo largiente, qui poteſt, vobis multiplicabitur gratia in præſenti, & eo Duce, qui nouit, peruenietis ad æternam gloriam in futuro. Datum vt ſuprà.

VI.

Extolluntur piæ illæ ac fortes mulieres ſupra viros, Reges & Principes ſubſidium Terræ ſanctæ negligentes, & vt transfretaturis in eiuſdem Terræ ſubſidium Religioſos viros adiungant. Ibid. Epiſt. 62.

Miniſtro Prouinciali Ordinis Fratrum Minorum Prouincia Ianuen. Qui fecit ſalutem in manu femina, & per eam capite Holofernis abſciſſo ciuitatem ſanctam Ieruſalem de manu hoſtium liberauit, creditur nonnullis nobilibus mulieribus Ianuenſ. earumq; ſociabus ſeu ſequacibus inſpiraſſe, vt de Terra ſancta ſuccurſu, cui Reges & Principes, & alij Chriſtiani potentes, & ad arma doctiſſimi, obturatis cordibus non ſuccurrunt, efficaciter cogitarent, quòd per marinum ſtolium, & quaſi particulare paſſaginm, ad partes illas duce Deo peruenturum in breui, eidem Terræ ſuccurrere decreuerunt, ad hoc bona propria expendendo; & earum aliqua diſponunt perſonaliter transfretare, ad impendendum humanitatis obſequia bellatoribus Crucifixi. Talium itaque deuotionis feruoribus & charitatis affectibus libenter occurrimus, & earum pium propoſitum dignis fauoribus confouemus. Ideoq; diſcretioni tuæ in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus auctoritate noſtra de conſilio diſcretorum Fratrum tui Ordinis aſſumas aliquos Fratres eiuſdem Ordinis de Ianuen. & aliarum ciuitatum vicinarũ Conuentibus in numero congruo, viros vtique litteratos, bonæ conuerſationis & vitæ, & in dicto ſtolio ſeu paſſagio tranſmittas eoſdem auctoritate prædicta, concedens eiſdem, vt perſonis in dicto

dicto ſtolio ſeu paſſagio transfretantibus, & aliis quæ iungentur eiſdem, Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, ipſoſq; inſtruant & informent verbo pariter & exemplo, percepturi exinde à Deo gratiam in præſenti, & æternam gloriam in futuro. In his te taliter habiturus, quòd à Deo præmium conſequaris, noſq; deuotionem tuam meritò commendare poſſimus: reſcribas autem nobis quidquid ſuper his feceris, & quomodo confidis huiuſmodi negotium diuina fauente clementia proſperè proceſſurum. Datum Anagniæ 4. Idus Auguſti, anno 7.

VII.

Vt verbum Crucis prædicet, vel prædicari faciat; transfretare volentes in ſubſidium Terræ ſanctæ Cruce conſignet, & vt ſolerter negotium hoc promoueat, hortatur. Ibid. Epiſt. 63.

FRatri Porchetto Spinolæ, Ordinis Minorum Adminiſtratori Eccleſiæ Ianuenſis. Sperantes in Domino, quòd per marinum ſtolium, ſeu quaſi particulare paſſagium Terræ ſanctæ, miſerabili ſtatui ſuccurretur in breui, procurantibus & operantibus hoc nonnullis nobilibus mulieribus, earumdemq; ſequacibus & ſociabus Ianuen. & ad hoc exponentibus bona ſua: quarum nonnullæ diſponunt, duce Domino, in dicto ſtolio ſeu paſſagio perſonaliter transfretare. Tibi, de cuius bonitate, ſcientia fidelitate ac circumſpectione confidimus, prædicandi verbum Crucis per te, vel per alium ſeu alios in ciuitate, Diœceſi, Prouincia, Riperia & diſtrictu Ianuen. eiſq; infra duas legales diætas vicinis ciuitatibus, caſtris, terris ac locis, & dandi Crucis ſignaculum volentibus illud deuotè recipere, plenam auctoritate præſentium concedimus facultatem. Tu verò in præmiſſis ſtudeas ſic prudenter & ſic ſolicitè te habere, ac ſpeciali ſuper acceleratione ſtolij, ſeu particularis paſſagij ſupradicti, quam feruenter appetimus, quod à Deo exinde retributionis æternæ præmium conſequaris, noſq; ex hoc tuam prudentiam meritò commendare poſſimus; reſcripturus nobis quod ſuper his feceris, & quomodo tam pium negotium proſperè Deo auctore procedet. Datum vt ſuprà.

II.

CLEMENS VI. Gallus ex oppido Malmonte, Diœceſis Lemouienſis, in Prouincia Toloſana, Petrus anteà dictus, Guilielmi de Monſtris filius, Monachus Ordinis S. Benedicti, & S. R. E. Presbyter Cardinalis Titul. SS. Nerei & Achillei, die 7. Maij 1342. in ciuitate Auinionis, Prouinciæ Narbonenſis, in Gallia Summus Pontifex pronuntiatus. Sedit in Pontificatu annis 10. menſ. 7.

Dedit Summus hic Pontifex duas Bullas eiuſdem argumenti, quibus confirmat traditionem locorum ſanctorum Minoritis; alteram directam Roberto & Sanciæ illius piiſſimæ coniugi, Siciliæ & Ieruſalem Regibus, alteram verò Ordinis Generali & Prouinciæ Terræ laboris miniſtris. Ad illas non benè aduertentes non ignobiles Scriptores, pro Clemente VI. Clementem V. intellexerunt: quos aliquando ſecutus fui, tum propter illorum auctoritatem; tum quia aliqua illarum Bullarum M. S. exemplaria vidi, quæ eſſe Clementis V. oſtendebant, ſed falsò. Facilè verò potuit error irrepſiſſe, vt ex Autographo Bullarum Clementis VI. vetuſtate conſumptum fuerit I. ac ita ex illius defectu pro Clemente VI. exſcriptum ſit Clemens V. Hinc & ego in Regeſto Bullarum, pag. 401. in Bullis Clementis V. poſui priorem, quæ in Bullis Clementis VI. collocanda eſt, ad dictos Miniſtros directam; & hîc ſecundo loco collocanda eſt. Secunda verò quæ ibi ſequitur pag. 402. vere eſt Clementis V.

Ita eſſe, in primis perſuadent fideliora alia M. S. exemplaria.

Deinde, quia ita inuenitur in quodam tranſſumpto authentico teſtimonio, omnibus circumſtantiis munito; in quo non numero VI. ſed expreſſo verbo *ſexti*, ſignificatur prædictam Bullam eſſe non quidem Clementis V. ſed Clementis *ſexti*: cuius exemplar veritatis aſſumptæ fidem faciens aſſeruatur in vetuſto M. S. libello in Archiuo ſacri montis Sion ſequentis tenoris.

IN Dei nomine, amen. Anno Domini 1363. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Vrbani diuina prouidentia Papæ quinti anno primo, ac reguante ſereniſſima domina noſtra, domina Dei gratia inclyta Ieruſalem & Siciliæ Regina, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, Prouinciæ & Fongualcherij ac Pedemontis Comitiſſa; Regnorum verò eius anno 21. feliciter, amen. Menſe Maij die 22. eiuſdem primæ indictionis, intus in Eccleſia ſanctæ Crucis ciuitatis Neapolis. Nos Matthæus de Campo Iudex ad contractus vbique per Regnum Siciliæ, ac Bernardus Alando publicus Apoſtolica & Imperiali, ac vbique per Regnum Siciliæ Regia auctoritate Notarius, & ſubſcripti teſtes ad hoc vocati ſpecialiter, & rogati. Venerabilis vir & religioſus Fr. Bernardinus de Padua, de Ordine Minorum, & Guardianus, vt dicit, loci Fratrum eiuſdem Ordinis, ſiti in venerabili & ſacro loco

Bethlemitano, dictis die & loco in noſtra præſentia conſtitutus, oſtendit & præſentauit nobis quaſdam Papales litteras, Papali Bulla plumbea ſerico eiſdem litteris appenſa, conceſſas à quondam felicis recordationis Domino Clemente Papa ſexto Generali & Miniſtris eiuſdem Ordinis in Prouincia Terræ laboris; quas vidimus, legimus, & inſpeximus; erantq; per omnia tenoris & continentiæ ſequentis. Clemens, &c. Gratias agimus, &c. vt ſuprà pag. 401.

In alio manuſcripto libello Papalium Bullarum mihi Venetiis exhibito eadem habentur adhuc, & locus ſigilli ✣ cum iudicis & teſtium ſubſcriptionibus; & ex his, ni ego fallor, non ineuidenter dijudicare poſſumus, dictam Bullam dediſſe non Clementem V. ſed Clementem VI.

Demum efficaciùs; quia vt P. VVadingus Tom. 3. Annal. Min. ſub an. Dom. 1342. num. 20. ſcribit; ita probant diplomata ex Regeſto Vaticano ab eodem exſcripta: quorum ipſa originaria inſtrumenta ſub plumbo, inſcripto nomine Clementis VI. quæ penes ſe eſſe affirmat, & exemplaria citato anno num. 18. & 19. in lucem dedit; & nos alterum ſuprà dedimus, & hic alterum eiuſdem argumenti ſubjicimus, quod ante illud ponendum eſt.

I.

Oſtendit, Robertum & Sanciam, Ieruſalem & Siciliæ Reges, obtinuiſſe ab Ægypti Sultano Sepulchrum Domini, & alia ſancta loca pro Minoritis, qui & in eiſdem habitabant, & ſacra obibant Officia, & ſacrificia: ratam habet traditionem, & Pontificia confirmat auctoritate; ad eorumdemque Regum inſtantiam, gratias concedit Minoritis. Ex Regeſt. Vatic. apud citatum VVading. in Annal. num. 18.

Ad perpetuam rei memoriam.

NVper charißimæ in Chriſto filiæ noſtræ Sanciæ Reginæ Siciliæ illuſtris petitio nobis exhibita continebat, quòd charißimus in Chriſto filius noſter Robertus Rex Siciliæ illuſtris Conſors ſuus, & ipſa olim zelo puræ fidei & deuotionis accenſi, non ſine magnis ſumptibus & laboribus grauibus à Soldano Babiloniæ, qui Sepulchrum Dominicum & alia ſacra loca vltramarina, proprio ipſius Redemptoris Sanguine dedicata, non abſque cunctorum Chriſtianorum grani opprobrio detinet occupata, obtinuerunt, quòd Fratres Ordinis Minorum infra Eccleſiam dicti Sepulchri poßint continuè commorari, & ibidem Miſſarum ſolemnia & alia diuina officia ſolemniter celebrare; & iam certi Fratres dicti Ordinis ſunt ibidem actualiter: & quòd nihilominùs idem Soldanus Cœnaculum Domini, & Capellam, in qua Apoſtolis Spiritus ſanctus apparuit, & aliam Capellam, in qua Chriſtus B. Thomæ præſente poſt Reſurrectionem ſuam Apoſtolis ſe oſtendit, Regi & Reginæ conceſſit eiſdem: quòd ipſa Regina locum ædificauit ibidem pro dictis Fratribus iam eſt dm, vbi duodecim Fratres dicti Ordinis continuè tenere intendit ad diuinum obſequium in Sepulchro & aliis prædictis locis ſacris impendendum, ac tres perſonas ſæculares etiam, quæ ipſis Fratribus ſeruiant, & neceſſaria adminiſtrent. Quare præfata Regina nobis humiliter ſupplicauit, vt dicto Regi, & ſibi ac ſucceſſoribus eorumdem in perpetuum, quòd & ipſi & dicti ſucceſſores huiuſmodi tres perſonas ſæculares eligere, ipſasq; illuc nunc & in poſterum, quoties opus fuerit, mittere, ac prouiſionem pro Fratribus & perſonis ſæcularibus prædictis neceſſariam annis ſingulis deſtinare valeant auctoritate Apoſtolica concedere dignaremur. Hoc igitur tam pium tamq; laudabile opus apud Deum meritorium, & commendabile apud homines, confouere, illudq; proſequi fauoribus Apoſtolicis intendentes; huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, præfatis Regi & Reginæ, ac eorum ſucceſſoribus in perpetuum, vt huiuſmodi tres perſonas ſæculares ad miniſtrandum dictis duodecim Fratribus Minoribus, ad ſeruiendum in Eccleſia Sepulchri, Cœnaculo & Capellis prædictis, vt præmittitur, deputandis, neceſſaria ibidem nunc & in poſterum, quoties opus fuerit, eligere, ipſoſq; illuc mittere; necnon, præter ipſas tres, duas alias perſonas ad partes illas cum prouiſione & neceſſariis pro Fratribus & ſæcularibus antedictis annis ſingulis deſignare & deſtinare; ita tamen, quòd ipſæ duæ perſonæ alia mercimonia, vel alia prohibita ad partes illas ſub huiuſmodi prouiſionis prætextu non deferant, ſeu deferri faciant, prohibitionibus & proceſſibus Apoſtolicis, quaſcumque pœnas & ſententias continentibus, in contrarium editis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus. Volentes, & eiſdem duodecim Fratribus auctoritate concedentes eadem, vt cùm aliquem vel aliquos de dictis tribus perſonis ſæcularibus mori, vel aliàs deficere quoquo modo contigerit, poſſint loco decedentium, ſeu deficientium, alium vel alios ſubrogare, donec per Regem & Reginam, aut ſucceſſores prædictos, alius vel alij ad partes illas, loco eorumdem decedentium, ſeu deficientium, fuerint deſtinati. Nulli ergo, &c. noſtræ conceſſionis & voluntatis, &c. Datum Auin. 11. Kal. Decemb. anno primo.

III.

Digitized by Google

III.

INNOCENTIVS VI. concedit facultatem ædificandi hoſpitale Ieroſolymis, & pro illius conſtructione portandi ferramenta & lignamina, quibuſdam ſeruatis conditionibus. Reg. Vat. lib. 3. Epiſt. 994. apud VVading. Tom. 4. Annal. in Reg. Pontif. anno Domini 1354.

I.

Dilectæ in Chriſto filiæ Sophiæ, Philippi de Archang. mulieri Florentin. Cùm ad ædificationem & conſtructionem piorum locorum, tamquam benedictionis filia, geras piæ deuotionis affectum: Nos illa tibi libenter concedimus, per quæ id in Deo faciliùs valeas adimplere. Sanè cùm ſicut exhibita nobis pro parte tua petitio continebat, tu cupiens terrena, &c. commutare, in ciuitate Ieroſolymitana hoſpitale pauperum conſtruere & ædificare cæperis, & pro conſtructione & ædificatione huiuſmodi lignamina & ferramenta, quibus partes illæ plurimùm carent, neceſſaria fore noſcantur: Nos tuum laudabile propoſitum plurimùm in Domino commendantes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, portandi & portari faciendi ferramenta & lignamina pro ædificatione & conſtructione dicti hoſpitalis & domorum eius neceſſaria, conſtitutionibus, prohibitionibus & proceſsibus Apoſtolicæ Sedis, ſpirituales & temporales pœnas, mulctas & ſententias proferentibus in deferentes, ſeu deferri facientes ferrum ſeu lignamina ad partes eaſdem, nequaquam obſtantibus, tibi de benignitate Apoſtolica licentiam elargimur. Volumus autem, quòd in manibus Diœceſani loci, in quo nauem ſeu naues huiuſmodi lignaminibus & ferramentis onerabis, ſeu onerari facies, quòd præmiſſa vel aliquod eorumdem in fraudem non facies, præſtes corporale iuramentum. Alioquin niſi iuramentum huiuſmodi præſtiteris, vt præfertur, præſentem conſtitutionem haberi volumus pro non facta. Super cuius quidem iuramenti præſtatione Diœceſanus prædictus duo confici faciat publica inſtrumenta; quorum alterum Cameræ noſtræ ſtudeat deſtinare, penes ſe reliquo reſeruato. Nulli ergo, &c. noſtræ elargitionis & voluntatis, &c. Datum Auinion. 2. Id. Octob. an. 2.

II.

Eamdem concedit facultatem, & ampliùs, vt poſſit ſecum ducere vel deſtinare aliquas perſonas pro prædicti hoſpitalis ædificatione. Ibid. Epiſt. 995. apud VVad.

Eidem.

Exigit tuæ ſinceritatis affectus & deuotionis ſtudium, quæ pro Chriſtianæ Religionis cultu ingiter exerces in operibus charitatis, quantum cum Deo poſſumus, fauorabiliter proſequamur. Cùm itaque, ſicut accepimus, tu zelo deuotionis accenſa, ad laudem Dei, & pro animæ tuæ ſalute, de bonis tibi à Deo collatis, & tibi etiam per eleëmoſynam erogatis emeris quaſdam domos inhabitatas, ſitas in monte Sion iuxta locum Fratrum Ordinis Minorum in dicto monte conſiſtentem, cum clauſtro & territorio ipſis domibus contiguis, & in eis vnum hoſpitale, in quo Chriſti fideles ad viſitandum Sepulchrum Dominicum peregrè proficiſcentes valeant receptari, fundaueras, & ædificare cæperas, & ad ipſius perfectionem ſolicitis ſtudiis elabores, & propterea te oporteat de ipſis partibus ad ciſmarinas partes, & è conuerſo pro ipſius hoſpitalis neceſſariis frequenter accedere, & alias hinc inde perſonas tecum ducere, & etiam deſtinare: Nos tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, & decem perſonis, quas ad hoc pro neceſſariis ipſius hoſpitalis duxeris eligendas, vt ad partes ipſas Terræ ſanctæ, pro ipſius hoſpitalis neceſſariis, prohibitionibus, conſtitutionibus & proceſsibus quibuſcumque Sedis Apoſtolicæ in contrarium factis, habitis, ſeu etiam promulgatis, pœnas, ſententias ſpirituales & temporales continentibus nequaquam obſtantibus, quoties, & quando opus fuerit, ſimul & diuiſim tranſfretare & accedere, illa quæ etiam dicto hoſpitali neceſſaria ſunt, & alia, ſine quibus tranſfretationem huiuſmodi adimplere commode non poſſetis, deferre & exhibere; dummodo ad partes illas non deferatis, vel deferri faciatis, quæ in profectum vel fauorem hoſtium fidei Chriſtianæ redundare valeant; auctoritate præſentium indulgemus. Nulli ergo, &c. noſtræ conceſsionis, &c. Datum Auinion. 2. Id. Octob. an. 2.

III.

Vt lecti cum neceſſariis pro peregrinis excipiendis portari valeant, & ipſi pariter peregrini deferre poſſint ſibi in ea ſanctorum locorum peregrinatione neceſſaria. Ibid. Epiſt. 997. apud VVad.

Ven. Frat. Epiſcopo Famaguſt.

Deuota fidelium ſtudia, & præſertim quæ Chriſtianæ Religionis cultum & opera reſpiciunt, pietatis benigno affectu proſequimur, & eis, quantum cum Deo poſſumus, fauorem Apoſtolicum impertimur. Cùm itaque, ſicut accepimus, dilecta in Chriſto Sophia, Philippi de Archangelis mulier Florentina, zelo deuotionis accenſa, ad laudem Dei, & pro animæ ſuæ ſalute, de bonis ſibi à Deo collatis, & etiam in eleëmoſynas erogatis, emerit quaſdam domos inhabitatas, ſitas in monte Sion iuxta locum Fratrum Ordinis Mino-

rum ibidem conſiſtentem, claustro & territorio ipſis domibus contiguis, & in eis vnum hoſpitale, in quo Chriſti fideles ad viſitandum Sepulchrum Dominicum peregrè proficiſcentes valeant receptari, fundauerit & ædificare cœperit opere plurimùm ſumptuoſo; & ad illius perfectionem & murationem, ad quas ſolicitis ſtudiis elaborat, opportunas non habeat, nec habere poſſit ſine fidelium aliorum auxilio facultates: Nos huiuſmodi tam pium quàm ſalubre opus benigno fauore proſequi cupientes, ipſius Sophiæ ſupplicationibus in hac parte inclinati, Fraternitati tuæ, de qua in his & aliis gerimus in Domino fiduciam ſpecialem, per Apoſtolica ſcripta mandamus ac committimus, quatenus ducentis perſonis deſiderantibus cauſa deuotionis Sepulchrum prædictum & alia oratoria Terræ ſanctæ perſonaliter viſitare; quarum ſingulæ ſingulos lectos neceſſariis ornamentis decenter munitos, ad vſum peregrinorum prædictorum, hoſpitali ſeu Sophiæ prædictis, aut aliæ perſonæ deputandæ per eam pro ipſo hoſpitali & eius vſu dari & aſſignari fecerit, facta tibi de hoc legitima fide, aut quæ de ipſis lectis, vt præfertur, dandis & etiam aſſignandis idoneam tibi præſtiterint cautionem, quòd Sepulchrum, & alia oratoria prædicta, quibuſcumq; conſtitutionibus, prohibitionibus & proceſſibus Sedis Apoſtolicæ in contrarium factis, habitis, ſeu etiam promulgatis, pœnas & ſententias ſpirituales & temporales continentibus, nequaquam obſtantibus, ex cauſa prædicta valeant viſitare; illaq; nihilominùs pro huiuſmodi viſitatione deferre, ac etiam exhibere, ſine quibus peregrinationem huiuſmodi commodè adimplere non poſſunt, dummodò ad partes illas nulla alia deferant, vel deferri faciant, quæ in profectum vel fauorem hoſtium Chriſtianæ fidei redundare valeant, auctoritate noſtra indulgeas & concedas. In his omnibus diligentiam, quam pro pleniori cautela & obſeruantia omnium præmiſſorum expedire videris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, taliter habiturus, quòd inde deuotionem tuam poſſimus in Domino meritò commendare. Datum 2. Idus Octob. an. 2.

IV.

VRBANVS V. concedit, vt in valle Ioſaphat locum pro veneratione ſepulchri Deiparæ Virginis ædificent, & alia ſancta loca reſtaurent, & adducant neceſſaria, & perſonas aliquas pro tali opere, quæ poſſint ſanctuaria viſitare. Ex Reg. Vatic. lib. commun. an. 1. Epiſt. 237. apud VVad. Tom. 4. in Reg. Pont. anno Domini 1362.

I.

Dilectis filiis Andr. Cheſan. & Ioan. Poulier, Ordinis Fratrum Minorum profeſſoribus. Rationi congruit, & conuenit honeſtati, vt ea quæ de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet eius ſuperueniente obitu litteræ Apoſtolicæ ſuper illis confectæ non fuerint, ſuum conſequantur effectum. Dudum ſiquidem felic. record. Innoc. Papa VI. Prædeceſſor noſter Miniſtro Prouinciali & Fratribus Ordinis Minorum Terræ ſanctæ, ſecundùm morem dicti Ordinis, pro veneratione ſepul. B. Mariæ Virginis glorioſæ in valle Ioſaphat conſiſtentis, & loci ibi vicini, Cana vulgariter nuncupati; in quo, vt aſſeritur, Saluatore noſtro Domino Ieſu Chriſto nocte ſuæ paſſionis orante ad Patrem, factus eſt ſudor eius tamquam guttæ ſanguinis decurrentis in terram, quemdam locum Fratrum dicti Ordinis, in quo Fratres ipſi pro veneratione præmiſſa & aliis diuinis ſeruitiis valeant commorari, cum neceſſariis officinis; fundandi & conſtruendi per ſuas certi tenoris litteras plenam & liberam duxit licentiam concedendam, prout in eiſdem litteris pleniùs continetur. Et deinde pro parte ipſorum Miniſtri & Fratrum eidem Prædeceſſori humiliter ſupplicatū, vt in auxilium conſtructionis huiuſmodi, nec non reparationis loci ipſorum de monte Sion dicti Ordinis, vbi, ſicut aſſeritur, Spiritus ſanctus deſcendens ſuper Apoſtolos, quiq; pro maiori parte ruinam minatur, quæ ſine Chriſtianorum ſubſidio fieri non poſſunt, ducendi vobiſcum trecentas perſonas, quas duxeritis eligendas, volentes conſtructioni & reparationi huiuſmodi manus ponere adiutrices, ac deliberantes cauſa deuotionis Sepulchrum Dominicum & alia oratoria Terræ ſanctæ perſonaliter viſitare, ipſiſq; perſonis, & earum ſingulis, ſepulchrum & alia oratoria ſupradicta viſitandi licentiam concedere dignaretur. Idem Prædeceſſor huiuſmodi ſupplicationibus inclinatus, vobis videlicet, 2. Calend. Iun. Pont. ſui anno 10. vt ea vice dumtaxat trecentas perſonas huiuſmodi vobiſcum ducere, ipſiſq; perſonis, vt Sepulchrum & alia oratoria ſupradicta ex cauſa ſupradicta viſitare, quibuſcumque prohibitionibus, conſtitutionibus & proceſſibus Sedis Apoſtolicæ in contrarium factis, habitis, ſeu etiam promulgatis, pœnas ac ſententias ſpirituales ac temporales continentibus nequaquam obſtantibus; illaq; nihilominùs pro huiuſmodi viſitatione deferre & exhibere, ſine quibus peregrinationem huiuſmodi commodè adimplere non poſſent: dummodò vos & perſonæ ipſæ ad partes ipſas nulla alia deferatis vel deferant, nec deferre faciatis vel faciant, quæ in profectum vel fauorem hoſtium fidei Chriſtianæ redundare poſſent,*

Digitized by Google

poſſent, duxit auctoritate Apoſtolica indulgendum. Verùm, quia, ipſius prædeceſſoris ſuperueniente obitu, Apoſtolicæ litteræ ſuper conceſſione huiuſmodi confectæ non fuerunt: Nos, ne propterea dictæ conceſſionis effectu fruſtremini, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd dicta conceſſio per eundem prædeceſſorem, vt præmittitur, vobis facta, à prædicta die videlicet 2. Calend. Iun. perinde ſortiatur effectum, ac ſi ipſius prædeceſſoris litteræ ſuper ea ſub ipſius diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodq; præſentes ad conceſſionem antè dictam vbique ſufficiant, nec probationis alterius ad minimum requiratur. Datum Auin. 6. Id. Nouemb. an. 1.

II.

Vt Minores miniſtrare poſſint Sacramenta peregrinis hoſpitalis Heroſolymitani quoties opus fuerit. Ibid. apud VVad. Bul. 21. huius Pontificis.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pijs deuotorum deſideriis, illis præſertim quæ ſalutem reſpiciunt animarum fidelium, gratum nos decet præbere aſſenſum. Cùm itaque, ſicut accepimus, dilecta in Chriſto filia Sophia, Philippi mulier Florentina, zelo deuotionis accenſa ad laudem Dei, & pro animæ ſuæ ſalute, de licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, in monte Sion prope Ieruſalem vnum hoſpitale pauperum, in quo Chriſtiani peregrini recipiantur, conſtrui fecerit opere non modicum ſumptuoſo: Nos volentes hoſpitale ipſum munere proſequi gratiæ ſpecialis, & fidelibus in eodem hoſpitali, qui in dicto hoſpitali morabuntur pro tempore, nos exhibere in ſpiritualium largitione munerum liberales; vt Fratres Ordinis Minorum in Presbyteratus ordine conſtituti, qui in loco ſeu Conuentu Montis Sion erunt pro tempore, omnibus Chriſti fidelibus, qui in dicto hoſpitali pro tempore morabuntur, quoties expedierit, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ & alia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare valeant, abſque cuiuſcumque præiudicio, conſtitutionibus quibuſcumque contrariis nequaquam obſtantibus, eiſdem Fratribus auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo, &c. Datum Auinion. Idib. Decemb. anno 2.

V.

Gregorius XI. concedit licentiam viginti quinque Fratribus ex Ordinibus Prædicatorum & Minorum ſpontaneè ſe offerentibus eundi ad vltramarinas partes pro verbo Dei diſſeminando; qui poſſint quatuor accipere loca ad habitandum, & Dei cultum augendum. Ex Reg. Vat. lib. 2. fol. 2. apud VVad. Tom. 4. in Reg. Pont. anno Chriſti 1376. & ex Bul. huius Pont. 90.

I.

Dilecto filio Franciſco Titul. S. Sabinæ Presbytero Cardinali in nonnullis terris Rom. Eccleſiæ noſtro, & pro ipſa Eccleſia in temporalibus Vicario Generali. Relatione didicimus fide digna, quòd in vrbe & partibus eidem vicinis ſunt nonnulli deuoti Fratres Prædicatorum & Minorum Ordinum, qui zelo fidei accenſi ad partes vltramarinas ire deſiderant ad prædicandum infidelibus verbum Dei: Nos igitur, qui te ad vrbem & alias partes prædictas, pro magnis & arduis Eccleſiæ Romanæ negotiis, ac regimine populorum, terrarumq; eiuſdem Eccleſiæ, noſtrum & Romanæ Eccleſiæ Vicarium, cum pleno Vicariatus officio deſtinamus, de tua circumſpectionis induſtria plenariè confidentes, viginti quinque Fratribus Ordinum prædictorum, ſe ad partes vltramarinas ituros ſpontaneè offerentes, qui tamen vita & moribus commendabiles ſint, abſque licentia petita vel obtenta ſuorum Prælatorum, ſimul & diuiſim ad eaſdem partes vltramarinas accedendi, in eiſq; manendi, nec non quatuor loca in quatuor diuerſis terris pro Conuentibus ſuorum Ordinum fundandi, recipiendi, & in eis ſingulis ſingula oratoria cum campanili, cœmeterio & aliis officinis neceſſariis erigendi, & conſtruendi, & concedendi quòd omnibus priuilegiis, gratiis, immunitatibus & Indulgentiis ſuis Ordinibus, quorum profeſſores exiſtunt, ab Apoſtolica Sede vel aliis quibuſcumque conceſſis liberè vti poſſint, fel. record. Bonif. PP. VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis & eorumdem Ordinum conſtitutionibus, etiamſi auctoritate Apoſtolica confirmatis, nec non priuilegiis eiſdem Ordinibus conceſſis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcumque; etiamſi de ipſis ſpecialis & expreſſa mentio ac de verbo ad verbum in præſentibus ſit habenda, plenam concedimus tenore præſentium facultatem. Datum Auinion. Calend. Martij, anno ſexto.

VI.

Evgenii IV. Pontificis ſollicitudo pro regni Chriſti dilatatione, animiq; anguſtiæ pro occupatis regnis Chriſtianorum à Turca, & alia occupare anhelante, indicantur; quomodoq; ſtuduerit per Legatum, vt Poloniæ Rex, Hungariæ Principes, Barones, & alij in Turcam arma conuerterent pro Chriſtianorum liberatione à tyrannico iugo; & ex legatione fructus, quo-

Digitized by Google

quomodo extructo exercitu Turcam impediuerit, ne in Europam ſuas extenderet vires: ſæuitia in fideles, abominanda in ſanctis locis & ipſo ſanctiſſimo Chriſti Sepulchro patrata, aliaque tentata damna per Babyloniæ Soldanum in proxima Regna Pontificis, item diligentia vt præmiſſis & aliis malis occurreret, memorantur. Ad eleëmoſynas colligendas pro claſſe inſtruenda, Fratrem Iacobum de Primaditiis aliosque Minores mittit, & commendat. Ex archiuo Conuentus S. Pauli Fratrum Minorum de Obſeruantia apud Bononiam.

1.

EVgenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Vniuerſis & ſingulis, ad quos præſentes peruenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Satis notum eſſe mundo vidimus, quantis laboribus quantiſq; impenſis Græcos à Sacroſancta Romana Eccleſia diſſidentes diuina fauente clementia perduximus ad Catholicos fideiq; vnionem; & licet magnum fuerit negotium ipſos Græcos in varias diſtributos gentes, Trebalos, Illyrios, Flachos, Saluiates, Albanos, Iberos, Colchos, & alias ampliſſimas nationes, quæ Græcam Orientalem ſequebantur Eccleſiam, cum Occidentali Romana Eccleſia vnire, magni etiam laboris magnaq; expenſæ opus fuit Armenios Iacobitaſq; ad eamdem vnionem & interèa Aethiopes, gentem omnium totius orbis gentium maximam, ab extremis mundi partibus per multa maritima & terreſtia pericula pro cognitione veritatis Euangelicæ ad præſentiam noſtram perducere. Poſtq; opera ſoli Deo, ad cuius nominis gloriam acta ſunt, attribuenda, non pauca acceſſio fuit Chriſtiani nominis amplitudini chariſſimi in Chriſto filij noſtri Thomæ Regis Boſnæ ſubditorumq; ſibi populorum reductio ad fidei Catholicæ veritatem. Dum verò hæc talia tantaq; per clementiſſimam Dei inſpirationem magno ſtudio & ardentiſſima ſollicitudine operaremur, alia tamen maiori vrgentioriq; cura noſter animus continuò angebatur, dum conſideraremus iniurias fidei Chriſtianæ illatas, & magna cuiuſdam partis Chriſtianorum oppreſſiones, calamitates atque miſerias. Cùm enim Teucri, gens non ſolùm infidelis, ſed Chriſtiano nomini particulari quodam odio inimiciſſima, poſt occupatas ante octuageſimum annum eas Europæ partes, quas Græci incolunt, Thraciam, Macedoniam, Illyricum, Epyrum, Bulgariam, Albaniam, & latiſſimam Ruſſiæ plagam, maiorem quoq; Sclauoniæ & Dalmatiæ atque Hungariæ partem inuaſiſſent, & Germaniam Italiamq; viderentur quotidie inuaſuri, non poteramus animo quieſcere, & ſupradictorum Græcorum, Armeniorum, Iacobitarum, Aethiopum Boſnenſiumq; reductionibus plenè lætari. Hinc conſiſt in Dei noſtri benignitate maiora excogitare cœpimus, quàm quæ aliqui crederent effectum optatum ac tantoperè neceſſarium habitura. Et expeditione in Teucros iam quidem etiam, quando ſuperioribus implicabamur, animo deſtinata, primùm operam dedimus, vt in Regno Hungariæ, magnis diſcordiis & bellis ciuilibus lacerato, partim inducia fierent, partim pax conſtitueretur; per quæ vniti ac inuicem reconciliati Regni illius Principes & populi, fruentium tunc & omnia audentium Theucorum impetum morarentur. Miſſus quoque à nobis ad eam rem in Hungariam venerabilis Frater Cardinalis S. Angeli Apoſtolicæ Sedis Legatus: poſt factam pacem, chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Poloniæ, &c. Regem illuſtrem, & Regni Hungariæ Principes & Barones, alioſq; circumſtantes populos hortatus eſt, vt armis correptis prædictos innaderent Barbaros, & manum apponere inciperent liberandis ab illorum ingo populis Chriſtianis. Vnde factum eſt, vt huiuſmodi per Legatum noſtrum operationibus noſtris Ioannes ille Vaynoda, vir præſtantiſſimus, tantas de hoſtibus victorias reportauerit, quas in toto orbe non dubitamus eſſe notiſſimas. Factum eſt etiam noſtris ſuaſionibus & noſtra per Legatum diligentia, vt ſupradicti, Rex, Principes, Barones, & alij populi, victorias ſecuti à Vaynoda habitas, anno præterito magnum contra prædictos Teucros ducentes exercitum, eos ex plurimis Chriſtianorum prouinciis, quas diu oppreſſerant, expulerint, ac vſque ad Sophiam vrbem fuerint perſecuti; adeò vt, niſi claſſis, quam prædicta de cauſa anno præterito parari faciebamus, aliorum culpâ fuiſſet impedita, veriſimile ſit viſum, potuiſſe tunc conſummatam de prædictis Chriſti hoſtibus victoriam obtineri. Tantum tamen præſenti anno fecimus, tantum contendimus atque laboranimus, quòd claſſis ipſa maximis cum impenſis, in quibus à fidelibus Eccleſiaſticis adiuti fuimus, parata & miſſa fuit ad Helleſpontum, ſiue Gallipolis ſtrictum, dictis Barbaris claudendum, ne præſidia illis venire poſſint ex Aſia in Europam. Quamprimum namq; dicta claſſis in ſtricto prædicto viſa fuerit, non ſolùm audebunt Teucri ex Aſia trajicere in Europam, ſed illi, qui hucuſq; Europam preſſerunt, in Aſiam fugere conabuntur. Afferet etiam prædicta claſſis maximum adiumentum defenſioni regni Cypri, & inſulæ Rhodi, & aliorum locorum, quæ Fratres Ordinis ſancti Ioannis Ieroſolymitani tenent tamquam propugnacula fidei Chriſtianæ aduerſus Saracenos perfidiſſimos Chriſti hoſtes. Namq; immanis ille Soldanus Babyloniæ in ſanctam Ieroſo-

Grauis in Terra ſancta Religioſos & fideles perſecutio.

roſolymam ſanctiſſimamq; illius loca ſolito magis ſæuiens, proximis temporibus poſt afflictos verberatoſq; Religioſos, & alios ibidem habitantes Chriſtianos, poſt factas ab eis pecuniarum & aliarum rerum extorſiones, in tantam prorupit ſcelerum ſuorum æſtuationem, vt, ſancta Crucis ſanctiq; Dominici Sepulchri imaginibus ornamentiſq; depoſitis atque confractis, loca ipſa ſterquilinio omniq; immunditia fecerit inquinari; & quo nullum poteſt eſſe fœtidius ſterquilinium, omnes flagitiorum ſpurcitiarumq; actus, quibus infelices cinædi Sodomorum imitatores inquinari conſueuerunt, illis in ipſis ſacratiſſimis locis ad fidei Chriſtianæ ignominiam fecerit exerceri. Exinde idem Soldanus armata ingenti claſſe prædicta, Regnum Cypri Rhodumq; & eius loca inuadere, capere & omnibus malis afficere propoſuit. Quibus malis cùm nec Cypri Rex nec Fratres Ieroſolymitani Ordinis per ſe ipſos nullatenus valeant reſiſtere; Nos per claſſem ſupradictam & alia auxilia, quæ dante Domino quotidie præparamus, conabimur obuiare. In ea enim locorum propinquitate, quam ſtrictius Gallipolis, Cyprus & Rhodus inter ſe habent, facilitèr poterit prædicta claſſis vtrique expeditioni in tempore intereſſe, & fortaſſis præſtante Domino exercituum talia inchoare, per quæ ſancta Ieroſolyma & aliorum Terræ ſanctæ locorum à tantis oppreſſionibus, tantis ſordibus, tanta Barbarorum ſæuitia liberationi manum, iuxta vetuſtum primariumq; mentis noſtræ votum, poterimus apponere. Vnde intelligimus, nihil ad obtinendum Europæ liberationem & hoſtium fidei exterminium, ad defendendas quoque Cyprum & Rhodum, & alias earum partium Chriſtianorum inſulas & terras magis neceſſarium fore, quàm prædictam claſſem, quouſque in ſtricto videbitur neceſſaria, conſeruare, & diatim augere. Ad quam rem cùm maxima expenſa & vires noſtras ſuperante opus eſſe cognoſcamus, fideles Chriſtianos in partem tanti meriti duximus requirendos. Quare cùm dilectum filium Iacobum de Primaditiis de Bononia, Ordinis S. Franciſci de Obſeruantia Regulari, qui in prædicta expeditionis aduerſus Teucros negotio per multos annos antèa laborauit, ad quærenda pro hac re fidelium auxilia in partibus Italiæ deputauerimus, vniuerſitatem veſtram in Domino requirimus, & hortamur, vt ſiue ipſi, ſiue illis ex ſui Ordinis Fratribus quos duxerit ſubſtituendos, pro datis veſtrûm ſingulis à Deo noſtro facultatibus pecuniarum & aliarum rerum, quarum maiorem habebitis facultatem, auxilia præbeatis in ſupradicta claſſis aduerſus infideles conſeruationem, & nullos alios vſus exponenda. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto, tertio Idus Iunij, Pontificatus noſtri anno quatuordecimo, ſiue quartodecimo.

Maximus locorum ſanctorum contemptus

Hic Summus Pontifex dedit alias Bullas tum præfato Fratri Iacobo de Primaditiis, tum etiam aliis Minoritis, quibus committit, præter alia, eleëmoſynarum in primis collectam pro claſſe inſtruenda contra infideles, quæ allèguantur in præfato Monaſterio S. Pauli de Obſeruantia apud Bononiam, quas hìc exſcribere parum conducere iudicauimus.

VII.

PAVLVS II. ex antiqua Bemborum, ſiue, vt alij volunt, Barborum Venetorum familia, à Nicolao & Poliſena progenitus, & Petrus appellatus, ab Eugenio IV. auunculo Romam vocatus, & præclarè doctus, in ſacrum Cardinalium cœtum & Titul. S. Marci adſcriptus eſt. Hic mortuo Pio ſecundo Rom. Pontif. ſexto decimo vacantis Sedis die Pontifex, nemine diſcrepante, coronatur Romæ in gradibus ante fores Baſilicæ Principis Apoſtolorum die 9. Septembris 1464. Sedit in Pontificatu annos ſex, menſes 10. dies 29.

I.

Petro Maronitarum Patriarchæ Antiocheno mittit articulos quoſdam credendos, Patrum ſententiis comprobatos: electionem eiuſdem factam ſuper Eccleſiam Antiochenam & ordinationes editas approbat, ſpiritualem temporalemque concedens poteſtatem. Ei commendat Fratrem Grifonem & conſodales Franciſcanos; &, vt horum adhæreat dictis etiam ſuo nomine proponendis, mandat, ſeque, quoad fieri poteſt, ſacræ Romanæ Eccleſiæ conformet; & planetam ex propriis mittit.

PAulus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Venerabili Fratri Petro Patriarchæ Maronitarum Antiocheno nuncupato ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Virtutum Deus omnipotens, qui æterna legis imperio ſumma regit, & extrema non deſerit, ac ſuper vniuerſæ terræ latitudinem lumen ſuæ claritatis infundit, ſacroſanctam Eccleſiam Catholicam, omnium credentium Matrem, Dominam & Magiſtram, ſuper vnigeniti ſui Redemptoris noſtri velut lapidis angularis ſoliditate fundatam, diſpoſitione mirabili ſtabiliuit. Cuius gubernacula poſtmodum ipſius in terris Vicarius ac gregis Dominici Paſtor & Rector prouida eiuſdem Redemptoris ordinatione ſuſcipiens, pro cunctorum ſalute fidelium, quamus in remotiſſimis degentium regionibus,

bus, doctrinæ Catholicæ erudimenta ingerit, & viam, quæ iter pandit ad gloriam, eis verbo pariter & exemplo demonſtrat, dubia ſubmouet, & declarat, proq; zelo fidei illa eis benignè concedit, quæ ad ædificationem bonorum operum & ipſorum in ſtatu gratiæ conſeruationem proſpicit in Domino ſalubriter conuenire. Ex litteris ſiquidem tuis ad nos per dilectum filium Griſonem, Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia profeßorem, deſtinatis ac ipſius fide digna relatione accepimus, quanto feruore commiſſi tibi populi tuamq; ſalutem affectes, quantoq; deſiderio noſtram & Apoſtolicæ Sedis veram doctrinam in montibus ſanctis, id eſt Prophetarum, Apoſtolorum atque Doctorum documentis & ſacris inſtitutis fundatam ad animarum profectum conſequi cupias & amplecti. Ex quo exultauit cor noſtrum in Domino; & tuæ deuotionis ac fidei ſinceritatem paterna conſideratione attendentes, quæ piè deſideras, Fraternitati tuæ benignè duximus concedenda, & quidem magis, quò bona fama tua odor ad Apoſtolatus noſtri perlatus auditum, te in veræ fidei vnitate perſiſtere, & illius fulgore in dies illuſtrari ſentimus. Verùm, quia doctrinæ Apoſtolicæ cibum ſalutiferum tibi humiliter exhiberi efflagitas, Nos huic tuo pio & laudabili deſiderio pro zelo domus Domini & tuorum meritorum exigentia gratum præbentes aſſenſum, quoſdam articulos ſanctorum Patrum ſententijs comprobatos, quos firmiter videre & tenere cuncti fideles Chriſtiana profeßione meritò aſtringuntur, præſentibus annotari fecimus, & quos etiam tuam Fraternitatem non ſolùm credere, ſed affirmare, verùm & docere atque indelebili memoria ſcribi & publicari facere conuenit, vt nullus Catholicorum fidelium illorum ignorantiam prætendere valeat in futurum. Tenor verò articulorum eorumdem talis eſt.

Fidei articuli credendi ac proponendi.

In Trinitate vnica eſt natura, voluntas, potentia, operatio, &c.

Licet in ſancta Trinitate æterna, Patre, & Filio & Spiritu ſancto ſit vna eſſentia, vna natura, vna potentia, vna voluntas & vna operatio, iuxta ea quæ determinata ſunt per ſacroſanctum vniuerſale Concilium Nicænum primum, & iuxta auctoritatem ſancti Auguſtini Hipponenſis in interpretatione Euangelij ſecundùm Ioannem Homil. 22. dicentis; Faciamus voluntatem Patris, voluntatem Filij, voluntatem Spiritus ſancti; quia Trinitatis huius vna voluntas, vna poteſtas, vna Maieſtas; & iuxta dicta beati Baſilij Cæſarienſis Epiſcopi in interpretatione primi Pſalmi, vbi ait; Quorum autem vna natura eſt, horum eadem ſunt operationes; & iuxta dicta beati Gregorij Nyſſeni in Sermone contra Eunomium ſecundo, vbi ait, vnam voluntatem eſſe Patris, Filij & Spiritus ſancti: nec communio proteſtatur, dum in Domino noſtro Ieſu Chriſto ex tempore incarnatæ ſunt duæ naturæ, vnita in vno ſuppoſito diuino, ſcilicet diuina & humana, perfecta in omnibus proprietatibus ſuis, ſicut ex determinatione quarti Concilij ſcilicet Chalcedonij expreßè habetur. Similiter in ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto ſunt duæ voluntates, quantum ad proprietates naturales, id eſt, proprietates duarum naturarum, ſcilicet diuina & humana, vnita in vno ſuppoſito diuino, & concorditer in vnum, ſiue ſimul indiuiſæ, inconuertibiles, inſeparabiles, inconfuſæ, non autem ſeparatæ, neque contrariæ, ſicut ipſi hæretici dixerunt; & ſimiliter dicendum eſt de operationibus Chriſti. Agit enim vtraque forma, ſecundùm Diuinorum prædicatorem Leonem, cum alterius communione quod proprium eſt, Verbo ſcilicet operante quod Verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt. Et ſanctus Athanaſius in Sermone contra Appollinarium facto ait: Quando dicitur, Pater, ſi poßibile eſt, tranſeat à me calix iſte, tamen non mea, ſed tua voluntas fiat. & iterùm; Spiritus promptus eſt, caro autem infirma: duas voluntates oſtendit, tam humanam quæ eſt carnis, quàm diuinam qua eſt Deitatis. Et Cyrillus Epiſcopus Alexandriæ in interpretatione Epiſtolæ ad Hebræos ait: Si autem perſanctos nos fecit per aquam & ſpiritum, quomodo non operatus eſt diuinæ pariterq; humanæ? Hæc omnia manifeſtat decretum ſacroſancti ſexti Concilij ſub Conſtantino Principe in Regia vrbe celebrati, quod præſentium lator tibi oſtendet; cuius ſententijs & determinationi in omnibus acquieſcere & adhærere debet. Habet itaque in effectu Fraternitas tua, quod in his tenere debeat, quod docere. Et quoniam ad hæc & alia mandata Apoſtolica cum omni manſuetudine ſuſcipienda te promptum fore non ambigimus, eapropter ſanctæ recordationis Innocentij & Eugenij quarti Romanorum Pontificum noſtrorum veſtigijs inhærentes, electionem & nominationem, ſeu prouiſionem & profectionem de perſona tua Eccleſiæ Antiochenæ Maronitarum aliàs prouidè factas, omnia quoque iura & laudabiles conſuetudines ad tuam & prædeceſſorum tuorum eiuſdemq; Maronitanæ Eccleſiæ vtilitatem edita, & hactenus obſeruata de venerabilium Fratrum noſtrorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbantes & confirmantes, pro potioris cautelæ ſuffragio te eidem Maronitanæ Eccleſiæ denuò in Patriarcham præficimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem illius tibi in ſpiritualibus & temporalibus committens, firma ſpe fiduciaq; concipiens, quod, dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia per tua circum-

In Chriſti operationibus diſtincta à Diuinitate & humanitate proueniunt.

Maronitarum Patriarcha Antiochena præficitur Eccleſia.

In ſpiritualibus & temporalibus Maronitis præficitur.

circumſpectionis induſtriam & ſtudium fructuum regetur vtiliter, & proſperè dirigetur, atque grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa.

Admonetur, vt Fr. Grifonis & ſociorum doctrina intendat, & quantum fieri poterit, ſe conformet ritibus Romanæ Eccleſiæ, & in tribulationibus patientiam habeat.

Quocirca eamdem Fraternitatem tuam hortamur in Domino, vt doctrinis ſalutaribus ipſius Grifonis eiuſq; ſociorum diligenter intendas, eiusq; conſiliis noſtro nomine tribuendis acquieſcas, teq; moribus & ritibus noſtris ac ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ vniuerſali, quantum poſsibile erit, magis ac magis conformare, ac in tribulatione, paupertate & angustiis, quas pro experimento fidei & conſtantiæ tuæ permittit Omnipotens, patientiam habere ſtudeas, & procures; quoniam, vt inquit Apoſtolus Iacobus, Beatus vir qui ſuffert tentationem, quia coronam vitæ accipiet comprobatus; &, iuxta Apoſtoli Pauli ſententiam, Non ſunt condignæ huius ſæculi paſsiones ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: hæc enim momentanea, illa verò perpetua ſunt; & propterea patienter ferenda pro inæſtimabili pretio, ſiue præmio, æternæ beatitudinis conſequendo.

Mittit planetam Pontifex ex ſuis.

Poſtremò, mittimus tibi caſulam, ſiue planetam vnam ex noſtris, vt eo decentiùs atque deuotiùs altaris myſterio intendere, ac pro noſtra & vtili Eccleſiæ proſperitate Altiſſimum valeas exorare, prout cupimus, & in Domino noſtro Ieſu Chriſto attentiùs te hortamur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1469. Nonis Auguſti, Pontificatus noſtri anno quinto.

VIII.

SIXTVS IV. ex villa Albizzola, Piſcatoris filius, priùs Franciſcus Roboreus, vel de Ruere, Ligur, Diœceſis Sauonenſis, Ordinis Minorum, & eiuſdem Miniſter Generalis, poſteà Cardinalis Titul. S. Eudoxiæ, Romæ Summus Pontifex creatur anno 1471. die 9. Auguſti. Sedit in Apoſtolica Sede annos 13. & dies quinque.

I.

Vicario Generali Fratrum Minorum Ciſmontanæ Familiæ Apoſtolica auctoritate concedit, vt poſſit & debeat vnum ex ſuis Fratribus idoneum Nuntium ac Commiſſarium apud Maronitas deputare; qui per ſe, vel per alios, illos à quibuſuis peccatis ac cenſuris abſoluere poſſit, ab eiſdem interdicta tollere, vota omnia, caſtitatis & Religionis exceptis, commutare, aliaque præſtare, quæ Ordinis Matrimonijque Sacramenta & Iubilei Indulgentiam reſpiciunt. Ex Archiuo Bononiæ Obſeruantium.

SIxtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Suſcepti cura regiminis cor noſtrum continua pulſat inſtantia, vt ſolicitudinis debitum, ad quod vniuerſis Chriſti fidelibus Apoſtolicæ ſeruitutis neceſsitas nos obligat, eorum ſingulis, prout nobis ex alto conceditur, in his potiſsimè, quæ animarum eorumdem ſalutem concernunt, exoluamus. Cupientes igitur, vt Chriſti fidelibus in partibus infidelium Vltramarinis, & præſertim Patriarchatus Antiocheni, nunc & pro tempore commorantibus Maronitis nuncupatis, qui propter partium illarum à Romana curia diſtantiam facilè ad Sedem Apoſtolicam in eorum opportunitatibus recurſum habere non poſſunt, ne deſint quæ ad ſalutem animarum eorumdem neceſſaria fore noſcuntur, auctoritate Apoſtolica præſentium tenore ſtatuimus & ordinamus, quòd dilectus filius Petrus de Neapoli modernus, & qui pro tempore erit Vicarius Generalis Ciſmontanus Ordinis Fratrum Minorum Obſeruantiæ regularis, perpetuis futuris temporibus poſsit & debeat auctoritate prædicta deputare vnum dicti Ordinis profeſſorem litterarum ſcientia præditum, vitæ, munditiæ & morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus circumſpectum, in eiuſdem Sedis Nuntium & Commiſſarium apud Maronitas eoſdem, & illum ſic pro tempore deputatum ab eiuſdem Nuntij & Commiſſarij officio pro ſolo ipſius Vicarij nutu mouere, & loco eius alium ſubrogare toties quoties eidem Vicario videbitur opportunum. Nuntius verò & Commiſſarius ipſe ſit deputatus, durante eius deputatione huiuſmodi, Sedis dictæ Nuntius & Commiſſarius Viſitator, perinde ac ſi per Sedem ipſam immediatè deputatus ac nominatus foret; qui per ſe, vel alium ſeu alios idoneos, quibuſcumque Chriſti fidelibus partium Maronitarum, dumtaxat eorum confeſsionibus diligenter auditis, in ſingulis etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis caſibus, nec non à quarumcumque excommunicationum & ſuſpenſionum ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, etiamſi eorum abſolutio eſſet dictæ Sedi ex quauis cauſa reſeruata, toties quoties opus fuerit, de abſolutionis beneficio in forma Eccleſiæ conſueta prouidendi, ac interdicta, quauis etiam Apoſtolica auctoritate ex quauis cauſa pro tempore poſita, tollendi & amouendi; viſitationis liminum Apoſtolorum Petri & Pauli, & alia quæcumque vota per eos pro tempore emiſſa, caſtitatis & ingreſſus Religionis dumtaxat votis exceptis, in alia pietatis opera, prout ſecundùm Deum videbitur, commutandi; nec non ſuper quacumque irregularitate per eos ex quauis cauſa, præterquam bigamiæ & homicidij voluntarij contracta, quoad Ordines etiam ſacros, & in Altaris miniſterio, & ad beneficia quæcumque Eccleſiaſtica indigibiles, nec

Auctoritas conceſſa Vicario Generali qualis.

Auctoritas Nuntij.

non cum iis, qui inuicem quarto ſimplici, aut tertio ex vno, & quarto ex altero lateribus conſanguinitatis vel affinitatis gradibus inuicem forent coniuncti; vt matrimonium inter ſe contrahere, & in illo, poſtquam contractum fuerit, remanere, vel, ſi iam inuicem matrimonium ſcienter contraxerint, illis primitus ab exceſſu, cenſuris & pœnis propterea per eos incurſis abſolutis in forma Eccleſiæ conſueta, & ab inuicem ad tempus, de quo ſibi videbitur, ſeparatis, vt de nouo matrimonialiter copulari liberè & licitè valeant, ſuſceptam & ſuſcipiendam ex huiuſmodi prolem legitimam Nuntio diſpenſandi Apoſtolica auctoritate facultatem concedimus per præſentes: diſtrictiùs inhibentes eidem in virtute ſanctæ Obedientiæ, ne prætextu huiuſmodi ſibi conceſſæ facultatis in dicti Ordinis profeſſores aut domos aliquam ſuperioritatem exercere, aut illis aliquid mandare præſumat, niſi ſuper hoc ab eodem Generali Vicario ſibi fuerit conceſſa facultas, poteſtas & auctoritas attributa, cuius metas ſtudeat etiam obſeruare. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſq; contrariis quibuſcumque.

Eidem prohibita.

Conceditur facultas Maronitis conſequendi Iubilei.

Et inſuper, ne Chriſti fideles, qui anno Iubilei proximè decurſo eorumdem Apoſtolorum Baſilicas & Lateranenſis & ſanctæ Mariæ Maioris de Vrbe Eccleſias pro conſequenda Indulgentia eiuſdem anni viſitare nequiuerunt, vel non curarunt, effectu careant Indulgentiæ memoratæ, volumus; & eiſdem Chriſti fidelibus partium illarum, qui Eccleſias per ipſum Nuntium & Commiſſarium deputandas in partibus illis, diebus & temporibus per eum ordinandis, per annum à dato præſentium computandum, deuotè viſitauerint, præfata auctoritate concedimus, vt exinde verè pœnitentes & confeſſi eamdem plenariam Indulgentiam & peccatorum remiſſionem, ac cum Altiſſimo, cuius vices quamquam immeriti gerimus, reconciliationem conſequantur, quam conſecuti fuiſſent, ſi proximè decurſo anno prædicti Iubilei, Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicas & Lateranenſis & B. Mariæ Maioris de Vrbe Eccleſias prædictas ſtatutis per Sedem Apoſtolicam diebus, iuxta litteras deſuper confectas, perſonaliter viſitarent.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, ordinationis, inhibitionis, voluntatis & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1475. pridie Idus Febr. Pontif. noſtri anno quinto.

ANNOTATIO.

HIc aduertendum arbitror, præmiſſam auctoritatem Vicario generali Ciſmontano conceſſam, in præſentia reſidere in Miniſtro generali & Commiſſario item generali Seraphici Ordinis Ciſmontanæ Familiæ. Ratio eſt, quia licet illa auctoritas conceſſa fuerit Vicario generali dictæ Familiæ, quando Obſeruantes gubernabantur per Vicarios generales; in præſentia tamen, facta diuiſione inter Fratres de Communitate & de Familia, auctoritas Generalium Miniſtrorum & Vicariorum remanſerat apud Obſeruantes, ex notatis Lib. II. Cap. XIV. & ad hos pertinebit mittere dictum Nuntium. Et id ratio ac ius perſuadet, quia qui ſuccedit in onere, ſuccedit & in honore. Fuit verò illa auctoritas dicto Petro de Neapoli conceſſa, non vt particulari Fratri, ſed vt Obſeruantium Ciſmontanæ Familiæ Præfecto generali ac ſucceſſoribus eius, quales, quantum ad hoc, in præſentia ſunt Miniſter & Commiſſarius generales. Reſedit quidem in Generali Miniſtro, quia totius Seraphici Ordinis Caput & Prælatus tam Vltramontanæ Familiæ, quàm Ciſmontanæ. Reſidet in Commiſſario generali Ciſmontanæ Familiæ, ad quam Prouincia Terræ ſanctæ & Syriæ pertinet; & quia fuit illi pro tempore exiſtenti ac ſucceſſoribus eius conceſſa, & perpetuis futuris temporibus valitura, niſi aliter per ſucceſſores Summos Pontifices fuerit ordinatum.

Et notanda verba Bullæ, quòd dictus Vicarius vel Succeſſor eius *poſſit & debeat* mittere Nuntium dictum, &c. *toties, quoties eidem Vicario videbitur opportunum.* Quare non tantùm datur facultas mittendi dictum Commiſſarium Procuratorem, ſed præceptum imponitur: inuigilandum itaque Miniſtro & Commiſſario prædicto generali ſuper Maronitas, vt opportuno tempore præcepto Summi Pontificis ſatisfaciant, & illorum ſpirituali profectui proſpiciant. Verba namque Bullæ ſunt attendenda. Sed duo ſe offerunt circa præmiſſa dubia explicanda.

PRIMVM DVBIVM.

Ex qua Familia eſt Nuntius ille mittendus ad Maronitas, ex Ciſmontana, an ex Vltramontana? Et, quantum ad Commiſſarium generalé, videtur quòd deberet mittere aliquem ex Ciſmontana Familia cui præeſt, & non ex Vltramontana, ne falcem in meſſem alienam velle mittere videatur; nam in Vltramontana ius non habet. Saluo nihilominùs ſemper meliori iudicio,

aliter

aliter mihi videtur dicendum, quòd tam Generalis quàm Commiſſarius prædicti poſſunt Fratrem aliquem in Commiſſarium Apoſtolicum apud Maronitas aſſumere & mittere, non tantùm ex Ciſmontana Familia, ſed etiam ex Vltramontana, & toto Ordine. Ratio in primis eſt, quia illud indultum eſt priuilegium Principis & Supremi, quod latiſſimè eſt interpretandum, nec diſtinguendum, vbi nec ipſe nec lex diſtinguit, vt Iura docent; ſed in propoſito priuilegio nulla ſit diſtinctio Fratrum huius vel illius Familiæ, ſed abſolutè dictum, quòd poſſit *deputare vnum dicti Ordinis profeſſorem*, &c. Ad hæc, ſi ex toto Ordine accipiatur, magis ſatisfiet Pontificis intentioni, de mittendo *Ordinis profeſſore litterarum ſcientia prædito, vitæ, mundiciæ & morum honeſtate decoro*, &c. nam talis Religioſus & voluntarius inuenietur faciliùs & commodiùs in toto Ordine, quàm in altera ex dictis Familiis.

Ad rationem in contrarium dico, in caſu non mittere falcem temerè & contra iuſtitiam in meſſem alienam Commiſſarium generalem Ciſmontanum, ſed in meſſem Pontificis, & de illius mandato: eſt enim Pontifex totius agri, id eſt Ordinis Seraphici, ſupremus ac peculiaris Pater & Dominus, valens de eo diſponere vt ſibi magis placuerit, eligens hunc vel illum ad hoc vel illud opus, &c. Sicut etiam conceſſum Guardiano Ieroſolymitano pro Dei maiori gloria, & ſuauiori opportunioriq́ue ſanctorum locorum regimine, vt poſſit ad ſe vocare Fratres non ſolùm Familiæ Ciſmontanæ, ſed etiam Vltramontanæ, & totius Ordinis, etſi ipſe aſſumatur ex Familia Ciſmontana, & ad eam pertineant loca ſancta, & ipſe ſolus Prouinciæ ſiue Cuſtodię Terrę ſanctæ cuſtos ſit. Et hæc de primo dubio.

Dvbivm II.

Num dicta facultas reſideat etiam in Guardiano Ieroſolymitano: videbitur alicui quòd ſic, tum propter magnam auctoritatem, quam à Pontifice habet, quia eſt Commiſſarius Apoſtolicus; tum propter illam, quam illi conceſſerunt ante dicti Seraphici Ordinis Prælati.

Mihi nihilominùs videtur dicendum, virtute huius priuilegij talem auctoritatem minimè reſidere in Guardiano Ieroſolymitano. Ratio eſt, quia fuit à Pontifice conceſſa Vicario generali Ciſmontano præcisè, ac illius ſucceſſoribus, & non communicabilis aliis, quantum videlicet ad mittendum dictum Nuntium, &c. Quare nec ab hiſce potuit dictam ſuſcepiſſe auctoritatem.

Nec obſtat, quòd ſit Guardianus præmiſſus Commiſſarius Apoſtolicus cum magna auctoritate; quia hoc erit quantum ad alia, & non quantum ad prædictam facultatem; quia cùm peculiaris ſit, fuit ſpecialiter exprimenda. Deinde non quæritur, num Guardianus Ieroſolymitanus habeat hanc facultatem, quia hoc alibi dictum, ſed num habeat virtute prædicti priuilegij; & hoc eſt quòd negamus. Nec officit auctoritas illi ab Ordinis Prælatis conceſſa, quæuis illa ſit; quia iſta eſſet conceſſa in Ordine ad Fratres non ſæculares, ſupra quos non habent auctoritatem; at iſta ſæculares proprios Prælatos habentes reſpicit. Quare, &c. Poſſent tamen & opportunè ſatis dicti Generales, Miniſter & Ciſmontanus Commiſſarius, dictum Guardianum ad illud munus deſtinare; quia meliùs ac commodiùs, propter magnam ſufficientiam quæ in eo ſupponitur, & viſitandorum Maronitarum propinquitatem, tanto muneri operam dare poſſet: vel ſanè, ſi ipſe haud huic operi attendere poſſit, propter plurima & continua Terræ ſanctæ negotia, opportunè eligerent alterum ex Ieroſolymitanæ Familiæ Fratribus meliorem, propter eamdem rationem.

Fortaſſe præceptum illud Pontificis haud ſtat in præſentia in ſuo robore; quia per diſſuetudinem ac non vſum ferè oblitum; & quia non eſt modò tanta neceſſitas vt olim: nam in præſentia habent Epiſcopos & alios viros doctos ex Collegio Maronitarum Romæ aſſumptos, qui pro dignitate ſuæ nationis ſpirituali profectui attendere poſſent; & ſi Fratrum ſubſidio indigebunt, facilè in partibus illis præſtò erunt.

II.

Mandat Vicario Generali Fratrum Minorum, vt idoneum ex ſibi ſubiectis Fratribus, & cum altero, vel duobus coadiutoribus ſociis, viſitatorem mittat ad Maronitarum inſtructionem. Ibidem.

A tergo:

Dilecto filio Vicario generali Ordinis Minorum de Obſeruantia, quoad Fratres totius Familiæ Ciſmontanæ.

Intus verò:

Sixtvs Papa IV. *Dilecte fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Miſſuri vnum ad montem Libanum in Syria, qui noſtro ac huius ſanctæ Apoſtolicæ Sedis nomine Chriſtianos Maronitas illic exiſtentes viſitet, ac, ſi opus erit, in fide noſtra Catholica inſtruat, delegimus præcipuè Ordinem veſtrum beati Franciſci de Obſeruantia, de quo mittendum illuc ſumamus. Quare cùm arbi-*

tremur te de confratribus tuis optimam cognitionem habere, vt melior de persona mittenda electio fiat, per præsentes tibi committimus & mandamus, vt Deum præ oculis habens, vnum de prædicti Ordinis vestri beati Francisci tibi subditis Religiosum eligas, quem ad hoc magis idoneum & aptiorem esse duxeris, & quem noueris probum Religiosum bonæ famæ, & doctum esse ad illos Christianos instruendos, eiq; vnum aut duos socios viros bonos & Deum timentes adiungas, qui ipsum comitentur & iuuent; maximè cùm dilectus filius Ludouicus de Riperio, cui hanc commissionem dederamus, propter infirmitatem, qua Venetiis detinetur, iter suum prosequi non possit. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die quinto Octob. 1475. Pontificatus nostri anno 5.

IX.

VRBANVS VIII. Italus, ex ciuitate Florentiæ in Prouincia Hetruriæ, Maphæus anteà dictus, Antonij de Barberinis filius, S. R. E. Presbyter Cardinalis Tituli S. Onuphrij, Romæ die 6. Augusti 1623. Summus Pontifex pronuntiatus, & die 29. Septembris coronatus, qui nunc feliciter regnat, sanciuit:

I.

Vt Guardianus & Fratres Terræ sanctæ possint in itinere deferre denarios, & in eo & in Conuentibus & domibus ipsi subiectis expendere, & ex illis emere sanctuaria, & in alios pios vsus conuertere. Ex ipso autographo mihi è Roma transmisso.

AD futuram rei memoriam. Vt dilecti filij Guardiani pro tempore existentes Guardianiæ Ierosolymitanæ Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia nuncupatorum commissi sibi muneris curam eò liberiùs ac meliùs ad Dei gloriam ac pauperum subuentionem exercere valeant, quò amplioribus fuerint ab hac sancta Sede facultatibus suffulti: Supplicationibus dilecti filij moderni Guardiani Guardianiæ huiusmodi nobis humiliter porrectis inclinati, de venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio propagandæ fidei præpositorum consilio, eisdem Guardianis pro tempore existentibus, quòd in locis Guardianiæ huiusmodi subiectis, & in itinere pecunias eleëmosynarum sanctorum locorum, & earum, quæ illis eiusq; Fratribus, seu eorum domibus, Conuentibus & Ecclesiis in prædicta Guardiania constitutis pij fideles elargiuntur, contrectare, & adhuc cum Fratribus eorum iurisdictioni subiectis dispensare; si tamen fidelis Syndici copiam habere nequeant, qui illas recipere, custodire & erogare possit, super quo tam ipsorum Guardianorum quàm Fratrum conscientiam oneramus.

Duo primilegia. Primum.

Secundum.

Et insuper, quòd de prædictis eleëmosynis in sanctuarijs, quæ deuotionis causa, tam ab ipsis Guardianis, quàm ab eorum Fratribus donantur, emendis, necnon peregrinis, conuersisq; ad fidem Catholicam iuuandis, ac pauperum & miserabilium personarum necessitatibus subuenendis, & denique in missionibus ad eamdem fidem Catholicam propagandam factis vel faciendis, aut sustentandis, seu manutenendis, erogare liberè & licitè valeant; ita tamen, vt quando eleëmosynas pro conseruatione, restauratione & subsidio sanctorum locorum diuinisq; cultus in illis augmento relictas, non excedat in supradictos vsus quarta pars eius, quod adimpletis omnibus oneribus, pro quibus destinatæ fuerunt, supererit; de quo, prout nec de aliis quibuscumque eleëmosynis supradictis, Guardiani huiusmodi disponere nequeant modicum illorum, de quorum consilio de prædictis eleëmosynis, pro ipsorum necessitate, vtilitate, vsu & manutentione relictis, disponere consueuerunt, super quibus eorumdem Guardianorum & Fratrum conscientias pariter oneramus, Apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus & impartimur. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, ac felicis recordationis Pauli Papæ V. prædecessoris nostri, sub dato die 22. Ianuarij 1618. circa eleëmosynas editis, quatenus præmissis aduersantur, & non aliàs, & quibuscumque aliis litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis & innouatis. Quibus singulis & omnibus eorum tenoribus præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceteriq; contrariis quibuscumq;. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 21. Aprilis 1632. Pontificatus nostri anno nono.

Locus ✠ sigilli.

Marcus Acharaldus.

Præce-

Præcedentis Bullæ Summi Pontificis VRBANI VIII. *expoſitio.*

EX quo Libro II. huius Operis de Terra ſancta explicuimus, quantum licuit, omnes ferè gratias & priuilegia quæ prædeceſſores alij Summi Pontifices conceſſerunt locis Terræ ſanctæ & in eis habitantibus Fratribus, ſiue ad ea diuertentibus, placuit & hanc VRBANI Bullam proximè emanatam, quoniam ſingularia & valdè optata vtiliaq; continet priuilegia, expreſsè in aliis Apoſtolicis Bullis non contenta, pro ingenij imbecillitate dilucidare. Vt autem omnia facili negotio intelligantur, & ad praxim adduci commodè poſſint, tria explanabimus: Primò, gratias & indulta in ea contenta, quomodoque vera ſint priuilegia. Secundò, eorumdem intelligentiam proponemus. Tertiò denique, rationem, cur illa poſtulata & conceſſa fuerint, perquiremus, & nonnulla dubia cum eorum ſolutionibus explicabimus.

§. I.

Duo indulta proponuntur, & verè priuilegia eſſe oſtenduntur.

Duo priuilegia.

Primum.

QVantum ad primum, dico, in propoſita Bulla duo contineri præcipua priuilegia: alterum, quòd Guardianus ſacri Montis Sion & ei ſubiecti Fratres poſſunt licitè recipere, deferre in itinere, atque expendere eleëmoſynas pecuniarias ſibi à piis fidelibus erogatas, tum pro ſanctorum locorum conſeruatione, tum pro ipſiſmet

Secundum.

ſuſtentandis: alterum eſt, quartam partem earum, quæ pro conſeruandis & gubernandis locis ſuperſunt, poſſe eidem Guardiano & Fratribus deſeruire pro emendis ſanctuariis quæ in Terra ſancta elaborantur; qualia ſunt, cruces, coronæ, roſaria, &c. eaque elargiri peregrinis & aliis piis perſonis; inopiam & indigentiam pauperum ſubleuare; Miſſionarios præterea, à ſacra Congregatione de propaganda fide ad infideles pro illorum conuerſione ad Catholicam fidem diuiniq; cultus augmentum miſſos, adiuuare.

Prædicta indulta verè ſunt priuilegia.

Probatur, prædicta indulta eſſe verè priuilegia.

Ceterùm, prædicta indulta eſſe verè ac propriè priuilegia, inde apparet. Si enim priuilegium eſt ſingulare ius contra ius commune indultum, vt ex Doctoribus notauimus Lib. II. Cap. I. Notab. III. quis non videt, prædicta indulta eſſe contra communem Regulam & Inſtitutum Fratrum Minorum, ac conſequenter priuilegia? Et de primo quidem id manifeſtè apparet, tum alibi, tum ſingulariter cap. 4. Seraphicæ Regulæ, vbi hæc habet S. Franciſcus: *Præcipio firmiter Fratribus vniuerſis, vt nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per ſe vel per interpoſitam perſonam.* Et profectò clariſſimè & Summorum Pontificum & Doctorum declarationibus & Seraphici Ordinis conſtitutionibus firmatum, pecuniæ receptionem & denariorum ciuilem contrectationem ex eorum ſtatu interdici. Et de hoc nos Lib. I. Cap. LXXI. Si igitur Summus Pontifex, prædictis non obſtantibus, concedit Guardiano ſacri Montis Sion & Fratribus eius poſſe denarios vel pecunias per ſeipſos contrectare, atque ſecum in itinere deferre, priuilegium ſane & illud ſingulariſſimum dicendum erit.

Priuilegium quid.

Minoribus ex Regula interdicitur pecunia cõtrectatio.

Idem verò de ſecundo indulto oſtenditur. Emptio enim Minoritis ex eorum ſtatu eſt interdicta; qũa proprietatem & politicam ciuilemque ſoluendi obligationem ſupponit. Ad huius autem veritatis clariorem intellectum obſeruo, ex Seraphicæ Regulæ Expoſitoribus in illius caput 6. emere dupliciter accipi poſſe, lato modo & rigoroſè. Primo modo eſt, de pretio rei emendæ conuenire, & ſolutionem eiuſdem per perſonas idoneas procurare; excludendo tamen ciuilem obligationem, rei emendæ pretium perſoluendi; ſolumque rei ſimplicem vſum acquirere. Emere verò ſecundo modo & rigoroſè nihil aliud eſt, quàm contractu ciuili rem aliquam mediante pecuniario pretio comparare.

& emptio in rigore.

Quæritur modò, indultum Pontificis intelligendúmne eſt de lata an de rigoroſa emptione? Dico, de rigoroſa: ratio eſt, quia gratia & priuilegium Principis ſemper debet aliquid operari, vt alias ex iure notauimus. Non operaretur verò aliquid dicta conceſſio, ſi non intelligeretur de rigoroſa emptione: latam enim poſſunt exercere Minoritæ ſine ſpeciali priuilegio; quia non eſt illis ex Regula eorumq; ſtatu interdicta; quoniam nec proprietatem, nec ciuilem obligationem includit, nec rem ciuiliter poſſidendi. *Omnis verò actus*, vt habet Regula generalis, *in contractibus, ſi nullam dicat obligationem ciuilem, proprietatem aut pecuniæ vſum, Fratribus Minoribus licitus eſt.* Cùm ita poſſint Minores licitè emere, loquendo de emere in lata ſignificatione, quocumque ſecluſo indulto Pontificio, cùm in propoſita Bulla illis poſſe

Conceditur poſſe emere in rigore.

Latè ſumendo emere non prohibetur Minoribus.

Regula ge[illegible].

emere concedatur, equidem de emptione rigoroſa intelligenda erit, ne fruſtratoriam fateri cogamur.

Quartam partem ſuperabundantium eleëmoſynarum poſſunt expendere Fratres.

Secundò, priuilegium adhuc dicendum eſt, quia conceditur, vt quartam partem oblatarum eleëmoſynarum, quæ ſuperfluunt ad gubernationem Terræ ſanctæ, poſſint Fratres inſumere in emendis ſanctuariis, &c. quod, ſecluſo priuilegio, illis non liceret: quoniam eleëmoſynæ pro vno vſu erogatæ, ſine offerentium licentia in alium vſum nequaquam conuerti poſſunt; quia iſti verè, non Fratres, domini ſunt. Ita communiter Seraphicæ Regulæ interpretes. Non poterunt igitur Minores, ſtante illorum ſtatus puritate, ſecluſo ſpeciali indulto, ſuperfluum eleëmoſynarum pro ſanctis locis oblatarum, propria auctoritate expendere in ſanctuariis emendis, &c. Cùm itaque ex dicta Summi Pontificis facultate poſſint, ſtatuendum erit eam vere & propriè magnum eſſe priuilegium.

§. II.

Duo præmiſſa priuilegia declarantur.

AD ſecundum principale accedimus. In explicatione prædictorum priuilegiorum, vt illis Minores licitè & inculpatè ac cum fructu vti poſſint, quædam notabimus quæ in ipſa Bulla inueniuntur.

Declaratio primi priuilegij.

Quatuòr notanda ſunt pro clariori intellectu & licito vſu primi priuilegij. Primum eſt. Guardianus & Fratres poſſunt quidem expendere pecunias, non tamen abſolutè, & vbique, ſed in gubernatione Ieroſolymitana, & in aliis Conuentibus & locis eidem Guardiano gubernatori ſubiectis. Quare, virtute huius priuilegij, non poterunt Minores Conſtantinopoli, Peræ, in aliisque infidelium locis Ieroſolymitano Prælati minimè ſubiectis, deferre, contrectare ac expendere pecunias.

Vbi Fratres poſſint pecuniam expendere.

Secundum notandum eſt, quòd dicto priuilegio poſſunt ijdem Fratres vti nedum in locis ſanctis, ſed etiam in itinere: ſed id dupliciter intelligi poteſt. Primò, loquendo de itinere proficiſcentium ex Chriſtianitate ad infidelium partes, & ad ſancta loca. Secundò, de itinere quod à Fratribus ſuſcipitur, poſtquam ad Terram ſanctam peruenerint; vt cum prædicationis gratia, ſeu Sacramentorum adminiſtrationis, ab vno loco recedentes ad alterum migrare contingit. De quo igitur itinere intelligendum priuilegium? Reſpondeo probabiliter, quòd de vtroque, ſi tamen aliæ conditiones in Bulla poſitæ, de quibus poſteà, concurrant. Huius propoſitionis rationem ſumo in primis ab ipſo itinere, in quo ſpatij peragendi terminus à quo, & ad quem, includitur: quare in caſu noſtro iter comprehendet, nedum terminum ad quem, terras ſcilicet infidelium ſiue loca ſancta, ſed etiam terminum à quo ſit receſſus à locis Chriſtianorum vel infidelium. Et cùm de itinere à regione infidelium ad terras eorumdem non ſit dubitandi ratio, idem ex adducta ratione aſſeuerumus de itinere aſſumendo à Fratribus ex locis Chriſtianorum ad Terram ſanctam, vel ad alias infidelium partes.

in itinere inter infideles & ad infideles.

Difficultatis ſolutio.

Secundò, quia hoc indultum eſt priuilegium Principis ac ſupremi Principis, & propterea latiſſimè interpretandum, vt iura decernunt cap. *Cùm dilectus. de donat.* & c. *Priuilegium. de regulis iuris in 6.* Non ergo de iſto vel illo diſtinguendum itinere, ſed abſolutè de vtroque intelligendum.

Priuilegia Principis latiſſimè interpretandum.

Tertiò, quia, vt anteà diximus, priuilegium ſemper debet aliquid valere & operari: non valeret autem neque operaretur, ſi tantùm de itinere inter infideles intelligeretur; quia, eo ſecluſo, neceſſitate ac naturali lege, alio non occurrente medio, pro vita ſuſtentanda, vel ſimili alia cauſa, licet Minoritis pecuniam portare ac expendere, vt poſteà dicemus. Itaque, vt alicuius ſit valoris, intelligendum eſt iter, prout dicit ſpatium includens terminum à quo & ad quem, non ſolùm in terris infidelium, ſed etiam à regione Chriſtianorum ad loca ſancta & alia infidelium.

Semper aliquid operatur.

Quartò tandem, quia Summi Pontificis mens fuit ſatisfacere ſanctis locis, & Guardiani annuere petitioni: quod minimè factum fuiſſet, niſi ipſimet Fratres potuiſſent exceptas pecunias ad Terram ſanctam deferre; cum præſertim vt tute, ita clàm deferendæ ſint, & rarò in tali itinere ac tanta nauigatione inueniantur fideles ſyndici, & amici ſpirituales, qui fideliter ex charitate, ſine locorum ſanctorum periculo & damno, ſatisfaciant. Quare, ſaluò ſemper meliori iudicio, opinor poſſe Minores huius priuilegij virtute pecunias ex Chriſtianitate ad illas infidelium partes deferre, ac in itinere pro occurrentibus neceſſitatibus expendere, maximè ſi cautè id fiat, ad vitandum puſillorum ſcandalum. Si tamen fieri id commodè poſſet, multùm expediret, per fidelem ac pium virum, cui poſteà, vel etiam anteà ſecretò ſatisfacerent, huiuſcemodi neceſſitatibus occurrere.

Pontificis mens in ſua priuilegia.

Tertium notandum ſit. Non tantùm Guardianus Terræ ſanctæ, ſed etiam eidem ſubiecti Fratres poterunt prædicta facultate

tate

Fratres à Guardiano dispensati ipsi priuilegio vti possunt.

tate vti, cum hoc tamen discrimine, quia Guardiano solo Pontificis priuilegio id licitum erit, Fratribus verò non nisi facultatis à Guardiano dispensatione. Quare huius priuilegij ac dispensationis virtute, non puto exteros ac peregrinos Fratres posse pecunias expendere ac contrectare in Ierosolymitana peregrinatione: nec Fratres Terræ sanctæ poterunt in occurrentibus casibus pecunias expendere absque Guardiani dispensatione; quæ passim concedenda non est, sed graui tantùm ac iustissima existente causa, propter sublimem quam profitentur paupertatem.

Quæstio. Quæret aliquis circa hoc, num Commissarij deputati pro colligendis locorum sanctorum eleëmosynis in Christianitate, vel alij Fratres, possint inculpatè deferre pecunias Ierosolymam, & illis in itinere vti? Videbitur alicui pars negatiua vera; quia nec sunt Fratres Terræ sanctæ, nec consequenter ab illius Præfecto dispensati.

Responsio. Respondeo nihilominùs posse: ratio, quia ad illum finem quæsitum priuilegium fuit, & concessum; cedit enim in Terræ sanctæ commodum. Et sanè magnum esset dispendium & incommodum, si per solos Fratres familiæ Ierosolymitanæ possent licitè deferri pecuniæ; nec opportunè sanctis locis ac petitioni factum satis esset.

Ad obiectionem dicendum est: Esto, prædicti Fratres verè non sint familiæ Ierosolymitanæ, quia in eam non sunt adscripti; aliquo tamen modo ad eam pertinent, quia in ipsius famulatu & seruitio sese exercent: & in hoc à Guardiano pendent, nam illius nutu in necessariis pecunias expendunt; & secundùm æquitatem dispensati censentur, nam si Guardianus adesset, illos absque dubio dispensaret.

Vltimò, circa hoc notandum, licitum esse Minoribus huius priuilegij vsum, pecuniarum scilicet delationem & dispensationem, si fidelẽ syndicum adesse non contingat: si enim præsens esset, non Fratres, sed ipse deberet custodire & expendere pecunias, quia id illi ex munere competit, Fratribus verò ex Regula interdictum. Prudentissimè verò sanctissimus Pontifex ita sanciuit: quia cùm priuilegium hoc altissimam Minorum paupertatem relaxare videatur, non fuit nisi magna existente necessitate concedendum, & iustis ac conuenientibus causis eodem vtendum. Vnde onerat Fratrum conscientias, si illo præmissis conditionibus minimè existentibus vtantur: oculos ergo aperiant.

Secundi priuilegij declaratio.

Quantum ad secundi priuilegij declarationem, dico illud duo continere: alterum est (ex suppositione, quòd tot tantæque eleëmosynæ pro locis sanctis colligantur, quibus nedum illorum necessitatibus prouideatur, sed etiam superabundent, & aliæ adhuc Fratribus minimè necessariæ eisdem à fidelibus erogentur) Summum Pontificem concedere, vt Fratres quartam partem earum quæ supererit expendere possint in emendis sanctuariis, iuuandis peregrinis, piis viris, pauperibus, nec non ministris à sacra Congregatione de propaganda fide missis subuenire. Alterum est, interdici Guardianis expendere superfluentes eleëmosynas in quemlibet alium vsum, præter illos quos suprà iam declarauimus.

Secundum priuilegium duo continet.

De quarta superstite parte eleëmosynarum possunt Fratres emere sanctuaria.

In aliis passim expendi non potest.

Et primum quidem facultatem requirebat specialem, quandoquidem Minores ex ipsorum Regulæ vi non possunt eleëmosynas ad vsum vnum particularem elargitas in alios conuertere; quia earum domini non sunt, & ius ciuile in eas nullum habent, vt docent Expositores Seraphicæ Regulæ, & nos suprà indicauimus Lib. II. Capite XIV. Dub. II. circa quartum priuilegium, in prima conclusione. Et in proposito adhuc illis refragatur peculiaris Vrbani prohibitio, quæ in præmissa Bulla videri potest. Quare si ex superstite illa eleëmosynarum quarta parte licitè possunt Fratres emere sanctuaria, &c. est ob gratiam & Pontificis indultum.

Ratio primi.

Secundum similiter rationabilissimum est, quippe fundatum in obligatione ac conditione Regulæ & status Minorum. Offerentes enim siue dantes pecunias, sunt domini ipsarum quoadusque fuerint consumptæ, si sibi dominium reseruarunt; si verò illud non reseruarunt, nec penes eos manet, sed ad Summum Pontificem, communem Dominum & pauperum Patrem, transit. Quatenus verò peculiaris Minorum Pater, nec recipit dominium de superfluis & statui illorum pauperi repugnantibus, sed tantùm de necessariis, quorum vsum licitè Fratres habere possunt, vt Expositores docent. Quare magna cum ratione monet ac mandat sapientissimus Pontifex, ne Minoritæ dictas superfluas eleëmosynas expendant, neque se in illis ingerant; postquam tamen prouisum fuerit, vt decet, locis sanctis, & ex quarta parte superstitum eleëmosynarum empta fuerint sanctuaria ad elargiendum, & pauperum inopiæ ac Missionariorum indigentiæ consultum fuerit. Et in hoc onerat illorum conscientias.

Ratio secundi.

Quatuor proponuntur & diluuntur dubia.

Circa contenta in posteriori priuilegio

quatuor occurrunt dubia, quæ pro illius clariori intellectu proponenda & explicanda ſunt.

DVBIVM PRIMVM.

Quantum ad primum dubium: Quid intelligere debemus per pecunias & eleëmoſynas ſufficientes & neceſſarias, quibus locorum ſanctorum & Fratrum in eis habitantium inopia ſubleuatur, & quid per ſuperabundantes?

Quid ſint pecuniæ, eleëmoſynæ aliæque res ſufficientes ac neceſſariæ ad aliquem finem abſolutè conſequendum, vel etiam in reſpectu ad Minores Fratres inter fideles habitantes, & quid ſint ſuperuacaneæ ac ſuperabundantes, haud difficile eſt explicare; ſed non facile eſt id ipſum manifeſtare de eleëmoſynis & rebus aliis, quibus conſeruari gubernatique debent loca ſancta, & ſuſtentari ad illorum cuſtodiam deputati Fratres: vtrumque tamen, quantum fieri poterit, aperiemus, vt propoſito dubio lucem aliquam afferamus.

Quid dicatur neceſſarium ad aliquid ſimpliciter operandum.

Et quantum ad primum, de pecuniis, eleëmoſynis & quibuſcumque rebus aliis ad Rempublicam aliquam, peculiarémve aliam congregationem & familiam ſuſtentandam, aliúdve opus exequendum neceſſariis; dico illas ſufficientes ac neceſſarias dici, quibus poſitis, res illæ, ad quas pecuniæ vel alia media ordinata fuere, completum & perfectum eſſe recipiunt, & ſine quibus non: ſuperuacaneas verò appellari, quibus ſublatis, & neceſſariis poſitis, opus adhuc in ſuo perfecto eſſe conſiſtit, & quibus poſitis, opus tamen eſſe ſimpliciter minimè recipit. Et ſub iſtis ſuperfluis & non neceſſariis curioſa & pretioſa continentur. Exemplum ſit in domo, ad cuius ſtructuram plura concurrere poſſunt, alia neceſſaria, non neceſſaria, & ſuperflua alia. Neceſſaria ſunt, lapides, cœmentum, ligna, parietes & tecta ordinatè diſpoſita & coagmentata, quia ſine his exiſtere nequit; exiſtit verò hiſce ſolis poſitis, & aliis quibuſcumque ſublatis. Non neceſſaria verò & ſuperuacanea ſunt picturæ, ac alia ornamenta pretioſa, ſerica, aurea vel argentea; quoniam, iſtis poſitis vel ablatis, adhuc domus ſtructura in perfecto ſuo eſſe conſiſtit. Idem reſpectiue obſeruare poſſumus in humano victu ac politico regimine.

Quid ſuperfluum.

Neceſſitas quadruplex

Præterita,

Hic etiam ſcire proderit, multiplicem reperiri neceſſitatem, præteritam, præſentem, imminentem & futuram. Neceſſitas præterita dicitur, quæ præteritum opus reſpicit, cui neceſſariò ſatisfaciendum eſt; vt quærere ſolutionem pro rebus emptis vel acquiſitis; & ſi ſint ſoluenda ædificia priùs facta, ſatisfacere pro pannis iam pretio emptis.

Præſens,

Præſens neceſſitas eſt rei indigentia in præſenti, ita vt non detur locus expectationi; & hanc Nicolaus III. in cap. *Exiit.* artic. 3. appellat *neceſſitatem quæ pro tempore occurrit.*

Imminens,

Imminens vel ingruens neceſſitas eſt, quæ iam de propinquo apparet, & quaſi incipit eſſe; quia præuidetur breuî probabiliter euentura. Et dupliciter imminere dici poteſt: Primò, quando, etſi non ex toto, ex parte tamen incipit eſſe; vt, ſi murus cadere incipiat, ac ruinam minetur, vel ſi incipiant neceſſaria ad victum deficere. Secundò, quando necdum incipit quidem, certitudinaliter tamen euentura eſt, maximè ſi prouiſio requirit temporis ſpatium, vt, iuxta Nicolaum III. quando libri ſunt ſcribendi, & panni in locis remotis emendi.

dupliciter,

Futura.

Futura verò neceſſitas tantùm dicitur, quæ in euentu ſuo vel certitudinem non habet, quia æquè benè poteſt non contingere, ſicut contingere; vel nonniſi poſt multum temporis, cùm tamen ei prouideri poſſit in inſtanti quando eueniet, aut breui ſaltem tempore.

Minoritis in Chriſtianitate omnia interdicta ſuperflua.

Porrò Minoritis in Chriſtianitate ex paupere ſtatu, quem aſſumpſerunt, ſunt in primis ſimpliciter interdicta ſuperflua omnia, curioſa vel pretioſa. Secundò, poſſunt quidem pro neceſſitatibus præteritis, præſentibus vel imminentibus recurrere ad pecuniam, & ad amicos ſpirituales, vt ſibi conſulant, ſi non poſſunt alio modo ex Regula licito, vt laboritio ad honeſtatem pertinente vel mendicatione prouidere, ſed numquam pro futura neceſſitate. Ratio eſt, quia futura neceſſitas vera neceſſitas non eſt; quia tantùm eſſe poteſt, vel erit. Ita communiter Regulæ S. Franciſci Expoſitores in cap. 4. & ex illo deducunt; quia S. Pater præcipit, vt pro neceſſitatibus, veris inquam, recurrant Fratres ad amicos ſpirituales: ergo vera non exiſtente, qualem nos diximus eſſe futuram, ad dictum recurſum illicitum erit confugere.

Pro quanecceſſitate licitus recurſus ad amicos ſpirituales.

Futura neceſſitas non eſt vera.

Congregatio in futurum Minoritis in Chriſtianitate prohibita.

Hinc congregationes in futurum, & maximè per multum tempus, & abundantes ſunt Fratribus interdictæ, tamquam maximè repugnantes voto altiſſimæ paupertatis ab ipſis emiſſo, vt omnes eiuſdem Regulæ Interpretes in cap. 6. docent.

non in Terra ſanctæ.

Secùs res ſe habet in Fratribus in Terra ſancta habitantibus, & de prouiſione pro illa & ipſis præparanda, vt alterum indicatum caput referemus: ratio eſt, quia in Chriſtianitate plura non neceſſaria, ſed ſuperflua; curioſa & pretioſa in partibus infidelium neceſſaria deprehenduntur: huiuſmodi

modi ſunt, multæ pecuniæ, laneæ, ſericæ ac pretioſæ veſtes, copioſa ſupellex, & alia vana quæ deferuntur, vt dentur Turcis (vt ipſi optimè nouerunt) vt redimantur vexationes, maioreſque cuitentur expenſæ, & locis ſanctis melius conſulatur: quare quæ alibi ſuperflua & Minoribus interdicta, ibi valdè vtilia & neceſſaria dignoſcuntur; ac proinde omni meliori modo ab eiſdem Minoribus procuranda.

Prouiſio abundans & ad aliquod tempus licita.

Item in illis infidelium partibus prouiſio abundans & de multis rebus atque per multum temporis ſpatium licitè ac inculpatè fieri poteſt, & debet; quia quotidianis eleëmoſynis neceſſaria minimè ſubminiſtrantur, & periculum ſemper, ne ex Chriſtianitate tempore debito ſubſidia opportuna mittantur: & ſi mittuntur, ignoramus an ſalua & ſine periculo ad loca ſancta perueniant. Contigit enim aliquando (& id ſcio) per tres integros annos non fuiſſe miſſas pecunias, & pluries vel in itinere & in ipſis portubus ac termino fuiſſe à Chriſtiani nominis hoſtibus ſublatas. Continuò etiam timent Fratres, ne à ſchiſmaticis & Turcis variæ excitentur perſecutiones, quibus ad victum omnino neceſſaria impediantur, minuantur, vel penitus tollantur; & hoc probabiliſſimè, ipſa docente experientia: quare neceſſitas, quæ in aliis Chriſtiani orbis partibus futura, & minimè neceſſaria & vera eſſet, in illis infidelium erit vera & imminens cenſenda; & ideò ad pecunias, & ad plurium rerum & per multum tempus collectionem, & ad alia opportuna ſubſidia recurrendum, ſtatu & Regula Minoritana non obſtantibus.

Periula, quibus ſubiacent miſſa ad Terram ſanctam.

Collecta quando in Chriſtianitate Minoribus licita.

Et hoc totum licitè fit Minoritano ſtatu illibato permanente; quia & in Chriſtianitate licitæ ſunt rerum congregationes etiam per aliquod tempus, cùm eſſet multùm credibile, etiam expertis, non poſſe vitæ neceſſaria aliter inueniri, vel ob regionis ſterilitatem, vel quia loca ſunt in terris hæreticorum, vel illis proxima; & probabiliter timentur illorum proditiones & inuaſiones, vel ob alios ſimiles timores & euentus. Ita Clemens V. in ſua Decretali cap. 9. per totum. Ex longa verò experientia plurium annorum & ſæculorum exploratum habent Terræ ſanctæ Fratres, ſe non poſſe, vt decet, loca ſancta cuſtodire, niſi per indicatas prouiſiones & media, & ideò licitè ac neceſſariò procuranda.

Obiectionis ſolutio.

Nec in hoc dicendi ſunt Minores declinare à conſilio & exemplo Chriſti & Apoſtolorum vita. Dixit quidem aliquando in Euangelio ſuis diſcipulis Chriſtus: *Ne ſoliciti ſitis anima veſtra quid manducetis*, &c. Matth. 6, 25. & verſ. 34. *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum.* & cap. 10. *Nolite poſſidere aurum atque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris.* & diſcipuli tamquam veri ſui Magiſtri ſectatores ad eum dixerunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*, Matth. 19.

Viuendi ratio ex temporis & loci mutatione mutatur.

Ita quidem: ſed hæc minimè obſtant, propter diuerſas temporum & locorum circumſtantias, vt alia modò prætereamus: quando enim præmiſſa dixit diſcipulis Chriſtus, erat tempus pacis, erant illi in propria regione, inter amicos habitabant, & abſque nimia ſolicitudine omnia illis ad victum & veſtitum neceſſaria abundare poterant, vt abundarunt etiam poſt totalem omnium rerum abdicationem. Tunc voluit illos omnino à Dei prouidentia pendere, ac totum ſuum cogitatum Domino committere. Poſteà verò belli ac perſecutionis tempore ingruente, & ad barbaras hoſtilesque nationes profecturis, diuerſa mandauit; vt ſibi, inquam, de neceſſariis ad ſuſtentationem per aliquod tempus prouiderent. Attende: in ipſa veſpera, in qua Chriſtus comprehendi voluit, dixit diſcipulis ſuis: *Quando miſi vos ſine ſaculo & pera, numquid aliquid defuit vobis? ſed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram*, Luc. 22. quoniam diuerſa viuendi ratio ſeruanda eſt tempore perſecutionis, & pacis; & alio modo inter infideles & hoſtes viuendum, alio etiam inter fideles & amicos. Deinde in aliorum ſubſidium nónne illis aliquando loculi permiſſi fuerunt? Ita in propoſito dicendum: In Chriſtianitate ac pacis tempore Minores pro futura neceſſitate recurrere non poſſunt ad amicos ſpirituales, ad pecunias & ad abundantes multique temporis prouiſiones, vt ab illa ſubleuentur, quia iſta ſunt contra ſtatum quem profeſſi fuere; & debito tempore, ac opportunis aliis mediis, eleëmoſynis inquam, mendicatione & honeſto laborítio poſſunt ſibi conſulere: ſed non ſimiliter in præteritis, vel ſaltem præſentibus & ingruentibus neceſſitatibus; ideò pro iſtis recurſus ad amicos ſpirituales conceditur, & non pro illa.

Loculi aliquando Apoſtolis in aliorum ſubſidium permiſſi.

Infideles malè tractant fideles.

In præſentia verò, in infidelium oris, inter barbaras & inhumanas gentes, inter bonorum fidelium Fratrumque raptores, qui eleëmoſynas minimè elargiuntur, ſed ſurripiunt, & propter alia, Minoritis non tantùm pro præteritis, præſentibus, ſed etiam pro futuris neceſſitatibus ad pecunias & collectas pro non modico tempore, pro ſanctorum locorum conſeruatione, proprio & aliorum pauperum & peregrinorum ſubſidio, recurrere licet; poſſunt, ac debent.

Sed

Dubij solutio. Sed qualis quantaque debet esse huiusce modi prouisio? Respondendum, semper de magis necessariis & opportunis, honesta, rationabilis & moderata, prout Superiores experti ac prudentes iudicabunt, & occasiones tempusque docebunt. Difficile nihilominùs, ne dicam impossibile, arbitror, certum verumque iudicium dari posse certæ ac determinatæ quantitatis eleëmosynarum, pecuniarum aliarumque rerum necessariarum & sufficientium ad dictam locorum sanctorum honorificam manutentionem. Ratio est, quia illius firmitas ex euentibus accipi nequit; quia illi admodum varij ac dubij sunt: non est tamen dubitandum, quin ex euentibus & diligenti eorumdem obseruantia, & acri prudentium iudicio, diuina in primis fauente clementia, admodum probabile fieri, ac proponi possit.

Varij euentus Terræ sanctæ.

Vnde minores expensæ. Variantur quidem expensæ, minuuntur inquam, vel augentur ex his: minuuntur, si Ierusalem Gubernatores & alij Terræ sanctæ ministri humani ac modesti sint, si iusto vectigali ac tributo contenti, ac etiam quibusdam aliis extraordinariis muneribus; si rarò mutentur; si à schismaticis & infidelibus persecutiones & calumniæ, quas auanias vocant, non excitentur: quare multùm proderit, beneuolè & amicè, vt Christiana docet pietas, tractare; nam ex Catholicorum & schismaticorum dissidiis impinguatur Turca, plures scandalizantur, & Dei nomen blasphematur. Econtrà augentur ex cupiditate ac crudelitate infidelium ministrorum, ex eorumdem frequenti mutatione, ob transitum præcipuorum Turcarum, quos muneribus honorare oportet; & maximè propter rixas & discordias & charitatis defectum. illud enim verissimum,

Pacis vtilitas, & discordiæ pernicies. *Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ quæq; dilabuntur.* Hinc videmus, aliquando à Guardiano per solum anni spatium præsidente modicas factas expensas: aliquando expensa sunt octo millia scutorum, aliquando decem, nonnumquam viginti, &c. Quare difficile admodum est, certò & determinatè assignare quantitatem expensarum quæ pro Terræ sanctæ conseruatione fieri possunt, ac consequenter, quæ prouisio pro illis subleuandis facienda.

Responsio ad dubium initio positum. Ad dubium igitur breuiter ita respondeo, Pontificis mentem esse, vt eleëmosynæ & subsidia Terræ sanctæ sint ita necessaria & sufficientia, vt illis semper subueniri possit, in omnibus, inquam, necessitatibus præteritis, præsentibus, imminentibus & futuris, semperque sint in potestate illorum, quibus illius cura demandata est; ne illorum defectu, in discrimen loca sancta adducantur, vel etiam auferantur à Catholicorum custodia, & dentur schismaticis ac Turcis; sicut ex necessariæ subuentionis defectu non semel nouimus factum. Nec Pontificis tam pij cogitatum aliud esse suspicari possumus, quippe qui loca sancta pluris æstimet omnibus totius mundi thesauris.

Superflua quæ dicuntur in Terra sancta. Sed quænam dicentur eleëmosynæ vel res aliæ in illis partibus superfluæ, & ad regimen locorum sanctorum minimè necessariæ? Respondeo, superfluitatem ex duplici capite accipi posse, vel ex quantitate, vel ex qualitate. Ex quantitate, quando post præteritarum necessitatum subuentionem, præsentium & ingruentium, adhuc remanent pro futuris quæ probabiliter sufficere possint, & insuper aliæ: has in quantitate superabundantes dicimus. In qualitate verò, quando sunt tales ex Christianitate delatæ, quæ parum in partibus illis æstimantur, nec Turcis satisfit, vnde vt inutiles ibi per multum tempus remanent; hæc verò iudicio & experientia dignoscuntur. Et hæc de isto primo dubio proposita sint, saluo semper meliori iudicio.

In quantitate, & qualitate.

DVBIVM II.

Secundum dubium est: Quid per quartam partem eleëmosynarum in sanctuariis emendis, &c. expendendarum intelligat Summus Pontifex. Ratio dubitandi ex duplici capite oriri potest: in primis, quia eleëmosynæ quæ à piis fidelibus offeruntur, vel à Fratribus emendicantur, sunt vel pro sanctis locis, pro illis, inquam, conseruandis, restaurandis & reparandis; vel sunt pro ipsismet Fratribus, vt illis victus & vestitus suppeditetur. Et tam istæ quàm illæ, vel sunt tantùm sufficientes pro sanctis locis & Fratribus, vel etiam superfluentes. Hæc eleëmosynarum distinctio manifesta est, atque in Bulla Pontificis insinuata. Dubitatur modò, de quibus eleëmosynis intelligat Summus Pontifex, de prioribúsne, an etiam de posterioribus diuisim, an de omnibus coniunctim. Tria hæc membra exemplis illustro. Quantum ad primum, de solis eleëmosynis pro locis sanctis oblatis: sint illæ 100. scuta aurea: horum tres partes, 75. videlicet, sufficiunt pro sanctis locis, quarta pars redundans erunt 25. quæri potest, an facultas concessa expendendi quartam partem eleëmosynarum sit respectu illorum 25. scutorum.

Ratio dubitandi. Prima.

Eleëmosynæ aliæ pro sanctis locis, aliæ pro Fratribus elargitæ.

Exemplum secundi: Sint eleëmosynæ collectæ pro sanctis locis & Fratribus scuta 115. consumantur 15. pro Fratribus, & 100. sanctis locis assignentur; quorum quarta pars sunt 25. quæri posset, num tribus

bus aliis partibus, videlicet 75. expensis pro locis sanctis, det Pontifex facultatem expendendi quartam aliam partem, hoc est 25. pro sanctuariis & aliis piis operibus suprà indicatis. Tertij exemplum sit: vt si ex 100. scutis pro sanctis locis & Fratribus collectis, tribus partibus pro eorum subleuatione insumptis, detur facultas expendendi quartam partem in sanctuariis, &c.

Secunda ratio dubij.

Deinde, esto, Summus Pontifex possit intelligi disiunctim de primo & secundo membro, vel etiam copulatiuè de omnibus; dubitari adhuc potest, an quartæ partis nomine intelligere debeamus totam ipsam eleëmosynam, quæuis illa sit, sufficiens aut superabundans, pro sanctorum locorum conseruatione erogata, an potiùs de quarta parte superabundantis. Vt, verbi gratia, sunt oblata scuta 200. potest quartæ partis appellatione intelligi vel de totis 200. ex quibus quarta pars, 50. videlicet, excipiatur, suppositò 150. sufficere conseruationi locorum, & illa insumatur in sanctuariis, &c. vel potiùs ex quarta parte superfluente, scilicet, ex solis 50. scutis quarta pars in prædictis piis vsibus distrahatur.

Responsio ad primam dubitandi rationem.

Responderem probabiliter, primò ad primam rationem dubitandi, verba Pontificis intelligenda in primo explicato casu, de eleëmosynis scilicet præcisè ipsis locis sanctis relictis; ita enim videntur illa sonare; nam post explicatum priuilegium & concessionem Pontifex sic subiungit: *Ita tamen, vt quoad eleëmosynas pro conseruatione & subsidio sanctorum locorum, diuinique cultus in illis augmento relictas, non excedatur in supradictos vsus quarta pars eius, quod adimpletis omnibus oneribus, pro quibus destinatæ fuerunt, superfit.*

Alia responsio.

Sed nec immeritò posset quis intelligere quartam partem in tertio sensu adducto, de eleëmosynis oblatis simul tam locis sanctis quàm Fratribus. Ratio est in ipso verborum contextu; dicit enim, *diuinique cultus augmento relictas:* augetur verò diuinus cultus, dum in sanctis illis locis Fratres sacra obeunt munera & sacrificia; quod non fieret, si ex oblatis eleëmosynis non sustentarentur.

Minùs probabilis.

Verùm prima responsio probabilior mihi videtur; nam posteà sermo fit de aliis eleëmosynis haud propriè ac præcisè pro sanctis locis erogatis: *Prout nec de aliis quibuscumque eleëmosynis pro ipsorum*, id est Fratrum, *necessitate, vtilitate*, &c. *relictis disponere nequeant*, &c.

Responsio ad rationem.

Nec ratio in hanc partem adducta quidquam valet; quia licet ex eleëmosynis Fratribus relictis diuinus cultus augeatur, non videtur nihilominùs Pontifex locutus de augmento ex isto capite proueniente, sed de altero, ex conseruatione & manutentione locorum sanctorum procedente, quia immediatiùs. Et sanè multùm diminueretur diuinus cultus, si sacra corruerent loca; quemadmodum conseruatur & augetur, dum ea conseruantur, & cum decore gubernantur.

Ad secundam dubitandi rationem.

Ad secundam dubitandi rationem respondeo, nomine quartæ partis intelligi superabundantem, postquam sufficienter prouisum est locis sanctis, siue accipiatur de tota ipsa eleëmosyna, siue solùm de illa quæ pro sanctis locis dispensanda est. Ratio est, quia si esset etiam de necessaria intelligenda, concessio Pontificis cederet aliquando in damnum locorum sanctorum: quia non raro accidit, eleëmosynas pro locis sanctis gubernandis non solùm supereſſe, sed nec sufficere: quare si ex illis quarta illa pars demeretur in dictos pios vsus expendenda, opportunum subsidium locis sanctis deficeret, vt constat: quod esset maximum incohueniens contra æquitatem & Summi Pontificis dantiumque rectam intentionem; scilicet, ante omnia in integrum sanctis locis subueniendum esse, ac deinde aliorum deuotioni & indigentiæ, præsertim quòd istis poterit aliunde esse consultum. Itaque quarta pars, vel erit quarta quæ ex tribus sufficientibus regimini locorum sanctorum excipitur, vel erit de quarta ex solis superfluis totius collectæ eleëmosynæ.

Responsio confirmatur.

Ita intellexit & dixit doctus ac grauis Pater, qui præfuerat locis sanctis, dum in quodam consessu quatuor S. R. E. Cardinalium negotia Terræ sanctæ pertractantium dixit, numquam fuisse nec futuras esse in Terra sancta eleëmosynas, ex quibus post sanctorum locorum conseruationem quarta pars remaneat, quæ in alios vsus distrahi possit: & responsionem purpuratus ille S. E. Senatus approbauit. Recipio huius viri responsionem, & approbo rationem, dum tempora hæc calamitosa considero, in quibus charitas refrixit, & multorum abundat iniquitas: si verò elapsa tempora respiciamus, superfluebant eleëmosynæ pro sanctis locis elargitæ: & benè sperandum in posterum similiter futurum, vt posteà dicemus.

DVBIVM III.

Tertium dubium est, num Fratres Minores Terræ sanctæ teneantur sub præcepto dictam quartam partem superfluentium eleëmosynarum Terræ sanctæ in suprà explica-

Ratio dubij. plicatos pios vſus expendere. Et videtur eos teneri; quia hoc tendit in fidei ac pietatis augmentum, quod maximè inhiat Summus Pontifex, quia ſuam circa hoc aperuit mentem: quare, ne defraudetur, Fratres ſub pœna tranſgreſſionis præcepti debent quartam illam ſuperfluentem pecuniæ partem in ſupradictos vſus expendere.

Reſponſio ad tertium dubium. Reſpondeo, oppoſitum mihi videri verum. Ratio eſt; quia illud non ſonant verba Bullæ, quæ attendere debemus, quia tantum valent quantum ſonant: & tamen contrarium magis quàm propoſitum ſonare videntur. Pontifex enim non dixit *debeant*, ſed *valeant* erogare in explicatos vſus: hoc autem verbum libertatem ſignificat, non obligationem.

Pontifices voluerunt Fratres à terrenis abſtractos: Præterea, ſi alij prædeceſſores Summi Pontifices voluerunt Fratres ab externis & ſæcularibus curis ſemotos eſſe, vt in *humilitate ſpiritus & contemplationis ſuauitate ſincerius & quietius poſſent Altiſſimo famulari*, vt Summi Pontificis Martini V. verbis vtar; ac ideò, vt Syndicum Apoſtolicum habere poſſent, conceſſerunt, qui illis ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria prouideret; credendum erit, præſentem piiſſimum Pontificem Vrbanum VIII. voluiſſe eoſdem Fratres ſub præcepto non in proprium, ſed in aliorum commodum occupare? minimè profectò. Liberum ergo eis erit, ex vi iſtius conceſſionis ita ſe gerere, prout charitas, ſalus propria & proximi zelus ſuggeſſerit. Niſi enim Fratres illis piis operibus ſe immiſcerent, alios idoneos miniſtros opportunè prouidus Pontifex prouideret. Hanc ergo illis liberam conceſſit facultatem, quia ſunt in Terra ſancta; vbi frequenter accidit, vt ſatis conuenienter Fratres ad dicta opera incumbant.

Ideò Syndicum illis conceſſit.

Ad rationem dubij. Ad rationem verò in contrarium dico, poſſe quidem commodè per Fratrum miniſterium fidem ac pietatem propagari: ſed noluit pius Pontifex quantum ad hoc illos onerare & conſtringere, propter ſtatum & ſublimem quam profeſſi ſunt paupertatem; ſatis ei fuit vt ſuam aperiret mentem, daturus operam eidem fidei ac pietatis augmento per alios miniſtros & eleëmoſynas, ſi Fratres ipſi iuxta datam facultatem non ſatisfaciant.

DVBIVM IV.

Quartum dubium eſt: Quid facient Fratres de ſuperfluis eleëmoſynis, poſtquam ſanctis locis & Fratribus prouiſum, & piis illis rebus ſatis operis fuerit impenſum, & adhuc aliæ ſupererunt? Ratio dubitandi eſt; quia iuſtè quidem Pontifex vetat, ne ſe in illis ingerant Fratres, ſed cui, vel quibus illas fidere vel committere debeant, non exprimit. Num dandæ pauperibus, vel in incertorum repoſitorium deponendæ, an potiùs Epiſcopo Diœceſano, vel ſupremo totius orbis Epiſcopo Romano Pontifici?

Ratio dubij.

Reſponſio. Reſpondeo, vel nos loqui de ſuperfluis eleëmoſynis Fratribus oblatis, vel ipſis ſanctis locis relictis & conquiſitis: ſi de primis, & offerens, ſiue donans, ſibi dominium reſeruauit, eidem tradendæ, non pauperibus, non Epiſcopo, ſiue Pontifici. Patet; cuicumque enim tradendum quod ſuum eſt: ſed prædictæ eleëmoſynæ ſunt dantis, cùm ſibi dominium reſeruauerit.

Obiectio ſolutio. Si obijcias, illorum dominium, ex quo datæ fuerunt Fratribus, Papam tamquam ſpecialem illorum Patrem comparaſſe, vt accidit in aliis eleëmoſynis. Reſpondeo id omnino falſum; quoniam Papa vt ſpecialis Dominus & Pater Minorum non recipit in ſe quarumcumque eleëmoſynarum illis erogatarum dominium: quia non ſuperfluarum, non illarum quarum dominium dans ſibi reſeruauit, donec fuerint vſu conſumptæ, ſed tantùm neceſſariarum, quarum vſumfructum habent habereq; licitè poſſunt Minores ex eorum ſtatu, quarumque dominium dans minimè ſibi reſeruauit. Ita expreſsè Nicolaus III. c. *Exijt qui ſeminat.* artic. 3. §. *Ad hæc cùm Fratres.* Sed in propoſito ſermo eſt de eleëmoſynis Fratribus ſuperfluis, & quarum dominium donans ſibi reſeruauit; quare huic (ſi inueniatur debita adhibita diligentia) reſtituendæ ſunt, non autem pauperibus, ſiue Diœceſano Epiſcopo, vel Papæ. Si verò ille haud inueniatur, illis dari poterunt, ſicut & alia incerta reſtituuntur, & apoſtatarum bona, quorum vſus Fratribus eſt illicitus, vt ſunt pecuniæ, veſtes ſæculares, & huiuſmodi; quia horum dominium numquam in ſe Papa admiſit. Et ſi Papa in tali caſu dominium reciperet, non vt Pater & Dominus ſpecialis Fratrum Minorum, ſed vt vniuerſi ſupremus Epiſcopus, & omnium fidelium & pauperum communis Pater & Dominus.

Quarum eleëmoſynarum ſibi dominium Papa excipit.

Si verò ſermo ſit de eleëmoſynis locis ſanctis relictis, certiſſimum eſt non pertinere ad Fratres, ſicut nec præcedentes, tum eorum ſtatu prohibente, tum ſpeciali prohibitione Vrbani in Bulla expreſſa. Ad quem ergo pertinebunt? Certe ad Romanum Pontificem, omnium quidem Eccleſiarum, ſed in primis Ieroſolymitanæ caput præcipuum & columen.

Solutio ſigillatim explicatur. Duo dicit Primum. Vt verò in hac difficultate clariùs me explicem, duo dicam: alterum eſt, nos Summum Pontificem poſſe dupliciter conſiderare, vno modo, vt eſt peculiaris Pater ac prote-

Pontifex duplicitèr considerari potest.

protector Minorum Fratrum; alio modo, vt est totius Ecclesiæ, imò mundi Pater & Dominus. Si priori modo consideretur, superfluæ eleëmosynæ & Fratribus illicitæ non sunt illi restituendæ; quia, vt non semel attigimus, numquam in se illarum admisit dominium: si verò sermo sit de eleëmosynis ipsis sanctis locis & Ecclesiæ Ierosolymitanę relictis, dico, nec ad ipsum Summum Pontificem pertinere; quia non est illius peculiaris Episcopus. Quare, secundùm hanc considerationem, probabiliter sentio, dictas eleëmosynas dandas esse pauperibus Ecclesiæ Ierosolymitanæ, & illius Antistiti ac Moderatori, vt Ecclesiæ sibi commissæ suorumque pauperum necessitatibus consulat, prouideat præsentibus, & ad futuras prospiciat.

Si verò Pontifex in secunda significatione accipiatur, dicendum, ad illum omnino pertinere, & suo nutu dispensandas esse.

Suprema potestas in Pontifice Spiritualis.

Assertio ista fundatur in absoluta Romani Pontificis potestate, non solùm spirituali, sed etiam temporali. Quod ad spiritualem, eam in illo residere, conuenit inter omnes Catholicos, quandoquidem illi dixit Dominus: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis,* Matth. 16, 19. De temporali verò, etsi aliqua sit inter eos differentia, ad nostrum tamen intentum conueniunt omnes. Sunt itaque de temporali Summi Pontificis potestate duæ Catholicorum Doctorum sententiæ. Altera est, Summum Pontificem iure diuino habere plenissimam potestatem in vniuersum orbem terrarum, tum in rebus Ecclesiasticis, tum in politicis. Ita docent Augustinus Triumphus in Summa de Potestate Ecclesiæ quæst. 1. art. 1. Aluarus Pelagius lib. 1. de Planctu Ecclesiæ, cap. 13. & multi Iurisconsulti, vt Hostiensis cap. *Quod super his. de Voto & voti redemptione.* Panormitanus in cap. *Nouit. de Iudicis.* Siluester in Summa, de Peccatis, verbo *Papa.* §. 2. & alij non pauci.

Temporalis

De temporali duæ sententiæ. Prima.

Secunda.

Altera sententia & communis Theologorum est, Pontificem vt Pontificem directè & immediatè nullam habere temporalem potestatem, sed solùm spiritualem; tamen ratione spiritualis & vniuersalis Monarchiæ habere saltem indirectè potestatem quamdam, eamque summam, in temporalibus. Ita Henricus Quodlib. 6. q. 25. Ioannes Driedo l. 2. de Libertate Christiana cap. 2. Ioannes de Turrecremata lib. 2. Summæ cap. 113. & seqq. & alij quàm plurimi. Lege Bellarminum Controu. 3. generali lib. 5. qui est de Potestate Pontificis temporali. Igitur si primam sequamur sententiam, compertum, ad Summum Pontificem prædictas eleëmosynas pertinere; quia Dominus temporalis omnium. Si etiam teneamus cum secunda, & ad eumdem deferuntur dictæ eleëmosynæ, vt illas in augmentum fidei & Ecclesiæ vtilitatem conuertat; id enim sui muneris est.

Secundum dictum.

Alterum dictum est, Fratres vel quosuis alios, qui dictas eleëmosynas receperunt, vel apud se depositas habent, nullo modo debere in illis sese ingerere, dando illas pauperibus, vel Episcopo, vel quouis alio modo dispensando. Ratio est; quia ita Summus Pontifex mandat; & Frattum aggrauat conscientias, si secùs fecerint. Quare arbitror teneri Fratres, & sanctorum locorum Syndicos & Commissarios, certiorem reddere Summum Pontificem de statu locorum eorumdem, de superfluis eleëmosynis tam sanctis locis quàm Fratribus relictis, & quid de illis faciendum sit, expectare. Et sanè specialis videtur habenda ratio eleëmosynarum Terræ sanctæ, cùm sciamus, Summos Pontifices illas semper plurimùm commendasse, & pro illius recuperatione & eiusdem conseruatione; propterea quę elargientibus speciales gratias & priuilegia concessisse. Et hæc de secundo principali.

De superfluis eleëmosynis Pontifex admonendus.

§. III.

Causa petitionis & concessionis præmissorum priuilegiorum aperitur.

QVantum ad tertium principale initio propositum, de causa scilicet petitionis & concessionis dictorum priuilegiorum non immeritò inquirendum videtur. Posset porrò quispiam quærere, quænam illorum petitionis & concessionis fuit necessitas? An quia sine illis non poterant Minores rectè ac inculpatè loca sancta gubernare, propter arctum & pauperem quem profitentur viuendi statum; ac ideò indiguerint priuilegiis quibus ille mitigetur, vel relaxetur? Sed absit hoc nedum dicere, sed nec excogitare quidem: quandoquidem non inculpatè modò, sed magno cum fructu & laude, non solùm multis annis, sed sæculis aliquot illa gubernarunt loca. Præfuerunt antiquis temporibus locis sanctis pij, docti ac probatissimi viri absque expressis illis priuilegiis; quæ si necessaria vidissent, absque dubio petiuissent, & concessissent prædecessores Pontifices, vt ab vno & solo posteriore Guardiano petita, illorum Successor Vrbanus VIII. anno Dom. 1632. concessit: & si non concessissent, dubio procul gubernationi renuntiassent; quia cum diuini honoris dedecore, & salutis animarum pericu-

Ratio dubitandi.

lo loca ſancta gubernanda non ſunt; ſed imperante Pontifice laudabiliter gubernarunt. Et iſtorum exemplum ſufficere debebat poſterioribus Guardianis, ad tollendam omnem ambiguitatem & ſcrupulum qui oriri poterat gubernando loca ſancta ſine illis priuilegijs: in dubijs etenim vita ſenſuſque communis bonorum virorum ſumi debet in exemplum & regulam viuendi, iuxta illud D. Hieronymi ad Ruſticum Monachum Epiſt. 4. & refertur in cap. *Sic viue.* 16. quæſt. 1. ibi: *Inter bonos ſemper ſectare meliores*; quia hi rectum iudicium & zelum honoris Dei ac propriæ ſalutis habere præſumuntur, ſicut rectum affectum habent.

In dubijs probatorum exemplum ſectandum.

Nec mouere debebat conditio ſtatus Minorum & eorumdem Regula, vſum illis & pecuniarum contrectationem prohibens; nam non ſemper & in omni loco obligat. Vt enim Doctores docent, Eccleſiaſticæ & humanæ leges quamuis inſtituantur in communi, verſantur tamen circa ſingulares hominum actus, quorum non poſſunt legiſlatores perfectam cognitionem adipiſci, niſi per experientiam; quæ longo tempore indiget, vt dicit Ariſtoteles 2. Ethic. ergo quotieſcumque per temporum ſucceſſionem atque curriculum aliquid melius occurrerit, expediens erit dictas leges mutari. Confirmat hoc ipſum D. Auguſtinus lib. 1. de Libero arbitrio cap. 6. dicens: *Temporalis lex, quantumuis iuſta, per tempora commutari iuſtè poteſt.* & tunc maximè, quando diuina & naturalis lex obſeruanda eſt, cui poſitiua altera refragari videtur.

Leges poſitiuæ mutandæ ſecundum loca & tempora.

Et ad propoſitum noſtrum, Hugo de Dina in cap. 4. Regulæ Minorum ait: *Cùm duorum obligantium, quæ diſpariter obligant, emergat occaſio, alterum alteri reddens impoſſibile; tunc id quod minùs obligat, neceſſe eſt alteri cedat. Verbi gratia, minùs obligat votum non recipiendi pecuniam, quàm præceptum ſeruandi naturam; & ideò cum alio modo natura ſeruari non poteſt, pecunia & recipi & contrectari poteſt: nec pecunia eſt illius qui ſic contrectat & recipit, ſed tantùm vſus; neque vſus ſimpliciter, ſed ex cauſa, & ad tempus. Porrò ſoli Deo acquiritur, cuius intuitu vel nomine offertur.* Hæc Hugo de Dina, quæ latius proſequitur.

Maior lex exiſtente cum minori, ſi vtraque obſeruari nequit, illa cuſtodienda.

Neceſſitates verò idem explicat Hugo, vt tempore perſecutionis inter infideles & hæreticos. Vbi & refert, quòd Chriſtus primò quidem ad prædicandum miſſis, ne quid in via tollerent, prohibuit; inſtante verò paſſionis tempore & Iudæorum perſecutione, ſacculos permiſit, &c. Item, in graui & extrema neceſſitate, quando vitæ neceſſaria aliter haberi non poſſunt, licet Minoribus per ſe vel per interpoſitam perſonam pecunias recipere. Ita declarat Nicolaus III. ſumitque hanc diſpenſationem à *iure poli & naturæ*, quo quilibet, quouis modo ex ſua natura non illicito, tenetur vitam ſuam corporalem tueri. Ita in propoſito, cùm Minoribus inter infideles habitantibus alius non ſuperſit viuendi modus, & loca ſancta illis ab Eccleſia ad gubernandum tradita, vt decet, gubernare haud poſſint, quàm per pecuniæ contrectationem, illam *iure poli & naturæ*, ſalua conſcientia, & ſua Regula inoffenſa, deferre & contrectare poterunt abſque nouis illis priuilegijs.

Neceſſitates pro expendendis pecuniis.

Ante hanc Vrbani conſtitutionem huic difficultati abunde reſpondi tum alibi, tum Lib. 1. Cap. LXXI. poſſe Fratres in partibus illis ex neceſſitate ac naturali lege, & ex implicita etiam & ſatis euidenti Pontificum conceſſione, qui illa loca Minoribus conceſſerunt, contrectare ac expendere pecuniam; quia qui principale concedit, & acceſſorium concedere cenſetur. Igitur prædeceſſores Guardiani & Terræ ſanctæ Fratres, abſque dictis priuilegijs inculpate cum vſu pecuniarum regimen locorum ſanctorum tenuerunt.

Cauſa petitionis primi priuilegij.

Si igitur præmiſſa ita ſe habent, prædictaque priuilegia non erant neceſſaria, ad quid ergo illa, & primum præſertim, petiit recens ille Guardianus? num vanè? an potiùs trepidauit timore, vbi non erat timor?

Non vtique, ſed prudentiſſimè & magno cum conſilio petiit; non quidem neceſſitate ductus, ſed vtilitate inuitante; ad dubia & ſcrupulos à Fratrum in timore Dei viuentium animis potius, quàm à ſe tollendos, & ad eorumdem conſcientias tutiùs ſedandas; & quod expreſsè non erat denegatum, explicite haberet conceſſum: & ideò initio dixi, *explicitè* in iſta Bulla aliquid contineri, in alijs Pontificum diplomatibus non conceſſum. Porrò priuilegium clariùs, faciliùs & ſecuriùs operari facit; & quod erat illicitum, fit licitum. *Extra. de Priuil. cap. Priuilegia. ff. Ad municipale.* Vide Lib. II. Cap. 1. Quare licet inculpatè Guardiani alij & prædeceſſores Terræ ſanctæ Fratres prædicta non petierint priuilegia, alia habentes ſubſidia, petiit cum laude poſterior ille Guardianus, &, ob adductam rationem, cum vtilitate obtinuit.

Priuilegia tollunt dubia & ſcrupulos.

clariùs & ſecuriùs faciunt operari.

Auctoris in propoſito argumento ſententia.

Vt verò in propoſita materia magis meam aperiam ſententiam, præter alibi & nunc

nunc dicta, aliud hîc adijciam. Qui Frater Guardianus ſacri Montis Sion eſt electus, antequam è Chriſtianitate diſcedat, ac mari ſe cum Fratribus committat, vt in Terram ſanctam proficiſcatur, vnum vel alterum probum virum, & in agendis expertum ac ſolertem diligenter inquirat, qui illi, locis ſanctis & familiæ Ieroſolymitanæ inſeruiat in emendis rebus neceſſariis, in deferendis ac expendendis pecuniis, & eiuſdem familiæ Syndicus Apoſtolicus inſtituatur, Syndicique munus ritè, prout decet, tam in via quàm in Terra ſancta exerceat: ſi enim hoc præſtiterint Fratres, ſtantibus aliis priuilegijs Summorum Pontificum, quibus rigor Seraphicæ Regulæ pauliſper mitigatur (de quibus ſuo loco dictum) inoffensè apud Deum & homines abſque contrectatione pecuniæ ac vſu noui ac poſtremi huius priuilegij, loca ſancta ſanctè gubernabunt.

Guardianus Ieroſolymitanus ſecum ex Chriſtianitate Syndicum ducat.

Et hoc ſanè conſentaneum admodum eſſet Minoritano ſtatui Seraphici Ordinis, & eorum qui loca ſancta pro Minoribus obtinuerunt voluntati, &, quod caput eſt, Summorum Pontificum intentioni valdè conforme; ac proinde, quantum fieri poteſt, à Guardiano & Fratribus Ieroſolymitanæ Familiæ obſeruandum.

Ita veteres Patres fecerunt.

Fuit porrò talis veterum Patrum, qui primò loca ſancta gubernarunt, regularis Obſeruantiæ feruor, & paupertatis Euangelicæ zelus: quos cùm haud lateret, in illis infidelium partibus non poſſe abſque pecuniis loca ſancta gubernari; vt ſine ſcandalo, ſed cum laude ſuo ſatisfacerent muneri, non petierunt facultatem pecunias contrectandi, ſed alia indulta & auxilia probatorum virorum, qui illas in neceſſarios vſus diſpenſarent; & ipſi interim nedum à malo, ſed etiam ab omni ſuſpicione mali liberi conſeruarentur.

Prudentes verò, pij & oculati Pontifices, optimè ſcientes, Fratres cum aliis priuilegijs Euangelicæ regulæ rigorem mitigantibus, & ſæcularium Apoſtolicorum Syndicorum miniſterio poſſe ſancta loca licitè ac pro dignitate gubernare, illa & hos conceſſerunt, omiſſis recenter conceſſis priuilegijs; ne illorum manus pecuniis velut immunditiis polluerentur, ſed puras in Dei obſequium conſeruarent.

Ita voluerunt qui loca Minoribus procurarunt.

Et hæc à ſuſpicione falſitatis aliena, ſed omnino vera eſſe, quiuis fatebitur, ſi ſequentibus attendat. Qui obtinuerunt loca ſancta pro Minoribus, ita voluerunt; & ideò petierunt, non ſolùm ex ſancto zelo quo flagrabant Obſeruantiæ Regularis, vtque in ſancta Ciuitate Euangelicus & pauper viuendi modus, quantum fieri poteſt, reluceret; ſed etiam (quantum mihi probabiliter perſuadeo) piis Fratrum ſupplicationibus permoti, illa, inquam, à Summo Pontifice petierunt, & obtinuerunt. Robertus quippe, & eius piiſſima coniux Sancia, Siciliæ ac Ieruſalem Reges, ac præcipui patroni Fratrum Minorum obtinuerunt pro Minoribus ab Ægypti Sultano loca ſancta, & impetrationem illorum precibus Clemens VI. confirmauit, vt ſuo loco diximus. Et ampliùs petierunt hi piiſſimi Reges, vt Minores in ſanctis locis commodè, & cum ſuæ profeſſionis Obſeruantia, Deo acceptum exhiberent famulatum, vt tres perſonæ ſæculares illis inſeruirent. *Quare prædicta Regina*, inquit Pontifex, *nobis humiliter ſupplicauit, vt dicto Regi & ſibi ac ſucceſſoribus eorumdem in perpetuum, quòd ipſi & dicti ſucceſſores huiuſmodi tres perſonas ſæculares eligere, ipſasq; illuc nunc & in poſterum, quoties opus fuerit, mittere, ac prouiſionem pro Fratribus & perſonis ſæcularibus prædictis neceſſariam annis ſingulis deſtinare valeant, auctoritate Apoſtolica concedere dignaremur.* & illorum piæ ac iuſtæ petitioni annuit Summus Pontifex. Et vlteriùs duas alias Apoſtolica liberalitate adiunxit; ſubdit enim: *Et, præter ipſas tres, duas alias perſonas ad partes illas cum prouiſione & neceſſariis pro Fratribus & ſæcularibus antedictis annis ſingulis deſtinare.* Ampliùs eadem auctoritate concedit Ieroſolymitanis Fratribus, *vt cùm aliquem, vel aliquos de dictis tribus perſonis ſæcularibus mori, vel aliàs deficere, quoquo modo contigerit, poſſint loco decedentium ſeu deficientium alium vel alios ſubrogare*, &c. Hæc quidem Pontifex in Bulla in gratiam dictorum Regum pro Minoribus edita; quæ & tangit in altera ad Generalem & Prouincialem Terræ laboris Ordinis Minorum Miniſtros, quas nos alibi poſuimus; & exſcripſit P. VVadingus ex Vaticano Tom. 3. Annal. Min. ſub anno Chriſti 1342. n. 18. & 19. Et ſi tot ſæculares perſonæ ordinatæ atque delectæ fuerunt ad inſeruiendum Terræ ſanctæ Fratribus, multò magis pro adminiſtrandis pecuniis adeò illorum ſtatui repugnantibus.

Ita Pontifex.

Clemens VI. conceſſit pro Minoribus ſæculares, qui inſeruirent.

Item in Seraphici Ordinis generalibus Comitiis, in ciuitate Aquilana celebratis anno Domini 1376. die 13. Iunij, inter alia prudenter ordinata pro ſanctorum locorum regimine & hoc ſancitum: *Quoniam inter Saracenos abſque pecuniarijs eleemoſynis à Principibus Chriſtianis tranſmiſſis neque habitare poſſunt Fratres, neque ſacra loca conſeruare; conſtituat Guardianus ex conſilio diſcretorum virum vnum vel duos, deuotos, diſcretos, fideles, qui pecunias recipiant,*

Statuta Ordinis generalia illud decreuerunt.

piant, & iuxta Fratrum indigentiam dispensent. Ita refert idem VVadingus Tom. 4. subcitato anno num. 14. quod quidem statutum cum aliis fuit postea confirmatum in eiusdem Ordinis generali Capitulo Losanæ celebrato, vt videre est Lib. 11. Capite XII.

Hic gubernandi modus ab antiquo obseruatus.

Et hic gubernandi modus per sæculares personas fuit ferè ab antiquo vsque ad nostra tempora obseruatus, quantum ex dictis à senioribus acceptis coniectare possum. Et mihi & aliis quampluribus compertum. Non multis abhinc annis P. Fr. Euangelista de Gabiano, primò sacri Montis Sion Guardianus, postea Prouinciæ Mediolanensis Minister, ac demum Cismontanæ Familiæ Fratrum Minorum Commissarius generalis, quando suo muneri satisfactuius Ierosolymam profectus fuit, secum duxit D. Andream Pionium nobilem Mediolanensem, sanctissimi Sepulchri Domini nostri Iesu Christi Equitem, pium ac prudentem virum; qui dum accederet ad loca sancta, in eisdem, ac redeundo ad propria, pecuniam Ierosolymitanæ Familiæ administrauit, & Apostolici Syndici munere functus fuit: ita ego ab ipsis intellexi. Et nobilis hic vir, ob suam ad loca sancta singularem pietatem, cum eodem onere mecum Ierosolymam redire affectabat: igitur sicut dictus Guardianus, ita & qui illum præcesserunt, & qui posteà eumdem in eodem regimine secuti sunt, cum sæculari Syndico sancta loca gubernarunt.

Regimen per Syndicum sæcularem supponit in sua Bulla Vrbanus VIII.

Et sanctissimus Pontifex Vrbanus VIII. non minùs ac sui prædecessores Regularis Obseruantiæ & paupertatis Minoritanæ zelotes, non abstulit hunc regiminis modum; sed illum in sua Constitutione supponere videtur; quandoquidem, post priuilegij concessionem, quòd familiæ Ierosolymitanæ Guardianus & Fratres possint contrectare pecuniam, addens conditionem, quando illis tali priuilegio vti liceat, subiungit: *Si tamen fidelis Syndici copiam habere nequeant, qui illas recipere, custodire & erogare possit, super quo, tam ipsorum Guardianorum quàm Fratrum conscientias oneramus.* Consideranda sunt verba; videtur enim in illis supponere Pontifex, Guardianos & Fratres diligentiam adhibuisse in inquirendo fidelem Syndicum, qui secundùm veterem consuetudinem & Ordinis statuta recipiat, contrectet ac dispenset pecuniarias eleëmosynas pro sanctis locis ac Fratribus oblatas, in eorumdem ac Fratrum commodum.

In defectu Syndici possunt Fratres pecunias contrectare.

Si verò contingat illum è viuis decedere, aut alio quouis modo deficere, vel suscepto officio remuntiare, & idoneus alius in promptu non sit, tunc ipsi Fratres virtute Apostolici priuilegij absque timore & scrupulo pecuniarias eleëmosynas recipiant & dispensent, cum omni tamen, vt decet, cautela. Quoniam verò posterioribus nostris temporibus, propter auctas infidelium angarias & persecutiones, pauci inuenirentur, qui continuò in Syndici munere Ierosolymis perseuerare vellent; & quia ibi, & in itinere, vel morte, vel alia de causa possunt deficere, & in illis infidelium partibus fideles haud reperiuntur; horum temporum Fratres, ne suo deessent muneri, néve inde locis sanctis damnum eueniret, alij naturali lege ac epikia vti fuerunt, & alij ad priuilegium confugerunt: atque hac ratione sine offensa omnes debitum obsequium impenderunt olim sanctis locis, & impendunt in præsentia Seraphici Ordinis alumni. Et hoc est meum circa hoc argumentum iudicium.

Causa petitionis secundi priuilegij.

De causa secundi priuilegij non parum fuit ab aliquibus dubitatum, quia omnino superfluum videtur. Ratio est; quia numquam tot emendicantur eleëmosynæ pro sanctis locis & Fratribus in illis habitantibus, vt sufficienter illorum necessitatibus consulatur: hinc vt plurimùm videmus loca sancta vsuris & ære alieno grauata; quod non esset, si sufficientes eleëmosynæ pro illis colligerentur: igitur multò minùs superfluæ colligentur. Ad quid ergo proderit indultum expendendi in illos pios vsus in Bulla contentos quartam partem eleëmosynarum pro Terra sancta collectarum, illius honestæ piæque gubernationi superstitem, cùm ista numquam detur? *Dubitandi ratio.*

Prima ratio secundi priuilegij.

Respondent aliqui, hoc secundum priuilegium propter hanc rationem non fuisse à Fratribus quæsitum, quemadmodum alterum, sed à sacra Congregatione de propaganda fide petitũ, & à Pontifice concessum. Et tali permoti ratione, petierunt illi, & iste concessit. Præsidente sacro Monti Sion P. Fr. Didaco à sancto Seuerino, cùm intellexissent quàm plura Terræ sanctæ debita fuisse soluta ex eleëmosynis pro sanctis locis collectis, existimarunt, si debita illa non fuissent, pecuniam illam in capitale lucrumque conuerti potuisse. Scientes itaque superabundantium pecuniarum minimè capaces esse Minores, nec indigere loca sancta, prudenter decreuerunt, vt ex illarum quarta superstite parte emerentur sanctuaria, peregrinis & aliis piis personis elargienda, & in alia charitatis ac pietatis opera, de quibus Bulla loquitur, conuerterentur.

Sed

Refellitur.

Sed non videtur dicta ratio ſubſiſtere poſſe; quia licet illud verum, multa debita perſoluta fuiſſe dicto Guardiano præſidente, non tamen ex ordinariis eleëmoſynis, quæ conſueuerunt à piis fidelibus comparari, ſed ex valdè extraordinariis, miſſis pluribus in ſuo obeundo munere ſtudioſis Commiſſariis ad plures Hiſpaniæ partes: & non ſolùm ex huiuſcemodi eleëmoſynis, ſed etiam ex aliis pecuniis in Chriſtianitate à Campſoriis fœnore acceptis, ita procurante ac præcipiente illius temporis Seraphici Ordinis Generali Miniſtro Reuer. Patre Fr. Bernardino de Senis, vt tot exſtinguerentur debita, & à nimiis infidelium vſuris, quibus ſupra modum grauabantur & conſumebantur loca ſancta, ſubleuarentur, parumque reſpirarent. Aliàs tamen numquam ſuperfluæ, imò nec ſufficientes ac neceſſariæ colliguntur eleëmoſynæ: tot ſunt hiſce temporibus in illa regione ordinariæ & extraordinariæ expenſæ atque iniuſtæ exactiones: quod, dicunt illi, cùm minimè ſacræ illi Congregationi innotuiſſet, illud procurauit indultum, & Pontifex conceſſit.

Secunda & probabilior reſponſio.

Arbitror aliter dicendum: Nouerit, vel ignorauerit, Summus Pontifex & ſacra Congregatio tantarum eleëmoſynarum & ſolutionis debitorum cauſam; optimè nouiſſe mihi certò perſuadeo, tum quia de re graui tractabatur, tum quia Bullæ non niſi magna maturitate & conſilio ab Apoſtolica Sede emanant; ideoque perfectam cognitionem rei, quæ tractatur, ſupponunt. Nouit ergo Summus Pontifex, nouit & ſacra Congregatio, vnde prouenerit tantorum debitorum extinctio.

Bullæ maturè ab Apoſtolica Sede prodeunt.

Dico igitur aliter, prudentiſſimè ac ſuauiori & altiori ratione ſtatutum fuiſſe, vt ex quarta parte ſuperabundantium eleëmoſynarum Terræ ſanctæ aliis piis neceſſitatibus occurreretur; conſiderato non ſolùm præſenti calamitoſo rerum ſtatu, ſed etiam elapſo meliori ac futuro: cuius conditionem, Patre luminum inſpirante, peruigili Commiſſariorum diligentia, nec non maiori fidelium populorum in Deum & loca ſancta pietate feliciorem ſperamus; adeò vt nedum comparandæ ſint ſufficientes ac neceſſariæ eleëmoſynæ, quibus & locorum ſanctorum neceſſitatibus occurratur, ſed etiam ſuperfluentes, in alia Dei opera diſtribuendæ, & fidei ac diuini cultus augmentum.

Olim abundantes offerebantur eleëmoſynæ pro ſanctis locis.

Porrò ſi mentis oculos ad elapſa conuertamus tempora, quando minus dabatur fiſco, & plus Chriſto offerebatur, & non tantum inſumebatur in locorum ſanctorum conſeruatione, & Fratrum ſuſtentatione; non ſolùm ſufficientes ac neceſſariæ, ſed etiam ſuperfluentes eleëmoſynæ colligebantur. Ego ſanè haud ſemel à ſenioribus & expertis audiui, olim credita & ſuperabundantes pecunias minimè defuiſſe, etſi Fratres occultas tenerent, ne Turcæ illis inhiarent. Anno Domini 1625. quo indultum Iubileum, oſtenſi mihi fuerunt libri Venetiis, vbi rationes expenſarum Terræ ſanctæ colligebantur; ex quibus deduxi ſemel atq; iterùm, creditam ſummam exceſſiſſe ſcutorum quinquaginta millia. Quare ergo non etiam ſimilia expectamus tempora, vt, iuxta Eccleſiaſtæ dictum, *faciendum ſit ipſum quod factum eſt*; & detur magis Chriſto quàm fiſco, ſintque ſuperfluentes eleëmoſynæ. Eccle. 1,9.

Poterit etiam augeri Commiſſariorum diligentia in quærendis eleëmoſynis, vt fecerunt illi de quibus anteà. Sperandum item in Dei bonitate, ſuſcitandos aliquando de lapidibus filios Abrahæ, loco tepidorum & frigeſcentium Chriſti fidelium ſuſcitandos feruidos & Chriſti æmulatores. Mittet, mittet Deus ignem ſuum in terram, in terrenorum videlicet hominum corda, &, ſuperabundante charitate, ſuccreſcente diuini amoris igne pro locorum ſanctorum conſeruatione, profundent pecunias, ſanguinem, vitam ipſam cum morte commutare parati. Et vt olim Hebræi pro ſanctuarij ſtructura ſponte plus offerebant quàm neceſſarium foret; vnde iuſſit Moyſes præconis voce: *Nec vir, nec mulier quidquam offerat vltrà in opere Sanctuarij*, Exod. 36, 6. Ita ſi hæc fierent, nónne tot colligerentur eleëmoſynæ, ex quibus, poſt commodam locorum ſanctorum conſeruationem ac Fratrum alimoniam, tot ſupereſſent, quæ conuerti poſſent in alios pios vſus, quibus aliis poſſet occurri neceſſitatibus? *Veterum Hebræorum liberalitas.*

Addo, ſi omnes eleëmoſynæ & bona ſanctis locis relicta in integrum ad Terræ ſanctæ ſubſidium aſportarentur, etiamnum ſuperabundantes fortaſſe inuenirentur eleëmoſynæ. Conſidera Conſtitutionem 2. Sixti V. ſuprà Lib. 11. pag. 426. poſitam. Igitur, Summus Pontifex & ſacra Cardinalium Congregatio hæc omnia reſpicientes, prudentiſſimè piiſſimeque ſanxerunt, vt quarta ſuperabundans eleëmoſynarũ pars, vel ex iſta pars altera inſumeretur in ſanctuariis emendis, & in ſubleuandis pauperum & Miſſionariorum neceſſitatibus.

Secundi priuilegij vtilitas.

In caſu verò multùm prodeſſet hoc priuilegium; quia illius virtute poſſent Fratres dicta præſtare de quarta illa eleëmoſynarum portione, quod aliàs, vel tam ſecurè & ſine peccati ſcrupulo non poſſent; quia, vt ante dictum, in eleëmoſynis ad vnum

finem datis,& maximè ſuperfluis, non poſſunt ſe Minores ingerere, vel illas in alium vſum conuertere. Et ex his habemus cauſam petitionis illorum priuilegiorum, & præſertim primi; vt quod Fratres habebant implicitè,etiam expreſsè haberent, & cum maſori ſecuritate & ſine ſcrupulis contrectarent pecunias pro Terræ ſanctæ conſeruatione, ipſorumque ſuſtentatione.

Cauſa conceſſionis dictorum priuilegiorum.

Summus verò Pontifex illa conceſſit priuilegia, vt Fratrum honeſtæ acquieſceret petitioni; &, vt ait idem Pontifex in Bulla, vt ſe Fratres *eò libentiùs ac meliùs, ad Dei laudem, ac pauperum ſubuentionem,exercere valeant, quò amplioribus fuerint ab hac ſancta Sede fauoribus ſuffulti*, &c.

Duo proponuntur ac diluuntur dubia.

DVBIVM I.

Circa ſecundum priuilegium, duo inſurgunt dubia proponenda & diluenda. Alterum eſt, quia vult Pontifex dictum ſecundum priuilegium ſuum habere robur, etſi contrarium ab aliis auctoritatem habentibus ſancitum fuerit. ait enim Pontifex prope finem Bullæ: *Non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus*, &c. *ac felicis recordationis Pauli Papæ V. prædeceſſoris noſtri, ſub dato die 22. Ianuarij* 1618. *circa eleëmoſynas editis, quatenus præmiſſis aduerſantur*. Aduerſatur verò in hoc conſtitutio Pauli V. conſtitutioni Vrbani VIII. quia illa prohibet ſub grauibus pœnis,eleëmoſynas vel quæſitas vel relictas pro ſanctis locis diſtrahi, vel expendi in alios quoſcumque etſi pios vſus, vt patet illam conſideranti, & poſita eſt Lib.11. pag.427. Iſta verò, id eſt Vrbani, vult ex quarta ſuperfluenti parte emantur ſanctuaria, adiuuentur pauperes, &c. Quærere nunc meritò quis poſſet, an ſi qùis ex dictis eleëmoſynis aliquid expenderet in alios vſus, quàm in Terræ ſanctæ commodum, incurreret pœnas in Paulina Bulla contentas? Et videbitur alicui quòd non; quia ab illis eximit Vrbana conſtitutio, dans oppoſitum faciendi facultatem; & Bullarum verba ſunt attendenda.

Dubij ſolutio. Reſpondetur: Eleëmoſynæ prædictæ,vel ſunt ex neceſſariis, vel ex non neceſſariis & ſuperfluentibus: ſi ſunt ex ſuperfluentibus non ſubiacet Frater illis pœnis illas expendendo, ſed benè ſi ex neceſſariis. Ita oſtendunt Vrbani verba: *Quatenus prædictis aduerſantur, & non alias*, &c. *Nota.* Aduerſantur verò in hoc dumtaxat, quod vult modernus Pontifex expendi poſſe quartam portionem ſuperfluarum eleëmoſynarum Terræ ſanctæ in alios pios vſus; quod illius prædeceſſor prohibuit, reſpiciens ad paucitatem eleëmoſynarum quæ calamitoſis hiſce temporibus colliguntur, & ad magnas expenſas quæ pro ſanctorum locorum conſeruatione fiunt: quare qui etiam in præſentia eleëmoſynas Terræ ſanctæ conſeruationi neceſſarias in alios vſus conuerteret, illis indicatis pœnis obnoxius eſſet. Et hoc valdè notandum arbitror, ne quis erret & pœnas incurrat.

DVBIVM II.

Alterum dubium eſt: Guardianus & Fratres Terræ ſanctæ ante huius Pontificis ſecundum priuilegium emebant ſanctuaria, illaque peregrinis & aliis deuotis perſonis ac benefactoribus donabant, ſubſidium præſtabant pauperibus & aliis miſerabilibus perſonis: præterea,peregrinis ad patriam reuerſuris haud rarò omnia pro itinere neceſſaria prouidebant, viatico illis & pecuniis è Chriſtianitate allatis aliqua ex cauſa deficientibus: alias item expenſas variis ſeſe offerentibus cauſis fieri expedit, idque ex pecuniis etiam neceſſariis pro recta Terræ ſanctæ adminiſtratione, vt ſæpè me docuit experientia. Sed num hæc inualidè, iniuſtè ac ſine auctoritate ac ratione contra Pontificis voluntatem, & contra eum quem profeſſi ſunt ſtatum, præſtiterunt? *Expenſa quæ fiunt Ieroſolymis*

Reſponſio ad dubium. Reſpondetur, hoc nullo modo ſuſpicandum eſſe; quin potiùs aſſeuerandum, illa exequendo, ſanctè iuſteque feciſſe, ac rectæ Summi Pontificis intentioni ſatisfeciſſe, in nulloque ſtatum ſuum ac Seraphicam Euangelicam Regulam violaſſe: & ſi illa prætermiſiſſent, tamquam inhumani miniſtri ſui muneris fraudatores, Pontificis mentem nihili facientes, & ipſius diuinæ ac naturalis legis tranſgreſſores culpandi ac puniendi fuiſſent. Ita tum ex dictis tum ex aliis deduci facilè poteſt: ſed pauca hîc ſubijcio ad maiorem aſſertæ veritatis confirmationem.

Epikia neceſſitas. Dico itaque, ante hoc Vrbani priuilegium memorata præſtitiſſe Minores de quibuſcumque eleëmoſynis,illis pro ſanctis locis vel pro ſe oblatis virtute Epikiæ, Rectoribus in primis ſpiritualibus & quibuſcumque aliis ad ſe & ad alios gubernandos perneceſſaria; & ſine qua vix ſine errore ac culpa poſſumus nos rectè componere, & humanas actiones iuxta rectam rationem ad verum finem dirigere, ac diuinæ voluntati morem gerere.

eius ſignificatio. Virtus iſta à Græcis Ἐπιείκεια, à Latinis Æquitas nuncupatur; de ea intelligendum eſt quod dixit Sapiens loquens cum Deo:

Tu

Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos, Sap. 12, 18. Vbi Græcè loco *cum tranquillitate*, habetur *in ἐπιεικείᾳ*. Ac si dixisset: Iudicas nos ex æquo & iusto. *Reuerentia* etiam nomine habetur *indulgentia*; id est, disponis nos cum multa indulgentia: ad hunc sensum, non seuerè aut crudeliter nos iudicas, siue nostra disponis, sed magna cum humanitate ac pietate.

Finis communis legis & Epikia.

Vt verò iustitia legalis in legibus condendis & statuendis respicit communes casus & magna ex parte incidentes; ita Epikia est peculiaris virtus iustitiæ, quæ respicit particulares casus & rerum circumstantias. Vnde huius virtutis Epikiæ siue Æquitatis munus & officium est, dirigere ac moderari legem positiuam propter defectus quos habet, cùm posita sit in vniuersali, & casus vniuersos particulares comprehendere non potuerit: hoc Epikia siue Æquitas facit, respiciendo casus particulares siue extraordinarios, qui per legem communem non potuerunt prouideri.

Epikiæ descriptio.

In hunc verò modum Epikia ex præmissis describi consueuit: *Epikia, siue Aequitas, est specialis iustitiæ virtus, dulcore misericordiæ temperata, quæ in specialibus casibus facit discedere à verbis legis, seruata tamen illius intentione.* Et amplius: Epikia virtus est, quæ, prætermisso verborum legis rigore, præscribit quod recta ratio poscit, & quod legislator in tali casu præeligere decreuisset. Appositè enim dixit

Dictorum intelligentia ex causis petenda.

D. Hilarius lib. 4. de Trinit. cap. 12. intelligentiam dictorum ex causis desumendam esse; quia non sermoni res, sed rei debet esse sermo subiectus. Ex hac itaque doctrina, prudentius atque consultius est attendere ad causam quæ legislatorem induxit ad faciendam aliquam legem, quàm materialiter ad verba ipsius legis, quæ aduersari possunt bono communi.

Appositum exemplum.

Agit de Epikia, præter alios, D. Thomas 2.2. q. 120. per plures articulos, & doctrinam egregio illustrat exemplo. In obsidione ciuitatis, quo tempore salutiferum est lege caueri, ne portæ ciuitatis aperiantur; & nihilominùs si tunc ciues, quorum vita adeò est Reipublicæ necessaria, hostes fugiendo se vellent in vrbem recipere, contra legis verba aperiendæ sunt illis valuæ, quia id expedit bono communi; & contrarium facere esset contra mentè legis, illam quam haberet legislator, si adesset, vel consultus fuisset, ciuibus nimirum aperiendas ciuitatis portas, generali non obstante prohibitione de illis non aperiendis; quia si tunc haud aperirentur, in magnum cederet Reipublicæ detrimentum. Nec pro ciuibus & amicis intelligenda est lex, sed pro exteris & hostibus. Leges enim ponuntur in communi, nec possunt satis perspicere casus particulares, vt habetur in *L. Nec leges*, & in *L. Non possunt. ff. de Legibus.* Inde sequitur, quòd quotiescumq; occurrit casus, quem si legislator prospexisset, exemptum à legis obseruantia iudicaret: si non adsit, per Epikiam & implicitam eius licentiam lex obseruanda non est.

Regula Minorum quid circa pecuniam mandet.

In proposito: Ex Regula Minorum est eisdem interdictum contrectare & expendere pecuniam, præcipuè verò in alium finem quàm fuerit elargita: occurrunt casus peculiares pietatis, charitatis & necessitatis, quales sunt antè memorati. Ergo abstinebunt Minores ab vsu pecuniæ, aliis præsertim non existentibus qui expendant & subueniant? Ergo negabunt crucem vel coronulam pauperi peregrino, vel subsidium alteri in necessitate constituto, qui ex longinqua regione pietatis ergò venit ad Terram sanctam, ad inuisendum Christi Domini incunabula, glorioſum eiusdem Sepulchrum, &c.? Ergo fideles & Catholici in suis necessitatibus ad Turcas, infideles alios & schismaticos, confugient? Et an quod pro charitate institutum est, contra communem regulam, contra charitatem militabit? An non finis legis charitas? An non plenitudo legis est dilectio? & qui diligit, legem impleuit; & si hoc fiat, sufficit. Et altissima Seraphica & Euangelica Regula contra charitatem arma sumet, & pro illius obseruantia hæc deferenda? Ergo infideles ipsi ac Christi hostes in tremendo iudicio iudices nostri erunt? Sed longè hæc abigantur. Ex præmissis itaque, Minores, non obstante illorum statu, in dictis casibus, secundùm Æquitatem & Epikiam, de sibi concreditis & relictis eleëmosynis licitè ac laudabiliter, quocumque secluso priuilegio vel respectu ad Regulam, præmissa pietatis & necessitatis opera exercere poterunt. Et si S. Franciscus, Seraphicæ Regulæ Fundator, & Summus Pontifex Confirmator adessent, contra verba Regulæ Fratribus præciperent, vt se in dictis piis operibus exercerent, facerentque aliis quod sibi vellent fieri. Et sanè Pontifex in illo priuilegio piam reclamque illius ostendit mentem.

In casu non obseruanda.

Etiamnum loca sancta secundùm Epikiam gubernantur.

His etiam temporibus, opinor ego, non alia ratione quàm Epikia Terræ sanctæ Fratres occurrere prædictis necessitatibus ac pietatis operibus. Ratio est, quia Summi Pontificis indultum est, vt Fratres valeant de quarta parte superabundantium eleëmosynarum emere sanctuaria, succurrere pauperibus, &c. Et cùm hisce tempo-

ribus, vt ſupponitur, non ſint ſuperfluentes eleëmoſynæ, non proderit conſequenter pro illis diſpenſandis illud priuilegium: quare cùm Fratres omni tempore ſe in ſanctis memoratis operibus exercere debeant, hoc virtute diuinæ ac naturalis Legis & Epikiæ inculpatè ac laudabiliter facient.

Peculiari alia facultate dant ſanctuaria, & alia parui pretij.

Quantum autem ad ſanctuaria & alia vilia & parui momenti, addo, poſſe ea Fratres donare, cum licentia tamen Superioris expreſſa, vel probabiliter præſumpta. Ita conceſſit Nicolaus III. & Leo X. Sed illum audiamus in cap. Exiit. de Verborum ſignificatione. art. 6. De vilibus. *De vilibus autem*, inquit, *mobilibus aut parum valentibus, liceat ex hac noſtra conſtitutione Fratribus pietatis ſiue deuotionis intuitu, vel pro aliqua honeſta & rationabili cauſa (obtenta ſuper hoc priùs Superiorum licentia) iuxta quod inter Fratres in Generali vel Prouincialibus Capitulis, tam de ipſis rebus vilibus ſeu parum valentibus, & earum valore, quàm prædicta licentia, ſcilicet à quibus & qualiter ſit habenda, extiterit ordinatum, intus & extra Ordinem aliis elargiri.* Hæc ibi.

Nota.

Aduertit verò Hieronymus Rodericus in ſuo Compendio Reſolutione 53. num. 4. donationem fieri debere de licentia Prouincialium, & non inferiorum Prælatorum, niſi conſuetudo id permittat, quæ iam videtur eſſe in vſu. In caſu noſtro, præter vſum, datur licentia à Guardiano ſacri Montis Sion, Terræ ſanctæ Cuſtode, & velut ſuorum Fratrum Miniſtro; &, præter Summum Pontificem, Seraphici Ordinis Protectorem, & Generalem, alium non agnoſcit Superiorem. Quare iſtius licentia & iudicium ſufficiet. Patet ergo, quomodo etiam iſto alio titulo peculiaris Pontificiæ poteſtatis, Terræ ſanctæ Fratres ex erogatis eleëmoſynis ſanctuaria & alia parui valoris & pretij elargiri poſſent.

Aduerto demum, in Terra ſancta non fieri communiter diſtinctionem inter eleëmoſynas locis ſanctis & Fratribus elargitas; tum quia ferè pro vtriſque offeruntur, tum quia pro locorum ſanctorum conſeruatione deſtinati ſunt Minores: omnes etiam quæ pro concionibus & aliis piis operibus vel ex pietate dantur Fratribus, in ſanctorum locorum commodum conuertuntur; aliàs tamen poſſent pro illorum frugali victu ac vili veſtitu, etiam de eleëmoſynis Terræ ſanctæ relictis, ſuſtentari; quia, qui altari ſeruit, de altari viuere debet. Et hæc ſatis pro explicatione Bullæ Maximi Pontificis VRBANI VIII.



INDEX

INDEX ET ORDO LIBRORVM ET CAPITVM TOMI PRIMI ELVCIDATIONIS TERRÆ SANCTÆ.

LIBRI PRIMI ARGVMENTVM.

INVITATIS *Fidelibus, vt effectu vel affectu è proprio natiuoque ſolo egreſſi, ingrediantur Terram ſanctam, in eaque per ſanctam diuinorum Chriſtianæ religionis myſteriorum meditationem commorentur, agitur de variis illius nominibus, ac eorumdem ſignificatione. Diuiditur Terra ſancta in plures partes & Prouincias, ac de ſingulis diſſeritur. Qua ratione Chananæis tradita fuerit; ac poſteà ab illis ablata, Hebræis in poſſeſſionem data ſit. Quo modo de eadem facta ſit Patribus repromiſſio, & in poſteris impleta. De quantitate, qualitate & ſitu Terræ ſanctæ; in quóve ſenſu accipienda ſint quæ de illa in ſacris Litteris enuntiantur. De illius multiplicis generis habitatoribus, & variis mutationibus, ac de Regni Ieroſolymitani & totius Terræ ſanctæ præcellentia. De fructuoſa ſancti Franciſci peregrinatione in Palæſtinam & Ægyptum: quomodo locorum ſanctorum regimen Minoritis demandatum fuerit, & quàm iuſtè ac rationabiliter retineant. Vaticinia deinde proponuntur, Terram ſanctam ab infidelibus occupandam, vt facto occupatam videmus. Quare id Deus permiſerit, conſideratur. Ab Infidelibus tandem per Fideles auferendam & poſſidendam aſſeritur; & quando, quemque ſtatum ſortietur, poſt redemptionem ſuam à Mahometiſtarum tyrannide, inquiritur. Denique plura de illius & ſanctæ Eccleſiæ futuro ſtatu poſt Antichriſti aduentum & interitum, Mahometicæque ſuperſtitionis extirpationem, vſque ad Chriſti Domini aduentum ad finale iudicium, piè ac probabiliter reſerantur.*

CAPVT I. *Fidelis anima, Chriſti Domini ſpiritualis ſponſa, calitus edocta, Dilectum ſuum precatur, vt cum ea Terram ſanctam, & eius ſanctiſſima loca ingrediatur, in quibus per piam diuinorum myſteriorum meditationem & contemplationem commorari deſiderat.* Pag. 1

CAP. II. *De nominibus Terræ promiſſionis, & eorum ſignificatione.* 4

CAP. III. *Diuiſio Terræ ſanctæ in communi.* 10

CAP. IV. *De Idumæa, prouincia Terræ ſanctæ.* 13

CAP. V. *De Iudæa, altera Terræ ſanctæ prouincia.* 15

CAP. VI. *De Samaria, tertia Palæſtinæ prouincia.* ibid.

CAP. VII. *De Galilæa, quarta prouincia Terræ Promiſſionis.* 17

CAP. VIII. *Duæ difficultates contra dicta Capite præcedenti proponuntur, & diluuntur.* 18

CAP. IX. *De nomine Galilææ & eius ſignificatione, huiuſq; prouinciæ & Galilæorum conditione.* 20

CAP. X. *Quinam fuerint illi, quibus primò Terra promiſſionis diſtributa fuit, quiq; primò iuſtè ac legitimè eam poſſederint.* 21

CAP. XI.

CAP. XI. *Rationes aliquæ, quare Deus optimus maximus voluerit Chananæos ex Terra promißionis expelli, ſi eam legitimè poſſederunt.* 26

CAP. XII. *Promißiones factæ inſignißimis aliquibus viris à Deo, quòd ſemini Abrahæ daturus eſſet Terram promißionis.* 27

CAP. XIII. *Quomodo voluerit Deus impleri promißiones Abrahæ & ſemini eius factas de danda illi Terra promißionis.* 28

CAP. XIV. *De modo mirabili quo Dominus populum Iſraël eduxit de Aegypto, vt introduceret in Terram Patribus repromiſſam.* 29

CAP. XV. *De manſionibus, in quibus filij Iſraël, egreßi de Aegypto, moram fecerunt, vt per deſertum in Terram promißionis proficiſcerentur.* 30

CAP. XVI. *De tempore quo filij Iſraël manſerunt in deſerto.* 36

CAP. XVII. *De modo quo filij Iſraël Terram Patribus repromiſſam ſibi acquiſierunt.* 40

CAP. XVIII. *Quomodo filij Iſraël, duce Ioſuè, ex planitie Moabitarum tandem in Terram Patribus ſuis promiſſam venerint.* 42

CAP. XIX. *De multiplici modo quo tribus filiorum Iſraël in ſacris Litteris enumerantur.* 43

CAP. XX. *Diuiſio terræ Chanaan prout contigit duodecim tribubus in poſtrema acceptione præcedenti Capite aßignata, id eſt, ſecundùm ordinem partium Terræ ſanctæ: & primò de partibus quæ duabus tribubus & ſemis contigerunt.* 46

CAP. XXI. *Vbi, quando, quoties, & quomodo peracta fuerit diſtributio partium Terræ promißionis.* 48

CAP. XXII. *An diſtributio Terræ ſanctæ inter ſeptem tribus facta fuerit per partes æquales vel inæquales; & de ciuitatibus refugij, aliiſq; tribui Leuiticæ aßignatis.* 49

CAP. XXIII. *Alia diuiſio totius Terræ ſanctæ ab Ezechiele in poſtrema ipſius viſionum reuelatione propoſita, etſi non executioni mandata.* 51

CAP. XXIV. *De longitudine ac latitudine Terræ promißionis.* 59

CAP. XXV. *An promißio Dei Abrahæ factæ de poßidenda terra ab eius poſteris à fluuio Aegypti vſque ad Euphratem, impleta vmquam fuerit: & an Hebræi vllo tempore ditionem ſuam & imperium protraxerint ab Aegypti fluuio vſque ad Euphratem.* 65

CAP. XXVI. *De qualitate Terræ promißionis: quid Deus ſacriq; Scriptores de ea dixerint; quidq; exploratores in ea inuenerint.* 70

CAP. XXVII. *Quid exteri veteres Scriptores, & nonnulli ex Eccleſiaſticis de fertilitate Terræ ſanctæ retulerint: quidq; hodie in ea inueniatur, aut de eadem affirmare poßimus.* 73

CAP. XXVIII. *Vnde fertilitas & abundantia Terræ promißionis prouenerit, ex eius natura, hominumq; induſtria, an ex peculiari Dei beneficio.* 77

CAP. XXIX. *In quo ſenſu intelligenda ſint, quæ in ſacris Litteris de Terra promißionis dicuntur.* 82

CAP. XXX. *De ſitu Terræ promißionis.* 87

CAP. XXXI. *De gentibus, quæ ante & poſt aduentum filiorum Iſraël habitauerunt in Terra promißionis vſque ad Chriſtum.* 89

CAP. XXXII. *De illis qui cum Iudæis contra eorum quidem voluntatem, at Dei permiſſu, habitauerunt in terra Chanaan; & quæ rationes illius permißionis fuerint.* 90

CAP. XXXIII. *Nationes variæ, fideles & infideles, quæ in ſancta ciuitate Ieruſalem, & in tota Terra ſancta poſt temporalem Filij Dei in terras aduentum habitarunt, & vſque hodie habitant.* 92

CAP. XXXIV. *De Occidentalibus & Latinis fidelibus, qui Ieroſolymis & in aliis Terræ ſanctæ locis habitant.* 93

CAP. XXXV. *De Catholicis Orientalibus, & Maronitis.* 94

CAP. XXXVI. *Quæ Maronitæ de ſeipſis profiteantur, producuntur.* 95

CAP. XXXVII. *Conciliatio pugnantium opinionum de Maronitarum origine.* 96

CAP. XXXVIII. *Alia nonnulla ſubiiciuntur pro maiori intelligentia hiſtoriæ nationis Maronitarum.* 97

CAP. XXXIX. *Num Græci, aliive ſchiſmatici in Terra ſancta habitantes, hæretici ſint, & hæretici appellari poßint.* 98

CAP. XL. *De particularibus erroribus & hæreſibus, quarum vel inuentores vel patroni extiterunt Græci: & de his primò, qui Deum ipſum reſpiciunt.* 102

CAP. XLI. *De erroribus Græcorum in Summum Romanum Pontificem & ſanctam Dei Eccleſiam.* 105

CAP. XLII. *De erroribus Græcorum circa homines in mortali vita degentes.* 108

CAP. XLIII. *De erroribus Græcorum, quantum ad illos qui ex hoc ſæculo tranſierunt.* 109

CAP. XLIV. *De Armenis, eorum conditione, & aduerſus Eccleſiam Catholicam ſchiſmate.* 110

CAP. XLV. *De aliquibus Armenorum erroribus.* 111

CAP. XLVI. *Alij Armenorum errores, qui Deum & creaturas reſpiciunt.* 113

CAP. XLVII. *De Iacobitis ſiue Syrianis, & eorum erroribus.* 114

CAP. XLVIII. *De Georgianis ſiue Iberis, & eorum erroribus.* 115

CAP. XLIX.

Digitized by Google

CAP. XLIX. *De Cophtis ſiue Aegyptiis, & eorum erroribus.* ibid.
CAP. L. *De Abyßinis ſiue Aethiopibus, & eorum erroribus.* ibid.
CAP. LI. *De Neſtorianis ſiue Chaldæis, & eorum erroribus.* 116
CAP. LII. *De abſtinentia & ieiunio Orientalium nationum.* 117
CAP. LIII. *De abſtinentiis & Quadrageſimis quas antiquitus obſeruabant Maronitæ.* 119
CAP. LIV. *De Quadrageſimis, ieiuniis & abſtinentiis Maronitarum huius temporis.* 120
CAP. LV. *De abſtinentiis, ieiuniis & Quadrageſimis Græcorum.* 121
CAP. LVI. *De ieiuniis, Quadrageſimis & abſtinentiis Iacobitarum.* 122
CAP. LVII. *De Chaldæorum ſiue Neſtorianorum abſtinentiis & Quadrageſimis.* ibid.
CAP. LVIII. *De abſtinentiis, ieiuniis & Quadrageſimis Armenorum.* 123
CAP. LIX. *Difficultates aliquæ circa ieiunia & Quadrageſimas Orientalium.* 125
CAP. LX. *De Iudæis Ieroſolymæ & in aliis Palæſtinæ locis habitantibus.* 128
CAP. LXI. *De Mahometanis, & eorumdem erroribus ac ritibus.* 129
CAP. LXII. *Mandatum Mahometis ad ſuos Moſlemanos ſiue Mahometanos, in gratiam Chriſtianorum omnium, tam in ſuis Regnis habitantium, quàm per eadem tranſeuntium.* 133
CAP. LXIII. *De variis mutationibus, quibus ſubiecta fuit Palæſtina prouincia, ab anno poſt Chriſtum natum ſeptuageſimo ſecundo, vſque ad milleſimum ſexcenteſimum, & eius præſertim metropolis Ieruſalem, deq; illius Latinis Catholicis Regibus & Patriarchis.* 135
CAP. LXIV. *De Regni Ieroſolymitani ac totius Terræ ſanctæ præcellentia.* 140
CAP. LXV. *De S. Patris noſtri Franciſci ad Aegypti & Syriæ partes peregrinatione, & eiuſdem ad loca ſancta pietate.* 154
CAP. LXVI. *Quos fructus pepererit S. Franciſcus ſuo ad has infidelium partes aduentu.* 162
CAP. LXVII. *Quomodo Minorum Ordo, cùm de Communitate, tum de Familia & Obſeruantia, admiſſus fuerit ad habitandum in partibus Syriæ, eidemq; locorum ſanctorum regimen demandatum fuerit.* 170
CAP. LXVIII. *De ſpeciali facultate conceſſa Fratribus S. Franciſci, recipiendi peculiaria quædam loca Terræ ſanctæ; & generali, recipiendi quæcumque, non tantùm ibi, ſed etiam in aliis terris infidelium.* 180
CAP. LXIX. *Rationes aliquot quibus probari poſſet, locorum Terræ ſanctæ regimen non pertinere ad Fratres ſancti Franciſci; & dicta præcedenti Capite ampliùs roborantur.* 182
CAP. LXX. *Ratio viuendi Fratrum S. Franciſci de Obſeruantia in Terra ſancta habitantium, non eſt aliena ab eorum inſtituto & Euangelica paupertate, ſed eidem maximè conformis.* 187
CAP. LXXI. *Num Guardianus Fratrum Ordinis Minorum ſacri Montis Sion poßit pecuniam recipere, & apud ſe conſeruare, & Fratrem vnum vel plures ex eadem Familia inſtituere Procuratorem vel Procuratores in ſancta ciuitate Ieruſalem, vel in aliis partibus infidelium ſpirituali ſuæ iuriſdictioni ſubiectis, qui eleëmoſynas oblatas recipiant & diſpenſent eiuſdem Guardiani auctoritate, ſine peccati ſcrupulo, pro honeſta conſeruatione locorum ſanctorum: & ſi poteſt, qua ratione.* 189
CAP. LXXII. *Quatuor rationes ſiue conſiderationes probabiles, quæ Deum ſinguläriter reſpiciunt, quare è reliquis ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ Ordinibus, ſolus Seraphicus ab eodem delectus ſit ad cuſtodiam locorum Terræ ſanctæ.* 199
CAP. LXXIII. *Quatuor aliæ rationes ſiue conſiderationes, quæ S. Franciſcum vel eius ſacrum Ordinem reſpiciunt, quare hic inter ceteros ſanctæ Eccleſiæ Ordines deſtinatus ſit ad cuſtodiam locorum Terræ ſanctæ.* 203
CAP. LXXIV. *Rationes aliquæ, ex parte ipſius Dei, quare non à ſolis Catholicis, ſed & ab infidelibus, ſchiſmaticis & hæreticis, gubernari loca ſancta permittat.* 206
CAP. LXXV. *Rationes, deſumptæ partim ex parte ſchiſmaticorum, partim verò ex parte Catholicorum, quare tam iſti quàm illi loca ſancta cuſtodiant.* 211
CAP. LXXVI. *De Iudæis, qui vnà cum aliis habitabant Ieroſolymis & in aliis Terræ ſanctæ locis, obiectio diluitur.* 213
CAP. LXXVII.[a] *Rationes quare Deus non modò in aliis mundi tractibus, ſed etiam Ieroſolymis Iudæos eſſe permittat.* 217
CAP. LXXVII.[b] *De ortu, progreſſu, & tempore quo floruit Mahomet: de morte item & ſepulchro eius, & frequenti Mahometanorum ad illud peregrinatione.* 221
CAP. LXXVIII. *An Deus reuelauerit aliquibus amicis ſuis, Terram ſanctam vaſtandam & occupandam eſſe ab infidelibus Turcis, ſimul Dei Eccleſiam perſequentibus.* 225
CAP. LXXIX. *Prædictiones & reuelationes de aduentu, & perſecutione Mahometis, ex Scriptoribus noui Teſtamenti acceptæ.* 231
CAP. LXXX. *Aliis ex veteri & nouo Teſtamento acceptis locis idem porrò argumentum explicatur.* 233

CAP. LXXXI.

CAP. LXXXI. *Quàm difficile ſit indagare cauſas, quare Deus Terram ſanctam ab infidelibus poßideri atque deuaſtari permittat.* 236

CAP. LXXXII. *Probabiles rationes, quæ Deum præcipuè reſpiciunt, quare Terra ſancta ab infidelibus poßideri, & ab eis deuaſtari permittatur.* 238

CAP. LXXXIII. *Obiectioni contra dicta in ſecunda Ratione ſuperioris Capitis reſpondetur.* 243

CAP. LXXXIV. *Tres aliæ adferuntur rationes, quæ propoſitam Cap.* LXXXI. *difficultatem explicant.* 247

CAP. LXXXV. *Rationes aliæ quæ ſanctam Eccleſiam & ipſos fideles reſpiciunt, quare Deus optimus maximus loca ſancta ab infidelibus poßideri conniueat.* 248

CAP. LXXXVI. *Ratio ex parte dæmonis deſumpta, quare Terra ſancta à Chriſtianis, veris Dei cultoribus, ablata, & duræ Turcarum tyrannidi tradita ſit.* 250

CAP. LXXXVII. *Cauſa alia quare adeò dilatatum fuerit Turcicum Imperium, vt & ad ipſa loca ſancta ſe extenderit.* 253

CAP. LXXXVIII. *Num Mahometica ſecta, Turcicumq; Imperium finem aliquando ſit habiturum.* 255

CAP. LXXXIX. *An Ieroſolyma & tota Terra ſancta à Turcarum iugo & tyrannide liberanda, & Chriſtianis, legitimis eius dominis, reſtituenda ſit: quòd ſi reſtituenda, quando id futurum, & an de hoc aliquod extet vaticinium. Sententia Thomæ Maluendæ adducitur.* 257

CAP. XC. *Ea Maluendæ ſententia cum ſuis fundamentis diſcutitur & examinatur.* 259

CAP. XCI. *Altera ad eaſdem difficultates ex Doctore Franciſco Nauarro reſponſio.* 264

CAP. XCII. *Allatæ Nauarri reſponſiones expenduntur & reiciuntur.* 269

CAP. XCIII. *Explicatur difficultas, quæ contra hactenus dicta opponi poſſet.* 272

CAP. XCIV. *Rationes aliæ, ex prophetiis deſumptæ, & pro ſententia Doctoris Nauarri adductæ, expenduntur & refelluntur.* 274

CAP. XCV. *Iudicium Auctoris de recuperatione Terræ ſanctæ per Catholicos Reges.* 279.

CAP. XCVI. *Timendum, ne ſanctæ repromiſſionis Terra ſub Mahometiſtarum tyrannide perſeueret vſque ad Antichriſti aduentum & interitum.* 280

CAP. XCVII. *Piè probabiliterq; credendum eſt, Chriſticolas, ſi non dominos, incolas ſaltem futuros Terræ ſanctæ vſque ad tempus Antichriſti.* 285

CAP. XCVIII. *Fideles poſt Antichriſti interitum Terram ſanctam non vt inquilini & exteri habitaturi, ſed vt veri domini ſunt poſſeſſuri.* 288

CAP. XCIX. *De extinctione Antichriſti & Mahometici Imperij, ſanctæq; Eccleſiæ Catholicæ dilatatione, Ieroſolymæ item totiuſq; Terræ ſanctæ recuperatione & poſſeſſione.* 291

CAP. C. (quod per errorem notatur XCIX.) *De totali Antichriſti Imperij & Mahometicæ ſuperſtitionis exterminio.* 294

CAP. CI. *De perfecta pace & tranquillitate ſanctæ Eccleſiæ, & ſingulariter ſanctæ Ciuitatis, totiuſq; Terræ ſanctæ, poſt horrendum Antichriſti interitum, totalemq; Mahometicæ ſectæ extinctionem, vſque ad Domini noſtri Ieſu Chriſti aduentum ad vniuerſale Iudicium: primum ex auctoritatibus veteris Teſtamenti.* 299

CAP. CII. *Idem porrò explicatur auctoritatibus noui Teſtamenti.* 304

CAP. CIII. *De amplitudine & firmitate Regni Chriſti poſt Antichriſti interitum, eiuſdemq; & Turcici ac Mahometici Imperij & ſectæ extirpationem.* 305

CAP. CIV. *Ex admirabili illa ſtatua, quæ per viſum nocturnum oſtenſa fuit Regi Nabuchodonoſor, cuius ſit mentio Danielis 2. oſtenditur extinctio Mahometici Imperij, & Chriſti Regni dilatatio & firmitas.* 313

CAP. CV. *Eadem dilatatio & ſtabilitas Regni Chriſti probatur ex nouo Teſtamento, ex vnione Iudæorum cum Gentili & Chriſtiano populo.* 321

CAP. CVI. *Modus, quo Iudæi in primis, & alij porrò infideles, Chriſti fidem ſuſcipient, eiuſq; Regnum poſt aduentum Antichriſti amplius dilatabunt; & aſſumptum argumentum fuſius deducitur.* 327

CAP. CVII. *De forma regiminis, quo ſancta Eccleſia, & ſingulariter Ieroſolymitana, & in vniuerſum totus orbis terrarum, poſt Antichriſti interitum, Mahometicæ ſectæ & omnium ſuperſtitionum extirpationem, gubernabitur.* 330

CAP. CVIII. *De duratione Regni Chriſti Domini, ſanctæ videlicet Eccleſiæ, ab interitu Antichriſti vſque ad conſummationem ſæculi, & aduentum Chriſti ad extremum iudicium.* 337

CAP. CIX. *De ſtatu Eccleſiæ ſanctæ & totius mundi, in quo eam Dominus noſter deprehendet, quando ad finale iudicium veniet.* 342

CAP. CX. *Idem porrò argumentum ratione ex fragili naturæ humanæ conditione deſumpta comprobatur.* 348

CAP. CXI. *Amplius exaggeratur miſerandus Eccleſiæ & totius mundi ſtatus tempore quo Dominus ad iudicium venturus eſt, ex maxima dæmonis tentatione, quam contra eam mouebit.* 349

LIBRI

LIBRI SECVNDI ARGVMENTVM.

ADDVCTIS Summorum Pontificum litteris, exhortationibus ac Bullis, in gratiam Terræ ſanctæ editis, ex ipſis aliisque excerpuntur gratiæ, indulgentiæ, diſpenſationes & priuilegia, quibus loca ſancta cum Præſule, & in iis atque in aliis etiam infidelium partibus habitantes Fratres, ad eadem item loca peregrinantes, eiſdémve beneficium quomodòli et exhibentes, condecorantur: agitur de ſacris Equeſtribus Terræ ſanctæ Ordinibus, & ſingulariter de præcellentiſſimo illo ſanctiſſimi Domini noſtri IESV CHRISTI *Sepulchro, ac de bello à fidelibus contra infideles pro Terræ ſanctæ recuperatione capeſſendo.*

CATALOGVS ROMANORVM PONTIFICVM, *quorum litteræ, exhortationes & conſtitutiones, in gratiam Terræ ſanctæ editæ.* à pag. 355. vſque ad 428

CAPVT I. *Octo notabilia proponuntur & explicantur, ad clariorem intelligentiam gratiarum & priuilegiorum Terræ ſanctæ.* 428

CAP. II. *Dubia nonnulla proponuntur, cum eorumdem ſolutionibus, pro maiori dilucidatione eorum quæ in ſequentibus Capitibus de priuilegiis Terræ ſanctæ dicenda erunt.* 432

CAP. III. *In Terra ſanctæ eſſe plures & varias indulgentias, & quales, aperitur.* 443

CAP. IV. *Terra ſanctæ, nec non aliorum Orientis locorum Indulgentiæ.* 448

CAP. V. *Vnde aliquæ ex recitatis indulgentiis confirmentur.* 452

CAP. VI. *De priuilegiis indulgentiarum in gratiam locorum Terræ ſanctæ perſonis Religioſis conceſſarum.* 454

CAP. VII. *De quatuor priuilegiis indulgentiarum ſingulariter conceſſis ſæcularibus illis, qui de locis ſanctis benè ſunt meriti.* 457

CAP. VIII. *De Præſule Ieroſolymitano, & de conditione Præſulum ſacræ Ciuitatis, qui eidem præfuerunt à Chriſti Domini morte vſque ad annum ſalutis milleſimum nonageſimum nonum, quando per Latinos fideles ab infidelibus Saracenis Ieroſolyma liberata fuit.* 459

CAP. IX. *Patriarchatus Ieroſolymitani ſtatus ſub Latinis, à recuperatione Ieroſolymorum vſque ad eorumdem amiſſionem & noſtra tempora.* 463

CAP. X. *De dignitate Guardiani ſacri Montis Sion, & totius Terræ ſanctæ Præſulis.* 465

CAP. XI. *De Vicario ſiue Præſide ſacri Montis Sion.* 467

CAP. XII. *Acta Capituli Generalis Loſanæ celebrati 1414. pertinentia ad loca Terræ ſanctæ.* 472

CAP. XIII. *Aliæ Conſtitutiones generales, pro ſacris locis Ieruſalem & Terræ ſanctæ, anno Domini 1526. ex authentico fideliter exſcriptæ.* 474

CAP. XIV. *De quinque priuilegiis & gratiis Guardiani ſacri Montis Sion, Præſulis totius Terræ ſanctæ, in ordine ad Religioſos.* 475

CAP. XV. *De octo priuilegiis Guardiani ſacri Montis Sion in ordine ſingulariter ad ſæculares.* 486

CAP. XVI. *De priuilegiis quibus Fratres Terræ ſanctæ fruuntur quoad paſſiuam perceptionem Sacramenti Pœnitentiæ.* 489

CAP. XVII. *De quinque priuilegiis, quibus Fratres Terræ ſanctæ priuilegiati ſunt, quoad receptionem Sacramenti Ordinis.* 490

CAP. XVIII. *De tredecim priuilegiis, quibus gaudent Fratres Terræ ſanctæ quantum ad Sacramentorum adminiſtrationem.* 492

CAP. XIX. *De quinque priuilegiis Fratrum Terræ ſanctæ, quæ in genere Sacramentalem confeſſionem & abſolutionem reſpiciunt.* 505

CAP. XX. *De ſpeciali facultate conceſſa Fratribus Terræ ſanctæ abſoluendi à particularibus exceſſibus.* 508

CAP. XXI. *Quomodo Fratres Terræ ſanctæ poſſint ſæculares inordinatè viuentes in partibus iſtis infidelium ferire cenſuris Eccleſiaſticis.* 512

CAP. XXII. *De quatuor peculiaribus priuilegiis Fratrum Terræ ſanctæ quantum ad diſpenſationes.* 515

CAP. XXIII. *De duobus priuilegiis Fratrum Terræ ſanctæ quantum ad tempus celebrandi Miſſas & diuina Officia.* 517

CAP. XXIV. *De quatuor priuilegiis Fratrum Terræ ſanctæ, quantum ad ornatus Eccleſiaſticos, indulgentiarum conceſſionem, &*

votorum commutationem. 524
CAP. XXV. *De tribus priuilegiis Fratrum Terræ ſanctæ quoad participationem cum infidelibus, ſchiſmaticis & excommunicatis.* 530
CAP. XXVI. *De tribus priuilegiis Fratrum Terræ ſanctæ circa temporalia; & primò circa domos & Eccleſias capiendas & conſeruandas.* 533
CAP. XXVII. *Duo proponuntur temporalia priuilegia, quæ perſonale commodum Fratrum Terræ ſanctæ reſpiciunt.* 535
CAP. XXVIII. *De ſex priuilegiis Fratrum Terræ ſanctæ quoad ipſorum Regulam.* 536
CAP. XXIX. *Decem peculiaria priuilegia, quibus gaudere poſſunt in præſentia, vel olim poterant perſonæ ſæculares in partibus Orientis, vel in quibuſuis aliis habitantes, & ad Terram ſanctam peregrinantes.* 541
CAP. XXX. *De multiplici confirmatione priuilegiorum, quæ in fauorem Terræ ſanctæ, Fratrum in ea habitantium, aliorum quorumlibet ad eam diuertentium, vel eidem ſubſidium quomodolibet ferentium conceſſa ſunt, & hactenus recitata.* 547
CAP. XXXI. *In Terra ſanctæ fuerunt & ſunt ſacri militares Ordines, quorum etiam inſtitutionis ratio, typus & numerus recenſetur.* 550
CAP. XXXII. *De origine militaris Ordinis Dominici Sepulchri.* 554
CAP. XXXIII. *De gentilitiis ſtemmatibus Regni Ieroſolymitani, & Equitum ſanctiſſimi Domini noſtri Ieſu Chriſti Sepulchri.* 556
CAP. XXXIV. *Difficultas delineationis gentilitiorum ſtemmatum Regum Equitumq; Ieroſolymitanorum: myſteria in eiſdem abſcondita, & Crucium ſignificatio.* 561
CAP. XXXV. *Quid Crucium pluralitas in ſtemmatibus Regum Equitumq; Ieroſolymitanorum ſignificet.* 564
CAP. XXXVI. *De quantitate continua ac diſpoſitione ſtemmatum Ieroſolymitanorum, & myſteriis in quantitate atque diſpoſitione illa inuolutis.* 567
CAP. XXXVII. *Accurata conditionis Crucium, quæ ſunt in ſtemmatibus Ieroſolymitanis, explicatio, & duplicis difficultatis enucleatio.* 571
CAP. XXXVIII. *De myſteriis in triangularibus Crucibus contentis.* 574
CAP. XXXIX. *De myſteriis in quadrangulari Cruce inuolutis.* 591
CAP. XL. *De materia & colore ſtemmatum Regum ſanctæ Ciuitatis, & myſteriis in eiſdem contentis.* 604
CAP. XLI. *Vnde proueniat, quòd Ieroſolymitanis ſtemmatibus diadema non ſuperimponatur.* 622
CAP. XLII. *De rubeis Crucibus in ſtemmatibus Equitum Dominici Sepulchri, & de myſteriis quæ in eiſdem adumbrantur.* 624
CAP. XLIII. *Sacer Equeſtris Dominici Sepulchri Ordo in veteri ac nouo Teſtamento præfiguratus fuit.* 631
CAP. XLIV. *De progreſſu, multiplici conditione & ſtatu ſacri militaris Ordinis Dominici Sepulchri.* 633
CAP. XLV. *Diploma, quo* PHILIPPO II. *Hiſpaniarum Regi, eiusq; ſucceſſoribus, ſumma adminiſtratio Ordinis ſanctiſſimi* SEPVLCHRI *Domini noſtri* IESV CHRISTI *ab Equitibus Ieroſolymitanis deferebatur anno* 1558. 635
CAP. XLVI. *Incipit modus perficiendi ſiue ordinandi militem ſanctiſſimi* SEPVLCHRI *Domini noſtri* IESV CHRISTI. 638
CAP. XLVII. STATVTA & LEGES *à* CAROLO MAGNO *Imp.* LVDOVICO VI. PHILIPPO *Sapiente,* LVDOVICO *ſancto, Franciæ Regibus, &* GODEFREDO BVLLONIO, *ſummis Ordinis Equeſtris ſanctiſſimi* SEPVLCHRI *Domini noſtri* IESV CHRISTI *Principibus ac Magiſtris latæ, quæ etiamnum in Archiuis eiuſdem Ordinis Ieroſolymitana in vrbe aſſeruantur.* 640
CAP. XLVIII. *Multiplex calumnia & difficultas, facta contra inſtituentes & inſtitutos Milites ſanctiſſimi Sepulchri Domini noſtri, & contra nonnullos qui ipſorum gratias & priuilegia ſcripſerunt.*
CAP. XLIX. *Calumnia & difficultas eadem refellitur.* ibid.
CAP. L. *Exemplar litterarum P. Bonifacij Ragnſci, quibus oſtenditur, Equites Dominici Sepulchri fuiſſe à piis Principibus variis gratiis ac eximiis priuilegiis condecoratos.* 651
CAP. LI. *Alia calumnia & mendacia à quodam hæretico Lutherano contra eundem ſacrum Dominici Sepulchri Ordinem eructata, & eorumdem confutatio.* 652
CAP. LII. *De Ordine Equitum Hoſpitalariorum ſancti Ioannis Ieroſolymitani, qui poſt Rhodij dicti, nunc Melitenſes vocantur.* 656
CAP. LIII. *De Templariorum Equitum Ordine.* 658
CAP. LIV. *De Ordine Equitum Teutonicorum Hoſpitalis S. Mariæ in Ieruſalem, qui & alio nomine Crucigeri & Mariani dicti ſunt.* ibid.
CAP. LV. *De Ordine Equitum S. Mauritij, & S. Lazari.* 660
CAP. LVI. *De alio Equeſtri Terræ ſanctæ Ordine, nuncupato in Syria* Montis-gaudij, *in Regno Caſtellæ* de Monfrac, *in Catalaunia verò & Valentia* de Mongoia. 661
CAP. LVII. *De ſacro militari Ordine S. Ioannis Aconenſis.* 662

CAP.

CAP. LVIII. *De Equeſtri Ordine S. Thomæ martyris & Epiſcopi Cantuarienſis.* 663
CAP. LIX. *De militari Ordine S. Gereonis martyris.* ibid.
CAP. LX. *De militari Ordine S. Blaſy martyris.* ibid.
CAP. LXI. *De Equeſtri Ordine Pœnitentiæ SS. Martyrum.* ibid.
CAP. LXII. *De ſacro militari Ordine S. Catharinæ virginis & martyris apud montem Sinai.* ibid.
CAP. LXIII. *De ſpirituali conditione Equitum Terræ ſanctæ, & num illius militiæ profeſſi dicendi ſint Religioſi.* 664
CAP. LXIV. *De militum ſacratiſſimi Sepulchri Domini noſtri* IESV CHRISTI *præcellentia.* 670
CAP. LXV. *Triplex obiectio contra dicta Capite præcedenti.* 673
CAP. LXVI. *Bellum inſtituendum eſſe à Chriſtianis Principibus, Eccleſiaſticis & ſæcularibus, contra Mahumetiſtas, pro recuperatione Terræ ſanctæ, peragenda per ſacros milites. Multiplices fructus, qui ex ſacra expeditione proueniant. Item. Rationes quæ Auctorem vel retrahant vel impellant ad ſcribendum de hoc argumento.* 676
CAP. LXVII. *Rationes, quibus permoueri ac perſuaderi debeant Chriſtiani Principes, vt generale Turcis pro recuperatione Terræ ſanctæ bellum inferant.* 677
CAP. LXVIII. *Argumentum præcedentis Capitis amplius explicatur.* 683
CAP. LXIX. *Ratio prima, quare Deus ſacratiſſimum Sepulchrum impiorum & infidelium Mahometanorum poteſtati permittat; quæ eſt, vt palàm fiat mundo, quales ſint Chriſtiani Principes.* 687
CAP. LXX. *Secunda ratio, quare Deus ſacrum Sepulchrum ſuum, & reliqua Terræ ſanctæ loca, Turcarum & Mahometanorum poteſtati permittat, vt eius ex liberatione vel expugnatione fideles, & in primis Chriſtiani Principes, glorioſi euadant, & à morte æterna liberentur.* 692
CAP. LXXI. *Argumenta in medium adferuntur, quæ proximè præcedentibus Capitibus dicta conuellere videntur.* 693
CAP. LXXII. *Reſpondetur argumentis Capite præcedenti contra ſacram expeditionem adductis.* 695
CAP. LXXIII. *Vnde neceſſaria ad ſacram expeditionem colligi poſſint.* 702
CAP. LXXIV. *Septem alia magis expedita media ad colligenda ſubſidia pro ſacra expeditione in Terram ſanctam.* 709
CAP. LXXV. *Difficultas altera contra ſacram expeditionem.* 711
CAP. LXXVI. *Quali bello, & quo duce Terræ ſanctæ poſſeſſio recuperari poſſe videatur.* 712
CAP. LXXVII. *Octo conditiones, quæ à militibus militiæ ſacræ, antequam cum hoſte congrediantur, obſeruari debent, recenſentur: quarum tres priores hoc Capite enumerantur & enucleantur.* 714
CAP. LXXVIII. *Quarta & quinta conditiones, militibus ſacris obſeruandæ, referuntur.* 718
CAP. LXXIX. *Sexta, ſeptima & octaua conditiones, à ſacris militibus ante congreſſum cum hoſte obſeruandæ, ſubnectuntur.* 721
CAP. LXXX. *Obiectio diluitur quæ fieri poſſet contra ea quæ dicta ſunt Cap.* LXXVIII. *in quinto Notabili.* 726
CAP. LXXXI. *Dubium nonnullum opponitur & diluitur. Item de quinque conditionibus, quas obſeruare debent ſacri milites in ipſo cum hoſtibus infidelibus congreſſu.* 728
CAP. LXXXII. *Quid agendum ſit ſacræ Ieroſolymitanæ militiæ militibus poſt obtentam de hoſtibus victoriam, & Terram ſanctam acquiſitam.* 731
CAP. LXXXIII. *Excellentia noſtræ ſacræ militiæ demonſtratur, ea tum in ſe conſiderata, tum & aliis comparata.* 736
CAP. LXXXIV. *Eadem militiæ ſacræ præ aliis eminentia oſtenditur ex militum eius præcellentia, quorum ſtrenuiſſimi fortiſſimiq; mores explicantur.* 740
CAP. LXXXV. *Duplex obiectio contra aſſerta duobus præcedentibus Capitibus de præcellentia militiæ Ieroſolymitanæ.* 742
CAP. LXXXVI. *Eadem porrò ſacræ Ieroſolymitanæ militiæ præcellentia demonſtratur ex multiplici fructu, & primùm eo, qui prouenit ex ipſiuſmet militiæ natura.* 744
CAP. LXXXVII. *Ex ſacra expeditione pacifica mors, honor & gloria obuenit militibus, & à dedecore liberantur, ſi in ea illos contingat occumbere.* 747
CAP. LXXXVIII. *Recenſentur Principum variorum in Terram ſanctam expeditiones, vt amplius moueantur noſtri Principes ad inferendum de nouo bellum Turcis pro eiuſdem recuperatione.* 749

Digitized by Google

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM

LIBRI TERTII

ARGVMENTVM.

AGITVR *de multiplici peregrinatione, externa, honesta siue profana, ac interna spirituali; & illam ad loca sancta Terræ promissionis, in eisdemque mansionem licitam, vtilem atque plurimùm meritoriam esse, pluribus explicatur. Quibus illa peregrinatio ac mansio conueniat, & quomodo instituenda sit, aperitur. De assensu exhibendo iis quæ de sanctis locis referuntur, deque eorum veneratione disseritur. Ac denique, pios fideles opem ferre debere sanctis locis, pro illorum honesta conseruatione, ostenditur.*

CAPVT I. *Variæ peregrinationum differentiæ adducuntur, inter quas externam, honestam ac religiosam in se quidem, sed in primis ad loca sancta Palæstinæ, homini Christiano licitam, vtilem & meritoriam esse, sacræ Scripturæ testimonio comprobatur.* 754

CAP. II. *Eamdem ad loca sancta peregrinationem, præcipuè verò Ierosolymitanam, vtpote laudabilem & meritoriam, omnino obeundam esse, auctoritate, ratione, atque sanctorum illustriumq; virorum ex lege Euangelica desumptis exemplis comprobatur.* 757

CAP. III. *Peregrinatio Ierosolymitana, & mansio in Terra sancta, meritò præcellit alias quascumque peregrinationes, ob multiplex bonum ex illa proueniens.* 760

CAP. IV. *Eadem porrò peregrinatio Ierosolymitana ceteris præfertur ratione finis.* 763

CAP. V. *Ampliùs eiusdem peregrinationis præcellentia demonstratur ex meritorum circumstantiis, quæ in ea singulari modo reperiuntur.* 764

CAP. VI. *De alio in Terram sanctam proficiscentium & in eadem commorantium speciali merito ex desiderio martyrij proueniente, & quòd Deus illud peculiariter gratum habeat.* 767

CAP. VII. *De gemino fine peculiari Ierosolymitanæ peregrinationis, componendi scilicet in melius vitam suam, & alios ad idem alliciendi.* 771

CAP. VIII. *De speciali merito proficiscentium ad Terram sanctam, proueniente ex desiderio conseruandi & gubernandi loca sancta.* 773

CAP. IX. *Obiectio, quæ contra dicta Capite præcedenti fieri posset, diluitur.* 775

CAP. X. *De speciali merito proficiscentium ad Terram sanctam, & in eadem manentium, proueniente ex administratione Sacramentorum & prædicatione Euangelij; & quàm meritorium sit huic operi incumbere, auctoritate gemina docetur.* 776

CAP. XI. *Idem porrò argumentum ratione probatur.* 778

CAP. XII. *Ratione & exemplis monstratur, quàm insigne opus sit, relicta solitudine se occupare in procuranda salute animarum: & concluditur, valdè meritoriam esse eo intuitu profectionem in Terram sanctam.* 781

CAP. XIII. *Difficultas nonnulla diluitur, atque ostenditur, etiam illos qui prædicationi Sacramentorúmve administrationi non incumbunt, fieri posse participes meriti illorum qui prædicant & Sacramenta administrant.* 784

CAP. XIV. *Accurata adhuc piaq; ratiocinatione ostenditur, tanti meriti æquè fieri posse participes illiteratos & simplices suis exercitiis intendentes, quàm Prælatos & Prædicatores regimini animarum & prædicationi Euangelij insistentes; & nodus quidam dissoluitur.* 786

CAP. XV. *Quæ hactenus pluribus deducta & exposita fuerunt, variis exemplis stabiliuntur.* 789

CAP. XVI. *Septem aliæ vtilitates, ex Ierosolymitana peregrinatione prouenientes, enumerantur: & ratione duplicis cæremoniæ, luminum ac palmarum, peregrinorum Terræ sanctæ præcellentia indicatur.* 791

CAP. XVII. *Sanctorum locorum peregrinationem non omnibus expedire; non mulieribus, non Religiosis omnibus, non Prælatis, nec coniugatis.* 793

CAP. XVIII. *Religiosis, quibus commissa est sanctorum locorum gubernatio, nec non aliis solutis hominibus, vtilis est & meritoria ea de qua agimus peregrinatio.* 798

CAP. XIX. *Occurritur obiectioni, qua probatur, Ierosolymitanam peregrinationem non expedire.* 799

CAP. XX. *Soluitur aliud argumentum, quod sanctam Ierosolymitanam peregrinationem improbat: rationes aliquæ adducuntur, quare libera omnibus eam assumendi non sit concessa facultas.* 803

CAP.

CAP. XXI. *Argumentum contra primam Assertionem Capitis* XVII. *quòd multeribus non expediat ad sancta loca peregrinari, refellitur, aliaq; nonnulla scitu digna adferuntur.* 804

CAP. XXII. *Alterum argumentum contra asserta à nobis Capite* XVII. *non licere eam peregrinationem Religiosis in claustro degentibus & Prælatis, dissoluitur.* 807

CAP. XXIII. *Argumenta, quibus nonnulli probare nituntur, peregrinationem ad loca sancta, & mansionem in eisdem, non expedire Franciscanis Fratribus.* 808

CAP. XXIV. *Licitam & vtilem esse Franciscanis Fratribus ad loca sancta peregrinationem, & eorumdem gubernationem, asseritur, & argumentis in contrarium adductis respondetur.* 810

CAP. XXV. *Quibus conditionibus ornati esse debeant Fratres, qui ad custodiam locorum Terræ sanctæ, vel ad alias infidelium regiones destinandi sunt: nimirum eos à Spiritu sancto moueri debere; & quibus indiciis dignoscere possint, motionem, quam in se sentiunt, à Spiritu sancto prouenire.* 816

CAP. XXVI. *Quare ij qui à Spiritu sancto moti sunt ad assumendam Ierosolymitanam peregrinationem, facultatem petere debeant à Prælatis; & quinam ij sint, qui mittendi facultatem habent, & quomodo circa mittendos se gerere debeant.* 819

CAP. XXVII. *De conditione Fratrum mittendorum ad partes infidelium, & præcipuè ad Terram sanctam.* 822

CAP. XXVIII. *Quæ obseruanda sint Præsuli sacri montis Sion, & Duci familiæ Ierosolymitanæ, antequam iter cum familia sibi commissa aggrediatur.* 824

CAP. XXIX. *Documenta nonnulla ab omnibus ad Terram sanctam proficiscentibus obseruanda.* 828

CAP. XXX. *Quæ obseruanda sint in ipso ad Terram sanctam itinere.* 829

CAP. XXXI. *Quæ fieri debeant à peregrinis, postquam ad Terram sanctam peruenerint.* 831

CAP. XXXII. *Quæ iisdem peregrinis facienda sint, dum, peregrinatione absoluta, & deuotione in locis sanctis peracta, domum reuertuntur.* ibid.

CAP. XXXIII. *De externa profana, sed honesta ac laudabili peregrinatione.* 832

CAP. XXXIV. *De externa profana, sed detestabili ac vitiosa peregrinatione.* 835

CAP. XXXV. *De peregrinatione spirituali.* 840

CAP. XXXVI. *Qua fide aut quo assensu credere debeamus ea quæ de locis sanctis dicentur in sequentibus Libris.* 844

CAP. XXXVII. *De multiplici genere traditionum: & cuius generis sit illa, cui fidem adhibemus quoad ea quæ dicuntur de locis sanctis.* 848

CAP. XXXVIII. *Ex vniuersalis Ecclesiæ consensu, particularium Ecclesiarum traditione, probatissimorum virorum sententia, ceterorumq; hominum communi opinione ostenditur, quantus sit assensus exhibendus his quæ dicentur de locis sanctis.* 851

CAP. XXXIX. *Infideles inimici Crucis Christi, dæmones denique ipsi contestantur ea quæ de sanctis locis dicuntur.* 853

CAP. XL. *Ipsa loca sancta occulta vi demonstrant vera esse quæ de ipsis asseruntur.* 856

CAP. XLI. *Dispellitur nubecula, quæ dictis de historica veritate locorum sanctorum opponi, & aliquam obscuritatem inducere posset.* 857

CAP. XLII. *De cultu & veneratione quæ locis sanctis sunt exhibenda.* 860

CAP. XLIII. *De diuina prouidentia, & diligentia fidelium in custodiendis sacris Reliquiis, quæ Christum Dominum præcipuè tetigerunt, & eorumdem erga easdem pietate.* 868

CAP. XLIV. *Locis sanctis subueniendum esse per eleëmosynas, ostenditur ab exemplis, & argumenta contrà militantia subruuntur.* 872

CAP. XLV. *Ampliùs explicatur præcipuorum Principum Christianorum pietas, feruor & zelus in subueniendo sanctissimis Terræ sanctæ locis, & quomodo suis in ea collatis beneficiis tum se tum alios ad illis subueniendum prouocauerint.* 878

CAP. XLVI. *Alius quidam nodus circa eamdem materiam dissoluitur, & rationes nonnullæ afferuntur, quare maiores expensa facta sint nostris posterioribus quàm prioribus temporibus, pro conseruatione locorum Terræ sanctæ.* 881

CAP. XLVII. *Ex iustitia subueniendum est locis sanctis.* 884

CAP. XLVIII. *Ex pietate locis sanctis subueniendum est.* 886

CAP. XLIX. *Præcellentia meriti, quod locorum sanctorum egestati subuentione acquiritur, mouere debebat Christianos.* 888

CAP. L. *Qui de locis sanctis benè merentur, etiam in sæculo glorioſi euadunt. Et quædam Apostoli argumenta adduntur.* 889

AD LIBRVM II. APPENDIX *Constitutionum & Litterarum Apostolicarum, quas in gratiam Terræ sanctæ dederunt Summi Pontifices, Bonifacius* VIII. *Clemens* VI. *Innocentius* VI. *Vrbanus* V. *Gregorius* XI. *Eugenius* IV. *Paulus* II. *Sixtus* IV. *& Vrbanus* VIII. 893

Digitized by Google

INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRÆ QVÆ HOC PRIMO TOMO EXPLICANTVR.

Numerus paginam, littera a *priorem,* b *posteriorem pagina columnam designat.*

EX GENESI.

GEN. 1. v. 2. Terra autem erat inanis & vacua. Pag. 286, b
v. 27. Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem Dei creauit illum. 576, a & b
v. 28. Crescite, & multiplicamini. 811, a
Gen. 2. v. 2. Et requieuit die septimo ab omni opere quod patrarat. 266, a
v. 22. Ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, *&c.* 316, b
v. 24. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. 316, b
Gen. 3. v. 22. Nunc ergo ne fortè mittat Adam manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. 586, b
v. 23. Emisit eum Dominus de paradiso voluptatis. 220, a
Gen. 4. v. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. 765, b
v. 14 Ecce eijcis me à facie terræ, & à facie tua abscondar, *&c.* omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me. 219, a & b
v. 15. Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitque Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum. 219, a & b
Gen. 6. v. 3. Erunt dies illius centum viginti annorum. 37, a
v. 5. Videns Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis, *&c.* 270, b. 271, a
v. 9. Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit. 647, b
v. 11. Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate. 271, a
Gen. 9. v. 25. Seruus seruorum erit fratribus suis. Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius. 22, a
Gen. 10. v. 21. De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber. 128, b
Gen. 12. v. 1. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi. 23, b. 235, a
v. 6. Chananæus autem tunc erat in terra. 24, a
Gen. 15. v. 1. Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. 84, b. 235, b
v. 16. Nondum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum. 23, b. 26, b
Gen. 16. v. 7. *& seqq.* Cumque inuenisset eam Angelus iuxta fontem aquæ in solitudine, *&c.* dixit ad illam: Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine, *&c.* vocabisque nomen eius Ismaël, *&c.* Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, *&c.* 235, a
Gen. 17. v. 5. Patrem multarum gentium constitui te. Faciamque te crescere vehementissimè, *&c.* Daboque tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam. 235, a & b
Gen. 21. v. 9. Vidit Sara Ismaëlem ludentem cum Isaac. 721, b
Gen. 22. v. 12. Nunc cognoui quòd timeas Deum. 617, b
v. 16. Per memetipsum iuraui, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me; benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris, *&c.* 234, a & b
v. 17 Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli. 86, b. 141, b
Gen. 25. v. 23. Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusque populum superabit, & maior seruiet minori. 25, b
Gen. 26. v. 2. Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi, *&c.* 773, a & b
Gen. 27. v. 19. Ego sum primogenitus tuus Esau. 269, a
v. 40. Viues in gladio. 227, b
Gen. 28. v. 16. Verè Dominus est in loco isto: non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. 867, b
Gen. 32. v. 10. In baculo meo transiui Iordanem. 585, a

Gen. 34.

Gen. 34. v. 3. Conglutinata eſt anima eius cum ea. 316,b
Gen. 41. v. 42. Tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius, *&c.* 562,a
Gen. 47. v. 31. Quo iurante, adorauit Iſraël Dominum, conuerſus ad lectuli caput. 585,a
Gen. 48. v. 6. Reliquos autem quos genueris poſt eos, tui erunt, & nomine fratrum ſuorum vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis. 46,a
v. 22. Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo. 27,a. 45,b. 876,a
Gen. 49. v. 7. Diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſraël. 50,b
v. 11. Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum. 71,b. 311,b. 608,a
v. 25. Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli deſuper, benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus vberum, *&c.* 616,a

EX EXODO.

EXOD. 12. v. 38. Sed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis. 200,a
Exod. 13. v. 18. Armati aſcenderunt filij Iſraël de terra Ægypti. 876,a
Exod 20. v. 5. Ego Deus fortis, & zelotes. 253,b
Exod. 23. v. 15. Non apparebis in conſpectu meo vacuus. 828,b
v. 29. Non eijciam eos à facie tua anno vno: ne terra in ſolitudinem redigatur, *&c.* 91,a
Exod. 24. v. 4. Scripſit Moyſes vniuerſos ſermones Domini: & manè conſurgens ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſraël. 553,a
Exod. 28. v. 36. Facies laminam de auro purißimo: in qua ſculpes opere cælatoris, Sanctum Domino, *&c.* 679,b
Exod. 32. v. 6. Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. 721,b
Exod. 33. v. 15. Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto. 717,a

EX LEVITICO.

LEVIT. 6. v. 12. Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubijciens ligna manè per ſingulos dies, *&c.* Ignis eſt iſte perpetuus, qui numquam deficiet in altari. 617,b

EX NVMERIS.

NVMER. 13. v. 28. Venimus in terram, quæ reuerà fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognoſci poteſt. 71,a
Numer. 14. v. 34. Iuxta numerum quadraginta dierum, quibus conſideraſtis terram: annis pro die imputabitur. 37,b

EX DEVTERONOMIO.

DEVTER. 8. v. 7. Introducet te in terram bonam, terram riuorum aquarumque & fontium, *&c.* 70, b. 71,a
Dent. 15. v. 4. Omnino indigens & mendicus non erit inter vos. 71,a
Dent. 16. v. 3. Non comedes in eo panem fermentatum: ſeptem diebus comedes abſque fermento afflictionis panem, quoniam in pauore egreſſus es de Ægypto. 819,b
Dent. 32. v. 14. Et ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum. 75,a & b
v. 30. Perſequatur vnus mille, & duo fugent decem millia; quia Deus ſuus vendidit eos, *&c.* 297,b

EX LIBRO IOSVE.

IOSVE 5. v. 13. Noſter es, an aduerſariorum? qui reſpondit, Nequaquam; ſed ſum Princeps exercitus Domini, & nunc venio. 26,b
Ioſ. 6. v. 20. Ceperunt ciuitatem, & interfecerunt omnia quæ erant in ea, à viro vſque ad mulierem, *&c.* 294,b
Ioſ. 8. v. 29. Regem quoque eius ſuſpendit in patibulo vſque ad veſperam, *&c.* 571,b
Ioſ. 18. v. 8. Circuite terram, & deſcribite eam, ac reuertimini ad me: vt hîc coram Domino, in Silo, mittam vobis ſortem. 49,a

EX LIBRO IVDICVM.

IVDIC. 1. v. 6. Quem perſecuti comprehenderunt, cæſis ſummitatibus manuum eius & pedum. 214,a
Iudic. 3. v. 2. Vt poſteà diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi. 91,b
Iudic. 5. v. 8. Noua bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit. 713,b
Iudic. 7. v. 7. In trecentis viris liberabo vos, & tradam in manu tua Madian, *&c.* 582,b
Iudic. 9. v. 5. Et occidit fratres ſuos filios Ierobaal ſeptuaginta viros, ſuper lapidem vnum. 37,a
Iudic. 19. v. 30. Numquam res talis facta eſt in Iſraël. 6,a

EX LIBRO I. REGVM.

1. REG. 1. v. 1. Fuit vir vnus de Ramathaimſophim, de monte Ephraim. 318,b
1. *Reg.* 2. v. 5. Donec ſterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios infirmata eſt. 338,a. 790,a & b
v. 8. Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem. 281,b
v. 30. Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnent me, erunt ignobiles. 647,b
1. *Reg.* 3. v. 1. Sermo Domini erat pretioſus, & non erat viſio manifeſta. 237,b
v. 11. Ecce ego facio verbum in Iſraël: quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius. In die illa ſuſcitabo aduerſum Heli omnia, *&c.* 239,b
1. *Reg* 4. v. 21. Tranſlata eſt gloria ab Iſraël, eò quòd capta eſſet Arca Dei. 239,b
1. *Reg.* 8. v. 7. Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. 334,b
1. *Reg.* 12. v. 15. Si non audieritis vocem Domini, *&c.* erit manus Domini ſuper vos, & ſuper patres veſtros. 680,a
1. *Reg.* 13. v. 17. Egreſſi ſunt ad præliandum de caſtris Philiſthinorum tres cunei. 740,a
1. *Reg.* 15. v. 3. Vade, & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius: non parcas ei, ſed interfice à viro vſque ad mulierem, *&c.* 294,b
v. 22. Melior eſt obedientia quàm victimæ. 819,b

1. *Reg.* 17. v. 40. Tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus: & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem. 724,a & b
1. *Reg.* 21. v. 5. Via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. 310,b

EX LIBRO II. REGVM.

2. Reg. 5. v. 2. Tu pasces populum meum Israël, & tu eris Dux super Israël. 615,b
2. *Reg.* 21. v. 17. Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israël. 614, b

EX LIBRO III. REGVM.

3. Reg. 13. v. 5. Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de altari, iuxta signum quod prædixerat vir Dei. 856,a & b
3. *Reg.* 17. v. 13. Noli timere, sed vade, & fac sicut dixisti: verumtamen mihi primùm fac de ipsa farinula subcinericium panem paruulum, & affer ad me: tibi autem & filio tuo facies postea. 877,b
v. 14. Hydria farinæ non deficiet, & lecythus olei non imminuetur, vsque ad diem, *&c.* 878,a
3. *Reg.* 19. v. 4. Sufficit mihi Domine, tolle animam meam. 214,b
3. *Reg.* 20. v. 11. Ne glorietur accinctus æquè ac discinctus. 729,b

EX LIBRO IV. REGVM.

4. Reg. 2. v. 12. Pater mi, currus Israël, & auriga eius. 615,a
4. *Reg.* 4. v. 19. Caput meum doleo, caput meum doleo. 677,b
4. *Reg.* 6. v. 16. Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. 725,a
4. *Reg.* 11. v. 12. Posuit super eum diadema, & testimonium. 615,a
4. *Reg.* 13. v. 20. Latrunculi autem de Moab venerunt, *&c.* 740,a
4 *Reg.* 22. v. 20. Colligêris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum. 747,b

EX LIBRO TOBIÆ.

Tobiæ 10. v. 5. Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis. 615,b
Tob. 13. v. 3. Confitemini Domino filij Israël, & in conspectu gentium laudate eum: quoniam ideò dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius. 201,a
v. 11. Ierusalem ciuitas Dei. 141,b
v. 13. Luce splendida fulgebis. 141,b
v. 13. Et omnes fines terræ adorabunt te. Nationes ex longinquo ad te venient: & munera deferentes, adorabunt in te Dominum, & terram tuam in sanctificationem habebunt. 9,b. 142, b & seq.
v. 21. Portæ Ierusalem ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioso omnis circuitus muri eius. 144,b
v. 23. Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, & sit Regnum eius in sæcula sæculorum super eam. 147,b

EX LIBRO IOB.

Iob 7. v. 1. Militia est vita hominis super terram. 345,a
Iob 19. v. 21. Manus Domini tetigit me. 282,a
Iob 28. v. 1. Habet argentum venarum suarum principia: & auro locus est, in quo conflatur. 606,b
v. 13. Nec enim inuenitur in terra suauiter viuentium. 288,b
Iob 30. v. 20. Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me: mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. 290,a
v. 24. Verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam: & si corruerint, ipse saluabis. 290,a
Iob 40. v. 19. In oculis eius quasi hamo capiet eum, & in sudibus perforabit nares eius. 580,b

EX PSALMIS.

Psal. 2. v. 6. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super montem sanctum eius. 306, a
v. 7. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te, *&c.* 584,a
Psal. 4. v. 9. In pace in idipsum dormiam, & requiescam. 585,b
Psal. 5. v. 8. Adorabo ad templum sanctum tuum. 866,b
Psal. 7. v. [illegible] Si est iniquitas in manibus meis. 320,[illegible]
Psal. 8. v. 6. Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronasti eum. 612,a
Psal. 11. v. 7. Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. 606,b. 607,a
Psal. 16. v. 13. Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ. 282,a
Psal. 17. v. 21. Secundùm puritatem manuum mearum respice in me. 320,b
Psal. 21. v. 15. Factum est cor meum tamquàm cera liquescens in medio ventris mei. 282,b
Psal. 22. v. 4. Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. 586,a
Psal. 26. v. 13. Credo videre bona Domini in terra viuentium. 27,a. 235,b
Psal. 29. v. 10. Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? 632,a
Psal. 30. v. 10. Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus. 282,b
Psal. 31. v. 9 Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. 131,a
Psal. 32. v. 10. Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum. 569,a
Psal. 33. v. 8. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos. 737,b
v. 11. Diuites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. 620,b
Psal. 44. v. 3. Speciosus forma præ filiis hominum. 610,a

v. 10. Ad-

v. 10. Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato: circumdata varietate. 209,b. 312,a
Pſal. 45. v.6. Deus, in medio eius, non commouebitur. 608,a
Pſal. 48. v. 15. Dominabuntur eorum iuſti in matutino. 26,a
Pſal. 49. v.11. Pulchritudo agri mecum eſt. 3,a
Pſal. 50. v.21. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos. 855,b
Pſal. 52. v. 2. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt. 780,a
Pſal. 54. v. 10. Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate. 320,a
Pſal. 58. v. 12. Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos: nequando obliuiſcantur populi mei. 219,b. 220,a
Pſal. 59. v.6. Dediſti metuentibus te ſignificationem: vt fugiant à facie arcus: vt liberentur dilecti tui. 225,b
v. 10. In Idumæam extendam calceamentum meum. 691,a
Pſal. 67. v.7. Inhabitare facit vnius moris in domo. 203,a
v.14. Pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. 607,b
v.16. Mons coagulatus, mons pinguis. 83,b
v.26. Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus, in medio iuuencularum tympaniſtriarum. In Eccleſiis benedicite Deo Domino, de fontibus Iſraël. 210,a
Pſal. 68. v.23. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum. 244,a
Pſal. 71. v.8. Dominabitur à mari vſque ad mare; & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. 321,b
Pſal. 73. v.2. Redemiſti virgam hereditatis tuæ. 584,a
v. 12. Operatus eſt ſalutem in medio terræ. 87,a
Pſal. 75. v. 2. Notus in Iudæa Deus: in Iſraël magnum nomen eius. 6,a. 7,a. 128,a
v.6. Nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. 25,b
Pſal. 77. v. 34. Cùm occideret eos, quærebant eum: & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. 289,a
v.54. Induxit eos in montem ſanctificationis ſuæ; montem, quem acquiſiuit dextera eius. 583,a
v.66. Percuſſit inimicos ſuos in poſteriora: opprobrium ſempiternum dedit eis. 215,b. 216, a
v.67. Et repulit tabernaculum Ioſeph: & tribum Ephraim non elegit: ſed elegit tribum Iuda. 12,a
Pſal. 78. v. 1. Deus venerunt Gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum: poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam. 230,b
Pſal. 79. v. 14. Exterminauit eam aper de ſilua: & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. 283,a
Pſal. 80. v. 17. De petra, melle ſaturauit eos. 73,a
Pſal. 81. v.6. Ego dixi: Dij eſtis. 683,b
Pſal. 82. v. 8. Amalec, & alienigenæ cum habitantibus Tyrum. 719,b
v.17. Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum, Domine. 218,a
Pſal. 85. v.9. Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine, *&c.* 210,b
Pſal. 86. v.1. Fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. 141,b. 256,a. 318,b
v.5. Et ipſe fundauit eam Altiſſimus. 142,a
v.6. Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & Principum, *&c.* 852,b
Pſal. 90. v. 7. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. 350,a & b
Pſal. 92. v.1. Dominus regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. 40,b. 581,b. 614,a
Pſal. 93. v.12. Beatus homo, quem tu erudieris Domine. 597,b
Pſal. 94. v.10. Quadraginta annis offenſus fui generationi illi, & dixi: Semper hi errant corde, *&c.* 38,b
v.11. Si introibunt in requiem meam. 9,b
Pſal. 95. v.10. Dicite in Gentibus quia Dominus regnauit. 320,a
Pſal. 98. v. 5. Adorate ſcabellum pedum eius: quoniam ſanctum eſt. 863,a & b. 864,a. 866, b
Pſal. 101. v.7. Similis factus ſum pellicano ſolitudinis. 581,b
Pſal. 104. v. 15. Nolite tangere chriſtos meos: & in Prophetis meis nolite malignari. 334,b
v. 43. Et eduxit populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia. 829,b
Pſal. 109. v.2. Dominare in medio inimicorum tuorum. 249,a
v.3. Tecum principium in die virtutis tuæ. 583,b
v. 7. De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput. 352,b
Pſal. 111. v.22. Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. 318,b
Pſal. 118. v.13. In labiis meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui. 238,a
v. 66. Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me. 818,a
Pſal. 119. v.5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitaui cum habitantibus Cedar, *&c.* 235,b
Pſal. 121. v.1. Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: In domum Domini ibimus, *&c.* 236, a
v.3. Cuius participatio eius in idipſum. 85,b
v.5. Illic ſederunt ſedes in iudicio. 85,b
Pſal. 123. v.3 Cùm iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos, *&c.* 352, b
Pſal. 127. v.3. Vxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ. 795,a & b
v.3. Filij tui ſicut nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ tuæ. 613,b
Pſal. 131. v. 7. Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius. 864,a & b
Pſal. 134. v.11. Sehon Regem Amorrhæorum. 720, a
Pſal. 141. v.8. Educ de cuſtodia animam meam. 235, b

Pſal. 144.

Pſal. 144.v.13. Fidelis Deus in omnibus verbis ſuis. 28,a

EX LIBRO PROVERBIORVM.

PROVERB. 3.v.27. Noli prohibere benefacere eum qui poteſt. 885,a
*Prouerb.*5.v.18. Lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ: cerua chariſſima. 795,a
*Prouerb.*8.v.17. Ego diligentes me diligo. 630,a
v.22. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum. 149,b
v.35. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. 607,a
*Prouerb.*14.v.34. Miſeros facit populos peccatum. 619,a
*Prouerb.*16.v.32. Melior eſt patiens viro forti, *&c.* 40,b
v.33. Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. 49,a
Prouerb. 17. v.6. Corona ſenum, filij filiorum. 613,a
v.22. Spiritus triſtis exſiccat oſſa. 620,b
*Prouerb.*21. v.28. Vir obediens loquetur victorias. 718,a & b
Prouerb. 26.v.4. Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur. 873,a
*Prouerb.*28.v.1. Fugit impius, nemine perſequente. 297,b
Prouerb. 30. v.8. Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi. 350,b
Prouer. 31.v.24. Cingulum tradidit Chananæo. 5,b

EX ECCLESIASTE.

ECCLE. 1. v.8. Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu impletur. 148,b
Eccle. 3.v.19. Cuncta ſubiacent vanitati. 618,b
Eccle. 5. v.9. Auarus non implebitur pecunia. 620,b
v.11. Saturitas diuitis non ſinit eum dormire. 620,b
v.12. Eſt & alia infirmitas peſſima, *&c.* diuitiæ conſeruatæ in malum domini ſui. Pereunt enim in afflictione peſſima. 621,a
*Eccle.*6. v.1. Eſt & aliud malum, quod vidi ſub ſole, *&c.* Vir, cui dedit Deus diuitias, *&c.* nec tribuit ei poteſtatem Deus, vt comedat ex eo, *&c.* 624, a
Eccle. 7. v.2. Melior eſt dies mortis die natiuitatis. 214,a
Eccle. 9. v.12. Neſcit homo finem ſuum: ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aues laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, *&c.* 328, b. 329,a
*Eccle.*10.v.8. Qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber. 252,a

EX CANTICIS.

CANT. 1. v.4. Sicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis, *&c.* 713,b
v.5. Filij matris meæ pugnauerunt contra me. 208,a. 345,a. 737,a. 744,b
v.6. Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam, *&c.* 569,b
v.8. Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea. 551,b
v.9. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis. 765,b. 766,a. 767,a. 771,b
v.10. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. 607,a
*Cant.*2.v.1. Ego flos campi, & lilium conuallium. 3,a. 607,a
v.16. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. 342,b
Cant. 3.v.9. Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum: media charitate conſtrauit. 629,a & b. 630,a & b. 631,a
v.11. Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. 612,b. 613, a & b
Cant. 4.v.6. Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris. 318,b
*Cant.*5.v.2. Vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, *&c.* Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illâ, *&c.* Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. 282,a & b. 283,a
v.5. Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima. Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque tranſierat. 288,b. 289,b
v.8. Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuntietis mihi, quia amore langueo. 290,b
v.9. Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum. 689,b. 690,a
v.10. Dilectus meus candidus & rubicundus. 625,a
v.11. Caput eius aurum optimum. 608,a. 690,a
v.14. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. 608, a. 690, a. 885, b. 889, b
v.15. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. 608,a
*Cant.*6.v.1. Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat. 290,b
v.3. Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora ſicut Ieruſalem: terribilis vt caſtrorum acies ordinata. 302, a. 303,a & b
v.9. Terribilis vt caſtrorum acies ordinata. 93,b. 785,a
v.12. Reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te. 327, a & b. 328,a
*Cant.*7. v.5. Et comæ capitis tui, ſicut purpura Regis vincta canalibus. 312,a
v.11.12. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Manè ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea. 2, b
*Cant.*8.v.5. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? 312,b

v.5.

v.5. Sub arbore malo ſuſcitaui te, amica mea: ibi corrupta eſt mater tua. 886,a
v.6. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum. 594,b. 595,a & b. 596,a
v.12. Vinea mea coram me eſt. 326,a
v.13. Quæ habitas in hortis, amici auſcultant: fac me audire vocem tuam. 326,a

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

SAPIENT. 3. v. 5. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt. 234,a
Sapient. 10. v.19. Iuſti tulerunt ſpolia impiorum, & decantauerunt Domine nomen ſanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter. 193,a
Sapient. 11. v.21. Deus omnia condidit in ordine, pondere, & menſura. 678,a
Sapient. 12. v.3. Illos enim habitatores Terræ ſanctæ tuæ. 10,a

EX ECCLESIASTICO.

ECCLI. 3. v. 27. Qui amat periculum, in illo peribit. 809,b
Eccli. 8. v. 3. Multos perdidit aurum & argentum. 620,b
Eccli. 10. v.8. Regnum de gente in gentem tranſfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos. 243,a
Eccli. 30. v.2. Qui docet filium ſuum, laudabitur in illo, & in medio domeſticorum in illo glotiabitur. 613,b
v.17. Melior eſt mors quàm vita amara. 214,a
Eccli. 31. v.11. Eleëmoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum. 889,a
v.28. Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & teſtimonium veritatis illius fidele. 889,a & b
Eccli. 42. v. 14. Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefacicus. 813,a

EX ISAIA.

ISAIÆ 1. v.1. Viſio Iſaiæ filij Amos, quam vidit ſuper Iudam & Ieruſalem. 6,a
v.3. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognouit. 6,a
v. 5. & 6. Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas. 281,b
v.8. Et derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, *&c.* 248,b. 891,b
v.15. Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt. 320,b
v.25. Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum. 284,a
Iſaiæ 2. v. 6. Proieciſti populum tuum, domum Iacob: quia repleti ſunt vt olim. 203,b
Iſaiæ 3. v.1. Auferet à Ieruſalem & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ; *quia* atteritis populum meum, *&c.* 204,a
v. 3. Auferet prudentem eloquij myſtici. 723,b
v.7. Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum; nolite conſtituere me Principem populi. 616,b
Iſaiæ 4. v.1. Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum. 338,a
Iſaiæ 5. v.2. Expectaui vt faceret vuas, fecit autem ſpinas. 613,a
v 4. Quid eſt quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei? 332,b
v.7. Vinea Domini exercituum, domus Iſraël eſt. 7,b. 325,b
v.25. Adhuc manus eius extenta. 284,a
v.26. Et eleuabit ſignum in nationibus procul, & ſibilabit ad eum de finibus terræ: & ecce feſtinus velociter veniet. 592,b
Iſaiæ 6. v.11. Vſquequò Domine? Et dixit: Donec deſolentur ciuitates abſque habitatore, & domus ſine homine, & terra relinquetur deſerta. Et longè faciet Dominus homines, & multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ. Et adhuc in ea decimatio, & conuertetur, *&c.* 285,b. 286,a. 287,a
v.11. Terra relinquetur deſerta. 237,b
Iſaiæ 7. v 9. Caput Ephraim Samaria. 16,a
v. 14. Ecce virgo concipiet, & pariet filium. 278,a
Iſaiæ 9. v.1. Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem Galilææ Gentium. 18,b. 20,a
v. 6. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius. 306,a & b. 319,a
v. 7. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. 308,a. 309,a. 311,a
Iſaiæ 10. v. 5. Væ Aſſur, virga furoris mei & baculus ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea. 282,a
Iſaiæ 11. v.1. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, *&c.* 609,a & b. 610,a
v.4. Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. 291,b. 295,a. 316,b
v. 10. Et erit ſepulchrum eius glorioſum. 137,a
v.12. Et leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſraël, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. 591,b. 724,b
Iſaiæ 14. v.19. Tu autem proiectus es de ſepulchro tuo. 230,a
Iſaiæ 19. v.1. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, *&c.* 341,a
Iſaiæ 25. v.7. Præcipitabit in monte iſto faciem dominatoris tenebrarum ſuper omnes gentes. 295,a
Iſaiæ 26. v. 2. Aperite portas, & ingrediatur gens iuſta, cuſtodiens veritatem. 202,a
v.5. Incuruabit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit. Humiliabit eam vſque ad terram, *&c.* Conculcabit eam pes, pedes pauperis, greſſus egenorum. 202,a
Iſaiæ 27. v.9. Idcircò ſuper hoc dimittetur iniquitas domui Iacob. 217,b
Iſaiæ 30. v.18. Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri: & ideò exaltabitur parcens vobis. 217,b
Iſaiæ 31. v.9. Dixit Dominus; cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Ieruſalem. 617,a
Iſaiæ 33. v.1. Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? *&c.* 26,a

Isaiæ 35.v.1. Exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit. 162,b
Isaiæ 38.v.17. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. 345,b
Isaiæ 40. v, 3. Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. 27,a
Isaiæ 46.v.11. Vocans ab Oriente auem. 570,b
Isaiæ 49.v.14. Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus. 83,a
v.16. Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper. 596,a & b
v.23. Erunt Reges nutritij tui. 680,a
Isaiæ 51.v.1. Attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis, *&c.* 319,b
v.3. Consolabitur Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius: & ponet desertum eius quasi delicias, *&c.* Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis. 292,b
Isaiæ 52.v.1. Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem, ciuitas sancti, *&c.* 303,b
Isaiæ 53.v.8. Generationem eius quis enarrabit? 303,a. 309,b. 328,b. 783,b
v.12. Pro transgressoribus rogauit. 581,b
Isaiæ 54.v.13. Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino; & multitudinem pacis filius tuis. 300,a
Isaiæ 58.v.3. Quare ieiunauimus, & non aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti? 726,a & b
v.8. Et anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. 885,a
v.14. Super altitudinem terræ, *&c.* 15,a
Isaiæ 59.v.2. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, *&c.* 252,a
v.10. Palpauimus sicut cæci parietem, *&c.* 286,a
Isaiæ 60.v.1. Surge, illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, *&c.* 142,b. 143,a
v.21. Populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum hereditabunt terram, *&c.* 300,a
Isaiæ 61.v.1. Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, *&c.* 300,a
Isaiæ 62.v.3. Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. 613,b
v. 4 Non vocaberis vltrà Derelicta: & terra tua, *&c.* 303,b
v.6. Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt. 552,b
Isaiæ 63. v. 1. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? *&c.* 297, a. 626, a & b
v.16. Tu es enim Pater noster, & Abraham nescuit nos, & Israël ignorauit nos. 838,b
Isaiæ 65.v.2. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum. 784,a
v.11. Ponitis Fortunæ mensam. 882,a

EX IEREMIA.

IEREM. 1. v.14. Ab Aquilone pandetur omne malum. 14,b
Ierem. 2. v.13. Foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere nō valent aquas. 352,b
Ierem. 4. v.19. Ventrem meum, ventrem meum doleo, sensus cordis mei mutati sunt in me. 282,b
v.25. Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihili. 286,b
Ierem. 5. v.8. Equi amatores & emissarij facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi sui hinnit. 131,a
Ierem. 11.v.19. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. 567,b
Ierem. 15.v.19. Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris. 777,b
Ierem. 16.v.11. Quia dereliquerunt me patres vestri, *&c.* Et eticiam vos de terra hac, in terram, quam ignoratis vos, & patres vestri, *&c.* 218,b
v.16. Ecce ego mittam piscatores multos dicit Dominus, & piscabuntur eos: & post hæc mittam eis multos venatores, *&c.* 329,a & b
Ierem. 17. v.11. Perdix fouit quæ non peperit. 308,b
Ierem. 22. v. 29. Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. 234,b
Ierem. 26. v.6. Dabo domum istam sicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ. 280,b
Ierem. 46. v.12. Fortis impegit in fortem, & ambo pariter corciderunt. 321,a
Ierem. 51.v.51. Confusi sumus, quoniam audiuimus opprobrium, *&c.* quia venerunt alieni super sanctificationem domus Domini. 231,a

EX THRENIS.

THREN. 2. v.1. Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: proiecit de cælo in terram inclytam Israël, *&c.* 238,a
Thren. 3.v.12. Posuit me quasi signum ad sagittam. 344,a
v. 19. Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthij, & fellis. 886,a
Thren. 4. v.5. Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. 216,b
v.21. Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus. 14,b
Thren. 5. v.16. Cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia peccauimus. 624,a

EX EZECHIELE.

EZECH. 1. v.4. Splendor eius quasi species electri. 606,b. 856,b
Ezech. 3. v.13. Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram. 881,a
Ezech. 4.v.1. Sume tibi laterem, & pones eum coram te: & describes in eo ciuitatem Ierusalem, *&c.* 842,b
v.6. Diem pro anno dedi tibi. 338,b
Ezech. 5. v.5. In medio Gentium posui eum, & in circuitu eius terras. 87, a. 618,a
Ezech. 6.v.8. Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium in Gentibus. 201,a
Ezech. 8.v.8. Fode parietem. 252,b
Ezech. 9. v. 4. Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem: & signa Tau super fron-

tes

tes virorum gementium, &c. 587,a
Ezech. 13. v. 10. Et ipſe ædificabat parietem. 252,a
Ezech. 16. v. 49. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, &c. 348,b
Ezech. 18. v. 21. Si impius egerit pœnitentiam, &c. vita viuet, & non morietur. 252,a
Ezech. 21. v. 26. Aufer cidarim, tolle coronam: nónne hæc eſt, quæ humilem ſubleuauit, & ſublimem humiliauit? 624,a
Ezech. 22. v. 30. Quæſiui de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam: & non inueni. 251,b. 252,a & b
Ezech. 38. v. 8. In nouiſſimo annorum venies ad terram, quæ reuerſa eſt à gladio, & congregata eſt de populis multis ad montes Iſraël, qui fuerunt deſerti iugiter, &c. 258,a & b
v. 11. Aſcendam ad terram abſque muro: veniam ad quieſcentes, habitanteſque ſecurè, &c. vt inferas manum tuam ſuper eos, qui deſerti fuerant, & poſteà reſtituti, & ſuper populum, qui eſt congregatus ex Gentibus, qui poſſidere cœpit, & eſſe habitator vmbilici terræ. 258,a & b. 261,b. 262,b
v. 18. Et erit in die illa, in die aduentus Gog ſuper terram Iſraël, &c. commouebuntur à facie mea piſces maris, &c. 296,b
Ezech. 39. v. 9. Et egredientur habitatores de ciuitatibus Iſraël, & ſuccendent, & comburent arma, &c. poſt menſes autem ſeptem quærere incipient, &c. 337,b
v. 25. Nunc reducam captiuitatem Iacob, & miſerebor omnis domus Iſraël, &c. 300,a

EX DANIELE.

DAN. 2. v. 31. Ecce quaſi ſtatua vna grandis, &c. caput ex auro optimo erat, &c. Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, &c. 313,b. *vſque ad* 321
v. 44. Suſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur. 333,b
Dan. 4. v. 24. Peccata tua eleëmoſynis redime. 885,a. 889,a
Dan. 7. v. 7. Ecce beſtia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, &c. 227,a & b
v. 8. Conſiderabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum: & tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie eius: & ecce oculi, quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquens [illegible]entia. 226,b. 227,a & b
v. 13. Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat, &c. poteſtas eius, poteſtas æterna, &c. 334,a
Dan. 9. v. 24. Vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna. 300,b
v. 26. Non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. 323,b
v. 27. Et vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio. 229,a
Dan. 10. v. 13. Princeps Regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus, &c. 251,a. 737,a
v. 20. Et nunc reuertar vt prælier aduerſum Principem Perſarum. 251,a
Dan. 11. v. 45. Et figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria, ſuper montem inclytum & ſanctum, &c. 295,a
Dan. 12. v. 3. Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. 776,b. 777,a
v. 8. Et ego audiui, & non intellexi. 278,b
v. 9. Vade Daniel, quia clauſi ſunt, ſignatique ſermones, vſque ad præfinitum tempus. 338,a. *& ſeqq.*
v. 11. A tempore cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta, &c. 337,b
v. 12. Beatus, qui expectat, & peruenit vſque ad dies mille trecentos triginta quinque. 300,b
Dan. 14. v. 32. Erat autem Habacuc Propheta in Iudæa. 7,b

EX OSEE.

OSEE 1. v. 6. Voca nomen eius Abſque miſericordia: quia non addam vltrà miſereri domui Iſrael, &c. Et domui Iuda miſerebor, &c. 8,b
Oſee 2. v. 5. Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas. 352,b
v. 14. Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem. 86,a
Oſee 3. v. 3. Dies multos expectabis me: non fornicaberis, &c. ſed & ego expectabo te; quia dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, &c. & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius, in nouiſſimo dierum. 218,a & b
v. 5. Poſt hæc reuertentur filij Iſraël, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum. 301,a
Oſee 10. v. 5. Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ. 16,a
Oſee 12. v. 7. Chanaan, in manu eius ſtatera doloſa. 5,b
Oſee 13. v. 9. Perditio tua Iſraël: tantummodò in me auxilium tuum. 318,a
Oſee 14. v. 8. Memoriale eius ſicut vinum Libani. 75,a

EX IOELE.

IOELIS 2. v. 3. Quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti. 71,b
v. 22. Lignum attulit fructum ſuum. 587,a

EX AMOS.

AMOS 3. v. 6. Non eſt malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit. 281,b
Amos 5. v. 11. Domos quadro lapide ædificatis, &c. Propterea hæc dicit Dominus, &c. 203,b
v. 25. Numquid hoſtias & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis? 39,a
Amos 9. v. 10. In gladio morientur omnes pec-

catores populi mei, &c. 300,b. 301,a
v. 11. Et reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant instaurabo, &c. 301,b

EX ABDIA.

ABDIÆ v. 21. Et ascendent saluatores in montem Sion iudicare montem Esau. 268,b

EX IONA.

IONÆ 3. v. 4. Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. 271,a
Ionæ 4. v. 8. Melius est mihi mori, quàm viuere. 214,b

EX MICHÆA.

MICHÆÆ 1. v. 11. Transite vobis habitatio pulchra. 15,b

EX HABACVC.

HABACVC 2. v. 2. Scribe visum, & explana eum super tabulas, vt percurrat qui legerit eum. 588,a

EX SOPHONIA.

SOPHONIÆ 1. v. 8. Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina. 840,a
Sophoniæ 3. v. 12. Derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum: & sperabunt in nomine Domini. 202,a

EX ZACHARIA.

ZACHARIÆ 1. v. 18. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quatuor cornua, &c. Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam, & Israël, & Ierusalem. 344,a
v. 20. Ostendit mihi Dominus quatuor fabros. Et dixi: Quid isti veniunt facere? &c. 344,a
Zachar. 2. v. 8. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. 335,a
Zachar. 3. v. 9. Ecce ego cælabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum: & auferam iniquitatem terræ illius in die vna. 565,a
Zachar. 6. v. 11. Sumes aurum & argentum: & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedec sacerdotis magni. 613,b
Zachar. 13. v. 6. His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. 343,b
Zachar. 14. v. 20. Et erunt lebetes quasi phialæ. 329,a
v. 21. Non erit mercator vltrà in Ierusalem. 5,b. 834,a

EX MALACHIA.

MALACH. 3. v. 2. Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. 312,a
Malach. 4. v. 2. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. 569,b. 571,a
v. 5. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, &c. 330,a

EX LIBRO I. MACHABÆORVM.

1. MACHAB. 3. v. 59. Melius est nobis mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ. 214,b. 747,b

EX LIBRO II. MACHABÆORVM.

2. MACHAB. 5. v. 19. Non propter locum, gentem, sed propter gentem, locum Deus elegit. 704,b
2. *Machab.* 6. v. 13. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium. 243,b
2. *Machab.* 15. v. 14. Hic est fratrum amator, & populi Israël: hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate. 325,b
v. 16. Inuocato Deo, per orationes congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, &c. 741,a

EX EVANGELIO S. MATTHÆI.

MATTH. 2. v. 13. Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, &c. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum, &c. 343,a
v. 20. Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israël. 6,b
Matth. 3. v. 10. Iam securis ad radicem arborum posita est. 248,a
Matth. 4. v. 15. Trans Iordanem, Galilæa Gentium. 17,b
Matth. 5. v. 14. Vos estis lux mundi. 783,a
v. 19. Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. 777,a & b. 783,b
v. 34. Ego autem dico vobis, non iurare omnino. 805,b
Matth. 6. v. 1. Attendite ne iustitiam vestram, &c. 885,a
v. 9. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cælis. 840,b
v. 21. Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. 621,a
v. 24. Nemo potest duobus dominis seruire. 735,a
Matth. 7. v. 6. Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis. 193,a
Matth. 8. v. 10. Non inueni tantam fidem in Israël. 697,b
Matth. 9. v. 2. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. 324,a
Matth. 10. v. 15. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum in die Iudicij, quàm illi ciuitati. 215,b
v. 16. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. 309,b. 310,a
v. 34. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium, &c. 307,b
v. 36. Inimici hominis, domestici eius. 345,a
v. 41. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ,

Digitized by Google

phetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipiet iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. 888, a & b
Matth. 11. v. 12. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. 601, b. 712, b
v. 25. Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. 202, a
Matth. 13. v. 30. Simite vtraque crescere vsque ad messem, *&c.* 322, b
v. 44. Simile est Regnum cælorum thesauro abscondito in agro. 3, b
Matth. 15. v. 26. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. 245, a
Matth. 16. v. 18. Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. 229, b. 313, a
v. 19. Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. 446, a
v. 24. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. 693, b
v. 26. Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? *&c.* 779, b. 780, a
Matth. 17. v. 11. Elias quidem venturus est, & restituet omnia. 330, a
Matth. 18. v. 18. Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, *&c.* 334, b
Matth. 19. v. 1. Venit in fines Iudææ trans Iordanem. 7, b
v. 5. Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. 696, a
v. 12. Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. 664, b
v. 28. Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. 632, b
v. 29. Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. 84, a
Matth. 22. v. 21. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. 697, b
Matth. 23. v. 37. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas. 570, b
v. 38. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. 287, b. 698, b. 699, a & b. 801, a & b. 802, a & b
Matth. 24. v. 21. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet. 278, a. 345, b
v. 22. Sed breuiabuntur dies illi. 275, b
v. 23. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ. 344, b
v. 35. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. 28, a
v. 36. De die illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater. 338, a
v. 38. Sicut erant in diebus ante diluuium comedentes, *&c.* 341, a
v. 40. Tunc duo erunt in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur, *&c.* 346, a
Matth. 25. v. 14. Homo peregrè proficiscens, vocauit seruos suos, *&c.* & vni dedit quinque talenta, *&c.* 564, b
v. 23. Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. 787, a & b. 788, a & b
Matth. 26. v. 28. Hic est enim sanguis meus noui Testamenti. 255, b
Matth. 27. v. 19. Nihil tibi, & iusto illi. 344, b
v. 25. Sanguis eius super nos, & super filios nostros. 215, b. 216, a
Matth. 28. v. 2. Angelus Domini descendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem. 632, b
v. 5. Nolite timere vos: scio enim, quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis. 563, a
v. 18. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. 334, a
v. 19. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, *&c.* 576, b

EX EVANGELIO S. MARCI.

MARC. 2. v. 7. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? 323, b
Marc. 6. v. 5. Et non poterat ibi virtutem vllam facere, *&c.* & mirabatur propter incredulitatem eorum. 251, b
Marc. 10. v. 15. Quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. 193, b

EX EVANGELIO S. LVCÆ.

LVCÆ 1. v. 32. & 33. Dabit ei Dominus sedem Dauid patris sui: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. 149, a. 334, a. 584, a. 698, b
v. 34. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? 309, a
Luc. 2. v. 14. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. 307, a
v. 29. Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace. 744, b
v. 32. Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. 143, a. 570, a
v. 34. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur. 307, a. 343, a. 620, a
Luc. 3. v. 9. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 248, a
v. 14. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris. 740, a
Luc. 5. v. 4. Laxate retia vestra in capturam. 167, b
Luc. 6. v. 38. Date, & dabitur vobis. 878, a
Luc. 8. v. 26. Et nauigauerunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. 17, a
Luc. 9. v. 3. Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, *&c.* 311, a
v. 23. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. 578, a
Luc. 10. v. 1. Designauit Dominus & alios septuaginta. 39, b
v. 16. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit, *&c.* 335, a
v. 23. Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. 610, a
Luc. 11. v. 17. Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. 272, b. 273, b
v. 21. Cùm fortis armatus custodit atrium suum,

ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, &c. 291,a

v.41. Verumtamen quod ſupereſt, date eleëmoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis. 835,a

Luc. 12. v.20. Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, &c. 621,a

Luc. 16. v.9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. 885,a

Luc. 17. v.26. Et ſicut factum eſt in diebus Noë, ita erit & in diebus Filij hominis. Edebant, & bibebant, &c. 345,b. 346,a. 349,a

Luc. 18. v.8. Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra? 229,b. 346,a & b. 347,a & b.

Luc. 19. v.41. Videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, &c. 699,b

Luc. 21. v.23. Erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic. Et cadent in ore gladij: & captiui ducentur in omnes Gentes, & Ieruſalem calcabitur à Gentibus: donec impleantur tempora nationum. 231,b

v.29. Videte ficulneam, & omnes arbores: cùm producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam prope eſt æſtas. Ita & vos cùm videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt regnum Dei. 269,b

Luc. 22. v.35. Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? Sed nunc qui habet ſacculum, tollat; ſimiliter & peram. 442,b

v.34. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. 25,b

v.44. Vos ex patre diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere. 343,b

Ioan. 11. v.50. Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. 902,a

v.51. Cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, quòd Ieſus moriturus erat pro gente, &c. 328,a

Ioan. 12. v. 23. Venit hora, vt glorificetur Filius hominis. 563,a

v. 32 Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. 210,b. 856,b. 857,a

Ioan. 14. v. 8. Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. 147,b

Ioan. 15. v.18. Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit, &c. 344,a

Ioan. 18. v. 36. Regnum meum non eſt de hoc mundo. 149,a

v.36. Nunc autem regnum meum non eſt de hoc mundo. 583,a

v.37. Ergo Rex es tu? Tu dicis quia Rex ſum ego. 305,b. 306,a

Ioan. 19. v.11. Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. 245,a

v.34. Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua. 303,a

v.35. Et qui vidit, teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium eius. 599,a & b

Ioan. 20. v.22. Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, &c. 334,b

EX EVANGELIO S. IOANNIS.

IOANNIS, 1. v.3. Quod factum eſt, in ipſo vita erat. 606,a

v. 18. Deum nemo vidit vmquam: vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. 598,b

Ioan. 2. v.7. Implete hydrias aqua. 789,a.

Ioan. 3. v. 8. Spiritus vbi vult ſpirat: & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat. 817,b

v. 14. Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet Filium hominis. 569,b

v.16. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. 320,b

v. 22. Poſt hæc venit Ieſus, & diſcipuli eius, in terram Iudæam. 7,a

v. 31. Qui eſt de terra, terra eſt, & de terra loquitur. 234,b

Ioan. 4. v. 13. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. 148,b

v.34. Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei. 783,a

Ioan. 5. v. 17. Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. 277,b

Ioan. 7. v.8. Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendam ad diem feſtum iſtum: quia meum tempus nondum impletum eſt. 588,b

Ioan. 8. v.12. Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. 288,b. 783,a

v. 28. Cùm exaltaueritis Filium hominis, &c. 569,b. 587,b. 589,a

EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

ACT. 1. v. 7. Non eſt noſtrum ſcire tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. 269,b. 338,a

Act. 3. v.6. Argentum & aurum non eſt mihi. 618,a

Act. 4. v. 32. Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat. 202,a & b

Act. 8. v. 1. Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apoſtolos. 834,b

Act. 9. v.15. Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram Gentibus, &c. 310,b

Act. 13. v. 19. Et deſtruens gentes ſeptem. 89,b

Act. 14. v.21. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. 293,b

Act. 20. v.23. *Scio* quoniam vincula & tribulationes Ieroſolymis me manent, Sed nihil horum vereor, &c. 249,a

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

ROM. 1. v. 18. Reuelatur enim ira Dei de cælo, ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent. 245,b

Rom. 2. v.4. Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? 217,b

Rom. 5. v. 14. Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen etiam in eos, qui non peccauerunt. 580,b

Digitized by Google

*Rom.*8.v.28. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 248,b. 328,b
*Rom.*9.v.3. Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. 781,b
v.6. Non omnes qui ex Iſraël ſunt, ij ſunt Iſraëlitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij, *&c.* 322,a
v.22. Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, *&c.* 218,a 322,a & b. 323,a & b
v.26. Erit, in loco, vbi dictum eſt eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei viui. 324,a
v.27. Iſaias autem clamat pro Iſraël: Si fuerit numerus filiorum Iſraël tamquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient. 324,a
*Rom.*10.v.9. Si confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris, *&c.* Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? *&c.* 327,a. 510,b
v.10. Corde creditur ad iuſtitiam. 845,a
*Rom.*11.v.6. Si gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia iam non eſt gratia. 320,b
v.25. Nolo vos ignorare fratres myſterium hoc (vt non ſitis vobis ipſis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt, *&c.* 324,b. 325,a
v.32. Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur, *&c.* 326,b
*Rom.*12.v.8. Qui tribuit, tribuat in ſimplicitate. 884,a & b
*Rom.*13.v.1. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. 549,b. 681,a
v.1. Non eſt poteſtas, niſi à Deo: quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt. 678,a
v.4. Non enim ſine cauſa gladium portat. 671,b
v.6. Ideò & tributa præſtatis. 549,b
v.14. Induimini Dominum Ieſum Chriſtum. 207,b

EX EPIST. I. AD CORINTH.

1. Cor. 1.v.10. Obſecro vos fratres, *&c.* non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, *&c.* 282,b
v.27. Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, *&c.* 569,a
1.*Cor.*2.v.15. Spiritualis iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. 26,a
1.*Cor.*3.v.8. Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem. 788,b
1.*Cor.*5.v.12. Quid mihi de iis qui foris ſunt iudicare? nónne de iis qui intus ſunt vos iudicatis? *&c.* 208,b. 734,a
1.*Cor.*7.v.4. Vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. 696,a
v.32. Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe, *&c.* 546,a
v.33. Qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. 667,b
1.*Cor.*8.v.1. Charitas ædificat. 317,a
v.6. Nobis eſt vnus Deus Pater, & Dominus vnus. 332,a
1.*Cor.*9.v.15. Bonum eſt mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. 747,b
v.16. Nam ſi euangelizauero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit, *&c.* Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt. 788,b
v.24. Neſcitis quòd ij qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, *&c.* 578,b
1.*Cor.*11.v.2. Laudo autem vos fratres, quòd per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. 848,b
v.23. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, *&c.* 848,b
1.*Cor.*12.v.21. Non poteſt autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterùm caput pedibus: Non eſtis mihi neceſſarij. 785,a
v.26. Et ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. 785,a & b
1.*Cor.*13.v.13. Maior autem horum eſt charitas. 608,a

EX EPIST. II. AD CORINTH.

2. Cor. 1. v. 5. Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. 299,b
v.21. Qui vnxit nos Deus: qui & ſignauit nos, *&c.* 377,a
2.*Cor.*3.v.14. Vſque in hodiernum diem idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non reuelatum (quoniam in Chriſto euacuatur) ſed vſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum, *&c.* 286,a
2.*Cor.*4.v.10. Semper mortificationem Ieſu in corpore ſuo circumferentes, *&c.* 506,b
2.*Cor.*8.v.2. Altiſſima paupertas eorum, abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum. 884,b
2.*Cor.*10.v.3. Vt in carne ambulantes, non ſecundùm carnem militemus. 714,a & b
2.*Cor.*11.v.2. Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. 303,a
v.14. Angelus ſatanæ transfigurat ſe in Angelum lucis. 847,b

EX EPIST. AD GALATAS.

Galat. 3.v.27. Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. 207,b
*Galat.*4.v.22. Scriptum eſt: Quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera, *&c.* quæ ſunt per allegoriam dicta. 234,b
v.26. Illa autem, quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. 236,a
v.28. & 29. Nos autem fratres, ſecundùm Iſaac promiſſionis filij ſumus. Sed quomodo tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum: ita & nunc, *&c.* 236,a
v.31. Non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ. 303,a
*Galat.*6.v.8. Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. 787,a

v.14. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. 562,b

EX EPIST. AD EPHESIOS.

EPHES. 3. v.13. Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis; quæ est gloria vestra. 602,b
v.14. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, &c. vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. 591,a & b. 600, b. 603,a. 604,a
Ephes. 4. v.11. Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, &c. 335,b. 794,a
Ephes. 5. v.25. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. 317,a
Ephes. 6. v.12. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, &c. 714,a & b

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

PHILIPP. 2. v.6. Cùm in forma Dei esset, &c. in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. 607,b
v. 8. Humiliauit semetipsum, &c. propter quod & Deus exaltauit illum, &c. 613,a
Philipp. 3. v.2. Videte canes, videte malos operarios. 221,a

EX EPIST. AD COLOSS.

COLOSS. 1. v. 19. Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. 146, b. 307, b. 565,a
Coloss. 2. v.15. Expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso. 321,a
Coloss. 3. v.17. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, &c. 595,b

EX EPIST. I. AD THESSAL.

1. THESSAL. 5. v.2. Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint, Pax & securitas; tunc repentinus superueniet interitus. 341,a & b
v.16. Sine intermissione orate. 889,a

EX EPIST. II. AD THESSAL.

2. THESSAL. 2. v. 3. Nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati. 298,b
v.4. Extolletur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. 299,a
v.8. Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. 291,b. 295,a
v.14 Itaque fratres state: & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. 848,a

EX EPIST. I. AD TIMOTH.

1. TIMOTH. 6. v.9. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, &c. 621,b
v.20. O Timothee, depositum custodi. 848,b

EX EPIST. II. AD TIMOTH.

2. TIMOTH. 1. v.14. Bonum depositum custodi. 848,b
2. *Tim.* 2. v.4. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. 545,b. 546,a & b
v.20. In magna domo sunt vasa aurea & argentea, & lignea, & fictilia. 208,a. 209,a
2. *Tim.* 3. v.1. Hoc autem scito, quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines, &c. 347,b
2. *Tim.* 4. v.5. Ministerium tuum implet. 684,a

EX EPISTOLA AD TITVM.

TIT. 1. v.7. Oportet Episcopum hospitalem esse. 196,a
Tit. 3. v.5. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit. 320,b
v.19. Hæreticum hominem, post vnam & secundam admonitionem deuita, &c. 510,a

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

HEBR. 2. v.9. Vidimus Iesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. 563,a
Hebr. 11. v.1. Fides est sperandarum substantia rerum. 510,b
v.21. Fide Iacob, moriens, singulos filiorum Ioseph benedixit: & adorauit fastigium virgæ eius. 585,a
Hebr. 12. v. 4. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, &c. 570,b
Hebr. 13. v. 17. Obedite præpositis vestris. 819,b

EX EPISTOLA S. IACOBI.

IACOBI 5. v.20. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. 777,b. 778,a

EX EPISTOLA I. S. PETRI.

1. PETRI 2. v.5. Tamquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, &c. 855,b

EX EPISTOLA II. S. PETRI.

2. PETRI 1. v.16. Non doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam, &c. 848,b
2. *Petri* 2. v.19. A quo enim quis superatus est, huius & seruus est. 780,b

EX

Digitized by Google

EX EPISTOLA I. S. IOANNIS.

1. IOAN. 2. v. 16. Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. 353, a & b
v. 18. Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt. 226, a
1. *Joan.* 4. v. 3. Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus, *&c.* 344, b

EX APOCALYPSI.

APOC. 1. v. 5. Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. 627, a
v. 12. Vidi ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea. 311, b. 608, a. 614, a. 615, b
v. 14. Caput autem eius & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix. 608, b
v. 16. Habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem. 234, a
Apoc. 2. v. 17. Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum. 724, b
Apoc. 3. v. 18. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias. 608, a
Apoc. 6. v. 2. Et vidi: & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens vt vinceret. 633, a
v. 8. Ecce equus pallidus: & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors, & infernus ſequebatur eum, *&c.* 131, a & b. 231, a
Apoc. 7. v. 3. Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. 587, a
v. 9. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, *&c.* & palmæ in manibus eorum. 768, a & b. 793, b
v. 14. Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni. 630, b. 691, b. 768, b
Apoc. 11. v. 3. Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis, *&c.* 330, a
v. 8. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt. 801, b. 802, b
Apoc. 12. v. 1. *vſque ad finem capitis.* Et ſignum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta ſole, *&c.* Et peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea, *&c.* 351, a & b. 352, a & b
v. 4. Cauda eius *(draconis)* trahebat tertiam partem ſtellarum. 307, a
v. 7. Factum eſt prœlium magnum in cælo: Michaël & Angeli eius prœliabantur cum dracone. 304 b
v. 10. Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, *&c.* 291, b
v. 12. Væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam. 352, b
Apoc. 13. v. 1. Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem, *&c.* 266, b. 267, a
v. 5. Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos. 266, b. 267, a
v. 11. Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia Agni, & loquebatur ſicut draco. 231, b. 266, b
v. 18. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt: & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex. 266, b
Apoc. 14. v. 13. Opera enim illorum ſequuntur illos. 693, b
Apoc. 16. v. 16. Congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon. 305, a
Apoc. 18. v. 6. Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis: & duplicate duplicia ſecundùm opera eius. 275, b
v. 8. Ideò in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur; quia fortis eſt Deus, qui iudicabit illam, *&c.* 297, a
Apoc. 19. v. 10. Cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris: conſeruus tuus ſum. 861, a
v. 11. Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis, & Verax, & cum iuſtitia iudicat, & pugnat, *&c.* veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, *&c.* 296, b. 625, a & b. 626, a & b. 628, a & b
v. 14. Exercitus qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo, & mundo. 628, a & b
v. 20. Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea pſeudopropheta: qui fecit ſignacoram ipſo, *&c.* Viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure. 291, b
Apoc. 20. v. 7. Cùm conſummati fuerint mille anni, ſoluetur ſatanas. 276, a. 277, a & b
v. 7. Et ſeducet Gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ. 291, a
Apoc. 21. v. 16. Ciuitas in quadro poſita eſt, & longitudo eius tanta eſt quanta & latitudo, *&c.* & longitudo, & altitudo, & latitudo eius, æqualia ſunt. 577, b. 578, a & b
v. 23. Lucerna eius eſt Agnus. 269, b. 614, b

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
QVÆ
PRIMO HOC TOMO
CONTINENTVR.

A.

Aaron.

MORITVR *Aaron, cùm esset centum viginti annorum, in monte Hor.* Pag. 34, b
Eleazar ei succedit. ibid.

Abraham.

Mesopotamia fuit naturale solum Abrahæ, & patrum ipsius terra. 23, b
Promissio terræ Chanaan Abrahæ facta fuit. 27, b
Abrahæ in Deum pietas cùm habitaret prope Bersabee. 64, a
Filij Abrahæ quidam sunt secundùm carnem, quidam secundùm spiritum. 322, a
Per Ismaëlem & Isaacum, Abrahæ filios, significantur boni, fideles, & mali, ac infideles. 234, a & b

Absoluere.

Licet secundùm Iura nullus Sacerdos Religiosus possit absque approbatione Superioris absoluere à peccatis; ex priuilegio tamen Apostolico, quo possunt absolui à quocumque Ordinis Sacerdote pœnitentes Religiosi, possunt huiusmodi absoluere etiam à mortali. 439, a
Virtute priuilegij, quo possunt Fratres Minores in itinere de licentia Prælatorum confiteri cuilibet Sacerdoti, possunt etiam seclusa fraude absolui à reseruatis. 490, a & b
Fratres Terræ sanctæ possunt absoluere à casibus Episcopo reseruatis, item à censuris. 505, b. 506, a & b
Item, vnica vice ab infidelitate. 508, a
Item, ab apostasia & schismate. ibid.
Item, possunt absoluere infideles & hæreticos relapsos. 509, a & b
Item, possunt generaliter ab omni excommunicatione absoluere redeuntes ad sanctæ Ecclesiæ vnitatem. ibid. a
Differenter tamen procedere debent cum relapsis & non relapsis. ibid. b
Quomodo debeant agere cum Græcis & Armenis. 510, a & b
Græci, Armeni, &c. absoluendi sunt, si fecerint illa quæ præscribuntur. 510, b. 511, a

Abstinentia. *Vide* Ieiunium.

Abyssini.

Abyssini, siue Æthiopes, baptismo circumcisionem & vstionem addunt. 115, b
Continentes & abstemij sunt. 116, a
In festo Sabbati sanctis ex Turcæ priuilegio ignem sanctum accendunt. ibid.
Ierosolymis existentes à Turcico tributo immunes sunt. ibid.

Actiua vita.

Vita actiua interdum præfertur contemplatiuæ. 781, a & b. 782, a & b
Exemplo Christi & Sanctorum id probatur. ibid. 783, a & b
Vitæ actiuæ duæ sunt partes. 782, b. 783, a
Actiua vita, quæ dirigitur ad animarum salutem, magis fructuosa est. 783, a
Sibi & aliis proficit actiuus. ibid. b
Actiuæ primæ partes dantur. ibid. 784, a & b

Adam.

Adam per lignum & mulierem tentatus & victus fuit. 580, a & b
Sententia mortis Adæ illata, fuit argumentum diuinæ misericordiæ. 219, b
Quare Adam ante paradisum fuerit collocatus. 220, a

Adorare, Adoratio.

Adoratio quid generatim significet. 860, b
Adoratio alia Creatori alia creaturæ debetur. ibid. 861, a
Adoratio aliquando significat actum religionis, aliquando ciuilem venerationem. 861, a
Latria adoratio soli Deo, dulia, vel hyperdulia, excellenti creaturæ tribuitur. ibid.
Vnde dignosci queat, in quo sensu accipiendum sit adorationis nomen in Scriptura vel apud Patres. ibid. & b
In re quæ adoratur, ratio & terminus adorationis considerari possunt. 861, b
Aliquid adorari potest per se, & per accidens. ibid.
Quod per se adoratur, adorari potest propter se, & propter aliud. ibid.
Res sacræ possunt esse per se terminus adorationis, & tantùm signum. 862, a
Adoratio vnuoce & analogicè accipi potest. ibid.
Ad adorationem actus voluntatis requiritur. ibid.
Exteriores adorationis actus non sunt determinati. ibid. & b
Qualibet perfectio est adorationis ratio. ibid. b
Loca sancta sunt religioso cultu per se, sed non propter se honoranda. ibid. 863, a & b, 864, a & b
Crux adoranda est propter contactum Christi. 864, a. 865, b
Eadem adoratione, sed analogica, adorantur quæ Christum tetigerunt, ac ipse Christus. 865, b
Non æquali analogica veneratione omnia sacra loca adorantur. 866, a
Quibus actibus exterioribus adoranda sint loca sancta. ibid. b

Aduer-

Aduerſitas.

Aduerſitate vtitur diabolus ad tentãdos fideles. 350,a
Aduerſitates tamen minùs periculoſæ ſunt quam proſperitates. ibid. & b. 351,a & b. 352,b
Aduerſitatis ſymbolum eſt aqua. 352,b

B. Ægidius.

B. Ægidius S. Franciſci ſocius venit Ieroſolymam. 158,a
B. Ægidij inſigne dictum de peregrinantibus. 806,b

Ægroti.

Cur ægrotis ad lectum crux apponatur. 585,b

Ægyptij.

Ægyptij non ab Hebræo, ſed a Deo denicti ſunt 42,a

Ægyptus.

Ægyptus naturaliter Chananitide fecundior. 79,a
Item, quomodo Chananitide infecundior ſit. 80,a
Ægyptus horrenda Turcæ. ibid.
Ægyptus Chriſti aduentu & præſentia fuit illuſtrata, imò & ſolitudo per quam tranſiuit. 162,b
Ieroſolyma vocatur ſpiritualiter Ægyptus. 801,b

Æternitas.

Longitudo eſt æternitatis ſymbolum. 578,b

Affectus.

Affectus reſpondet cognitioni. 844,a

Afflictio.

Ex afflictionibus iuſti proficiunt. 248,b

Alexander.

Alexandri Magni fortitudo & generoſitas. 716,b
Alexander IV. concedit Minoritis inſeruientibus locis ſanctis vſque ad finem vitæ Indulgentiam plenariam. 455,a
Item concedit Minoribus commorantibus in Prouincia Terræ ſanctæ vſque in finem vitæ eamdem indulgentiam quæ conceſſa eſt proficiſcentibus in eaſdem Terræ ſanctæ ſubſidium. 391,b
Item concedit omnibus pœnitentibus & confeſſis deuotè viſitantibus Eccleſias ſanctis Franciſci, S. Antonij, & S. Clarę, ſingulis annis in eorum Feſtiuitatibus & per eorum Octauas certum annos indulgentiæ. 458,b
Alexander VI. concedit Minoritis, quòd citra culpam ferrum & ligna ad terras infidelium, pro ſuis neceſſitatibus deferre poſſint. 421,b

Alexius.

Nequitia Alexij Græci Imperatoris. 750,b. 751,a

Almericus.

Almericus ſextus Ieroſolymorum Rex. 137,b

Altare.

Caluariæ mons eſt altare ſacrificiorum. 855,b
Altarium erectio in Scriptura quid ſignificet. 869,a & b
Sigillum Altaris quid dicatur. 528,a
Vide cetera ſub titulo Miſſa, Benedictio, Conſecratio.

Aluernia.

Lapis in Aluernia monte in quo Chriſtus ſedit. 864,b. 865,a

Alus.

Alus decima Iſraëlitarum manſio. 32,b

Amalec.

Amalec quid ſignificet. 719,b

Amalecitæ.

Amalecita ab Hebræis in Raphidim bello ſuperantur. 32,b

Amalricus.

Amalricus octauus Ieroſolymorum Patriarcha. 140,a

Ambitio.

Regnandi ambitio crudelis. 230,a

Amor.

Amore augetur amor. 630,a
In amore vita fundatur amor patriæ. ibid.

Amor Dei.

Amor Dei igni comparatur. 617,a & b
In lege gratiæ ſingulariter amor diuinus emicuit. ibid. b
Diuini amoris ignis ſemper eſt conſeruandus. ibid.
Ieroſolymis eſt conſeruatus. ibid.
Magna gratia eſt Deum amare poſſe. 789,b
Tantum ſimplex vetula, quantum magnus Theologus, & amplius Deum diligere poteſt. ibid.

Angeli.

Angelorum officia. 800,b. 861,a
Locus vbi iacuerunt corpora Petri & Pauli ab Angelis honoratus & cuſtoditus fuit. 801,a
Diabolis cum malis hominibus ſunt fortiores Angeli. 717,b
Bonorum & malorum Angelorum coram Deo pro noſtris orationibus concertatio. 252 b.
Angeli mali prauales bonis propter noſtra crimina. 251,a
Quale bellum fuerit inter Angelos bonos & malos. 712,b
Caſus malorum Angelorũ & beatitudo bonorum. ibid.
Angelorum ſingulorum maxima eſt virtus. 717,a

Animarum ſalus.

Relicta contemplatione vitæ actiuæ pro animarum ſalute intendere, opus eſt excellentiſſimum & Chriſti ac Sanctorum exemplis conforme. 781,a & b. 781,a & b
Actiua vita quæ dirigitur ad animarum ſalutem magis fructuoſa eſt. 783,a
Operari ſalutem animarum Chriſti cibus eſt. ibid.
Saluti animarum intendere eſt opus nobiliſſimum. 784,a & b.
Duplici via animarum ſalus procurari poteſt. 786,a & b
Admodum meritorium eſſe ſaluti animarum ſtudere, duplici auctoritate probatur. 776,b. 777,a & b
Suam operatur ſalutem, qui aliorum ſaluti ſtudet. 777,b. 778,a
S. Bonauenturæ zelus erga animarum ſalutem. ibid. & 778,a
Prædicatione & Sacramentorum adminiſtratione animæ acquiruntur. 778,a & b
Animæ dignitas magis ab externo quàm ex illius eſſentia eſt inquirenda. ibid. b. 779,a
Anima rationalis pretio omnia terrena excellit. 779,a & b. 780,a & b
Anima mortali culpa mori ac deperdi dicitur. ibid. b
Anima detrimentum patitur, cùm ad pœnam temporalem ſeruatur, vel venialis culpa vitiatur. ibid.
Alia detrimenti animæ interpretatio. 780,a
Ex Chriſti Sanguine, & ipſo Chriſto, qui pro anima ſe tradidit, animæ valor metiendus eſt. ibid. & b
D. Catharina Senenſis notabile dictum de valore animæ. ibid.
Anima tantum valet quantum Chriſtus. ibid.
Operando pro animarum ſalute erga Deum amor oſtenditur. 781,a
Animarum ſaluti etiam laici & ſæculares intendere poſſunt, & fructum Concionatorum & Doctorum facere. 785,a & b. 786,a & b
Varia exempla. 790,a & b
Dei receſſus ab anima maximum eſt malum. 289,b
Acceſſus Dei ad animam vtilitas. 290,b

Annus.

Catholici vtuntur anno solari, Mahometistæ lunari. 263,a

Ante reformationem Kalendarij annus solaris & lunaris quot habuerint dies. ibid.b

Supputatio annorum ab ortu Mahometis, à legis promulgatione, à morte. 263,b 264,a

Mahometani suum annum incipiunt à Mahometis morte. 264,b

Annus sæpe significatur nomine diei. 267,b

Antichristus.

Mahomet non fuit Antichristus. 226,a

Cornu paruulum apud Danielem secundùm veteres Patres Antichristum significat. 227,b

Ex Mahometistis orirundus est Antichristus. 228,a

Difficultatis circa hoc punctum solutio. ibid. b

Antichristi hypocrisis. ibid.

Quomodo partim vi partim calliditate stabiliet imperium suum. 230,a

Antichristus acriter desæuiet in Terra sancta habitatores. 257,b

Antichristus è Mahometistis orirundus ipsis bellum est illaturus. 262,a

Timendum est, Mahometis sectam & Imperium Turcicum in Terra sancta duraturum vsque ad aduentum Antichristi. 280, vsque ad 285

Ecclesiæ depranatus status tempore Antichristi. 289, b

Antichristus quomodo breui tempore mundum occupabit. 328,b

Iudæi Antichristo adhærebunt. ibid.

Tempore Antichristi prædicatores fructuosè prædicabunt. 329,b

Elia & Enoch aduentus & prædicatio, martyrium & resurrectio. 330,a

Qua forma reginiinis futura sit in Ecclesia & in toto orbe terrarum, post Antichristi interitum & Mahometica secta extirpationem. 330, b. & seqq.

Perdix est symbolum Antichristi. 308,b

Antichristi magna potentia. 291,a

A Christo interficietur. ibid.& b

Antichristo mortuo respirabit Ecclesia, & in primis Ierosolymitana. ibid.b.299,b

Dispersi colligentur in vnum, & gaudebunt. ibid.

Restaurabunt ac dedicabunt sanctuarium. 292,a & b

Deo sacrificia offerent & gratias agent fideles. ibid.b

Dei mirabilia contemplabuntur. 293,a

Dona Ecclesiæ dabit Deus. ibid.

Finem tunc recipiet Mahometica secta. ibid.

An Antichristus à Christo immediate, an per alios occidendus sit, & vbi, ac quomodo. 294,b.295, a & b

Antichristus plures habebit exercitus. ibid.a

Per Michaelem cum interimendum esse, probabile est; magis tamen probabile, per ipsum Christum. ibid.b

Exercitus eius quomodo interimentur. 296,a

Scripturæ adferuntur de Antichristi & exercituum eius destructione. ibid.b

Multiplici mortis genere Antichristi exercitus interficientur. 297,a & b

Ex victoria de Antichristo magnum Ecclesiæ gaudium sequetur. 304,b

Consumpto Antichristo, Christus præcipuè Rex apparebit. 306,a

Antichristi regnum per tibias ferreas statua Nabuchodonosoris significatur. 314,b.315,b

Antichristo interfecto, maxima orbis pars fidem recipiet. 308,b.309,a

Post tempora Antichristi, omnes peccatores tam Indæos quàm Gentiles, &c. efficaciter vocabit Deus. 323,b

Fidelium virtus in Antichristi persecutione describitur. 352,a

Antichristus quomodo expugnabitur. 737,b

Hæretici sunt Antichristi. 344,b

Antichristi tribulatio dicitur maxima ex iis quæ dolorem infligunt. 345,b

Post Antichristum mortuum vsque ad consummationem sæculi, quanto tempore duraturum sit regnum Christi seu Ecclesiæ. 337,b

Prima sententia, quadraginta quinque dies statuit. ibid.

Secunda, septem menses vel annos. ibid.

Tertia sententia ait incertum esse illius duorationis tempus. 338,a & b

Malunda statuens 1335. dies improbatur. ibid. b. 339,a

A morte Antichristi vsque ad iudicium non multum temporis intercedet. 340,b

Probabile est, septem circiter annos elapsuros ab Antichristi morte vsque ad Iudicij aduentum. ibid. 341, a & b

A morte Antichristi vsque ad diem iudicij, iuxta Franciscum Nauarrum, erunt mille anni. 266,a

Antipater.

Antipater vulnera sua Cæsari ostendit. 627,a

Antiquitas.

Orientales sunt studiosissimi antiquitatis. 852,b

Cui antiquitati deferendum sit. ibid.

Antistes.

Orientalium Antistitum veterum & recentiorum consuetudo circa subditos. 465,a

S. Antonius.

An S. Antonius de Padua malè fecerit, qui desiderio martyrij iuit ad partes infidelium. 813,b

S. Antonius Abbas quare pingatur cum Cruce triangulari, cum libro, cum tintinnabulo, cum igne, cum porco. 589,a & b. 590,a & b

Apostoli.

Discrimen inter Apostolos, Euangelistas, & inter posteriores Ecclesiæ Præsules, quoad rationem scribendi mysteria Christiana religionis. 858, b. 859, a & b

Apostoli quare ex Ierosolymis discesserint. 801,a

Apostolorum diuisio quando facta fuerit. 834,b

Aqua.

Aqua est symbolum aduersitatis & prosperitatis. 352,b

Per aquam voluptates intelliguntur. 353,a

Arad.

Arad Chananæus Israelitas prælio superat, & superatur. 35,a

Arca.

Arca testamenti scabellum pedum Domini dicitur. 863,b.864,a

Arca religiosa veneratione honoranda est. ibid.

Virga Moysis, tabulæ legis, & vas mannæ cur in Arca fuerint asservata. 869,a

Per Arcam Noe significatur Ecclesia. 256, a. 342,a

Arena.

Per arenam significantur mali & infideles. 234, a & b

Reprobi in arena præfigurati. 86,b

Per arenam Iudæi significantur. 224,b

Argen-

Argentum.

Omni auro ineſt argentum. 605,b
Pra ceteris metallis dulciùs reſonat. ibid.
Significat humanitatem in Chriſto. ibid. 606, a & b. 607, a & b
Per argentum B. Maria Virgo ſignificatur. 606,b

Arma.

Armis materialibus & ſpiritualibus pugnandum eſt. 714,a & b
Quomodo Iſraëlita armati ex Ægypto aſcenderint. 876,a
Pecunia dicuntur arma. ibid.

Armagedon.

Armagedon nominis interpretatio. 305,a

Armeni.

Armeni primò Catholici, deinde heretici. 110,b
Reconciliati Eccleſiæ in Concilio Florentino, ab eadem poſtea receſſerunt. ibid.
Qualis eorum naturalis conditio. 111,a
Deum trinum paſſibilem dicunt. ibid.
Spiritum ſanctum Patre ac Filio minorem credunt. ibid.
In Chriſto naturas confundunt. ibid.
Aquam vino non admiſcent in calice. ibid.
Judaizantes in azymo conſecrant. ibid.
Negant Verbum ſtatim carnem factum poſſe Virginis verba, Ecce Ancilla Domini, *&c.* ibid b
Errant circa tempus aliquarum feſtivitatum. ibid.
Abſque facultate ab exteris Epiſcopis Ordines ſuſcipiunt. 112,a
Sacram Scripturam mutilant. ibid.b
In cibis delinquunt. ibid.
Celebrantes capiti cucullum adiiciunt. ibid.
In memoriam canis mortui cuiuſdam Epiſcopi ieiunant. ibid.
In Sanctorum imaginibus errant. ibid.
Crucem quando & quomodo adorent. ibid.
Deum mendacem faciunt. 113,a
Negant corpus Chriſti in Euchariſtia. ibid.b
Chriſtum Sabbato reſurrexiſſe dicunt. ibid.
Aliqua peccata irremiſibilia docent. ibid.
Sentiunt, primos parentes in ſtatu innocentiæ non fuiſſe coituros, neque futuram ſexuum differentiam. ibid.
Nuptias damnant, & nihilominùs eas contrahunt. ibid.
Dicunt Euchariſtiam non conferre gratiam. 114,a
Matrimonium non eſſe Sacramentum aſſerunt. ibid.
Baptiſmum delere peccatum negant. ibid.
Baptiſmum & Euchariſtiam ſimul conferenda eſſe docent. ibid.
Sacramentis omnem gratiam negant. ibid.
Pœnam inferni finitam eſſe dicunt. ibid.
Ante Chriſtum omnes fuiſſe damnatos aiunt. ibid.
In reſurrectione omnes maſculini ſexus futuros tradunt. ibid.
Armeni Epiſcopi & Monachi carnibus veſcuntur. 123,b
Armenorum octo Quadrageſima. ibid. 124,a & b
In ieiuniis Armeni partim conveniunt, partim diſconveniunt. ibid.
Operâ S. Gregorii Epiſcopi Chriſtianos ſe evaſiſſe dicunt. 124,b
Armeni ad confeſſionem ſacramentalem admittendi ſunt, ſi faciunt quæ præſcribuntur. 510,b. 511,a

Arnulphus.

Arnulphus Eccleſiæ Ieroſolymitanæ Archidiaconus, homo poſtea peſſimus, tertius Ieroſolymorum Patriarcha eligitur. 139,a
Moritur. ibid b

Artaxerxes.

Artaxerxis Longimani inſignis reſtitutio. 889,b

Aſiongaber.

Aſiongaber, trigeſimaſecunda Iſraëlitarum manſio, qualis loci fuerit. 34,a

Aſtrologia.

Aſtrologia inſufficiens eſt ad futura contingentia cognoſcenda. 270,a

Athanaſius.

Athanaſius quidam Græcorum ſchiſmaticus Patriarcha. 140,a

Auaritia.

Auaritia noxia communitati & exercitui. 727,b
Auaritia, ſeu rerum temporalium cupiditas, pallorem homini inducit. 131,a &

Aurarus.

Aurarus verè pauper eſt. 620,b. 624,a & b
Continuò ſollicitus eſt, & corporaliter vexatus. ibid. 621,a. 624, a & b
Spiritualiter & corporaliter moritur. 621, a & b
Tantalo comparatur. 624,b

Auguſtus Cæſar.

Auguſti Cæſaris notabile decretum. 583,b

Aurum, Argentum.

Aurum & argentum ſignificant charitatem & ſapientiam. 617,a
Aurum ſapientiæ Ieroſolymis abundavit. 618,a
India abundat auro. 619,a
Non aurum, ſed cupiditas & abuſus noxius. ibid.b
Aurum eſt multipliciter cauſa perditionis. 620,b
Inducit afflictionem corporalem. ibid. 621, b. 624, a & b
Eſt cauſa mortis corporalis. 621,a
Item ſpiritualis, & æterna. ibid. & b
Amor auri eſt totius ſpei certiſſimum venenum. ibid.b
Auro & argento bona temporalia deſignantur. 618, a & b
Auri ſex proprietates referuntur & explicantur. 605, b
Omni auro ineſt argentum. ibid.
Aurum divinitatem & argentum humanitatem Chriſti ſignificat. ibid. 606,a & b
Per aurum & argentum ſignificantur ſpiritualia Chriſti dona, charitas & ſapientia. 607, b. 608, a
Per aurum ſignificatur charitas. 608, a
Item, per aurum indicatur Chriſti fulchritudo & perfectio. 610,a
Aurum quare palleat. ibid.b. 618,b
Aurum & argentum in ſtemmatibus Ieroſolymitanis ſignificant Reges Ieroſolymitanos virtute & moribus Chriſtum debere imitari. 614,a & b

Auſtriaca Domus.

Auſtriaca Domus ſublimata eſt, ob eximiam in Deum pietatem. 878,a

B.

Babylon.

ROma in Apocalypſi vocatur *Babylon.* 801,a

Baculus.

Baculus Iacob fuit figura Crucis. 585,a
Baculus Epiſcoporum & Abbatum in Oriente eſt T. 590,a

Balaam.

Balaam fuit typus Mahometis. 226,a

Balaam per mulieres Iſraëlitas expugnat. 720,a

Balduinus.

Balduinus I. inſtinctu Arnulphi Daibertum primum Ieroſolymorum Patriarcham perſequitur. 138,b
Daiberto abſente, intrudit in eius locum Ebremanum. ibid.
Vxorem adhuc prima coniuge duxit aliam vxorem. 139,a
In morbum incidens pœnitet, ſecundam vxorem dimittit. ibid.
Balduinus I. ſecundus Ieroſolymorum Rex. 137,b
Balduinus II. tertius. ibid.
Balduinus III. quintus. ibid.
Balduinus IV. ſeptimus. 138,a
Balduinus V. octauus. ibid.
Balduini V. tutor Raymundus eius mortem celans, bellum contra Guidonem Luſignanum molitur. ibid.
Balduinus IV. Saladinum ſuperat. 703,b

Baptiſmus.

Graeci damnant Baptiſmum Eccleſiæ Latinæ. 105,b
Latinos rebaptizant Graeci. ibid.
Infideles qui & quomodo ad Baptiſmum poſſint compelli, vel adduci ad Eccleſiam. 734,a & b
Baptiſmi miniſter ordinarius eſt Parochus. 504,a
Fratres Minores Terra ſancta poſſunt baptizare in partibus infidelium. 493,a
Baptiſmi & Confirmationis coniunctio. 494,a

Beatitudo.

Perpetuitas eſt perfectio beatitudinis. 148,a
Beatitudinem comitatur gaudium. 578,b
Vide Gloria cæleſtis.

Bellum.

Bellum triplex, corporale, ſpirituale, & mixtum. 712,a. 736,b
Bellum corporale quid ſit. ibid.
Bellum corporale, aliud extrinſecum, aliud intrinſecum. ibid.
Bellum ſpirituale quid ſit. ibid.
Bellum ſpirituale, aliud intrinſecum, aliud extrinſecum. ibid. 737,a
Bellum mixtum, aliud intrinſecum, aliud extrinſecum. 737,a
Deus inſtruit acies pro ſuorum tutela. ibid.b
Bellum damonis contra homines quale ſit. ibid.
Bello mixto Terra ſancta comparanda eſt. 712,a. 737,b
Bello ſpirituali cælum comparandum eſt. 712,b
Bellum Angelorum quale fuerit. ibid.
Bello corporali terrena comparantur. 713,a
Bello mixto Terra ſancta recuperari debet. ibid.
Deus belli Dux eſt, & eſſe debet. ibid. & b. 716, a & b. 717,a
Armis materialibus & ſpiritualibus pugnandum eſt. 714,a & b
Octo conditiones, quæ à militibus militiæ ſacræ, antequam cum hoſte congrediantur, obſeruari debent, recenſentur. 714,b. & ſeqq.
Alexandri Magni exemplum in bello gerendo. 716,b
Milites in bello à peccatis ſe cuſtodire debent. 718,a
Mandatorum Dei obſeruantia dat victoriam in bello. ibid.
Ob præſumptionem & peccata multi à paucis debellati fuerunt. ibid.b. 719,a
Vnius peccatum toti exercitui in bello obeſt. 719,a. 727,b. 728,a
In bello ab omni impuritate, auaritia & ſuperbia abſtinere oportet. 719,a & b. 720,a & b. 727, a & b
Tria præcipua bella Iſraëlitis mota fuerunt. 719,b. 720,a
An licitum ſit in Chriſtianorum caſtris permittere ſcorta & meretrices. 720,b. 721,a & b
Abuſus exercituum Chriſtianorum. 721,a
Vide ſub titulo Exercitus.
Duplex belli genus; vnum armis & ſanguinis effuſione, alterum virtute & patientia geritur. 40, a & b
Exempla vtriuſque. ibid.
Pecunia eſt nervus belli. 876,a
Belli iuſti & boni conditiones. 737,b. 738,a
Corporale bellum quando iuſtum ſit. 738,b
Sacrum bellum cetera præcellit. ibid. 739,a
Belli fines plures ſunt. 739,a
Sacri belli finis. ibid. b
Bellum contra Turcas expedire ipſe Lutherus dixit. 696,b
Deus non tantùm permiſit, ſed etiam mandauit bellum ſuſcipere contra hoſtes. 697,a & b
Bellum ſacrum quomodo alia bella contra infideles excellat. 741,b
Bellum ſacrum pulcherem redolet zelum. 743,a
Duo beneficia oriuntur ex malis militibus ſacro bello adſcriptis. ibid.b. 744,a
In ſacro bello viuat quis vel occumbat, ſemper militi benè eſt. 744,b
Sanctum bellum humanæ paci præferendum eſt. ibid.
Nedum milites in ſacro bello morientes, ſed aliàs eadem adſcripti, martyres dici poſſunt. 745,a & b
Mors ſacri belli eſt eligibilior vita. 746,a
Nil criminis habet, ſed multum victoriæ. ibid.b
Sacrorum militum ad bellum procedentium alacritas. ibid. & 747,a
Eligibilius eſt in honeſto bello occumbere, quam cum dedecore viuere. 747,a & b
Joſias quomodo in pace occubuit, cùm in bello vulneratus vitam finierit. ibid.b
Magna victoriæ ſpes eſt in ſacro bello. 748,b
Per ſacrum bellum aperietur oſtium ad prædicationem Euangelij. 749,a
Exhortatio ad Principes pro bello ſacro ſuſcipiendo. ibid.
Bellum inſtituendum eſſe à Chriſtianis Principibus contra Turcas pro recuperatione Terræ ſanctæ, ob multiplices fructus. Rationes, quæ Auctorem vel retrahant vel impellant ad ſcribendum de hoc argumento. 676,a & b. 677,a & b
Rationes quibus permoueri debeant Chriſtiani Principes, vt Turcis generale bellum inferant pro recuperatione Terræ ſanctæ. 677,b. 678,a & b. & ſeqq.
Per bellum Turcis inferendum pro recuperatione Terræ ſanctæ pax componetur inter Principes Chriſtianos. 701,b
Bella externa ſedant domeſticas ſeditiones. ibid.
Vnde neceſſaria ad bellum ſacrum Turcis inferendum pro recuperatione Terræ ſanctæ haberi poſſint. 702,b. & ſeqq.
Omnia prudenter ſunt facienda illis qui bellum gerere volunt. 702,b
Prudentia & virtus militum præualet multitudini. ibid. & 703, a & b
Chriſtianos in bello adiuuat Deus. ibid. & 704,a. 714,a
Argumenta diſſuadentia bellum Turcis inferendum eſſe

esse proponuntur. 694,a & b. 695,a
Soluuntur. 695,a & b. 696,a & b. vsque ad 702
Sacrum bellum expedire persuadent grauia testimonia. 695,b 696,a & b
Quibus conditionibus bellum Christianis sit licitum. 681,b
Principes Christiani possunt indicere bellum infidelibus terras suas occupantibus, cultumque Dei impedientibus. ibid.
Qui laudabiliter Mauris bellum indixerint. 682,a
Prodigium approbans bellum sacrum. ibid. & b
Qui singulariter bellum sacrum indicere teneantur. ibid. b
Negligentes aut impedientes puniuntur. ibid. 683,a & b
An, & quando, tempore belli Ecclesiastici possint grauari tributis, & aliis oneribus. 704,b. 705,a & b. 706,a & b
Ecclesiastici & pauperes sacrificia & preces tempore belli offerre debent. 705,a
An pauperes sint onerandi, vel subsidium ab eis torquendum pro bello sacro, seu recuperatione Terræ sanctæ. 707,b. 708,a & b
Cessandum à bello satisfactione oblata. 731,a
Quid agendum sit in bello à sacræ militiæ militibus post obtentam de hostibus victoriam, & Terram sanctam acquisitam. 731,b. & seqq.
In bello si malum aliquod timetur, omnia licet demoliri, etiam innocentes. 733,a & b
Si nihil mali timetur, innocentes non sunt occidendi. ibid. b
In bello bonum publicum priuato est præferendum. ibid.
Deus quare inferit aliquando mulieres & infantes in bello interitum. ibid.

Benedicere.

Fratres Minores inter infideles degentes possunt benedicere vestes sacerdotales, corporalia, altaria, calices, cæmeteria. 524,b. 525,a. 526,a & b
Aliis Religiosis etiam hoc priuilegium competit. 525,a & b
Item Vicarijs & Præsidibus Monasterij in absentia Guardiani & Superioris. ibid.
Verbum benedicere *dupliciter accipitur.* 526,a
Benedictio & consecratio distinguuntur. ibid.

Beneficia.

Beneficiorum suorum Deus memoriam in signo aliquo haberi vult. 868,b. 869,a & b

Beneficium Ecclesiasticum.

Clerici in sacro exercitu pro Terra sancta recuperanda versantes possunt per triennium fructus suorum beneficiorum percipere, ac si in suis Ecclesijs residerent, & eosdem pignori obligare. 542,a
Beneficia alia residentiam requirunt, alia non. ibid. b
Fructus beneficiorum alij principales, alij non principales. ibid.
Quinis beneficiati sacro exercitui inseruientes possunt omnes fructus suorum beneficiorum percipere. ibid. & 543,a

Beneiaacan.

Beneiaacan vigesimaoctaua Israelitarum mansio. 34,a

Bernardinus.

P. Bernardini Caimi peregrini Ierosolymitani laudabile exemplum. 843,b. 844,a

Bersabee.

Bersabee multiplex, ciuitas, desertum, puteus, & vicus. 63,b
Bersabee ciuitas duplex. ibid.
Bersabee ciuitas tribus Simeon terminus Australis Terræ sanctæ. ibid.
Bersabee nominis ratio. 64,a
Prope Bersabee habitans Abraham inuocauit nomen Domini. ibid.

Bona temporalia.

Bonorum affluentia à Deo auertit. 548,b

S. Bonauentura.

S. Bonauenturæ Zelus erga animarum salutem. 777,b. 778,a
Christus crucifixus fuit Bibliotheca S. Bonauenturæ, vnde doctrinam cælestem hausit. 600,a

Bonifacius.

Bonifacius VIII. multum Landa nobiles mulieres Gennenses, earumque socias & sequaces, in subsidium Terræ sanctæ proficiscentes: iubet, vt illarum exemplo populus Ianuensis & in Ianuensi Prouincia consistens, ad idem laudabile opus promoueatur. 893,a & b. 894,a
Earumdem mulierum Ianuensium commendat virtutem, concedit gratias & Indulgentias transfretaturis, vel alias subsidium de bonis suis pro eodem negotio allaturis. 894,b. 895,a
Laudat easdem Heroinas, annuit illarum & auctoris earumdem honestis petitionibus; &, vt solerter intendant subsidio Terræ sanctæ, hortatur. 895,a & b
In eodem persistit argumento, & circa idem subsidium alia præscribit. ibid. b. 896,a
Laudat viriles & egregias earumdem mulierum conatus. 896,a & b
Extollitur pia illa ac fortis mulieres supra viros, Reges & Principes subsidium Terræ sanctæ negligentes, & vt transfretaturis in eiusdem Terræ subsidium Religiosos viros adiungant. ibid. b. 897,a
Fratrem Porchetum Spinolam, Ordinis Minorum, vt verbum Crucis prædicet, vel prædicari faciat; transfretare volentes in subsidium Terræ sanctæ Cruce consignet, & vt solerter negotium hoc promoueat, hortatur. 897,a

Boni, Mali.

Bonis Deus præparauit cælestia, malis verò terrena largitur. 234,a. 235,b. 236,a
Boni & mali per Ismaëlem & Isaacum præfigurantur. ibid.
Per stellas cæli significantur boni, per arenam verò, vel pulueres terræ, mali. ibid.
Boni inter malos habitant, vt eos conuertant. 202,b
Bonorum cansam suscepit Deus. 26,a & b

Bonum, Malum.

Idem diuersimode bonum & malum dicitur. 802,a. 803,a
Tria bonorum genera, vtilitatis, honestatis, & delectabilitatis. 761,a

Bullæ.

Catalogus Bullarum summorum Pontificum in gratiam Terræ sanctæ. 355,b. 356,a
Bulla matura ab Apostolica Sede procedunt. 921,a

C.

Cades.

CAdes, seu desertum Sin, trigesimatertia Israelitarum mansio. 34,a

Cadesbarne.

Cadesbarne qualis locus fuerit. 33,a

Cælestinus.

Cælestinus Papa laborat pro subsidio Terræ sanctæ. 751,b

Cælum.

Cælum variis modis possideri potest. 90,a

Cæsarea Philippi.

Cæsarea Philippi qualis civitas. 63,b

Cain.

Cain seruatus fuit, vt esset testis diuinæ iustitiæ. 219,a

Quod fuerit signum positum à Deo in Cain. ibid.

Cain fuit typus Iudaici populi. ibid.b

Calamus.

Calamus mensura quid sit. 56,a

Callistus.

Callistus III. confirmat Minoritis concessionem locorum in Asia, eisdemque permittit, vt noua recipere & ædificare, gaudere priuilegiis Seraphico Ordini communibus, absoluere à quibuscumque peccatis & pœnis, excepta litterarum Apostolicarum falsificatione, veteri Chrismate in Baptismo & Extrema vnctione vti, altaria, calices & alia diuino cultui dicata benedicere, & Missam ante exortam lucem celebrare possint: item, quòd Guardianus sacri Montis Sion possit Fratres pro eleemosynis ad citramarinas fidelium partes mittere, & ad quascumque infidelium, ducere & aduocare ad se Fratres quoscumque voluntarios, & cum eisdem super rigore Regulæ in itinere dispensare, & permittere, vt schismatici & infideles ipsorum Sacris interesse, & hi ab eisdem medicamenta recipere valeant. 418,a & b. 419,a. 518,a

Concedit Guardiano Montis Sion, vt possit viginti personas ab omni voto absoluere, præter peregrinationis ad limina Apostolorum; & quòd Fratres omnes Terræ sanctæ in omnibus licitis eidem Guardiano obediant, & nullus ex Ordine audeat absque speciali facultate ad transmarinas partes transire. 419,a & b 420,a

Impertit facultatem Minoritis Terræ sanctæ retinendi loca iam in Asia occupata, & noua insuper ædificandi in monte Sinai; quodque gaudeant priuilegiis Fratrum Italiæ, & indulgentiis peregrinorum Ierusalem; & confirmat prædecessorum priuilegia. 420,a & b

Concedit gratias quibus mitigatur rigor Minoritanæ paupertatis, vique Minoritæ, defectu Sacerdotum Ordinis, aliis confiteri possint: & si contingat ipsos infidelem aliquem mutilare, vel occidere, pro sui vel locorum sanctorum defensione, innoxij sint. Quòd Guardianus possit Ierosolymis facultatem concedere alienis Sacerdotibus, quorumcumque venientium audiendi confessiones, & celebrandi Missam à media nocte vsque ad horam nonam; & ipse admittere ad Tertium Ordinem S. Francisci, & eiusdem Ministrum instituere. Quodque nullus Sacerdos vel Religiosus absque speciali Sedis Apostolicæ licentia possit Ierosolymis vel in aliis harum partium locis habitare, Guardiano contradicente. Communicat Terræ sanctæ Religiosis omnes gratias Minoritis in quibuscumque aliis infidelium partibus habitantibus concessas. 420, b. 421, a & b. 486, b. 507,a

Dedit potestatem Guardiano Montis Sion, vt possit quos voluerit Fratres voluntarios aduocare ad Terram sanctam. 475,b

Dedit Guardiano Montis Sion auctoritatem in omnes Fratres illarum partium. 476,b

Item, potestatem admittendi & remittendi quos voluerit Sacerdotes in illis partibus. ibid.

Item, potestatem mittendi Fratres pro eleemosynis ad partes fidelium & infidelium. 477,b

Item, potestatem puniendi Fratres venientes ad Terram sanctam sine legitima facultate. 485,a

Dat facultatem Fratribus Terræ sanctæ vt possint confiteri extero Sacerdoti, deficiente proprio. 489,b

Caluaria.

Caluaria mons est altare sacrificiorum. 855,b

Terra Caluariæ miracula operatur. 868,a

Calumnia.

Hæreticorum calumnia de Catholicorum pietate confutantur. 836,a & b. 837,a & b. 839,a & b. 860, b

Capilli.

Capilli Christi sunt fideles & Ecclesia. 312,a

Cardinales.

Cardinales Sede vacante confirmant legationem anteà à Clemente IV. commissam Rodulpho Gallo Cardinali, Albano Episcopo, pro partibus transmarinis, voganique vt classicum canat, & vt transfretet exercitum, sedulò laboret. 393,a & b

Carnales. *Vide* Luxuria.

Carolus Magnus.

Carolus Magnus maiorem curam gerens pro luxu & vanitatibus, quàm pro pauperibus Christianis, ab infidelibus fuit reprehensus. 887,b

Castra.

Castrorum apud Hebræos dispositio. 45,a

Eorum vexilla. ibid.

Casus.

Casus in quibus solent Legati Pontificis dispensare, & in quibus non solent, neque possunt. 517,a

Casus quatuor, in quibus nec ipse Papa dispensat. ibid.b

Quomodo intelligendum sit, ministros Fratrum Minorum non posse reseruare casus papales in Capitulis. 438, a

Catholici.

Catholici propter peccata à Deo affliguntur, & hostibus subiiciuntur. 212,b

Catholici Orientales qui dicantur & sint. 94,a

Catholici præcedunt schismaticos in recitatione diuini Officij in Ecclesia Dominici Sepulchri. 210,a

Ceelatha.

Ceelatha decimanona Israelitarum mansio. 34,a

Censuræ.

In censuris Ecclesiasticis quomodo procedendum sit, maximè circa delinquentes in partibus infidelium. 512,b. 513, a & b. 514,a & b

Quis sit finis censurarum. 514 a

Cham.

Cham fuit primogenitus Noe. 24,a & b

Chanaan.

Chanaan mercaturam significat. 5, a. 834,a

Terra sancta cur dicatur Terra Chanaan. 5, a

Chananæi.

Quare Chananæi ex Terra promissionis expulsi, si eam legitimè possederunt. 26,a & b

Chananæus quomodo seruierint descendentibus ex Sem. 25,a & b

Charitas.

Charitas per aurum significatur. 608, a

Charitate deficiente periclitatur fides. 99,b

Deficiente fide defecit charitas. 844,a

Finis præcepti est charitas. 814,a

Ex

Ex charitatis intuitu possunt quadam aliter fieri. ibid. & b

Chrisma.

Fratres Terræ sanctæ in Sacramentis possunt uti Chrismate veteri etiam trium annorum. 503,a
Prælati Regularium in terris suis possunt conficere Chrisma. ibid. & b

Christiani.

Tria sunt Christianorum genera. 208,a & b
Christianis adest Deus contra hostes. 702,b. 703, a & b. 713,b. 714,a
Visiones in gratiam Christianorum infidelibus factæ. 704,a
Christianorum imperium per discordias minuitur. 273,b. 274,a
Christianorum Principum discordia est victoria infidelium. 728,a
Peccata Christianorum enormia fuerunt causa amissionis & vastationis Terræ sanctæ. 239,a & b. & seqq.
Propter discordias Christianorum secta Mahometica fuit dilatata & roborata. 254,a & b
Christianorum socordia est causa divisionis fidei & charitatis in Ecclesia, & dilatationis Imperij Turcici. 283,a & b
Christians quare inter Turcas in Terra sancta habitant. 288,a
Christianorum peccata maximè execratur Deus, & de illis vindictam sumit. 208,a & b
Christianorum luxus & Principum vana regnandi libido causa sunt, cur Terra sancta tamdiu perseverat sub Imperio Turcarum. 281,a & b. vsque ad 285, b
Christians minùs videntur facere loca sancta quàm Turca. 293, b. 294,a
Christianorum tepiditatem pro recuperatione Terræ sanctæ etiam ipsi Turcæ irrident. 249,b
Ex defectu pietatis Christianorum infideles scandalizantur. 887,b
Deus, quia magis à Christianis quàm à Turcis & aliis infidelibus offenditur, ideo permittit hos exaltari, illos verò deprimi. 244,b
In Christianis plura & graviora sunt peccata quam in infidelibus; & quare. ibid. & 245,a
Christianorum scelera graviùs sentit Deus quam infidelium. ibid. & b. 247,a & b

Christus.

Christus Princeps pacis. 306,b. 307, a & b. 308, a
Christo ab omnibus contradictum fuit. 307,a
Christus singulariter Princeps pacis dicetur post interfectum Antichristum. 308,a
Christus de Virgine natus est. 309,a
Exordia regni Christi divina. ibid. & b
Supernaturali modo singulariter post Antichristi interitum dilatabitur Regnum Christi. 311,a. 321,b
Christus est verus Rex, etiam quatenus homo. 305,b. 306,a
Christus passione sua sibi Regnum comparavit. 306,b. 321,a
Christi Regnum quomodo sit æternum. 149,b
Christi Regnum per statuam Nabuchodonosoris præfiguratur. 313,b. vsque ad 321
Christi Regnum alia regna comminuet, & ad omnia se extendet. 317,b
Quomodo Christi Regnum dilatabitur. 318,a
Christus per lapidem significatur, præsertim per illum qui à Daniele dicitur esse præcisus sine manibus. ibid.b. & seqq.
Christi humilitas & exiguitas in utero Virginis & natiuitate. 319,a
Conceptio & natiuitas Christi fuerunt supra naturam. ibid.
Christi fortitudo. 320,a
Christi ex Patre generatio. ibid.
Christi generatio facta fuit sine hominum meritis. ibid.b
Regnum suum Christus incepit in conceptione, & consummauit, seu stabilivit, in passione. 321,a
Christi Regnum Iudæorum conversione dilatabitur? 324,b
Præcipuè Christus Rex apparebit consumpto Antichristo. 306,a
Christi vestis est Ecclesia. 311,b 608,a
Quomodo à Christo Ecclesia sit pulchra reddita. 311, b. 312,a
Christi crines, seu capilli, sunt fideles & Ecclesia. 312,a
Christus obsequio Ecclesiæ totus impensus est. 608,b
Christi amor scientiâ sociabatur. ibid.
A Christo omnes sapientiam hauriunt. ibid.
Per humanitatem Christi Divinitas magis resplendnit. 609,a. 611,a
Christus in sua Regis institutione triplici spirituali unctione inunctus fuit. 609,a & b
Vnctio in Incarnatione facta, in Baptismo Christi manifestata fuit. ibid.b
Christus fuit pulcherrimus & perfectissimus. 610,a
Christus ob pulchritudinem suam fuit imperio dignus. ibid.b
Christus Rex insidiatores & persecutores varios habuit. ibid. & 611,a
Diabolus Christi Incarnationem impedire nisus fuit. 611,a
Christus Medicus est & medicina. ibid.
Christus variis coronis fuit coronatus; & quæ illæ. 612,a & b. 613,a & b
Zona aurea significat Regiam Christi auctoritatem. 614,a
Christi aduentu & præsentia Ægyptus & solitudo, per quam transiit, fuerunt illustrata. 162,b
Christi natiuitas, præsentatio in templo, miracula, mors, &c. omnibus nota esse potuerunt. 857,b. 858,a & b
Christi præputium à Deipara servatum, & in eius obitu Ioanni traditum fuit. 870,a
Christi fasciæ à Deipara servatæ, & in illarum honorem Ecclesia erecta. ibid.
Christi sanguis à Deipara & Ioanne servatus fuit. ibid.
Christi sanguis verus in diversis orbis partibus reperitur. ibid. & b
Plura sudaria & linea contactu Christi tam viventis quàm mortui sanctificata à fidelibus servantur. ibid.b
Vas, in quo Christus paschalem agnum comedit, ubi asservetur. ibid.
Item, calix, in quo Christus Eucharistiam consecravit. 871,a
Linteum Christi & Apostolorum imaginibus condecoratum. ibid.
Christi linea subucula servatur Romæ. ibid.
Christi vestis inconsutilis servata, & in magna veneratione habita fuit. ibid. & b.
Vide Reliquiæ.
Per Christum omnia nostra Patri cælesti sunt offerenda. 595,a
Christi beneficiorum memores esse debemus. 596,a

Chriſtus perpetuò nobiſcum commorari exoptat. ibid.
Chriſtus amicorum ſuorum non obliniſcitur. ibid. & b
Chriſtus dicitur ſtella matutina. 593,b
Quomodo Chriſtus ſit cauſa ruinæ ac ſalutis. 620,a
Tria in Chriſto conſiderantur, diuinitas, humanitas & paſſibilitas. 625,a
Chriſtus per equum album Apocalypſeos ſignificatur. ibid. & b. 626,a
Chriſtus ſua habituali gratia hoſtes debellare potuiſſet. 625,a
Chriſtus charitatem ſuam in paſſione manifeſtauit. 626, b. 627,a
Cur Chriſtus in paſſione coccinea veſte indutus fuerit. 628,a
Mirabilia in Chriſti Sepulchro viſa. 631,a
Diuinitas in Chriſto per aurum, & humanitas per argentum ſignificatur. 605,b. 606,a & b. 607,a & b.
In diuinitate quomodo ſemper fuerit humanitas. 606,a
Diuinitas quomodo realiter humanitati ſit vnita. ibid.
Maxima vnio diuinitatis cum humanitate Verbi. ibid.
In incarnatione claruit humanitatis argentum, & diuinitatis aurum pallus. ibid. b
Chriſti ex Virgine generatio. ibid.
Chriſtus per B. Virginem eſt quærendus ab hominibus. 607,a
Chriſtus Mariæ Virginis eſt ornamentum. ibid.
Lilium eſt ſymbolum diuinitatis & humanitatis Chriſti. ibid. & b
Item, columba dorſum aureum & pennas argenteas habens, qualem deſcribit Dauid Pſal. 67. v. 14. ibid. b
In Chriſto fuit omnis gratiæ, charitatis ac ſapientiæ plenitudo, quæ per aurum & argentum ſignificantur. ibid. & 608,a
Ex hypoſtatica vnione obuenerunt Chriſto dona creata & infuſa, & idiomatum communicatio. 600,a & b
Quid ſit idiomatum communicatio. ibid. b. 601,a
Chriſti humanitas & ſancta Crux ſcabellum Domini dicitur. 863,a
Scientia humanitus acquiſita, & ex Chriſto Magiſtro accepta diſcrimen. 597,b. 598,a & b
Tres præcipuè Chriſti tentationes ſeu perſecutiones fuerunt. 343,a
Prima fuit Herodis. ibid.
Secunda, diaboli. ibid.
Tertia, & maxima, malorum hominum. ibid. & b
Sapientia Chriſti in dæmone ſuperando. 580,b
Oratio Chriſti efficax. 581,b
Eius oratio in cruce efficaciſſima. ibid.
Cur Chriſtus pellicano comparetur. ibid. & 582,a
Chriſti regnum ex paſſione ortum habuit. 582,b. 583,a
Paſſione abſolutum ſibi dominium comparauit. 583,a
Chriſtus vt homo abſolutus Dominus fuit, etſi dominium non exercuerit niſi poſt mortem & reſurrectionem. ibid. & b
Chriſtus eſt ſolus verus & abſolutus Dominus, reliqui omnes eius miniſtri; & quare. ibid. b. 584,a
Vt Dauid pugnando, ita Chriſtus moriendo regnum comparauit. 584, a & b
Chriſtus crucifixus eſt liber apertus myſteriorum ſidei. 587,b
Item, eſt liber maioribus characteribus conſcriptus. 588,a
Item, dicitur liber ſignatus & apertus à Ioanne in Apocalyſi viſus. ibid. & b
Chriſti paupertas. 195,b
Chriſtus omnium hominum forma fuit viuendi. ibid.
Chriſtus fuit vir dolorum. 570, a & b
Mors Chriſti fuit peccatum maximum pro Iudæis. 213,b
Chriſtus poſt mortem ſua morte ditatam Dominus appellatus & honoratus eſt. 153,b
Chriſtus crucifixus cordi & corpori imprimendus eſt. 594,b. 595,a & b. 596, a & b. 597,a & b.
Chriſti paſſionis compatis debemus. 248,b. 249,a
Chriſtus electro & magneti comparatur. 856,b. 857,a
In Chriſto operationes diſtincte à diuinitate & humanitate prouenientes. 904,b

Ciuitas.

Quarta pars multitudinis in ciuitate cenſentur bellatores. 76,a
Ciuitates refugij diuino mandato deliguntur. 50,b
Quæ illa fuerint. ibid.

Clemens.

Clemens III. Papa confirmauit quæ à prædeceſſore ſuo circa expeditionem Terræ ſanctæ ſtatuta & ordinata fuerant; præſcripſit item ad eundem finem per ſingulos dies certam precum formam. 368,b. 369,a
Plurimùm litteris & legationibus pro hac expeditione laborauit, & feliciter quidem negotium incepit; ſed ob Chriſtianorum Principum diſcordias, & Chriſtianorum ſcelera, &c. proſpero ſine fruſtratus fuit. 369,a
Clemens IV. conſtituit, vt omnia, & quæcunque pia legata indiſtincte relicta, Regi Portugallie pro ſubſidio Terræ ſanctæ ſuppeditentur. 391,b. 392,a
Item, redemptiones votorum à Cruceſignatis emiſſorum, & alia. 392,a
Dat eiſdem facultatem abſoluendi à quibuſdam cenſuris. ibid.
Item, vt poſſint Crucem & Indulgentias conferre ſuccurrentibus Terræ ſanctæ. ibid. b
Item, vt male parta poſſint in hunc vſum pie applicari. ibid.
Poſt obitum Clementis IV. Sede vacante, Cardinales confirmant legationem anteà à Clemente IV. Rodulpho Gallo Cardinali, Albano Epiſcopo, pro partibus tranſmarinis commiſſam; rogantque, vt quamcyùs claſſicum canat, & vt tranſfretet exercitus, ſedulo laboret. 393,a & b
Clemens V. indulget Minoritis ad infidelium partes proficiſcentibus vt verbum Dei proponere, cum ſchiſmaticis & hæreticis conuerſari, hos baptizare, & illos Eccleſiæ reconciliare; imo & deficientibus Epiſcopis Catholicis, etiam cum chriſmate veteri Confirmationis Sacramentum conferre, charactere clericali inſignire, & ad Acoluthatus Ordinem promouere poſſint. Concedit etiam alia quoad Ordinis & Pœnitentiæ Sacramenta, quoad Miſſarum celebrationem, nouarum ædium & Eccleſiarum ſuſceptionem, reſtaurationem & reconciliationem, & alia, quæ ad Dei cultum pertinere videbuntur; Indulgentiamque conceſſi ſolitam proficiſcentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium eiſdem impertitur. 402,b. 403,a & b. 404,a

Sub eodem, anno Domini 1311. habitum fuit in Gallis Concilium Viennense generale XV. in quo decreta fuit expeditio pro recuperatione Terræ ſanctæ. 404,a

Concedit facultatem Fratribus Minoribus in partibus infidelium habitantibus, vt poſſint audire omnium confeſſiones, & abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis. 505,a

Clemens VI. concedit & confirmat Minoritis loca ſancta eiſdem à Roberto & Sancia Siciliæ Regibus comparata: impertitur facultatem ad ea mittendi idoneos Ordinis ſui Fratres, qui transfretato mari, ſint ſub obedientia Prafecti Terræ ſanctæ. 176,b.401,b.402,a

Oſtendit, Robertum & Sanciam Ieruſalem & Siciliæ Reges obtinuiſſe ab Ægypti Sultano Sepulchrum Domini, & alia ſancta loca pro Minoritis, qui & in eiſdem habitabant, & ſacra obibant Officia, & ſacrificia: ratam habet traditionem, & Pontificia confirmat auctoritate; ad eorumdemque Regum inſtantiam, gratias concedit Minoritis. 898, a & b

Clemens VII. varia, quoad Fratres Minores & alios in Terra ſancta habitantes indulget & concedit. 422,a & b

Cogitatio.

Origo noſtrarum cogitationum triplex eſt. 817,b

Vnde ſciri poſſit, cogitationes provenire à ſpiritu bono vel malo. ibid. 818,a

Cognitio.

Omnis cognitio ex ſenſu ortum habet. 845,b

Cognitionis affectus reſpondet. 844,a

Color.

Spectabiliora antiquitus rubro colore linicbantur. 627,b

Cur Reges purpurea chlamyde vtantur. ibid.

Librorum titulı & ſepulchra minio ſeu rubro colore olim notabantur. ibid. 628,a

Cur Chriſtus in paſſione veſte coccineâ indutus fuerit. 628,a

Quid ſignificent rubra Cruces in ſtemmatibus Equitum S. Sepulchri. 625, & ſeqq.

Columba.

Columba dorſum aureum & pennas argenteas habens, à Davide Pſal. 67. v. 14. deſcripta, eſt ſymbolum diuinitatis & humanitatis Chriſti. 607,b

Concionator.

Concionatores animarum ſaluti intendentes opus excellentiſſimum faciunt, & Chriſti ac Sanctorum exemplo conforme. 781, & ſeqq.

Concionatorum fructum quoad ſalutem animarum percipere poſſunt laici & ſeculares. 785, & ſeqq.

Exempla. 789,b. 790,a & b

Concionatorum vtilitas in exercitu Chriſtiano & Republica ad milites & ſubditos animandos. 722, a & b. 723, a & b

Concionatorum defectus nexius eſt communitati. 723,a

Concordia.

Concordia res parvæ creſcunt & roborantur. 272,b. 273,b. 274,a. 735,a

Confirmationis Sacramentum.

Sacramenti Confirmationis ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus. 504,b

Fratres Minores Terræ ſanctæ poſſunt baptizatis adminiſtrare Sacramentum Confirmationis. 493, a & b

Virtus Sacramenti Confirmationis. ibid.b

Baptiſmi & Confirmationis coniunctio. 494,a

Confiteri, Confeſſarius, Confeſſio.

Fratres Terræ ſanctæ poſſunt extero Sacerdoti confiteri deficiente proprio. 489,b

Fratres Minores vbique de Prælatorum licentia poſſunt peccata ſua confiteri cuilibet Sacerdoti inſtituto. 490,a

Virtute huius privilegij poſſunt etiam abſolui a reſervatis, fraude tamen ſeclusa. ibid. & b

Quis ſit Confeſſarius approbatus pro Religioſis. 490,a

Auctoritas Confeſſariorum in terris infidelium. 457,a

Fratres Terræ ſanctæ, ſive approbati ſive non approbati à ſuis Superioribus vel Epiſcopis, ſtatum ac terras infidelium attigerint, vbi non eſt nec haberi poteſt Prælatorum & Ordinariorum præſentia, poſſunt Fratrum ac ſæcularium confeſſiones audire, ſi alias ſint idonei: 495,a & b

Tranſeuntes verò per infidelium terras, vbi ſunt Epiſcopi vel Ordinarij, debent ſe illis præſentare oſtendendo ſuam facultatem; tamen non indigent alia approbatione, niſi reſpectu caſuum illis reſervatorum. ibid. b. 496,a

Græci & Armeni admittendi ſunt ad Confeſſionem ſacramentalem, ſi fecerint quæ præſcribuntur. 510,b. 511,a.

Coniux, Coniugium.

Coniugium magis diſtrahit à Chriſti ſequela quàm alia mundana. 546,a

Coniugatis non expedit peregrinatio præſertim longa. 797, a & b

Diuino præcepto tenetur vir cum ſua vxore habitare. ibid.

Vide Matrimonium.

Conradus.

Conradus Imperator expeditionem parat in Terram ſanctam, & cladem accipit. 750, b. 751, a

Conſecratio.

Conſecratio & benedictio aliquando diſtinguuntur. 526,a

Altarium conſecratio quomodo fiat. 527,a

In altarium conſecratione non ſunt neceſſario adhibenda Reliquiæ. ibid.

Quinque caſus quibus Eccleſia denuò conſecrari debet. ibid.b

Altare poteſt ſex caſibus reconſecrari. 528,a

Eccleſia & altaris conſecrationes diſtincta ſunt; & vna ab altera non dependet. ibid.b

Conſecrationis verba.

Vnde Eccleſia in conſecratione calicis hæc verba æterni, & myſterium fidei ſumpſerit, dicens, Hic eſt enim calix Sanguinis mei novi & æterni Teſtamenti, myſterium fidei. 255,b. 256,a

Conſtantinus.

Quidam aſſerunt Conſtantinum Magnum inſtituiſſe Ordinem Equeſtrem S. Sepulchri. 555,a

Conſtantino Magno in cælo Crux apparuit. ibid.

Cruce vexillum hoſtes ſuperat. ibid.

Conſuetudo.

Conſuetudine inducitur privilegium. 430,a

Conſuetudinis virtus & efficacia. ibid.

Conſumptio.

Conſumptionis & detrimenti diſcrimen. 779,b

Contemplatio.

Contemplatio præſtat actioni. 796,a & b

Vtilius interdum pro actione contemplatio dimittitur. 811,b. 812, a & b. 813, a

Conuentuales.

Conuentuales qui sint; & quare sic dicti. 170, & seqq.

Conuentualis nomen quomodo acceptum, vt proprium sit Fratribus Minoribus qui bona & redditus in communi possident. 172,b

Conuentualis nomen, prout distinguit Fratres sub Ministris viuentes ab Obseruantibus de Familia sub Vicariis; quando & cur sit introductum. 173,a

Conuentualis nomen, prout dicitur de Fratribus Minoribus bona & redditus in communi possidentibus, quando & quomodo sit introductum. ibid. & b. 174, a & b.

Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium ac Regularium, domus quando & quare ex priuilegio dicta fuerint Conuentus, & Religiosi, Conuentuales. 178, b. 179,a

An Fratres Minores Conuentuales inhabitauerint Terram sanctam, & an priores sint Fratribus Minoribus Obseruantibus. 179,a & b

Explicatur dictum Patris Francisci Gonzaga. ibid.

Vide Fratres Minores.

Conuertere, Conuersio.

Illitterati & simplices bono exemplo suo, & orationibus possunt peccatores & infideles conuertere. 709,a

Varia huius rei exempla referuntur. ibid.

Cophti.

Cophti qui sint, & vnde sic dicti. 115,b

Trinitatem passam fuisse dicunt. ibid.

Cor.

Fides quare cordi tribuatur. 845,a

Corona.

Corona datur pugnantibus. 692,a & b. 693,a & b

Corona & Crux aquiparantur. 612,a. 612,b

Variis coronis Christus fuit coronatus. 612,a & b

Cur stemmatibus Ierosolymitanis non superponatur corona. 622,b. 623,a & b. 624,a & b.

Antiquitus soli Deo corona offerebantur. 623,a

Post gloriosam victoriam datur corona. ibid. b

Godefridus Bullonius auream coronam Ierosolymis gestare renuit. ibid.

Corona Regni symbolum est. ibid.

Correctio.

Suauiter procedendum est cum delinquentibus in terris infidelium. 512,b. 513,a

Contra leges de nouo institutas agentes rigide proceditur. 515,a

Corrupta.

Corrupta Deo per gratiam copulata virgines reduntur. 327,b

Vide Meretrix.

Credere.

Qua fide & quo assensu credere debeamus ea quæ de locis sanctis in hoc Opere dicuntur. 844, & seqq.

Vide plura sub titulo Fides.

Crucesignatus.

Virum Crucesignatus, qui moritur antequam iter arripiat, habeat plenariam indulgentiam peccatorum. 458,a

Milites Crucesignati pro Terra sancta defensione immunes fuerunt à granaminibus soluendis. 544,a

Vide Equites.

Crucesignati sunt paradisi ciues. 146,a & b

Crucifixus.

Christus crucifixus est quasi liber apertus mysteriorum fides. 587,b

Item est liber maioribus characteribus conscriptus. 588,a

Crux.

Crux Christi scabellum Domini dicitur. 863,a 864, a & b

Crux appellatur Principatus. 306,a & b

Crux semper maximi æstimata. ibid.

Crux aliorum stemmatum est ornamentum. 146,b

Cruce sanctificamur. ibid.

Crux spes nostra & fortitudo. 147,a

Sub Crucis vmbra quiescens Elias recreatus & confortatus est. ibid.

Crucis præstantia per conditiones sapphiri & smaragdi explicatur. 146,a. 147,a

Crucis splendor quantus sit. 144,b

Crux in iudicio finali apparebit. 145,a

Crux quomodo dici possit signum Crucis. ibid.

Crux nobilitatis & auctoritatis symbolum est. 562,a

Crux Christi fuit in annulo Pharaonis Iosephi digito immisso præfigurata. ibid.

Crux dicitur signaculum. ibid.

Cruce alia stemmata gentilitia & insignia decorantur. ibid. & b

Crux est triumphus Christianorum. ibid. b

Crux est gloriatio gloriationum. ibid.

Gloria Pauli & cuiusque fidelis est Crux; & quare. ibid.

In Cruce gloriatur Christus. 563,a

Crux est Angelis gloriosa. ibid.

Crux est commune signum Christianorum. ibid. b

Plures Religiones Monachales & Militares Crucem sibi pro singulari stemmate elegerunt. ibid.

Quinque Cruces quid significent in stemmatibus Ierosolymitanis. 564,a & b. 565,a & b. 566,a & b

Crucis signũ cucurbitis mirabiliter inuatum. 565,b

Crux à cruciatu nomen accepit. ibid. & 566,a

Christi cruces multiplices, spiritus, animæ, carnis, ignominiæ. 566,a

Tota Christi vita crux fuit. ibid.

Crucem Christi interius ferre debent homines ibid. b

Crux animæ, timor Domini. ibid.

Crux carnis, membrorum mortificatio. ibid.

Crux spiritus, Zelus honoris Christi. ibid.

Crux adoranda est propter contactum Domini. 864,a. 865,b

Graue sacrilegium à Saladino contra S. Crucem commissum. 685,a

Christiani Imperatores Crucis vexillo muniti prælabantur. 560,a

Crux in cælo apparet Constantino Magno contra Maxentium confligturo. 555,b

Historia inuentionis particulæ S. Crucis. 124,b

Quales cruces assignandæ pro stemmatibus gentilitiis Regum Ierosolymitanorum, & Equitum S. Sepulchri. 556,b. & seqq.

Quid Cruces in stemmatibus Ierosolymitanis portendant. 562,& seqq.

Cruces aureæ cur sint in stemmatibus Ierosolymitanis, & non lignea. 611, & seqq.

Cruces aureæ in campo argenteo quid significent. 605, & seqq.

Quid significent Cruces rubræ in stemmatibus Equitum S. Sepulchri. 625, & seqq.

Vide reliqua sub titulo Stemmata Ierosolymitana, & Equites S. Sepulchri.

Crux quadrangula significat abstinendum esse à malo, & faciendum bonum. 603,b

Cruces Regum & Equitum sanctæ Ciuitatis eosdem salubriter instruunt. 604,a & b

Iudæi Christum in magna cruce posuerunt, vt magis.

gis contemneretur. 567,b
Magna Crux magnum ſupplicium apud antiquos. 568,a
Crux Chriſti an & quomodo ceteris latronum crucibus altior & maior fuerit. 568,& ſeqq.
Boſij ſententia, fuiſſe ſupra crucem lignum in formam columnæ poſitum, improbatur. 568,b
Altitudo, latitudo, ac pondus Crucis. 569,a
Deus voluit in magna cruce Chriſtum affigi, vt ab omnibus plurisæſtimaretur. ibid.
Ex altitudine Crucis Chriſti ſignificabatur totum mundum cæleſti doctrina illuſtrandum. ibid. b
Deſiderium ſponſæ videndi Chriſtum in Cruce. ibid.
Magna Crux ſignificabat Chriſtum eſſe noſtrum exemplar. 570,a
Significatio diſpoſitionis Crucium in ſtemmatibus Ieroſolymitanis. ibid.& b
Hominum cruces parua ſunt reſpectu Crucis Chriſti. ibid.b
Crux Chriſti hominem protegit in tribulationibus. ibid. 571,a
Cruces in genere aliæ ſunt ſimplices, aliæ compoſitæ. 571,a
Cruces ſimplices duplicis generis ſunt. ibid.b
Cruces compoſitæ quales. ibid.
Cruces compoſitæ triplices fuerunt. ibid.
Crux decuſſata, vel Andreana, qualis ſit; & quare ſic dicta. ibid.
Crucis commiſſæ forma. ibid.572,a
Crucis immiſſæ forma. 572,a
Quomodo Crux adoretur. ibid.
In qua Crucis forma Chriſtus fuerit crucifixus. ibid.
Qui dixerint in commiſſa Cruce Chriſtum crucifixum. ibid.
Quidam volunt in immiſſa & quadrata Cruce fuiſſe affixum. ibid. b
Boſij conciliatio diſſentientium ſententiarum. ibid.
Boſij conciliatio non ſatis firma. ibid.
Incertum eſt, in qua Cruce Chriſtus fuerit crucifixus; probabilius tamen eſt in immiſſa. ibid.
Argumenta pro Chriſti Cruce immiſſa. ibid.573,a
Myſterium Crucis quadratæ. ibid.
Mos Eccleſiæ eſt repræſentare Chriſtum in immiſſa ſeu quadrata Cruce. ibid. & b
Apud Ægyptios Crux erat quadrangula; & quare. ibid.b
Reſponſio ad argumenta pro Cruce commiſſa. ibid.
Gracum T. quomodo dicatur fuiſſe figura Crucis Chriſti. ibid.
Figura omnis Crucis ſplendet in ſtemmatibus Ieroſolymitanis. 574,a
Crux commiſſa, ſiue triangularis, SS. Trinitatem repræſentat. ibid. b. 575, b. 576,a & b
Crux triangularis eſt res & ſignum, Scriptura, ſiue litera & creatura. 575,b
Item, commiſſa Crux admonet nos vt Deo gratias demus. 576,b
Item, eſt teſſera electorum. 577,a
Item, indicat SS. Trinitatem eſſe vltimum hominis finem. ibid. b
Crux eſt arundo aurea qua menſuratur gloria cæleſtis. 578,a
In triangulari Cruce repræſentatur myſterium Incarnationis. 579,a & b
Item, eſt ſignum triumphi Chriſti. 580,a & b. 581,a
Item, ſignificat virtutem orationis Chriſti, eiuſdem nimiam charitatem, & omnipotentiam. 581, a & b. 582, a & b. 583, a & b
Item, eſt vnicum ſubſidium ac fulcrum fidelium. 584, b
Baculus Iacob fuit figura Crucis. 585,a.
Item, virga Ioſeph. ibid.& b
Crux Chriſto & fidelibus eſt lectulus quietis. ibid.b
Crux quare ægrotis ad lectum apponatur. ibid.
Crux, ſine eius memoria, fuit ſolatium Danidi infirmo & anguſtiato. 586,a
Non ſolùm exteriùs adiuuat, ſed interiùs corroborat. ibid.b
Per lignum vitæ præfiguratur. ibid.
Item, eſt ſymbolum vitæ. ibid.
Ezechielis Tau eſt figura ipſius. 587,a
Item, Crux triangularis eſt ſymbolum perfectæ cognitionis Chriſtianæ Religionis, & quaſi liber apertus myſteriorum fidei. ibid.
Chriſtus cruci affixus eſt liber maioribus characteribus conſcriptus. 588,a
Per librum ſignatum & apertum à Ioanne in Apocalypſi viſum indicatur Chriſtus Cruci affixus. ibid.
Cur S. Antonius Abbas pingatur cum Cruce triangulari. 589,a & b 590,a
Varia myſteria in quadrangulari Cruce inuoluuntur. 591,a & b
Per formam quadrangularem ſignificatur S. Crucem in quatuor mundi plagas extendendam, & ſub ea milites colligendos eſſe. 591 b
Homo Deo rebellis Crucis virtute reducitur. 592, a & b
Quatuor extremitates Crucis repræſentant quatuor excellentias ſeu eximias conditiones à Deo Cruci communicatas, ſcilicet Æternitatem, Potentiam, Maieſtatem, & Sapientiam. 593,a
Cruce quadrangulari ſignificatur, quòd per vnionem hypoſtaticam diuinitas & humanitas Chriſti toti mundo innotuerit. ibid.b
Crucifixi meditatio eſt vera Theologia & ſumma ſapientia. 594,a
Ex Cruce clarè ac breuiter edocemur. ibid.b. 597,b. 598,a & b. 599, a & b
In nummis quare cudatur Crux. 595,a
Crucis ſignum ſolo inſculpi interdictum fuit. ibid.
Honor Cruci exhibitus remuneratus. ibid. & b
Cor noſtrum Cruce muniendum, vt Deo acceptum ſit. ibid. b
Crucifixus cordi noſtro per modum ſignaculi ſine ſigilli eſt imprimendus. 594.b. & ſeqq.
S. Franciſcus ex Crucifixo omnem ſublimem ſcientiam hauſit. 599,b
Item, S. Bonauentura. 600, a
Item, quadrangula Crux ſignificat veram idiomatum communicationem in Chriſto. ibid. & b.601,a
Item, per illam ſignificatur latitudo, longitudo, ſublimitas & profundum à Paulo indicata. 591, a & b. 601,b. 603,a & b. 604,a
Item, eſt gladius & clypeus contra hoſtes. 601, b. 602,a & b
Manu & animo omnia Cruce ſignanda ſunt. 602,a
Magna Crucis virtus contra dæmonem. ibid.b
Cruce ſcandalum & aduerſa omnia iuſtis obuenientia tolluntur. ibid. & 603,a
Crux antea vilis, poſt mortem Chriſti pretioſa fuit. 611,b
Crux & corona æquiparantur. 612,a. 622, b
Ratio efformandi ſigni Crucis apud Latinos. 104, a

Item, apud Græcos quare contrario modo fiat. ibid.

Cubitus.

Cubitus vulgaris & ſanctuarij quid ſit. 56,a

Cultus. *Vide* Adoratio.

D.

Daibertus.

Daibertus pulſo Arnulpho, primus Patriarcha Ieroſolymorum eligitur. 138,a & b
Multa paſſus eſt à Baldvino I. inſtigatione Arnulphi. ibid.b
Adit Paſchalem II. ſummum Pontificem. ibid.
Intruditur interim in eius locum Ebremarus. ibid.
Innocens comprobatus Daibertus à Pontifice in Sedem propriam remittitur, & in via moritur. 139,a

Dan.

Dan multiplex: ciuitas, fluuius, viculus, mons. 63,b
Dan ciuitas Septentrionalis terminus Terræ ſanctæ, Daneas, & poſtea Cæſarea Philippi dicta fuit. ibid.
Dan & Emath termini Terræ ſanctæ in eodem tractu Aquilonari. 64,a

Daniel.

Daniel fuit ſpiritualis peregrinus. 842,a

Daphca.

Daphca nona Iſraëlitarum manſio. 32,b

Dauid.

Dauid patientia Saulem vicit. 40,b
Gloriosior euaſit Saulis parcendo, quàm gigantem occidendo 41,a
Dauidis victoria Chriſti victoriam per Crucem præfigurat. 580,b
Sicut Dauid pugnando, ita Chriſtus moriendo regnum comparauit. 584,a & b
Dauid virtute Euchariſtiæ Goliam deiecit. 724, a & b
Quomodo intelligendum ſit, Dauidem Gentibus dominatum fuiſſe. 69,a
Dauid è terreſtri Ieruſalem egredi & cæleſtem ingredi deſiderabat. 85,b

Detrimentum.

Detrimenti & conſumptionis diſcrimen. 779,b

Deus.

Dei nomen vnde deſumptum. 331,a
Dei nomina extollunt regimen Monarchicum. ibid.
De neceſſariis prouidet Deus. 87,a
Dei ad benefaciendum propenſio. 51,b
Deus ipſe ſibi ſufficientiſſimus eſt, & bonorum noſtrorum non indiget. 238,a & b
Deus non obliniſcitur electorum ſuorum. 596,b
Deus humana ſalutis ſolliciтus. 50,1
Deus ſæpè contrariis mediis vtitur ad diuinitatis ſuæ oſtenſionem, & electorum ſuorum conſolationem. 29,b
Dei miſericordia & iuſtitia erga Iſraëlitas & peccatores. 37,b.39,b.218,a & b
Eius patientia adducit ad pœnitentiam. 218 b
Deus mutat ſententiam, ſi homines emendent delictum. 285,a
Humana natura ſe contemperat Deus. 86,a
Deus ſolet venerare dilectu ſuis ea quæ in terris pro gloria ſua vel hominum vtilitate operaturus eſt. 27,b
Deus in promiſſis ſuis fidelis eſt. 28,a
Quomodo voluerit Deus implere promiſſionem Abrahæ & ſemini eius factas, de dando illi Terra promiſſionis. ibid.& 29,a
Dei prouidentia per media completur. 712,a
Per ſcalam Iacob ſignificatur. ibid.
Dei prouidentia erga electos ſuos. 136,a & b
Deus ab omnibus Gentibus eſt laudandus. 209,a
Item, omnis lingua eſt laudantibus. ibid.& b
Sperandum in Dei bonitate, qui loco tepidorum & frigeſcentium Chriſti fidelium, feruidos & Chriſti æmulatores ſuſcitabit. 921,b

Delegatus.

Guardianus S. Montis Sion eſt Delegatus Papæ. 507,b
Quis Delegatus poſſit delegare, quis non. ibid.
Delegati Pontificis poteſtas & auctoritas. 184,b

Diabolus.

Diaboli conatus & oppugnationes contra Eccleſiam. 350,a
Aduerſitate primò adoritur Eccleſiam. ibid.
Secundò, proſperitate & voluptatibus. ibid.& b. 351,a & b. 352,b. 353,a
Diaboli cum malis hominibus ſunt fortiores Angelis. 717,b
Peccatores & mali homines ſunt equi diaboli. ibid.
Homo malus eſt peior diabolo. 343,b
Diaboli aſtutia in primorum parentum tentatione. 580,a
Sapientia Filij Dei in diabolo debellando. ibid.b
Diabolus eſt Leuiathan. ibid.
Diabolus Incarnationis myſterium impedire niſus fuit. 611,a
Magna Crucis virtus contra diabolum. 602,b
Diaboli in locis ſanctis Terræ ſanctæ eſſe perhorreſcunt. 854,a & b. 855,a
Feruidam orationem oderunt diaboli. ibid.b

Dibongad.

Dibongad trigeſimanona Iſraëlitarum manſio. 35,b

S. Didacus.

S. Didacus, laicus Ordinis Fratrum Minorum, infideles ad Chriſti fidem verbo atque exemplo perduxit. 790,a

Dies.

Annus ſæpè ſignificatur nomine diei. 267,b
Quid per dies ſignificetur in prophetia Ezechielis. 338,b. 339,a & b
Dies, nobilior temporis pars, aptioni animarum ſalutem procurandi dedicata eſt. 784,a

Diſcordia.

Diſcordia res maxima dilabuntur. 735,a
Inter duos diſcordes tertius gaudet. 153,a
Diſcordia Chriſtianorum profectus eſt infidelium. ibid.
Diſcordia emblema. ibid.
Diſcordia Chriſtianorum Principum eſt victoria infidelium. 728,a
Propter diſcordiam Chriſtianorum ſecta Mahometica fuit roborata & dilatata. 354,a & b
Diſcordia in Imperio Turcico inter ſubditos & Principes. 272,b. 273,a
Maiores ſunt rixæ & diſcordiæ inter Principes Chriſtianos. 273,a
Diſcordia Chriſtianorum minuitur, concordia verò amplatur & confortatur Turcarum Imperium. ibid.b.274,a

Diſcurſus.

Diſcurſus mulierum eſt periculoſus. 795,a & b
Dina ob diſcurſum corrupta eſt. ibid.b

Diſpenſatio.

Diſpenſatio & priuilegium quomodo differant. 429,a

Diſpenſatio quid ſit, & circa qua fiat. ibid.
Diſpenſatio quando valeat, quando non. ibid.& b
Quæ ſit iuſta cauſa diſpenſationis. ibid.b
Quot ſint legitimæ diſpenſandi cauſæ. ibid.
Pontifex non poteſt diſpenſare in illis quæ ſunt eſſentialia Religioſo. 189,b
Non poteſt diſpenſare Pontifex quòd Religioſus habeat proprium ſtrictè dictum in particulari. 191,a

Diuitiæ, Diuites.

Non diuitiæ, ſed cupiditas & abuſus noxia ſunt. 619,a
Multipliciter ſunt cauſa perditionis. 620,b
Inducunt ſollicitudinem & afflictionem corporalem. ibid. 621,a. 624.a & b
Sunt cauſa mortis corporalis. 621,a
Item, ſpiritualis & æterna. ibid. & b
Diuitiarum amor eſt totius ſpei certiſſimum venenum. ibid.b
Diuitiarum abundantia à Deo auertit. 348, b. 352,b
Diuitiæ ſunt venenum Eccleſiæ. 349,a & b. 352,b 353,a
Diuites luxui & vanitatibus alioquin indulgentes, facilè ſe excuſant ab eleëmoſynis & operibus pietatis. 882,a & b. 887,b
Diuites & pauperes quare ſint in mundo. 884, b
Diuites tenentur ex iuſtitia ſubuenire pauperibus. 885,a
Diuitiæ cur vocentur mammona iniquitatis. ibid.
Diuites per eleëmoſynas facillimè ſaluari, & magnam coronam ſibi comparare poſſunt. 888,b. 889,a
Diuites per eleëmoſynam celebres fiunt. 889,a & b
Ob diuitias comparandas multi peregrinantur. 833,b. 834,a
Propter diuitiarum copiam, quam Ieroſolymitani Chriſtiani in profanos ac ſacrilegos vſus profundebant, denuò ſunt, ac Terrâ ſanctâ expulſi. 204,a & b

Docere, Doctor.

Docere magis Epiſcopo conuenit. 777,a
Monachi munus eſt lugere, non docere. ibid.
Doctores maiori gloria non modo accidentali, ſed etiam eſſentiali donabuntur. ibid.
Doctores habent maius accidentale præmium, id eſt laureolam. 788,a
Docti plus faciunt exemplo quàm verbo. 790,a & b
Etiam indocti & ſeculares poſſunt ſalutis animarum intendere, & meritum Doctorum percipere. 785. & ſeqq.
Varia huius rei exempla referuntur. 790, a & b

S. Dominicus.

S. Dominicus cum Franciſco vnionem & concordiam ſeruare voluit, vt mundum ſimul conuerterent. 715,b

Dominium.

Duo ad verum dominium requiruntur. 191,a

Dubia.

In dubijs probatorum exemplum ſectandum. 918,a

E.

Ebremanus.

Ebremanus Balduinum I. Ieroſolymorum Regem contra Daibertum Patriarcham inſtigat. 138,b
Ebremanus Patriarcha intruditur legitimo adhuc viuente. ibid.
Deponitur. 139,a

Ebur.

Eboris natura & ſymbolum. 631,b

Eccleſia.

Quid nomine Eccleſiæ intelligatur. 519,a
Eccleſia Catholica quid ſit. 93,a
Anima & corpus Eccleſiæ quid ſit. ibid. b
Diuerſimode ad Eccleſiam Chriſtiani pertinent. ibid.
In Eccleſia datur quidam ordo vt in exercitu. ibid.
Terra ſancta eſt typus Eccleſiæ Catholicæ. 207,a
Quinam pertineant ad Eccleſiam. ibid.
Prima ſententia ait, omnes baptizatos ad illam pertinere. ibid.
Secunda dicit, ſolos baptizatos fideles ad eam pertinere. ibid.
Tertia ſententia media eligitur. ibid.b
Aliqui pertinent ad Eccleſiam actu, alij potentia; & qui ſint illi. ibid.
Perpetuitas, & numquam interrupta duratio, eſt propria nota Eccleſiæ Catholicæ. 255 a
Eccleſia Catholica monti Sion cur comparetur. 256,a
Eccleſia per arcam Noë ſignificatur. ibid.
Eccleſia vinea nomine ſignificatur. 4,a
Eccleſia perfecta pulchritudo deſcribitur. 302,a & b. 303,a & b
Comparatur Ieroſolymæ & Therſæ ciuitatibus. 302,a & b
Eccleſia Chriſto ſimilis eſt. 305,b
Eccleſiæ magna fecunditas. 302,b. 303,a & b
Eccleſia ex latere Chriſti formata eſt. 303,a
Ex Chriſti præſentia decorem accipit. ibid.b
Magnum gaudium accipiet ex conuertendorum multitudine. 304,a
Item, ex victoria de Antichriſto. ibid.b
Quomodo Eccleſia à Chriſto pulchra ſit reddita. 311,b. 312, a & b
Capilli, ſeu crines Chriſti, ſunt fideles & Eccleſia. 312,a
Eccleſia eſt veſtis Chriſti. 311,b. 312,b. 608,a
Chriſtus obſequio Eccleſiæ totus impenſus eſt. 608,b
Eccleſia cur vocetur vxor. 797,a
Quare Eccleſia noſtra dicatur militans. 345,a. 713,a
Cur dicatur Eccleſia dealbata. 312,a & b
Eccleſia peccatis maculatur, & hæreſibus ſcinditur, extrinſecè ſcilicet; quia alij ab ea ſcinduntur. ibid.b. 313,a
Eccleſia Synagogâ maior. 55,a
Eccleſia ex variis hominum ſtatibus ordinatè componitur. 794,a & b
Eccleſia Catholica auctoritas maxima eſt. 851,a & b
Eccleſiæ particularis etiam magna eſt auctoritas. ibid. b
Chriſtus poteſtatem ſuam ſpiritualem & temporalem reliquit Eccleſiæ. 678,a
Spiritualis poteſtas in Eccleſia laicam præcellit. ibid.
Miniſtrorum Dei duplex finis, communis & particularis. ibid.b
Eccleſia in Principibus ſingulariter reſidet. 679,a
Deum precari ſolet ea qua Eccleſia ſunt euentura mala & bona. 225,a & b
Eccleſiæ pœnitentia deſcribitur. 288,b
Eccleſiæ depranatus ſtatus tempore Antichriſti. 289,b
Eccleſia flagellis emendatur, ibid.
Eccleſia Chriſto per tribulationes ſimilis eſt. 290,a

Chriſtus ſemper Eccleſiam adiuuabit. ibid.
Eccleſia in tentationibus & perſecutionibus Chriſto aſſimilatur. 344,a & b. 345,b
Voluptates maius inferunt damnum Eccleſiæ quàm hoſtes. 345,b. 348,b
Pauci fideles erunt in Eccleſia tempore proxime antecedente aduentum Chriſti ad iudicium. 346,b. 347,a & b
Eccleſia mortuo Antichriſto reſpirabit. 291,b. 292,a & b. 299 b. 300,a
Quanto tempore duratura ſit Eccleſia ab interitu Antichriſti vſque ad ſæculi conſummationem. 337,b
Prima ſententia quadraginta quinque dies ſtatuit. ibid.
Secunda, ſeptem menſes vel annos. ibid.
Tertia ſententia ait incertum eſſe illius durationis tempus. 338,a & b
Probabile eſt, ſeptem circiter annis duraturam. 340,b. 341, a & b
Eccleſia comparatur Arcæ Noe. 342,a
Bonorum & malorum pelagus pia mater eſt. ibid.
In quo ſtatu futura ſit, quando Dominus ad iudicium veniet. ibid. b. & ſeqq.
Prima ſententia ait futuram in bono ſtatu. 342,b
Secunda in malo ſtatu futuram aſſerit. ibid.
Hæc ſententia ex triplici capite probatur à 342,b vſque ad finem Libri primi.
Eccleſiæ tentatio triplex deſcribitur. 344,a
Prima Tyrannorum. ibid.
Secunda diaboli per hæreticos, &c. ibid.b
Tertia, & maxima, domeſticorum. 345,a
Perſecutionibus Eccleſia creuit. 344,a
Diuitiæ ſunt venenum Eccleſiæ. 349,a
Aduerſitate primò aderitur Eccleſiam diabolus. 350,a
Secundò, proſperitate. ibid.
Qua forma regiminis futura ſit in Eccleſia poſt Antichriſti interitum. 330,b. & ſeqq.
Monarchicum mixtum regimen ſuis Eccleſiæ à Deo præſcriptum. 333,b
Regimine Monarchico regetur Eccleſia poſt Antichriſtum ab ipſo Chriſto. ibid. & 334,a & b
Mixtum tamen erit regimen illud Monarchicum ex Ariſtocratico & Democratico. 335,a & b
Magna dignitas & auctoritas Miniſtrorum Eccleſiæ. 334,b. 335,a
Quis modus electionis Prælatorum futurus ſit in Eccleſia poſt Antichriſtum. 336,b
Eccleſia dicitur vidua; & quare. 337,a
Facta eſt charitatis & fidei diuiſio in Eccleſia propter Chriſtianorum ſocordiam & alia peccata. 283,a. 284,b
Etiam vaſa ſacra Eccleſiæ confringenda ſunt pro captiuorum redemptione & pauperum ſubuentione. 706,a & b 707,a
Vide ſub titulo Miſſa, Benedictio, Conſecratio.

Eccleſiaſtici.

Magna dignitas Eccleſiaſticorum & auctoritas. 334,b
Eccleſiaſticorum munus quod ſit. 679,b. 680,a & b. 683,b. 684,a & b
Eccleſiaſticis quando poſſint & quando non poſſint imponi grauamina pro gerendo bello. 704,b. 705,a & b. 706,a & b. 707, a & b
Vide ſub titulo Eccleſia, Sacerdotes, Prælati.

Edeſſa.

Edeſſa capitur, & Chriſtiani occiduntur. 750,b. 751,a.

Edom.

Rex Edom Iſraëlitis tranſitum per ſuam regionem negat. 34,b

Eleazar.

Eleazar ſuccedit Aaroni. 34,b

Electi, Reprobi

Electi in ſtellis, reprobi in arena præfigurati. 86,b
Dei in electos miſericordia. 322,b
Electorum vocatio. 323,a
Electorum ſuorum Deus non obliniſcitur. 596,b. 597,a
Electis omnia cooperantur in bonum. 328,b
Electis Deus reſeruat cæleſtia & cæleſtem Ieruſalem. 234,a. 235,b
Electi non debent ſe immiſcere terrenis. 236,a

Electrum.

Chriſtus electro comparatur. 856,b

Eleëmoſyna.

Eleëmoſyna eſt ars omnium artium quæſtuoſiſſima. 884,b. 888,a
Eleëmoſynarius quantum lucretur. 888,a & b
Per eleemoſynas diuites facilem aditum habent ad cælum. ibid.b.884,b
Daniel quare Nabuchodonoſori eleëmoſynam conſuluerit. ibid. & 889,a
Virtute eleëmoſynæ impletur conſilium de ſemper orando. 889,a
Eleëmoſyna facit hominem celebrem. ibid. & b
Inuidi honoris eleëmoſynas diſſuadent. 890,a
Quintuplici ratione S. Paulus ſuadet eleëmoſynam pro pauperibus Ieroſolymitanis. ibid. b. 891,a
Ex iuſtitia tenentur fideles, maximè Principes & Reges, per eleëmoſynas ſubuenire Terræ ſanctæ. 884, b. & ſeqq.
Item ex pietate. 886,b. & ſeqq.
Eleëmoſyna dicitur iuſtitia; & quare. 885,a
Pauper eleëmoſynæ dominus appellatur. ibid.
Diuites tenentur ex iuſtitia eleëmoſynam dare pauperibus. ibid.
Eleëmoſynæ prudenter ſunt diſtribuendæ. ibid.b
De ſuo oportet largiri eleëmoſynam. 815,a
Iuſtitia pro eleëmoſyna gratuita deferenda non eſt. 877,a
Phocionis Athenienſis de hac re laudabilis reſponſio. ibid.
Eleëmoſynam dantibus Deus bona multiplicat. ibid.b 878, a
Dei ſeruus in eleëmoſynis præferendi ſunt. ibid.
Pauper qui dat eleëmoſynam magis commendatur. 878,a
Pium eſt per eleëmoſynas quibuſuis Eccleſiis & pauperibus ſubuenire. 887, a & b
Eleëmoſynæ virtus. 888,a & b. 889,a
Guardianus S. Montis Sion poteſt mittere Fratres pro eleëmoſynis ad partes fidelium & infidelium. 477,b
An Fratres miſſi pro eleëmoſynis à Præſide Montis Sion, ab aliquo Epiſcopo vel Ordinis Prælato impediri poſſint. 478,a & b. 479,a & b. 480,a.
Eleëmoſynæ pro locis ſanctis non poſſunt expendi in alios vſus. 481,a
Satisfit obiectionibus in contrarium. ibid. & ſeqq.
Eleëmoſynæ indifferenter oblatæ poſſunt inſumi à Miniſtro Generali in aliorum ſubſidium, non tamen à Guardiano Montis Sion. 483,a & b
Poteſt Guardianus Montis Sion eleëmoſynas locis ſanctis oblatas diſpenſare pro Fratribus ſibi ſubiectis etiam extra Terram ſanctam exiſtentibus,

Digitized by Google

bus, modò expreſſè non conſtet de oppoſita dantium intentione: quæ doctrina exemplo illuſtratur. ibid.b
Nemini licet eleëmoſynas Terræ ſanctæ in alios vſus convertere propter auctoritatem Apoſtolicam. 484,a
Argumenta proponuntur, quibus contenditur non eſſe mittendas eleemoſynas in ſubſidium locorum Terræ ſanctæ. 873,a & b
Solvuntur. 875,b. 876,a & b.& ſeqq.
Eleëmoſyna piorum pro locis ſanctis. 874,a & b
Conſuetudo colligendi eleëmoſynas pro fidelibus Ieroſolymitanis. ibid.b
Calumnia in miniſtros eleëmoſynarum Terræ ſanctæ. 881,b
Liberantur à calumnia. 881,a & b
Divites luxui & voluptatibus indulgentes facilè excuſant ſe à dandis eleëmoſynis. ibid.& 887,b
Ex defectu pietatis fidelium erga pauperes infideles ſcandaliZantur. 887,b
Veteres fideles olim Ieroſolymis eleëmoſynis ſuſtentabantur. 188,b
Vaſa ſacra confringenda dicit S. Ambroſius pro captivorum redemptione, & pauperum ſubuentione. 706,a & b.707,a
Sacri Montis Sion Guardianus & ejus ſubjecti Fratres poſſunt licitè recipere, deferre in itinere, atque expendere eleëmoſynas pecuniarias ſibi à piis fidelibus erogatas, tum pro ſanctorum locorum conſervatione, tum pro ipſiſmet ſuſtentandis. 909,a
Quartà pars eleëmoſynarum, quæ pro conſervandis & gubernandis Terræ ſanctæ locis ſuperſunt, poteſt eidem Guardiano & Fratribus deſervire pro emendis ſanctuariis quæ in Terra ſancta elaborantur. ibid.& 910,a. 911,b
Num Commiſſarij deputati pro colligendis ſanctorum locorum eleëmoſynis in Chriſtianitate, vel alij Fratres, poſſint inculpatè deferre pecunias Ieroſolymam, & illis in itinere vti? 911,a
Guardianus Terræ ſanctæ, vt ſuperfluentes eleëmoſynas in emendis ſanctuariis, iuuandis peregrinis, piis viris, pauperibus, expendere, nec non miniſtris in ſacra Congregatione de propaganda fide miſſis ſubuenire poſſint conceditur, & non in alium vſum. ibid.b
Quid intelligendum per pecunias & eleëmoſynas ſufficientes & neceſſarias, quibus locorum ſanctorum & Fratrum in eis habitantium inopia ſublevatur, & quid per ſuperabundantes. 912,a
Quæ Vrbani VIII. Pontificis mens quantum ad eleëmoſynas & ſubſidia Terræ ſanctæ. 914,a
Quid per quartam partem eleëmoſynarum in ſanctuariis emendis, &c. expendendarum intelligat ſummus Pontifex Vrbanus VIII. ibid.b
Quænam eleëmoſyna vel alia res in Terra ſancta ſuperflua. ibid.
Eleëmoſyna aliæ pro ſanctis locis, aliæ pro Fratribus elarginntur. ibid.
An quartæ partis nomine intelligatur tota ipſa eleëmoſyna. 915,a
Nomine quartæ partis intelligitur ſuperabundans. ibid.b
Num Fratres Minores Terræ ſanctæ teneantur ſub præcepto quartam partem ſuperfluentium Terræ ſanctæ eleëmoſynarum in pios vſus expendere. 915,b. 916,a
Quid faciunt Fratres de ſuperfluis eleëmoſynis, poſtquam locis ſanctis & Fratribus promiſſum, & piis rebus ſatis operis fuerit impenſum, & adhuc alia ſupererunt? 916,a & b
Quarum eleëmoſynarum Fratrum Papa dominium excipiat. ibid.b
De ſuperfluis eleëmoſynis & locorum ſanctorum ſtatu Pontifex admonendus. 917,b
Olim abundantes offerebantur eleëmoſynæ pro ſanctis locis. 921,a
Si omnes eleëmoſynæ Terræ ſanctæ ſubſidio deſtinatæ integræ ad eam pervenirent, etiammum ſuperabundantes fortaſſe invenirentur. ibid.b
Summi Pontificis & ſacræ Cardinalium Congregationis prudentiſſima ſanctio quoad quartam ſuperabundantem eleëmoſynarum partem. ibid.
An ſi quis ex quæſitis vel relictis pro ſanctis locis eleëmoſynis aliquid expenderet in alios vſus, quàm in Terræ ſanctæ commodum, incurreret pœnas in Paulina Bulla contentas? 922,a
In Terra ſancta communiter non fit diſtinctio inter eleëmoſynas locis ſanctis & Fratribus elargitas. 924,b
Eleëmoſyna quæ pro concionibus & aliis piis operibus vel ex pietate dantur Fratribus, in ſanctorum locorum commodum convertuntur. ibid.

Elephas.

Elephas eſt purum animal, & fortiſſimum. 631,b

Elias.

Quare Elias petierit à vidua, vt priùs ſibi quàm filio faceret ſubcinericium panem. 877,b

Elim.

Elim ſexta Iſraëlitarum manſio. 32,a

Eloquentia.

Eloquentia virtus magna. 721,a & b
In exercitu multum valet eloquentia ad milites animandos. ibid.
Moyſes quare eloquentia defectu venerit ire ad Pharaonem. ibid.b
Minerva dea eloquentiæ cur armata depicta fuerit. ibid.

Emath.

Emath & Dan termini Terræ ſanctæ in eodem tractu Aquilonari. 64,a
Emath & introitus Emath quid ſit. 62,b
Emath duplex, magna & parva. ibid.
Triplex adhuc Emath. ibid.
Quænam ex his aſſignanda pro termino Terræ ſanctæ. ibid. & 63,a
Eſt terminus eius Aquilonaris. 63,b

Enoch.

Enoch & Eliæ adventus, miranda prædicatio, martyrium, & reſurrectio. 330,a

Epiikia.

Epiikæ neceſſitas, & eius ſignificatio. 922,b
Finis communis legis & Epiikiæ. 923,a
Epiikia deſcriptio, ibid.
Epiikiæ exemplum. ibid.
Etiammum loca ſancta ſecundùm Epiikiam gubernantur. ibid.b

Epiſcopus.

Status Epiſcopalis præfertur cuilibet ſtatui Religioſorum. 196,a
Quæ ſunt iuris Eccleſiaſtici, etſi propria Epiſcopi, poſſunt à ſummo Pontifice ſimplici Sacerdoti committi. 526,b
Docere magis Epiſcopo convenit. 777,a
Vide Prælati.

Equeſtris Ordo, Equites ſacri.

Sicut in Chriſtiano orbe fuerunt & ſunt Equites ſacri, ita & in Terra ſancta. 550,b. 551,a.

Equites ſacri equitatui Salomonis comparantur. 551, b
Duo Equitum genera in commonni; quorum alij ſacri, alij non ſacri dicuntur. 552,a
Non ſacri qui ſint. ibid.
Qui ſacri. ibid.
Sacri Equites in tripici ordine ſunt. ibid.
Equites Torquati qui dicantur, & vnde. ibid.
Equites ſacri & militares quare dicti. ibid. & b
Equeſtres Ordines meritò ſunt in Terra ſancta. ibid. b
Ordinum Equeſtrium Terræ ſanctæ typus fuerunt duodecim Patriarchæ. 553,a
Item, duodecim tituli à Moyſe erecti. ibid.
Item, duodecim ſpeculatores miſſi à Moyſe ad explorandum Terram ſanctam. ibid. b
Ordines Equeſtres Terræ ſanctæ ſunt duodecim; quorum nomina recenſentur. ibid.
Triplex Equitum Ordo, Torquis, Crucis & Calcaris, ſive Ordine di Collana, di Croce, o di Sprone. 673,b
Ordo Crucis cur in medio horum trium poſitus, ſit. 674,b
Quando Equites ſacri debeant ire ad bellum. ibid.

Equites S. Blaſij martyris.

Quales, quando, & à quo inſtituti fuerint Equites S. Blaſij. 663,b

Equites S. Catharinæ.

Equites S. Catharinæ de monte Sinai quando, à quo, qua occaſione, & quomodo fuerint inſtituti. 663, b. 664, a

Equites S. Gereonis martyris.

Equites S. Gereonis quando, à quo, & qualiter inſtituti fuerint. 663, a

Equites Hoſpitalariorum ſancti Ioannis Ieroſolymitani.

Equites Hoſpitalariorum S. Ioannis Ieroſolymitani poſtea Rhodij dicti, nunc Melitenſes vocantur. 656, a
Vnde & quando originem ſuam ſumpſerint. ibid. & b
Eorum leges & ſtatuta. ibid.
Cærimoniæ quæ adhibentur in eorum inauguratione ſeu inſtitutione. 657, a & b

Equites S. Ioannis Aconenſis.

Ratio nominis huius Ordinis Equeſtris. 662, b
Eiuſdem inſtitutio, progreſſus, & interitus. ibid.

Equites Melitenſes.

Equites Melitenſes an ſint Religioſi. 665, b. & ſeqq.
Vide ſub titulo Equites Hoſpitalariorum ſanctæ Ioannis.

Equites Montis-gaudij.

Equites Montis-gaudy, alio nomine de Monfrac & de Mongoia *dicti ſunt.* 661, b
Eorum ortus, progreſſus, ratio vivendi, interitus, &c. ibid. & 662, a

Equites Pœnitentiæ ſanctorum Martyrum.

Quales fuerint Equites Pœnitentiæ ſanctorum Martyrum. 663, b

Equites ſancti Sepulchri.

Ordo ſancti Sepulchri eſt ab aliis Ordinibus diſtinctus. 554, a
Miræus aſſignat duplicem Ordinem ſancti Sepulchri. ibid.
De origine huius Ordinis variæ ſententiæ; & quomodo conciliantur. ibid. b
Prima opinio aſſerit fuiſſe inſtitutum à ſancto Iacobo. ibid.
Et hac approbatur. 556, b
Secunda aſſerit inſtitutum à Conſtantino Magno. 555, a
Tertia dicit inſtitutum à Godefredo Bullonio, vel à Balduino I. eius fratre, vel etiam à Ludouico ſancto Galliæ Rege. ibid. b, 556, a
Antiquitas Ordinis ſancti Sepulchri probatur. ibid. b
De ſtemmatibus gentilitiis Equitum ſancti Sepulchri tres ſunt ſententiæ. ibid. & 557, a
Prima ait eſſe H. litteram cum I. interſecante. 556, b
Secunda ait eſſe Crucem quadruplicatam. 557, a
Tertia opinio aliter deſcribit. ibid. & ſeqq.
Stemmata Equitum ſancti Sepulchri & Regum ſanctæ Ciuitatis in aliquibus conueniunt, in aliquibus diſconueniunt. 557, a & b
Teſtimoniales litteræ eorum. 558, a
Antiquitas ſtemmatum Equitum ſancti Sepulchri ex variis nummis probatur; quorum forma deſcribitur. ibid. b. 559, a & b
Quomodo Equites ſancti Sepulchri ſua inſignia ſolliciti fuerint deferre. 560, a
Præfectus eorum eſt Patriarcha Ieroſolymitanus; & quare. ibid. & b
Sigilli forma & materia Equitum ſancti Sepulchri. ibid. b
Fuerunt Religioſi ſectantes Regulam S. Auguſtini. ibid. a & b
Poſſunt dici Hoſpitalarij ſancti Sepulchri. 561, a
Equitum ſancti Sepulchri ſtemmata ſingularia ſunt & priuilegiata præ ceteris. ibid. b
In ſtemmatibus illis varia continentur myſteria. ibid.
Quid Cruces in memoratis ſtemmatibus portendant. 562, a & b. 563, a & b
Quid Crucium pluralitas ſignificet. 564, a & b. 566, a & b
Significatio diſpoſitionis quinque Crucium in prædictis ſtemmatibus. 564, b. 565, a & b, 567, a. 570, a & b
Equites ſancti Sepulchri exteriùs & interiùs ferre debent cruces pictas; & quales illæ ſint. 566, b. 570, b
In ſtemmatibus Equitum Crucium inæqualitas quoad magnitudinem quid ſignificet. 567, b
Patrocinium Chriſti erga Equites ſancti Sepulchri. 570, b
Figura omnis Crucis ſplendet in ſtemmatibus Equitum ſancti Sepulchri. 574, a
Crucium triangularium in ſtemmatibus prædictis myſteria explicantur. 574. & ſeqq.
Item, Crucis quadrangularis myſteria enucleantur. 591. & ſeqq.
Quid ſignificent Cruces rubræ in ſtemmatibus Equitum S. Sepulchri. 625, a & b. & ſeqq.
Equites ſancti Sepulchri ſunt cælo exercitus. 628, b
Crucibus rubris vtuntur ob feruorem charitatis. ibid.
Rubræ Cruces omnibus ſalutem portendunt. 629, a
Equeſtris Ordo ſancti Sepulchri in veteri & nouo Teſtamento præfiguratus eſt. 631, a & b
Equites ſancti Sepulchri per leuiculos throni Salomonis deſignantur. 632, b. 633, a
Item, in equo albo Apocalypſeos ſignificantur. 633, a
Militat Chriſtus in Equitibus ſancti Sepulchri. ibid.
Defectio Equeſtrium Ordinum ex Chriſtianorum diſcordia. ibid. b.
Ordo S. Sepulchri vnitus eſt cum Melitenſi. ibid. & 634, a

Ma-

Matrimonium conceditur illis Equitibus. ibid.b
Præfectus Terræ ſanctæ inſtituit Equites auctoritate Romani Pontificis. ibid.
Rex Catholicus eligitur huius Ordinis ſupremus moderator; ſed electioni obſtitit ſupremus Magiſter Melitenſium. ibid.
Varij euentus circa Ordinem S. Sepulchri. ibid.
Diploma, quo Philippo II. Hiſpaniarum Regi eiuſque ſucceſſoribus ſumma adminiſtratio Ordinis ſanctiſ Sepulchri ab Equitibus Ieroſolymitanis deferebatur. 635,a & b. 636,a & b. 637,a & b. 638,a & b
Guardianus Montis Sion poteſt inſtituere Equites S. Sepulchri. 487,a
Vetus conſuetudo inſtituendi Equites S. Sepulchri. ibid. & b
Modus perficiendi ſeu ordinandi militem S. Sepulchri. 638,b. 639,a & b
Statuta & leges à Carolo Magno Imperatore, Ludouico VI. Philippo Sapiente, Ludouico ſancto, Godefredo Bullonio, ſummis Ordinis Equeſtris ſanctiſ Sepulchri Principibus ac Magiſtris latæ, quæ etiam nunc in Archiuis eiuſdem Ordinis Ieroſolymis obſeruantur. 640, b. vſque ad 646
Equitum ſancti Sepulchri triplex ſtatus conſideratur. 665,b
Sunt ſimpliciter & propriè Religioſi. 666,a
Equites S. Sepulchri tertij ſtatus vxores ducentes non ſunt per ſe Religioſi. 667,a
Præſentes ſanctiſ Sepulchri Equites poſſunt habere vxores & proprium. ibid.b
Sunt Religioſi ſecundum quid, & militares. 668, a & b. 669, b
Manifeſtum eſt, eos non vouere expreſsè tria vota & Regulam approbatam; non eſt verò manifeſtum, an implicitè promittant. 668, b
Obligantur iuramento. 669,a
Profitentur D. Auguſtini Regulam ſuo ſtatui accommodatam. ibid.
Probabiliter eorum profeſſio aſſimilatur profeſſioni Equitum S. Stephani. ibid.b
Ordo S. Sepulchri ceteros omnes præcelit. 670, b. 671, a & b. 672, a & b
Duo gladij Equitum S. Sepulchri; vnus ſpiritualis, alter materialis. 671,b
Equites S. Sepulchri per ſexaginta fortes lectulum Salomonis ambientes ſignificantur. ibid. a. 672, a & b
Opportunum his Equitibus eſt matrimonium. 673,a
Argumenta contra præcellentiam Equitum ſanctiſ Sepulchri diluuntur. ibid. b. 674,a & b
Quando debeant ire ad bellum. 674 b
Cur Ordo S. Sepulchri non æſtimetur. 675,a
Humilis deprecatio ad Chriſtianos Principes pro dignißimi ſacri Equeſtris Ordinis ſanctiſ Sepulchri inſtauratione. ibid. & b
Cautitia & calumniæ in inſtitutos & inſtituentes Equites S. Sepulchri. 646,a
Prima calumnia eſt, inſtituendorum ignobilitas & negligentia Guardiani. ibid.
Secunda, eiuſdem auaritia. ibid.
Tertia, infidelitas referentium gratias Equitum. ibid. & b
Calumniæ reiiciuntur, & difficultates ſoluuntur. ibid. b. & ſeqq.
Sufficientes facultates in omni Equite requiruntur. 648, b
Interrogationes fieri ſolitæ ab inaugurandis Ordinis S. Sepulchri. 649,a
Honeſta mercatura licita & proficua eſt Equitibus S. Sepulchri. ibid.
Multum tribuit ſuis Equitibus Ordo S. Sepulchri. ibid.
Exigere pecunias ab Equitibus S. Sepulchri, antiquum eſt. 650,b
Teſtimoniales litteræ F. Bonifacij Ragnſei; quibus oſtenditur, Equites S. Sepulchri fuiſſe a pijs Principibus variis gratijs ac priuilegijs condecorates. 651, b. 652,a
Priuilegia Equitum S. Sepulchri. 652,a
Nonem calumniæ cuiuſdam Lutherani contra Ordinem S. Sepulchri referuntur, & confutantur. 652, b. 653, a & b. 654, a & b. 655, a & b

Equites Templarij.

Ortus, progreſſus, vita, mores, interitus Equitum Templariorum deſcribitur. 658, a & b

Equites Teutonici.

Equites Teutonici Hoſpitalis S. Mariæ in Ieruſalem, alio nomine Crucigeri & Mariani dicti ſunt. 658, b. 661,a
Illorum origo, ratio viuendi, priuilegia, &c. 661,a

Equites S. Thomæ martyris.

Equites S. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi à quo inſtituti, quando, & quomodo. 663, a

Equus.

Equus ſymbolum ſuperbiæ. 131,a
Item luxuriæ. ibid.
Equo pallido Apocalypſeos comparantur Mahometani ob eorum ſuperbiam & luxuriam. ibid.
Mali homines ſunt equi diaboli. 717,b

Eſau.

Quomodo Eſau fratri ſuo Iacob inſeruierit. 25, b

Ethan.

Ethan tertia manſio Iſraelitarum. 31,b

Eua.

Quare fuerit formata Eua ex coſta, & non ex capite vel pedibus. 316,b

Euangeliſtæ.

Diſcrimen inter Euangeliſtas & alios Eccleſiæ Præſules quoad rationem ſcribendi myſteria Chriſtianæ Religionis. 858,b. 859,a & b

Euangelium.

Euangelica lex eſt cordibus hominum inſcripta. 853, a

Euchariſtia.

Euchariſtia virtus. 724,a & b
Milites Chriſtiani contra hoſtem proceſſuri S. Euchariſtiam ſumant. ibid.a
Virtute Euchariſtiæ Dauid Goliam denicit. ibid.
Calculus candidus Apocalypſeos ſignificat Euchariſtiam. ibid.b
Vnde Eccleſia in conſecratione calicis, qua eſt. Hic eſt enim calix Sanguinis mei noui & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, *hæc verba*, æterni, & myſterium fidei, *ſumpſerit.* 255, b. 256,a
Euchariſtiam in cœna Domini confectam maioris eſſe virtutis dicunt Græci. 107,a
Item, docent formam conſecrationis non conſiſtere in præciſis Domini verbis. ibid.b
Euchariſtiæ proprius miniſter eſt Sacerdos. 504,b

Eugenius.

Eugenius III. litteras mittit ad Ludouicum Francorum Regem pro expeditione contra Saracenos: item ad alios Principes, gratias & Indulgentias eis concedens. Indicit bellum & Cruciatam contra Paganos pro defenſione Terræ ſanctæ Ieruſalem, cum Indulgentiarum & priuilegiorum pro Crucefignatis conceſſione. 364, b. 365, a & b

Laborat pro subsidio Terræ sanctæ. 751,a
Eugenius IV. concedit Fratribus Minoribus inter infideles habitantibus, quòd bona tam mobilia quàm immobilia per Apostolicos Syndicos administranda retinere possint. 414,b. 415,a & b
Multa concedit priuilegia Minoritis pro Sacramentorum administratione, & præsertim Pœnitentiæ, quòd possint cum infidelibus inculpatè conuersari, & inter eosdem nona loca capere; quodque gaudeant iisdem gratiis, quibus alij Ordinis Religiosi. Largientibus centesimam partem bonorum pro captiuorum redemptione, vel aliis pijs operibus, facultatem imperitur eligendi Confessarium qui de omnibus absoluat, & plenariam consequantur Indulgentiam. Quòd possint Prædicatores absque Prælatorum licentia, etsi non in illorum Ecclesijs, alibi tamen publicè proponere verbum Dei, & iis qui eidem domi interfunt, pro singulis vicibus annum Indulgentiarum applicare: quodque ex regularium statutorum transgressione peccatum mortale haud incurrant. 415,b. 416,a & b. 417,a
Concedit Minoritis Terræ sanctæ Indulgentiam plenariam, quam sine actuali confessione sola contritione promereri possunt. 456,b
Magnas Indulgentias concedit illis qui centesimam partem bonorum suorum locis sanctis, & pro captiuorum liberatione largiuntur. 458,a
Item, illis qui interfunt Prædicationibus Fratrum Minorum in locis infidelium. ibid.b
Eugenij IV. Pontificis sollicitudo pro regni Christi dilatatione, animique angustia pro occupatis Regnis Christianorum à Turca, & alia occupare anhelante, indicantur; quomodoque studuerit per Legatum, vt Poloniæ Rex, Hungariæ Principes, Barones, & alij in Turcam arma conuerterent pro Christianorum liberatione à tyrannico iugo; & ex legatione fructus, quomodo extructo exercitu Turcam impedierit, ne in Europam suas extenderet vires: sanctia in fideles, abominanda in sanctis locis & ipso sanctissimo Christi Sepulchro patrata, aliaque tentata damna per Babylonia Soldanum in proxima Regna Pontificis, item diligentia vt præmissis & alijs malis occurreret, memorantur. Ad eleemosynas colligendas pro classe instruenda, Fratrem Iacobum de Primaditis alioque Minores mittit, & commendat. 902, a & b. 903,a

Euphrates.

Euphrates qualis fluuius. 60,b
Ex terrestri paradiso oritur. ibid.
Quare dictus sit Magnus. 61,a
Est terminus Aquilonaris & Orientalis Terræ sanctæ. ibid.

Excommunicatus.

Fratres Minores Terræ sanctæ possunt cum excommunicatis in partibus infidelium communicare. 530,a
Item, possunt, existente legitima causa, illos permittere interesse suis Officijs. ibid. & 531, b
Participatio cum excommunicatis quadruplex. 530, b
Iure antiquo interdictum est conuersari cum omnibus excommunicatis. 532,a
Iure nouo tantùm est interdicta conuersatio cum excommunicatis nominatim denuntiatis & notoriis clericorum percussoribus. ibid.
Quænam sint, quæ illicitam & licitam faciunt conuersationem cum excommunicatis. 532,b. 533,a
Quomodo excommunicati sint absoluendi; & quid facere debeant. 505,b. 506,a

Exempla.

Exempla sunt efficaciora verbis. 749,b. 750,a. 753,a
Eximiorum virorum exempla proponuntur, vt alij ad similia excitentur. 881,a & b
Exempla Sanctorum non sunt semper ab omnibus imitanda. 804,b. 805,a & b
Bonis exemplis suis possunt laici & seculares ac illiterati peccatores & infideles conuertere. 789,b. 790,a & b
Efficatiùs exempla quàm verba conuertunt. 790, a & b

Exercitia spiritualia.

Exercitia spiritualia sine Iesu non sunt suscipienda. 2, a & b

Exercitus.

Milites in exercitu à peccatis abstinere debent. 718,a
Vnius peccatum toti exercitui obest. 719,a. 727,b. 728,a
Ab omni impuritate, superbia & auaritia cauendum est. 719,a & b. 720,a & b
An licitum sit in exercitu permittere meretrices. 720, b. 721, a & b
Abusus exercituum Christianorum. 721,a
Sint in exercitu Christiano probi & eruditi Oratores, vt milites animentur. 722,a & b. 723, a & b
Defectus Oratorum exercitui noxius est. 723,b
Milites & Duces exercitus Christiani confiteantur & communicent antequam cum hoste confligant. 724,a & b
Vexillo Crucis interius & exterius assumpto, milites Christiani ad bellum procedant. ibid. b. 725,a
Custodiatur pax & concordia inter Duces & milites exercitus. 725,a & b
Quare exercitus Christianus sæpè expugnetur, cùm tempore belli seminetur, oretur, &c. 726, a & b. 727,a & b
Christianorum Principum discordia in exercitu est victoria infidelium. 728,a
Christiani Principes non tenentur ante exercitus instructionem hostem præmonere, aut satisfactionem iustam exigere. ibid.b. 729,a
Instructo autem exercitu, priusquam hostem aggrediantur, debent ab hoste exposcere iustam satisfactionem: quam si exhibeat, ab vlteriori bello abstineant; si non, continuò arma inferant. 729, a & b. 731,a
Non æque gloriandum est ante victoriam vt post. 729,b
Perseuerantia militibus in exercitu necessaria est. ibid & 730,a & b
Impatientia Christianorum in exercitu est victoria infidelium. 730,a
In exercitu Christiano hostis contemnendus est. ibid. b
Quid agendum sit in exercitu Christiano à militibus post obtentam de hostibus victoriam, & Terram sanctam acquisitam. 731,b & seqq.

Expensæ.

Vnde minores & maiores expensa in Terra sancta procedant. 914,a

Extrema Vnctio.

Extremæ Vnctionis minister est Parochus. 505,a

F. Fal-

Digitized by Google

F.

Falſum.

Senſui & intellectui poteſt ſubeſſe falſum, non tamen fidei. 845,b.846,a

Femina.

Cur femina non ſit producta ex humo, ſed ex viro. 332,b

Ferdinandus.

Ferdinandi Medices pium conſilium. 690,b

Feſta.

Indei diuerſa habuerunt feſta pro diuerſis beneficiis. 756,a

Fidelis.

Fidelis eſt Deus in promiſſis ſuis. 28,a

Fideles ſunt domeſtici, imò Filij Dei, infideles verò ſunt velut canes in domo Dei. 245,a

Pauci fideles erunt in aduentu Chriſti ad iudicium. 346,b

Fidelium virtus in Antichriſti perſecutione deſcribitur. 352,a

Quemodo iuſti & fideles regent impios. ibid.

Fides.

Fides quare cordi tribuatur. 845,a

Aſſenſu fidei reuelata credimus ea quæ explicite vel implicitè in ſacra Scriptura ponuntur. ibid. & b

Fides falſum ſubeſſe nequit. ibid.b.846,a

Fides noſtra quomodo dicatur eſſe de indiuiduis vagis. 846,b

Ad fidem ſpectantia quæ ſint. ibid.& 847,a&b

Quæ fide & quo aſſenſu credere debeamus ea quæ de locis ſanctis in hoc Opere dicuntur. 844, a & b. & ſeqq.

Qualis fides ſit adhibenda traditionibus. 850,a & b

Fidei confeſſio etiam ore facta in caſu neceſſaria eſt ad ſalutem. 510,b

Profeſſio fidei facienda à Prælatis Græcorum & Armenorum in reconciliatione cum Eccleſiâ Catholicâ. 511,a

Fides eſt donum ſupernaturale. 327,a

Fides vilia facit pretioſa. 792,a

Deficiente fide deficit charitas. 844,a

Deficiente charitate periclitatur fides. 99,a

Fidei multiplex acceptio. 347,a

Fide omnia reuelata ſunt credenda. ibid.

Græci, Armeni, &c. non omnia reuelata credunt. ibid.

Quomodo illicitum & licitum ſit Clericis & ſæcularibus de rebus fidei tractare cum infidelibus. 531, a & b

Filij.

Probi filij ſunt corona & gloria parentum. 613, a & b

Deus agnoſcit filios ob merita parentum. 211, b

In quibus filij teneantur imitari parentes. 807, b. 808,a

Finis.

Actiones ex fine denominantur. 763, b. 764,a

Flagella Dei.

Dei flagellis occurrere licet. 696,b. 697,b. 698,a

Fluuius.

Fluuius Ægypti quis dicatur. 61,a

Fluuius turbidus dicitur Nilus. ibid.b

Fomes.

Peccato remiſſo fomes relinquitur. 91,b

Foramen.

Per foramen ſignificatur gratia vel fidei defectus. 281,b. 283,a

Fortis, Fortitudo.

Inſigne fortitudinis exemplum. 40,b

Per patientiam fortiſſimus quiſque dicendus eſt. ibid.

S. Franciſcus.

S. Franciſcus zelo ſalutis animarum & amoris Dei ad infidelium terras pergit. 154,a & b

Tribus vicibus inſtituit profectionem ad infideles. ibid. b

Duo Franciſci minuta, anima & corpus Deo continuè oblata. ibid.

Franciſcus in exemplum datus. ibid.

Eius ardor ad martyrium. 155, a & b

Prima eius profectio ex Italia in Syriam. ibid.a

Franciſci eleëmoſynâ ipſe & nauta mirabiliter ſuſtentantur. ibid.

Secunda eius profectio verſus Marochium. ibid.b

Infirmatur in itinere, & redit. ibid.

Tertia eius profectio in Syriam. ibid.

Ordinis regimen Fratri Eliæ defert, ac duodecim itineris comites aſſumit; eorumque ardor ad martyrium deſcribitur. ibid.

Miraculoſè à puero deſignati undecim eius ſocij. 156,a

S. Franciſcus ſolvit Anconâ. ibid.

Peruenit Cyprum & Aconem, & ad exercitum Chriſtianorum obſidentium Damiatam. ibid.

S. Franciſco pugnam diſſuadente, pugnant Chriſtiani, & ſuperantur. ibid.

Ad Soldanum proficiſcitur, & vinctus ei ſiſtitur. ibid. b

S. Franciſcus coram Soldano fermidè prædicat. 156, b

Oblata ſibi à Soldano munera contemnit. 157,a

Soldanum ei fauet & ſocius eius. ibid.

Saracens Franciſcanis affecti. ibid.

Adit Franciſcus Palæſtinæ regionem. ibid. b

Loca luſtrata à S. Franciſco. ibid. & ſeq.

Frequens fuit in locorum ſanctorum viſitatione. ibid.

Accepit pro ſuis poſſeſſionem locorum Palæſtinæ. 158, b

Quonam ordine loca ſacra luſtrauerit. 159,b. 160, a & b

Animarum zelo & martyrij deſiderio parat iter in Ægyptum. 161,a

Bethleem viſitat cunabula Saluatoris. ibid.

Gazam tranſit. ibid.

Peruenit in Ægyptum, capitur à Mahometanis, opprobriis cum ſuis ſociis ſaturatur, & coram Soldano ſiſtitur. ibid.

Rediens ex Ægypto, iterùm Ieroſolymam viſitat. ibid.

Antiochiam pervenit. ibid.

In Montana Nigra à Monachis S. Benedicti proceſſionaliter excipitur. ibid.

Rediturus in Italiam iterùm Soldanum adit. ibid.b

Soldani maiorem fauorem ſibi conciliat. ibid.

Dei diſpoſito, ne ab infidelibus occideretur Franciſcus. 162,a

Virgini Mariæ & Ioanni aſſimilatur. ibid.

Franciſci ad partes infidelium profectio cum illa Chriſti in Ægyptum comparatur. ibid.b

Ad maiorem gloriæ coronam fuit à morte ſeruatus. ibid.

Exercitatione ſanctorum operum aureolas Doctoribus, Virginibus & Martyribus debitas promeruit. ibid.

Non fuit fraudatus martyrij corona. 163,a

Ob Franciſcum Soldanus in Chriſtianos fuit beneficus. ibid. & b

Soldanus ille à Minoritis inſſu Franciſci apparentiis baptizatus eſt. ibid. b
Vitriaci domeſtici ſiunt Franciſcani. 164, a
Plures ſiunt Minoris exemplari vitæ & doctrinæ S. Franciſci peregrinantis per infidelium terras. ibid.
Dæmon per mulierem Franciſco inſidias parat. ibid.
Victus de muliere Franciſcus. ibid.
Mulier illa compuncta & conuerſa eſt. ibid. b
Terra ſancta fuit Franciſco à Deo promiſſa. 199, b
Palatium Franciſco oſtenſum & promiſſum eſt Terra ſancta. 200, a
Promiſſio hæc Franciſco facta quare non ſtatim fuerit impleta. ibid. b
S. Franciſci aduentus ad partes infidelium per Abbatem ſpiritu prophetico fuit prædictus. ibid.
S. Franciſcus ad infidelium regiones iuit, & Fratres ſuos quomodo eo miſerit. 816 b. & ſeqq.
An S. Franciſcus male fecerit, qui martyrij deſiderio iuit ad partes infidelium. 813, b
S. Franciſcus quomodo martyr fuerit. 768, a & b. 769, a
Tres Ordines S. Franciſci, ſcilicet Minorum, Clariſſarum, & Pœnitentium, in Syria fundati. 164, a
Tertium Ordinem S. Franciſci, ſcilicet de Pœnitentia, illuſtriorem reddidit quadam Hiſpana fuſo ſanguine pro Chriſti nomine. ibid. b
Ad infidelium converſionem non eſſe Ordinem Minorum inſtitutum, dicit Suarez. 166, a
Duo eius argumenta. ibid.
Contraria ſententia probatur. ibid. b
Ex euentu & fructu multiplici id oſtenditur. 168, b
Ad argumenta Suarij reſpondetur. 167, a & b
Fratres Minores prædicarunt infidelibus Mahometanis, Georgianis, Tartaris, Armenis, Bulgaris. 168, b. 169, a
Elogium Ordinis Fratrum Minorum Cardinalis Vitriaci. 167, a
S. Franciſcus non interdixit vel diſſuaſit in vniuerſum litterarum ſtudium ſuis Fratribus. 167, b. 168, a
Spiritus deuotionis litteris eſt præferendus. ibid.
Diſputatur, an S. Franciſcus in infidelium partibus peregrinando profecerit, néne. 166, & ſeqq.
Quomodo illa verba intelligantur, Non curent neſcientes litteras, litteram diſcere. 168, a
S. Antonius à Padua Lector Theologiæ à Franciſco inſtitutus. ibid. b
Ob S. Franciſci cum Chriſto conformitatem, illius Ordo peculiariter delectus eſt ad inhabitandam Terram ſanctam. 203, a
S. Franciſcus omnem ſublimem hauſit ſcientiam ex Crucifixo, in quo totum ſuum ſtudium collocabat. 599, b
S. Franciſci circa templum Portiunculæ & Terram ſanctam intentio diuidicatur. 808, b. 809, a
S. Franciſcus quales voluerit eſſe Fratres ſuos habitantes apud Mariam de Portiuncula. 823, b
S. Franciſcus quomodo dixerit pecuniam nihil aliud eſſe quam dæmones & ſerpentes. 814 b. 815, a
S. Franciſcus conſolatur ſibi ſeruientes. 811, a. 812, a
Chriſtus in monte Aluernia apparuit S. Franciſco in quodam lapide ſedens, & de Ordine eius mira reuelans. 864, b. 865, a
Stigmata S. Franciſci ſunt ſigillum Indulgentiarum Portiunculæ. 446, a. 447, a
S. Franciſcus multa fecit admiranda; non tamen imitanda. 805, a
S. Franciſci & S. Dominici vnanimitas & concordia. 725, b

Fridericus.

Fridericus I. Imperator expeditionem parat in Terram ſanctam. 751, b
Fredericus II. Siciliæ Rex nubit filiæ Ioannis Brennæ. 152, a
A Ioanne Brenna accipit ius in Regnum Ieroſolymitanum. ibid.
Rex Ieroſolymitanus litteris Apoſtolicis appellatur. ibid.
Ieroſolyma poſſeſſionem & Regni eius coronam ſuſcipit. ibid.
Fridericus II. Imperator expeditionem parat in Terram ſanctam. 752, a
Inducias facit cum Saladino. ibid.
Excommunicatur à ſummo Pontifice. ibid.

Fulcherius.

Fulcherius, Tyri Archiepiſcopus, vir religioſus, modicè litteratus, ſeptimus Ieroſolymorum Patriarcha. 139, b

Fulco Andegauenſis.

Fulco Andegauenſis quartus Ieroſolymorum Rex. 137, a

Futura.

Futura contingentia per Aſtrologos non poſſunt prædici. 270, a
Quomodo Prophetæ prædicant futura contingentia. ibid. & b

G.

Fr. Gabriel.

Frater Gabriel Minorita Maronitas ad vnionem S. Romanæ Eccleſiæ reduxit. 95, b

Gadgad.

Gadgad vigeſimanona Iſraëlitarum manſio. 34, a

Galgala.

Lapides in Galgalis poſiti, & eorum conditio. 869, a
Vbi ſita Galgala. ibid.
Eccleſia ædificata fuit in Galgalis. ibid.

Galilæa.

Galilæa duplex, ſuperior & inferior; & quid vtraque ſit. 17, a
Galilæa deſcriptio. 18, a
Galilæa vnde dicta. 20, a
An tota Galilæa, an verò tantùm ſuperior dicta ſit Galilæa Gentium. ibid.
Galilæa Gentium quare dicta. ibid. b
Galilæorum natura. ibid.

Galli.

Galli volunt Regnum Ieroſolymitanum ad Regem Chriſtianiſſimum pertinere. 150, b. 151, a & b

Gebelinus.

Gebelinus Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſecundus Ieroſolymorum Patriarcha eligitur, & moritur. 139, a

Generatio.

Generatio reſurrectionem ſignificat. 584, a

Gentiles.

Gentilium ſalus ex cæcitate Iudæorum. 325, a

Georgiani.

Georgiani, ſiue Iberi, qui ſint; & quare ſic dicti. 115, a

Extra Ieroſolymam habitant. ibid.b
Eorum errores. ibid.a

Geraſeni.

Geraſenorum regio vbi ſita ſit. 18,a

Gladius.

Duplex gladius apud Lucam deſignat ſpiritualem & temporalem Pontificis poteſtatem. 680,b
Ad nutum Pontificis Reges & Principes gladium debent eximere. 681,a
Gladius ſpiritualis & materialis quis ſit, & qualiter applicandus. 671,b
Gladius ſuper femur eſt carnis mortificatio. 672,b

Gloria cæleſtis.

Stabilitas gloriæ cæleſtis explicatur. 577.b.578,a
Eius ſtabilitas per Crucem Chriſti explicatur. 578,a
Crux eſt arundo aurea qua menſuratur gloria cæleſtis. ibid.
Currendum eſt, vt ad gloriam perueniamus. ibid.b
Gloria, & eius conditiones. 629,b.630,a
Gloria pugnantibus eſt præparata. 629,a & b. 630, a & b. 631,a

Godefridus.

Godefridus Bullonius expeditionem parat in Terram ſanctam, & Ieroſolymam recuperat. 750,a
Quare Ieroſolymis noluerit geſtare coronam auream. 248,b
Godefridi Bullonij imitanda pietas. 567,a

Gog & Magog.

Gog & Magog fuerunt typus Mahometis. 226,b
Gog & Magog Turca creduntur. 295,a & b

Græci.

Græci iam quindecies ab Eccleſia receſſerunt. 100,a
Propter hoc puniti ſunt. ibid.
Oderunt Romanum Pontificem & Catholicos. ibid.
Maluni ſubeſſe Turcis quàm Latinis. ibid.
Peſſima apud Græcos imprecatio. ibid.
Franciſcanos apud Turcarum Imperatorem falsò accuſarunt. ibid.b
Iudæos malitia vincunt. ibid.
Græci qui credunt propoſitis ſibi ab Eccleſia, licet ab ea diuiſi, hæretici non ſunt. 101,a
Græci aliqui ſimplices nec hæretici nec ſchiſmatici ſunt. ibid.
Notanda Chriſti de Græcis ad S. Birgittam reuelatio. ibid.b
Græcorum Imperium numquam eſt ſecurum ſeu tranquillum. ibid.
Græci relapſi nedum ſchiſmatici, ſed etiam hæretici ſunt, & vocari poſſunt. ibid.
Hæreſes omnes ex Græcis ortæ per Occidentales ſunt ingulatæ. 102,b
Vnde prouenerit diſcrepantia Scriptorum circa Græcorum hæreſes. ibid.
Errores Græcorum ad quatuor claſſes referuntur. ibid.
Negant Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere. ibid.
Interdictam additionem Symbolo appoſuerunt. 103,a
A Deo puniti ſunt propter errorem circa proceſſionem Spiritus ſancti à Filio. ibid.b
Eorum Eccleſia Regno Samariæ ſimilis eſt. ibid.
De hæreſi Neſtorij ſunt ſuſpecti. 104,a
Quomodo Græci efforment ſignum Crucis; & quare alio modo quàm Latini. ibid.
In Eccleſia Græci dextram Meridionalem partem, Latini Aquilonarem eſſe volunt. ibid.
Græcus Epiſcopus in errore Neſtorij de Chriſti Diuinitate deprehenſus. ibid.b
Eiuſdem confutatio. ibid.
In Miſſa ſacrificio aquam vino non miſcent. 105,a. 107,a
Nolunt agnoſcere Primatum Summi Pontificis. 105,a
Baptiſmum Latinæ Eccleſiæ damnant. ibid. b
Latinos rebaptizant. ibid.
Veram Eccleſiam apud Latinos eſſe negant. ibid.
Confirmationis Sacramentum reiterabile eſſe falsò aliqui Græci credunt. 106,a
Dicunt Extrema vnctionis Sacramentum non prodeſſe ad corporis ſalutem. ibid.
Euchariſtiam in azymo confici perperàm negant. ibid.
Latinorum ſacrificiis altaria ſua poſſui credunt. ibid.
Non celebrant in altaribus Latinorum. ibid.
Nec in loco vbi ſanctæ Catharinæ corpus ab Angelis collocatum eſt. ibid.b
Damnant formam conſecrationis Latinorum. 107,a
Euchariſtiam in Cœna Domini confectam, maioris eſſe virtutis dicunt. ibid.
Neceſſariò communicandum ſub vtraque ſpecie docent. ibid.
Communicant non ſolùm adultos, ſed etiam infantes. ibid.b
Aliqui eorum docent formam conſecrationis non conſtare in præciſis Domini verbis. ibid.
Refellitur hæc hæreſis. ibid.
Reſpondetur ad rationem Græcorum. 108,a
Abnuntur Græci Sacramento Pœnitentiæ. ibid.
Diſſoluunt matrimonium. ibid.b. 109,a
Suffocatum comedi poſſe negant. ibid.
Aſſerunt eſſe nefas tonnare in Sabbato, excepto Sabbato ſancto. ibid.
Secundas nuptias damnant. ibid.
Docent licere inimicos decipere. ibid.
Dicunt non eſſe neceſſariam reſtitutionem rei ablatæ. ibid.
Item, licitam eſſe dicunt vſuram. ibid.
Purgatorium negant. ibid.b
Defunctis nil prodeſſe ſuffragia aſſerunt. ibid.
Sanctos ab omni culpa & pœna liberos admittit poſt hanc vitam ad viſionem Dei negant. 110,a
Cauſa ſchiſmatis & hæreſis Græcorum. ibid.
Græcos non eſſe hæreticos qui dicant. 98,b
Argumenta in gratiam Græcorum. 99,a
Græcorum diuerſa conditio. ibid.b
Græci hæretici ſunt. ibid.
Apud Græcos quare non ſit Eccleſia. ibid.
Græci verè dicuntur infideles. 92,b
Græcorum Patriarcha, Epiſcopi & Monachi ſemper abſtinent à carnibus. 121,b
Græcorum quatuor ſunt Quadrageſima, & quæ. ibid. 122,a
Ex conſuetudine quidam Epiſcopi & Monachi vinum non bibunt. 121,b
Græcorum mos in proceſſionibus plures Cruces cum vexillis deferentium explicatur. 231,b. 232,a
Græci admittendi ſunt ad confeſſionem Sacramentalem, ſi fecerint quæ præſcribuntur. 510, b. 511,a
Græcorum fraus & nequitia. 750, b. 751,a

Gratia.

Chriſtus ſua gratia habituali hoſtes debellare potuiſſet. 625,b
Per gratiam Dei tentationibus reſiſtere poſſumus. ibid.
Virtus diuina gratia. ibid.& 626,a

Gregorius.

Gregorius VIII. laborat pro ſubſidio Terræ ſanctæ. 751 b

Inaſt Cruciatam pro Terra ſancta & ciuitatis Ieroſolymæ recuperatione, cum Indulgentiis & plenaria peccatorum remiſſione. 366, a & b. 367, a & b

Ad eundem finem & placandum Deum indicit ieiunium quinquennale certis hebdomadæ diebus. 367, b. 368, a

Item, alias litteras dedit, quibus ſtatuta Vrbani prædeceſſoris non obſtante eius obitu voluit ſuam habere firmitatem & robur. 368, a & b

Gregorius IX. mandat Eccleſiarum Prælatis, vt omnem exhibeant fauorem Fratribus Minoribus ædificantibus Eccleſias & Oratoria in ſuis diœceſibus, & vt eorumdem cœmeteria benedicant, neque contra ipſos vel interdictum vel excommunicationem abſque Sedis Apoſtolicæ ſpecialis licentia promulgent. 386, a

Concedit Fratribus Minoribus, vt infidelibus verbum Dei proponere, eoſdem baptizare, atque charactere Clericali inſignire, & ab Eccleſia ſeparatos eidem reconciliare poſſint. ibid. a & b. 508, b

Mandat Archiepiſcopo Rhemenſi & Fratri Villelmo, vt Comiti Barri de ſubſidio pro itinere verſus Terram ſanctam prouideant. 386, b

Executionem negotij Comitis Barri commiſſi commendat Epiſcopo Rhemenſi. ibid.

Mandat Villelmo Pœnitentiario, vt prouideat aliquod ſubſidium, pro itinere verſus Terram ſanctam, D. G. de Argentonio. 387, a

Reſpondet ad quædam interrogata circa colligenda legata in Terræ ſanctæ ſubſidium. ibid.

Mandat abſolui à voto proficiſcendi in ſubſidium Terræ ſanctæ debiles & impotentes. ibid. b

Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunenſi II. agit de ſubſidio & recuperatione Terræ ſanctæ, & ad hunc finem omnibus Eccleſiis & Monaſteriis imponitur ſolutio decimarum omnium prouentuum Eccleſiaſticorum per ſex annos continuos idem Concilium ſubſequentes. Quæ decima licet ſtudioſè fuerit exacta, & recepta, non apparet tamen qua vtilitas inde Terræ ſanctæ fuerit procurata. 394, a & b. 395, a & b

Abſoluto Concilio Lugdunenſi Pontifex ab omnibus Eccleſiarum Prælatis, nec non & à Dominicanis & Franciſcanis Crucem contra Saracenos in ſubſidium Terræ ſanctæ prædicari voluit: quem in finem Cruciſignatis & aliis in tam heroico opere laborantibus Indulgentias & gratias ampliſſimas elargitur. 396, a & b. 397, a & b

In eumdem modum ſcribit Miniſtro Tuſciæ, Marchiæ Anconitanæ, Prouinciæ Ianuenſis, &c. 397, b

Gregorius XI. concedit facultatem Minoritis ædificandi Eccleſiam & domum apud Bethleem prope Capellam ſanctis Nicolai; & quòd Fratres in eo habitantes perfruantur gratiis toti Ordini conceſſis. 406, b

Tribuit Fratribus Minoribus licentiam, vt virumque ſexus pios fidelibus facultatem manendi in Terra ſancta ad tempus, vel perpetuò, ſi ad eam ſe contulerint cum Apoſtolicæ Sedis licentia, concedere poſſint. 407, a

Concedit inſuper ſingularem facultatem reconciliandi Eccleſiæ Catholicæ illos qui ab ea receſſerunt, & adhæſerunt Mahometicæ vel alteri ſectæ. 407, a & b. 508, b

Licentiam concedit viginti quinque Fratribus ex Ordinibus Prædicatorum & Minorum ſponte ſe offerentibus eundi ad vltramarinas partes pro verbo Dei diſſeminando; qui poſſint quatuor accipere loca ad habitandum, & Dei cultum augendum. 901, b

Gregorius XIII. Eccleſiam & domum Conſtantinopolitanam, indulta item & priuilegia aliis locis & Fratribus Ordinis communia, Minoritis Ieroſolymitanis concedit, & confirmat. 424, a & b. 425, a

Gregorius XV. confirmat conſtitutiones Sixti V. & Pauli V. quoad bona à pijs fidelibus quomodocunque Terræ ſanctæ relicta. 426, b. 427, a & b. 428, a

Fr. Grifon.

Fr. Grifon Minorita Maronitas ad vnionem S. Romanæ Eccleſiæ reduxit. 95, b

Guardianus. *Vide* Fratres Minores.

Guarimundus.

Guarimundus natione Francus vir bonus, quartus Ieroſolymorum Patriarcha. 139, b

Guido.

Guido Luſignanus nonus hereditario iure Ieroſolymorum Rex. 138, a

Raymundus Baldnini V. tutor eius mortem cetans bellum Guidoni molitur. ibid.

Guilielmus.

Guilielmus Dux Aquitaniæ Ieroſolymam pœnitentiæ cauſa proficiſci iubetur. 762, a & b

Fit Monachus. ibid. b

H.

Hæreſiarchæ.

HÆreſiarchæ tametſi ſint mortui, dicuntur nihilominus adhuc viuere & perſequi Eccleſiam Dei in ſuis diſcipulis. 277, b

Hæreſis.

Hæreſis & ſchiſma quomodo differant. 99, a

Hæreſis & ſchiſmatis affinitas. ibid.

Hæreſes omnes & ſectæ tabernaculis ac ingurijs per diluuium deſtructis comparantur. 256, a

Per hæreſes Eccleſia ſcinditur, per peccata verò maculatur. 312, a. 313, a

Hæretici.

Quomodo hæretici pertineant ad Eccleſiam. 207, b. 208, a & b

Hæretici ſunt Antichriſti. 344, b

Orientalium & Occidentalium hæreticorum quæ ſit differentia. 208, b. 212, a

Aliter tractandi ſunt hæretici in partibus infidelium quàm fidelium. 509, b. 510, a

Hæretici humaniter à Fratribus Minoribus Ieroſolymis tractantur. 860, b

Hæretici teſtimonium perhibent de iis quæ dicuntur de locis ſanctis. 853. b. 854, a

Cum hæreticis conuerſari, & de rebus fidei tractare, quibus, & quando, illicitum & licitum ſit. 531, a & b. 532, b. 533, a

Hæretici interdum peregrinantur ad loca ſancta, vt Catholicorum pietatem irrideant. 835, b. 860, a

Eorum calumniæ de eadem re confutantur. 836, a & b. 837, a & b. 838, a & b. 860, b

Hæreticorum calumniæ de ſacris Reliquijs. 837, a & b

Hæreticorum vtilitates ex eorum ſententia referuntur. 838, a

Digitized by Google

Harada.

Harada vigeſimaprima Iſraëlitarum manſio. 34,a

Haſeroth.

Haſeroth decimaquarta Iſraëlitarum manſio. 33,a

Hebrona.

Hebrona trigeſimaprima Iſraëlitarum manſio. 34,a

Heli.

Heli punitus fuit, quia Dei cauſam non debitè defendit. 685,b. 686,a

Helmondeblataim.

Helmondeblataim quadrageſima Iſraëlitarum manſio. 35,b

Henricus.

Henricus IV. Galliarum Rex à Turcarum Imperatore in gratiam peregrinorum ac Fratrum Terræ ſanctæ priuilegia obtinuit. 879,a

Heraclius.

Heraclius Imperator de negligentia arguitur, quòd non oppoſuerit ſe Mahometi. 224,a & b

Heraclius fuit hæreticus. 240,b

Heraclius Cæſarienſis Epiſcopus, nonus Ieroſolymorum Patriarcha. 140,a

Heſmona.

Heſmona vigeſimaſexta Iſraëlitarum manſio. 34,a

Hieronymus.

Hieronymi Capella basilicæ Veneti operâ ſeruatum fuit Dominicum Sepulchrum. 880,a & b

Hiſpani, Hiſpania.

Per Hiſpaniarum Reges Terra ſancta recuperabitur. 279,a & b

Hiſpaniarum Reges habent Deum ſibi adiutorem. ibid.

Hiſpani volunt ius & dominium Regni Ieroſolymitani ad Regem Catholicum pertinere ob varias rationes. 151,b. 152,a & b

Ex Hiſpania Mauri expulſi ad Turcas confugerunt. 272,a

Rex Hiſpaniæ per Sagittarium ſignificatur. 268,b. 269,a

Turcas & Mahometanos ſuperabit. ibid.

Homo.

Humanæ naturæ fragilitas deſcribitur. 348,a & b

Homines mali ſunt ſeruores diabolo. 343,a

Hominis perfectio naturalis & ſupernaturalis in quo conſiſtat. 147,b

Perfectio eius extenſiua naturalis & ſupernaturalis. 148,a

Honor.

Honor eſt præmium virtutis. 693,a

Honorius.

Honorius III. laborat pro ſubſidio Terræ ſanctæ. 752,a

Hor.

Hor & Moſeroth quomodo diſtinguantur. 34, b. 35,a

Mons Hor, in quo Aaron moritur, trigeſimaquarta Iſraëlitarum manſio. 34,b

Hoſtis.

Milites Chriſtiani hoſtem contemnere debent. 730,a

Omnes omnino hoſtes expugnandi ſunt ei qui victoriam conſequi vult. 726,b

Hus.

Terra Hus, in qua ſanctus Iob habitauit, vbi ſita ſit. 14,b

Hyperdulia. *Vide* Adoratio.

I.

Iacob.

BAculus Iacob fuit figura Crucis. 385,a

Iacobitæ.

Iacobitarum quinque Quadrageſima. 122, a & b

Poſt ſolis occaſum carnes comedunt. ibid b

Iacobita, ſiue Syriani, à quo ſic dicti. 114,b

Eorum vita & conditio. ibid.

In Miſſa ſacrificio panem adhibent fermentatum ſale & oleo miſtum. 115,a

Modus quo ſe ſignant ſigno Crucis; illuſque ritus. ibid.

S. Iacobus.

S. Iacobus fuit primus Ieruſalem Epiſcopus. 459,b

S. Iacobi abſtinentia. 117,b

S. Iacobi Minoris cathedra à fidelibus ſeruata fuit. 871,b. 872,a

Iactantia.

Notandus caſus quo iactantia repreſſa fuit. 688,b

Tiuulis iactant ſe multi Principes ignari & impij. ibid. a & b. 689,a & b

Idioma.

Idiomatum communicatio Chriſto obuenit ex vnione hypoſtatica, & ſignificatur per Chriſti Crucem quadrangularem. 600,a & b

Quid ſit idiomatum communicatio. ibid.b. 601,a

Idololatria.

Idololatriæ peccatum grauiſſimum eſt. 213,b

Idololatriam maximè odit & punire ſolet Deus. 253,b

Idumæa.

Idumæa nomen de quibus dicatur. 13,b

Idumæa qualis regio. 14,a

Idumæa duplex: vna ſuperior, quæ & Paleſtina dicta; altera inferior, & vbi ea ſita ſit. ibid.

Stilus & confinia regionis Idumæa. ibid.

Idumæa diſtinctio à Iudæa, Samaria, & Galilæa. 13,a & b

Idumæa fertilis eſt regio. 14,b

Idumæa iiſdem cum Iudæa legibus regebatur. 15,a

Ieabarim.

Ieabarim trigeſimaoctaua Iſraëlitarum manſio. 35,b

Ieiunium.

Ieiunium dupliciter accipitur, pro parſimonia cibi, & pro ieiunio Eccleſiaſtico. 117,a. 125,b

Ieiunium Eccleſiaſticum duplex eſt, Quadrageſimale, & non Quadrageſimale. 117,b

Orientales nationes ieiunij obſeruantiſſimi. ibid. & ſeqq.

S. Ioannis Baptiſtæ, S. Petri, S. Matthæi, S. Iacobi, & S. Timothei ieiunium & abſtinentia. ibid.

Ieiunia Alexandrinorum, Marci diſcipulorum, & aliorum. 118,a

Ratio inſtitutionis ieiunij Feria quarta & ſexta. ibid. b. 125,b

In Natiuitate Domini non eſt ieiunandum, niſi ſit ſpeciale mandatum. 119,a

Ieiunia, abſtinentia, & Quadrageſima quas antiquitus obſeruabant Maronitæ. ibid.b. 120,a

Cur inter Paſcha & Penteceſten non ſit communiter ieiunandum. 119,b

Ieiunia & Quadrageſima qua & quot ſint recentiorum Maronitarum. 120,b. 121,a

Ieiunia, abſtinentia, & Quadrageſima Græcorum. 121,b

Item Iacobitarum. 122, a & b
Item Neſtorianorum ſive Chaldæorum. ibid. b 123, a
Item Armenorum. ibid. b. 124, & 125
Difficultates aliquæ circa ieiunia & Quadrageſimas Orientalium. 125, b. 126, & 127
Ieiuniũm orationi coniungendum eſt. 721, a & b
Quotidiana & diſcreta ieiunia digniora ſunt diuturna ciborum abſtinentia. 127, b
Orientalium aliquorum imprudentia in ieiuniis. ibid.
Tempus comedendi Occidentalium ieiunio congruum. ibid.
Orientales & Occidentales nationes mutuò ſe in ſuis ieiuniis excedunt. 126, b
Occidentalium ieiunium eſt perfectius ieiunio Orientalium. 127, b

Ieremias.

Ieremiæ nominis interpretatio. 325, b

Ieroboam.

Ieroboam fuit typus Mahometis. 226, b

Ieroſolyma.

Ieroſolyma Aſiæ umbilicus in medio mundi eſt. 87, a
Optimum reſpectum ad cælum habet. ibid. b
Ieroſolyma cur ſancta dicatur. 802, a
Ieroſolymis amoris diuini ignis eſt conſeruatus. 617, b
Argentum ſapientiæ Ieroſolymis abundauit. 618, a
Chriſtianus cultus perpetuò Ieroſolymis conſeruabitur. 776, a
Regnum Ieroſolymitanum temporalibus bonis abundauit. 618, a & b
Aquis ſalutaribus fluxit. ibid. b
Semper habuit hoſtes. ibid. & 619, a
Ob peccata amiſſum fuit. ibid. & b. 623, b. 624, a
Ieroſolyma vocatur Sodoma & Ægyptus. 801, b
Variis ſignis prænuntiata fuit Ieroſolyma amiſſio. 241, b
Populi ac Cleri Ieroſolymitani peruerſitas. ibid.
Reuelatio S. Chriſtinæ facta de expugnatione Ieruſalem. ibid.
Propter amiſſionem Ieroſolymæ multi ſalnabuntur, qui illius recuperationi ſtudebunt. 242, a
Concurſus peſſimorum Ieroſolymam. ibid.
Maria Ægyptiaca Ieroſolymam iuit, vt ibi liberiùs vacaret ſuæ libidini. 240, b
Ieruſalem benedicentes benedicti ſunt, & maledicentes maledictis. 621, b. 622, a
Titus pro Ieroſolyma expugnanda ſeparat. 135, b
In monte Oliueti, vbi Chriſtus prædixit Ieroſolymæ excidium, caſtra poſuit Titus. 136, a
Fœdatur ſanguine templum. ibid.
Poſt annuam obſidionem capta eſt ciuitas. ibid.
Soluta obſidione qui diſceſſerant Chriſtiani Ieroſolymam redierunt. ibid. b
Ieroſolyma ab Ælio Adriano Imperatore reſtaurata. 137, a
Capta Ieroſolyma Titus cur occidi inſſerit Sacerdotes templi. 748, a
Ieroſolymam quare deſtrui & vaſtari permiſerit Deus. 800, b. 801, a & b. 802, a & b
Angeli quare ex Ieroſolymis diſceſſerint. 800, b
Ex Ieroſolymis quare Apoſtoli diſceſſerint. 801, a & b
Ciuitatis nomine, in qua Chriſtus crucifixus dicitur, Ieroſolyma intelligitur. ibid. b
Deſolationis Ieruſalem cauſa obſcura eſt. 237, a
Prima ratio deſolationis Ieruſalem eſſe poteſt, quia Deus illa non indiget. 238, a & b
Ieroſolymis modò habitantium numerus. 76, b
Aquarum inopia. ibid.
Rectorum & habitantium conditio. ibid.
Prædictiones miſeriarum nunc impletæ. ibid.
Guilielmi Tyrij dictum de ſiccitate Ieroſolymitani ſoli. 77, b
Item, dictum D. Antonini. 78, a
Strabonis ſententia de ſterilitate Ieroſolymæ. ibid.
Ieroſolyma datur Chriſtianis, qui eam tenuerunt annis quindecim. 752, a
Diſcordiis Chriſtianorum deperditur Ieroſolyma, & iidem trucidantur. ibid. b
Tempore Conſtantini Chriſtianorum imperio ceſſit. 137, a
Occupatur à Choſroë. ibid.
Recuperatur ab Heraclio. ibid.
A Saracenis inuaditur. ibid.
Domini Sepulchrum ſemper ſeruatum. ibid.
Ieroſolyma à Chriſtianis recuperatur. ibid. b
Latini Reges Ieruſalem. ibid. & 150, b
Primus Godefridus Bullonius auream coronam quare accipere nolnerit. 137, b. 151, a
Balduinus I. ſecundus Ieroſolymæ Rex. 137, b
Balduinus II. tertius. ibid.
Fulco Andegauenſis quartus. ibid.
Balduinus III. quintus. ibid.
Almericus ſextus. ibid.
Balduinus IV. ſeptimus. 138, a
Balduinus V. octauus. ibid.
Guido Luſignanus, nonus. ibid.
Raymundus Balduini tutor, eius mortem celans bellum contra Guidonem mouit: qua fuit vltima cauſa excidij Ieroſolymitani Regni. ibid. & 140, a
Nouem Patriarchæ ſucceſſiuè Eccleſiam Ieroſolymitanam gubernarunt vſque ad eius amiſſionem. ibid.
Primus Patriarcha Daibertus electus fuit pulſo Arnulpho. ibid.
Ebremarus Patriarcha intruditur legitimo viuente. ibid. b
Ebremarus deponitur. 139, a
Secundus Patriarcha Gebelinus. ibid.
Tertius, Arnulphus, homo nequam. ibid.
Quartus, Guarimundus. ibid. b
Quintus, Stephanus Abbas ſancti Ioannis Carnotenſis. ibid.
Veneno hunc obiiſſe aliqui ſuſpicantur. ibid.
Sextus, Wilhelmus Belga, Mechlinienſis. ibid.
Septimus, Fulcherius Tyri Archiepiſcopus. ibid.
Octauus, Amalricus. 140, a
Nonus, Heraclius Archiepiſcopus Ceſarienſis. ibid.
Ieroſolyma à Saracenis quomodo demùm occupata fuerit. ibid.
Regni Ieroſolymitani præcellentia. ibid. b. & ſeqq.
Ieroſolymæ laus ex Tobia. 140, b
Ieruſalem triplex, terrena, cæleſtis, & mixta. 141, a
Dei Ciuitas dicta ob eius excellentiam. ibid. b
Eius nobilitas ex genere & virtute. ibid.
Item ex fundatoribus & reparatoribus. 142, a
Ex ſitu naturali omnes vrbes ſuperabat. ibid. b
Ex habitatoribus eius nobilitas colligitur. ibid.
Celebris ex frequenti omnium populorum concurſu. 143, a
Sancta à fidelibus & infidelibus habita. ibid.
Turca illam ſanctam æſtimat. ibid. b
Ieroſolyma Turcarum ſanctuarium eſt. ibid.

Celebris eſt ex ſolo nomine. ibid.
Nomina Ieruſalem varia. 144,a
Nominis Ieruſalem ſignificatio. ibid.
Celebris ex ſuis Regibus. ibid.
Reges Ieruſalem vncti ſunt. ibid.
Regi Ieruſalem primus locus & ſedes competit. ibid.
Ieruſalem celebris ex ſtemmatibus. ibid.b
Eius ſtemmata quinque Cruces. ibid.
Eius nobilitas ex materiali ſtructura. 145,b
Ieruſalem ex diuturnitate celebris. 148,b
Quomodo Regnum Ieroſolymitanum ſit duraturum in ſecula. ibid. & 149, a & b
Regni Ieroſolymitani ſtemmata gentilitia quæ ſint. 556, b. & ſeqq.
Stemmata Regum & Equitum ſancti Sepulchri partim conueniunt, partim diſconueniunt. 557, a & b
Antiquitas ſtemmatum Regum ſanctæ Ciuitatis. ibid. b
Semper ferè mali & impij fuerunt Ieroſolymis. 240,b
Ieroſolyma ſemper à Chriſtianis eſt habitata. 149,b. 170, a & b
Ieroſolymitani Regni dominium & proprietas ad Chriſtianos pertinet. 149,b. 150,a
Poſt deperditam Ieroſolymam illius dominium ad plures Chriſtianos Principes tranſiit. 150, a
Regnum eius ad Chriſtianiſſimum pertinere contendunt Galli. ibid. b
Eorum rationes. ibid.& 151,a & b
Regem Ieruſalem eſſe Regem Catholicum dicunt Hiſpani. 151,b
Eorum rationes. ibid. & 152, a & b
Regnum Ieruſalem poſſidet Turcarum Imperator. 153,a
Ioannes Brenna ius omne, quod in Ieroſolymitanum Regnum & Syriam habebat, Frederico Sicilia Regi transfert. 152,a
Exhortatio ad Principes Catholicos, vt inter ſe facta pace, ad Regnum Ieroſolymitanum recuperandum conſpirent. 153,b. 154,a
Godefredus Bullonius Ieroſolymam recuperat. 750,a
Variorum Principum expeditiones pro Ieroſolymæ recuperatione referuntur. 750,a & b 751, a & b 752, a & b
Eccleſia Ieroſolymitana gradu Epiſcopali & Archiepiſcopali donata fuit. 459,b
S. Iacobus primus fuit Ieruſalem Epiſcopus ibid.
Eminentia Epiſcopi Ieroſolymitani. ibid.
Eccleſia Ieroſolymitana decoratur Patriarchali dignitate. 460,a
Ciuitates & Prouinciæ Ieroſolymitano Patriarchæ ſubiectæ. ibid.& b
Quatuor Metropolitanæ Eccleſiæ ſubiectæ Ieroſolymitanæ: quarum nomina referuntur cum Epiſcopatibus ſubiectis. 461, a & b. 462, a & b
Patriarcha Ieroſolymitanus quatuor ſub ſe habuit Metropolitanes tempore Latinorum; quorum nomina recenſentur. 463,b
Suffraganei Patriarchæ Ieroſolymitano ſubiecti. ibid. & 464,a
Prioris Dominici Sepulchri dignitas & poteſtas. 464, a & b
Præſens ſtatus Eccleſiæ Ieroſolymitanæ ſub iugo Turcarum. ibid.b
Antiſtites ſchiſmatici Græcorum & Armenorum. ibid.
Antiſtites Catholici, quidam Epiſcopali dignitate inſigniti, quidam non; & qui illi. ibid.
Iudicium de annali Præfecto Eccleſiæ Ieroſolymitanæ. ibid. & 465,a
Vtilitates inde prouenientes proponuntur. 465,a
Ieruſalem terreſtris pro terrenis hominibus, cæleſtis verò pro ſpiritualibus, ſeu electis & fidelibus bonis, ſeruatur à Deo. 235,b. 236,a
Dauid è terreſtri Ieruſalem egreſſi, & cæleſtem ingreſſi deſiderabat. 85,b
Cæleſtis Ieruſalem conditiones. ibid.
Ieroſolymam ſpiritualiter peregrinari & viſitare debebant omnes fideles. 840,b. vſque ad 844
Varia & laudabilia huius rei exempla. ibid.
Ieroſolymis aliquid eſt quo deuotio iuuetur, quod non eſt alibi. 802,b. 803,a
Vide plura ſub titulo Peregrinatio.
Felicitas habitantium Ieroſolymis. 764,a & b
Ieroſolymis Fratrum Minorum Conuentus eſt hoſpitale peregrinorum. 876,b
Hæretici humaniter à Fratribus Minoribus Ieroſolymis tractantur. 860,b
Eccleſia Ieroſolymitana mortuo Antichriſto reſpirabit, & reſtaurabitur. 291,b. 292,a & b. 299,b. 300,a. 301, a & b

Ietebatha.

Ietebatha trigeſima Iſraelitarum manſio. 34,a

Imagines.

Quomodo imagines honorari & adorari poſſint ac debeant. 861,b. 862,a. 863, a. 866, a & b
Vide ſub titulo Adoratio.

Impatientia.

Impatientia Chriſtianorum eſt victoria infidelium. 730,a

Incarnatio.

Incarnationis myſterium per Crucem triangularem repræſentatur. 579,a
In Incarnatione humiliata fuit Diuinitas & exaltata humanitas. ibid. & b
Item, elevata fuit natura humana ad ipſum eſſe Dei. 580,a

India.

India auro abundat: cuſtoditur à gryphis & leonibus. 619,a

Indulgentiæ.

Indulgentia Portiuncule & locorum Terræ ſanctæ non communicantur aliis Minorum Eccleſiis. 440,a & b. 441,a
Indulgentias eſſe in Terra ſancta probatur. 444, a & b. & ſeqq.
Indulgentiarum vſus antiquus eſt in Eccleſia. 445, a & b. 446,a & b
Stigmata S. Franciſci, Indulgentiæ S. Mariæ de Portiuncula, & Chriſti vulnera, Indulgentiarum Terræ ſanctæ ſigillum ſunt. 447,a
Pij Eugenij Pontificis reſponſio circa Indulgentias Terræ ſanctæ. ibid.
Iubilei antiquitas. ibid.& b
Hæretici cuiuſdam calumniæ de Indulgentiis quas Catholici promereri conantur. 836,a & b
Terræ ſanctæ nec non aliorum Orientis locorum Indulgentiæ aſſignantur cum viginti quinque Peregrinationibus, in quibus illæ obtinentur. 448, a & b. 449,a & b. 450, a & b. 451, a & b. 452, a & b. 453, a & b. 454, a & b
Priuilegia Indulgentiarum in gratiam locorum Terræ ſanctæ perſonis Religioſis conceſſarum. 455,a. 457, a & b
Minorita inſeruientes locis ſanctis vſque ad finem vitæ Indulgentiam plenariam conſequuntur. 455,a

Ad quos hæc Indulgentia ſe extendat. ibid.b
Ad illam conſequendam non eſt neceſſaria continua habitatio in Terra ſancta, ſed ſufficit habitatio in Syria vel Ægypto, &c. ibid.
Proficiſcentes ad Indias & inſulas Philippinas pro infidelium converſione conſequuntur Indulgentiam plenariam. 456,a
Fratres Terræ ſanctæ ſemper gaudere poſſunt Indulgentiis quibus gaudent peregrini in ſuo adventu. 550,b
Centum dies Indulgentiarum conceduntur audientibus Conciones & Miſſas in Eccleſiis Fratrum Minorum quolibet die & qualibet vice. 458,b
Mendicantes, quandocunque concionantur in domibus ſuis, poſſunt concedere auditoribus ſuis ſedecim annorum & trecenterum vigintiduorum dierum Indulgentiam. ibid.
Alexander IV. omnibus pœnitentibus & confeſſis devotè viſitantibus Eccleſias S. Franciſci, S. Antony, & S. Claræ, concedit centum annos Indulgentiæ. ibid.
Fratres Minores inter infideles degentes poſſunt Indulgentias concedere. 528 b
Miniſtri Generales vel Provinciales Religioſorum poſſunt Indulgentias concedere, & quales. 529,a
Differentia facultatis Pontificis ab aliis Prælatis in Indulgentiis concedendis. 528,a. 529,a

Infidelis.

Infideles ſunt Græci, Armeni, &c. 92,a & b
Infidelitatis tres ſpecies aſſignantur. ibid.b
Infideles non baptizati ſunt duplicis generis. ibid.
Redeuntes ad fidei unitatem poſſunt cum ſuis, etſi ſchiſmaticis, habitare. 530,a
Participatio cum infideli quadruplex. ibid. b
Quomodo illicitum & licitum ſit ſæcularibus de rebus fidei tractare cum infidelibus. 531,a
Infideles & excommunicati non niſi urgente cauſa ad Catholicorum officia ſunt admittendi. ibid.b
Fratres Minores Terræ ſanctæ poſſunt legitima exiſtente cauſa permittere infideles & ſchiſmaticos ſuis Officiis intereſſe. 530,a. 531,b
Infideles teſtimonium perhibent de his quæ dicuntur de locis ſanctis. 853 b. 854,a
Infideles ex defectu pietatis Chriſtianorum ſcandalizantur. 889,b
Infideles qui & quomodo ad Baptiſmum poſſint compelli vel adduci ad Eccleſiam. 734,a & b
Infideles quomodo ſint convertendi. 789,b
Illiterati, laici & ſæculares etiam poſſunt convertere peccatores & infideles. ibid. & 790.a & b
Deus infidelibus parcit ob merita parentum ſeu majorum. 211,b

Ingratitudo.

Ingratitudinis damna. 731,b
Mali angeli & primi parentes ob ingratitudinem in peccatum lapſi ſunt. 732,a

Innocentes.

Innocentium cauſam Deus ſuſcipit. 26,a & b

Innocentius.

Innocentius III. hortatur Gregorium Catholicum Armenorum Epiſcopum ad perſeverantiam in Fide Chriſtiana, devotionem erga Sedem Apoſtolicam, & ad ſubveniendum Terræ ſanctæ. 369, b. 370,a
Approbat coronationem Leonis Regis Armenorum, cum exhortatione ad recuperationem Terræ ſanctæ promovendam. 370,a. 371,a
Hortatur Galliarum atque Angliæ Reges, ut ſuſcipiant bellum ſacrum pro Terra ſanctæ recuperatione; & Indulgentiam illum in finem concedit. 371,a & b
Litteras mittit ad Moguntinenſis Archiepiſcopatus Clerum & populum cum larga ſpiritualium gratiarum conceſſione, qua fruerentur qui ſuam in ea expeditione ſtrennitatem oſtendiſſent. 372,a & b. 373, a & b. 374, a & b
Indicit Concilium Lateranenſe II. 375,a & b
Commendat Legatum ſuum, viſque eidem obtemperetur in omnibus ad negotium Terræ ſanctæ ſpectantibus mandat. 376,a
Concedit eidem Legato, ut poſſit dare Indulgentias peccatorum audientibus ab eo verbum Crucis. ibid.
Commendat Regi Francorum eumdem ſuum pro ſubſidio Terræ ſanctæ Legatum. ibid. & b
Eodem tenore ſcribit Ludovico Philippi Regis Francorum primogenito, & eiuſdem uxori Blanchæ. ibid.b
Scribit Patriarchis Alexandrino & Ieroſolymitano, & opem Domini adfuturam promittit. Conſolatur inſuper Patriarcham Alexandrinum, eique dat ſalubria monita, & mandat ut pro Terra ſanctæ negotiis & aliis ad Concilium Generale accedat. 376,b. 377, a & b
Ieroſolymitano item Patriarchæ ſalubria quædam monita proponit pro recuperatione Terræ ſanctæ; illumque ad ſe evocat. 377,b. 378,a
Sermo primus Innocentii III. habitus in Concilio generali Lateranenſi; in quo explicat ſuum deſiderium recuperandi Terram ſanctam; ad quod ſuum & aliorum Sacerdotum ſubſidium pollicetur: de univerſali Eccleſiæ reformatione, ac denique de profectione ex mortali hac & temporali vita ad immortalem & æternam. 378,a & b. 379,a & b. 380,a & b. 381,a
Indicit bellum & Cruciatam contra Saracenos pro recuperatione Terræ ſanctæ, cum Indulgentiis & privilegiis pro Crucefignatis ad illud proficiſcentibus, aut ſubſidium præſtantibus. 381,a & b. 382,a & b. 383,a & b
Alias litteras eiuſdem argumenti ſcribit ad Reges & Principes, Eccleſiaſticos & ſæculares. 383,b. 384,a & b. 385, a & b
Laborat pro ſubſidio Terræ ſanctæ. 752, a. 753, a & b
Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi I. conſtitutionem facit de profectione in ſubſidium Terræ ſanctæ; in qua multa ſalubria ſanciunt pro Crucefignatis & Eccleſiaſticis Chriſtiano exercitui inſervientibus; iſtiſque & aliis ſacra expeditioni opem ferentibus ſpirituales ac temporales gratias concedit; & in opponentes ſe eidem expeditioni cenſuras vibrat Eccleſiaſticas. 387,b. 388,a & b. 389,a & b
Concedit Fratribus Minoribus, ut in terris infidelium verbum Dei proponere, quibuſcumque communicare, non baptizatos baptizare, ac charactere Clericali inſignire, & ad Acolythatum promovere, redeuntes ad Eccleſiam eidem reconciliare, & alia quæ Ordinis, Matrimonij, Pœnitentiæ Sacramenta, & reliquum divinum cultum ſalutemque animarum reſpiciunt, exequi valeant. 390,a & b. 391,a
Facultatem concedit Minoritis in partibus infidelium habitantibus excipiendi omnium confeſſiones, & abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis, item abſolvendi excommunicatos à Canone vel alio modo.

Digitized by Google

modo, iuxta formam Eccleſia. 505, b
Innocentius VI. concedit in hoſpitali Montis Sion infirmientibus, vt poſſint eligere Sacerdotem regularem vel ſecularem, qui illorum confeſſiones audiat, & alia eis Sacramenta adminiſtret. 404, b
Fundationem eiuſdem hoſpitalis in Monte Sion approbat, & vt rius directionem Minores praeſſe poſſint, concedit. 405, a
Facultatem concedit ædificandi hoſpitale Ieroſolymis, & pro illius conſtructione portandi ferramenta & lignamina, quibuſdam ſernatis conditionibus. 899, a
Eandem concedit facultatem, & amplius, vt poſſint deſtinari aliqua perſona pro praedicti hoſpitalis ædificatione. 899, a & b
Vt lecti cum neceſſariis pro peregrinis excipiendis portari valeant, & ipſi pariter peregrini deferre poſſint ſibi in ea ſanctorum locorum peregrinatione neceſſaria. ibid. b. 900, a
Innocentius VII. concedit Praedicatoribus, vt in itinere poſſint confiteri cuilibet Sacerdoti. 490, a

Intellectus.

Intellectui falſum ſubeſſe poteſt. 845, b
Cognitio intellectus ex ſenſu rerum habet. ibid.

Intentio.

Intentio bona actionibus inſeſe debet. 765, b. 766, a. 769, b

Ioannes.

S. Ioannis Baptiſtæ ieiunium & abſtinentia. 117, b
Ampulla ſanguinis *S. Ioannis Baptiſtæ* à fidelibus piè aſſeruata fuit. 872, b
Ioannes Brenna genero ſuo *Frederico II. Siciliæ* Regi omne ius in Regnum Ieroſolymitanum tranſfert. 152, a
Ad Compoſtellanam Eccleſiam in Hiſpaniam proficiſcitur. ibid.
In Regnis Caſtellæ ſecundò nupſit Berenguela filia *Alfonſi X. Regis* Legionenſis. ibid.
Ioannes Brenna, Imperator Conſtantinopolitanus, & Rex Ieruſalem, fuit Frater Minor. 205, b. 206, a
B. Ioannes à Capiſtrano accepit loca Terræ ſanctæ pro Fratribus Minoribus de Obſervantia. 177, b
Ioannes Elecmoſynarius ſubuenire conatus eſt fidelibus qui Ieroſolymis in neceſſitate conſtitutis degebant. 874, a
S. Ioannes Euangeliſta non ſolùm quia ſupra pectus Chriſti recubuit, ſed quia in monte Calvariæ apertum Chriſti pectus contemplatus fuit, tantam ſapientiam hauſit. 597, b. 598, a & b
S. Ioannes cur præ ceteris dicatur beatiſſimus. 599, a
Cur fidem ſibi conciliet ex eo quòd viderit, dicens: Et qui vidit, teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium eius. ibid. b
Ioannes Euangeliſta martyr eſt, etſi ſanguinem non fuderit. 745, b. 768, a & b. 769, a
Ioannis XXII. diploma, quo eadem quæ *Clemens V.* ordinauerat ſtatuit pro recuperatione Terræ ſanctæ. 404, a
Concedit Fratribus Terræ ſanctæ Indulgentiam, quam ſolet Sedes Apoſtolica concedere proficiſcentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium. 456, b
Minoritis in partibus infidelium habitantibus concedit facultatem excipiendi omnium confeſſiones, & abſolvendi à caſibus Epiſcopis reſeruatis. 505, a
Ioannes XXIII. dictus *XXIV.* confirmat gratias & priuilegia Pontificum & aliorum Principum Fratribus Terræ ſanctæ conceſſa. 408, b

Iordanis, Trans Iordanem.

Via maris trans Iordanem quæ ſit. 19, a & b
A mari Galilæa nomen accepit. ibid.
Iſraëlitarum tranſitus per Iordanem notabilis modo conſeruatur. 868, b. 869, a

Ioſeph.

Virga Ioſeph fuit figura Crucis. 585, a

Ioſias.

Ioſias quomodo in pace occubuit, cùm in bello vulneratus vitam finierit. 747, b. 748, a

Ioſue.

Ioſue ſuccedit Moyſi. 35, b
Mittit exploratores in Ierycho. 42, b

Iſaac.

Per Iſaac ſignificantur boni & fideles. 234, a & b

Iſmaël.

Per Iſmaëlem ſignificantur mali & infideles. 234, a & b

Iſraël, Iſraëlitæ.

Per terram Iſraël quid intelligatur. 6, a & b
Iſraël nominis interpretatio. ibid. b
Iſraëlitæ alij ſecundùm carnem, alij ſecundùm ſpiritum. 322, a
Tribus Iſraël multiplici modo enumerantur. 43, b. 44, 45, & 46
Tribus Iſraëlitarum fuerunt duodecim. 44, a
Quare interdum tredecim numerentur. ibid. & b
Septuplex tribuum Iſraël enumeratio. 44, b. & ſeqq.
Caſtrorum apud Iſraëlitas diſpoſitio. 45, a
Eorum vexilla. ibid.
Quo tempore cœperint Iſraëlitæ vocari Iudæi. 7, b
Iſraëlitæ graviter in Ægypto fuere oppreſſi. 28, a & b
Cum Iſraëlitis multi Ægyptiorum egreſſi ſunt. 31, b
Quando columna primò Iſraëlitas præceſſerit. ibid.
Quomodo Iſraëlitæ armati ex Ægypto aſcenderint. 876, a
Mirabilis modus proponitur quo Deus Iſraëlitas eduxit ex Ægypto. 29, b. 30, a
Ea quæ ex ſe illorum dimiſſionem impedire poterant, eam tamen promouerunt. 29, b
Iſraëlitæ Mare rubrum tranſeunt, & Pharao ſubmerguntur. 32, a
Iſraëlitarum mirabilis tranſitus per Mare rubrum & Iordanem notabilis modo conſeruatur. 868, b. 869, a
Ægyptij non ab Iſraëlitis, ſed à Deo deuicti fuerunt. 42, a
Deus opem ſuam illis promiſit. ibid.
Præcipit eis Deus tranſitum per Iordanem in Terram promiſſam. ibid. b
Deus bona Iſraëlitis ferè ex peculiari beneficio fuit elargitus. 79, b
Carnes & panes è cælo & aqua è terra cur eis in deſerto data. ibid.
Coturnicibus ſaturati ſunt murmurantes Iſraëlitæ. 33, a
Iſraëlitæ quia ſine Moyſe & Arca progrederentur, ab Amalecitis & Chananæis cæſi, & in fugam acti ſunt. ibid. b
Iſraëlitæ murmurantes & naufragues ſuper manna per ſerpentes igneos puniti, & per ſerpentem æneum à Moyſe erectum ſanati ſunt in Phunon. 35, a
Rex Edom Iſraëlitis tranſitum per ſuam regionem negat. 34, b
Arad Chananæus Iſraëlitas prælio ſuperat, & ſuperatur. 35, a

Quan-

Quanto tempore Iſraëlitæ manſerint in deſerto ab exitu de Ægypto vſque ad ingreſſum terræ Chanaan. 36,a & b. 37,a & b
Referuntur ſententiæ cum ſuis argumentis. 36,a
Approbatur illa, quæ ait quadraginta duobus annis circiter in deſerto fuiſſe Iſraelitas. ibid. b
Obiectiones in contrarium proponuntur. ibid.
Soluuntur. 37,a & b. 38,a & b. 39,a & b
Dei iuſtitia & miſericordia erga Iſraëlitas tot annis per deſertum vagantes. 37,b. 39,b
Tempus Iſraelitarum in deſerto diſtinguitur in tempus gratiæ ac pœnæ. 39,a
Cur Iſraelitæ non peruenerint in Terram promiſſam. 727,a
Iſraëlitæ Terram ſanctam armis & diuino auxilio ſubingarunt. 41,a
Prater reliquas nationes Deus eos honorauit. ibid. b
Eis Deus in bello peculiariter adfuit. ibid.
Ob peccata ſua, licet numeroſiſſimi, à paucis hoſtibus interdum deuicti fuerunt. ibid.
Mandatum de occidendis infidelibus Iſraëlitis traditum. 67,b. 68,a & b
Infideles quando ab Iſraëlitis non erant occidendi. 68, b
Diuiſio terræ Chanaan inter duodecim tribus Iſraël. 46, & 47
Poſſeſſiones tribuum Iſraël ſubinde mutatæ fuerunt. 47,b
Paulatim Iſraëlitæ terram Chanaan ſuperarunt. ibid.
Terræ ſanctæ inter Iſraëlitas diuiſio tribus vicibus inſtituta fuit. 48,a
Iſraëlitæ cum lætitia & timore ex Rameſſe ad Terram ſanctam profecti ſunt. 829, a & b. 830,a
Parant ſe ad ingreſſum terræ Chanaan. 43,a
Iordanem in eorum gratiam exſiccandum prædicit Deus. ibid.
Sicco pede per Iordanem ingrediuntur terram Chanaan. ibid.
Quo anno ingreſſi ſint Terram promiſſam. ibid.

Iubileum.

Iubilei, ſiue anni ſancti, antiquitas. 447,a & b

Iuda.

Iuda nominis interpretatio. 9,a

Iudæa.

Quid Iudæa nomine ſit intelligendum. 7,a & b
Iudæa regionis ſitus, & quæ ei contermina. 15,a
Eius ciuitates; quarum metropolis eſt Ieruſalem. ibid.
Altior eſt omnibus aliis regionibus. ibid.
Olim veri Dei cultrix. ibid.
Poſt Chriſti aſcenſionem erroribus dedita. ibid.
Quomodo Iudæa deſerta relinquenda prædicatur. 286,b. 287,b

Iudæi.

Iudæi qui ſint. 128,a
Iudaicus populus olim à Deo electus fuit. ibid.
Iudæi poſt Chriſti aduentum infideles habendi ſunt. ibid. b
Variis nominibus appellati fuerunt. ibid.
Primò, Hebræi ab Heber. ibid.
Secundò, Iſraëlitæ à Iacob. 129,a
Tertiò, Iudæi à Iuda filio Iacob. ibid.
Quando Iſraëlitæ dicti ſint Iudæi. 7,a & b
Quomodo Iudæi in captiuitate potuerint retinere nomina familiarum ſuarum. 8,a & b
Iudaicus populus multum fuit Dauidis & Salomonis tempore. 69,b
Iudæos Babylonica captiuitate detentos conſolatur Deus. 51,a
Tres Iudæorum captiuitates, ſunt perſecutiones, præter præſentem poſt aduentum Chriſti & eius aſcenſionem. 229,a
Iudæi diuerſa habuerunt feſta pro diuerſis beneficiis. 756,a
Cauſa diuiſionis Regni Iudæorum. 11,b
Signum Iudæis dandum, fuit Chriſtus mortuus & reſurgens. 589,a
Iudæi ſunt inexcuſabiles de ſua incredulitate. 588,b
Iudæorum cæcitas, qui Chriſtum agnoſcere eique credere noluerunt. 858, a & b
Excæcationis Iudæorum figura. 286,a
Circa finem ſæculi conuertentur. ibid. & 301,a
Comminatio contra perfidos Iudæos. 699,b
Cum fidelibus Iudæis habitarunt ſemper infideles in Terra ſancta. 90,b
Non potuerunt per eos infideles expelli. ibid.
Ob quatuor rationes alia nationes cum Iudæis habitarunt. 91,a & b
Dei ſingularis benignitas erga Iudæos. ibid. b
Cur Iudæis Chriſti occiſoribus permittatur inhabitare loca Terræ ſanctæ. 213,a & b. 214,a & b. vſque ad 221
Argumentum quo ſibi blandiuntur Iudæi. 213,a
Peccatum maximum Iudæorum fuit mors Chriſti. ibid. b
Iudæorum miſeria deſcribitur. 214,b
Iudæi relicti ſunt in ſignum patrati ſceleris. 215,a
Iudæi honore primati ſunt. ibid.
Non poſſunt fungi officiis Aduocati, Aſſeſſoris, Teſtis, &c. ibid. & b
In naturalibus etiam puniuntur. ibid. b
Debent habitum à Chriſtianis diſtinctum ferre. ibid. a
Sunt peiores Ethnicis, Gentilibus & Sodoma ciuibus. ibid. b
Vſque hodie patiuntur fluxum ſanguinis. ibid.
Sunt pallidi & luridi. ibid.
Paruuli eorum quando naſcuntur, habent manum dextram plenam ſanguinis capiti innixam. ibid.
In die Paraſceues patiuntur fluxum ſanguinis, & toti expalleſcunt. ibid.
In omni plenilunio patiuntur fluxum ſanguinis. ibid.
Ex eorum corporibus fœtor exhalat. 216,a
Omnibus exoſi & inuiſi ſunt. 214,b. 216,a
Lacrymantur, & emunt lacrymas Iudæi in die anniuerſario, quo Ieroſolyma capta eſt à Romanis. 216 a & b
Etiam Ieroſolymis & in Terra ſancta contempti ſunt. ibid. b
Non poſſunt accedere liberè illa loca ſancta, quæ poſſunt Catholici. ibid.
Reſpondetur ad Iudæorum argumenta, quibus ſibi blandiuntur quoad inhabitationem Terræ ſanctæ. 217,a
Iudæi in mundo relicti ſunt, vt in eis diuina eluceret miſericordia. ibid. b
Deinde propter eos qui ex ipſis prædeſtinati erunt ad vitam æternam. ibid. & 218,a & b
Flagellantur Iudæi ex diuina miſericordia. 218,a
Relicti ſunt in mundo Iudæi, vt eluceſcat Dei iuſtitia. ibid. b. 219,a & b
Cain fuit typus Iudaici populi. 219,b
Permiſſi ſunt habitare in Terra ſancta, vt magis erucientur ob mortem Chriſto illatam. 220,a & b

Superſtites etiam ideò ſunt Iudei, vt in nobis diuina miſericordia manifeſtaretur. ibid. b
Seruitute peccati & ciuili obnoxij ſunt Iudei. 221,a
Iudei dicuntur canes & mali operarij. ibid.
Iudei dicuntur in Iure perſonæ prohibitæ. 535,b
Dei benignitas erga Iudæos, quos expectat ad pœnitentiam, vt eos Eccleſiæ ſuæ vniat. 321,b.322, a & b
Iudei poſt tempora Antichriſti efficaciter à Deo vocabuntur. 323,b
Ad Eccleſiam & Ieroſolymam admiſſi Iudei, vt filij tractabuntur. 324,a
Quomodo pauci Iudei, ſeu reliquiæ, ſaluabuntur. ibid.& b
Per arenam Iudei ſignificantur. ibid.b
Iudæorum conuerſione regnum Chriſti dilatabitur. ibid.
Ex Iudæorum cæcitate Gentilium ſalus. 325,a
Iudæis ex Sion & Cinnate ſancta ſalus proueniet. ibid.
Iudæi in fine mundi conuertendi ſunt de numero prædeſtinatorum. ibid.
Patres pro ſalute Iudæorum clamant. ibid.b
B. Mariæ Virginis ſollicitudo pro Iudæorum conuerſione. ibid.
Iudæorum natio vinea appellatur. ibid.
Iudæorum peccata non impedient eorum conuerſionem. 326,b
Iudæorum Synagoga dicitur Sulamitis. 327,b
A Chriſto eorum Synagoga vinificabitur. ibid.
Efficax eius vocatio exprimitur. 328,a
Mirabilis Iudæorum futura poſt Antichriſtum conuerſio. ibid. & b
Quando Chriſto aduerſabuntur, conuertentur. ibid. b
Antichriſto adhærebunt. ibid.

Iudicare, Iudicium.

De nemine perperàm eſt ſentiendum. 881,a

Iudicium extremum.

Quantum temporis intercurrat à morte Antichriſti vſque ad diem iudicij. 337,b
Prima ſententia quadraginta quinque dies ſtatuit. ibid.
Secunda, ſeptem menſes vel annos. ibid.
Tertia, ait incertum eſſe tempus. 338,a &b
Malueuda ſtatuens 1335. *dies improbatur.* ibid.b. 339,a
Probabile eſt ſeptem circiter annos interceſſuros. 340, b. 341, a & b
In quo ſtatu mundum deprehendet Deus quando ad finale iudicium veniet. 342,a & ſeqq.
Prima ſententia ait mundum in bono ſtatu futurum. 342,b
Secunda dicit in malo ſtatu futurum. ibid.
Probatur hæc tripliciter. ibid. & 343,a & b.& ſeqq. vſque ad finem Libri primi.
Ante diem iudicij pauci erunt fideles. 346,b.347, a & b

Iuramentum.

Iuramenti & voti diſcrimen. 668, b. 669,a
Quare iuramentum ſit à Chriſto prohibitum. 805,b

Iuſtitia.

Iuſtitia diſtributiua ſeruanda eſt à Regibus & Principibus. 735,b
Iuſtitia pro gratuita pietate deſerenda non eſt. 877,a

Iuſtus.

Iuſtus palmæ aſſimilatur. 793,a
Iuſtorum oratio vtilis eſt. 290,b
Iuſti diuinam auertunt indignationem. 246,b
Propter iuſtos loca conſeruantur. 287,a
Iuſti ſunt corona Chriſti. 613,a & b
Ex afflictionibus iuſti proficiunt. 248, b
Vt Domini malos indicabunt. 26, a
Impios quomodo regent iuſti. 352,a

L.

Labor.

Merces iuxta laborem dabitur. 787,a & b. 788, a & b

Lacedæmones.

Egregium Lacedæmonum monumentum. 631,a

Laici.

Laici & ſæculares quomodo poſſint ſalutis animarum intendere, & fructum Concionatorum, Doctorum, &c. facere. 785, a & ſeqq.
Exempla. 789,b. 790,a & b

Lapis.

Lapis Chriſtum ſignificat, præſertim ille apud Danielem abſciſſus de monte ſine manibus. 318,b. 319,a & b. 320, a & b. 321, a
Lapides in Galgalis poſiti; & eorum conditio. 869, a
Lapis in Aluernia monte vbi Chriſtus ſedit. 864,b. 865,a

Latria. *Vide* Adoratio.

Lebna.

Lebna decimaſeptima Iſraelitarum manſio. 34,a

Legati.

Legatorum tria genera, ſcilicet, de latere, miſſi, & nati. 317,a
Caſus in quibus ſolent Legati diſpenſare, & in quibus non ſolent, neque poſſunt. ibid.

Leo.

Leo X. conceſſit Guardiano Montis Sion, vt poſſit creare Doctores S. Theologiæ, Indices & Notarios. 488,a

Leuiathan.

Leuiathan eſt diabolus. 580,b

Leuitæ.

Leuitis præcipit Deus dari loca neceſſaria. 50, b
Mundana ope deſtitutis ipſe Deus poſſeſſio eſt. ibid.

Lex.

Chriſti lex eſt cordibus hominum inſcripta. 853,a
Licitum eſt, imò interdum neceſſarium, modum viuendi lege poſitiuâ præceptum, ſecundum locorum & temporum varietatem variare. 192, a
Aliquando facere contra legem cui Deus mandauerit. 805,b
Interpretatio legis ex æquitate quid ſit. 513.b
Lex diuina numquam deficit. ibid.
Exempla Sanctorum ſunt optima legum interpretatio. 514,a
Contra leges de nouo inſtitutas agentes rigidè proceditur. 515,a
Leges poſitiuæ ſecundùm loca & tempora mutanda. 918, a
Maiori lege exiſtente cum minori, ſi vtraque obſeruari nequit, illa cuſtodienda. ibid.
Totam legem obſeruantes ſaluantur. 577,b
Totam legem ſeruantibus diuinum eſſe conceditur. ibid.
Vide Præceptum,

Liberalitas.

Manus eſt ſymbolum liberalitatis. 889,b
Liberalitas eſt Regiæ dignitatis argumentum. ibid.

Probatur exemplo Christi, trium Magorum Orientalium, & Regis Catholici. ibid. & 890,a
Veterum Hebræorum liberalitas. 921,b

Libido.

Contra libidinem oportet vti oratione & carnis mortificatione. 721,a & b

Libri.

Libri vbi rationes expensarum Terræ sanctæ. 921,b

Licentia.

Licentia Superioris duplex, tacita & expressa. 191,b

Lilium.

Lilium est symbolum diuinitatis & humanitatis Christi. 607,a & b

Loculi.

Loculi aliquando Apostolis in aliorum subsidium permissi. 913,b

Locus.

Deus in vno loco magis quàm in altero sua largitur munera. 867,b
Loci mutatio conuersis prodest. 798,b

Longitudo.

Longitudo est æternitatis symbolum. 578,b

Ludouicus.

Ludouicus Franciæ Rex expeditionem parat in Terram sanctam, & cladem accipit. 750,b. 751, a & b. 752,b
S. Ludouicus Galliæ Rex fuit Tertij Ordinis sancti Francisci. 206,a

Lumen.

Lumen est symbolum boni operis. 792,a
Cur ante Sanctorum imagines accendantur luminaria. ibid. & b

Lutherani.

Lutheranismi vtilitates ex cuiusdam Lutherani sententia referuntur. 838,a

Lutherus.

Lutherus licet sit mortuus, tamen adhuc dicitur vexare & persequi Ecclesiam Dei in suis discipulis. 177,b

Lux.

Lux nobilitatis symbolum. 141,b

Luxuria.

Luxuria symbolum est equus. 131,a
Luxuria pallorem facies inducit, & hominem luridum facit. ibid.

M.

Maceloth.

Maceloth vigesima secunda Israëlitarum mansio. 34,a

Magnes.

Magnetis virtus. 856,b
Terra sancta est magnes cordium. ibid. & 857,a
Christus magnetis comparatur. 856,b

Mahometani, Mahometes.

Mahometes auctor Saracenorum quando natus sit. 129,a
Mahometes quomodo populos deceperit per columbam albam. ibid. b
Eius libido. ibid.
Quid de Christo senserit. 130,a
Primò fuit idololatra. ibid.
Eius falsa miracula. ibid. b
Sergius Monachus eius magister fuit: eius historia. 130,a
Mahometani cur Mosleman dicti. 129,b
Cur eorum conuersio difficilis. ibid.
Mores eorum. 130,a
Quare sint dicti Saraceni. ibid. b
Eorum munditia in orationibus. ibid.
Orant semper facie versâ ad Meridiem. ibid.
Eorum natura. 131,a
Superbi sunt & carnales, equo pallido Apocalypseos comparati. ibid.
Nolunt laborare. ibid.
Perditi sunt, & aliis sunt causa perditionis. ibid. b
Sunt præcursores Antichristi. ibid.
In pauperes & afflictos misericordiam & compassionem exercent. ibid.
Inter illos sunt Religiosi & sæculares. 132,a
Item potestas temporalis & spiritualis. ibid.
Gradus diuersi Religiosorum. ibid.
Discrimen inter Turcarum, seu Mahometanorum, & Persarum Parochos. ibid.
Cibi Mahometanorum. ibid. b
Quomodo ieiunium obseruent. ibid.
Plures possunt habere vxores, easque repudiare, & reassumere. 133,a
Licitum illis est ex cognatione propria vxores assumere. ibid.
Paradisum è rebus corporeis & voluptuosis constituunt. ibid.
Eorum iudicium de aliquibus post hanc vitam. ibid.
Mandatum Mahometis ad suos Moslemanos, siue Mahometanos, in gratiam Christianorum omnium tam in suis Regnis habitantium, quam per eadem transeuntium. ibid. & b. 134,a & b. 135,a
Ortus & vita Mahometi. 221,b. 223,a & b
Eius calliditas. 221,b
Prophetæ nomen accepit. ibid.
Mahometis adiutor fuit Monachus. ibid.
Quomodo incrementum Mahometis factum fuerit. 222,a
Ex omnibus sectis legem suam concreuauit. ibid.
Superstitiosa dicta illius. ibid. b
De eius sepulchro. ibid. & 223,a & b. 224,a
Via ad eius sepulchrum molesta est. 223,a
An eius sepulchrum è ferro compactum inter duos magnetes in aëre dependeat. 224,a
Variæ sunt sententiæ de tempore ortus, progressu & interitu Mahometis. ibid. b
Verior sententia eligitur. 225,a
Mahometis ortum, progressum, interitum, persecutionem Deus reuelauit. ibid. b
Mahomet non fuit Antichristus. 226,a
In pluribus impijs fuit præfiguratus. ibid.
In Balaam. ibid.
In Ieroboam. ibid. b
In Gog & Magog. ibid.
Mahomet, & eius principatus, an præfiguratus apud Danielem in cornu paruulo. ibid. & 227,a. 228,a
In bestia quarta apud Danielem Mahomet & principatus eius præfiguratur. 227,a & b
Probabile est eius Imperium duraturum vsque ad tempora Antichristi. ibid. b. 229,a
Antichristus orundus est ex Mahometistis. 228,a
Duratio Mahometici Imperij diuturna. 229,a. 230,a & b
Prophetiæ de aduentu & persecutione Mahometis. 230,b
In Apocalypsi per equum pallidum & sessorem eius præfiguratus fuit aduentus & persecutio eius. 231,a

Item,

Item, in ſecunda beſtia Apocalypſeos aſcendente de terra, & habente cornua duo ſimilia Agni. ibid. & b. 266,b
Item, apud Lucam cap. 21. per preſſuram illam magnam à Chriſto praditam. 231,b
Eius aduentus & perſecutio reuelatur Theodoro Siceota. ibid.
Mahometis aduentus & perſecutio à Sibylla Erythraea praedicitur. 232,b
Aliæ Prophetiæ adferuntur. 233,a & b
Per Iſmaelem eius perſecutio ab Angelo praedicta eſt ancillæ Abrahæ Agar. 235,a
Non eſt mirum quòd Mahometiſtæ poſſideant Terram ſanctam. ibid. b. 236,a
Comes Tripolitanus ſit Mahometiſta. 241,a
Mahometicum Regnum quomodo diuiſum dicatur. 316,a
Eius ſtabilitas & defectus in pedibus ferreis & fictilibus indicatur. ibid.
Mahometiſtæ ſunt amicitiæ expertes, etiam coniugati; ac propterea eorum Regnum ad nihilum redigetur. ibid. b. 317,a
Vnde proueniat inter illos defectus amoris. 317, a & b
Mahometani non adorant Mahometem tamquam verum Deum, imò idololatriam abominantur. 93,a
Per tibias ferreas ſtatuæ Nabuchodonoſoris ſignificatur Mahometicum Imperium. 314,b. 315, a & b. 316,a
Ferro fuit dilatatum. 315,a
Perdix eſt ſymbolum Mahometis. 308,b
Timendum eſt, ne Terra ſancta ſub Mahometiſtarum tyrannide perſeueret vſque ad aduentum & interitum Antichriſti. 280,a
Mahometica ſecta finem habebit mortuo Antichriſto. 293,a. 297, b. 298, a & b. 299,a
Qua forma regiminis futura ſit in Eccleſia & toto mundo poſt Mahometicæ ſectæ extirpationem. 330, b. & ſeqq.

Mali.

Malos hic non puniri, magnæ indignationis Dei eſt argumentum. 243,b
Permittit Deus minùs malos à peioribus affligi; & quare. 244,a
Cur hic vtantur proſpera fortuna. 246,a
Mali cur inter bonos permittantur. 743, b. 744,a
Chriſtianitas malis purgatur. 744,a
Mali ſerui ſunt. 25,b
Mali homines ſunt peiores diabolo. 343,b

Manſio.

Manſiones filiorum Iſrael quæ & quot fuerint, cùm ad Terram promiſſam proficiſcerentur. 30, b. & ſeqq.
Ex diuerſa quiete columna nubis & ignis diſtinguebantur. 31,a
Manſionis nomen dupliciter accipitur. 30,b
Quomodo ex ſigni columna Iſraelita manſionem vel profectionem collegerint. 31,a

Manus.

Per manus quid deſignetur. 320,b
Manus eſt liberalitatis ſymbolum. 889,b
Manus Dei pœnam ſignificat. 282,a. 283,a

Mara.

Mara quinta Iſraëlitarum manſio. 32,a

Marcella.

Marcellæ notandum pudicitiæ ac conſtantiæ exemplum. 806,a & b

S. Marcus.

Cathedra S. Marci Euangeliſtæ piè ſeruata fuit. 872,a
Item, eiuſdem liber Euangeliorum. ibid.

Mare.

Cur mundus dicatur mare. 267,a

Mare rubrum.

Iſraëlitarum mirabilis tranſitus per Mare rubrum notabili modo conſeruatur. 868,b. 869,a

Maria.

Maria ſoror Moyſis murmurans lepra percutitur. 33,a
Maria ſoror Moyſis moritur in deſerto Sin. 34, b
Maria Mina ſpiritualis fuit Terra ſancta peregrina, & à Deo ſpirituali conſolatione repleta. 841, b. 842,a
Maria Virgo corporalis & ſpiritualis peregrina fuit. 841,a & b
Maria Ægyptiaca Ieroſolymam iuit, vt ibi liberiùs vacaret ſuæ libidini. 240,b
B. Maria per argentum ſignificatur. 606,b
Eius puritas & dignitas eſt examinata & probata, & quomodo. ibid.
B. Maria ſemper fuit ſancta. ibid.
Eius temporalis nobilitas. 607,a
Per B. Mariam Chriſtum quærere debemus. ibid.
Chriſtus B. Maria eſt ornamentum. ibid.
Per montem ſanctæ Virgo Maria ſignificatur. 318, b
Maria Virgo laudabiliter peregrinata fuit. 804,a. 805,b
Sanctiſſimum Chriſti Sepulchrum prima venerata eſt. 864,b
B. Mariæ pellen & crines à fidelibus piè aſſeruantur. 871,b
Item, vna veſtis eiuſdem. ibid.
B. Mariæ Virginis ſollicitudo pro Iudæorum conuerſione. 325,b
Cur Maria dicatur Sulamitis. 326,a

Maro, Maronitæ.

Maro quis fuerit. 95,b
Maronis vita & mors. 96,a
Maronis laudes. ibid.
Celebre Monaſterium Maronis. ibid.
Conciliatio opinionum de Maronitarum origine. ibid.b
Maronis parentes, patria, & educatio. ibid.
Macarij hæreſi inficitur. ibid.
Ab hæreſi liberatur. ibid.
Romam vadit Maro, vbi Antiochiæ Patriarcha ordinatur. ibid.
Antiochiam reuerſus, Macarij hæreſes euellit. ibid.
Quare Iacobitæ dicant Maronem fuiſſe ſuum. ibid.
Græci Maronis aduerſantur. 97,a
Maro ſanctus moritur, & in Caphar ſepelitur. ibid.
Melius dicitur, Maronitæ appellari à Marone Catholico & ſancto, quàm ab eodem hæretico. ibid.b
Maronitarum diuerſi gradus ſeu ordines. ibid.
Maronitarum Patriarcha ſemper cælebs eſſe debuit. 98,a
Maronitarum Monachi, Preſbyteri, Epiſcopi, quales ſint. ibid.
Maronitæ ſacris initiandi non ſunt ad matrimonium compellendi. ibid.
Chaldaico idiomate diuina perſoluunt officia. ibid.
Eorum deuotio ad Apoſtolicam Sedem. ibid.b

Patriarcha eorum mauuli vocari Antiochenus. ibid.
Maronitæ qui ſint. 94,a
Maronitas à Marone hæretico appellatos quidam dicunt. ibid.
Ad Catholicam fidem quando & per quos reducti fuerint. 95,a
Prompti ſunt ad ſurgendum ab erroribus. ibid.
A Franciſcanis ad vnionem S. Romanæ Eccleſiæ reducti ſunt. ibid.b
Quæ Maronitæ de ſeipſis profiteantur, producuntur. ibid.& 96,a
Ieiunia & Quadrageſimæ quas antiquitus obſeruabant Maronitæ. 119,b
Quadrageſima prima ante Paſcha, & eius ritus. ibid.
A Paſcha vſque ad Pentecoſten nullum communiter apud eos ieiunium; & quare. ibid.
Secunda Maronitarum Quadrageſima erat Apoſtolorum. 120,a
Tertia, Aſſumptionis B. Mariæ. ibid.
Quarta, ſanctæ Crucis. ibid.
Quinta, Natiuitatis Domini. ibid.
Sexta, Ieiunia. ibid.b
Quadrageſima, ieiunia & abſtinentia Maronitarum huius temporis. ibid.
Patriarcha eorum & omnes Monachi à carnibus abſtinent. ibid.
Epiſcopi & ſæculares Presbyteri carnibus veſcuntur. ibid.
Quatuor obſeruant Quadrageſimas; & quando illæ incipiant & deſinant. ibid.& 121,a
Recentiores Maronitæ antiqua reformarunt ieiunia. ibid.
Maronitarum Patriarcha Antiochenus præficitur Eccleſiæ. 904,b
Ei in ſpiritualibus & temporalibus Maronitarum cura & adminiſtratio committitur. ibid.
Admonetur, vt Fratris Griſonis & ſociorum doctrinæ intendat, & quantum fieri poterit, ſe conformet ritibus Romanæ Eccleſiæ, & in tribulationibus patientiam habeat. 905,a
Paulus II. ciplanetam ex ſuis mittit. ibid.
Ex qua familia Nuntius ad Maronitas mittendus, ex Ciſmontana, an Vltramontana. 906,b. 907,a
An Nuntium ad Maronitas mittendi facultas in Guardiano Ieroſolymitano reſideat. 907,a & b

Martha.

Quare Chriſtus Marthæ reprehenderit. 812,a

Martinus.

Martinus II. dictus IV. mittit quemdam ex Minorum Ordine in Luſitaniam, vt rationem exigat à Collectoribus decimarum in ſubſidium Terræ ſanctæ. 398,a & b
Martinus V. concedit Minoritis Terræ ſanctæ, vt in mortis articulo poſſint eligere quem voluerint Confeſſarium. 456,a & b
Confirmat priuilegia Fratribus Terræ ſanctæ à prædeceſſoribus ſuis conceſſa. 409,a
Concedit eiſdem, vt Miſſam celebrare valeant antequam dies illuceſcat. ibid. & 517, b. 518,a
Dat facultatem eligendi Confeſſarium, qui ſemel in mortis articulo plenariam concedat Indulgentiam. 409,b
Mandat, vt locorum ſanctorum traditio Minoritis perpetuò confirmetur, ipſique poſſint oblationes recipere, & conquirere. ibid. & 410,a
Impertit facultatem abſoluendi quotannis centum perſonas à cenſuris, qui abſque Sedis Apoſtolicæ licentia Ieroſolymam venerint. 410,a & b
Concedit, vt qui inter infideles habitant, & abſque Apoſtolicæ Sedis licentia Ieroſolymam veniunt, abſolui poſſint à cenſuris & peccatis. ibid. b. 411,a
Permittit, vt Hiſpani, qui abſque Apoſtolicæ Sedis licentia Ieroſolymam proficiſcuntur, à cenſuris & peccatis abſolui poſſint. 411,a
Indulget, vt etiam ipſi Fratres abſolui poſſint, qui abſque ſummi Pontificis licentia Ieroſolymam proficiſcuntur. ibid.b
Confirmat collationem & confirmationem locorum Terræ ſanctæ Minoritis factam per Ioannem Patriarcham Gradenſem, eiſdemque, vt per Procuratores eleemoſynas colligere, eoſque, ſi expedierit, deponere, & alios ſubſtituere poſſint, concedit. 412,a & b
Fratribus Minoribus locum S. Saluatoris Baruthi, cum eiuſdem appendicibus aſſignari præcipit; & concedit vt oblationes per Procuratorem recipere poſſint. ibid.b. 413,a & b
Denuo Minoribus locum S. Saluatoris Baruthi aſſignat. 413,b. 414,a
Concedit Minoritis, & aliis Sacerdotibus, vt in Terra ſancta ſanctuarus poſſint Miſſam celebrare duabus horis ante exortam lucem. 414, a & b
Patris Martini de Aratia laus pro ſollicitudine locorum Terræ ſanctæ. 874,b

Martyr, Martyrium.

Inter Chriſtianorum opera nullum laudabilius, nullum Deo acceptius, nullum vtilius eſt, quam martyrium. 767,b
Deſiderium fidelium moriendi pro Chriſto. 768,a. 769,a
Martyrium eſt donum Dei, & periculoſum, conſiderata humana fragilitate. 809,b. 824,a
Voluntas in martyre coronatur. 768,a & b
Martyrij genus triplex. ibid.b
Primum, deſiderij. ibid.
Secundum, quando quis certa morti obiectus ab ea liberatur. 769,a
Tertium, conſummatum. ibid.
Mors ad perfectum martyrium requiritur. ibid.
Quomodo liceat eligere media vnde poſſit ſequi martyrium. 813,b
Milites in ſacro bello morientes, & eidem adſcripti, martyres dici poſſunt. 745,a & b
Ioannes Euangeliſta martyr eſt, etſi gladio vitam non finierit. ibid.b
In peſtiferorum obſequio decedentes martyres ſunt. 770,b
Religioſi ſub Prælatorum obedientia viuentes martyres dicuntur. ibid.& 771,a
In carceribus infidelium mortui martyres ſunt. 771,a

S. Matthæus.

S. Matthæi abſtinentia. 117,b

Matrimonium.

Matrimonium à Deo fuit inſtitutum propter amicitiam & prolis multiplicationem. 316,b
Amor viri erga vxorem magnus eſſe debet. ibid.
Id indicatur per formationem Euæ ex coſta factæ. ibid.
Quies viri eſt femina. 317,a
Cauſa defectus amoris inter coniuges Mahometiſtarum. ibid.

Ma-

Matrimonij miniſtri ſunt contrahentes, in præſentia tamen proprij Parochi. 504,b
Matrimonium diſſoluunt Græci. 108,b. 109,a
Fratres Terræ ſanctæ poſſunt aſſiſtere contrahentibus matrimonium. 497,b
Si quis de nouo conuerſus ordinaretur in Diaconum vel Subdiaconum, & poſtea matrimonium contraheret, poſſunt diſpenſare Fratres Terræ ſanctæ, vt in matrimonio perſiſtat. ibid.
Poſſunt item diſpenſare cum nationibus eorum prædicationi ſubiectis, ſi aliqui ex ipſis contraxerint matrimonium in gradibus Eccleſiaſtica non diuina lege prohibitis, vt in ipſis permaneant. 498,a
Cum conuerſis qui fuerunt infideles vel ſchiſmatici, & vxores conſanguineas prius duxerint, modo tamen diuina lege non interdicto, vt cum ipſis manere valeant, diſpenſare poſſunt. ibid.
Quinam ſint gradus diuina lege prohibiti in matrimonio. ibid.b. 499,a & b
Omnia matrimonia ſunt per Deum diſpenſabilia, non per Eccleſiam. 500,a
In quibus gradibus non poſſit Eccleſia diſpenſare. ibid.b
Gradus in quibus diſpenſari nullo modo ab homine poteſt, & in quibus lege vel priuilegio poteſt. 501,a & b
Poſſunt Fratres Terræ ſanctæ cognoſcere in cauſis matrimonialibus. 502,a
Cauſæ matrimoniales ſunt triplicis ordinis. ibid.
Quas cauſas matrimoniales poſſint Fratres Minores Terræ ſanctæ iudicare. ibid. b. 503,a

Mauri.

Mauri ex Hiſpania expulſi ad Turcas confugerunt. 272,a
Turcarum Imperium ditarunt, ornarunt, & ampliarunt. ibid.
Vide Turcæ, Mahometani.

Medices.

Ferdinandi Medices prum conſilium. 690,b

Medicus, Medicamenta.

Fratres Minores Terræ ſanctæ poſſunt medicamenta ab infidelibus, Iudæis & ſchiſmaticis recipere, ſæculares verò non item. 535,b. 536,a

Medium.

In omni re, quod medium eſt, nobiliſſimum eſt & excellentiſſimum. 784,b

Melchiſedech.

Melchiſedech non fuit Sem. 23,b

Memoria.

Deus beneficiorum ſuorum memoriam in ſigno aliquo haberi vult. 868,b. 869,a & b

Mendicantes.

Mendicantes Religioſi differunt à Quæſtoribus. 478, b. 479,a
Religioſi Ordinum Mendicantium communicant in priuilegio Patrum Societatis; quod ab aliquo Ordinario ſemel approbati, & a ſuis Superioribus deputati, vbique locorum poſſint, non repugnantibus tamen Curatis Parochialium Eccleſiarum, verbum Dei prædicare, & c. 508,a
Quandocumque Mendicantes concionentur in domibus ſuis, poſſunt concedere auditoribus ſuis octodecim annorum & trecentorum viginti duorum dierum Indulgentiam. 458,b

Menſura.

Menſura duplex, communis & ſanctuaria. 55,b
Cubitus vulgaris & ſanctuary quid ſit. 56,a
Calamus quid ſit. ibid.

Mercatura.

Mercatura duplex, tenuis fortunæ & turpis, ac magnæ ſubſtantiæ, & laudabilis & vtilis. 648, a & b
Mercatura non obſtat nobilitati. ibid.b
Honeſta mercatura licita & proficua militibus ſancti Sepulchri. 649,a
In Terra ſancta mercatura parum exercetur. 834,a
Chanaan mercaturam ſignificat. ibid.

Merces.

Merces iuxta laborem dabitur. 787,b. 788,a & b
Merces non pro habitibus, ſed pro actibus virtuoſis datur. 692,a & b. 693,a

Meretrix.

An licitum ſit permittere meretrices in Chriſtianorum caſtris. 720,b

Meritum.

Meritum quid ſit. 85,a
Ad meritum quatuor requiruntur. 764,b
Libertas operantis, primum in merito requiſitum. 765,a.
Spes operantis, ſecundum requiſitum. ibid.& b
Item, opus meritorium debet eſſe moraliter bonum. ibid. b
Item, propter Deum fieri debet. ibid.
Ad meritum ſufficit recta intentio habitualis, vel virtualis, ſi actualis abſit. 769,b

Meſopotamia.

Meſopotamia fuit naturale ſolum Abrahæ. 23,b

Methca.

Methca vigeſimaquinta Iſraëlitarum manſio. 34,a

Michaël.

Michaël Archangelus quomodo pugnauit cum dracone. 304,b
An Antichriſtus per eum interficiendus ſit. 295,b
Michaël olim Synagogæ nunc Eccleſiæ præfectus eſt. 304,b

Milites, Militia.

Militaris antiquorum conſuetudo. 690,b
Egregium & militare Poſthumij factum. ibid.
Vulgarium militum malitia. 740,a
S. Bernardi ſententia contra depranatos militum mores. ibid.b
Tria militi neceſſaria ſunt. ibid.
Finis mundanæ militiæ. ibid.
Singularis eſt ſacrorum militum conditio. ibid.
An licitum ſit inter milites Chriſtianos permittere meretrices. 720,b. 721,a & b
Octo conditiones obſeruandæ à ſacris militibus cum hoſte congreſſurus. 714,b & ſeqq.
Milites à peccatis abſtinere debent. 718,a
Ob præſumptionem & peccata multi milites à paucis ſuperati ſunt. ibid.b
Debent abſtinere ab omni impuritate, auaritia, & ſuperbia. 719,a & b. 720,a & b
Vnius militis peccatum totis exercitus obeſt. 719,a. 727,b. 728,a
Milites quomodo contra libidinem ſe munire debeant. 721,a & b
Milites exercitus Chriſtiani confiteantur & communicent antequam cum hoſte confligant. 724, a & b
Vexillum Crucis interius & exterius aſſumant. ibid. b. 725,a
Pax & concordia debet ſeruari inter milites. 725, a & b

Quid Christiani milites post victoriam agere debeant. 731,b. & seqq.
Si periculum timetur amissionis acquisitæ possessionis, omnia possunt milites demoliri. 7,3, a & b
Si nil mali timetur, innocentes non sunt occidendi. ibid.b
Bonum publicum priuato præferre debent. ibid.
Milites sacri sunt chori castrorum. 740,b 741,a
Fortibus Machabæis assimilantur. 741,a
Item Hebræis à captiuitate reuersis. ibid.
Describuntur à S. Bernardo esse obedientes, in victu, vestitu & sensualitate temperantes, concordes, solicitos, nullam personam accipientes, indicra omnia abdicantes, in acie bene dispositi, zelantes honorem Dei, in Deo confidentes, Monachorum mansuetudinem & militum fortitudinem sectantes. 741,a & b. 742,a
Obiectiones contra militum sacrorum vel Ierosolymitanorum præcellentiam soluuntur. 742,a & b. & seqq.
Duo beneficia proueniunt ex malis militibus sacræ militiæ adscriptis. 743,b
In sacro bello vinat quis vel occumbat, semper militi bene est. 744,b
Sacri milites amorem Christo ostendunt. 745,a
Nedum milites in sacro bello morientes, sed alias eidem adscripti martyres dici possunt. ibid.& b
D. Bernardi exhortatio ad milites. 746,a
Mors sacrorum militum est vitâ eligibilior. ibid.
Sacrorum militum procedentium ad bellum alacritas. ibid. 746,a
Eligibilius est in honesto bello milites occumbere quàm cum dedecore viuere. 747,a & b

Minerua.

Minerua quare armata depicta fuerit. 712,b

Fratres Minores.

Ordo Fratrum Minorum pro aliorum vtilitate fuit institutus. 812, b. 813,a & b. 814,a
Fratres Minores noui Orbis, & Orientalis & Occidentalis Indiæ primi fuerunt prædicatores. 169,a
Fratrum Minorum paupertas Euangelica est & maxima. 188,a
Possunt Fratres Minores recipere domos à Dominis temporalibus omnia ad victum & vestitum necessaria prabentibus, ita vt non sit eis necesse illa mendicare. 186,a
Possunt in perpetuum recipere legatum relictum ad cultum diuinum, verbi gratia ad comparandum vinum pro Sacristia, frumentum pro hostiis, oleum pro lampadibus, &c. ibid.
In particulari & in communi nihil proprium possident. 187,b
Solum vsum facti habere possunt. 188,a
Fratres Minores dispensationes Pontificum accipiantes ob malum bonum, non sunt Regulæ suæ transgressores. 814,a & b
Fratres Minores quando licitè possint recurrere ad pecunias. ibid.
Fratres Minores à contrectatione pecuniæ cauere debent. 815,a & b
An possint recipere pecunias pro sublenamine pauperum. 814,a & b. 815,a & b
Quomodo intelligendum sit, Ministros Fratrum Minorum non posse reseruare casus nisi in Capitulis. 438,a
Guardianus Montis Sion potest Confessariorum suorum auctoritatem restringere in parte, sed non in toto. 437, b. 438,a
Qui interfunt prædicationibus Fratrum Minorum qualibet vice lucrantur centum dies Indulgentiæ. 458,b
Fratribus Minoribus meritis S. Francisci relicta est custodia Terræ sanctæ. 164,b
Fratrum Minorum loca & Monasteria cum numero Religiosorum in Terra sancta. ibid.
An Fratres Minores Conuentuales inhabitauerint Terram sanctam, & an priores sint Fratribus Minoribus Obseruantibus. 179,a & b
Explicatur dictum Patris Francisci Gonzagæ. ibid.
In Fratrum Minorum Ordine semper viguit & Dei ope vigebit obseruantia. 187,a & b
Hoc fuit S. Francisco reuelatum. ibid.
Quomodo eorum domus ex priuilegio dicantur Conuentus. 178,b. 179,a
Notabilis sententia Illustrissimi ac prudentissimi viri de vtilitate Ordinis Minoritani pro infidelium conuersione. 169,b
Comparatur Ordo Fratrum Minorum lapillo Damelis succrescenti in montem magnum. ibid.
Soli Fratres Minores posterioribus seculis, scilicet ab anno 1304, vsque nunc, Terram sanctam inhabitant, & loca sacra custodiunt. 170,b
Inter Ordines à S. Francisco institutos, primus absque vllo addito dictus fuit Fratrum Minorum. ibid.
Quo anno ille cæperit, & quousque nomen illud nuncupatum retinuerit. ibid.
Duæ causæ relaxationis Minoritani Ordinis. 171,a
Semper fuerunt aliqui Obseruantes in Ordine Minorum, & Regulæ puritas. ibid. a & b
Accidentaria Ordinis diuisio quomodo facta. ibid.b
Essentialis ratio & vera Ordinis vnitas sumenda est à sanctis & bonis Fratribus, qui semper in eo fuerunt. 172,a
Ex laxiori Regulæ Obseruantia aliqua etiam in Ordine nominis facta est mutatio. ibid.
Quidam Minores Reformati vel Obseruantes, quidam Minores de Communitate vel Conuentuales dicti sunt. ibid.
Conuentualis nomen tripliciter accipitur. ibid.
Quomodo acceptum, vt proprium sit Minoribus qui bona & reditus in communi possident. ibid.b
A tempore S. Francisci vsque ad Concilium Constantiense in Ordine Minorum mutatio nominis facta non est, quantum ad nomen Conuentualis, prout est distinctiuum & proprium. ibid.
Conuentualis nomen, vt distinguat Fratres sub Ministris viuentes ab Obseruantibus de Familia sub Vicariis, quando & cur sit introductum. 173,a
Conuentualis nomen prout enuntiatur de Fratribus Minoribus bona & reditus in communi possidentibus, quando & quomodo sit introductum. ibid. & b
Fratres Minores S. Francisci Regularis Obseruantiæ quando, à quo, & quare sic dicti sint. 173,b. 174,a
Quomodo & quo tempore Ordo Minorum ad locorum Terræ sanctæ regimen destinatus fuerit. 174,b
Prima sententia de hac re proponitur. ibid.
Secunda refertur. 175,a
Tertia adducitur. ibid.

Refelluntur, & in bono ſenſu interpretantur. ibid.
Ante annum Domini 1257. Fratres Minores habitauerunt in Terra ſancta. ibid.b
Minorita ante inſtituti ſui diuiſionem ac nominis mutationem auctoritate expreſſa Pontificis habitauerunt in Terra ſancta ab anno 1342. vſque ad annum 1428. 176,b
Robertus Sicilia Rex & Sancia eius vxor obtinent loca ſancta pro Minoritis. ibid.
Clemens VI. concedit & confirmat traditionem locorum Terræ ſanctæ Minoritis. 177,a
Mutatione accidentaria in Ordine facta, Minoritæ de Communitate dicti cuſtodierunt loca ſancta ab anno 1428. vſque ad annum 1438. ibid.& b
Fratres Minores de Familia, ſiue Obſeruantes, cuſtodierunt loca ſancta ab anno 1438. vſque modò. ibid.b
B. Ioannes à Capiſtrano accepit loca Terræ ſanctæ pro Obſeruantibus. ibid.
Loca ſancta ſemper cuſtodita fuerunt à Fratribus Minoribus profitentibus Regulam S. Franciſci ſecundùm eius puritatem. ibid.
Cur voluerit Deus à Fratribus Minoribus Terram ſanctam inhabitari & cuſtodiri. 178,a
Fratribus Minoribus non omnis denariorum contactus interdictus eſt. 190,b. 193,b
Non eſt contra eorum Regulam nummos alienos in periculoſo itinere penes ſe deferre. ibid.
Quid ſit denarios per ſe vel per interpoſitam perſonam recipere. ibid.
Fratres Minores poſſunt deportare ferrum & reliqua pro ſuis & fidelium vſibus neceſſaria ad partes infidelium. 181,a. 191,b
Fratres Minores Terræ ſanctæ non poſſunt per ſe vel per aliam perſonam nummos vel pecuniam recipere, contrectare, & adminiſtrare, nec procuratorem ex Fratribus inſtituere explicita auctoritate Pontificia. 191,a
Non habent dominium nummorum vel pecuniarum oblatarum, nec habent vel habere poſſunt auctoritatem in terris infidelium eas iuxta beneplacitum diſpenſandi & politicè pertractandi. ibid.b
Non repugnat ſtatui eorum diſpenſare aliena auctoritate eleëmoſynas vel pecuniam. ibid.
Guardianus ſacri Montis Sion implicita euidente auctoritate poteſt per ſe vel per aliam Fratrem diſpenſare eleëmoſynas in locis infidelium. ibid. & 193,a. 194,a & b
Vſus tamen non eſt exponendi menſas vel cippos ad eleëmoſynas colligendas, nec ad Præſepe Domini, nec alibi. 193,a
Fratres Minores Terræ ſanctæ, præſertim Guardianus, in aliquibus quodammodò ſuccedunt Chriſto & Apoſtolis in prælatione & Epiſcopatu. 196,a
Ob neceſſitatem poſſunt recipere ac diſpenſare pecuniam. 197,a
An Fratres Minores ad locorum Terræ ſanctæ cuſtodiam deputati, pro eorum cuſtodia poſſint pecunias recipere & diſpenſare, prout expedire iudicauerint, ad conſeruationem illorum locorum. 189,a & ſeqq.
Sententia negatiua proponitur cum ſuis rationibus. ibid.
Sententia affirmatiua ſtatuitur, & probatur. 190,a
Reſpondetur argumentis ſententiæ negatiuæ. 197,b. 198,a & b
Quænam in Regula Fratrum Minorum ſint diſpenſabilia, quæ indiſpenſabilia. 198,a & b
Fratres Minores ſunt habiti idonei Terræ ſanctæ cuſtodes. 199,a
Fratres Minores licitè peregrinantur ad Terram ſanctam, & eiuſdem curam habent. 810,a & ſeqq.
Peregrinatio locorum ſanctorum quomodo ſit præcepta Fratribus Minoribus. 810,b. 811,a & b
Maximus honor eſt Fratribus Minoribus, quòd cuſtodiant loca ſancta. 808,b
Argumenta proponuntur, quibus nonnulli probare nituntur, peregrinationem ad loca ſancta & manſionem in eiſdem non expedire Fratribus Minoribus. 808,b & ſeqq.
Reſpondetur argumentis. 810,b & ſeqq.
S. Franciſco in partibus infidelium peregrinante multi fiunt Fratres Minores. 164,a
Monachi Benedictini in Syria Minores efficiuntur. ib.d.b
Dilatatur Minorum inſtitutum in Syria. ibid.
Quibus conditionibus ornati eſſe debeant Fratres Minores, qui ad cuſtodiam locorum Terræ ſanctæ, vel ad alias infidelium partes deſtinandi ſunt. 816,b & ſeqq.
Primò, debent à Spiritu ſancto moueri. 817,a & b. 818,a & b
Quare Fratres Minores, qui à Spiritu ſancto moti ſunt ad aſſumendam peregrinationem Ieroſolymitanam, facultatem petere debeant à ſuis Prælatis. 819,a & b
Quare deſiderantes ire ad infideles petere debent licentiam à Miniſtris ſuis Prouincialibus, & non à Miniſtro Generali. ibid.b. 820,a
Non eſt danda eis licentia, niſi priùs mittendorum informatio habeatur. 820,a. 823,b
Facultas mittendi Fratres ad loca ſancta quibus conceſſa ſit. 820,b. 821,b
Habentes licentiam à Pontifice, debent etiam ſuorum Superiorum habere conſenſum. 821,a
Fratres Minores ad Terram ſanctam mittendi debent eſſe voluntarij. 812,a & b
Debent habere vitæ ſanctitatem. ibid.b
Alia requiritur idonietas in Sacerdotibus, alia in laicis. ibid.
Quinam graues & idonei cenſeantur. 823,a
Quales debeant eſſe ex mente S. Franciſci Fratres Terræ ſanctæ. ibid.b
Fratres Minores in ipſo itinere ad Terram ſanctam ollo debent obſeruare. 819,a & b. 830, a & b. 831,a
Vide ſub titulo Peregrinatio.
Cur è reliquis Ordinibus ſolus Fratrum Minorum à Deo delectus ſit ad cuſtodiam locorum Terræ ſanctæ. 199,b
Terram ſanctam Deus Franciſco & Fratribus eius promiſit. ibid.& 200,a
Fratres Minores in Terra ſancta habitant, vt infideles inſtruant. 200,b
Ordo Fratrum Minorum ad infidelium conuerſionem eſt ordinatus. 201,a
Figuræ & Prophetiæ miniſterij Fratrum Minorum. ibid.b
Dicitur Ordo Columbinus. ibid.
Fratres Minores admiſſi ſunt vt habitarent in ſancta Ciuitate, vt in ea ſemper eſſet exemplar vitæ Apoſtolicæ. 202,a
Deinde hoc factum eſt, vt cognoſcatur à Deo ipſo gubernari loca ſancta. ibid.b
Item, ob conformitatem S. Franciſci cum Chriſto. 203,a. 205,a

Item, ob altiſſimam paupertatem. 203,b
Item, vt ſecurius loca ſancta conſeruentur. ibid.
Item, ob iuſtitiæ congruentiam. 205,b
Aliqui Fratres Minores fuerunt Reges Ieroſolymitani. ibid.
Ioannes Brenna Imperator Conſtantinopolitanus & Rex Ieruſalem fuit Frater Minor. ibid. & 206,a
Robertus Siciliæ Rex cum habitu Minorum deceſſit è vita, & eius vxor Sancia fuit Clariſſa. ibid.
S. Ludouicus Rex Galliæ fuit Tertij Ordinis ſancti Franciſci. 206,a
Philippus III. Hiſpaniarum Rex cum habitu Minorum obiit. ibid.
Electis Catholicis Fratres Minores loca Terræ ſanctæ inhabitant Turca permittente. 213,a
Quæ loca Terræ ſanctæ ex ſpeciali facultate data ſint Fratribus Minoribus. 180,a & b. 181,a & b
Chriſtus & Maria Ordinis Minorum fautores ſunt. 180,b
Nonnulli Fratribus Minoribus locorum ſanctorum regimen adimere conantur. 182,a & b
Adferuntur rationes. ibid. b. 183,a
Oppoſitum probatur ex quadruplici capite. 183,a
Primò, ratione collationis Pontificiæ. ibid.
Secundò, ratione præſcriptionis. ibid.b
Non ex perſona propria, ſed nomine Pontificis. 184,a
Tertiò, ratione ſententiæ Delegati Pontificis. ibid.b
Quartò, ratione confirmationis Papæ. 185,a
Reſpondetur ad rationes contrarias. ibid. b. 186, a & b. 187,a
Quomodo Fratribus Minoribus competat ius præſcriptionis. 184,a
Quibus eleemoſynis ſuſtententur Minoritæ Terræ ſanctæ. 188,a
Miniſtrium illorum in Terra ſancta. ibid.b
Fratres Minores Ieroſolymis humaniter tractant hæreticos. 860,b
Omnes Terræ ſanctæ peregrini ad Fratrum Minorum hoſpitium diuertunt. 242,b
Fratrum Minorum Conuentus Ieroſolymis eſt hoſpitale peregrinorum. 876,b
Fratres Minores cum privilegiis ſummorum Pontificum ſibi conceſſis ſecurè viuunt in Terra ſancta. 441,b
Sic viuentes probabile eſt obſeruare Regulam ſecundùm literam. 442,a
Tantum merentur cum privilegiis relaxantibus ibi viuentes quàm alibi ſine illis. 443,a & b
Fratrum Minorum, præſertim habitantium in Terra ſancta, privilegia vide ſub titulo Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. Gregorius X. Martinus IV. Bonifacius VIII. Clemens V. Ioannes XXII. Clemens VI. Innocentius VI. Vrbanus V. Gregorius XI. Vrbanus VI. Ioannes XXIII. Martinus V. Eugenius IV. Nicolaus V. Calliſtus III. Paulus II. Sixtus IV. Alexander VI. Clemens VII. Pius IV. Gregorius XIII. Sixtus V. Paulus V. Gregorius XV. Vrbanus VIII. *& ſub titulo* Priuilegia.
Guardianus Montis Sion Ordinis Fratrum Minorum qualis ſit Prælatus. 429,a
Guardianus ſacri Montis Sion ex Ordine Fratrum Minorum fuit à multis annis & eſt actualis Præſul Terræ ſanctæ; & eſt Prælatus Ordinis ac Pontificis. 465,b
Eius auctoritas maior eſt quàm aliorum Guardianorum. ibid.& 466,a
Eſt ſimul Cuſtos Terræ ſanctæ primi legiatus. 466,a. 467,a
Cuſtodis nomen in Regula & Conſtitutionibus Fratrum Minorum dupliciter ſumitur. 466,a & b
Facultas ac dignitas Guardiani Montis Sion. 467,a & b
An Vicarius ſine Præſes ſacri Montis Sion eandem habeat auctoritatem quàm Guardianus. 468,a & ſeqq.
Argumenta pro parte negatiua proponuntur. 468,a
Pars affirmatiua verior eſt, & probatur. ibid.& b
Vicarij nomen in Ordine Fratrum Minorum multiplex eſt. ibid.b
Vicarij electio multipliciter fit. ibid.& 469,a
Vicarius ſacri Montis Sion Guardiano præſente non eſt Prælatus. 469,a
Quis tamen in abſentia Guardiani eſt Prælatus. ibid.b
Manet in officio, ſi contingat Guardianum abſentem mori, vel officio defungi. 470,a & b
Aliter tamen practicatur Ieroſolymis. ibid.b
Vicarius ſacri Montis Sion capitulariter electus, eſt verus & legitimus Prælatus, ſicut Guardianus. 471,a & b
Quare Præſides ſeu Vicarij Terræ ſanctæ non ſemper vtantur ſuis privilegijs. 472,a
Acta Capituli Generalis Loſanæ celebrati 1414. pertinentia ad loca Terræ ſanctæ. 472,a & b. 473,a & b. 474, a & b.
Alia Conſtitutiones generales pro ſacris locis Ieruſalem & Terræ ſanctæ. 474,b. 475,a & b
Plura privilegia Præfecti Terræ ſanctæ. 475,b
Primò, poteſt quos voluerit Fratres ſuæ familiæ adſcribere, aduocare, ſecum ducere ad Terram ſanctam. ibid.& 476,a
Secundò, habet auctoritatem in omnes Fratres in Syria exiſtentes. 476,a & b
Tertiò, poteſt admittere & remittere quos voluerit Sacerdotes & Religioſos in his partibus. ibid.b. 477,a
Quartò, poteſt mittere Fratres pro eleemoſynis ad partes fidelium & infidelium. 477,b
Qualis ſit hæc poteſtas. 478,a & b. 479, a & b
Quintò, poteſt Guardianus Montis Sion punire Fratres ſine legitima facultate ad Terram ſanctam venientes. 485,a
Poteſtas dandi facultatem Fratribus, eundi ad Terram ſanctam pertinet tantùm ad Miniſtrum generalem, Commiſſarium generalem Cismontanæ Familiæ, & Guardianum Montis Sion. 486,a
Mendicantes Religioſi differunt à Quæſtoribus. 478,b. 479,a
An Fratres miſſi pro eleemoſynis à Præſide ſacri Montis Sion ab aliquo Epiſcopo vel Ordinis Prælato impediri poſſint. 478,a & b. 479, a & b. 480, a.
An eleemoſyna pecuniaria vel alia poſſint auctoritate Guardiani Montis Sion vel Miniſtri generalis Ordinis expendi non ſolùm pro Fratribus Terræ ſanctæ, ſed etiam pro aliorum Fratrum & locorum eius curæ non commiſſorum neceſſitate, ſalua obſeruantia puritatis Regulæ Seraphicæ. 480,a & b & ſeqq.
Argumenta pro parte affirmatiua proponuntur. ibid.
Soluuntur illa argumenta. 484,b. 485,a
Contraria ſententia approbatur. 480,b

Elec-

Digitized by Google

Eleëmoſyna pro locis ſanctis non poſſunt in alios vſus expendi. 481,a
Obiectiones in contrarium ſoluuntur. ibid b. 482, a & b. 483,a
Eleëmoſyna indifferenter oblata poſſunt inſumi à Miniſtro generali in aliorum ſubſidium, non tamen à Guardiano Montis Sion. 483, a & b
Poteſt Guardianus Montis Sion eleëmoſynas locis ſanctis oblatas diſpenſare pro Fratribus ſibi ſubiectis, modò de oppoſita dantium intentione non conſtet. ibid.b
Auctoritate tamen Apoſtolica cautum eſt, ne vllus eleëmoſynas Terræ ſanctæ in alios vſus conuertat. 484, a
Vide Eleëmoſyna.
Guardianus Montis Sion poteſt recipere quoſcunmque ſaculares ad Tertium Ordinem S. Franciſci. 486, b
Poteſt in eodem Tertio Ordine Miniſtrum inſtituere. ibid.
Equites Dominici Sepulchri poteſt inſtituere. 487, a
Lectores, ſeu Doctores S. Theologiæ, Iudices & Notarios creare. 488,a
Priuilegiatus eſt in benedictione Crucium SS. Trinitatis. ibid.b
Poteſt Pontificiis ſeu Epiſcopalibus indumentis vti in diuinorum Officiorum celebratione, vel Sacramenti Confirmationis adminiſtratione. 488, b. 489,a
Fratres Minores Terræ ſanctæ poſſunt extero Sacerdoti confiteri deficiente proprio ſui Ordinis. 489,b
Vbique de Prælatorum licentia poſſunt ſua peccata confiteri cuilibet Sacerdoti inſtinere. 490,a
Virtute priuilegij poſſunt etiam ſeclusa fraude abſolui à reſeruatis. ibid. & b
Poſſunt Fratres Minores Terræ ſanctæ recipere omnes Ordines etiam ſimul à quolibet Epiſcopo, interſtitiis non ſeruatis. ibid. b 491, a & b
Abſque Epiſcopi examine Ordines recipere poſſunt. 491, b
Fratres Minores Terræ ſanctæ quantum ad Sacramentorum adminiſtrationem varia habent Summorum Pontificum priuilegia. 492, a & b
Poſſunt baptizare in partibus infidelium. 493, a
Baptizatos confirmare. ibid. & b
Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare. 494, a
An ſine alia approbatione Epiſcoporum aut Superiorum id facere poſſint, examinatur. ibid.
Pro parte negatiua argumenta proponuntur. ibid. & b
Soluuntur. 496, a
Poſita diſtinctione reſpondetur, Fratres Terræ ſanctæ, ſiue approbatos ſiue non approbatos à ſuis Superioribus ſiue Epiſcopis, ſtatim ac terras infidelium attigerint, vbi non eſt nec haberi poteſt Prælatorum & Ordinariorum præſentia, poſſe Fratrum ac ſæcularium confeſſiones audire, ſi alias ſint idonei. 495, a & b
Fratres Terræ ſanctæ tranſeuntes per infidelium terras, vbi ſunt Epiſcopi vel alij Ordinarij Catholici, debent ſe illis præſentare oſtendendo ſuam facultatem; tamen non indigent alia approbatione, niſi reſpectu caſuum illis reſeruatorum, ſi ſuper illos non habeant ſpecialem aliquam Summi Pontificis auctoritatem. ibid. b. 496, a
Licet non ſit neceſſarium, laudabile tamen eſt, Fratres gaudentes memoratis Pontificiis priuilegiis, ſi habere poſſunt præſentiam ſuorum Prælatorum, petere licentiam illis vtendi, vel epiſtolis exquirere. 496, a
Guardianus Montis Sion habet facultatem abſolutam approbandi Fratres quoad confeſſiones audiendas, licet trigeſimum ætatis annum non exceſſerint. ibid. b
Fratres Minores Terræ ſanctæ in mortis articulo poſſunt eligere quemcunmque voluerint Confeſſarium. 456, a & b
Fratres Minores Terræ ſanctæ cum ſola contritione poſſunt conſequi Indulgentiam plenariam. ibid. b. 457, a
Vicario generali in auctoritate ſupra Fratres Terræ ſanctæ ſuccedit eiuſdem Terræ Prafectus. 457, a
Auctoritas Confeſſariorum in terris infidelium. ibid.
Prædictæ gratiæ & aliæ ſunt communes Minoritis in aliis mundi partibus habitantibus. ibid. b
Fratres Minores Terræ ſanctæ poſſunt Sacramentum Euchariſtiæ fidelibus in partibus infidelium adminiſtrare. 497, a
Minores Ordines conferre nouiter conuerſis, ſiue ſit copia Epiſcoporum ſiue non. ibid.
Aſſiſtere contrahentibus matrimonium. ibid. b
Si quis de nouo conuerſus ordinaretur in Diaconum vel Subdiaconum, & poſtea matrimonium contraheret, poſſunt diſpenſare Fratres Terræ ſanctæ, vt in matrimonio perſiſtat. ibid.
Diſpenſare poſſunt cum nationibus eorum prædicationi commiſſis, ſi aliqui ex ipſis contraxerint matrimonium in gradibus Eccleſiaſtica ſed non diuina lege prohibitis, vt in ipſis permaneant. 498, a
Cum conuerſis qui fuerunt infideles vel ſchiſmatici, & vxores conſanguineas prius duxerunt, modo tamen diuina lege non interdicto, vt cum ipſis manere valeant, diſpenſare poſſunt. ibid. & ſeqq.
In cauſis matrimonialibus quæ ad eos deferuntur cognoſcere poſſunt. 502, a & b. 503, a
Sacramentum Extremæ vnctionis poſſunt adminiſtrare. 503, a
In Sacramentis Oleo & Chriſmate veteri nouo deficiente vti poſſunt. ibid.
Prædictis priuilegiis etiam alij Religioſi gaudere poſſunt, & qui. ibid. b
Fratres Minores Terræ ſanctæ poſſunt excipere omnium confeſſiones, & ab omnibus caſibus Epiſcopis reſeruatis abſoluere. 505, a. 506, b
Excommunicatos à Canone vel alio modo iuxta Eccleſiæ formam abſoluere poſſunt. 505, b. 506, a. 507, a
Item à cenſuris & pœnis. 506, b
Facultatem illam poteſt Guardianus Montis Sion committere alteri Sacerdoti Regulari vel ſæculari. 507, a
Guardianus Montis Sion eſt Papæ Delegatus. ibid. b
Fratres Minores Terræ ſanctæ poſſunt ſemel ab infidelitate abſoluere. 508, b
Item, à tribus grauiſſimis exceſſibus, apoſtaſia, hæreſi, & ſchiſmate. ibid.
Poſſunt generaliter ab omni excommunicatione abſoluere redeuntes ad ſanctæ Eccleſiæ vnitatem. 509, a
Etiam ad hæreticos relapſos eorum auctoritas ſe extendit. ibid. & b
Quomodo Fratres Terræ ſanctæ habere ſe debeant cum

cum Græcis, Armenis, &c. quoad confeſſiones eorum audiendas. 510,a & b 511,a
Fratres Terræ ſanctæ poſſunt abſolvere eos qui ſine licentia Papæ eò veniunt. 511,a & b
Guardianus Montis Sion poteſt dare licentiam mercatoribus, vel aliis citra vel ultra mare habitantibus, viſitandi Terram ſanctam. 512,a
Fratres Terræ ſanctæ compellere poſſunt ſæculares in partibus illis inordinatè viventes cenſuris Eccleſiaſticis. ibid.b
Fratres Minores Terræ ſanctæ habent auctoritatem diſpenſandi ordinariam, ſine quam totus Ordo habet. 515,b
In quibus irregularitatibus poſſint diſpenſare. 516,a
In pluribus caſibus poſſunt diſpenſare. ibid.& b
Fratres Terræ ſanctæ habent auctoritatem Legatorum à latere. ibid.b
Poſſunt ante diem illuceſcentem celebrare. 517,b. 521,a
In quibuſnis locis in quibus morantur, & per quæ tranſeunt, poſſunt celebrare. 518,a. 521,b
Seclusa neceſſitate non poſſunt Minoritæ de nocte celebrare in Terra ſancta. 521,b. 522,a
Vide Miſſa.
Fratres Minores inter infideles degentes poſſunt benedicere veſtes Sacerdotales, corporalia, calices, altaria, cœmeteria, &c. 524.b. 525,a. & ſeqq.
Fratres Minores inter infideles degentes poſſunt dare Indulgentias, & vota commutare. 528,b. 529,a & b
Fratres Minores Terræ ſanctæ poſſunt cum excommunicatis in partibus infidelium in verbo, officio, cibo, &c. communicare. 530,a
Poſſunt legitima ex cauſa permittere infideles, vel ſchiſmaticos, vel excommunicatos ſuis Officiis intereſſe. ibid.
Fratres Minores in terris infidelium habitantes poſſunt nova loca in illis partibus recipere. 533,b. 534, a & b
Specsali facultate retinent & retinuerunt loca aliqua in Terra ſancta. 535,a
Poſſunt ex Chriſtianitate ad illas partes deferre ferrum, ligna, &c. ibid. & b
Medicamenta ab infidelibus recipere poſſunt. ibid.b. 536,a
Sunt immunes ab irregularitate, ſi mutilent vel occidant infidelem pro ſui & locorum ſanctorum defenſione. 536,b
Poſſunt quaſlibet eleëmoſynas in Terra ſancta recipere. 537,a & b
Procuratores ſuos deponere poſſunt. ibid.b
Poſſunt pecunias cuſtodire. ibid.& 538,a
Emere & vendere poſſunt. 538,b. 539,a
Computum exigere à pecunias expendentibus poſſunt. 539.b
Præſul eorum poteſt in arduis Regulæ cum itinerantibus Fratribus diſpenſare. ibid.
An Fratres Terræ ſanctæ, peregrini vel incolæ, poſſint pecunias ſibi loco eleëmoſynæ datas, pro ſuis neceſſitatibus apud Procuratorem depoſitas habere de licentia Guardiani. 540,a
An poſſint tuta conſcientia ex pecuniis ſibi datis emere aliqua devotionalia, &c. ibid.b
An illa devotionalia recipere vel aliis donare poſſint. ibid.
Auctoritas Vicario generali Fratrum Minorum Ciſmontano à Sixto IV. conceſſa modo in Miniſtro generali & Commiſſario item generali Seraphici Ordinis Ciſmontana Familiæ reſidet; & quare. 906, b
In rigore emere poſſe Minoritis conceditur; nec latè ſumendo emere prohibetur. 909,b
Minoritis in Chriſtianitate omnia interdicta ſuperflua; quibus pro neceſſitate licitus ad amicos ſpirituales recurſus. 912,b
Congregatio in futurum Minoritis in Chriſtianitate prohibita, non in Terra ſancta. ibid.
Promiſio abundans & ad aliquod tempus in Terra ſancta Minoribus licita, ob pericula quibus ſubiiciuntur ad Terram ſanctam miſſa. 913,a
Collectæ quando in Chriſtianitate Minoribus licitæ. ibid.
Minoritis in Terra ſancta degentibus non tantùm pro præteritis, præſentibus, ſed etiam pro futuris neceſſitatibus ad pecunias & collectas pro non modico tempore recurrere licet. ibid.b
Electus ſacri Montis Sion Guardianus ſecum ex Chriſtianitate Syndicum ducat, prout veteres fecerunt Patres, Pontifices conceſſerunt, voluerunt qui loca ſancta Minoribus procurarunt, & ſtatuta Seraphici Ordinis generalia decreverunt. 919, a & b
Per Syndicum loca ſancta gubernandi modus ab antiquo obſervatus. 920,a
Sanctorum locorum regimen per Syndicum ſæcularem ſupponit in ſua Bulla Vrbanus VIII. ibid.
Deficiente Syndico poſſunt Fratres Minores pecunias contrectare. ibid.& b
Guardianus & Fratres Terræ ſanctæ ante Vrbani VIII. ſecundum privilegium emebant ſanctuaria, illaque peregrinis & aliis devotis perſonis ac benefactoribus donabant, &c. num hac in malitiè, iniuſtè ac ſine auctoritate ac ratione contra Pontificis voluntatem, & contra eum quem profeſſi ſunt ſtatum, præſtiterunt? 921,b
Peculiari facultate dant Fratres Minores Terræ ſanctæ ſanctuaria & alia parvi pretij. 924,a

Miſſa.

Celebrare Miſſam nocte, excepta Nativitatis Domini & caſu neceſſitatis, eſt magnum privilegium; & qui illo gaudeant. 518,a & b. 519,b
Quod ſit tempus celebrandi ſine privilegio. 518,b
Locus communis celebrandi ſeclusò privilegio eſt Eccleſia; & quid nomine Eccleſiæ intelligatur. ibid. & 519,a
In neceſſitate extra Eccleſiam celebrare licet. 519,a
Locus particularis celebrandi eſt altare. ibid.
Fratres Minores in caſu neceſſitatis poſſunt celebrare ante & poſt unam horam ſtatutam ab Eccleſia. ibid.b
In caſu neceſſitatis poſſunt ſtatim poſt Matutinum vel poſt meridiem celebrare. 520,a
In aliquibus locis Orientis & Occidentis licitè celebratur ante diem. ibid. b
Religioſi extra Eccleſiam poſſunt celebrare in altari portatili. ibid.
Peculiari privilegio poſſunt Fratres Minores extra Eccleſiam celebrare, non item alij. 521,b. 522,b
Seclusa neceſſitate non poſſunt de nocte celebrare in Terra ſancta. 521,b
Vnde neceſſitas urgens deſumenda ſit. ibid.
Abuſus vitandus eſt. 522,a
Modificatio præſcribitur. ibid.& b
Quomodo liceat in Eccleſiis ſchiſmaticorum celebrare. 522,b. 523,a & b. 524,a

Modus

Modus ſeruandus in celebratione in locis ſchiſmaticorum. 323,b

Miſſionarij.

Quibus conditionibus ornati debeant eſſe Fratres Minores mittendi inter infideles. 816, b. & ſeqq.

Debent à Spiritu ſancto moueri. 817, a & b. 818, a & b

Quare debeant petere licentiam à ſuis Prælatis. 819, a & b

Non eſt danda eis licentia, niſi priùs mittendorum informatio habeatur. 820, a. 823, b

Facultas mittendi Fratres Minores ad loca ſancta quibus conceſſa ſit. 820, b. 821, b

Miniſtri tenentur mittere idoneos, & inidoneos prohibere. 820, a & b. 823, b

Fratres ad Terram ſanctam mittendi debent eſſe voluntarij. 822, a & b

Debent habere vitæ ſanctitatem. ibid. b

Alia requiruntur idoneitas in Sacerdotibus, alia in laicis. ibid.

Quinam cenſeantur graues & idonei. 823, a

Quales deberent eſſe ex mente S. Franciſci. ibid. b

Moab.

Moab quadrageſimaſecunda & vltima Iſraëlitarum manſio. 35, b

Monachi.

Monachi munus eſt lugere, non docere. 777, a

Mons.

Per montem quid ſignificetur. 318, b

Mors.

Sententia mortis Adæ illata, fuit argumentum diuinæ miſericordiæ. 219, b

Mors eſt melior vitâ amarâ. 214, a & b. 219, b

Moſeroth.

Moſeroth vigeſimaſeptima Iſraëlitarum manſio. 34, a

Moſeroth & Hor quomodo diſtinguantur. ibid. b. 35, a

Moyſes.

Ægyptij cuiuſdam de Moyſe vaticinium. 28, b

Moyſes diuino nutu ſeruatur. ibid.

In ſcientiis inſtruitur. ibid.

Ægyptium in Iſraëlitas iniurium occidit. 29, a

A Deo iubetur populum ſuum ex Ægypto educere. ibid.

Fugit ex Ægypto ad terram Madian. ibid.

Quanto tempore ibi manſerit. ibid.

Moyſes cur eloquentiæ defectu renuerit ire ad Pharaonem. 722, b

Deus ſex ſingulariter mandauit Moyſi Iſraëlem in Terram ſanctam introducturo. 824, b. 825, a

Moyſes quare mortis incurrerit periculum. 826, a

Omnes difficultates ſua prudentia & ſollicitudine ſuperauit. 827, a & b

Abſque Deo non vult ire ad Terram ſanctam. 717, a

Serpens aneus à Moyſe erigitur. 35, a

Moyſes de conſilio ſoceri ſui Concilium pro minoribus cauſis diudicandis inſtituit. 32, b

Exploratores mittit in Iazer. 35, b

Petra virgâ Moyſis percuſſa aquam reddit. 34, b

Moyſi ob diffidentiam prædicitur non introitus in Terram promiſſam. ibid.

Moyſis pœna, oſtenſio Terræ promiſſæ. 624, b

Moyſes moritur in monte Nebo. 35, b

Mulier, Femina.

Femina cur è latere viri ſumpta fuerit. 316, b

Quæ viri eſt mulier. 317, a

Mulieribus peregrinatio non eſt expediens. 794, b. 795, a & b. 797, b

Solitudo in mulieribus laudatur. 795, a

Mulier cerua comparatur. ibid. & b

Exempla mulierum laudabiliter peregrinantium. 804, a & b. 806, a & b

Mulieres ſunt potentiſſima arma diaboli. 717, b. 720, a & b

Balaam per mulieres Iſraëlitas expugnat. 720, a

Mundus.

Mundus cur mare dicatur. 267, a

Quamdiu mundus durabit poſt Antichriſti mortem. 337, b

Prima ſententia quadraginta quinque dies ſtatuit. ibid.

Secunda, ſeptem menſes vel annos. ibid.

Tertia aut incertum eſſe durationis tempus. 338, a & b

Probabile eſt ſeptem circiter annos interceſſuros. ibid. b. 341, a & b

In quo ſtatu futurus ſit mundus quando Dominus veniet ad iudicium. 342, b

Prima ſententia aut futurum in bono ſtatu. ibid.

Secunda in malo ſtatu futurum aſſerit; & probatur ex triplici capite, à 342, b vſque ad finem Libri primi.

Murus.

Per murum intelliguntur peccata. 252, a & b

Mutius Scævola.

Mutij Scævolæ inſignis animi fortitudo & patientia. 40, b

Myſterium.

Salutis noſtræ myſteria manifeſtiſſima fuerunt. 857, b. 858, a

Præſulum diligentia in conſeruanda memoria myſteriorum Chriſtiana religionis. 857, b

Diſcrimen inter Apoſtolos, Euangeliſtas, & inter poſteriores Eccleſiæ Præſules quoad rationem ſcribendi myſteria Chriſtiana religionis. 858, b. 859, a & b

N.

Naaman.

Naaman Syrus honoris cauſa detulit ſecum portionem Terræ ſanctæ in regionem ſuam. 864, b

Nabuchodonoſor.

Per ſtatuam Nabuchodonoſoris præfiguratur extinctio Mahometici Imperij, & Chriſti Regni dilatatio & firmitas. 313, b vſque ad 321

Caput aureum ſtatuæ ſignificat Nabuchodonoſorem & Chaldæorum Regnum. 314, a

Pectus argenteum, Perſarum & Medorum Regnum. ibid.

Venter æreus, Græcorum Regnum. ibid.

Tibia ferrea, Romanorum Imperium. ibid.

Tibiis ferreis etiam ſignificatur Imperium Mahometicum. ibid. b

Item Regnum Antichriſti. ibid. & 315, b

Hæc ſtatua paulò aliter explicatur ab Auctore. ibid. & ſeqq.

Nazareni.

Nazareni obſtiterunt quo minùs Chriſtus apud eos faceret miracula. 251, b

Nazareth.

Nominis Nazareth interpretatio. 3, a

Nazareth ciuitas datur Chriſtianis; qui eam tenuerunt quindecim annis. 752, a

Nebo.

In monte Nebo moritur Moyses. 35,b

Neceſſitas.

Neceſſitas quadruplex, præterita, præſens, imminens, futura. 912,a & b

Neceſſitas futura non eſt vera. ibid.b

Neſtoriani.

Neſtoriani, ſive Chaldæi, qui ſint; & quare ita dicti. 116,a

Neſtorius quis fuerit. ibid.

Infelix vita & mors Neſtorij. ibid.b

Mariam Virginem puri hominis matrem eſſe docebat. ibid.

Neſtoriani quinque habent Quadrageſimas. 122,b. 123,a

Non ſolum viri & mulieres, ſed etiam pueri & infirmi ieiunare debent. 123,a

Nicolaus.

Nicolaus IV. agit de recuperanda Terra ſanctæ Ieruſalem è manibus Saracenorum; & Crucefignatis eum in finem verſus Orientem proficiſcentibus, vel ſumptus præſtantibus, multa indulget. 399,a & b. 400,a & b. 401,a

Concedit Indulgentiam plenariam proficiſcentibus ad ſacrum bellum. 457,b

Nicolaus V. concedit Minoritis Terræ ſanctæ, vt poſſint omnes Ordines ſacros extra tempora ab Eccleſia ſtatuta eoſque etiam ſimul ſuſcipere ab Epiſcopo quouis Catholico ad eos accedente, vel in proximis locis habitante. 417,a & b. 490,b

Confirmat gratias à Summis Pontificibus vel Regibus Minoritis inter infideles habitantibus conceſſas. 417,b. 418,a

Nilus.

Nilus eſt fluuius Ægypti. 61,a

Quare dicatur fluuius Ægypti. ibid.b

Varias habet appellationes. ibid.

Nilus Ægypti fluuius eſt terminus Auſtralis & partim Occidentalis Terræ ſanctæ. 62,a

Nobilitas.

Nobilitas duplex, generis & virtutis. 646,b

Generis nobilitas oritur ex alienis. ibid.

Nobilitas generis duplex, maior & minor. 647,a

Nobilitas virtutis eſt propria; & hæc verè magnos facit. ibid.a & b. 672,b. 692,b

Noe virtutis nobilitate celebris eſt. 647,b

Sola generis nobilitas non eſt ſufficiens gloriæ argumentum. ibid.

Nobilior & dignior eſt in quo generis ac virtutis nobilitas reperitur. 648,a

Mercatura non obſtat nobilitati. ibid.b

Nobilitas diuerſimodè requiritur in Equeſtribus Ordinibus. ibid.

Nobilitas per lucem deſignata. 143,b

Apud Hebræos per ſtellas. ibid.

Apud Græcos per ſolis radios. ibid.

Nobiles mundi Cruce ſuam nobilitatem exornant. 674,a

Nomen.

Quid nominum mutatio in Scriptura ſignificet. 869, a & b

Nomen ſine vita inane eſt. 153,b

Numerus.

Quinarij numeri myſteria. 564,a

Eius excellentia. ibid.& b

Senarius numerus eſt ſymbolum perfectionis. 632,a

Quid per ſeptenarium numerum in Scripturis ſignificetur. 338,a

Quid per dierum numerum ab Ezechiele intelligatur. ibid.& 339,a & b

Quadragenarius numerus myſterijs refertus eſt. 339,b

Nummus.

Nummus peregrinis Terræ ſanctæ dari ſolitus qualis fuerit. 556,b

Ad quid datus ſit. 558,a

Regni ſtemmata in nummis cudere ad ſoles Reges pertinet. ibid.

Nummi varij repræſentantes ſtemmata Equitum ſanctis Sepulchris & Regnum ſanctæ Ciuitatis. 559,a & b

Nuptiæ.

Nuptiæ quare diſſuadeantur Eccleſiaſtico. 545,b. 546,a

Coniugium magis quàm mundana alia diſtrahit à Chriſti ſequela. 546,a

O.

Obedientia.

Obedientia magnum meritum. 770,b

Vita Regularis ſub Prælatorum obedientia quoddam genus martyrij eſt. ibid. & 771,a

Opus ex obedientia factum magis meritorium eſt. 819,b

Obedientia compenſat euagationem & diſtractionem. 813,a

Oboth.

Oboth trigeſimaſeptima Iſraëlitarum manſio. 35,a

Obſeruantes.

Fratres Minores Obſeruantes qui ſint, & vnde dicti. 172,a & ſeqq.

An Fratres Minores Conuentuales ante Fratres Minores Obſeruantes inhabitauerint Terram ſanctam; & an Obſeruantes Conuentualibus ſint poſteriores. 179,a & b

Explicatur dictum P. Franciſci Gonzagæ. ibid.

Fratres Minores Obſeruantes Terram ſanctam ſemper inhabitarunt, & cuſtodierunt. 177,b

Cur à Deo loca ſancta illis concredita. 178,a

Vide Fratres Minores.

Og.

Og Rex Baſan ab Iſraëlitis ſuperatur. 35,b

Opera.

Opera meritoria in genere ſunt tria, ieiunium, oratio & eleemoſyna. 888,a

Operæ alia ſunt neceſſaria, alia ſupererogatoriæ. 810,b

Opera excellentia non præcepta ſunt magni meriti. ibid.

Operum bonorum præmium ſpirituale eſt. 84,a

Deus opus exigit iuxta cuiuſque conditionem. 786,b. 787,a

Iuxta cuiuſque opus merces dabitur. 787,a & b. 788,a & b

Merces datur non pro habitibus, ſed pro operibus virtuoſis. 692,a & b. 693,a

Opera bona comitantur ante tribunal Chriſti. 693,b

Virtus magis ex operibus quàm ex titulis cognoſcitur. 689,b. 690,a

Chriſtus ex operibus cognitus fuit. 690,a

Se ad bona opera prouocare multum laudabile eſt. 769,b

In bonis operibus facilè allegantur impedimenta, quæ in malis operibus tolluntur, vel non æſtimantur. 882,a. 887,b

Quid faciendum ſit, vt opera Deo accepta ſint. 604,a

Digitized by Google

Operum præcellentia vnde ſumatur. 742,b
In omni opere Deus magis reſpicit affectum ſeu qualitatem operis quàm quantitatem. 787,b
Æquali ſtudio in vilibus ac in magnis operibus ſeu exercitiis ſe occupantes æquali donantur præmio. ibid.
Maior occaſio magis operari facit. 788,a & b

Opinio.

Communis hominum opinio plurimùm valet ad perſuadendum. 847,a & b. 852,b

Oratio.

Oratio bona eſt cum ieiunio. 721,a & b
Dæmon odit feruidam orationem. 854,b
Orationes ſunt ſpirituales hoſtiæ. 855,b
Oratio Sanctorum vtilis eſt. 290,b
Cur non ſtatim ſemper exaudiamur. 252,b
Bonorum & malorum Angelorum coram Deo pro noſtris orationibus concertatio. ibid.
Orationes ob peccata nõ exaudiuntur. ibid. & 253,a
Deus ob noſtrum commodum differt interdum concedere quod orantes petimus. 289,b
Quare, cum tempore belli oretur, ieiunetur, &c. nihilominùs plurimi fideles expugnentur. 726, a & b. 727,a & b
Scelera peccatorum orationes Sanctorum impediunt. 727,b. 728,a

Orator.

Oratores probi & eruditi in exercitu & vbique vtiles ſunt. 722,a & b. 723,a & b
Defectus Oratorum noxius eſt exercitui & Reipublicæ. 723,b

Ordinis Sacramentum.

Ordinis Miniſter proprius eſt Epiſcopus, & maiorum Ordinum ſolus Epiſcopus. 504,b
Fratres Terræ ſanctæ poſſunt recipere omnes Ordines etiam ſimul à quolibet Epiſcopo. 490,b. 491,a & b

Ordo Equeſtris. *Vide* Equites ſacri.

Orientales.

Orientales & Occidentales hæretici quomodo differant. 208,b. 212,a
Orientales ſunt ſtudioſiſſimi antiquitatis. 852,a
Orientales nationes antiquitus ieiunij obſeruantiſſimæ fuerunt. 117,b
Præſentis tempeſtatis Orientales conueniunt & differunt in ſuis ieiuniis & abſtinentiis. 118,b
Omnes ieiunant Feria quarta & ſexta. ibid.
Ratio huius aſſignatur. ibid.
Sabbatis & Dominicis diebus non ieiunant, Sabbato ſancto excepto. 119,a
Monachi Orientales regulariter carnes non comedunt, nec aliqui ouis veſcuntur. ibid.
Patriarchæ & Epiſcopi à carnibus abſtinent, non item ſæculares Presbyteri. ibid.
Circa ieiunia Orientalium difficultates aliquot mouentur, & ſoluuntur. 125,b & ſeqq.
Tenentur ſub mortali ad Pascha Quadrageſimam, non item ad alia ieiunia. 126,a
Orientales & Occidentales mutuò ſe in ſuis ieiuniis excedunt. ibid.b
Imprudentia aliquorum Orientalium in ieiunijs. 127,b

Origenes.

Origenes Ieroſolymam veniens concionem coram populo inceptam præ peccati ſui verecundia intermiſit. 777,b

Oſculari, Oſculum.

Loca ſancta oſculantur pij fideles in reuerentiæ ſignum. 867,a

P.

Palæſtina.

Palæſtina aliis Aſiæ regionibus opulentior eſt. 75,a

Pallor.

Superbia, luxuria & rerum temporalium cupiditas pallorem inducunt hominibus. 131,a

Palma.

Peregrini Ieroſolymitani cur palmas deferant. 793,a
Iuſtus palmæ aſſimilatur. ibid.

Palmira.

Palmira vbi ſtatuenda ſit. 54,b

Parentes.

Propter parentum merita Deus ignoſcit filiis. 211,b
In quibus filij teneantur imitari parentes. 807,b. 808,a

Paruuli.

Quomodo debeamus eſſe paruuli, vt intremus in regnum cælorum. 293,b

Paſchalis.

Paſchalis II. Papa ad inſtantiam Baldwini I. Ieroſolymorum Regis concedit, vt omnes ciuitates & Prouinciæ quas ipſe Rex recuperauerat, vel ac hoſtium manibus ereptura erat, ſubſint Ieroſolymitanæ Eccleſiæ. 362,b. 363,a
Indignationem Patriarchæ Antiocheni ſtuduit mitigare, data ad eum conſtitutione, qua declarat, vt quæque Eccleſia ſuum ius & honor ſeruetur. 363,a & b
Mentem ſuam interpretatur, qua intentione Regi & Eccleſiæ Ieroſolymitanæ de ciuitatum ac Prouinciarum collatione ſcripſerit. 363,b. 364,a
Regi exponit qua intentione petitis eius aſſenſum præbuerit; ſignificatque, ſe nolle Eccleſiæ Antiochenæ in aliquo indebite moleſtiam fieri. 364,a

Paſſio.

Paſſione & pugna perueniturad regnum. 629, a & b

Paſſio Chriſti.

Paſſio Chriſti conuenientior fuit noſtræ miſeriæ ſanandæ modus. 760,b
Chriſtus charitatem ſuam in paſſione manifeſtauit. 626,b. 627,a
Chriſti Regnum ex paſſione ortum habuit. 582,b. 583,a
Chriſtus paſſione abſolutum dominium ſibi comparauit. 583,a & b
Vt Dauid pugnando, ita Chriſtus moriendo Regnum comparauit. 584,a
Paſſio Chriſti cordi & corpori tamquam ſignaculum imprimenda eſt. 594,b. 595,a & b. 596,a & b. 597,a & b

Paſtores.

Cur Principes dicti ſint Paſtores. 615,b
Vide Regere.

Patientia.

Qui patiens eſt, fortiſſimus eſt. 40,b
Patientiâ Dauid Saulem vicit, & Chriſtus mundum. ibid.

Patriarchatus.

Eccleſia Ieroſolymitana Patriarchali dignitate decoratur. 460,a
In principio naſcentis Eccleſiæ tres fuere primariæ Sedes Patriarchales, Romana, Alexandrina, Antiochena; quibus acceſſit Conſtanti-

tinopolitana, & Ieroſolymitana. ibid.
Vide Ieroſolyma.

Paula.

Paula Romana mirabilis conſtantiæ & affectus exemplum. 763,a & b

Paulus.

Paulus II. Petro Maronitarum Patriarchæ Antiochenо mittit articulos quoſdam credendos, Patrum ſententiis comprobatos: electionem eiuſdem factam ſuper Eccleſiam Antiochenam & ordinationes editas approbat, ſpiritualem temporalemque concedens poteſtatem. Eo commendat Fratrem Griſonem & conſodales Franciſcanos; & ut horum adhæreat dictis etiam ſuo nomine proponendis, mandat, ſeque, quoad fieri poteſt, ſacræ Romanæ Eccleſiæ conformet; & planetam ex propriis mittit. 903,b.904,a & b.905,a

Paulus V. ſub Apoſtolicæ excommunicationis latæ ſententia aliiſque pœnis præcipit, ut bona à piis fidelibus quomodocumque locis Terræ ſanctæ relicta, ab iniuſtis detentoribus reſtituantur; & ut qui eorumdem detentores nouerint, eoſdem notificent; & ne quis ea in alios quoſuis eiſi pios uſus conuertere audeat. 426,b.427,a & b.428 a

Concedit Indulgentias & varias gratias crucibus & coronis in ſancta ciuitate Ieruſalem, vel Bethleem, & lignis inde aſſumptis, elaboratis, à Fratribus gratis diſtribuendis. 454,b

In quo Pauli V. conſtitutio Vrbani VIII. conſtitutioni aduerſetur. 922,a

S. Paulus mirabili modo Chriſti miles effectus eſt. 310,a & b

Quomodo dicatur vas electionis. ibid.b

S. Pauli ſollicitudo pro pauperibus Ieroſolymitanis. 885,b

S. Paulus fuit velut terra fluens lacte & melle, propter doctrinam & lac ex eius præciſo capite profluens. 84,a

Locus vbi iacuerunt corpora SS. Petri & Pauli ab Angelis honoratus & cuſtoditus fuit. 801,a

Pauper.

Pauperes & diuites cur ſint in mundo. 884,b

Ex iuſtitia tenentur diuites ſubuenire pauperibus. 885,a

Pauperes eleëmoſynarum domini dicuntur. ibid.

Sollicitudo S. Pauli pro pauperibus Ieroſolymitanis. ibid.b

Quis verè pauper dicendus ſit. 620,b

Pium eſt pauperibus ſubuenire. 887,a & b

Quidam pro luxu & vanitatibus magis ſolliciti ſunt quàm pro pauperibus. ibid.

De ſuo oportet ſubuenire pauperi. 815,a

Pauper miſericors magis commendatur. 878,a

Qui dat pauperi eleemoſynam, Deus eius bona multiplicat. 877,b.878,a

An pauperes ſint onerandi, vel ſubſidium ab eis extorquendum pro bello ſacro & recuperatione Terræ ſanctæ. 707,b.708,a & b

Paupertas.

Paupertas Chriſti qualis fuerit. 195,b

Paupertatis virtus in barbarorum feris mentibus mitigandis. 157,a & b

Paupertas Euangelica.

Euangelica paupertas in duplici eſt differentia. 188,a

Pax.

Pax & concordia debet ſeruari inter ſubditos & milites in Republica & exercitu. 725,a & b

Vbi pax, ibi Deus. ibid.a

Apoſtoli præliaturi pace & concordia muniuntur. ibid.b

S. Dominicus ad vnionem & concordiam hortatur S. Franciſcum. ibid.

Pacis vtilitas, & diſcordiæ pernicies. 914,a

Peccata.

Peccatis Eccleſia maculatur, hæreſibus verò ſcinditur. 312,b

Propter peccata Catholici à Deo affliguntur, & hoſtibus ſubiiciuntur. 212,b

Dei beneficia hominibus conferenda propter peccata eorum non ſortiuntur effectum. 51,b

Peccata dicuntur muri, quia ſeparant à Deo. 252,a & b

Propter noſtra peccata mali angeli prævalent bonis. 251,a

Peccata impediunt influxum diuinorum munerum, ibid.b. 252,a & b

Peccata malorum impediunt orationes Sanctorum. 727,b

Peccata militum ſunt cauſa amiſſionis victoriæ. 718,a & ſeqq.

Peccatum eſt cauſa amiſſionis Regni. 619,a & b. 623,b.624,a

Propter peccata Deus magis in bonis gratuitis quàm in naturalibus punit. 81,a

Delinquere in locis ſanctis grauius eſt peccatum. 865,a

Chriſtianorum peccata maximè execratur Deus, & de illis vindictam ſumit. 280,a & b.283,a & b. 284,b

Peccata Chriſtianorum maiora ſunt quàm Turcarum & aliorum infidelium. 245,a

Chriſtianorum peccata grauiùs ſentit Deus quam infidelium. ibid. & b.247,a & b

Propter enormia peccata Chriſtianorum Terra ſancta vaſtata eſt, & ab infidelibus occupata. 239, a & ſeqq.

Item, propterea multa alia Prouincia amiſſa ſunt. 246,a & b.247,b

Propter peccata Chananæa facta eſt ſterilis. 80,b

Peccatorum pœnitudo eſt donum ſupernaturale. 317,a

Omnes peccatorum occaſiones ſuperandæ & exterminandæ ſunt. 294,b

Peccato remiſſo fomes relinquitur. 91,b

Peccator.

Peccatores ſunt equi diaboli. 717,b

Peccatores hic non puniri, magnæ indignationis Dei eſt argumentum. 243,b

Peccatores non ſunt odio habendi, quia poſſunt conuerti. 329,a

Piſcibus comparantur peccatores. ibid.

Peccator per immiſſas tribulationes illuminatur, & ad Deum redit. 288,b.289,a & b

Deus in ſubitanea punitione peccatorum iuſtitiam, & in pœna dilatione patientiam oſtendit. 515,b

Dei miſericordia & iuſtitia erga peccatores, quos non ſtatim è medio tollit. 218,a & b. 219, a & b

Dei patientia adducit peccatores ad pœnitentiam. 218,b

Diuina iuſtitia & miſericordia erga peccatores. 37,b. 39,b

Cum peccantibus in terris infidelium ſuauiter procedendum eſt. 512,b. 513,a

Conuerſio peccatoris maius eſt opus quam mundi creatio. 323,a

Peccatoris iuſtificatio eſt opus diuinitatis. ibid & b

Peccatores efficaciter vocabit Deus post tempora Antichristi. 323,b

Pecunia.

Ex pecunia Ierosolymam pro eius conservatione transmissa non ditatur Turca. 875,b
Ditatur autem ex pecunia à Christianis ad has partes missa. ibid.
Pecunia est nervus belli. 876,a
Pecunia dicuntur arma. ibid.
S. Franciscus quomodo dixerit pecuniam nihil aliud esse quàm dæmones & serpentes venenosos. 814,b. 815,a
Recursus ad pecuniam quomodo licitè possint habere Fratres Minores. 814,a & b. 815,a. 913,a
Fratres Minores debent cavere à contrectatione pecuniæ. 815,a & b
Vbi pecuniam expendere possint Minoritæ. 910,a
Quando Minoribus pecuniarum delatio & dispensatio licita. 911,a
Expendendarum pecuniarum necessitates quæ Fratribus Minoribus. 918,a
Fratres Minores inter infideles habitantes iure poli & naturæ pecunias deferre & contrectare possunt. ibid.b
Olim credita & superabundantes pecuniæ in Terra sancta. 921,b

Pedes.

Per pedes quid significetur. 315,b

Pellicanus.

Christus pellicano comparatur. 581,b. 582,a

Perdix.

Perdix est symbolum Antichristi & Mahometis. 308,a & b

Peregrinatio.

Peregrinatio alia sacra, alia profana. 833,a
Profana peregrinatio, alia honesta, alia turpis. ibid.
Profana honesta peregrinatio quid sit. ibid.
Ob scientias comparandas aliqui ad varias Provincias peregrinati fuerunt. ibid.& b
Quidam peregrinantur ob divitias comparandas. 833, b. 834,a
Alij ex necessitate peregrinantur. 834,a
Alij ob barbarorum persecutiones peregrinationem suscipiunt. ibid.& b
Pro eundæ persecutione vix assumitur Ierosolymitana peregrinatio. ibid.b
Vt quietius viuatur, nonnumquam assumitur peregrinatio. 835,a
Hæretici & perversi profanam & vitiosam peregrinationem ob varias causas assumunt. ibid.b
Prima est, vt antiquitates lustrent. ibid.
Secunda, vt Catholicorum pietatem irrideant. ibid.
Referuntur calumniæ eorum de hac re, & confutantur. 836,a & b. 837,a & b. 838,a & b. 860,b
Tertia causa, vt ad propria reversi Catholicos mendaciis onerent. 839,a
Quarta, vt effugiant sententiam contra se ob sua scelera pronuntiatam. ibid.
Quinta, vt luxui liberiùs & voluptatibus indulgeant. ibid.& b
Sexta, vt sponsiones lucrentur. ibid.b.& 860,a
Spiritualis peregrinatio quid sit, & vnde dicatur. 840,a
Spiritualis peregrinatio duplex est, sacra & profana; & quid vtraque sit. ibid.
Spirituales peregrini sunt in duplici differentia. ibid.b.841,a
Omnes fideles spirituales peregrini esse debent. 840 b
Daniel fuit spiritualis peregrinus. 841,a
S. Maria Virgo fuit corporalis & spiritualis peregrina. ibid.
Spirituales peregrinos consolatur Deus. ibid b
Exemplum notabile huius rei. ibid. & 842,a
Laudabilis quorundam peregrinorum consuetudo. 842,a & b. 843, a & b
S. Petronij peregrini Ierosolymitani exemplum. 842,b. 843,a
Patris Bernardini Caimi peregrini Ierosolymitani laudabile exemplum. 843,b. 844,a
Peregrinatio vna externa est, altera interna. 755,a
Vtraque est duplex, sacra & profana. ibid.
Sacra externa peregrinatio est valdè meritoria. ibid.
Reuelantur illam damnantes. ibid.b
Peregrinatio Terræ sanctæ præcepta fuit in lege naturæ, & in lege scripta. ibid.
Primi parentes ad Terram sanctam peregrinati fuerunt. ibid.
Abraham, Isaac & Iacob ad Terram sanctam peregrinati sunt. ibid.
Iudæi ex præcepto Dei ad Terram sanctam peregrinari tenebantur. ibid.& 756,a
Christi vita fuit continua in Terra sancta peregrinatio. 756,a
Peregrinationis Ierosolymitanæ antiquitas. ibid.b
Exemplo Christi, B. Virginis, & aliorum monemur ad Terræ sanctæ peregrinationem. ibid & seqq.
Peregrinationes laudabiles esse probatur auctoritate & ratione. 757,a & seqq.
Peregrinus quis dicatur. ibid.b
Peregrinatio ad loca sancta est argumentum acceptæ à Deo seruitutis, & arrha gloriæ. 774,b
Argumentum in contrarium soluitur. 775,b. 776,a
Non expedire Ierosolymitanam peregrinationem quidam contendunt. 800,a & b 801,a & b
Respondetur argumentis & obiectionibus. ibid. & seqq.
Honestas Ierosolymitanæ peregrinationis probatur exemplo fidelium, infidelium, proselytorum, Gentilium. 761,a & b
Soluitur obiectio contra præcellentiam Ierosolymitanæ peregrinationis. 762,a
Guilielmus Dux Aquitaniæ Ierosolymam pœnitentiæ causa peregrinari iubetur. ibid.& b
Vtilis est peregrinatio ad Terram sanctam. ibid.b
Item delectabilis. ibid.
Finis peregrinationis eam suauem facit. 763,a
Paula Romana ad Terram sanctam peregrinata est. ibid.& b
Ex Hibernia plurimi Ierosolymam peregrinati sunt. 759,a & b
Antiquitatis & frequentiæ Ierosolymitanæ peregrinationis duo testimonia. ibid.b.760,a
Ordo maioris vel minoris dignitatis est inter peregrinationes. ibid.b
Ierosolymitana peregrinatio ceteras præcellit ob varias rationes. ibid.& 761,a & b. 762,a & b
Ceteris præfertur ratione finis. 763,b. 764,a
Eiusdem peregrinationis præcellentia demonstratur ex meritorum circumstantiis. 764,b. 765,a & b. 766,a. 767,a
Multiplex finis describitur peregrinantium ad Terram sanctam. 767, b.& seqq.
Peregrinorum Terræ sanctæ persecutiones. 770,a
Eorumdem vera martyria. ibid.
Multi eorū pestilentiâ & inediâ sublati sunt. ibid.b

Septem vtilitates ex peregrinatione Ieroſolymitana prouenientes referuntur. 791,a
Peregrini Terra ſancta per locorum ſanctorum venerationem conſequuntur remiſſionem peccatorum ſuorum non tam per modum Indulgentiæ quàm per viam ſatisfactionis. ibid.b
Ieroſolymitani peregrini ob præcellentiam externis ſignis & cæremonijs honorantur. ibid. & 792, a & b
Accenſis luminibus Ieroſolymis excipiuntur; & quare. 792,a
Cum palmis in proceſſionibus procedunt; & ratio additur. ibid.b.793,a & b
Poſt Ieroſolymitanam peregrinationem non eſt neceſſe Romam ire pro palma. 793,a
Præcipuus Ieroſolymitanæ peregrinationis finis quis ſit. 794,b
Ieroſoymitana peregrinatio abſolutè non eſt expediens mulieribus. ibid. & 795,a & b.797,b
Imò eſt eis interdicta. 795,b
Bonis Religioſis non expedit peregrinatio, niſi aliqua vrgente ratione. 796,a & b.797,b
Prælatis non expedit peregrinatio præſertim longa. ibid.b.797,a & b
Peregrinatio præſertim longa vxoratis non expedit. 797,a & b
Peregrinatio ad loca ſancta Religioſis, quibus eadem loca concredita ſunt, neceſſaria eſt. 798,a
Expediens eſt Religioſis diſtractis Deo ſe vnire volentibus. ibid. & b
Expedit ſæcularibus matrimonio ſolutis. 799,a
Item peccatoribus à Deo incitatis. ibid.& b
Neceſſaria eſt omnibus qui eam vouerint, niſi votum irritetur, commutetur, vel diſpenſetur. ibid.b
Peregrinantibus ad Terram ſanctam quænam ſint obſeruanda. 824,b & ſeqq.
Quænam ſint peculiariter obſeruanda à Præſule Terra ſancta ante profectionem vel peregrinationem cum ſuis. ibid.
Vide Terra ſancta.
Peregrini Ieroſolymitani à variis periculis & naufragijs ſemper ſunt liberati. 827,a
Sex generalia præcepta omnibus peregrinis Ieroſolymitanis communia. 828,a
Primum, ſint à Deo inſpirati. ibid.
Secundum, magnam Dei gratiam conſiderent. ibid.
Tertium, ſint in tribulationibus conſtantes. ibid.
Quartum, terminum peregrinationis conſiderent. ibid.& b
Quintum, pro tali electione Deo gratias agant. ibid.b
Sextum, ſpiritualibus ac temporalibus bonis muniti eant. ibid.
Peregrino Terra ſancta tria plena marſupia neceſſaria ſunt; ſcilicet pecunia, patientia, & fidei. ibid.& 829,a
Quinque alia obſeruanda à Chriſto Domino ſancta Birgitta reuelata. 829,a
Octo in itinere ſeu peregrinatione ad Terram ſanctam obſeruanda. ibid.& ſeqq.
Primum, cum gaudio & timore peregrinationem aſſumant. 829,a & b
Secundum, cogitent ſe grauia in via paſſuros. 830,a
Tertium, à peccatis caueant. ibid.
Quartum, prudenter agant cum infidelibus. ibid.
Quintum, concordes & pacifici ſint. ibid.b
Sextum, orationes ac ſacrificia Deo offerant. ibid.
Septimum, ob prolixitatem itineris de reditu non cogitent. ibid.
Octauum, errata in itinere corrigant. ibid. & 831,a
Quinque obſeruanda à peregrinis in ipſa Terra ſancta. ibid.& b
Primum, Deo pro beneficijs acceptis gratias agant. ibid.a
Secundum, loca ſancta & in ipſis patrata myſteria conſiderent. ibid.
Tertium, vitia tollant. ibid.b
Quartum, ſacrificia offerant. ibid.
Quintum, ſint in Dei obſequio feruentes. ibid.
In reditu verò poſt abſolutam peregrinationem concipiant pietatem conſeruent. ibid.& 832,a
Simul ad propria reuertantur peregrini. 832,a
Pro acceptis beneficijs gratias agant. ibid.& b
De gratia non ſuperbiant. ibid.b
Quatuor rationes, quare omnibus libera non ſit Ieroſolymitana peregrinatio. 803,a & b
Exempla laudatarum mulierum quæ peregrinatæ fuerunt. 804,a & b.806,a & b
Argumenta proponuntur, quibus nonnulli probare nituntur, peregrinationem ad loca ſancta non expedire Franciſcanis Fratribus. 808,b & ſeqq. & maximè 809,a &
Reſpondetur argumentis. 810,b & ſeqq.
Licitè Fratres Minores peregrinantur ad Terram ſanctam. 810,a
Peregrinatio locorum ſanctorum quomodo ſit præcepta Fratribus Minoribus. ibid. b. 811, a & b
Peregrinationem Ieroſolymitanam eſſe à Spiritu ſancto, vnde diuidicari poſſit. 818,a & b
Quare Fratres Minores, qui à Spiritu ſancto moti ſunt ad aſſumendam peregrinationem Ieroſolymitanam, facultatem petere debeant à Prælatis. 819,a & b
Facultas mittendi Fratres ad loca ſancta quibus conceſſa ſit. 820,b.821,b
Fratres Minores habentes licentiam à Pontifice peregrinandi ad loca ſancta, etiam ſuorum Superiorum conſenſum habere debent. 821,a
Fratres Minores Ieroſolymam proficiſcentes cum vſu pecuniarum peccant. 822,a
Inſigne dictum B. Ægidij S. Franciſci ſocij de peregrinantibus. 806,b
Licere Monachis peregrinari probant quidam. 807,a
Item Epiſcopis. ibid.
Reſpondetur illorum argumentis. ibid.b.808,a
Peregrini ad Terram ſanctam etſi non ſint Paſtores & Doctores, horum tamen fructus facere poſſe multipliciter probatur. 785,a & b.786,a & b. & ſeqq.
Deus in vno loco magis quàm in altero ſua elargitur munera. 867,b
Exhortatio ad eos qui peregrinantur ad Terram ſanctam. 816,a & b
Affectus peregrinorum ad loca ſancta. 854,b
Occulta vi loca ſancta trahunt peregrinos. 856, a & b.857,a
Fideles ex Ieroſolymitana peregrinatione meliores euadunt. 771.b. 772,a & b
Qui loca ſancta viderunt, profana inſpicere non deberent. 773,a & b
Aſſignantur XXV. *peregrinationes ad loca ſancta Iudæa, Samaria, Galilea, & Ægypti, in qui-*

quibus obtineri poſſunt Indulgentiæ, à 448, vſque ad 454

Perfectio.

Duplex eſt cuiuſlibet rei perfectio, intenſiua, & extenſiua. 147,b
Perfectio hominis naturalis & ſupernaturalis in quo conſiſtat. ibid.

Periculum.

Nonnulli in periculis fidem negarunt. 809,b

Perſecutiones.

Solet Deus reuelare perſecutiones Eccleſiæ & electis euenturas. 215,a & b
Perſecutionibus Eccleſia creuit. 344,a & b
Perſecutio tametſi vtilis ſit, non eſt tamen expetenda propter periculum. 700,b
Ob perſecutiones quidam ad alias Prouincias peregrinati fuerunt. 834,b
Ieroſolymitana peregrinatio vix aſſumitur pro euitanda perſecutione. ibid.

Perſeuerantia.

Perſeuerantia ad victoriam neceſſaria eſt. 729,b. 730,a & b
Jacob in lucta perſeuerando benedictus fuit. 730,a
Ieroſolyma capta fuit perſeuerantis paſſionum tolerantia. ibid.b

Peſtis.

In peſtiferorum obſequio decedentes martyres ſunt. 770,b

Petra.

Petra virgâ Moyſis percuſſa aquam reddit. 34,b

S. Petronius.

S. Petronij peregrini Ieroſolymitani laudabile exemplum. 842,b. 843,a

S. Petrus.

S. Petri ieiunium & abſtinentia. 117,b
Altare ligneum in quo S. Petrus celebrauit à fidelibus ſeruatum fuit. 872,a
Item eiuſdem catena quibus ab Herode & Nerone vinctus fuit. ibid.
Locus vbi iacuerunt corpora SS. Petri & Pauli ab Angelis honoratus & cuſtoditus fuit. 801,a

Phihahiroth.

Phihahiroth quarta Iſraelitarum manſio. 32,a

Philippus.

Philippus Francorum Rex cum honore excipitur à Pontifice. 792,b
Expeditionem parat in Terram ſanctam. 751,b
Philippus III. Hiſpaniarum Rex Turcas & Mahometiſtas ſuperabit, iuxta quoſdam. 268,b. 269,a
Cum habitu Minorum obiit. 206,a

Philiſthiim.

Nominis Philiſthiim ſignificatio. 6,a

Philoſophia.

Philoſophia eſt mortis meditatio. 593,b

Phocion.

Phocionis laudabile dictum. 877,a

Phunon.

Phunon trigeſimaſexta Iſraelitarum manſio; vbi murmurarunt nauſeantes ſuper Manna, ac per ſerpentes ignitos puniti ſunt. 35,a

Piſcator.

Piſcatores in Scriptura ſacra poſſunt in malum & in bonum accipi. 329,a & b
Deſignantur Apoſtolici viri & Prædicatores per piſcatores. ibid.b

Pius.

Pius IV. Papa confirmat Indulgentias tabulæ antiquæ. 453,b
Indulgentias, quæ olim erant in Eccleſia ſacri Montis Sion, tranſcribit Eccleſiæ S. Saluatoris; & confirmat omnes Indulgentias, gratias & priuilegia Guardianis & Fratribus Terræ ſanctæ à ſuis prædeceſſoribus Romanis Pontificibus conceſſa. 423,a & b. 424,a

Podèris.

Podèris veſtis ſacerdotalis ſignificat Eccleſiam, quæ eſt veſtis Chriſti. 311,b. 312,b

Pœnitentia.

Vera pœnitentia de peccatis eſt donum ſupernaturale. 327,a
Ad perfectam pœnitentiam requiritur vt omnes peccatorum occaſiones exterminentur. 294,b
Deus mutat ſententiam, ſi peccatores emendent delictum. 285,a
Pœnitentia Eccleſiæ deſcribitur. 288,b

Pœnitentiæ Sacramentum.

Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ proprius eſt Parochus. 504,b
Vide Confeſſio.

Pontifex.

Summus Pontifex primum locum tenet in Eccleſia. 59,a
Pontifex habet poteſtatem ſpiritualem & temporalem in duobus gladiis apud Lucam præfiguratam. 680,b
Ad nutum Pontificis Reges & Principes debent eximere gladium. 681,a
Pontificum zelus pro recuperanda Terra ſancta. 686,a
Pontificia auctoritas quomodo ſe extendat ad ſpiritualia & temporalia. 545,a
Pontificis acta non ſunt in dubium reuocanda. 183, b
Pontificis Delegati poteſtas explicatur. 184,b
Quæ ſunt iuris Eccleſiaſtici, etſi propria Epiſcopi, poſſunt à ſummo Pontifice ſimplici Sacerdoti committi. 526,b
In eſſentialibus Religioſo alicui Pontifex non poteſt diſpenſare. 189,b
Non poteſt diſpenſare, quòd Religioſus in particulari habeat proprium ſtrictè dictum. 191,a
Pontifex poteſt Religioſum inſtituere adminiſtratorem ſeu diſpenſatorem bonorum temporalium. ibid. & b
Pontifex quomodo poſſit ſe immiſcere terrenis rebus ſeu temporalibus, quomodo non poſſit. 700,b
Summorum Pontificum catalogus, quorum litteræ, exhortationes & conſtitutiones in gratiam Terræ ſanctæ edita hoc Opere continentur. 355, b. 356,a
Pontifices voluerunt Fratres Minores à terrenis abſtractos; ideò Syndicus illis conceſſus. 916,a
Pontifex dupliciter conſiderari poteſt. ibid.b. 917,a
In Pontifice ſpiritualis & temporalis poteſtas. 917,a

Porcus.

Porcus eſt impuritatis ſymbolum. 590,b

Portiuncula.

S. Franciſci circa templum Portiunculæ intentio diiudicatur. 808,b. 809,a
Quales debeant eſſe Fratres Minores ex mente ſancti Franciſci habitantes apud S. Mariam de Portiuncula. 823,b
Indulgentiæ Portiunculæ non communicantur aliis Fratrum Minorum Eccleſiis. 440,a & b. 441,a

Stigmata S. Francisci sunt sigillum Indulgentiarum Portiunculæ. 446,b.447,a

Præceptum.

Quæ dicantur præcepta naturalia. 498,b
Præceptum prohibens tripliciter naturale dici potest. ibid. & 499,a
Quando duo occurrunt præcepta simul incompossibilia, quod maius & præcipuum est observari debet. 877,a & b

Prædestinatio.

Prædestinatio est causa vocationis. 325,a
Prædestinatio non est ex meritis, sed ex diuino beneplacito & misericordia. 218,a
Deus est prædestinatorum Dominus & proprietarius. 149,b

Prælati.

Prælati omnibus verbo & exemplo prælucere debent. 59,a
Subditi omnes ab iis pendere quomodo debeant. ibid.
Debent mederi subditorum infirmitatibus. ibid.b
Mali Prælati & Sacerdotes ruina populi. ibid.
Mali Prælati sunt ruina totius mundi. 281,a & b. 380,b
Prælatus non est dominus, sed procurator & administrator rerum Ecclesiasticarum. 192,b
Non potest bona Monasterij in quos voluerit vsus expendere. ibid.
Probare spiritus Prælatis conuenit. 819,b
In Prælatis maior est Spiritus sancti illustratio quàm in subditis. ibid.
Prælatis licere peregrinari probant quidam. 807,a
Respondetur illorum argumentis. 808,a
Prælatis non expedit peregrinatio præsertim longa. 796,b.797,a & b

Præmium.

Præmium datur pro actibus virtuosis seu operibus. 692,a & b. 693,a

Præscriptio.

Præscriptionis titulo Fratres Minores occupant loca Terræ sanctæ. 183,b
Quomodo illis competat ius præscriptionis. 184,a
Possessor malæ fidei nunquam præscribit. 700,b

Præses ex Ordine Fratrum Minorum. *Vide* Fratres Minores.

Principes.

Principum quorundam iactantia. 688,a & b. 689,a & b
Virtus Principum magis ex operibus quàm ex titulis cognoscitur. 689,b
Iustitiâ Principes immortales fiunt. 614,b
Indigent dilectione, pietate ac sapientiâ ad regendum. ibid.
Mali Principes sunt ruina totius mundi. 281,a & b
Principes in Dei & Ecclesiæ honoris defensione negligentes grauiter puniuntur. 683,a & b. 685,b. 686,a
Debent non tantùm propriæ, sed multò magis Dei causas iudicare. 684,a & b.685,a & b
Exempla bonorum Principum imitanda. 684, b. 686,b
Principes Ecclesiastici & seculares semper benè meriti fuerunt de locis sanctis. 878, b. 879, a & b. 880,a & b
Principes debent Ecclesiasticis fauere, & omnes protegere. 57,b
Dilati sunt à Deo, ne grauent subditos. ibid.
Principum Christianorum discordia est victoria infidelium. 728,a
Ex Principum Catholicorum discordia infideles proficiunt. 153,a
Exhortatio ad Christianos Principes, vt inter se facta pace conspirent pro Ierosolymitani Regni recuperatione. ibid.b. 154,a
Christianis Principibus expedit pro Terra sancta Turcis bellum indicere. 678,a & seqq.
Sunt Dei ministri. 678, a & b. 683, b. 684, a & b
Eorum finis duplex, communis & particularis. 678, b
Ecclesia in Principibus singulariter residet. 679,a
In Dei obsequium sua expendere tenentur. ibid.
Proprium eorum munus & finis est pax Reipublicæ. ibid.b
Cur vocentur Patres, Matres, Pastores, Nutritij, Medici, & Capita populi. ibid.& 680,a
Ad nutum Pontificis Principes gladium exerere debent. 681,a
Possunt bellum indicere infidelibus terras suas occupantibus, & diuinum cultum impedientibus. ibid.b
Vide Regere.

Priuilegium.

Priuilegium non debet cedere in alterius graue præiudicium. 544,a & b
Pontifices in priuilegijs suis in gratiam Terræ sanctæ sacris institutis concessis non excesserunt muneris sui metas. ibid.b. 545,a
Priuilegia Fratrum Minorum Terræ sanctæ quoad conuersationem cum schismaticis, infidelibus, excommunicatis, &c. 530 a & seqq.
Priuilegium posterius non tollit prius, nisi expressa fiat mentio. 53-,b
Vide reliqua sub titulo Fratres Minores.
Conditio priuilegiorum Terræ sanctæ. 428,b
Priuilegium & dispensatio quomodo differant. 429,a
Priuilegium quid sit, & quid operetur: ibid. & 909,a
Priuilegium aliud est scriptum, aliud non scriptum. 430,a
Scriptum debet esse authenticum, & sigillo Principis obsignatum. ibid.
Non scriptum, aliud est ab homine signato concessum, aliud consuetudine comparatum. ibid.
Primi generis sunt viuæ vocis oracula Pontificia; & vim habent in foro conscientiæ. ibid.
Quid sit priuilegium consuetudine comparatum. ibid.
Viuæ vocis oracula pro Terra sancta non sunt reuocata à Gregorio XV. ibid.b
Priuilegium personale duplex. ibid.
Nomina Summorum Pontificum qui concesserunt priuilegia Terræ sanctæ. 355, b. 356, a. 431,a
Vide sub titulo nominis singulorum Pontificum.
Priuilegia Terræ sanctæ concessa ad tria capita reducuntur. 431,a
Priuilegij interpretatio vna est iudicialis, altera doctrinalis. ibid.b
Argumenta adferuntur, quæ probare videntur abrogationem priuilegiorum Terræ sanctæ. 432, a & b
Priuilegia sunt sub duplici ratione Minoritis Terræ sanctæ concessa. ibid.b
Priuilegia Religiosis concessa, & Corpori Iuris inserta, per simplicem derogationem priuilegiorum Regularium non censentur abrogata. ibid.

Priuilegia non cenſentur reuocata in generali reuocatione, niſi in ea fiat expreſſa mentio; & quomodo hoc intelligatur. ibid. & 433,a
Omnibus priuilegiis ſuis Minoritæ vti poſſunt in foro conſcientiæ, etiam contra Concilium Tridentinum. 433,a
Priuilegia Terræ ſanctæ numquam ſunt reuocata. ibid. & 434,a
Fratres Minores Terræ ſanctæ poſſunt in vtroque foro vti omnibus priuilegiis non aduerſantibus Concilio Tridentino. 435,a
Item omnibus priuilegiis. ibid. & b
An Guardianus Montis Sion poſſit vti ſuis priuilegiis contradicente Generali Miniſtro Ordinis, vel Capitulo generali. ibid. b
Duo probant non poſſe. ibid. & 436,a
Sententia contraria dicit poſſe; & reſpondetur ad rationes oppoſitas. 436,a & b
An Fratres Terræ ſanctæ ſubiecti Guardiano Montis Sion vti poſſint priuilegiis ſibi à Summis Pontificibus conceſſis, ipſo Guardiano non annuente, vel contradicente. ibid. b
Quòd poſſint, duo videntur perſuadere. ibid.
Contrarium tamen probatur. 437,a & b
Priuilegia Terræ ſanctæ ſunt duplicia. ibid. a
Minoritæ non Confeſſarij non poſſunt vti priuilegiis importantibus iuriſdictionem ſine licentia Guardiani. ibid.
Similiter nec Confeſſarij. ibid. b
Quomodo intelligendum ſit, Miniſtros non poſſe reſeruare caſus niſi in Capitulis. 438,a
Priuilegiis non importantibus iuriſdictionem poſſunt vti Fratres Terræ ſanctæ Guardiano contradicente. ibid. b
Ex priuilegio Apoſtolico, vt poſſint abſolui pœnitentes Religioſi à quocumque Ordinis ſui Sacerdote, poſſunt Sacerdotes Religioſi huiuſmodi pœnitentes abſoluere etiam à mortali. 439,a
Fratres extra Terram ſanctam non gaudent priuilegiis localibus eiuſdem Terræ. ibid. b
Poſſunt tamen frui priuilegiis locorum ſanctorum, quatenus ſunt loca Ordinis. ibid. & 440,a
Quomodo intelligendum ſit, priuilegia vnius Monaſterij aliis communicari. 440,a & b
Indulgentiæ Portiunculæ & locorum Terræ ſanctæ non communicantur aliis Minorum Eccleſiis. ibid. & 441,a
Minoritæ cum priuilegiis Summorum Pontificum conceſſis ſecurè viuunt in Terra ſancta. 441,b. 442,a
Sic viuentes probabile eſt obſeruare Regulam ſecundùm litteram. 442,a
Diſcrimen priuilegiorum Fratrum Terræ ſanctæ à priuilegiis Fratrum inter fideles habitantium. ibid. b
Fratres Minores in Terra ſancta cum priuilegiis relaxantibus tantum merentur quàm alibi ſine illis. 443,a & b
Omnia priuilegia Terræ ſanctæ reſpiciunt loca vel perſonas. 444,a
Vide reliqua ſub titulo Indulgentiæ.
Confirmatio priuilegiorum quid efficiat. 549,a
Principis priuilegium latiſſimè interpretandum. 910,b
Semper aliquid operatur. ibid.
Vrbani VIII. mens in priuilegio Minoritis conceſſo. ibid.
Guardianus Terræ ſanctæ & eidem ſubiecti Fratres Vrbani VIII. priuilegio vti poſſunt, ſed cum diſcrimine. 911,a
Ratio primi & ſecundi priuilegij ab Vrbano VIII. Montis Sion Guardiano & Fratribus ei ſubiectis conceſſi. ibid. b
Cauſa petitionis & conceſſionis priuilegiorum per Vrbanum VIII. 917,b & ſeq.
Cur Ieroſolymorum Guardianus primum ab Vrbano VIII. priuilegium ſibi conceſſi petiit. 918,b
Cur ſecundum. 920,b
Secundi priuilegij ab Vrbano VIII. Terræ ſanctæ Fratribus conceſſi vtilitas. 921,b
Cauſa conceſſorum ab Vrbano VIII. priuilegiorum. 922,a
Vult Vrbanus VIII. Pontifex ſecundum priuilegium habere robur, etſi contrarium ab aliis auctoritatem habentibus conceſſum fuerit. ibid.

Profanum.

Duplex profani nominis ſignificatio. 833,a
Quomodo opponatur ſacro & ſpirituali. ibid.

Promittere.

Modus promittendi apud Turcas. 883,a

Prophetæ, Prophetiæ.

Quomodo in Prophetiis varia conſideranda ſint. 270,a & b. 271,a & b
Pœnæ per Prophetas prædictæ interdum differuntur propter hominum pœnitentiam. 270,b. 271,a
Prophetia duplex, conditionata & determinata. 699,a
Spiritus ſanctus diuerſimodè tangit corda Prophetarum. 278,a
Propheta non ſemper à Spiritu ſancto mouentur. ibid. b

Proprietarius.

Quis ſit dicendus proprietarius, quis vſuarius. 189,b

Proſperitas.

Proſperitas bonorum temporalium à Deo aucrtit. 350,a
Pernicioſiores ſunt proſperitates quàm aduerſitates. ibid. & b. 351,a & b. 352,b
Aqua eſt ſymbolum proſperitatis. 352,b

Pugna.

Pugna & paſſione perueniunt ad regnum. 629, a & b

Pulchritudo.

Quanam requirantur ad perfectam pulchritudinem. 302,a

Punire.

Contra leges de nouo inſtitutas agentes rigidè procedituc. 515,a
S. Paulus in punitione miſericors fuit. ibid.
Deus in ſubitanea punitione iuſtitiam, & in pœnæ dilatione patientiam oſtendit. ibid. b
Cum delinquentibus in terris infidelium ſuauiter procedendum eſt. 512,b. 513,a

Purgatorium.

Purgatorium Græci negant. 109,b

Purpura.

Cur Reges & alij præſtantes viri purpurea chlamyde vtantur. 627,b
Chriſtus cur purpurea chlamyde indutus fuerit in paſſione. 628,a

Q.

Quadrageſima. *Vide* Ieiunium.

Quadraginta.

Quadragenarius numerus myſteriis refertus eſt. 339,b

Quinque, Quinarius numerus.

Quinarij numeri myſteria. 564,a
Eius excellentia. ibid.&b

R.

Rameſſe.

Rameſſe qualis locus fuerit. 31,b

Raphidim.

Raphidim vndecima Iſraelitarum manſio; vbi Moyſe in monte erante Amalecita ſuperati. 32,b

Raymundus.

Raymundus Balduini V. tutor mortem eius celans Guidoni bellum molitur; qua fuit vltima cauſa excidij Regni Ieroſolymitani. 138,a.140,a

Refugium.

Refugij ciuitates diuino mandato deliguntur. 508,b
Quæ illa fuerint. ibid.

Regere, Regnum, Reges.

Iuſtitiâ Reges immortales ſiunt. 614,b
Dilectio, pietas & ſapientia ad regendum neceſſaria. ibid.
Dauidis manſuetudo & pietas in regendo. ibid.
Salomonis ſapientia in regimine. 615,a
Regna quadrigis comparantur. ibid.
Reges & Principes ſunt, currus & auriga. ibid.
Sapientia & opere præcedere debent. ibid.b
Miſericordiæ ac ſapientiæ vberibus debent paſcere ſubditos. ibid.&616,a
Cur Principes dicti ſint Paſtores. 615,b
Reges onus ſuum negligentes punientur. 616,a
Exempla eorum qui Regno renuntiarunt propter pericula. ibid.b
Reges vnde ſic dicti ſint. 679,b
Vide Principes.
Ineptus Rex eſt ſupplicium Reipublicæ. 785,b
Reges & Principes à diſcordia caueant. 735, a & b
Iuſtitiam diſtributiuam ſeruare debent. ibid.b
Liberalitas eſt Regiæ dignitatis argumentum. 889.b. 890,a
Reges ac Principes ſemper benè meriti fuerunt de locis ſanctis. 878,b.879,a&b.880,a& b
Libido regnandi crudelis. 230,a
Regnum Iuda & Regnum Iſraël vnde & quando inceperit: atque aſſignatur cauſa diuiſionis Regni Iudæorum. 11,a&b

Regimen.

Quale regimen vel forma regiminis erit in Eccleſia & in toto orbe terrarum poſt Antichriſti interitum. 330,b & ſeqq.
Prima opinio ait mundum à vidua gubernandum. 330,b
Regimen aliud ſimplex, aliud mixtum. 331,a
Simplex in triplici eſt differentia, ſcilicet Monarchicum, Ariſtocraticum, & Democraticum. ibid.
Mixtum regimen quadruplex. ibid.
Regimen item aliud ſpirituale, aliud politicum. ibid.b
Monarchicum regimen eſt optimum omnium in ſe. ibid.& 332,a
Dei nomina extollunt regimen Monarchicum. 332,a
Monarchicum regimen fuit in ſtatu innocentiæ. ibid.& b
Monarchici regiminis forma animalibus naturaliter indita eſt. ibid.b
Deus Monarchici regiminis formam dilectis ſuis præſcripſit. ibid.
Monarchicum regimen Ariſtocratico & Democratico admixtum propter humanæ naturæ corruptionem, melius & iucundius eſt. 333,a
Monarchicum mixtum regimen fuit Synagogæ & Eccleſiæ à Deo præſcriptum. ibid.b
Monarchico regimine à Chriſto gubernabitur Eccleſia & totus mundus poſt Antichriſtum. ibid.
Erit tamen regimen illud Ariſtocratico & Democratico admixtum. 335,a
Monarchicum illud mixtum regimen erit Eccleſiaſticum & ciuile. ibid.b
Vniformitas regiminum tanta erit, vt vnicum cenſeri poſſit. 336,a
Quis modus electionis Principum tunc futurus ſit. ibid.b
Opinio Maluendæ de futuro regimine poſt mortem Antichriſti expenditur, & improbatur. ibid.

Regula.

Regularia, id eſt contenta in aliqua Regula, triplicia ſunt, ſcilicet, eſſentialia abſolutè, eſſentialia in ſpecie, & nullo modo eſſentialia. 198,a
Eſſentialia abſolutè ſunt indiſpenſabilia. ibid.
Eſſentialia in ſpecie, & nullo modo eſſentialia, ſunt diſpenſabilia. ibid.&b
Quomodo Fratres Minores Terræ ſanctæ cuſtodes non peccent contra Regulam recipiendo & diſpenſando eleëmoſynas oblatas. 189,vſque ad 199
Regula Minorum quid circa pecuniam mandet. 923,b
In caſu non obſeruanda. ibid.
Minoribus ex Regula pecunia contrectatio, & emptio in rigore interdicitur. 909,b
Regula generalis Fratres Minores tangens. ibid.

Regulares.

Iure antiquo Regulares Ordinariis ſubdebantur. 560,b
Iure nouo Regulares ſunt exempti ab Ordinario. ibid.
Dicta exemptio apud omnes non recepta fuit; & quare. ibid.
Prælati Regularium in ſuis terris poſſunt Chriſma conficere. 503,a&b
Regularium & Mendicantium domus ex priuilegio dicuntur Conuentus. 178,b.179,a

Religio, Religioſus.

Status Religionis quid ſit. 664,b
Conſiſtit in trium votorum obſeruantia. ibid.
Vota debent eſſe ſolemnia. ibid.
Religioſi alij ſunt tales ſimpliciter, alij ſecundum quid. ibid.&665,a
Patres Societatis Ieſu quomodo ſint veri Religioſi. 665,a
Religioſi Societatis Ieſu qui votum ſimplex emiſerunt, ex iure tantùm Eccleſiaſtico ſunt inhabiles ad matrimonium. ibid.
Religioſi alij ſimpliciter, alij Militares. ibid.b
Militares alij ſimpliciter tales, alij etiam verè Religioſi. ibid.
Equites Melitenſes & S. Sepulchri, &c. non ſunt verè Religioſi. ibid.& 666,a&b
Neceſſitas approbationis Religionis quando & qua occaſione inceperit. 666,b & ſeqq.
S. Franciſcus & S. Dominicus primi petierunt ſuarum Regularum approbationem à Pontifice. 667,a
Profeſſio alicuius Regulæ Iure Eccleſiaſtico & nouo eſt Religioni neceſſaria. ibid.
Matrimonialis ſtatus Religioni contrarius quare ſit. ibid.& b

Diſtinguuntur, Religioſum eſſe, & Religioſorum priuilegiis gaudere. ibid.b
Primitiuæ Eccleſiæ Religioſi licet in congregatione non viuerent, nec Regulam ab Eccleſia approbatam vouerent, nihilominùs erant verè Religioſi. 670, b
Religio vna alterâ eſt perfectior. 7[illegible]0,b
Religio ad prædicandum inſtituta primas tenet. 812,b
Religioſus non poteſt per diſpenſationem Pontificis in particulari habere proprium ſtrictè dictum. 191, a
Pontifex poteſt Religioſum inſtituere adminiſtratorem ſeu diſpenſatorem bonorum temporalium. ibid. & b
In Regulis Religioſorum quædam diſpenſabilia, quædam indiſpenſabilia ſunt. 198, a & b
Quare Religioſi aliquando ſacris Codicibus arma innexerint. 561,a
Religioſi ſub Prælatorum obedientia viuentes martyres dici poſſunt. 770,b.771,a
Religioſus ad ſæculum non reuertatur. 816,b
Religioſi etiam à Spiritu ſancto moti cur licentiam petere debeant à ſuis Prælatis ad eundum inter infideles. 819,a & b
Religioſis non expedit peregrinatio Ieroſolymitana, niſi aliqua vrgente ratione. 796,a & b. 797.b
Religioſis licere peregrinari probant quidam. 807,a
Reſpondetur illorum argumentis. ibid.b.808,a
Religioſis quibus loca ſancta concredita ſunt neceſſaria eſt peregrinatio ad illa. 798,a
Religioſis diſtractis Deo ſe vnire volentibus expediens eſt peregrinatio Ieroſolymitana. ibid. & b
Religioſi non obligantur ad vota peregrinationum & mortificationum antèà emiſſa. 841,b
Religioſi ſpirituales peregrini eſſe debent. 840,b. 841,a & b
Illos ſpiritualiter peregrinantes conſolatur Deus. 841,b.842,a & b

Reliquiæ.

Sanctorum Reliquiæ magnam habent efficaciam. 837,a & b
Hæreticorum hac de re calumniæ. ibid.
Quomodo ſacræ Reliquiæ venerandæ & adorandæ ſint. 861,b.862,a & b
Diuina prouidentia & diligentia fidelium in cuſtodiendis ſacris Reliquiis quæ Chriſtum Dominum præcipuè tetigerunt, & eorumdem ergà eaſdem pietate. 868,b & ſeqq.
Chriſti præputium à Deipara ſeruatum, & in eius obitu Ioanni traditum fuit. 870,a
Faſcia Chriſti ſeruata, & ad illarum honorem Eccleſia erecta. ibid.
Deipara & Ioannes Chriſti Sanguinem ſeruauerunt. ibid.
Verum Sanguinem Chriſti in diuerſis partibus reperiri fama eſt. ibid. & b
Plura ſudaria & linteæ contactu Chriſti ſanctificata à fidelibus ſeruata fuerunt. ibid.b
Vas in quo Chriſtus Paſchalem agnum comedit vbi aſſeruatur. ibid.
Item calix in quo Chriſtus Euchariſtiam conſecrauit. 871,a
Linteum Chriſti & Apoſtolorum imaginibus condecoratum aſſeruatur. ibid.
Chriſti linea ſubucula ſeruatur Romæ. ibid.
Chriſti veſtis inconſutilis ſeruata fuit à Pilato; & nunc in magna veneratione habetur. ibid. & b
Pecten & crines Virginis ac cingulum Chriſti à fidelibus ſeruantur. ibid.b
Pars ſpineæ coronæ, fimbriæ veſtimentorum Chriſti item piè ſeruantur. ibid.
Item, vna veſtis B. Mariæ Virginis. ibid.
Item, clauus Chriſti, lanceæ, &c. ibid.
Item, cathedra ſancti Iacobi Minoris. ibid. & 872,a
Item, cathedra S. Marci Euangeliſtæ. ibid.
Item, altare ligneum vbi ſanctus Petrus celebrauit. ibid.
Item, imago Chriſti à Iudæis crucifixa. ibid.
Item, catena quibus ab Herode & Nerone vinctus fuit Petrus. ibid.
Item, liber Euangeliorum ſancti Marci. ibid.
Item, ampulla ſanguinis S. Ioannis Baptiſtæ. ibid.b

Remmomphares.

Remmomphares decimaſexta Iſraelitarum manſio. 33,b

Reſſa.

Reſſa decimaoctaua Iſraelitarum manſio. 34,a

Reſurrectio.

Generatio reſurrectionem ſignificat. 584,a

Rethma.

Rethma decimaquinta Iſraelitarum manſio. 33,a

Rhinocolura.

Rhinocolura an nomen Nili. 62,a
Rhinocolura vrbis deſcriptio. ibid.
Eius nominis ratio. ibid.
Rhinocolura regio. ibid.

Richardus.

Richardus Angliæ Rex expeditionem parat in Terram ſanctam. 751,b

Ripſimis virgo.

Ripſimis virginis hiſtoria. 124,b.125,a

Ritus.

Ritus Iudaici Apoſtolorum temporibus licitè obſeruabantur, non poſteà. 524,a

Riuus Ægypti.

Riuus Ægypti dicitur Nilus. 61,b

Robertus.

Robertus Siciliæ Rex cum habitu S. Franciſci deceſſit è vita, & eius vxor Sancia fuit Clariſſa. 205,b.206,a
Robertus Siciliæ Rex & Sanciâ eius vxor obtinent à Pontifice loca ſancta pro Minoritis. 176,b

Roma.

Roma in Apocalypſi cur vocetur Babylon & purpurata meretrix. 802,a
Romani virtute & patientia Imperium ſuum dilatarunt. 40,b
Romæ excellentia & encomia. 314,b
Eloquentiâ magis quàm ferro dilatatum fuit Romanum Imperium. ibid.
Potiùs ſignificatur per ventrem æreum quàm per tibias ferreas ſtatua Nabuchodonoſoris. ibid.

S.

Sacerdotes.

Sacerdotes debent ſæcularibus verbo & exemplo præluceré. 59,a
Mali Sacerdotes ſunt ruina populi & totius mundi. ibid.b.285,a & b.380,b
Debent eſſe aſſidui in templo. 59,b
Dei mandato Sacerdotes ſunt honorandi. 678,b

Sacramentum.

Fratres Minores auctoritate Pontificum poſſunt adminiſtrare omnia Sacramenta. 492,a & ſeqq.

Sacræ res.

Res ſacræ poſſunt eſſe per ſe terminus adorationis, & tantum ſignum. 862, a & ſeqq.
Vide Adoratio.

Sagittarius.

Sagittarij nomine ſignificatur Rex Hiſpaniæ. 268, b. 269, a

Salmona.

Salmona trigeſimaquinta Iſraëlitarum manſio. 35, a

Salomon.

Salomonis templum perpetuò deſolatum manebit. 699, b
Quatuor præcipua Salomonici templi partes. 803, b
Salomonis ferculum explicatur. 629, a & b. 630, a & b. 631, a & b. 632, a & b
Lectulus Salomonis fuit figura Sepulchri Domini, Equites verò ſunt ſexaginta fortes. 671, a & b. 672, a
Quomodo intelligendum ſit, Salomonem gentibus dominatum fuiſſe. 69, a

Samaria.

Samariæ nomen multiplicem habet ſignificationem. 15, b
Samaria provincia deſcribitur. ibid.
Samariæ nomen vnde. 16, a

Samaritani.

Samaritani quales fuerint; an veri Dei cultores, an idololatræ. 16, a & b
Ex Libris ſacris quinque tantùm Libros Moyſis recipiebant. ibid. b
Odio habebantur à Iudæis. ibid.
Negabant Spiritum ſanctum. ibid. & 17, a

Sancti.

Sanctorum exempla ſunt optima legum interpretatio. 514, a
Sanctis dati ſunt in exemplum, & quomodo. ibid. b
Non omnia Sanctorum facta imitanda ſunt. 804, b
Admiranda Sanctorum exempla. ibid. & 805, a & b
Sanctorum virtutes & exempla reliquos homines ad ſimilia excitant. 881, a & b
Sanctorum corpora per equos albos Apocalypſeos ſignificantur. 628, a & b
Calumniæ hæreticorum de Sanctorum innocatione. 838, a & b
Qui Sanctos innocant, à Chriſto ſeu Deo adiuuari petunt. ibid. & 839, a
Sancti ſciunt de rebus noſtris & orationibus. 838, b
Sancti quo cultu adorari poſſint. 861, a & b. 862, a & b
Sanctorum imagines & Reliquiæ quomodo adorari & honorari poſſint. ibid. b. 862, a. 863, a. 866, a & b
Vide Adoratio.

Sapientia.

Argentum ſignificat ſapientiam. 617, a
Argentum ſapientia Ieroſolymis abundauit. 618, a

Sapphirus.

Sapphiri conditiones. 145, b. 146, a
Veteres Ægyptiorum ſummi Indices e collo geſtabant ſapphirum. 146, a
Sapphirus inſeri debebat ſuperhumerali ſummi Sacerdotis. ibid.
Sine eo apud Gentiles reſponſa deorum non dabantur. ibid.
Olim gemma gemmarum dicebatur. ibid.
Omnia moraliter explicantur. ibid. & b

Saraceni. *Vide* Mahometani, Turcæ.

Scabellum.

Chriſti humanitas & Crux ſcabellum Domini dicitur. 863, a
Arca ſcabellum Domini dicta fuit. ibid. b

Scandalum.

Scandali dati magna pœna. 683, a & b
Scandalum quando permittendum eſt. 513, a

Schiſma, Schiſmatici.

Schiſma & hæreſis quomodo differant. 99 a
Schiſmatis & hæreſis affinitas. ibid.
Schiſma Orientalium & Occidentalium factum vnde fuerit. 283, a
Redeuntes ad fidei vnitatem poſſunt cum ſuis eiſi ſchiſmaticis habitare. 530, a
Fratres Minores Terræ ſanctæ poſſunt legitima exiſtente cauſa permittere ſchiſmaticos ſuis Officiis intereſſe. ibid. & 531, b
Schiſmatici dicuntur in Iure perſonæ prohibitæ. 535, b

Scientia.

Ad maiorem gloriam non ſufficit habere ſcientiam, ſed eiuſdem exercitium eſt neceſſarium. 776, b
Scientia humanitus & ex Chriſto magiſtro acquiſitæ diſcrimen. 597, b. 598, a & b
Ob ſcientias comparandas aliqui varias Provincias peragrarunt. 833, a & b

Scribere, Scriptor.

Diſcrimen inter Apoſtolos, Euangeliſtas, & inter poſteriores Scriptores quoad rationem ſcribendi myſteria Chriſtianæ religionis. 858, b. 859, a & b

S. Scriptura.

S. Scriptura ſpeculo comparatur. 881, a
Quare S. Scriptura referat nobis aliorum geſta. ibid. & b
Quæ explicitè vel implicitè ponuntur in Scriptura, credimus aſſenſu fidei reuelata. 845, a & b

Sehon.

Sehon quid ſignificet. 720, a
Sehon Amorrhæorum Rex ab Iſraëlitis cæditur. 35, b

Sem.

Melchiſedech non fuit Sem. 23, b
An Sem fuerit primogenitus Noë. 24, a & b

Senſus.

Senſui poteſt ſubeſſe falſum. 845, b
Omnis cognitio à ſenſu ortum habet. ibid.

Sententia.

A ſententia Doctorum licet aliquando ex certa cauſa diſcedere, ſeu diſſentire. 261, a

Sepher.

Mons Sepher vigeſima Iſraëlitarum manſio. 34, a

Seps.

Per ſepem intelligitur obſtaculum peccati. 252, a

Septem.

Septenario numero indeterminatus numerus ſignificatur. 338, a

Sepulchrum Domini.

Sepulchri Chriſti Domini figura fuit lectulus Salomonis, quem ſexaginta fortes, id eſt Equites S. Sepulchri, ambiunt. 671, a & b. 672, a
Terra Sepulchri in magna veneratione habita fuit. 868, a
Sepulchri terra ex Chriſti corpore diuinam hauſit virtutem. 865, b
Mirabilia in Domini Sepulchro viſa. 631, b
Sepulchri Domini conditio. ibid.
Eiuſdem magnitudo. 632, a

Redemptio mundi in illo eſt facta. ibid.
Cur Deus ſanctiſſimum Domini Sepulchrum Turcarum poteſtati permittat. 687,a & ſeqq.
Ferdinandi Medices pium conſilium. 690,b
Sepulchrum Dominicum res pretioſiſſima, & cum tota Terra ſancta comparatur. 691,a & b
Sixti V. Pontificis pietas erga ſanctum Sepulchrum. ibid. a
Dominicum Sepulchrum ſeruatum fuit operâ Hieronymi Capelli bailuli Veneti. 880,a & b

Serpens.

Serpentis calliditas in primorum parentum tentatione. 580,a & b
Serpens aneus à Moyſe erigitur. 35,a

Seruire.

Mali ſerui ſunt, & verè ſeruiunt iuſtis eos perſequendo. 25,b

Sigillum.

Sigillum, ſine ſignaculum, dupliciter accipitur: & quomodo Chriſtus crucifixus per modum ſigilli cordi noſtro ſit imprimendus. 594,b. 595,a. & b. 596,a. 597,a & b

Silueſter.

Silueſtri Papæ II. Epiſtola ad Ieſu Chriſti Eccleſias nomine affuctæ Ieroſolymæ pro ſua redemptione ab eo ſcripta. 356,b

Simeon.

Simeon Abbas ſtultitiæ cognominatus ob admirandam eius vitam. 804,b. 805,a

Sin.

Sin qualis locus. 32,a & b

Sinai.

Deſertum Sinai duodecima Iſraëlitarum manſio. 32,b
Mons Sinai quomodo dicatur fertilior Terrâ ſanctâ. 83,b

Sion.

Per montem Sion ſignificatur Eccleſia. 256,a

Sixtus.

Sixtus IV. concedit Regularibus vt poſſint de Prælatorum licentiam itinere confiteri cuilibet Sacerdoti. 490,a
Vicario generali Fratrum Minorum Ciſmontana Familiæ Apoſtolica auctoritate concedit, vt poſſit & debeat vnum ex ſuis Fratribus idoneum Nuntium ac Commiſſarium apud Maronitas deputare, qui per ſe, vel per alios, illos à quibuſuis peccatis ac cenſuris abſoluere poſſit, ab eiſdem interdicta tollere, vota omnia, caſtitatis & Religionis exceptis, commutare, aliaque præſtare, quæ Ordinis Matrimoniaque Sacramenta & Iubilei Indulgentiam reſpiciunt. 905,b 906,a
Mandat Vicario generali Fratrum Minorum, vt idoneum ex ſibi ſubiectis Fratribus, & cum altero, vel duobus coadiutoribus ſocijs, viſitatorem mittat ad Maronitarum inſtructionem. 907,b. 908,a
Sixtus V. concedit peculiares Indulgentias Terræ ſanctæ & aliis locis Orientis. 453,b. 454,a
Indulgentiam plenariam proficiſcentibus ad Indias & inſulas Philippinas pro infidelium converſione concedit. 456,a
Confirmat priuilegia & gratias Terræ ſanctæ, & facultatem confert à quibuſcumque peccatis, cenſuris & pœnis abſoluendi, dispenſandique in irregularitatibus in foro conſcientiæ, benedicendi Eccleſiaſtica paramenta; denique varias Indulgentias locis ſanctis & aliis in terris infidelium conſtitutis impertit. 425,a & b. 426,a
Idem & eius ſucceſſor Paulus V. ſub Apoſtolicæ excommunicationis lata ſententia aliiſque pœnis præceperunt, vt bona à piis fidelibus quomodolibet locis Terræ ſanctæ relicta, ab iniuſtis detentoribus reſtituantur; & vt qui eorumdem detentores nouerint, eoſdem notificent; & ne quis ea in quoſuis alios etſi pios vſus conuertere audeat. 426,b. 427,a & b. 428,a
Item Sixtus V. concedit facultatem Minoritis in partibus infidelium habitantibus excipiendi omnium confeſſiones, & abſoluendi à caſibus Epiſcopis reſeruatis, item abſoluendi excommunicatos à iure vel homine, &c. 506,a & b

Smaragdus.

Smaragdi natura. 146,a
In ſmaragdo, vno inter lapides Rationalis ſine ſuperhumeralis ſummi Sacerdotis, ſcriptus erat Iudas. ibid.
Myſtraliter eius conditiones de cruce explicantur. 147,a

Socoth.

Socoth, ſecunda manſio Iſraëlitarum, quid ſignificet. 31,b

Sodoma.

Ieroſolyma vocatur ſpiritualiter Sodoma. 801,b

Speculum.

Sacra Scriptura ſpeculo comparatur. 881,a

Spes.

Spes rei aſſequendæ moleſtiam mitigat. 818,a & b

Spiritualia.

Spiritualia longè ſuperant temporalia. 673,b

Spiritus.

Spirituum diſcretio difficilis eſt. 817,b
Tria ſigna motionis Spiritus ſancti. ibid. & 818,a
Signa ſpiritus mali. 818,a
Deſiderium eundi in Terram ſanctam eſſe à Spiritu ſancto diiudicari poteſt. ibid. & b
Probare ſpiritus Prælatis conuenit. 819,b

Status.

Ex diuerſis hominum ſtatibus ordinatè componitur Eccleſia. 794,a & b

Statuta Minorum. *Vide* Fratres Minores.

Stellæ.

Stellæ apud Hebræos ſymbolum nobilitatis fuerunt. 141,b
Electi in ſtellis præfigurati. 86,b. 134,a & b
Chriſtus dicitur Stella matutina. 593,b

Stemmata.

In ſtemmatibus gentilitiis quid ſit obſeruandum. 561,b
Stemmata Ieroſolymitani Regni priuilegiata ſunt; & quare. ibid.
Stemmata Regum Ieroſolymitanorum & Equitum S. Sepulchri quæ ſint. 556,b & ſeqq.
Varia in his ſtemmatibus continentur & explicantur myſteria. 561,b & ſeqq.
Stemmata Regum Ieroſolymitanorum differunt à ſtemmatibus Equitum S. Sepulchri. 614,b. 615,a
Quid ſignificent rubra Cruces in ſtemmatibus Equitum S. Sepulchri. 615,a & ſeqq.
Vide reliqua ſub titulo Equites S. Sepulchri.
Aurum & argentum in ſtemmatibus Ieroſolymitanis quinque important; & quæ ſint illa. 617, a & b. 618,a & b. 619, a & b
Aurum & argentum ſignificat Ieroſolymitanos Reges virtute & moribus debere Chriſtum imitari. 614,a & b
Cruces in ſtemmatibus Regum & Equitum ſanctæ Cru-

Cinitatis ſalubriter eos inſtruunt. 604,a & b
Quid Cruces aurea in plano ſeu campo argento ſignificent. 605,a & ſeqq.
Stemmata ſingularia ſunt, quia Rex ſingularis. 605,a
Quare aurea ſint & non lignea ſtemmatum Cruces. 611,b & ſeqq.
Chriſtus in maiori ſtemmatum Cruce repreſentatur. 612,a
Quatuor crucicula ſunt quatuor Chriſti corona. ibid. & b
Diadema non ponitur ſupra ſtemmata Ieroſolymitana multiplici ex cauſa. 622,b. 623,a & b. 624,a & b

Stephanus.

Stephanus Abbas S. Ioannis Carnotenſis, quintus Ieroſolymorum Patriarcha. 139,b
Veneno ſublatus creditur. ibid.

Sulamitis.

Maria Virgo cur dicatur Sulamitis. 326,a
Sulamitis nomine interpretatio Synagogam ſignificat. 327,b

Superbus, Superbia.

Superbia ſymbolum eſt equus. 131,a
Superbia pallorem faciei inducit. ibid.
Superbia exercitui noxia eſt. 727,a

Suſpicio.

De nemine perperàm eſt ſentiendum. 882,a

Synagoga.

Synagoga dicitur Sulamitis, & quare. 327,b
A Chriſto vinificabitur Synagoga. ibid.
Efficax vocatio Synagogæ deſcribitur. 328,a
Cur Synagoga comparetur tabernaculis Iacob. 256,a

T.

Tabernacula.

CVr Synagoga comparetur tabernaculis Iacob. 256,a.

Tacere.

Qui tacet, conſentire videtur. 873 a

Talenta.

Per talenta ſignificantur diuina beneficia. 564,b

Tantalus.

Tantalus hominem auarum ſignificat. 624,b

Tau.

Tau littera ſignificatio. 582,a & b
Vide ſub titulo Crux triangularis.

Templarij. *Vide* Equites Templarij.

Templum.

Quatuor precipuæ Salomonici templi partes. 803,b
Templa quare honorentur. 862,b. 863,a & b

Temporalia.

Bona temporalia per aurum & argentum deſignantur. 618,a & b
Temporalia defectui ſunt obnoxia. ibid.b
Vſus rerum temporalium duplex, bonus & malus. 546,a
Apoſtoli etiam rerum temporalium curam habuerunt. ibid.b
Nimia rerum temporalium ſollicitudo à Paulo interdicitur omnibus. ibid.
Spiritualia longè ſuperant temporalia. 673,b
Propter temporalium rerum copiam ſæpè fideles affliguntur. 203,b 204,a & b

Tentatio.

Tres præcipuæ Chriſti tentationes, ſeu perſecutiones, fuerunt. 343,a
Prima, Herodis. ibid.
Secunda, diaboli. ibid.
Tertia, malorum hominum; & hæc fuit maxima. ibid. & b
Eccleſiæ tentatio triplex erit. 334,a
Prima, Tyrannorum. ibid.
Secunda, diaboli per hæreticos, &c. ibid.b
Tertia, domeſticorum; & hæc maxima erit. 345, a & b
Diabolus tentat primò aduerſitate. 350,a
Deinde proſperitate, ſeu voluptate. ibid. & b. 351,a & b
In tentationibus Eccleſia Chriſto aſſimilatur. 344, a & b
Tentationibus Eccleſia crevit. ibid.

Terra.

Quomodo terra dicatur vacua. 286,b
Terra Sepulchri ex Chriſti corpore diuinam hauſit virtutem. 865,b
Sepulchri terra magna in veneratione habita fuit. 868,a
Terra Caluariæ miracula operatur. ibid.
Ex Terra ſancta & aqua ſolitæ fuerunt fieri tortulæ. ibid.

Terra ſancta.

Terra ſancta agri nomine ſignificatur. 3,a
Ciuitates & caſtella Terræ ſanctæ, villarum nomine; & Eccleſia S. Sepulchri, vinearum intelligitur. 3,b. 4,a & b
Terra ſancta pluribus appellata eſt nominibus. 4,b & ſeqq.
Quare dicta Terra Chanaan. 4,b. 834,a
In Terra ſancta mercatura parum exercetur. 834,a
Quare dicta ſit Paleſtina, ſive Terra Philiſthiim. 5,b
Terra ſancta tertiò dicta fuit Terra Iſraël. 6,b
Quare dicta ſit Terra Iuda. 7,a & b
Vnde dicatur Terra promiſſionis. 9,a
Cur dicatur Requies Domini. ibid.b
Item, cur Terra viuentium. ibid.
Item, Terra abſolute, vel cum additione omnis. ibid.
Demque, cur dicta ſit Terra ſancta. ibid. & 10,a
Terra ſancta eſt typus Eccleſiæ Catholicæ. 207,a
Terra ſancta in Aſia & medio terræ eſt. 87,a
Terra ſancta optimum reſpectum ad cælum habet. ibid.b
Eius latitudo & longitudo latitudini & longitudini cæli reſpondet. ibid.
Dupliciter menſurari poteſt. 88,a
Eius termini diuerſi. ibid.
Terra ſancta ab Hebræis poſſeſſa longitudo & latitudo. ibid.
Ptolemæus reiicitur. ibid.
Longitudo & latitudo totius Terræ Abrahæ promiſſæ, licet ab Hebræis non poſſeſſæ, quæ ſit. ibid.b
Terræ promiſſæ duplex conſideratio. 10,b
Terra promiſſionis multipliciter diuidi poteſt. ibid. & ſeqq.
Cauſa diuiſionis Regni Iudæorum. 11,b
Terra ſancta in quatuor Prouincias diuiditur. 13,a & b
Quomodo à ſe inuicem diſtinguantur. ibid.
Quinam fuerint illi, quibus primò Terra promiſſionis diſtributa fuerit, & qui primò iuſtè ac legitimè eam poſſederint. 21,a & ſeqq.
Variæ de hac re ſententiæ. ibid.
Reſoluitur, & probatur, Terram promiſſionis datam fuiſſe Chanaan. 22,a & b

Tor-

Digitized by Google

Torniellì opinio refutata. 23,a
Terra ſancta cur nonnullis dicta Terra promiſſionis. ibid.b
Primi Terræ ſanctæ incolæ non fuerunt Ægyptij, aut Arabes, aut Cretenſes. ibid.
Quare Chananæi ex Terra promiſſionis expulſi fuerunt, ſi eam legitimè poſſederunt. 26,a & b
Terra ſancta Abrahæ promiſſa fuit. 27,b
Item Iacob, Iſaac, &c. ibid.
Cur Iudæis ſiue poſteris Abrahæ tradita ſit. 26, à & b. 27,a
Quomodo voluerit Deus impleri promiſſiones Abrahæ & ſemini eius factas de danda illis Terra ſancta. 28,a & b. 29,a
Terra Chanaan diuiſio inter duodecim tribus Iſraël. 46, a & b. 47, a & b
Terræ ſanctæ inter Iſraëlitas diuiſio tribus vicibus inſtituta fuit. 48,a
Vbi, quando, & à quo illa facta fuerit. ibid.
An facta fuerit diſtributio Terræ ſanctæ inter ſeptem tribus per partes æquales vel inæquales. 49, a & b
Prima ſententia per partes inæquales eam aſſignans proponitur, & refellitur. ibid.
Secunda ſententia per æquales aſſignans diſtributionem Terræ ſanctæ, eligitur, explicatur, & obiectiones contra illam ſoluuntur. ibid.b
In terra fertilitas magis quàm latitudo æſtimatur. ibid.
Sortes datæ pro ſitu & fertilitate terræ. 50,a
Diuiſio totius Terræ ſanctæ ab Ezechiele propoſita, etſi non executioni mandata. 51,a & b
Occaſio indicata eiuſdem diuiſionis. ibid.a
Illa diuiſio Ezechielis ſpectrum fuit. ibid.
Longitudo & latitudo aſſignanda in Terra ſancta. ibid.b
Diuiſionis Terræ ſanctæ duplex conſideratio. ibid. & 60,a
Longitudo & latitudo eius vnde accipienda. 51,a
Diuiſio Terræ ſanctæ Ezechieli oſtenſa diuerſa fuit ab ea quæ facta eſt per Ioſue. ibid.b
Tota Terra ſancta in communi deſcribitur. 53, a & b
Schemate illuſtratur. ibid.
Præmiſſa diuiſio explicatur. 54,a
Terminus Aquilonaris terræ oſtenſæ. ibid.
Terra Abrahæ promiſſa longior eſt quàm quæ ab Ezechiele deſcripta. ibid.
Terminus eius Orientalis. ibid.
Terminus Auſtralis. ibid.
Terminus Occidentalis. 55,a
Terra Ezechieli oſtenſa ab Auſtro latior quàm quæ Abrahæ promiſſa. 54,b
Terra quomodo diſtribuenda. 55,b
Mediæ partis declaratio. ibid.
Sacerdotalis portio. ibid.
Leuitarum portio. 56,a
Principis portio. 57,a
In duas partes diuiſa, Orientalem & Occidentalem. ibid.b
Duarum aliarum terræ præcipuarum partium enucleatio. 58,a
Duæ hæ partes duodecim tribubus æqualiter diſtribuendæ. ibid.
Præmiſſa diſtributio iuſta. ibid.
Partis Aquilonaris diuiſio. ibid.b
Auſtralis partis diuiſio. 59,a
Terræ ſanctæ longitudinis & latitudinis termini diuerſimodè aſſignati. 60,a
Termini regionum etiam eiuſdem tractus varij eſſe poſſunt. ibid.b
Exploratores à Moyſe ad Terram promiſſionis mittuntur, & redeunt. 33,a
Decem ex illis ſubitanea morte interierunt. ibid.b
Termini Terræ ſanctæ aſſignantur. 61,62,63,64
Accuratior terminorum Terræ ſanctæ deſcriptio. 64.b
Quanta ſit eius longitudo & latitudo. 65,a & b
Eius pulchritudo & latitudo ab Hecatæo Abderita deſcripta. ibid.
An promiſſio Dei Abrahæ facta de poſſidenda Terra ab eius poſteris à fluuio Ægypti vſque ad Euphratem impleta vnquam fuerit. ibid.b
Variæ de hac re ſententiæ. ibid.
Prima aſſerit, Dei promiſſionem impletam tempore Danidis. ibid.
Secunda, tempore Salomonis. 66,a
Tertia, Salomonis tempore cœptam impleri, & aliquo modo impletam. ibid.
Pererij de hac re ratiocinatio expenditur. ibid.
Quarta ſententia aut promiſſiones Abrahæ factas non fuiſſe impletas ob populi peccata. ibid.b
Duæ rationes Maſij pro hac ſententia. ibid. & 67,a
Reſponſiones Pererij ad rationes Maſij. 67,a
Solutio reſponſionum Pererij. ibid.b & ſeqq.
Alia ratio pro ſententia negatiua. ibid.b
Ob habitantium multitudinem Terra ſancta accuratè deſcripta, & diſtributa. 69,b
Terra ſancta à Deo commendatur. 70,b
Eius fertilitas in quo conſiſtat. ibid.
Aquis affluit. 71,a
Metallis ditatur ac munitur. ibid.
Mari proxima. ibid.
Magna eius abundantia. ibid.
Quaſi hortus voluptatis. ibid.b
Fecunditas eiuſdem, præcipuè vini. ibid.
Vinearum eius cultura. 72,a
Quid ipſi Iudæi de Terræ ſanctæ vbertate dixerint. ibid.
Trans-Iordanicæ regionis delicia & opulentia. ibid.b
Quid exploratores à Moyſe miſſi de regionis Trans-Iordanicæ fertilitate retulerint. ibid.
In ſacris Litteris Terra ſancta fluere lac & mel dicitur propter omnium bonorum abundantiam. 73,a
Lacte etiam & melle propriè abundabat. ibid.
Rabſacis Iudæorum hoſtis de fertilitate Terræ ſanctæ dictum. ibid.b
Dictum Hecatæi Abderitæ. ibid.
Item Ariſtæi. ibid.
Item Ioſephi Hebræi elogium. 74,a
Item Brocardi. ibid.
Item Patris Bonifacij. ibid.b
Vinum Terræ ſanctæ optimum & rubrum, iuxta Villalpandum. 75,a
Hodie vinum pro maiori parte album, optimum tamen. ibid.
Vinum Libani præſtantiſſimum. ibid.
Vinum Cypri conditum. ibid.b
Ex anguſtia Terræ ſanctæ & multitudine habitatorum, illius abundantia deprehenditur. ibid.
Eius poſſeſſionem multi ob illius opulentiam affectarunt. 76,a
Terra ſancta noſtro tempore eſt vaſtata & deſolata. ibid.
Ieroſolymis habitantium numerus. ibid.

Aquarum inopia. ibid. b
Regionum & habitantium conditio. ibid.
Prædictiones miſeriarum nunc impletæ. ibid.
Terra promiſſa ſolè ſola locorum ſanctitate gaudet. ibid.
Abundantiam & fertilitatem eius naturalem fuiſſe vnde probetur. 77,a
Quæ ſupernaturalem fuiſſe euincant. ibid.b
Terra ſancta inaquoſa. ibid.
Guilielmi Tyrij dictum de ſiccitate Ieroſolymitani ſoli. ibid.
Defectum frumenti & aliarum rerum frequenter paſſa eſt Terra ſancta. ibid.
Strabonis ſententia de ſterilitate Ieroſolymæ. 78,a
D. Antonini dictum de Ieroſolymæ ſiccitate. ibid.
Ioſephi & Strabonis enucleatio. ibid.
D. Hieronymi ſententia. ibid.
Terræ ſanctæ longitudo & latitudo ſecundùm D. Hieronymum. ibid.b
Scriptura ſacra diuino adſcribit beneficio Terræ ſanctæ fertilitatem. 79,a
Ægyptus naturaliter fecundior eſt Terrâ ſanctâ. ibid.
Quomodo item infecundior ſit Terrâ ſanctâ. 80,a
Horti Terræ ſanctæ quare fluminum aquis indigeant. 79,b
Peregrinorum indicium de eius fertilitate. 80,a
Ob peccata incolarum facta eſt ſterilis. ibid.b
Ex aquarum copia incolæ eius abundantiam eminantur. ibid.
Terra ſancta naturâ quidem, ſed magis Dei benedictione fecunda. 81,a
Reſponſio ad rationes pro naturali Terræ ſanctæ ſterilitate. ibid.
Palmes vna ab exploratoribus delatus qualis fuerit. ibid.
Ex hominum induſtria etiam Terra ſancta opulenta fuit. 82,a
Aſſerta in ſacris Litteris magis arguunt ſupernaturalem Terræ ſanctæ fecunditatem. ibid.
In quo ſenſu intelligenda ſint quæ in ſacris Litteris de Terra ſancta dicuntur. ibid.b
Prima ſententia docet omnia ſecundùm litteram eſſe accipienda. ibid.
Secunda, omnia ſpiritualiter. ibid.
Tertia ſententia media proponitur. 83,a
Quæ in ſacris Bibliis habentur de Terra ſanctâ, non omnia ad litteram eſſe accipienda. ibid.
Montem Sinai fertiliorem eſſe Terrâ ſanctâ quomodo intelligatur. ibid.b
Nonnulla quæ in ſacra Scriptura de Terra ſancta dicuntur, ſecundùm litteram intelligenda ſunt. 86 a
In illius promiſſione ſpiritualium & æternorum bonorum promiſſio includebatur. ibid.b
Gentes variæ diuerſis additæ ritibus incolæ fuerunt Terræ ſanctæ. 89,b
Ob varias rationes variæ Gentes in illa habitarunt. ibid.
In quadruplicibus Terræ ſanctæ habitatoribus quatuor hominum genera deſignantur qui viuentium terram conſequuntur. 90,a
Cum fidelibus Iudæis habitarunt ſemper infideles in Terra ſancta. ibid b
Non potuerunt infideles ex eâ expelli. ibid.
Ob quatuor rationes aliæ nationes cum Iudæis habitarunt. 91,a & b
Præſentes Terræ ſanctæ habitatores fideles & infideles qui ſint. 92,a
Fideles in duplici ſunt differentia. ibid.
Item infideles alij baptizati, alij non baptizati. ibid.
Infideles baptizati ſunt Græci, Armeni, Syriani, Georgiani, Gophti, Abyſſini, Neſtoriani. ibid.
Infideles non baptizati reduci poſſunt ad Iudæos & Mahometanos. ibid.b
Idololatræ nulli ſunt in Terra ſancta. ibid.
Latini Terram ſanctam inhabitantes ſunt Franciſcani. 93,a
Catholici Orientales Terram ſanctam inhabitantes, & Maronitæ, qui ſint. 94, a & ſeqq.
An Græci aliiue ſchiſmatici Terram ſanctam inhabitantes hæretici ſint, & hæretici appellari poſſint. 98,b & ſeqq.
Variis mutationibus ſubiecta fuit ſub diuerſis Regibus. 135,b & ſeqq.
A Francis recuperata. 137,b
Rurſus à Saracenis ſuperata. 140,a
Quot annis à Catholicis poſſeſſa. ibid.b
Terrâ ſanctâ expulſi ſunt Chriſtiani propter luxum & diuitiarum copiam quam in profanos ac ſacrileges vſus profundebant. 204,a & b
Aliqui ex Fratribus Minoribus fuerunt Reges Ieroſolymitani, & Terræ ſanctæ Domini. 205,b
Cur Deus non a ſolis Catholicis, ſed etiam ab infidelibus, ſchiſmaticis & hæreticis gubernari loca ſancta permittat. 206,a & ſeqq.
Id ſit, vt Deus omnium Deus cognoſcatur. 206,a
Deinde, vt omnis lingua laudetur Deus. 209, a & b
Item, vt verificentur dicta Prophetarum. 210,b
Item, vt elucęſcat diuina miſericordia. 211,a
Item, vt infideles & iniuſti concipiant ſpem ſalutis. ibid.
Item, propter merita ſanctorum Patrum, ex quibus proceſſerunt ſchiſmatici illi. ibid.b
Item, vt illorum ſchiſmaticorum bona moralia in præſenti vita per bona temporalia remunerationem accipiant. 212,a
Item, propter Catholicorum ſacordiam. ibid.
Item, id ſit propter Catholicorum peccata. ibid.b
Terra ſancta data eſt Saracenis, quia illis à Deo promiſſa. 234,b. 235,b. & 236,a
Quando Deus fidelibus ſit daturus Terram ſanctam. 236,a & b
Difficile eſt indagare cauſas, quare Deus Terram ſanctam ab infidelibus poſſideri atque deuaſtari permittat. 236,a. 237,a & b
Quare Catholici tam ſæpè irritum conatum fecerint in occupatione Terræ ſanctæ, difficile eſt indagare. ibid. & 281,a
Prima ratio eſſe poteſt; quia Deus Terrâ ſanctâ & rebus terrenis non indiget. 238,a & b
Secunda ratio, vt iuſtitia Dei monſtretur in punitione peccatorum. 239,a
Tertia ratio cur Terra ſancta ab infidelibus deturpetur, eſt opus diuinæ miſericordiæ. 247,a
Quarta, vt Dei abſolutum dominium demonſtretur. ibid.b
Quinta, vt noſter zelus appareat. 248,a
Sexta, vt oſtendatur Synagogæ finalis deſolatio, & Eccleſiæ firmitas. ibid.
Septima, ne in locis ſanctis ſoli fideles glorientur. ibid.b
Octaua, vt iuſti plus mereantur. ibid.
Nona, vt Chriſti paſſionibus compatiamur. ibid.
Decima, vt Chriſtiana religioni ipſi hoſtes teſtimonium perhibeant. 249,a

Vnde-

Digitized by Google

Vndecima, propter Chriſtianorum Principum negligentiam, & parvum religionis & pietatis erga loca ſancta affectum. ibid.
Duodecima, quia Deus inde receſſit. ibid.b
Decimatertia, vt appareat quanti faciant fideles loca ſancta. ibid.
Decimaquarta, vt appareat, an fideles diligant Deum propter ſe, an propter aliud. 250,a
Decimaquinta, ne in viſitatione Terra ſancta fideles diſtrahantur. ibid.
Decimaſexta, vt intelligant fideles, aliam eſſe expectandam Terram ſanctam & Ieruſalem. ibid.
Decimaſeptima, quia Turcarum & infidelium iniquitates necdum ſunt complete. ibid.b
Decimaoctava, quia propter noſtra peccata dæmones nituntur, ne detur Chriſtianis Terra ſancta. ibid.
Quare Turcicum Imperium ad loca Terre ſancta ſe extenderit, cauſa adferuntur. 253,a & b. 254,a & b. 283,a & b
An Terra ſancta à Turcarum iugo & tyrannide ſit liberanda, & Chriſtianis reſtituenda: quando hoc ſit futurum; an de hac re aliquod extet vaticinium. 257,a & ſeqq.
In habitatores Terra ſancta acriter deſeviet Antichriſtus. 257,b
Iudicium Auctoris proponitur de recuperatione Terra ſancta per Catholicos Reges. 279,a & b.
Timendum eſt, quòd Terra ſancta ſub tyrannide Mahometiſtarum perſeverabit vſque ad adventum Antichriſti. 280,a
Tria hanc ſuſpicionem perſuadent. ibid.
Primum, Dei iuſtitia, qui execratur & vindictam ſumit de Chriſtianorum peccatis. ibid.& b
Secundum, Chriſtianorum luxus, & Principum vana regnandi libido. 281,a & ſeqq.
Tertium, Mahometiſtarum potentia. 284,a & b
Excitat multipliciter Deus fideles, vt Terram ſanctam ſibi comparent. 282,b
Ob eorum ſocordiam facta eſt diviſio fidei & charitatis in Eccleſia, & Turcicum Imperium dilatatum. 283,a & b
Piè credendum eſt, Chriſtianos, ſi non Dominos, incolas ſaltem futuros Terra ſancta vſque ad tempus Antichriſti. 285,b
Probatur id Primò, ex divina providentia. ibid.
Secundò, ex fidelium zelo. 287,b
Tertiò, ex Mahometiſtarum commodo quod accipiunt ex Chriſtianis Terram ſanctam inhabitantibus. 288,a
Deſolatio Terre ſancte predicitur. 286,b
Quare dicatur vacua & deſerta. ibid.& 287,b
Poſt Antichriſti adventum vt veri domini Terram ſanctam poſſidebunt fideles. 288,b & ſeqq.
Probatur id auctoritate ſacre Scripture. 288,b
Terra ſancta lacte & melle cur dicatur abundare. 293,b
Antichriſtus in Terra ſancta regium thronum ſuum ſtatuet. 295,a
Felicitas & conditio habitatorum Terra ſancta mortuo Antichriſto. 299,b.300,a
Poſt Chriſti adventum ſemper habitarunt fideles & Catholici in Terra ſancta. 170,a & b. 285,a
Piarum olim in ea fuerunt Religioſorum Ordines. 170,b
Poſterioribus verò ſeculis, ſcilicet ab anno 1304. vſque nunc, ſoli in ea habitant & loca ſacra cuſtodiunt Fratres Minores. ibid & ſeqq.
Signũ eſt divini amoris loca ſancta inhabitare. 774,a
Cuſtodientes loca ſancta magna merces manet. ibid. & b
Terre ſancte viſitatio & inhabitatio eſt arrha eterne glorie. ibid.b
Expulſis ob peccata ſua è Terra ſancta Catholicis, Fratres Minores à Turca in illa permittuntur. 213,a
Cur Iudais Chriſti occiſoribus permittatur inhabitare Terram ſanctam. ibid.a & b
Providentia Dei circa Terram ſanctam. 178,a
Quare voluerit illam inhabitari & cuſtodiri à Fratribus Minoribus. ibid.
An Terra ſancta prius ſit inhabitata à Fratribus Minoribus Conventualibus quam Obſervantibus. 178,a & b. 179,a & b
Loca Terra ſancte, que ex ſpeciali facultate Fratribus Minoribus data ſunt, recenſentur. 180, a & b. 181,a & b
Quidam conantur Fratribus Minoribus adimere regimen locorum Terra ſancte ob varias rationes, que & ſolvuntur. 182,a vſque ad 187
Cur Fratres Minores à Deo ſoli delecti ſint ad cuſtodiam locorum Terra ſancte. 199,b & ſeqq.
Terra ſancta fuit Franciſco & eius Fratribus promiſſa. 199,b. 200,a
Palatium Franciſco oſtenſum, & promiſſum, Terra ſancta eſt. 200,a
Deſiderium eundi in Terram ſanctam eſſe à Spiritu ſancto, dinoſcari poteſt. 818,a & b
Quibus conditionibus ornati debeant eſſe Fratres Minores, qui ad cuſtodiam locorum Terra ſancte deſtinandi ſunt. 816,b & ſeqq.
Quare Fratres Minores, qui à Spiritu ſancto moti ſunt ad eundum ad loca ſancta, facultatem petere debeant à ſuis Prelatis. 819,a & b
Quibus competat facultas mittendi Fratres ad loca ſancta. 820,b.821,b
Habentes licentiam à Pontifice debent etiam ſuorum Superiorum habere conſenſum. 821,a
Fratres Minores ad Terram ſanctam peregrinantes, & pecunia utentes, non bene faciunt. 822,a
Fratres Minores ad Terram ſanctam mittendi, voluntarij eſſe debent. ibid.a & b
Debent habere vitæ ſanctitatem. ibid.b
Alia requiritur idoneitas in Sacerdotibus, alia in laicis, &c. ibid.
Quinam graves & idonei cenſeantur vt ad Terram ſanctam mittantur. 823,a
Quales debeant eſſe ex mente S. Franciſci. ibid.b
Quomodo dicatur Terra ſancta eſſe à Deo derelicta. 775.b. 776,a
Chriſtianus cultus perpetuò conſervabitur in Terra ſancta. 776,a
Luxuria & avaritia precipua ſunt cauſa deſolationis Terre ſancte. 240,a & b
Explicatur cupiditas & luxuria Chriſtianorum in Terra ſancta. ibid.& 281,a & b
Semper fere mali & impij habitarunt in Terra ſancta. 240,b.241,a.242,a
Maria Ægyptiaca Ieroſolymam ad Terram ſanctam iuit, vt ibi liberius vacaret ſuæ libidini. 240,b
Principis Turcæ iudicium de cauſa amiſſionis Terre ſancte. 243,a
Peregrini Terra ſancte ad Fratrum Minorum hoſpitium diverſunt. 242,b
Fidelium dedecus eſt loca ſancta à Turcis occupari. 748,a & b
Infideles ipſi Chriſtianos ignavia accuſant, eò quòd

æstiment illos nihil æstimare loca sancta. ibid.
Recensentur variorum Principum expeditiones, vt amplius moneantur nostri Principes ad inferendum denuo bellum Turcis pro Terra sancta recuperatione. 749,b & seqq.
Terra sancta in infidelium potestate relinquitur, vt fidelium conditio innotescat. 688,a & seqq.
Ferdinandi Medices pium consilium. 690,b
Spes liberationis Terra sanctæ. 691,b
Quali bello & quo Duce Terra sancta possessio recuperari posse videatur. 712, a & seqq.
Terra sancta recuperata vt conseruetur, sex sunt obseruanda. 731,b & seqq.
Terra sancta bello mixto est comparanda. 737,b
Vtilitates quæ possent prouenire Terræ sanctæ ex actuali Præfecto Patriarcha Ecclesiæ Ierosolymitanæ, si à Pontifice is statueretur. 465,a
Præsul actualis Terræ sanctæ vsque modò à multis annis fuit Guardianus sacri Montis Sion. ibid.b
Triplex ordo eorum quæ de locis Terræ sanctæ dicuntur: quædam explicitè vel implicitè in sacra Scriptura continentur, quædam sunt his annexa, alia non item. 844,b
Qua fide & quo assensu credere debeamus ea quæ de locis sanctis in hoc Opere dicuntur. 844,a & seqq.
Traditiones Terræ sanctæ quomodo conseruatæ sint. 847,b. 848,a
Dicenda de locis Terræ sanctæ qua methodo explicanda sint. 848,a
Ex vniuersalis Ecclesiæ consensu, particularium Ecclesiarum traditione, probatissimorum virorum sententia, cæterorumque communi opinione ostenditur, quantus sit assensus exhibendus his quæ de Terra sancta dicuntur. 851,a & b. 852,a & b
Omnes locis sanctis testimonium perhibent. 852, a & b
Infideles inimici Crucis Christi, dæmones denique ipsi contestantur ea quæ de sanctis locis dicuntur. 853,a & b. 854, a & b. 855,a & b
Locorum sanctorum virtus ad deuotionem fidelibus augendam. 854,a & b
Affectus peregrinorum ad loca sancta. ibid.b
Expauescit dæmon loca sancta. 854,a & b. 855,a
Occultâ vi loca sancta trahunt peregrinos. 856, a & b
Terra sancta est magnes cordium. ibid. b. 857,a
Ipsa loca sancta occultâ vi demonstrant vera esse quæ de ipsis dicuntur. 856, a & b. 857,a
Respondetur obiectioni quæ dicitur de historica veritate locorum sanctorum oppoti, & aliquam obscuritatem inducere posset. 857, a & seqq.
Sicut in Christiano orbe fuerunt & sunt sacri Equites, ita & in Terra sancta. 550,b. 551,a
Terra sancta similis equitatui Salomonis. 551, a & b
Equestres Ordines meritò sunt in Terra sancta. 552,b
Vide Equites sacri.
Ad Terram sanctam omnes fideles inuitantur. 1,b
Christo duce eundum in Terram sanctam. 2,a & b
Terram sanctam spiritualiter visitare, & per eam peregrinari deberent omnes fideles. 840, b vsque ad 844
Varia & laudabilia huius rei exempla. 840,b
De cultu & veneratione quæ locis sanctis sunt exhibenda. 860,a & seqq. maximè 862,b
Loca sancta Terræ sanctæ sunt religioso cultu per se, sed non propter se honoranda. 862, b. 863, a & seqq.
Delinquere in locis sanctis grauius est peccatum. 865,a
Dum in sanctorum locorum veneratione Christus & B. Virgo sunt adorationis terminus, eadem adoratione adorantur; sed ille per se, hæc per accidens. ibid. & b
Terra Sepulchri ex Christi corpore diuinam hausit virtutem. ibid.b
Non æquali analogica veneratione omnia sacra loca honorantur. 866,a
Terra sancta dupliciter considerari potest. ibid.
Quibus actibus exterioribus honoranda sint loca sancta. ibid.b
Deosculanda sunt loca sancta, vt alia sacra, in reuerentiæ signum. 867,a
Orandum & sacrificandum est in locis sanctis. ibid.b
Deus in Terra sancta potiùs quàm alibi sua largitur munera. ibid.
Fructus ex locorum sanctorum veneratione percipitur. 863,b
Accedens incredulus ad loca sancta, firmiter credet ea quæ de eisdem dicuntur. 859,b. 860,a
Hæretici in Terra sancta humaniter à Minoritis excipiuntur, & tractantur. 860,b
Venientes ad Terram sanctam sine licentia Papæ sunt excommunicati. 511,b
Possunt absolui à Fratribus Minoritis Terræ sanctæ. ibid.a
Guardianus Montis Sion potest mercatoribus & aliis dare licentiam veniendi ad Terram sanctam. 512,a
Ex Terra sancta & aqua solebant fieri tortulæ. 868,a
Beneficiorum suorum memoriam in signo aliquo notabili Deus haberi voluit in Terra sancta. ibid.b. 869,a & b
Naaman Syrus detulit portionem Terræ sanctæ in regionem suam honoris causâ. 864.b
Felicitas habitantium in Terra sancta. 764, a & b
Varia occasiones seu diuersæ intentiones hominum proficiscentium ad Terram sanctam. 833,a & b. 834,a & b
Multiplex finis honestus proficiscentium ad Terram sanctam & in illa commorantium describitur. 767,b. 768,a & seqq.
Peregrinantibus ad Terram sanctam varia sunt obseruanda. 824,b & seqq.
Quænam sint peculiariter obseruanda à Præsule Terræ sanctæ antequam iter cum familia sibi commissa aggrediatur. ibid.
Deus sex singulariter mandauit Moysi Israëlem in Terram sanctam introducturo. 824,b. 825,a
Sex similiter sunt obseruanda à Ductore familiæ Ierosolymitanæ, seu Terræ sanctæ. 825,b. 826,a
Præsul Terræ sanctæ debet esse vir mitis & mansuetus. 825,b
Item humano affectu nudatus. ibid.
Debet habere facultatem in scriptis. 826 a
Habeat adiutorem Vicarium. ibid.b
De idoneis ministris sibi prouideat. ibid.
Patientia & sollicitudine indiget. ibid.
Tempus nauigationi opportunum eligere debet. 827,b
Ad Terram sanctam Ierosolymitana familia semper incolumis peruenit. ibid.a

Oſtā debent obſeruari à peregrinis in ipſo itinere ad Terram ſanctam. 829,a & b. 830,a & b. 831,a

Peregrinis Terræ ſanctæ dabatur littera teſtimoniales. 558,a

Nummus certus illis dari ſolitus. 556,b. 558,a

Peregrinationum ad loca Terræ ſanctæ antiquitas. 559,a

Notanda viſio illorum qui in ſacro itinere obierunt. 745,b

Deſiderium liberandi loca ſancta ex infidelium manibus ab æterna morte liberat. ibid.

Peregrinatio ad Terram ſanctam aliquando præcepta fuit. 755,b

Primi parentes ad Terram ſanctam peregrinati fuerunt. ibid.

Abraham, Iſaac & Iacob ad Terram ſanctam peregrinati ſunt. ibid.

Iudæi ex præcepto Dei ad Terram ſanctam peregrinari tenebantur. ibid. & 756,a

Chriſti vita fuit continua in Terra ſancta peregrinatio. 756,b

In lege gratiæ fuit Terra ſancta frequentata. ibid.a

Peregrinationis Ieroſolymitanæ antiquitas. ibid.b

Exemplo Chriſti & aliorum monemur ad Terræ ſanctæ peregrinationem. ibid.

Terra ſancta magis quàm propria patria diligenda eſt. 757,b

Vide plura ſub titulo Peregrinatio.

Mercatores in partibus Orientis habitantes poſſunt abſque Sedis Apoſtolicæ licentia proficiſci Ieroſolymam. 541,a & b

Seculares perſonæ in Terra ſancta habitantes, vel ad eam peregrinantes, poſſunt ad habitum Tertij Ordinis S. Franciſci admitti. ibid.b

Fideles cuiuſcunq; nationis & ſtatus proficiſcentes Ieroſolymam, poſſunt inſtitui Equites S. Sepulchri. ibid.

Seculares in Terra ſancta poſſunt ab illius Præſule creari S. Theologiæ Lectores, Iudices & Notarij. 542,a

Poſſunt proficiſcentes ad Terram ſanctam recipere cruces benedictas SS. Trinitatis. ibid.

Clerici in ſacro exercitu pro Terra ſancta recuperanda verſantes poſſunt per triennium fructus ſuorum beneficiorum recipere, ac ſi in ſuis Eccleſiis reſiderent, & eoſdem pignori obligare. ibid.

Sacra militia adſcribi volentes recipiebantur ſub protectionem S. Eccleſiæ, etiam quantum ad temporalia. 543,a & b

Non ſolùm eorum poſſeſſiones, ſed etiam vxores & liberi, ſub peculiarem Eccleſiæ tutelam aſſumebantur. ibid.b

Milites Crucefigni pro Terra ſancta defenſione immunes fuerunt à grauaminibus ſolmendis. 544,a

Priuilegia Terræ ſanctæ abſolutè à Summis Pontificibus confirmata fuerunt. 547,a & b

Fratres Terræ ſanctæ circa priuilegia ſibi & locis ſanctis conceſſa priuilegiati ſunt poſt Concilium Tridentinum. 548,b. & ſeqq.

Fratres Terræ ſanctæ ſemper gaudere poſſunt Indulgentiis, quibus gaudent peregrini in ſuo aduentu. 550,b

Terræ ſanctæ, nec non aliorum Orientis locorum, Indulgentia aſſignantur cum XXV. *Peregrinationibus, in quibus illa obtinentur.* 448,a vſque ad 454

Priuilegia Indulgentiarum in gratiam locorum Terræ ſanctæ perſonis Religioſis conceſſarum. 455,a & b. 456,a & b

Miſeritia Terræ ſanctæ comparantur exponentibus vitam pro ſubſidio Terræ ſanctæ. 455,a

Proficiſcentes in Terram ſanctam conſequuntur Indulgentiam plenariam. 456,b

Vide ſub titulo Fratres Minores.

Catalogus Romanorum Pontificum, quorum litteræ, exhortationes & conſtitutiones in gratiam Terræ ſanctæ edita hoc Opere continentur. 355,b. 356,a

Conditio priuilegiorum Terræ ſanctæ. 428,b

Vide reliqua ſub titulo Priuilegia.

Auctoritas Præſulis Terræ ſanctæ non poteſt à Miniſtro vel Capitulo generali reſtringi. 456,a

Tria argumenta quibus contenditur non eſſe dandas eleëmoſynas in ſubſidium locorum Terræ ſanctæ. 874,a & b

Soluuntur. 875,b. 876,a & b. 877, a & b. 878,a

Solliciſtudo piorum de locis ſanctis. 874,a

Pauli & Barnabæ. ibid.

Ioannis Eleëmoſynarij. ibid.

Caroli Magni. ibid.b

Roberti & Sanciæ Regum Siciliæ. ibid.

Regum Hiſpaniæ. ibid.

Iudæorum. 875,a

Schiſmatici & hæretici Orientales conſeruationi & augmentationi locorum ſanctorum ſtudent. ibid.

Ab iſtis pietate ac religione Catholici vincì non debent. ibid.

Conuentus Minorum Ieroſolymis hoſpitale eſt peregrinorum. 876,b

Eccleſiaſtici ac ſeculares Principes ſemper ben. meriti fuerunt de locis ſanctis. 878,b

Priuilegia ad inſtantiam Regis Chriſtianiſſimi à Turcarum Imperatore peregrinis ac Fratribus Terræ ſanctæ conceſſa. 879,a

Reges Catholici pro adiumento locorum ſanctorum diuinitus ſunt ordinati. ibid.b

Venetorum Reſpublica ſemper optimè merita fuit de locis ſanctis. ibid. & 880,a

Loca ſancta commendata fuerunt à Duce ac Senatu Veneto ſuis Oratoribus Conſtantinopolitanis. 880,a

Hieronymi Capelli Bailli Veneti operâ ſeruatum fuit Dominicum Sepulchrum. ibid.& b

Calumnia in miniſtros eleemoſynarum Terræ ſanctæ. 881,b

Liberantur à calumnia. 882,a & b

Quare tot expenſa fiant, & maiores hiſce temporibus quàm antea. ibid.b & ſeqq.

Opus maximè pium eſt, locis ſanctis ſubuenire. 887, a & b

Infideles ex defectu pietatis fidelium ad loca ſancta ſcandalizantur. ibid.

Præcellentia meriti, quod locorum ſanctorum egeſtati ſubuentione acquiritur, mouere deberet Chriſtianos. 888,a & b. 889,a.

Catholicus Rex celebratur in Terra ſancta ob regia munera illis locis collata. 889,b. 890,a

Inuidi honoris Regis Catholici eleëmoſynas pro locis ſanctis diſſuadent. 890,a

Quintuplici ratione S. Paulus ſuadet eleëmoſynas pro pauperibus Terræ ſanctæ. ibid.b. 891,a

Loca ſancta quare ſint oblationi tradita. 891, a & b

Terra ſancta derelicta eſt, quia deſerta. ibid.b

Ex iuſtitia ſubueniendum eſt locis ſanctis. 884,b. 885,a & b. 886,a & b
Item ex pietate. 886, b & ſeqq.
Locorum ſanctorum memoria eſt conſeruanda. 886,a
Exemplo Chriſti locis ſanctis ſubuenire oportet. ibid.
Quanta ſit Principum obligatio ad loca ſancta. ibid.b

Terrena.

Terrena Deus dat malis & infidelibus, cæleſtia verò bonis & electis. 234,b. 235,b. 236,a
Electis non debent ſe immiſcere terrenis. 236,a

Tetrarchia.

Tetrarchia quid ſit. 12,b

Thahath.

Thahath vigeſimatertia Iſraelitarum manſio. 34,a

Thamar.

Thamar ciuitas quæ. 54,a

Thare.

Thare vigeſimaquarta Iſraelitarum manſio. 34,a

Theologia.

Crucifixi meditatio eſt vera Theologia. 594,a
Theologiæ ſubiectum quod ſit. ibid.
Theologiæ nominis ſignificatio. ibid.

Theonas.

Theonas Abbas vxore relictâ & inuitâ Monachus factus eſt. 805,a & b

Therſa.

Therſa ciuitati comparatur Eccleſia: qualis illa fuerit. 302,b

S. Thomas.

S. Thomas ex vulneribus Chriſtum cognouit. 599,a

Thronus.

Thronus Salomonis per omnia explicatur. 629, a & b. 630, a & b. 631,a & b. 632, a & b

S. Timotheus.

S. Timothei abſtinentia. 118,a

Titus Imperator.

Titus Imperator iuſſit occidi Sacerdotes templi, eò quòd illo conflagrato ipſi viuere deſiderarent. 748,a
Titi Imperatoris poſt partam de Iudæis victoriam modeſtia. 41,b

Torrens.

Torrens Ægypti & deſerti dicitur Nilus. 61,b
Torrens Occidentis & Arabiæ dicitur Nilus. 62,a

Traditio.

Traditiones Terræ ſanctæ quomodo conſeruatæ ſint. 847,b. 848,a
Traditio eſt triplex, diuina, humana rationabilis, & vana. 848,b
Earum diſcrimen ex ſacris Litteris. ibid. & 849, a & b
Non tantùm reuelata, ſed ab homine rationabiliter tradita meritoriè creduntur. 849,b
Traditiones diuinæ aſſenſum generant infallibilem. 850,b
Traditionibus humanis moralis fides eſt adhibenda. ibid.
Traditiones vanæ prorſus abiiciendæ ſunt. ibid.

Trans-Iordanis regio.

Trans-Iordana regio quæ ſit, & vnde dicta. 13,b

Tribulatio.

Tribulatio hominem illuminat. 288,b. 289,a
Manaſſes ad Deum tribulationibus conuerſus eſt, 289,a
Tribulationibus homo emendatur. ibid.b
Permittit Deus hominem tribulari ob ipſius commodum. ibid.
Eccleſia Chriſto ſimilis eſt in tribulationibus. 290,a
Per tribulationes peruenitur ad gloriam. 629, a & b. 630, a & b. 631,a
Licet tribulationes vtiles ſint, non ſunt tamen expetendæ propter periculum. 700,a
Tribulatio patienter tolerata vtilis eſt, quæ culpam annexam non habet. ibid.
Deus electos ſuos permittit ad extremum affligi, vt efficaciùs & illuſtriùs eos poſteà liberet. 29,b. 30,a
Tribulatorum ſubſidium, fulcrum, ſolatium eſt Crux Chriſti, ſiue eius memoria. 584,b. 585, a & b. 586, a. 602, a & b. 603,a

Tribus.

Tribus quid ſit. 44,a
Tribus Iſraëlitici populi fuerunt duodecim. ibid.
Quare interdum tredecim numerentur. ibid. & b

Tributum.

Quare tributa ſoluantur Principibus. 545,a
Eccleſiaſtici non ſunt iure diuino, ſed poſitiuo, exempti à tributis & oneribus ciuilibus. 549,b
An & quando tributa imponi & exigi poſſint à perſonis Eccleſiaſticis. 704,b. 705, a & b. 706,a & b

SS. Trinitas.

Cognitio SS. Trinitatis rara in veteri lege; & quare. 574,b
Myſterium SS. Trinitatis ex Scriptura & creatura innoteſcit. 575,a
Omnes creaturæ ternarium numerum affectant. ibid.
Sol eſt veſtigium SS. Trinitatis. ibid.
Item herba Trinitas dicta. ibid. & b
Quæ Scripturæ Trinitatem explicent. ibid.b
Incarnatio Chriſti eſt ſymbolum Trinitatis. ibid.
Triangula Crux, tamquam res & ſignum, & tamquam creatura & Scriptura, repræſentat myſterium SS. Trinitatis. ibid. & 576,a
In Trinitate vnica eſt natura, voluntas, potentia, operatio, &c. 904,a

Trophæa.

Trophæa quid ſint; & quare aſſerantur. 869,b

Turcæ.

Vnde Turcæ habeant abundantiam omnis generis artificum. 272,a
Turcæ ſuperbi ſunt & carnales. 131,a
Sunt deſidioſi, nolentes laborare. ibid.
Turcæ vnlin ſunt pallidi; & quare. ibid.b
Erga pauperes & afflictos miſericordiam & compaſſionem exercent. ibid.
Quid per tobaleas, quas in capite deferunt Turcæ, ſignificetur. 230,b
Modus promittendi apud Turcas. 883,a
Diſcrimen inter Turcarum & Perſarum parochos. 132,a
Turcæ bonos tantùm & puros in parochos aſſumunt. ibid.
Turcarum Imperator nullam propriam habet vxorem; ſed quotquot habet, ſunt mulieres captiuæ. 133,a
Secta Mahometica propter voluptatum illecebras, & armorum potentiam, maximum habuit incrementum. 253,a
Rationes adferuntur quare adeò dilatatum ſit Mahometicum ſeu Turcicum Imperium. ibid.b
Prima ratio eſt, quia lex Mahometica aliqua rationabilia continet. ibid.
Maximè deteſtatur idololatriam. ibid.
Secunda ratio, quia Turcæ relinquunt Chriſtianos in ſua fide viuere. ibid.

Tertia, vt in bellis erudiantur Christiani. 254,a
Quarta, vt schismatici Orientales puniantur. ibid.
Quinta, propter Christianorum discordiam. ibid.
Sexta, quia secta Mahometana est sensibus humanis accommodata. ibid.b
Septima, quia continet multa quæ multis placere possunt. ibid.
Octaua, propter magnam potentiam. ibid.& 284,b
Turcicum Imperium est planè tyrannicum. 254,a
Quatuor præcipua quæ ad Turcicum Imperium seu potius tyrannidem conseruandam conducunt. 255,a
Mahometica secta & Turcicum Imperium habebit finem. ibid.& 256,a & b
An & quando Terra sancta à Mahometistarum seu Turcarum iugo liberanda, & Christianis legitimis eius dominis restituenda sit. 257,a & b
Duæ hac de re sententiæ proponuntur cum suis rationibus, quæ examinantur & improbantur. 257, a & seqq.
Mahometicaque sectam breuiter minuendam dicunt Mauri. 257,b
Mahometis vaticinium de sua secta duratione non est magni ponderis. 260,a & b
Mahometistarum vaticinia sunt inuenta diabolica & fraudes. 261,a
Supputatio annorum durationis Mahometis & eius secta. 262,b.263,a
De tempore ortus Mahometis tres opiniones. 263,a
De promulgatione eius sectæ tres opiniones. ibid.
De eius obitu quatuor opiniones. ibid.
Mahometistæ vtuntur anno lunari. ibid.
Supputatio annorum ab ortu Mahometis. ibid.b
Supputatio annorum à legis Mahometicæ promulgatione. 264,a
Supputatio annorum à morte Mahometis. ibid.
Mahometani incipiunt annum suum à morte Mahometis. ibid.b
Mahometani incipiunt suum millenarium à fuga Mahometis, id est, ab exitu à Mecha ciuitate, & aduentu ad Medinam. ibid.
Sententia Francisci Nauarri de duratione & fine Turcici siue Mahometani Imperij proponitur. 265,a & b
Primò dicit, Mahometicam sectam & Turcicum Imperium in spiritualibus & temporalibus finem habiturum intra spatium annorum CCLI. ibid.a
Probat id Astrologicis iudiciis. ibid.
Item ex prædictionibus de proxima secta Mahometica ruina. ibid.
Secundò, peculiariter explicat tempus prædictæ defectionis. ibid.
Tertiò ait, reliquias ex Sultanis superstites subiiciendas Philippo III. Hispaniarum Regi. ibid.b. 268,b
Quartò, assignat annum quo hæc secta & Regnum erunt penitus destructa. 265,b
Quintò, dicit Philippum III. inchoaturum, & pro maiori parte consummaturum hoc egregium opus. ibid.
Iuxta Nauarrum, mille erunt anni à morte Antichristi vsque ad iudicium. 266,a & b
Allata Nauarri responsiones & rationes expenduntur, & reiiciuntur. 269,b & seqq.
Mahometicum Imperium per Maures ex Hispania pulsos auctum & ornatum fuit. 272,a
Turcicum Imperium mutationibus valdè obnoxium & in se diuisum est. ibid.b
Discordia Mahometanorum conducit ad stabiliendum Turcicum Imperium. 273,a & b
Tametsi inter se Turcæ, seu Mahometani, sint discordes, tamen conspirant contra Christianos. ibid. & 274,a
Respondetur ad fundamenta Nauarri. 274 b & seqq.
Ad vaticinia Maurorum. 274,b
Ad sanctorum Prophetias. ibid.
Ad Methodium. 275,a
Ad duo corollaria. ibid.
Ad S. Hieronymum & Irenæum. 276,a
Ad auctoritates ex Apocalypsi. ibid.b
Ad B. Nicolaum Factorem. 278,a
Mahometes quamuis mortuus sit, tamen adhuc dicitur viuere & persequi Ecclesiam Dei in sua secta & sectatoribus. 277,b
Iudicium Auctoris de recuperanda Terra sancta superatis Mahometistis, siue Turcis. 279,a & b
Contra Turcam bellum indicere deberent Principes Christiani pro recuperatione Terræ sanctæ. 678,a & seqq.
Turca iniustè occupauit & possidet Terram sanctam, & augmentum diuini cultus impedit. 681,b
Prodigium approbans bellum contra Turcas. 682,a
Qui debeant singulariter illud sacrum bellum indicere. ibid.b
Negligentes aut impedientes punientur. ibid.& 683,a & b
Zelus Pontificum pro prædicta expeditione faciendæ. 686,a
Item aliorum Principum. ibid.b
Cur Deus sanctissimum Sepulchrum Turcarum potestati permittat. 687,a & seqq.
Argumenta dissuadentia bellum Turcis inferendum esse proponuntur. 694,a & b. 695,a
Soluuntur. 695,a vsque ad 702a
Sacrum bellum contra Turcas expedire persuadent grauia testimonia. 695,b.696,a & b
Lutherus ipse id expedire dixit. 696,b
Duplex ratio, quare Turcæ Dei flagello resistere licet. 697,b.698,a
Fructuosè contra Turcas pugnatum est. 698,b
Turca est possessor malæ fidei respectu Terræ sanctæ, nec gaudet iure præscriptionis. 700,b
Turcæ, quamuis habeant militum multitudinem, carent tamen prudentia & virtute. 701,b
Diuina visio Turcæ facta de auxilio superne dando Christianis. 703,a & b
Turcæ testimonium perhibent de iis quæ dicuntur de locis sanctis. 853,b.854,a
Turcæ irridens Christianorum tepiditatem pro recuperatione Terræ sanctæ. 249,b
Turcæ pluris faciunt loca sancta quàm Christiani. 293,b 294,a
Gog & Magog Turcæ creduntur. 295,a & b
Priuilegia ad instantiam Regis Christianissimi à Turcarum Imperatore peregrinis ac Fratribus Terræ sanctæ concessa. 879,a
Turcæ non ditatur ex eleemosynis Ierosolymam transmissis. 875,b
Ditatur autem ex auro & argento à Christianis ad has partes transmisso. ibid.

Turtur.

Turturis natura. 771,b

V.

Vacuus.

VAcuus locus quis dicatur; & quare terra vacua. 286,b

Veneti.

Venetorum Reſpublica optimè ſemper de locis ſanctis merita fuit. 879,a
Venetorum Reſpublica fuit in Nehemia & Eſthere præfigurata. ibid.& 880,a
Loca ſancta commendata à Duce ac Senatu Veneto ſuis Oratoribus Conſtantinopolitanis. 880,a
Hieronymi Capelli Baiuli Venets virtute ſeruatum fuit Dominicum Sepulchrum. ibid.& b

Ventet.

Ventris nomine ſignificantur rationales animæ facultates. 282,b

Verba.

Efficaciùs trahunt exempla quàm verba. 790,a & b

Verbum Dei.

Verbum Dei ſemini comparatur. 166,b

Veritas.

Veritas impugnationibus obnoxia eſt. 799,b

Via maris trans Iordanem.

Via maris trans Iordanem quæ ſit. 19,a & b
A mari Galilæa nomen accepit. ibid.b

Vicarius. *Vide* Fratres Minores.

Victor, Victoria.

Inſtrumenta victoria ad victoris gloriam conſeruantur. 869,b
Ad perfectam victoriam omnes hoſtes exterminandi ſunt. 194,b.726,b
Non æquè gloriandum eſt ante victoriam, vt poſt. 729,b
Perſeuerantia neceſſaria eſt ad victoriam. ibid.& 730,a
Impatientia Chriſtianorum eſt victoria infidelium. 730,a
Poſt victoriam Deo ſunt agenda gratia. 731,b
Quid agendum ſit poſt victoriam Terræ ſanctæ à militibus Chriſtianis. ibid.& ſeqq.

Vidua.

Eccleſia quomodo dicatur vidua. 337,a

Villa.

Villa quid ſignificet: eius nomine ſæpè ciuitates & caſtella vocantur. 3,b

Vinea.

Vinea nomine Eccleſia, & præſertim S. Sepulchri, ſignificatur. 4,a & b
Per vineam in Scriptura ſignificatur natio Iudæorum. 325,b

Vinum.

Vinum Terræ ſanctæ optimum & rubrum, iuxta Villalpandum. 754,a
Hodie vinum Terræ ſanctæ pro maiori parte album, optimum tamen. ibid.
Vinum Libani præſtantiſſimum. ibid.
Vini Cypri conditio. ibid.b
Vinum quodlibet ob bonitatem rubrum ſanguiſue dici poteſt. ibid.

Vir.

Cur Deus produxerit virum ex humo, & feminam ex viro. 332

Virga.

Virga Ioſeph fuit figura Crucis. 385,a

Virgines.

Fatuæ virgines quare excluſæ fuerint à nuptiis: 726,b.727,a
Meretrices, ſine corruptæ, Deo per gratiam copulatæ virgines reddantur. 327,b

Virtutes.

Nomen ſine virtutibus vanum & inane eſt. 153,b
Honor eſt præmium virtutis. 693,a

Vita.

Vitâ amarâ mors melior eſt. 214,a & b.219,b
Contemplatiuæ vitæ merita potiora ſunt quàm actiuæ. 796,a & b

Vitis.

Quæ regiones ex vitibus laudatæ fuerint. 81,b

Vocatio.

Vocationis cauſa eſt prædeſtinatio. 325,a

Voluntas Dei.

Voluntas Dei duplex, ſigni & beneplaciti. 698,a
Voluntati beneplaciti obſiſtere poſſumus, non tamen voluntati ſigni. ibid.

Voluptas.

Per aquam intelliguntur voluptates. 353,a
Per voluptates ingreſſus Dei ad animam prohibetur. 288,b
Maius damnum oritur ex voluptatibus quàm ex hoſtibus. 345,b.350,a & b.351,a & b.352,b

Votum.

Religio conſiſtit in trium votorum obſeruantia. 664,b
Vota Religionis debent eſſe ſolemnia. ibid.
Voti & iuramenti diſcrimen. 668,b.669,a
Solemne votum Religionis alia vota ceſſare facit ac redimit. 841,b
Fratres Minores inter infideles degentes poſſunt vota commutare. 528,b
Facultas illa quanta ſit. 529,b
Clemens VIII. conceſſit Carmelitis in terris infidelium aut hæreticorum exiſtentibus abſolutionem diſpenſandi in omni voto, etiam caſtitatis & Religionis. ibid.
Confeſſarij Mendicantium habent poteſtatem commutandi vota. ibid.

Vrbanus.

Vrbanus II. laborat pro ſubſidio Terræ ſanctæ. 750,a
Conceſſit vt Prælati Regularium in ſuis terris poſſint conficere chriſma. 503,a
Vrbani II. Papæ primus ſermo Synodalis. 357. a & b
Deplorat calamitates Terræ ſanctæ. ibid.b
Hortatur fideles ad ſubueniendum oppreſſis. 358, a & b
Sermo ſecundus Synodalis eiuſdem ad populum, de Chriſtianorum expeditione in Turcas. 358, b. 359,a & b. 360, a & b
Eiuſdem ſermo Synodalis tertius de eadem materia. 360,b.361,a & b. 362,a
Vrbanus III. cum audiſſet captam eſſe Ieroſolymam, præ dolore mortuus eſt. 243,a
Laborat pro ſubſidio Terræ ſanctæ. 751,b
Vrbanus V. approbat conceſſionem Innocentij VI. quòd Fratres Minores ferrum & ligna ad infidelium partes pro locorum ſuorum conſtructione & reſtauratione deferre poſſint. 405,b. 406,a
Concedit, vt in valle Ioſaphat locus pro veneratione ſepulchri Deiparæ Virginis ædificetur, & alia ſancta loca reſtaurentur, & adducantur neceſſaria, & perſonæ aliquæ pro tali opere, quæ poſſint ſanctuaria viſitare. 900,b.901,a
Vt Minores miniſtrare poſſint Sacramenta peregrinis hoſpitalis Ieroſolymitani quoties opus fuerit. 901,a

Vrbanus VI. dat facultatem Minoritis Montis Sion, vt cum suis domibus habere possint decem personas timentes Deum, pro infirmorum, pauperum & suismetipsis commodis seruitus. 408,a

Vrbanus VIII. concessit altare priuilegiatum pro mortuis in præcipuo loco Ecclesiæ S. Sepulchri. 454,b

Vt Guardianus & Fratres Terræ sanctæ possint in itinere denarios deferre, & in eo & in Conuentibus & domibus ipsi subiectis expendere, & ex illis emere sanctuaria, & in alios pios vsus conuertere, facultatem concedit & impartitur. 908,a & b

Vua.

Ex valle Botri botrus ab exploratoribus delatus est. 81, b

Palmes vna ab exploratoribus delatus qualis fuerit. ibid. a

Vulgus.

Communis vulgi opinio plurimum valet ad persuadendum. 847, a & b. 852, b

Vxor.

Cur Ecclesia vocetur vxor. 797, a

Vxorati non expedit peregrinatio præsertim longa. ibid. & b

Diuino præcepto tenetur vir cum sua vxore habitare. ibid.

Vide Matrimonium.

W.

Willelmus.

WIllelmus Belga Mechlinienſis, ſextus Ieroſolymorum Patriarcha. 139, b

Digitized by Google

ELENCHVS
AD
FORMANDAS CONCIONES
PRO
DOMINICIS ET FESTIS
AC
FERIIS QVADRAGES.

DOMINICA I. ADVENTVS.

ECCLESIA proponit fidelibus aduentum Christi in carnem, vt se omni deuotione & mentis attentione præparent ad ei occurrendum, & digne suscipiendum. huc applicari possunt verba illa ex Canticis desumpta: *Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*, c. 3. v. 11. Variis coronis Christus fuit coronatus: primam autem illi fabricauit sancta Virgo Maria, in sui purissimi vteri officina, Spiritu sancto cooperante, ac eam obumbrante, quam capiti illius, id est diuinitati, imposuit. Vnde omnes iusti & sancti ei occurrunt, & occurrere debent. 612, b. 613, a & b

Erunt signa in sole, & luna, Lucæ 21. Hîc apparet Dei benignitas; quâ nos malorum ceruicibus nostris impendentium admonet. Hæc enim omnia commemorata sunt, vt D. Lucas ait: *Erunt signa in sole, & luna, & stellis*, &c. In his ergo terribilibus signis, extremum iudicij diem proximè præcedentibus, admonet benignè clementissimus Dominus futuros tunc peccatores, vt factâ vitæ emendatione mala imminentia à ceruicibus suis depellant. Solemnis Deo est hæc benignitas & clementia, peccatores multis signis admonere, vt peccare desinant. Tonitru præcedit fulmen, sed nos prius fulmen quàm tonitru videmus. Prius nobis tonitrua mittit, ac si dicat, Caue ne te fulmen interimat. Nos tamen, vt negligentes, prius à fulmine diuinæ iustitiæ ferimur, quàm eius sentiamus exhortationes. Priusquam Deus mundum aquis diluuij destrueret, prædicauit Noë Gentibus, vt ad Deum conuerterentur, pœnitentiam agentes. Hæc fuit diuina misericordia, quæ homines tamen in peccatis induratos nihil flexit. Comedentes & bibentes diluuium oppressit. Lot Sodomitis illius ciuitatis incendium prænuntiauit, sed ipsis videbatur quasi ludens loqui. Vides Dei misericordiam, & hominum pertinaciam. Priusquam Pharao cum toto suo exercitu in aquis periret, multis à Deo signis per Moysen admonitus fuit. Hanc Dei misericordiam Vates Regius prædicauit: *Dedisti*, inquit, *metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Ac venator quidem non terret leporem, nec minatur; sed potiùs expectat donec quiescat, vt sic eum sagitta transfigat: Deus verò arcum manu tenens, clamat, comminatur, priusquam feriat. Vnde etiam fit, vt, sicuti amicis suis solet ea priùs reuelare, aut promittere, quæ præstare vult beneficia, ita iisdem dilectis suis imminentia prænuntiat flagella. Sic diu antè promisit quibusdam terram promissionis, & reuelauit sin iter eam esse vastandam & occupandam. 27, b. 225, a & b

* *Erunt signa in sole, & luna*, &c. De die iudicij & aduentu Antichristi multi multa dicunt; at falsa & incerta, prout longè & latè videri potest 265, & seqq. & 338, a & seqq.

Tunc apparebit signum Filij hominis, &c. Ad ostendendam virtutem ac potestatem Saluatoris, apparebit Crux in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit. 144, b. 145, a

* *Respicite, & leuate capita vestra*, &c. Antichristo mortuo respirabunt iusti, & tota Ecclesia, præsertim Ierosolymitana, & dispersi congregabuntur in vnum, & gaudebunt. 291, b. 292, a & seqq. vsque ad 313. Nota verò Ecclesiæ pulchritudinem 302, a & b

Cælum & terra transibunt, &c. Verbo Dei ac fidei non potest subesse falsum, sed benè sentui & intellectui. 845, b. 846, a

DOMINICA II. ADVENTVS.

Cùm Ioannes audisset in vinculis opera Christi, Matth. 11. Nemo mirari debet, quòd Herodes nequam & incestuosus sit in regno, in epulis, in voluptate; & Ioannes Baptista, quo non surrexit maior inter natos mulierum, & natiuitate celebris, & vitæ sanctitate illustris, & officio ac vocatione excellens, in vincula conijciatur, carcere detineatur, infami supplicio tollatur, sublatus hosti capitali deridendus proponatur, capite in disco allato, conuiuij tempore præcipuo, ad omnem contumeliam exposito. Tractat Deus Ioannem Baptistam tamquam amicum suum, immittendo ei tribulationes & persecutiones, quæ sunt talenta, quibus iusti & sancti negotiari debent. Magnæ verò Dei indignationis argumentum fuit, Herodem peruersum viuere in delicijs; sicuti & eiusdem indignationis Dei signum est, malos hîc non puniri. Permittit etiam bonos à malis, & malos à peioribus affligi, tum vt

diu-

diuinam aduersus se vltionem mali magis experiantur, tum vt peiores posteà magis puniantur à Deo. 244,a. 246,a

DOMINICA III. ADVENTVS.

Miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, &c. Ioan. 1. Grauis tam in nouo quàm in antiquo Testamento fuit Dei querela de illis qui præfecti erant ceterorum, quòd non rectè de omnibus iudicarent, sed omnia pro libitu ac appetitu suo metirentur; non curantes an reuerà bonum esset, necne, modò in proprium (vt putabant) commodum illud cederet. De illis etiam sic per Prophetam dicitur: *Va qui dicitis bonum, malum; & malum, bonum*, &c. sed illa est humanæ naturæ peruersitas, vt secundùm externa tantùm iudicet, relictis internis, etiam cum præiudicio tertij. Patet id clarè in hoc Euangelio, vbi *miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & Leuitas ad Ioannem*, &c. Cur ad Ioannem? & non potiùs ad Christum? Maiora fuerunt opera Christi quàm Ioannis; imò Ioannes nullum miraculum fecit, vt sic illustrior esset Christi gloria, tantoque facilius eum Iudæi pro vero Messia reciperent. Ipsi etiam Iudæi confessi sunt, *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur*, Ioan. 7. Et alius ex principibus Iudæorum dixit: *Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum illo*, Ioan. 3. Quæ ergo causa cur, Christo neglecto, ad Ioannem proficiscantur, & hanc nobilissimam legationem de re tanta instituant? an quia Christus eorum vitia asperè taxabat? at asperiùs quàm Ioannes non taxauit, qui sic ipsos Pharisæos allocutus est: *Genimina viperarum, quis vos docuit fugere à ventura ira?* Matth. 3. Sed profectò nihil aliud in causa fuisse videtur, quàm quòd Christum vilem putabant, vnde dicebant: *Numquid hic est faber, & fabri filius?* Marc. 6. & Matth. 13. Ioannem verò magnatem, aut magnatis filium, patre Zacharia sacerdote natum, & ciuitate Iuda oriundum; cùm Christum è Nazareth humillima Galilææ vicula natum existimarent; vnde ipse Nathanaël, etsi vir iustus, per contemptum tamen vulgarem dixit: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Ioan. 1. Nobilitatem itaque externam respiciebant Iudæi, malebantque Ioannem honestissimo loco natum pro Messia agnoscere, quàm Christum humillimè natum, seu educationis locum, seu matris aut patris putatiui statum & fortunam spectes. Refert Giossa ordinaria, quòd, cùm Alexander Magnus morti proximus esset, quærentibus quemnam sibi vellet in imperio succedere, respondit, Digniorem qui in eo inueniretur; & tamen filium habebat Herculem vocatum, & fratrem Aridæum, & vxor eius Roxane grauida erat; sed scelus esse existimauit eorum aliquem in regno succedere, si eo esset indignus, vel ineptus. Quanta hæc plurimorum deberet esse confusio, qui cùm Christianam religionem profiteantur, nullam virtutis, meritorum, seu aptitudinis rationem habent. Pharisæi non aptitudinem, sed nobilitatem personæ in eligendo Messia considerant; contrà tamen fieri debere, suo exemplo laudabili docent Turcæ, qui in Superiores & Prælatos eligunt bonos tantùm & puros, seu quos aptissimos iudicant. 132,b

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Anno quintodecimo Imperij Cæsaris, &c. *factum est verbum Domini super Ioannem*, &c. Luc. 3. Multi & diuersi mali, sed & peruersi, dominabantur & regebant populum tempore quo factum est verbum Domini super Ioannem. Famosa erat toti mundo Hebræorum natio, quæ olim instar auri & argenti resplenduit in Patriarchis & Prophetis; æris fortitudinem repræsentauit in Regibus, & belli ducibus; sed vilem & miserum exitum sortita, sicut statua quæ Nabuchodonosori ostenta est, pedibus fictilibus innitens, demum collapsa est. Perierat flos Regni Iudaici, & exhausto vino ad fæces & excrementa deuentum fuit. Miseros multos bonis & iustis permixtos diu tolerauit mitissimus Deus; sed tandem fæces has, Annam, Caipham, &c. ita abominatus est, vt finem regno & legi illius imponere decreuerit. Paruus proinde lapis abscissus de monte sine manibus contriuit pedes terrenos, & corruit statua, id est, desiit Synagoga, & surrexit Ecclesia sancta, non habens maculam, neque rugam. In quo facto agnoscenda nihilominùs est bonitas diuina, quæ sic disposuit, vt vnius corruptio fieret alterius generatio. Fit autem non raro, vt meliori corrupto à creaturis generetur peius: ita etiam quandoque apud homines, abolitis sanctis & piis consuetudinibus, introducantur abusus damnabiles. Verùm Deus sicut ex nihilo omnia creauit, & numquam tamen rem annihilat, sed semper mutat in melius, (vt aquam in vinum in Cana Galilææ, & panem ac vinum, manentibus eorum accidentibus, in corpus & sanguinem Christi:) sic, abrogatâ Synagogâ, & delectis eius capitibus, ac deprauatis principibus, assumptis quibusdam piis & sanctis, surgere fecit Ecclesiam, cuius caput Christus esse; cuique deinceps non multos principes, sed seipsum solum præfecit, in cuius regimine ei Petrus, & sic deinceps vnus alteri successit: sicut autem boni & pij rectores sunt felicitas & exaltatio totius communitatis seu reipublicæ; ita mali Superiores & Prælati sunt ruina totius populi. 59,a.b & seqq.

Parate viam Domini, rectas facite semitas, &c. Christus incarnari volens ex semine Abrahæ, elegit Terram sanctam, seu promissionis, in quam, Chananæis expulsis, introducti sunt Iudæi, qui etiam alios ad Christum recipiendum docerent. 29,a

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis, &c. Luc. 2. Verissimè dixit Christus: *Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio; sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant*, Lucæ 11. non enim accenditur lucerna, vt abscondatur, sed vt cunctis manifestetur, & obscura illuminet. Præclaram autem accendit lucernam SS. Trinitas in hoc die Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi; vnde nunc ex Psalmista canit Ecclesia: *Exortum est in tenebris lumen rectis corde*, Psal. 111. Non latuit autem hæc lucerna, sed omnibus hominibus quodammodò variis modis ostensa fuit; manifestissima, inquam, fuit Christi

sti Natiuitas, quia contigit in via iuxta ciuitatem Bethlehem, cùm iussu Imp. Augusti describeretur vniuersus orbis, & maximus esset omnium hominum concursus; adeò vt præ hospitum seu aduentantium multitudine B. Virgo debuerit diuertere in semirutum quoddam stabulum. Omitto prophetias, prodigia & portenta, ex quibus omnibus satis patescere potuit Christi Natiuitas. 857,b & seqq.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & Scribas, &c. *& ex illis occidetis*, &c. Matthæi 23. Iustam querelam proponit Christus turbis Iudæorum, & principibus sacerdotum, quòd amicos suos & seruos Prophetas, ad vtilitatem & salutem eorum missos, malè tractarint, & etiamnum tractarent. Nam iustè conqueritur Rex aut Princeps contra subditos, si hi ministros, eius personam gerentes, iniuriis vel contumeliis afficiant. In omni benè ordinata Republica, si quis officialem Regis aut Principis malè tractet, contra Regem aut Principem peccare censetur: quantò magis rei censendi sunt Iudæi, qui legatos aut ministros Dei occiderunt, lapidarunt, &c. Vnde etiam Deus ipse iniuriam ministris suis illatam velut sibi factam apprehendit, iuxta illud: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*, Zachariæ 2. Ex quo patet, quanta sit dignitas & auctoritas ministrorum Ecclesiæ. 334,b & seqq.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Vide multa pulchra & notabilia, quomodo Iudæa diuino iudicio propter innumera peccata relinquetur, 286,b. 287,b

Vide etiam multa pulchra de persecutionibus & persecutoribus Sanctorum, quomodo hæc seruiant iustis, 25,b

IN FESTO S. IOANNIS EVANGELISTÆ.

Conuersus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Iesus, &c. Vide curiosam disquisitionem, vnde tanta sapientia S. Ioanni, vt ex indocto piscatore factus sit Theologiæ magister, ac per antonomasiam Theologus appellatus sit. 597,b

Respondetur autem, illum omnem suam scientiam hausisse ex pectore Christi, quando supra illud in cœna recubuit: multò tamen maiorem & clariorem, quando in Caluariæ monte pectus Saluatoris, velut liber sigillis septem clausus, ferro lanceæ apertum fuit. 598,a & b

IN FESTO SS. INNOCENTIVM.

Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, &c. Matth. 2. Tametsi Christus Dominus iam inde ab ortu suo vsquedum in crucem actus fuit, & ad Patrem, vnde venerat, rediit, variis tentationibus & tribulationibus, à cuiuscumque conditionis hominibus fuerit impetitus; tres tamen præcipuæ & mysteriis plenæ tentationes & persecutiones eius referuntur, scilicet, Herodis, diaboli, & malorum hominum; vltima tamen hæc fuit maxima. 343,a & b

Herodes iratus, occidit omnes pueros, &c. Innocentes illi verè Martyres dicendi sunt. Pro quo notandum est, triplex genus martyrij, quod explicatur pag. 768,b & seqq.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israël, Luc. 2. Licet idem agens in idem subiectum, vniformiter dispositum, non possit contrarios inducere effectus (non potest enim ignis ceram liquefacere simul & indurare;) benè tamen idem potest efficere in diuersa, adeò vt idem ignis ceram liquefaciat, & lutum induret; vel etiam idem subiectũ diuersimodè dispositum, quemadmodum sol in vere gignit flores, & in æstate ranas. Eodem modo Christus, qui est ipsa bonitas, potuit esse resurrectionis, & simul ruinæ, causa multorum in Israël. Fuit causa, siue occasio, spiritualis ruinæ in Iudæis, eò quòd illum recipere noluerint; fuit verò causa resurrectionis spiritualis, & diuinæ filiationis, iis qui eum receperunt, & in eum crediderunt. 620,a

Et in signum, cui contradicetur. Promissus fuit Christus Rex pacificus, & talem sese ostendit in ortu suo, quando vniuerso orbe in pace composito, sub Augusto Cæsare in lucem prodiit, & Angeli in terra hominibus bonæ voluntatis pacem annuntiarunt; tamen ab omnibus ei fuit contradictum. Id autem præcisè factum fuit ex hominum malitia, & praua voluntate. Columna lapidea erecta est pro viatorum solatio, vt viam demonstret; si quis in illam impingens lædatur, aut eam euertens, eius pondere oppressus intereat, sibi imputet. Christus est columna veritatis, omnibus volens monstrare viam salutis; sed Iudæi & mali in illum impegerunt, peccando, eique contradicendo, vnde & damnum suum, & contritionem spiritualem, seu damnationem sibi imputent. 307,a & b

IN FESTO CIRCVMCISIONIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Vocatum est nomen eius Iesus, Lucæ 2. Nomen Iesu est nomen Saluatoris, accipiendo verò nomen Saluatoris, effundit sanguinem, quia ad mundum saluandum, illum fundere debebat, & pati per crucem. Ex quo patet eius amor erga homines in lege gratiæ. 617,a & b

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Cùm natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ, ecce Magi venerunt, &c. Matth. 2. Vt omnibus innotesceret Christi Saluatoris natiuitas, non solùm prophetiis obscuris, aut particularibus portentis, seu prodigiis, verùm etiam nouâ in cælo exortâ diuinitus stellâ, quasi communi omnibus ostensâ lucernâ, prænunciata fuit. Hanc enim Magi viderunt in Oriente, & statim venerunt adorare Christum natum in Bethlehem. Vnde inexcusabiles fuerunt, qui Saluatorem tot tamque manifestis signis ostensum non agnouerunt, aut agnoscere noluerunt. 857, b & seqq.

Per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Non solùm per aliam corporalem viam, sed etiam spiritualiter per aliam viam reuersi sunt, relinquentes errorem gentilitatis & infidelitatis. Vnde monentur omnes, derelinquere viam peccatorum,

Digitized by Google

torum, poſtquam Chriſtum Ieſum per cæleſtium inſpirationum lumen agnouerunt. Monenturterciam illi, qui, Deo inſpirante, digni habiti ſunt oculis videre, & pedibus terere loca ſancta, in quibus Chriſtus Ieſus natus, educatus, paſſus & mortuus fuit, vt nimirum totis viribus ſtudeant, ne vanis rebus iterùm inficiantur, auertendo oculos tam corporis quàm mentis, ne videant vanitatem, atque iterùm in Ægyptum reuertantur. 773, a & b

DOMINICA V. POST EPIPHAN.

Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, Matthæi 13. Tam mali quàm boni, tam hæretici quàm Catholici pertinent ad Eccleſiam. quod pulchrè oſtenditur & declaratur, 107, b. 108, a & ſeqq.

Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem. Quare Deus permittat malos inter bonos, à quibus affligantur; & quare Iſraëlitis ſemper permiſerit eſſe hoſtes, à quibus (vt legitur in variis Scripturæ locis) continuas paſſi ſunt inuaſiones & tribulationes. 91, a & b. 170, a. 322, b. 342, a

Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem. In collegio Apoſtolorum Iudam paſſus eſt Chriſtus, quem diabolus ſuperſeminauerat: & in Ordine Fratrum Minorum aliqui tamquam zizania inter triticum fuerunt, vtentes pecuniis & redditibus. 171, a

DOMINICA VI. POST EPIPH.

Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, Matthæi 13. Chriſtus & eius Eccleſia in principio parua, poſteà tamen maxima fuerunt. Explicatur ad hoc propoſitum, quis fuerit lapis ille paruus apud Danielem, præciſus de monte ſine manibus, qui poſteà in tantum montem excreuit, vt repleret terram. 319, a & b. 320, a & ſeqq.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Semen eſt verbum Dei, Lucæ 8. Egregiè comparatur verbum Dei ſemini. 166, b

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam, Lucæ 10. Inuitantur omnes fideles, vt effectu, vel affectu, è proprio natiuoque ſolo egreſſi, cum Chriſto aſcendant Ieroſolymam, ingrediantur que Terram ſanctam, in eaque per ſanctam diuinorum Chriſtianæ religionis myſteriorum meditationem commorentur. 1. 2. 3. & 4.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam. Oſtenditur, quomodo Chriſti vita continuus fuerit aſcenſus verſus Ieroſolymam, ac continua peregrinatio. 756, a & b. Item, quomodo omnes fideles ſpiritualiter aſcendere debeant Ieroſolymam, & peregrinari in Terram ſanctam. 840, b & ſeqq.

FERIA IV. CINERVM.

Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum, Matth. 6. Diuitiæ & aurum non ſunt mala, ſed cupiditas & abuſus. 619, b. Multipliciter verò ſunt cauſa perditionis, & corporalem afflictionem inducunt. 620, b & ſeqq.

FERIA V. POST CINERES.

Dignus eſt vt hoc illi præſtes, Matth. 8. Videre quid profint bona opera, opera tam bona quàm mala habent ſuas voces, ac clamores emittunt. De eleëmoſyna ſic ait Scriptura: *Ipſa exorabit pro te*, Eccleſiaſt. 29. quod etiam de ceteris bonis operibus intelligendum eſt. Itaque, peractis aliquibus bonis operibus, ſi quid à Domino poſtulemus, ſtatim prodeunt illa opera, eleëmoſynæ, ieiunia, &c. quæ pro nobis exorant, atque ſuo modo clamant, *Dignus eſt vt hoc illi præſtes.* Mala quoque opera, furta, periuria, &c. ſuas edunt voces. De Niniuitis ſic ait Dominus ad Ionam: *Aſcendit malitia eorum coram me*, Ionæ 1. & apud Ieremiam cap. 14. *Iniquitates noſtræ reſponderunt nobis*, vel, iuxta tranſlationem Septuag. *reſtiterunt nobis.* Nam petentibus nobis aliquid à Deo ſeſe opponunt peccata noſtra, & dicunt, *Non eſt dignus vt hoc illi præſtes.* verbi gratiâ, ſi petis vt Deus liberet te ab infirmitatibus quibus vexaris, ſtatim prodeunt iniuriæ proximo illatæ, & dicunt, *Non eſt dignus*, &c. nam ſuum vexauit proximum, fratrem, vicinum, bona illius retinuit, famam illius læſit, debita non ſoluit, petenti eleëmoſynam negauit. Apparet hoc in Antiocho, *qui orabat Dominum, a quo non erat miſericordiam conſecuturus*, 2. Machab. 9. Cur hoc? quia ab eo commiſſa illi reſiſtebant, *quia multorum viſcera torſerat.* Illæ itaque vexationes, quibus alios premebat, dicebant Deo, *Non eſt dignus vt hoc illi præſtes.* Nónne & Caino dictum eſt, *Si male egeris, ſtatim in foribus peccatum aderit*, Genes. 4. vt ſcilicet reſiſtat tibi, & ſeſe opponat, ne poſtulata recipias? Occidit Abelem, & ecce vocem clamantem; & dictum eſt ei: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Si tunc Cain aliquid à Deo poſtulaſſet, ſine dubio illa vox clamaſſet, *Non eſt dignus vt hoc illi præſtes.* Quidquid igitur agas, ſiue bonum, ſiue malum, habebit ſuam vocem, & clamabit ad Dominum: bonum veniam & gratiam; malum verò vindictam & pœnam tibi precabitur. De Centurione qui Synagogam Iudæis erexerat, dictum eſt Chriſto, ad quem ſupplicaturus acceſſerat, *Dignus eſt vt hoc illi præſtes.* Bona igitur opera nos commendant ante Deum, & peccata contrà clamant. Vide hanc materiam, item quomodo Angeli boni & mali coram Deo pro orationibus noſtris concertent, 252, a & ſeqq.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Ductus eſt Ieſus à Spiritu in deſertum, vt tentaretur à diabolo, Matth. 4. Notandum, quòd Ieſus ductus eſt à Spiritu ſancto, vt tentaretur. Ex quo diſcimus, non eſſe tutum prouocare ad bellum, ſeu tentationem, nec eſſe quærendas occaſiones; at, ſi offerantur, ſiue permiſſione diuinâ, ſiue procurante diabolo, fortiter eſt reſiſtendum exemplo Chriſti. Nam qui proprio motu ſed ſpiritu, iniicit ſe in tentationem, ille ſuperatur. In Scriptura legimus de duobus in naui exiſtentibus, & tempeſtate iactatis. Diſcipuli ingreſſi nauem, *laborabant in remigando: erat enim contrarius ventus*, Matth. 14. ſed ſtatim Ieſus apparuit ambulans ſupra aquas, & confortauit diſcipulos ſuos, dicens: *Ego ſum, nolite timere.* Quare hi confortantur in tempeſtate, quare nullum patiun-

tur detrimentum? quia ipsi non conscenderant nauem proprio motu, sed iubente Iesu; nam sic dicitur: *Et statim iussit discipulos ascendere in nauiculam.* Ionas verò etiam conscenderat nauem, & exorta est tempestas; sed ipse missus est in mare, & cete deglutiuit eum. Quare hic passus est detrimentum? quia proprio motu & spiritu nauem conscenderat. Deus enim iusserat, vt iret in Niniuen, sed ipse, relictâ Niniue, conscenderat nauem euntem in Tharsis, atque adeò exorta tempestate in mare missus est: sic qui se proprio motu inijcit in tentationes, ille ab iis superatur, & peccat; qui verò à Spiritu sancto, vel iussu Dei patitur tentationes, ille, Deo adiuuante, vincit, & saluatur. Dauid quoque iniecit se in tentationem: nam proprio motu seu spiritu ambulabat in solario domus suæ, & visâ Bethsabee, eâdem abusus est: Ioseph verò magis tentabatur, & tamen superabat. Quare hoc? quia ipse non quærebat vxorem Putipharis; sed hæc illum sollicitabat, & *singulis diuinis erat molesta adolescens*, &c. Martyres se periculis non exposuerunt, nec vltrò sine necessitate tyrannos adierunt, propter periculum. Quòd si quosdam id fecisse legimus, dicendum, id eos impulsu Spiritus fecisse. Sic Paulus dixit, *Nunc ecce alligatus spiritu vado in Ierusalem*, Actor. 20. id est, Spiritu sancto impulsus. Sed hic diligenter examinandum est, quo spiritu quis ducatur, an bono, an malo. Quomodo autem dignosci possit spiritus bonus & malus, explicatur 817, b & seqq.

FERIA V. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

Ecce mulier Chananæa, egressa de finibus suis, &c. Matth. 15. Medici, vt curent hominem, ordinant amaras potiones, chirurgi ferro scindunt, apponunt emplastra mordacia, vt sanent: cælestis Medicus hominem spiritualiter infirmum sanat, immissis tribulationibus & aduersitatibus; & sicuti prosperitates hominem quasi excæcant, & Dei obliuionem causant, ita aduersitates & tribulationes eum illuminant, & ad Deum ire compellunt. Antiqui prosperitatem depingentes, figurabant Bacchum, cui dedicabant obliuionẽ significatam per lyncem: quod animal adeò obliuiosum est, vt, si tantùm lateraliter deflectat oculos, cibi ante se positi obliuiscatur, & quærat alium: sic homines obliuiscuntur cibi diuini & Dei per prosperitates, & quærunt cibos carnales deliciarum ac voluptatum. Patet id in Israëlitis, qui tempore prosperitatis, Dei obliuiscebantur; at, in necessitate eumdem requirebant, teste Scriptura Deuter. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit*, &c. *dereliquit Deum factorem suum.* & contrà, *cum occideret eos, quærebant eum*, Psal. 77. Hæc mulier Chananæa numquam è finibus suis ad Christum fuisset egressa, nisi filiæ à dæmone vexatæ aduersitas eam compulisset: distulit tamen eam exaudire, ob maius eius commodum. 288, b & seqq.

Dimitte eam, quia clamat post nos. Discipuli Christi pro ea intercesserunt. Ex quo patet, quantum bonum sit habere homines iustos & sanctos, quorum preces Deum ad misericordiam flectunt, & indignationem eius auertunt. 246, b

FERIA II. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMÆ.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini, Ioan. 8. Felix, qui Deum secum semper habet; infelix verò, à quo is recessit. Præsens est per gratiam, absens verò per peccatum. Non libenter amittimus solem; quia beneficia & officia per eius præsentiam acquirimus: præsente enim sole generantur plantæ, flores, vniones in conchis, &c. eo verò recedente, statim ingratæ tenebræ succedunt, & omnia venenosa animalia, vt bufones, serpentes, è cauernis suis prodeunt, vt homini noceant. Sic Deo præsente, generantur in animabus nostris plantæ & flores virtutum, &c. illo verò recedente, succedunt omnium peccatorum tenebræ, &c. Ethnici deos suos semper apud se retinere conabantur, & propterea vinculis ac compedibus eos alligabant, ne ab ipsis recederent: per eorum enim præsentiam omnia beneficia exspectabant. Infelices ergo Iudæi, qui per peccata sua coëgerunt Christum, vt hodie illis abitum suum interminaretur, dicens: *Ego vado, & quæretis me*, &c. Quàm funestus ille recessus fuerit, patet è subsecutis miseriis & calamitatibus: & quia ipse è Terra sancta recessit, ideò occupata ea fuit ab infidelibus. 249, b

FERIA III. POST DOMINICAM II. QVADRAGES.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, &c. Matth. 23. Deus creauit omnes res, vt essent, & conseruarentur, teste Sapiente, *Creauit omnia vt essent.* Quia verò non possunt conseruari ob multitudinem & varietatem, nisi benè ordinentur, seu disponantur; hinc quemdam ordinem singulis dedit Deus: *Omnia disposuit in numero, pondere, & mensura.* Sicut verò homo præcellit ceteras creaturas, & multitudo sine ordine mera est confusio, voluit Deus vt inter homines esset ordo. Vbi enim ille est, omnia conseruantur; vbi verò deest, destruuntur. Causa tot confusionum & calamitatum in hoc mundo non est alia, quàm quia quisque non seruat locum suum, sed subditi volunt esse superiores, plebeij cupiunt esse nobiles, &c. Etsi quidem in hoc mundo necessarius sit ordo superiorum & inferiorum; multò tamen magis is in Republica requiritur spirituali Ecclesiæ, vbi cathedra est particularis pro Superioribus & Sacerdotibus, quos reuereri debet populus. Vnde & illi ceteris verbo & exemplo prælucere debent, & ab iisdem tamquam à capitibus pendere subditi; & ab iisdem infirmitatum suarum medelam accipere. 59, a & b.

Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite. Tametsi Scribæ & Pharisæi mali essent, vult tamen Christus iisdem ab omnibus præstari reuerentiam & obedientiam debitam; quia scilicet super cathedram Moysi sedent, & Dei tenent locum, ac proinde homines illos vt tales respicere debent. Sic Alexander Magnus videns summum Sacerdotem, ex equo statim descendit, & ad pedes eius se prostrauit: mirantibus verò eius nobilibus, ac inquirentibus, quare, cùm tantus esset Monarcha, coram homine communi sese adeò humiliasset, respondit, in illo homine sibi apparuisse

ruiſſe magnum Deum, qui præteritis annis felicitatem præſentem ſibi promiſerat. Ob eamdem rationem magnus ille Monarcha Nabuchodonoſor proſtrauit ſe ad pedes Danielis, & incenſum ei obtulit: conſiderabat enim in illo perſonam Dei, qui in eo loquebatur. Atque hinc apparet, quanta ſit dignitas miniſtrorum Eccleſiæ, quos meritò reliqui ſuſpicere & reuereri debent. 334,b & ſeqq.

Alligant onera grauia & importabilia, &c. Mali Prælati & Sacerdotes ſunt ruina totius populi. 59,b. 132,a. 280,b & ſeqq.

Vnus eſt enim magiſter veſter Chriſtus. Vnitas eſt cauſa bonitatis; vnde gloriari poſſumus, quòd vnum magiſtrum habeamus, ſcilicet Chriſtum, qui eſt caput Eccleſiæ, cuius regimen optimum eſt monarchicum, propter ſuam vnitatem. 331,b & ſeqq.

FERIA IV. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMÆ.

Dic vt ſedeant hi duo filij mei, &c. Matth. 20. Commune vitium eſt inter homines, vt, quando quis euehitur ad aliquod officium, varios habeat oblocutores ſeu obmurmuratores, dicentes illum non eſſe dignum, alios eſſe magis aptos & magis meritos; ſemper tamen conantur promouere filios ſuos & amicos, licet interdum ſint ineptiſſimi: tanto enim amore feruntur in carnem & ſanguinem, vt Deum offendant, rempublicam perturbent, & ſic in infinitas miſerias in pœnam peccati incidant. Vtinam verò parentes tam ſolliciti eſſent pro ſalute animarum filiorum ſuorum, quàm pro temporalibus. Mater filiorum Zebedæi non petit ſpiritualia bona pro filis, ſed temporalia: quærit enim vt promoueantur, & ſedeant vnus à dextris, & alter à ſiniſtris in regno Chriſti; quod corporale futurum credebat poſt eius reſurrectionem: non attendit autem, an apti aut digni ſint; cùm tamen certum ſit digniores & aptiores ceteris paribus eſſe præferendos: quod ſuo exemplo infideles & Turcæ docent. 132,b

FERIA V. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMÆ.

Homo quidam erat diues, &c. *& erat quidam mendicus*, Lucæ 16. Valdè diues erat, & proinde magnam habebat occaſionem faciendi opera bona, dando eleëmoſynas pauperibus. Vnde & Lazarus Deo diſponente iacuit ad ianuam eius, vt ei ſubueniendo cælum lucraretur. Permiſit enim Deus diuites & pauperes in hoc mundo, vt ſeſe mutuo iuuent. 884,b. 885,a

Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & byſſo. Diuitias ſuas non in pios ac bonos vſus, ſed in profanos, ſcilicet in ſplendida conuiuia & veſtimenta, cum pauperum præiudicio, expendebat; vnde & malè illi ceſſit: nam mortuus, ſepultus eſt in inferno. Vide ſimiliter, quomodo ob luxum & copiam diuitiarum in profanos vſus expenſarum, multi etiam Chriſtiani fuerint afflicti, 203,b & ſeqq.

Homo quidam erat diues, &c. *& quidam mendicus*, &c. Deus bonis præparat cæleſtia, malis verò terrena largitur. 234,a

Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno. Proſperitas & voluptates à Deo hominem auertunt; & diuitiarum abuſus multis eſt cauſa damnationis æternæ. 348. & 349. item 352. 353. 702,b

Cupiebat ſaturari de micis, & nemo illi dabat. Diuites, qui luxu abundant, facilè, & cum ſcandalo aliorum, excuſant ſe ab eleëmoſyna pauperibus elargienda. 878,b

FERIA VI. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMÆ.

Homo quidam plantauit vineam, &c. Matth. 21. Per vineam Eccleſiam intelligit: & per illa verba, *homo quidam*, ſeu *paterfamilias*, ſignificatur regimen eius optimum, ſcilicet monarchicum. vnde conqueritur de Iudæis, quòd, non obſtante optima regiminis forma, quam eis præſcripſerat, adeò fuerint peruerſi: expoſtulat enim apud Iſaiam cap. 5. *Quid vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci?* 332,b

Miſit ſeruos ſuos, &c. Videte hîc proprium nomen miniſtrorum Dei: vocat enim illos ſeruos ſuos. Ex quo colligitur, quantus reſpectus & reuerentia debeatur miniſtris Eccleſiæ, & Sacerdotibus, iuxta illud: *Qui vos audit, me audit.* 334,b & ſeqq.

Homo quidam plantauit vineam, & ſepem circumdedit ei. Vinea, ſeu hortus, ſine ſepe patet animalibus, ſeu tranſeuntibus, in direptionem, iuxta illud: *Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio.* Per ſepem hanc intelligi poteſt gratia & lex Dei, quæ ſunt obſtacula pro peccatis. 251,b & ſeqq.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, Lucæ 11. Oſtendit Chriſtus opus ſuum non potuiſſe fieri virtute dæmonis, quia dæmon vult regnum ſuum ſtabiliri & dilatari; vnde vnus alterum non expellet: ſed vnanimiter conſpirant, ad hominibus nocendum. Hinc colligi poteſt, quare regna aliqua, ſeu prouinciæ, cedant hoſtibus in direptionem, quia ſcilicet incolæ inter ſe planè diſcordes ſunt. Vide de hac re inſignem diſcurſum & hiſtoriam, 273,b & ſeqq.

FERIA II. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem, Medice cura teipſum, &c. Luc. 4. Putabant Nazaretani, ſe ad Chriſti miracula ius maximum habere, eò quòd filius eſſet Ioſeph, qui erat ciuis illius ciuitatis; & non animaduertebant, ſe propter ingratitudinem non ſolùm factos fuiſſe indignos vt reciperent beneficia, verùm etiam dignos vt, quæ acceperant, in maiorem condemnationem ipſis cederent, vel iis priuarentur. Tanta ſanè fuit illorum Nazaretanorũ ingratitudo & incredulitas, vt noluerit Dominus ibi naſci, vbi dignatus eſt concipi. Natus eſt enim in Bethlehem, qui conceptus erat in Nazareth; imò ne domunculam quidem illam, in qua B. Virgo fuit ab Angelo ſalutata, & in qua *Verbum caro factum eſt*, retinere meruerunt Nazaretani: nam anno Domini 1294. decima die Decembris, ſub Bonifacio VIII. Pontifice Max. fuit à Nazareth ciuitate, relictis fundamentis, Angelorum miniſterio auulſa & auecta, & tandem in agro Piceno, ſine Recinetenſi, in ſilua nobiliſ-

simæ cuiusdam feminæ, cui nomen erat Laureta (à qua domus illa Lauretana dicitur) deposita. Erant igitur Nazareni miraculis priuandi, qui iis ad Christum nolebant adduci. Quando autem ab Euangelistis dicitur, quòd Christus *non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit*; non est intelligendum, ipsi defuisse aut potentiam aut virtutem; sed, *non poterat*, id est, nolebat: quia æquum non erat vt ingratis, ac indignis & peccatoribus ea faceret: peccata enim influxum diuinorum munerum impediunt. 251,b

Elias non est missus, nisi ad viduam in Sarepta Sidonia, &c. Bone Deus, vt quid præcipitur indigentissimæ viduæ, vt pascat Eliam? nónne melius fuisset, idipsum Regi, vel diuiti alicui committi, qui habuisset vnde commodè & sibi & indigenti tribueret? Aliqui ideò factum fuisse dicunt, vt quantò maior erat ipsius inopia, tantò magis eiusdem charitas & pietas eluceret. Præcepit verò Deus, vt de exiguo farinæ prius Prophetam pasceret, & si quid superesset, de eo sibi & filio suo satisfaceret: vt intelligeremus, prius subueniendum esse Dei seruis, deinde aliis. 877,b

FERIA IV. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? &c. Quis non miretur, primarios populi longum conficere iter, de nullius momenti re disquirentes? dicebant enim: *Non enim lauant manus, cùm panem manducant.* Superstitiosi erant, & anxiè de lotione manuum, nullatenus de mundatione conscientiæ solliciti: vnde & Christus iis respondit: *Quare & vos transgreditmini mandata Dei propter traditiones vestras?* quibus verbis indicare voluit, traditiones varias & vanas esse abiiciendas. 849,b & seqq.

FERIA VI. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, Ioan. 4. Loquitur hic Christus sub aquæ metaphora, de diuina gratia, qua iusti in iustificatione potantur & inebriantur. Dicitur verò, eum qui aquam diuinæ gratiæ biberit, non passurum sitim in æternum: quia licet aliquando in præsenti vita patiatur temporalium ac spiritualium sitim; eadem tamen in altera penitus extinguetur: qua vice versa cruciabuntur illi qui aquam gratiæ degustare noluerunt, vt omnium nomine indicauit ille Euangelicus Epulo, qui cùm esset in flammis, petiit ab Abraham mitti ad se Lazarum, qui intincto in aquam digito, refrigeraret linguam eius, & non obtinuit. 148,b & seqq.

Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me. Cur Christus ex cibo à discipulis oblato noluit manducare? Vt sciamus, cibum Christi esse conuersionem peccatoris, & salutem animarum. Ex quo colligitur, quàm gratum ei opus præstent, qui intendunt verbo & exemplo hominum saluti, & peccatorum conuersioni. 783,a & b

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Collegerunt ergo, & implenerunt duodecim cophinos fragmentorum, Ioan. 6. Sicut inter manus Christi frangentis panes, multiplicati illi sunt, miraculo quidem & operatione diuina: sic, dum frangimus esurienti panem nostrum, dum abundantiæ nostræ particulas egentibus propter Deum & pias causas elargimur, operatione quadam & munificentia diuina fit, vt nihil nobis ea re pereat aut deteratur, sed accrescat magis. Vnde & S. Chrysostomus eleëmosynam vocat artem omnium quæstuosissimam. Vide multa pulchra circa hanc materiam, 877,b & seqq.

DOMINICA PASSIONIS.

Ego non quæro gloriam meam; est qui quærat, & iudicet, Ioan. 8. Debetur virtuti & potestati à Deo ordinatæ honor, iuxta illud Pauli Rom. 12. *Cui honorem, honorem.* Quantopere hic honor Christi ministris exhibitus, Christo placeat, illa eius verba declarant: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*, Matth. 9. quantopere ex aduerso contumelia illis illata, Deo displiceat, patet ex illis verbis Zachariæ 2. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Ex quo patet dignitas ministrorum Ecclesiæ. 334, b & seqq.

FERIA III. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Vos ascendite ad diem festum. ego autem non adscendam, Ioan. 7. Optimè hæc verba Christi explicantur, 588,b & seqq.

Tempus meum nondum aduenit, &c. Christus licet esset cupidissimus passionis & mortis, noluit tamen tunc adhuc pati, ob maiorem hominum vtilitatem. 162,a

FERIA VI. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Expedit vobis vt vnus moriatur homo, &c. Ioan. 11. Mori debuit Christus, & in crucis arbore exaltari, vt ad se congregaret Iudæos, non solùm Terræ sanctæ incolas, sed etiam à quatuor terræ plagis profugos Israël. 592,a

DOMINICA PALMARVM.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, &c. Matthæi 21. Christo Regi nostro variis coronis coronato Sancti occurrunt, & occurrere debent. 612, a & seqq.

FERIA II. POST DOMINICAM PALMARVM.

Quare vnguentum hoc non venit trecentis denariis, & datum est egenis? Ioan. 12. Sancta opera facienda sunt præ eleëmosynis: pauperibus enim aliunde facilè prouideri potest; & profectò iustitia pro gratuita pietate deferenda non est. 876, a & seqq.

FERIA II. PASCHÆ.

Tu solus peregrinus es in Ierusalem? Lucæ 24. Quomodo Christi vita continua fuerit peregrinatio, 756, a & b. Item, quomodo omnes fideles debeant esse spirituales peregrini, 840, & seqq.

FERIA

FERIA III. PASCHÆ.

Stetit Ieſus in medio. Vide notata Dominica in Albis ſequente.

DOMINICA IN ALBIS.

Stetit Ieſus in medio, &c. Ioan. 20. Chriſtus exemplo ſuo docuit Præſules, ſeu Superiores, quòd debeant eſſe in medio ouium, vt ſol in cælo eſt in medio planetarum, & cor in medio humani corporis, vt omnibus verbo & exemplo præluceant, opem ferant, ac circumſtantes ſubditos vitâ & doctrinâ viuificent. 59,a & b

Stetit Ieſus in medio. In omni re, quod medium eſt, nobiliſſimum eſt; & ſaluti animarum intendere, eſt opus excellentiſſimum. 784,a & b

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego ſum paſtor bonus, Ioan. 10. Dicti ſunt Principes à Deo, ne grauent ſubditos. 57, b. Et Prælati omnibus verbo & exemplo prælucere debent, ſicut paſtor præcedit oues ſuas; ſubditi verò ab eis pendere debent, & ab illis infirmitatum ſuarum medelam accipere. 59, a & b. vnde mali Paſtores, ſeu Sacerdotes, ſunt ruina totius populi. ibid. b. 132, a. 281, a & b

Ego ſum paſtor bonus. Quomodo Principes & Superiores debeant regere & paſcere ſubditos, vide pulchra & moralia circa hanc materiam 615, a & ſeqq. 680, a

Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Ex his verbis colligitur quanta ſit dignitas animarum, pro quibus Chriſtus bonus paſtor animam ſuam poſuit. 780, a & ſeqq.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Petite, & accipietis, &c. Ioan. 16. Cur non ſemper ſtatim exaudiamur cùm oramus; & quomodo Angeli tam boni quàm mali coram Deo pro orationibus noſtris concertent. 252, b

Vſque modò non petiſtis Patrem in nomine meo. Per Chriſtum omnia noſtra Patri cæleſti offerre debemus: ille enim eſt ſigillum, quo orationes noſtræ muniendæ ſunt. 595, b

IN DIEBVS ROGATIONVM.

Petite, & dabitur vobis, Lucæ 11. Quales debeant eſſe noſtræ orationes. 251, b & ſeqq. Scelera hominum ſæpè impediunt orationes Sanctorum. 726, b & ſeqq.

FERIA II. PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, Ioan. 3. Chriſti incarnatio fuit ex gratia Dei, non ex hominum meritis. 320, a & b

Sic Deus dilexit mundum, &c. Amor Dei erga homines in lege gratiæ ſingulariter enituit. 617, a & b

DOMINICA SS. TRINITATIS.

Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra, &c. Matth. 28. De myſterio SS. Trinitatis vide 174, b. 575, & ſeqq.

Data eſt mihi omnis poteſtas. Chriſtus paſſione ſua abſolutum dominium ſibi comparauit. 582, b & ſeqq. eius verò dominium, ſeu regimen, eſt monarchicum & optimum. 533, b & ſeqq.

DOMINICA II. POST PENTECOST.

Vxorem duxi, ideò non poſſum venire, Lucæ 14. Primus & ſecundus honeſtè ſe excuſarunt, dicentes, *Rogo te, habe me excuſatum*; ſed hic abſolutè reſpondit, non eſſe opus multis verbis vel expectatione, *Non poſſum venire*: libido enim, ſeu carnalis voluptas, homini potentiam Deo appropinquandi adimit, & ſpiritum ſimul ac ſanguinem exhaurit. Conſiderans Auguſtinus Serm. 33. de Verbis Domini miſerias carnalium, ait: *Qui dixit, Vxorem duxi; carnem amplexatur, carnis voluptatibus inundatur, à cœna excuſatur, obſernet ne fame interna moriatur.* Facilè deſperat de emendatione, qui ſeipſum carnalis libidinis mancipium fecit. Audi Lutherum deſperantem: qui cùm eſſet Sacerdos & Monachus, & Deo caſtitatem ſolemniter vouiſſet, ſcribit de ſeipſo Tom. 5. Sermonum Wittenbergenſium fol. 119. *Quemadmodum non eſt in meis viſceribus ſitum, vt vir non ſim; tam non eſt mei iuris, vt abſque muliere ſim: & feminæ ſociari, tam eſt neceſſarium, quàm edere & bibere.* Nota eſt Theotimi incontinentia, qui oculos perdere maluit, ſicut ei Medici prædixerant, quàm à libidine abſtinere: vnde exclamauit, *Vale amicum lumen.* huius meminit Ambroſius lib. 4. in Lucæ cap. 4. Vide hominum carnalium miſeriam deſcriptam 131, a. Item, quomodo coniugium magis quàm alia mundana, diſtrahat à Chriſti ſequela. 545, b & ſeqq.

Nemo ex his qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam. Indigni habiti ſunt magnâ illa cœna, qui ob terrena & carnalia ſeſe excuſarunt. Eodem modo ob luxum, & diuitiarum copiam, homines afflicti fuerunt, & Terrâ promiſſionis facti indigni. 203, b & ſeqq.

DOMINICA IV. POST PENTECOST.

Laxate retia veſtra in capturam, Lucæ 5. Hic debet eſſe finis omnium Concionatorum, ſcilicet laxare rete prædicationis in capturam piſcium, ſeu animarum; non verò ad piſcandum honorem, & inanem gloriam, aut hominum applauſum, vel temporale emolumentum: animarum enim lucrum præcipuum & excellentiſſimum eſt; & illarum ſaluti intendere, eſt opus maximè meritorium. 776, b & ſeqq. 783, a & b. 787, b

Laxate retia veſtra in capturam. Hic dici poteſt, quomodo prædicatores ſatisfaciant, modò laborent, & retia laxent, licet nullum ſanctificent, vel aliquid capiant. 166, b. 167, b

DOMINICA VI. POST PENTECOST.

Miſereor ſuper turbam, Marci 8. Chriſtus his verbis, & hoc facto, Dei prouidentiam erga mortales, quæ numquam deficit in neceſſariis, apertè docet, ſimulque qualis hominum erga proximos indigentes affectus, & quæ miſericordia eſſe debeat, oſtendit. Neceſſitati eorum non habentium quod manducarent, proſpexit mirabiliter. Dei enim prouidentia circa temporalis huius vitæ neceſſaria numquam dormit. Si Regis palatium ingreſſus, menſam illic videres pretioſis mappis inſtratam, ac delicatiſſimis cibis ornatam, cui tamen nonniſi muliones, aliæque viles perſonæ accumberent; quibus etiam, poſtquam appoſitæ epulæ abſumptæ eſſent, aliæ ſemper atque aliæ de nouo apponerentur, in magna copia & varietate; tecum ipſe cogitares, ecquæ tandem, & quàm

ſplendida eſſe debeat menſa, quantus eius apparatus, quanta magnificentia, cui Rex ipſe cum filiis & amicis ſuis accumberet? Pari modo Deus in hoc mundo impiis & peccatoribus menſam appoſuit, omni rerum genere inſtructiſſimam, agros omnium fructuum varietate vberrimos, prata herbarum & florum omnigenorum venuſtate flörentia, innumera alia ſapida guſtui, grata aſpectui, placentia olfactui; carnium verò tantam copiam, vt pro vnaquaque anni tempeſtate aliæ & aliæ inueniantur, quin & pro cuiuſque palato ſingula ſuppeditentur: ſimiliter & de piſcibus. Si talem menſam Deus omnibus, etiam impiis, apparauit; qualem, putamus, eum iuſtis & amicis ſuis inceſſanter adornaſſe? Non poteſt mentiri Scriptura quæ dicit: *Nunquam vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Deus non derelinquit ſuos, nec fame perire permittit, at corda piorum mouet, vt illis indigentibus ſufficientes eleëmoſynas ſubminiſtrent. 188,a & b

DOMINICA IX. POST PENTECOST.

Videns Ieſus ciuitatem, flenit ſuper illam, Lucæ 19. Per ciuitatem intelliguntur ciues & homines eam inhabitantes, qui propter peccata ſua diuinam meriti ſunt vltionem. 620,a & ſeqq.

DOMINICA X. POST PENTECOST.

Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat, Luc. 18. Deſpiciebat Phariſæus ſuperbus humilem publicanum: ſic ſuperbi ordinariè aliosdeſpiciunt; & animo torquentur, ſi ab omnibus non honorentur: ſuperbia enim triſtitiam & pallorem inducit. 131,a

DOMINICA XII. POST PENTECOST.

Beati oculi qui vident quæ vos videtis, Luc. 10. Meritò Meſſias à Iacob dictus fuit *expectatio Gentium*, & *deſiderium collium æternorum*, Geneſ. 49. Iudæi videntes ſe prædicta Iacobi prophetia premi, fraudulenter vertunt, *ipſe*, ſcilicet Dauid, *vaſtabit, obtundet, & conteret Gentes*. Quod non ſolùm imperitè, ſed etiam malitiosè ab illis dicitur. nam Iacob deſignat eo in loco eum qui ſurget, quando auferetur ſceptrum de Iuda; quod in Dauide non defecit, ſed potiùs cœpit. Cùm agitur Meſſias dicitur *expectatio Gentium*, idem eſt, ac ſi expectabilis & deſiderabilis Gentium appellaretur. De quo etiam Aggæus dixit cap. 2. *Ecce veniet deſideratus cunctis Gentibus*: nam etſi actu illum non deſiderabant futurum, cùm pauciſſimi quidquam de illo ſciuerint; tamen, quia maximè ſaluti gentium conueniebat, ideò earum *expectatio* vocatur, vel *deſideratus*: quem haud dubiè auidè expectaſſent, ſi illius vtilitatem & propriam neceſſitatem cognouiſſent. Fuit enim Chriſtus pulcherrimus, & perfectiſſimus, atque ob ſpeciem ſuam imperio dignus. 610,a & b

DOMINICA XIV. POST PENTECOST.

Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ, Matth. 6. Dominus non contentus ſub indefinita & generali propoſitione dixiſſe, duobus dominis neminem poſſe ſeruire, moxque ex his dominis alterum eſſe diabolum, qui videlicet omnis ferè peccati auctor & inſtigator eſt; adhuc definitè & expreſsè maledictam auaritiam, & communem ferè omnibus diuitiarum cupiditatem in medium adfert, aſſerens: *Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ*, id eſt, diuitiis. Seruit diuitiis, & diuitiarum non dominus eſt, quiſquis eas vel auarè appetit, vel cupidè retinet: talis Deo ſeruire non poteſt. Sicut terra quæ aurum producit ex ſe, ad cetera omnia ſterilis eſt, nec herbam, nec fruges, nec arbores fert, ſed penitus inculta iacet: ſic miſera anima auri cupida, & congerendis diuitiis intenta, ad nihil aliud vtilis eſt, nec Deo, nec Reipublicæ, nec ſibi ipſi ſeruire poteſt: vnde & Paulus cupiditatem radicem eſſe dixit omnium malorum. Diuitiæ autem non ſunt malæ, ſed cupiditas & abuſus. 619,b. Sunt item multipliciter cauſa perditionis, & corporalem afflictionem inducunt. 620, b & ſeqq.

Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Piè viuentibus numquam deerunt vitæ neceſſaria; ſed Deus piorum corda commouebit, vt indigentibus abundè ſuccurrant. 188,a & b

DOMINICA XVII. POST PENTECOST.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, Matth. 22. Magna nobis & multa reliquit Deus in hoc mundo, cui gratum erit, ſi præ amore & deſiderio illius contemnantur. Placuit illi ſummoperè deuota S. P. Ignatij exclamatio, omnia terrena faſtidientis, & dicentis: *Quomodo mihi vileſcit terra cum cælum intueor!* Finge tibi adoleſcentem, virginis alicuius matrimonium ambientem: ſi quidem tener & ſincerus eius erga eam fuerit amor, nihil deſiderabit, quàm vt illius amplexibus in caſto connubio fruatur: quem affectum magis probabit, ſi præuio contractu ſe & omnia ſua ei reſignando, adeò nullam à parentibus dandæ dotis mentionem fieri velit, vt etiam dicat: Bona mea omnia præſentia & futura accipiat ſibi, inſuper præſcribat quid toto tempore vitæ meæ ſibi à me fieri deſideret: paratus ſum enim tam ad togam, ſi ei placet, ait Iuſtinianus; quàm ad militiam, ſi Mars illi magis arridet. Huiuſmodi amatores deſiderat Deus: in quorum numero erat Paulus, qui omnia quæ extra Deum erant contemnens, dicebat: *Omnia arbitratus ſum vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam:* vt fruar eo, & iis quæ ſunt in illo, omnia reliqua (licet eius ſint) quia extra illum, contemno. Ab hoc amore non ſolùm deficiunt qui creaturas Creatori præponunt, ſed etiam qui componunt. Præponunt autem impij, qui illas diligunt cum iniuria Dei; componunt verò fragiles & infirmi: qui quòd cum eo alia amant, quæ non propter illum amant, etſi non propterea ſtatim ab eius amore excidant; tamen non parum à conditione perfectæ charitatis deficiunt. Hi ſimiles ſunt frigidis amatoribus, qui non ſolùm reſpiciunt dilectæ gratias, ſed etiá opes. Multi quippe ſunt, qui diligunt Deum non propter ſe, ſed propter proprium commodum. 249,a

DOMINICA XVIII. POST PENTECOST.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, Matth. 9. Iuſtificatio peccatoris eſt opus diuinitatis, & maius quàm mundi creatio. 323,a & b

Confide fili. Filiorum nomine vocat Chriſtus illos, qui relicto ſeu dimiſſo peccato, ipſi per gratiam reconciliati ſunt. 324,a

DOMINICA XX. POST PENTECOST.

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum, Ioan. 4. Notat S. Auguſt. Tract. 16. in Ioan. quòd, quando Chriſtus conuertit aquam

in

in vinum, solùm crediderunt in eum discipuli eius. Vtique plena erat domus turbis conuiuantium, inquit, & factum est tam magnum miraculum; & non crediderunt, nisi discipuli eius. Et ideò Dominus rursus in hanc ciuitatem venit, vt, qui per priora non crediderant, modò crederent. Vnde notanter ait Euangelista: *Venit ergo iterum Iesus in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum.* Existimat autem Theophylactus, quòd regulus iste interfuerit nuptiis, & fuerit vnus ex illis qui viderunt, sed non crediderunt ex miraculosa aquæ in vinum conuersione; & audierat narrari plura alia miracula, quæ Christus fecerat, & tamen non credebat. Vnde immisit illi Deus tribulationem: nam *filius eius infirmabatur*; ac proinde statim contulit se ad Christum. Hinc patet, quàm misericorditer Christus cum hoc regulo egerit: qui etiam per miracula & salutaria eius documenta parum profecisset, tribulationibus illum tam diu agitauit, donec cum fide & spe charitatem conciperet, quâ intus vrgeretur ad ea quæ Christi erant curanda: vnde non destitit, vsquedum vnà cum ipso domus eius tota crederet. Tribulationes enim hominem illuminant, & accendunt, ac ad Deum ire compellunt. 289, a & b

DOMINICA XXII. POST PENTECOST.

Cuius est hac imago, & superscriptio? Matth. 22. Christianorum peccata grauiora sunt quàm Turcarum & Infidelium; quia pluribus beneficiis à Christo affecti, peccant ex malitia: cùm etiam habeant expressiorem crucis impressionem, inimici tamen sunt crucis Christi. 244, b & seqq.

DOMINICA VLTIMA POST PENTECOSTEN.

Cùm videritis abominationem desolationis, &c. Matth. 24. Quomodo Deus præmonere soleat peccatores antequam puniat, vide in annotatis in Dominica prima Aduentus.

Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. De prouidentia Dei erga electos, vide 135. & 136. Item multa pulchra de excidio Ierosolymitano, & Iudæorum calamitate, ibid & 229, a

Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. Deus non statim è medio tollit peccatores. 218, a & b

Surgent enim Pseudochristi & Pseudoprophetæ, &c. Hæretici sunt Antichristi. 344, a

Antichristi tribulatio maxima est ex iis quæ dolorem infligunt. 345, b. Post mortem verò Antichristi mundus erit in malo statu, cùm Dominus veniet ad iudicium. 342, b vsque ad finem Libri primi.

Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Quomodo Deus sit fidelis in promissis suis, exemplo assignato, 28, a & b

Vide alia in Dominica I. Aduentus, quæ hîc applicari possunt.

ELENCHVS AD FORMANDAS CONCIONES PRO FESTIVITATIBVS SANCTORVM.

IN FESTO S. ANDREÆ.

VENITE *post me, faciam vos fieri piscatores hominum*, Matth. 4. Quando in Scriptura sacra fit mentio piscatorum, interdum in bonum, interdum verò in malum accipitur. Dæmon etiam dicitur piscator, qui delicijs & peccatorum escis animas piscatur, & secum trahit in infernum: similiter & impij ac mundani dicuntur piscari, seu captare honores, diuitias, &c. At quando in hoc Euangelio dicitur, *Erant enim piscatores*; & iterùm, *Faciam vos fieri piscatores hominum*, in bonum capitur, pro Apostolis & prædicatoribus. 329, a & b

Venite post me. His verbis Christus planam facit viam ac semitam ad cælum, scilicet viam tribulationum & crucis: ipse enim præcedit, & vult alios sequi, cùm discipulus nõ sit maior magistro, nec seruus melior domino suo. Vnde & Andreas crucem à longè aspiciens, salutauit, & summo affectu dicere cœpit, *Salue crux pretiosa*, &c. *suscipe discipulum eius qui pependit in te, magister meus Christus.* Sciebat enim in cruce latere omnem dulcedinem, nobilitatem, splendorem, ac diuitias cælestes. 144, b. 146, a & b. 562, & seqq.

Salue crux pretiosa, &c. Crux post Christi mortem pretiosa fuit. 611, b. Item, crux est subsidium, fulcrum, & lectus quietis fidelium. 584, b & seqq. Vide plurima pulchra de cruce in Indice Rerum, sub titulo *Crux*, & *Passio Christi*. quæ hîc facilè applicari possunt.

Domine ne permittas me de cruce deponi. Ostendit S. Andreas maximum solatium esse, pati pro Christo: martyrium enim est opus præstantissimum. 767, b & seqq.

IN FESTO S. NICOLAI.

Vnus dedit quinque talenta, &c. Matth. 25. Quid talenta significent, explicatur 564, b

Unicuique iuxta propriam virtutem, &c. Deus quærit opus secundùm cuiusque virtutem & conditionem: merces enim similiter iuxta cuiusque laborem reddetur. 786, b & seqq.

Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, &c. S. Nicolaus verè fidelis fuit seruus, qui in pauperes bona ac pecunias expendit, vt in eius historia legitur; ac propterea titulum boni & fidelis serui apud Deum promeritus est, & à fidelibus omnibus in mundo celebratur. Contrà verò diuites luxui indulgentes, facilè se excusant ab eleëmosynis & pijs operibus faciendis; cùm tamen Deus eleëmosynariorum bona multiplicet, eosque verè celebres faciat. 887, b & seqq. vsque ad finem Lib.

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Dominus meus, & Deus meus, Ioan. 20. S Thomas ex Christi vulneribus ipsum agnouit: Christi enim vulnera & crux optimè docent hominem. Quam materiam piè, & curiosè ac moraliter explicatam inuenies 594, b. 597, b. 599, a & b

Materiam pro Festis aliis circa Natiuitatem Domini occurrentibus, vide in Elencho Concionum de Tempore.

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAVLI.

Vas electionis est mihi iste, &c. Act. 9. Quis cogitasset, hominem furiosum, contumeliosum, spirantem minarum & cædis, blasphemum in Christi nomen, & Christianorum persecutorem, viduas & filios eorum in vincula conicientem, vastantem domos, incensum furiis infernalibus, &c. tam subitò immutari potuisse? de persecutore fieri defensorem, de blasphemo confessorem, de tyranno mitem, de lupo agnum? Mirabile sanè id videatur, si prudentiâ id expendatur humanâ; at si opus Dei fuisse consideremus, admirati desinemus. Quis vnquam cogitasset, dum lutum in figuram hominis Deus formabat, fore vt tam nobilis inde prodiret creatura, rationalis, dominans volatilibus cæli, & piscibus maris? quid enim vilius, quid imperfectius luto? Mirum sanè; sed mox vt *Dominus Deus inspiranit in faciem eius spiraculum vitæ, factus est homo in animam viuentem*, Genes. 2. Quia Dei opus hoc erat, hinc facile illi fuit. Sic hîc ad vocem Christi, Saulus in Paulum subitò mutatus fuit. Quàm mirabiliter autem Christi miles factus fuerit, ac dictus Vas electionis, vide 310, a & b. 328, a. Fuit Paulus velut terra fluens lacte & melle, tum ob singularem doctrinam, tum ob lac ex eius capite tempore martyrij loco sanguinis profluens. 84, a

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Simeon accepit puerum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, &c. Lucæ 2. Libenter moriuntur iusti, qui Christum præsentem habent ac vident. In historiis Romanorum legimus, quòd miles quidam fortissimus multùm ingemuerit instante fine vitæ; reprehensus autem à circumstantibus, dixit: Non doleo, quia morior, sed quia absens à Pompeio morior. Dolebat S. Bonauentura, quòd propter stomachi indispositionem ad vomitum inclinati non poterat Christum in Venerabili Eucharistia recipere; voluit tamen in præsentia cælestis Pompeij mori; vnde fecit ciborium adferri, ac miraculosè aperto eius latere, Christus cor eius ingressus est. Sic sanctus ille senex Simeon puerum in vlnas suas accepit, ac mori magis quàm viuere exoptauit, videns Christum mundi Saluatorem, & ait: *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, &c. *quia viderunt oculi mei salutare tuum*. 724, b

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, Matthæi 16. His verbis firmitas Ecclesiæ Catholicæ indicatur; & quamuis, instigante dæmone, hæretici, schismatici, & ceteri impij illam verbis & factis conati fuerint euertere, numquam tamen prævalere potuerunt, nec poterunt. Vide multa pulchra de hac Ecclesiæ firmitate, non obstantibus hæreticorum & peccatorum machinationibus. 311, a & seqq.

Tibi dabo claues regni cælorum. His verbis indicatur temporalis & spiritualis summi Pontificis potestas: de qua materia vide 680, b

Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis, &c. Summi Pontificis acta non sunt in dubium reuocanda. 183, b

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

Vide in Communi Apostolorum.

IN FESTO S. MARCI EVANGELISTÆ.

Designauit Dominus & alios septuaginta duos, Luc. 10. Christus venit in mundum ad salutem animarum operandam: vnde & alios elegit qui ipsum in hoc opere adiuuarent.

Designauit & alios septuaginta duos. Ex quo patet, quanta sit dignitas animarum, pro quarum salute Christus per se & per alios adeò laborauit; item, quàm excellens sit opus earum saluti intendere. 780, a & seqq. & præsertim 784, a & b.

Designauit Dominus, &c. Dominus discipulos legatos suos designauit, & misit in mundum, vt vel hoc solo titulo, quòd ab eo missi essent, apud homines essent in honore & respectu: magna enim est dignitas ministrorum Christi & Ecclesiæ. 334, b & seqq.

Misit illos binos ante faciem suam, &c. Præmisit discipulos, sed ipse secuturum seu superuenturum se promisit: sine Deo enim & Christo nemo potest proficere. 2, a & b

Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Per fideles conuertuntur infideles. 200, b & seqq.

IN FESTO SS. PHILIPPI ET IACOBI.

Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, Ioan. 14. Naturalis hominis perfectio consistit in eo quòd sit animal rationale; at supernaturalis, in beatitudine, quæ illius finis est. Hanc Philippus agnouit illis verbis, *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*. 147, b & seqq.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.

Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, Ioan. 3. Magna & mirabilis est vis magnetis ferrum ad se trahentis, similiter & electri, quod paleas attrahit; maior tamen & mirabilior est virtus Christi, qui in cruce exaltatus, omnia ad se traxit. 856, b. 857, a

De sancta Cruce, eius quantitate, qualitate, & virtute, vide pulcherrima, & maximè moralia sub titulo *Crux*, in Indice Rerum. quæ omnia hîc applicari possunt.

IN FESTO SS. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI.

Verissimum est quod dixit Dauid, *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus*, Psalm. 138. Quod patet in sanctis Apostolis Petro & Paulo, qui non solùm secundùm animam à Deo honorificati sunt, sed & secundùm corpora; quæ tametsi ab impiis malè fuerint habita, locum tamen vbi illa iacuerunt, Deo iubente, honorarunt & custodierunt Angeli sancti. 801, a

IN FESTO VISITATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Exurgens Maria, abiit in montana, &c. Luc. 1. Mox vt Christus in vtero B. Mariæ Virginis fuit conceptus, ipsa in montana perrexit, vt saluta-

eam impellente, ſicuti in omnibus actionibus ab eodem Spiritu mota fuit. 805, b & ſeqq.

Abiit in montana cum feſtinatione. Quorſum tanta feſtinatio? an quia pretioſum deferebat theſaurum, quo deſpoliari verebatur? habebat enim in vaſe ſuo fictili theſaurum inexhauribilem Chriſtum, habebat & theſaurum virginitatis. Non erat quòd pro his vereretur B. Virgo, angelicis diuiniſque vallata præſidiis, imò ſuum in ſe gerens cuſtodem; ſed vos, ô virgines, & feminæ, docuit quo pacto vos foris extra domeſticos limites geratis, etiam dum ad Eccleſiam & officia pietatis aut charitatis egredimini: theſaurum enim geritis pretioſum in vaſe fictili; & hic ipſe fragilis eſt, & minimo ictu & aëre inficitur, imò vno oculorum intuitu deperdi poteſt. Vide multa, quàm periculoſi ſint mulierum diſcurſus, 795, a & b

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Quare Chriſtus domum & menſam Phariſæi adierit, vide in feſto S. Matthæi.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Optimam partem elegit ſibi Maria, &c. Luc. 10. Dicendo, optimam partem ſibi elegiſſe Mariam, ſupponit & bonam fuiſſe ſortem Marthæ; imò vtilius interdum pro actione contemplatio dimittitur. 811, b & ſeqq.

Martha, Martha, ſollicita es, &c. Cur Chriſtus Martham reprehenderit, vide 812, a & ſeqq.

Quamdiu B. Maria Virgo poſt Aſcenſionem Domini vixerit, & quid vſque ad ſuam aſſumptionem fecerit, vide 841, a & b

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Ecce, multi publicani & peccatores venientes, diſcumbebant cum Ieſu, Matth. 9. Chriſtus à ſancto Matthæo inuitatus, menſæ cum eo & publicanis accubuit, ſicuti & aliàs ſæpè abalijs inuitatus fecit; non vt ſe reficeret cibo corporali, ſed ſpirituali, qui eſt conuerſio peccatorum, & ſalus animarum. 783, a & b

IN FESTO DEDICATIONIS S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, &c. Matth. 18. Debemus eſſe paruuli in ſimplicitate, ſi velimus eſſe beati. 293, b

Factum eſt prælium magnum in cœlo, &c. Apocal. 12. Quale fuerit prælium Michaëlis cum dracone, explicatur 304, b. 712, b

Factum eſt prælium magnum in cœlo. Quomodo Angeli boni & mali coram Deo pro noſtris orationibus concertent; item, quomodo interdum mali angeli prævaleant bonis, ob hominum crimina & peccata, vide 251, a. 252, b

IN FESTO S. LVCÆ EVANGELISTÆ.

Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos, &c. Luc. 10. Per patientiam plus vincitur, quàm per vim armorum; ideò non arma, ſed ouium patientiam & manſuetudinem ſuis dat Chriſtus, per eos volens conuertere totum mundum. 40, a & b. 170, a. 309, a & ſeqq.

Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos, &c. Quomodo per fidelium cohabitationem conuertantur infideles, vide 200, b & ſeqq. 202, b

Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. Certum erat, agnos à lupis deuorandos; illos tamen ad hos miſit Chriſtus: Apoſtoli quoque illuc ire non dubitarunt, ſed audacter perſecutoribus atque eorum tormentis ſe obtulerunt. Circa hanc materiam, quomodo ſcilicet liceat eligere media, è quibus ſequi poſſit martyrium, vide 813, b

IN FESTO SS. SIMONIS ET IVDÆ.

Hoc mando vobis, vt diligatis inuicem, &c. Ioan. 15. De dilectione & diſcordia vide pulchra, curioſa & moralia, 153, a & b. 273, a & ſeqq. vbi inſignem & curioſam habes hiſtoriam. Item 725, a & b

Si vos mundus odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Eccleſia & fideles Chriſto maximè ſimiles fiunt in tentationibus & tribulationibus. 344, a & b

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis, Matth. 5. Cœleſtis Ieruſalem conditiones pulchrè deſcribuntur 85, b. Item, quomodo variis modis & viis ea obtineatur, 90, a

IN FESTO S. MARTINI.

De liberalitate & eleëmoſyna, quomodò Deus eleëmoſynariorum bona multiplicet, & celebres eos faciat. Item, quomodo diuites qui luxu abundant, cum ſcandalo etiam infidelium ſe excuſent ab eleëmoſynis in pauperes & pios vſus diſtribuendis. 887, b & ſeqq. vſque ad finem Lib.

IN COMMVNI APOSTOLORVM.

Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes, &c. Matth. 19. Quomodo Apoſtoli iudicabunt duodecim tribus Iſraël: iuſti enim ſunt domini impiorum, & hi illorum ſerui. 25, b & ſeqq.

Ecce reliquimus omnia, &c. Vide in Communi Confeſſoris non Pontificis.

IN COMMVNI MARTYRVM.

Quomodo perſecutores ſeruiant iuſtis & fidelibus, eos perſequendo, vide 25, b. Item, quomodo martyrium ſit opus præſtantiſſimum, 767, b & ſeqq.

IN COMMVNI CONFESSORIS PONTIFICIS.

Vni dedit quinque talenta, &c. Matth. 15. Quid talenta ſignificent, explicatur 564, b

Vnicuique iuxta propriam virtutem, &c. Deus quærit opus ſecundùm cuiuſque virtutem & conditionem: merces enim ſimiliter iuxta cuiuſque laborem redditur. 786. b & ſeqq.

IN COMMVNI DOCTORVM.

Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum, Matth. 5. Meritorium eſt ſtudere aliorum

rum ſaluti, ſicuti faciunt Doctores; qui interim etiam ſuam ſalutem operantur. 776, b & ſeqq. 783, a & b. 787, b

IN COMMVNI CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, &c. *Centuplum accipietis*, &c. Matth. 19. Bonorum operum præmium ſpirituale eſt: vbi explicatur quid ſit centuplum. 84, a

Centuplum accipietis. De neceſſariis prouidet Deus amicis ſuis ſe ſequentibus. 87, a

Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum, Luc. 12. Circa hanc materiam vide rationes, quare Fratribus Minoribus (qui ob humilitatem & paupertatem dicuntur Puſillus grex) dederit Chriſtus cuſtodiendam Terram ſanctam, 178, a

IN COMMVNI VIRGINVM.

Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, &c. Matth. 25. In hac parabola, ſicut & in aliis ſimilibus, vnio quædam agnoſcitur, quæ debet eſſe in Eccleſia, quæ dicitur regnum cælorum. 207, a

Quinque ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Boni & mali ſunt in Eccleſia Catholica, & quare. 342, a

Nouiſſimè veniunt & reliquæ virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis, &c. Cur fatuæ virgines à nuptiis excluſæ fuerint, vide 726, b & ſeqq.

IN COMMVNI VIDVARVM.

Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, Matth. 13. Theſaurus abſconditus ſignificat animas, pro quibus Chriſtus omnia dedit, vt illas compararet & ſaluaret. Vide de hac materia 778, b & ſeqq.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

In materialibus templis non eſt adeò gloriandum, quàm in ſpiritualibus: ideò enim templum Salomonis, quod magnificentiſſimum erat, deſtructum fuit. 248, b

Ecce vir nomine Zachæus: hic erat princeps publicanorum, & ipſe dives, Luc. 19. Zachæus ſtaturâ quidem puſillus, ſed peccatis maximus erat: diuitiis enim totus inhiabat, quæ multipliciter ſunt cauſa perditionis, propter abuſum & nimiam cupiditatem. 619, b & ſeqq. 621, a & b

Hic erat dives. Diuitiæ ſeruitutem inducunt, 25, b. Item, diabolus hominem tentare ſolet per diuitias. 348. 349. 352. 353

IN PRECIBVS XL. HORARVM, VEL ALIIS PRO COMMVNI NECESSITATE.

Quæſiui virum qui interponeret ſepem, &c. Ezechiel. 22. Quomodo peccata impediant influxum diuinorum munerum, & quales debeant eſſe noſtræ orationes, vide 251, b & ſeqq.

Scelera & peccata hominum impiorum impediunt orationes Sanctorum. 726, b & ſeqq.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google